ANGLICA, NORMANNICA, HIBERNICA, CAMBRICA, A VETERIBVS SCRIPTA:

Ex quibus

Aſſer Meneuenſis, Anonymus de vita Gulielmi Conqueſtoris, Thomas VValſingham, Thomas de la More, Gulielmus Gemiticenſis, Giraldus Cambrenſis:

Plerque nunc primùm in lucem editi, ex Bibliotheca GVILIELMI CAMDENI.

CVM INDICE, TVM VERBORVM, TVM RERVM IN Opere hoc toto cumprimis memorabilium locupletiſſimo.



FRANCOFVRTI,

Impenſis Claudij Marnij, & hæredum Iohannis Aubrij.

Anno M. D CIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PATRIÆ, POSTERITATI,

ET

VIRTVTE, NATALIBVS, ERVDIT. ANIMIQVE
CANDORE VERE NOBILISSIMO FVLCONI
GREVILLIO, CLASSIS REGIÆ ANGLICÆ
QVÆSTORI, BONARVM LITTERARVM ET
LITTERATORVM FAVTORI
SVMMO.

HOS VETERES SCRIPTORES PARTIM
NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITOS
PARTIM DENVO
REVOCATOS:

GVILIELMMVS CAMDENVS CLARENTIVS
GREVILLIANO NOMINI DEVOTISSIMVS
LIBENS MERITO.

D.

Digitized by Google

VIRTVTE, NATALIBVS, ERVDITIONE, ANIMIQVE CANDORE VERE NOBILISSIMO FVLCONI GREVILLIO, *Claſsis Regiæ Anglicæ Quæſtori, bonarum litterarum & Litteratorum fautori ſummo.*

S. D.

EX quo bonæ litteræ rediuiuæ ſuperiori ſæculo refloruerunt, vniuerſa Anglia nihil magis in votis habuit, Clariſſime Greuilli, quam cùm plurimos protulerir ab eruditione, prudẽtia, & iudicio inſtructiſſimos, ex iis iam tandẽ exiſteret aliquis, qui gentis Anglorum hiſtoriam integram, ſuiſq; numeris abſolutam cõtexeret. Verum neſcio quo fato, ſupplicantis patriæ quæ omnes omnium charirates vna complecti deber, tam pia vora obſtinatis animis & obturaris auribus ſinguli neglexerunt. Chariſſima interim patria ſua deſtiruta hiſtoria etiamnũ luger, ſibiq; à ſuis θρεπτήρια hac in parte non perſolui conqueritur. Nec ipſi non poſſunt non videri maiorum gloriæ, quæ ſua licet firmata ſtirpe ſine luce litterarum emarceſcar, inuidere, poſterorum vtilirati quos hiſtoria ad virtutẽ accendat, doceat, dirigat, & delectet, omnino deeſſe, ſuæque ipſorum laudi peſſime cõſulere, cum & qui fecete, & qui aliorum facta digne ſcripſere, parem ferè laudẽ reportauerint. Ar enim dolenter dico, pleriſque horum vires, ætas, ingeniumq; defluunr, dum alii cauſantur quod per publica, alii quod per priuata negoria non liceat, alii quod ſe fatigando nihil aliud niſi odium ſibi quærant, alii quaſi tanto oneri impares, quod maiorum facta ſcriptis exæquare non poſſint, & ſaris materiæ ad manum non habeant, difficultate dererreantur. Fatendum ſane eſt opus eſſe plus quam difficile, prætereaenim quæ in cæteris artibus ſingula: & in hiſtoria requiruntur vniuetſa; materia ſanè eaque ſolida & copioſa vndiq; indefeſſo labore conquirenda, cùm ex Archiuis regiis, monaſteriorum vrbiumq; Commentariis; quæ non dubito quin facilè patcant, tum ex veterũ ſcriniis, vicinarum gentium monimenris, & noſtrorum cuiuſq; ætatis libris manuſcriptis, qui numero plurimi: & licet μνήματα potius quàm ὑπομνήματα ſint, erunt inprimis vſui. Hac tamen in parte futuro noſtro hiſtorico primus omnium prouide proſpexerit ſingularis ille omnium diſciplinarum patet fautorque,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

torque, & ſummus venerandæ antiquitatis cultor Matthæus Parkerus dum vixit Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Primas & Metropolitanus totius Angliæ, qui cũ magnis impenſis & maiori cura vndique libros manuſcriptos ab interitu vindicaſſet, quos in Bibliotheca Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiæ repoſuit, Anno ſalutis 1570. *Flores Hiſtoriarum per Matthæũ VVeſtmonaſterienſem collectos, præcipuè de rebus Britannicis ab exordio mundi vſq; ad Annum Domini 1307.* Anno ſequente *Matthæi Parii monachi Albanenſis, hiſtoriam maiorem, à Guilielmo Conqueſtore, ad vltimum annum Henrici tertii in lucẽ dedit*, quarum hæc Tiguri, illa Francofurti recuſa. Anno verò 1575. *Alfredi Regis res geſtas ab Aſſerio Schirburnenſi Epiſcopo conſcriptas. Hiſtoriam breuem Thomæ VValſingham. ab Edvvardo primo ad Henricum quintũ, cùm Hypodigmate Neuſtriæ ſiue Normanniæ* 1574. publicauit, quos denuò cùm exemplaria in Anglia rarius inueniantur, Claudius Marnius è ſuo prælo nunc edit. Hunc Archiepiſcopum eodem ſtudio ad hiſtoriam noſtram promouendam ſequutus eſt Guilielmus Hovvardus ſummo genere natus qui è Bibliotheca ſua quam habet inſtructiſſimam diuulgauit 1592. *Chronicon ex Chronicis, ab initio mundi vſq; ad annum Domini 1118. deductum, Auctore Florentio VVigornienſi monacho, cui acceſſit etiam continuatio vſq; ad annum Chriſti 1141. per quendam eiuſdem cœnobii eruditum.* Eo inprimis nomine quod in illo ſuis locis interſeruntur Latinè conuerſi Annales quos ſua lingua conſcriptos maiores noſtri Anglo-Saxones ſolos habuere. Deinde Clariſſimus Henricus Sauilus vir exquiſitiſſima eruditione & ſolidiſſimo iudicio Londini 1596. *Guilielmum Malmesburienſem*, qui è noſtris proximus ad hiſtoriam ſemibarbaro illo æuo acceſſit, *Henricum Huntigdonenſem, Rogerum Houedenum*, & qui à noſtris plurimũ experiti quia rari *Ethelvverdum* & *Ingulphum*, cuius nunc exemplar inuentum eſt emendatius & auctius cum Petri Bleſſenſis ſupplemento. Ego autem qui & huius hiſtoriæ deſiderio iam diu laboraui, cùm nihil aliud poſſim, vt aliquam etiam materiam ad eam ſubueherem, impertiui Claudio Marnio Typographo Francofortenſi (ille enim noſtrorum ſcripta apud nos edita, in hoc orbis angulo latentia, & iam euaneſcẽtia in lucem reliqui orbis Chriſtiani ſuis typis reuocauit,) quos habui ad manum deſcriptos codices, qui in hoc opere ſubſtruendo inſtar cæmenti vel vnius aut alterius ſaxi eſſe poſſint. *Fragmentum ſc. de vita Gulielmi Conqueſtoris ex antiquo libro Monaſterii S. Stephani Cadomenſis*, ex Gallia, inter manubias regnãte Henrico quinto allatum, quem à Guilielmo Pictauenſi Luxouiorum Archidiacono cõſcriptum opinamur, *Vitam Edvvardi ſecundi Regis Anglorum*, quã Thomas De-la-Moor, vir equeſtris ordinis eidem intimus deſcripſit,

Guliel-

Digitized by Google

Guilielmum Gemeticenſem de Ducum Normanorum geſtis, qui rei genealogicæ & regum & nobilium noſtrorum, quorum plures è Normania ſtemma ducunt, lucem præfert maximam; *Silueſtrem Giraldum Cambrenſem de expugnata ab Anglis Hibernia*. Cuius & *Topographica* (alterum enim hiſtoriæ lumen Topographia) *Hiberniæ* nunquam antea edita, & *Cambriæ* ante annos viginti à Dauide Povvello S. Theologiæ Doctore diuulgata. Illā Hiberniæ Topographiam Giraldum Oxonię per tres dies iuxta triplicem eius diſtinctionem ſumma cum auditorum delectatione anno 1200. recitaſſe legimus, quod eò cōmemoro, vt obſeruetur maiores noſtros veterem illam recitandi rationē à Romanis olim vſurpatam eò vſq; retinuiſſe, quam aliqui reduci optant, vt ſcripturientium his temporib. vel emendationi, vel pœnitentiæ locus ſit relictus. Ipſe tamen ſe ſuos obtrectatores tunc habuiſſe nō diſſimulat, qui oblatrarunt quod veritatē fabellis contaminaſſet, quibus pagina 755. paucis modeſtè reſpōdit. In confeſſo autem eſt ſcriptores eius, & ſuperioris etiam æui (vt ait ille) fabulis indulſiſſe, falſo vera, aut maiora vero miſcuiſſe. *Ex ingenio, vel iudicio ſuo quiſq; demat & addat fidem*, & iuxta illud Plinianum, FIDES TANTVM AVTHORES APPELLET. cæterum quæcunque, qualiacunque ſunt, ecce, Vir Clariſſime, ſub tuo nomine in publicum prodire volo, vt aliquod, tantillum licet, extaret, & maximorū tuorum in me meritorum, & meæ ſummæ in te obſeruantiæ teſtimonium. Nec dubito quin tu Anglicæ ſalutis & glorię ſtudioſiſſimus atque antiquæ virtutis admirator ſummus hos ſi non vitæ magiſtros, ſaltē vetuſtatis nuntios, qui memoriam rerum ab Anglis pręclare geſtarum iam intermorientem reuocant, patrocinio tuo, libens lubenſq; digneris. Deus Opt. Max. Amplitudinem tuam in tuum tuorumq; decus quam diutiſſime ſoſpitet, & tueatur.

Greuilliano nomini deuotiſſimus

GVILIELMVS CAMDEN
Clarencius.

Vita Aſſerij.

Aſſer, qui aliis *Aſſerius*, aliis *Aſſerio* dictus, natus fuit in vltimis & occiduis Britanniæ finib. in Demetarum regione, quæ nunc *Pembrochire* dicitur, ibique Meneuiæ, quam nunc Angli *St Dauids* à *Devvy* ſiue *Degvvi* eius loci olim ſanctiſſimo Archiepiſcopo nominant, in Monaſterio eiuſdem Sancti educatus, & ſacris initiatus. Vnde ab Ælfredo Rege qui eruditos viros vndiq; acciuit euocatus ex ſuorum conſilio & licentia ipſum adiuit, vt eius ſtudiis præeſſet, & *Saxonia*, id eſt, Anglia ſic ipſe ſcribit: *per rudimenta Sancti Devvy in omni cauſa adiuuaretur, vir*, vt inquit, Malmesburienſis, *ſcientia non ignobili inſtructus ſenſum librorum Boetij de Conſolatione Philoſophiæ planioribus verbis enodauit iuſſu regis, vt ipſe Rex leuius in Anglicam linguam conuerteret.* A quo cum in Aula aliquandiu in ſumma gratia vixiſſet ob pietatem & eruditionem Epiſcopus Schirburnenſis factus Ælfredi vitam quam oculatus teſtis diligenter obſeruarat, fideliter deſcripſit. Obiit vero anno reparatæ Salutis 909. vt vetuſtus author qui Paralipomenon eius operi addidit, teſtatur.

Vita Thomæ Walſingham ex Centurijs Ioannis Balæi.

Thomas Walſingham, patria Norfolcienſis, ſed ad S. Albani monaſterium Benedictinorum ordinis monachus, ac præcentor, homo in hiſtoriis colligendis, Lelando teſte, ſtudioſus atq; diligens erat. An precio (inquit) ad id conductus fuerit, an ſuo marte hoc egerit, neſcio. Duas hiſtorias, vnam breuem, alteram quidem longiorem poſteritati tradidit. Primam inchoauit ab anno Chriſti 1273. & in anno illius 1423. finiuit, quæ continet centum ac quinquaginta annos. Alteram ab irruptione Normannorum, vſq; ad principium regni Henrici ſexti Anglorum regis, cui opus illud dedicauit, & habet plus quam 356. annos. Hæc ſunt ex faſce rerum Britannicarum Guilhelmi Hormanni, & ex Lelandi catalogo deſumpta. Lubet nunc horum atque aliorum eius operum inſcriptiones in medium adferre. Congeſſit enim ex aliorum hiſtoriis:

De geſtis Anglorum,
Hiſtoriam breuiorem,
Auctarium Polychronici,
Acta regis Henrici ſexti,
Hypodigma Neuſtriæ.

Hæc ſola ſunt quæ ex eius ſcriptis adhuc manent. Auctarium incipit ab anno Domini 1342. & finit in anno Domini 1417. habetq; rariſſimas hiſtorias, & à nullo alio ſcriptas. Claruit anno à diuini verbi incarnatione 1440. ſub Henrico ſexto Angliæ Rege.

Vita Thomæ De-la-Moore.

Thomas de-la-Moore, quantum ex veterum monimẽtis inueſtigare poſſum, Equeſtri familia natus in Comitatu Glocceſtrenſi, meruit ſub Edvvardo primo Angliæ Rege in bellis Scoticis, cumque ſinguli qui *viginti libratas terrarum*, vt eo ſeculo loquebantur, *per ſeruitium militare, Milites fieri iuberentur militari cingulo & gladio cinctus*, equeſtrem dignitatem ab eodem Rege accepit. Poſtea cũ Regi Edvvardo ſecundo filio eius intimus domi bellique fidelem operam præſtitiſſet, cumque ille & regno & vita immani cum ſcelere ſpoliatus eſſet, eius vitam & mortem Gallicè ſcripſit, & in Latinam linguam à Gualtero Baker, aliâs *Svvinborn*, Canonico Oſnienſi conuerti curauit.

Vita Guilhelmi Gemiticenſis ex Centurijs Ioannis Balæi, & alijs.

Guilhelmus Gemeticenſis, qui à Gualtero, Albanenſi cantore ac bibliothecario. in opere ſuo de libris eccleſiæ, *Cœnobita* cognominatus, patria Normannus fuit, profeſſione monachus Fiſcanenſis, ac rerum Normannicarum illuſtrator ſuo tempore maximus. Nemo mirabitur ea tempeſtate monachos apud Principes in magno fuiſſe precio: cum intelligere debeat cæteris hominibus eos tunc fuiſſe doctiores. Scripſit Dudonem de Sto Quintino ſequutus de Ducum Normannorum geſtis vſque ad annum Chriſti octingenteſimum nonageſimum ſextum, inde ex fide dignorum relatione & certa ſua ſcientia ad Guilielmum Normanniæ Ducem, & Angliæ regem, quem vulgo *Conqueſtorem* appellãt, illique dedicauit. Quod opus poſtea noua ſubinde acceſſione adauxit vſq; ad mortem Henrici primi Regis Angliæ, Ducíq; Normanniæ, videlicet annum ſalutis 1135.

Silueſtris Giraldi Cambrenſis vita legatur in pagina huius libri 817.

R. P. MATTHÆI PARKERI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS IN ASSERII MENEVENſis Ælfredum Præfatio.

AElfredi regis ampliſsimi (qui olim toti ferè Britanniæ præfuit) hiſtoriam, tibi (humaniſsime lector) exhibemus: à Iohanne Aſſero Antiſtite Schyreburnenſi (qui illi quõdam à ſacris fuit) Latinis litteris luculẽter expreſſam. Quæ quidẽ hiſtoria nõ mediocrem menti tuæ voluptatem infundet, neq; minorẽ adferet cum voluptate vtilitatẽ, ſi in præclariſſimarum rerum cõtemplatione defixus, te ad earum imitationem, & quaſi imaginem totũ effinxeris. Etenim quæ delectatio maior quam clarorum virorum ſtudia, res geſtas, mores, vitas denique, ortus, obitus, (tanquàm tabulas bene pictas) quotidie intueri? Quis fructus vberior quàm qui ex iſtiuſmodi rerũ perenni lectione percipitur? Et quanquam non ſint hæc omnibus artium coloribus illuſtrata, atq; polita, neque eleganti verborum concinnitate diſtincta, tamen & Latine loquitur, & ſignificanter, & (vt priſcis illis temporibus) non omnino incultè, tantumq; ſibi fortaſsis adhibuit ornamenti, quantum in exponenda decuit. Nam elaboratam exquiſitius orationem, nimiaq; excultam induſtria, prudentium aures nõ modò in vulgari ſermonis conſuetudine, verum in hiſtoria quoque reſpuere conſueuerunt. Latina autem cũ ſint, Saxonicis litteris excudi curauimus, maxime ob venerandam ipſius archetypi antiquitatem, ipſo adhuc (vt opinio fert mea) Ælfredo ſuperſtite, yſdem litterarum formulis deſcriptam. Augent coniecturam Paſtoralia, quæ ab ipſo prudentiſsimo rege ex ſermone Romano in Saxonicum conuerſa fuerunt, atque illius imperio per quaſdã Britanniæ Eccleſias ſparſa. Quorum vetuſta quædam exemplaria, eodem etiam tẽpore deſcripta, hodie extant ſimilibus depicta characteribus. Atque hæc omnia (lector erudite) tuam ob cauſam diuulgamus, nimirum, vt tibi iucunditati ſint & emolumento. Etenim cum videas regem ſummo ſplendore, & tanta (quantam illa perraro vidit ætas) dignitate regem, qui non pacis ſolum laudibus floruerit, ſed belli quoque gloria circumfluxerit, omnem curam, induſtriam,

ſtriam, cogitationes deniq; omnes, in diſciplinarum ſtudium conſumpſiſſe: adeo vt horam fere nullam effluere ſibi paſſus ſit, quam non in literis, & cum virtute traduxerit, quo te lector animo eſſe oportebit? quam in bonarum artium ſtudia flagranti ſemper, & incenſo? Neque ſolum doctrinæ & cognitionis deſyderio ipſe mirifice afficiebatur, adeo vt omnes conatus ad eam illuſtrandam conuerterit, ſed exemplo ſuo alios item ad excellentem omnium artium honeſtarum cupiditatem incitauit & illexit, doctoſq; ex omnibus locis viros aſciuit, quorum præceptis inſtitutiſque nobilium liberi, in Aula ſua, vna cum regijs filijs, ad humanitatem, & præclariſſimarum artium ſcientiam quotidie informarentur. Quod eo mirabilius videri debet, quandoquidem maximis in rebus longeque diuerſis, ſeſe per omnem pene ætatem laborioſiſſime exercuerit, duaſque res ſpecie diſpares, admirabili prudentia coniunxerit. Quid enim tam diſtans quàm pax à bello? Quis tamen vnquam illo aut pacis amantior eſt habitus, aut belli laude illuſtrior? Quid tam difficile, quam & regni fines contra barbararum gẽtium immanitatem aſſidue tueri: & doctrinæ & litterarum terminos quotidie proferre? Utrumque ſane rex nobiliſſimus conſecutus eſt, vt & Danorum copias perpetuo in Britanniam influentes virtute bellica repreſſerit, & in maximis ſemper occupationum fluctibus, liberalium diſciplinarum ſtudia nunquam intermiſerit. Cuius induſtriæ teſtimonia extant ſane permulta, apud viros & iudicij & antiquitatis autoritate inſignes. Etenim in hiſtoria Elienſi, lib. 2. ſic ſcribitur: Aluredus acerrimi ingenij princeps, per Grimbaldum, & Iohannem doctiſs. Monachos tantum inſtructus eſt, vt in breui librorum omnium notitiam habuerit, totumque nouum & vetus Teſtamentum in eulogiam Anglicæ gentis tranſmutauerit. *Accedit huc quod à viceſimo ætatis anno, ad quadrageſimum quintum, diuturno morbo afflictus, importunoque elanguerit: qui quidem non tam corporis vires plerumque debilitat, quam mentis vim infringit & imminuit. Adde inſuper, quod ea tempeſtate rex optimus vixerit, cum priorum annorum miſeranda peruerſitas, toti pene terrarum orbi inſcitiæ, ſuperſtitionis, & perfidiæ tenebras offudiſſet: vnde euenit, vt pietati, temporis improbitas, doctrinæ vero communis illa bonarum artium lues nonnihil obſtiterit. Quo magis lætari nos conuenit, & immortales Deo Optimo Maximo gratias habere, qui hoc tanto cognitionis & ſcientiæ lumine (cui ſuperioris æui infœlicitas obſtruxit) diuina nũc benignitate circumfundimur. Iam vero quanta ignorationis nox, & tempeſtas ætatem illam obſcurauerit: quo animo, quamq; ad virtutem ardenti & incenſo pius rex flagrauerit, quemadmodum ſe eruditorum hominum quotidiana conſuetudine deuinxerit, quos denique illis honores, quantaq; virtutum*

præmia contribuerit: harum rerum omnium exempla, tum liber iſte, tum Paſtorali (cum explicatione eiuſdem) præfixa præfatio copioſiſſime ſuppeditabit. Sin autem quis requirit, quamobrem cum iſthæc Latinis literis memoriæ mandentur, eadem tamen nos Saxonicis typis peruulgari fecerimus, nihil eſt, quod expedire tam facile poſſimus. Etenim cum ipſa nos primi exemplaris (vt antea dixi) antiquitas, debita quadam veneratione perfudit: tum magni ad fidem & authoritatem intereſſe putabamus, ſi quæ priſcis notis verbisq; conſcripta, exſignataque ad manus noſtras perueniſſent, eadem nos iiſdem literarum formulis imprimeremus. Eoque me minus inſtituti mei pœnitet, quod facile ſentio, hanc meam cogitationem, tibi (amice lector) nec inutilem, neque iniucundam futuram. Primum enim, vbi huius te libelli lectioni paululum aſſueſeceris, literarumq; priſcarum gnarus iam extiteris, licebit à Latinis ad Saxonica ſtudium conuertere, quorum ex ſcriptis (mihi crede) non mediocrem voluptatem adipiſcère: & in veteribus monumentis perſcrutandis incredibilem cum voluptate vtilitatem cõiunges. Prætereà operæpretium erit patrium hunc noſtrum (quo hodie vtimur) ſermonem, cum illo obſoleto iam pene & extincto conferre, & conferendo quam ſint inter ſe ſimiles, & pene eadem, animaduertere. Quam potiſſimum ob cauſam, quatuor Euangelia eadem lingua, atque iiſdem literarum formulis excudi curauimus, & quo facilius eius cognitionem intelligentiamque comprehenderes, Anglica cum Saxonicis in margine coniunximus, talibuſque notis atque figurarum ſignis diſtinximus, vt perfacile inter ſe diuerſarum linguarum ſententiæ comparari queant. Accedit huc etiam, quod cum Hybernici, libros aliquot antiquiſſimos, ſermone vernaculo conſcriptos reliquerint, eoſque Saxonicis characteribus exſignauerint (quanquam verborum ſenſum, atque pronuntiandi morem natiuum obtinent, atq; domeſticum, tamen quandoquidem in vocibus deſcribendis etiam hiſce diebus Saxonicis vtuntur typis ac formulis) ex horũ characterum notitia & intellectu, aditus certe patebit aliquis ad eius quoq; linguæ ſcientiam iis, qui in regionibus illis legationis aliquod munus obierint, aut alio quouis modo eius Inſulæ negotiis implicabuntur. Iam vero cum Dayus Typographus primus (& omnium certe quod ſciam ſolus) has formas æri inciderit: facile, quæ Saxonicis literis perſcripta ſunt, iiſdem typis diuulgabuntur. Quorum ſane lectio & veteris tibi linguæ, ac quondam domeſticæ memoriam renouabit, & haud paruam ſuppeditabit abſtruſæ cognitionis ſupellectilem. Facile autem erit vocum vim, & verborum varietatem percipere, præſertim cum tanta ſit huius noſtræ (qua nunc vtimur) linguæ & illius veteris ſimilitudo. Pronunciatio obſcurior fortaſſis & impeditior aliquantulũ videbitur, quàm vt abſolute percipi queat. Neq; mirũ:

quandoquidem quotidianus eius ſermonis vſus iam penitus euanuerit, & Saxones qui hodie in Germania ſunt, illum priſtinum pronuntiandi morem longo interuallo temporis amiſerint. Veruntamen non exactam nos eius ſermonis (qui iam fere totus obſoleuit) notitiam, nec ſollicitam nimis in verbis excutiendis induſtriam, requirimus: tantum operę in eius ſtudio ponatur, quantum erit ad intelligendum ſatis. Quod qui fecerit, vtilitatem exinde duplicem conſequetur. Nam cum & veteres Britanni, & poſt hos Saxones (qui Britannorum vocabulis aut funditus deletis, aut ad arbitrium ſuum immutatis, noua cunctis pene locis nomina indiderunt) ſemper aut alicuius celebris facti memoriam, aut rei naturam locorum appellationibus exprimere conſueuerint (vt omittam vtilitatem) quanta huius linguę ſtudioſo voluptas erit (& vt periucunda, ita non multi ſane laboris) ſcire, omnium ciuitatum, vrbium, montium, ſyluarum, fluminum, & viarũ nomina, & hęc vniuerſa vnde deriuẽtur, & quo quidq; quaſi è fonte profluxerit, intelligere. Quibus de rebus ſi qua fortè quis deguſtare concupiuerit, Gulielmi Lamberti (viri ſanè eruditi, & in hoſpitio Lincolnienſi, inter legum cõſultos, domeſtici iuris peritiſſimi) pręfationem perlegat & expendat, quam libro de veteribus Saxonum legibus pręfixit, quas nuper latinis literis eleganter expreſſit. Ibi etenim nonnulla de inſtituti ſui ratione atq; conſilio prudenter pręfatus, demum (vt eſt in iſtiuſmodi rebus perſcrutandis ſagaci certè ingenio & peracri) quorundam verborum vim ac naturas ſubtiliter perſecutus eſt. Quo in libro ſi ſe ſtudioſius exercuerint ij, qui aut huius linguę notitiam, aut vetuſtarum legum (quas reges antiqui ſanxerunt) ſcientiam habere deſiderant, ſapienter meo iudicio facient, & inde nõ mediocre ſibi ad eas quoq; res percipiendas inſtrumentum, facultatemq; comparabunt. Quinetiam quoniam diplomata multa, & vetuſtioris ętatis monumenta, tum regię, quę in archiuis cuſtodiuntur chartę, tam ante, quam poſt Normannorum in Angliam aduentum, adhuc extant, quę Saxonicis & verbis, & literis comprehenduntur, omnes qui in regni inſtitutis addiſcendis elaborauerint, cohortabor, vt exiguo labore, ſeu pene nullo huius ſibi linguę cognitionem acquirant. Quod ſi facere voluerint, multa proculdubio quotidie eruent, & elicient, quę abdita iam iacẽt, & abſtruſa, & plurimarum rerum inuolutas penitus naturas, & implicitas, nullo negotio expediẽt. Quem in finem ſuperioribus ſęculis à maioribus noſtris monialiũ quędam Collegia inſtituta ſunt, in quibus eſſent, quę & huius linguę ſcientia imbuerentur, & eandem (cum alijs communicando) ad poſteros tranſmitterent. Quod quidem in Cœnobio monialium Taueſtokenſi in comitatu Deuonię, & multis alijs conuenticulis (noſtra memoria) receptum fuit, credo, ne eius ſermonis peritia, ob linguę inſolentiam penitus

nitus

Digitized by Google

nitus obſoleſceret. Quod autem ad hiſtoriæ fidem attinet (lector humaniſſime) hoc te ſcire volo, eam me ſemper rationem ſecutum, in omnibus ijs libris, quos diuulgaui, nihil vt de meo adiecerim, aut diminuerim, ſed cuncta prout in primis exemplaribus reperiuntur ad verbum expreſſerim. Alioquin ſi quid forſan de meo attuliſſem, aut vetuſtatis veluti rugas ac næuos delere omnes voluiſſem, metuēdum mihi ſanè foret (ne quod Saluſtio ſuo ſcribit Cornelius Nepos) nō tam illorum qui illas conſcripſerunt hiſtoriæ, quàm meæ videri poſſent. Indicio erunt ipſa prima exemplaria, quæ idcirco Cantebrigiæ, in bibliotheca collegij Corporis Chriſti, ad ſempiternum huius rei teſtimonium extare voluimus. Vbi ſi quis cum codicibus manuſcriptis, impreſſos comparare voluerit, enimuero nihil nos aut detraxiſſe, aut addidiſſe inueniet, ſed ſummam vbiq; fidem & religionem præſtitiſſe. Quapropter ſi quid emolumēti ex huius hiſtoriæ lectione ſiue alicuius alterius iam per me euulgatæ ad te (humaniſſime lector) redundauerit, lætabimur: & nos inſtituti ac voluntatis noſtræ (quandoquidem id ſolum concupiuimus) fructus ampliſſimos conſecutos exiſtimabimus.

Vale.

Cornel. Nepos ad Saluſt. in bello Troian.

TYPO-

TYPOGRAPHVS BENEVOLO Lectori S. P.

Hiſtoria de Ælfredo Angloſaxonum rege per Aſſerum deſcripta, typis equidem Saxonicis antehac impreſſa fuit. Impreſſionis illius mentionem facit (vt vides) præfatio proximè præcedens. Ad me verò quod attinet, quandoquidem typis illis Saxonicis deſtitutus fui, eosque ad tractatum adeo breuem fundi curare operæprecium non fore mihi perſuaſum habui: ideo typos communes & vſitatos ad illum excudendum adhiberi volui. Veruntamen, ne putares incommodum quoddam ex ea re ad te redundarurum, volui, vt alphabetum Saxonicum hîc adiungeretur: vt, quæ differentia inter orthographiam Saxonum illorum veterum & populorum aliorum eſſet, eum voluptate quadam & delectatione perſpicere poſſes. Hac de re admonendum te eſſe putaui. Vale.

Saxonica.		*Latina.*	*Saxonica.*		*Latina.*	*Diphthongi.*	
A	a	a	M	m	m	Æ, Æ	Æ
B	b	b	N	n	n		
C	c	c	O	o	o	*Abbreuiationes.*	
D	ꝺ	d	P	p	p		
E	e	e	Q	q	q		
F	ꝼ	f	R	ꞃ	r	Ð, ð	th
G	ᵹ	g	S	ꞅ	ſ	þ	
H	h	h	T	ꞇ	t	⁊	et, and
I	i	i	V	u	u	ƿ	vv
K	k	k	X	x	x		
L	l	l	Y	ẏ	y		
			Z	ʒ	z		

DOMINO

DOMINO MEO VENERABILI PIISSIMOQVE OMNIVM BRITANNIÆ INSVLÆ CHRISTIANORVM RECTORI ÆLFRED, ANGLORVM SAXONVM REGI, ASSER

omnium ſeruorum Dei vltimus millemodam ad vota deſideriorum vtriuſque vitæ proſperitatem.

ANNO dominicæ incarnationis 849. natus eſt *Ælfred* Angulſaxonum rex, in villa regia, quæ dicitur *Wanadting*, in illa paga, quæ nominatur *Berrocſcire*; quæ paga taliter vocatur à *Berroc* ſilua, vbi buxus abundantiſſime naſcitur: cuius genealogia talis tali ſerie contexitur. Ælfred rex filius Æthelwulfi regis, qui fuit Ecgberthi, qui fuit Ealhmundi, qui fuit Eafa, qui fuit Eowwa, qui fuit Ingild. Ingild & Ine ille famoſus occidentalium rex Saxonum Germani duo fuerunt: qui *Ine* Romam perrexit, & ibi vitam præſentem finiens honorifice cœleſtem patriam cum Chriſto regnaturus adiit: qui fuerunt filii Coenred; qui fuit Ceoluualde; qui fuit Cudam; qui fuit Cuthwine; qui fuit Ceaulin; qui fuit Cynric; qui fuit Creoda, qui fuit Cerdic; qui fuit Eleſa; qui fuit Geuuis, à quo Britones totam illam gentem Geguuis nominant; qui fuit Brond; qui fuit Belde; qui fuit Vuoden; qui fuit Frithowalde; qui fuit Frealaf; qui fuit Frithuwulf; qui fuit Fingodwulf; qui fuit Geada; quem Getam iamdudum pagani pro Deo venerabantur. cuius Sedulius poeta mentionem facit in Paſchali metrico carmine ita dicens: *Ælfred genealogia.* *Sedulius.*

Cum ſua gentiles ſtudeant figmenta poetæ
Grandiſonis pompare modis, tragicoq; boatu,
Ridiculoue Getæ ſeu qualibet arte canendi,
Sæua nefandarum renouant contagia rerum,
Et ſcelerum monimenta canunt, rituq; magiſtro
Plurima Niliacis tradunt mendacia biblis:
Cur ego Dauidicis aſſuetus cantibus odas
Chordarum reſonare decem, ſanctoq; verenter
Stare choro, & placidis cæleſtia pſallere verbis,
Clara ſalutiferi taceam miracula Chriſti?

Qui Geata fuit Caetuua; qui fuit Beauu; qui fuit Sceldwea; qui fuit Heremod; qui fuit Itermod; qui fuit Hathra; qui fuit Huala; qui fuit Beduuig; qui fuit Seth; qui fuit Noe; qui fuit Lamech; qui fuit Mathuſalem; qui fuit Enoch; qui fuit Malaleel; qui fuit Cainan; qui fuit Enos; qui fuit Seth; qui fuit Adam.

De genealogia matris eius.

Mater quoque eiuſdem *Osburgh* nominabatur, religioſa nimium fœmina; nobilis ingenio, nobilis & genere, quæ erat filia *Oſlac* famoſi pincernæ Æthelwulfi regis; qui Oſlac Gothus erat natione. Ortus enim erat de Gothis & Indis: de ſemine ſcilicet Stuf & Wihtzur: duorum fratrum, & etiam comitum: qui accepta poteſtate Vuectæ inſulæ ab auunculo ſuo Cerdic rege, & Cyntic filio ſuo conſobrino eorum, paucos Britones eiuſdem inſulæ accolas, quos in ea inuenire potuerunt, in loco, qui dicitur *Guuiht Garaburhg* occiderunt. Cæteri enim accolæ eiuſdem inſulæ ante aut occiſi erant, aut exules aufugerant. *Britones in Vuecta caeſi.*

Anno dominicæ incarnationis 851. natiuitatis autem AElfredi regis 3. Ceorl Domnaniæ comes, cum Domnanus contra Paganos Normannos ſiue Danos pugnauit in loco, qui dicitur Wicgambeorg: & Chriſtiani victoriam habuerunt: & ipſo eodem anno primum hyemauerunt pagani in inſula, quæ vocatur *Scheapieg*, quod interpretatur *inſula ouium*: quæ ſita eſt in Tameſi flumine inter Eaſtſeaxum & Centaurios, ſed ad Cantium propior eſt, quam ad Eaſtſeaxum: in qua monaſterium optimum conſtructum eſt. Eodem quoq; anno magnus Paganorum exercitus cum 350. nauibus in oſtium Tameſis fluminis venit: & Londoniam ciuitatem, quæ eſt ſita in aquilonari ripa Tameſis fluminis, in confinio Eaſtſeaxum & Middelſeaxum: ſed tamen ad Eaſtſeaxum illa ciuitas cum veritate pertinet; depopulati ſunt; & Beorhtulfum Merciorum regem cum omni exercitu ſuo, qui ad præliandum cõtra illos venerat, in fugam verterunt. His ibi ita geſtis, prædictus Paganorum exercitus perrexit in Suthriæ: quæ paga ſita eſt in meridiana Tameſis fluminis ripa ab occidentali parte Cantii. Et AEthelwulfus occidẽtalium Saxonum rex, & filius ſuus AEthelbaldus cum omni exercitu in loco qui dicitur *Acleæ*, id eſt, in campulo quercus, diutiſſime pugnauerunt: ibique, cum diu acerrime & animoſe ex vtraq; parte pugnatum eſſet, maxima pars paganæ multitudinis funditus deleta & occiſa eſt, ita, qualiter nunquam in aliqua regione, in vna die ante, nec poſt ex eis occiſam eſſe audiuimus: & Chriſtiani victoriam honorifice tenuerunt, & loco funeris dominati ſunt. Eodem quoq; anno *AEthelſtan* rex, filius AEthelwulfi regis, & Ealhere comes, magnum Paganorum exercitum in Cantio, in loco, qui dicitur *Sandwic*, occiderunt, & ex nauibus eorum 9. naues ceperunt: cæteri per fugam elapſi ſunt.

Scheapieg ſitus.

Londonia à paganis vaſtata.

Paganorum ſtrages.

Anno dominicæ incarnationis 853. natiuitatis autem Ælfredi regis vndecimo, Burgred Merciorum rex per nuncios deprecatus eſt Æthelwulfum occidentalium Saxonum regem, vt ei auxilium conferret; quo mediterraneos Britones, qui inter Marciam & mare occidentale habitant, dominio ſuo ſubdere potuiſſet. Qui contra eum immodice reluctabantur: nec ſegnius AEtelwulfus rex legatione eius accepta exercitum mouens Britanniam cum Burghredi rege adiit; ſtatimque vt ingreditur gentem illam deuaſtans, dominio Burghredo ſubdit. quo facto domum reuertitur. Eodem anno AEthelwulfus rex præfatum filium ſuum AElfredum magno nobilium & etiam ignobilium numero conſtipatum honorifice Romam tranſmiſit. quo tẽpore dominus Leo, Papa IV. apoſtolicæ ſedi præerat, qui præfatum infantem AElfredum oppido ordinans vnxit in regem, & in filium adoptionis ſibimet accipiens confirmauit. Eodem quoq; anno Ealhere comes cum Cantuariis, & Huda cum Suthriis contra Paganorum exercitum in inſula, quæ dicitur in Saxonica lingua *Tenet*, Britannico autẽ ſermone *Ruim*, animoſe & acriter belligerauerunt: & primitus Chriſtiani victoriã habuerunt: prolongatoq; diu prælio ibidem ex vtraq; parte plurimi ceciderunt, & in aqua merſi ſuffocati ſunt. Et comites illi ambo ibidem occubuerunt: nec non & eodem anno AEthelwulfus poſt Paſcha occidentalium Saxonum rex filiam ſuam Burgredo Merciorum regi in villa regia, quæ dicitur *Cippanhamme*, nuptiis regaliter factis ad reginam dedit.

Æthelvvulfi ad Romam iter.

Paganorum ſtrages.

Anno dominicæ incarnationis 855. natiuitatis autem præfati regis ſeptimo, Eadmundus orientalium Anglorum glorioſiſſimus cæpit regnare 8. Kalend. Ianuarii, id eſt, die natalis Domini; anno ætatis ſuæ 14. Hoc etiam anno Lotharius Imperator Rom. obiit, filius Ludouici Auguſti piiſſimi. Anno eodem ſub initio Karoli 3. Imper. filii Ludouici 2. magnus Paganorum exercitus tota hyeme in præfata Scepige inſula hyemauerunt. Eodem anno AEthelwulfus præfatus venerabilis rex decimam totius regni ſui partem ab omni regali ſeruitio, & tributo liberauit, in ſempiternoque grafio in cruce Chriſti pro redemptione animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum, vni & trino Deo immolauit. Eodemq; anno cum magno honore Romam perrexit, præfatumq; filium ſuum Ælfredum iterum in eandem viam ſecum ducens; eo, quod illum plus cæteris filiis ſuis diligebat; ibique anno integro demoratus eſt. Quo peracto, ad patriam ſuam remeauit; adferens ſecum Iuthittam Karoli Francorum regis filiam. Interea tamen AEthelwulfo rege vltra mare tantillo tempore immorante, quædam infamia contra morem omnium Chriſtianorum in occidentali parte *Selwuda* orta eſt. Nam AEthelbald rex AEthelwulfi regis filius, & *Ealhſtan* Scireburnenſis eccleſiæ epiſcopus; *Eanwulf* quoque Summurtunenſis pagæ comes coniuraſſe referuntur, ne vnquam AEthelwulf rex à Roma reuertens iterum in regno reciperetur. Quod inauditum omnibus

Æthelvvulfi decimæ pro anima.

ſæculis

Cõiuratio in Æthelvvulfum Æthelbaldi pertinacia.

ſæculis ante infortunium epiſcopo & comiti ſolummodo perplurimi reputant; ex quorum conſilio hoc factum eſſe perhibetur. Multi quoque regali ſolummodo inſolentiæ deputant: quia & ille rex in hac re, & in multis aliis peruerſitatibus pertinax fuit; ſicut quorundam hominum relatu audiuimus; quod & rei ſequentis approbauit effectus. Nam redeunte eo à Roma, prædictus filius regis Æthelwulfi cum omnibus ſuis conſiliariis, immo, inſidiariis tantum facinus perpetrare tentati ſunt, vt regem à regno proprio repellerent: quod nec Deus ita fieri permiſit, nec nobiles totius Saxoniæ conſenſerunt. Nam, ne irremediabile Saxoniæ periculum belligerante patre & filio; quin immo tota cum gente ambobus rebellante atrocius & crudelius per dies ſingulos quaſi clades inteſtina augeretur: ineffabili patris clementia, & omnium aſtipulatione nobilium, adunatum antea regnum inter patrem & filium diuiditur: & orientales plagæ patri, occidentales filio è contrario deputantur. Vbi enim pater iuſto iudicio regnare debuerat; illic iniquus & pertinax filius regnabat. Nam occidentalis pars Saxoniæ ſemper orientali principalior eſt. Adueniente igitur AEtelwulfo rege à Roma, tota illa gens, vt dignum erat, in aduentu ſenioris ita gauiſa eſt, vt, ſi ille permitteret, pertinacem filium ſuum Ætelbaldum cum omnibus ſuis conſiliariis à totius regni ſorte expellere vellent. Sed ille, vt diximus, nimia clementia, & prudenti conſilio vſus, ne ad regni periculum perueniret, ita fieri noluit, & Iuthittam * Faroli regis filiam, quam à patre ſuo acceperat, iuxta ſe in regali ſolio ſuo ſine aliqua ſuorum nobilium controuerſia & odio, vſque ad obitum vitæ ſuæ contra peruerſam illius gentis conſuetudinem ſedere imperauit.

** F a pro Ka.*

Saxones reginam non admittunt.

Gens namque occidentalium Saxonum reginam iuxta regem ſedere non patitur; nec etiam reginam appellare, ſed regis coniugem permittit. quam controuerſiam, immo infamiam, de quadam pertinaci & maleuola eiuſdem gentis regina ortam fuiſſe, maiores illius terræ perhibent. Quæ omnia contraria ſeniori ſuo & omni populo ita peregit, vt non ſolum ſuum proprium odium mereretur, vt à reginali ſolio proiiceretur: ſed etiam omnibus ſuis ſubſequatricibus eandem peſtiferam tabem poſt ſe ſubmitteret. Pro nimia namq; illius reginæ malitia omnes accolæ illius terræ coniurauerunt, vt nullum vnquam regem ſuper ſe in vita ſua regnare permitterent, qui reginam in reginali ſolio iuxta ſe ſedere imperare vellet. Et quia, vt opinor, multis habetur incognitum, vnde hæc peruerſa & deteſtabilis conſuetudo in Saxonia, vltra morem omnium, id eſt, gentium, theotiſcirum primitus orta ſit, paulo latius mihi videtur intimandum: quod à domino meo AElfredo Angulſaxonum rege veridico, etiam ſæpe mihi referente audiui, quod & ille etiam à veridicis multis referentibus; immo ex parte non modica illud factum commemorantibus audierat. Fuit in Mercia moderno tempore quidam ſtrenuus, atque vniuerſis circa ſe regibus & regionibus finitimis formidoloſus rex, nomine Offa: qui vallum magnum inter Britanniam atque Merciam de mari vſque ad mare facere imperauit.

Offa.

Cuius filiam nomine Eadburgh Beorhtric occidentalium Saxonum rex ſibi in coniugium accepit: quæ confeſtim accepta regis amicitia, & totius pene regni poteſtate, more paterno tyrannice viuere incœpit, & omnem hominem execrari, quem Beorhtric diligeret, & omnia odibilia Deo & hominibus facere: & omnes, quos poſſet, ad regem accuſare, & ita aut vita, aut poteſtate per inſidias priuare: & ſi à rege illud impetrare non poſſet, veneno eos necabat: ſicut de adoleſcente quodam regi dilectiſſimo hoc factum compertum habetur. quem cum ad regem accuſare non poſſet, veneno eum necauit.

Tyrannis Eadburgh.

Beorhtric veneno ſublatus.

De quo veneno etiam præfatus ille Beorhtric rex inſcienter guſtaſſe aliquid refertur. Neque enim illa venenum dare regi propoſuerat, ſed puero, ſed rex præoccupauit; inde ambo periere. Defuncto igitur Beorhtrico rege, cum illa inter occidentales Saxones diutius fieri non poſſet; vltra mare nauigans cum innumerabilibus theſauris Karolum illum magnum & famoſiſſimum Francorum regem adiit. Ad quem cum ante ſolarium multa regi afferens dona ſtaret, Karolus ait: Elige Eadburgh, quem velis inter me & filium meum, qui mecum in ſolario iſto ſtat. At illa ſine deliberatione ſtulte reſpondens dicens ait: Si mihi electio conceditur, filium tuum, in quantum te iunior eſt, eligo. Cui Karolus reſpondens & arridens ait: Si me eligeres, haberes filium meum: ſed quia filium meum elegiſti, nec me nec illum habebis. Dedit tamen illi vnum magnum ſanctimonialium monaſterium, in quo depoſito ſæculari habitu, & ſanctimonialium indumento aſſumpto perpaucis annis Abbatiſſæ fungebatur officio. Sicut enim irrationabiliter in propria vixiſſe refertur; ita multo irrationa-

Eadburgh Abbatiſſa.

bilius in aliena gente viuere deprehenditur. Nam à quodam ſuæ propriæ gentis homine conſtuprata demum palam deprehenſa de monaſterio imperio Karoli regis deiecta, in paupertate & miſeria letho tenus vituperabiliter vitam duxit; ita, vt ad vltimum vno ſeruulo comitata; ſicut à multis videntibus eam audiuimus, quotidie mendicans in Pauia miſerabiliter moreretur.

Regina mendicans.

Vixit ergo Æthelwulfus duobus annis, poſtquam à Roma peruenit: in quibus inter alia multa præſentis vitæ bona ſtudia cogitans de ſuo ad vniuerſitatis viam tranſitu, ne ſui filii poſt patris obitum indebite inter ſe diſceptarent; hereditariam, immo commendatoriam ſcribere imperauit epiſtolam: in qua & regni inter filios ſuos, duos ſcilicet ſeniores, & propriæ hereditatis inter filios & filiam, & etiam propinquos pecuniarum, quæ poſt ſe ſupereſſent inter animam & filios, & etiam nobiles ſuos diuiſionem ordinabiliter literis mandari procurauit. De qua prudenti conſideratione pauca de pluribus poſteris imitanda ſcribere decreuimus: ſcilicet, quæ ad neceſſitatem animæ maxime pertinere intelliguntur. Nam cætera, quæ ad humanam diſpenſationem pertinent, in hoc opuſculo inſerere neceſſe non eſt: ne faſtidium prolixitate legentibus, vel etiam audire deſiderantibus procreauerit.

Æthelvvulſi teſtamentum.

Pro vtilitate namque animæ ſuæ, quam à primæuo iuuentutis ſuæ flore in omnibus procurare ſtuduit per omnem hereditariam terram ſuam ſemper in X. manentibus vnum pauperem aut indigenam, aut peregrinum cibo, potu, & veſtimento, ſucceſſoribus ſuis vſque ad vltimum diem iudicii poſt ſe paſcere præcepit: ita tamen, ſi illa terra hominibus & pecoribus habitaretur, & deſerta non eſſet.

Dona eius eccleſia Romana.

Romæ quoque omni anno magnam pro anima ſua pecuniam, id eſt, CCC. mancuſſas portare præcepit. quæ taliter ibi diuiderentur: ſcilicet C. mancuſſas in honorem Sancti Petri, ſpecialiter ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius apoſtolicæ eccleſiæ in veſpera Paſchæ; & æqualiter in galli cantu; & C. mancuſſas in honorem S. Pauli, eadem conditione ad comparandum oleum in eccleſia S. Pauli apoſtoli, ad implenda luminaria in veſpera Paſchæ & in galli cantu: C. quoq; mancuſſas vniuerſali Papæ Apoſtolico. Defuncto autem Æthelwulfo rege, ſepultoque apud *Stemrugam*, Æthelbald filius eius contra Dei interdictum, & Chriſtianorum dignitatem, nec non & contra omnium Paganorum conſuetudinem, thorum patris ſui aſcendens Iuthitram Karoli Francorum regis filiam, cum magna ab omnibus audientibus infamia in matrimonium duxit: effrenisq; duobus & dimidio annis occidentalium Saxonum poſt patrem regni gubernacula rexit.

Æthelvvulſi mors.
Æthelbald patris vxorem duxit.

Anno dominicæ incarnationis 856. & natiuitatis Ælfredi 10. hoc eſt, anno ſecundo Karoli Imperatoris 3. anno vero regni Æthelwulfi occidentalium Saxonum regis 18. Nunberchus orientalium Anglorum antiſtes vnxit oleo, conſecrauitq; in regem Eadmundum glorioſiſſimum cum gaudio magno & honore maximo in villa regia, quæ dicitur Burua, in qua tunc temporis regalis ſedes erat: anno ætatis ſuæ 15. ſexta feria, luna 24. die natalis domini.

Eadmundus in regem vnctus.

Anno dominicæ incarnationis 860. natiuitatis autem Ælfredi regis duodecimo, Æthelbald occidentalium Saxonum rex defunctus eſt, & in Sciteburnan ſepultus: & Æthelberht frater ſuus Cantium; & Suthrigam; Suthſeaxam quoque ſuo dominio, vt iuſtum erat, ſubiunxit. In cuius diebus magnus Paganorum exercitus de mari adueniens Wintoniam ciuitatem hoſtiliter inuadens depopulatus eſt. Cui cum ad naues cum ingenti præda reuerterentur, Oſric Hamtunenſium comes cum ſuis; & Æthelwulf comes cum Bearrocenſibus viriliter obuiauerunt, conſertoque prælio oppido Pagani paſſim trucidantur. Et cum diutius reſiſtere non poſſent, muliebriter fugam arripiunt: & Chriſtiani loco funeris dominati ſunt.

Vvintonia à Paganis vaſtata. Pagani cæſi.

Æthelberht itaque quinque annis regno pacifice & amabiliter, atque honorabiliter gubernato, cum magno ſuorum dolore vniuerſitatis viam adiit, & in Sciteburnan iuxta fratrem ſuum honorabiliter ſepultus requieſcit.

Æthelberti mors.

Anno dominicæ incarnationis octuageſimo ſexageſimo quarto, Pagani hyemauerunt in inſula Tanet, & firmum fœdus cum Cantuariis pepigerunt: quibus Cantuarii pecuniam pro fœdere ſeruato reddere promiſerunt. Interea tamen vulpino more Pagani noctu clam caſtris erumpentes; fœdere diſrupto, & promiſſionem pecuniæ ſpernentes (ſciebant enim maiorem pecuniam ſe furtiua præda, quam pace adepturos) totam orientalem Cantii plagam depopulati ſunt.

Pagani fœdifragi in Cantuarios.

Anno

Anno dominicæ incarnationis 866. natiuitatis autem Ælfredi regis 18. Æthelred Æthelberti regis frater occidentalium Saxonum quinque annis regni gubernacula ſuſcepit, & eodem anno magna Paganorum claſſis de Danubio Britanniam aduenit, & in regno orientalium Saxonum, quod Saxonice *Eaſtengle* dicitur, hyemauit; ibique ille exercitus maxima ex parte equeſter factus eſt. Sed, vt more nauigantium loquar, ne diutius nauim vndis & velamentis concedentes, & à terra longius enauigantes longum circumferamur inter tantas bellorum clades, & annorum enumerationes, ad id, quod nos maxime ad hoc opus incitauit, nobis redeundum eſſe cenſeo: ſcilicet aliquantulum, quantum meæ cognitioni innotuit, de infantilibus & puerilibus domini mei venerabilis Ælfredi Angulſaxonum regis moribus hoc in loco breuiter inſerendum eſſe exiſtimo. Nam, cum communi & ingenti patris ſui & matris amore ſupra omnes fratres ſuos; immo ab omnibus nimium diligeretur, & in regio ſemper curto inſeparabiliter nutriretur, acceſcente infantili & puerili ætate, forma cæteris ſuis fratribus decentior videbatur: vultuque & verbis, atque moribus gratioſior. Cui ab incunabulis ante omnia, & cum omnibus præſentis vitæ ſtudiis ſapientiæ deſiderium cum nobilitate generis; nobilis mentis ingenium ſuppleuit. Sed (proh dolor) indigna ſuorum parentum & nutritorum incuria vſque ad duodecimum ætatis annum, aut eo amplius, illiteratus permanſit. Sed Saxonica poemata die nocturque ſolers auditor relatu aliorum ſæpiſſime audiens, docibilis memoriter retinebat: in omni venatoria arte induſtrius venator, inceſſabiliter laborat, non in vanum. Nam incomparabilis omnibus peritia & felicitate in illa arte; ſicut & in cæteris omnibus Dei donis fuit. ſicut & nos ſæpiſſime vidimus. Cum ergo quodam die mater ſua ſibi & fratribus ſuis quendam Saxonicum poematicæ artis librum, quem in manu habebat, oſtenderet, ait: Quiſquis veſtrum diſcere citius iſtum codicem poſſit, dabo illi illum. Qua voce, immo diuina inſpiratione inſtinctus, & pulchritudine principalis litteræ illius libri illectus, ita matri reſpondens, & fratres ſuos ætate, quamuis non gratia ſeniores anticipans, inquit: Verene dabis iſtum librum vni ex nobis, ſcilicet illi, qui citiſſime intelligere & recitare eum ante te poſſit? Ad hæc illa arridens & gaudens, atque affirmans, dabo, infit, illi. Tunc ille ſtatim tollens librum de manu ſua, magiſtrum adiit & legit. Quo lecto matri retulit & recitauit. Poſt hæc curſum diurnum, id eſt, celebrationes horarum, ac deinde pſalmos quoſdam, & orationes multas, quos in vno libro congregatos in ſinu ſuo die nocteque, ſicut ipſi vidimus, ſecum inſeparabiliter orationis gratia inter omnia præſentis vitæ curricula vbique circumducebat. Sed (proh dolor) quod maxime deſiderabat, liberalem ſcilicet artem deſiderio ſuo non ſuppetebat, eo quod, vt loquebatur, illo tempore lectores boni in toto regno occidentalium Saxonum non erant. quod maximũ inter omnia præſentis vitæ ſuæ impedimẽta & diſpendia crebris querelis, & intimis cordis ſui ſuſpiriis fieri affirmabat: id eſt, eo, quod illo tempore, quando ætatem & licentiam, atque ſuppetentiam diſcendi habebat, magiſtros non habuerat. Quando vero & ætate erat prouectior, & inceſſabilius die nocteque, immo, omnibus iſtius inſulæ medicis incognitis infirmantibus, interniſque atque externis regiæ poteſtatis ſollicitudinibus, nec non & paganorum terra marique infeſtationibus occupatus, immo, etiam perturbatos magiſtros & ſcriptores aliquantula ex parte habebat, legere vt non poterat. Sed tamen inter præſentis vitæ impedimenta ab infantia vſque ad præſentem diem, &, vt credo, vſque ad obitum vitæ ſuæ in eodem inſatiabili deſiderio, ſicut nec ante deſtituit; ita nec etiam adhuc inhiare deſinit.

Ælfredi infantia.

Ælfred pueri memoria.

Inſcitia temporis Ælfredi.

Anno dominicæ incarnationis 867. natiuitatis Ælfredi præfati regis 19. prædictus Paganorum exercitus de orientalibus Anglis ad Eboracum ciuitatem migrauit; quæ in aquilonari ripa Humbſenſis fluminis ſita eſt. Eo tempore maxima inter Northanhymbros diſcordia diabolico inſtinctu orta fuerat; ſicut ſemper populo, qui odium incurrerit Dei, euenire ſolet. Nam Northanhymbri tempore (vt diximus) legitimum regem ſuum, Oſbyrht nomine, regno expulerant; & tyrannum quendam Ælla nomine, non de regali proſapia progenitum ſuper regni apicem conſtituerant: ſed aduenientibus Paganis conſilio diuino, & optimatum adminiculo pro communi vtilitate, diſcordia illa aliquantulum ſedata, Oſbyrht & Ælla adunatis viribus, congregatoque exercitu Eboracum oppidum adeunt. Quibus aduenientibus pagani confeſtim fugam arripiunt, & intra vrbis mœnia

Northanhymbri regem abiiciunt.

nia ſe defendere procurant. Quorum fugam & pauorem Chriſtiani cernentes, etiam intra vrbis mœnia eos perſequi, & murum frangere inſtituunt: quod & fecerunt. Non enim tunc adhuc illa ciuitas firmos & ſtabilitos muros illis temporibus habebat. Cumque Chriſtiani murum, vt propoſuerant, fregiſſent, & eorum magna pars in ciuitatem ſimul cum paganis intraſſet; pagani dolore & neceſſitate compulſi, ſuper eos atrociter irrumpunt, cædunt, fugant, proſternunt, intus & extra. Illic maxima ex parte omnes Northanhymbrenſium capti; occiſis duobus regibus cum multis nobilibus deleti occubuerunt. Reliqui vero, qui euaſerunt, pacem cum Paganis pepigerunt. Eodem anno Ealhſtan epiſcopus Scirebutnenſis eccleſiæ viam vniuerſitatis adiens, poſtquam epiſcopatum per 50. annos honorabiliter rexerat, in pace in Sciteburnan ſepultus eſt.

Ealhſtani mors.

Anno dominicæ incarnationis 868. natiuitatis Ælfredi regis vigeſimo, fames valida erat. Tunc præfatus ac venerabilis Ælfred rex, ſecundarii tamen tunc ordine fretus, vxorem de Mercia, nobilem ſcilicet genere, filiam Æthelredi Gainorum comitis, qui cognominabatur * Mucil, expetiuit & duxit. Cuius fœminæ mater Eadburh nominabatur, de regali genere Merciorum regis, quam nos ipſi propriis oculorum noſtrorum obtutibus non paucis ante obitum ſuum annis frequenter vidimus: venerabilis ſcilicet fœmina; & per multos annos poſt obitum viri ſui caſtiſſima vidua letho tenus permanſit. Eodem anno prædictus Paganorum exercitus Northanhymbros relinquens, in Merciam venit, & Snotengaham adiit, quod Britannice *Tigguocobauc* interpretatur: Latine autem *ſpeluncarum domus*. Et in eodem loco eodem anno hyemauerunt. Quibus illic aduenientibus, confeſtim Burhred Merciorum rex, & omnes eiuſdem gentis optimates nuncios ad Æthered occidentaliũ Saxonum regem, & Ælfred fratrem dirigunt: ſuppliciter obſecrantes, vt illi illis auxiliarentur, quo poſſent contra præfatum pugnare exercitum. Quod & facile impetrauerunt. Nam illi fratres non ſegnius promiſſione, congregato ex omni parte ſui immenſo exercitu Merciam adeunt, & vſque ad Snotengaham bellum vnanimiter quærentes peruenerunt. Cumque Pagani tuitione arcis muniti bellum dare negarent; & Chriſtianis frangere murum non ſuppetebat, pace inter Mercios & Paganos facta, duo illi fratres Æthered cum ſuis cohortibus domum reuerſi ſunt.

Nuptiæ Ælfredi.

** Mucil eo quod erat corpore magnus.*

Fames cũ peſte.

Anno dominicæ incarnationis 869. natiuitatis autem Ælfredi regis 21. fames magna, & mortalitas hominum, & peſtis animalium. Et præfatus Paganorum exercitus iterum ad Northanhymbros equitans Eboracum ciuitatem adiit, & ibi anno integro manſit.

Anno dominicæ incarnationis 870. natiuitatis autem Ælfredi regis 21. ſupra memoratus Paganorum exercitus per Merciam in orientales Anglos tranſiuit, & ibi in loco, qui dicitur Theodford, hyemauit. Eodem anno Eadmund orientalium Anglorum rex contra ipſum exercitum atrociter pugnauit. Sed (proh dolor) Paganis nimium gloriantibus, ipſe cum magna ſuorum parte ibidem occiſa inimici loco funeris dominati ſunt: & totam illam regionem ſuo dominio ſubdiderunt. Eodem anno Ceolnoth archiepiſcopus Dorobernię antiſtes, viam vniuerſitatis adiens, in eadem ciuitate in pace ſepultus eſt.

Ceolnothi mors.

Anno dominicæ incarnationis 871. natiuitatis autem AElfredi regis 22. exoſæ memoriæ Paganorum exercitus orientales Anglos deſerens, & regnum occidentalium Saxonum adiens, venit ad villam regiam, quæ dicitur Rædigam in meridiana Tameſis Fluminis fluminis ripa ſitam, in illa paga, quæ dicitur Bearroceſcire: tertioque aduentus ſui ibidem die comites eorum cum magna illius parte in prædam equitauerunt: alus vallum inter duo flumina Tameſin & Cynetan à dextrali parte eiuſdem regiæ villæ facientibus. quibus AEthelwulf Bearroecenſis Pagæ comes cum ſuis ſodalibus, in loco, qui dicitur Englefeld obuiauit: & animoſe ex vtraque parte ibidem pugnatum eſt. Cumque ibi diu vtrique reſiſterent, altero Paganorum comite occiſo, & maxima exercitus parte deleta, cæteriſque fuga elapſis: Chriſtiani victoriam accipientes loco funeris dominati ſunt. His ibi ita geſtis poſt quatuor dies AEthered rex occidentalium Saxonum, & Ælfred frater eius adunatis viribus, congregatoque exercitu Rædigam adierunt. Cumque vſque ad portam arcis perueniſſent, cædendo & proſternendo quoſcunque de Paganis extra arcem inueniſſent, Pagani non ſegnius certabant, lupino more totis portis erumpentes, totis viribus bellum perquirunt; ibique diu & atrociter ex vtraque parte dimica-

Conflictus Chriſtianorum cum Paganis.

Digitized by Google

micatum eſt. Sed heu (proh dolor) Chriſtianis demum terga vertentibus, Pagani victoriam accipientes loco funeris dominati ſunt. Ibique Æthelwulfus præfatus comes inter cæteros occubuit. Quo dolore & verecundia Chriſtiani commoti, iterum poſt quatuor dies contra præfatum exercitum in loco, qui dicitur Æſceſdun; quod Latinè *mons fraxini* interpretatur; totis viribus & plena voluntate ad prœlium prodeunt. Sed Pagani in duas ſe turmas diuidentes, æquali lance teſtudines parant. Habebant enim tunc duos reges, & multos comites; concedentes mediam partem exercitus duobus regibus, & alteram omnibus comitibus. quod Chriſtiani cernentes, & etiam ipſi exercitum in duas turmas ſimiliter diuidentes, teſtudines non ſegnius conſtruunt. Sed Ælfred citius & promptius cum ſuis, ſicut ab his, qui viderunt, veridicis referentibus audiuimus, ad locum prœlii aduenit. Nimirum: erat enim adhuc ſuus frater Æthered rex in tentorio in oratione poſitus, audiens Miſſam: & nimium affirmans ſe inde viuum non diſceſſurum, antequam Sacerdos miſſam finiret: & diuinum pro humano nolle deſerere ſeruitium. & ita fecit. Quæ regis Chriſtiani fides multum apud dominum valuit. ſicut in ſequentibus apertius declarabitur. Decreuerant ergo Chriſtiani, vt Æthered rex cum ſuis copiis contra duos paganos reges ſumeret prœlium: Ælfred verò ſuus frater cum ſuis cohortibus contra omnes paganorum duces belli ſortem ſumere debere ſciret. Quibus ita firmiter ab vtraque parte diſpoſitis, cum rex in oratione diutius moraretur, & Pagani parati ad locum certaminis citius adueniſſent, Ælfred tunc ſecundarius, cum diutius hoſtiles acies ferre non poſſet, niſi aut bello retrorſum recederet, aut contra hoſtiles copias ante fratris aduentum in bellum prorumperet, demum viriliter aprino more Chriſtianas copias contra hoſtiles exercitus (vt antè propoſuerant) tamen, quamuis rex adhuc non venerat, dirigens; diuino fretus conſilio, & adiutorio fultus, teſtudine ordinabiliter condenſata, confeſtim contra hoſtes vexilla mouet. Sed hoc in loco neſcientibus intimandum eſt, quod ille locus certaminis belligerantibus inæqualis erat. Nam Pagani editiorem locum præoccupauerant: Chriſtiani ab inferiori loco aciem dirigebát. Erat quoque in eodem loco vnica ſpinoſa arbor, breuis admodum: quam nos ipſi noſtris propriis oculis vidimus. Circa quam ergo hoſtiles inter ſe acies cum ingenti omnium clamore; illi perperam agentes, iſti pro vita & dilectis atq; patria pugnaturi hoſtiliter conueniunt. Cumque aliquandiu animoſe & nimium atrociter hinc inde vtrique pugnarent, Pagani diuino iudicio Chriſtianorum impetum diutius non ferentes, maxima ſuarum copiarum parte occiſa, opprobrioſam fugam cepere: quo in loco alter de duobus Paganorum regibus, & 5. comites occiſi occubuerunt: & multa millia paganæ partis in eodem loco: & inſuper per totam campeſtrem Æſcendun latitudinem vbique diſperſa, longè lateque occiſa corruerunt. Cecidit ergo illic Bægſceg rex, & Sidroc ille ſenex comes, & Sidroc iunior comes; & Obsbern comes; & Fræna comes; & Hareld comes; & totus Paganorum exercitus in fugam vſque ad noctem, & etiam vſque ad diem ſequentem: quouſque ad arcem, qui euaſerant, peruenerunt, verſus eſt. Quos Chriſtiani vſque ad noctem perſequuti ſunt, & vbique proſternentes. His ibi ita geſtis, iterum poſt 14. dies Æthered rex vnà cum fratre ſuo Ælfred, adunatis viribus contra Paganos pugnaturi Baſengas adierunt. Quibus hinc inde hoſtiliter conuenientibus, & diu reſiſtentibus, Pagani victoriam accipientes, loco funeris dominati ſunt. Quo prœlio peracto, de vltramarinis partibus alius Paganorum exercitus ſocietati ſe adiunxit. Et eodem anno poſt Paſcha Æthered rex præfatus regno 5. annis per multas tribulationes ſtrenuè atque honorabiliter cum bona fama gubernato, viam vniuerſitatis adiens in Winburnan monaſterio ſepultus, aduentum domini, & primam cum iuſtis reſurrectionem expectat.

Æthered devotio.

Paganorum clades.

Æthredi mors.

Eodem anno Ælfred ſuprà memoratus, qui vſque ad id temporis viuentibus fratribus ſuis ſecundarius fuerat; totius regni gubernacula, diuino concedente nutu, cum ſumma omnium illius regni accolarum voluntate confeſtim fratre defuncto ſuſcepit. Quod etiam viuente prædicto fratre ſuo, ſi dignaretur accipere; facillimè cum conſenſu omnium potuerat inuenire. nempe quia & ſapientia, & cunctis moribus bonis cunctos fratres ſuos præcellebat: & inſuper eo, quod nimium bellicoſus & victor prope in omnibus bellis erat. Cumque regnare prope quaſi inuitus vno menſe impleto cœperat: nimirum enim non putabat in ſe diuino fultus auxilio, tantam Paganorum vnquam poſſe ſolus ſufferre auſteritatem: quinetiam viuentibus ſuis fratribus, cum magna detrimenta ſuſtinuiſſet, contra vniuerſum Paganorum exercitum, in monte, qui dicitur W*iltun*, qui eſt in meridiana ripa fluminis *Guilou*: de quo flumine

Initium regni Æthelfredi.

rota illa paga nominatur, cum paucis, & nimium inæquali numero acerrimè belligerauit. Et cum hinc inde vtrique hoſtiliter & animoſe non parua diei parte pugnarent, Pagani ad integrum ſuum periculum propriis ſuis conſpectibus cernẽtes, & hoſtium infeſtationem diutius non ferentes, terga in fugam verterunt. Sed, proh dolor, per audacitatem perſequentium decipientes, iterum in prœlium prodeunt: & victoriam capientes, loco funetis dominati ſunt. Nec hoc cuiquam mirabile videatur, quod Chriſtiani paruum in prœlio numerum habebant. Erant enim Saxones maxima ex parte in eodem vno anno 8. contra Paganos prœliis populariter attriti: in quibus 8. prœliis vnus rex Paganorum, & nouem duces cum innumeris cohortibus occiſi periere: exceptis quotidianis & nocturnis irruptionibus innumerabilibus, quas Ælfred ſæpè memoratus, & ſinguli duces illius gentis cum ſuis; & etiam perplures miniſtri regis contra Paganos infatigabiliter ſtudioſe exercebant: in quibus frequentiſſimis irruptionibus quot millia paganæ expeditionis occiſa perierunt, niſi ſoli Deo, incognitum eſt. exceptis his, qui in 8. ſupra memoratis prœliis trucidati ſunt. Eodem quoq; anno Saxones cum iiſdem Paganis, ea conditione, vt ab eis diſcederent, pacem pepigerunt. quod & impleuerunt.

Belli inconſtantia.

Anno incarnationis 872. natiuitatis autem Ælfredi regis 23. præfatus Paganorum exercitus Londoniam adiit, & ibi hyemauit. cum quo Mercii pacem pepigerunt.

Mercii cum paganis pacem ineunt.

Anno dominicæ incarnationis 873. natiuitatis autem Ælfredi regis 24. ſæpe memoratus exercitus Londoniam deſerens in Northanhymbrorum regionem perrexit, & ibi hyemauit in paga, quæ dicitur *Lindeſig*: cum quo iterum Mercii pacem pepigerunt.

Anno dominicæ incarnationis 874. natiuitatis autem Ælfredi regis 25. ſupra memoratus ſæpe exercitus *Lindiſſig* deſerens, Merciam adiit, & hyemauit in loco, qui dicitur *Hreopedune*. Burghredum quoq; Merciorum regem regnum ſuum deſerere, & vltra mare exire, & Romam adire contra voluntatem ſuam coegit 22. regni ſui anno. Qui poſtquam Romam adierat, non diu viuens ibidem functus eſt; & in ſchola Saxonum, in eccleſia ſanctæ Mariæ honorifice ſepultus aduentum domini, & primam cum iuſtis reſurrectionem expectat. Pagani quoque poſt eius expulſionem totum Merciorum regnum ſuo dominio ſubdiderunt. Quod tamen miſerabili conditione cuidam inſipienti miniſtro regis (eius nomen erat *Ceolwulf*) eodem pacto cuſtodiendum commendauerunt, vt qualicunque die illud vellent habere iterum, pacifice illis aſſignaret. ~~quibus in eadem condi~~tione obſides dedit: & iurauit, nullo modo ſe voluntati eorum contradicere velle; ſed obediens in omnibus eſſe.

Burghredus Romæ moritur.

Anno dominicæ incarnationis 875. natiuitatis autem Ælfredi regis 26. ſuprà memoratus ſæpe exercitus *Hreopedune* deſerens, in duas ſe diuiſit turmas: cuius altera pars cum *Healſene* in regionem Northanhymbrorum perrexit, & ibi hyemauit iuxta flumen, quod dicitur Tine: & totam Northanhymbrorum regionem ſuo ſubdidit dominio: nec non & *Pictos*, & *Stratduttenſes* depopulati ſunt. Altera quoque pars cum *Gothrum* & *Oſcytil* & *Amund* tribus Paganorum regibus ad locum, qui dicitur *Grantebrycge*, peruenit & ibi hyemauit. Eodem anno Ælfred rex nauali prœlio in mare contra 6. naues Paganorum belligerauit, & vnam ex eis cœpit, cæteris per fugam elapſis.

Pugna maritima Ælfredi.

Anno dominicæ incarnationis 876. natiuitatis autem Ælfredi regis 26. ſæpe memoratus Paganorum exercitus noctu de *Grantebrycge* exiens, caſtellum, quod dicitur *Werham*, intrauit; quod monaſterium ſanctimonialium inter duo flumina *Fraw*; & in paga, quæ dicitur Britannice *Durngueis*: Saxonice autem *Thoruſata*, tutiſſimo terrarum ſitu ſitum eſt. niſi ab occidentali parte tantummodo, vbi contigua terra eſt. Cum quo exercitu Ælfred rex fœdus firmiter ea conditione, vt ab eo diſcederent, pepigit. cui ille exercitus electos obſides, quantos ſolus nominauit, ſine vlla controuerſia dedit: nec non & ſacramentum in omnibus reliquiis, quibus ille rex maxime poſt dominum confidebat, iurauit: in quibus & ſuper armillam, ſuper quam nec alicui genti prius iurare voluit, citiſſime de regno ſuo ſe exiturum eſſe. Sed more ſuo ſolita fallacia vtens, & obſides & iuramentum, atque fidem promiſſam non cuſtodiens, nocte quadam fœdere diſrupto, omnes equites, quos habebat, occidit; verſuſque inde *Domnaniam* ad locum, qui dicitur Saxonice *Eaxanceaſtre*, Britannice autem *Cairwiſc*. Latine quoque ciuitas in orientali ripa fluminis *Wiſc*, ſita eſt prope mare meridianum: quia interluit Galliam Britanniamque: inopinate direxit, & ibi hyemauit. Eodem

Pagani fœdifragi.

dem

dem quoque anno *Halfdene* rex illius partis Northanhymbrorum totam regionem ſibimet & ſuis diuiſit, & illam cum ſuo exercitu coluit. Eodem anno Rollo cum ſuis Normanniam penetrauit. Idem Normannorum dux Rollo cum in antiqua Britannia ſiue Anglia hyemaret, militaribus fretus copiis, quadam nocte fruitur viſione mox futuræ certitudinis. De hoc Rollone vide plura in annalibus.

Anno 877. Pagani inſtante tempore autumnali partim in *Exanceaſtre* reſidebant, & pars *Merciam* prædatura receſſit. Creſcebat inſuper diebus ſingulis perverſorum numerus, adeo quidem, vt ſi 30. ex eis millia vna die necarentur, alii ſuccedebant numero duplicato. Tunc rex Ælfredus iuſſit cymbas & galeas, id eſt, longas naues, fabricari per regnum, vt nauali prœlio hoſtibus aduentantibus obuiaret. Impoſitiſque piratis in illis vias maris cuſtodiendas commiſit. Ipſe vero *Exanceſtre*, vbi Pagani hyemabant, properans, illis incluſis ciuitatem obſedit. Nautis quoque ſuis mandauit, vt in parte freti vitale hoſtibus ſubſidium denegarent. Occurrerunt autem nautis ſuis 120. naues armatis militibus oneratæ; qui in auxilium ſuorum concinium aduenerunt. Quas cum paganis militibus miniſtri regis cognouiſſent repletas, ad arma proſiliunt, & viriliter barbaras nationes inuadunt. Pagani vero, qui iam fere per menſem inter fluctus pelagi naufragium pertuliſſent, inutiliter prœlium reddiderunt: vnde in momento agminibus eorum laceratis, in loco, qui *Gnauewic* dicitur, vndis ſubmerſi omnes pariter perierunt.

Galearum fabricatio.

Paganorum ſubmerſio.

Eodem anno exercitus Paganorum *Werham* deſerens, partim equitando, partim nauigando, cum peruenerunt ad locum, qui *Suanauine* dicitur, perierunt 120. è nauibus. Equeſtrem vero exercitum rex Ælfredus inſequebatur tunc, quouſque venit ad *Exanceaſtriam*. Ibi accepit obſides, & iuramentum ab eo, vt cito diſcederent. Ipſo anno menſe Auguſto, ille exercitus perrexit in *Merciam*, & illam regionem Merciorum partim dedit *Cleolwulfo* cuidam inſipienti regis miniſtro, partim inter ſe diuiſit.

Anno dominicæ incarnationis 878. natiuitatis autem Ælfredi regis 27. ſupra memoratus ſæpe exercitus *Exaeanceſtre* deſerens, *Cippanham* villam regiam, quæ eſt ſita in ſiniſtrali parte *Wiltunſcire*; in orientali ripa fluminis, quod Britannice dicitur *Abon*, adiit, & ibi hyemauit: & multos eiuſdem gentis vltra mare compulit hoſtiliter, & penuria atque pauore nauigare, & maxima ex parte omnes illius regionis habitatores ſuo ſubdiderunt dominio. Eodem tempore Ælfred ſæpe ſupra memoratus rex occidentalium Saxonum cum paucis ſuis nobilibus, & etiam cum quibuſdam militibus, & vaſallis per ſylueſtria & gronnoſa Summurtunenſis pagæ loca in magna tribulatione, inquietam vitam ducebat. Nihil enim habebat, quo vteretur, niſi quod à Paganis, & etiam à Chriſtianis, qui ſe Paganorum ſubdiderant dominio, frequentibus irruptionibus aut clam, aut etiam palam ſubtraheret. Et, vt in vita S. patris Neori legitur, apud quendam ſuum vaccarium. Contigit autem die quodam, vt ruſtica, vxor, videlicet illius vaccarii, pararet ad coquendum panes. Et ille rex ſedens ſic circa focum præparauit ſibi arcum & ſagittas, & alia bellorum inſtrumenta. Cum verò panes ad ignem poſitos ardentes aſpexit illa infœlix mulier, feſtinanter currit, & amouit eos, increpans regem inuictiſſimum, & dicens: Heus homo:

Ælfredi inopia.

Vrere quos cernis panes, gyrare moraris,
Cum nimium gaudes hos manducare calentes?

Mulier illa infauſta minime putabat illum eſſe regem Ælfredum, qui tot bella geſſit contra Paganos, tantaſque victorias accepit de eis. Non ſolum autem eidem glorioſo regi victorias de inimicis, & proſperitatem in aduerſis conferre dominus dignatus eſt; verum etiam ab hoſtibus fatigari, aduerſitatibus affligi, deſpectu ſuorum deprimi, multoties eum idem benignus dominus permiſit, vt ſciret, quoniam vnus eſt omnium dominus, cui curuatur omne genu, cuius in manu corda ſunt regum, qui ponit de ſede potentes, & exaltat humiles: qui ſuos fideles in ſumma proſperitate poſitos flagellis aduerſitarum vult aliquando tangi, vt depreſſi, de Dei miſericordia non deſperent; & exaltati de honore non ſuperbiant; ſed etiam ſciant, cui debent omnia, quæ habent. Quam ſiquidem aduerſitatem præfato regi illatam non immerito ei eueniſſe credimus? quia in primo tempore regni ſui, cum adhuc iuuenis erat, animoque iuuenili detentus fuerat, homines ſui regni ſibique ſubiecti, qui ad eum venerant, & pro neceſſitatibus ſuis eum requiſierant,

Ælfredi fortuna.

Ælfredi contemptus in ſubditos.

erant, & qui depreſſi poteſtatibus erant, ſuum auxilium ac patrocinium implorabant; ille vero noluit eos audire, nec aliquod auxilium impendebat, ſed omnino eos nihili pendebat. Quod beatiſſimus vir Neotus adhuc viuens in carne, qui erat cognatus ſuus, intimo corde doluit; maximamque aduerſitatem ob hoc ei venturam ſpiritu prophetico plenus prædixerat. Sed ille & piiſſimam viri Dei correptionem parui pendebat, & veriſſimam eius prophetiam non recipiebat. Quia igitur quicquid ab homine peccatur, aut hic, aut in futuro neceſſe eſt vt quolibet modo puniatur; noluit verus ac pius iudex illam regis inſipientiam eſſe impunitam in hoc ſeculo: quatenus illi parceret in diſtricto iudicio. Quare ergo idem ſæpedictus AElfredus in tantam miſeriam ſæpius incidit, vt nemo ſubiectorum ſuorum ſciret, vbi eſſet, vel quo deueniſſet. Eodem anno frater *Hynguari* & *Healfdenæ* cum 23. nauibus de *Demetica* regione, in qua hyemauerat, poſt multas ibi Chriſtianorum ſtrages factas ad *Domnaniam* enauigauit, & ibi à miniſtris regis cum 1200. infœlici exitu perperam agens occiſus eſt, ante arcem *Cynuit*. Quia in eadem arce multi miniſtri regis cum ſuis ſe concluſerant confugii cauſa. Sed cum Pagani arcem imparatam atque omnino immunitam, niſi quod mœnia noſtro more erecta ſolummodo haberet, cernerent: non enim effringere moliebantur. quia & ille locus ſitu terrarum tutiſſimus eſt ab omni parte, niſi ab orientali, ſicut nos ipſi vidimus, obſidere eam cæperunt. putantes homines illos manum cito daturos fame, & ſiti, & obſidione coactos: quia nulla aqua illi arci contigua eſt: quod non ita, vt putabant, euenit. Nam, Chriſtiani antequam talem penuriam omnino ſubire paterentur, diuinitus inſtigati, multo melius iudicantes, aut mortem, aut victoriam mereri, diluculo ſuper Paganos ex improuiſo irrumpunt, & aprino tempore hoſtes hoſtiliter cum rege ſuo maxima ex parte, paucis ad naues per fugam elapſis, proſternunt, ibique acceperunt ſpolia non minima. In quo etiam acceperunt illud vexillum,

Vexillum à Paganis captum.

quod *Reafan* nominant. Dicunt enim quod tres ſorores Hungari & Habbæ, filiæ videlicet Lodebrochi illud vexillum texuerunt, & totum parauerunt illud vno meridiano tempore. Dicunt etiam, quod in omni bello, vbi præcederet idem ſignum, ſi victoriam adepturi eſſent, appareret in medio ſigni quaſi coruus viuens volitans. Sin vero vincendi in futuro fuiſſent, penderet directe nihil mouens. Et hoc ſæpe probatum eſt. Eodem anno poſt Paſcha AElfred rex cum paucis adiutoribus fecit arcem in loco, qui dicitur AEthelingaeg, & de ipſa arce ſemper cum nobilibus vaſallis Summurtunenſis contra Paganos infatigabiliter rebellauit. iterumque in ſeptima hebdomada poſt Paſcha ad petram AEgbryhta, quæ eſt in orientali parte ſaltus, qui dicitur *Selwdu*, Latine autem ſylua magna, Britannice *Coitmaur*, equitauit. ibique obuiauerunt illi omnes accolæ Summurtunenſis pagæ, & Wiltunenſis, omnes accolæ Hamtunenſis pagæ; qui non vltra mare, pro metu Paganorum nauigauerant; viſoque rege, ſicut dignum erat, quaſi rediuiuum poſt tantas tribulationes recipientes, immenſo repleti ſunt gaudio; & ibi caſtra metati ſunt vna nocte. Diluculo ſequenti illuceſcente rex in caſtra commouens, venit ad locum, qui dicitur AEcglea; & ibi vna nocte caſtra metatus eſt. Inde ſequenti mane illuceſcente vexilla commouens ad locum, qui dicitur Ethandum, venit: & contra vniuerſum Paganorum exercitum cum denſa teſtudine atrociter belligerans, animoſeque diu perſiſtens, diuino nutu tandem victoria potitus, Paganos maxima cæde proſtrauit, & fugientes vſque ad arcem percutiens perſecutus eſt: & omnia, quæ extra arcem inuenit, homines ſcilicet, & equos, & pecora confeſtim cædens homines, ſurripuit, & ante portas paganicæ arcis cum omni exercitu ſuo viriliter caſtra metatus eſt. Cumque ibi per 14. dies remoraretur, pagani fame, frigore, timore, & ad extremum, deſperatione perterriti, pacem ea conditione petierunt, vt rex nominatos obſides, quantos vellet, ab eis acciperet, & ille nullum eis daret: ita tamen, qualiter nunquam cum aliquo pacem ante pepigerant. Quorum legatione audita rex ſua ipſius miſericordia motus, nominatos, quantos voluit, obſides ab eis accepit: quibus acceptis, Pagani inſuper iurauerunt, ſe citiſſime de ſuo regno exituros. nec non & Godrum rex eorum Chriſtianitatem ſubire, & baptiſmum ſub manu AElfredi regis accipere promiſit: quæ omnia ille & ſui, vt promiſerant, impleuerunt.

Paganorum rex baptizatus.

Nam poſt hebdomadas Godrum Paganorum rex cum 30. electiſſimis de exercitu ſuo viris ad AElfred regem prope AEthelingaeg, in loco, qui dicitur Alre peruenit, quem AElfred rex in filium adoptionis ſibi ſuſcipiens, de fonte ſacro baptiſmatis eleuauit. Cuius chriſmatis ſolutio 8. die in villa regia, quæ dicitur Wædmor, fuit. Qui poſtquam baptizatus

ratus fuit, 12. noctibus cum rege manſit. Cui rex cum ſuis omnibus multa & optima ædificia largiter dedit.

Anno dominicæ incarnationis 879. natiuitatis autem AElfredi regis 28. præfatus Paganorum exercitus de *Cippanhamme*, vt promiſerat, conſurgens *Cirrenceaſtre* adiit: qui Britannice *Cairceri* nominatur. quæ eſt in meridiana parte *Huicciorum*: ibique per vnum annum manſit. Eodem anno magnus Paganorum exercitus de Vltramarinis partibus nauigans in Thameſin fluuium venit, & adunatus eſt ſuperiori exercitui. Sed tamen hyemauit in loco, qui dicitur *Fullonham*, iuxta flumen Thameſin. Eodem anno eclipſis ſolis inter nonam & veſpernam, ſed propius ad nonam, facta eſt.

Solis eclipſis.

Anno dominicæ incarnationis 880. natiuitatis autem AElfredi regis 29. ſæpe memoratus Paganorum exercitus Cirrenceaſtre deſerens, ad orientales Anglos perrexit, ipſamque regionem diuidens, cœpit inhabitare. Eodem anno exercitus Paganorum, qui in *Fullonham* hyemauerat, Britannicam inſulam deſerens, iterum vltra mare nauigans, ad orientalem Franciam perrexit, & per vnum annum, in loco, qui dicitur *Gaent*, manſit.

Anno dominicæ incarnationis 881. natiuitatis autem AElfredi regis 30. præfatus exercitus ſuperius in Franciam perrexit; contra quem Franci pugnauerunt; & finito prœlio Pagani equis inuentis equites facti ſunt.

Anno dominicæ incarnationis 882. natiuitatis autem AElfredi regis 31. præfatus exercitus ſuas naues per flumen, quod dicitur *Ime*, ſe ſurſum tanto longe in Franciam pertraxit, & ibi vno anno hyemauit. Et eodem anno Ælfred Angulſaxonum rex nauali prœlio contra Paganicas naues in mare congreſſus eſt. ex quibus duas cepit naues, occiſis omnibus, qui in eis erant; duarumque aliarum nauium duo principes cum omnibus ſuis ſociis valde prœlio & vulneribus fatigati, depoſitis armis, curuo poplite, & ſupplicibus precibus dederunt ſe regi.

Anno dominicæ incarnationis 883. natiuitatis autem AElfredi regis 32. præfatus exercitus naues ſuas per flumen, quod dicitur *Scald*, contra flumen nauigans, ad monaſterium ſanctimonialium, quod dicitur *Cundoht*, traxit, & ibi anno vno manſit.

Anno dominicæ incarnationis 884. natiuitatis autem Ælfredi regis 34. præfatus exercitus in duas turmas diuiſit. Vna etenim turma in orientalem Franciam perrexit; & altera ad Britanniam veniens, Cantium adiit, ciuitatemque, quæ *Hroſeſceaſtre* Saxonice dicitur, in orientali ripa fluminis *Medwæg* ſitam obſedit. Ante huius portam Pagani caſtellum ibimet firmum ſubito fabricauerunt. Nec tamen illam ciuitatem expugnare potuerunt. quia ciues illi ſe viriliter defenderunt, quouſque Ælfred rex cum magno exercitu adiutorium illis conferens ſuperuenit. Et tunc pagani relicta arce ſua, & omnibus equis, quos de Francia ſecum adduxerant, derelictis maxima parte, nec non captiuorum ſuorum in arce dimiſſa adueniente ſubito rege, ad naues ſuas confeſtim confugiunt. Et Saxones ſtatim derelictos à Paganis captiuos & equos diripiunt. Pagani itaque magna neceſſitate compulſi, eadem æſtate iterum Franciam adierunt.

Ciuitas Roffenſis obſeſſa.

Paganorum fuga.

Eodem anno Ælfred Angulſaxonum rex claſſem ſuam de Cantio, plenam bellatoribus in orientales Anglos dirigens, prædandi cauſa tranſmiſit. Cumque ad oſtium Sturæ fluminis adueniſſent, confeſtim 13. naues Paganorum paratæ ad bellum, obuiauerunt eis: initoque nauali prœlio, hinc inde acriter pugnantes pagani omnes occiſi; & omnes naues cum omni pecunia eorum captæ ſunt. Cumque inde victrix regia claſſis dormiret, Pagani, qui ad orientalem Anglorum regionem habitabant, congregatis vndecunque nauibus, eidem regiæ claſſi in oſtio eiuſdem fluminis in mari obuiauerunt, conſertoque nauali prœlio, pagani victoriam habuerunt.

Naualis victoria de paganis.

Eodem quoque anno Carolomannum Francorum occidentalium regem, aprorum venationem agentem ſingulari congreſſione horrendo dente aper dilacerans, miſerabili funere percuſſit: cuius frater *Hlothwicus* ſuperiori anno defunctus eſt: qui & ipſe erat etiã Francorũ rex. Ipſi etenim ambo filii *Hlothwici* regis Francorũ erãt. Qui etiã *Hlotwicus* ſupra memorato anno, quo eclipſis ſolis facta eſt, defunct° eſt. Ipſe quoq; *Hlothwicus* filius Caroli Francorũ regis erat. cuius filiã *Iuthittam* *Æthelwulfus* occidentaliũ Saxonum rex ad reginã ſibi paterna voluntate ſuſcepit. Eodẽ quoq; anno magnus Paganorũ exercitus de Germania in regionẽ antiquorũ Saxonum, quod

Carolomannus ab apro caſus.

Saxoni-

Saxonicè dicitur *Ealdſeaxum*, ſuperuenit. contra quos adunatis viribus iidem Saxones & Friſones ibidem in vno illo anno viriliter pugnauere. in quibus duobus bellis Chriſtiani diuina opitulante miſericordia victoriam habuere. Eodem quoque anno Farlus Almannorum rex occidentalium Francorum regnum, & omnia regna, quæ ſunt inter mare terrenum, & illum marinum ſinum, qui inter antiquos Saxones & Gallos adiacet, voluntario omnium conſenſu accepit: abſque Armoricano (id eſt, minori Británia) regno. Qui Farlus filius Hlothwici regis fili* fuit. Ipſe vero * Hlothwicus Germanus Caroli regis Francorum patris, videlicet Iuthittæ reginæ prædictæ erat. qui etiam duo germani fuerunt filii Hlothwici. Hlothwic vero ille filius Karoli magni & antiqui atque ſapientiſſimi: qui etiam fuit filius Pipini. Eodem anno beatæ memoriæ Marinus Papa vniuerſitatis viam migrauit: qui ſcholam Saxonum in Roma morantium, pro amore & deprecatione AElfredi Angulſaxonum regis ab omni tributo, & talento telonio benigne liberauit. qui etiam multa dona prædicto regi illa vice tranſmiſit: inter quæ dedit etiam non paruam illius ſanctiſſimæ ac venerabiliſſimæ crucis partem: in qua dominus noſter Ieſus Chriſtus pro vniuerſali hominum ſalute pependit. Eodem quoque anno ille Paganorum exercitus, qui in orientalibus Anglis habitauit, pacem, quam cum AElfredo rege pepigerat, opprobrioſe fregit. Igitur vt ad id, vnde digreſſus ſum, redeam: ne diuturna enauigatione portum optatæ quietis omittere cogar, aliquantulum, quantum notitiæ meæ innotuerit, de vita & moribus, & æqua conuerſatione, atque ex parte non modica, res geſtas domini mei AElfredi Angulſaxonum regis, poſtquam præfatam ac venerabilem de Merciorum nobilium genere coniugem duxerit: Deo annuente ſuccinctim ac breuiter, ne qua prolixitate narrandi noua quæque faſtidientium animos offendam, vt promiſi, expedire procurabo. Cum ergo nuptias honorabiliter in Mercia factas inter innumerabiles vtriuſque ſexus populos ſolemniter celebraret; poſt diuturna die noctuque conuiuia ſubito & immenſo, atque omnibus medicis incognito confeſtim coram omni populo correptus eſt dolore. Incognitum enim erat omnibus, qui tunc aderant; & etiam huc vſque quotidie cernentibus, quod (proh dolor) peſſimum eſt, tantam diuturnitatem à 20. ætatis ſuæ anno vſque 40. & eo amplius annum per tanta annorum curricula inceſſanter protelaſſe. Vnde talis dolor oriebatur. Multi namq; fauore & faſcinatione circumſtantis populi hoc factum eſſe autumabant: alii diabolica quadam inuidia, qui ſemper bonis inuidus exiſtat: alii inuſitato quodam genere febris: alii ficum exiſtimant. quod genus infeſtiſſimi doloris etiam ab infantia habuit. Sed quodam tempore diuino nutu antea cum Cornubiam venandi cauſa adiret, & ad quandam eccleſiam orandi cauſa diuertiſſet, in qua ſanctus *Gueryr* requieſcit, & nunc etiam ſanctus Neotus ibidem pauſat, ſubleuatus eſt. Erat enim ſedulus ſanctorum locorum viſitator, etiam ab infantia, orandi & eleemoſynam dandi gratia diu in oratione tacita proſtratus: ita domini miſericordiam deprecabatur, quatenus omnipotens Deus pro ſua immenſa clementia ſtimulos præſentis & infeſtantis infirmitatis aliqua qualicunque leuiori infirmitate mutaret. ea tamen conditione, vt corporaliter exterius illa infirmitas non appareret, ne inutilis & deſpectus eſſet. Timebat lepram aut cœcitatem, vel aliquem talem dolorem, qui homines tam cito & inutiles & deſpectos ſuo aduentu efficiunt. Oratione autem finita cœptum iter arripuit, & non multo poſt tempore, vt in oratione depreeatus fuerat, ſe ab illo dolore medicatum eſſe diuinitus ſenſit, ita, vt funditus eradicaretur. Quamuis & hunc dolorem in primæuo iuuentutis ſuæ flore deuota oratione & frequenti Deo ſupplicatione pius, ſupplex, nactus fuerat. Nam, vt de beneuola mentis ſuæ deuotione Deo ſuccinctim ac breuiter, quamuis præpoſterato ordine, loquar; cum in primæuo iuuentutis ſuæ flore, ante quam propriam coniugem duceret, mentem ſuam propriam in Dei mandatis ſtabilire vellet, & ſe à carnali deſiderio abſtinere non poſſe cerneret, offenſam Dei incurrere, ſi aliquid contrarium voluntati illius peragere metues; ſæpiſſime galli cantu & matutinis horis clam conſurgens, eccleſias & reliquias ſanctorum orandi cauſa viſitabat, ibique diu proſtratus orabat; quo Deus omnipotens propter ſuam miſericordiam mentem illius amore ſuæ ſeruitutis multo robuſtius per aliquam infirmitatem, quam poſſet ſuſtinere; non tamen, quo eum indignum & inutilem in mundanis rebus faceret, ad ſe penitus conuertens corroboraret. Cumq; hoc ſæpius magna mentis deuotione ageret; poſt aliquantulum interuallum præfatum ficei dolorem Dei munere incurrit: in quo diu & ægre per multos annos laborans ſe etiam de vita deſperabat, quouſque oratione facta à ſe penitus eum amouit. Sed, proh dolor,

Margin notes: * Lodouicus. — Dona Papæ Ælfredo. — Morbus Ælfredi. — Ælfredi oratio.

dolor, eo amoto alius infeſtior in nuptiis, vt diximus, eum arripuit: qui à vigeſimo ætatis ſuæ anno vſque ad quadrageſimumquintum eum die noctuque inceſſabiliter fatigauit. Sed, ſi aliquando Dei miſericordia vnius diei aut noctis, vel etiam vnius horæ interuallo illa infirmitas ſepoſita fuerat; timor tamen ac tremor illius execrabilis doloris vnquam eum non deſerit, ſed quaſi inutilem eum, vt ei videtur, in diuinis & humanis rebus propemodum effecit.

Ælfredi liberi.

Nati ſunt ergo ei filii & filiæ de ſupradicta coniuge ſua, ſcilicet *Æthelflæd* primogenita; poſt quam *Eadwerd*; deinde *Æthelgeofu*; poſtea *Ælfthryth*; deinde *Æthelweard* natus eſt. exceptis his, qui in infantia morte præueniente præoccupati ſunt; de quorum numero eſt, Æthelflœd, adueniente matrimonii tempore, Eadredo Merciorum comiti matrimonio copulata eſt. Æthelgeofu quoque monaſticæ vitæ regulis, deuota Deo virginitate ſubiuncta & conſecrata; diuinum ſubiit ſeruitium. Æthelweard omnibus iunior ludi literariæ diſciplinæ, diuino conſilio, & admirabili regis prouidentia, cum omnibus pene totius regionis nobilibus infantibus, & etiam multis ignobilibus, ſub diligenti magiſtrorum cura traditus eſt.

Nobilium educatio.

In qua ſchola vtriuſque linguæ libri, Latinæ ſcilicet & Saxonicæ aſſidue legebantur. Scriptioni quoq; vacabant, ita, vt antequam aptas humanis artibus vires haberent, venatoriæ ſcilicet, & cæteris artibus, quæ nobilibus cõueniunt, in liberalibus artibus ſtudioſi & ingenioſi viderētur. Eadwerd & Ælfthryth ſemper in curto regio nutriti cum magna nutritorũ & nutricũ diligentia; immo, cum magno omnium amore & ad omnes indigenas & alienigenas humiliata affabilitate, & etiam lenitate, & cũ magna patris ſubiectione huc vſq; perſeuerant: nec etiam illi ſine liberali diſciplina inter cætera præſentis vitæ ſtudia, quæ nobilibus conueniunt, otioſe & incurioſe permittuntur. Nam & pſalmos, & Saxonicos libros, & maxime Saxonica carmina ſtudioſe didicere, & frequentiſſime libris vtuntur. Interea tamen rex inter bella & præſentis vitæ frequentia impedimenta, nec non Paganorum infeſtationes, & quotidianas corporis infirmitates, & regni gubernacula regere & omnē venandi artem agere; aurifices & artifices ſuos omnes, & falconarios, & accipitrarios, canicularios quoque docere, & ædificia ſupra omnem anteceſſorum ſuorum conſuetudinem, venerabiliora & precioſiora noua ſua machinatione facere; & Saxonicos libros recitare: & maxime carmina Saxonica memoriter diſcere, aliis imperare, & ſolus aſſidue pro viribus ſtudioſiſſime non deſinebat;

Ælfredi otia & negotia.

diuina quoque miniſteria, & miſſam ſcilicet, quotidie audire, pſalmos quoſdam & orationes, & horas diuinas, & nocturnas celebrare, & eccleſias nocturno tempore, vt diximus, orandi, cauſa clam à ſuis adire ſolebat & frequentabat: eleemoſynarum quoque ſtudio & largitati indigenis & aduenis omnium gentium; ac maxima & incomparabili contra omnes homines affabilitate atque iocunditate; & ignotarum rerum inueſtigationi ſolerter ſe iungebat. Franci autem multi, Friſones, Galli, Pagani, Britones & Scoti, Armorici ſponte ſe ſuo dominio ſubdiderant: nobiles ſcilicet & ignobiles, quos omnes, ſicut ſuam propriam gentem, ſecundum ſuam dignitatem regebat, diligebat, honorabat, pecunia & poteſtate ditabat. Diuinam quoque ſcripturam à recitantibus indigenis, aut etiam, ſi caſu quodam aliunde adueniret; cum alienigenis pariter preces audire ſedulus & ſolicitus ſolebat. Epiſcopos quoque ſuos, & omnem eccleſiaſticum ordinem, comites, ac nobiles ſuos, miniſteriales etiam, & omnes familiares, admirabili amore diligebat. Filios quoque eorum, qui in regali familia nutriebantur, non minus propriis diligens, omnibus bonis moribus inſtituere, & literis imbuere ſolus die noctuque inter cætera non deſinebat, ſed quaſi nullam in his omnibus conſolationem haberet; & nullam aliam intrinſecus & extrinſecus perturbationem pateretur. ita tamen quotidiana & nocturna anxius triſtitia ad dominum & ad omnes, qui ſibi familiari dilectione adſciti forent, querelabatur & aſſiduo gemebat ſuſpirio; eo, quod Deus omnipotens eum expertem diuinæ ſapientiæ, & liberalium artium feciſſet; in hoc pium & opinatiſſimum atq; opulentiſſimum Salomonem Hebræorum regem æquiparans, qui primitus deſpecta omni præſenti gloria & diuitiis, ſapientiam à Deo depoſcit, & etiam vtramq; inuenit; ſapientiam ſcilicet, & præſentē gloriam; ſicut ſcriptum eſt: *Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia præſtabuntur vobis.* Sed Deus, qui eſt ſemper inſpector internarum mentiũ, meditationum, & omniũ bonarum voluntatum inſtigator; nec nõ etiam, vt habeantur bona deſiderata, largiſſimus adminiſtrator: neq; enim vnquam aliquem bene velle inſtigaret, niſi & hoc, quod bene & iuſte quiſque habere deſiderat, largiter adminiſtraret: inſtigauit mentem eius interius, non extrinſecus: ſicut

ſcriptum eſt: *Audiam quid loqu atur in me dominus Deus.* Coadiutores bonæ meditationis ſuæ,qui eum in deſiderata ſapientia adiuuare poſſenr, quo ad concupita perueniret, quandocunque poſſet,acquireret: qui ſubinde velut auis prudentiſſima, quæ primo mane charis e celluſis conſurgens æſtiuo tempore, per incerta aeris itinera curſum veloci volatu dirigens,ſuper multiplices ac diuerſos herbarum, holerum, fruticum floſculos deſcendit,probatque quid maxime placuerit,atque domum reportat,mentis oculos longum dirigit; quærens extrinſecus, quod intrinſecus non habebat; id eſt,in proprio regno ſuo. At tunc Deus quædam ſolatia regiæ beneuolentiæ tam beneuolam & iuſtiſſimam querelam illius diutius non ferens, veluti quædam luminaria,tranſmiſit *Werfrithum*, ſcilicet Wigernenſis eccleſiæ epiſcopum; in diuina ſcilicet ſcriptura bene eruditum: qui imperio regis libros dialogorum Gregorii papæ & Petri ſui diſcipuli de Latinitate primus in Saxonicam linguam, aliquando ſenſum ex ſenſu ponens elucubratim & elegantiſſime interpretatus eſt. Deinde *Plegmundum* Mercium genere, Dorobernenſis eccleſiæ archiepiſcopum, venerabilem ſcil. virum,

Regis amor in eruditos.

ſapientia præditum; *Æthelſtan* quoq; & *Werwulfum* ſacerdotes & Capellanos, Mercios genere, eruditos: quos quatuor Ælfred rex de Mercia ad ſe aduocauerat, & multis honoribus & poteſtatibus extulit in regno occidẽtalium Saxonum: exceptis his, quæ Plegmundus Archiepiſcopus, & Wertrithus epiſcopus in Mercia habebant. quorum omniũ doctrina & ſapientia regis indeſinenter deſiderium creſcebat & implebatur. Nam die noctuq;, quandocunq; aliq̃ licentiam haberet, libros ante ſe recitare talibus imperabat. Non enim vnq̃ ſine aliquo eorum ſe eſſe pateretur. quapropter pene omnium librorum notitiam habebat. quamuis per ſeipſum aliquid adhuc de libris intelligere nõ poſſet. Non enim adhuc aliquid legere incœperat. Sed, cum adhuc nec in hoc quoq; regalis auaritia, ſed tamen laudabilis, grata eſſet; legatos vltra mare ad

Ælfredi ſtudium de doctis comparandis.

Galliã magiſtros acquirere dixerit, indeq; aduocarit *Grimbaldum* ſacerdotẽ & monachum, venerabilẽ videl. virũ, cantatorem optimũ, & omni modo eccleſiaſticis diſciplinis, & in diuina ſcriptura erudititiſſimum, & omnibus bonis morib⁹ ornatum. Iohãnem quoq; æque presbyterũ, & monachum acerrimi ingenii virũ, & in omnib. diſciplinis literatoriæ artis erudititiſſimum, & in multis aliis artibus artificioſum: quorũ doctrina regis ingenium multũ dilatatum eſt, & eos magna poteſtate ditauit & honorauit. His temporibus ego quoq; a rege aduocatus de occiduis & vltimis Britanniæ finibus ad Saxoniam adueni. Cumq; per multa terrarum ſpatia illum adire propoſuerã, vſq; ad regionem dexteralium Saxonum, quæ Saxonice Suthſeaxum appellatur, ductoribus eiuſdẽ gentis comitantibus perueni: ibiq; illum in villa regia, q̃ dicitur *Dene*,

Aſſeri ad regem aduentus.

primitus vidi. Cumq; ab eo benigne ſuſcept⁹ fuiſſem, inter cætera ſententiarũ noſtrarum famina me obnixe rogabat, vt deuouerem me ſuo ſeruitio, & familiaris ei eſſem, & omnia, quæ in ſiniſtrali & occidentali Sabrinæ parte habebam, pro eo relinquerem: quod etiam maiori mihi remuneratione reddere pollicebatur. quod & ſaceret. Reſpondi ego, me talia incaute & temerarie promittere non poſſe. Iniuſtum enim mihi videbatur, illa tam ſancta loca, in quibus nutritus, & doctus ac coronatus fueram, atque ad vltimum ordinatus, pro aliquo terreno honore & poteſtate derelinquere, niſi coactus & compulſus. Ad quod ille ait: Si nec tibi hoc ſuppetat ſubire, ſaltem dimidiam partem ſeruitii tui mihi accommoda; ita vt per 6. menſes mecum fueris, & tantundem in Britannia. Ad quod ego taliter reſpondi: Nec hoc ſuauiter, & temerarie ſine conſilio meorum poſſe promittere. At vero, cum illum meum ſeruitium (ſed neſciebam quare) deſiderare cognoſcerem, promiſi, me iterum ad eum poſt 6. menſes, ſoſpite vita reuerſurum, cum tali reſponſo, quod mihi & meis vtile, ac ſibi placabile eſſet. Cumq; ſibi hoc reſponſum videretur probabile, dato reuertendi pignore ſtatuto tempore; quarto die ab eo equitantes ad patriam remeauimus. Sed, cum ab eo diſceſſeramus, in *Wintonia* ciuitate febris infeſta me arripuit: in qua ſedule per 12. menſes & vna hebdomada die noctuque ſine aliqua vitæ ſpe laboraui. Cumque ſtatuto tempore ad eum, ſicut promiſeram, non perueniſſem, tranſmiſit ad me indiluculos, qui me ad eum equitare feſtinarenr, & cauſam remorationis perquirerent. Sed, cum equitare ad eum non poſſem; alium tranſmiſi ad eum indiluculum, qui remorationis meæ cauſam illi patefaceret: & ſi de illa infirmitate reſipiſcere poſſem, me velle implere, quæ promiſeram, renunciaret. Diſcedente igitur infirmitate, ex conſilio & licentia noſtrorum omnium pro vtilitate illius ſancti loci, & omnium in eo habitantium, regi vt promiſeram, eius ſeruitio me deuoui ea conditione, vt per ſex menſes omni anno cum eo

comma-

Digitized by Google

commanerem, aut, ſi ſimul poſſem 6. menſes protelare, aut etiam per vices: vt tribus menſibus in Britannia, vt tribus in Saxonia commanerem; & illa adiuuaretur per rudimenta ſancti Degui in omni cauſa; tamen pro viribus. Sperabant enim noſtri, minores tribulationes & iniurias ex parte Hemeid regis ſuſtinere: qui ſæpe deprædabatur illud monaſterium & parochiam ſancti Degui aliquando, expulſione illorum antiſtitum, qui in eo præeſſent; ſicut ex nobis Archiepiſcop. propinquum meum & me expulit aliquando ſub ipſis: ſi ego ad notitiam & amicitiam illius regis qualicunque pacto peruenirem. Illo enim tempore, & multo ante omnes regiones dexteralis Britanniæ partis, ad Ælfred regem pertinebant, & adhuc pertinent; Hemeid ſcil. cum omnibus habitatoribus Demeticæ regionis; & ſex filiorum Rotri vi compulſus, regali ſe ſubdiderat imperio. Houil quoque filius Ris, rex Gleguiſing, & Brochmail atque Fernail filii Mouric, reges Guent, vi & tyrannide Eadred comitis & Merciorum compulſi, ſuapte eundem expetiuere regem, vt dominium & defenſionem ab eo pro inimicis ſuis haberent. Heliſed quoque filius Teudyr, rex Brechoniæ, eorundem filiorum Rotri vi coactus, dominium regis præfati ſuapte requiſiuit. Anaraut quoque filius Rotri, cum ſuis fratribus ad poſtremum amicitiam Northanhymbrorum deſerens, de qua nullum bonum niſi damnum habuerat, amicitiam regis ſtudioſe requirens ad præſentiam illius aduenit. Cumque à rege honorifice receptus eſſet, & ad manum epiſcopi in filium confirmationis acceptus, maximiſque donis ditatus, regis dominio cum omnibus ſuis eadem conditione ſubdidit, vt in omnibus regiæ voluntati ſic obediens eſſet, ſicut Æthered cum Mercis. Nec in vanum illi omnes regis amicitiam acquiſiuerunt. Nam, qui deſiderauerunt poteſtatem terrenam augere, inuenerunt: qui pecuniam, pecuniam; qui familiaritatem, familiaritatem; qui vtramq;, vtramque. Omnes autem habuerunt amorem & tutelam ac defenſionem ab omni parte, qua rex ſeipſum cum ſuis omnibus defendere potuit. Cum igitur ad eum aduenissem in villa regia, quæ dicitur *Leonaford*, honorabiliter ab eo ſuſceptus ſum; & cum eo illa vice 8. menſibus in curto manſi: in quibus recitaui illi libros quoſcunque ille vellet, & quos ad manum habetemus. Nam hæc eſt propria, & vſitatiſſima illius conſuetudo die noctuque inter omnia alia mentis & corporis impedimenta, aut per ſe ipſum libros recitare, aut aliis recitantibus audire. Cumque ab eo frequenter licentiam reuertendi quærerem, & nullo modo impetrare poſſem; tandem cum & licentiam omnino expoſcere ſtatuiſſem; diluculo vigiliæ natalis domini aduocatus ad eum tradidit mihi duas epiſtolas, in quibus erat multiplex ſupputatio omnium rerum, quæ erant in duobus monaſteriis, quæ Saxonice cognominantur *Amgresbyri*, & *Banuwille*. Et mihi eodem die tradidit illa duo monaſteria cum omnibus, quæ in eis erant: & ſericum pallium valde pretioſum, & onus viri fortis de incenſo: adiiciens his verbis; non ideo dediſſe parua illa, quod ſequenti tempore nollet dare maiora. Nam ſequentis temporis ſucceſſu ex improuiſo dedit mihi Exanceaſtre, cum omni parochia, quæ ad ſe pertinebat in Saxonia & in Cornubia; exceptis quotidianis donis innumerabilibus in omni genere terreſtris copiæ: quæ hoc in loco percenſere longum eſt. ne faſtidium legentibus procreent. Sed nullus exiſtimet pro vana aliqua gloria, aut adulatione, aut maioris honoris quærendi gratia me talia hoc in loco dona commemoraſſe: quod coram Deo nec ideo feciſſe teſtor: ſed vt neſcientibus propalarem, quam profuſus in largitate ille ſit. Tunc confeſtim dedit mihi licentiam equitandi ad illa duo monaſteria omnibus bonis referta, & inde ad propria reuertendi.

Ælfredi in Aſſerium munificentia.

Anno dominicæ incarnationis 886. natiuitatis autem Ælfredi 35. ſæpe memoratus exercitus regionem fugiens iterum, & in occidentalium Francorum regionem venit, naues ſuas dirigens in flumen, quod *Signe* dicitur ſurſum contra longe nauigans Pariſiam ciuitatem adiit, & ibi hyemauit, & caſtra metatus eſt. intra quam partem fluminis prope ad pontem, vt tranſitum pontis ciuibus prohiberet. quia illa ciuitas in medio fluminis ſita eſt in inſula parua. Obſedit illam ciuitatem anno illo integro: ſed Deo miſericorditer fauente, & ciuibus viriliter ſe defendentibus munitionem irrumpere non potuit. Eodem anno Ælfred Angulſaxonum rex, poſt incendia vrbium ſtrageſque populorum Londoniam ciuitatem honorifice reſtaurauit, & habitabilem fecit: quam genero ſuo Ætheredo Merciorum comiti commendauit ſeruandam; ad quem regem omnes Angli & Saxones, qui prius vbique diſperſi fuerant, aut cum Paganis ſub captiuitate erant, voluntarie conuerterunt, & ſuo dominio ſe ſubdiderunt.

Londinum ab Ælfredo inſtauratur.

Eodem anno exorta eſt peſſima ac teterrima Oxoniæ diſcordia , inter Grymboldum,doctiſſimoſque illos viros,quos ſecum illuc adduxit, & veteres illos ſcholaſticos quos ibidem inueniſſet:qui eius aduentu leges,modos,ac prælegendi formulas ab eodem Grymboldo inſtitutas,omni ex parte amplecti recuſabant. per tres annos haud magna fuerat inter eos diſſenſio, occultũ tamen fuit odium ; ꝙ ſumma cũ atrocitate poſtea erupit,ipſa erat luce clarius:ꝙ vt ſedaret,rex ille inuictiſſimus Ælfredus de diſſidio eo nuntio & querimonia Grymboldi certior factus,Oxoniam ſe contulit, vt finem modumq; huic controuerſiæ imponeret,qui & ipſe ſummos labores hauſit. cauſas & querelas vtrinq; illatas audiendo : Caput autem huius contentionis in hoc erat poſitum: Veteres illi ſcholaſtici contendebant,antequã Grymboldus Oxoniam deueniſſet,literas illic paſſim floruiſſe etiamſi ſcholares tunc temporis numero erant pauciores,quã priſcis temporibus,pleriſq; nimirũ ſæuitia ac tyrannide paganorũ expulſis; quin etiã probabant & oſtendebant idq; indubitato veterum annalium teſtimonio illius loci ordines ac inſtituta à nonnullis piis & eruditis hominibus fuiſſe ſancita,vt à D.Gilda, Melkino , Nemrio Kentigerno, & aliis qui omnes literis illic conſenuerunt,omnia ibidem fælici pace & concordia adminiſtrantes:ac D. quoque Germanũ Oxoniam adueniſſe,anniq; dimidiũ illic eſſe moratum. Quo tempore per Britanniã iter fecit aduerſus Pelagianorũ hæreſes concionaturus,ordines & inſtituta ſupra mirũ in modum cõprobauit. Rex ille inaudita humilitate vtramq; partẽ accuratiſſime exaudiuit;Eos piis ac ſalutaribus monitis etiam atq; etiam hortãs , vt mutuam inter ſe coniunctionem & concordiam tuerentur. Itaq; hoc animo diſceſſit rex, quoſq; ex vtraq; parte conſilio ſuo eſſe obtemperaturos & inſtituta ſua amplexuros. At Grymboldus hæc iniquo animo ferens, ſtatim ad monaſterium Wintonienſe ab Ælfredo recens fundatum proficiſcebatur,deinde tumbam Wintoniam transferri curauit,in qua propoſuerat poſt huius vitæ curriculum oſſa ſua reponenda, in teſtudine , q́ erat facta ſubter cancellũ eccleſiæ Diui Petri in Oxonia. Quã quidem eccleſiam idẽ Grymboldus extruxerat ab ipſo fundamẽto de ſaxo ſumma cura perpolito.

Anno dominicæ incarnationis 887. natiuitatis autem Ælfredi regis 36. ſupra memoratus Paganorum exercitus Pariſiam ciuitatẽ derelinquens incolumem, eo ꝙ aliter proficere ſibimet non poterat,claſſem ſuam ſub illo ponte ſurſum contra *Signe* lõge remigando,tã diu direxit,donec ad oſtium fluminis, ꝙ *Materre* nominatur,perueniſſet;tunc Sigonam deſerentes in oſtiũ Materræ diuertunt:contra ꝙ diu ac longe nauigantes,demũ nõ ſine labore vſq; ad locũ,qui dicitur *Cazici*, id eſt,villa regia, peruenerunt:in quo loco hyemauerunt integro anno. Sequenti anno in oſtiũ fluminis, ꝙ dicitur *Iona*,intrauerunt,nõ ſine magno regionis damno : & illic remorati ſunt anno vno. Eodẽ anno Farlus,Francorũ rex,viam vniuerſitatis adiit. Sed Earnulf filius fratris ſui,ſexta,anteq̃ defunctus eſſet,hebdomada, illũ regno expulerat, quo ſtatim defuncto 5. reges ordinati ſunt, & regnum in quinq; partibus conſciſſum eſt. Sed tamen principalis ſedes regni ad Earnulf iuſte & merito prouenit, niſi ſolummodo ꝙ in patruum ſuũ indigne peccauit. Cæteri quoq; 4.reges fidelitatẽ & obedientiã Earnulfo , ſicut dignum erat,promiſerunt. Nullus enim illorum 4. regũ hæreditarius illius regni erat in paterna parte,niſi Earnulf ſolus. Quinq; itaq; reges confeſtim Farlo moriente ordinati ſunt. Sed imperiũ penes Earnulf remanſit. Talis ergo illius regni diuiſio fuit. Nã *Earnulf* orientales regiones *Hreni* fluminis, *Hrothbuulf* quoq; internam partẽ regni accepit. *Oda* etiã occidentale regnum, *Beorngar*, & *Witha Languobardiã*. nec non & illas regiones,quæ in illa parte montis ſunt:nec tamẽ tanta & talia regna inter ſe pacifice ſeruauerunt. Nam bis pleno prœlio inter ſe belligerauere,& illa regna perſæpe deuaſtauerũt inuicẽ. Et vnuſquiſq; alterum expulit de regno. Eodẽ quoq; anno, quo ille exercitus Pariſiã ciuitatẽ deſerens *Cazici* adiit, *Æthelhelm* comes *Wiltunenſiũ* Ælfredi regis & Saxonũ eleemoſynam Romã duxit. Eodẽ quoq; anno ſæpe memoratus Ælfred Angulſaxonum rex diuino inſtinctu legere & interpretari ſimul vno eodemq; die primitus inchoauit. Sed,vt apertius ignorãtibus pateat, cauſam huius tardæ inchoationis expedire curabo. Nam cum quodam die ambo in regia cambra reſideremus,vndecunque ſicut ſolito,colloquia habentes,ex quodam quoddã teſtimonium libro illi euenit vt recitarẽ. quod cum intentus vtriſq; aurib⁹ audiſſet,& intima mente ſollicite perſcrutaretur,ſubito oſtendens libellum, quem in ſinum ſuum ſedulo portabat(in quo diurnus curſus, & pſalmi quidam atque orationes quædam, quas ille in iuuentute ſua legerat , ſcripti habebantur) imperauit , quo illud teſtimonium in eodẽ libello literis mãdarem. Quod ego audiens,& ingenioſam beneuo-

Francia in 5. reges diuiſa.

Diuiſio bellum generauit.

lentiam

lentiam illius ex parte: atque etiam tam deuotam erga ſtudium diuinæ ſapientiæ voluntatem eius cognoſcens; immenſas omnipotenti Deo grates, extenſis ad æthera volis, tacitus quamuis, perſolui. qui tantam erga ſtudium ſapientiæ deuotionē in regio corde inſeruerat. Sed, cum nullum locū vacuum in eodem libello reperirem, in quo tale teſtimoniū ſcribere poſſem (erat enim omnino multis ex cauſis refertus) aliquātiſper diſtuli; & maxime, quia tam elegans regis ingenium ad maiorē diuinorum teſtimoniorum ſcientiam prouocare ſtudebam. Cui, cum me, vt quanto citius illud ſcriberē, vrgeret, inquam, placetne tibi, quod illud teſtimonium in aliqua foliuncula ſegregatim ſcribam? Incognitum eſt enim, ſi aliquādo aliquod taliter aut plura repenamus, quæ tibi placuerint teſtimonia. Quod ſi inopinate euenerit, ſegregaſſe gaudebimus. Quod ille audiens, ratum eſſe conſilium inquit. Quod ego audiens & gaudens feſtinus quaternionē promptam paraui; in cuius principio illud nō iniuſſus ſcripſi: ac nulla eadē die non minus quàm tria alia ſibi placabilia teſtimonia illo imperante in eadem quaternione, vt prædixeram, ſcripſi: ac deinde quotidie inter nos ſermocinando, ad hęc inueſtigando aliis inuentis æque placabilibus teſtimoniis, quaternio illa referta ſucceuit. nec immerito. ſicut ſcriptum eſt: *Super modicum fundamentum ædificat iuſtus, & paulatim ad maiora defluit.* velut apis fertiliſſima longe lateque gronnios interrogando diſcurrens, multimodos diuinæ ſcripturæ floſculos inhianter & inceſſabiliter congregauit; queis præcordii ſui cellulas denſatim repleuit. Nam primo illo teſtimonio ſcripto confeſtim legere & in Saxonica lingua interpretari, atque inde perplures inſtituere ſtuduit: ac veluti de illo fœlici latrone cautum eſt, dominum Ieſum Chriſtum, dominum ſuum, immoque omnium, iuxta ſe in venerabili ſanctæ Crucis patibulo pendentem cognoſcente; quo ſubnixis precibus inclinatis ſolummodo corporalibus oculis, quia aliter non poterat (erat enim totus confixus clauis) ſubmiſſa voce clamaret; *Memento mei, cum veneris in regnum tuum Chriſte*, Qui Chriſtianæ fidei rudimenta in gabulo primitus inchoauit diſcere. Hic aut aliter, quamuis diſſimili modo in regia poteſtate Sacræ rudimenta ſcripturæ diuinitus inſtinctus præſumpſit incipere in venerabili Martini ſolemnitate. quos floſculos vndecunque collectos à quibuslibet magiſtris diſcere, & in corpore vnius libelli, mixtim quamuis, ſicut tunc ſuppetebat redigere, vſque adeo protelauit, quouſq; propemodum ad magnitudinem vnius pſalterii perueniret. quem enchiridion ſuum, id eſt, manualem librum nominari voluit, eo, quod ad manum illum die noctuque ſolertiſſime habebat: in quo non mediocre, ſicut tunc aiebat, habebat ſolatium. Sed ſic vt à quodam ſapiente iamdudum ſcriptum eſt,

Inuigilant animi, quibus eſt pia cura regendi,

magnopere inuigilandum mihi cenſeo in eo, quod ante aliquam, quamuis diſſimili modo ſimilitudinem inter illum fœlicem latronem, & regem compoſuerim. Namq; patibulum exoſum eſt vnicuiq; vbicunq; male habet. Sed, quid faciat, ſi non poſſit ſe inde eripere aut etiā effugere: vel qualicunq; arte cauſam ſuā meliorare ibidem commorando? Debet ergo, velit, nolit, cum mœrore & triſtitia ſufferre, quod patitur. Erat itaq; rex ille multis tribulationum clauis confoſſus, quamuis in regia poteſtate conſtitutus. Nam à 20. ætatis anno vſq; ad 45. quem nunc agit, grauiſſima incogniti doloris infeſtatione inceſſanter fatigatus, ita, vt ne vnius quidem horæ ſecuritatem habeat, qua aut illam infirmitatem non ſuſtineat, aut ſub illius formidine lugubriter prope conſtitutus non deſperet. Præterea aſſiduis exterarum gentium infeſtationibus, quas ſedulo terra mariq; , ſine vllius quieti temporis interuallo ſuſtinebat, non ſine materia inquietabatur. Quid loquar de frequentibus contra Paganos expeditionibus, & bellis, & inceſſabilib⁹ regni gubernaculis? de quotidiana nationū, quæ in Cyrreno mari vſq; vltimū Hyberniæ finem habitant? Nam etiam de Hieroſolyma Abel patriarchæ epiſtolas & dona illi directas vidimus & legimus, de ciuitatibus & vrbibus renouandis, & aliis, vbi nunq̄ ante fuerant, conſtruendis ædificiis aureis & argenteis incōparabiliter illo edocēte fabricatis: de aulis & cambris regalib⁹, lapideis & ligneis ſuo iuſſu mirabiliter conſtructis: de villis regalibus lapideis antiqua poſitione motatis, & in decentioribus locis regali imperio decētiſſime conſtructis. qui maxima (excepto illo dolore) perturbatione & controuerſia ſuorum, qui nullum aut paruum voluntarie, pro communi regni neceſſitate vellent ſubire laborem: ſed tamen ille ſolus diuino fultus adminiculo ſuſceptum ſemel regni gubernaculum, veluti gubernator præcipuus nauē ſuam multis opibus refertam ad deſideratum ac tutū patriæ ſuæ portum, quamuis cunctis propemodum laſſis ſuis nautis perducere contendit: haud ali-

ter titubare ac vacillare, quamuis inter fluctiuagos ac multimodos præſentis vitæ turbines non ſinebat. Nam aſſidue ſuos epiſcopos, & comites, ac nobiliſſimos, ſibiq; dilectiſſimos ſuos miniſtros, nec non & præpoſitos (quibus poſt dominum & regem omnis totius regni poteſtas, ſicut dignum, ſubdita videtur) leniter docendo, adulando, hortando, imperando, ad vltimum inobedientes poſt longam patientiam acrius caſtigando, vulgarē ſtultitiam & pertinaciā omni modo abominando ad ſuam voluntatē, & ad communem totius regni vtilitatē ſapientiſſime vſurpabat & annectebat. etſi inter hæc regalia exhortamenta propter pigritiam populi imperata non implentur, aut tarde incœpta tempore neceſſitatis ad vtilitatem exercentium minus finita non prouenirent (vt de caſtellis ab eo imperatis adhuc non incœptis loquar) aut nimium tarde incœptis ad perfectum finē non perductis: quod hoſtiles copiæ terra mariq; irrumperent, aut, vt ſæpe euenit, vtraq; parte tunc contradictores imperialium diffinitionum inam pœnitentia pene exinaniti verecundabantur. Inanem enim pœnitentiam ſcriptura teſte nomino, qua homines innumerabiles nimio detrimento pluribus inſidiis perpetratis ſæpe perculſi dolent. Sed quamuis per hanc rem (heu, proh dolor) Eulogii miſerabiliter contriſtentur, & perditis eorum patribus, coniugibus, liberis, miniſtris, ſeruis, ancillis, operibus, & omni ſuppellectili flebiliter commoueantur, quid deteſtabilis iuuat pœnitentia, quando nec occiſis ſuis propinquis ſuccurrere valent, nec captiuos ſuos à captiuitate exoſa redimere: nec etiam interdum ſibimet, qui euaſerint, adiuuare valent, quoniam propriam vnde ſuſtentent vitam non habent. Sera igitur pœnitentia nimium attriti pœnitent, & regalia præcepta incurioſe deſpexiſſe dolent, & regalem ſapientiam totis vocibus collaudant, & quod ante refutauerunt, totis viribus implere promittunt: id eſt, de arcibus cōſtruendis, & cæteris communibus communis regni vtilitatibus. De voro quoque & propoſito excellentiſſimæ meditationis ſuæ, quam inter proſpera & aduerſa ſua, nullo modo prætermittere poterat, prætereundum eſſe hoc in loco vtiliter non exiſtimo. Nam, cum de neceſſitate animæ ſuæ ſolito cogitaret, inter cætera diuturna & nocturna bona, quibus aſſidue & maxime ſtudebat, duo monaſteria conſtruere imperauit,

Monaſteria ab Ælfredo condita.

vnum monachorum in loco, qui dicitur *Æthelingaeg*, quod per maxima gronnia paludoſiſſima & intranſmeabili, & aquis vndiq; circumcingitur: ad quod nullo modo aliquis accedere poteſt, niſi cauticis, aut etiā per vnū pontem, qui inter duas alias arces operoſa protelatione conſtructus eſt: in cuius pontis occidentali limite arx munitiſſima præfati regis imperio pulcherrima operatione conſita eſt; in quo monaſterio diuerſi generis monachos vndiq; congregauit, & in eodem collocauit. Nam primitus, quia nullum de ſua propria gente nobilē ac liberum hominem, niſi infantes, qui nihil boni eligere, nec mali reſpuere pro teneritudine inualidæ ætatis adhuc poſſunt,

Monaſtica vita deſerta.

qui monaſticam voluntarie vellet ſubire vitam, habebat: nimirum, quia per multa retroacta annorum curricula monaſticæ vitæ deſiderium ab illa tota gente, nec non & à multis aliis gentibus funditus deſierat; quamuis perplurima adhuc monaſteria in illa regione conſtructa permaneant: nullo tamen regulam illius vitæ ordinabiliter tenente (neſcio quare) aut pro alienigenatum infeſtationibus, quæ ſæpiſſime terra marique hoſtiliter irrumpunt; aut etiam pro nimia illius gentis in omni genere diuitiarum abundantia: propter quam multo magis id genus deſpectæ monaſticæ vitæ fieri exiſtimo: ideo diuerſi generis monachos in eodem monaſterio congregare ſtuduit: primitus Iohannem presbyterum monachum, ſcilicet Ealdſaxonum genere Abbatem conſtituit. Deinde Vltramarinos presbyteros quoſdam & diaconos; ex quibus cum nec adhuc tantum numerum, quantum vellet, haberet: comparauit etiam quamplurimos eiuſdem gentis Gallicæ, ex quibus quoſdam infantes in eodem monaſterio edoceri imperauit, & ſubſequenti tēpore ad monachicum habitū ſubleuari. In quo etiā monaſterio vnū Paganicæ gentis edoctū in monachico habitu degētem, iuuenē admodum, vidimus, nō vltimū ſcil. eorum. Facinus quoq; in eodem monaſterio quodā tempore perpetratum muti taciturnitate ſiletii obliuioni traderem, quamuis indignū facinus eſt: quia per totam ſcripturam impiorum turpia facta, inter venerabiliora iuſtorū, ſicut zizania & loliū in tritici ſegetibus interſeminantur: bona ſcil. vt laudentur, ſequātur, æquiparentur: ſectatores quoq; eorū omni honore venerabili digni habeantur; mala vero vituperentur, execrentur: &, vt omnino effugiātur, Imitatores quoq; eorum omni odio & deſpectione ac vindicta corripiantur. Nā quodā tempore, cū inſtinctu diabolico quidā ſacerdos & diacon⁹ Gallici genere ex præfatis monachis inuidia quadā latenti excitati, contra ſuū abbatem præfatū Iohannem

nimium

nimium latenter in tantũ amaricati ſunt, vt Iudaico more dominũ ſuũ dolo circumuenirent & proderent. Nam duos eiuſdẽ gentis Gallicæ ſeruulos præmio conductos ita fraudulenter docuerunt, vt nocturno tempore, cum omnes delectabili corporis quiete grauiter dormirent, patefactam armati intrarent eccleſiam; quam poſt ſe iterum ſolito more claudebant; & vnicum Abbatis aduentum in ea abſconditi præſtolarentur. Cumq; ſolus ſolito orandi cauſa eccleſiam latenter intraret, & ante S. altare flexis ad terram genubus ſe inclinaret, hoſtiliter irruentes in eum, tunc eum ibidem occidere conabantur: cuius corpus exanime inde trahẽtes ante oſtiũ cuiuſdã meretricis, quaſi illic occiſus eſſet in meretricando, iactarent. Quod etiã machinauerunt, crimen crimini addentes, ſicut dictum eſt. Et erit nouiſſimus error peior priore. Sed diuina miſericordia, quæ ſemper innocentibus ſolet ſubuenire, impiam impiorum meditationem maxima ex parte fruſtrata eſt, quo non per omnia eueniret, ſicut propoſuerant. Omni itaque mala doctrina à malis doctoribus, malis auditoribus elucubratim expoſita, & condicta nocte adueniente atque ſuppetenti, & impunitate promiſſa, latrunculos duos armatos in eccleſia cõcluſerunt, aduentũ Abbatis præſtolantes. Cumq; media nocte Ioannes ſolito furtim nemine ſciente orãdi gratia eccleſiam intraſſet, & flexis genubus ante altare incuruaret, tunc duo illi latrunculi ex improuiſo euaginatis gladiis in eum irrumpunt, & crudelibus afficiunt vulneribus. Sed ille vt ſolito, ac ſemper acris ingenio, &, vt audiuimus de eo à quibuſdam referentibus, bellicoſæ artis non expers; ſi in meliori diſciplina non ſtuderet, ſtatim vt ſonitus latronum audiuit, priuſquam videret, inſurgens acriter in eos, antequam vulneratur, & vociferans quantum poterat, reluctabatur, inclamitans dæmones eſſe, & non homines. Non enim aliter ſciebat; quia nec hoc homines auſos eſſe exiſtimabat. Vulneratus eſt tamen, antequam ſui aduenirent. Sui ergo hoc rumore expergefacti, & etiam audito dæmonum nomine, perterriti vtrique, & inexpertes; & etiam illi Iudaico more domini ſui proditores hinc inde ad eccleſiæ oſtia concurrunt. Sed antequam aduenirent latrunculi præcipiti curſu ad proximantia ſibi grottnæ latibula ſemiuiuum Abbatem relinquentes confugiunt. Monachi vero ſeniorem ſuum ſemiuiuum colligentes cum gemitu & mœrore domum reportauerunt. Sed nec etiam illi doloſi minus lachrymabantur innocentibus. Sed Dei miſericordia tantũ facinus impunitum fieri non permittente, latrunculi, qui hoc perpetrauerunt, omnes tanti ſceleris perſuaſores capti ligatiq;, per varia tormenta morte turpiſſima periere. His ita relatis ad incæpta redeamus. Aliud quoq; monaſterium iuxta orientalem portam Seefteſburg habitationem ſanctimonialium habitabile idẽ præfatus rex ædificare imperauit: in quo propriam filiã ſuam Æthelgeofu deuotã Deo virginem abbatiſſam conſtituit. cum qua etiam aliæ multæ nobiles moniales in monaſtica vita Deo ſeruientes in eodem monaſterio habitant. Quæ duo monaſteria terrarum poſitionibus, & omnib. diuitijs locupletatim ditauit. His ita diffinitis ſolito ſuo more intra ſemetipſum cogitabat, quid adhuc addere potuiſſet, quod plus placeret ad piam meditationem. Non inaniter incæpta, vtiliter inuẽta, vtilius ſeruata eſt. Nam iamdudum in lege ſcriptum audierat, dominum decimam ſibi multipliciter redditurum promiſiſſe; atq; fideliter ſeruaſſe; decimamq; ſibi multipliciter redditurum fuiſſe. Hoc exemplo inſtigatus, & anteceſſorum morem volens tranſcendere, dimidiam ſeruitii ſui partem, diurni ſcilicet, & nocturni temporis: nec non etiam dimidiam partem omnium diuitiarum, quę annualiter ad eum cum iuſtitia moderanter acquiſitæ peruenire conſueuerant, Deo deuote & fideliter toto cordis affectu pius meditator ſe daturum ſpopondit. quod & quantum poteſt humana diſcretio diſcernere & ſeruare, ſubtiliter ac ſapienter adimplere ſtuduit. Sed vt ſolito ſuo more cautus euitaret, quod in alio diuinæ ſcripturæ loco cautum eſt: *Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccas*; quod Deo libenter deuouerat, quomodo recte diuidere poſſet, cogitauit. Et, vt dixit Salomon, *Cor regis in manu domini*, id eſt, conſilium; Conſilio diuinitus inuento omnium vniuſcuiuſque anni cenſuum ſucceſſum bifarie primitus magiſtros ſuos diuidere æquali lance imperauit. His ita diuiſis partem primam ſæcularibus negotiis pertinere addixit. quã etiam in tribus partibus ſequeſtrari præcepit: cuius primam diuiſionis partem ſuis bellatoribus annualiter largiebatur: item ſuis miniſtris nobilibus, qui in curto regio viciſſim commorabantur, in pluribus miniſtrantes miniſteriis. Ita enim ordinabiliter agebatur regalis familiaritas tribus omni tempore viciſſitudinibus. In tribus namq; cohortibus prefati regis ſatellites prudentiſſime diuidebãtur; ita, vt prima cohors vno mẽſe in curto regio die noctuq; adminiſtrãs commoraretur, menſeq; finito, & adueniente

Monachorum facinus in Abbatem.

Ælfredi filia abbatiſſa.

Ælfredi votum.

Diuiſio bonorum per Ælfredum.

alia cohorte, prima domum redibat; & ibi duobus, propriis quiuis neceſſitatibus ſtudens, commorabatur menſibus. Secunda itaque cohors menſe peracto adueniente, tertia domum redibat, vt ibi duobus commoraretur menſibus. Sed & illa finito vnius menſis miniſterio, & adueniente prima cohorte domum redibat, ibidem commoratura duobus menſibus. Et hoc ordine omnibus vitæ præſentis temporibus talium viciſſitudinum in regali curto rotatur adminiſtratio. Talibus itaq; primam de tribus prædictis partibus partem, vnicuiq; tamen ſecundum propriam dignitatem, & etiam ſecundum proprium miniſterium largiebatur. Secundam autem operatoribus, quos ex multis gentibus collectos & comparatos propemodum innumerabiles habebat in omni terreno ædificio edoctos. Tertiam autem eiuſdem partem aduenis ex omni gente ad eum aduenientibus, longe propeque poſitis, & pecuniam ab illo exigentibus, etiam & non exigentibus: vnicuique ſecundum propriam dignitatem mirabili diſpenſatione laudabiliter, & (ſicut ſcriptum eſt, *Hilarem datorem diligit Deus*) hilariter impendebat. Secundam vero partem omnium diuitiarum ſuarum, quæ annualiter ad eum ex omni cenſu perueniebant, & in fiſco reputabantur, ſicut iam paulo ante commemorauimus, plena voluntate Deo deuouit. Et in quatuor partibus etiam curioſe ſuos miniſtros illam diuidere imperauit; ea conditione, vt prima pars illius diuiſionis pauperibus vniuſcuiuſque gentis, qui ad eum veniebant, diſcretiſſime erogaretur. Memorabat etiam in hoc, quantum humana diſcretio cuſtodire poterat, illius S. Papæ Gregorii obſeruandam eſſe ſententiam, qua diſcretam mentionem diuidendæ eleemoſynæ ita dicens agebat: *Nec paruum cui multum: nec multum cui paruum: nec nihil cui aliquid, nec aliquid cui nihil.* Secundam autem duobus monaſteriis, quæ ipſe fieri imperauerat, & ſeruientibus in his Deo (de quibus paulo ante latius diſſeruimus) tertiam ſcholæ, quam ex multis ſuæ propriæ gentis nobilibus ſtudioſiſſime congregauerat, quartam circum finitimis in omni Saxonia & Mercia monaſteriis, & etiam quibuſdam annis per vices in Britannia & Cornubia, Gallia, Armorica, Northhymbris, & aliquando etiam in Hybernia, eccleſiis & ſeruis Dei inhabitantibus, ſecundum poſſibilitatem ſuam aut ante diſtribuit, aut ſequenti tempore erogare propoſuit, vita ſibi & poſteritate ſalua. His ita ordinaliter ab eodem rege diſpoſitis, memor illus diuinæ ſcripturæ ſententiæ, qua dicitur: *Qui vult eleemoſynam dare, à ſemetipſo debet incipere:* etiam quid à proprio corporis ſui & mentis ſeruitio Deo offerret, prudenter excogitauit. Nam non minus de hac re, quam de externis diuinis Deo offerre propoſuit. quinetiam dimidiam partem ſeruitii mentis & corporis, in quantum infirmitas & poſſibilitas, atque ſuppetentia permitteret, diurno ſcilicet, ac nocturno tempore ſuapte totiſque viribus ſe redditurum Deo ſpopondit. Sed quia diſtantiam nocturnarum horarum omnino propter tenebras: & diurnarum propter denſitatem ſæpiſſime pluuiarum & nubium æqualiter dinoſcere non poterat; excogitare cæpit, qua ratione fixa, & ſine vlla hæſitatione hunc promiſſum voti ſui tenorem letho tenus incommutabiliter Dei fretus miſericordia ſeruare poſſet. His aliquandiu excogitatis, tandem inuento vtili & diſcreto conſilio ſuos capellanos coram offerre ſufficienter imperauit; quam adductam ad denarios penſare in bilibri præcepit. Cumq; tanta cera menſurata fuiſſet, quæ 72. denarios penſaret, 6. candelas vnamquamque æqua lance inde capellanos facere iuſſit: vt vnaquæque candela 12. vncias pollicis in ſe ſignatas in longitudine haberet. Itaq; hac reperta ratione, ſex illæ candelæ per 24. horas die nocteque ſine defectu coram ſanctis multorum electorum Dei reliquiis, quæ ſemper eum vbique comitabantur, ardentes luceſcebant. Sed cum aliquando per diem integrum & noctem, ad eandem illam horam, qua anteriori veſpera accenſæ fuerant candelæ, ardendo luceſcere non poterant: nimirum ventorum violentia inflante: quæ aliquando per eccleſiarum oſtia & feneſtrarum, maceriarum quoque, atque tabularum, vel frequentes parietum rimulas, nec non & tentoriorum tenuitates, die noctuque ſine intermiſſione flabat, exardeſcere citius plus debito ante eandem horam finiendo curſum ſuum cogebantur: excogitauit, vnde talem ventorum ſufflationem prohibere potuiſſet, conſilioque artificioſe atque ſapienter inuento,

Lanterna inuentio.

lanternam ex lignis & bouinis cornibus pulcherrime conſtruere imperauit. Bouina namque cornua alba, ac in vna tenuiter dolabris eraſa non minus vitreo vaſculo elucent. Quæ itaque lanterna mirabiliter ex lignis & cornibus, vt ante diximus, facta; noctuque candela in eam miſſa exterius vt interius tam lucida ardebat, nullis ventorum flaminibus impedita: quia valuam ad oſtium illius lanternæ ex cornibus idem fieri imperauerat. Hoc itaque machinamento ita facto ſex candelæ,

vnaquæq; poſt alteram per 24. horas ſine intermiſſione nihil citius, nihil tardius luceſcebant: quibus extinctis, aliæ incendebantur. His ita ordinabiliter per omnia digeſtis, dimidiam, ſicut Deo deuouerat, ſeruitii ſui partem cuſtodire cupiens; & eo amplius augere, in quantum poſſibilitas aut ſuppetentia; immo etiam infirmitas permitteret; tædioſus examinandæ in iudiciis veritatis arbiter exiſtebat; & in hoc maxime propter pauperum curam, quibus die noctuque inter cætera præſentis vitæ debita mirabiliter incumbebat. Nam in toto illo regno præter illum ſolum, pauperes aut nullos, aut etiam pauciſſimos habebant adiutores. Nimirum, quia etiam pene omnes illius regionis potentes & nobiles ad ſæcularia magis quam ad diuina mentem declinauerant negotia. Magis enim vnuſquiſque ſpeciali lucro in ſæcularibus negotiis, quam communi inhiabat. Studebat is quoque in iudiciis etiam propter nobilium & ignobilium ſuorum vtilitatem, qui ſæpiſſime in concionibus comitum & præpoſitorum pertinaciſſime inter ſe diſſentiebant: ita, vt pene nullus eorum, quicquid à comitibus & præpoſitis iudicatum fuiſſet, verum eſſe concederet: qua pertinaci diſſenſione obſtinatiſſime compulſi, regis ſubire iudicium ſinguli ſubarabant: quod & confeſtim ab vtraque parte implere feſtinabant. Sed tamen ille, qui in ſua parte aliquam de illa cauſa iniuſtitiam fieri cognoſceret, ad talis iudicis iudicium, contra voluntatem tamen; quamuis per vim lege & ſtipulatione venire coactus eſſet, voluntarie nolebat accedere. Sciebat enim ibidem nihil ex ſua malitia confeſtim poſſe deliteſcere. Nec mirum. Erat namque rex ille in exequendis iudiciis, ſicut in cæteris aliis omnibus rebus diſcretiſſimus indagator. Nam omnia pene totius ſuæ regionis iudicia, quæ in abſentia ſua fiebant, ſagaciter inueſtigabat, qualia fierent: iuſta aut etiam iniuſta: aut vero ſi aliquam in illis iudiciis iniquitatem intelligere poſſet; leniter aduocatos illos ipſos iudices, aut per ſeipſum, aut per alios ſuos fideles quoſlibet interrogabat, quare ita nequiter iudicaſſent; vtrum per ignorantiam, aut propter aliam quamlibet maleuolentiam; id eſt, vtrum pro aliquorum amore vel timore; aut aliorum odio, aut etiam pro alicuius pecuniæ cupiditate. Denique ſi illi iudices profiterentur propterea ſe talia ita iudicaſſe, eo, quod nihil rectius de his rebus ſcire poterant; tunc ille diſcrete & moderanter illorum imperitiam & inſipientiam redarguens aiebat, ita inquiens: Nimium admiror veſtram hanc inſolentiam, eo, quod Dei dono & meo, ſapientum miniſterium & gradus vſurpaſtis, ſapientiæ autē ſtudium & operam neglexiſtis. Quapropter aut terrenarum poteſtatum miniſteria, quę habetis, illico dimittatis: aut ſapientiæ ſtudiis multo deuotius docere vt ſtudeatis, impero. Quibus auditis verbis perterriti, veluti pro maxima vindicta correcti comites & præpoſiti ad æquitatis diſcendæ ſtudium totis viribus ſe vertere nitebantur; ita, vt mirum in modum illiterati ab infantia comites pene omnes; præpoſiti ac miniſtri literatoriæ arti ſtuderent: malentes inſuetam diſciplinam quam laborioſe diſcere, quam poteſtatum miniſteria dimittere. Sed ſi aliquis liberalibus ſtudiis aut pro ſenio, aut nimia inuſitati ingenii tarditate proficere non valeret, ſuum, ſi haberet, filium, aut etiam aliquem propinquum ſuum, vel etiam, ſi aliter non habeat, ſuum proprium hominem liberum vel ſeruum, quem ad lectionem longe ante promouerat, libros ante ſe die nocteq;, quandocunq; vnquam vllam haberet licentiam, Saxonicos imperabat recitare: & ſuſpirans nimium intima mente dolebat, eo, quod in iuuentute ſua talibus ſtudiis non ſtuduerat, fœlices arbitrantes huius temporis iuuenes, qui liberalibus artibus feliciter eruditi poterant: ſe vero infelices exiſtimantes, qui nec hoc in iuuentute didicerant, nec etiam in ſenectute: quamuis inhianter deſiderarent, poterant diſcere. Sed hanc ſenum iuuenumq; in diſcendis literis ſolertiam ad pręfati regis notitiam explicauimus.

Ælfredus pauperum tutor ſolus.

Ælfredus iudex integer.

Seueritas in iudices ineſcientes.

. Anno Domini 900. Ælfredus veridicus, vir in bello per omnia ſtrenuiſſimus, rex occidentalium Saxonum nobiliſſimus, prudens vero & religioſus atq; ſapientiſſimus, hoc anno, poſtquam regnaſſet 29. annis & dimidium ſuper totam Angliam, præter illas partes, quæ ſubditæ erant Dacis, cum magno ſuorum dolore viam vniuerſitatis adiit, die 7. Kalend. Nouemb. anno regni ſui 29. & dimidio, anno vero ætatis ſuæ 51. indictione 4. Qui apud Wintoniam ciuitatem regalem decenter & regali honore eſt ſepultus in eccleſia S. Petri Apoſtolorum principis. Mauſoleum quoque ipſius conſtat factum de marmore porphyrio precioſiſſimo. De cuius regimine laborioſo hos verſus proloqui dignum duxi:

Ælfredi mors

Nobilitas innata tibi, probitatis honorem

Henr. Hūtingd.

Armi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Armipotens Ælfrede dedit, probitaſque laborem;
Perpetuumq; labor nomen: cui mixta dolori
Gaudia ſemper erant: ſpes ſemper mixta timori.
Si modo victor eras, ad craſtina bella pauebas:
Si modo victus eras, & craſtina bella parabas.
Cui veſtes ſudore iugi; cui ſica cruore
Tincta iugi: quantum ſit onus regnare probarunt.
Non fuit immenſi quiſquam per climata mundi,
Cui tot in aduerſis vel reſpirare liceret:
Nec tamen aut ferro contritus ponere ferrum,
Aut gladio potuit vita finiſſe labores.
Iam poſt tranſactos vitæ regniq; dolores,
Chriſtus ei ſit vera quies, ſceptrumq; perenne.

Hic Ioannes Aſſer Epiſcopus Sciréburnenſis ſcripſit Ælfredi res geſtas, & annales Britanniæ. Huius Aſſeri Annalibus vetuſtus quidam author paralipomenon addidit, & eum obiiſſe ſcribit Anno Domini 909.

F I N I S.

TESTAMENTVM ÆLFREDI REGIS.

EGo Ælfredus diuino munere, labore ac ſtudio Athelredi Archiepiſcopi, nec non totius Weſtſaxoniæ nobilitatis conſenſu pariter & aſſenſu, occidentalium Saxonum rex, quos in teſtimonium meæ vltimæ voluntatis complementi, vt ſint aduocati in diſponendis pro ſalute animæ meæ, regali electione confirmo tam de hereditate, quam Deus ac principes cum ſenioribus populi miſericorditer ac benigne dederunt, quam de hereditate, quam pater meus Æthelwulfus rex nobis tribus fratribus delegauit, videlicet Æthelbaldo, Ætheredo, & mihi; ita, quod qui noſtrum diutius foret ſuperſtes, ille totius regni dominio congauderet. Et ſi contigerit, quod Æthelbald primogenitus patris noſtri primus in fata deceſſerit, tunc recognoſcat Ætheredus cum totius Weſtſaxoniæ nobilitate; quod ſint nobis in teſtes de noſtræ portionis in regno participatione, in die coronationis Ætheredi regis, quem in regem ſuper nos poſt mortem Æthelbaldi fratris noſtri primogeniti erigere toto noſtro conamine inſiſtemus, ſecundum aſſecurationem, quam nobiſcum fideliter fecit; videlicet, quod idem rex Ætheredus noſtras diſtributiones nobis eſſe permitteret; ſicut eas habuimus ante ipſius Ætheredi fratris noſtri poſtgeniti coronationem. Fidelitas vero nobiſcum ab ipſo promiſſa de hereditaria diſtributione, erat modo conſimili confecta; videlicet, quod de terris & dominiis, quæ rex ipſe Ætheredus omni noſtro iuuamine, & poteſtate, hominumque noſtrorum ſibi adquiſierit: & etiam de dominiis, quæ ſibi iure hereditario contingunt, nobis fraternali affectione competenter impartiretur. Veruntamen, ſi contigerit, quod Ætheredus ſuccedat in regnum; idem & ipſe compromitteret. Quando vero ita Deus diſpoſuit, vt Ætheredus regali diademate coronaretur, tũc ipſum Ætheredũ rogaui corã omnibus teſtibus noſtris, videlicet quod de ſua hereditate nobis impartiri recognoſcat; & quod mihi meam diſtribuat partem. Ipſe vero his auditis ſtatim mihi reſtitit conteſtans, ſe hoc non poſſe; nec agere vellet, vt impartiatur. ex quo illud tam diutino tempore in propria retinuit poſſeſſione. Hoc tamen mihi ſpoponderat; quod terras & dominia, quæ ipſe nobis auxiliantibus, & populo noſtro in ſuam ditionem perquiſiuerit; & hereditatem, ad quam naſcitur, poſt dies ſuos nemini in poſſeſſionem daret, vt ſuæ congauderet hereditati, ſolummodo me excepto: ſicque querimoniam contra fratrem remiſi per verba prædicta complacatus. Si vero contigerit (quod abſit) quod nos omnes impiiſſimorum Paganorum in manus inimicorum noſtrorum Danenſium inciderimus; tunc nobis eſt ſpecialiter recognoſcendum, diſponere ſalubriter pro filiis noſtris, quod vnuſquiſque eorum ſucceſſiue vnus poſt alium noſtrum hereditatem poſſideat, & terris ac poſſeſſionibus noſtris congaudeat; quemadmodum ipſa hereditas, terræ, poſſeſſiones & dominia nobis condonata fuerunt. Propterea in vnum congregati ſumus apud Suinburnam, vbi pronunciauimus in cognitione totius Weſtſaxoniæ principum, dominorum ac ſeniorum, quod ipſi fideliter teſtimonium perhibeant: videlicet, quod quis noſtrum diutius ſuperuiuerer, quod ipſe legat alterius filiis ipſas terras, quas noſmet ipſi noſtra virtute ac poteſtate conqueſti ſumus, & terras ipſas, quas rex Æthelwulfus nobis donauit; dummodo Æthel-

bald

bald fuerat ſuperſtes, præter illud quod nobis tribus fratrib. pater noſter rex Æthelwulfus delegauit. Et ſuper hoc vnuſquiſq; noſtrũ alteri fidem firmauit, quod quis noſtrum diutius vitam viueret, quod ipſe alterius terras poſſideret, & dominia, & omnia, quæ ſui erant, præter illam partem, quam vterque noſtrum filiis alterius legauit. Et ſi contingat, quod Ætheredus rex viam vniuerſæ carnis fuerit ingreſſus, ex tunc præter me non eſt quis, qui ſuper hereditatem ſcripturam babeat vel teſtimonium; nec quod ſit aliquis alius heres præter me. Quod ſi aliquis hereditatem prædictam acclamauerit, ius ſuum perdet, niſi citius de boc teſtes adducat. Et tunc audiui, quod omnes cognati mei in ſoporem mortis reſoluti erant. Et ita hereditas Æthelwulfi regis patris mei ad me deuoluta eſt per chartã inde confectã, in cõſilio noſtro generali apud Langdene. quam quidẽ chartã libere legere iuſſi corã teſtibus totius Weſtſaxoniæ. Quando vero relecta fuerat, tunc mandaui illos omnes, qui aderant, & ſecuritatẽ mihi facere præcepi pro meo amore, ſi vnquã audient de aliquo vel cognoſcerẽt, qui de hereditate mea aliquod ius acclamare iuſte poſſet; q́ nunquã ad meum auditũ antea peruenit. Et iterum locutus ſum ad eos in hæc verba: Rogo vos dilectiſſimi, q́ nemo pro amore aut odio mei parcat veritatẽ annunciare, ſed ſummopere conſentiat veritati. Quia mea voluntas nõ eſt, aliquẽ meorũ conſanguineorũ in aliquo diſhæritare. Et tunc omnes principes & ſeniores populi mei ſub firma atteſtatione dixerũt, quod nunquã ad eos deuenit notitia de aliquo, qui iuſtiorẽ haberet titulũ, quam ego: nec cogitare nouerunt de aliquo, neq; in ſcripturis inuenire potuerunt, & in ſeiſinã meæ hereditatis me iterũ imponentes dixerunt: Ecce, iam habes tuam hereditatẽ iterum in manibus tuis. Nunc de bonis & poſſeſſionib. conde teſtamentũ tuum; lega & dona tuo proximo ſanguini vel amicis tuis & cognatis ſicut tibi placuerit. Et omnes illi firmitatẽ irreuocabilẽ mihi fecerunt, & ſubſcripſerunt, ipſos nunquã hereditatẽ meam alicui homini aliter peruertendo daturos, præter quam egomet legabo die proximo iam inſtante. Vnde ego Ælfredus diuino munere occidentalium Saxonum rex, præſentibus teſtibus intentionem meæ vltimæ voluntatis in præſentiarũ profero, vt implementum ſortiatur poſt proprium in fata deceſſum. In primis concedo meo ſeniori filio Edouardo illas terras apud Stratnet in Triconſchire & Hortingtune cum tota libera terra, quã Leofus à nobis perantea tenuit apud Catentune, & apud Kiſantune, & apud Burnham, & apud Wedmore. Inſuper ego confirmo cuſtodi de Leodre, quod ipſe illud habeat ſecundum aſſignationem à vobis prælocutam, cum terra illa apud Kintune, necnon cum omnibus ad illud pertinentib. Vlterius prædicto concedo cuſtodi terras illas apud Kantune, & apud Bedewind, & apud Beneſey, & apud Huſſebutne, & apud Suttune, & apud Leodtian, & apud Altune, cum omnib. liberis terris, quas in Cantio poſſidemus, & apud inferiorem Huſſeburn, & apud Kyſeldene. Do illas terras meo principaliori ſeruienti apud Wintoniã, ſecundum aſſignationẽ; ſecundum quã illud pater meus prędicto ſeruienti per prius quam affectuoſe delegauit. Alterũ vero feodũ, quem ego Egulpho dedi vſq; ad certũ tempus apud inferiorẽ Huſſeburne, pręnominato ſeruienti concedo. Inſuper do meo iuniori filio terras illas apud Ederingtune, & apud Dene, & apud Mene, & apud Ambreſbiry, & apud Done, & apud Stureminſter, & apud Zeule, & apud Cruerne, & apud Withchurch, & apud Axanmuthe, & apud Brãneſcumbe, & apud Columtune, & apud Tiryfird, & apud Milleburne, & apud Exammynſter, & apud Suthwinthe, & apud Lintune, cũ omnib. terris ad illud pertinentibus: quæ ſunt omnes, quas ſub cœlo ibidẽ poſſideo; ſolummodo Tryconſchire excepto. Inſuper meæ filiæ concedo primogenitæ villam de Welero; & meæ filiæ poſtgenitæ cõcedo villã de Clere, & de Condeuere; & meę minori filiæ villã de Welige, & de Asketune, & de Chippenã. Athelmo vero fratis mei filio do villã de Edingburn & de Cumptune, & de Erundele, & de Bedingn, & de Dinghã, & de Burnham, & de Thumesfelde, & de Aſchõgum. Et frat. mei filio Æthelwaldo cõcedo villã de Godelming, & de Guldeford, & de Stemingham. Et Oſfertho cognato meo do villã de Beccaule, & de Ritherãfeld, & de Diccanlingũ, & de Suttune, & de Bullingminſter, & de Angemeringũ, & de Feltham; nec non & omnes terras ad illud pertinentes. Inſuper concedo Alſwytho villam de Lamborne, & de Wantingh, & de Ethandune. Præterea duobus filiis meis libras lego mille: cuilibet eorum 500. libras. Et primogenitæ meæ, poſtgenitæ, & minori, nec non Alſwitho; ipſis quatuor lego libras 400. cuilibet eorũ 100. libras. Vlterius cuilibet armigerorũ meorum 100. marcas. Singulis eorũ p ſe 100. marcas. Veruntamẽ cõcedo Athelmo, Æthelwaldo & Oſfertho ẽt cuilibet eorũ 100. marcas. Inſup do Æthelredo principi militię meę vnũ gladiũ, & 2000.

marcas.

marcas. Et meo ſequeſtri, cum quo iam Paſcha imminente pactum firmaui, do ducentas libras, vt ipſe det & diſtribuat inter omnes illos, vbi placitum eſt ſibi ſubire ſepulchrum, ſecundum diſpoſitionem, quam egomet ſibi ad præſens conficio. Inſuper Archiepiſcopo do centum marcas; & Eſno epiſcopo, & Werfertho epiſcopo, & Aſſero epiſcopo de Schiteburn; cuilibet eorum centum concedo marcas, ad dandum & diſtribuendum pro me & patre meo. Et preter hoc, quod ipſe perantea aſſignabat, etiam ego aſſigno ducẽtas libras, quinquaginta presbyteris per totũ regnum meum: & 50. ſolidos cuilibet Deo ſeruienti per totũ regnũ meum: & 50. ſolidos ad diſtribuendum inter pauperes: & 50. ſolidos eccleſiæ, in qua corpus meum traditur ſepulturæ. Et vltra iſta neſcio vtrum plus fuerit ad legandum. Speto te vera, quod plus non fuerit inuentum. Si vero plus repertum ſit, diſponatur prout ſuperius diſponẽdum cenſuimus. Et volo, quod armigeri mei cũ valectis, & omnes, qui cũ ipſis in ſeruitio meo exiſtunt, iſta diſtribuant modo ſupradicto: nec alio modo diſtribuant, quam ſuperius præſcripſimus, coram herede meo: cui præ cæteris maiorem quantitatem de bonis & poſſeſſionibus meis prælargitus ſum; ſecundum quod donare potui. Et tali conceſſioni multi nobiles conſcripſerunt; & coram præſentibus omnibus his teſtibus iſtæ donationes & conceſſiones in ſcriptis erant redactæ. Et modo principibus regni mei dedi in mandatis, omnibus videlicet, qui inueniri poterant, quod illi impedimentum non inferant: quoniam voluntas mea de prædictis implẽdi capiat effectum diuina fretus virtute. Et volo, quod illi homines, qui prædictas poſſident terras, obſeruent verba, quæ de patris mei hereditate rediguntur in ſcriptis, in quantum poſſunt, & in quantum de futuro firmius poterunt. Etiam volo, quod, ſi ego alicui dedi, vel feodum aliquem ad tempus accommodaui; quod illi meis cognatis, vel ſuis illud oſtendant. Inſuper volo, quod illi homines, quibus ego meas liberas terras delegaui; non alienent illas à mea cognatione, vltra dies ſuos; & volo, quod tranſeant, diebus ſuis meæ propinquiori cognationi; niſi ex ſeipſis procreati fuerint filii legitimi. Et tunc ex meo beneplacito permaneant virili ſexui, ab ipſis progenito; quamdiu vnus ex eis vixerit ſuper terram. Nam & pater meus eodem modo ſuam legauit hereditatem. Quod ſi aliquo modo accidet; vt perueniant terræ prædictæ in manus mulierum; tunc volo, quod poſt obitum earum reddantur conſanguinitati meæ virili ex earum viſceribus deſcendenti; ſi ita fuerit, quod ipſas has terras vita comite in propriis manibus retinere voluerit. Si vero aliter acciderit, tunc vltra dies ſuos fiet ita, ſicut per prius delegauimus. Vlterius dico, quod reddatur ab ipſis pro ſuſtentatione victus conſanguineorum meorum, quibus oportet me prædictas terras legare; vtrum ſint maſculi vel fœminæ, ſecundum quod mihi melius videtur. Et ego in nomine Domini exhortor, & in nomine omnium ſanctorum, quod nemo conſanguineorum meorum in poſterum contra aliquem meæ conſanguinitatis laboret quouis modo; quoad ea, quæ ego ipſis dedi per antea pariter & legaui. Et mecum tota nobilitas Weſtſaxonicæ gentis pro recto iure conſentiunt; quod me oportet dimittere eos ita liberos; ſicut in homine cogitatio ipſius conſiſtit. Et ego pro amore Dei, & pro ſalute animæ meæ, volo, quod ipſi ſint in poſſeſſione libertatum ſuarum; & omnis cognatio eorum. Et ego in nomine Dei ſacri in mandatis committo; quod ipſis nemo contradicat; neque cum armis, poteſtate, nec virtute, neq; alio reſiſtendi modo; quod illi non poterunt ſeiſinare, vel introducere quemcunque illis placuerit in eorum terras, poſſeſſiones & dominia. Et volo, quod homines mei dent domino de Domraham ſuas terras liberas, & ſuas libertates, ſic, quod ipſi ſeiſinent quemcunque illi placuerit pro me & pro Elfleda; & pro amicis ſuis, quibus ipſa gratitudines tenetur impendere; & pro viuorum ac defunctorum omnium neceſſitates habentium ſalute; & quod habeant illas, vt poſſint ſtare pro animæ meæ ſalute; & quod talis pia donatio ſit in remiſſionem omnium peccatorum meorum; & ita deſiderans altiſſimum humiliter deprecor; vt mea delicta & eorum pœnas mihi miſericorditer relaxet; AMEN.

This is the preface hovv S. Gregorie this booke made, vvhich
This is ſeo foreſpræc hu S. Gregorius thas boc gedihte, the
men te Paſtoral doe call.
man Paſtolem nemnath.

Ælfred Kyng wysheth greetyng to Wulfſige Bishop hys worthy louely & frendly
Ælfred Kyning hateth gretung Wulfſige Biſceop his worthū luſlice & freōdlice, alias gretan.
& thee to know I will, that to me it comth very often in mynde, wat maner of wiſemē long ſince we-
& the cythā hate, that me com ſpithe oft on gemynd, hwylce ſitan geo weton geond
re troughout the English natiou both of the ſpirituall degree as of the tēporaltie, & how happy the ti-
Angelcyn, ægther ge godcundra hada ge woruldcundra, & huge ſæliglica tida tha
mes thē were amōgſt all the English natiō, & how the kinges which thā the gouernmēt had of the peo-
wæron geond Anglecyn, & hu tha cyningas the thone anweald hærdon thæs folces:
ple, God & his well writtē they obeyed, & how they both in theyr peace & in theyr expedition of war,
Gode & his ærynd writum hyrſumodō, & hu hi ægther ge heora ſybbe ge heora ſydo,
& in theyr gouerning within borde or at home helde & alſo without their noblenes did ſpread, & how
& ge heora anweald innan borde gehealdon & eac vt hira ethel rymdon, & hu him
they then ſped, aſwell in witte as in wiſdome. And alſo the deuine orders hovv ear-
tha ſpeow, ægther gemid wige gemid wiſdome. And eac tha gotcundā hadas hu ge-
neſt they were aſwell about preaching, and about learnyng, & about all the ſeruices
orne hi wæron ægther ge ymbe lara, ge ymbe leornunga, & ymbe ealle tha theowdo
that they to God thould do. And how men out abroade wiſdome & doctrine hither in this lād ſought,
mas the hy gode ſceoldō, & hu man vt on borde wiſdome & lare hider on land ſohte,
& how we the ſame now muſt abroad get, if we them haue shall. So cleane it was
& hu we hi nu ſceoldon vte begitan; gif we hi habban ſceoldō. Swa clæne heo wæs
fallen amongſt the English nation, that very few were on this ſide Humbre which their
othfeallen on Angelcynne that ſwithe feawa wæron be heonan Humbre the hira
ſeruice could vuderſtand in English, or els furthermore an epiſtle from latin
thenūge cuthon vnterſtādan on Engliſc; oth the furthon an ærendgewryt of ledene
into English to declare, & I vvene that not many beyond humbre vvere not. So fevv of
on Engliſc areccan, & ic wene that naht monige begeondā hūbre næron. Swa feawa
them vvere, that I alſo one onely may not remember by ſouth Thamiſe vvhen as I
heora wærō; that ic furthō ā ne ænlepne ne męg gethencā beſuthā Thamiſe tha tha ic
to reigne undertoke. God almyghty be thanked, that vve novv any in ſtall haue a teacher.
to rice feng. Gode ælmightigū ſy thanc, that we nu ænigne an ſteal habbath lateowa.
Therfore I thee bid, that thou do as I beleue that thou vvilt, that thou vvith theſe vvorl-
Forthā ic the beode, that thu do ſwa ic gelyfe that thu wille, that thou the thiſſe wor-
dly thinges to them poureſt out, as thou oftneſt mayeſt, that thou that vviſdome vvhich to thee God
uld thinga to thā geæmtige, ſwa thu oftoſt mæge, that thu thone wiſdōe the the God
geueth vvhere ſoeuer thou to them beſtow may thou beſtovv. Thinke vvhat maner of punishments
ſealde thær thær thu hine befæſtan mæge befæſt: gethænc hwilce withu vs tha
to vs then shall comen for this vvorld, vvhen as vve it neyther our ſelues haue loued, ne alſo to oth-
becomon for thiſſe woruld; tha tha we hit na hwæther ne ſelfe, ne lufedon; ne ac oth-
er men haue left it. The names only, vve haue loued, that vve Chriſtians vvere, & very
rum mannū ne lyfdō. Thone namā anne we lufdon, that we Criſtene wærō, & ſwithe
fevv the duetiet. Whem I this all do mynde, then bethought I alſo hovv I ſavv before ſuch
feawa tha theawas. Tha ic this eal gemūde, tha gemunde ic eac hu ic geſeah ær tham
tyme as it all ſpoyled vvas & burned, hovv the churches troughout all the English nation ſtode
the hit eal forheregod wære, & forbærned; hu tha circan geond eal Angelcyn ſtodon
vvith ornamēts & bookes filled & alſo with a great multitude of gods ſeruātes, & thē very lytle fruite
mathma & boca geſylled; & eac micel męniu godes theawa, & tha ſwithe lytle feorme
of their bookes vviſt they, bicauſe that they of then no thyng vnderſtand might, bicauſe that they
thara boca wiſton; fortham the hi hira nanthing ongitan ne mihton, fortham the hi
vvere not in their ovvn countrey lāguage vvrittē. Euen ſo they ſayd our elders the which theſe places
nærō on hira agēge theode awritene. Swilce hi crædō vre yldrā tha the thas ſtowa ær
before helde, they loued vviſdome & trough the ſame they gate vveale & to vs left it. Here a man
heoldon, hi lufedon wiſdome & thurh thone hi begetō welan & vs læfdon. Hęr mon
may yet ſee theyr ſvvathe, but vve them cannot after enquire, becauſe vve haue
mæg gyt geſęon hira ſwęth, ac we him ne cumō æfter ſpyrgean; fortham we habbath

both let go aſvvell vvelth as alſo vviſdome , for that then vve vvould not to the vievv
ægther forlæton gé thone welagethone wiſdō, forthā the we noldon to tham ſpore
vvith our mynde ſtoupe. When I then this all mynded, *then vvondred I greatly at theyr god-*
mid vre mode on lutā. Tha ic tha this eall gemūde, tha vvundrode ic ſvvite thęra go-
ly vviſemē vvhich long ago vvere troughoud the english nation, & thoſe bookes fully all leornet had,
dera vvitena the geo vvęrō geōd Angelcyn, & tha bec be fullā ealle geleornod hęfdō,
that of then then no part they vvoult not into their ovvn country ſpeech turne, but I thē quickly again
tha hira tha nañe dęl noldō on hira agēge theode vvendā, ac ic tha ſona eft me ſylfum
my ſelfe aunſvvered, & ſayd: they vveened not that euer men should ſo retchleſſe become , & this
andvvyrde, & cvvęth: hi ne vvendō that æfre men ſceoldō ſvva recelaſe vvurdā, & ſeo 1
learning ſo decay. Therfore vvillingly they it let alone , & vvould that heare the more vviſ-
lar ſvva othfeallā. Forthęre vvil nūge hi hit forletō, & vvoldon that her the mara vviſ-
dome in this land vvould be, as vve more languages they underſtode. Thē remēbred I hovv the lavv
dome on lande vvęre, thi vve mage theoda euthō. Tha gemūde ic hu ſeo æ vvæs æryſt
vvas firſt in the Hebrue ſpeach found, & after that the Greekes had learned it, then turned they it into
on Ebreiſc getheode fundō, & eſt tha Crecas geleornodō; tha vvendon hi hit on hira
theyr ovvne ſpeech vvholly, & alſo all other bookes, & again the latine people as ſoone as after they it
agenge theode ealle, & eac ealle othra bec, & eſt lede mare ſvva ſome ſith than hi hic
had learned they translated it vvholly throug vviſe interpreters, in to their ovvne language, & eke
geleornodō, hi vvendō ealle thurh vviſe vvealhſtodas on heora agēge theode, & eac 2
all other chriſten people ſome part therof in to theyr ovvne tonge haue turned. Therfore me
alle othra criſtene theoda ſumne dęl hira on hira agēge theode vvendon. Forthi me
thinketh better if you ſo thinke, that vve alſo ſome bookes vvhich demed moſt nedefull
thingth betere gif geovv ſvva thincth, that vve eac ſume bec tha themed be thyrfyſta
be for all men to underſtand, that vve them into that language turne that vve all knovv
ſyn eallū mannū to vvitañe, that vve tha on that getheode vvēdon the vve ealle gee-
may , & bring to paſſe , as vve very eaſily may vvith gods helpe if vve than quiet-
navvā mægē, & gedō ſvva vve ſvvithe eathe magō mid godes fultume, gif vve tha ſtyl-
nes haue, that all the youth that novv is in te english nation of freeborne men , ſuchas
neſſe habbath, tha eall ſeo geoguth the nu is on Angelcynne freora manna, thata the 3
that vvealth haue that they them maintayne may be to learnyng committed, that vvhile that they
tha ſpeda hębbē, that hi thā befeolā męgen ſyn to leornūga othfęſte, tha hvvile the hi
none other occupation can, untill firſt that they vvill conne english vvriting to read. Let
nanre otherre nōte nemægē, oth fyrſt the hi vvel cumen engliſc gevvrit arędā. Læte-
teachmen aftervvord further in latin ſpeech, tho ſo that men further teach vvill, & to higher
mon ſith than furthor on ledē getheode, tha the man furthor lęran vville, & to herrā
degree do vvill When I mynde hovv *this learning of the latine tonge before this fallen vvas*
hade don vville. Tha ic gemunde hu ſeo lat leden getheodes æt thy ſum afe allen vvęs
troughoud the english natiō. & though mony could skill the english vvriting to read. Then began Io-
geond Angelcyn, & theah manega cuthon engliſc gevvrit arędan. Tha ongan ic ge- 4
mongſt other diuers & manifold buſineſſes of this kingdome , this booke to vvinde into en-
mong othrū miſlicū & monigfealdū biſgū thiſſes kynerices tha boc vvendan on en-
gliſh that is named in latin Paſtoralis , & in english the Hardmans booke, ſomtime vvord by
gliſc the is genemned on leden Paſtoralis, & on engliſc hirde boc; hvvilum vvord be
vvorde, ſomtime underſtanding for unterſtanding euen as I them had leorned at Plegmūd myne Ar-
vvorde, hvvilū andgit of andgite; ſvva ſvva ic hi geleornode æt Plegmunde minū Ær-
chebishop , & at Aſſere my Bishop , & at Grimbolde my maſſe prieſt , & at Iohn
cebiſcope, & æt aſſere minon Biſcope, & æt Grimbolde minū meſſe preoſte, & æt Io-
my maſſe prieſt. After that I of then than leorned had ſo as I then underſtode
hanne minū mæſſe preoſt. Sith than ic hi tha geleornod hęfde ſvva ſvva ic hi forſtod 5
hovv I to them moſt underſtandingly might, I them into english turned: & to eche bishops ſea
ſwa ic hi andgitlicoſt arrecā meahte, ic hi on engliſca vvende: & to ælcun biſcep ſtole
in my kingdome vvill one ſende , & upon echt one there is a ſtile that is of fifti markes,
on minū rice vville ane onſendā, & on ælcre bith an æſtel ſe bith on fiftigū manceſſa,
& I bid in gods name , that man that ſtyle from theſe bookes take not , nor the bookes
& ic bebeode on godes naman, that man thone æſtel fram thęre bec ne do, ne tha boc
from the ſame mynſtre, unknovvn hovv long there ſo learned bishops be. So as novv god be
fram thā mynſtre, vncuth hu lange thęr ſvva gelęrede biſcepas ſyn. Svva ſvva nu gode
thanked

Digitized by Google

thanked euery vvhere there are. Therfore I vvould that they alvvayes at theyr places vvere,
thanc vvel hvvat ſindon. For thi ic vvolde that hi ealne vveg æt thęre ſtovve vvęren,
except the bishop them vvith him haue vvill , or els they to ſome place lende be, vntil that ſome
buto ſe biſcop hi mid him habban vville, oth the heo hvvæt to lænе ſy, oth the hvva
other be vvriten out.
othre bi vvrite.

Liber loqvitvr.

This vvriting Auguſtine ouer the ſalt ſea from the ſouth brought , to thinhabitantes of the
This ærynd gevvrit Auguſtinus ofer ſealtne ſæ ſuthan brohte, egbugendū ſvva
land, euen as it befor prepared had te Lordes ſeruāt of Rome the Pope right vicar ruling Gregory of diſ-
hit ær fore adiht no de drihtnes eempa Rome Papa tihtſpel monig Gregorius gleavv
crete courage vvithout fury, through ſenſes, vviſdome, pollicy a free horde. Bicauſe he of mankinde the
mod geond vvod thurh ſefan, ſnytro, ſcaro, thanca hord. Forthā he mancynnes męſt
moſt begat to heauen vvarde, of Romaynes the beſt man, of courage vvealthieſt, of povver moſt free.
geſtrinde wodera vvearde Rommarena berſt maña, mod weligoſt męrtha gefręgoſt.
After that me into engliſh Ælfred the king turned vvorde eche one , & me to his vvriters
Sith thā me on engliſc Ælfred cyning avvende worda gehvvilc, & me his vvriterum
ſent, Sout & North. To that ende he commaundet them ſuch lyke me to bryng after theyr copy that
ſende. Suth & North. Forrham he het him ſvvilcra ma brengan be thære byſyne that
he to his bishops ſend them might, becauſe they to certayn of his bishops vvere nedefull, vvhich the la-
he his biſcopum ſendā meahte, fortham hi his ſume be thorftan tha the leden ſpręce
tin ſpeech leſt underſtood.
læſte cuthon.

HAEC EST PRAEFATIO (OSTENDENS) QVEMADMODVM *Sanctus Gregorius hunc librum fecit, quem homines Paſtorale nuncupant.*

ÆLFREDVS Rex optat ſalutem Wulfſigeo epiſcopo digniſſimo beneuole & amanter. Et te ſcire volo, quod mihi ſæpenumero in mentem venit, quales ſapientes abhinc extiterunt in Anglica gente, tam de ſpirituali gradu, quam de temporali, quamque felicia tum tempora fuerunt inter omnes Angliæ populos, quemadmodumque reges, qui tunc gubernationem habebant plebis, Deo & eius voluntati ſcriptæ obſecundarint, vtque in ſua pace, & bellicis ſuis expeditionibus, atque regimine domeſtico, domi ſe ſemper tutati fuerint, atque etiam foris nobilitatem ſuam dilatauerint; quomodoque tunc temporis tam ſapientia quam prudentia floruerint. Præterea de gradu ſpirituali homines, quam diligentes fuerint tam docendo, quam diſcendo, omnibuſque officiis (exequendis) quæ Deo præſtare debebant. Inſuper quemadmodum extranei ſapientiam & doctrinam hic in hac noſtra terra quondam quæſierint: noſq; iam (verſa vice) peregrinari oportet ad eam adipiſcendam, adeo funditus concidit apud gentem Anglicanam, vt pauciſſimi fuerint cis Humbrum, qui vel preces ſuas communes in ſermone Anglico intelligere potuerant, vel ſcriptum aliquod è Latino in Anglicum transferre. Tam ſane pauci fuerunt, vt ne vnum quidē recordari poſſim ex auſtrali parte Thameſis, tū cum ego regnare occæperam. Gratiæ Deo omnipotenti ſint, quod nunc tandem aliqui in ſede ſint, qui docere queunt. Quamobrem te iubeo vt facias (quemadmodum te facturum credo) nimirum vt tu, qui mundana hæc illis profundis quam potes ſæpe, eam ſapientiam, quam tibi Deus largitus eſt, illis, vbicunque poteris, viciſſim impertias. Cogita, quales pœnæ ſuper nos tandem venturæ ſunt propter hunc mundum, cum neque noſmetipſi ſapientiam adamauerimus, neque eam aliis reliquerimus. Nomina tantum diligimus, quia Chriſtiani nuncupamur, pauciſſimi vero officiis Chriſtianorum defungimur. Hæc omnia, quoties in memoriam reuoco, ſubit etiam cogitatio, quemadmodum cuncta hic in Anglia viderim, priuſquam deleta fuiſſent omnia & incenſa, vtpote templa per omnem Anglicanam gentem ſteterint ornamentis, & libris inſtructa, magnaque inſuper multitudine ſeruorum Dei repleta. Quamuis certe fructum perexiguum ex libris ſuis perceperint, quandoquidem intelligere illos nequibant, eo, quod patrio ſermone neutiquam conſcriberentur. Qui quidem hac oratione vſi ſunt. Maiores noſtri, qui hæc quondam loca obtinuerunt, ſapien-

ſapientiam adamauerunt, & per illam opes ſibi conflarunt, nobiſque reliquerunt. Quorum ſapientiæ impreſſam nos veluti orbitam vidimus, ſed eam adipiſci non potuimus. Nam & opes & ſapientiam plane perdidimus, quoniam ingenii neruos omnes ad eius contemplationem contendere noluimus. Cum igitur hæc omnia cogitatione complecteter, magnopere admirabar præclaros illos ſapientes, qui diu abhinc per vniuerſam gentem Anglicanam floruerunt, atque illos libros penitus omnes perdidiſcerant, quamobrem noluerunt horum partem aliquam in patrium ſermonem transferre. Veruntamen protinus mihimetipſi reſpondebam, videlicet, quod maiores illi noſtri neutiquam opinati ſunt, homines vnquam adeo ſocordes futuros, aut rem literariam in tantum vnquam prolapſuram: ideoque conſulto id omiſiſſe, exiſtimantes eo vberiorem hac in terra ſapientiam futuram, quo plures à noſtris linguæ pernoſcerentur. Tum vero venit mihi in mentem, legem Dei primum in Hebræo ſermone fuiſſe inuentam, atque poſtea Græcos, cum eandem didiciſſent, eam vniuerſam, & alios inſuper omnes libros in ſuam linguam vertiſſe, necnon Latinos etiam, quamprimum ipſi eam intelligentia comprehendiſſent, per prudentes interpretes ſuo ſermone eandem expreſſiſſe: eodemque modo omnem vndique Chriſtianam plebem partem eius aliquam in linguam domeſticam tranſtuliſſe. Quapropter optimum cenſeo (ſi tu quoque ſic exiſtimas) vt nos libros aliquos, quos maxime neceſſarios arbitrabimur, qui ab omnibus intelligantur, eoſdem in linguam, quam omnes intelligunt, conuertamus: efficiamuſque (quod certe ope diuina perfacile poterimus, ſi pace perfruamur) vt omnis iuuentus, quæ nunc eſt gentis Anglicæ (eorum præſertim hominum, qui liberi nati ſunt, opeſq; habent, quibus eos ad id alere poſſunt) literis addiſcendis addicatur: vtque prius artem nullam imbibant, quam Anglica poterint ſcripta perlegere. Poſtea autem homines in Latinis literis eos inſtituant, quos volunt amplius erudire, atque ad altiorem gradum prouehere. Cum itaque mecum conſiderabam, quomodo iſthæc doctrina ſermonis Latini, per omnem gentem Anglicanam antehac obſoleuiſſet (quamuis plurimi potuiſſent Anglica ſcripta legere) tum inter alia varia ac multiplicia negotia huius regni, cœpi librum hunc vertere in ſermonem Anglicanum: (qui Latine Paſtoralis nuncupatur, Anglice vero *the Heardmans booke*) aliquando verbum de verbo exprimens, interdum autem ſenſum ex ſenſu, ſicuti egomet ea didiſceram à Pleimundo Archiepiſcopo meo, & Aſſero antiſtite meo, necnon Grimbaldo, & Iohanne mihi à ſacris. A quibus poſteaquam librum ita didiciſſem, vt penitus perciperem, quemadmodum facillime ad eius intelligentiam peruenire poſſem, in Anglicum ſermonem eum conuerti, & ad vnamquamque epiſcopi ſedem in regno vnum miſi, ſuperque ſingulos libros ſtilum, qui eſt, quinquaginta mancuſſæ. Et ego præcipio in Dei nomine, ne quis de libris hunc ſtilum tollat, neque librum de templo, incertum cum ſit, quam diu futuri ſunt tales eruditi præſules, quales nunc (honos Deo) vbique ſint. Quapropter volo, vt libri ſuis ſemper in locis remaneant, niſi illos Pontifex habere voluerit, aut commodatos alicui dederit, donec alii ex illis deſcribantur.

Caius de antiqu. Cantab. pag. 208.

Liber loquitur.

Hoc ſcriptum Auguſtinus trans ſalſum mare ab Auſtro ad incolas huius regni pertulit: ſicut illud antea pręparauerat ſeruus domini Papa Romanus, rectus vicarius gubernans, Gregorius: conſideratæ vir fortitudinis abſque furore, ſummo ſenſu, ſapientia, conſilio præditus, immenſus theſaurus, quoniam is generis humani partem maximam cœlo lucrifecit: Romanorum vir optimus, mentis magnitudine abundantiſſimus, maieſtate liberrimus. Poſtquam me in Anglicum ſermonem Ælfredus rex conuertiſſet ad verbum, me per Auſtrum & Aquilonem ſuis ſcriptoribus delegauit, mandans illis, vti ſecundum exemplar plures tales deſcriberent, eum nimirum in finem, quo epiſcopis ſuis illos mittere poſſet. Quandoquidem quibuſdam ex ſuis Antiſtitibus perneceſſarii eſſent futuri, qui linguam Latinam minus intelligerent.

FRAGMEN-

FRAGMENTVM EX ANTIQVO LIBRO *monaſterii S. Stephani Cadomenſis,*

De Gvlielmo Conqvestore.

Dvm furerent in orbe tempeſtates multæ, quarum aliquæ in præcedentibus libri capitibus memoratæ ſunt: quidam ſortilegi Romanorum, quis in papatu ſuccederet Hildebrando, indagarunt. & eum poſt tranſitum Gregorii, Odo Romanus papa fore compererunt. Hoc audiens Odo præſul Baiocenſis, qui cum fratre ſuo Guilielmo rege Normannis dominabatur & Anglis, paui pendens poteſtates & diuitias regni occidentalis, niſi iure papatus dominaretur latius, & omnibus terrigenis: Romam miſit, palatium ſibi emit. Senatores Quiritum magnis muneribus datis ſibi amicitia copulauit. palatiumque ſuum multis ſumptibus, & ſuperfluis apparatibus exornauit. Hugonem Ceſtrenſium Comitem, magnamque cohortem præcipuorum militum aſciuit: vt ſecum in Italiam proficiſcerentur obſecrauit, & ingentia precibus promiſſa prodigus addidit. Illi vero, quia Normanni leues & extera videre cupidi ſunt: protinus præſumptori epiſcopo, cui principatus Albionis & Neuſtriæ non ſufficiebat, aſſenſerunt. Ingentes quoque fundos, quos in occiduis climatibus poſſidebant, deſerere decreuerunt: ac vt præfato præſuli trans Padum comitarentur, per fidem ſpoponderunt.

Apparatum huiuſmodi prudens rex Guillielmus edidicit, ſed non apptobauit. regnoque ſuo multiſque aliis nociturum æſtimauit. Vnde feſtinanter in Angliam transfretauit, ac Odoni Epiſcopo cum grandi pompa nauigare in Normanniam cupienti, ex inſperato in inſula Vecta obuiauit. Ibi nimirum congregatis in aula regali primoribus regni rex ita locutus eſt.

Egregii proceres verba mea diligenter audite. & ſalubre conſilium mihi quæſo tribuite. Antequam transfretaſſem in Normanniam regimen Angliæ fratri meo Baiocenſi epiſcopo commendaueram. In Normannia multi contra me ſurrexerunt: &, vt ita dicam, intimi me inuaſerunt. Robertus filius meus & tyrones, quos enutriui, & quibus arma dedi, contra me rebellauerunt. eiſque mei maleficientes & finitimi hoſtes gratanter adhæſerunt. Verum Deo, cuius ſeruus ſum, me protegente, nil profecerunt: nec de meo aliquid niſi ferrum in vulneribus ſuis obtinuerunt. Conglobatos in me Andegauenſes paratus ad bellum terrore compreſſi: parique modo rebellantes Canomannos armis & viribus compeſcui. His nimirum occupationibus vltra mare irretitus fui: ibique diu moratus publicis vtilitatibus laborioſe deſeruiui. Interea frater meus Angliam vehementer oppreſſit, & eccleſias fundis & redditibus exſpoliauit, ornamentis ab anteceſſoribus editis nudauit: militeſque meos, qui contra Danos & Hybernenſes, & alios hoſtes mihi nimis infeſtos Angliam tutari debuerant, ſeduxit. & trans Alpes in extera regna, me contempto, pertrahere diſponit. Nimius dolor cor meum angit. præcipue pro eccleſiis Dei, quas afflixit. Chriſtiani reges, qui ante me regnauerunt, eccleſiam Dei amauerunt: honoribus & xeniis multi generis locupletauerunt, vnde nunc, vt credimus, in amœna ſede felici retributione gaudentes requieſcunt. Adelbertus & Eduinus, ac ſanctus Oſvvaldus. Athulfus. ac Alfredus. Edvvardus ſenior & Edgarus. cognatuſque meus & cariſſimus dominus Edvvardus dederunt opes eccleſiæ ſanctæ, quæ eſt ſponſa Dei. Et frater meus, cui totius regni tutelam commendaui. violenter opes diripuit, crudeliter pauperes oppreſſit. friuola ſpe milites mihi ſurripuit. totumque regnum iniuſtis exactionibus concutiens exagitauit. Quid inde agendum ſit, caute conſiderate, & mihi quæſo inſinuate. Cumque omnes tantum virum timerent. & ſententiam in illum proferre dubitarent, magnanimus rex ait: Noxia temeritas ſemper comprimenda, multotiens olim contra patrem ſuum litigauerat: & tunc nouiter pro quibuſdam ineptiis ſimiliter ſtomachatus ad regem Francorum diſceſſerat. Verum ſapiens heros in futurum ſibi multiſque commoda facere non diſtulit, omneſque theſauros ſuos eccleſiis & pauperibus, Deique miniſtris diſtribui præcepit. Quantum vero ſingulis dari voluit, calide taxauit, & coram ſe deſcribi à notariis imperauit. Clero quoque Madantenſi ſupplex ingentia dona miſit: vt inde reſtaurarentur eccleſiæ, quas combuſſerat. De fide & iuſtitia ſeruanda: de lege Dei & pace tenenda, de priuilegiis eccleſiarum & ſtatutis patrum obſeruandis, omnes qui præſentes erant, admonuit, & allocutionem per eum memoria dignam admixtis interdum lachrymis eloquenter ſic edidit:

Multis, inquit, ô amici grauibuſque peccatis onuſtus contremiſco, & mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam ignoro. In armis enim ab infantia nutritus ſum, & multi ſanguinis

effuſione admodum pollutus ſum. Nullatenus enumerare poſſum mala, quæ feci per 64. annos, quibus in hac ærumnoſa vita vixi: pro quibus abſq; mora rationẽ reddere nunc cogor æquiſſimo iudici. Dum pater meus ſponte proficiſcens in exilium, commiſit mihi Normanniæ Ducatum, tenellus eram puer vt pote octo annorum: ex quo tempore vſque nunc ſemper ſubii pondus armorum. Ipſumq; ducatum fere quinquaginta ſex annis geſſi in diſcrimine bellorum. Mei, quibus præeram, mihi ſæpe inſidiati ſunt, & dampna graueſque iniurias mihi nequiter intulerunt. Turchetillum nutricium meum & Osbernum Herfaſti filium Normanniæ dapiferum, Comitemq; Gislebertum patrem patriæ cum multis aliis reip. neceſſariis fraudulenter interfecerunt. His itaq; rebus gentis meæ fidem expertus ſum. Noctibus multotiens cognatorum timore meorum à Gaulterio auunculo meo de camera principali furtim exportatus ſum: ac ad domicilia latebraſque pauperum, ne à perfidis, qui ad mortem me quærebant, inuenirer, tranſlatus ſum.

Normanni, ſi bono rigidoq; dominatu reguntur, ſtrenuiſſimi ſunt, & in arduis reb. inuicti omnes excellũt, & cunctis hoſtib. fortiores ſuperare cõtendunt. Alioquin ſeſe viciſſim dilaniãt, atq; conſumũt: Rebelliones enim cupiunt. Seditiones enim appetunt: & ad omne nefas prompti ſunt. Rectitudinis ergo forti cenſura coherceãtur, & freno diſciplinæ per tramitẽ iuſtitiæ gradi cõpellantur. Si vero ad libitum ſuum ſine iugo vt indomitus onager ire permittuntur: ipſi & principes eorum penuria & confuſione probroſa operientur. Pluribus hoc experimentis iamdudum edidici. Proximi conſanguineiq; mei, qui debuiſſent contra omnes mortales me omnimodis tutari, frequenti conſpiratione facta in me ſurrexerunt, & pene omnem patris mei hereditatem mihi abſtulerunt.

Guido, Rainaldi Burgundionum ducis ex Adeliza amita mea filius, malum mihi pro bono reddidit. Nam ego eum de alia regione aduentantem benigniter ſuſceperam, ac vt vnicum fratrem honoraueram: atq; Vernonum & Brioniam partemq; Normanniæ non modicam donaueram. Ille vero verbis & actibus mihi derogauit, me nothum degeneremq; & principatu indignum deteſtatus iudicauit, & hoſtiliter diffamauit. Quid plura referam? fidem ſuam mihi mentitus in me rebellauit, proceresq; meos Ramulſum Baiocenſem ac Haymonem Dentatum, & Nigellum de Conſtantino, alioſque multos mihi ſubtraxit: ſecumq; periuros eſſe nefario monitu coegit. Immemor itaq; hominii & fidelitatis, quã mihi iurauerat, totam Normanniam auferre ſategit. Sic igitur adhuc imberbis in illum coactus ſum arma leuare, & in planicie apud Valleſdunas contra conſobrinum hominemq; meum dimicare. Tunc auxiliante Deo, qui iuſtus iudex eſt, inter Cadomum & Argentonium hoſtes vici: quibus nutu Dei ſubrutis patrium ius libere poſſedi. Deinde munitionem Brioniæ obſedi. Guidonem vulneratum, & de bello fuga elapſum incluſi, nec inde diſceſſi, donec hoſtem publicum de Neuſtria expulerim, & cuncta eius munimina obtinuerim.

Non multo poſt alia mihi grauiſſima aduerſitas oborta eſt. Patrui namque mei Malgerius Rothomagenſis Archiepiſcopus, & Guillelmus frater eius, cui Archas & Comitatum Calogii gratis dederam, me velut nothum contempſerunt: & Henricum regem, & Engelrannum Comitem Pontini contra me accerſierunt. Mox ego, vt in * *Conſtantino huiuſmodi rumores audiui: multis diſſuadentib. iter iniui. Aliquantos milites, qui feruentiores ad ictus dandos erant, Archas præmiſi, & ipſe cum exercitu non grandi ſubſecutus arduam munitionem obſedi. Sed antequam rura, quæ inter duo flumina ſunt, Sedam & Garennam attigiſſem, percuſſores mei præoccupauerunt Engelrannum Comitem in caſtrum intrare feſtinantem; ipſumque fortiter pugnantem, quia miles erat aſperrimus, occiderunt, & agmina eius fugauerunt. Obſidione graui caſtrenſes cohercui, & periurum comitem exulare coegi: nec in omni vita ſua redire ad id quod amiſerat, permiſi. Proteruum quoque præſulem, qui nec Deo deuotus, nec mihi fidus erat, de pontificali ſede per decretum Papæ depoſui: & Manrilium venerabilem cenobitam, quem mihi Deus de Florentia ciuitate Italiæ tranſmiſerat, in loco eius ſubrogaui.*

* Conſtantiis.

Henricus regali potentia fretus, & militari audacia feruidus, hoſtiumq; meorum derogationibus admodum ſtimulatus, ſæpe viſus eſt me velut inermem conculcare, multiſque modis proterere, & indebita mihi iura imponere. Sæpius cum ingenti armatorum manu terram meam ingreſſus eſt. Sed nunquam de præda ſpoliiſque meis hominumque meorum captura gauiſus eſt. Cum grandi pompa miniſque terribilibus plerunque fines meos intrauit: ſed nunquam lætus, nec ſine dedecore ad ſua repedauit. Plures ſecum valentes huc adduxit: quos quia meo meorumq; gladio, proh dolor, perierant, non reduxit.

Qondam nimis contra me inflammatus ingentem exercitum Galliæ in duas partes diuiſit rex Henricus, vt noſtros opprimeret fundos geminis irruptionib. Ipſe vnam phalangẽ in Ebroicenſem diocesim, vt vſq; ad Sequanã omnia deuaſtaret, introduxit: aliãq; Odoni fratri ſuo ac Rainaldo de Claromõte & duob. conſulib. Radulpho de Monte Deſiderii atq; Widoni de Pontino cõmendauit, vt ꝑ vada Eptæ Neuſtriã cito introirẽt Braiũ & Calcegiũ totũq; Rothomagẽſem pagũ inuaderẽt, ferro & flamma necne rapinis vſq; ad mare penitus deuaſtarẽt. Hac itaq; cõperiens ego econtra nõ ſegnis ꝓceſſi cõtra regis mappalia per littus Sequanæ cum meis me ſemper oppoſui: & vbicunq; conaretur ceſpitẽ meum depopulari,

armis

armis & ferro valumniam parani. Robertum vero Aucenſium Comitem & Rogerium de Mortuo mari, aliosque milites probatiſſimos miſi contra Odonem eiuſq; legiones. Qui dum penes caſtrum, quod Mortuū mare dicitur, occurriſſent Francis, vtriuſq; partis agminib. paratis, terribile prœliū cõmiſſum eſt: & ex vtraq; parte multū ſanguinis effuſum eſt. Vtrabiq; enim bellatores erant ſtrenui, & vſq; ad mortē: dere neſcii. Hinc ſæuiunt Galli pro cupidine acquirendi: illinc feriunt Normanni ſpe feruētes euadendi, & ſe ſuoſq; lares defendendi. Tandē, iuuante Deo, vicere Normāni & fugere Frāci. Hoc itaque bellū trans Sequanā in hyeme ante Quadrageſimam fecere. octauo anno poſt bellū Valleſdunenſe. Tunc Wido Pōtiui comes captus eſt, & Odo cū Rainaldo aliiſq; qui velocitate pedū viguerunt, fugatus eſt. Rodulfus quoq; comes pariter caperetur, niſi Rogerius princeps militia mea illi ſuffragaretur. hominium enim iamdudum illi fecerat. In tali ergo neceſſitate pulchrum illi & competens ſeruitium impendit. dum in caſtro ſuo illum triduo protexit: & poſtea ſaluum ad ſua perduxit. Pro hac offenſa Rogerium de Normannia eieci, ſed paulo poſt reconciliatus illi ceterum honorem reddidi. Caſtrum tamen Mortui maris, in quo inimicum meum ſaluauit, illi iure vt reor, abſtuli. ſed Guillielmo de Guarenna conſanguineo eius tyroni legitimo dedi. Widonem vero Comitem Baiocis quamdiu placuit in carcere habui: & poſt duos annos hominium ab eo tali tenore recepi: vt exinde mihi ſemper fidelis exiſteret, & militare ſeruitium, vbi iuſſiſſem, cum centum militibus mihi ſingulis annis exhiberet. Deinde muneribus illum magnis donaui, & honoratum cum pace dimiſi.

Peracto certamine, mox vt certos rumores comperi per Radulfum de Toenia, quæ Transſequanam contigerant, regi Francorum mandaui. Quibus auditis ille protinus noctu ſurrexit, & cum exercitu ſuo velociter aufugit. nec vnquam poſtea in terra mea pernoctauit. Sic à pueritia mea innumeris preſſuris vndique impeditus ſum: ſed per gratiam Dei de omnibus honorifice ereptus ſum. Inuidioſus igitur omnibus vicinis meis factus ſum. ſed auxiliante Deo, in quo ſemper ſpem meam poſui, à nullo ſuperatus ſum. Hoc ſæpe ſenſerunt Britones & Andegauenſes. Hoc aſtipulantur Franci, atque Flandrenſes. Hoc grauiter experti ſunt Angli & Canomanenſes.

Guilfredus Martellus Cames Andegauorum, & Conanus princeps Britonum, atq; Robertus Frefiſo ſatrapa Morinorum mihi multis machinationibus inſidiati ſunt. Sed cuſtodiente Deo licet multum optaſſent, & plures inſidias perſtruxiſſent, nunquam voti compotes effecti ſunt. Diadema regale, quod nullus anteceſſorum meorum geſſit, adeptus ſum: quod diuina ſolummodo gratia non ius contulit hereditarium. Quantos vltra mare labores & periculoſos conflictus pertulerim contra Exonios, Ceſtrenſes, & Nordanhumbros, contra Scotos & Gallas Norweganos & Dacos, & contra cæteros aduerſarios, qui conabantur me regno Angliæ ſpoliare; difficile eſt enarrare, in quibus omnibus prouenit mihi ſors victoriæ. Sed quamuis ſuper huiuſcemodi triumphis humana gaudeat auiditas, me tamen intrinſecus pungit & mordet formidinis anxietas: dum perpendo, quod in omnibus hiis graſſata eſt ſæua temeritas. Vnde vos, o ſacerdotes & miniſtri Chriſti ſuppliciter obſecro, vt orationibus veſtris me commendetis omnipotenti Deo, vt peccata, quibus admodum premor, ipſe remittat, & per ſuam infatigabilem clementiam inter ſuos me ſaluum faciat. Theſauros quoque meos iubeo dari eccleſiis & pauperibus, vt quæ congeſta ſunt ex facinoribus, diſpergantur in ſanctis ſanctorum vſibus. Debetis enim recolere, quam dulciter vos amaui, & quam fortiter contra omnes æmulos defenſaui.

Eccleſiam Dei, matrem ſcilicet naturam, nunquam violaui. ſed vbique, vt ratio exegit, deſideranter honoraui. Eccleſiaſticas dignitates non venundedi. Symoniam deteſtatus ſemper refutaui. In electione perſonarum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam inueſtigaui. & quantum in me fuit omnium digniſſimo eccleſiæ regimen commendaui. Hoc nimirum probari poteſt veraciter in Lanfranco Cantuarienſium archipræſule. hoc in Anſelmo Beccenſium abbate hoc in Gerberto Fontanellenſe. & Durando Troarnenſe, & in aliis multis regni mei doctoribus. quorum celebris laus perſonat in vltimis, vt credo, terræ finibus. Tales ſocios ad colloquium elegi: in horum contubernio veritatem & ſapientiam inueni: ideoque ſemper gaudens optabam eorum conſiliis perfrui.

Nouem abbatiæ monachorum, & vna ſanctimonialium, quæ à patribus meis in Normannia fundatæ ſunt, me adiuuante, cum auxilio Dei creuerunt & glorioſe multarum augmentis rerum, quas dedi, magnificatæ ſunt. Deinde Ducatus mei tempore, decem & ſeptem monachorum atque ſanctimonialium ſex cœnobia conſtructa ſunt. vbi magnum ſeruitium & plures eleemoſinæ pro ſummi regis amore quotidie fiunt. Huiuſmodi caſtris munita eſt Normannia, & in his diſcunt terrigenæ prœliari contra dæmones & carnis vitia. Horum quippe aut ego, inſpirante Deo, fui conditor aut fundator feruidus adiutor & beneuolus incentor. Omnes quoque res, quas in terris vel aliis redditibus proceres mei Deo & ſanctis eius dederunt pro ſalute ſpirituali, in Neuſtria & Anglia benigniter conceſſi. & cartas largitionum contra omnes æmulos & infeſtatores principali auctoritate gratis confirmaui.

Hæc ſtudia ſectatus ſum à primæuo tempore. hæc hæredibus meis relinquo tenenda omni

tempo-

tempore. In hiis, filii mei, me iugiter ſequimini, vt hic & in æuum coram Deo & hominibus honoremini. Hoc præcipue vos viſcera mea commoneo, vt bonorum & ſapientum indeſinenter inhæreatis ſodalitio, & eorum in omnibus, ſi diu glorioſi milites perſiſtere velitis, obediatis imperio. Piorum ſophiſtarum doctrina eſt, bonum à malo diſcernere: iuſtitiam omnimodis tenere: nequitiamque omni molimine cauere. Infirmis & pauperibus ac iuſtis parcere & ſubuenire, ſuperbos & iniquos comprimere ac debellare, & ab infeſtatione ſimplicium refrenare, Eccleſiam ſanctam deuote frequentare, diuinitatis cultum ſuper omnes diuitias amare, & diuinæ legi nocte dieque & in aduerſis & proſperis infatigabiliter obtemperare.

Ducatum Normanniæ, antequam in Epitunio Senlac *contra Heraldum certaſſem, Roberto filio meo conceſſi. quia primogenitus eſt & hominium pene omnium huius patriæ Baronum iam recepit. conceſſus honor nequit abſtrahi. Sed indubitanter ſcio, quod vere miſera erit regio, quæ ſubiecta fuerit eius dominio. Superbus enim eſt, & inſipiens nebulo, trucique diu plectendus infortunio. Neminem Anglici regni conſtituo hæredem: ſed æterno conditori, cuius ſum, & in cuius manu ſunt omnia, illud commendo. Non enim tantum decus hæreditario iure poſſedi. Sed diro conflictu & multa effuſione humani cruoris periuro regi Heraldo abſtuli, & interfectis vel effugatis fautoribus eius dominatui meo ſubegi. Naturales regni filios plus æquo exoſos habui. Nobiles & vulgares crudeliter vexaui. Iniuſte multos exhæreditaui: innumeros, maxime in pago Eboracenſi, fame ſeu ferro mortificaui. Dein enim & Transhumbranæ gentes exercitum Sueni Danorum regis contra me ſuſceperunt, & Robertum de* Cuminis *cum mille militibus intra* Dunelmum *alioſque proceres meos & Tirones probatiſſimos in diuerſis locis peremerunt. Vnde immoderato furore commotus in boreales Anglos vt veſanus leo properaui. Domos eorum iuſſi, ſegeteſque & omnem apparatum atque ſupellectilem confeſtim incendi, & copioſos armentorum pecudumque greges paſſim mactari. Multitudinem itaque vtriuſque ſexus tam diræ famis mucrone multaui. Et ſic multa millia pulcherrimæ gentis ſenum iuuenumque proh dolor funeſtus trucidaui. Faſces igitur huius regni, quod cum tot peccatis obtinui, nulli audeo tradere niſi Deo ſoli: ne poſt funus meum adhuc deteriora fiant occaſione mei. Guillielmum filium meum, qui mihi à primis annis ſemper inhæſit, & mihi pro poſſe ſuo per omnia libenter obediuit, opto in ſpiritu Dei diu valere, & in regni ſolio, ſi Dei voluntas eſt, fœliciter fulgere.*

Hæc & his ſimilia dum rex Guilhelmus multa dixiſſet, & ſtupor aſſiſtentes callideque futura dimetientes inuaſiſſet: Henricus minor filius vt nil ſibi de regalibus gazis dari audiuit, mœrens cum lacrimis regi dixit. Et mihi pater, quid tribuis? Cui rex ait: Quinque millia libras argenti de theſauro meo tibi do. Ad hæc Henricus dixit: Quid faciam de theſauro, ſi locum habitationis non habuero? Cui pater reſpondit. Æquanimis eſto fili, & confortare in domino: pacifice patere, vt maiores fratres tui præcedant te. Robertus habebit Normanniam, & Guillielmus Angliam. tu autem tempore tuo totum honorem, quem ego nactus ſum, habebis, & fratribus tuis diuitiis & poteſtate præſtabis. His ita dictis, metuens rex, ne in regno tam diffuſo repentina oriretur turbatio: epiſtolam de conſtituendo rege fecit Lanfranco archiepiſcopo, ſuoque ſigillo ſignatam tradidit Guillielmo Rufo filio ſuo: iubens, vt in Angliam transfretaret continuo. Deinde oſculatus eum benedixit, & trans pontum ad ſuſcipiendum Dyadema properanter direxit. Qui mox ad portum, qui Witſand dicitur, peruenit, ibique iam patrem audiuit obiiſſe. Henricus autem feſtinauit denominatam ſibi pecuniam recipere diligenter, ne quid ſibi deeſſet ponderare, neceſſarioſque ſodales, in quibus confideret, aduocare: munitumque Gazophylacium ſibi procurare.

Interea medici & regales miniſtri, qui languidum principem cuſtodiebant, proceresque, qui ad eum viſitandi gratia veniebant, cœperunt pro vinctis quos in carcere tenebat, eum affari: ac vt miſereretur eis, & relaxaret ſuppliciter deprecari. *Quibus ipſe ait. Morcarum nobilem Anglorum Comitem iam diu vinctum tenui, & iniuſte; ſed pro timore ne per eum ſi liber fuiſſet turbaretur regnum Angliæ. Rogerum vero de Britolio, quia valde contumaciter contra me inſaniuit, & Radulfum de Guader ſororium ſuum, & multos alios in me prouocauit, in vinculis arctaui. & quod in vita mea non egrederetur, iuraui. Sic multos vinculis inieci ex merito propriæ peruerſitatis, alioſq; plures pro metu futuræ ſeditionis. Hoc enim cenſura rectitudinis exigit, & diuina lex per Moyſen rectoribus orbis præcipit, vt comprimantur nocentes ne perimant innocentes. Nunc autem in articulo mortis poſitus ſicut opto ſaluari, & per naturam Dei à reatibus meis abſolui: ſic omnes mox iubeo carceres aperiri. Omneſque vinctos præter fratrem meum Baiocenſem epiſcopum relaxari, liberoſque pro amore Dei, vt ipſe mihi miſereatur, dimitti. Nexi tamen tali tenore de carcere procedant, vt antea iureiurando ſecuritatem reipub. miniſtris faciantque pacem in Anglia & Normannia omnibus modis teneant, & pacis aduerſariis pro poſſe ſuo viriliter reſiſtant.*

Cumque

Cumque Robertus, Moritolii comes, audiſſet, regali ſententia fratrem ſuum perpetuo vinciri, multum contriſtatus eſt. Herluinus quippe de Contauilla Herlettam Roberti Ducis concubinam in coniugium acceperat, ex qua duos filios Odonẽ & Robertum genúerat. Guillielmus autem dux & poſtea rex, vitricum ſuum magnis & multis honoribus in Normánia & Anglia ditauerat, & filios eius Radulfum, quem de alia coniuge procreauerat, fratreſque ſuos vterinos Odonem & Robertum maximis poſſeſſionibus ſublimauerat. Nam poſtquam Guillielmus, cognomento Werlengum, Moritolii Comitem filium Mageri comitis, pro minimis occaſionibus de Neuſtria propulſauerat: Roberto Herluini filio fratri ſuo Comitatum Moritolii dederat. Defuncto quoq; Hugone Baiocenſi epiſcopo Radulfi conſulis filio, prędictum pręſulatum conceſſerat Odoni fratri ſuo, quem poſtmodum in Anglia prępoſuit Canciæ regno. Deniq; hunc pro nimietate ſua, vt ſupernis pleniter relactum eſt, rex Guillielmus in inſula Vecta cepit; quatuor annis in carcere tenuit: nec etiam in morte pro inſolentia ſua relaxare voluit. Vnde prędfatus Moritolii Comes admodum mœrebat, & pro fratre ſuo per ſe & per amicos ſuos ſuppliciter interpellabat precibuſq; languentem fatigabat.

Cumque multi obnixe pro Baiocenſi præſule rogarent, tantorum ſupplicatione fatigatus rex ait: Miror quod prudenter non indagatis, quis vel qualis eſt vir, pro quo ſupplicatis. Nonne pro tali viro petitis, qui iam diu contemptor extitit religionis, & argutus incentor lethiferæ ſeditionis. Nonne hunc iam coercui quatuor annis epiſcopum, qui debuerat eſſe iuſtiſſimus rector Anglorum, & factus eſt peſſimus oppreſſor populorum & monachilium deſtructor cenobiorum? Seditioſum liberando malefactis & vobiſmetipſis ingens detrimentum quæritis. Euidenter patet, quod Odo frater meus leuis eſt & ambitioſus carnis inhærens deſideriis, & immenſis crudelitatibus, & nunquam mutabitur à lenociniis & noxiis vanitatibus. Hæc perſpicue in pluribus expertum ſum. Ideoque conſtrinxi non antiſtitem ſed tyrannum abſque dubio ſi euaſerit, totam regionem turbabit, & multis millibus perniciem ſubminiſtrabit. Hæc non ex odio, vt hoſtis, profero: ſed vt pater patriæ plebi chriſtianæ prouideo. Si enim caſte & modeſte ſe haberet ſicut ſacerdotem & Dei miniſtrum vbique condecet, cordi meo maior, quã poſſim referre, lætitia ineſſet.

Spondentibus cunctis emendationem pontificis rex iterum ait: Velim nolim, veſtra fiet petitio. quia me defuncto vehemens ſubito rerum fiet mutatio. Inuitus concedo, vt frater meus de carcere liberetur. ſed ſcitote, quod multis per eum mors ſeu graue impedimentum inuenietur. Baldrico autem Nicholai filio, quia ſeruitium meum inſipienter reliquit & ſine mea licentia in Hiſpaniam abiit, totam terram ſuam pro caſtigatione abſtuli. Sed nunc illi reddo pro amore Dei. Illo melior in armis tyro, reor, non inuenitur. ſed prodigus & leuis eſt, ac per diuerſa vagatur. Sic Guilhelmus rex, licet immodium dolore grauiter angeretur, ſana tamen mente ac viuaci loquela efficaciter fruebatur, & in omnibus de negotiis regni poſcentibus promptum & vtile conſilium impartiebatur.

Deniq; quinto Idus Septembris, feria quinta iam phœbo per orbem ſpargente clara radiorũ ſpicula, excitus rex ſonum maioris ſigni audiuit in metropolitana baſilica. Percunctante eo, quid ſonaret; reſponderunt miniſtri: Domine hora prima iam pulſatur in eccleſia ſanctæ Mariæ. Tunc rex cum ſumma deuotione oculos ad cœlum erexit, & ſurſum manibus extenſis dixit: *Dominæ meæ ſanctæ Dei genitrici Mariæ me commẽdo, vt ipſa ſuis ſanctis precibus me reconſiliet chariſſimo filio ſuo domino noſtro Ieſu Chriſto.* Et his dictis protinus expirauit. Archiatri autem & ceteri præſentes, qui regem ſine gemitu & clamore quieſcentem tota nocte ſeruauerunt, & nunc ex inſperato ſic eum mox migraſſe viderunt, vehementer attoniti, & velut amentes effecti ſunt. Porro ditiores ex his ilico aſcenſis equis receſſerunt, & ad ſua tutanda properauerunt. Inferiores vero clientuli vt magiſtros ſic ſe ſubduxiſſe proſpexerunt: arma, vaſa, veſtes, & linteamina, omnemq; regiam ſupellectilem rapuerunt, & relicto regis cadauere pene nudo in area domus aufugerunt. Cernite, precor, omnes, qualis eſt mundana fides. Vnuſquiſque quod potuit de apparatu regio vt miluus rapuit, & confeſtim cum prędа ſua aufugit. Impietas itaque iuſtitiario labente imprudenter prodiit, & rapacitatem circa ipſum vltorem rapinæ promptus exercuit.

Fama de morte regis pernicibus alis volauit; & longe lateque gaudium ſeu mœrorem audientium cordibus infudit. Nam mors Guillielmi regis ipſo eodem die, quo Rothomagi defunctus eſt, in vrbe Roma & in Calabria quibuſdam exhęredatis nunciata eſt, vt ab ipſis poſtmodum veraciter in Normannia relatum eſt. Malignus quippe ſpiritus oppido tripudiauit, dum clientes ſuos, qui rapere & vehementer inhiabant, per occaſum iudicis abſolutos vidit.

O Secu-

O ſecularis pompa quam deſpicabilis es? quia nimis vana & labilis es. recte pluuialibus bullis equanda diceris, quæ in momento valde turgida erigeris, ſubitoque in nihilum redigeris. Ecce, potentiſſimus heros, cui nuper pluſquam centum millia militum ſeruiebant auide, & quem multæ gentes cum tremore metuebant, nunc à ſuis turpiter in domo non ſua ſpoliatus eſt, & à prima vſque ad tertiam ſupra nudam humum derelictus eſt. Ciues enim Rothomagenſes audito lapſu principis valde territi ſunt, & pene omnes velut ebrii deſipuerunt, ac ſi multitudinem hoſtium imminere vrbi vidiſſent, turbati ſunt. vnuſquiſque de loco, vbi erat, receſſit, & quid ageret à coniuge, vel obuio ſodali, vel amico conſilium quæſiuit. Res ſuas quiſq; aut transmurauit, aut transmurare decreuit, pauiduſq; ne inuenirentur, abſcondit.

Religioſi tandem viri clerici & monachi collectis virib⁹ & intimis ſenſibus proceſſionem ordinauerunt, honeſte induti cum crucibus & thuribulis ad ſanctum Geruaſium proceſſerunt. Et animã regis ſecundum morem ſanctę chriſtianitatis Deo cõmẽdauerunt. Tunc Guillielmus archiepiſcopus iuſſit, vt corpus eius Cadomũ deferretur, ibiq; in baſilicam ſancti Stephani prothomartyris, quam ipſe cõdiderat, tumularetur. Verum fratres eius, & cognati, iam ab eo receſſerant, & omnes miniſtri eius eum, vt barbarum, nequiter deſeruerant. Vnde nec vnus de ſatellitibus regis eſt inuentus, qui curaret de exequiis corporis ipſius. Tunc Hurluinus quidam, pagenſis eques, naturali bonitate compunctus eſt, & curam exequiarum pro amore Dei & honore gẽtis ſuæ viriliter amplexatus eſt. Pollinctores itaq; vt veſpiliones ac vehiculum mercede de propriis ſumptibus conduxit, cadauer regis ad portum Sequanę deuexit, impoſitumque naui vſque Cadomum per aquam & aridam perduxit.

Tunc dominus Giſlebertus abbas cum cõuentu monachorum venerantet obuiam feretro proceſſit, quibus flens & orans multitudo clericorum & laicorum adhæſit. Sed mox ſiniſtra fortuna omnibus pariter maximum terrorem propinauit. Nam enorme incendium de quadam domo protinus erupit. & immenſos flamma globos eructauit, magnamque partem Cadomenſis Burgi damnoſe inuaſit. Omnes igitur ad ignem comprimendum clerici cum laicis cucurrerunt. Soli vero monachi ceptum officium compleuerunt, & regis corpus ad cenobialem baſilicam pſalentes perduxerunt.

Denique ad ſepeliendum maximum Ducem & patrem patriæ congregati ſunt omnes epiſcopi & Abbates Normanniæ: ex quibus ad notitiam poſterorum libet quoſdam nominare, & præſenti breuiter in pagina denotare. Guillielmus Rothomagenſis archiepiſcopus, Odo Baiocenſis epiſcopus, Giſlebertus Manimotus Lexomẽſis, Michael Abrincenſis. Goifredus Conſtantimenſis, & Girardus Sagienſis. Abbates quoque hi ſunt, Anſelmus Beccenſis, Guillielmus de Ros Fiſcannenſis, Gerbertus Fontinellenſis, Guntardus Gemeticenſis, Mamerius Vticenſis, Fulco Dinenſis, Durandus Troarnenſis, Robertus Sagienſis, Osbernus Betnaicenſis, Rogerius de monte ſancti Michaelis in periculo maris, Rothomagenſes archimandritę, Nicholaus de ſancto Audoeno, & Gaulterius de Monte ſanctæ trinitatis, & alii plures; quos nominatim proferre perlongum eſt. Omnes hi ad exequias famoſi baronis conuenerunt, ipſumque in presbyterio inter chorum & altare ſepelierunt.

Expleta miſſa, cum iam ſarcofagum in terra locatum eſſet, ſed corpus adhuc in feretro iaceret, Magnus Giſlebertus, Ebroicenſis epiſcopus in pulpitum aſcendit, & prolixam locutionem de magnificentia defuncti principis eloquenter protelauit. ꝙ ipſe fines Normannici iuris ſtrenue dilatauerit, gentemq; ſuam pluſquam omnes antecesſores ſui ſublimauerit: Iuſtitiam & pacem ſub omni ditione ſua tenuerit. fures & prædones virga rectitudinis vtiliter caſtigauerit: & clericos ac monachos & inermem populum virtutis enſe fortiter munierit. Finita vero locutione plebem rogauit, & pro pietate multis flentibus ac verba eius ateſtantibus, adiecit: Quia nullus mortalis homo poreſt in hac vita ſine peccato viuere, in charitate Dei vos omnes precamur pro defuncto principe, propter illum apud omnipotentem Deum ſtudeatis intercedere, ei quod ſi quid in vobis deliquit, benigniter dimittere.

Tunc Aſcelinus Arturi filius de turba ſurrexit, & voce magna querimoniã huiuſmodi cũctis audientibus edidit. Hæc terra vbi cõſiſtitis area domus patris mei fuit, quã vir iſte, pro quo rogatis, dum adhuc eſſet Comes Normanniæ, patri meo violenter abſtulit, omniq; denegata rectitudine iſtam ædem potenter fundauit. Hanc igitur terram calumpinor & palã reclamo, & ne corpus raptoris operiatur ceſpite meo, nec in hæreditate mea ſepeliatur, ex parte Dei prohibeo. Hoc vt epiſcopi & proceres

alii

Google

alii audierunt, & vicinos eius, qui eundem vera dixiſſe conteſtabantur, intellexerunt: hominem accerſierunt. omnique remota violentia precibus blandis lenierunt, & pacem cum eo fecerunt. Nam pro loculo ſolius ſepulturæ ſexaginta ſolidos ei protinus adhibuerunt: pro reliqua vero tellure, quam calumniabatur æquipollens mutuum eidem promiſerunt, & poſt non multum temporis pro ſalute ſpecialis heri, quem diligebant, pactum compleuerunt. Porro dum corpus in ſarcofagum mitteretur, & violenter, quia vas per imprudenriam cementariorum breue ſtrictum erat, complicaretur, pinguiſſimus venter crepuit, & intolerabilis fetor circumaſtantes perſonas & reliquum vulgus impleuit. fumus thuris aliorumque aromatum de thuribulis copioſe aſcendebat. ſed teterrimum putorem excludere non præualebat. Sacerdotes itaque feſtinabant exequias perficere, & actutum ſua cum pauore mappalia repetere.

Ecce ſubtiliter inueſtigaui, & veraciter enucleaui, quæ in lapſum Ducis præoſtendit diſpoſitio Dei. Non fictilem tragediam venundo: non loquaci comedia cachinantibus paraſitis faueo. Sed ſtudioſis lectoribus varios euentus veraciter intimo. Inter proſpera patuerunt aduerſa, vt terrerentur terrigenarum corda. Rex quondam potens & bellicoſus, multiſque populis per plures prouintias metuendus, in area iacuit nudus, & à ſuis, quos genuerat vel aluerat, deſtitutus. Ere alieno in funebri cultu indiguit, ope gregarii. pro ſandapila, & veſpilionibus concludendis eguit, qui tot hactenus & ſuperfluis opibus nimis abundauit. Secus incendium à formidoloſis vectus eſt ad baſilicam, liberoque ſolo, qui tot vrbibus & opidis & vicis principatus eſt, caruit ad ſepulturam. A ruina ventris eius tot delectamentis enutrita cum dedecore patuit, & prudentes ac infrunitos, qualis ſit gloria carnis, edocuit. Inſpecta ſiquidem corruptione cenoſi cadaueris quiſque mouetur, vt meliora quam delectamenta ſunt carnis, quæ terra eſt, & in puluerem reuertetur, labore ſalutaris continentiæ mercari feruenter conetur.

Diuitis & pauperis par eſt conditio, & ſimiliter ambos inuadit mors & putredo. Nolite ergo confidere in principibus falſis, o filii hominum: ſed in Deo viuo & vero, qui creator eſt omnium. Veteris & noui teſtamenti ſeriem reuoluite, & exempla inde multiplicia vobis capeſſite, quid cauere, quidve debeatis appetere. Nolite ſperare in iniquitate: & rapinas nolite concupiſcere. Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere. Omnis enim caro vt fœnum; & omnis gloria eius vt flos fœni. Exaruit fœnum, & flos eius cecidit. Verbum autem Domini manet in æternum.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA BREVIS THOMÆ VVALSINGHAM, *AB EDVVARDO PRIMO, AD Henricum quintum.*

NOMINA REGVM QVORVM RES GESTAS PRÆSENS *Hiſtoria deſcribit.*

EDWARDVS I.



EDWARDVS II.



EDWARDVS III.



RICHARDVS II.



HENRICVS IV.



HENRICVS V.



PRÆ

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CVM nos non nobis ſolum natos eſſe meminerim (Lector optime) ſed Patriæ, Parentibus, & Amicis, iſtam Thomæ Walſinghami hiſtoriã non vni mihi priuatè retinendam, ſed ad communem omnium vtilitatem diuulgandam putaui: idq; eo magis, quoniam ille percommode exordiri mihi videtur ab Henrico tertio Rege, in quo vera illa & fidelis Matthæi Pariſij hiſtoria deſiit. Lex autem cum hæc ſit hiſtoriæ, vt rei potius veritatem, quam orationis elegãtiam deſideret: illud me quoquo modo dehortari non poterat, quod ille craſſo ac leuidenſi filo ſcripſerit. Egregia enim & rariſſima geſta cum illius hiſtoria contineat, non dubito quin multa apud nos præclara ingenia ſint, qui eũ per ætatem melius poſſint, hoc illius opus meliori fuco & apparatu ſplendidiore illuſtrent. Rationem interim & exemplum Titi Liuii Fruloniſis Ferrarienſis odi: qui cum Henrici quinti res geſtas propoſito præmio ſcribendas in ſe ſuſciperet: ne videretur Authorem quendam ἀνώνυμον eiſdem veſtigiis inſequi quoniam pingui Minerua vſus eſſet, cuius hiſtoria ſic exorditur (Lucerna poſita ſub modio) multa ab eo egregie ſcripta, & à principe inclito diuinitus facta omnino prætermiſit. Curioſam iſtam in alios iniuriam, ſeu delicatã philautiam non approbo, maloq; cum bona fide craſſiſſime dicta commemorare, quam (vt mihi aliquid arrogem) mortuos iniuria afficere, poſteros rerũ anteactarum veritate fraudare. Vtut ego hoc mihi datũ fore non dubito, quod multas huius regni hiſtorias antiquiſſimas ediderim, in quibus monaſtica quædam fragmenta, aut potius aniles fabulæ reperiuntur. Sed his libenter ignoſco, qui zelo bono adducti, rem prima ſpecie fœdam deteſtãtur, cum nullã habeant occaſionem altius & profundius conſiderandi, quanta, & quam quotidiana ſit iſtius rei neceſſitas. Nam ſi rem mecum penitius introſpicerent, Matthæos Pariſium & Weſtmonaſterienſem, cũ ſuis fabulis & portentis (quibus hodie nemo credit) potius edendos, quam homines pios & ſcriptores ſinceros reliquis illorum hiſtoriis (quæ hodiernæ veritati magnopere ſuffragantur) priuandos putarent. Quibus ſi ad Papiſticæ diſciplinæ expugnationẽ, mutillato, inuerſo, & conciſo eorum opere, vteremur: illi contra iuſtiſſime reclamarent, aut non eſſe illorum hominũ hiſtorias, aut ſi ſint, deletas, corruptas, mutatas, imperfectas, adulteratas eſſe. Ita fugiendo quod non eſt neceſſe, in id incidemus quod non eſt decorum: & cum exemplis ſuperiores ſimus, fide inferiores erimus: & nos illorum virulentiæ & maledictis obnoxios faciemus, cũ alioqui ſuis eos ſententiis configere, ſuis gladiis interficere poſſimus. Quid enim oratori tam prodeſt, vt exultantẽ aduerſarium frangat, quam aliquod illius ſtulte dictum aut impure factũ commemorare? & ſuis eundem vocibus ſic obtundere, magis vt pudeat quid ipſe dixerit, quam recte caueat quid aduerſarius poſſit dicere. Sed concedamus paululum nullum in eo Papiſtis ſcandalũ dari, nec hiſtoriæ fidem in dubium vocari poſſe, ſi multa corrigantur, multa ne inſerantur quidem: quid tandem erit in illis nugis & inſomniis periculi? Certe, ſi deliriis & monaſticis vanitatibus quiſquam ebrioſus & tanquam faſcinatus fuerit, is eiſdem credet, etiamſi in noſtris hiſtoriis nihil tale reperiat. Totus ſiquidem terrarum orbis iſtis inſomniis, & miraculis circumfluit: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcet adhuc. Quod cum ita ſit, videamus quis ſit hodie rerum noſtrarum ſtatus in Anglia: & vtrum nimium an parum credendo magis periculum impendeat. Sane quidem (tibi grates o ſumme Pater) ita omni ex parte beſtia magna & tricipitis caput contritum eſt, ita concuſſæ ſunt nugæ monaſticæ, ita depulſæ tenebræ, ita lux euangelica propagata, vt nemo iam adeo hebetis & obtuſi ingenii papiſta ſit, quin Legendæ aureæ miracula, & illis cõſimilia ad politicam Romanæ eccleſiæ gubernationem potius excogitata dicat, quam ſe eiſdem credere quoquo modo fateatur. Et vt propius ad nos veniamus (vt nunc ſunt hominum ingenia) nonne id potius metuendum eſt, ne multi ſint, qui ſe nihil credere oportere exiſtimant, quam vt pauci ſuperſint qui nimiũ credant? Magis vt miſeranda illorum ignorantia, quam ferenda iſtorum incredulitas & inſolentia videatur? Vtinam profecto iſte ſermo quotidie in circulis & conuiuiis liberius non exiret, tãtum ſe credere quęq; oportere, quantum ratione (ne dicam ſenſu) conſequi poterunt: in vtroq; extremo vitiũ eſt, in illo craſſum, in iſto periculoſum. Illi nimium deſipere videbantur: nos nimium ſapere videri volumus. Egoequidem quoties in fabulas monaſticas & aniles ineptias oculos coniicio, iiſdem ſumma cum voluptate mea fruor. Apertã enim Dei bonitatem, & expreſſam miſericordiam in noſtra tempora videre mihi videor. Intueor ſiquidem eodem momento & inanes illas tenebras, quas patrum noſtrorum oculis Deus effudit, & immenſam lucem, quam idem nobis eorum poſteris reuelauit. Iſtius ſententiæ bonos omnes iuxta mecum eſſe exiſtimo, magiſq; vereor, ſi omnia iſtiuſmodi ſomnia & deliria deleantur, ne tandem aliquando papiſtæ negent huiuſmodi nugas in Eccleſia Anglicana vnquam fuiſſe ante diruta Cœnobia (quod multi iamdudum factitarunt) quam vt eadem re perſpecta, & cognita veritate, quẽquam decipiant. Multa antiquitus prodita ſunt mendacia de gentium & virorum origine, multa extant auguria, multa aruſpicum reſponſa, multa diuinationes; quibus tanta fides eſt habita, vt religio ex illis conſtituta plus quam mille annis perdurauerit: & tamen veniente in mundum Chriſti Euangelio,

omnia tanquam nebulæ penitus euanuerunt. Adulterinæ merces lucem ferre non poterant. Eædem tamen poſt aliquod tempus in manus hominum receptæ ſunt, non tam vt iis quiſquam capi quam vt delectari poſſet. Ridebat quiſq́; ſuperiorum temporum inſcitiam, deprehendit errorem, deniq́; prophanos ritus, mores & ceremonias (vt nos hodie) ſine vllo conſcientiæ labe aut diſcrimine legebant. Quis eſt qui in hoc æuo Romulum in cælum ſubdito emigraſſe credat? Quis Numam Pompilium cum dea Ægeria congreſſum tacitos habuiſſe, & ex illa leges Romanas didiciſſe? Quis Titi Latinii inſomnium? Quis Marci Ceditii de Gallorum aduentu vocem admiretur? Quis putet paulo ante Cæſarem interfectum bouem corde caruiſſe? aut, ſi caruerit, Cæſarianæ mortis portentum fuiſſe? Quis Tarquinii iuſſu Attium Næuium cotem nouacula præcidiſſe opinetur? Quis Alexandrum crediderit amicum Ptolomæum à morte ad vitam radicula quadam reuocaſſe, quam illi Draco per quietem oſtenderat? Et hæc tamen omnia ab Hiſtoricis & Oratoribus præſtantiſſimis ſcribuntur, & à nobis quotidie ſine vllo ſuperſtitionis diſcrimine leguntur. Et, vt hiſtoricos paululum omittamus, veniamus ad Theologos. Scribit Turpinus Remenſis Archiepiſcopus, & vnus de primoribus Galliæ, eam illi cum Carolo magno familiaritatem interceſſiſſe, vt alter alteri religioſe promitteret, vt quiſquis prius moreretur mortis ſuæ tempus quam fieri potuit diligentiſſime, ſuperſtiti ſignificaret. Quod cum inter eos vtrinq́; pactum conuentumq́; eſſet, Turpinus die quadam, dum rem diuinam faceret in extaſim raptus, agmen dæmonum vidit verſus Lotharingiam prætereuntium; è quibus cum vnum rogaret, quo proficiſci vellent, reſpondit, ſe Aquiſgranum ad Caroli magni mortem feſtinare, vt illius animam ad infernum raperent. Tum ille in nomine Ieſu illum adiurauit, vt eadem via reuerſus, fideliter illi oſtenderet, quid de Carolo factum eſſet. Quod cum ſollicite dæmon faceret, dixit Caroli animam ex illorum manibus abreptam eſſe: quia cum omnia illius facta tum bona tum mala ſtatêris librarentur, tot ligna & lapides in alteram à diuo Iacobo Gallitiano decapitato (quibus ille multas eccleſias dicauit) impoſita eſſe, vt illius benefacta malefactis longe ſuperiora eſſent. Quid hoc miraculo ſtultius aut inanius? Quis eſt hodie apud Anglos tam ſtupidus & inſenſatus, vt huic credat, etiamſi à Matthæis Weſtmonaſterienſi & Pariſio ſcribatur? Quis hodie putat vel Dunſtanum Archiepiſcopum diabolum illius operi inſidiantem naſo ſuſpenſum tenuiſſe, vel Vlſtanum Wigornienſem iuxta Diui Edwardi ſepulchrum baculum marmoribus adeo infixiſſe, vt nec à Lanfranco, nec alio quocunque, niſi ſolo Vlſtano, euelli poſſet? Iſta omnia antiquitatis deliria cognoſcere ſalus eſt adoleſcentulis: & plures, credo, ad caſtiſſimam noſtram Religionem craſſis iſtis & impuris exemplis ante oculos poſitis adducuntur, quam vllis politicis aut humanis præceptis. Difficile eſt enim id diligere quod aperte ſordet; nec vnquam poſtea ille cibus ſtomacho placere poteſt, qui ſemel nauſeam ingenerauit. Ita qui populum ſemel aut ſæpe miraculis deceptum viderit, nunquam eiſdem in poſterum credet. Hunc enim ſenſum vnuſquiſque noſtrum habet, vt ſi ab homine iſta fieri dicantur, nihil poſſibile; ſin à Deo, nihil impoſſibile credamus. Ipſa Euangelii lux vanitatis tenebras non patitur, neque in ea gente deliria & præſtigia vnquam poſſunt reuiuiſcere, apud quam Chriſtiani verbi puritas ſemel inualuit; quod ſi vnquam credamus, imbecillitatis noſtræ fidei, non alicuius periculi argumentum eſt. Nam cum omnes vrbes, omnia templa, omnis domus ſcripturis ſanctiſſimis abundent, nō poteſt iſta antiquitatis craſſities in vllo angulo aut latibulo ſine lumine, ſine indicio, ſine veri perſpicientia deliteſcere: aut, ſi quiſquam omnium ſit qui in tanta luce tenebras etiamnū mordicus retineat, indurauit cor eius dominus, & de eo magis deſperandum eſt; ne nunquam reſipiſcat, quam metuendum ne iſtis miraculis cæcus fiat, qui iamdudum in ipſa luce cæcutire & offendere deſiderat. Hæc in eū finem à me ſcribuntur (ſuauiſſime Lector) non vt à te puro Euangelii fonte ad turbulentos miraculorum lacus adigam, ſed vt tu (cum in ea incideris) Deo gratias agas, quod eam tibi lucem oſtenderit, quam patribus tuis denegauit: nec antiquiſſimas iſtas Patriæ tuæ Hiſtorias prorſus reiicias, quoniam in illis falſa miracula produntur: ne in ſumma rerum noſtrarum ignoratione ſemper verſeris, cum nec vlla antiquitatum veſtigia niſi in illis ſcriptoribus reperiri poſſint, nec quiſquam ſit qui perfectam rerum noſtrarum Hiſtoriam hactenus ſcripſerit. Id ego aliquando exactiſſime futurum non dubitarem, niſi in Deum & homines ingrati eſſemus; dum nec labores alienos merito approbamus, nec ingenia excellentia (vt ſolent aliæ nationes) præmio & honore afficimus. Immo vero, quaſi nati ad Barbariem eſſemus, doctiſſimos quoſque & viros eloquentiſſimos cum indignitate reiicimus. Hæc in nobis & alia quæcunq́; vitia Deus optimus maximus pro ſua ſumma clementia corrigat: & tibi Lector optime multorum annorum fælicitatem cum ſalute ſempiterna concedat. Vale.

Hæc omnia apud Titum Liuium.

Cice. de Diuinatione.

In hiſtoria ſua de Carolo cap. 23.

Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ? Matth. 6.

Hoc commētum habetur in hiſt. aurea. li. 2. ca. 7. Et Mat. Pariſ. pa. 290. anno. 1206. Et in Florilegio anno. 814. Et in ſermonibus Diſcipuli. Et in Polichron. lib. 5. cap. 26.

Tabula

Nomina regum	An. Do.	Pag.	Nomina regum.	An. Do.	Pag.	Nomina regum.	An. Do.	Pag.
Henricus 3. ult.	1273	43	16	1323	117	47	1373	187
Edw. I. 1	1274	44	17	1324	119	48	1374	188
2	1275	45	18	1325	121	49	1375	188
3	1276	46	19	1326	123	50	1376	189
4	1277	46	Edw. III. 1.	1327	126	51	1377	191
5	1278	47	2	1328	129	Rich. II. 1	1378	201
6	1279	48	3	1329	129	2	1379	220
7	1280	48	4	1330	131	3	1380	235
8	1281	49	5	1331	331	4	1381	245
9	1282	49	6	1332	132	5	1382	281
10	1283	50	7	1333	133	6	1383	296
11	1284	51	8	1334	134	7	1384	308
12	1285	52	9	1335	135	8	1585	312
13	1286	52	10	1336	136	9	1386	321
14	1287	52	11	1337	146	10	1387	325
15	1288	53	12	1338	146	11	1388	333
16	1289	53	13	1339	147	12	1389	336
17	1290	54	14	1340	148	13	1390	342
18	1291	54	15	1341	160	14	1391	344
19	1292	55	16	1342	160	15	1392	346
20	1293	57	17	1343	160	16	1393	349
21	1294	59	18	1344	164	17	1394	350
22	1295	60	19	1345	165	18	1395	351
23	1296	63	20	1346	166	19	1396	352
24	1297	65	21	1347	167	20	1397	353
25	1298	69	22	1348	168	21	1398	355
26	1299	74	23	1349	168	22	1399	356
27	1300	76	24	1350	169	Henr. IV.	1400	362
28	1301	77	25	1351	169	2	1401	364
29	1302	80	26	1352	169	3	1402	365
30	1303	86	27	1353	169	4	1403	367
31	1304	86	28	1354	170	5	1404	369
32	1305	89	29	1355	170	6	1405	372
33	1306	90	30	1356	171	7	1406	374
34	1307	91	31	1357	172	8	1407	376
Edw. I. ult.	1308	93	32	1358	173	9	1408	376
Edw. II. 2.	1309	96	33	1359	173	10	1409	378
3	1310	97	34	1360	174	11	1410	378
4	1311	97	35	1361	177	12	1411	379
5	1212	99	36	1362	178	13	1412	381
6	1313	102	37	1363	179	Henr. V.	1413	382
7	1314	104	38	1364	180	2	1414	385
8	1315	103	39	1365	180	3	1415	
9	1316	106	40	1366	181	4	1416	393
10	1317	108	41	1367	181	5	1417	395
11	1318	111	42	1368	182	6	1418	400
12	1319	111	43	1369	183	7	1419	
13	1320	112	44	1370	184	8	1420	
14	1321	113	45	1371	186	9	1421	403
15	1322	115	46	1372	186	10	1422	406

Thomas VValſingham patria Nordouolgius; ſed ad Albani fanum Benedictinorum ordinis Monachus, ac præcentor eiuſdem cœnobii, homo in hiſtoriis colligendis ſtudioſus atque diligens erat. Duas hiſtorias, vnam breuem, alteram quidem longiorem poſteritati tradidit. Primam inchoauit ab anno Chriſti. 1273. & in anno illius, 1422. finiuit, quæ continet centum quinquaginta annos vno dempto. Alteram ab irruptione Normannorum (quæ vocatur ab authore Ypodigma Neuſtriæ) vſque ad. 6. annum regni Henrici V. Anglorum regis, cui opus illud dedicauit; habetque rariſſimas hiſtorias, & à nullo alio ſcriptas: claruit anno à diuini verbi incarnatione. 1440. ſub Henrico VI.

CHRO-

CHRONICA THOMÆ VVALSINGHAM, QVONDAM MONACHI S. ALBANI.

DE TEMPORE REGIS EDVVARDI POT CONqueſtum primi.

ANNO gratiæ 1273. qni eſt annus regni Regis Henrici à conqueſtu tertii, 57. & vltimus, cum idem rex Henricus condignam vltionem Northwicenſib. dediſſet ſacrilegiis, Lōdonias redire decreuit. Et cū ad abbatiam S. Edmundi regis & martyris declinaſſet, graui languore corripitur, qui eum non deſeruit vſq; ad vitę finem. Dum ægrotaret enim, venerunt ad eum comites & barones terræ cū Pontificibus, vt eius tranſitui intereſſent. Confeſſus eſt autem humiliter peccata ſua, tundens pectus ſuum, & malam remittens omnibus voluntatem, emendationem quoq; vitæ promittens. Ex hinc abſoluitur à prælato: deinde deuote ſuſcepit corpus Chriſti, & vnctione delibatus extrema, Crucem Domini ſuppliciter adorauit, iubens debita ſua ſolui, & reſiduum indigentibus æque partiri. Cum hæc rite peregiſſet, reddidit ſpiritum ſuum Deo. Corpus autem eius apud Weſtmonaſterium honorifice traditur ſepulturæ. Regnauit quinquaginta ſex annis & amplius, quantum diſtat à feſto ſanctorum Simonis & Iudæ, vſque ad feſtum ſancti Edmundi Pontificis, videlicet viginti diebus. Duxerat autem in vxorem mulierem nobilem, filiam Comitis de Sauoye, nomine Ælenoram, de qua ſuſcepit filios, Edwardum, qui poſt ipſum regnauit, & Edmundum, qui fuit Comes Leyceſtrię & Lancaſtriæ, & duas filias, ſcilicet Beatricem, quæ nupſit Comiti Britanniæ, & Margaretam, quę fuit Regi Scotiæ coniugata. Iſte Henricus Rex inchoauit nouam fabricam Eccleſiæ Weſtmonaſterii, ſed non perfecit.

Singulis namq; diebus 3. Miſſas cum nota audire ſolebat, & plures audire cupiēs priuatim celebrantibus aſſidue aſſiſtebat: ac cum ſacerdos corpus dominicum eleuaret, manum ſacerdotis tenere, & illam oſculari ſolebat. Contigit autem aliquando S. Lodowicum Francorum regem cum eo ſuper hoc conferentē dicere, quod non ſemper Miſſis, ſed frequentius ſermonibus audiendis eſſe vacādum. Cui faceta vrbanitate reſpondens, ait, ſe malle amicum ſuum ſæpius videre, quam de eo loquentem, licet bona dicentem audire. Erat autē ſtaturæ mediocris, compacti corporis, alterius oculi palpebra demiſſiore, ita vt partē nigredinis pupillæ celaret, robuſtus viribus, ſed præceps in factis. In quibus tamen quia fortunatos & felices exitus habuit, putant eum multi apud Merlinum fatidicum per lyncem deſignatum omnia penetrantem. Cum igitur corpus magnifici regis cōmiſſum fuiſſet honorifice ſepulturæ, quia Edwardus filius eius primogenitus in terra ſancta detētus fuit crucis negotio, & abſens regni adminiſtrationem non valebat exequi, die proximo poſt patris eius ſepulturam, Frater Robertus Kylwarby Cantuarienſ. archiepiſcop. & Gilbertus comes Glouerniæ, cum aliis prælatis, ac regni proceribus Londoniis apud Nouū templū conuenientes, Edwardū abſentē dominum ſuum ligium recognouerunt, paterniq; ſucceſſorem honoris ordinauerunt: & de aſſenſu reginæ matris ſtatuerunt cuſtodes regni, miniſtroſque fideles, qui regio fiſco præeſſent, & prouentus regni ad opus regis noui ex integro reſeruarent, cuius pacem iam vbiq; fecerunt per Angliam proclamari. Eodē anno Edmundus filius regis Henrici, frater Edwardi, rediit in Angliā de terra ſancta. Edwardus igitur regis Anglorū Henrici tertii ex Ælenora filia Comitis Prouinciæ vel Sabaudiæ primogenitus, ætatis ſuæ anno triceſimo quarto patri ſucceſſit in regnum. Fuit autem prudens in gerendis negotiis ab adoleſcētia, armorum deditus exercitio, quo in diuerſis regionibus eam famam militiæ acquiſierat, qua totius orbis Chriſtiani ſui tēporis principes ſingulariter tranſcēdebat. Elegantis erat formæ, ſtaturæ pceræ, qua humero & ſupra cōmuni populo præeminebat. Cæſaries in adoleſcentia à colore pene argenteo vergens in flauum: in iuuentute vero à flauo declinans in nigredinem, ſenectutem in cigneam verſa caniciem venuſtabat. Frons lata, ceteraq; facies pariliter diſpoſita, eo excepto, quod ſiniſtri oculi palpebra demiſſior paterni aſpectus ſimilitudinem exprimebat, lingua blæſa, cui tamen efficax facundia ad perſuadendum in rebus non defuit perorandis. Brachiorum ad proportionem corporis flexibilis productio, quibus viuacitate neruica nulla cuiuſque erant ad vſum gladii aptiora.

Mores regis Henrici.

Electio Edwardi in regem.

Mores Edwardi regis.

Pectus

Pectus ventri præeminebat, tibiarumque longa diuiſio, equorum nobilium curſu & ſaltu, ſeſſoris firmitatem prohibuit infirmari. Cum vacaret ab armis, venationib. tam auium quam ferarum indulgebat, & maxime ceruorum, quos in equis curſoribus ſolebat inſequi, gladioq; vice venabuli confodere apprehenſos. Quem commorari in protectione Dei cœli notum erat. Nempe cum adhuc adoleſcens eſſet, & cum quodam milite in camera reſtudinata ludo ſcaccarii occuparetur, ſubito nulla occaſione præſtita, inter ludendum ſurgens diſceſſit, & ecce lapis immēſæ magnitudinis, qui ſedentem conquaſſaſſet, cecidit in eundem locū quo ſederat, propter quod miraculum beatam Mariam apud Walſingham propenſius honorabat. Ei vero attribuebat, quod periculum iſtud euaſit. Inerat ei præterea magnificus animus, iniuriarum impatiens, periculorum obliuiſci cogens, dum vindicari cuperet, qui tamen facilime humilitate exhibita potuit emolliri. Nempe cum quodam tempore iuxta quandam ripam falconum aucupio ſe exerceret, vnum de comitibus ſuis ex altera parte fluuii negligentius ſe habentem circa falconem, qui anatem inter ſalices corripuerat, arguit, & obiurgationi minus, vt videbatur, obedienti, minas adiecit: at ille attendens, nec pontem nec vadum conſiſtere in propinquo, facilitate quadam reſpondit: Eia (inquit) ſufficit mihi, quod nos ab inuicem diuidit fluuins iſte. Quo reſponſo exaſperatus filius regis, aquam ignotæ profunditatis ingreſſus equo natante, tranſiuit in crepidinem aluei fluminis decurſu cauatam, & cum difficultate aſcendens gladio extracto inſequitur fugientem: qui tandem per fugam deſperans euadere, regirato equo nudatoq; capite, humiliter collum prætendit, & Edwardi ſe obtulit voluntati. Quo facto, ab incepto ſuo fractus regis filius, gladium repoſuit in vaginam. Deinde reuerſi pacifice, falconis relicti pariter curam egerunt. Hæc de morib. & adoleſcentia filii regis Henrici commemorauimus, ne poſteris geſta talia ſint ignota.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte frugifer & fructifer inter vtrunq;, Romanis deſideratus, propter intronizationem Papæ: triſtis terræ ſanctę, propter diſceſſum exercitus Chriſtiani: Anglis lætus propter electionem regis noui.

Moritur imperator.

Anno gratiæ milleſimo ducēteſimo ſeptuageſimo quarto, qui eſt annus Edwardi à conqueſtu primi, 1. Principes Teutonicæ cognoſcentes veraciter mortuum eſſe dom. Richardum regem Alemannię, quondam fratrem regis Anglorū Henrici, conuenerunt in vnum, & Radulphum de Aſſio comitem Ruphum elegerūt in Imperatorem Romanorum, qui anno eodem in regem Alemanniæ ſolemniter coronatur.

Edvvardus ſuſcipitur à rege Siciliæ cū honore.

Edwardus iam rex Angliæ præſignatus, dum moram apud Acton faceret, & Chriſtianorum ac Tartarorum auxilia fruſtra diutius expectaret, conſilio inito, relictis ad terræ ſanctę defenſionem ſtipendiariis, naues repatriaturus ingreditur, curſuq; veliuolo Siciliā vſq; peruenit, vbi à rege Carolo honorifice ſuſceptus eſt. Cumq; per dies aliquot recreandi gratia ſe & ſuos ibidem continuiſſet, rumores primo de morte filii ſui Henrici, ac poſtmodum de morte patris accepit. Qui dum mortem patris anxius quā filii ſui plangeret, à rege Carolo vice conſolatoris aſſiſtente, plurimumq; mirante, ſuper hoc requiſitus dicitur reſpondiſſe:

Edvvardi reſponſio.

Iactura (domine rex) filiorum facilis eſt, cum quotidie multiplicentur: Parentum vero mors irremediabilis eſt, quia nequeunt reſtaurari. Carolus autem rex diſcedentem Edwardum conduci fecit per Carolum filium ſuum vſq; ad vltimos terminos regni ſui. Cum autē ad veterem vrbem (vbi Papa cum ſua curia reſidebat) aduenïſſet, occurrentibus ei cardinalibus omnibus cum honore maximo ad dom. Papæ præſentiam eſt deductus. Cui ſuper morte conſanguinei ſui Henrici de Alemannia, anxiam depoſuit querimoniam, quem nō modo in offenſam iuris humani à Guidone de Monteforti, dum Miſſarum ſolemniis aſſiſteret, cōſtabat interfectum, ſed in contemptum Eccleſiæ & ſcandalum nominis Chriſtiani. Papa igitur his commotus, Guidonem excommunicauit, & omnes eundem receptantes, &, quouſq; eccleſiæ ſatisfieret, terras eorum ſuppoſuit interdicto. Diſcedens deniq; Edwardus à curia, per ciuitates Italiæ progreditur, vbiq; receptus à ciuibus cum gaudio maximo & honore. Ingreſſuro autem Sabaudiam, prælati ac proceres Angliæ quamplurimi in deſcenſu montium occurrerunt.

Rex Edwardus in torneamento reportat victoriam.

CVMQVE Edwardus pertranſiſſet Sabaudiam, comes Kabilanenſis eum ad ludum militarem (qui vulgo torneamentum dicitur) inuitauit. Optabat enim ipſe Comes cum multis aliis militiam Edwardi opere experiri, cuius iam fama repleuerat totum orbem. Quorum votis condeſcēdens Edwardus, ſe cum militib. ſuis, licet longa

pere-

peregrinatione vexatis, partem velle tenere cõtra comitem & ſuos proclamari fecit, ac quoſcunq; alios milites aduentantes. Die itaq; ſtatuto congrediuntur partes, gladiiſq; in alterutrum ingeminantes ictus vires ſuas exercent. Comes vero cuneum Edwardi penetrans, cum ipſo cominus congreditur. Cui tandem abiecto gladio appropinquans, collum Edwardi brachio circumduxit, & tota fortitudine aſtringens, ab equo detrahere conabatur. Sed Edwardus inflexibiliter ſe tenens erectum, dum Comitem ſibi ſenſit firmius adhærentem, equum vrgendo calcaribus Comitem à cella abſtraxit, quem ad collum ſuum pendentem fortius excutiens à ſe in terram deiecit. Commouentur exinde Burgundiones in iram, & vbiq; exercitum armorum in hoſtilem inſultum, ceptumq; ludi bellicum vertitur in tumultum. Cedunt igitur cædentes Anglici, & vim vi repellunt, fortiter impetus frangentes aduerſariorum. Interim comes refocillatus paululum, Edwardum ſecundo aggreditur, cuius ſuper ſe manum ſentiens aggrauari, dedidit ſe eidem. Sicq; peregrinis conceſſa victoria, partes ambæ in vrbem pacifice reuertuntur.

Edwardus facit homagium regi Franciæ.

POST hæc Edwardus venit in Franciam, & à Philippo Francorum Rege magnifice ſuſceptus eſt, fecitq; homagium pro terris ſuis, quas de eo tenebat, ſub conditione reſtitutionis terrarum patri ſuo in venditione Normanniæ promiſſarum. Deinde in Waſconiam proficiſcitur ad compeſcendum nouos motus, quos in eadem Gaſco de Bierna miles nobilis & ſtrennus, ſed à fide domini ſui Edwardi deficiens, concitauerat. Cuius terras Edwardus cum exercitu potenter ingreſſus, ipſum in fugam coegit, & in quodam caſtro forti ac munito obſedit. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer opulenter: Romanis, Anglis, & Francis ſub quiete tranſactus, Saracenis etiam & cunctis incredulis nociuus.

Edvvard. tranſit in Waſconiam.

Annalis eccleſiæ.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi ſecundus, fuit rex Edwardus ad natale in Waſconia cum vxore ſua. Hoc anno Gregorius Papa decimus, Kalendas Maii apud Lugdunum generale concilium celebrauit, ad quod Græci & Tartari ſolemnes nuntios tranſmiſerunt. Græci ad vnitatem Eccleſiæ ſe redire ſpondent, in cuius euidens ſignum cum cantaretur ſymbolum, hortante domino Papa, trina vice nuntii eorum, & in ſpiritum dominũ viuificantem qui ex patre filioq; procedit, replicauerunt celebriter & deuote. Nuntii vero Tartarorum baptizati, & infra tempus concilii ad propria redierunt. Affuit ibi prælatorum numerus, quingenti Epiſcopi, abbates 60. prælati vero alii circa mille. vnde dixit quidam:

Concilium Lugdunenſe.

Gregorius denus congregat omne genus.

Ibi ſtatutum eſt illud inſigne, & à retro ſeculis inſolitum, quod omnes rectores curati deinceps forent ſacerdotes. Prohibiti ſunt & Bigami primam tonſurã deferre, & quod nulli hominum deinceps liceat decimas ſuas ad libitum, vt antea, vbi vellet aſſignare, ſed matrici eccleſię omnes decimas perſoluerent. Ipſe quoq; Gregorius decimam ſexennalem vniuerſali eccleſiæ impoſuit, pluralitatem beneficiorum curatorum damnauit. Aliquos ſtatus de ordinibus mendicantium approbauit, vtpote prædicatores, & minores aliquos tolerauit, vtpote Carmelitas & Auguſtinenſes. Aliquos reprobauit, vt Saccinos, qui intitulãtur de pœnitẽtia, ſiue de valle viridi, & cõſimiles. In via verſus iſtud conſiliũ doctor venerabilis frater Thomas de Aquino de ordine Prædicatorũ, in quadã abbathia monachorũ Ciſterciẽſium, quæ dicitur Foſſa noua, diem clauſit extremum. Cuius tam acuta, tam publica ſunt monumẽta, vt doctor cõmunis à viris Scholaſticis nuncupetur. Hic natione Campanus, filius comitis de Aquino, inuitis parentibus, qui eum monachari volebant, prædicatorum ordinem eſt ingreſſus, miſſus vero ad ſtudium Pariſienſe, doctoratus gradũ merito eſt adeptus. Super libros ſententiarum 4. ſcripta fecit, ſcripſit & primam partem de quęſtionibus diſputatis de veritate. Scripſit & ſecundam partem de quæſtionibus diſputatis de potentia Dei, & tertiam partem de quæſtionibus diſputatis, quarum initium eſt de virtutibus. Item, contra gentiles 4. libros ſcripſit. Item, ſummam Theologiæ, quam in 3. partes diuiſit, & ſecundam in duas, ſed morte præuentus tertiam non cõpleuit. Quatuor Euangelia continuata expoſitione de dictis ſanctorũ gloſſauit. Literalis etiã expoſitionis in Iob edidit librum vnũ. Multaq; alia ſcripſit ad vtilitatẽ legentiũ q̃ diligens lector inuenire poterit, intitulata in chronicis Nicolai Triuett. Sanctitati v. ipſius à vitæ meritis atteſtantur miracula, quæ poſt eius tranſitũ, & in vita ipſius plurima contigerunt. Nocte

De geſtis & moribus Thomæ de Aquino.

vero

vero ipſa, qua de hoc mũdo tranſiit, apparuit in ſomnis germano ſuo comiti de Aquino in habitu ordinis ſui, tradens eidem in manu literam quandam clauſam. Qui circa poſt excitatus cum ſentiret ſe literam habere in manibus, camerarium ſuum aduocauit, iuſſitq; lumen celeriter apportare; quo allato literam aperiens, inuenit ibi aureis apicibus omne humanũ artificium ſua formoſitate excedẽtib. hoc inſcriptum, *Hodie factus ſum doctor in Hieruſalem.* Conſeruata itaq; litera, per nuntios ad inquirendum de ſtatu ſuo miſſos, ipſum eadem nocte, qua apparuit ſibi, comperit ex hac luce migraſſe.

Sub eiſdem diebus Gaſco de Bierna à rege Anglorũ obſeſſus, cum omni iam via euadendi ſibi præcluſa attẽderet rem eſſe in foribus, vt ad deditionẽ cogeretur, ſuper negotio, ꝙ inter regem Edwardũ & ipſum vertebatur, appellationẽ interponit ad curiam regis Francorum, cui deferens rex Edwardus, nolens regem Francorum (quem nuper dominum ſuum pro terris in Francia recognouerat) contra ſe partem facere, diſſentientibus multis de ſuis obſidionem amoueri iuſſit, miniſtris ſuis committẽs, vt in curia regis Franciæ cauſam ꝓſequerentur contra Gaſconem. In qua tandem iniurioſæ rebellionis conuictus per regem Francorum, regis Angliç adducitur voluntati. Edwardus rex poſtquã obſidionem dimiſerat, ordinatis pro articulo temporis rebus Waſconiç in Angliã ꝓperauit, vbi à clero & populo eſt receptus cũ gaudio & honore.

Coronatio regis & reginæ.

Dominica vero infra octauas aſſumptionis B. virginis, in Eccleſia Weſtmonaſt. vna cum Alienora conſorte ſua à Roberto Cantuar. archiepiſcopo inungitur in Regem, & ſolemniter coronatur. Coronationis ſolemnitati interfuerunt regina mater, Alexander rex Scotorum, duxq; Britanniæ, ambo regis ſororii, cum prælatorum, comitum & baronum, aliorumq; nobilium, multitudine copioſa, & tunc 36. ætatis ſuæ anni rex impleuerat 2. menſes, qui in craſtino coronationis ſuæ recepto à rege Scotorum homagio, ipſum dimiſit ad ꝓpria plurimũ honoratũ. Eo anno infauſta lues ouiũ ſutrepſit in Anglia, vt vbiq; repente ouilia peſte granſſante vacuarentur, quæ durauit ſequentibus viginti octo annis. Ita vt nulla totius regni villa huius miſeriæ clade careret. Cauſam huius morbi prius inſuetam incolis, attribuebant multi cuidam diuiti de Francorum partibus, qui applicuerat in Northumbriam, adducens ſecum quandam ouem Hiſpaniæ morbidam, quæ totum gregem Angliæ morbi traductione contaminauit, quæ erat de biennalis bouiculi quantitate. Tranſit annus iſte frugifer & fructifet opulenter, Eccleſiæ memorialis ac celebris propter honorabilis concilii celebrata ſtatuta apud Lugdunum, Waſconibus inquietus propter rebellionem Gaſconis, Anglis deſiderabilis, propter ſolemnitatem diu deſideratæ regiæ coronationis.

De prima peſte ouium.

Annalis concluſio.

De Gaſcone.

Anno gratiæ M. CC. LXXVI. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi tertius, Gaſco de Bierna in Angliam veniens cum reſti circa collum, ad regis prçſentiam eſt adductus, quem ad ſuam miſeriçordiam Rex recipiens morte condonata in caſtro Wintoniæ per annos aliquot cuſtodiæ mancipauit, qui tandem per Regis gratiam liber dimiſſus ad propria, regi Angliæ ſemper inpoſterum gratus extitit & fidelis. Hoc anno coactũ eſt Parliamentũ Londoniis, ad ꝙ inuitatus eſt per ſolemnes nuntios Lewlinus Princeps Walliæ, qui inuitatus regiæ coronationi primo contempſerat intereſſe. Cumq; moneretur per nuntios, vt veniret, & homagium debitum regi faceret, finxit ſe non audere intrare Angliam, propter inſidias quorundam maiorum regni ſibi inſidiantium ea vice. Et ideo pro ſua ſecuritate filium Regis & Gilbertum Glouerniæ comitem, Robertumq; Burnelii regis cãcellarium obſides poſtulauit, quod rex indigne tulit, ſed tamen diſſimulato negotio inceptum Parliamẽtum conſummauit. In quo ſtatuta edidit contra manum mortuam, ne de cetero poſſeſſiones terrarum ſeu reddituum, ſine ſpeciali regis licẽtia ad manũ mortuã deuoluantur. Vocantur ergo ſtatuta in præſenti Parliamento edita, ſtatuta Weſtmonaſterii prima. Poſt parliamentũ vero rex, vt Lewlino Principi Walliç liberior ad ſe pateret acceſſus, Ceſtriã vſq;, quæ in cõfinio Walliæ ſita eſt, progreditur. Miſſis iterum nuntiis, homagium exigit ab eodem. Quo mandatis regiis parere detrectante rex exercitum cõuocat, diſponens Principem ſibi denegãtem homagiũ de ſuo feodo expugnare. Eodem anno in partibus Auſtralibus Angliæ, & Occidentalibus, terræ motus horribilis contigit feria 4. infra octauas natiuitatis virginis glorioſæ. Peſtilentialis etiam ægritudo oues conſumens ſcabie plurimas interfecit. Hoc anno ſoluit populus regi quintam decimam bonorum, quæ patri ſuo dicebatur præconceſſa. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer Anglicæ regioni: Chriſtianis & incredulis à bellis vbiq; quietus.

Parliamentum.

Statuta de manu mortua.

Diſſentio inter regem & Principem Walliæ.

Terræmotus.

Quinta decima.

Annalis concluſio.

Comitiſſa Leyceſtriæ moritur ſub

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à cõqueſtu primi quartus, comitiſſa Leyçeſtriç, relicta videlicet Simonis de

nis de Monteforti quondã comitis Leyceſtriæ, quę fuerat ſoror Henrici regis Anglię, & occiſo marito cum ſuis in Galliam fugerat, ac in domo ſororum de ordine prædicatorũ apud Montargis à ſorore viri ſui fundata, morabatur: filiã ſuã tranſmiſit in Walliam, Principi (ſicut patre viuente ſub certis pactis conuentũ fuerat) maritãdam. Ducem vero itineris ac procuratorẽ negotii Americum filium ſuum germanum puellæ conſtituit, aſſignata eiſdem comitiua. Qui ſuſpectũ habentes iter per Angliã, emenſo multo maris ſpatio ad inſulas Siluias (quę terminos Cornubię è vicino reſpiciunt) deuehuntur, vbi à 4. nauibus Briſtollenſibus ex inſperato ſuperuenientibus cõprehenſi ad præſentiam regis Anglię deducuntur, qui retenta puella honorifice in comitiuam reginæ, Americum fratrem ſuũ primo in caſtro de Corf, & poſtea in caſtro de Scheребoutne ſub cuſtodia libera detinuit, ſed ſecura. Eodẽ tẽpore Papa Gregorius apud Areſcium defunctus, ibidem traditur ſepulturæ, cui ſucceſſit Innocentius 5. natione Burgundus, de Tarentaſia, dictus ante frater Petrus, qui in ordine prædicatorum ſtudio ſcripturarum deditus, ac doctor Theologiæ Pariſius factus, ſapientiæ ſuæ memoria multa ſcribendo vtilia poſteris dereliquit. Qui cum eſſet vir religionis eximię, expertæq; prudentiæ, primo Prior prouincialis fratrum ſuorum in Francia, deinde efficitur archiepiſcopus Lugdunenſis, demumq; à Papa Gregorio ad cardinalatũ aſſumptus, conſtitutus eſt Epiſcopus Hoſtiẽſis. Factus autem Papa ſedit menſibus 5. diebus 2. moriturq; Romæ, & in Lateranenſi eccleſia ſepelitur. Cui eodem anno ſucceſſit Adrianus 5. natione Ianuenſis, dictus antea Octobonus, qui tituli S. Adriani diaconus cardinalis à Papa Clemente 4. legatus in Angliam miſſus fuit. Hic Papa factus ſtatim conſtitutionem, quam Papa Gregorius 10. fecerat de incluſione cardinalium pro electione ſummi Pontificis, ſuſpendit: proponens eam aliter ordinare. Sed morte præuentus, conſtitutionem ſuſpenſam reliquit: ſedit vero menſibus 2. Papa. Adriano defuncto ſucceſſit Iohannes viceſimus primus, dictus Petrus Hiſpanus. Hic Epiſcopus Tuſculanus erat prius, in actibus diuerſis famoſus, ſed ſcientiarum florem, pontificalemq; dignitatem quadam morum ſtoliditate deformauit, adeo vt naturali pro parte carere videretur induſtria. In hoc tamen quamplurimum laudabilis fuit, quod ſe tam pauperibus quam diuitibus communem exhibens, ſtudiumq; literarum amplectens, multos in beneficiis Eccleſiaſticis promouit egentes. Rex Angliæ de Ceſtria in Walliam progrediens cepit caſtrum, quod dicitur Rodolanum, miſitq; in Walliam occidentalem militem nobilem dictum Paganum de Canuſiis, qui cuncta cæde incendioque vaſtauit. Hoc tempore frater Iohannes de Derlington, ordinis Prædicatorum confeſſor, quondam regis Henrici autoritate Papali in regno Angliæ collector efficitur decimarum, ſalua Papali reuerentia contra ſui ordinis profeſſionem tali officio deputatus. Huius tamẽ ſtudio & induſtria editæ ſunt Concordantię magnæ, quæ Anglicanæ vocantur. Hoc anno ſextodecimo Kal. Iulii venerabile corpus beati Richardi Ciceſtrenſis Epiſcopi eſt tranſlatum, & in capſa argentea & deaurata honorifice collocatum. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer Anglicanis: ſed propter tot Paparum interitum, triſtis lugubriſq; Romanis: & non ſolum orbi Chriſtiano à bello generali, ſed Saracenis increduliſq; quietus.

ſuum Principi Walliæ maritandam.
Obiit Gregorius Papa.
Adrianus quintus.
Obiit Adrianus Papa.
Wallia deuaſtatio.
Concordantiæ editæ.
Tranſlatio ſancti Richardi.
Annalis concluſio.

Anno gratiæ 1278. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi 5. Ioannes Papa 21. cũ ſibi vitæ ſpatiũ in annos plurimos extendi crederet, & hoc etiã coram multis aſſereret, ſubito cũ noua Camera, quã ſibi Viterbii circa palatiũ conſtruxerat, ſolus corruit, & inter lapides & ligna colliſus, 6. die poſt caſum (ſacramentis omnibus Eccleſiaſticis perceptis) moritur, & in eccleſia S. Laurentii ſepelitur. Cui ſucceſſit Nicholaus 3. prius dictus Iohannes Gagetanus, de genere Vrſinorum. Hic ſuper regulam S. Franciſci expoſitionem quandam edidit, quam inter alias decretales de verborum ſignificationibus inſeri ordinauit. Wallenſes occidentales per id temporis ad pacem regis Angliæ venientes, Pagano militię regis in partibus illis capitaneo, caſtrum de Stredewey cũ adiacenti patria reddiderunt. Princeps vero Walliæ videns ſe Regi Angliæ quotidie inualeſcenti nõ poſſe reſiſtere, pacẽ petiit & obtinuit ſub hac forma: videlicet, quod omnes captiui, quos hactenus ratione regis Angliæ detinuit in vinculis, ſimpliciter & ſine calumnia liberarentur. Item pro pace & beneuolentia regis habenda daret 50000. librarum ſterlingorum, quarum tamen ſolutio in voluntate & gratia regis foret. Item, quod terra quatuor Cantredorum ſine omni contradictione regi & ſuis heredibus cum omnibus terris conquiſitis per regem hominesq; regios, excepta inſula Angleſeya, in perpetuum remaneret. Inſula enim Angleſeya conceſſa eſt Principi, ita, quod ſoluat pro ea ſingulis annis Regi mille marcas, quarum ſolutio incipien-

Obiit Papa Iohannes ædium ruina oppreſſus.
Wallenſes petunt pacem.
Forma pacis inter regem Angliæ & principem Walliæ.

cipienda erat in feſto S. Michaelis proximo tūc inſtātis: pro ingreſſu vero 5000. marcarum daret. Et ſi Princeps ſine herede de corpore ſuo moreretur, inſula illa in Regis Angliæ poſſeſſione remaneret. Itē, quod Princeps veniret in natali domini ad regem in Angliam pro homagio faciendo. Item, quod omnia homagia Walliæ remanerent regi, præterquam 5. baronum, qui in confinio Snowdoniæ morabantur: quia ſe Principem conuenienter vocare non poſſet, niſi ſub ſe aliquos barones haberet ad vitam ſuam & poſt mortem eius. 5. prædictorum baronum homagium regi Angliæ fieret & ſuis heredibus in æternum. Et pro aſſecuratione iſtorum tradidit Princeps 10. obſides de melioribus Wallię abſq; incarceratione, exheredatione & termino liberationis. Et de omni Cantredo & de Snowdonia, & de conſilio Principis meliores, iurabunt tactis ſacroſanctis reliquiis, quod quandocunq; Princeps aliquē prędictorum articulorum infregerit, niſi admonitus ſe correxerit, abalienabunt ſe ab eo, & eidem in omnibus, quæ poterunt hoſtes fient. Item, præter hæc Princeps fratres ſuos quos læſit placabit, habuit enim 3. fratres, quorum duos Owenum & Rodericum poſuerat in carcere, tertius vero Dauid fuga dilapſus multis annis cum rege Angliæ ſtetit, à quo contra morem gentis ſuæ miles factus in iſta guerra, ob probitatem & fidelitatem ſuā plurimum erat regi acceptus, vnde & eidem caſtrum de Dimby contulit in Wallia cum terris ad valorem mille librarum annui reditus, inſuper & vxorem dedit filiā comitis Derbeię, quæ nuper alio viro fuerat viduata. Owenus ergo fauore regio liberatur à carcere, quem fregerat paulo ante. Rodericus vero fratrē fugiens, in Anglia morabatur. Rex autem in occidentali Wallia apud Lampader Vaur ad cohibendum irruptiones Wallenſium caſtrum conſtruxit inſigne. In ſubſidium huius guerræ conceſſa eſt regi à populo viceſima pars bonorum. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer ſatis abunde, ſine tumultu inter Chriſticolas & Saracenos: Romanis notabilis, propter inopinabilem mortem Papæ: Anglis proſper propter ſubiectos rebelles Walliæ, ſed ipſis Wallenſibus infamis & odibilis propter admiſſionem dominationis inſuctæ.

Subſidium regi conceſſum.

Annalis concluſio.

Archiep. Cant. fit Cardinalis.

Anno gratiæ M. CC. LXXIX. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi ſextus, Robertus Cantuarienſis Archiepiſcopus per Dominum Nicolaum Papam ad Cardinalatum aſſumptus, factus eſt Epiſcopus Portuenſis. Rex Angliæ circa tempus iſtud filiam Comitis Leyceſtriæ Simonis de Monteforti, apud inſulas Siluias, prout ſuperius dictum eſt, captam à Briſtollenſibus, & ſibi adductam, Principi Walliæ dedit vxorem, nuptiarum ſolemnitatem agens impenſis propriis, ſuaq; ac reginę præſentia illas honorans. Hoc anno Iudæi de tonſura monetæ conuicti in magna multitudine vbique per Angliam ſuſpenduntur: puniti ſunt eo tempore & eorum conſentanei pro prauis eſcambiis, & pro cauſa prædicta. Eodem anno tenuit rex parliamentum Glouerniæ in octauis ſancti Iohannis Baptiſtæ, in quo edita ſunt ſtatuta, quæ de Glouernia appellantur. Circa menſem Auguſtum Rex Edwardus transfretauit in Franciam, ad habendum colloquium cum Philippo Rege Francorum, vnde tunc obtinuit reſtitutionem aliquarum terrarum, non tamen omnium, quæ in venditione Normanniæ promiſſæ fuerant patri ſuo. Per hoc tempus obiit regina Caſtellæ, mater reginæ Angliæ, ad quam iure hereditario poſt mortem matris deuolutus eſt Pontini comitatus. Iſto anno, antequam rex tranſiret in Gallias, rex Scotorum Alexander in Angliam veniens, regem conſuluit de negotiis arduis terræ ſuæ. Impetrauit autem à rege literas teſtificantes auxilium in guerra Wallię præſtitum non nomine ſeruitii factum eſſe. Hoc anno Robertus Burnel Epiſcopus Bathonienſis in Cantuarienſem archiepiſcopū eſt electus, ſed Papa electione caſſata lectori curiæ fratri Iohanni de Peccham de ordine Minorum, eandem contulit dignitatem. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer Romanis, Anglis & Francis, Scotis & Wallenſibus ſub ſilentio quieteque tranſactus, Saracenis etiam otioſus.

Nuptiæ principis Walliæ.

Iudæi ſuſpenduntur.

Statuta Glouerniæ.

Reſtitutio terrarum Edwardo regi facta.

Rex Scotiæ venit in Angliam.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ M. CC. LXXX. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi ſeptimus, frater Iohannes Peccham Ciceſtrenſis diœceſis, de ordine Minorum, venit in Angliam à domino Papa in Cantuarienſem Archiepiſcopum cōſecratus. hic Pariſius in Theologia & Oxo. lectiones ſuas reſumpſerat. Deinde miniſter prouincialis Angliæ, ac tandē lector palatii in Romana curia factus fuit, qui ordinis ſui zelator pręcipuus, carminū dictator egregius, affatuſq; pōpatici fuerat: mentis tamē benignæ extitit & animi admodū liberalis. Hoc anno moneta Angliæ per tonſurā nimis deteriorata ex mandato regis renouatur. Obolus quoq; qui prius formam ſemicirculi habebat, tanquā pars denarii in medio diuiſi, fit rotundus, iuxta vaticiniū Merlini dicētis: *Findetur forma cōmercii, dimidiū rotundū erit.* Facti ſunt etiā eo tēpore primo & quadrātes.

Illuſtris

Rotunda tabula.

Illuſtris miles Rogerus de Mortuo mari apud Kelingworthe, ludum militarē, quem vocant rotundam tabulam, 100. militum ac tot dominarum conſtituit; ad quam pro armorum exercitio de diuerſis regnis confluxit militia multa nimis. Frater Robertus quondā Cantuarienſis archiepiſcopus, & poſt cardinalis & epiſcopus Portuenſis, poſt aduentum ſuum ad curiā grauiter infirmatur, ex qua infirmitate cito poſtea mortuus eſt. Eo tempore obiit Walterus Giffard archiepiſcopus Eboracenſis, cui ſucceſſit magiſter Wilhelmus de Wikewanne in Romana curia conſecratus. Eodem anno frater Ioannes Pecchā Cantuariēſis archiepiſcopus cōuocat conciliū apud Radingiam; vbi ſuffraganeis ſuis impoſuit, vt ſtatuta generalis cōcilii facerēt arctius obſeruari. Trāſit annus iſte frugifer & fructifer Anglis, Francis, Romanis, Sarraceniſque quietus.

Obiit Archiepiſcopus Eboracenſis.
Concilium Radingiæ.
Annalis cōcluſio.

Moritur Papa Nicolaus 3.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi octauus, Nicolaus Papa tertius moritur. Succeſſitq; ei Martinus 4. prius dictus Simon Turonenſis, Gallicus natione. Hoc anno Edwardus Rex Angliæ de lapidibus precioſis iaſpiduin, quos ſecum attulerat de partibus Gallicanis, paternum ſepulchrum apud Weſtmonaſterium fecit plurimum honorari. Eodem anno Oliuerus de Suttona fit epiſcopus Lincolnienſis, qui prius fuerat eiuſdem eccleſiæ decanus. Frater Ioannes Pecchan Cantuarienſis Archiepiſcopus, ne nihil feciſſe videretur, conuocat concilium apud Lambheyth, in quo conſtitutiones Ottonis, Octoboni quondam legatorum in Anglia innouans, iuſſit eas ab omnibus cuſtodiri. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer Romanis, Anglis, Gallicis, Sarracenis increduliſq; quietus.

Concilium apud Lambheth.
Annalis cōcluſio.

Papa fit ſenator.

Anno gratiæ 1282. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi nonus, Martinus Papa ſenator efficitur vrbis Romæ, qui in Romaniolam exercitum miſit contra Gwidonem Comitem Montis Febri, qui in partibus illis terras eccleſiæ occupauit. Hic Martinus Papa capas fratrū Carmelitarū mutauit in album, quæ prius erant ſtragulatæ & birratæ. Eo tempore Dauid germanus Principis Walliæ, immemor beneficiorum Regis Angliæ, qui eū promouerat, & contra fratrē perſequentē protexerat, cōcitauit pene totā Walliā ad inſurgendū cōtra regem. Et vt principē nobileſq; Wallenſiū ad ſeditionē facilius inclinaret, ipſe primus facinus aggreditur, & Rogerū de Clifford militē nobilē & famoſum, quē rex illuc miſerat, tanquā totius Walliæ iuſtitiarium, nihil tale ſuſpicantē proditorie in caſtro ſuo de Hawardin, dominica in ramis palmarū cepit. Quoſdamq; milites eius volentes reſiſtere inermes occidit; exinde reuerſus ad Principē, collecto exercitu vna cū eo Rodolanū venit, obſidionēq; poſuit circa caſtrū. Eo tēpore rex Paſchalē ſolennitatē in diœceſi Sarū tenuit apud Viſas, vbi ſuper hac cōmotione auditis rumorib. iuſſit quamprimū totū exercitū cōgregari. Militiā, quā tunc in promptu habebat, vſq; Rodolanū præmiſit. Ipſe vero rex clā Ambreſbiriā adiit, vt matrē ſuā ſalutaret, q̄ tūc in illo monaſterio morabatur. Cōtigit autem dū ibi eſſet, vt quidā ad matris eius præſentiā adduceretur, qui per tēpus aliquod cæcū ſe finxerat, viſumq; ſibi ad Henrici Regis quondā mariti ſui tumulū dixerat reſtitutū. Edwardus vero Rex hunc ab antiquo nouerat famoſum flagitiis, notatumq; malitiis ac fraudibus ab olim, & mendaciis aſſuetum; matriq; narrationib. plurimum applaudenti ne crederet diſſuaſit; quæ in morem fœminarum vetularum ſubito in iram verſa, filium grauiſſime redarguit, cameramq; ſuam euacuare præcepit. Cui iuſſis matris humiliter parenti, dum egrederetur, occurrit Prior prouincialis fratrum prædicatorum, dictus frater Hugo de Manceſtria, vir magnæ diſcretionis, ac magiſter in Theologia, qui & ipſi Regi familiariter notus erat; quem Rex ad partem trahens, offenſam matris, & omnia quæ contigerant, enarrans per ordinē, finaliter hoc adiecit: Ego (inquit) iuſtitiam patris mei tantum noui, quod potius huic ſcurræ eruiſſet oculos integros, quam tantæ iniquitati lumen perditum reſtauraſſet. Altera vero die acceptà à matre licentia, cum celeritate ad militiam, quam præmiſerat, in Walliā properauit. Cuius audito aduentu, Princeps Walliæ obſidione ſoluta longius ſe ſubtraxit. Interim captum eſt caſtrum de Lampadernaur per Reſum filium Maylgonis, & Griffinum filium Mereduci. Capta ſunt etiam in illis partibus per alios nobiles Wallenſium caſtra plura. Eodem tempore procurante fratre Io. Pecchā Cantuarienſi archiepiſcopo, Aimericus de Monteforti, quem rex in cuſtodia detinuerat, liberatur, ſpondente pro eo clero ſe velle de periculo regni cauere. Qui transfretans in Gallias, non multo poſt curiam Romanam adiit, vbi poſt aliquot annos renuncians clericatui miles efficitur. Sed infauſtus. nam cito poſtea defunctus eſt. Hoc anno tranſlatum eſt in locum eminentiorem venerabile corpus beati Hugonis quondā epiſcopi Lin-

David concitat Wallenſes cōtra regem.
Acta in Wallia.
Notā de liberatione Aimerici.
De tranſlatione beati Hugonis.

colnienſis. Eo tempore Cantuarienſis Epiſcopus profectus in Snowdoniam, Principem Walliæ, & germanum ſuum, ſategit ad pacem reducere, ſed fruſtratus, regreſſus in Angliam excommunicationis in ipſos ſententiam fulminauit. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer: Romanis infamis, Francis quietus, ſed Anglis & Wallicis inquietus.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ 1283. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi decimus, idem Rex cum exercitu valido de Rodolano per Angleſeiam, cuius per nautas portum capi fecerat, verſus Snowdoniam progrediens, vt viam pararet exercitui, vltra maris brachium, quod inſulam diuidit à continente iuxta Bangoriam, conſtituit pontem fieri ex nauibus inuicem colligatis. Hoc anno Petrus Rex Arragoniæ vendicans regnum Siciliæ iure hereditario vxoris ſuæ, ſubito cum nauigio regnum Siciliæ ingreſſus, Carolum Regem expulit de eodem, qui in Franciam fugiens, à Rege nepote ſuo pro recuperando regno ſubſidium implorauit. Papa vero Martinus, in Petrum prædictum, vel omnes ei fauentes, vel ipſum Regem appellantes, excommunicationis tulit ſententiam; regno Arragoniæ eum priuans, & conferens illud Carolo filio Regis Francorum. Petrus vero de Arragonia miſſis ad Regem Siciliæ nunciis, petiuit, vt cum quadraginta tantum militibus ad plana Burdegaliæ ſecum tot tantum habente milites dimicaturus veniret ad diem certum; ſub certa pœna ſe ad hoc obligans: dum tamen Carolus modo ſe ſimili obligaret; & cui in hoc cõflictu ceſſiſſet victoria, ille ſine contradictione regno Siciliæ potiretur. Eo tempore Gilbertus Comes Glouerniæ magnas prædas Wallenſium cum militia ſua faciens iuxta Lantilowhir, facta copia apertæ pugnę cum eiſdem, duro prœlio dimicauit. In quo peremptis multis de parte Wallenſium, ipſemet Comes quinque milites perdidit, de quorum numero erat Wilhelmus Valentis, iunior conſanguineus Regis Angliæ. Diſcedente autẽ Comite Glouerniæ, Princeps Walliæ intrauit terras de Cardigan & Stradewy, deuaſtauitq; terras Reſi filii Mereducis, qui cum Rege contra Principem tenuit in hoc bello. Progreſſus deinde Princeps verſus terram de Vueld, ſe cum paucis ab exercitu reliquo ſeparauit. Cui cum ſua militia ſuperuenientes viri nobiles Iohannes Giffard, & Edmundus de Mortuomari, nihil tamen ſuſpicantes de Principe, ipſum cum ſociis pugna aggredientes occiderunt feria ſexta ante feſtum beatæ Lucię. Principis autem caput poſt mortem à quodam, qui intererat, agnitum, mox abſcinditur, regiq; defertur. Quod tranſmiſſum Londonias, poſitum eſt per tempus aliquod ſuper turrim, & hedera coronatum.

Rex Siciliæ expellitur per regem Arragoniæ.

Allaiu VValia.

De Lewlino prædicto ſcripſerunt duo religioſi metrice in hunc modum, Wallicus ſic ſcripſit:

Hic iacet Anglorum tortor, tutor Venedorum,
Princeps Wallorum, Lewlinus regula morum,
Gemma coæuorum, flos regum præteritorum,
Forma futurorum, dux, laus, lex, lux populorum.

Anglicus ita ſcripſit:

Hic iacet errorum princeps, & prædo virorum,
Proditor Anglorum, fax liuida, ſecta reorum,
Numen Wallorum, trux dux, homicida piorum,
Fex Troianorum, ſtirps mendax, cauſa malorum.

Circa idẽ tempus milites quidã de Regis exercitu à ſeruientibus Wallenſib. territi, pontẽ, quẽ rex inchoauerat, nodũ perfectũ, minus prudenter accelerãtes trãſire, dũ in multitudine cõglobata reuertẽtes fugiũt, ſubmerguntur: inter quos erat miles ſtrenuiſſimus, Lucas de Thanay, & duo germani Roberti Burnel Bathonienſis epiſcopi, & alii quãplures. Hoc anno B. Thomas Herefordenſis in via verſus curiam de præſenti ſæculo nequã ereptus ad regna migrauit cœleſtia, cum 7. annis gregẽ ſibi commiſſum ſolicita cura rexiſſet. Hic nobilibus ortus natalib. à puero Deo vixit deuotus, ſtudii autem exercitatione literarum acquirens peritiam, primo in artib. liberalibus, deinde in iure rexit canonico, tandem ad Theologiam totam tranſtulit intẽtionem; in qua licentiatus ad magiſterium, cum ſub fratre Roberto de Kylewardby, ordinis Prædicatorũ, quem dum prouincialis fuerat admodum familiarem habuit, decreuiſſet incipere; incidit negotii dilatio medio tempore, præfato fratre aſſumpto ad Cantuarienſis eccleſiæ præſulatũ. Sub quo tamen poſt conſecrationem eius Oxonias veniente in eccleſia fratrũ Prædicatorum incepit iuxta ſui deſiderii complemẽtum. In cuius commendatione (quæ ſolet fieri ante principiũ poſt diſputationẽ, quę veſperiæ appel-

Milites tranſeuntes ſubmerguntur.

appellantur, de Bachalariis magiſtrandis) aſſeruit pręfatus archiepiſcopus (quē dictus Thomas ab olim confeſſorē habuerat) nullius ipſum mortalis criminis vnquā ſenſiſſe contagiū. Quantiq; meriti fuerit apud Deum crebreſcentiū ad ſepulchrum eius miraculorū gloria, indubitata fide demonſtrat. Poſt quē ad eccleſiam Herefordenſem electus & conſecratus eſt magiſter Richardus de Swynefeld, ſacræ Theologiæ doctor, vir iucundus in verbis, & egregius prędicator. Hoc anno caſſato electo Wyntonienſi, magiſtro Richardo de Mora: ex dono curiæ Romanæ magiſter Ioannes de Pontiſſa, in eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopum conſecratur. Hoc anno rex de conſilio Baronagii Walliam intrauit cum exercitu, ibiq; per irruptiones Wallenſium amiſit de ſuo exercitu vexilla 14. quo tempore perempti ſunt dominus Wilhelmus de Audeleya, & dominus Rogerus de Cliſford iunior; alii quoq; multi. Coactuſq; eſt rex intrare caſtellū de Opa. Cito poſtea rex cepit inſulam de Angleſeia, ſed hæc ante mortem Lewlini Principis contigerunt. Non multo poſt rex ſuperior effectus pene totā Walliam ſubiugauit, villas & terras, quæ erant in meditullio Walliæ, ſuis proceribus diſtribuit, ſed retinuit maritima caſtra ſibi, ex quo facto magna tranquillitas tempore ſequenti prouenit. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer copioſe. Romanis, Sicul. Apul. atque Francis ſolicitus & moleſtus, propter eiectionem Caroli Regis Siculorum: Wallicis exitialis, propter libertatem cum ſuo principe perditam: Anglis varius, propter diuerſos caſus, qui modo dure, modo proſpere contigerunt.

Rex perdit multos in Wallia.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ 1284. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi vndecimus, rex Angliæ ponte iam perfecto, cum exercitu ſuo in Snowdoniam tranſiit, caſtra eius omnia ſine notabili reſiſtentia capiens & comburens. Comes vero Penbrochiæ caſtrum de Bere, quod erat quondam Lewlini principis, cepit; & cito poſt tota Wallia cum omnibus caſtris ſuis ſubacta eſt regiæ voluntati. Ante feſtum vero Sancti Iohannis Baptiſtæ captus eſt Dauid frater principis per regios exploratores, & Rodolanum adductus. Quem rex ad ſui conſpectum admittere renuit; licet ipſe Dauid hoc inſtantius flagitaret. Rex igitur tranſmiſit eum Salopiam, carceri mancipādum. Eodem tempore per quendam ſecretarium principis allata eſt regi crux dicta Neoti, magnam de ligno Dominicæ crucis continens portionem. Quæ ideo Neoti dicitur, quod per quendam ſacerdotem ſic vocatū antiquitus de terra ſancta fuit in Walliam deportata. Poſt feſtum ſancti Michaelis habitum eſt parliamentum Salopiæ, in quo per deputatos ad hoc Iuſticiarios, Dauid iudicialiter condemnatus, tractus & ſuſpenſus eſt, viſceribuſque combuſtis, corpus capite truncatum, & in quatuor partes eſt diuiſum. Quibus in ciuitatibus Angliæ nobilioribus ſuſpenſis, caput Londoniis ſuper palum fixū eſt ad terrorē conſimiliū proditorū. Reſus autē Vazhan Wallenſium nobiliſſimus, audita captione Dauid, Comiti Herdfordiæ ſe dedit, regique redditus ad turrim London. miſſus carceri mancipatur. Tranſlata eſt hoc tempore Abbatia de Aberton, per regem, ad locum alium; & conſtructum eſt in loco, quo Abbatia fuerat, forte caſtrum ad irruptiones Wallenſium compeſcendas. Et rex in comitatu Ceſtriæ aliam Abbatiam monachorum fecit Ciſtercienſium; quam multis ditatam prædiis, vallem regalem voluit appellari.

Bellum in Wallia.

Dauid capitur.

De cruce Neoti.

Parliamentū Salopia, in quo Dauid damnatur.

Nota de Abbatia de valle regis.

Hoc anno regi conceditur à populo in ſubſidiū gwerræ ſuæ triceſima, & à clero viceſima pars bonorum. Eo tempore Papa Martinus Gwydonē de Monteforti à carcere liberans, in quo per Gregorium Papam poſitus fuerat, propter homicidiū in eccleſia commiſſum in Henricum regis Alemanniæ filium, cognatū regis Angliæ, miſit in Romaniolā; quā eo anno etiam obtinuit, excepta ciuitate Vrbinate, quam Gwido incepit obſidere in manu potēti. Sed cito poſt, de licentia Papæ, omiſſa obſidione dictæ vrbis in Tuſciā rediit, vt hereditatem vxoris ſuæ patre eius Comite Ruſo mortuo occuparet. Carolus rex Siciliæ 1. die Iunii venit ad plana Burdegaliæ, comitante eum rege Francorum cum militia magna valde. De cuius aduentu Petrus quondam rex Arragoniæ præmunitus, diem præuenit coram Seneſcallo Waſconiæ, proteſtans ſe paratum tenere pactum, ſed non poſſe, rege Francorum veniēte cum tanta multitudine militum contra formam. Reuerſo poſt hæc Carolo rege Siciliæ in Apuliam, Siculi contra Neapolim cum viginti ſeptem galeis venerunt armatis. Aduerſus quos Carolus filius regis Caroli tūc princeps Achaię egreſſus eſt cum magna galearū multitudine ad pugnandū, obtinentib. victoriam hoſtibus captus eſt cū multis aliis, & ad ciuitatem Meſſanā deductus captiuus. Eodem anno rex Angliæ apud Acton Burnel tenuit parliamentū poſt feſtū S. Michaelis; in quo editum eſt ſtatutum, quod à loco cognominatum eſt. Ipſo anno oſſa beati Willielmi Eboracenſis archiepiſcopi ad al-

Nota de ſubſidio.

Qualiter Guido de Monteforti à carcere liberatur.

Princeps Achaia capitur.

Parliamentum apud Acton Burnel.

Annalis cõclusio.

tiorem locum cum ſolemnitate maxima transferuntur. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer ſatis frugaliter. Romanis ſollicitus, Apul. Calabris atq; Sicul. inuiſus & odibilis propter guerras motas ibidem effectuum variorum. Francis quietus, ſed Anglicis & Wallicis inquietus. Hoc anno natus eſt filius Regi Angliç apud Karnaruan in Wallia dic S. Marci; & vocatus Edwardus. Eodem anno Rex Edwardus fecit leges Anglicanas per Walliam obſeruari, Vicecomites ponens in ea.

Naſcitur Edvvardus apud Karnaruan.

Acta in Wallia.

Anno gratiæ 1285. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi duodecimus, rex de Snowdonia per Walliam occidentalem progrediens, intrauit Glomorganciam: quæ ad ditionem Comitis Glouerniæ noſcitur pertinere. Receptuſq; à Comite cum honore maximo, ab eodem propriis impenſis vſque ad terrarum terminos eſt deductus. Rex vero Briſtolliam veniens, ibique feſtum Dominicæ natiuitatis tenuit eo anno. Philippus filius Philippi Regis Francorum duxit vxorem Iohannam filiam Regis Nauarriæ primogenitam, accipiens cum eadem regnum Nauarrorum, & Campaniæ comitatum. Hoc anno mortuus eſt Carolus Rex Siciliæ: cuius regni ac filiorum tutorem, Papa Martinus Robertum Comitem Atrabatenſem conſtituit, largitus eidem pro hac re pecuniæ magnam ſummam. Eodem anno obiit apud Windeleshore Alfonſus filius Regis, iuuenis optimæ indolis, etiam admodum Deo deuotus: cuius corpus apud Weſtmonaſterium; cor vero apud Fratres Prædicatores Londoniis (ordinante ſic Regina matre) traditur ſepulturæ. Hoc quoque anno obiit Robertus de Wickhamptona, Saleſburienſis epiſcopus; cui ſucceſſit Walterus Scammel eccleſię eiuſdẽ Decanus. Eo tẽpore Maria filia regis Angliæ, Ambresbyrię ſanctimonialis efficitur; parentib. licet cum difficultate aſſentientibus, ad inſtantiã matris Regis. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer ſatis vbertim: Romanis triſtis propter deſolationem regni Siciliæ: Francis ſollicitus propter eandem cauſam: Anglis vero mediocriter pacificus & quietus.

Filius regis ducit vxorem.

Moritur Carolus.

Moritur Alfonſus filius regis.

Quomodo filia regis efficitur ſanctimonialis.

Annalis cõclusio.

Qualiter rex Edvvardus rogatur ad colloquiũ regis Franciæ.

Anno gratiæ 1286. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi tertius decimus, Rex Angliæ de Briſtollia profectus Cantuariam, diſpoſuit in Gallias transfretare: ſed audito rumore de matris infirmitate, reuertitur Ambreſburiam, miſſis nuntiis, qui ſe apud Regem Francorum (ad cuius colloquium ſpeciale inuitatus fuerat) excuſarent. Eo tempore Papa Martinus moritur; cui ſucceſſit Honorius quartus, natione Romanus, prius dictus Iacobus de Sabella; cui pedum ac manuum fere oſſa abſtulerat arcetica ægritudo; vnde ſedendo in ſella, ad hoc artificioſe facta, miſſarum ſolemnia celebrauit. Hoc anno Philippus Rex Francorum profectus in Arragoniam, vt regnum illud iuxta donationem Papæ Martini filio ſuo Carolo adquireret, ciuitatem Girundam obſedit. Petrus vero Rex quondam Arragoniæ, ſed priuatus per Papam, iniit bellum cum quibuſdam militibus Gallicis; inter quos principales erãt Radulphus de Nigella, Conſtabularius Franciæ, & Iohannes de Haricuria Normannus, miles ſtrenuiſſimus & probatus. Cumq; durus ex vtraq; parte conflictus inualeſceret, Petrus Arragoniæ Rex lethaliter vulneratur; qui mox ſe cum ſuis ſubtraxit à prælio, & mortuus eſt in breui. Philippus Francorum Rex capta Girunda, hominibuſque ſuis munita, incipiens infirmari, diſceſſit vſq; per Piniacum; vbi inualeſcente ægritudine de præſenti luce migrauit: cuius carnes & viſcera in Eccleſia Narbonenſi; oſſa vero apud S. Dionyſium; cor in choro Fratrum Prædicatorum Pariſius ſunt humata. Huic ſucceſſit filius eius Philippus, qui pulcher agnominatus eſt, ob corporis ſpeciem excellentem. Medio tempore Arragonenſes, naues Gallicorum in portu Roſarum captas abducunt: vrbẽ etiã Girundã, obſidentes ipſam, & Gallicos ad eius defenſionem derelictos, ad deditionẽ breui tẽpore coegerũt. Eo tẽpore Alfonſus filius Petri quondam regis Arragoniæ, patre defuncto vt præmittitur, regnũ illud gubernãdum ſuſcepit; inter quẽ & filiã regis Angliæ Alienorã ſponſalia facta fuerũt, patre adhuc viuẽre, Iacobus autẽ filius Petri iunior, cum matre Conſtantina tranſiens in Sicilam, ſe fecit coronari. Eodem anno tenuit Rex parliamentum Londoniis, in quo edita ſunt ſtatuta, quæ Weſtmonaſterii ſecunda dicuntur. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer plebi communi: Romanis, Siculis, Apulæis, Calabris, Francis, Hiſpanis & Arragoniis inquietus, propter bella mota, morteſq; regum: Anglicis tamen tranſcurſus ſub ſilentio & quiete. Hoc anno tanta fuit ſiccitas & æſtus, vt homines morerentur.

Moritur Martinus Papa 4.

Nota de bello in Hiſpania.

Mors Philippi regis Franc.

Philippus le Beau rex Franciæ.

Alphonſus Rex Arragoniæ.

Acta Weſtm.

Annalis cõclusio.

Honorius Papa 4. moritur.

Anno gratiæ milleſimo duceteſimo octuageſimo ſeptimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à cõqueſtu primi quartus decimus, Papa Honorius quartus moritur; cui ſuccedit Nicolaus 4. natione Romanus, prius dictus frater Ieronimus de ordine fratrũ Minorũ. Hic idolum (vt dicitur) fratrum eiuſdẽ ordinis multa priuatim ſtatuit,

quæ

quæ faciunt non ſolum ſuperbire minores, ſed etiam inſanire. Hoc anno rex Angliæ in Gallias tranſiens Ambianis cum honorifica turba peruenit; cui occurrit ibidē honoris gratia rex Francorum. Rex autē Angliæ fecit homagium regi Franciæ, pro terris, quas de eo in regno Francię tenere debebat Pariſius, & interfuit parliamēto, quod rex Francorum tunc Pariſius tenuit; in quo multa (quæ pro libertate terrarū ſuarum pertinent) obtinuit; licet ipſa conceſſio regis Francorum, & parium diu in ſuo robore non maneret. Expectauit autem rex Edwardus Pariſius ad feſtum Pentecoſtes, circa quod tempus fratres Prædicatores ibidem ſuum capitulum generale tenuerunt. Quod vterq; rex Francorum & Anglorum, & vtraq; regina diebus diuerſis ſua præſentia honorarunt. Poſt Pentecoſtem vero rex Angliæ de Pariſio Waſconiam eſt profectus. Eo tempore Alienora regina Angliæ, mater regis Edwardi, ſpreta pompa ſæculi, apud Ambreſburiam induit habitum monachorum. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer huic regno, & eo magis fructifer, quod fructum fecit centeſimum, faciens de regina Sanctimonialem.

Rex in Gallias tranſit.

Regina ſanctimonialis.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ 1288. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi 15. cum adhuc rex Angliæ in Waſconia moraretur, miles quidam Anglicus quendam Iudæum ſuper detentione indebita cuiuſdam manerii ſibi impignorati, coram iudicibus conuenire decreuit; ſed Iudæus verſipellis reſpondere renuit; prætendens cartam regis quondam Henrici, qua ſibi indultum fuit, ne coram iudice aliquo, ſolo corpore regis excepto, in iudicium trahi poſſet. Miles ſuper hoc anxius Waſconiam adiit, vt ſuper hoc à rege remedium aliquod impetraret. Quem cum rex audiſſet, non decet irritare facta parentum, quibus lege diuina iubentur reuerentiam exhibere, propter quod factum patris mei reuocare non decreui; ſed tibi cæteriſq; regni mei, æqua lege (ne potior videatur Iudæus quam Chriſtianus) indulgeo, ne pro quacunq; iniuria illi Iudæo illata, quamdiu charta ſua gaudere voluerit, coram iudice aliquo (me excepto) conueniri poſſitis. Reuertente cum hoc priuilegio milite, attendens Iudæus ſibi imminere damnum & periculum, ſpontanee renunciat ſuæ chartæ, optans, & euacuata conditione priuilegii, pars vtraq; legi communi valeat ſubiacere.

Actio inter Chriſtianum & Iudæum quendam.

Eo tempore die quadam, cum rex & regina in camera quadam conuenientes ſuper lectum quendam confabularentur, ictus fulminis per feneſtram, quæ eis erat à dorſo, ingreſſus eſt, & inter eos tranſiens, ipſis penitus illæſis, duos domicellos, qui in eorum ſtabant præſentia, interfecit: ſtupefacti admodum cæteri omnes, qui aderant, ex euidenti, quod contigerat, perpendebant miraculo, diuini protectionem numinis ſaluti regis non deeſſe. Sub eodem tempore rex Cipri apud Acon in regem Ieruſalem coronatur. Quod comes Attrebatenſis in præiudiciū regis Siciliæ, qui regnū illud vendicabat, factum exiſtimans, bona templariorum & hoſpitaliorū (quia facto huic conſenſerant) vbiq; per Apuliam confiſcauit. Per idem tempus Alfonſus rex Arragoniæ miſſis ad curiam Romanam nunciis, reconciliari petiuit eccleſiæ, de his, quæ per patrem ſuum facta fuerant, ſe excuſans.

Conſeruatio Regis miraculoſa.

Nouus rex Ieruſalem coronatur.

Tranſit annus iſte frugifer & fructifer omni plebi; Iudæis per Angliam triſtis & malorum inchoatiuus: Francis Angliſq; quietus.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ 1289. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi ſextus decimus, Carolus filius Caroli regis quondam Siciliæ, princeps Achaiæ, procurante rege Angliæ, liberatur à carcere ſub hac forma; videlicet, quod data regi Arragoniæ certa ſumma pecuniæ, ipſe Carolus à domino Papa pacem Arragonenſibus impetraret; quam ſi infra terminum limitatum impetrare non poſſet, rediret ad carcerem. Quibus conditionibus iuramento firmatis, tradere debebat Carolus tres filios ſuos obſides, & alios milites nobiles 40. pro quibus, quouſq; venirent, rex Angliæ liberationem Caroli accelerans, nobiles viros, qui ſecum erant obſides tradidit, & pecuniam vſq; ad triginta millia librarum perſoluit. Poſtquam autem filii Caroli venerant, rex Angliæ militibus ſuis liberatis in Waſconiam reuertitur, & apud Blankforde crucis ſuſcepit caracterem; moxq; Iudæos omnes, tanquam crucis hoſtes, expulit de Waſconia, & aliis terris ſuis omnibus, quas in regno Franciæ poſſidebat. Interim Reſus filius Mereduci Walliam conturbauit, impugnareq; cœpit aliqua regis caſtra. Eo tempore Tripolis ciuitas tranſmarina à Soldano capitur, qui & in ea multa Chriſtianorum millia trucidauit; ex cuius captione territi Chriſtiani, qui erant in Acon, à Soldano inducias impetrant biennales. Per idem tempus Edmundus Comes Cornubiæ, cui rex Angliæ in ſua abſentia regni commiſerat cuſtodiam, magnum ducit exercitum in Walliam contra Reſum. Cum autem caſtrum de Druſſelau, quod erat Reſi,

De amicitia ſtudioſa inter regē E. & Carolum principē Achaiæ.

Ed. rex cruce ſignatur, & Iudæos expulit de VVaſconia.

De Tripoli capta à Soldano.

Profectio in VValliam.

obſideret; & muros eius ſuffodi faceret, caſu illorum ſubito vir nobilis Wilhelmus de monte Caniſii, aliiq; milites plurimi & ſcutiferi opprimũtur.

De damno irrecuperabili apud S. Botulphum.

Hoc anno armiger quidam dictus Robertus Camerarius cum ſuis complicibus vere dæmoniacis, tentoria mercatorũ apud ſanctum Botulphũ & mercimonia incendens, diffuſo igne magnam partem villæ, & eccleſiã fratrum Prędicatorum combuſſit. in diuerſis nempe villæ locis ignẽ appoſuerunt, vt ipſi liberius poſſent reſidua ſpoliare. Dumq; mercatores pro mercibus ſuis ſaluandis & extinguendo igne diſcurrerent, per dictum armigerum & ſuos trucidantur. Dicebatur reuera, quod tota pecunia Anglię vix reſtauraret damna ibidem facta. Currebant namq; riuuli argentei & aurei & metallorum fuſilium vſque in mare.

Copia frugum & vilitas.

Fuit autem hoc anno in Anglia tanta frugum abundantia, vt quarteriũ frumenti alicubi pro 20. alicubi pro 16. alicubi pro 12. denariis venderetur. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer mirabiliter: Iudæis lugubris: terræ ſanctæ atq; Chriſtianicolis lamentabilis: Angliæ damnoſus: ſed Franciæ otioſus.

Caroli iuramentum irritum fit. Iudæi fugati.

Anno gratiæ 1290. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi ſeptimus decimus, Carolus princeps Achaiæ Romam veniens, per Papam Nicholaum, à iuramento Regi Arragoniæ præſtito abſoluitur, & in Regem Siciliæ coronatur. Eodem tempore inter Iacobum occupatorem Siciliæ, & Comitem Attrabatenſem firmantur induciæ biennales. Circa tempus iſtud Rex Angliæ de Waſconia reuerſus, Londoniis ſolemniter recipitur à clero totaq; plebe. Qui Iudæos omnes eodem anno expellens de Anglia, datis expenſis in Gallias, bona eorum reliqua cõfiſcauit.

Iuſtitiarii mulctati.

Eodem tempore Rex auditis querimoniis eorum Anglicorum, qui de regiis miniſtris volebant conqueri, omnibus exhibens iuſtitiam, iuſtitiarios fere omnes de falſitate deprehenſos à ſuo officio depoſuit; ipſos iuxta demerita puniens graui mulcta.

Rex Scotorum miſerabiliter interficitur.

Tempore quadrigeſimali huius anni, cum Alexander Rex Scotorum vxorem ſuam, filiam Comitis Flandriæ, quam poſt Margaretam filiam Regis Angliæ duxerat, nocte quadam admodum obſcura viſitare voluiſſet, ceſpitante equo lapſus, & colliſus grauiter, expirauit.

Soboles regis Scotiæ.

Hic de ſecunda vxore, nullam; de prima vero prolem geminam, filium ſcilicet Alexandrum, & filiã genuit nomine Margaretã. Alexander abſq; prole patrem immatura morte præuenit. Filia vero Margareta Regi Northwagiæ deſponſata filiam vnicam peperit nomine Margaretam, quæ matri mortuæ ſuperuixit. Hãc conſulto Rege Angliæ magnates Scotiæ recognouerunt heredem; quæ accerſita per nuncios regis Anglię, cum per nauigium tenderet in Scotiam, infirmata in mari apud Orkadas inſulas eſt defuncta.

Tempeſtas inaudita. Fames.

Hoc anno nocte ſanctæ Margaretę deſcendit tempeſtas imbrium, tonitrui, & fulguris, à retro ſæculis vix audita; concutiens ſata, & ſubmergens, ita, vt Londoniis modius tritici, qui prius ad tres denarios vendebatur, ex tunc paulatim vſq; ad 2. ſolidos excreuit. ſicque per quadraginta ferme annos, vſq; ad obitum Regis Edwardi poſt conqueſtũ ſecundi, dicti de Karneruam, extitit Kariſtia bladorum, & præcipue frumentorũ, ita, vt aliquotiens Londoniis modus frumẽti ad 10. ſolidos venderetur.

Eccleſiæ taxatæ.

Circa pręſens tempus iubente Papa Nicolao taxatæ ſunt eccleſiæ Anglicanæ ſecundũ verum valorẽ; & ex tunc ceſſauit taxatio Norwicenſis, per Innocentium quartum prius facta.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte primo frugibus opulentus; ſed tempore frugum atq; fructuum veniente, vtroque commodo deſtitutus. Iudæis per Angliam & iuſtitiariis exitialis: Scotis dubius & ſolicitus propter deſtructionem regni, per mortem heredum: Gallicis plene quietus.

Dubitatio de heredibus Scotiæ.

Anno gratiæ 1291. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi octauus decimus, mortua Margareta filia Regis Northwagiæ, ex Margareta filia Regis Scotiæ Alexandri, ad quam iure hereditario defunctis auo, patruo, & matre regnum Scotiæ deuolui debebat; quis foret iuſtus heres Scotię apud omnes in dubiũ vertebatur.

Filiæ regis nuptui dantur.

Propter quod Rex celebratis Londoniis nuptiis inter Iohannem filiũ & hæredem Ducis Brabantiæ, & Margaretam filiam ſuam ſecundã, ac inter Gilbertum Comitẽ Glouerniæ, & Ioannam filiam ſuam tertiam, verſus Scotiã dimicaturus de iuſto herede, tanquam ſuperior dominus, dirigit iter ſuũ.

Regina moritur.

Sed dum finib. Scotiæ appropinquaret, Regina conſors graui infirmitate correpta, 4. idus Decembris ex hac vita migrauit in villa de Herdeby iuxta Lincolniã; propterea Rex cœpto intermiſſo inire Londonias funus deducẽdo reuertitur cum mœrore; qui cunctis diebus vitæ ſuę eam plangebat, & Ieſum benignum iugis precib. pro ea interpellabat, elemoſinarũ largitiones & miſſarum celebrationes, ꝓ ea in diuerſis regni locis ordinans imperpetuum & procurãs.

Mores reginæ.

Fuerat nempe mulier pia, modeſta, miſericors, Anglicorum amatrix omniũ, & velut columna regni totius. Cuius temporibus alienigenæ Angliam non grauabant, incolæ

nulla-

nullatenus per regales opprimebantur, ſi ad aures eius vel minima querela oppreſſionis aliqualiter perueniſſet. Triſtes vbique, prout dignitas ſua promittebat, conſolabatur, & diſcordes ad concordiã, quantum potuit, reducebat. Huius corpori cum ad ſanctum Albanum appropinquaſſet, totus conuentus ſolemniter reueſtitus in capis perrexit obuiã vſq; ad finem villæ, quæ eſt ad Eccleſiam ſancti Michaelis, ibidem deducendoq; corpus, ante maius altare in monaſterio collocarunt, vbi nocte illa à toto conuentu officiis diuinis ac ſacris vigiliis aſſidua deuotione honoratur. Ab eo loco corpus defertur Londonias, vbi Rex cum tota regni nobilitate regniq; Pontificibus & Prelatis occurrit. Conditum eſt ergo corpus aromatibus in eccleſia Weſtmonaſterii, cum ſumma omnium reuerentia & honore. Cor vero in choro fratrum prędicatorum Londoniis eſt humatum. In omni loco & villa, quibus corpus pauſauerat, iuſſit Rex crucem miro tabulatu erigi ad Reginę memoriam; vt à tranſeuntibus pro eius anima deprecetur: in qua cruce fecit imaginem Reginæ depingi. Tranſit annus iſte carus, ſed non fameſicus: Scotis turbulentus: Anglicis viciſſim lætus & triſtis.

Cruces eriguntur pro Regina.

Annalis conclaſio.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo, qui eſt annus regni Regis Edwardi primi nonus decimus, Soldanus Babyloniæ, lapſis iam treugis cum Chriſtianis per biennium initis, verſus Acon tendens cum magno exercitu in ipſo itinere moritur, cuius filius Soldanus factus proſequitur cœpta patris, & ciuitatem Acon obſidens à quarto die menſis Maii, per decem dies cõtinuos fortiſſime oppugnauit. Ciues vero viriliter vrbem defendentes, interim theſauros ſuos ac merces ſacroſanctaſque reliquias, ſenes etiam atque debiles mulieres & paruulos fecerunt in Ciprum nauigio deportari. Multi etiam tam pedites quam equites diſcedentes, ad defenſionem ciuitatis reliquerunt tantum duodecim millia armatorum. Quintadecima vero die menſis tam graue dederunt Sarraceni inſultum, quod cedente fere Regis Cipri cuſtodia, ciuitatem intraſſent, niſi obſcuritas noctis: alienumque ſubſidium obſtitiſſet. Denique Rex Cipri commiſſa cuſtodia ſua miniſtro militiæ domus Teutonicorum promittens, ſe mane rediturum, aufugit in Ciprum. Sarraceni autem videntes in craſtino cuſtodiam Regis Cipri deſtitutam ex parte illa, impleto foſſato ingreſſi ſunt vrbem, prælioque ancipiti cum Chriſtianis duobus diebus, nunc his, nunc illis præualentibus, dimicarunt. Tertia tandem die irrumpente per portam ſancti Antonii Sarracenorum multitudine, interfectiſque templariis & hoſpitalariis, vrbem capiunt, muros eius cum turribus, eccleſiaſque cum domibus aliis funditus euertentes. Patriarcha vero qui de ordine prædicatorum fuerat, & miniſter hoſpitalis lethaliter vulnerati, tracti à ſuis in Dromundum in mari cum multis aliis perierunt. Per hoc tempus Carolus frater Regis Franciæ renuncians iuri ſuo in regnum Arragoniæ, vxorem duxit filiam Caroli Regis Siciliæ, qui cum ea prędicta renunciatione Andegauiæ & Cenomanniæ contulit Comitatus.

Soldanus pater moritur.

Soldanus filius Acon obſidet.

Acon capitur à Soldano.

Declaratio iuris Regii in regno Scotiæ.

EODEM anno poſt Paſcha Rex Angliæ Scotiæ appropinquans, parliamentum tenuit apud Northumb. vbi conſultis pręlatis ac vtriuſque iuris peritis, reuolutiſque priorum temporum annalibus, vocari fecit Prælatos ac Maiores regni Scotię, & coram eis in eccleſia parochiali de Northumb. ius ſuum in ſuperius dominium regni Scotiæ fideliter declarauit, petiuitque, vt hæc recognoſcerent; proteſtando ſe ius coronæ ſuæ vſque ad effuſionem ſanguinis defenſurum. Ob quam cauſam Rex iſto anno omnia monaſteria Angliæ, Scotiæ, & Walliæ perſcrutari fecerat, ad dinoſcendum, quale ius poſſet ſibi competere in hac parte. Et repertum eſt in chronicis Mariani Scoti, Wilhelmi de Malmesburia, Rogeri de Houeden, Henrici de Huntyngdon, Radulphi de Luzeto, quod anno domini nongenteſimo decimo Rex Edwardus ſenior, ſubegit ſibi Reges Scotorum & Cumbrorum. Item, ibidem, q; anno domini nongenteſimo viceſimo primo, prædictę gentes elegerũt ſibi Edwardum prędictum in dominum & patronum. Item, ibidem, anno domini nongenteſimo viceſimo ſexto Rex Anglię Adelſtanus deuicit regẽ Scotię Conſtantinum, & iterum ſub ſe permiſit regnare. Itẽ, Edredus frater Adelſtani Rex Angliæ, deuicit Scotos & Northumbranos, qui ſe ſubmiſerunt ei & fidelitatẽ iurauerunt. Item ibidem, Edgarus Rex Angliæ ſuperauit Rinadum filium Alpini Regem Scotorum. Et ex tunc factus eſt Rex quatuor regnorum: ſcilicet Anglię, Scotiæ, Daciæ & Norwagię. Item ibidem, Sanctus Edwardus regnum Scotiæ dedit Malcolino filio Regis Cumbrorum de ſe tenendum. Item, Wilhelmus Baſtard, anno regni ſui ſexto, vicit Malcolinum Regem

Scotia ſubdita Angliæ.

Scotiæ,& accepit ab eo ſacramentum fidelitatis. Item, Wilhelmus Rufus,ſimile fecit,quod pater ſuus fecerat, erga Malcolinum Regem Scotiæ,& contra duos filios Malcolini ſucceſſiue regnantes. Item, Alexander ſucceſſit fratri ſuo Edgaro in regnum Scotiæ de conſenſu Regis Henrici primi. Item, Dauid Rex Scotię fecit homagium Regi Stephano. Item Wilhelmus Rex Scotiæ fecit homagium Henrico tertio, filio Regis Henrici ſecundi in coronatione ſua. Et iterum Henrico patri anno regni ſui viceſimo;ſicut patet in quadam conuentione inter eos inde facta. Item, dicit Rogerus de Houeden,quod Wilhelmus Rex Scotiæ venit ad dominum ſuum Regem Henricum in Normanniam;& ſimiliter fecit Regi Richardo,& etiam Iohanni Regi apud Lincolniam. Item,in Chronica ſancti Albani reperitur, quod Alexander Rex Scotiæ,apud Eboracum deſponſauit Margaretam filiam Regis Henrici, anno regni ſui triceſimo quinto;& fecit ei homagium. Item, reperitur in chartis regum Scotiæ. Item,repertum eſt in bullis Papalibus Scotiæ directis, Reges Scotorum excommunicatos fuiſſe,quia noluerant obedire dominis ſuis Anglorum Regibus.

Chronica ſancti Albani.

Multi recognoſcunt Regem Angliæ priorem dominum ſuum.

Conuenientibus igitur apud Northumb. in finibus Anglorum verſus Scotiam Rege Anglorum,cum ſuis peritis,ac Scotorum valentioribus,cum ſuis prudentioribus;petiuit Rex Angliæ in primis,vt Scoti pacifice aſſentirent ſuæ ordinationi ſuper Rege Scotiæ;præſertim cum ſibi competeret ratione ſui dominii capitalis. Scoti vero reſponderunt,ſe ignorare,quod talis ſuperioritas Regi Angliæ competeret;& nec poſſe ſine capite Rege ad talia reſpondere; cui incumberet talem denunciationem audire,nec aliud reſponſum ad præſens debere reddere teſtabantur,propter iuramentum excommunicatione vallatum,quod poſt mortem Regis Alexandri ſibi inuicem fecerunt:vnde deliberatione librata fecit Rex Edwardus Scotis literas ſuas patentes, quibus recognouit aduentum Scotorum in Angliam citra aquam Twede,non debere aliàs illis vrgeri in præiudicium iterum veniendi in Angliam. Poſt hæc Maiores Scotiæ & Angliæ,qui vendicabant ius ſucceſſionis in regnum Scotiæ, per literas ſuas patentes recognouerunt, ſe velle ſponte recipere iuſtitiam coram dicto Rege Edwardo,tanquam coram capitali domino,& firmum tenere quicquid ipſe decreuerit in præmiſſis literarum dominorum vtriuſque regni,qui ius ſucceſſionis in Scotorum dominum vendicabant.

Litera recognitionis.

Omnibus præſentes literas viſuris vel audituris, Florentius Comes Holandiæ, Robertus le Brus,dominus Vallis Anandiæ, Iohannes de Balliolo, dominus Galwidiæ,Iohannes de Haſtings,dominus Abergauennæ, Iohannes Comin, dominus de Badenaw,Patricius de Dunbar Comes Marchiæ, Iohannes de Veſci vice patris ſui, Nicolaus de Sules, Wilhelmus de Ros,Salutem in domino. Cum nos in regno Scotiæ ius habere credamus,& ius illud coram illo,qui potiorem habet poteſtatem,iuriſdictionem & rationem,examinandi ius noſtrum habet,declarare, vendicare & probare intendamus;nobiliſque Princeps dominus Edwardus Dei gratia Rex Angliæ, per bonas ſufficienteſque rationes nos informauerit,quod ad eum ſpectat, & habere debet ſuperius dominium regni Scotiæ,& cognitionem in audiendo, examinando & definiendo ius noſtrum: Nos de propria noſtra voluntate ſine omni violentia & coactione volumus,annuimus & concedimus,vt recipiamus ius coram eo tanquam ſuperiori domino terræ;volumus inſuper & promittimus, quod habebimus & tenebimus firmum & ſtabile factum ſuum,& quod ille habebit regnum, cui coram eo ius potius illud dabit. In teſtimonium iſtorum nos literis iſtis appoſuimus ſigilla noſtra. Data apud Northumb. feria tertia poſt aſcenſionem,&c. Facta itaque recognitione ſuperioris domini & ſubmiſſione recipiendi, quod coram Rege Angliæ iure fuerit definitum,petiuit Rex caſtra & terram totam ſibi reddi,vt per ſeiſinam pacificam ius ſuperioris dominii,quod iam per ſuas literas recognouerant,clareret vniuerſis. Annuerunt ſtatim Regiæ petitioni confectis ſuper hoc literis,& ab eiſdem ſignatis,continentibus in Gallico,ſicut priores literæ,hunc tenorem.

Litera Seiſina,data Regi Angliæ de toto regno Scotiæ.

OMNIBVS præſentes literas viſuris vel audituris, Florentius Comes Holandiæ, Robertus le Brus, dominus Vallis Anandiæ;Iohannes de Balliolo,dominus Galwidiæ;Iohannes de Haſtings,dominus Abergauennæ; Iohannes Comin, dominus de Badenaw;Patricius de Dunbar, Comes Marchiæ; Iohannes de Veſci vice patris ſui;Nicolaus de Sules,Wilhelmus de Ros,ſalutem in domino. Quia de bona voluntate noſtra & communi aſſenſu ſine omni coactione, annuimus & conceſſimus nobili

bili Principi domino Edwardo Dei gratia Regi Angliç, quod ipſe tanquam ſuperior dominus terrç Scotiç, poſſit audire, examinare & definire vendicationes noſtras, & quas intendimus oſtendere, & probare pro iure noſtro recipiendo coram eo, tanquam ſuperiori domino terrç, promittentes inſuper quod factum ſuum habebimus firmum & ſtabile, & quod ille obtinebit regnum Scotiç, cuius ius potius declaratur coram eo. Cum autem non poſſit prçfatus Rex Angliç iſto modo cognitionem facere nec complere ſine iudicio, nec iudicium debeat eſſe ſine executione, nec executionem poſſit debito modo facere ſine poſſeſſione & ſeiſina eiuſdem terrç ac caſtrorum eius: volumus, annuimus, & concedimus, quod ipſe tanquam dominus ſuperior ad perficiendum prçdicta habeat ſeiſinam totius terrç Scotiç & caſtrorum eius, quouſque ius in regnum petentibus fuerit ſatisfactum. Ita tamen, quod antequam habeat ſeyſinam, bonam & ſufficientem ſecuritatem faciat petitoribus, & cuſtodibus, communicati regni Scotiæ reſtituendi, & idem regnum cum tota regalitate, dignitate, dominio, libertatibus, conſuetudinibus, iuſtitiis, legibus, vſibus, poſſeſſionibus, & quibuſcunque pertinentiis in eodem ſtatu, in quo erant ante ſeyſinam ſibi traditam, liberabit illi, cui iure debetur ſecundum iudicium regalitatis, ſaluo Regi Angliæ homagio illius, qui Rex erit. Et debet hæc reſtitutio fieri infra duos menſes, à die quo fuerit hoc ius diſcuſſum atque firmatum. Exitus dictæ terræ medio tempore recipiantur, & in ſaluo depoſito reponantur, & bene cuſtodiantur per manum camerarii Scotiç, qui nunc eſt, & illius, quem aſſignabit ad hoc Rex Angliç, & hoc ſub ſigillis eorum ſalua rationabili ſuſtentatione terrç & caſtrorum, miniſtrorumque regni. In teſtimonium iſtorum omnium prçdictorum appoſuimus ad has literas ſigilla noſtra. Data apud Northumb. die Mercurii proxima poſt aſcenſionem domini, anno, &c. Has duas literas miſit Rex Angliæ ſub ſigillo ſuo priuato, ad diuerſa monaſteria regni ſui, vt ad perpetuam rei geſtæ memoriam in chronicis ponerentur.

Rex aſſecurat reddere regnum Scotiæ cui debetur.

IDcirco facta Scotis ſecuritate ex parte Regis Angliæ, de reſtituendo, prout prætactum, regno Scotiæ infra duos menſes illi, cui de iure hoc competeret, ſub pœna centum millium librarum ſterlingorum, Romæ in ſubſidium terræ ſanctæ ſoluendarum, ac etiam ſub pœna excommunicationis & interdicti in Regis perſonam & regnum Angliæ, ſi non reſtitueret fulminandum: Scoti per chartas ſuas tradiderunt Regi Edwardo, regnum Scotiç cum caſtellis, iuribus, & conſuetudinibus, poſueruntque cuſtodes qui medio tempore exitus & appromamenta terræ ad opus illorum quorum intererat cuſtodirent, quouſque videlicet debita diſcutione habita de legitimo conſtaret hærede. Quo facto, Rex Angliæ poſt longas diſceptationes vendicantium illud regnum diſcuſſis iuribus prætulit Iohannem de Bayllol, qui recognouit Regem Angliæ fore Scotiæ capitalem dominum, fecitq; ei homagium, & fidelitatē iurauit, vt in geſtis anni ſequentis plenius declaratur. Eodē anno circa feſtū beati Iohannis Baptiſtæ, Alienora mater Regis Angliæ Ambresbiriç eſt defuncta, propter quod Rex de Scotia in Angliam rediit, vt funus maternum ſepulturæ traderet debito cum honore. Sepultum eſt itaq; corpus eius in monaſterio Ambresburiæ, cor vero Londoniis in eccleſia fratrum minorum, qui ſicut & cuncti fratres reliquorum ordinum aliquid de corporibus quorumcunque potentium morientium, ſibimet vendicabant more canum cadaueribus aſſiſtentium, ibi quiſque ſuam particulam auide conſumendam expectat. Poſt feſtum ſancti Michaelis Rex iterum tendens in Scotiā, cum Eboracum veniſſet, moramque aliquam feciſſet ibidem, Reſus filius Mereduci captus illucque deductus iudicialiter condemnatur. Deinde Rex profectus in Scotiam, omnibus in regnum Scotiæ ius vendicantibus impoſuit, vt in feſto ſancti Iohānis Baptiſtæ proximo futuro coram ſe comparerent, & quo iure regnum illud vendicabant, plenius declararent. Tranſit annus iſte frugifer, ſed qui incolis vix ſufficeret: terræ ſanctæ flebilis, propter nobilem ciuitatem Acon, quæ Acres vel Tholomayda dicitur, ereptam Chriſtianis. Anglis & Scotis ſub magna expectatione tranſactus, dum vnuſquiſque ſcire cupit, quis in regno gentium dominabitur.

Obiit mater Regis.

Reſus Wallicus condemnatur.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus, Nicolaus Papa quartus viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, qui paulo ante Regem Angliæ ad recuperādam terram Sanctam monens, ducem & capitaneum omnium conſtituit Chriſtianorum. Hoc anno ſuborta eſt diſcordia inter Anglicos & Francos huiuſcemodi occaſione: duo nautæ

Obiit Nicolaus Papa 4.

Diſcordia inter Anglicos & Francos.

(quo-

(quorum vnus erat Anglicus, alter Gallicus de Normannia) conuenerunt apud Gaſconiam ad quendam fontem, vt haurirent aquam, vbi diſſenſio facta eſt dum quiſqꝫ nititur prius haurire, cumque diutius contendiſſent & mutua conuicia inuicem intuliſſent, parauit Gallicus Anglicum percutere pugione, ſed Anglicus vitato periculo Gallici pugnum tenuit quo gladium tenebat ſtrictum, eum eripere volens ſibi. Interea cecidit Normannus ſuper mucronem ſuum, confoſſuſque morti ſubiacuit ſuo caſu. Cum vero caſus iſte Normannis fuiſſet cognitus, perſecuti ſunt Anglicum vt in eum necem ſocii vindicarent, ſed nautæ conſocii Anglici reſiſtunt Normannis & fit conflictus grauiſſimus inter eos, tandem Anglici ſine magno diſpendio euaſerunt. Tunc acceſſerunt ad Philippum Regem Franciæ, quibus grata fuit regni turbatio, & eius bilem contra Anglicos commouerunt dicentes: turpe fore ſibi gentique ſuæ, vt à caudatis taliter tractarentur. Rex vero iuſſit nautis ſuis vt vbicunque obuiarent Anglicis de nece conſocii caperent vltionem. Feruebat igitur furor Gallicorum, & dum ſitiunt Anglicorum ſanguinem, multociens damna grauia intulerunt. Vice quadam igitur dum maris obſeruant ſemitas, conſpiciunt naues Anglicas à remotis, quibus curſu appropinquantes velociſſimo ſubito prælium inchoarunt, inter congrediendum quandam nauem Anglicam inter conſocias ſuas vncis attraxerunt Gallici, & quendam Anglicum trahentes de naui ſua, mox in ſummitate mali nauis Normannici ſuſpenderunt. Quo facto (quia potentiores & plures pro tunc erant Gallici) ſine magna læſione receſſerunt. Ex his cauſis creuit timor & inuidia populis vtriuſqꝫ regni. Eo tempore moritur Rex Romanorum Radulphus. In cuius ſucceſſione electus eſt Adulphus Comes de Naſſo: & ſine contradictione in regem Alemanniæ ſolemniter coronatur. Alfonſus etiam Arragoniæ Rex mortuus eſt hoc anno.

Obiit Rex Romanorum.
Obiit Rex Arragoniæ.
Proceſſus de Scotia.

Rex Angliæ poſt feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ in Scotiam veniens, receptis eorum qui regnum Scotiæ vendicabant allegationibus, pro iure ſuo eligi fecit quadraginta perſonas; videlicet, de Anglia viginti, & viginti de Scotia, qui iſtas allegationes deliberata diligentia diſcuterent: ſententiam finalem vſque in feſtum ſancti Michaelis primo venturum diſſerens proferendam.

Rex Norwagiæ vendicat Scotiam.

Eo tempore Ericus Rex Norwagiæ venit coram conſilio domini Regis Angliæ per attornatos ſuos, & protulit quoddam ſcriptum in hæc verba: Omnibus præſentes literas inſpecturis vel auditoris pateat euidenter, quod nos Ericus Dei gratia Rex Norwagiæ tenore præſentium fecimus, conſtituimus & ordinauimus, prout de iure & facto melius facere potuimus, noſtros veros & legitimos attornatos & procuratores & nuncios ſpeciales, nobilem virum Aduen. de Hager, & magiſtrum H. Plebanum, plebis de Caſtillione arretino domini Papæ capellanum, & magiſtrum Petrum Algorum, ad comperiendum pro nobis & vice noſtra, coram excellenti Principe domino, Dei gratia Edwardo Rege Angliæ illuſtri, & ſuperiori domino regni Scotiæ, & ad petendum nomine noſtro, tanquam per ſuperiorem dominum regni Scotiæ nobis adiudicari regnum Scotię ſupradictum, cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis: cum ipſum regnum per mortem dominæ Margaretæ filiæ noſtræ olim dominæ & Reginæ regni Scotiæ, ſit ad nos iure hæreditario deuolutum legitime. Item ad petendum nomine noſtro adiudicari nobis & præfatis attornatis & procuratoribus noſtris, aſſignari pro nobis fructus & redditus regni Scotiæ quatuor annorum, qui fluxerunt è tempore mortis domini Alexandri, bonę memoriæ quondam Regis Scotiæ, vſque ad diem mortis dominæ Margaretę filię noſtræ, olim dominę Reginę Scotorū, qui percepti ſunt vel percipi potuerunt de dicto regno, cum ad nos dicti fructus ſeu redditus pleno iure pertineant; tum, quia fuimus legitimus adminiſtrator bonorum Reginę pręfatæ cum viueret; tum etiam, quia grauia expenſarum & ſumptuum onera ſuſtinuimus propter eam, dum in regno Norwagię moram traxit, & poſtmodum mittendo eam ad regnum ſuum Scotię ſupradictum. Item, ad petendum nomine noſtro condemnari vniuerſitatem regni Scotię, & ipſum regnum ad ſoluendum nobis ſeu dictis attornatis & procuratotibus noſtris recipientibus, vice noſtra pœnam centum millium librarum ſterlingorum, in quam inciderunt vniuerſitas pręfata & regnum prędictum non recipiendo libere præfatam dominam Margaretam, filiam noſtram, in dominam & Reginam regni Scotię, nec ei obediendo in aliquo. Et ad petendum ſupplementum ſeptingentarum marcarum, quas habere debemus à regno Scotię, occaſione dotis dominæ Margaretę olim filię noſtræ & vxoris Regis Scotiæ prędicti: cum fructus & redditus terrarum nobis aſſignati pro ſeptingentis marcis annuis, ad quingentarum marcarum ſummam non aſcendant. Item, ad agendum & defendendum,

dum, luctandum & perdendum, coram pręfato Principe domino Edwardo Rege Anglię, ſuperiore domino regni Scotiæ debita quomodocunque, & qualitercunq;, & ex quacunque cauſa vel cauſis nobis debeantur, & à quibuſcunque perſonis, loco vel vniuerſitate, & quocunque nomine illa iura cenſeantur, & ad omnia alia & ſingula facienda, quæ veri & legitimi attornati ſeu procuratores & nuncii facere poſſent in præmiſſis, & quilibet prœmiſſorum ſi mandatum etiam exegerint ſpeciale, & quæ noſmet facere poſſemus ſi præſentes eſſemus, promittentes ſub hypotheca & obligatione omnium bonorum noſtrorum, pactum firmum & gratum habere & tenere perpetuo, & non contrauenire aliquo ingenio vel modo, quicquid per prædictos attornatos ſeu procuratores noſtros, vel duos ſaltem ex eis actum vel procuratum fuerit in præmiſſis, vel quolibet prœmiſſorum. Datum Tonsborg. anno domini, &c. anno regni noſtri tertiodecimo, in cuius rei teſtimonium has literas fieri fecimus, & noſtri ſigilli munime roborari.

Quod dies datus eſt Regi Norwagiæ.

REQVISITVM fuit de eiſdem attornatis, quid voluit addere, minuere vel mutare, & quod in petitione ſua danda declararent. Qui dicunt quod nolunt declarare antequam habuerint colloquium cum dicto domino Rege Angliæ, ſuperiori domino regni Scotiæ, nec aliquid aliud proponere vel dicere ea vice. Et hæc requiſitio fuit facta, quia alias in petitione ſua, quæ coram ipſis fuit ibidem lecta, reſeruauit ſibi beneficium addendi, minuendi & mutandi, prout plenius ex tenore ipſius petitionis apparet, & datus eſt eis dies vſque ad diem Mercurii proximum ſequentem, ad audiendum voluntatem domini Regis. Poſtea die Mercurii proximo poſt feſtum beati Martini, venerunt prædicti attornati Regis Norwagiæ, coram conſilio prędicti domini Regis Angliæ & ſuperioris domini Scotię, & dictum fuit eis per conſilium dicti domini Regis, quod declararent manifeſte actionem domini Regis Norwagiæ, per quam intendunt recuperare regnum Scotię tanquam ius domini ſui. qui quidem attornati reſponderunt & dixerunt, quod voluerunt prius habere colloquium cum prædicto domino ſuo Rege Norwagię, & ipſum ſuper actione & petitione prędictis conſulere antequam vlterius proſequerentur. Et multotiens requiſiti, quod petitionem præfati domini ſui manifeſtius declararent, tandem dixerunt pręciſe, quod petitionem ſupradicti domini ſui noluerunt declarare, nec vlterius ſuper hoc aliud dicere, antequam eundem dominum ſuum conſulti fuerint in pręmiſſis. Ideo datus eſt eis dies de die in diem coram prędicto domino Rege Angliæ ſuperiore domino dicti regni Scotiæ, ad audiendum iudicium ſuum de eo, quod noluerunt vlterius proſequi petitionem Domini ſui prædicti. Igitur poſt diligẽtem huius negocii diſcuſſionem inter cęteros, de aſſenſu communi, Iohanni de Balliolo, qui de filia Dauid Regis Scotorum deſcenderat, ſeniore, adiudicauit Rex ex integro regnum ipſum. Robertus nempe de Brus, inter quem & ipſum Iohannem de Balliolo (excluſis cęteris) quæſtio vertebatur, licet vno gradu eſſet propinquior, tamen deſcendit à filia Regis Dauid ſecunda. Iohannes de Balliolo in feſto ſancti Andreæ ſequenti collocatus ſuper lapidem regalẽ, quem Iacob ſuppoſuerat capiti ſuo, dum iret de Berſabee & pergeret Aram, in eccleſia canonicorum regularium de Stone ſolemniter coronatur. Poſt coronationem vero accedens ad Regem Angliæ, qui feſtum natiuitatis dominicæ apud nouum caſtrum tenuit ſuper tynam, eidem fecit homagium ſub his verbis:

Iudicium contra Regem Norwagiæ.

Iohannes de Balliol obtinet regnum Scotiæ excluſis cæteris.

Qualiter Iohannes coronatur.

Domine Edwarde, Rex Angliæ, ſuperior domine Scotiæ: Ego Iohannes de Balliolo Rex Scotię, me hominem veſtrum de toto regno Scotiæ & omnibus pertinentiis, & his quæ ad hoc ſpectant. quod regnum meum teneo, & de iure debeo & clamito tenere hæreditarie de vobis & hęredibus veſtris regibus Angliæ, & de vita & membris, & terreno honore contra omnes homines qui putant viuere & mori. Et Rex Angliæ recepit homagium in forma prędicta ſuo & alterius iure ſaluo. Recepto autem Regis Iohannis homagio, Rex Angliæ, eidem regnum Scotię integraliter cum omnibus pertinentiis reſtituit indilate. Tranſit annus iſte multum frugifer nec famelicus: Anglicis & Francis diſcordiæ inchoatiuus, Romanis & Arragoniis lugubris, propter mortem Papæ regumq; Alemanniæ & Arragoniæ: Scotis nec triſtis nec hilaris de adoptione noui Regis.

Scotus facit homagium Regi Anglorum.

Homagii forma.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ 1294. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus primus, fuit idem Rex ad Natale apud nouum caſtrum ſuper Tynam: vbi ſuſcepit homagium Regis Scotorum. Eo tempore Henricus de Hiſpania in carcere

De homagio Regis Scotorum.

Regis

Regis Siciliæ diu detentus, euadens Hiſpanias, ad nepotem ſuum ſanctum Regem venit. Per idem tempus mercatores Angliæ, variis in mari laceſſiti periculis, ſuper mercium ſuarum amiſſione Regi Angliç conqueruntur. Qui Comitem Lincolniç Henricum de Lacy ad Regem Franciæ tranſmiſit; ſuppliciter petens, vt de aſſenſu ipſius per Reges & eorum conſilia, contra huiuſmodi maritima diſpendia prouideretur cum celeritate de remedio competenti. Interim vero dum Comes reſponſum expectat, claſſis ducentarum nauium Normannicarum & amplius, quæ coadnuata, vt Anglos virtuoſius inuaderet, & inuadente fortius propulſaret, in Waſconiam profecta fuerat, quicquid de parte aduerſa obuium habuit prędæ ac morti facile deſtinando. Dum onuſta vino reuerteretur gloribunda, quaſi ſibi ſoli maris ceſſiſſet libertas, à ſexaginta nauibus Anglicanis capitur in portu ſancti Matthęi, in minori Britanniæ & in Angliam adducitur feria ſexta ante vigiliam Pentecoſtes, ſubmerſis aut cęſis hominibus omnibus, qui erant in nauibus, ſolis illis, qui in ſcaphis vix ſibi ſaluti fuerant fugiendo. Perdiderunt nempe Gallici quindecim millia hominum in hoc conflictu.

Congreſſus in mari apud ſanctum Matthæū.

De mandato Franciæ regis.

Rumor facti diffuſus per Galliam, Regem conſilium ſuumque non tam admiratione quam indignatione vehementi commouit. Ordinantur igitur ambaſſiatores, qui ex parte regis Francorum à Rege Anglię peterent, vt abſque mora naues cum mercibus per homines ſuos raptas, & in regno ſuo receptas reſtitueret, ſi vellet ſua negotia pro terra Waſconię in curia Regis Francię fauorabiliter expediri. Super mandato Rex deliberans habito conſilio, Richardum Londonienſem Epiſcopum adiunctis eidem aliis viris prudentibus, ad Regem Francorum & ſuum conſilium cum huiuſcemodi tranſmiſit reſponſo; videlicet, cum Rex Angliæ curiam ſuam habeat nulli ſubiectam, ſi qui ſe lęſos ſenſerint per homines regni ſui, veniant ad curiam ſuam, & declaratis ſibi illatis iniuriis, Rex eis celerem fieri iuſtitiam ordinabit; quod, vt ſecurius poſſint facere, quibuſcunque conqueri volentibus, rex de eundo & redeundo per terram ſuam ſaluum dabit conductum. Quod ſi hoc regi Francorum non placeat, eligantur hinc inde arbitri, qui penſatis damnis vtriuſque partis prouideant, quomodo querelantibus ſatis fiat, & Rex Anglorum dicto eorum, & laudo ſub certa obligatione ſe ſubmittet; dum tamen Rex Francorum ſe ſubmittat & obliget pari modo. Si vero aliquid occurrat tam arduum, quod per arbitros diſcindi nequeat, definiendum regibus reſeruetur. Et Rex Anglię habito conducto ad Regem Franciæ accedentem, ad aliquam villam maritimam veniet, & de aſſenſu mutuo finis negotio imponatur; quod ſi nec iſtud Rex Francorum acceptauerit, in ſummum Pontificem, cuius eſt inter Reges & regna pacem fouere, transferatur de aſſenſu mutuo negotium; vel, quia tunc ſedes ſancti Petri vacabat, ad Cardinales omnes vel aliquos: vt litis & diſcordiæ ſubmota materia, pax inter eos & eorum populos refloreat vt ſolebat. Spreuit hęc omnia conſilium Franciæ, nec nunciis inſtanter flagitantibus dignatum eſt aliquid reſpondere. Miſit denique Rex Francorum ad ciuitatem Agennum, quæ ad Ducatum Aquitannię ſpectare dignoſcitur, ibique nominatim citari fecit Regem Angliæ, vt die certa Pariſius compareret, de iniuriis & rebellionibus in terra factis Waſconiæ reſponſurus. Quem ad diem pręfixum non comparentem, rex Francorum in propria perſona pro tribunali ſedens ſententiam protulit iudicans in defectu. Moxque pręcepit Conſtabulario Franciæ, vt in manu armata proficiſcens, Ducatū Aquitanię regis Francorum nomine occuparet, caperetque vel expelleret quoſcunque per regem Anglię illius cuſtodiæ deputatos. Siquidem paulo ante miſerat illuc Rex Anglię, Iohannem de ſancto Iohanne, militem diſcretum, in armis ſtrenuum, & in rebus bellicis exercitatum; qui ciuitates & caſtra per totum Ducatum muniuit armis, & victualibus, & viris ſtrenuis ad bellandum. Rex Anglorum adhuc ſatagens regis Francorum animum emollire, mandauit germano ſuo Edmundo, qui tunc in Galliis morabatur, vt conſilium Francię adiens, de aliqua forma pacis prouideret; quæ regi Frãcorum foret placita & ſibi non nimium inhoneſta. Qui poſt tractatus multos fruſtra habitos, iter verſus Angliam arripuit, de pace & concordia penitus deſperatus. Eodem anno circa feſtum ſancti Michaelis Ælenora filia regis Anglię apud Briſtolliam Henrico Comiti Barrenſi traditur in vxorem; de qua filium genuit Edwardum; & filiam, quam Iohannes de Warremia Surreię & Southſexię Comes duxit. Tranſit annus iſte nec vber frugum, nec fertilis fructuum; Normannis flebilis, quia quod charius dilexerunt, per Anglicos amiſerunt: Francis & Anglicis diſcordię inchoatiuus, & damnorum irrecuperabilium cauſatiuus.

Reſponſio regis Angliæ.

Citatur Rex Angliæ.

Nuptiæ filiæ regis.

Annalis concluſio.

Regina tractans

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, qui eſt annus regni regis

regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus ſecundus, Edmundus frater regis Angliæ verſus mare profectus, per reginas Franciæ, Iohannam regis conſortem, & Mariam eiuſdem nouercam, vt cum eiſdem pacis tractatum reſumat, celeriter reuocatur. Denique mediantibus reginis, poſt plurima interloquia in forma ſubſcripta extitit concordatum: vt propter honorem regis Francorum, cui per miniſtros cuſtodiæ Waſconiæ deputatos, vt videbatur nonnullis, in pluribus fuerat derogatum, ſex caſtra; videlicet, Sanctonas, Talemund, Tourn, Pomerel, Penne, & Mountflaunkon: voluntati regis Franciæ dederentur. In omnibus vero ciuitatibus & caſtris totius Ducatus, exceptis Burdegalia, Baiona, & Regula, vnus ſeruiens nomine regis Franciæ poneretur. De miniſtris quoque per regem Angliæ in Waſconia poſitis, aliiſq; per totam terram pro libitu regis Francorum obſides traderentur. Quibus pactis rex Franciæ citationem in aula Pariſienſi publicatam faceret reuocari. Caſtra vero omnia, a monſ[tr]is ſeruientibus in ciuitatibus poſitis & caſtris, obſideſque ad petitionem duarum reginarum vel vnius earum reſtitueret ſine mora. Rexq; Angliæ (conceſſo ſibi ſaluo conductu) Ambianis veniret, vt ibi habito mutuo regum colloquio, pax & amicitia in poſterum firmaretur. Super his confectis ſcriptis, vnum per reginas ſignatum Edmundo traditur, aliud ſignatum ab Edmundo, commendatur reginis. Quę data fide in manu Edmundi promiſerunt, pacta in ſcriptis inita nullatenus violanda. Certificatus ſuper his rex Angliæ, per germanum ſuum literam vnam patentem directam omnibus miniſtris ſuis in Waſconia, continentem mandatum, vt in omnibus regis Francorum obtemperent voluntati, tranſmiſit germano ſuo, per eum (cum ſibi videretur) vlterius in Waſconiam tranſmittendam. Recepta litera, Edmundus veritus eam tranſmittere, antequam ſibi conſtaret, an rex ipſe acceptaret; quæ facta fuerant per reginas, petiuit ab eis, vt per dictum regis proprium ſuper præmiſſis certior redderetur. Denique præſentibus Edmundo germano regis Angliæ, & vxore ſua Blanka, regina Nauatriæ, matre reginæ Franciæ, necnon Duce Burgundiæ, & Hugone de Veer filio Comitis Oxonienſis, ac clerico quodam Iohanne de Lacy, rex ipſe promiſſa reginarum ac pacta per eas concordata in fidelitate regia ſe adimpleturum ſpopondit. Moxque miles quidam nomine Galfridus de Langleya, de familia Edmundi fratris regis Angliæ, cum literis regis Francorum reuocantibus Conſtabularium Regis Franciæ, qui cum exercitu profectus fuerat, vt Waſconiam expugnaret, miſſus eſt ad eum. Rex autem Angliæ, Cantuariæ ſolemnitatem Paſchalem tenuit, ibidem vt Ambianis proficiſceretur expectabat de conductu. Iohannes etiam de Lacy clericus prædictus, in Waſconiam tranſmiſſus eſt, cum litera miniſtris regis Angliæ directa, ſecundum formam prædictam. Iohannes vero de S. Iohanne, quem rex Angliæ Waſconiæ præfecerat, auditis pactis initis, omnia quę ad munitiones caſtrorum & vrbium prouiderat, vendidit; diſcedenſque per Pariſius verſus Angliam iter ſuum direxit.

de pace cum fratre regis Angliæ. *Formula pacis.*

Et ecce procurante pacis æmulo, immutatum eſt cor regis Franciæ, conductuſque regi Angliæ denegatur, & litera Conſtabularii reuocatoria, per poſteriorem literam irritatur. Et quia per Conſtabularium Waſconiam in manu potenti intrantem, cuſtodibus & miniſtris iuxta tenorem literę ſibi apportatę ſe ſubdentibus, in manu regis Francorum accipitur terra tota: Miniſtri omnes regis Angliæ, reſtéque cuſtodes, obſides & captiui Pariſius deducuntur. Poſt dies tantum aliquot, Edmundus reginas rogauit, vt iuxta promiſſa ſua & pactiones initas, regem Franciæ interpellarent, ſuper conductu regis Angliæ concedendo, citatione reuocanda, terra reſtituenda, & obſidibus liberandis. Rex vero Francorum per quoſdam milites ad Edmundum miſſos inficiatur ſe quicquam de talibus pactis ſcire. Denique perpendens Edmundus, ſe fratremque ſuum regem Angliæ deluſos, reuerſus in Angliam, regem & conſilium ſuum ad plenum informat & certificat de re geſta. Igitur rex Angliæ conuocato Londoniis Parliamento, cui Iohannes rex Scotorum interfuit, de conſilio prælatorum & procerum, conſentium terram ſub dolo ablatam recuperandam gladio: Rex Angliæ ad regem Francorum miſit nuncios, Hugonem de Maneeſtria de ordine prędicatorum, & Wilhelmum de Gineſborn de ordine Minorum, Doctores theologiæ, viros prouidos ac diſcretos; mandans ei per eoſdem, quod cum pacta inter progenitores eorum habita & ipſos, necnon & ſecretos tractatus, quos mediante germano ſuo cum eo habuit, violaſſet: non videbatur ſibi, quod ipſum regem Angliæ, ducemque Aquitaniæ, hominem ſuum reputabat, nec ipſe homagio ſuo aſtringi vlterius intendebat. Eodem tempore rex Angliæ miſſo in Teutoniam Antonio Dunelmenſi

Inconſtantia regis Franciæ. *Parliamentum Londoniis.* *Confœderatio.*

menſi epiſcopo, confederauit ſibi Radulphum regem Romanorum. Exercitum etiam in Waſconiam tranſmittendum, adunari iubens apud Porteſmutham, Iohannem de Britannia nepotem ſuum Comitem Richmundię, eidem præfecit: dans ei conſiliarios, Iohannem de ſancto Iohanne, & Robertum Typetot, milites prudentes, & in bellicis rebus expertos. Nauigium etiam ad cuſtodiendum mare in tres claſſes diſtinxit: tres præponens ei Admirallos, videl. Gernemuthenſibus & cæteris illius partis nauibus, Iohannem de Botecurts: Porteſmuthenſibus, Wilhelmum de Leybourn: Occidentalibus vero nauibus & Hibernicis, militem quendam de Hibernia oriundum. Hoc anno conceſſum eſt regi in ſubſidium werræ ſuæ medietas à clero, ſexta à ciuibus, & à reliquo populo decima pars bonorum. Fuit autem hoc anno in Anglia maxima annonæ cariſtia, ita vt pauperes paſſim afflicti henteria morerentur. Eodem anno poſt vacationem diutinam, electus eſt in ſummum Pontificem Petrus de Murrone, qui Monachus de ordine S. Benedicti exiſtens heremiticam duxit vitam. Hic ſublimatus in Papam dictus eſt Celeſtinus quintus, qui vnam ordinationem in menſe Septembri faciens, creauit duodecim Cardinales. Exercitus regis Anglię de Porteſmutha circa feſtum S. Michaelis progrediens, vi ventorum repulſus, applicuit Dottemutham. In craſtino vero S. Dionyſii captata aura curſu veliuolo ad ſanctum Matthæum in Britannia die ſecundo perueniunt, diſcedentes à Britannia in craſtino ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, intrauerunt oſtia Girundiæ fluuii à Burdegalia diſcedentes, per quem aſcendentes, captis duabus villis bonis ac muratis, Burgo ſuper mare, ac Blanio, curſu proſpero tranſeuntes, coram Burdegalia Riſuncium peruenîunt, vbi reddita eis villa, equos ſuos de nauibus eduxerût. Eodem tempore Wallenſes inſurgentes contra regem, in diuerſis partibus, diuerſos ſibi principes præfecerunt. Aquilonares enim, qui circa partes Snowdoniæ habitant, capitaneû habentes & ducem, quendam de genere Lewlini principis vltimi, Madoeum nomine, villam & caſtrum de Carnaruan combuſſerunt, magna Anglicorum multitudine (qui nihil tale ſuſpicantes ad nundinas venerunt) interfecta. Occidentales vero Wallenſes præpoſito ſibi quodam, nomine Mailgone, iuuene, in partibus Penbrochiæ & Carmerdin mala plurima perpetrarunt. Quidam etiam Morganus dictus Wallenſes auſtrales concitans, Comitem Glouerniæ Gilbertum, qui progenitores ſuos exhæreditauerat, de terra ſua quæ Glamorgan dicitur, expulit & fugauit. Rex Angliæ auditis his rumoribus Walliam ingreſſus, Edmundum germanum ſuum, & Henricum Comitem Lincolniæ, qui iam ſe parabant ad transfretandum in Waſconiam, cum exercitu ad ſe in Walliam reuocauit. Quibus in die S. Martini appropinquantibus caſtello Comitis Lincolniæ de Dinby, Wallenſes in magna virtute occurrerunt, & conſerto graui prælio repulerunt. Robertus de Winchelſee Doctor ſacræ theologię à Papa Celeſtino confirmatus, & in Archiepiſcopum Cantuarienſem in curia conſecratus, Angliam veniens, Iohanni de Monemutha Doctori theologiæ Epiſcopatum Londinenſem auctoritate papali contulit, qui iam vacauerat multis annis. Celeſtinus papa ſe minus ſufficientem ad regendum eccleſiam ſentiens, de conſilio Benedicti Caietani, ceſſit papatui, edita prius conſtitutione ſuper ceſſione pontificum Romanorum. In vigilia natalis Domini apud Neapolim in Papam eligitur Benedictus Caietanus, natione Campanus, de Anagnina ciuitate. Hic Bonifacius octauus vocatus, ſtatim poſt ſuam creationem epiſcopum Oſtienſem ſuper quibuſdam in præſentia Cardinalium arguens durîſſime, pallii vſu priuauit: & nihilominus ab eodem ante reſtitutionem pallii coronatur. Hic quinto pontificatus ſui anno, qui Iubilęus erat, vberes indulgentias limina Apoſtolorum viſitantibus conceſſit. Sextum librum Decretalium edidit, in quo multa dubia decidit. Nonnullas extrauagantes conſtitutiones Honorii, Adriani, Innocentii, Clementis & aliorum incorporauit, reprobanda reſecauit. De quo prædeceſſor ſuus Celeſtinus, vir vitæ anachoriticæ, eo quod eum ad cedendum papatui ſubdole induxiſſet, prophetauit in hunc modum prout fertur: *Aſcendiſti vt Vulpes, Regnabis vt Leo, Morieris vt Canis.* Et ita ſane contigit. nam ipſum papam vt papatui cederet, & vt Papa quilibet cedere poſſit, conſtitutionem edere fecit: quam quidem poſtmodum ipſemet Papa effectus reuocauit. Deinde rigide regês generoſos quoſdã de Columna Cardinales depoſuit. Regi Francorum in multis non ſolum obſtitit, ſed eum totis viribus deponere inſudauit. Igitur ſeneſcallus Franciæ Wilh. de Longareto, vir quidem in agrilibus admodum circumſpectus, & fratres de Columna prædicti, fœderatis viribus Bonifaciũ Papam comprehenderunt, & in equum effręnem verſa facie ad caudam ſine fræno poſue-

Nauigii diſpoſitio.

Subſidium regi conceſſum.

Eligitur Papa Celeſtinus.

Capitur Riſuncium.

Wallici inſurgunt.

Rex ingreditur Walliam.

Rob. Winchelſee epiſcopus Cantuarienſis creatur.

Quo pacto Celeſtinus diſceſſerit Papatu.

Prophetia Celeſtini in Benedictum Papam.

poſuerunt, quem ſic diſcurrere vſque ad nouiſſimum halitum coegerunt, ac tandem fame necauerunt. Sed hæc in ſequentibus, cum tempus occurrerit rei geſtæ.

Tranſit annus iſte frugibus & fructibus deſtitutus, ita vt pauperes fame peribãt: Anglis ſubdolus, propter fallacitatem, quæ de Francorum rege & regnis ſurrepſit, & ſollicitus, propter bella parata verſus Waſconiam ſiue Walliam: Romanis varius, propter Papæ Celeſtini ceſſionem: Paganis, Saracenis & incredulis in terra ſancta quietus, propter Chriſtianorum diſſentionem. [*Annalis concluſio.*]

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus tertius, fuit idem rex ad Natale in Wallia apud Aberton, vbi Archiepiſcopum Cantuarienſem ad ſe venientem, miſſo ei obuiam ad ſecurum conductum faciendum, quodam clerico Iohanne de Berewiço, cum manu armata gratioſe recepit, & eius fidelitatem, quam ex more tenetur regi facere admiſſam cum fauore remiſit. [*Acta in Wallia.*] In die Circumciſionis domini reddita eſt Iohanni de ſancto Iohanne ciuitas Baionenſis; quam die præcedenti ceperant nautæ fortiter expugnatam: multoſque de ciuibus, quos regi Anglorum aduerſari compertum eſt, præfatus Iohannes captos in Angliam per mare tranſmiſit. [*Acta in Waſconia.*] Obſidionem vero poſuit circa caſtrum, quod poſt dies octo cepit, Dominumque aſperi Montis, qui id detinuerat, cum aliis cuſtodię mancipauit. Duas etiam galias pulcherrimas, quas ad munimen vrbis rex Francorum fecerat, in vſum ſuum accepit. Non multum vero poſt reddita eſt Anglicis villa ſancti Iohannis de Sordes, multaſque alias villas & muniriones ceperunt; quibuſdam ſe ſponte dedentibus, quibuſdam violenter ſubactis. Auctus eſt in breui Anglicorum exercitus, multis fraude cognita Gallicorum, ad fidelitatem regis Angliæ reuerſis in quatuor millibus peditum, equitibuſque ducentis. Rex Anglię eo tempore tranſito flumine de Conewey, vt vlterius progrederetur in Walliam, cum nondum totus comitaretur exercitus, captis bigis & curribus victualibus onuſtis à Wallenſibus, per aliquod tempus penuria coarctatur, ita, vt quouſque veniret ad eum reliqua pars exercitus, aquam melle mixtam biberet, paneque cum ſalſis carnibus veſceretur. [*Acta in Wallia.*] Comes Warwici, audito, quod Wallenſes in maxima multitudine, in quadam planitie, inter duo nemora ſe adunaſſent, aſſumptá ſecum electa militia, cum baliſtariis & ſagittariis, de nocte ſuperueniens, eos vndique circumcinxit: qui fixis in terra lanceis, cuſpides in oppoſitum irruentium dirigunt, vt ſic ſe ab impetu equitum tuerentur. [*Probitas Comitis Warwici.*] Sed Comes inter duos equites poſito vno baliſtario, aciaculis baliſtarum magna parte eorum, qui lanceas tenebant, proſtratis, cum turma equitum in reliquos irruens, tantam ſtragem intulit, quanta eis vna vice illata, non creditur temporibus retroactis. Interim rex Angliæ ad compeſcendas Wallenſium inſolentias, caſtrum in Inſula, quæ Angleſcy dicitur, conſtruxit, quod bellum Mariſcum voluit appellari. [*Acta in Wallia.*] Tandem Wallenſes reliqui fame conſumpti & inedia; ad pacem regis in breui venire coguntur. In hoc tempore ſucciſa ſunt nemora in Wallia, quæ belli tempore indigenis præſtabant latibula, firmataque ſunt caſtra maritima circa loca. Cito poſt hoc captus eſt Madocus prædictus, capitaneus Wallicorum, & Londonias adductus, à quo tempore werræ in Wallia quieuerunt, & Wallenſes more Anglicorum pene viuere inceperunt; theſauros congregantes, & rerum damna de cætero formidantes. Eodem anno Carolus germanus regis Franciæ Waſconiam ingreſſus cum exercitu, Riſuncium obſedit, & fugiente eius capitaneo Iohanne de Britannia, cum Roberto Typetot, paucis relictis ad tuitionem villæ militibus, feria quinta in hebdomada Paſchæ cepit: militeſque ibi repertos; ſcil. Radulphum de Gorges, Rogerum de Leybourne, & Iohannem de Cretingge, cum aliis militibus treſdecim, & ſcutiferis trigintatribus, Pariſius captiuos tranſmiſit. [*Acta in Waſconia.*] Occiſus eſt ibi Adam de Cretingge, miles admodum probus, proditione cuiuſdam militis, nomine Walteri, cognomento Giffardi; qui factus transfuga, moratus eſt in Galliis annis multis: Eodem die reddita eſt Anglicis villa ſancti Seueri; cuius capitaneus Hugo de Veer conſtituitur. Carolus autem; euerſis villo & caſtro Riſuncii, ſanctum Seuerum (antequam ſufficienter muniatur) properat obſidere. Quam in magnum Gallicorum diſpendium, qui ibidem fame moriebantur & peſte, tenuit præfatus Hugo treſdecim ſeptimanis. Deficientibus tandem his, qui intus erant, per mediationem Comitum de Anudoys & Fuctenſis, qui erat cum Carolo, obtenta eſt treuga dierum quindecim, infra quos liceret obſeſſis pro ſubſidio mittere in Baionã; quo deficiente ad terminum prætaxatum, reddita eſt villa Gallicis, ita, quod ſalua-

ta ſint recedentibus arma cum ſupellectili ſua tota, dato conductu vſque ad duas dietas ab exercitu. Remanentibus vero nulla eſt illata moleſtia, ſed potius obſides prius abducti Tholoſſam per Seneſchallum regis Franciæ in villa repoſiti ſunt, reſtitutis eis omnibus rebus ſuis. Carolus (poſitis in villa cuſtodibus) cum exercitu ſuo reuertitur in Franciam; poſt cuius diſceſſum infra paucos dies capta eſt villa ab Anglicis iterato.

Duo Cardinales veniunt in Angliam.

Eodem anno duo Cardinales, Albanenſis & Preneſtinus, primo ad regem Franciæ, poſtea ad regem Angliæ venerunt; miſſi à Papa Bonifacio pro pace inter reges & concordia reformanda. Qui circa feſtum Pentecoſtes venientes Londonias, ibidem ex mandato regis (adhuc in Wallia exiſtentis) eius præſtolabantur aduentum, qui fuit circa feſtum ſancti Petri ad Vincula. Cardinales igitur coram rege nuntium ſuum proſequentes, & pacem ſuadentes, treugam duorum annorum petentes, reſpondenteque rege quod in pacem vel treugam abſque regis Romanorum conſenſu aſſentire propter fœdus inter eos initum iuramento firmatum non potuit: Rogauerunt regem, vt regis Romanorum conſenſum petendo inducias impetraret. Rege autem ob reuerentiam curiæ Romanæ, petitioni eorum annuente, circa natiuitatem Virginis glorioſæ in Gallias reuertuntur.

Galli monachū, direpto prioratu Doueriæ, occidunt.

Circa præſens tempus claſſis Gallicana Doueriam veniens, emiſit prædones, qui ſpoliato Prioratu & vno Monacho ſene occiſo, partem magnam oppidi incenderunt; quorum aliqui ante reditum ad naues interfecti ſunt; ſed plurimi euaſerunt. Cito vero poſt, galia quædam Gallicorum caſu quodam ad portum de Hyda appulſa, capta eſt per Iohannem de Columbariis militem nobilem, nautis qui eam conabantur abducere, interfectis. Nautæ etiam Gernemuthenſes Cæſaris burgum in Normannia incendio vaſtauerunt Cherburgh, ſpoliataque Abbatia Canonicorum Regularium quendam ſenem in Angliam adduxerunt. Proteſmouthenſes quindecim naues Hiſpanicas onuſtas mercibus tendentes in Dammonem portum Flandriæ, captas deduxerunt Sandwicum.

Rex Scotiæ fidem violat.

Iohannes rex Scotiæ, homagii & fidelitatis ſuæ immemor, deſtinatis ad regem Francorum nuntiis, Wilhelmo ſancti Andreæ, & Wilhelmo Dunkelaenſi Epiſcopis, Iohanne de Soules, & Ingelrame de Vmfreuile militibus, clam contra Regem Angliæ fœdus iniit; petens in affirmationem negotii, matrimonium contrahi inter filium ſuum Edwardum, ac nobilem puellam Iohannam filiam Caroli germani regis Francorum; ſpondens ſe velle regnum Angliæ totis viribus impugnare, & à werra cum rege Franciæ impedire, ſicut in ſcriptis inter vtroſque reges confectis plenius continetur.

Scoti eligunt 12. pares.

Scoti vero per idem tempus elegerunt ſibi duodecim pares; quatuor videlicet Epiſcopos, quatuor Comites, & quatuor Barones; quorum conſilio rex regnum ſuum gubernare debebat. per quos etiam, vt in hanc conſentiret proditionem fuit inductus. Nempe horum conſilio, & præcipue Abbatis de Mentos, cum ad Parliamentum veniſſet Regis Angliæ, illicentiatus clam diſceſſit tanquam fugitiuus, ad magnum dedecus perſonæ ſuæ. Ob quam cauſam rex Angliæ iuſſit omnia bona ſua mobilia & immobilia, quæ habebat in Anglia, confiſcari; qui eo tempore multas villas, & prædia pinguia in Anglia poſſidebat. Per idem tempus miles quidam, dictus Thomas Turberuile, in Waſconia captus eſt, & Pariſius inter alios captiuos detentus. Qui, procurante ciuitatis eiuſdem Præpoſito, liber dimittitur; ſponſione iuramento firmata, quod contra regē Angliæ Walliam commoueret. Qui cum veniſſet in Angliam proditionis conuictus,

Thomas Turberuile ſuſpenditur.

tractus ac ſuſpenſus, dignas luit ſceleris ſui pœnas. Eo tempore Henricus de Hiſpania, mortuo nepote ſuo Sanctio, cuſtos regni Caſtellæ & filiorum regis tutor efficitur. Iacobus frater Alfonſi quondam regis Arragoniæ, tradita fratri ſuo iuniori nomine Frederici Sicilia, regnum Arragoniæ, poſt mortem fratris accepit, & vxorem ducens filiam Caroli regis Siciliæ, reconciliatur eccleſiæ; obſidibus, quos frater ſuus tenuerat, liberatis. Rex Angliæ per idem tempus à rege Scotorum (ignorans eorum proditionem) cum auxilium pro werra ſua inſtanter petiiſſet, & ſibi ſemper reſponderetur in dubiis, ſuſpectum habens negotium, rogauit; vt ob ſecuritatem vſque ad finem werræ ſuæ caſtra tria, videlicet Berwici, Edinburgiæ, & Rokesburgiæ traderentur in manu ſua, quæ poſt werram reſtitueret, ſi eos ſibi comperiſſet fideles. Quod cum Scoti facere renuiſſent, rex de proditione eorum certior, cum exercitu verſus Scotiam progreſſus, diſpoſuit eam vi ſubiicere, niſi ab his, quæ referebantur, & quæ iam in opere oſtendebantur, ſe poſſent legitime excuſare.

Rex cognouit Scotorum perfidiam in hac re.

Per idem tempus, cum maiores Flandriæ, qui Scabini dicuntur in villis, renuiſſent ſtare iudicio Comitis in his, propter quæ diſcordia ſuborta erat inter eos & communem

Comes Flandriæ arreſtatur Pariſius.

Rex ſcrutatur Monaſteria.

manem populum, ad curiam regis Franciæ appellarunt. Vocatus autem Comes à rege, cum Pariſios veniſſet, detentus eſt ibidem, quouſque filiam ſuam, cum qua filius regis Angliæ matrimonium fuerat (vt dicebatur) contracturus, pro ſe regi Frācorum obſidem reddidiſſet. Circa pręſens tempus fecit rex Angliæ omnia regni monaſteria perſcrutari, & pecuniam inuentam Londonias apportari, fecitque lanas & coria arreſtari: & ſubſecuta eſt magna cariſtia bladi & vini.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte moleſtus diuitibus, importabilis pauperibus, propter frugum inopiam magnamque cariſtiam: Anglicis, Gallicis, Aquitanis, Flandrenſibus, atque Scotis turbulentus: Wallicis exitialis, & finis libertatis eorum: Sarracenis & incredulis à Chriſtianorum bello pacificus & quietus.

Actio in Waſconia.

Anno gratiæ milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo ſeptimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus quartus, Petrus & Iacobus de Columna, à Cardinalatu per Papam Bonifacium deponuntur. Circa conuerſionem Sancti Pauli, Edmundus germanus regis Anglię, aſſociato ſibi Henrico Comite Lincolniæ, cum exercitu valido in Waſconiam transfretauit, cui redditum eſt feria quinta S. cœnę domini, caſtrū de Spera, & poſtea alia caſtra plura. Cū autem appropinquauit Burdegalæ ad reficiendum ſe cum exercitu, & poſuiſſet in villula quadam nomine Rekele, feria quarta in hebdomada Paſchę, Gallicorum exercitus de Burdegala egreſſus, diſpoſuit ex improuiſo, Anglicos tantum per duas leucas ab vrbe diſtantes, celeriter occupare. Præmoniti aliqualiter Anglici de aduentu hoſtium, ad bellum ſe parant, & armati prout articulus temporis permiſit, parti occurrerunt aduerſæ, conſertoque graui prælio, non ſine ſtrage multa Gallos cogunt ad vrbem reuerti: quos dum fugientes inſequuntur, ingreſſi ſunt duo milites Anglici, fratres domini Petri de Malo Lacu, & tertius Waſco cum duobus vexilliferis, Iohanne de Britannia & Alano la Souche; quos ceperunt Gallici portis clauſis. Deuaſtata vero magna parte ſuburbii, Edmundus propter quaſdam cauſas arduas reuertitur in Baionam; vbi non multo poſt in ægritudinem decidens, terminum vitę clauſit: cuius corpus emenſo dimidio anno per mare aduectum patrię, apud Weſtmonaſterium ſepelitur. Poſt mortem Edmundi, Anglicanus exercitus obſedit vrbem Aquenſem, ſed penuria victualium coactus diſcedere, obſidionem amiſit. Eo tempore Comes Atrebatenſis per regem Francorum miſſus in Waſconiam, munitiones quaſdam de manibus Anglicorum extorſit. Qui vero Burgum ſuper mare tenebant, obſidente eos Domino de Sulliaco, inducias impetrantes, vſque Blanium pro ſuccurſu nuncios tranſmiſerunt. Vbi cum nauem victualibus onuſtam cęteri deducere recuſarent, Simon de Monte acuto, miles ſtrenuus & cordatus, per medias galias Gallicorum, quę ad prohibendum tranſitum nauium fluuium obſeruabant, aſpirante flatu proſpero, vſque Burgum deduxit, quo cognito, ſoluta obſidione, Dominus de Sulliaco reuertitur in Gallias intento fruſtratus.

Probitas Simonis de monte acuto.

Rex proficiſcitur verſus Scotiam.

Per id tempus rex Anglię immenſo coadunato exercitu, venit ad nouum caſtrum ſuper Tynam; ad quem locum Iohannem regem Scotorum citari fecerat edicto publico, vt de his, quæ ſibi debeant obiici reſponderet. quo ad diem pręfixum nec per ſe compatente, nec per nuntium ſe excuſante, Rex de conſilio ſuorum decreuit vlterius procedendum. Interim miles quidam, Robertus de Roos, dominus caſtri de Werk, non obſtante fidelitate, quam regi Angliæ iurauerat, ad Scotos transfugit. Super quo germanus eiuſdem, Wilhelmus de Roos, regem præmonens, petiuit ſibi mitti ſubſidium, quo poſſet caſtrum defendere contra Scotos. Miſit rex illuc viros mille: qui recepti in villa quadam dicta *Preſt ſeu*, omnes eadem nocte à Scotis, quorum capitaneus erat pręfatus transfuga, Robertus de Roos, interfecti ſunt, exceptis paucis qui dilapſi ſunt fuga. Quo audito, mox rex cum exercitu ad caſtrum illud properat, gauiſus in hoc, vt fertur, quod Scoti prima cœperunt hoſtilia exercere. Rex itaque, apud prędictum caſtrum, Paſchalem ſolemnitatem peregit. Quo tempore, ſeptem Comites Scotiæ, videlicet, de Bowan, de Menteth, de Stradcherne, de Lewenes, de Roos, de Athel, de Mar, ac Iohannes filius Iohannis Comin de Badenau, collecto exercitu valido in valle Anandiæ, feria ſecunda Paſchæ Angliam ingreſſi, vaſtabant omnia cæde & incendio, non parcentes ætati vel ſexui: venientes Carleolum vrbem, ipſam obſidione cinxerunt. Combuſto autem ſuburbio, cum ad portam ciuitatis cremabilia congererent, nobilis quidam de Galwidia, dum portæ ciuitatis appropinquaret, ignoto ferro ab his, qui ſuper portam erant, attrahitur, confoſſuſque lanceis enecatur. In carcere vero ciuitatis, quidam explorator detentus,

cum aduentum ſuorum audiſſet, carcerem incendit: Cuius igne flatu venti in domos alios delato, vrbis pars magna crematur. viri tamen & mulieres ad muros concurrentes, lapidibus & telis Scotos à muris propulſant, vrbem viriliter defendentes. Scoti videntes nil ſe proficere, feria quarta omiſſa obſidione, in Scotiam redierunt.

Rex Angliæ capit Berwicum.

Eadem die ſcilicet feria quarta in hebdomada Paſchæ, Rex cum exercitu progrediens, tranſito flumine, quod Tweda dicitur, Scotiam eſt ingreſſus, & Burgenſes Berwici ad pacem inuitans, per vnum diem integrum expectauit. Quibus ad pacem venire nolentibus, cœpit in die veneris villæ appropinquare, fixis tentoriis in domo monialium de Caldeſtreme; à qua diſtabat villa Berwici per dimidiam tantum leucam. Aduenerunt autem & viginti quatuor naues Angliæ; quarum nautæ incaleſcente ſole exercitum regni in quadam planitie pręparatum conſpicientes, vbi rex nouos milites fecerat, æſtimantes Regem velle dare inſultum, portum ingreſſi, & ad terram applicantes, conflictum ineunt cum villanis; vbi quatuor nauibus perditis, cęteræ cum refluxu ſaluæ & integrę retrahuntur. Diuulgato autem in exercitu facto nautarum, Rex apertę terræ tranſgreſſus ſine difficultate foſſatum, quod Scoti fecerant, villam occupauit; vnico tantum de ſuis militibus interfecto. Mercatores Flandrenſes, qui in villa eadem domum ad modum turris habebant fortiſſimam, iacula mittentes in Anglicos & pila, Richardum de Cornubia fratrem Comitis de Cornubia, militem ſtrenuum caſualiter ſpiculo traiecerunt; ad quos cum non de facili pateret acceſſus, allato igne incendio ſuffocantur. Eadem nocte dormiuit rex in caſtro; quod redditum eſt eidem, ſaluis vita & membris his, qui in eo erant, & præſtito iuramento, quod contra Regem Angliæ arma de cætero non portarent. Omneſque, quo volebant, abire permittuntur, excepto eorum capitaneo Wilhelmo, quem ſecum retinuit vſque ad finem werræ. Et confeſtim iuſſit rex fodi profundam foſſam inter Scotos & Berwicum, qui eſſet terrori hoſtibus, & eoſdem arctaret ab incurſibus repentinis. Cumque rex villam Berwici nouo foſſato muniret, circa ingreſſum menſis Aprilis, venerunt ad eum gardianus & lector Fratrum Minorum de Rockesburg, deferentes literas Iohannis regis Scotiæ, tenorem huiuſcemodi continentes.

Rex Scotiæ reddit homagium.

Magnifico Principi Domino Edwardo Dei gratia regi Angliæ, Iohannes eadem gratia Scotiæ rex. Cum vos ac illi de regno veſtro, non ignorantibus vobis, vel ignorare non debentibus, per violentam potentiam nobis ac regni noſtri incolis graues, imo intolerabiles iniurias, contemptus & grauamina, necnon & damna enormia contra noſtras & regni noſtri libertates, ac contra dominium & iuſtitiam notorie ac frequenter intuleritis, noſtra extra regnum ad leuem quamcunque ſuggeſtionem pro libitu veſtræ voluntatis citando, & indebite vexando caſtra noſtra, & terras & poſſeſſiones noſtras infra regnum noſtrum ſine noſtris demeritis, occupando bona noſtra ac ſubditorum noſtrorum, tam per terram quam per mare rapiendo, & infra regnum veſtrum receptando, mercatores, & alios regni noſtri incolas occidendo homineſque noſtros de regno noſtro violenter abducendo, ipſoſque ibidem detinendo & incarcerando; ſuper quibus reformandis, nuntios noſtros ſæpe tranſmiſimus; quę non ſolum adhuc remanent incorrecta, verum etiam de die in diem per vos & veſtros prioribus deteriora cumulantur. Vos namque iam cum innumerabili multitudine armatorum, veſtro exercitu publice conuocato, ad exhæredandum nos & Regni noſtri incolas, fines regni noſtri hoſtiliter acceſſiſtis, & vltra progredientes, in regno noſtro ſtrages & incendia, necnon inſultus & inuaſiones violentas, tam per terram quam per mare commiſiſtis inhumane: Nos dictas iniurias, contemptus, grauamina, & damna, nec non & hoſtiles impugnationes vlterius ſuſtinere non valentes, nec in fidelitate & homagio veſtro, licet per violentam impreſſionem impreſſam extortis, manendo contra nos etiam ad defenſionem noſtram, & regni noſtri, cuius defenſioni & tuitioni vinculo iuramenti ſumus aſtricti, nos volentes erigere fidelitatem & homagium, tam à nobis, quam ab aliis quibuſcunq; regni noſtri incolis, fidelibus noſtris, ratione terrarum, quas in veſtro regno tenebant, & etiam ratione menagii, ſeu retentionis veſtræ, nomine noſtro ac nomine eorundem omnium & ſingulorum vobis reddimus per præſentes. Rex Angliæ audita præſenti litera, reſignationem homagii ſui admiſit, & Cancellario præcepit hanc literam regiſtrari ad perpetuam memoriam. Interim comites Scotię nominati ſuperius, ad eorum comitiua apud caſtrum de Rodeworth coadunati, profecti ſunt in Angliam, & vaſtantes omnia cæde & incendio, vſque ad prioratum Hanguſtaldenſem, & in eodem, fugientibus canonicis, ſe quarto idus

to idus

Digitized by Google

to idus Aprilis receperunt. Mane vero facto prioratum cum tota villa incendio deſtruxerunt. Progreſſi inde ad domum monialium de Ramclay, domibuſque quibuſdam (ſalua eccleſia) incenſis, cum ingenti præda in Scoriam reuertuntur. Eodem tempore Patricius Comes de Dunbar ad Regem Angliæ veniens, ſe eidem cum tota ſua poteſtate ſubdidit. Caſtrum de Dunbar in feſto ſancti Martini, obſeſſum à Scotis, fraude quorundam in eo exiſtentium redditum eſt eiſdem. Pro quo recuperando miſit Rex Iohannem Surreyæ & Southſexiæ, & Wilhelmum Warwici comites, cum militia magna valde. Quibus superueniens Scotorum exercitus, vt obſeſſis ferret auxilium, excipitur pugna dura. Effugientibus tantum Scotis, inſequuntur Anglici per octo milliaria, fere vſque ad foreſtam de Selebarke, ſtragem nimiam inferentes, ita, vt occiſorum numerus ad decem millia hominum fuerat æſtimatus.

Scoti comburunt Hexam.

Strages Scotorum, & castrum Dunbar Scotis proditum.

Sabbato ſequente, videlicet decimo octauo calendas Maii, regi aduenienti redditum eſt caſtrum, in quo capti ſunt comites tres, de Menetez, & de Aſcales, & de Roos: Barones vero ſex, Ioannes Comin iunior, Wilhelmus de ſancto Claro, Richardus Siwardus ſenior, Io. de Hinc maritimo, Alexander de Muramia, Edmundus Comin de Killebrid, cum aliis militibus 29. clericis duobus, & ſcutiferis octuaginta tribus, quos ad diuerſa caſtra Angliæ rex tranſmiſit in cuſtodia detinendos.

Nota de captiuis.

Poſt captionem caſtri de Dunbar paucis diebus interpoſitis, acceſſit Rex caſtrum Rokeſburgiæ, quod ſtatim redditum eſt ei à Seneſcallo Scotiæ, ſaluis vita & membris ſibi & ſuis, qui ſecum erant in caſtro.

Caſtrum de Rokeſburg capitur.

Deinde progreditur ad caſtrum Puellarum, quod octo diebus obſidione expugnatum eſt, cuſtodibus eius vita & membris conceſſis.

Caſtrum de Edinburgh.

Veneruntque ibi Wallenſes ad Regem pedites in magna multitudine, & remiſit rex fere in eodem numero Anglicos pedites fatigatos. Accedens deinde ad caſtrum de Stryuelin, vacuum illud inuenit, cuſtodibus dilapſis in fugam.

Caſtrum de Striuelyn.

Illuc cum militia ſua de Hibernia, venit Comes Vltoniæ in ſubſidium Regis noſtri. Rex autem mare Scoticanum trãſgreſſus, venit ad villam S. Iohannis de Port, in feſto S. Iohan. Baptiſtæ, vbi ſolemnitate peracta, per aliquot dies manſit.

Rex Scotorum pacem impetrat.

Dum hæc agerentur, videns Iohannes Scotorum Rex, quia non haberet poteſtatem reſiſtendi, miſſis ad Regem Angliæ nunciis, pacem & miſericordiam implorauit. Cui rex benigne annuens, remandauit, vt ad caſtrum de Brithin cum magnatibus terræ ſuæ veniret, cum his, quos Rex illuc mitteret nuncios, infra dies quindecim tractaturus. Miſitque illuc Rex Anthonium Dunelmenſem Epiſcopum, cum plena poteſtate regia: ad quem venerunt infra præſcriptum tempus, Rex Scotorum magnateſque ſui. Qui poſt multos varioſque tractatus, nude & pure ſubiecerunt ſe, & Regnum Scotiæ Regiæ voluntati. Pro qua ſubmiſſione obſeruanda Iohannes Rex Scotiæ filium ſuum obſidem tradidit, litteraſq; confecit, continentes in Gallico hunc tenorem:

Subiectio Scotorum.

Iohannes Dei gratia Rex Scotiæ omnibus præſentes literas viſuris vel audituris ſalutem. Quia nos per malum conſilium falſumque, ſimplicitatemque noſtram, grauiter offendimus & prouocauimus dominum noſtrum Edwardum Dei gratia Regem Angliæ, dominum Hiberniæ, Ducem Aquitaniæ, videlicet in eo, quod exiſtentes & manentes in fide ſua & ſuo homagio, alligauimus nos Regi Franciæ, qui tunc hoſtis eius erat, & adhuc eſt: matrimonium procurantes fieri cum filia domini Caroli fratris eius, & vt dominum noſtrum grauaremus, regemque Franciæ iuuaremus cum omni poteſtate noſtra per guerram modiſque aliis. Deinde per noſtrum peruerſum conſilium antedictum, diffidauimus dominum noſtrum Regem Angliæ, & poſuimus nos extra fidem & homagium ſuum, & miſimus gentes noſtras in terram ſuam Angliæ, ad incendia facienda, & prædas abducendas, homicidia & alia damna plurima perpetranda: & terram Scotiæ, quæ eſt de feodo ſuo, contra eum muniendo, ponentes & ſtabilientes gentes armatas in villis, caſtris, & alibi, ad defendendum terram contra eum de feodo ſuo; pro quibus tranſgreſſionibus, dominus noſter Rex Angliæ antedictus, ingreſſus terram Scotiæ in fortitudine ſua, eam conquiſiuit, & cepit, non obſtante omni eo, quod facere potuimus contra eum, ſicut poteſt de iure facere tanquam dominus de feodo ſuo, quia nos ei homagium noſtrum reddidimus, & fecimus rebellionem antedictam. Nos igitur exiſtentes adhuc in plena poteſtate noſtra, & libera voluntate, reddimus ei terram Scotiæ, & gentem totam cum homagiis. In cuius rei teſtimonium fecimus fieri has literas patentes. Dat. apud Brithin decimo die Iulii, Regni noſtro anno quarto. Conſignata litera, factoque ſigillo communi regni Scotiæ, proceſſit Rex, vt videret montana Scotiæ, præcedente

Thronus regis Scotiæ lapis fuit, quem euexit.

Parliamentum apud Beruuicũ.

eum ſemper per vnam diætam epiſcopo Dunelmenſi. Cumq; tranſiſſet Morauiam, & perueniſſet vſque Eilgni, omnia videns eſſe pacata, conuerſo itinere reuertitur Berwicum. In redeundo autem tranſiuit per Abbatiam de Scone, vbi ſublato lapide, quo Reges Scotorum tempore coronationis ſolebant vti pro throno, vſque Weſtmonaſterium tranſtulit illum, iubens inde fieri celebrantium cathedram ſacerdotum. Eo tempore Rex apud Berwicum conuocato parliamento, omnium magnatum Scotiæ fidelitates recepit, & homagia, qui ad rei geſtæ memoriam perpetuam confecerunt ſuper hoc literas patentes eorum ſigillis munitas, continentes in Gallico hunc tenorem:

Litera Scotorum de fidelitate ſeruanda.

De iuramento Scotorum.

Omnibus præſentes literas viſuris vel audituris, Ioannes Comin de Badenauz. &c. Qui ad fidem & voluntatem Illuſtriſſimi Principis, ac chariſſimi Domini noſtri Edwardi, Dei gratia Regis Angliæ, Domini Hiberniæ, ac ducis Aquitanniæ venimus, promittimus pro nobis, & heredibus noſtris, ſub pœna corporum noſtrorum & caſtellorum, ac omnium quæ habere poſſumus, quod nos ſeruiemus ei bene & fideliter contra omnes gentes, quæ viuere & mori poſſunt, omnibus vicibus, quibus requiremur vel præmoniemur per antedictum dominum noſtrum Regem Angliæ, vel heredes ſuos. Et quod nos non ſciemus damnum eorum, quin illud impediemus omnibus viribus noſtris, & eos præmoniemus. Et ad iſta tenenda & ſeruanda obligamus nos, & heredes noſtros, & omnia bona noſtra. Inſuper & iuramus tactis ſacroſanctis Euangeliis, & poſtea nos omnes, & quilibet noſtrum, per ſe fecit homagium dicto domino noſtro regi Angliæ in hæc verba. Ego veſter homo ligius efficior de vita & membris, ac terreno honore, contra omnes homines, qui poſſunt viuere & mori. Et idem dominus noſter Rex recepit hoc homagium ſub his verbis. Nos illud recipimus pro terris, quibus eſtis ſeiſiti, ſaluo iure noſtro aut alterius, & exceptis terris, quas Iohannes de Balliolo quondam Rex Scotiæ nobis contulit, poſtquam nos ei regnum Scotiæ liberauimus, ſi forte aliquas terras dedit. Inſuper nos omnes & ſinguli noſtrum per ſe fecimus fidelitatem domino noſtro Regi prædicto, in his verbis: Ero fidelis & legalis, fidemque & legalitatem ſeruabo Edwardo Regi Angliæ, & heredibus ſuis, de vita & membris, & terreno honore, contra omnes qui poſſunt viuere & mori: & nunquam pro aliquo portabo arma, nec ero in conſilio vel auxilio contra eum, vel heredes ſuos, in aliquo caſu qui poſſit contingere, ſed fideliter recognoſcam, & fideliter faciam ſeruitia, quæ pertinent ad tenementum, quod de eo tenere clamito; ſic me Deus adiuuet, & omnes ſancti eius. In harum rerum teſtimonium factæ ſunt iſtæ literæ patentes, & ſigillis noſtris ſignatæ. Dat. apud Berwicum, Anno regni Regis Angliæ Edwardi domini noſtri viceſimo quinto.

Rex Scotiæ mittitur Londonias.

De parliamento apud ſanctum Edmundum.

His itaque geſtis ordinauit Rex cuſtodem Scotiæ, Iohannem de Warenna Surreyæ & Southſexiæ comitem, theſaurarium Hugonem de Creſſyngham, iuſtitiarium Wilhelmum de Ormeſby: cui mandauit Rex, vt omnes tenentes de Rege terras aliquas vocaret, & eorum homagia fidelitateſque reciperet. Iohannem vero Scotiæ quondam Regem, miſit Londonias ad turrim, aſſignata ſibi decẽte familia, liberumque conceſſit exitum ad viginti milliaria circa vrbem. Iohannem vero Comin de Badenhau, & alium de Lowan, ceteroſque terræ illius magnates, tranſtulit in Angliam vltra Trentam, ſub pœna capitis reditum in Scotiam interdicens, quouſque gwerra ſua cum Rege Franciæ finiretur. Poſt hæc rex Angliæ profectus in Angliam, apud ſanctum Edmundum parliamentum tenuit in craſtino animarum, in quo à ciuitatibus & burgis conceſſa eſt regi octaua, à populo vero reliquo duodecima pars bonorum. Clerus ob conſtitutionem Bonifacii Papæ hoc anno editam, quæ prohibet ſub pœna excommunicationis, ne talliæ vel exactiones à clero per ſæculares principes quocunque modo exigantur, vel eis ſoluantur de rebus eccleſiæ, regi pro guerra ſua petenti ſubſidium denegauit. Rex autem vt de meliori reſponſo deliberarent, negotium in aliud parliamentum tenendum Londoniis in craſtino ſancti Hilarii diſtulit.

Cæleſtinus olim Papa moritur.

Hiſpania.

Comes Flandriæ confœderatur cum Anglis.

Hoc anno frater Petrus de Murrone quondam Papa Celeſtinus, per Bonifacium Papam captus, & in arcta detentus cuſtodia, ſoluto præſentis vitæ ergaſtulo ad cœleſtia regna migrauit. Eo tempore duo filii Blanchæ, vxoris quondam Ferrandi, hæredes regni Caſtellæ, videlicet Alfonſus & Ferrandus, audita morte patrui ſui Sanctii, Hiſpanias petunt; & confœderato ſibi Iacobo Rege Arragoniæ, regnum Legionenſe acquirũt, quod Alfonſus primogenitus patruo ſuo Iohanni, qui in eius auxilium venerat, contulit vt illud de ſe teneret in feodum. Guido Comes Flandrenſis multis à Rege Francorum iniuriis laceſſitus, confœderans ſe Regi Anglorum, homagio Regis Franco-

rum

Digitized by Google

renunciauit per nuncios ad hoc miſſos. Vrbs Apamia hoc anno proprium recepit Epiſcopum, a Tholoſano epiſcopatu per Papam Bonifacium ſeparata; ſed cito poſt Lodowicus filius Regis Siciliæ Epiſcopus factus epiſcopatum tenuit reunitum. Circa iſtud tempus Cardinalis Albanenſis reuerſus in Angliam, Regem apud Berwicum adiit, reſponſum requirens de treuga, quæ conceſſa non fuerat propter confœderationem cum Rege Romanorum, à quo Regi Angliæ reſponſum fuit, & per Regem Cardinali, quod ipſe in treugam noluit aſſentire. Reuerſuſque eſt Cardinalis in Gallias, intentione ſua in hac parte fruſtratus. Hoc anno ſuborta eſt diſcordia grandis Oxoniæ inter clericos & laicos, propter duos garciones diuerſarum patriarum, qui pro leui cauſa ad pugnandum ſunt accenſi. Nam dum quidam ratione patriæ vnum iuuare laborarent, quidam alium nituntur manu tenere & fauere, tranſlata eſt pugna ad fautores partium diuerſarum. In tantumque creuit ſeditio, vt tam clerici quam laici euacuatis domibus ad pugnam accurrerẽt glomeratim. Dum autem clerici de ſuis hoſpitiis egreſſi fuiſſent, cognoſcentes veſpillones laici nullos vel ſaltem paucos remanſiſſe domi apud hoſpitia clericorum, intrant habitacula, & bona diuerſimoda aſportant, damnum clericis irrecuperabile ingerentes. In hac pugna peremptus eſt dominus Fulco de Neytmeth, rector Eccleſiæ de Pycheleſtorn, & plures alii de vtraque ſecta. Audita huius facti querela, dominus rex iuſſit iuſtitiariis villam adire, pacem reformare, homicidas iudicialiter condemnare. Qui venientes Oxonias, burgenſes compulerunt ſoluere pro damnis factis clericis ducentas libras. Tranſit annus iſte aſper incolis frugum parcitate: Scotis pernitioſus pro nimia falſitate; ob quam cauſam eorum Rex priuatur regia maieſtate: Anglis ſollicitus & damnoſus pro expenſarum nimia grauitate.

Cardinalis venit ad Regem.

Diſcordia Oxoniæ exorta.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo octauo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus quintus, fuit idem Rex ad natale Londoniis, vbi poſt feſtum Epiphaniæ Elizabeth filia Regis Angliæ connubio iungitur Iohanni filio comitis Holandiæ & heredi. Quem pro hereditate patris, nuper occiſi, aſſequenda vna cum vxore, conducente eos Humfredo de Boun, Herefordiæ & Eſtſexiæ comite, remiſit Rex Angliæ cum honore. Parliamentũ coactum eſt Londoniis, poſt feſtum ſancti Hilarii, in quo clero in denegatione perſiſtente ſubſidii, Rex ipſum à ſua protectione excluſit. Pro qua tamen redimenda multi per ſe, multi vero per mediatores, Regi bonorum ſuorum dederunt poſtea quintam partem. Rex Archiediſcopum rigidiorem comperiens, terras eius omnes ſeiſiuit, & de bonis eiuſdem debita in rotulis Scaccarii inuenta præcepit cum celeritate leuari. Nam idem Archiepiſcopus de conſenſu cleri procurauerat à Papa inhibitionem, ne quis clericorum Regem reſpiceret de bonis Eccleſiæ. Feria quinta ante Purificationem Comes Lincolnienſis, & Ioannes de ſancto Iohanne de Baiona, verſus Bellagardam, quæ obſeſſa à Comite Atrebatenſi penuria victualium laborabat, progredientes, vt eiuſdem de victualibus prouiderent, cum appropinquarent ſyluæ, quæ per tria miliaria loco præfato diſtabat, in duas ſe acies diuiſerunt; quarum primam ducebat Iohannes de ſancto Iohanne; ſecundæ vero præerat ipſe Comes. Iohannes itaque de ſancto Iohanne, ſuaque acies tranſita ſylua cum egrederetur in campi planitiem, obuiam habuit Comitem Atrebatenſem; qui cum præſtolabatur cum magno exercitu, vbi ſtatim commiſſo prœlio, ſubtrahente ſe comite Lincolnienſi pauci vincuntur à pluribus. Capti ſunt ibi Iohannes de ſancto Iohanne, Wilhelmus de Mortuomari, Wilhelmus de Bermengham, cum aliis militibus octo, ſcutiferiſque nonnullis. Quos omnes tranſmiſit Comes Atrebatenſis Pariſius in pompam triumphi. Comes vero Lincolnienſis cum ſuis Baionam reuertitur. Hoc anno auxit Rex tributum de laniſ; accipiens de quolibet ſacco quadraginta ſolidos, cum prius vltra marcam dimidiam non daretur. In feſto ſancti Matthæi Rex conuocatis quibuſdam terræ maiorib. apud Sarum, rogauit eos, vt eorum aliqui in Waſconiam transfretarent. quibus renuntibus, cœpit inter Regem & ſuos diſcordia popularis. Rex prouide citari fecit omnes, qui ſibi ſeruitium debebant, cæteroſque omnes, qui viginti libratas terras & amplius tenebant, vt parati eſſent Londoniis in feſto ſancti Petri ad Vincula, cum equis & armis, transfretaturi cum eo, & Regis ſtipendiis militaturi. Interim Cardinales, qui à domino Papa miſſi fuerant, pro pace reformanda inter Reges, indicentes, duorum annorum treugam inter eos auctoritate Papali, nihil proficere potuerunt. Iohannes per id temporis, cui Alfonſus regnum Legionenſe contulerat, ab hoſtibus capitur; pro cuius redemptione Alfonſus reddidit iam in Hiſpania conquiſita.

Natale celebrat Londoniis.

Clerus excluditur à protectione Regis.

Angli parantur in Waſconiam

Augetur tributum de lana.

Citatio omnium ſeruientium Regis.

Cardinales indicunt treugas.

Ingratitudo.

ſita. Iohannes itaque liberatus à carcere, regnum Legionenſe reddidit aduerſariis, & tanquam ſpreto redemptore ſuo, hoſtibus ſe coniunxit. Alfonſus igitur omnium deſtitutus ſubſidio, fratrem ſuum Ferdinandum pro auxilio petendo, primo in Franciam, deinde ad Romanam tranſmiſit curiam. Sed ex neutra parte aliquid reportauit.

Diſcordia inter Papam & Cardinales.

Per hoc tempus Cardinales de Columna, per Papam Bonifacium depoſiti ad vrbem ſe conferunt Nepeſinam. Cōtra quos damnatos tanquam ſchiſmaticos & excommunicatos, Papa viros bellatores in Italia cruce ſignauit. Eodē tēpore Philipp. rex Francorum Flandriā in manu potenti ingreſſus, villā inſularū obſedit, ſuburbium deſtruens, & totam deuaſtans per circuitum regionem:

Flandrēſes affliguntur.

Comes vero Atrebatenſis de Waſconia reuerſus, & ingreſſus Flandriam, commiſſo bello iuxta Furnas, cepit; & cito poſt Regi Francorum villa redditur inſularum.

VVilhelmus VValeys incitat Scotos ad rebellandum.

Eodem anno menſe Maio cœperunt Scoti, inſtigante eos Willielmo Waleys (qui, vt fertur, latro publicus fuerat) rebellare. Iuſtitiarius Scotiæ Willielmus de Ormeſby præceptum Regis exequens, multos, qui Regi Angliæ homagium & fidelitatem facere recuſabant, exilio condemnauit. Qui præfatum Willielmum Waleys ſibi in principem eligentes, aſſociato ſibi Wilhelmo Dulgas, qui in reddendo caſtrum Berwici ſe Regi dederat, in magnam turmam creuerunt. Comite autem Surreyæ, & theſaurario in Anglia conſiſtentibus, Wilhelmum de Ormeſby Iuſtitiarium, apud Scone opprimere cogitabant. Sed ille, licet præmonitus, ſuis omnibus pene relictis ad ſpolia hoſtium eorum vix euaſit inſidias. Wilhelmus igitur Waleys, cum ſuis palam debacchando in Anglicos, quoſcunque inuenire potuit, trucidauit. De quibus viros religioſos ligatis ad dorſum manibus, coegit ſaltare in fluuium; eorum ſubmerſionem in ludibrium conuertendo. Rex commotione audita, pro veritate inquirenda miſit Epiſcopum Dunelmenſem; qui veritate comperta, rediens Regem de omnibus informauit.

Afflictio Flandrenſium.

Medio tempore, rex audiens afflictionem Flandrenſium, doluit vehementer, habens maxime cordi iter in Flandriam ad iuuandum amicum ſuum Comitem. Militiam totam vltra fluuium, qui Trenta dicitur, aſſignauit Comiti de Warenna; præcipiens, vt Scotorum audaciam celerius reprimeret, & auctores mali debita iuſtitia caſtigaret. Scripſit etiam Iohanni Comin de Badenau, & Comiti de Bowan, vt memores fidelitatis ſuæ reuerterentur in Scotiam, & populi ſui ſuſcitatum iam tumultum ſedarent. Qui iuxta mandatum acceptum in Scotiam reuertentes, quæ pacis erant, ſegniter exequuntur.

Comes de VVarena proficiſcitur in Scotos.

Comes de Warena in prouincia Eboraci coadiuuans exercitum, nepotem ſuū Henricum de Percy, cum militia communitatis Carleoli præmiſit in Scotiam. Qui vſque ad villam de Are profectus, Galwidienſes ad pacem Regis admittere diſponebat. Audito autem, quod Scotorum exercitus erat iuxta Irwine, quod inde ad quatuor milliaria diſtabat, illuc profectus, vidit vltra quendam lacūm Scotorum exercitum conſidentem; in quo capitanei erant epiſcopus Glaſcuenſis, Andreas de Morima, Seneſcallus Scotiæ, & Wilhelmus Waleys. Miles autem quidam ſtrenuus, nomine Richardus de Liuidi, qui Regi Angliæ nunquam homagium fecerat; relictis Scotis factus transfuga, ſe ſtatim Anglicis ſociauit. Reliqui pacem petentes dediderunt ſe, ſaluis eis via & membris, catallis & terris; ita vt omnia vſque in hanc diem eſſent ſimpliciter condonata. Quam pacem promiſſis obſidibus, & ſcripto confecto, admiſit Henricus; ſi tamen hoc Regi placeret. Qui ſuper hoc conſultus, ne accepto impediretur itinere, annuit poſtulatis.

Reddunt ſe quidam Scoti.

Adueniente Comite Warennæ, cum Scoti tergiuerſando de die in diem transferrent obſides reddere, & Wilhelmus Waleys interim populum adunaret, arbitrantes ſe Anglici proditos dum Scotos inuadere diſponunt: Epiſcopus Glaſcuenſis, & Wilhelmus Dulgas, ne proditionis notam incurrerent, ſe in ſui excuſationem protinus dediderunt; de quibus Epiſcopus in caſtro de Rokeſburgia, Wilhelmus vero in caſtro Berwici cuſtodiæ mancipantur.

De parliamento.

Parliamentum factum eſt hoc anno Londoniis in feſto S. Petri ad Vincula; vbi in primis Rex recepit Archiepiſcopum in gratiam ſuam; omnibus, quæ eius erant, reſtitutis eidem. Deinde præcepit magnatibus, qui tunc aderant, vt fidelitatem filio ſuo facerent, ipſumq; regni heredem & ſuum, futurum recognoſcerent dominum.

Rex parat ire in Flandriam.

Rex vero de exactionibus in regno factis per neceſſitates guerrarum diuerſarum ſe erga populum excuſauit. Comes vero Mareſcalli & Herefordenſis ſe ſubtrahentes, cum vocarentur, vt ſua officia tranſeundo in Flandriam exercerent, ſe ſuper hoc per nuncios excuſabant. Denique Rex ipſe funere fratris ſui, anno præterito in Waſconia defuncti, apud Weſtmonaſterium ſepultis honorifice vſque ad ſanctum Albanum proficiſcitur, vbi de diſcretorum conſilio Radulphum de Moynhermer militem, quem filia ſua Iohanna

hanna

Digitized by Google

Ioanna comitiſſa Glouerniæ, clam maritum accepit, in grauem patris offenſam, de caſtro Briſtolliæ fecit educi, & vxori ſuæ reddi; reſtituens eis omnes terras ad comitatum Glouerniç ſpectantes, ſeruitium quinquaginta militum in Flandria imponens eiſdē. Liberauit etiā de carcere comites de Aſcales & Menteth, & Iohannē Comyn, cū quibuſdā aliis militib. de Scotia, qui in caſtro de Dunbar capti fuerant, vt ſecum in Flandria militarent. Collecto deniq; exercitu, qualem habere potuit, Thoma de Berkely Conſtabulario, & Galfrido de Monibilza Mareſcallo factis, verſus mare in Flandriam profecturus iter ſuum dirigit, atq; iuxta Wynchelſeyam, vbi portum elegerat, conſedit milites viroſq; bellatores de diuerſis partibus ad ſe confluentes per dies aliquot expectando. Dum rex moraretur ibidem, quadam die ad portum ire diſpoſuit, conſideraturus nauigium, quod adunatū fuerat pro exercitu ſuo in Flandriā tranſuehendo. Villa autem de Wynchelſeya, vbi portus erat, ſuper montem ſita eſt præruptæ altitudinis, ex eo latere, quo vel mare reſpicit, vel imminet nauium ſtationi; vnde via, quæ aperta villæ deducit ad portum, non in directum, ne nimia decliuitate deſcendentes in præcipitium vel aſcendentes, repere potius manibus, quā ambulare cogat, tenditur: ſed obliquata in latus, nunc ad vnam partem, nunc ad aliam ſinuoſis flexib. ſæpius recuruatur. Cingitur nihilominus villa non muro lapideo, ſed aggere terra facto, ac ſuper latus hoc præruptum in modum nemorum ad humanæ ſtaturæ altitudinem erecto; inter cuius propugnacula patet ad naues aſpectus. Ingreſſus itaque Rex villam, cum iuxta hæc obequitaret aggeris propugnacula, contuendo claſſem in imo ſtatutam, contigit, vt molendino cuidam, quod vento agebatur (quorum in villa illa ſunt plurima) appropinquaret. Equus vero regis ſtrepitu velorū citatius circumactorū à vento territus, dū progredi refugit, & à Rege, vt ꝓgrederetur, nūc flagelli (q; manu geſtabat) ictibus, nunc ſubditis calcaribus vrgeretur, à latere aggeris propugnacula tranſiliuit; ſuper quo tam equitum, quam peditum multitudo, quæ vel Regem ſequebatur, vel ipſum viſura conuenerat, nemine aliud æſtimare valente, niſi quod Rex non comparens præcipitio in hoc ſaltu periſſet, ſtabat admodum ſtupefacta. Sed diuina diſponente virtute, equus à tanta altitudine in via, quam deſcripſimus, pedibus recipitur; in qua ex recenti pluuia aliqualiter reſoluta in lutum, licet lubricando laberetur ad ſpacium duodecim pedum, non tamen cecidit; ſed per habenam alteram à Rege paululum regiratus, directe aſcendit ad portam, per quam rege ingreſſo incolumi, populus qui aſtabat, admiratione & gaudio multo repletur, ſuper ſe ſolum diuinum in Regis ſalute miraculum contemplando. Rege moram adhuc faciente apud Wynchelſeyam, venerunt ad eum nuncii ex parte comitum ſui regni petitiones in ſcriptis huiuſmodi proponentes.

Miraculum de regis ſaluatione.

Hæc ſunt nocumenta, quæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates & Priores, Comites & Barones, & tota terræ communitas monſtrant domino noſtro Regi, & humiliter rogant eum, vt ea ad honorem ſuum & ſaluationem populi ſui velit corrigere & emendare.

Petitiones cõmunitatis regni directæ regi.

Inprimis videtur toti communitati terræ, quod præmonitio facta eis per breue Domini noſtri Regis non erat ſatis ſufficiens; quia non exprimebatur certus locus, quo debebant ire; quia ſecundum locum oportebat facere prouidentiam, & pecuniam habere. Et ſiue deberent ſeruitium facere ſiue non: quia dictum eſt communiter, quod dominus noſter vult transfretare in Flandriam, videtur toti communitati, quod ibi non debent aliquod ſeruitiū facere; quia nec ipſi, nec prędeceſſores ſui ſeu progenitores vnquā fecerunt ſeruitium in terra illa. Et quamuis ita eſſet, quod deberent ibi ſeruitium facere, vt alibi; tamen non habent facultatem faciendi; quia nimis afflicti ſunt per diuerſa talliagia, auxilia, priſas, videlicet de frumentis, auenis, braſeo, lanis, coriis, bobus, vaccis, carnibus ſalſis, ſine ſolutione alicuius denarii, de quibus ſe debuerant ſuſtentaſſe. Propter hoc dicunt, quod auxilium non poſſunt facere propter paupertatem, in qua ſunt, propter tallagia & priſas antedictas, quia vix habent vnde ſe ſuſtentent, & multi ſunt, qui nullam ſuſtentationem habent, nec terras ſuas colere poſſunt. Propter hæc tota terræ communitas ſentit ſe valde grauatam, quia non tractantur ſecundum leges & conſuetudines terrç, ſecundum quas tractati anteceſſores ſui ſolebant habere, ſed voluntarie excluduntur. Sentiunt etiam ſe multi grauatos ſuper hoc, quod ſolebant tractari ſecundum articulos contentos in magna charta, cuius articuli omnes ſunt omiſſi, in maius damnum populo vniuerſo. Propter quod rogant dominum noſtrum Regem, quod velit iſta corrigere ad honorem ſuum, & populi ſui ſaluationem. Propter hæc communitas terræ ſentit ſe nimis gra-

Accuſatio communitatis.

grauatam de aſſiſa foreſtæ, quæ non eſt cuſtodita ſicut conſueuit; nec charta foreſtæ obſeruatur, ſed fiunt attachiamenta pro libitu extra aſſiſam, aliter quam fieri conſueuit. Præterea tota communitas ſentit ſe grauatam de vectigali lanarum, quod nimis eſt onerosum, videlicet de quolibet ſacco quadraginta ſolidos, & de lana fracta, de quolibet ſacco ſeptem marcas: lana enim Angliæ aſcendit fere ad valorem medietatis totius terræ: & vectigal, quod inde ſoluitur, aſcendit ad quintam partem valoris totius terræ. Quia vero communitas optat honorem & ſalutem domino noſtro Regi, ſicut tenetur velle, non videtur eis, quod ſit ad bonum Regis, quod tranſeat in Flandriam; niſi plus eſſet aſſecuratus de Flandrenſibus, pro ſe, & pro gente ſua, & ſimul cum hoc propter terram Scotiæ, quæ rebellare incipit, ipſo exiſtente in terra, & æſtimant, quod peius facient, cum certificati fuerint, quod Rex mare tranſierit. Nec ſolum pro terra Scotiæ, ſed etiam pro terris aliis, quæ non ſunt adhuc modo debito ſtabilitatæ.

De Regis reſponſione.

Has petitiones cum Rex apud Odemer iuxta Wynchelſeyam recepiſſet, reſpondit, ſe talibus non poſſe ſine ſuo conſilio reſpondere; cuius pars aliqua iam trãſit in Flandriam, pars vero aliqua Londoniis eſt relicta. Rogauit autem per eoſdem nuncios præfatos comites, quod ſi ſecum tranſire nollent, ſaltem regno ſuo in ſua abſentia non nocerent: ſperabat enim (Deo fauente) reuerti, & regnum ſuum debito modo obtinere.

Acta in Waſconia.

Hac æſtate comes Lincolnienſis, & qui cum eo erant in Waſconia, amouerunt obſidionem, quæ poſita fuerat circa villã ſanctæ Catharinæ, fugatis, qui eam obſederant, Tholoſanis; in quorum terris incendia & deprædationes multas fecerunt. Duodecimo calendas Septembris Rex Angliæ naues ingreſſus indiſſoluta claſſe ſulcato mari, ſexto die ſequente applicuit in Flandria, receptus in quadam villa iuxta portum quæ vocatur Scluſa. Quo tempore nautæ Porteſmuthenſes & Gernemuthenſes, mutuo flagitante odio, euacuatis nauibus ab his rebus, quæ erant militum, commiſerunt ad inuicem grauem pugnam, ſed ſuccumbentibus Gernemuthenſibus de nauibus eorum viginti quinq; incendio conſumuntur.

Rex tranſit in Flandriam.

Rex vero Angliæ ad Brugiam veniens, aſſenſum villanorum in conditiones inter ipſum & comitem initas, petiuit ex parte ſua, & comitis, medietatem expenſarum, offerens ad muniendam cingendamque villam foſſato. Quæ cum villani tenuerunt, competit eos à ſuo alienatos domino, & ad reddendam villam Gallicis inclinatos; reputanſque periculoſum, moram facere inter proditores, armato diſcedens exercitu verſus villam Gandauenſem dirigit iter ſuum; vbi dum moraretur Rex, ſuborta eſt apud villam Samonem diſcordia inter Villanos & Anglicos, qui armati villani multis interfectis deprædati ſunt in magnam diſplicentiam regis noſtri. Rex Francorum audito aduentu Regis Anglorum vehementer conſternatus, ad vnius dietæ ſpacium ſe ſubtraxit. Interim Papa Bonifacius ſcripſit Principibus Alemanniæ, vt Regem Romanorum Adulphum, cuius occurſum in Flandria Rex Anglorum ſperauerat, vt ſimul cum comite Flandriæ oppreſſores inuaſoreſque ſuos Gallicos propulſaret, commoto bello inquietarent, & ab inuaſione Gallicorum modis omnibus impedirent.

Seditio oritur in Anglia.

Per idem tempus Comites Herefordiæ & Mareſcalli cum ſuis complicibus Theſaurario & Baronibus de Scaccario inhibuerunt, ne leuari facerent octauum denarium à populo, qui Regi conceſſus fuerat apud ſanctum Edmundum. Induxerunt etiam ciues Londoniarum, vt pro recuperandis ſuis libertatibus ſecum ſtarent. Hoc anno beatus Lodowicus Francorum Rex à Papa Bonifacio Sanctorum Cathalogo eſt aſcriptus. Eo tempore ciuitate Nepeſina expugnata per milites Papæ Bonifacii, Cardinales de Columna ſe receperunt in oppidum de Columna.

Sextus liber Decretalium fit per Papã Bonifaciũ.

Hoc anno inſuper Papa Bonifacius conſtitutiones prædeceſſorum ſuorũ quaſdam extrauagantes adiectis quibuſdam nouis in vnum volumen fecit redigi, & tertio die Maii in Conſiſtorio lectum & approbatum, conſtituit ſextum Decretalium appellari. Eodem tempore idem Papa fratri Wilhelmo de Hothum priori prouinciali fratrum Prædicatorum Angliæ, Archiepiſcopatum contulit Dublinenſem, indulgens eidem, vt à quocunque Epiſcopo Catholico, & vbicunque decreuerit, valeat conſecrari. Qui cum Rege profectus in Flandriam ibidem à Domino Dunelmenſi munus conſecrationis accepit. Per cuius mediationem ex parte Anglicorum, & ducis Brytanniæ ex parte Gallicorum inter Reges acceptæ ſunt induciæ, & vltra datos terminos ſæpius prorogatæ. Interim vero diuerſi hinc inde habiti ſunt de pace inter Reges tractatus reformanda, quorum apud omnes finis ſperabatur optatus, ſi de mu-

tuo

Digitized by Google

tuo aſſenſu Reges fuiſſent ad inuicem collocuti. Itaq; Rege Angliæ in Flandria commorante, locum eius in Anglia tenuit filius ſuus Edwardus. Cui, quia minoris ætatis erat, pater tectores conſiliarioſq; deputauerat, Richardum Epiſcopum Londonienſem, & Wilhelmum Comitem Warwicenſem, nechon & milites, Reginaldum de Gray, Iohannem Giffardi, Alanum Plokenet; viros emeritæ militiæ prouidos & diſcretos.

De tutore filii regis.

Exeunte menſe Auguſto, cum Comes Warennæ promiſſionem factam à Scotis de obſidibus decidere videret in nihilum, Wilhelmum Waleys commouentem populum & magnates, ſub diſſimulatione iſta permittentes; de Berwico progreditur vſque ad Striuelyn exercitu adunato, vbi venerunt ad eundem Comitem Warennæ, Seneſcallus Scotiæ, & Comes de Lewenes, rogantes, vt quieſceret, dum ipſi populum Scotorum ad pacem Regis reducere attentarent. Conceſſit Comes quę petierant, ſed ipſi, cum nil proficerent, redierunt, quarto idus Septembris, promittentes, ſe cum quadraginta equis in craſtino ad Comitis adiutorium redituros. Quo die miſſi ſunt nuncii ad Wilhelmum Waleys, & Scotos, qui cum eo erant, inuitantes eos ad pacem Regis, & pro retroactis impunitatem ſpondentes. Qui reſponderunt ſe ad pugnam non ad pacem veniſſe. Erat iuxta Striuelyn pons arctus, qui ducebat vltra aquã profundiſſimam, quem Anglici certatim tranſire nitebantur, ſed diſſuaſit hoc Richardus de Lundy, aſſerens, quod non poſſent ſimul in multitudine aliqua progredi, ſed tantum bini vel terni, ad plus, & ſi tali modo tranſiret exercitus, dicebat grande periculum imminere his, qui primo tranſierunt, cum Scoti poſſent ſemper paucos pariter tranſeuntes ad vota perimere. Comes tamen Warennæ ſuadentibus aliis minus ſapientibus, elegit, vt per pontem tranſirent. Et ecce antequam pertranſiſſet medietas exercitus, ſuperuenit multitudo Scotorum, & cum his, qui iam tranſierant congreſſa, pene omnes qui tranſierant, trucidauit. Inter paucos, qui euaſerunt, fuit Marmeducus de Tweuge, qui in magna virtute obtinuit pontem, vt ſaluus rediret. Comes Warennæ cuſtos Scotiæ vſque Berwicum fugiens, commiſit cuſtodiam caſtri de Striuelyn Marmeduco. Seneſcallus vero Scotiæ, & Comes de Lewenes, videntes Anglicos corruiſſe, transfugerunt ad Scotos. Cecidit autem in hoc prœlio Hugo de Creſſyngham theſaurarius Scotiæ, quem Scoti ob odium ſpeciale excoriantes, pellem eius in particulas diuiſerunt. Comes Warennæ cuſtos Scotiæ de Berwico fugit in Angliam ad filium Regis Edwardum, fugeruntque poſt eum & cæteri Anglici, qui in Berwico erant, villam Scotis vacuam relinquentes. Cuſtodes tamen caſtri illud tenentes viriliter defenderunt.

Wilhelm. Waleys.

Bellum de Striuelyn.

Dum hæc agerentur à Scotis, ſuaſum eſt filio Regis à conſilio ſuo, vt Comites Herefordiæ & Mareſcalli vocaret, & ſi quo modo poſſet ad pacem alliceret. Qui cum vocati venirent, in formam pacis ſubſcriptam, voluerunt, & nullam aliam conſentire. Primo, quod dominus Rex chartam magnam cum cæteris articulis adiectis, & chartam de foreſta annuat & confirmet, & quod nullum auxilium vel vexationem exigat à clero vel populo, abſque conſilio & aſſenſu, & quod omnem offenſam Comitibus, & eorum confœderatis dimittat. Articuli adiecti ad magnam chartam ſunt iſti. Nullum tallagium vel auxilium per nos vel heredes noſtros, de cætero in regno noſtro imponatur ſeu leuetur, ſine voluntate & aſſenſu communi Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum; Comitum, Baronum, Militum, Burgenſium, & aliorum liberorum hominum. Nullus miniſter noſter vel heredum noſtrorum in regno noſtro capiat blada, lanas, coria, aut aliqua alia bona cuiuſcunque, ſine voluntate & aſſenſu illius, cuius fuerint. Nihil capiatur de cætero nomine vectigalis de ſacco lanæ. Volumus etiam & concedimus pro nobis & heredibus noſtris, quod omnes Clerici & Laici de regno noſtro habeant omnes leges, libertates & omnes conſuetudines, ita libere & integre, ſicut eas aliquo tempore conſueuerunt melius pleniuſque habere. Et ſi contra illas vel quemcunque articulum in præſenti charta contentum ſtatuta fuerint ædita per nos vel anteceſſores noſtros, vel conſuetudines introductæ, volumus & concedimus, quod huiuſmodi ſtatuta vacua ſint, & nulla imperpetuum. Remiſimus etiam Humfredo de Boun Comiti Herefordiæ & Eſtſexiæ, Conſtabulario Angliæ, Rogero Bigot Comiti Northfolchiæ Mareſcallo Angliæ, & aliis Comitibus, Baronibus, militibus, armigeris, Iohanni de Ferrariis, ac omnibus aliis de eorum ſocietate, confœderatione & concordia exiſtentibus, necnon omnibus viginti libratas terrarum tenentibus in

Forma concordia inter comites Angliæ & regē.

regno noſtro, ſiue de nobis, ſiue de alio quocunque in capite, qui ad transfretandum nobiſcum in Flandriam certo die notato vocati fuerunt, & non venerunt, rancorem noſtrum, & malam voluntatem, quam ex cauſis prædictis erga nos habuimus, & tranſgreſſiones, ſi quas nobis vel noſtris fecerint, vſque ad præſentis chartæ confectionem. Et ad maiorem ſecuritatem huius rei volumus & concedimus pro nobis & heredibus noſtris, quod omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi Angliæ in perpetuum in ſuis Cathedralibus Eccleſiis, habita præſenti charta & lecta, excommunicent publice, & in ſingulis Parochialibus eccleſiis ſuarum Diœceſium excommunicari faciant, ſeu excommunicatos denuntiare bis in anno omnes, qui contra tenorem præſentis chartæ, vim & effectum in quocunq; articulo ſcienter fecerunt, aut fieri procurauerunt quouis modo.

Subſidium Regi conceſſum.

Miſſis igitur in Flandriam nuntiis ad ipſum Regem, confirmationem omnium iſtorum, ſub ſigillo ſuo (tanquam ab eo, qui in arcto poſitus erat, cedendum malitiæ temporis cenſuit) obtinuerunt. Pro confirmatione harum rerum omnium dedit populus Anglicanus Regi denarium nonum bonorum ſuorum. Clerus vero Cantuarienſis decimum, & Clerus Eboracenſis quintum, quia propior damno fuit. Mandauit autem Rex Angliæ eo tempore Comitibus & magnatibus terræ ſuæ, vt aſſiſterent Comiti de Warenna cuſtodi Scotiæ, ad comprimendum rebelliones Scotorum; præfigens eis terminum octauas ſancti Hilarii, in quo parati forēt Eboraci contra hoſtes vlterius progreſſuri: ad quem diem & locum mandauit maioribus Scotiæ, vt venirent, alioquin hoſtes publici haberentur. Ante natale Domini Robertus Clifford miles illuſtris, cum centum armatis, qui erant in præſidio ciuitatis Carleoli Scotiam ingreſſus, cędes & incendia exercuit, & abducta præda magna Carleolum

Annalis concluſio.

eſt reuerſus. Tranſit annus iſte pro penuria frugum illaudabilis: Clero Anglię importabilis; quia de protectione regia eſt excluſus, & per Regem nihilominus deprædatus: Anglis in Waſconia ſiue Scotia infortunatus, quia in vtraque regione populus Angliæ eſt proſtratus: Regibus Anglię & Franciæ ſollicitus & laborioſus: Flandrenſibus ſatis lætus, ſed infidelibus inquietus.

Papa mittit legates ad Regem Angliæ.
Natale celebratum Gandaui.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus ſextus, fuit idem Rex ad natale in Flandria apud Gandauum, ad quem venerunt in feſto ſanctorum Innocentium, Magiſter ordinis Pręedicatorum, & miniſter generalis fratrum Minorum ſub eadem forma, qua ante Regem Francię, ex parte domini Papę rogauerunt ſupplicantes, quatenus nuntios ſolemnes ad Curiam Romanam conceſſa eis plena poteſtate tractandi, ordinandi, & perficiendi omnia, quę pacis reformationem tangerent, deſtinarent; & ipſe apoſtolicus non tanquam iudex, ſed vt bonus pacis mediator in nullius pręiudicium, ſatagaret ad pacem & tranquillitatem regnorum, Regum amicitiam in ſtatum priſtinum reformare. Et quia hoc abſque treugis fieri non poſſe iudicauit dominus Papa, ideo per hos nuntios biennales inducias, quas per Cardinales implorauerat, indixit de nouo, ſub pœna excommunicationis & interdicti terrarum ſuarum.

Rex pangit inducias biennales.

Rex Anglię perpendens ſe in Flandria periculoſe commorantem, illucque per informationem comitis Flandrię minus prudenter attractum; regnumque proprium inteſtina ſeditione turbatum, fiduciamq; ſuam de Rege Romanorum per Papam ſibi minus beneuolum regnum Teutoniæ turbantem fruſtratam, conſenſit in treugas indictas. Conuenitq; inter eos, vt captiui interim taxata corū redemptione liberarētur hinc inde; ea conditione, vt ſi pax non fieret, redirent ad ſuas cuſtodias, vel redēptionem

Seditio in Flandria.

ſoluerent iam taxatam. Tranſmittunt igitur Reges vtriq; ſolemnes nuntios cum plena poteſtate ad curiam Romanam, vt per mediationem Apoſtolici, non tanquam iudicis, ſed amicabilis compoſitoris diſcuſſis negotiis pax inter Reges & concordia reformetur. Poſt hæc apud Gandauum ſuſcitata eſt ſeditio per filios Comitis Flandriæ, & villanos contra Anglicos, quorum villa per Wallenſes incenſa fuiſſet,

Expeditio in Scotiam.

niſi Rex accurrente ad eum Comite impetum impediſſet. Eo tempore Comes Warennæ cuſtos Scotiæ, ac Comites alii, iuxta mandatum regium Eboracum conuenientes in octauis ſancti Hilarii, publicata confirmatione chartarum articulorum adiectorum, verſus Scotiam proceſſerunt. Maiores Scotorum Eboracum non venientes ſecundum vocationem regiam, ſe infra terræ ſuæ terminos tenuerunt. Wilhelmus Walleys caſtrum de Rokeſburgia iam multis diebus obſederat. Sed audito aduentu Anglicorum, in multitudine magna diffugit. Comites vero regni Angliæ

Digitized by Google

gliæ peruenientes Rokeſburgiam, munito caſtro, ac conſolatis obſeſſis, digreſſi ſunt vſque Kelſon, & inde reuerſi ſunt vſq; Berwicum, quam iam Scotis vacuam inuenerunt. Dumq; ibi morarentur, mandauit eis rex de treugis acceptis inter ipſum & Regem Francię, & reditu ſuo celeri, iubens ne ante aduentum ſuum excepta occupatione Berwici, aliquid, quo paterent diſcrimini, attentarent. Comites igitur remiſſa maiori parte exercitus, & retentis qui ad defenſionem villæ poſſent ſufficere, aduentum regium expectabant contra principium quadrageſimæ tunc inſtantis.

Perfidia Scotorū.

Interea Robertus de Clifford cum his, qui erant in præſidio Carleoli, ingreſſus Scotiam villam combuſſit Anandiæ, & rediit cum præda magna. Cum Rex Angliæ ad propria reuerſurus, veniſſet ad villam, quæ Ardeburgia dicitur, Scoti fere omnes, quos ſecum in Flandriam duxerat, in expeditionem ab ipſo Rege diſcedentes Pariſios abierunt. Rex Edwardus in Angliam veniens, ad regem Francorum miſit pro liberatione captiuorum iuxta formam condictam. Rex vero Francorum exegit à nunciis liberationem Iohannis quondam Regis Scotiæ, qui de ſuis fuiſſe aſſeruit alligatis. Super quo Rex Angliæ requiſitus, cum recuſaret eum reddere, dicens, contentionem tantum de illis captiuis factam, qui in guerra Waſconiæ capti fuerant; hinc inde dilata eſt in annum ſequentem liberatio captiuorum.

Parliamentum Eboracenſe.

Interim rex Anglię Scotorũ rebelliones diſponens reprimere, & eos ad debitam coercere ſubiectionem, parliamentum tenuit Eboraci, vocatiſq; Scotorum maioribus, cum non venirent, ſuis indixit, vt cum equis & armis parati eſſent Rokeſburgiæ in feſto ſancti Iohannis Baptiſtæ.

Rex proficiſcitur in Scotiam.

Rex interim viſitato ſancto Iohanne de Beuerlaco, rediens Rokeſburgiam, inuenit ad præfixum terminum exercitum congregatum. Sub eiſdem diebus Comites Herefordiæ & Marcſcalli, quia confirmatio chartarum fuit facta in terra aliena, petiuerunt ad maiorem ſecuritatem eas iterum confirmari: ſpoponderunt autem pro Rege Epiſcopus Dunelmenſis, ac comites Iohannes Surreyæ, Wilhelmus Warwici, Radulphus Glouerniæ, quod obtenta victoria Rex eas poſt ſuum reditum confirmaret.

Epiſcopus militē agit.

Proficiſcitur deinde Rex cum exercitu ad villam quandam de Temple Hiſton, remiſitq; inde Epiſcopum Dunelmenſem, ad capiendum caſtrum de Driltone, cum duobus aliis caſtris, quorum cuſtodes præter alia mala inuaſerat extrema caſtrorum confinia. Quorum primum cepit Epiſcopus, cuſtodibus liberis dimiſſis, reliqua duo capta ſunt per nouos milites ibi creatos, & incenſa. Dum Rex apud Temple Hiſton moraretur cum exercitu iuxta flumen, expectando aduentum nauium, quæ apud Berwicum oneratæ victualibus fuerant, contigit, vt ipſis aduerſo vento impeditis per menſem, exercitus affligi inciperet inedia atque fame; quo cognito, Scoti maximum coadunant exercitum, ſperãtes Anglicos iam fame deficientes opprimere ſine mora. Et ecce triduo antequam venirent Scoti, naues applicant cum victualibus: quibus diſtributis, reficiuntur ſinguli iuxta vota. Rex deinde audito, quod aduenirent Scoti, obuiam progreditur, & nocte ſuperueniẽte in quadam campi planitie cum exercitu armato reſedit. In aurora vero terribilis quidam clamor inſonuit; quo excitati omnes, Scotoſque in vicino æſtimantes, celerius ſe parant ad pugnam.

Rex ab equo deiectus duas coſtas confregit.

Dextrarius vero Regis tumultuoſo actus clamore, Regem iam aſcendentem recalcitrando deiecit, laterique eius calces poſteriores allidens, duas ei coſtas confregit. Qui nihilominus aſcendens eum, alium progredientem ad prœlium comitari exercitum non omiſit. Itaque iuxta locum, qui Fowkytke dicitur, in die B. Mariæ Magdalenæ, Wilhelmus Waleys conſtruxit ſepem inter Scotorum exercitum & Anglorum, longos palos in terras figens, & cum funibus nectens & chordis, vt ingreſſum Anglicorum ad ſuos impediret. Deinde pedeſtrem Scotorum populum in prima acie collocauit, dicens eis patria lingua, *I haue brought you to the* Kyng, *hop gif ye kun.*

Bellum de Fowkirk.

Rex vero videns diſpoſitionem Scotorum, iuſſit Wallenſibus vt eos aggrederentur. Sed ipſi propter inueteratum odium, quod gerebant ad Regem, negotium diſtulerunt; credentes, quod Scoti, qui multo plures fuerunt quam Anglici, victoriam reportaſſent, & per conſequens ipſi votorum ſuorum effecti compotes, in Anglicos cum Scotis comiter irruiſſent, & mala irrogata iamdudum genti ſuæ viriliter derogaſſent. Cumque eos cunctantes quidam miles cerneret, ſatyrice dixit Regi:

Verſus Satyrici in Wallos.

Rex Edwarde, fidem ſi das Wallenſibus, erras;
Vt dederas prædam, ſed eorum diripe terras.

Rex vero dato ſigno prœlii primæ cohorti, irruit in Scotos audaciter, ſepemque di-

Scotorũ ſtrages.

rumpit. Congrediuntut igitut ambo exercitus, ſed fugienribus ſtatim Scotorum equitibus, Anglici inſequuntur cædentes, & ſtragem magnam ingerentes: vt eorum, qui ceciderant de Scotis in hoc prœlio, numerus æſtimetur ſexaginta millia exceſſiſſe. In principio autem prœlii, ptæceptor militiæ templi in Anglia & ſocius eius, qui etat præceptor Scotiæ, Scotorum agmini ſe immiſcentes, ante alios oppreſſi, oppreſſorum multitudine ſunt peremptí. Wilhelmus Walleys & maiores Scotiæ ab hoc prœlio ad nemora confugerunt. Poſt hæc vaſtata eſt villa ſancti Andreæ nemine reſiſtente. Exinde per foreſtam de Felkyrke venerunt Anglici, ad caſtrum de Are (quod Robertus de Brus fugiens incendit, vacuumque reliquit) tranſeuntes pet villam Anandiæ ceperunt caſtrum de Lowmaban. Cum autem veniſſet Rex Carleolum, Comites Herefordiæ & Mareſcalli, licentia accepta ad propria redierunt. Rex vero primo Dunelmiam, deinde Tynemutham, & inde vſque Codingham iuxta Beuerlacum progreſſus, ibidem vt feſtum Natale Domini perageret expectauit.

Rex Romanorũ occiditur.
Cardinales recõſiliantur Papæ.

Hoc anno Albertus Dux Auſtriæ contra Adulphum Regem Romanorum dimicans, ipſum interfecit in campo, & cito poſt in Regem Romanorum loco Adulphi electus, ſolemnirer coronatur. Petrus & Iacobus de Columna, quondam Catdinales, deſtructo caſtro de Columna per papales fugiunt Præneſtæ, vbi ab exercitu Papæ obſeſſi, tantum ſe humiliant, & idibus Octobris ad Papam venientes, veniam poſtulant de commiſſis. Hoc etiam anno in craſtino ſancti Bartholomęi beatus Lodowicus quondam Rex Fraucorum de loco ſepulchri in capſam pretioſam ad hoc paratam transfertur.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte frugibus nec abundans nec omnino inops fructuum: Alemannis propter bella gtauis: Scotis exitialis, ſed pacificus Anglis & Francis.

Anno gratiæ milleſimo tticenteſimo, qui eſt annus regni Regis Edwatdi à conqueſtu primi viceſimus ſeptimus, fuit idem Rex ad Natale ad Codingham iuxta Beuerlacum. Poſt quod verſus pattes regni auſtrales iter ſuum direxit.

De pace inter reges.

Eodem tempote Papa Bonifacius ſubmiſſionibus Regum receptis, pacem & concordiam inter Reges ordinauit, ita vt Rex Angliæ ſororem, & filius eius filiam Regis Francorum ducerent, certis pto vttiſque dotibus diffinitis, & quod ducatus Aquitaniæ in manus domini Papę traderetur, quouſq; diſcuſſa vtriuſq; regis iuſtitia iuſto domino redderetur, & quod Rex Angliæ naues ſuperſtites cum mercibus de illis quæ taptæ fuerant, teſtitueret. Sed ſuper hiis duobus articulis intercedit magna dilatio, Rege Ftancorum partem, quam in Waſconia occupauerat, tradere renuente. Hoc anno filii Caroli Regis Siciliæ, Philippus & Robertus ingreſſi Siciliam, dum Siculos ſatagunt expugnare, Philippus cum gente ſua tota à Siculis capitur. Eodem anno Rex Tartatorum ab vrbe Ieroſolomitana expulit Saracenos.

Miraculum de filio cuiuſdam Tartari.

Frater huius Regis Tattarorum ex filia Regis Armeniæ genuit filium hiſpidum & piloſum, quem cum pater cremari iuberet, mater ſibi dari infantem petiit, quem fecit illico à preſbiteris baptizari. Quo baptizato, cecidit ſtatim tota villoſitas, & puer apparuit lenis & pulcher. Quod miraculum cum patet vidiſſet, credidit ipſe & domus eius tota. Eodem tempore Carolus Comes Valeſii miſſus in Flandriam contra comitem, receptus eſt pacifice apud Butges.

Cardinalium fuga.
Parliamentum Londonienſe.

Sub eiſdem diebus Petrus & Iacobus de Columna timentes ſibi, iterum fugiunt, & toto tempore Bonifacii in loco latent ignoto. In principio Quadrageſimæ Rex Angliæ parliamentum tenuit Londoniis, vbi rogatus à Comitibus ſæpe dictis, vt chartarum confirmationem renouaret, ſecundum quod in Scotia ptomiſerat, poſt aliquas dilationes inſtantiæ eorum adquieuit, hac additione, ſaluo iure coronæ noſtræ, in fine adiecta. Quam cum audiſſent Comites, cum diſplicentia ad propria diſceſſerunt. Sed reuocatis ipſis ad quindenam Paſchæ, ad votum eorum abſolute omnia ſunt conceſſa. Perambulatio autem foreſtæ commiſſa eſt per Angliam tribus Epiſcopis, totidem Comitibus Baronibuſque in eodem numero, vt ipſi Deum habentes præ oculis executionem facerent; & ſi quæ emergerent dubia, illa ſecundum Deum & iuſtitiam declararent.

Nuntii Papæ intercedunt pro rege Scotiæ.

In tranſlatione beati Thomæ Martyris venerunt nuntii Papæ ad Regem Cantuariam: rogantes, vt Iohannem quondam Regem Scotiæ ſuæ liberaret cuſtodiæ; ſpondentes, quod Regem & regnum ab omni, quod per hanc liberationem poſſet contingere, periculo præſeruarent. Quorum petitioni Rex condeſcendens, reſpondit ſe ipſum Iohannem tanquam ſeductorem falſum & periurum ad Papam miſſurum. Ad quem nuntii reſponderunt: & nos eum pro tali ſuſcipimus ſummo Pontifici præſentandum. Cumque dictus Iohannes cum præfatis nuntiis veniſſet Doueriam, & ciſtæ ſuæ in nauem inferrentur, quidam regales,

les, qui eos ad mare deduxerunt, dixerunt quod voluerunt videre, quæ continebantur in clitellis dicti Iohannis. Quibus apertis, inuenta eſt vna corona regia regni Scotorum aurea, & multa vaſa aurea & argentea, & pecuniæ non parua ſumma; quæ vniuerſa Regi Angliæ ſunt allata. Rex illico coronam auream offerri iuſſit beato Thomæ martyri, & ſigillum commune Scotiæ, quod repertū eſt ibidem inter cætera, iuſſit ſibimet reſeruari, pecuniam vero totam remiſit dicto Iohanni, ad expenſas itineris inchoati. Nuntii vero plurimum commendantes Regis ſapientiam, & regalem munificentiam, tranſtulerunt eundem Iohannem in terram Ballioli, quam habuit in regno Franciæ, & ibidem reliquerunt eum ſub certorum cuſtodia prælatorum.

Corona regis Scotorum conſecratur Thomæ Cant.

Poſt hæc & alii captiui à Regibus detenti, hinc inde ſecundum conditiones in treugarum conceſſione poſitas, liberantur. Rex Angliæ ſperans ſe per matrimonium inter ipſum & ſororem Regis Franciæ contrahendum, pace diuturna gratulari, ac ſi foret iam omnia iura ſua vltramarina cum noua nupta, ſorore Regis Francorum dimidia, conſecuturus, interno gaudio æſtuabat, diſceſſitque in Cantiam cum optimatibus ſuis, aduentum ibidem Dominæ præſtolaturus. In nullo tamen vt probauit ex poſt rei exitus, per hoc matrimonium promouit regnum ſuum. Poſt paucos dies redierunt Legati Regis Angliæ, adducentes ſororem Regis Franciæ nomine Margaretam, quam conduxit dux Burgundiæ cum non modica multitudine Gallicorum. Comes quoque Britanniæ, cum proceribus ſibi ſubditis, ad has nuptias properauit. Cunctique fere principes nominati, qui citra Hiſpaniam morabantur, tantæ deſponſationi intereſſe gaudebant; quia nimirum Regis Edw. magnificentia per orbem totum dilatata, cunctos attraxerat in venerationem perſonæ regiæ & amorem. Igitur die 4. poſt natiuitatem Virginis glorioſæ, agente Cantuarienſi Pontifice in Eccleſia metropolitana Angliæ, inter Regem & Margaretam prædictam ſolemnitas matrimonii celebratur. Quæ fuerit ibidem non ſolum regni nobilitas, ſed diuerſarum regionum virorum congregata ſublimitas, quis conuiuii apparatus, quæ profuſio expenſarum, ſcribere ſuperſedeo; ne pannagericon videat conſcripſiſſe. Durauit iſtud tripudium per dies quatuor, poſt quos extranei accepta repatriandi licentia ſunt dimiſſi, maximis & variis muneribus honorati.

Deſponſatio Regis & reginæ Margar.

In feſto ſancti Martini parliamento habito apud Eboracum, Rex Berwicum progreditur, intendens vlterius procedendo amouere obſidionem Scotorum, qui caſtrum de Striuelyn obſidebant, & vehementer arctabant obſeſſos. Sed cauſantibus proceribus loca paluſtria propter brumalem intemperiem eſſe immeabilia, Rex præmonitis caute obſeſſis, vt ſaluis ſibi vita & membris caſtrum redderent, vlterius non proceſſit.

Parliamentum Eboracenſe.

Deinde Rex direxit epiſtolam Archiepiſcopo Cantuarienſi, in hæc verba: Quia magnificauit dominus miſericordiam ſuam facere nobiſcum, dignum eſt, O pater, vt innumeris beneficiis ſuis dignis reſpondeamus operibus. Neque enim in gladio noſtro poſſidemus terram, & brachium noſtrum non ſaluauit nos, ſed dextera eius, & brachium ſanctum eius; quin complacuit illi in nobis, vt hucuſque conſeruauit nos, & inimicos noſtros compeſcuit. Iuſtum proinde eſt, vt qui omnia ſubiecit ſub pedibus noſtris, ſubiiciamus illi & animas noſtras, & vt hi, quos nobis ſubdidit, eius ſubdantur legibus. Non enim ſegniter elaborare debemus punire ſacrilegos, rebelles comprimere, eripere pauperem de manu fortiorum eius. Sed & meæ ſolicitudinis eſt, pacem firmam in regno noſtro conſolidare, & inimicos noſtros expugnare. Quapropter orate pro me & regno noſtro, populo quoque noſtro, vt iter atque actus noſtros dirigat altiſſimus, vt ſit ad laudem nominis ſui, & regni noſtri promotionem. Diuulgata hæc epiſtola per Eccleſias, omnis populus ſponte, & cum gaudio pro Rege fecit orationes.

Epiſtola regis ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, vt pro ſe preces funderentur.

Eodem tempore iuſſit Rex apportari in turrim Londoniæ, omnes manicas ferreas & cathenas, quæ inueniri poterant in omni loco Angliæ, ad inæſtimabilem multitudinem, ſed cauſa penitus neſciebatur. Tranſit annus iſte nec plene frugifer, nec penurioſus, ſicut bellicoſus; Sarracenis formidoloſus: Tartaris martius: Scotis perfidia notabilis: Anglis & Francis ſub quiete decurſus.

Omnes manicæ & catenæ in arce Londini congeruntur.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ milleſimo tricenteſimo primo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus octauus, fuit idem Rex ad natale apud Berwicum: Regina vero apud Wyndeleshores. Infra præſentis natalis ſolemnia prohibita eſt moneta alienigenarum ſurreptitia & illegitima, quam Pollardos & Cocodones, atque Roſarios appellabant, qui paulatim & latenter loco irrepſerant ſterlingorum. Hanc monetam primo Rex Edwardus iuſſerat valere obulum, deinde omnino ex-

Natale celebratum Berwici.

Moneta adulterata, Pollardi & Kokodones proſcripta.

terminauit. Gallici nempe hanc monetam fabricauerunt; quæ non erat argentea, ſed ſuperficialiter deargentata, & currebat in locis plurimis loco ſterlingorum, multique decepti fuerant per eandem. Poſt feſtum natalis Domini Rex reuerſus eſt in Angliam, de partibus Northumbranis.

Obiit Edmundus comes Cornubiæ.

Hoc anno obiit ſine prole Edmundus Comes Cornubiæ, filius Richardi quondam Comitis Cornubiæ, & Regis Alemanniæ, Qua de cauſa rediit comitatus ille ad coronam. Corpus eiuſdem comitis apud Aſherngger, locum quem fundauerat, eſt humatum.

Iubilæus inſtituitur.

Iſto anno Papa Bonifacius octauus indultum faciens omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui per anni præſentis ſpacium, ac per quemlibet annum centeſimum futurum, Romam, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas voto peregrinationis humiliter acceſſerint & deuote, cunctorum ſuorum conceſſit indulgentiam peccatorum.

Parliamentum Londonienſe.

Parliamentum Londoniis conuocatur in quadrageſima, in quo Rex confirmationes chartarum renouauit, & ſtatuta quædam edidit de finibus & liberationibus carcerum, quæ ſunt vtilia valde regno.

Natus eſt regi filius dictus Thomas.

Eodem anno apud Brothorton natus eſt Regi filius ex Margareta regina; quæ cum parturiret afflicta doloribus B. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum atq; martyrem pro alleuiatione tantæ pœnæ ſuppliciter inuocauit. Moxque morti proxima pro partus difficultate videbatur ſibi, quod vires reſumpſit, & peperit filium, qui in honorem beati Thomæ Thomas eſt appellatus: qui mox, vt cœpit mamillas ſugere mulieris Francigenæ, horrente ſtomacho lac euomuit, donec adducta eſt mulier Anglica, de qua delectabiliter, tanquam qui naturaliter diſcerneret lac alienigenæ ſibi fore minime naturale.

Acta in Scotia.

Hoc anno Rex Angliæ profectus eſt in Scotiam cum exercitu copioſo, & cepit caſtrũ de Louhmaban. Deinde ingreſſus eſt Galwideam, vbi maiores Scotorum petierunt à Rege, vt permitteret Iohannem de Balliolo pacifice regnare ſuper eos, & vt fineret magnates Scotiæ redimere terras ſuas datas diuerſis perſonis Angliæ de illis, quibus datæ ſunt per Regem, aſſerentes, quod alioquin ſe defenderent, quamdiu poſſent. Sed Rex in nullo illorum petitionibus condeſcendit. In craſtino vero Rex profectus eſt vſque Swinam, vbi moram traxit per octo dies, ad quem locum conuenerunt Scoti innumerabiles cum ſuis ducibus, vt Regem & eius exercitum infeſtarent. Rex autem cum filio ſuo ſuiſq; proceribus Scotis obuiam eſt profectus, qui mox meticuloſi & timidi velut lepores ad colles & nemora confugerunt. Fuiſſetque dies iſte Scotis exitialis, ſi Anglicis Wallici non defuiſſent, quibus innatum eſt, vt inermes loca paludoſa pertranſeant, & colles agiliter occupent & aſcendant. Nempe Anglici tunc eorum carentes auxilio, cum ipſi nimis ponderoſe fuiſſent armati, Scotos inſequi non valebãt.

Scoti corrumpũt Papam. Romæ omnia venalia.

Per idem tempus Scoti cogooſcentes Romæ omnia venalia, donis dominum Papam vberrimis ditauerunt, petentes ab eo conſilium pariter ac auxilium contra dominum ſuum Regem Angliæ. Quibus Papa promiſit in breui remedium contemplatione donariorum, iubens vt celeriter ſine tumultu repatriarent. Igitur Papa promiſſionis ſuæ non immemor, illico direxit quendam Lumbardum ad Archiepiſcopum Cantuariæ, iubens, vt ſuæ legationis vices ageret in hac parte, & Regem adiret eum literis imbullatis, eique mandata papalia demonſtraret. Archiepiſcopus vero poſt trium hebdomadarum ſpacium peruenit ad Regem cum prædicto Lumbardo, quem inuenit contra Scotos dimicantem. Oſtendit ei igitur papale mandatum, cuius tenor fuit, vt Rex deſiſteret Scotos inquietare de cætero, quorum regio & perſonæ exemptæ ſpecialiter ſuæ capellæ, vt aſſeruit, pertinebant. Neq; prout dicebat, eſſe poterat, quin ciuitas Ieruſalem ſuos ciues protegeret, & confidentes in domino ſicut mons Sion confoueret.

Regis reſponſio.

Rex autem intellectis his apicibus, mox allata voce ſic reſpondit: Per ſanguinem (inquit) Dei propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, dum ſpiritus fuerit in naribus meis, quin ius meum toti mundo cognitum toto poſſe defendam. Poſt aliquot dies Scoti freti papali fauore, ſuperciliose mandauerunt Regi Angliæ, vt permitteret eos tranquille viuere, donec pares ſuos, & regem Franciæ conſuluiſſent; comminantes, niſi faceret, quod Papa pro illis interponeret ſuas partes.

Papa inhibet regem à perdomandis Scotis.

Ad hæc Rex indignando ſubriſit, dicens: Ex quo vos omnes & ſinguli mihi (tanquam præcipuo Domino regni Scotiæ) feciſtis homagia, putatis me terrendum per ampulloſa mendacia, vt (tanquam carens viribus) ius, quod in vos habeo, prætermittam? Cauete, ne de cætero coram me cum tali mandato compareatis: quod ſi feceritis, Dominum teſtor, à mari vſque ad mare totam Scotiam deuaſtabo. Econtra, Scoti ſatis audacter aſſerunt, ſe in hac cauſa ſanguinẽ ſuum fuſuros pro defenſione iuſtitiæ & patriæ libertate Eodem anno Caſſanus Rex Tartarorum

rum

rum in plano Damaſci pugnauit contra Soldanum Babiloniæ, & victoria ceſſit ei, occiſis centum millibus Sarracenorum. Veritus vero Soldanus fugit in Babiloniam, quæ ciuitas eſt Ægipti. Caſſanus vero ſciens diuina virtute datam ſibi victoriam, Chriſtianus illico eſt effectus.

Soldanus Babiloniæ fuſus à Tartaris.

Et mox perſecurus eſt Soldanum vſque ad portas Babiloniæ, & die octauo menſis Auguſti iterum pugnam iniit cum Soldano ante portas Babiloniæ; & iterum victor effectus, miſit ad inferos animas ducentorum millium Sarracenorum. Peremptuſque eſt eodem die prędictus Soldanus in bello. Tertio vero die poſt prędictum prœlium, ciuitas Babilonię capta fuit & reddita regi Caſſano, qui liberauit à carcere cunctos Chriſtianos, qui in dicta ciuitate fuere detenti in cuſtodia nimis dura.

Filius regis fit Princeps Walliæ & Comes Ceſtriæ.

Hoc anno Edwardus rex Anglię fecit dominum Edwardum filium ſuum & hæredem, Principem Walliæ & Comitem Ceſtrię. Quod cum Wallenſes audiſſent, valde gauiſi ſunt, reputantes eum legitimum dominum, quia in illis partibus natus fuit. Et mirum in modum cum expoſt ſibi Scotia rebellaret, & tota Anglia ab eo deſciuiſſet, Wallenſes hunc coluerunt, dilexerunt, & eidem quantum poterant adhęſerunt, vices eius tam in vita quam morte dolentes, & cantilenas pro eo lugubres lingua patria componentes, quas vſque in præſens ab eorum memoria nec metus aduerſantium, nec diuturnitas temporum aboleuit.

Dos Comitiſſæ Cornubiæ.

Per idem tempus cum Edmundus comes Cornubię naturę debita perſoluiſſet, vt prætactum eſt, procurantibus in parliamento nuper facto Londoniis quibuſdam magnatibus, Comitiſſa quondam vxor dicti Comitis dotata eſt quingentarum librarum porcione, domino rege huic ordinationi libentiſſime annuente.

Sanctimoniales vagabundæ.

Circa præſens tempus diuulgatum fuit Romanæ Curię, quod Sanctimoniales Anglię vagabundę inutiliter diſcurrebant per patrias, quæ vagatio, etſi omnibus religioſis eſſet contraria, nimirum mulieribus eſſet tollenda, præſertim cum omne quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut concupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ. Cupiens ergo ſummus pontifex, ſanctę prouidere conuerſationi, talibus inordinatis diſcurſibus finem impoſuit, quamuis decreta pontificum velut fundamenta montium in conuulſis ligaminibus fixa ſint, & dictas ſanctimoniales hactenus neceſſitatis cauſa extra cellas ſuas exire permiſerint, cum plęrunque tempeſtatibus & turbinibus ſecularium rerum religio Sanctæ Dei Eccleſiæ maculis reproborum diſſipatur. Idcirco profuturum ſuccedentibus poſteris eſſe decreuit, vt ea quæ ſalubri conſilio ordinantur, & communi aſſenſu fratrum definiuntur, firmentur ſuarum robore literarum. Quapropter ſummus pontifex Bonifacius octauus ſcripſit Archiepiſcopo Cantuarienſi Roberto, & aliis coepiſcopis & ſuffraganeis diſtricte, recipiens in virtute ſanctæ obedientiæ, & iniungens, vt omnes Sanctimoniales in ſuis diœceſibus habitantes includi facerent, vt non de cætero liceat eis de cellis ſuis progredi, quia non expedit animabus earum. Dedit etiam idem Apoſtolicus Archiepiſcopo & ſuis Suffraganeis vnicuique in ſua dióc. poteſtatem viſitandi, terminos limitandi, ordinandi, & exponendi in cellis dictarum ſanctimonialium, quos terminos & limitationes prætcrire non licebit, quauis cauſa neceſſitatis; vt decretalis inde confecta teſtatur.

Rex mittit legatos ad Papam aduerſus Scotos.

Rex Angliæ direxit nuncios ad papam, Comitem videlicet Lincolniæ & dominum Hugonem de Spencer, qui declararent iniurias ſibi irrogatas per Scotos, & eorum falſitatem manifeſtarent. Inſuper & dominum Papam deprecarentur, ne mendacii fabricatoribus, Scotis videlicet veritate odientibus, proditoribus, & homicidis ſinum aperiret, de cætero protectionis, quorum fraudulenta falſaque perſuaſio Papalem ſolicitudinem circumuenerat fraudulenter. Papa vero cuius ſtomachus à corruptione Scotorum nondum geſtus fuerat, etſi noſcet iuſtam petitionem regiam, tamen preces armat & regi mandat, vt ſui contemplatione, Scotis treugas indulgeat à die omnium Sanctorum vſque ad Pentecoſten: quod & factum eſt.

Capitur Comes Flandriæ.

Eo tempore comes Flandriæ nimis arctatus cum ſuis reddidit ſe Carolo comiti Valeſii, ductuſque Pariſius cum duobus filiis, & apud compendium in cuſtodia eſt detentus. Eo tempore Radulphus filius Alberti Regis Romanorum Blancam ſororem Regis Franciæ Pariſius deſponſauit. Eodem anno Lucetiæ vrbis Apulię Saraceni ſub tributo regis Sicilię venientes capti necantur.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte Chriſtianis omnibus lætus & votiuus propter Iubilęi gratiam ipſis indultam, & propter victoriam de cœlo conceſſam regi Tartarorum in terra Sancta, vbi de Soldano & Saracenis glorioſiſſime triumphauit: Anglis mœſtus propter amici captiuitatem, comitis videlicet Flandriæ, & ſollicitus propter rebellionem Scotiæ: Francis iucundus propter magnificas nuptias, & comitis Flandriæ captionem.

Digitized by Google

Natale celebratum Northamtonia.
Regina natus eſt filius.
Cauſa diſſenſionis inter Papam & regem Frãciæ.
Rex Franciæ excommunicatur.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſecundo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi viceſimus nonus, tenuit idem rex natale cum regina apud Northamton. Quo anno natus eſt ei filius ex Margareta regina ſecundus, quem vocauit Edmundum. Hoc tempore Appamenſis Epiſcopus de conſpiratione contra regem Franciæ accuſatus, & ad regis vocatus curiam, in cuſtodia detinetur. Menſe vero Februario ad mandatum domini Papæ liberatus iubetur vna cum nuncio domini Papæ regnum euacuare infra certum terminum à rege præfixum. Papa talibus nouis exaſperatus omnes gratias à ſe vel ſuis prædeceſſoribus conceſſas Francorum regibus reuocauit, & in eundem regem cito poſt excommunicationis ſententiam fulminauit. Quam tamen regi nemo auſus eſt nunciare, vel in regno Franciæ publicare. Fecit etiam citati prælatos omnes de regno Franciæ, necnon & omnes magiſtros in theologia & in iure, tam canonico quam ciuili, vt coram eo Romæ in Calendis Nouembris comparerent. Rex vero Franciæ publico prohibuit edicto ne quis aurum vel argentum ſeu merces quaſcunque aſportaret de regno ſuo ſub forisfactione omnium bonorum, adiecta nihilominus pœna graui: fecit etiam omnes exitus & introitus vbique diligentiſſime cuſtodiri. Eo tempore Papa legitimauit filios Sanctii regis Caſtellę, cuius primogenitus Ferrandus obtinuit regnum patris. Rex Angliæ ſub his diebus parliamentum tenuit Stamfordię, ad quod conuenerunt comites & barones cum equis & armis eo prout dicebatur propoſito, vt executionem chartæ de foreſta hactenus dilatam extorquerent ad plenum. Rex autem eorum inſtantiam & importunitatem attendens, eorum voluntati in omnibus condeſcendit. Eodem anno Papa Bonifacius direxit literas regi Angliæ ſecundarias, in quibus aſſeruit regnũ Scotiæ ad ius Romanæ pertinere, regem Angliæ ſubiectioni eius contra Deum & iuſtitiam, & in præiudicium ſedis Apoſtolicę vendicare, rationes allegans ſubſcriptas.

Legitimatio filiorum regis Caſtella.
Parliamentum Stamfordia.
Papa ſcribit in gratiam Scotorum.
Rationes à Papa allegata, cur Scotia non pertineat ad regem Anglia.

Primo, quia cum rex Henricus pater iſtius auxilium obtinuiſſet in werra ſua contra Simonem de monte Forti, à rege Scotorum Alexandro, ne hoc auxilium iure ſubiectionis cuiuslibet, aut debiti petitum aut præſtitum putaretur, idem Henricus per literas ſuas patentes recognouit, non ex debito recepiſſe, ſed ex gratia ſpeciali. Item ad coronationem huius regis vocatus per literas vt ei præſentiam amicabilem in tantis ſolemniis amicus exhiberet, non venit ex debito, ſed ex gratia ſpeciali. Item pro terris de Tyndale & Penreth in regno Angliæ poſitis, cum rex Scotiæ ad præſentiam regis Angliæ ſe perſonaliter contuliſſet, eidem fidelitatem impenſurus pro eiſdem terris tantum, in Anglia ſitis, non vt rex Scotiæ nec pro regno Scotiæ fidelitatem eandem exhibuit, quia palam coram populo proteſtatum eſt, quod pro regno Scotię fidelitatem aliquam regni Angliæ facere non debebat. Item quod prædictus rex Alexander reliquit puellam, hęredem nomine Margaretam, neptem regis Anglię, tunc minoris ætatis, cuius cuſtodia non ad regem Anglię velut ad dominum ſupremum peruenit, ſed ad cęteros eiuſdem regni Scotiæ proceres ad hoc electos. Redarguebat etiam Papa regem, eo quod poſt mortem dicti Alexandri regis Scotos tãquam acephalos, & ducis ſuffragium non habentes, ipſos per vim ſibi ſubiugauit, & metum in pręiudicium & grauamen non modicum Romanæ Eccleſiæ adiiciens, quod cum Dominus Papa officium legationis alicui committit exequendum in regno Anglię, cauſa ſolutionis decimæ, vel etiam pro quauis alia cauſa rationabili, & huiuſmodi legatio literis & priuilegio ſpeciali dictę ſedis Apoſtolicæ, ad dictum regnum Scotiæ ſe non extendat reſiſtendum eſt & obſtandum huiuſmodi legationi, prout tempore fœlicis recordationis contigit euidenter. Nam Legatus ipſe ad pręfatum regnum Scotię aliquatenus admiſſus non extitit, donec per literas Apoſtolicas ſpeciales ſibi legationis officium fuit in eodem commiſſum. Item addidit, quod idem Regnum Scotiæ per beati Petri Apoſtoli venerandas reliquias, non ſine ſuperni dono muneris conuerſum extitit ad fidei catholicæ vnitatem. Et qualiter etiam antiquis temporibus Eboracenſis Archiepiſcopus qui tunc erat, mota per eum ſuper iure Metropolitano aduerſus prelatos Scotiæ quęſtione pro ſe nequiuit ſententiam obtinere. His propoſitis monuit Papa regem per literas ſuas, quod Epiſcopos, Abbates, Electos, & omnes alios regni Scotię, quos detinebat captiuos in carcere, libere abire permitteret, & quod Officiales ſuos de regno Scotię memorato reuocaret, quos in pręiudicium & iniuriam & graue ſcandalum fidelium populorum & oppreſſionem iuſtorum in dicto regno ſtatuerat & ordinauerat: ita quod acceptior & gratior fieret Deo, & fauorem Apoſtolicæ ſedis, in hoc ſibi acquireret plenius. Et ſi in eodem regno Scotię vel aliqua eius parte ius aliquod habere ſe aſſereret per procuratores

ratores & nuncios ſuos ad hoc ſpecialiter conſtitutos, cum omnibus iuribus & munimentis huiuſmodi negotium tangentibus, ad ſedem Apoſtolicam deſtinaret ſuper præmiſſis plenæ complementum iuſtitiæ recepturus.

LITERA REGIS MISSA PAPAE.

Reſponſio regis.

REx Angliæ literis Apoſtolicis ex deliberato apud Lincolniam conuocato conſilio pro iure ſuo declarando literam huius tenoris ſcripſit. Sanctiſſimo in Chriſto patri domino B. diuina prouidentia Sanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Edwardus Dei gratia Rex Anglię, dominus Hibernię, Dux Aquitaniæ ſalutem, & deuota pedum oſcula bonorum. Infraſcripta non in forma, nec in figura iudicii, ſed omnino extra iudicium proferenda, ſanctæ paternitatis veſtrę conſcientię vobis tranſmiſimus exhibenda. Altiſſimus inſpector cordium veſtræ ſcrinio memoriæ indelebili ſtilo nouit inſcribi: quod anteceſſores & progenitores noſtri reges Angliæ iuris ſuperioris, & directi dominii ab antiquiſſimis retro temporibus regno Scotiæ, ac omnibus ipſius regibus in temporalibus & annexis eiſdem pręfuerunt. Et ab eiſdem pro regno Scotię & eiuſdem proceribus, à quibus habere volebant legalia homagia receperunt, & fidelitatis debita iuramenta. Nos iuris & dominii poſſeſſionē continuantes pro tempore noſtro eadem tam à rege Scotiæ recepimus, quam à proceribus ipſius regni. Quinimmo tanta iuris & dominii pręrogatiua ſuper regnū Scotię, & eiuſdem regem gaudebant, vt & regnum ipſum ſuis fidelibus conferebant. Reges etiam ex iuſtis cauſis amouebant & cōſtituebant ſub ſe loco ipſorum alios regnaturos, quæ proculdubio notoria fuiſſe & eſſe creduntur apud omnes, licet aliud forſan paternis veſtris auribus per pacis æmulos & rebellionis filios fuerit falſa inſinuatione ſuggeſtum, à quorum machinoſis & imaginariis figmentis, vt veſtrę ſanctitatis oculus auertatur, ſuppliciter quæſumus & paternam clementiam & excellentiam deuotis affectibus exoramus. Sub temporibus Heli & Samuelis prophetæ, vir quidā ſtrenuus & inſignis, Brutus nomine, de genere Troianorum, poſt excidiū vrbis Troię *Brutus.* cum multis nobilibus Troianorum applicuit in quandā inſulam tunc Albion vocatā, & à gigantibus inhabitatam, quibus deuictis ſua potentia, & occiſis, eam de nomine ſuo Britanniam ſocioſq; Britones appellauit. Poſtea regnum ſuum tribus filiis ſuis diuiſit. Locrino primogenito ſuo dedit illam partē, quæ quondam Loegria, nunc vero *Locrinus.* Anglia nominatur. Albanacto ſecundo filio dedit Albaniam quæ nunc Scotia vocitatur. Cambro vero tertio filio dedit Cambriā, quæ nunc Wallia appellatur, reſeruata Locrino ſeniori regia dignitate. Biennio poſt mortem Bruti, applicuit in Albania rex Hunorum, Humber nomine, qui Albanactū fratre Locrini peremit. Quem mox Locrinus perſecutus eſt: Humber vero fugiens ſubmerſus eſt in flumine q; de ſuo nomine vocatur Humber. Et ſic Albania deuoluitur ad Locrinum. Poſtea Dunwallus rex *Dunwallon.* Britonum Staterium Regem Scotiæ ſibi rebellē occidit, & terram in deditionem accepit. Item duo filii Dūwallionis ſcilicet Belinus & Brennius inter ſe regnū patris ſui *Belinus.* diuiſerunt. Ita q; Belinus ſenior diadema inſulæ cū Britānia, Wallia, & Cornubia poſſedit. Brennius vero ſub eo regnaturus Scotiam accepit. Petebat enim Troiana conſuetudo, vt dignitas hęreditatis primogenito perueniret. Item Arthurus rex Britonum famoſiſſimus Scotiam ſibi rebellem ſubiecit, & fere totam gentem deleuit, & *Arthurus.* poſtea quendam nomine Anguſelum in regem Scotiæ pręfecit: & poſtea cum idem rex Arthurus apud ciuitatē Legionum feſtum faceret celeberrimum, interfuerunt ibidem omnes reges ſibi ſubiecti, inter quos Anguſelus rex Scotiæ ſeruitium pro regno ſuo exhibens debitū, gladium regis Arthuri detulit ante ipſum, & ſucceſſiue omnes reges Scotię omnibus regibus Britonum fuerunt ſubiecti. Succedētibus autem regibus Angliæ, in eadem inſula ipſius monarchiam & dominium obtinēt conſequēter, Edwardus dictus ſenior filius Alfredi regis Angliæ, Scotorum, Cumbrorum, & *Edwardus ſenior.* Stegwallorum reges, tanquam ſuperiori domino, ſubiectos habuit & ſubmiſſos. Adelſtanus rex Anglię Conſtantinum regem Scotorum ſub ſe regnaturum conſtituit, dicens: Glorioſius eſſe regem facere quam regem eſſe. *Adelſtanus.* Et eſt dignum memoria, quod idem Adelſtanus intercedente Sancto Iohanne de Beuerlaco quondam Archiepiſcopo Eboracenſi, Scotos rebellantes ei diuicit. Qui gratias Deo deuote agens exorauit, petens vt interueniente beato Iohanne ei aliquod ſignum euidens oſtenderetur, quo tam ſuccedētes quam præſentes cognoſcere poſſent Scotos Anglorum regno iure ſubiugari. Et vidit quoſdā ſcopulos iuxta quendam locū prope Dunbar in Scotia prominere, extractoque gladio de vagina percuſſit in ſilicem. Qui lapis

adictum

Digitized by Google

ad ictum gladii Dei virtute agente, ita cauatur vt menſura vlnæ in longitudine poſſit coaptari. Et huius rei hactenus euidens ſignum apparet, & in Beuerlacenſi Eccleſia, in legenda beati Iohannis, quaſi ſingulis hebdomadis, ad laudem & honorem Sancti Iohannis pro miraculo recitatur. Et de hoc extat celebris memoria tam in Anglia quam in Scotia vſque in præſentem diem. Item Conſtantinus rex Scotorum & Eugenius rex Cumbrorum, ad prædictum regem Angliæ Adelſtanum poſt aliquam diſſentionem inter eos habitam venientes, ſe cum ſuis regnis eidem Adelſtano dedidere: Cuius facti gratia, filium Conſtantini ipſe Adelſtanus de ſacro fonte ſuſcepit. Item Edredo regi Angliæ Scoti ſine bello ſe ſubdiderunt, & eidem regi Edredo tanquam Domino fidelitatem iurauerunt, quodam Irico rege ſuper eos conſtituto. Item cum

Edgarus rex.

Edgarus rex Angliæ regem Scotorum Kynadium, & Cumbrorum Malcolinum, regem inſularum Malkerium & alios quinque ſubregulos, videlicet Donewaldum, Syſolh, Hunewaldum, Iacob & Ruchill ſubiugaſſet, & remigando per fluuium de Dee iuxta Ceſtriam, in quadam naui prope proram ſediſſet, & nauim ipſemet gubernaſſet, fertur ipſum dixiſſe ſucceſſores ſuos poſſe gloriari ſe reges Anglorum eſſe, cum tanta honoris prærogatiua fruerentur, quod ſubiectam haberent tot regum potentiam.

Sanctus Edwardus mar.
Ethelredus.

Poſt dictum Edgarum ſucceſſiue regnauerunt reges Angliæ, Sanctus Edwardus martyr, Ethelredus frater eius, Edmundus dictus *Ironſyde*, filius Ethelredi, & Cnutus qui eorum temporibus regnum Scotiæ in ſua ſubiectione pacifice tenuerunt.

Edmundus Ironſide.
Cnutus.
Haraldus.
Hardecnutus.
Sanctus Edwardus.

Hoc duntaxat excepto, quod quintodecimo anno Cnuti prædicti, idem Cnutus Scotiam rebellantem expeditione illuc ducta, & regem Scotiæ Malcolinum paruo ſubiecit negotio, ſubditusque eſt eidem prædictus Malcolinus. Quibus Haraldus filius Cnuti & Hardecnutus frater eius, vnus poſt alium reges Angliæ ſucceſſerunt. Quibus ſic regnantibus ſubiectionem pacificam regni Scotiæ habuerunt. Item ſanctus Edwardus rex Angliæ regnum Scotiæ Malcolino filio regis Cumbrorum dedit de ſe tenendum.

Wilhelmus conqueſtor.
Wilhelmus Rufus.

Item Wilhelmus baſtardus rex Angliæ à Malcolino rege Scotiæ, tanquam à ſuo homine ſibi ſubdito recepit homagium. Item Wilhelmo Rufo regi Angliæ Malcolinus rex Scotorum iuramento fidelitatis ſubiectus fuit. Item prædictus Wilhelmus Dunwaldum de regno Scotiæ ex iuſtis cauſis amouit, & Duncanum filium Malcolini regno Scotiæ præfecit, & recepit ab eo fidelitatem & iuramentum. Dictoque Duncano doloſe perempto, dictus rex præfatum Donewaldum, qui iterum regnum Scotiæ inuaſerat, amouit ab eodem, & Edgarum filium dicti Malcolini regem Scotiæ conſtituit, & eidem regnum illud donauit. Cui ſucceſſit Alexander frater Edgari conſenſu regis Angliæ Henrici primi, fratris dicti regis Wilhelmi Rufi.

Henricus 1.
Matildis imperatrix.
Stephanus.

Item Matildi imperatrici filiæ & hæredi regis prædicti Henrici, Dauid rex Scotiæ fecit homagium & fidelitatem. Item regi Angliæ Stephano, Henricus filius dicti regis Dauid homagium fecit. Item rex Scotorum Wilhelmus pro regno Scotiæ, & Dauid frater eius, & comites & barones regni Scotiæ, deuenerunt homines Regis Henrici, filii regis Angliæ Henrici ſecundi, in craſtino Coronationis prædicti Henrici, filii Henrici ſecundi, patre viuente, & fidelitatem ei iurauerunt contra omnes homines, ſalua fidelitate debita patri viuenti.

Henricus filius Henrici 2.

Anno vero viceſimo regni regis Henrici prædicti ſecundi, prædictus Wilhelmus rex Scotiæ rebellare incipiens, venit in Northumbriam cum exercitu magno, & exercuit in populo ſtragem magnam. Cui occurrentes milites comitatus Eboracenſis apud Alnewik ipſum ceperunt, & dicto Henrico regi Angliæ reddiderũt. Anno ſequenti quintodecimo Calendas Maii idem Rex Wilhelmus permiſſus eſt libere abire. Poſtea vero apud Eboracum, anno eodem, ſeptimodecimo Calendas Septembris, idem Wilhelmus rex Scotorum de conſenſu prælatorum, Comitum & Baronum, & procerum & aliorum magnatum regni Scotiæ, domino ſuo regi Angliæ Henrico filio Matildis imperatricis, ſuis literis patentibus cauiſſe noſcitur, quod ipſe & hæredes & ſucceſſores ſui reges Scotiæ, Epiſcopi, Abbates, Priores, comites & Barones, & alii homines regni Scotiæ, de quibus dominus rex Henricus habere voluerit, facient domino regi Angliæ homagium, fidelitatem, & ligiamentum, & vt ligio domino ſuo contra omnem hominem obedient.

Monumentum ſubiectionis.

Et in ſignum ſubiectionis, Capellum ſuum & cellam atque lanceam, ſuper altare beati Petri obtulit, quæ in eadem Eccleſia vſque in hodiernum diem remanent & ſeruantur.

Item Epiſcopi, Comites & Barones dicti regni Scotiæ conuentionauerunt, (vt verbis vtamur huiuſmodi conuentionis) domino rege Angliæ, & Henrico filio eius prædictis: quod ſi rex Scotiæ aliquo caſu à fidelitate regis Angliæ & conuentione præ-

dicta

dicta recederet, ipſi cum regi Angliæ tenebunt, ſicut cum ligio domino domino ſuo, contra regem Scotiæ, quouſque ad fidelitatem regis Angliç redeat. Quam quidem compoſitionem fœlicis recordationis Gregorius Papa quintus in diuerſis reſcriptis regibus Angliæ & Scotiæ directis mandauit firmiter obſeruari, continentibus etiam quod Wilhelmus & Alexander reges Scotiæ regibus Angliç Henrico & Henrico ligium homagium & fidelitatem facerent, quę tenentur ſucceſſoribus eorum Comitibus & Baronibus regni ipſius, & ſucceſſoribus ſuis exhibere. Et item quod cum idem rex Scotiæ homo ligius ſit ipſius Henrici regis Angliç, & eidem preſtiterit fidelitatis iuramentum, ad quod ſe principaliter aſtringit in ipſius regis, & regni Angliç detrimentum, nihil debeat penitus attemptare. Et Papa Clemens ſcribens Regi Angliæ pro Iohanne Epiſcopo Sancti Andreç expulſo ab Epiſcopatu ſuo per regem Scotię, inter cætera rogabat quod Wilhelmum regem Scotiæ moueret & induceret, & ſi neceſſe foret, deſtructione regali qua ei præeminebat, & de conceſſa ſuę regię celſitudini poteſtate compelleret, vt dicto Epiſcopo omnem rancorem remitteret, & epiſcopatum ſuum in pace habere permitteret. Et præter conuentionem prędictam in Eccleſia beati Petri Eboraci coram prędictis regibus Angliç & Scotię, Dauid fratre ſuo, & vniuerſo populo, Comitibus, & Baronibus, milites de terra regis Scotiæ iurauerunt regi Angliæ Henrico, & Henrico filio ſuo, & heredibus eorum fidelitatem contra omnem hominem, ſicut ligiis dominis ſuis. Et idem Wilhelmus rex Scotiæ ad mandatum regis prædicti venit Northamptoniam ad parliamentum domini ſui, adducens ſecum omnes Epiſcopos, Abbates, & Priores totius regni ſui. Venit etiam ad eiuſdem regis mandatum in Normanniam. Et idem Wilhelmus rex, poſt deceſſum regis Henrici veniens Cantuariam, regi Angliç Richardo, filio & hęredi dicti Henrici fecit homagium: quo Richardo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, ſæpe dictus Wilhelmus Iohanni regi Angliç fratri & hęredi dicti Richardi, extra ciuitatem Lincolnię, ſuper quendam montem in conſpectu omnis populi fecit homagium & iuramentum fidelitatis ſuper crucem Cantuariæ Archiepiſcopi Huberti, & eidem domino ſuo per chartam ſuam conceſſit, quod Alexandrum filium ſuum ſicut hominem ligium ſuum maritaret, promittendo firmiter in charta eadem quod idem Wilhelmus rex Scotiæ, & Alexander filius ſuus, Henrico filio Iohannis regis Angliç tanquam ligio domino ſuo contra omnes mortales fidem & fidelitatem tenerent. A quo quidem Wilhelmo rege Scotię poſtmodum pro eo quod deſponderat filiam ſuam Comiti Boloniæ pręter regis Iohannis domini ſui aſſenſum, pro tranſgreſſione & temeraria pręſumptione huius debitam ſatisfactionem ſuſcepit. Item Alexander rex Scotiæ ſororius noſter, regi Angliæ Henrico patri noſtro, pro regno Scotię, & poſtea nobis fecit homagium. Vacante deinde regno Scotię per mortem Alexandri regis illius, & ſubſequenter per mortem Margaretæ eiuſdem Scotię reginę, & dominæ proneptis noſtrę: Epiſcopi, Abbates, Priores, comites & barones, & cęteri nobiles ac communitates totius regni Scotię, ad nos tanquam ad defenſionem, ducem, Aurigam, capitaneum & dominum capitalem eiuſdem regni ſic vacantis gratis & ſpontanea voluntate accedentes, prout tenebantur de iure, ius noſtrum, progenitorũ & anteceſſorum noſtrorum, & poſſeſſionem ſuperioris & directi dominii in regno eodem & ipſius regni ſubiectionem ex certa ſcientia pure & ſimpliciter & abſolute recognouerunt: & præſtitis ab eis nobis tanquam ſuperiori & directo domino Scotię debitis & conſuetis fidelitatis iuramentis, ac ciuitatibus, burgis, villis, caſtris, & cæteris manſionibus eiuſdem regni, in manu noſtra traditis, ad cuſtodiam eiuſdem regni certos de iure noſtro regio officiales & miniſtros deputauimus quibus ipſi tempore vacationis huius concorditer fuerant obedientes, & intendentes regiis noſtris pręceptis & mandatis. Poſtmodum autem diuerſę perſonę ſuper ſucceſſione in dictũ regnum Scotiæ iure hęreditario inter ſe contendentes, ad nos tanquam ad ſuperiorem dominum regni Scotię acceſſerunt, petentes ſuper ſucceſſione regni prædicti ſibi per nos exhiberi iuſtitiæ complementum, volentes & expreſſe conſentientes coram nobis, tanquam coram ſuperiori & directo domino in omnibus ordinandis ſtare & obtemperare. Ac demum ſententialiter propoſitis & ſufficienter auditis, rimatis, examinatis, & diligenter intellectis partium iuribus, finaliter in pręſentia omnium pręlatorum & nobilium, quaſi totius regni Scotiæ, & de voluntate & aſſenſu expreſſe eorundem procedentes, Iohannem de Balliolo debite pręfecimus in regem Scotorum. Quem tunc in ſucceſſione eiuſdem regni hæredis iu-

Gregorius confirmat ſubiectionem Scotiæ.

Papa Clementis literæ.

Richardus.
Iohannes.

Henricus.I

Edvvardus I

dis iura inuenimus habere potiora. Qui quidem prælati, comites & barones, ac cæteri regni ipſius incolæ ſententiam noſtram acceptauerunt, approbauerunt, & ipſum Iohannem de mandato noſtro virtute huius iudicii in regem ſuũ admiſerunt. Ac idem Iohannes rex Scotiæ pro regno ſuo prędicto nobis homagium debitum & conſuetum fecit, & fidelitatis iuramentum præſtitit, & ex tunc tam in parliamentis, quam conſiliis noſtris tanquam ſubditus noſter, ſicut alii de regno noſtro interfuit, & noſtris tanquam domini ſuperioris ſui beneplacitis & mandatis in omnibus obediens & intendens extitit, donec idem Iohannes rex Scotiæ, & prælati, Comites & Barones, nobiles, communitates, & cæteri incolæ maiores eiuſdem regni, ex pręconcepta malitia, & prælocuta ac pręordinata proditione communicato conſilio, cum tunc inimicis noſtris capitalibus & notoriis amicitias copularunt, ac (pactiones, conſpirationes, & coniurationes in exhæredationem noſtram & hæredum noſtrorum, ac regni noſtri, contra debitum homagium in crimen læſæ maieſtatis nequiter incidendo) fidelitatis iuramentum inierunt cum eiſdem. Verum cum præmiſſa relatio & fama publica ad aures noſtras adueniſſent, volentes futuris periculis præcauere, quæ ex his & aliis poſſent nobis, regno noſtro, & regni noſtri incolis veriſimiliter prouenire, pro aſſecuratione regni noſtri acceſſimus, ad confinium regni vtriuſque, pluries mandantes eidem Iohanni tunc regi Scotiæ, vt ad certa loca in confinio prædicto ad nos accederet ſuper præmiſſis, & aliis aſſecurationis ſtatum tranquillitatem & pacem regni vtriuſque contingentibus tractaturus. Qui ſpretis mandatis noſtris in ſua perſiſtens perfidia ad bellicos apparatus cum Epiſcopis, prælatis, comitibus & baronibus regni Scotiæ, ac etiam aliis exteris conductitiis contra nos, regnum noſtrum, & regni noſtri incolas, hoſtiliter ſe conuertens accinxit, & ad hoſtiles aggreſſus & ingreſſus procedens regnum noſtrum inuaſit, & quaſdam villas regni noſtri Angliæ per ſe & ſuos deprædatus eſt, eaſque vaſtauit incendio, homines noſtros interfecit, & nonnullis nautis noſtris per eos peremptis naues hominum noſtrorum regni Angliæ comburi fecit, & è veſtigio aggredi. Denegatiſque nobis homagio & fidelitate tam pro ſe quam pro aliis quibuſcunq; regni ſui incolis, per literas eiuſdem Regis verba offenſionum exprimentes, & inter alia verba diffidationis continentes.

Immanitas Scotorum.

Comitatus noſtros Northumbriæ, Cumbriæ, & Weſtmerlandiæ regni noſtri Angliæ congregato exercitu ingenti hoſtiliter, per ſe & ſuos inuaſit, ſtragem innumeram hominum noſtrorum, incendia Monaſteriorum, Eccleſiarum, & villarum inhumane perpetrando, & patriam vndique depopulando. Infantes in incunabulis, mulieres in puerperio decubantes gladio trucidarunt, & quod auditu horrendum eſt, à nonnullis mulieribus mammillas atrociter abſciderunt, paruos clericulos primam tonſuram habentes, & grammaticam addiſcentes, ad numerum circiter ducentorum in ſcholis exiſtentes, obſtructis oſtiis ſcholarum igne ſuppoſito cremauerunt. Nos quoque cernentes, tot damna, opprobria, facinora & iniurias in exhęredationem noſtram, & deſtructionem populi noſtri proditionaliter irrogari, nec valentes ratione iuramenti, quoad conſeruationem iurium coronæ regni ſumus aſtricti, pręmiſſa facinora vlterius concelare, nec iura noſtra relinquere indefenſata, cum idem Iohannes rex & gens Scotorum, & noſtri ſubditi per leges ſe iuſtificari minime permiſiſſent, ipſo regno Scotiæ (quod à longiſſimis retro temporibus ſic vt ſuperius exprimitur nobis & progenitoribus noſtris fœdale exiſtit) ex cauſis pręmiſſis nobis commiſſo, deinde bello (iuxta leges & conſuetudines regni noſtri contra eos, de conſilio procerum & magnatum noſtrorum) indicto contra dominum Iohannem & gentem Scotorum vires potentiæ noſtræ extendimus prout de iure nobis licuit, & proceſſimus contra ipſos tanquam hoſtes noſtros, & proditores. Subiecto itaq; regno Scotiæ, & iure proprietatis noſtræ ditioni ſubacto, pręfatus Iohannes quondam rex Scotiæ ipſum regnum Scotiæ quatenus de facto tenuit, ſponte, pure & abſolute reddidit in manum noſtram, proditiones, & ſcelera memorata coram nobis, & proceribus noſtris publice recognoſcens. Quo peracto pręfati comites & barones nobiles & communitates regni Scotiæ, quos ad pacem noſtram regiam ſuſcepimus, conſequenter homagia & fidelitates nobis, tanquam immediato domino, ac proprio eiuſdem regni Scotiæ nobis fecerunt & pręſtiterunt, ac etiam redditis nobis eiuſdē regni ciuitatibus, villis, caſtris, munitionibus, ac cęteris locis omnibus ad dictum regnum ſpectantibus, officiales noſtros & miniſtros, ad regimen eiuſdem regni Scotiæ præfecimus iure noſtro. Cumq; iure pleni dominii in poſſeſſione eiuſdem regni exiſtere dignoſcamur, non poſſumus, nec debemus, quin inſolentiam ſubditorum noſtrorum rebellium, ſi quos inue-

inuenerimus præeminentia regia, prout expedire viderimus reprimamus. Quia vero ex præmiſſis & aliis conſtat euidenter, & notorium exiſtit, quod prælibatum regnum Scotiæ tam ratione poſſeſſionis quam proprietatis ad nos pertinet pleno iure, nec quicquam fecerimus vel cauerimus, ſcripto vel facto, ſicuti nec poſſemus, per quæ iuri ac poſſeſſioni prædictis debeat aliqualiter derogari, Sanctitati veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus præmiſſa prouida meditatione penſantes, ex illis veſtrum motum animi dignemini informare, ſuggeſtionibus contrariis æmulorum in hac parte nequaquam fidem adhibendo, quin imo ſtatum noſtrum & iura noſtra regia ſupradicta habere velitis, ſi placet, promptis affectionibus commendata. Quantum vero ad hoc quod Papa petiuit, quod ſi Rex Angliæ ius haberet in regno Scotiæ, vel in aliqua eius parte, procuratores & inſtructos mitteret, & fieret eis iuſtitiæ complementum. Rex per ſe noluit reſpondere, ſed hoc commiſit comitibus aliiſque terræ proceribus, qui ſuper hoc domino Papæ huius tenoris literas reſcripſerunt.

Litera Communitatis Angliæ domino Papæ.

Sancta Romana iure eccleſia, per cuius miniſterium fides catholica in ſuis actibus, cum ea (vt firmiter credimus & tenemus) maturitate procedit, quod nulli præiudicare, ſed ſingulorum iura conſeruari velit illæſa. Sane conuocato nuper per ſereniſſimum dominum noſtrum Edwardum, Dei gratia regem Angliæ illuſtrem, parliamento apud Lincolniam generali, idem dominus noſter quaſdam literas Apoſtolicas, quas ſuper certis negotiis conditionem & ſtatum regni ex veſtra parte receperat in medio exhiberi ac ſerioſe nobis fecit exponi. Quibus auditis & diligentius intellectis, tam ſenſibus admiranda, quam hactenus inaudita in eis audiuimus contineri. Scimus enim, Pater ſanctiſſime, & notorium eſt in partibus noſtris, ac nonnullis aliis non ignotum, quod à prima inſtitutione regni Angliæ reges eiuſdem regni tam temporibus Britonum quam Anglorum, ſuperius & directum dominium regni Scotiæ habuerunt in poſſeſſione, vel capitanei ſuperioritatis & recti dominii ipſius Scotiæ ſucceſſiuis temporibus extiterunt, nec vllis temporibus ipſum regnum in temporalibus pertinuit, vel pertinet quouis iure ad eccleſiam ſupradictam. Quin immo idem regnum Scotiæ progenitoribus dicti regis, noſtris regibus Anglię, atq; ſibi feodale extitit ab antiquo. Nec etiam reges Scotorum & regnum aliis quam regibus Angliæ ſubfuerunt, vel ſubiici conſueuerunt, neque reges Angliæ ſuper iuribus ſuis in regno prędicto, aut aliis ſuis temporalibus coram aliquo iudice eccleſiaſtico vel ſeculari, ex præeminentia ſtatus ſui regiæ dignitatis & conſuetudinis cunctis temporibus irrefragabiliter obſeruatæ reſponderunt, aut reſpondere debebant. Vnde habito tractatu & deliberatione diligenti ſuper contentis in literis veſtris memoratis, communis, concors & vnanimis omnium noſtrum & ſingulorum conſenſus fuit, & erit inconcuſſe Deo propitio in futurum. Quod præfatus dominus noſter rex ſuper iuribus regni Scotiæ, aut aliis ſuis temporalibus nullatenus reſpondeat iudicialiter coram vobis, nec iudicium ſubeat quoquo modo, aut iura ſua prędicta in dubium quæſtionis deducat, nec ad veſtram pręſentiam procuratores, aut nuncios ad hoc mittat, pręcipue cum pręmiſſa cederent manifeſte in exhæredationem iuris coronæ regni Angliæ & regię dignitatis, ac ſubuerſionem ſtatus eiuſdem regni notoriam, nec non in pręiudicium libertatis, conſuetudinum, & legum paternarum, ad quarum obſeruationem & defenſionem ex debito pręſtiti iuramenti aſtringimur, & quæ manu tenebimus toto poſſe, & totis viribus cum Dei auxilio defendemus. Nec etiam permittimus aut aliqualiter permittemus, ſicut non poſſumus, nec debemus, pręmiſſa tam inſolita, indebita, præiudicialia, & alias inaudita pręlibatum dominũ noſtrum regem, etiam ſi vellet facere ſeu modo quolibet attemptare. Quocirca ſanctitati veſtræ reuerenter & humiliter ſupplicamus, quatenus eundem dominum noſtrum regem, qui inter alios principes orbis terræ catholicum ſe exhibet, & Romanæ eccleſię deuotum, iura ſua, libertates, & conſuetudines & leges prędictas, abſq; diminutione & inquietudine pacifice poſſidere, ac illibata perſiſtere benignius permittatis.

Proceres nolunt ſuum regem coram Papa iudicio ſiſti.

Infeſto Pentecoſtes finitis treugis quæ cum Scotis initę fuerant. Rex contra feſtum S. Iohãnis Baptiſtæ in Scotiam proficiſcitur exercitu adunato. Dumq; in Scotia hiemaret, ſui multos equos magnos perdiderunt, ob defectum foragii tempore frigoris hyemalis. Tranſiit annus iſte frugum, nec opulentus, nec omnino inops: Papæ curiæq; Romanæ propter diſcordiam motam inter Papã & regem Francię malorum inchoatiuus, inquietudinis concitatiuus, ſcandali generatiuus: Anglis nec omnino martius, nec omnino quietus Scotis: ſuſpicioſus, turbidus, & inquietus: Inimicis Crucis Chriſti, Saracenis videlicet, lugubris & moleſtus.

Rex hoſtiliter Scotiam ingreditur.

Annalis concluſio.

Natale celebratum in Scotia ad Linſincum.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo tertio, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi triceſimus, fuit idem rex ad natale in Scotia, in loco qui dicitur Linſinco, cum exercitus manu potenti, ſed ad inſtantiam regis Francorum cuius nuper ſororem duxerat, Scotis treugas vſque ad feſtum omnium Sanctorum conceſſit. Ordinatiſque rebus Scotiæ reuerſus eſt in Angliam, & circa mediam quadrageſimam parliamentum Londoniis conuocauit. Eodem tempore Papa Bonifacius per literas ſuas regem Anglorum interpellauit, vt regi Francorum guerram commoueret, ad quod faciendum ingens ſubſidium pollicetur, ſed rex Angliæ alias domini Papæ erga ſe affectum expertum infidum, rem diſtulit, ſi poſſibile foret recuperare per viam aliam, ſua malens. Sub his diebus in Flandria Burgenſes Gallicorum exactionibus iniuſtis minis oppreſſi, Iacobum Sancti Pauli, qui apud eos locum regis tenebat expulerunt de villa: plurimis in hoc tumultu Gallicis interfectis. Vocauerunt proinde in dominum & defenſorem ſuum Guidonem comitem Nannircii filium comitis Flandrenſis in cuſtodia adhuc detenti. Guido vero cum numeroſa multitudine bellatorum adueniens, auxit Flandrenſium animos plurimum contra Gallos. Interea Robertus comes Attrabatenſis cum exercitu maximo miſſus in Flādriam, inter Tortunatum & Brugas tentoria ſua fixit. Contra quem Flandrenſes egreſſi omnes fere pedites prælium grauiſſimum conſerueruut cum Gallicis: Succumbentibus ergo Gallicis comites Atrabatenſis, Angi, & Albemarle viri nobiles, Godefridus ducis Brabantiæ germanus, cum filio ſuo filius comitis Hanoniæ, Radulphus de Nigella, Conſtabularius Franciæ cum fratre ſuo, Guidone Mareſcallo, Reginaldus de Tria miles emeritus, Camerarius de Tancreuilla, Petrus Flote regis Francorum conſiliatius præcipuus, & exactionum prædictarum maximus, Iacobus ſancti Pauli in hoc prœlio ceciderunt occiſi. Aliorum vero militum minoris gradus, ſcutiſerorumque & peditum interfecta eſt maxima multitudo. Comes vero Sancti Pauli & Boloniæ Lodowicus comitis Claremontenſis filius, cum aliis pluribus fugientes, reliquerunt Flandrenſibus ſpolia infinita. Per id temporis prælati Franciæ miſſis ad Papam tribus Epiſcopis de non veniendo ad diem citationis præfixum, ſe per eoſdem excuſarunt. Papa vero Prælatis Franciæ non comparentibus miſit in Frāciam Iohannem monachum presbyterum Cardinalem, qui conuocatis Prælatis Pariſius ſecretum conſilium habuit cum eiſdem. Eodem anno Philippus rex Franciæ maximo coadunato exercitu, cum iuxta ciuitatem Attrabatenſem toto menſe Septembri manſiſſet, licet hoſtes de propinquo diutius eum expectaſſent, nihil agendo Pariſius reuerſus eſt inglorius. Poſt feſtum omnium Sanctorum elapſis treugis cum Scotis rex Angliæ Iohannem de Segraue militem nobilem cum exercitu miſit in Scotiam, committens ei eiuſdem terræ cuſtodiam. His diebus ciues Burdegalenſes dominium Gallicorum non ferentes illos de ciuitate ſua contra natale domini expulerunt. Tranſit annus iſte mediocriter frugifer & fructifer, conſequenter Gallicis infamis & notabilis, propter infortunia, & res bellicas male geſtas: Anglis honorabilis & confortabilis: Scotis odibilis, deteſtabilis & inuiſus.

Rex regreditur in Angliam. *Papa Anglum in Francum concitat.* *Flandri rem bene gerunt.* *Strages Gallorum.* *Legatio præſulū Franciæ ad Papam.* *Regis Francorum profectio & reditus inglorius.* *Io Segraue Scotiæ præfectus.* *Annalis concluſio.*

Natale apud Weſtmon. celebrat. *Scoti iterum rebelles.*

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quarto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi triceſimus primus, tenuit rex natale apud Weſtmonaſterium Londoniis. Quo anno Scoti cœperunt rebellare contra Regem Angliæ duce & capitaneo conſtituto Wilhelmo Waleys, qui eos ad ſeditionem commouerat, propter quod rex coadunato ingreſſus exercitu prætermiſſo caſtro de Striuelyn, quod contra eum munitum fuerat, totam terram peruagatur, nemine apertæ pugnæ ſibi copiam faciente. Eodem tempore rex Francorum ob detentionem Waſconiæ iniuſtam, timens ſibi à rege Angliæ per dominum Papam ad hoc inſtigato guerram parari, vt eius amicitiam ſibi compararet, quicquid Waſconiæ in manu ſua tenebat, eidem ſponte gratiſque reſtituit, prout videbatur ignorantibus veritatem. Tunc etiam & Burdegalia regi Angliæ ſponte ſe ſubiecit. Philippus filius Comitis Flandriæ coadunatis multis Teutoniæ ſtipendiariis, ingreſſus Franciam caſtrum Sancti Audomari obſedit, ſed cum nihil proficeret, diſcedens vrbem Mormorum incendit. Philippus Francorum rex, verſus Flandriam progreſſus cum exercitu, acceptis treugis inglorius eſt reuerſus. Guido comes Flandriæ, & filius eius Robertus, à cuſtodia per regem Franciæ ſoluti, vt Flandrenſes ad pacem reducerent in Flandriam tranſmittuntur. Sed cum nihil proficerent fidelitate ſeruata debita, ad loca ſuæ priſtinæ cuſtodiæ reuertuntur. Eo tempore Wilhelmus filius Comitis Hanoniæ Iohannis, & Guido Traiectenſis epiſcopus eiuſdem Wilhelmi patruus, contra Flandrenſes qui maximam

Rex Franciæ reſtituit Waſconiam regi Angliæ. *Guido Comes Flandriæ carcere liberatus.* *Scoti Anglis vincunt.*

mam partem Flandriæ occupauerant prælianteſ ſuccumbunt capto Epiſcopo, ſed Wilhelmo per fugam elapſo.

Hoc anno circa principium Quadrageſimæ Scoti latentes in inſidiis Iohannem de Segraue cum paucis armatis tranſeuntem, iuxta caſtrum quod dicitur Puellarum ſubito inuaſerunt, peremptiſque hinc inde nonnullis, Scoti præualentes multitudine, ceperunt aliquos milites Anglicos, inter quos & ipſum Iohannem Anglorũ capitaneum grauiter vulneratum, ſed ſuperuenientes milites alii de exercitu Anglicorum, ipſum Iohannem à ſuis ereptum cuſtodibus abduxerunt. Dum fieret iſte conflictus, miles quidam nobilis Robertus de Neuile miſſarum audiens ſolemnia (erat nempe dominica prima Quadrageſimæ) quæ geſta fuerant penitus ignorabat. Poſt miſſam vero egreſſus, cum audiſſet à redeuntibus Scotos in Anglicos prǫualere, illuc cum ſuis armatis properãs multos peremit, multoſq; fugauit, & captiuos aliquos reduxit. Nec de his qui miſſæ cum eo intererant, quiſquam captus fuit, aut grauiter vulneratus, ſed nec corruit vnus ſolus. Rex Angliæ rebellione Scotorum apud Rokesburgiam in Scotia ex edicto publico in feſto Pẽtecoſtes exercitum adunauit, progredienſq; paruis dietis totam terram vſq; Cateneſiam, quę eſt in vltimis Scotiæ finibus perluſtrauit, nemine aperti prœlii copiam faciente. Videntes itaq; Scoti ſe non poſſe reſiſtere, miſſis nunciis petiuerunt humiliter à rege ad pacem ſuam recipi, & vt permitteret eis dato precio ab his quibus per eum collatæ erant redimerent terras ſuas. Acquieuit rex eorum precibus, & rediens caſtrum de Striuelyn, q; Scoti occupauerant, & contra regem defendebant (cuius expugnatio in progrediendo gratis erat omiſſa, per ſuos obſedit. Ipſe vero non lõge à loco eodem apud Dunfermlyn hyemauit. Hoc anno circa feſtum Sancti Iohannis Baptiſtę milites quidam in pręſentia Cleri & populi Pariſius congregati, Papæ Bonifacio multa impoſuerunt enormia, puta hæreſim, ſimoniam & homicidia, propter quæ per regem Francię appellatum eſt contra eum, ad illum cuius intereſt, donec conuocato conſilio ſe à criminibus purgaret obiectis. Circa feſtum natiuitatis beatę virginis, videl. in vigilia natiuitatis eiuſdem venit ſummo mane magnus exercitus hominum armatorum miſſus ex parte regis Franciæ & Cardinalium Columnenſium damnatorum repente ad portas ciuitatis Anagum, in quam Papa confugerat pro tutela, quia ibidem natus fuerat. Inuenientes igitur portas apertas ingreſſi ſunt ciuitatem, & mox dederunt inſultum Palaciis domini Papæ, & Marchionis nepotis Papæ, & trium Cardinalium. Communitas vero villæ comperto quod Scaira frater Columpnenſium Cardinalium, & Wilhelmus de Longareto ſeneſcallus regis Francię adueniſſent ea conſpiratione, vt Papam deponerent vel necarent, ſtatim pulſata communi campana, & tractatu habito, in communi elegerunt ſibi capitaneum quendam Adnulphum, vnum ex maioribus dominis de Campana per quem inſtanti negotio regerentur. Qui quidem Adnulphus illis ignorantibus, domini Papę extitit capitalis inimicus. Interim domini Papę aduerſarii eius Palatio & Marchionis nepotis ſui triumq; Cardinalium acerrimos dederũt inſultus. Sed familiaribus domini Papæ & Marchionis viriliter ſe defendentibus illorum palacia inuadere nequiuerunt. Trium tamen Cardinalium palatia qui reputabantur ſpecialiter amici Papæ, per vim & potentiam ſunt ingreſſi, & omnia bona ibidem reperta diripuerunt & aſportauerunt. Ipſi vero Cardinales à tergo per latrinam vix euaſerunt. Interea ſuperuenit dominus Adnulphus villæ capitaneus adducens ſecum dominum Reginaldum de Supine, qui habuit in Campania magnum dominiũ, & erat Papæ capitalis aduerſarius, cum quo etiam venerunt filii domini Iohannis de Chitan, quorum patrem Papa tunc in carcere detinebat. Cumq; dictus Capitaneus cum ſuis ſociis ſupradictis veniſſet ad Schairam de Columpna, & eius exercitum, ſtatim cum omni populo quem ducebat, coniunxit ſe eidem. Et communibus votis, irruerunt tantum in Papam & nepotem ſuum, quod diu vt putabatur eis reſiſtere non valerent. Ob quam cauſam dominus Papa timens ſibi, treugas petiit à Schaira, quas ſibi conceſſit & nepoti ſuo, vſq; ad horã nonam dictæ diei, quæ videlicet treugæ captæ fuerant hora prima. Durante treuga Papa miſit ſecrete ad populum Anagum ſupplicans vt ſaluarent vitam ſuam, promittens, quod ſi hoc facerent, quod ipſos in tantum locupletaret, quod omnes ſuo perpetuo merito gaudere deberent. Populus vero ſe excuſauit, dicens ſe nil poſſe iuuare in hac parte, præſertim cum tota poteſtas villæ capitaneum ſequeretur. Tunc Papa ſupplicauit Schairæ, vt ſignificaret articulos, in quibus fuerat iniuriatum ſibi & ſuis fratribus, & ipſe paratus eſſet ſecundum conſilium Cardinaliũ facere reſtitutionẽ ſibi. Schaira vero reſpondit quod non permitteret Pa-

Rex Angliæ Scotiam peruadit armata manu.

Rex in Scotia hyemauit.

Papa hæreſis ſimoniæ & homicidii accuſatur.

Rex Franciæ appellat à Papa.

Papa obſidetur.

Cardinales fugiunt.

Papa pacis conditiones flagitat. Conditiones pacis.

pam viuere, niſi duos Cardinales fratres ſuos plene reſtitueret, ſcilicet Petrum & Iacobum de Columpna, quos prius damnauerat, ad temporalia & ſpiritualia, & non ſolum illos reſtitueret, ſed & omnes de eorum ſanguine vel parentela. Et quod idem Papa poſt huiuſmodi reſtitutionem renunciaret papatui. Et quod poſtmodum corpus eius eſſet ad voluntatem ipſius Schairæ. His auditis ingemuit Papa, & ait, Heu me, durus eſt hic ſermo: cumque concordari non poſſent, & aduenisſet hora diei nona, iterum Schaira cum exercitu dedit inſultum Papę & nepoti ſuo: at ipſi ſe viriliter defendebant, tandem videntes aduerſarii quod principalis Eccleſia Anagum, quæ erat de Sancta Maria, eſſet eis impedimento quo minus poterant accingere pro votis Palatium Papæ, appoſuerunt ignem ad oſtium Eccleſiæ ſupradictæ. Itaque valuis eccleſiæ combuſtis, totaliter ingreſſi ſunt eccleſiam homines Schairæ, & deſpoliauerunt omnes Clericos & laicos mercenarios, habentes cultellos ibidem & alia mercimonia ad vendendum, ita quod non dimiſerunt valorem quadrantis ex omnibus quæ apprehendere potuerunt.

Marchio Papæ nepos ſe dedit. Papa capitur.

Tandem Marchio nepos Papę perpendens quod ſe vlterius non poſſet defendere, reddidit ſe dicto Schairæ & capitaneo memorato, ea conditione, vt vitam ipſius & filii ſui ſaluarent ſeruientiumque ſuorum. Quibus auditis Papa fleuit amare. Poſt hęc ruptis oſtiis & feneſtris Palatii Papę, & pluribus locis igne ſuppoſito, per vim ad Papam exercitus eſt ingreſſus. Quem tunc permulti verbis contumelioſis ſunt aggreſſi, minę etiam ei à pluribus ſunt illatę. Sed Papa nulli reſpondit.

Papa emori potius vult quam Papatui cedere.

Enimuero cum ad rationem poſitus eſſet, an vellet renunciare papatui: conſtanter reſpondit nõ, immo citius vellet perdere caput ſuum, dicens in ſuo vulgari, *Et le col, & le cape*, quod eſt dicere: Ecce collum, ecce caput. Et ſtatim proteſtatus eſt coram omnibus, quod Papatui nunquã renunciaret, quamdiu poſſet habere vitam. Schaira vero voluit libẽter interfeciſſe Papam, ſed per quoſdam fuit prohibitus, ita quod Papa malum in corpore non recepit. Attamen oſtiariis Papę fugatis, & quibuſdam interfectis, eiectiſque tam maioribus quã minoribus de ſua familia, deputati ſunt cuſtodes Papę per Schairam, & Capitaneum dominus Reginaldus de Suppine, & multi alii cum eodem. Acta ſunt hæc in vigilia natiuitatis Sanctę Marię, ſeptima hora diei. Exercitus vero poſtquam irrupit palatium, mox deſpoliauit Papam, & eius cameram atque theſauriam ſuam, & aſportauit veſtimenta cum ornamentis & aurum atque argentum cum omnibus aliis rebus inuentis ibidem.

Infinita pecunia.

Et reuera creditur, quod omnes reges mundi non poſſent tantum de theſauro reddere infra vnum annum, quantum fuit de Papali palatio aſportatum, & de palatiis trium Cardinalium & Marchionis. Remanſit autem Papa & nepotes ſui ſub cuſtodia militum & cuſtodum Schairę vſque in diem tertiam. Medio tempore Schaira tractauit cum ſuis quomodo Papam morti traderet, vel mitteret ad regem Francię corpus eius.

Papa liberatur.

Sed populus Anagum hoc comperiens, facta conuocatione ſecreta ignorantibus capitaneo & Schaira, quaſi ad decem millia hominum concurrunt ad Palatium vbi Papa ſeruabatur in cuſtodia, & expulſis atque peremptis cuſtodibus, ingreſſi ſunt, & deliberauerunt Papam & nepotes eius, habituri eorum cuſtodiam penes ſe.

Papa ignominioſe tractatus.

Sed ante hæc omnia ſciendum, quod cum primo Schaira & capitaneus cum Seneſchallo regis Franciæ comprehendiſſent Papam, in equum poſuerunt effrenem ad caudam verſa facie, & ſic diſcurrere fere vſque ad nouiſſimum halitum coegerunt, & tandem pene fame necauerunt, donec eum populus Anagum (vt præmittitur) liberaſſet. Schaira vero propter id offenſis villæ communibus cum exercitu de villa receſſit. Tunc populus fecit Papam deportari in magnam Plateam, vbi Papa lachrymando populo prædicauit, inter omnia gratias agens Deo & populo Anagum de vita ſua.

Oratio Papæ.

Tandẽ in fine ſermonis dixit: Boni homines & mulieres, conſtat vobis qualiter inimici mei venerunt & abſtulerunt omnia bona mea, & non tantum mea, ſed & omnia bona Eccleſiæ, & me ita pauperem ſicut Iob fuerat dimiſerunt. Propter quod dico vobis veraciter, quod nihil habeo ad comedendum vel bibendum, & ieiunus remanſi vſq; ad præſens.

Cibum ieiunus emendicat.

Et ſi ſit aliqua bona mulier quæ me velit de ſua iuuare eleemoſina in pane vel vino, & ſi vinum non habuerit, de aqua permodica, dabo ei benedictionem Dei & meã, & omnes qui quicquam portauerint quantulumcunq; modicum in meã ſubuentionem, abſoluo ab omnibus peccatis ſuis. Tunc omnes hęc audientes ex ore Papæ, clamabant, Viuas Pater ſancte.

Mulieres eum cibo reficiunt.

Et mox cerneres mulieres currere certatim ad palatium, ad offerendum ſibi panem, vinum, vel aquam, in tantum, quod ſtatim camera Papę victualibus repleta fuit. Et cum nõ inuenirentur vaſa ad capiendum allata, fundebant vinum & aquã in area cameræ Papæ in maxima quantitate. Et tunc potuit

quiſque

Digitized by Google

quiſque ingredi & cum Papa loqui ſicut cum alio paupere qui volebat. Tunc Papa exiens, abſoluit omnes exiſtentes in ciuitate ab omnibus peccatis eorum generaliter, præter deſpoliatores Eccleſiæ Romanæ. Spoliatores etiam Cardinaliũ, & aliorum de curia non abſoluebat, niſi bona huiuſmodi infra triduum reportarent. Veruntamen Papa remiſit expreſſe omnibus qui bona ſua aſportauerant, dum tamen illa bona de theſauro Eccleſiæ non fuerunt, & ſtatim proteſtatus eſt coram omnibus, quod voluit habere pacem cum Columpnienſibus Cardinalibus & ſuis alijs inimicis, & paratus erat ipſos reſtituere ad temporalia & ſpiritualia Cardinales, & hoc fecit proclamari per villam. Interea reportata fuerunt bona illius quædam, ſed non omnia prius ablata. His itaque geſtis, Papa ſubito & inopinate receſſit de villa Anagum, progrediens verſus Romam cum maxima multitudine armatorum. Et cum perueniſſet ad Sanctum Petrum, ex timore quem conceperat quando captus fuit, & mœrore rerum inæſtimabilium perditarum, & fame quam contraxerat ſub cuſtodia aduerſariorum ſuorum cito deficit, & ſic completa eſt in eo prophetia prædeceſſoris ſui qui dixit: *Aſcendiſti vt vulpes, regnabis vt Leo, morieris vt Canis.* Succeſſit ei à Cardinalib. mox electus, Benedictus vndecimus, Lumbardus natione, quem Papa Bonifacius de ordine Fratrum Prædicatorum, cuius magiſter erat, aſſumptum fecerat Epiſcopum Oſtienſem. De iſto Benedicto quidam ſic ait, *A re nomen habe, benedic, benefac, Benedicte. Aut rem peruerte, maledic, malefac, maledicte.* Columpnienſes mortuo Papa Bonifacio, de ſuis egreſſi latibulis ad Papam Benedictum venerunt, miſericordiam implorantes. Quos ille benigne ſuſcipiens abſoluit, ac bonorum ſuorum tribuit facultatem. Sed eos ad gradum Cardinalatus tam ſubito reſtituere non decreuit. Papa Benedictus per hoc tempus fratrem Nicholaum de Prato Epiſcopum Spoletanum ad Cardinalatum aſſumens, fecit Epiſcopum Oſtienſem, fratrem etiam Wilhelmum de Makeleſfield, doctorem ſacræ Theologię, ordinis prędicatorum, natione Anglicum, diœceſis Couentrenſis, tituli ſanctæ Sabinæ fecit presbyterum Cardinalem. Qui antequam ad eum rumor perueniret in fata conceſſit. Cuius morte cognita, Papa fratrem Walterum Wynterborne ſimiliter ordinis prędicatorum regis Angliæ confeſſorem Sariſburenſis diœceſ. ad eundem titulum Cardinalatus promouit.

Papa famelicus famelicis. — *Papa moritur vt canis.* — *Cœleſtini prophetia impleta.* — *Benedictus eligitur in Papam.* — *Diſtichon.* — *Duo Angli Cardinales facti.*

Tranſit annus iſte durus diuitibus, pauperibus penurioſus, Papæ curięque Romanæ probroſus, propter malam captionem Papę, incarcerationem & mortem conſequenter. Sed tamen in hoc etiam conſolari potuit, quia nullus eorum qui eius captioni interfuit, vel facinori tanto cõſenſerit, iudicium vltionis euaſit. Nam quidam inſanabili acti ſunt furia, quidam & pręcipue qui manus iniecerunt Chriſti vicario, manus proprias comederunt. Regis etiam Franciæ conſanguinitas & cognatio tacta eſt vſq; in generationem ſeptimam igne ſacro. Annus iſte commoditate famoſus fuit: Flandrenſibus & Francis infamis: Scotis durus: Anglicis inquietus.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ milleſimo tricenteſimo quinto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi triceſimus ſecundus, tenuit idem Rex natale apud Dunfermelyn in Scotia, cui interfuit Anglicanus. Tranſacta hyeme Rex ad obſidionem caſtri de Striuelyn accedens perſonaliter diuerſis pręparatis machinis illud fortius impugnauit. Qui vero cuſtodiebant caſtrum illud fortiter defendentes, cum machinis ſuis plurimos occiderunt. Die quadam cum rex caſtrum conſiderando obequitaret, ac quodam loco infra iactum baliſtarum obequitando appropinquaret, iaculum quoddam de caſtro emiſſum ſuperiori eius armaturæ affixum eſt ſine vlla corporis læſione. In quod extractum rex expuens conuerſa ad caſtrum facie, alta voce ei qui illud emiſerat (iaculum oſtendendo) ſuſpendium minabatur. Caſtellani videntes obſidionem ſuper ſe grauari, obtulerunt caſtrum regi, ſaluis vita & membris, ac poſtea ſimpliciter ſe in eius gratia poſuerunt. Sed neutro modo voluit Rex eos admittere, ſed tantum in ea forma, vt pure & ſimpliciter ſe dederent Regiæ voluntati. Quod licet eis primo difficile videretur, tamen cum foſſata conſpicerent terra impleri & lapidibus, ſcalaſque ad tranſcenſionem murorum qui aſſiduis ictibus petrarum conquaſſabantur parari tandem in die Beatæ Margaretæ virginis caſtrum reddentes, ſe regis placito ſubdiderunt. Quorum capitaneum Wilhelmũ Oliſardi militem admodum ſtrenuum & cordatũ, ad turrim Londoniarũ, reliquos vero ad alia caſtra diuerſa trãſmiſit carceribus mancipandos. Edwardus rex ſubacta ad votum Scotia, commiſſaque eius cuſtodia Iohãni de Segraue, in Angliam eſt reuerſus. Cumq; veniſſet Eboracum iuſſit ſeſſionem iuſtitiariorum qui dicuntur, de banco, & Scaccarium, quæ iam ſeptẽnio manſerat Eboraci, Londonias ad antiquum locum transferri. Eo anno obijt

Natale celebratur ad Dunfermelyn in Scotia. — *Rex obſidet caſtrum de Striuelyn.* — *Deditio caſtri Striuelyn.* — *Rex ſubacta Scotia in Angliam reuertitur.*

Iohannes de Warenna Comes Surreyæ & Southſexiæ, cui ſucceſſit nepos eius ex filio, Iohannes nomine, vxorem accipiens neptem regis, & filia Alienora, quam duxit comes Barrenſis. Hoc anno ordinati ſunt iuſticiarii qui de malefactoribus diligenter inquirerent, quantum ad cæteros articulos, & iuxta demerita punirent inuentos.

Iuſticiarii vocati Traybaſton. Rex Franciæ excommunicatione liberatus.

Hii iuſticiarii vocati ſunt ab hominibus popularibus Traybaſton, quod ſonat, *trabe baculum*. Papa Benedictus per idem tempus conſiderans pium eſſe etiam ouem errantem licet inuitam perducere ad ouile, regem Francorum non petentem, à ſententia excõmunicationis per prædeceſſorem ſuum lata in eum abſoluit. Per idem tempus rex Franciæ offenſus abbati Ciſtercienſi, quia in appellationem contra Papam Bonifacium non conſenſerat, omnia monaſteria eiuſdem ordinis in regno Franciæ conſtituta plurimum moleſtauit, propter quod Abbas vltro regimini ordinis ſui ceſſit.

Flandri à Francis fuſi.

Rex Franciæ Philippus hoc anno in manu valida copias fudit Flandrenſium, inter quas cecidit Wilhelmus de Iuliariis, qui eorum capitaneus fuerat conſtitutus. Et non multo poſt reddiderunt ſe regi Francorum duæ villæ Flandriæ nobiles Inſulaci & Duacum.

Obiit Benedictus papa.

Hoc anno die nonarum Iulii moritur Papa Benedictus Peruſii. Poſt cuius obitum cum Cardinales in electione ſummi Pontificis diſſiderent, à ciuibus ſecundum conſtitutionem Gregorii decimi includuntur.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte frugum vel fructuũ fertilitate, nec inops nec abundus, Romanis lugubris propter diſſentionem Cardinalium in electione Papæ: Francis & Anglicis propter ſubactos aduerſarios glorioſus: Scotis & Flandrenſibus nimis odibilis propter regibus datam victoriam de eiſdem.

CAPTIO ET MORS W. WALEYS.

Natale celebratum Londini.

ANNO gratiæ milleſimo tricenteſimo ſexto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu primi triceſimus tertius, fuit idem rex ad natale Londoniis cũ regina multiſq; proceribus regni ſui. Hoc anno Wilhelmus Waleys qui Scotiam frequenter commouerat, per milites regis in Scotia captus eſt, & Londonias vſque ductus, vbi iudicialiter condemnatus, trahitur, ſuſpenditur, & vltimo decollatur. Cuius caput Londoniis in loco eminenti figitur ſuper palum, corpus vero in Scotiam tranſmiſſum eſt in quartas, quæ ad aliorum terrorem in diuerſis vrbibus ſuſpenduntur.

Wilhelmus Waleys vnde ortus.

Hic ex infima gente procreatus, proceſſu temporis factus eſt vir ſagittarius, illius artis peritia quæritans victum ſuum. Cumque ſemel & ſecundo ſuam fortitudinem pariter & audaciam expertus fuiſſet, altiora appetens, petiuit à Scotis licentiam vt poſſit Anglicos infeſtare, promittens ſe totam Angliam conquiſituram, & Scotos victores vſque Londonias producturum. Scotis vero cito ſibi conſentientibus & ipſum eorum ducem conſtituentibus, militiæ donatus eſt cingulo à quodam Comite regionis illius. Inde cæpit peruagari prouincias vſque Northumbriam, maximum tumultum concitando, villas & agros depopulando, prædas agendo, & magnam partem patriæ incendio deuaſtando. Videntes ergo Scoti viam ſuam proſperari, confluebant ad eum in multitudine vix numerabili, non ſolum iuuenes, ſed etiam ipſi ſenes, ita vt in breui tantum conflarit exercitum quanto nullus princeps iuxta Scotorum opinionem reſiſtere prævaleret. Igitur de tanta multitudine gloriabundus, cõcepit audaciã præſumptibilem dominum ſuum regem Angliæ inquietandi, ſed quæ merces pro demeritis ſibi prouenerit, ſuperius ſatis claret.

Clemens quintus papa.

Circa dies iſtos Bertrandus Burdegalenſis Archiepiſcopus, natione Vaſco, in Papam eſt electus, & Clemens quintus dictus eſt: Qui menſe Octobri Lugduni, conuenientibus illuc Cardinalibus, regeque Francorum Philippo ſuam præſentiam exhibente, papali diademate coronatur. Qui dum coronatus ad Eccleſiam beati Martini equitando duceretur, murus quidam à latere, (in quẽ multi ſpectaturi quæ gerebãtur aſcenderant) corruens multos oppreſſit, inter quos erat dux Britanniæ, vir ſenex & diſcretione inſignis.

Dux Britanniæ muri ruina oppreſſus.

Flandrenſes ab Anglia expulſi.

Idem Papa ante natale vnam ordinationem faciens, creauit duodecim Cardinales, inter quos de ordine fratrum Prędicatorum frater Thomas de Iozi, doctor ſacræ theologiæ, natione Anglicus, titulus Sanctę Sabinę, factus eſt presbyter Cardinalis. Hoc anno miſit rex Franciæ ad regem Angliæ, rogans eum vt Flandrenſes ab Anglia expelleret, ſicut ipſe ad ſuam inſtantiam Scotos à Francia eiecerat paulo ante, cuius rex precibus acquieſcens Flandrenſes omnes de Anglia exbanniauit.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte fructum faciens, frugeſque producens, Francis & Anglicis otioſus, Flandrenſibus odibilis atque Scotis. Hoc anno Antonius Dunelmenſis Epiſcopus donante Papa Clemente fit Patriarcha Ieroſolymitanus.

Anno

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſeptimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à cõqueſtu primi triceſimus quartus, tenuit rex natale Londoniis. Circa quod tempus, videlicet quarto Calendas Februarii, Robertus de Brus aſpirans ad regnum Scotiæ, nobilem virum Iohannem Comyn, quia ſuæ proditioſæ factioni aſſentire noluit, apud villam de Dunfres, in cuius caſtro iuſtitiarii Regis Angliæ tunc ſedebant, in eccleſia fratrum Minorum ſacrilegus interfecit. In feſto vero Annuntiationis beatæ Virginis in Abbathia Canonicorum regularium de Scone ſe fecit in Regem ſolemniter coronari. Vxor Comitis de Bowan, à marito ſuo tunc furtiue diſceſſit, omnes equos eius magnos ſecum adducens, & properans vſque Scone, vt diadema imponeret capiti noui Regis, quia frater eius Comes de Fif, ad quem iure hereditario ſpectat hoc officium, tunc abſens in Anglia morabatur. Hanc autem comitiſſam eodem anno captam ab Anglicis, cum quidam perimere voluiſſent, non permiſit Rex. Sed in domuncula quadam lignea ſuper murum caſtri Berewici poſita eſt, vt poſſent eam conſpicere tranſeuntes.

Natale celebratur Londini.

Robertus de Brus homicida Rex Scotiæ coronatur.

In feſto Pentecoſtes, Edwardus filius Regis Angliæ, cum numeroſa ſocietate iuuenum nobilium Londoniis à patre militaribus armis cinctus eſt. Qui exinde cum tyronum multitudine Scotiam continuatis dictis contendit, ad reprimendum conatus Roberti de Brus inuaſoris regiæ dignitatis: præceſſerant vero eum Aymericus de Valentiis, comes Pembrochiæ, Robertus de Cliffordc, & Henricus de Percye, miſſi à Rege cum manu armata, ad nouis motibus reſiſtendum. Ipſe vero Rex lento gradu ſecutus conuocauerat exercitum, quem apud Carleolum iuſſit eſſe paratum in quindena ſancti Iohannis Baptiſtæ in occurſum filii ſui, cum eodem vlterius progreſſurum. Interim Robertus de Brus circumiens terram & homagia multorum recipiens, coadunato exercitu copioſo, appropinquauit villæ ſancti Iohannis, in cuius præſidium nuper aduenerat Aymericus de Valentiis ſupra dictus. Equites autem Scotorum omnes lineis ſuper arma ſua, ne diſcernerentur, induti erant ex iuſſu Principis ſui noui. Miſit ergo Robertus de Brus inuitans Aymericum ad congreſſum. Qui reſpondit, quod cum eo non die illo, ſed in craſtino dimicaret. Igitur ſubtrahente ſe Roberto cum ſuis ad ſpatium vnius milliarii, & reficere ſe volente, appropinquante hora veſpertina Aymericus cum ſuis armatis egreditur: & ſubito ſuperueniens Scotos, multos interemit inermes. Cui cum aliquantulum Robertus, cæterique qui ſe cum celeritate armauerant, reſtitiſſent, tandem præualentibus Anglicis fugere ſunt coacti. Quos inſecutus Aymericus cum ſuis vſque in inſulam de Kentyr, caſtrum illius loci putans Robertum ſe recepiſſe, in eo obſedit. Expugnato tamen caſtro, non eum inuenit, quia fugerat ad extremas inſulas regionis, ſed vxorem ac fratrem ſuum Nigellum ibi cepit, cum quibuſdam aliis, quos omnes vſque Berwicum fecit deduci. Non multo poſt captus eſt comes de Athel, qui de caſtro fugerat antedicto. Circa feſtum ſancti Michaelis reuerſus eſt Robertus de Brus vſque Keyntyr, & Henrico de Percye in propinquo exiſtenti ſuperueniens, quoſdam de familia eius occidit: equoſque dextrarios & alia ſpolia multa cepit. Ipſumque Henricum in caſtro loci eiuſdem obſedit, quouſque robore exercitus à Rege miſſo obſidionem dimittere cogeretur. Interea Rex apud Lauercoſte iuxta Carleolum commorans, miſit Berewicum iuſtitiarios, quorum iudicio Nigellus de Brus, & qui cum eo capti fuerant, tracti ſunt & ſuſpenſi, & vltimo decollati: vxorem vero Roberti de Brus Rex tranſmiſit in Angliam, iubens eam iuxta ſtatum ſuum decenter tractari. Comitem vero de Athel iam ſecundo contra fidelitatem ſuam Regi rebellantem, miſit Londonias, vbi ad tempus tentus ſub cuſtodia, tandem proditionis ſuæ meritas pœnas luit. Poſt hæc captum eſt caſtrum de Lochdor, in quo inuentus eſt Christoferus de Scotun, ſororius Roberti de Brus, quem cum non Scotus eſſet, ſed Anglicus, iuſſit rex deduci vſq; Dunfres, vbi quendam militem de parte regis occiderat. Ibique iudicium ſubire coactus, tractus & ſuſpenſus eſt, & vltimo decollatus: vxorem vero Christoferi, & filiam Roberti de Brus in diuerſis monialium monaſteriis collocauit. Epiſcopos vero Glaſcuenſem & ſancti Andreæ, Abbatemque de Scone, cum eodem anno capti eſſent, miſit in Angliam ad diuerſa caſtra ſub cuſtodia detinendos. Hoc anno Clemens Papa curiam tranſtulit de Lugduno in Burdegalam, vbi Epiſcopum Pictauenſem, qui ſibi (dum Archiepiſcopus fuerat) aduerſabatur, à pontificali depoſuit dignitate. Primatum etiam Aquitaniæ de Bituricenſi tranſtulit ad eccleſiam Burdegalenſem. Per idem tempus rex Angliæ Robertum Cantuarienſem apud dominum Papam accuſauit, ſuper eo, quod pacem regni ſui perturbauit, ſibique rebel-

Edward. filius regis Scotiã proficiſcitur.

Scoti in fugam acti.

Henricus de Percye fugatur.

Supplicium de perduellibus.

Robertus Winchelſey accuſatur à rege.

rebellantes defendit & fouit. Propter quæ vocatus eſt Archiepiſcopus ad curiam, & ab executione officii ſuſpenſus, quouſque de ſibi impoſitis legitime ſe purgaret: obtinuitque Rex à domino Papa abſolutionem à iuramento, quod inuitus præſtiterat ſuper obſeruantia libertatum alias à Comitibus & Baronibus exactarum, vſus conſuetudine & cautela paterna, qui, quotiens inſtabat neceſſitas, de facile iurare voluit, ſe ſatisfacturum votis ſuorum, & eadem facilitate voluit reſilire, quotiens ſibi tempus commodior arrideret, prætendens ſemper papalem abſolutionem à præſtito iuramento.

Abſolutio papalis cauſa periurii.

Rex Franciæ Bonifacii Papæ oſſa exurere voluit.

Rex Franciæ per hoc tempus petiit per ſuos nuntios à domino Papa oſſa prædeceſſoris ſui Bonifacii, ad comburendum tanquam hæretici, inſtantia importuna. Petiit etiam ſanctorum cathalogo aſcribi fratrem Petrum de Murrone, qui quondam fuit Papa, dictus Celeſtinus quintus. Hoc anno Rex Angliæ Petrum de Gauerſton apud ſe à diuerſis accuſatum, regnum Angliæ abiurare coegit. Ad annuntiationem dominicam aderat Rex Edwardus cum magnatibus apud Weſtmonaſterium, acturus Deo gratias & beato Edwardo, pro triumpho de Scotis potito, compaſſuſq; ſuper iniuſta carceratione Monachorum Weſtmonaſterium, iuſſit mox fieri liberationem ipſorum: ſed ſuperabundante peruerſorum iudicum malitia prolongantium iniquitatem ſuam vltra præceptum Regis, retinuerunt per octo dies monachos in priſona, quo audito, præcepit Rex iuſtitiariis, vt omiſſis cęteris curis incarcerati monachi eorum abbati continuo redderentur. Eodem anno quidam hęreticus apoſtata ſurrexit in Venetia, nomine Doncinus, qui plurima contra fidem prædicauit, & inter cætera finẽ mundi infra trienniũ nũc inſtare fallaciter vt veraciter pdicauit, qui multos ſibi congregauit. Aſſeruit etiam hominem quemuis cum quauis muliere commiſcere non eſſe peccatum, & mulierem renuentem cuiuſque hominis amplexum, dignam ignibus concremari, qui non ita multo poſt captus, & ignibus eſt combuſtus. Tranſit annus iſte ſimilis multis annis præcedentibus, in frugum fructuumq; procreatione, qui non ſolum neſciebant abundare, ſed nec ad ſatietatem omnium fructum ferre: fuit etiam quietus Gallicis: ſed inquietus Anglicis atq; Scotis.

Monachi Weſtmonaſt. carcere liberati.

Hæreticus exortus Venetiis.

Annalis concluſio.

Natale celebratur Carleoli.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo octauo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi triceſimus quintus & vltimus, fuit idem rex ad natale apud Carleolum, cum magna multitudine populi Anglicani. In octauis ſancti Hilarii rex parliamentum habuit Carleoli, in quo per maiores graues depoſitæ ſunt querimoniæ de oppreſſionibus Eccleſiarum & monaſteriorum multiplicibus, & extortionibus pecuniarum per Clericum domini Papæ magiſtrum Wilhelmum Teſta nouiter in regno inductum. Præceptumque eſt eidem Clerico de aſſenſu Comitum & Baronum, ne de cętero talia exequatur. Ordinatum fuit etiam, quod pro remedio ſuper his obtinendo, ad dominum Papam nuntii mitterentur. In eodem parliamento edita ſunt ſtatuta quædam religioſos tangentia, qui domos ſuas principales in alio regno habebant. Ad iſtud parliamentum venit tranſmiſſus per dominum Papam Cardinalis quidam Petrus Hiſpanus dictus, pro matrimonio inter filium Regis Angliæ, & filiam Regis Franciæ, ſecundum quod à Papa Bonifacio, tanquam mediatore pacis ordinatum fuerat conſummando. Cui per Regem reſponſum eſt, paratum ſe fore implere quæ ordinata ſunt, dummodo Rex Francorum velit ex parte ſua, quæ ad ipſum pertinent, adimplere. Dederat enim Rex Franciæ, dum Waſconiam tenuerat, caſtrum, quod Malleonis dicitur, cuidã militi, qui illud adhuc detinebat, nec ad mandatum Regis Francię illud curabat reſtituere, ob quam cauſam fertur illud matrimonium hactenus fuiſſe dilatum. Rediit itaque Cardinalis Londonias, vbi ſuper his certitudinem expectaret. Interim Robertus de Brus terram circumiens, multos ſibi rebelles peremit, miſitque cum parte exercitus duos fratres ſuos, Thomam militem, & Alexandrum clericum, ad aliam partem terræ, vt homines terræ ad ſe allicerent blanditiis atque minis. Qui Anglicis ſuperuenientibus capti ſunt, & ducti ad iuſtitiarios, ac condemnati, primo tracti, ac poſtea ſunt ſuſpenſi. Tempore huius Regis fratres, qui dicuntur minores, ſeu, quod latius publicatur, & nequius comprobatur, totius Eccleſiæ exploratores, ad illicita legis ſuæ aſpirantes, obtulerunt ſummo Pontifici quadraginta millia de florenis aureis, & pecuniam multam nimis, pro terris, prædiis, redditibuſque licite obtinendis. Quibus Papa, vbi eſt (inquit) illa veſtra pecunia? At illi dixerunt, in manibus mercatorum: Et datis fratribus induciis trium dierum reſponſionis habendæ, abſolutis mercatoribus à depoſiti cuſtodia, præcepit Papa ſub interminatione anathematis, pecuniam ipſam eius neceſſitatibus cuſtodiri. Reſpon-

Papa per legati nuptias cõcilibat. Nuptiæ hæ celebratæ ſunt 25. die Ianuarii, 1307. apud Bolonam iuxta mare.

Papa fratres minores grande pecuniarum ſummam emungit.

ditque

ditque fratribus regulam ſancti Franciſci canonizatam ſe nolle ſenſu aliquo violare, nec fratres ab eo aliquando declinare, ſed ſecundum eam degere ſemper debere. Sicque factum eſt, vt quod iniuſtius acquiſierant æquiſſime amiſerunt. Eodem anno ventus vehemens & damnoſus proſtrauit arbores, ædificia & campanilia multa, in regno Angliæ per diuerſa loca. Eius quoque tempore Rex Tartarorum, & Rex Armeniæ, & Rex Georgianorum, congregato exercitu, qui fuerunt decies centena millia, & quadraginta millia in equis, inuocato contra Sarracenos Chriſti adiutorio dimicarunt. Et cæſa ſunt apud Halapiam, Alachemala, & Gataram, & Damaſcum ex Saracenis pluſquam ducenta & quadraginta millia, in vltionem ſanguinis Chriſtianorum, effuſi apud Acon, Tripolim, & cetera loca ſancta. Horum Tartarorum conuerſionis, vt fertur extitit iſta cauſa: Frater magni Regis Tartarorum, Caſſiam (cum eſſet Paganus) adamauit, filiam Regis Armeniæ Chriſtianam, quam à patre petiit in coniugem ſibi dari. Rex autem Armeniæ noluit acquieſcere, niſi fieret Chriſtianus. At ille præualens viribus & potentia, ſibi intulit minas belli: tandem Rex accepto conſilio, quod meliores ſunt nuptiæ quam pugnæ, annuit poſtulatis. Deinde ſuſcitata prole maſculini ſexus inter eos, inuentus eſt hiſpidus & piloſus velut vrſus. Quo patri oblato dixit non eſſe ſuum, quemque iuſſit ſtatim igne cremari, mater vero contradicens, petiit ſibi dari infantem, quo accepto iuſſit eum baptizari, & ſtatim poſt trinam immerſionem in ſacro fonte cecidit omnis piloſitas de infante, & apparuit lenis & pulcherrimus puerorum. Hoc viſo, credidit pater & domus tota. Poſt Paſcha Robertus de Brus, aucto iam ſuo exercitu, congreſſus cum Aymero de Valentiis ipſum compulit in fugam, paucis de his, qui erant cum eo peremptis. Infra triduum etiam ſequens fugauit Comitem Glouerniæ, multiſque hinc inde occiſis ipſum obſedit in caſtro de Are, quouſque per exercitum à rege miſſum fuit obſidio diſſoluta. Ex tunc autem inſequentibus eum Anglicis fugit ad loca paluſtria & nemoroſa, in quibus latibula quæritantem comprehendere minime potuerunt.

Ventus vehemens.

Saracenorum ſtrages per Tartaros.

Ratio conuerſionis Tartarorum ad fidem.

Robertus de Brus Anglos fugat.

Hoc anno cum placeret fratribus de Weſtmonaſt. transferre Sebertum regem de veteri Eccleſia in ſuam nouam baſilicam, qui primo de regibus Anglorum ibidem in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis fundauit Eccleſiam, & cum deuotionis ardore eius aperuiſſent ſepulchrum, inuenerunt manum eius dexteram integram in carne, cute, vnguibus, & oſſibus compactis vſque ad medium brachii, qui iacuerat ibi per annos circiter ſeptingentos. Tunc Rex Edwardus miſſis per Angliam nuntiis, præcepit ſub graui pœna, vt omnes, qui ei debebant ſeruitium, parati eſſent apud Carleolum infra tres ſeptimanas poſt feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ. Interea Rex grandæuus vexari cœpit diſſenteria, & quia iam deſperabat de vita diuturna, miſit ad filium, vt maturaret audire patris extrema colloquia. Quem inter cætera miſericordem fore monebat, & iuſtum & affabilẽ vniuerſis, conſtantem in dictis & factis, familiarem bonis, & præcipue miſeris miſericordiam impartiri. Deinde præcepit, ne poſt mortem ſuam feſtinaret ad coronam Angliæ ſuſcipiendam, donec paternas iniurias in Scotos honorifice vindicaſſet, ſed moraretur in partibus, & aſſumeret ſecum oſſa paterna in aliquo vaſe recluſa, quæ ſecum faceret deportari, donec totam Scotiam peragraſſet, & omnes ſuperaſſet aduerſarios vel cepiſſet. Quoniam (inquit) nullus te poterit ſuperare, dum oſſa mea tecum feceris deportari. Præcepit etiam, vt fratres ſuos, Thomam & Edmundum diligeret & foueret, quorum vni, Thomæ videlicet, dederat comitatum Cornubiæ, Edmundo vero comitatum Mareſchalli. Præterea, monuit vt matrem ſuam Margaretam reginam, tanquam bonus filius coleret, & amaret: iuſſit etiam ſub interminatione maledictionis ſuæ, ne Petrum de Gauerſton communi decreto exiliatum ſine communi fauore præſumeret reuocare. Intimauit ei quoque, quod crucem ſuſcepiſſet pro negotio terræ ſanctæ, quam propoſuit perſonaliter adiuiſſe, ſed turbatus per molitiones Roberti de Brus nouas & varias, impeditus fuit à propoſito, & bellum in Scotiam transferre coactus eſt, omiſſo negotio memorato. Triginta (inquit) & duo millia librarum argenti præparaui ad exhibendum ſepties viginti milites honorifice in terra ſancta cum ſua familia, quia mihi non datur votum perficere in perſona propria, qui cor meum illuc deferent & reponent. Quod cum ſecum deportauerint, ſpero in Deo meo, omnia illis proſpera ſucceſſura. Præcipio, ait, igitur, diſtricte ſub pœna maledictionis paternæ, ne dicta pecunia in alios vſus expendatur. Sed filius regis patre defuncto nihil horum complere voluit, ſed guerras Scotiæ mox deſeruit, &

Tranſlatio Seberti Regis.

Hortatio regis ad filium.

Rex laborat diſſenteria.

Edwardus Rex ſua oſſa per Scotiam deportata hoſtes fugare poſſe exiſtimabat.

Filius immemor regis patris mandata negligit.

regnare

regnare feſtinauit. Petrum de Gauerſton contra ſuorum voluntatem procerum reuocauit, quem militem mox creauit, & totam pecuniam, quam pater ordinauerat ad ſuccurſum terræ ſanctæ prodigaliter ſibi donauit. Qui proinde in tantam ſuperbiam eſt euectus, vt deſpiceret terræ magnates, publice vocando Thomam Lancaſtriæ comitem hiſtrionem, Eymerum de Valentia Penbrochiæ comitem, Ioſeph Iudęum, eo quod pallidus eſſet & longus. Comitem Warwichię Guidonem, eo quod fuſcus eſſet, appellauit, D. de Arderina nigrum canem: ſicque laceſſiuit inſolentiis regni nobiles, donec priuatus capite, docuit ſuo miſerabili fine nobiles milites nõ laceſſendos. Sed hæc in ſequentibus videbit lector plenius ſuo loco: vltiones variæ, quæ contigerunt Edwardo pro contemptu monitionum paternarum. Edwardus vero, quia patris neglexit monita, infeliciter regnauit, poſtea iugiter ipſum & Barones ſuſcitata diſcordia, continua perſeuerante cariſtia, & præcipue tribus annis, quibus incolæ moriebantur pro panis inopia, & iumenta peſtilẽtia perierunt. Et quod plus, neſcio, vtrum verecundandum aut formidandum eſt, quondam Scoti ſubditi toto ſuo tempore in bellis mortalibus, in cunctis pene conflictibus, ex Anglicis vbique victoriam reportarunt, tantumque metum incuſſerunt eis, vt viginti non auderent congreſſum expectare trium Scotorum. Ipſe autem Rex turpiter à Scotis victus eſt circa ſeptimum annum regni ſui, nobileſque multi perempti ſunt ab eiſdem. Ad conſilium etiam miſeriarum ſemper ducebatur malo conſilio, donec efferatus in tyrannidem, Thomam Lancaſtriæ Comitem, & plures ex ſuis naturalibus peremiſſet. Tandem poſt infelicem regni non dicimus gubernationem, ſed potius deuaſtationem, turpiter regno deiectus, à ſuis inhumaniter eſt peremptus. Hæc omnia cunctorum opinione ſibi contingentibus, quia iuſſa patris ſpreuit, & maledictionem vetuli parui pendit, quæ cuncta in ſequentibus plenius enarrantur, ſed nunc ad materiam reuertamur. Cum Rex Edwardus præmiſſis monitis, vt præfertur, filium inſtruxiſſet, & de ſua poſtrema

Rex filiũ remittit in Angliam.

voluntate plenius docuiſſet, miſit eum in Angliam, vt ſecundum ea quæ à Rege audiret Franciæ, proficiſceretur ad connubium cum eiuſdem filia contrahendum. Pro qua cauſa parum ante in Angliam miſſus fuerat quidam Cardinalis, dictus Petrus Hiſpanus, vt pacta nuptialia confirmaret. Poſt deceſſum filii cæpit Rex prout ante vexari diſſenteria, mouit nihilominus de Carleolo, quinto nonas Iunii, paruis dietis verſus Scotiam proficiſcens. Pridie vero nonas Iunii venit ad Burgum ſuper Sandes, vbi inualeſcente morbo, die craſtina, ſcilicet feria ſexta, præſenti vitæ valefaciens, dies ſuos in bono, & annos ſuos in Angliam conſummauit. Regnauit autem annis triginta quatuor, menſibus ſeptem, diebus viginti vno, compleuitque ætatis ſuæ annos

Vxores & liberi regis Edvvardi primi.

ſexaginta octo & dies viginti. Duxit autem Rex iſte nobilis duas vxores nobiles, primo videlicet Alienoram ſororem Regis Hiſpaniæ, viuente patre ſuo Henrico illuſtri rege Angliæ, de qua quatuor filios generauit, Iohannem primogenitum, Henricum, Alfonſum, & Edwardum, qui ſibi ſucceſſit in regno, & quinque filias: Alienoram ſcilicet, quam dominus Wilhelmus Comes de Bares cepit in vxorem: Iohannamque de Acres, quæ data eſt Gilberto de Clare Comiti Glouceſtriæ in vxorem, quæ poſt deceſſum Comitis quendam bachalarium nomine dominum Radulphum de Monhermer accepit in maritum inconſulto patre: Margaretam, quæ deſponſata uit D. Iohanni Duci Brabantiæ: Mariamq;, quæ habitũ Sanctimonialiũ accepit apud Ambreſbirie: Et Elizabethã, quã Comes Holandiæ duxit in vxorẽ. Quo mortuo dominus Humfridus de Boun, comes Hetefordiæ, duxit eandẽ. Secũdo duxit Rex præfatus in coniugẽ Margaretam ſorotem Philippi regis Franciæ, de qua genuit duos filios, Thomã dictũ de Brotherton, & Edmundum, & vnã filiã nomine Margaretam.

Hæc ideirco dignum duxi ſcribere, ne poſteris lateat generatio tanti Regis. Fuerat autem in armis ſtrenuus, bellicoſus etiam & victorioſus: totam Angliam de manu Simonis de Montefotti, & eidem adhærentium Comitum & Baronum acquiſiuit.

Victoria.

Walliam de manu Lewlini in ſuos vſus accepit. Aquitaniam quoque de manu Regis Franciæ ſapienter extorſit. Scotiam ſæpius ſubiugauit, ſed ea capta per Robertum le Brus ipſe in lecto mortis iacens, ex magnanimitate cordis iuſſit corpus ſuum ibi remanere inſepultum, & deferri in exercitu, donec tota Scotia eſſet finaliter ſubiugata, de quo quidam ſic ſcripſit:

Dum viguit Rex, & valuit tua magna poteſtas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnauit honeſtas.

Poſt Principis prædicti deceſſum venerabilis pater dominus Petrus Hiſpanus Cardinalis, & Clerus Angliæ, cunctique regni nobiles, qui intereſſe poterant, obuiam

Digitized by Google

niam corpori vndique occurrerunt, ſolemnes proceſſiones, ad quas venerat, per Eccleſias faciendo. Requieuit autem corpus venerabile inhumatum in Eccleſia Canonicorum de Waltham vſque in diem ſepulturæ ſuæ, ſcilicet per ſexdecim ſeptimanas, per quod tempus ex mandato executorum Regis illuc deſtinati ſunt de ſingulis magnis Monaſteriis vicinis in circuitu hebdomadatim, ſex Monachi ſeu Canonici, vel alii religioſi, qui circa corpus vigilias facerent, & exequias ſolemniter continuarent, non ſine grauibus laboribus & expenſis. Nec cuiquam licebat recedere, donec arbitrio executorum licentiatus fuiſſet. Cardinalis autem indulſit veniam vnius anni omnibus dicentibus orationem dominicam cum ſalutatione angelica pro anima dicti Regis. Cumque à feſto tranſlationis ſancti Thomæ martyris vſque ad feſtum Apoſtolorum Simonis & Iudæ iacuiſſet inhumatum corpus regium, tandem ipſo die Apoſtolorum apud Weſtm. eſt ſepultum, patre venerabili Antonio Patriarcha Ieroſolymitano & Dunelmenſi epiſcopo miſſam celebrãte, & extremas exequias faciẽte.

Exequie.

Indulgentia Cardinalis facrilega.

Sepultus Weſtmonaſterii.

DE EDVVARDO POST CONqueſtum ſecundo.

POST mortem toti mundo deflendam Edwardi Regis inuicti ſucceſſit ei filius ſuus Edwardus cognomento de Caerneruan, non tam iure hereditario, quam vnanimi aſſenſu procerũ & magnatum. Non tamen coronatus eſt vſq; ad 12. Cal. Martii, quando vna cum noua cõiuge ſua filia regis Franciæ Iſabella, regale diadema ſuſcepit. Et in die S. Matthiæ Apoſtoli coronantur dominus Edwardus rex Angliæ & domina Iſabella regina apud Weſtmonaſt. ab Epiſcopo Wintonienſi commiſſione Archiepiſcopi Cantuarienſis ſpeciali in finibus tranſmarinis per biennium exceptis ſeptem ſeptimanis exulantis, propter iram domini regis Edwardi nuper defuncti, quã certis de cauſis incurrebat: cui quidẽ coronationi interfuerunt dominus Carolus & dominus Ludouicus de Claro monte, fratres regis Franciæ, dux quoque Brabantiæ, & Comes de Fens, & cæteri magnates vtriuſque Franciæ & Angliæ, & Domicella de Artoys miræ pulchritudinis iuuencula. Eodem anno, dominus rex reddidit Gilberto de Clare terram ſuam, redemptione facta pro tempore minoris ætatis. Sed hoc anno prius octauo Calen. Februarij Edwardus deſponſauit Iſabellam, filiam regis Franciæ, apud Bolon ſuper mare, quibus nuptiis celebrãdis interfuerunt 4. reges, videlicet Philippus rex Franciæ, rex Nauarræ filius regis Franciæ, rex Almaniæ, & rex Ciciliæ, Regina Franciæ Maria, mater Margaretæ reginæ Angliæ, regina Anglię domina Margareta Edwardi primi ſponſa, regina Nauarræ cum copioſa dictorum regnorum multitudine. Nihilominus defuncto patre, fidelitates & homagia à Præclaris proceribuſque ſuſcepit. Sed medio tempore, priuſquam corpus paternum ſepulturæ traderetur, poſuit maculam in gloria ſua, erectus in tyrannidem, vnde mox contraxit infamiam perſeueraturam temporibus diuturnis. Nam Ceſtrenſem Epiſcopum dominum Walterum de Langtona, regni theſaurarium, & patris executorem præcipuum, executione teſtamenti penitus impedita, capi fecit & includi, ac Dei timore, & Sanctæ matris Eccleſiæ honore poſtpoſitis, inhumane fecit tractari eundem. Cauſa inimicitiæ fuit, quia dictus Epiſcopus, patre ſuo viuente, de ſuis corripuit inſolentiis, & ſuperfluis compeſcuit ab expenſis. Ex cauſis præmiſſis infenſus Epiſcopo effrenis iuuenis, eum ſqualore carceris coarctauit, & omnibus bonis ſuis, ac etiam ſibi debitis ſpoliauit, nec erat in regno, qui pro eo verbum facere auſus fuit, tanta fuit bilis iuuenis contra eum. Fecit inſuper iuſtitiarios inquirere de perſona ſua, vt ſi quicquam inordinatum repeiiſſent, Rex proculdubio ab eo vltra pœnas meritas exegiſſet. Rationem etiam Rex petiit ab eodem de officio theſaurarii, & tempore ſuæ miniſtrationis. Sed Pontifici ſemper congruis datis ad obiecta reſponſis, nullo ſenſu potuit culpabilis inueniri, tandem aſpirante diuina gratia, & auctoritate papali mediante ad ſemi gratiam Regis recipitur, rebus ſuis omnibus reſtitutis.

Edwardus de Caerneruan.

Epiſcopus Ceſtrẽſis regis mandato in carcerem ſine cauſa conie[c]tus.

Eodem tempore rex iuuenis reuocauit ab exilio Petrũ de Gauerſtone, qui dudum tempore patris ſui certis de cauſis aſſenſu communi procerum & magnatum exilio perpetuo fuerat condemnatus. Iſte Petrus filius fuerat cuiuſdam generoſi, ſed alienigenæ de Waſconia, qui in obſequio militauerat laudabiliter Regis patris, cuius obſequiũ gratia Rex hunc Petrum puerulum in ſuam ſuſcepit curiam, adiungens eum filio

Petrus de Gauerſtone reuocatus ab exilio.

Digitized by Google

filio ſuo curia, cum quo à pueritia adoleuit. Inuenit autem tantam gratiam coram regis filio, vt ipſe ſpretis vel parui penſis magnatum regni filiis, huic ſolummodo adhæreret, eius tantummodo ſeruitium acceptaret. In tantumque lapſu temporis creuit amor, vt ab eo vſque ad mortem ſaltem animo non poſſet ſeparari. Ille vero, & ſi eum facietenus reamaret, eius, ni fallor, munera plus amauit, dum theſautum & regni iocalia, quæ filii Regis eſſe debuerant, penes ſe collegit, & transmarinis mercatoribus ad vſus ſuos proprios tradidit conſeruanda. Igitur cum (vt diximus) dictum Petrum ab exilio reuocaſſet, incõſultis cunctis regni proceribus illi contulit comitatum Cornubiæ, & inſulam Man, quæ ſpecialiter ſpectat ad coronam.

Inſula Man proprie ad coronam ſpectat.

Eodem anno tertio idus Octobris tenebatur Parliamentum Northamptoniæ, in quo fuit ordinatum, vt moneta Regis Edwardi patris iſtius Regis, quæ apud incolas viluerat, poſt deceſſum eius curreret more ſolito, ſub pœna vitæ & membrorum. Et quinta decima clericorum, ciuium & burgenſium totius terræ, & laicorum viceſima Regi nouo concederetur. Sub eodem tempore capti ſunt omnes templarii per totam Angliam præcepto regio vno die, propter plurima inhoneſta & enormia fidei catholicæ inimica, ſuper eiſdem prius per vniuerſum orbem captis reperta & probata, & in diuerſis regni caſtellis incarcerantur.

Annalis cõcluſio.

Tranſit annus iſte frugum ferax & fructuum, qui communitati ſufficerent, ſi non nimium recondarent: Francis ocioſus, Anglicis & Scotis inquietus. Et ſuper hæc Anglis præcipue flebilis, pro amiſſione tanti Regis, cui non par in mundo eo tempore habebatur.

Natale apud Wy. manerium Abbatis de Bello.

Anno gratiæ milleſimo treceteſimo nono, qui eſt annus regni Regis Edwardi nondum coronati à conqueſtu ſecundi, ſecundus, tenuit idem Rex natale apud Wy, manerium Abbatis de Bello, cum familia multa nimis: paucis poſt natale diebus tranſactis, transfretauit in Franciam, vt Regis Francorum filiam in vxorem duceret nomine Iſabellam, quæ paulo plus annos duodecim habuit in ætate. Commiſit autem regni cuſtodiam Petro præfato, ob quam cauſam murmur immodicus inter proceres regni ſuccreuit. Nuptiis in Francia apud Boloniam iuxta mare, quibus quatuor Reges interfuerunt, videlicet Rex Franciæ, filius Regis Franciæ, Rex Alemaniæ, & Rex Ciciliæ, celebratis, ſolenniter ad regnum Angliæ reuertitur cum vxore. Igitur proceres occurtunt Regi ſuo coniugique nouæ, & à cunctis elaboratur, quis propenſiorem honorem impendere poſſit illis. Occurrit inter cæteros ipſe Petrus, quem mox Rex in amplexus ſpecialius admittebat, & familiarius reſpiciebat. Inuidebant ergo proceres, ſed vindictam in tempus aliud differebant. Eodem anno ſexto Calendas Martii, die videlicet ſancti Matthiæ Apoſtoli, Rex & Regina cum ſolemnitate maxima apud Weſtmonaſterium ab Epiſcopo Wintonienſi, commiſſione Archiepiſcopi Cantuarienſis exulantis, magnifice coronatur.

Coronatio.

In die, quo Rex debebat coronari coram Carolo & Ludouico comitibus patruis reginæ, Iohanne duce Brabantiæ, & Margareta duciſſa, Comite Sabaudiæ, & multis aliis nobilibus, tractauerunt Comites & Barones regni Angliæ de ſtatu regni, petieruntque à Rege amotionem Petri de Gauerſton à regno, ſed Rex noluit conſentire, idcirco propoſuerunt Comites coronationem regiam impedire.

Proceres petunt, vt Petrus de Gauerſton in exiliũ mittatur.

Quod Rex intelligens, promiſit bona fide ſe facturum illis in parliamento proximo quicquid peterent, tantum ne coronatio differatur. Interim Rex miſit poſt regale ſancti Edwardi in eccleſia monachorum ibidem, in quo poſt miſſam eſt in palatium reuerſus, & ad prandium eſt ſeſſurus. Cancellarius regni & theſaurarius de iure portare debent calicem Sancti Edwardi cum patena, ſi preſbyteri fuerint, ante regem: tradidit autem Rex non quibus debebat, ſed voluntarie portiunculas regales ſancti Edwardi, puta crucem, ſceptrum, virgam, calcaria & gladios, ſed coronam Sancti Edwardi tradidit Petro ad portandum manibus inquinatis, ex quo non immerito indignati ſunt populus atque clerus. Fuit autem ibi tanta compreſſio populi, vt quidam miles Iohannes de Blackwel, qui ab antiquo hoſtis illius eccleſiæ fuerat, ſine viatico expiraret.

Io. Blackwel populi concurſu oppreſſus.

Sed nec Regi coronando, nec Epiſcopis ipſum coronaturis pepercit violentia populi. Et ideo cum feſtinatione nimia & quaſi ſine reuerentia fuit iſta ſolennizatio conſummata. Illo die miſſa in Eccleſia diu poſt nonam, & prandium in pallatio de nocte ſunt finita. P. de Gauerſton ſe intra ſe continere neſciens, Torniamentum fecit iuxta caſtrum apud Wallingfordiam proclamari, & tantam ſibi militiam ex diuerſis partibus aggregauit, quod pene cunctos Anglorum nobiles contra ſe veniẽtes viliſſime conculcauit, inter quos extitere præcipui, Thomas Comes Lancaſtriæ, Humfridus Herefordiæ, Eymerus Penbrochiæ, & Iohannes Warenniæ, quaſi totius regni primores. Hi nempe dure ferentes & Petri

Torniamentum.

ſuperci-

ſupercilium & acceptum opprobrium, de die in diem, quomodo Petrum perderent, cogitabant. Tranſit annus iſte fruges & fructus afferens, quietus à bello Francis, Anglicis atq; Scotis: Magnates indignantur de Petri ſuperbia.

Annalis cōcluſio.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo decimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi, tertius, perpendentes regni magnates, & proceres, aliique terræ fideles, Regem in Petrum deperire præfatum, in tantum, vt nullius conſilium, nullius conſortium, nulliuſue ſolatium curare videbatur, niſi Petri ſolius, & quod tota regni diſpoſitio fiebat illius arbitrio, nec in regali curia cuiuſquam negotia vel promoueri poterant vel expediri ſine Petri conniuentia, indignati ſunt pro eo maxime, quod idem Petrus plus dilexit pecuniam quam æquitatem, plus reſpexit munera, quam cauſarum qualitates, & ipſam pecuniam, quam nequiter acquiſiuit, commiſit cuſtodiendam, vel ad vſus ſuos ampliandam, tranſmarinis mercatoribus, ſicut prius. Et ſuper hæc omnia iuſta ſatis illis accreuit ira, quod viderent ſe contemptui, & alienigenam, quem nec virtus, nec ſapientia commendabant, ſuper ſe ſupra merita ſublimari, & eis in locis omnibus anteferri: dicebant igitur ad inuicem, videtis quia nihil proficimus, expedit, vt iſte tollatur è medio, ne per potentiam inducat extraneos, qui non ſolum noſtras leges, noſttas adnullent conſuetudines, ſed noſtrum forſitan tollat locum.

Proceres inuidēt Petro Gauerſton.

Creuit hæc voluntas indies, & quotidie hoc propoſitum firmabatur, tandem licet ſero, prout moris eſt Anglicis, cum ad extremam neceſſitatem peruenerunt, parant erumpere, & Regem ſuper hiis & aliis conuenire. Ad Regem igitur ſine ſtrepitu accedentes, rogant humiliter, vt Baronum ſuorum conſiliis tractare negotia regni velit, quibus à periculis ſibi & regni imminentibus, non ſolum cautior, ſed tutior eſſe poſſit. Annuit Rex votis eorum, & ad parliamentum omnes qui intereſſe debebant, de conſuetudine conuocauit, vbi tractatu diligenti habito, poſtulatū eſt à Rege cum inſtantia, vt liberam Baronibus diſponendi quoſdam articulos, ſibi regnoq; ſuo nec non Eccleſiæ Anglicanę vtiles, concederet facultatem. Suſpicatus mox Rex, quo eorum intendebat intentio, quod videlicet vel tenorē magnæ chartæ, vel chartæ de Foreſta peterēt confirmari, vel certe (quod plus timebat) Petrum de Gauerſton ordinarent in exilium deſtinari, diu renuit annuere poſtulatis. Tandem ad importunā cunctorum inſtantiam conſenſum præbuit, & iurauit ſe ratum tenere, quicquid proceres ordinauerint. Conſenſu Regis habito, Barones ſibi ſex Epiſcopos adſciuerunt, & plures de clero pruden[illegible] cum multis de communibus diſcretis viris, qui prædictos articulos ordinarent. [illegible]us vero de Gauerſton in hoc parliamento elatus in ſuperbiam, barones deſpexit, & conuitia nonnullis intulit, eorumque perſonas verbis procacibus dehoneſtauit, tollerauerunt tamen nobiles regni hæc omnia, quia ſperabant in proximo vindictam ſumere de eodem, ſed hoc fieri poſſe minime credidit dictus Petrus. Hoc anno Robertus Archiepiſcopus Cantuarienſis ab exilio reuocatur iuſſu præſentis Regis, qui iam per biennium exulauerat, propter offenſam patris ſui. Tranſit annus iſte perexiliter fruges reddens ſiue fructificans: Anglicis ſollicitus & ſuſpicioſus: Scotis & Gallicis ocioſus.

Proceres petunt leges quaſdam condendi facultatem.

Inſolentia Petri de Gauerſton.

Archiepiſcopus ab exilio reuocatur.

Annalis cōcluſio.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo vndecimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu ſecundi quartus, tenuit idem Rex natale apud Windeſore cum ſolemnitate magna. Poſt natale dominicum, conuenit vniuerſa multitudo regni nobilium ad parliamentum Londoniis, vbi communi decreto articuli per Barones dudum prouiſi Regi proponebantur, inſtantibus importune Baronibus, vt Rex ipſas prouiſiones confirmaret, & ſui ſigilli ſignaculo roboraret, præſtaret inſuper iuramentum de eiſdem prouiſionibus conſeruandis. Rex vero pro tunc nihil eſſe ratus denegandum magnatibus, corporale præſtitit iuramentum in hac parte, proceribus acquieſcens. Quo facto, dominus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Magiſter Robertus de Winchelſey, mox cum ceteris ſuffraganeis excōmunicationis ſententiam in omnes contradictos articulos venientes ſolenniter promulgauit. His expeditis, articuli in Eccleſia ſancti Pauli Londoniis in præſentia prælatorum, magnatum & commonium totius regni, rege præſente publice legebantur, inter quos tenor magnæ chartæ, cum aliis prouiſionibus Eccleſiæ & regno neceſſariis petebatur, & prout dominus Rex pater ſuus iuſſerat alienigenas à ſua curia, regnoque ſuo pelleret, & malos à ſe conſiliarios amoueret. Et vt omnia regni negotia cum cleri magnatumque conſilio tractaret de cetero, nullamque guerram inciperet, vel quocunque extra regnum diuerteret ſine conſenſu communi. Rex autem, & ſi hæc omnia dura ſibi

Natale celebratur apud Windeſore.

Parliamentum Londini.

Articuli procerum confirmati.

& importabilia videbantur, magnatum tamen præbuit prouiſioni conſenſum, & dictum Petrum in Hiberniam exilio relegauit: ſed articulos ceteros nondum effectui mancipauit: gaudebant nihilominus terræ proceres, quod id produxerant ad effectum, vt Petrus cunctis odibilis exularet. Soluto parliamento præfato cunctis cum gaudio ad ſua diſcedentibus Rex manſit triſtis, moleſte ferens exilium dicti Petri, & diſperquirens omni ſtudio, qualiter ipſum poſſet ab exilio reuocare, communicatoque ſuper hoc cum ſuis priuatis conſilio ſuggeſtum eſt, quod ſi ſororem Comitis Glouerniæ, qui tunc erat iuuenis toto regno dilectus, & ſub tutela Regis, præfato Petro daret in coniugem, poſſet ipſum Petrum ab exilio reuocare intrepide. Rati ſunt etiam propter amorem Comitis, pariter & honorem, cuius eſſet ſororius, magnates ceteros eum poſſe magis æquanimiter tollerare. Igitur cum feſtinatione maxima miſſum eſt in Hiberniam, & Petrus in Angliam eſt reductus. Nec mora, Rex inter Petrum & dictam ſororem Comitis fecit nuptias celebrari, licet multum Comiti diſplicerent. Exinde Petrus erexit cornua, & plus ſolito regni nobiles vilipendit. Nec his quidem quieuit, ſed Regem adeo eneruauit, ne dicam, infatuauit, vt cor eius auerteret, & voluntatem à pacto, quod pepigerat, ne videlicet tractaret regni negotia ſine communi conſilio dominorum. Cæpit etiam (ſicut prius) indies theſaurum Regis colligere, & negotiatoribus vltramarinis commendare, non quidem ad regios, ſed ad vſus ſuos, & in tantum expilauit Regem, vt non haberet, vnde ſolueret expenſa conſueta vel neceſſaria domus ſuæ. Nec ſolum Rex rei familiaris penuria, Petri ſtultitia laborauit, vel magis auaritia: ſed Regina tantum rebus neceſſariis arctabatur, vt Regi Franciæ patri ſuo lachrymabiliter quæreretur honore debito deſtitutam. Ob quam cauſam Rex Franciæ cunctos Anglicos ſibi notos pro talium abuſionum tollerantia duriùs increpauit. Inter hæc Petrus ſpiritu exagitatus ſuperbiæ, regni deridebat proceres, ſubſannabat mediocres iactitando ſe, ſicut prius, ipſis inuitis omnia facturum, nec eſſet qui ſuæ voluntatis propoſitum quomodolibet impediret. Igitur Barones conſiderantes, quod eorum patientia Petro malignandi præſtabat audaciam, concepto ſpiritu fortitudinis, domino Regi aſſenſu communi denuntiabant, vt vel dictum Petrum à ſua propelleret comitiua, articuloſque prouiſos effectui manciparet, vel ipſi certe in eum tanquam periurum inſurgerent pari voto. Durus videbatur hic ſermo Regi, qui Petro carere neſciuit, ſed magis videbatur imminere periculum, ſi non ſuis obtemperaret Baronibus in hac parte. Conſiderauit nempe ſuam no[illegible]ilem paupertatem, & ſuorum abundas diuitias, ſuam impotentiam, & eorum v[illegible] & idcirco ad tempus cenſuit illorum condeſcendere voluntati. Idcirco plus timore quam amore, plus neceſſitate quam voluntate coactus, Petrum regnum abiurare permiſit, addita Baronibus conditione, quod ſi vlterius in Anglia, vel quacunque terra Regis Angliæ ditioni ſubiecta potuiſſet inueniri, illico caperetur, & velut hoſtis terræ publicus damnaretur. Igitur ſub præmiſſa conditione, dato ſibi conducto, Angliæ regnum lugens deſeruit. Cuius aduentu cognito, Rex Francorum mandauit regni ſui miniſtris, vt dictum Petrum, vbicunq; poſſit inueniri, caperent, & commendarent diligenti cuſtodiç, ne videlicet iterato rediret in Angliam, & filiam ſuam reginam, regniq; proceres conturbaret. Sed mandatum Regis Franciæ Petrum non latuit, quamobrem regnum Francorum mox deſeruit, & intrauit Flandriam, tutas ibidem latebras quæſiturus. Cumque nec illic ſatis tutum ſibi videretur, vagabundus per alia diuerſa loca ferebatur, vbiq; quærens requiem, quam non inuenit, tandem in ſe reuerſus iterum cogitauit regnum Angliæ reuiſere, cōcepta fiducia de Regis amicitia & comitis Glouerniæ, cuius ſororem duxerat in vxorē. Et aſſumptis ſecum alienigenis remeauit in Angliam, & parum ante natale dominicum ſe Regis obtutibus præſentauit. Rex præ gaudio aduentus ſui, iuramēta, pacta, promiſſa negligens, eum ſuſcepit hilariter, tanquam cœleſte munus, & ſecum detinuit eum familia ſua tota. Hoc anno quarto nonas Septembris parum ante horam 9. ignitegii viſum eſt fulgur horribile, quod durauit per totam noctem ſequentem, cum magno tonitru & crebris ictibus circa mediam noctem ſequentibus, ita quod ſepes & arbores in multis locis ſuam viriditatem penitus amiſerunt. Eadem hora Eccleſia de Midleton in comitatu Dorſet Sarum diœceſis cū campanili & campanis, ornamentis, libris & munimentis Monachorum dicti loci, eodem fulgure, conuentu ad matutinas exiſtente, combuſta & conſumpta eſt: pridie nonas eiuſdem menſis ortus eſt ventus validiſſimus, quo arbores innumerabiles cum ſuis fructibus proſternūtur, & campanilia de Modeforde & Geuelton ad

Petrus Gauerſton exulatur.

Rex conatur Petrum reducere.

Petrus reuocatus ſororem comitis Glouerniæ ducit.

Proceres aut Petrum in exilium agi volunt, aut ſe rebellaturos minantur.

Petr. in exilium ablegatus.

Petrus in Angliā reuertitur, & à rege humaniter accipitur.

Fulgur horrendum.

Eccleſia de Midleton concremata.

terram ſimiliter ceciderunt. Hoc anno Archiepiſcopus Robertus excommunicauit Walterum Couentrenſem Epiſcopum, qui noluit in prouinciali conſilio reſpondere, ſuper eo quod ipſe fuit iuratus ordinationes ſeruare Baronum, ſed poſt & contra eas adhæſit conſilio Regis, & fecit Petrum de Gauerſton reconciliari, & ordinationes infringi, vnde dictus Epiſcopus ad ſedem Apoſtolicam appellauit, & perſonaliter ipſam adiuit, & Adam Mirimouth contra eum per Archiepiſcopum deſtinatus. Eodem anno nonis Iunii combuſti ſunt in ciuitate Pariſienſi, iudicio domini Philippi Regis Franciæ quinquaginta quatuor Templarii.

Templarii cremati.

Hoc anno Calend. Octobris ſub Papa Clemente quinto celebratum fuit concilium apud Viennam, in quo Templariorum ordo damnatus eſt.

Templariorum ordo damnatus.

Et ante illud concilium per vniuerſum orbem generaliter fuit diuulgatum, quod omnes & ſinguli religioſi exempti, ad ius tranſirent commune, vnde ſolus ordo Ciſtercienſis Papam adiit ante dicti conſilii celebrationem pro exemptione ſua priſtina pacifice obtinenda. Quod & obtinuit donis datis. In iſto conſilio petita fuit & conceſſa decima ſexennalis in ſubſidium terræ ſanctæ, & annis ſucceſſiuis ſoluta.

Decima ſexennalis in ſubſidiũ terræ ſanctæ.

Philippus Rex Franciæ cogitauit vnum de filiis ſuis Regem Hieroſolimitanum facere, & impetrare ſibi omnes redditus & prouentus Templariorum. Et hac occaſione prius multos Templarios in regno ſuo, & præcipue magiſtrum magnum ordinis, & alios multos procurauit comburi, & totum ordinem procurauit, & fecit in conſilio prædicto damnari. Sed tamen propoſitum ſuum de eorum redditibus non eſt conſecutus, quia Papa hoſpitalariis hæc aſſignauit non ſine magnæ pecuniæ interuentu. Depoſitum nempe fuit contra Templarios, & compertum, quod quando receperunt quenquam ad ordinem, amotis omnibus, exceptis fratribus eiuſdem ordinis, adduxerunt illum ad locum priuatum, & totaliter denudauerunt, & tunc vnus accederet ad eundem, & eum oſcularetur in poſteriori parte, deinde induceretur & cingeretur corrigia de ſambuco.

Templariorum ſcelera de quibus damnati ſunt.

Et poſt crux portaretur, & ibi diceretur ſibi, quod crucifixus non eſt Chriſtus, ſed quidam falſus Propheta deputatus per Iudæos ad mortem propter delicta ſua, & fecerunt eum ter ſpuere ſuper illam, & poſtea proiecerunt crucem ad terram, & eam pedibus conculcari fecerunt, deinde oſtenderunt ſibi caput cuiuſdam idoli, quod quotidie adorabant. Et præter hæc depoſitum eſt contra eos, quod vitio fœdabantur Sodomitico, ſtatuentes, quod nullus vtatur mulieribus, ſed quilibet alterutro, cum voluerit, vnde poſtea cum factum fuiſſet concilium prouinciale in Anglia Londoniis contra Templarios ſuper his articulis, quod quidem cõcilium durauit à menſe Maii vſq; ad menſem Iunii, in quo Templarii capti & accuſati fatebantur famam, ſed non factum, niſi vnus vel duo ribaldi in omni ſtatu. Omnes tamen fatebantur finaliter, non poſſe de ſibi impoſitis ſe purgare, & ideo adiudicati fuerunt per concilium perpetuæ pœnitentiæ. Ita quod ſinguli in ſingulis monaſteriis poſſeſſionatis detruderentur pro perpetua pœnitentia peragenda, qui poſtea in huiuſmodi monaſteriis bene per omnia ſe gerebant. Cum in concilio Vienneſi tractaretur, an propter vocationem ſingulorum perſonarum ordinis Templariorum, vel propter acta contra eoſdem poſſet totus ordo damnari propter ſingularium delinquentium vocationes, cum conſtaret, quod dictus ordo non fuerat vocatus, definitum fuit per dictum concilium, quod non de iure. Ideo Papa Clemens in bulla ſua condemnatoria ordinis adiecit hanc clauſulam. Quanquam de iure non poſſumus, tamen ad plenitudinem poteſtatis dictum ordinem reprobamus.

Annalis cl. luſio.

Tranſit annus iſte mediocriter fruges ferens, fructus quoque proferens: Anglicis nunc quietus, modo ſollicitus: Francis pacificus: Scotiæ ocioſus.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo duodecimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu ſecundi quintus, tenuit Rex Natale domini Eboraci, cui interfuit Petrus de Gauerſtone, quondam Comes Cornubiæ, cum ſuis alienigenis, Rege gaudente, quia receperat Petrum ſanum, tota curia cum Regina mœrente, eo quod Regem cerneret male ſanum.

Natale celebratum Eboraci.

Poſt natale rumore ventilato per Prouinciam de Petri reuerſione, tota patria merito commouebatur, maioribus & minoribus perpendentibus, nondum quicquam ſuum ingenium, ſenſum, conſilium, vel prouiſionem præualuiſſe, vt dictum Petrum arcerent à regia comitiua, indignati ſunt igitur regni potentes, & diſperquirunt, qualiter meliori modo poſſint cum communi conſilio finem imponere futuræ turbationi.

Proceres capiunt conſilium de tollendo Petro de Gauerſton.

Bellum nempe in patria ſuſcitare timebant, Regemque inquietare publice verebantur. Tamen librato vtrobique periculo, inueniunt, quod viuente Petro eſſe non poterit pax in regno, nec rex

abundare theſauro, vel regina gaudere Regis amore debito. Cumque diutius præterita, præſentia vel futura pericula ponderaſſent, tandem reperto conſilio, ſtatuunt omnia extrema citius experiri, quam vt hactenus per alienigenam vilipendi. Eligunt ergo ducem pro futuro negotio dominum Thomam de Lancaſtria theſauro diuitem, ſtirpe nobilem, armis ſtrenuum, moribus & iuſtitia præpollentem, cuius originem hic retexere dignum duxi.

Genus Thomæ Lancaſtrenſis.

Henricus Rex Angliæ tertius à conqueſtu ex vxore legitima duos ſuſcepit filios, Edwardum primogenitum, & Edmundum. Edwardo ſibi ſucceſſuro contulit Ceſtriæ comitatum, Edmundo iuniori filio conſulatum Lancaſtriæ aſſignauit. Et poſt cum comes Leiceſtriæ, Simon de Monte forti, & Comes de Ferariis occubuiſſent in bello contra Regem moto apud Eueſham, & eorum comitatus ad manum Regis fuiſſent per eſkcatam deuoluti, Rex prædicto Edmundo vtrunque contulit conſulatum, ſibi & heredibus ſuis iure perpetuo poſſidendum, qui licet tres comitatus, videlicet Lancaſtriæ, Leyceſtriæ, & de Ferariis obtineret, nomen tamen Lancaſtriæ retinuit ſibi ſemper. Duxit autem in vxorem mulierem nobilem, quondam Regis Nauarræ coniugem, nuper viri ſolatio deſtitutam. Cuius filia heres effecta Nauarræ, filio & heredi Regis Franciæ maritatur. Quamobrem ex tunc regnum Nauarræ regno Franciæ eſt vnitum. Genuit autem ex dicta domina Thomam de Lancaſtria, de quo fit ſermo, & duos alios filios nobiles, Henricum ſcilicet & Iohannem. Qui omnes ex parte matris eorum fratres erant reginæ Francorum. Igitur cum Edmundus in ſenectute bona hominem exuiſſet, Thomas iure hereditario comes Lancaſtriæ, Leyceſtriæ, & de Ferrariis eſt effectus. Proceſſu temporis dictus Thomas filiam vnicam comitis Lincolniæ deſponſauit, videlicet Henrici de Lacy, vnde de magno maior effectus, poſt deceſſum dicti comitis Lincolnienſis, qui etiam & Sariſburiæ comes fuit, quinque comitatuum dominus exiſtebat.

Quinq; comitatuum dominus.

Comes vero Lincolniæ memoratus, cum propinquaſſe cerneret terminum vitæ ſuæ, vocato Thoma genero ſuo, monuit vt cogitaret, quomodo Deus eum præ cunctis in regno ditauerit, honorauerit, & gloria fecerit abundare.

Oratio comitis Lincolniæ ad generum.

Romanorum oppreſſiones.

Quapropter, ait, & Deum diligere & honorare præ ceteris obligaris. Cernis ſanctam Eccleſiam Anglicanam honorabilem quondam & liberam, per Romanorum oppreſſiones & Regum huius regni iniuſtas exactiones (proh dolor) ancillatam: vides & plebem regni tributis & tallagiis apporiatam, & de conditione libertatis in ſeruitutem actam. Cernis regni nobilitatem (quandoque toti Chriſtianitati venerabilem) iam ab alienigenis in terra propria vilipenſam. Adiuro te igitur per nomen Chriſti, vt virum induas, exurgas, & erigas te ad honorem Dei & Eccleſiæ, & patriæ liberationem, adhibeaſque tibi virum ſtrenuum, nobilem & prudentem, Guidonem Warwicenſem comitem cum neceſſe fuerit de regni tractare negotiis, qui & conſilio præeminet, & maturitate pollet. Non verearis inſurgentes aduerſitates tibi dimicaturo pro veritate. Si his meis monitis acquieueris, in æternum honorem & gloriam conſequeris. Cum Comes vetulus feciſſet finem huiuſcemodi monitis, ſæculo valefecit, cuius corpus in Eccleſia ſancti Pauli Londoniis eſt humatum.

Comitum conſpiratio ad liberandam remp.

Igitur Thomæ Lancaſtriæ Comiti pro releuanda ſanctæ matris Eccleſiæ oppreſſione & recuperanda regni debita libertate adhæſerunt viri nobiles, Humfridus de Boun Comes Herefordiæ, Aymerus de Valentiis Comes Penbrochiæ, Guido de Bello Campo Comes Warwici, Comeſque Arundeliæ cum multis aliis Baronibus, quorum nomina ſcribere longum foret. Comes vero Mareſcallus, qui viuaciſſimus fuit exactor libertatum, iamdudum mortuo Comite de Hereford ſeniore, cernens ſe ſolum non poſſe proficere in præmiſſis, cum herede careret legitimo, timore ductus eſt, vt ſuperius dictum eſt, regem Edwardum patrem iſtius conſtituit heredem ſuum, ſed ipſo poſt modici temporis interuallum ſublato de medio, Rex dictum comitatum intrauit, & domino Thomæ de Brotherdon filio ſuo ex ſecunda regina genito, fratri Regis huius dimidio Comitatum Mareſcalli donauit, iure perpetuo poſſidendum. Gilbertus Comes Glouerniæ ætate iuuenis, quia nepos Regis erat natus ex ſorore ſua, nec Regem volebat offendere, nec paribus deeſſe, in petendis libertatibus mediatorem ſe exhibuit pro bono pacis. Comes Watenniæ, qui diu fluctuauerat, & fauerat parti regis, per Cantuarienſem Archiepiſcopum introductus ſuis paribus iam conſenſit.

Legatio Lancaſtriæ ad regem de [illegible] Petro.

Comes igitur de Lancaſtria dux electus, regni nobilium communis decreti ſententia, honorabiles miſit domino Regi nuntios, qui moram traxit tunc temporis Eboraci, deprecans per eoſdem ex parte communi, vt vel dictum Petrum eis traderet, vel, vt ordinatum fuerat, regnum euacuare præciperet. Rex vero ſiniſtro

ductus

ductus conſilio, & tales ſupplicationes parui pendit, & ab Eboraco receſſit, & donec peruenit ad nouum caſtrum ſuper Tynam non quieuit, vbi vſque ad feſtum Aſcenſionis dominicæ perhendinauit, Regina apud Tynemutham interim commorante. Itaq; non tam deſpectum quam deluſum de conſenſu communi collegit exercitum, & verſus nouum caſtrum cum proceribus memoratis cum omni celeritate direxit iter, non quidem vt domino ſuo Regi quicquam iniuriæ vel moleſtiæ irrogarent, ſed vt ipſum Petrum captum ſecundum leges communiter æditas iudicarent. Cumque Rex audiſſet barones cum armis & exercitu aduenturos, quaſi proſcriptus aut exul fuiſſet, fugit cum dicto Petro celeriter Tynemutham aduentantibus, atque cum ſuis baronibus ad nouum caſtrum, & de facili ingreſſum obtinentibus, illico Rex quandam nauem petiit. Et quamuis regina tunc prægnans plena lachrimis ſupplicaret, vt ſecum moram faceret, nihil omnino compaſſus eidem, aſſumpto Petro, Scardeburgiam nauigauit. In quo quidem loco caſtrum Regis habebatur fortiſſimum, ſed nec armis nec victualibus communitum. Rex autem præcepit ſuis, qui erant in caſtro, vt cuſtodiam Petri ſuſciperent, & caſtellum victualibus inſtaurarent, dum ipſe ad partes Warwichiæ ſe transferret. Barones itaque cognoſcentes fugam Petri, equos & arma, & bona cetera, quæ Petrus reliquerat, in nouo caſtro appreciari fecerunt, & loco tuto ſeruari, dehinc poſt Petrum lora dirigunt ſine mora, cum autem ad caſtrum de Scardeburgh perueniſſent, tentoria fixerunt ibidem, ſed cum aduertiſſent nullum adeſſe impedimentum in patria, quo minus caſtrum expugnare valerent, Thomas cum ſuis exercitibus receſſit à loco, ne forte multitudo victualibus arctaretur, dimiſſis ibidem ad expugnationem caſtri, Comitibus Penbrochiæ, & de Warenna, qui facientes inſultum, cuſtodes in breui adeo fatigarunt, vt reſiſtere vel defendere ſe nequirent. Tunc Petrus cernens ſe non poſſe fugere, eiſdem ſe reddidit, ſub conditione, quod ſimpliciter (omni exceptione ſecluſa) ſtaret ordinationi baronum, nihilq; poſtulauit aliud, niſi vt domini ſui Regis ſaltē ſemel frui colloquio copiam ſibi darent. Rex vero audiens Petrum captum, rogauit vt colloquio eius potiretur: precatus eſt inſuper, vt eius vita ſaluaretur, pollicens eo pacto ſe magnatum votis in omnibus ſatisfacturum, quam quidem pollicitationem amplectens Comes Penbrochiæ, ſuaſit baronibus, vt hanc petitionem Regi concederent, promittens ſe ſub pœna amiſſionis terrarum ſuarum omnium, ſaluo ſeruaturum dictum Petrum, donec habuiſſet eum Rege colloquium, & ex poſt baronum arbitrio commiſſurum. Conceſſerunt ergo dicto comiti Petri cuſtodiam, eiſdem die & loco præfixis ſine fraude reſtituendum. Comes autem Petrum ad partes Wallingfordię propoſuit perduxiſſe, ſed cum declinaſſet ad villam de Dadington prope Warwicum, comes commiſit ſuis Petri cuſtodiam, ipſo coniuge ſua Comitiſſa in vicino pernoctaturo. Quod comperiens comes Warwici, cum magno ſtrepitu & armatorum multitudine ſuperuenit, & eadem nocte de manibus famulorum comitis Penbrochiæ Petrum rapuit, & ad caſtrum ſuum duxit. Cum igitur foret ibi quædam ambiguitas, quid eſſet faciendum de Petro, vtrum foret vtilius mox eum neci tradere, an regiæ voluntati reddere, quidam vir aſtutus & profundi conſilii ſic reſpondit: prædam (inquit) quam diu inſecuti ſumus, & non ſine labore iam cepimus, ſuperuacuum foret iterum foras quærere, ſi eam penes nos poſſemus quomodolibet detinere, penſare debemus viri ſcelera, & per eum patriæ illata damna, quæ ſemper ſequebantur verba ridicula, ſuperba reſponſa. Recolere quoque fas eſt labores publicos & priuatos, expenſas innumeras, vexationes varias, vix vnquam terminabiles, quæ ſuſtinuimus ante prædam captam, & idcirco decerno, vt nunc ſolus prius moriatur hic homo, quam per guerras amplior turbatio creſcat in regno. Aſſentiunt vniuerſi viri conſilio, & Petrum eiiciunt de ergaſtulo, capite plectendum communi iudicio. Ducitur ergo Petrus ad locum Blakelowe vocitatum, & tanquam legum ſubuerſor, & publicus regni proditor capite truncatus eſt. Et qui quondam vocauerat Guidonem Warwici Comitem, nigrum canem de Arderina, iam iuxta comitis vaticinium morſus amariſſimos ſenſit eiuſdem. Cadauer Petri per fratres Prædicatores Oxoniam eſt delatum, & inter eoſdem plus biennio conſeruatum, donec Rex illud ad manerium ſuum de Langley transferri feciſſet, & in Eccleſia fratrum Prædicatorum, quos ibidem conſtruit de regio fiſco victuros, & pro anima Petri & regiorum progenitorum celebraturos honorifice condidiſſet.

Proceres arma capiunt.
Rex fugit vna cum Petro.
Proceres Petrum inſequuntur.
Petrus venit in poteſtate procerum.
Rex petit, vt cum Petro colloquatur.
Petrus à comite Penbrochiæ cum ad regem deduceretur captus.
Petrus capite truncatur.

Magnates regni modo præfato de Petro conſecuto propoſito, miſerunt ad Regem, proterue poſtulantes prouiſiones ſuas per eum confirmari, & effectui demandari,

Proceres petunt quoſdam articulos confirmari.

dari, comminantes, niſi maturius iſta faceret, ad ipſum venirent, & præmiſſa complere cogerent manu forti. Nec ſegnius impleuere legationem, ſed continuo viribus adunatis totam patriam circa Dunſtapliam occuparunt, Rege Londoniis exiſtente. Cernentes autem regni prælati vna cum Gilberto Comite Glouerniæ talem diſſenſionem Eccleſiæ regniq; periculoſam, totis viribus inſiſtebant, vt pax reformaretur, & pars vtraq; quietior eſſe poſſet.

Legati Pontificii & præſules interc[e]dunt pro pace.

Eo tempore venerunt cum regni pontificibus & dicto Gilberto Comite nuncii Papæ duo, ad ſanctum Albanum, vt ibidem hoſpitati, facilius poſſent ferre & referre partis vtriuſq; reſponſa: vnus illorum Cardinalis extitit tituli ſancti Priſcæ, qui quondam Abbas fuerat montis frigidi in Waſconia, de ordine Ciſtercienſi, & Viceccancellarius modo Papæ: alter vero fuit Epiſcopus Pictauenſis, & poſtea Cardinalis. Hii quoſdam clericos præmiſerunt de ſancto Albano ad villam de Wathamſtede, vbi tunc erant Barones cum ſuis exercitibus, cum literis ſummi Pontificis eis pro pace roganda directis. Magnates audientes extraneos eis literas apportaſſe, ipſos quidem pacifice receperũt, ſed literas recipere noluerunt, dicentes ſe non eſſe literatos, ſed armis & militia exercitatos, & ideo videre literas non curarunt. Tunc qui qui miſſi fuerant, requiſierunt, ſi placeret eis habere colloquium cum dominis ſuis domini Papæ nuntiis, qui pro pace reformanda perſonaliter accedere cupiebant. Ad hæc proceres reſponderunt ſe in regno multos habere probos & literatos Epiſcopos, quorum conſilus vti volebant, & non extraneorum quibus non eſſet cognita cauſa commotionis ſuæ, præciſeque dixerunt, ſe nullo modo permiſſuros, vt aliquis alienigena vel forenſis intromitteret de factis ſuis aut quibuſcunque negotiis eos tangentibus infra regnum. Nuntii domini Papæ tali modo perterriti, in craſtino ſummo mane iter verſus Londonias maturarunt, qui apud ſanctum Albanum (loci commoditate illecti) moram traxiſſe per menſem vel amplius cogitauerant. Epiſcopis vero regni cum Gilberto Comite ſic intercurrentibus, ſic ſatagentibus, ſic demum mediantibus, res eſt temperata, quod barones theſaurum & equos, & cuncta iocalia, quæ dicti Petri fuerant, & apud nouum caſtrum ceperant, domino Regi, vel eius atturnato apud ſanctum Albanum viuenti reſtituerent, & tunc dominus Rex eorum petitiones perduceret ad effectum. Venientibus igitur ad ſanctum Albanum Iohannem de Sandale regni theſaurario, & Ingellardo de Warle cuſtode Garderobæ regiæ, iuxta condictum ſunt omnia reſtituta. Hoc anno Iſabella regina peperit Regi Angliæ filium ſuum primogenitum die ſancti Bricii apud Windeſore villam Regis, & licet ibidem tunc præſens eſſet Ludouicus filius Regis Franciæ, dictæ Reginæ frater, & multi magnates Franciæ ſexus vtriuſque, voluiſſentque impoſuiſſe puſiolo nomen Regis Franciæ, magnates Angliæ hoc permittere noluerunt, ſed eum nomine patris ſui vocauerunt Edwardum, in cuius ortu tota Anglia ingenti plauſu lætata eſt. Et pater eius tam hilaris eſt effectus, vt dolorem, quem de morte Petri conceperat, temperaret. Ab illo die Deo diſponente creuit amor filii, & euanuit in eius corde Petri memoria, & Rex voluntati ſuorum procerum facilius ſolito condeſcendit. Eodem anno die Iouis in craſtino ſanctæ Luciæ virginis eclipſis lunæ incepit in noctis crepuſculo, & per trium horarum ſpatium perdurauit. Tranſit annus iſte fruges producens, & fructus faciens: ſed tam rarus extitit, vtrinque Gallicis Scotiſque tollerabilis: Anglis varius, ſollicitus & formidoloſus.

Proceres Papæ legatos vaticinant.

Obſeruo.

Pax inter regem & proceres.

Regi naſcitur filius Edwardus.

Proceres prohibent, ne puer regis Franciæ nomen referret.

Eclipſis lunæ.

Annalis cõcluſio.

Anno gratiæ milleſimo trecẽteſimo decimo tertio, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi, ſextus, tenuit Rex natale apud Windeſore, cum multi nobiles ex Galliis interfuerunt, ſuſurrones inuiſi, & detractores Deo odibiles. Per hoc tempus regni Barones criminari penes Regem toto conamine inſiſtebant, & ipſius Regis animum in odium conuertere eorundem. Effecerunt igitur, vt Rex eorum conſilia parui penderet, & ab eis affectum auerteret, & cultum debitum & conſuetum. Factum eſt igitur, vt rancor inueteratus inter Regem & proceres fomentum reciperet rediuiuum, & quicquid vni parti placuit, alteri diſplicebat. Anno ſub eodem citati ſunt ad parliamentum Londoniis faciendum cuncti magnates, & qui de conſuetudine citari debuerant, vel de iure. Cunctis igitur clericis congregatis, & laicis, dominus Rex grauem depoſuit quærimoniam de contemptu ſuo, & damnis ſibi illatis per Barones dudum apud Nouum caſtrum ſuper Tynam, & quod plus doluit de captione Petri, & impia trucidatione perpetratis per eoſdem Barones. Barones vero ad has querelas vnanimiter reſponderunt, ſe in præmiſſis nullatenus deliquiſſe,

Natale celebratur apud Windeſore.

Diſcordia recrudeſcit inter regẽ & proceres.

Parliamentum Londinens.

Rex queritur iniurias ſibi à proceribus illatas.

imo

Defenſio procerum.

imo potius regis gratiam & amorem promeruiſſe, cum non in contemptum regium contraxerunt pro tunc exercitum, ſed vt regni inimicum publicũ multotiens per cõmunitatem Angliæ ex duorum regũ aſſenſu extrabannitum deſtruerent, per quẽ læſa fuit in immenſum fama regia, per quem expilabatur non ſolum regis ſed regni ſubſtantia, per quem ſuſcitata fuerat inter regem & ſuas naturales diſſentio periculoſa. Et addiderunt, ſe velle videre finem negotiorum circa quæ plura expenderant, grauiter laborauerant, & ſe & ſuos nimis vexauerant; nec profecerant ad hoc tempus. Dicebant inſuper, nolle vanas promiſſiones & infructuoſas, cuiuſque de cætero præſtolari. Eoque perducta eſt Baronum animoſitas iſta vice, vt citius mori præeligerent, quam vt hactenus ridiculoſe differri. Quod videns Regina cum Prælatis regni, & comite Gilberto Glouerniæ, ſollicite intercurrebant, partium animos diligenter ſedare ſtudebant, & pacem facere totis viribus ſatagebant.

Regina & prælati pacem conciliant.

Et factum eſt per laudabilem mediationem eorundem, vt tali pacto rancor regius conquieſceret, ſi videlicet ipſi Barones cum ſuis aſſentatoribus in aula Weſtmonaſterii, & pleno parliamento venirent, & ſe humiliarent domino ſuo regi, & de his in quibus ipſum offenderant veniam precarentur. Et dominus rex eoſdem ad gratiam & firmam pacem ſine fictione reciperet, & vt ligios & fideles in amore ſuo tractaret de cætero & foueret, articuloſque petitos ad finalem effectum perduceret, nec pro morte Petri quenquam impeteret, ſed chartam cuilibet exigenti de indemnitate concederet. His itaque vtrobique peractis, magnates regis conſiderantes indigentiam, ſponte illi quintum decimum denarium bonorum temporalium conceſſerunt, & ſic à dicto parliamento cum gaudio & pace receſſerunt.

Obiit Archiepiſcopus.

Eodem anno magiſter Robertus de Winchelſey Cantuariæ Archiepiſcopus, qui toto ſuo tempore nobiliter rexerat Anglicanam eccleſiam, & in temporibus duorum regum firmiter ſteterat cum magnatibus pro repetendis regni libertatibus, hominem exuens, migrauit ad Chriſtum. Quo ſepulto, monachi primæ Metropolis Cantuariæ magiſtrum Thomam de Cobham virum ſupereminentis literaturæ, multiſque virtutibus redimitum in paſtorem regi præcipuũ concorditer elegerunt, quamuis Papa priuſquam dictus Robertus ceſſit in fata, illius honoris collationem ſibimet reſeruaſſet.

Thomas de Cobham eligitur in Archiepiſcopum.

Dictus vero Thomas electioni de ſe factæ conſentiens, Anniuoniam (vbi tunc erat curia) properauit, petiturus confirmationẽ electionis ſuæ. Et licet non potuiſſet inueniri in electi perſona vitium, ſummus tamen pontifex electionem ſuam poſt reſeruationem ſibi factam omnino nullam eſſe pronunciauit.

Papa electum repudiat.

Et quia conſtabat Papæ eccleſiam Anglicanam multis laborare tribulationibus cogitabat, ſollicite prouidere Eccleſiæ viduatę de viro, per quẽ vexationes melius ſedari poſſent. Habito ſuper his tractatu prouide, tandem in dominũ Walterum Reynalde Wigornienſem Epiſcopum domini regis Cancellarium oculos, dirigebat conſiderans nimirum quantam gratiam coram domino rege præ cæteris regni prælatis inueniebat, quam mature ſe in ſuo officio Cancellario, & quam ſapienter habebat, quanta diſcretione motus & rancorem inter regem & proceres temperabat, ſperans talem virum Eccleſiæ & regno plurimum profuturum. Huic igitur honorem Cantuarienſis Eccleſiæ gratis cum pallio conferebat.

Walterus Reynaldes Archiepiſcopus Cant. præficitur à papa.

Dicto vero magiſtro Thomæ ſpem promotionis honorificæ habere iuſſit. Prædictus vero Walterus honorem ſibi collatum reuerenter ſuſcipiens, acceſſit ad Eccleſiam Cantuarienſem dominica Quinquageſimæ, quæ tunc erat tertiodecimo Calendas Martii, vbi eodem die poſt conſecrationis ſuæ ſolemnia, conuiuium ſplendidiſſimum domino regi & reginę multiſque magnatibus cauſa ipſius illuc accedentibus præparauit.

Rex & regina interfuere conſecrationi Archiepiſcopi.

Hoc anno obiit dominus Guido de Bello campo, comes Warwici; qui in parliamento vltimo conſilio regio fuerat deputatus, ſed priuati regis inuidentes ei (vt dicitur) eũ impocionauerunt.

Rex & regina interfuerunt coronationi regis Franciæ.

Eodem anno rex & regina miſerunt ſe in mare verſus Pariſius cum multis terræ nobilibus, & interfuerunt Pariſius coronationi domini Philippi filii regis Franciæ in regem Nauarræ ibidem creati die Pentecoſtes.

Annalis concluſio.

Tranſit annus iſte nec ſatis frugifer, nec abundans fructibus: Angliæ multipliciter varius: nunc nubilus, nunc ſerenus, nunc turbidus, nunc amœnus: nunc pacificus, nunc inquietus: ſuſpicioſus regi & ſuis aſſentatoribus: ſollicitus plebi, terræ, regnique proceribus: Franciæ pacificus: Scotis otioſus: Inimicis crucis Chriſti in terra ſancta à Chriſtianorum bellis (proh dolor) expeditus.

Natale celebratur Londoniis.

Anno domini milleſimo trecenteſimo decimo tertio, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi, ſeptimus, tenuit rex natale Lõdoniis. Hoc anno Scoti intrantes Northumbriam, prędabantur patriã, trucidabant incolas, & villas plurimas incen-

Clemens Papa obiit.

incendebaut. Eodem anno Papa Clemens diem clauſit extremum, qui prius fuerat Archiepiſcopus Burdegalenſis, & vacauit ſedes per biennium. Succeſſit autem ei Iacobus Epiſcopus Anniuoniæ, & vocatus eſt Iohannes.

Iohannes ſuccedit.

Rex venit in vigilia Palmarum ad ſanctum Albanum, & obtulit beato martyri quandam crucem auream diuerſorum ſanctorum reliquiis inſertam, & lapidibus precioſis, commendans ſe & ſuos neceſſarios eiuſdem ſancti tutelæ & precibus monachorum. Cumque ſuggeſtum fuiſſet ei, quod pater ſuus chorum ſancti Albani renouaſſe ptopoſuerat, deſidetium patris explere, geſtiens contulit mox centum matcas argenti, & maremium apud Dyncleyam querendum ad opus illud, iubens vt pecuniæ nullo modo parcetent, quin opus illud ad honorem Dei & beati Albani Anglorum prothomartyris irreprehenſibiliter conſummarent. In craſtino diei Palmarum rex iter verſus inſulam Elienſem arripuit, vbi ſolemnitatem Paſchalem tenuit nobiliter & feſtiue:

Elienſes mentiti ſunt ſe ſancti Albani corpus habere.

Quo tempote, Elienſes mentientes ſe cotpus habere ſancti Albani Anglorum prothomartyris, manifeſtiſſime confutauit coram regni nobilibus & monachis dicti loci, iam cum ad alleuiandum moram ſuam in monaſterio oculis diuerſa ſubiiceret, phanaque videre vellet ibidem, tandem incidit menti eius, vt videret quid eſſet contentum in feretro quod beati Albani vocant, in eccleſia memorata.

Rex falſi Albani corpus intueri vult.

Dixitque epiſcopo qui tunc aderat Elienſi: ſcis (inquit) quod frattes mei apud ſanctum Albanum corpus eiuſdem martyris putant veraciter ſe habere, & in hoc loco dicunt monachi ſe dicti ſancti cotpus tenere: per animam (inquit) Dei, volo videre in quo loco reliquias ſancti corporis debeo potiſſimum venetari. Cumque præſul vetba regis Priori & fratribus retuliſſet, illi velut exangues effecti, quid reſponderent, quid facerent neſciebant, ex vna parte timétes amittere tantum theſaurum, ſi verum eſſet quod apud eos foret, ex altera conuinci de mendacio metuentes, quia hoc prædicauerant ſe habere. Neſciebant enim pro tunc quid in dicto feretto continebatur. Epiſcopus videns ſuotum cõſtetnationem, animauit eos, monens vt confiderent, quia non ad auferendum tantum theſaurum, ſed venerandum, rex aſpectum reliquiarum requiſiuit. Ventum eſt igitur in eccleſiã, & feretrum ſolutum & apertum eſt per quendam monachum, Alanum de Walſingham dictum, qui poſtea proficientibus metitis Prior factus eſt illius eccleſiæ, qui & ipſe peritus erat in opere aurifabrili, & ideo ad ſoluendum feretrum tunc vocatus.

Villoſus pannus pro corpore inuentus.
Mendacium aliud alio excuſatur.

Rex vero cum vidiſſet cunctos clauos extractos, & feretrum patefaciendum, acceſſit & leuauit opetculum manu ſua. Et ecce vident Locellum illum à ſummo vſque deorſum, quodam panno villoſo ita occupatum, vt nihil poſſet aliud continete. In ſuperiori vero parte veſtimenti, conſpiciunt cruoris coagula denſe reſperſa, ita noua, ita recentia, quaſi pridie fuiſſent effuſa. Conſtat hanc veſtem fuiſſe Caracallam quam ſanctus Albanus in conuerſione acceperat à ſancto Amphibalo magiſtro ſuo in ſignum religionis, in quo idem martyr ſententiam ſubiit capitalem.

Caracalla Albani.

Et fas eſt credere quod ad honorem ſancti, diuino miraculo ſanguis eius ſic in hac veſte ſeruatus, ſicut in puluete ſui ſepulchri per multa ſecula legitur conſeruatus. Cuius pulueris maſſam in qua tubebat adhuc ſanguis martyris, ſanctus Germanus Altiſſiodorenſis epiſcopus ſecum abſtulit, & detulit ad natale ſecum Altiſſiodoro, capellam conſttuens in honorem martyris memorati. Rex igitur & omnes aſſiſtentes, de tanto miraculo ſtupefacti, proni cotruerunt in tertam. Et facta eſt non parua hæſitatio quis accederet ad deponendum operculum & feretrum contingendum. Tãdem rex ipſe cæteris animoſior, operculum detraxit ad locum ſuum, & tunc primo cognouetunt Elienſes quid de ſancto Albano haberent, quid non haberent, cum oculata fide cernerent in dicto fetetro ptæter Caracallam nihil omnino contineri.

Craſſa cæcitas.

Rex vero hilarior effectus de tei comperta vetitate, dedit illic dona varia, reſiduum temporis quo manſit ibidem ducens in ſumma lætitia, frequenter conferens de merito martyris Albani & gloria, & iudicans nõ ſine diuina factum prouidentia vt in duobus locis tam celebribus ſpecialis veneratio martyris habetetut. Et ait Elienſibus, gaudete de Dei munere, gaudete de tanti martyris meritis & ſanctitate, quia ſi prout dicitis, hic Deus per illum plura facit miracula ratione veſtis, credatis quod apud ſanctum Albanum ampliora facit miracula ratione corporis illic ſanctiſſimi quieſcentis. Rex de inſula Elyenſi tranſiuit Lincolniam, deinde ad Ebotacum & nouum caſtrum ſuper Tynam, Berewicum perueniens, expectauit ibidem omnes qui ſibi debebant ſetuitium militare, cunctiſque illuc peruenientibus qui ſibi huiuſmodi debebant ſeruitium, ptæter Thomam comitem Lancaſtriæ, & comites Warenniæ, Warwichiæ, & Arundeliæ, qui venire nolebant, eo quod articulos petitos totiens & conceſſos ad effectum detractauit perducere.

Rex in Scotiam properat.

Digitized by Google

Bellum Striuelinenſe.

Prælium atrox inter Anglos & Scotos.

Comes Glouerniæ in medios hoſtes irruit.

Gilbertus cæſus.

cete. Diſpoſuit militiæ ſuæ turmas,& ad obſidionem caſtri de Striuelin diſſoluendam cum grandi exercitu maturauit. Cumque fixiſſet prope locum tentoria, quidam de regis Anglorum exercitu equitationes coram cuneis Scotorum facientes, ipſos atrociter prouocabant, quibus illi viriliter occurrentes, multos Anglorum nobiles die Dominico in Sancti Iohannis Baptiſtę vigilia peremerunt. Quo caſu Anglici exacerbati, in craſtino vindicari firmiter proponebant, cumque dies illuxiſſet craſtinus ad pugnam ſe vterque exercitus pręparabat. Circa vero horam diei tertiam appropinquantes ſibi vtriuſque partis acies, iuxta rei militaris regulam turmas ad pręliandum diſponunt. Duces Anglorum pedites cum arcubus atque lanceis in prima componunt acie, equites diuerſis alis retro conſtituunt. Ex parte vero Scotorum omnes erant pedites, eo quod in bello commiſſo quondam iuxta Fenkyrke non proſpere ceſſiſſet equitibus eorundem, qui deſerta pugna fugerunt, pedites in prælio deſerentes. Robertus de Brus qui ſe regem Scotorum nominauit, pedes Scotorum pręceſſit exercitum, dans ſuis exemplum, vt nemo de fuga cogitaret. Cumque iam ventum fuiſſet ad manus, vt confligerent collidentibus cateruis ad inuicem, plures attoniti, multi ſaucii, multique mortui curreruut, ibi lancearum confractarum fragor horribilis, enſium in caſſides vibratorum tinnitus terribilis, ſecurum Scoticarum vis intollerabilis, ſagittarum & ſpiculorum in vtramque partem miſſorum nubes formidabilis, etiam bene cordatos poterant terruiſſe. Congeminatio ferientium, vox cohortantium, ſtrepitus conclamantium, gemitus morientium poterant vltra quam dici fas eſt procul audiri, variante fortuna vices dum certatum eſt, nec poterat per longum diſcerni tempus, quę pars potior videretur. Tandem ſæuiente Bellona, diſcrimini patuit pars Anglorum. Quod cernens Gilbertus comes Glouernię, velut aper infrenduit, & feritate concepta, cum ſuis commilitonibus in Scotos irruit, quorum quoſdam mucrone mutilat, truncat & trucidat, & gladium ſuum cruore Scotico multipliciter madefacit, quemcunque gladio feriebat vel caput illi vel membrorum aliquod amputabat. Cernentes Scoti tam ſæuum aduerſarium ſuis tam crudeliter inſiſtentem, conglobati concurrunt ſuorum ſuccurſui, circumuallantes Gilbertum ex omni latere, conuertuntque in eum pondus prælu, lateribus eius applicantes cuſpides lancearum & enſium, hinc inde impingentes eum tot viribus, tanta feritate, donec ad terram caderet ſuis viribus deſtitutus, tunc rabidi & inhumani Scoti caput eius ſecuribus biſacutis & gladiis tundunt, pungunt, & feriunt, donec inter pedes ſonipedum ſpiritum exhalaret. Quod videntes ſui famuli, fugere feſtinarunt.

Nomina & numerus cæſorum.

Comes Herefordiæ capitur.

Radulphus de Mounthemer liberatur.

Nobilis etiam baro Robertus de Clyfforde cum multis aliis viris nobilibus in hoc funeſto conflictu peremptus eſt, ceciderunt nempe die illo dominus Paganus Typotette, dominus Willielmus Mareſcallus, dominus Ægidius de Argenten, dominus Edmundus de Maule, cum multis alus quorum nomina pręſentibus inſerere longum foret, ad numerum videlicet, & ſcutiferorum ſeptingentorum. Comites de Herefotd & de Penbroke videntes ſuorum plagam terga verterunt, ſibi fugæ præſidio conſulturi. Sed Comes Herefordiæ in fugiendo captus eſt iuxta caſtellum de Boſuilla: capti ſunt autem & in cuſtodia detenti barones & baronetti viginti duo, milites ſexaginta octo, clerici & ſcutiferi numero exceſſiuo, de quibus dominus Rogerus de Northburghe, cuſtos targiæ domini Regis, quæ ab eodem ibidem per Scotos eſt ablata, in captiuitate ductus. Summa vero totalis, tam comitum, baronum & baronettorum, quam militum interfectorum & captorum ibidem centum quinquaginta quatuor. Interea dominus Radulphus de Mounthemer, qui deſponſauerat dominam Iohannam de Acres comitiſſam Glouerniæ & regis pręſentis ſororem, captus fuerat apud Striuelin, inuenit gratiam in oculis Scotorum, ratione cuiuſdam familiaritatis cum Rege eorundem quondam in curia Regis Angliæ habitę caſu fortuito, ita quod redemptio ſua fuit ſibi perdonata. Qui in Angliam rediens, targiam domini Regis, modo quo permittitur, à cuſtode eiuſdem ablatam per Scotos, ſecū vſu ipſius reportauit, ratione pręuia ex toto nihilominus interdicto. Rex vero etſi ardenter cuperet vindicari, & inſtaret ad fundendum Scotorum ſanguinem, à ſuis tamen de loco diſcriminis inuitus educitur, & ad fugiendum compellitur, pro tanto infortunio gemebundus. Commiſſum eſt autem iſtud cruentum prælium iuxta caſtrum de Striuelin, in loco qui Bannekemora vulgariter appellatur, Scotorum tripudio, luctui Anglicorum, qui ab hoc die creuit Scotis animus & audacia, Anglis timor & vecordia, vt in ſequentibus plenius apparebit. Cum autem Gilbertus co-

mes

Abſolutio papalis cauſa periurii.

rebellantes defendit & fouit. Propter quæ vocatus eſt Archiepiſcopus ad curiam, & ab executione officii ſuſpenſus, quouſque de ſibi impoſitis legitime ſe purgaret: obtinuitque Rex à domino Papa abſolutionem à iuramento, quod inuitus præſtiterat ſuper obſeruantia libertatum alias à Comitibus & Baronibus exactarum, vſus conſuetudine & cautela paterna, qui, quotiens inſtabat neceſſitas, de facile iurare voluit, ſe ſatisfacturum votis ſuorum, & eadem facilitate voluit reſilire, quotiens ſibi tempus commodior arrideret, prætendens ſemper papalem abſolutionem à præſtito iuramento.

Rex Franciæ Bonifacii Papæ oſſa exurere voluit.

Rex Franciæ per hoc tempus petiit per ſuos nuntios à domino Papa oſſa prædeceſſoris ſui Bonifacii, ad comburendum tanquam hæretici, inſtantia importuna. Petiit etiam ſanctorum cathalogo aſcribi fratrem Petrum de Murrone, qui quondam fuit Papa, dictus Celeſtinus quintus. Hoc anno Rex Angliæ Petrum de Gauerſton apud ſe à diuerſis accuſatum, regnum Angliæ abiurare coegit. Ad annuntiationem dominicam aderat Rex Edwardus cum magnatibus apud Weſtmonaſterium, acturus Deo gratias & beato Edwardo, pro triumpho de Scotis potito, compaſſuſq; ſuper iniuſta carceratione Monachorum Weſtmonaſterium, iuſſit mox fieri liberationem ipſorum: ſed ſuperabundante peruerſorum iudicum malitia prolongantium iniquitatem ſuam vltra præceptum Regis, retinuerunt per octo dies monachos in priſona, quo audito, præcepit Rex iuſtitiatiis, vt omiſſis cęteris curis incarcerati monachi eorum abbati continuo redderentur. Eodem anno quidam hęreticus apoſtata ſurrexit in Venetia, nomine Doncinus, qui plurima contra fidem prædicauit, & inter cætera finē mundi infra trienniū nūc inſtare fallaciter vt veraciter p̄dicauit, qui multos ſibi congregauit. Aſſeruit etiam hominem quemuis cum quauis muliere commiſcere non eſſe peccatum, & mulierem renuentem cuiuſque hominis amplexum, dignam ignibus concremari, qui non ita multo poſt captus, & ignibus eſt combuſtus. Tranſit annus iſte ſimilis multis annis præcedentibus, in frugum fructuumq; procreatione, qui non ſolum neſciebant abundare, ſed nec ad ſatietatem omnium fructum ferre: fuit etiam quietus Gallicis: ſed inquietus Anglicis atq; Scotis.

Monachi Weſtmonaſt. carcere liberati.

Hæreticus exortus Venetiis.

Annalis concluſio.

Natale celebratur Carleoli.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo octauo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu primi triceſimus quintus & vltimus, fuit idem rex ad natale apud Carleolum, cum magna multitudine populi Anglicani. In octauis ſancti Hilarii rex parliamentum habuit Carleoli, in quo per maiores graues depoſitæ ſunt querimoniæ de oppreſſionibus Eccleſiarum & monaſteriorum multiplicibus, & extortionibus pecuniarum per Clericum domini Papæ magiſtrum Wilhelmum Teſta nouiter in regno inductum. Præceptumque eſt eidem Clerico de aſſenſu Comitum & Baronum, ne de cętero talia exequatur. Ordinatum fuit etiam, quod pro remedio ſuper his obtinendo, ad dominum Papam nuntii mitterentur. In eodem parliamento edita ſunt ſtatuta quædam religioſos tangentia, qui domos ſuas principales in alio regno habebant. Ad iſtud parliamentum venit tranſmiſſus per dominum Papam Cardinalis quidam Petrus Hiſpanus dictus, pro matrimonio inter filium Regis Angliæ, & filiam Regis Franciæ, ſecundum quod à Papa Bonifacio, tanquam mediatore pacis ordinatum fuerat conſummando. Cui per Regem reſponſum eſt, paratum ſe fore implere quæ ordinata ſunt, dummodo Rex Francorum velit ex parte ſua, quæ ad ipſum pertinent, adimplere. Dederat enim Rex Franciæ, dum Waſconiam tenuerat, caſtrum, quod Malileonis dicitur, cuidā militi, qui illud adhuc detinebat, nec ad mandatum Regis Francię illud curabat reſtituere, ob quam cauſam fertur illud matrimonium hactenus fuiſſe dilatum. Rediit itaque Cardinalis Londonias, vbi ſuper his certitudinem expectaret. Interim Robertus de Brus terram circumiens, multos ſibi rebelles peremit, miſitque cum parte exercitus duos fratres ſuos, Thomam militem, & Alexandrum clericum, ad aliam partem terræ, vt homines terræ ad ſe allicerent blanditiis atque minis. Qui Anglicis ſuperuenientibus capti ſunt, & ducti ad iuſtitiarios, ac condemnati, primo tracti, ac poſtea ſunt ſuſpenſi. Tempore huius Regis fratres, qui dicuntur minores, ſeu, quod latius publicatur, & nequius comprobatur, totius Eccleſiæ exploratores, ad illicita legis ſuæ aſpirantes, obtulerunt ſummo Pontifici quadraginta millia de florenis aureis, & pecuniam multam nimis, pro terris, prædiis, redditibuſque licite obtinendis. Quibus Papa, vbi eſt (inquit) illa veſtra pecunia? At illi dixerunt, in manibus mercatorum: Et datis fratribus induciis trium dierum reſponſionis habendæ, abſolutis mercatoribus à depoſiti cuſtodia, præcepit Papa ſub interminatione anathematis, pecuniam ipſam eius neceſſitatibus cuſtodiri. Reſpon-

Papa per legatū nuptias conciliat. Nuptiæ hæ celebratæ ſunt 25. die Ianuarii, 1307. apud Boloniam iuxta mare.

Papa fratres minores grande pecuniarum ſumma emungit.

ditque

ditque fratribus regulam ſancti Franciſci canonizatam ſe nolle ſenſu aliquo violare, nec fratres ab eo aliquando declinare, ſed ſecundum eam degere ſemper debere. Sicque factum eſt, vt quod iniuſtius acquiſierant æquiſſime amiſerunt.

Ventus vehemēs.

Eodem anno ventus vehemens & damnoſus proſtrauit arbores, ædificia & campanilia multa, in regno Angliæ per diuerſa loca.

Saracenorū ſtrages per Tartaros.

Eius quoque tempore Rex Tartarorum, & Rex Armeniæ, & Rex Georgianorum, congregato exercitu, qui fuerunt decies centena millia, & quadraginta millia in equis, inuocato contra Sarracenos Chriſti adiutorio dimicarunt. Et cæſa ſunt apud Halapiam, Alachemala, & Gararam, & Damaſcum ex Saracenis pluſquam ducenta & quadraginta millia, in vltionem ſanguinis Chriſtianorum, effuſi apud Acon, Tripolim, & cetera loca ſancta.

Ratio conuerſionis Tartarorum ad fidem.

Horum Tartarorum conuerſionis, vt fertur extitit iſta cauſa: Frater magni Regis Tartarorum, Caſſiam (cum eſſet Paganus) adamauit, filiam Regis Armeniæ Chriſtianam, quam à patre petiit in coniugem ſibi dari. Rex autem Armeniæ noluit acquieſcere, niſi fieret Chriſtianus. At ille præualens viribus & potentia, ſibi intulit minas belli: tandem Rex accepto conſilio, quod meliores ſunt nuptiæ quam pugnæ, annuit poſtulatis. Deinde ſuſcitata prole maſculini ſexus inter eos, inuentus eſt hiſpidus & piloſus velut vrſus. Quo patri oblato dixit non eſſe ſuum, quemque iuſſit ſtatim igne cremari, mater vero contradicens, petiit ſibi dari infantem, quo accepto iuſſit eum baptizari, & ſtatim poſt trinam immerſionem in ſacro fonte cecidit omnis piloſitas de infante, & apparuit lenis & pulcherrimus puerorum. Hoc viſo, credidit pater & domus tota.

Robertus de Brus Anglos fugat.

Poſt Paſcha Robertus de Brus, aucto iam ſuo exercitu, congreſſus cum Aymero de Valentiis ipſum compulit in fugam, paucis de his, qui erant cum eo peremptis. Infra triduum etiam ſequens fugauit Comitem Glouerniæ, multiſque hinc inde occiſis ipſum obſedit in caſtro de Are, quouſque per exercitum à rege miſſum fuit obſidio diſſoluta. Ex tunc autem inſequentibus eum Angliçis fugit ad loca paluſtria & nemoroſa, in quibus latibula quæritantem comprehendere minime potuerunt.

Tranſlatio Seberti Regis.

Hoc anno cum placeret fratribus de Weſtmonaſt. transferre Sebertum regem de veteri Eccleſia in ſuam nouam baſilicam, qui primo de regibus Anglorum ibidem in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis fundauit Eccleſiam, & cum deuotionis ardore eius aperuiſſent ſepulchrum, inuenerunt manum eius dexteram integram in carne, cute, vnguibus, & oſſibus compactis vſque ad medium brachii, qui iacuerat ibi per annos circiter ſeptingentos.

Hortatio regis ad filium.

Tunc Rex Edwardus miſſis per Angliam nuntiis, præcepit ſub graui pœna, vt omnes, qui ei debebant ſeruitium, parati eſſent apud Carleolum infra tres ſeptimanas poſt feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ.

Rex laborat diſſenteria.

Interea Rex grandæuus vexari cœpit diſſenteria, & quia iam deſperabat de vita diuturna, miſit ad filium, vt maturaret audire patris extrema colloquia. Quem inter cætera miſericordem fore monebat, & iuſtum & affabile vniuerſis, conſtantem in dictis & factis, familiarem bonis, & præcipue miſeris miſericordiam impartiri.

Edwardus Rex ſua oſſa per Scotiam deportata hoſtes fugare poſſe exiſtimabat.

Deinde præcepit, ne poſt mortem ſuam feſtinaret ad coronam Angliæ ſuſcipiendam, donec paternas iniurias in Scotos honorifice vindicaſſet, ſed moraretur in partibus, & aſſumeret ſecum oſſa paterna in aliquo vaſe recluſa, quæ ſecum faceret deportari, donec totam Scotiam peragaſſet, & omnes ſuperaſſet aduerſarios vel cepiſſet. Quoniam (inquit) nullus te poterit ſuperare, dum oſſa mea tecum feceris deportari. Præcepit etiam, vt fratres ſuos, Thomam & Edmundum diligeret & foueret, quorum vni, Thomæ videlicet, dederat comitatum Cornubiæ, Edmundo vero comitatum Mareſchalli. Præterea, monuit vt matrem ſuam Margaretam reginam, tanquam bonus filius coleret, & amaret: iuſſit etiam ſub interminatione maledictionis ſuæ, ne Petrum de Gauerſton communi decreto exiliatum ſine communi fauore præſumeret reuocare. Intimauit ei quoque, quod crucem ſuſcepiſſet pro negotio terræ ſanctæ, quam propoſuit perſonaliter adiuiſſe, ſed turbatus per molitiones Roberti de Brus nouas & varias, impeditus fuit à propoſito, & bellum in Scotiam transferre coactus eſt, omiſſo negotio memorato. Triginta (inquit) & duo millia librarum argenti præparaui ad exhibendum ſepties viginti milites honorifice in terra ſancta cum ſua familia, quia mihi non datur votum perficere in perſona propria, qui cor meum illuc deferent & reponent. Quod cum ſecum deportauerint, ſpero in Deo meo, omnia illis proſpera ſucceſſura. Præcipio, ait, igitur, diſtricte ſub pœna maledictionis paternæ, ne dicta pecunia in alios vſus expendatur.

Filius immorigerus patris mandata negligit.

Sed filius regis patre defuncto nihil horum complere voluit, ſed guerras Scotiæ mox deſeruit, &

regnare

regnare feſtinauit. Petrum de Gauerſton contra ſuorum voluntatem procerum reuocauit, quem militem mox creauit, & totam pecuniam, quam pater ordinauerat ad ſuccurſum terræ ſanctæ prodigaliter ſibi donauit. Qui proinde in tantam ſuperbiam eſt euectus, vt deſpiceret terræ magnates, publice vocando Thomam Lancaſtriæ comitem hiſtrionem, Eymerum de Valentia Penbrochiæ comitem, Ioſeph Iudęum, eo quod pallidus eſſet & longus. Comitem Warwichię Guidonem, eo quod fuſcus eſſet, appellauit, D. de Arderina nigrum canem: ſicque laceſſiuit inſolentiis regni nobiles, donec priuatus capite, docuit ſuo miſerabili fine nobiles milites nõ laceſſendos. Sed hæc in ſequentibus videbit lector plenius ſuo loco: vltiones variæ, quæ contigerunt Edwardo pro contemptu monitionum paternarum. Edwardus vero, quia patris neglexit monita, infeliciter regnauit, poſtea iugiter ipſum & Barones ſuſcitata diſcordia, continua perſeuerante cariſtia, & præcipue tribus annis, quibus incolæ moriebantur pro panis inopia, & iumenta peſtilẽtia perierunt. Et quod plus, neſcio, vtrum verecundandum aut formidandum eſt, quondam Scoti ſubditi toto ſuo tempore in bellis mortalibus, in cunctis pene conflictibus, ex Anglicis vbique victoriam reportarunt, tantumque metum incuſſerunt eis, vt viginti non auderent congreſſum expectare trium Scotorum. Ipſe autem Rex turpiter à Scotis victus eſt circa ſeptimum annum regni ſui, nobileſque multi peremti ſunt ab eiſdem. Ad conſilium etiam miſeriarum ſemper ducebatur malo conſilio, donec efferatus in tyrannidem, Thomam Lancaſtriæ Comitem, & plures ex ſuis naturalibus peremiſſet. Tandem poſt infelicem regni non dicimus gubernationem, ſed potius deuaſtationem, turpiter regno deiectus, à ſuis inhumaniter eſt peremptus. Hæc omnia cunctorum opinione ſibi contingentibus, quia iuſſa patris ſpreuit, & maledictionem veteli patui pendit, quæ cuncta in ſequentibus plenius enarrantur, ſed nunc ad materiam reuertamur. Cum Rex Edwardus præmiſſis monitis, vt præfertur, filium inſtruxiſſet, & de ſua poſtrema voluntate plenius docuiſſet, miſit eum in Angliam, vt ſecundum ea quæ à Rege audiret Franciæ, proficiſceretur ad connubium cum eiuſdem filia contrahendum. Pro qua cauſa parum ante in Angliam miſſus fuerat quidam Cardinalis, dictus Petrus Hiſpanus, vt pacta nuptialia confirmaret. Poſt deceſſum filii cæpit Rex prout ante vexari diſſenteria, mouit nihilominus de Carleolo, quinto nonas Iunii, paruis dietis verſus Scotiam proficiſcens. Pridie vero nonas Iunii venit ad Burgum ſuper Sandes, vbi inualeſcente morbo, die craſtina, ſcilicet feria ſexta, præſenti vitæ valefaçiens, dies ſuos in bono, & annos ſuos in Angliam conſummauit. Regnauit autem annis triginta quatuor, menſibus ſeptem, diebus viginti vno, compleuitque ætatis ſuæ annos ſexaginta octo & dies viginti. Duxit autem Rex iſte nobilis duas vxores nobiles, primo videlicet Alienoram ſororem Regis Hiſpaniæ, viuente patre ſuo Henrico illuſtri rege Angliæ, de qua quatuor filios genetauit, Iohannem primogenitum, Henricum, Alfonſum, & Edwardum, qui ſibi ſucceſſit in regno, & quinque filias: Alienoram ſcilicet, quam dominus Wilhelmus Comes de Bares cepit in vxorem: Iohannamque de Acres, quæ data eſt Gilberto de Clare Comiti Glouceſtriæ in vxorem, quæ poſt deceſſum Comitis quendam bachalarium nomine dominum Radulphum de Monhermer accepit in maritum inconſulto patre: Margaretam, quæ deſponſata uit D. Iohanni Duci Brabantiæ: Matiamq;, quæ habitũ Sanctimonialiũ accepit apud Ambreſbirie: Et Elizabethã, quã Comes Holandiæ duxit in vxorẽ. Quo mortuo dominus Humfridus de Boun, comes Herefordiæ, duxit eandẽ. Secũdo duxit Rex præfatus in coniugẽ Margaretam ſororem Philippi regis Franciæ, de qua genuit duos filios, Thomã dictũ de Brotherton, & Edmundum, & vnã filiã nomine Margaretam.

Rex filiũ remittit in Angliam.

Vxores & liberi regis Edvvardi primi.

Hæc idcirco dignum duxi ſcribere, ne poſteris lateat generatio tanti Regis. Fuerat autem in armis ſtrenuus, bellicoſus etiam & victorioſus: totam Angliam de manu Simonis de Monteforti, & eidem adhærentium Comitum & Baronum acquiſiuit. Walliam de manu Lewlini in ſuos vſus accepit. Aquitaniam quoque de manu Regis Franciæ ſapienter extorſit. Scotiam ſæpius ſubiugauit, ſed ea capta per Robertum le Brus ipſe in lecto mortis iacens, ex magnanimitate cordis iuſſit corpus ſuum ibi remanere inſepultum, & deferri in exercitu, donec tota Scotia eſſet finaliter ſubiugata, de quo quidam ſic ſcripſit:

Victoria.

Dum viguit Rex, & valuit tua magna poteſtas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnauit honeſtas.

Poſt Principis prædicti deceſſum venerabilis pater dominus Petrus Hiſpanus Cardinalis, & Clerus Angliæ, cunctique regni nobiles, qui intereſſe poterant, obuiam

uiam corpori vndique occurrerunt, ſolemnes proceſſiones, ad quas venerat, per Eccleſias faciendo. Requieuit autem corpus venerabile inhumatum in Eccleſia Canonicorum de Waltham vſque in diem ſepulturæ ſuæ, ſcilicet per ſexdecim ſeptimanas, per quod tempus ex mandato executorum Regis illuc deſtinati ſunt de ſingulis magnis Monaſteriis vicinis in circuitu hebdomadatim, ſex Monachi ſeu Canonici, vel alii religioſi, qui circa corpus vigilias facerent, & exequias ſolemniter continuarent, non ſine grauibus laboribus & expenſis. Nec cuiquam licebat recedere, donec arbitrio executorum licentiatus fuiſſet. Cardinalis autem indulſit veniam vnius anni omnibus dicentibus orationem dominicam cum ſalutatione angelica pro anima dicti Regis. Cumque à feſto tranſlationis ſancti Thomæ martyris vſque ad feſtum Apoſtolorum Simonis & Iudæ iacuiſſet inhumatum corpus regium, tandem ipſo die Apoſtolorum apud Weſtm. eſt ſepultum, patre venerabili Antonio Patriarcha Ieroſolymitano & Dunelmenſi epiſcopo miſſam celebrãte, & extremas exequias faciẽte.

Exequiæ.

Indulgentia Cardinalis ſacrilega.

Sepultus Weſtmonaſterii.

DE EDVVARDO POST CONqueſtum ſecundo.

POST mortem toti mundo deflendam Edwardi Regis inuicti ſucceſſit ei filius ſuus Edwardus cognomento de Caerneruan, non tam iure hereditario, quam vnanimi aſſenſu procerũ & magnatum. Non tamen coronatus eſt vſq; ad 12. Cal. Martii, quando vna cum noua cõiuge ſua filia regis Franciæ Iſabella, regale diadema ſuſcepit. Et in die S. Matthiæ Apoſtoli coronantur dominus Edwardus rex Angliæ & domina Iſabella regina apud Weſtmonaſt. ab Epiſcopo Wintonienſi commiſſione Archiepiſcopi Cantuarienſis ſpeciali in finibus tranſmarinis per biennium exceptis ſeptem ſeptimanis exulantis, propter iram domini regis Edwardi nuper defuncti, quã certis de cauſis incurrebat: cui quidẽ coronationi interfuerunt dominus Carolus & dominus Ludouicus de Claro monte, fratres regis Franciæ, dux quoque Brabantiæ, & Comes de Fens, & cæteri magnates vtriuſque Franciæ & Angliæ, & Domicella de Artoys miræ pulchritudinis iuuencula. Eodem anno, dominus rex reddidit Gilberto de Clare terram ſuam, redemptione facta pro tempore minoris ætatis. Sed hoc anno prius octauo Calen. Februarij Edwardus deſponſauit Iſabellam, filiam regis Franciæ, apud Bolon ſuper mare, quibus nuptiis celebrãdis interfuerunt 4. reges, videlicet Philippus rex Franciæ, rex Nauarræ filius regis Franciæ, rex Almaniæ, & rex Ciciliæ, Regina Franciæ Maria, mater Margaretæ reginæ Angliæ, regina Angliç domina Margareta Edwardi primi ſponſa, regina Nauarræ cum copioſa dictorum regnorum multitudine. Nihilominus defuncto patre, fidelitates & homagia à Prælatis proceribuſque ſuſcepit. Sed medio tempore, priuſquam corpus paternum ſepulturæ traderetur, poſuit maculam in gloria ſua, erectus in tyrannidem, vnde mox contraxit infamiam perſeueraturam temporibus diuturnis. Nam Ceſtrenſem Epiſcopum dominum Walterum de Langtona, regni theſaurarium, & patris executorem præcipuum, executione teſtamenti penitus impedita, capi fecit & includi, ac Dei timore, & Sanctæ matris Eccleſiæ honore poſtpoſitis, inhumane fecit tractari eundem. Cauſa inimicitiæ fuit, quia dictus Epiſcopus, patre ſuo viuente, de ſuis corripuit inſolentiis, & ſuperfluis compeſcuit ab expenſis. Ex cauſis præmiſſis infenſus Epiſcopo effrenis iuuenis, eum ſqualore carceris coarctauit, & omnibus bonis ſuis, ac etiam ſibi debitis ſpoliauit, nec erat in regno, qui pro eo verbum facere auſus fuit, tanta fuit bilis iuuenis contra eum. Fecit inſuper iuſtitiarios inquirere de perſona ſua, vt ſi quicquam inordinatum repeniſſent, Rex proculdubio ab eo vltra pœnas meritas exegiſſet. Rationem etiam Rex petiit ab eodem de officio theſaurarii, & tempore ſuæ miniſtrationis. Sed Pontifici ſemper congruis datis ad obiecta reſponſis, nullo ſenſu potuit culpabilis inueniri, tandem aſpirante diuina gratia, & auctoritate papali mediante ad ſemi gratiam Regis recipitur, rebus ſuis omnibus reſtitutis.

Edwardus de Caerneruan.

Epiſcopus Ceſtrenſis regis mandato in carcerem ſine cauſa coniectus.

Eodem tempore rex iuuenis reuocauit ab exilio Petrũ de Gauerſtone, qui dudum tempore patris ſui certis de cauſis aſſenſu communi procerum & magnatum exilio perpetuo fuerat condemnatus. Iſte Petrus filius fuerat cuiuſdam generoſi, ſed alienigenæ de Waſconia, qui in obſequio militauerat laudabiliter Regis patris, cuius obſequii gratia Rex hunc Petrum puerulum in ſuam ſuſcepit curiam, adiungens eum

Petrus de Gauerſtone reuocatus ab exilio.

filio

filio ſuo curia, cum quo à pueritia adoleuit. Inuenit autem tantam gratiam coram regis filio, vt ipſe ſpretis vel parui penſis magnatum regni filiis, huic ſolummodo adhæreret, eius tantummodo ſeruitium acceptaret. In tantumque lapſu temporis creuit amor, vt ab eo vſque ad mortem ſaltem animo non poſſet ſeparari. Ille vero, & ſi eum facietenus reamaret, eius, ni fallor, munera plus amauit, dum theſaurum & regni iocalia, quæ filii Regis eſſe debuerant, penes ſe collegit, & tranſmarinis mercatoribus ad vſus ſuos proprios tradidit conſeruanda. Igitur cum (vt diximus) dictum Petrum ab exilio reuocaſſet, incõſultis cunctis regni proceribus illi contulit comitatum Cornubiæ, & inſulam Man, quæ ſpecialiter ſpectat ad coronam. Eodem anno tertio idus Octobris tenebatur Parliamentum Northamptoniæ, in quo fuit ordinatum, vt moneta Regis Edwardi patris iſtius Regis, quæ apud incolas viluerat, poſt deceſſum eius curreret more ſolito, ſub pœna vitæ & membrorum. Et quinta decima clericorum, ciuium & burgenſium totius terræ, & laicorum viceſima Regi nouo concederetur. Sub eodem tempore capti ſunt omnes templarii per totam Angliam præcepto regio vno die, propter plurima inhoneſta & enormia fidei catholicæ inimica, ſuper eiſdem prius per vniuerſum orbem captis reperta & probata, & in diuerſis regni caſtellis incarcerantur. Tranſit annus iſte frugum ferax & fructuum, qui communitati ſufficerent, ſi non nimium recondarent: Francis ocioſus, Anglicis & Scotis inquietus. Et ſuper hæc Anglis præcipue flebilis, pro amiſſione tanti Regis, cui non par in mundo eo tempore habebatur.

Inſula Man propria ad coronam ſpectat.

Annalis concluſio.

Natale apud Wy, manerium Abbatis de Bello.

Anno gratiæ milleſimo treceteſimo nono, qui eſt annus regni Regis Edwardi nondum coronati à conqueſtu ſecundi, ſecundus, tenuit idem Rex natale apud Wy, mancrium Abbatis de Bello, cum familia multa nimis: paucis poſt natale diebus tranſactis, transfretauit in Franciam, vt Regis Francorum filiam in vxorem duceret nomine Iſabellam, quæ paulo plus annos duodecim habuit in ætate. Commiſit autem regni cuſtodiam Petro præfato, ob quam cauſam murmur immodicus inter proceres regni ſuccreuit. Nuptiis in Francia apud Boloniam iuxta mare, quibus quatuor Reges interfuerunt, videlicet Rex Franciæ, filius Regis Franciæ, Rex Alemaniæ, & Rex Ciciliæ, celebratis, ſolenniter ad regnum Angliæ reuertitur cum vxore. Igitur proceres occurrunt Regi ſuo coniugique nouæ, & à cunctis elaboratur, quis propenſiorem honorem impendere poſſit illis. Occurrit inter cæteros ipſe Petrus, quem mox Rex in amplexus ſpecialius admittebat, & familiarius reſpiciebat. Inuidebant ergo proceres, ſed vindictam in tempus aliud differebant. Eodem anno ſexto Calendas Martii, die videlicet ſancti Matthiæ Apoſtoli, Rex & Regina cum ſolemnitate maxima apud Weſtmonaſterium ab Epiſcopo Wintonienſi, commiſſione Archiepiſcopi Cantuarienſis exulantis, magnifice coronatur. In die, quo Rex debebat coronari coram Carolo & Ludouico comitibus patruis reginæ, Iohanne duce Brabantiæ, & Margareta duciſſa, Comite Sabaudiæ, & multis aliis nobilibus, tractauerunt Comites & Barones regni Angliæ de ſtatu regni, petieruntque à Rege amotionem Petri de Gauerſton à regno, ſed Rex noluit conſentire, idcirco propoſuerunt Comites coronationem regiam impedire. Quod Rex intelligens, promiſit bona fide ſe facturum illis in parliamento proximo quicquid peterent, tantum ne coronatio differatur. Interim Rex miſit poſt regale ſancti Edwardi in eccleſia monachorum ibidem, in quo poſt miſſam eſt in palatium reuerſus, & ad prandium eſt ſeſſurus. Cancellarius regni & theſaurarius de iure portare debent calicem Sancti Edwardi cum patena, ſi preſbyteri fuerint, ante regem: tradidit autem Rex non quibus debebat, ſed voluntarie portiunculas regales ſancti Edwardi, puta crucem, ſceptrum, virgam, calcaria & gladios, ſed coronam Sancti Edwardi tradidit Petro ad portandum manibus inquinatis, ex quo non immerito indignati ſunt populus atque clerus. Fuit autem ibi tanta compreſſio populi, vt quidam miles Iohannes de Blackwel, qui ab antiquo hoſtis illius eccleſiæ fuerat, ſine viatico expiraret. Sed nec Regi coronando, nec Epiſcopis ipſum coronaturis pepercit violentia populi. Et ideo cum feſtinatione nimia & quaſi ſine reuerentia fuit iſta ſolennizatio conſummata. Illo die miſſa in Eccleſia diu poſt nonam, & prandium in pallatio de nocte ſunt finita. P. de Gauerſton ſe intra ſe continere neſciens, Torniamentum fecit iuxta caſtrum apud Wallingfordiam proclamari, & tantam ſibi militiam ex diuerſis partibus aggregauit, quod pene cunctos Anglorum nobiles contra ſe veniẽtes viliſſime conculcauit, inter quos extitere præcipui, Thomas Comes Lancaſtriæ, Humfridus Herefordiæ, Eymerus Penbrochiæ, & Iohannes Warenniæ, quaſi totius regni primores. Hinc ĩpe dure ferentes & Petri ſuperci-

Coronatio.

Proceres petunt, vt Petrus de Gauerſton in exiliũ mittatur.

Io. Blackwel populi concurſu oppreſſus.

Torniamentum.

ſupercilium & acceptum opprobrium, de die in diem, quomodo Petrum perderent, cogitabant. Tranſit annus iſte fruges & fructus afferens, quietus à bello Francis, Anglicis atq; Scotis: Magnates indignantur de Petri ſuperbia. *Annalis cõcluſio.*

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo decimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi, tertius, perpendentes regni magnates, & proceres, aliique terræ fideles, Regem in Petrum deperire præfatum, in tantum, vt nullius conſilium, nullius conſortium, nulliuſue ſolatium curare videbatur, niſi Petri ſolius, & quod tota regni diſpoſitio fiebat illius arbitrio, nec in regali curia cuiuſquam negotia vel promoueri poterant vel expediri ſine Petri conniuentia, indignati ſunt pro eo maxime, quod idem Petrus plus dilexit pecuniam quam æquitatem, plus reſpexit munera, quam cauſarum qualitates, & ipſam pecuniam, quam nequiter acquiſiuit, commiſit cuſtodiendam, vel ad vſus ſuos ampliandam, tranſmarinis mercatoribus, ſicut prius. Et ſuper hæc omnia iuſta ſatis illis accreuit ira, quod viderent ſe contemptui, & alienigenam, quem nec virtus, nec ſapientia commendabant, ſuper ſe ſupra merita ſublimari, & eis in locis omnibus anteferri: dicebant igitur ad inuicem, videtis quia nihil proficimus, expedit, vt iſte tollatur è medio, ne per potentiam inducat extraneos, qui non ſolum noſtras leges, noſtras adnullent conſuetudines, ſed noſtrum forſitan tollat locum. *Proceres inuidẽt Petro Gauerſton.*

Creuit hæc voluntas indies, & quotidie hoc propoſitum firmabatur, tandem licet ſero, prout moris eſt Anglicis, cum ad extremam neceſſitatem peruenerunt, parant erumpere, & Regem ſuper hiis & aliis conuenire. Ad Regem igitur ſine ſtrepitu accedentes, rogant humiliter, vt Baronum ſuorum conſiliis tractare negotia regni velit, quibus à periculis ſibi & regni imminentibus, non ſolum cautior, ſed tutior eſſe poſſit. Annuit Rex votis eorum, & ad parliamentum omnes qui intereſſe debebant, de conſuetudine conuocauit, vbi tractatu diligenti habito, poſtulatũ eſt à Rege cum inſtantia, vt liberam Baronibus diſponendi quoſdam articulos, ſibi regnoq; ſuo nec non Eccleſiæ Anglicanę vtiles, concederet facultatem. Suſpicatus mox Rex, quo eorum intendebat intentio, quod videlicet vel tenorẽ magnæ chartæ, vel chartæ de Foreſta peterẽt confirmari, vel certe (quod plus timebat) Petrum de Gauerſton ordinarent in exilium deſtinari, diu renuit annuere poſtulatis. Tandem ad importunã cunctorum inſtantiam conſenſum præbuit, & iurauit ſe ratum tenere, quicquid proceres ordinauerint. Conſenſu Regis habito, Barones ſibi ſex Epiſcopos adſciuerunt, & plures de clero prudentes cum multis de communibus diſcretis viris, qui prædictos articulos ordinarent. Petrus vero de Gauerſton in hoc parliamento elatus in ſuperbiam, barones deſpexit, & conuitia nonnullis intulit, eorumque perſonas verbis procacibus dehoneſtauit, tollerauerunt tamen nobiles regni hæc omnia, quia ſperabant in proximo vindictam ſumere de eodem, ſed hoc fieri poſſe minime credidit dictus Petrus. Hoc anno Robertus Archiepiſcopus Cantuarienſis ab exilio reuocatur iuſſu præſentis Regis, qui iam per biennium exulauerat, propter offenſam patris ſui. Tranſit annus iſte perexiliter fruges reddens ſiue fructificans: Anglicis ſollicitus & ſuſpicioſus: Scotis & Gallicis ocioſus. *Proceres petunt leges quaſdam condendi facultatem.* *Inſolentia Petri de Gauerſton.* *Archiepiſcopus ab exilio reuocatur.* *Annalis cõcluſio.*

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo vndecimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu ſecundi quartus, tenuit idem Rex natale apud Windeſore cum ſolemnitate magna. Poſt natale dominicum, conuenit vniuerſa multitudo regni nobilium ad parliamentum Londoniis, vbi communi decreto articuli per Barones dudum prouiſi Regi proponebantur, inſtantibus importune Baronibus, vt Rex ipſas prouiſiones confirmaret, & ſui ſigilli ſignaculo roboraret, præſtaret inſuper iuramentum de eiſdem prouiſionibus conſeruandis. Rex vero pro tunc nihil eſſe ratus denegandum magnatibus, corporale præſtitit iuramentum in hac parte, proceribus acquieſcens. Quo facto, dominus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Magiſter Robertus de Winchelſey, mox cum ceteris ſuffraganeis excõmunicationis ſententiam in omnes contradictos articulos venientes ſolenniter promulgauit. His expeditis, articuli in Eccleſia ſancti Pauli Londoniis in præſentia prælatorum, magnatum & communium totius regni, rege præſente publice legebantur, inter quos tenor magnæ chartæ, cum aliis prouiſionibus Eccleſiæ & regno neceſſariis petebatur, & prout dominus Rex pater ſuus iuſſerat alienigenas à ſua curia, regnoque ſuo pelleret, & malos à ſe conſiliarios amoueret. Et vt omnia regni negotia cum cleri magnatumque conſilio tractaret de cetero, nullamque guerram inciperet, vel quocunque extra regnum diuerteret ſine conſenſu communi. Rex autem, & ſi hæc omnia dura ſibi *Natale celebratur apud Windeſore.* *Parliamentum Londini.* *Articuli procerum confirmati.*

& importabilia videbantur, magnatum tamen præbuit prouiſioni conſenſum, & dictum Petrum in Hiberniam exilio relegauit: ſed articulos ceteros nondum effectui mancipauit: gaudebant nihilominus terræ proceres, quod id produxerant ad effectum, vt Petrus cunctis odibilis exularet. Soluto parliamento præfato cunctis cum gaudio ad ſua diſcedentibus Rex manſit triſtis, moleſte ferens exilium dicti Petri, & diſperquirens omni ſtudio, qualiter ipſum poſſet ab exilio reuocare, communicatoque ſuper hoc cum ſuis priuatis conſilio ſuggeſtum eſt, quod ſi ſororem Comitis Glouerniæ, qui tunc erat iuuenis toto regno dilectus, & ſub tutela Regis, præfato Petro daret in coniugem, poſſet ipſum Petrum ab exilio reuocare intrepide. Rati ſunt etiam propter amorem Comitis, pariter & honorem, cuius eſſet ſororius, magnates ceteros cum poſſe magis æquanimiter tollerare. Igitur cum feſtinatione maxima miſſum eſt in Hiberniam, & Petrus in Angliam eſt reductus. Nec mora, Rex inter Petrum & dictam ſororem Comitis fecit nuptias celebrari, licet multum Comiti diſplicerent. Exinde Petrus erexit cornua, & plus ſolito regni nobiles vilipendit. Nec his quidem quieuit, ſed Regem adeo eneruauit, ne dicam, infatuauit, vt cor eius auerteret, & voluntatem à pacto, quod pepigerat, ne videlicet tractaret regni negotia ſine communi conſilio dominorum. Cœpit etiam (ſicut prius) indies theſaurum Regis colligere, & negotiatoribus vltramarinis commendare, non quidem ad regios, ſed ad vſus ſuos, & in tantum expilauit Regem, vt non haberet, vnde ſolueret expenſa conſueta vel neceſſaria domus ſuæ. Nec ſolum Rex rei familiaris penuria, Petri ſtultitia laborauit, vel magis auaritia: ſed Regina tantum rebus neceſſariis arctabatur, vt Regi Franciæ patri ſuo lachrymabiliter quæreretur honore debito deſtitutam. Ob quam cauſam Rex Franciæ cunctos Anglicos ſibi notos pro talium abuſionum tollerantia durius increpauit. Inter hæc Petrus ſpiritu exagitatus ſuperbiæ, regni deridebat proceres, ſubſannabat mediocres iactitando ſe, ſicut prius, ipſis inuitis omnia facturum, nec eſſet qui ſuæ voluntatis propoſitum quomodolibet impediret. Igitur Barones conſiderantes, quod eorum patientia Petro malignandi præſtabat audaciam, concepto ſpiritu fortitudinis, domino Regi aſſenſu communi denuntiabant, vt vel dictum Petrum à ſua propelleret comitiua, articuloſque prouiſos effectui manciparet, vel ipſi certe in eum tanquam periurum inſurgerent pari voto. Durus videbatur hic ſermo Regi, qui Petro carere neſciuit, ſed magis videbatur imminere periculum, ſi non ſuis obtemperaret Baronibus in hac parte. Conſiderauit nempe ſuam no[illegible]bilem paupertatem, & ſuorum abundas diuitias, ſuam impotentiam, & eorum v[illegible] & idcirco ad tempus cenſuit illorum condeſcendere voluntati. Idcirco plus timore quam amore, plus neceſſitate quam voluntate coactus, Petrum regnum abiurare permiſit, addita Baronibus conditione, quod ſi vlterius in Anglia, vel quacunque terra Regis Angliæ ditioni ſubiecta potuiſſet inueniri, illico caperetur, & velut hoſtis terræ publicus damnaretur. Igitur ſub præmiſſa conditione, dato ſibi conducto, Angliæ regnum lugens deſeruit. Cuius aduentu cognito, Rex Francorum mandauit regni ſui miniſtris, vt dictum Petrum, vbicunq; poſſit inueniri, caperent, & commendarent diligenti cuſtodię, ne videlicet iterato rediret in Angliam, & filiam ſuam reginam, regniq; proceres conturbaret. Sed mandatum Regis Franciæ Petrum non latuit, quamobrem regnum Francorum mox deſeruit, & intrauit Flandriam, tutas ibidem latebras quæſiturus. Cumque nec illic ſatis tutum ſibi videretur, vagabundus per alia diuerſa loca ferebatur, vbiq; quærens requiem, quam non inuenit, tandem in ſe reuerſus iterum cogitauit regnum Angliæ reuiſere, cõcepta fiducia de Regis amicitia & comitis Glouerniæ, cuius ſororem duxerat in vxorẽ. Et aſſumptis ſecum alienigenis remeauit in Angliam, & parum ante natale dominicum ſe Regis obtutibus præſentauit. Rex præ gaudio aduentus ſui, iuramẽta, pacta, promiſſa negligens, eum ſuſcepit hilariter, tanquam cœleſte munus, & ſecum detinuit cum familia ſua tota. Hoc anno quarto nonas Septembris parum ante horam 9. ignitegii viſum eſt fulgur horribile, quod durauit per totam noctem ſequentem, cum magno tonitru & crebris ictibus circa mediam noctem ſequentibus, ita quod ſepes & arbores in multis locis ſuam viriditatem penitus amiſerunt. Eadem hora Eccleſia de Midleton in comitatu Dorſet Sarum diœceſis cũ campanili & campanis, ornamentis, libris & munimentis Monachorum dicti loci, eodem fulgure, conuentu ad matutinas exiſtente, combuſta & conſumpta eſt: pridie nonas eiuſdem menſis ortus eſt ventus validiſſimus, quo arbores innumerabiles cum ſuis fructibus proſternũtur, & campanilia de Modeforde & Geuelton ad terram

Petrus Gauerſton exulatur.

Rex conatur Petrum reducere.

Petrus reuocatus ſororem comitis Glouerniæ ducit.

Proceres aut Petrum in exilium agi volunt, aut ſe rebellaturos minantur.

Petr. in exilium ablegatus.

Petrus in Angliã reuertitur, & à rege humaniter accipitur.

Fulgur horrendum.

Eccleſia de Midleton concremata.

terram ſimiliter ceciderunt. Hoc anno Archiepiſcopus Robertus excommunicauit Walterum Couentrenſem Epiſcopum, qui noluit in prouinciali conſilio reſpondere, ſuper eo quod ipſe fuit iuratus ordinationes ſeruare Baronum, ſed poſt & contra eas adhæſit conſilio Regis, & fecit Petrum de Gauerſton reconciliari, & ordinationes infringi, vnde dictus Epiſcopus ad ſedem Apoſtolicam appellauit, & perſonaliter ipſam adiuit, & Adam Mirimouth contra eum per Archiepiſcopum deſtinatus. Eodem anno nonis Iunii combuſti ſunt in ciuitate Pariſienſi, iudicio domini Philippi Regis Franciæ quinquaginta quatuor Templarii. Hoc anno Calend. Octobris ſub Papa Clemente quinto celebratum fuit concilium apud Viennam, in quo Templariorum ordo damnatus eſt. Et ante illud concilium per vniuerſum orbem generaliter fuit diuulgatum, quod omnes & ſinguli religioſi exempti, ad ius tranſirent commune, vnde ſolus ordo Ciſtercienſis Papam adiit ante dicti conſilii celebrationem pro exemptione ſua priſtina pacifice obtinenda. Quod & obtinuit donis datis. In iſto conſilio petita fuit & conceſſa decima ſexennalis in ſubſidium terræ ſanctæ, & annis ſucceſſiuis ſoluta. Philippus Rex Franciæ cogitauit vnum de filiis ſuis Regem Hieroſolimitanum facere, & impetrare ſibi omnes redditus & prouentus Templariorum. Et hac occaſione prius multos Templarios in regno ſuo, & præcipue magiſtrum magnum ordinis, & alios multos procurauit comburi, & totum ordinem procurauit, & fecit in conſilio prædicto damnari. Sed tamen propoſitum ſuum de eorum redditibus non eſt conſecutus, quia Papa hoſpitalariis hæc aſſignauit non ſine magnæ pecuniæ interuentu. Depoſitum nempe fuit contra Templarios, & compertum, quod quando receperunt quenquam ad ordinem, amotus omnibus, exceptis fratribus eiuſdem ordinis, adduxerunt illum ad locum priuatum, & totaliter denudauerunt, & tunc vnus accederet ad eundem, & eum oſcularetur in poſteriori parte, deinde induceretur & cingeretur corrigia de ſambuco. Et poſt crux portaretur, & ibi diceretur ſibi, quod crucifixus non eſt Chriſtus, ſed quidam falſus Propheta deputatus per Iudæos ad mortem propter delicta ſua, & fecerunt eum ter ſpuere ſuper illam, & poſtea proiecerunt crucem ad terram, & eam pedibus conculcari fecerunt, deinde oſtenderunt ſibi caput cuiuſdam idoli, quod quotidie adorabant. Et præter hæc depoſitum eſt contra eos, quod vitio fœdabantur Sodomitico, ſtatuentes, quod nullus vtatur mulieribus, ſed quilibet alterutro, cum voluerit, vnde poſtea cum factum fuiſſet concilium prouinciale in Anglia Londoniis contra Templarios ſuper his articulis, quod quidem cōcilium durauit à menſe Maii vſq; ad menſem Iunii, in quo Templarii capti & accuſati fatebantur famam, ſed non factum, niſi vnus vel duo ribaldi in omni ſtatu. Omnes tamen fatebantur finaliter, non poſſe de ſibi impoſitis ſe purgare, & ideo adiudicati fuerunt per concilium perpetuæ pœnitentiæ. Ita quod ſinguli in ſingulis monaſteriis poſſeſſionatis detruderentur pro perpetua pœnitentia peragenda, qui poſtea in huiuſmodi monaſteriis bene per omnia ſe gerebant. Cum in concilio Viennenſi tractaretur, an propter vocationem ſingulorum perſonarum ordinis Templariorum, vel propter acta contra eoſdem poſſet totus ordo damnari propter ſingularium delinquentium vocationes, cum conſtaret, quod dictus ordo non fuerat vocatus, definitum fuit per dictum concilium, quod non de iure. Ideo Papa Clemens in bulla ſua condemnatoria ordinis adiecit hanc clauſulam. Quanquam de iure non poſſumus, tamen ad plenitudinem poteſtatis dictum ordinem reprobamus. Tranſit annus iſte mediocriter fruges ferens, fructus quoque proferens: Anglicis nunc quietus, modo ſollicitus: Francis pacificus: Scotiæ ocioſus.

Templarii cremati.

Templariorum ordo damnatus.

Decima ſexennalis in ſubſidiū terræ ſanctæ.

Templariorum ſcelera de quibus damnati ſunt.

Annalis clauſio.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo duodecimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu ſecundi quintus, tenuit Rex Natale domini Eboraci, cui interfuit Petrus de Gauerſtone, quondam Comes Cornubiæ, cum ſuis alienigenis, Rege gaudente, quia receperat Petrum ſanum, tota curia cum Regina mœrente, eo quod Regem cerneret male ſanum. Poſt natale rumore ventilato per Prouinciam de Petri reuerſione, tota patria merito commouebatur, maioribus & minoribus perpendentibus, non dum quicquam ſuum ingenium, ſenſum, conſilium, vel prouiſionem præualuiſſe, vt dictum Petrum arcerent à regia comitiua, indignati ſunt igitur regni potentes, & diſperquirunt, qualiter meliori modo poſſint cum communi conſilio finem imponere futuræ turbationi. Bellum nempe in patria ſuſcitare timebant, Regemque inquietare publice verebantur. Tamen librato vtrobique periculo, inueniunt, quod viuente Petro eſſe non poterit pax in regno, nec rex

Natale celebratum Eboraci.

Proceres capiunt conſilium de tollendo Petro de Gauerſton.

abundare theſauro, vel regina gaudere Regis amore debito. Cumque diutius præterita, præſentia vel futura pericula ponderaſſent, tandem reperto conſilio, ſtatuunt omnia extrema citius experiri, quam vt hactenus per alienigenam vilipendi. Eligunt ergo ducem pro futuro negotio dominum Thomam de Lancaſtria theſauro diuitem, ſtirpe nobilem, armis ſtrenuum, moribus & iuſtitia præpollentem, cuius originem hic retexere dignum duxi.

Genus Thomæ Lancaſtrenſis.

Henricus Rex Angliæ tertius à conqueſtu ex vxore legitima duos ſuſcepit filios, Edwardum primogenitum, & Edmundum. Edwardo ſibi ſucceſſuro contulit Ceſtriæ comitatum, Edmundo iuniori filio conſulatum Lancaſtriæ aſſignauit. Et poſt cum comes Leiceſtriæ, Simon de Monreforti, & Comes de Ferariis occubuiſſent in bello contra Regem moto apud Eueſham, & eorum comitatus ad manum Regis fuiſſent per eskeatam deuoluti, Rex prædicto Edmundo vtrunque contulit conſulatum, ſibi & heredibus ſuis iure perpetuo poſſidendum, qui licet tres comitatus, videlicet Lancaſtriæ, Leyceſtriæ, & de Ferariis obtineret, nomen tamen Lancaſtriæ retinuit ſibi ſemper. Duxit autem in vxorem mulierem nobilem, quondam Regis Nauarræ coniugem, nuper viri ſolatio deſtitutam. Cuius filia heres effecta Nauarræ, filio & heredi Regis Franciæ maritatur. Quamobrem ex tunc regnum Nauarræ regno Franciæ eſt vnitum. Genuit autem ex dicta domina Thomam de Lancaſtria, de quo fit ſermo, & duos alios filios nobiles, Henricum ſcilicet & Iohannem. Qui omnes ex parte matris eorum fratres erant reginæ Francorum. Igitur cum Edmundus in ſenectute bona hominem exuiſſet, Thomas iure hereditario comes Lancaſtriæ, Leyceſtriæ, & de Ferrariis eſt effectus. Proceſſu temporis dictus Thomas filiam vnicam comitis Lincolniæ deſponſauit, videlicet Henrici de Lacy, vnde de magno maior effectus, poſt deceſſum dicti comitis Lincolnienſis, qui etiam & Sariſburiæ comes fuit, quinq; comitatuum dominus exiſtebat.

Quinq; comitatuum dominus.

Comes vero Lincolniæ memoratus, cum propinquaſſe cerneret terminum vitæ ſuæ, vocato Thoma genero ſuo, monuit vt cogitaret, quomodo Deus eum præ cunctis in regno ditauerit, honorauerit, & gloria fecerit abundare. Quapropter, ait, & Deum diligere & honorare præ ceteris obligaris. Cernis ſanctam Eccleſiam Anglicanam honorabilem quondam & liberam, per Romanorum oppreſſiones & Regum huius regni iniuſtas exactiones (proh dolor) ancillatam: vides & plebem regni tributis & tallagiis apporiatam, & de conditione libertatis in ſeruitutem actam. Cernis regni nobilitatem (quandoque toti Chriſtianitati venerabilem) iam ab alienigenis in terra propria vilipenſam. Adiuro te igitur per nomen Chriſti, vt virum induas, exurgas, & erigas te ad honorem Dei & Eccleſiæ, & patriæ liberationem, adhibeaſque tibi virum ſtrenuum, nobilem & prudentem, Guidonem Warwicenſem comitem cum neceſſe fuerit de regni tractare negotiis, qui & conſilio præeminet, & maturitate pollet. Non verearis inſurgentes aduerſitates tibi dimicaturo pro veritate. Si his meis monitis acquieueris, in æternum honorem & gloriam conſequeris.

Oratio comitis Lincolniæ ad generum.

Romanorum oppreſſiones.

Cum Comes vetulus feciſſet finem huiuſcemodi monitis, ſæculo valefecit, cuius corpus in Eccleſia ſancti Pauli Londoniis eſt humatum.

Comitum cōſpiratio ad liberandam remp.

Igitur Thomæ Lancaſtriæ Comiti pro releuanda ſanctæ matris Eccleſiæ oppreſſione & recuperanda regni debita libertate adhæſerunt viri nobiles, Humfridus de Boun Comes Herefordiæ, Aymerus de Valentiis Comes Penbrochiæ, Guido de Bello Campo Comes Warwici, Comeſque Arundeliæ cum multis aliis Baronibus, quorum nomina ſcribere longum foret. Comes vero Mareſcallus, qui viuaciſſimus fuit exactor libertatum, iamdudum mortuo Comite de Hereford ſeniore, cernens ſe ſolúm non poſſe proficere in præmiſſis, cum herede careret legitimo, timore ductus eſt, vt ſuperius dictum eſt, regem Edwardum patrem iſtius conſtituit heredem ſuum, ſed ipſo poſt modici temporis interuallum ſublato de medio, Rex dictum comitatum intrauit, & domino Thomæ de Brotherdon filio ſuo ex ſecunda regina genito, fratri Regis huius dimidio Comitatum Mareſcalli donauit, iure perpetuo poſſidendum. Gilbertus Comes Glouerniæ ætate iuuenis, quia nepos Regis erat natus ex ſorore ſua, nec Regem volebat offendere, nec paribus deeſſe, in petendis libertatibus mediatorem ſe exhibuit pro bono pacis. Comes Warenniæ, qui diu fluctuauerat, & fauerat parti regis, per Cantuarienſem Archiepiſcopum introductus ſuis paribus iam conſenſit. Comes igitur de Lancaſtria dux electus, regni nobilium communis decreti ſententia, honorabiles miſit domino Regi nuntios, qui moram traxit tunc temporis Eboraci, deprecans per eoſdem ex parte communi, vt vel dictum Petrum eis traderet, vel, vt ordinatum fuerat, regnum euacuare præciperet. Rex vero ſiniſtro ductus

Legatio Lancaſtrie ad regem de remouendo Petro.

ductus conſilio, & tales ſupplicationes parui pendit, & ab Eboraco receſſit, & donec peruenit ad nouum caſtrum ſuper Tynam non quieuit, vbi vſque ad feſtum Aſcenſionis dominicæ perhendinauit, Regina apud Tynemutham interim commorante. Itaq; non tam deſpectum quam deluſum de conſenſu communi collegit exercitum, & verſus nouum caſtrum cum proceribus memoratis cum omni celeritate direxit iter, non quidem vt domino ſuo Regi quicquam iniuriæ vel moleſtiæ irrogarent, ſed vt ipſum Petrum captum ſecundum leges communiter æditas iudicarent.

Proceres arma capiunt.

Cumque Rex audiſſet barones cum armis & exercitu aduenturos, quaſi proſcriptus aut exul fuiſſet, fugit cum dicto Petro celeriter Tynemutham aduentantibus, atque cum ſuis baronibus ad nouum caſtrum, & de facili ingreſſum obtinentibus, illico Rex quandam nauem petiit. Et quamuis regina tunc prægnans plena lachrimis ſupplicaret, vt ſecum moram faceret, nihil omnino compaſſus eidem, aſſumpto Petro, Scardeburgiam nauigauit. In quo quidem loco caſtrum Regis habebatur fortiſſimum, ſed nec armis nec victualibus communitum. Rex autem præcepit ſuis, qui erant in caſtro, vt cuſtodiam Petri ſuſciperent, & caſtellum victualibus inſtaurarent, dum ipſe ad partes Warwichiæ ſe transferret.

Rex fugit vna cum Petro.

Barones itaque cognoſcentes fugam Petri, equos & arma, & bona cetera, quæ Petrus reliquerat, in nouo caſtro appreciari fecerunt, & loco tuto ſeruari, dehinc poſt Petrum lora dirigunt ſine mora, cum autem ad caſtrum de Scardeburgh peruenilſent, tentoria fixerunt ibidem, ſed cum aduertiſſent nullum adeſſe impedimentum in patria, quo minus caſtrum expugnare valerent, Thomas cum ſuis exercitibus receſſit à loco, ne forte multitudo victualibus arctaretur, dimiſſis ibidem ad expugnationem caſtri, Comitibus Penbrochiæ, & de Warenna, qui facientes inſultum, cuſtodes in breui adeo fatigarunt, vt reſiſtere vel defendere ſe nequirent.

Proceres Petrum inſequuntur.

Tunc Petrus cernens ſe non poſſe fugere, eiſdem ſe reddidit, ſub conditione, quod ſimpliciter (omni exceptione ſecluſa) ſtaret ordinationi baronum, nihilq; poſtulauit aliud, niſi vt domini ſui Regis ſaltē ſemel frui colloquio copiam ſibi darent.

Petrus venit in poteſtatē procerū.

Rex vero audiens Petrum captum, rogauit vt colloquio eius potiretur: precatus eſt inſuper, vt eius vita ſaluaretur, pollicens eo pacto ſe magnatum votis in omnibus ſatisfacturum, quam quidem pollicitationem amplectens Comes Penbrochiæ, ſuaſit baronibus, vt hanc petitionem Regi concederent, promittens ſe ſub pœna amiſſionis terrarum ſuarum omnium, ſaluo ſeruaturum dictum Petrum, donec habuiſſet cum Rege colloquium, & ex poſt baronum arbitrio commiſſurum.

Rex petit, vt cū Petro colloquatur.

Conceſſerunt ergo dicto comiti Petri cuſtodiam, eiſdem die & loco præfixis ſine fraude reſtituendum. Comes autem Petrum ad partes Wallingfordię propoſuit perduxiſſe, ſed cum declinaſſet ad villam de Dadington prope Warwicum, comes commiſit ſuis Petri cuſtodiam, ipſo coniuge ſua Comitiſſa in vicino pernoctaturo. Quod comperiens comes Warwici, cum magno ſtrepitu & armarorum multitudine ſuperuenit, & eadem nocte de manibus famulorum comitis Penbrochiæ Petrum rapuit, & ad caſtrum ſuum duxit.

Petrus à comite Penbrochiæ cum ad regem deducente captus.

Cum igitur foret ibi quædam ambiguitas, quid eſſet faciendum de Petro, vtrum foret vtilius mox eum neci tradere, an regiæ voluntati reddere, quidam vir aſtutus & profundi conſilii ſic reſpondit: prædam (inquit) quam diu inſecuti ſumus, & non ſine labore iam cepimus, ſuperuacuum foret iterum foras quærere, ſi eam penes nos poſſemus quomodolibet detinere, penſare debemus viri ſcelera, & per eum patriæ illata damna, quæ ſemper ſequebantur verba ridicula, ſuperba reſponſa. Recolere quoque fas eſt labores publicos & priuatos, expenſas innumeras, vexationes varias, vix vnquam terminabiles, quæ ſuſtinuimus ante prædam captam, & idcirco decerno, vt nunc ſolus prius moriatur hic homo, quam per guerras amplior turbatio creſcat in regno. Aſſentiunt vniuerſi viri conſilio, & Petrum eiiciunt de ergaſtulo, capite plectendum communi iudicio.

Petrus capite truncatur.

Ducitur ergo Petrus ad locum Blakelowe vocitatum, & tanquam legum ſubuerſor, & publicus regni proditor capite truncatus eſt. Et qui quondam vocauerat Guidonem Warwici Comitem, nigrum canem de Arderina, iam iuxta comitis vaticinium morſus amariſſimos ſenſit eiuſdem. Cadauer Petri per fratres Prædicatores Oxoniam eſt delatum, & inter eoſdem plus biennio conſeruatum, donec Rex illud ad manerium ſuum de Langley transferri feciſſet, & in Eccleſia fratrum Prædicatorum, quos ibidem conſtituit de regio fiſco victuros, & pro anima Petri & regiorum progenitorum celebraturos honorifice condidiſſet.

Magnates regni modo præfato de Petro conſecuto propoſito, miſerunt ad Regem, proterue poſtulantes prouiſiones ſuas per eum confirmari, & effectui deman-

Proceres petunt quoſdam articulos confirmari.

dari, comminantes, niſi maturius iſta faceret, ad ipſum venirent, & præmiſſa complere cogerent manu forti. Nec ſegnins impleuere legationem, ſed continno viribus adunatis totam patriam circa Dunſtapliam occuparunt, Rege Londoniis exiſtente.

Legati Pontificii & præſules intercedunt pro pace.

Cernentes autem regni prælati vna cum Gilberto Comite Glouerniæ talem diſſenſionem Eccleſiæ regniq; periculoſam, totis viribus inſiſtebant, vt pax reformaretur, & pars vtraq; quietior eſſe poſſet.

Eo tempore venerunt cum regni pontificibus & dicto Gilberto Comite nuncii Papæ duo, ad ſanctum Albanum, vt ibidem hoſpitati, facilius poſſent ferre & referre partis vtriuſq; reſponſa: vnus illorum Cardinalis extitit tituli ſancti Priſcæ, qui quondam Abbas fuerat montis frigidi in Waſconia, de ordine Ciſtercienſi, & Vicecancellarius modo Papæ: alter vero fuit Epiſcopus Pictauenſis, & poſtea Cardinalis. Hii quoſdam clericos præmiſerunt de ſancto Albano ad villam de Wathamſtede, vbi tunc erant Barones cum ſuis exercitibus, cum literis ſummi Pontificis eis pro pace roganda directis.

Proceres Papæ legatos vitant.

Magnates audientes extraneos eis literas apportaſſe, ipſos quidem pacifice receperũt, ſed literas recipere noluerunt, dicentes ſe non eſſe literatos, ſed armis & militia exercitatos, & ideo videre literas non curarunt. Tunc qui qui miſſi fuerant, requiſierunt, ſi placeret eis habere colloquium cum dominis ſuis domini Papæ nuntiis, qui pro pace reformanda perſonaliter accedere cupiebant.

Obſerua.

Ad hæc proceres reſponderunt ſe in regno multos habere probos & literatos Epiſcopos, quorum conſiliis vti volebant, & non extraneorum quibus non eſſet cognita cauſa commotionis ſuæ, præciſeque dixerunt, ſe nullo modo permiſſutos, vt aliquis alienigena vel forenſis intromitteret de factis ſuis aut quibuſcunque negotiis eos tangentibus infra regnum. Nuntii domini Papæ tali modo perterriti, in craſtino ſummo mane iter verſus Londonias maturarunt, qui apud ſanctum Albanum (loci commoditate illecti) moram traxiſſe per menſem vel amplius cogitauerant. Epiſcopis vero regni cum Gilberto Comite ſic intercurrentibus, ſic ſatagentibus, ſic demum mediantibus, res eſt temperata,

Pax inter regem & proceres.

quod barones theſaurum & equos, & cuncta iocalia, quæ dicti Petri fuerant, & apud nouum caſtrum ceperant, domino Regi, vel eius atturnato apud ſanctum Albanum viuenti reſtituerent, & tunc dominus Rex eorum petitiones perduceret ad effectum. Venientibus igitur ad ſanctum Albanum Iohannem de Sandale regni theſaurario, & Ingellardo de Warle cuſtode Garderobæ regiæ, iuxta condictum ſunt omnia reſtituta.

Regi naſcitur filius Edvvardus.

Hoc anno Iſabella regina peperit Regi Angliæ filium ſuum primogenitum die ſancti Bricii apud Windeſore villam Regis, & licet ibidem tunc præſens eſſet Ludouicus filius Regis Franciæ, dictæ Reginæ frater, & multi magnates Franciæ ſexus vtriuſque, voluiſſentque impoſuiſſe puſiolo nomen Regis Franciæ,

Proceres prohibent, ne puer regis Franciæ nomen referret.

magnates Angliæ hoc permittere noluerunt, ſed eum nomine patris ſui vocauerunt Edwardum, in cuius ortu tota Anglia ingenti plauſu lætata eſt. Et pater eius tam hilaris eſt effectus, vt dolorem, quem de morte Petri conceperat, temperaret. Ab illo die Deo diſponente creuit amor filii, & euanuit in eius corde Petri memoria, & Rex voluntati ſuorum procerum facilius ſolito condeſcendit.

Eclipſis lunæ.

Annalis cõcluſio.

Eodem anno die Iouis in craſtino ſanctæ Luciæ virginis eclipſis lunæ incepit in noctis crepuſculo, & per trium horarum ſpatium perdurauit. Tranſit annus iſte fruges producens, & fructus faciens: ſed tam rarus extitit, vtrinque Gallicis Scotiſque tollerabilis: Anglis varius, ſollicitus & formidoloſus.

Natale celebratur apud Windeſore.

Anno gratiæ milleſimo trecẽteſimo decimo tertio, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi, ſextus, tenuit Rex natale apud Windeſore, cum multi nobiles ex Galliis interfuerunt, ſuſurrones inuiſi, & detractores Deo odibiles. Per hoc tempus regni Barones criminari penes Regem toto conamine inſiſtebant, & ipſius Regis animum in odium conuertere eorundem.

Diſcordia recrudeſcit inter regẽ & proceres.

Effecerunt igitur, vt Rex eorum conſilia parui penderet, & ab eis affectum auerteret, & cultum debitum & conſuetum. Factum eſt igitur, vt rancor inueteratus inter Regem & proceres fomentum reciperet rediuiuum, & quicquid vni parti placuit, alteri diſplicebat.

Parliamentum Londinense.

Anno ſub eodem citati ſunt ad parliamentum Londoniis faciendum cuncti magnates, & qui de conſuetudine citari debuerant, vel de iure.

Rex queritur iniurias ſibi à proceribus illatas.

Cunctis igitur clericis congregatis, & laicis, dominus Rex grauem depoſuit querimoniam de contemptu ſuo, & damnis ſibi illatis per Barones dudum apud Nouum caſtrum ſuper Tynam, & quod plus doluit de captione Petri, & impia trucidatione perpetratis per eoſdem Barones. Barones vero ad has querelas vnanimiter reſponderunt, ſe in præmiſſis nullatenus deliquiſſe,

imo

Defenſio procerum.

imo potius regis gratiam & amorem promeruiſſe, cum non in contemptum regium contraxerunt pro tunc exercitum, ſed vt regni inimicum publicũ multotiens per cõmunitatem Angliæ ex duorum regũ aſſenſu extrabannitum deſtruerent, per quẽ læſa fuit in immenſum fama regia, per quem expilabatur non ſolum regis ſed regni ſubſtantia, per quem ſuſcitata fuerat inter regem & ſuas naturales diſſentio periculoſa. Et addiderunt, ſe velle videre finem negotiorum circa quæ plura expenderant, grauiter laborauerant, & ſe & ſuos minis vexauerant; nec profecerant ad hoc tempus. Dicebant inſuper, nolle vanas promiſſiones & infructuoſas, cuiuſque de cætero præſtolari. Eoque perducta eſt Baronum animoſitas iſta vice, vt citius mori præeligerent, quam vt hactenus ridiculoſe differri. Quod videns Regina cum Prælatis regni, & comite Gilberto Glouerniæ, ſollicite intercurrebant, partium animos diligenter ſedare ſtudebant, & pacem facere totis viribus ſatagebant. Et factum eſt per laudabilem mediationem eorundem, vt tali pacto rancor regius conquieſceret, ſi videlicet ipſi Barones cum ſuis aſſentatoribus in aula Weſtmonaſterii, & pleno parliamento venirent, & ſe humiliarent domino ſuo regi, & de his in quibus ipſum offenderant veniam precarentur. Et dominus rex eoſdem ad gratiam & firmam pacem ſine fictione reciperet, & vt ligios & fideles in amore ſuo tractaret de cætero & foueret, articuloſque petitos ad finalem effectum perduceret, nec pro morte Petri quenquam impeteret, ſed chartam cuilibet exigenti de indemnitate concederet. His itaque vtrobique peractis, magnates regis conſiderantes indigentiam, ſponte illi quintum decimum denarium bonorum temporalium conceſſerunt, & ſic à dicto parliamento cum gaudio & pace receſſerunt.

Reginà & præſules pacem conciliant.

Obiit Archiepiſcopus.

Eodem anno magiſter Robertus de Winchelſey Cantuariæ Archiepiſcopus, qui toto ſuo tempore nobiliter rexerat Anglicanam eccleſiam, & in temporibus duorum regum firmiter ſteterat cum magnatibus pro repetendis regni libertatibus, hominem exuens, migrauit ad Chriſtum. Quo ſepulto, monachi primæ Metropolis Cantuariæ magiſtrum Thomam de Cobham virum ſupereminentis literaturæ, multiſque virtutibus redimitum in paſtorem regi præcipuũ concorditer elegerunt, quamuis Papa priuſquam dictus Robertus ceſſit in fata, illius honoris collationem ſibimet reſeruaſſet. Dictus vero Thomas electioni de ſe factæ conſentiens, Anniuoniam (vbi tunc erat curia) properauit, petiturus confirmationẽ electionis ſuæ. Et licet non potuiſſet inueniri in electi perſona vitium, ſummus tamen pontifex electionem ſuam poſt reſeruationem ſibi factam omnino nullam eſſe pronunciauit. Et quia conſtabat Papæ eccleſiam Anglicanam multis laborare tribulationibus cogitabat, ſollicite prouidere Eccleſiæ viduatę de viro, per quẽ vexationes melius ſedari poſſent. Habito ſuper his tractatu prouide, tandem in dominũ Walterum Reynalde Wigornienſem Epiſcopum domini regis Cancellarium oculos, dirigebat conſiderans nimirum quantam gratiam coram domino rege præ cæteris regni prælatis inueniebat, quam mature ſe in ſuo officio Cancellario, & quam ſapienter habebat, quanta diſcretione motus & rancorem inter regem & proceres temperabat, ſperans talem virum Eccleſiæ & regno plurimum profuturum. Huic igitur honorem Cantuarienſis Eccleſiæ gratis cum pallio conferebat. Dicto vero magiſtro Thomæ ſpem promotionis honorificæ habere iuſſit. Prædictus vero Walterus honorem ſibi collatum reuerenter ſuſcipiens, acceſſit ad Eccleſiam Cantuarienſem dominica Quinquageſimæ, quæ tunc erat tertiodecimo Calendas Martii, vbi eodem die poſt conſecrationis ſuæ ſolemnia, conuiuium ſplendidiſſimum domino regi & reginę multiſque magnatibus cauſa ipſius illuc accedentibus præparauit.

Thomas de Cobham eligitur in Archiepiſcopum.

Papa electum repudiat.

Walterius Reynaldes Archiepiſcopus Cant. præficitur à papa.

Rex & reginà interfuere conſecrationi Archiepiſcopi.

Hoc anno obiit dominus Guido de Bello campo, comes Warwici; qui in parliamento vltimo conſilio regio fuerat deputatus, ſed priuati regis inuidentes ei (vt dicitur) eũ impocionauerunt. Eodem anno rex & regina miſerunt ſe in mare verſus Pariſius cum multis terræ nobilibus, & interfuerunt Pariſius coronationi domini Philippi filii regis Franciæ in regem Nauarræ ibidem creati die Pentecoſtes. Tranſit annus iſte nec ſatis frugifer, nec abundans fructibus: Angliæ multipliciter varius: nunc nubilus, nunc ſerenus, nunc turbidus, nunc amœnus: nunc pacificus, nunc inquietus: ſuſpicioſus regi & ſuis aſſentatoribus: ſollicitus plebi, terræ, regnique proceribus: Franciæ pacificus: Scotis otioſus: Inimicis crucis Chriſti in terra ſancta à Chriſtianorum bellis (proh dolor) expeditus.

Rex & regina interfuerunt coronationi regis Franciæ.

Annalis concluſio.

Anno domini milleſimo treceteſimo decimo tertio, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi, ſeptimus, tenuit rex natale Lõdoniis. Hoc anno Scoti intrantes Northumbriam, prędabantur patriã, trucidabant incolas, & villas plurimas incen-

Natale celebratur Londoniis.

Clemens Papa obiit.

incendebant. Eodem anno Papa Clemens diem clauſit extremum, qui prius fuerat Archiepiſcopus Burdegalenſis, & vacauit ſedes per biennium.

Iohannes ſuccedit.

Succeſſit autem ei Iacobus Epiſcopus Anniuoniæ, & vocatus eſt Iohannes. Rex venit in vigilia Palmarum ad ſanctum Albanum, & obtulit beato martyri quandam crucem auream diuerſorum ſanctorum reliquiis inſertam, & lapidibus precioſis, commendans ſe & ſuos neceſſarios eiuſdem ſancti tutelæ & precibus monachorum. Cumque ſuggeſtum fuiſſet ei, quod pater ſuus chorum ſancti Albani renouaſſe propoſuerat, deſiderium patris explere, geſtiens contulit mox centum marcas argenti, & maremium apud Dyneſleyam querendum ad opus illud, iubens vt pecuniæ nullo modo parcerent, quin opus illud ad honorem Dei & beati Albani Anglorum prothomartyris irreprehenſibiliter conſummarent. In craſtino diei Palmarum rex iter verſus inſulam Elienſem arripuit, vbi ſolemnitatem Paſchalem tenuit nobiliter & feſtiue:

Elienſes mentiti ſunt ſe ſancti Albani corpus habere.

Quo tempore, Elienſes mentientes ſe corpus habere ſancti Albani Anglorum prothomartyris, manifeſtiſſime confutauit coram regni nobilibus & monachis dicti loci, iam cum ad alleuiandum moram ſuam in monaſterio oculis diuerſa ſubiiceret, phanaque videre vellet ibidem, tandem incidit menti eius, vt videret quid eſſet contentum in feretro quod

Rex falſi Albani corpus intueri vult.

beati Albani vocant, in eccleſia memorata. Dixitque epiſcopo qui tunc aderat Elienſi: ſcis (inquit) quod fratres mei apud ſanctum Albanum corpus eiuſdem martyris putant veraciter ſe habere, & in hoc loco dicunt monachi ſe dicti ſancti corpus tenere: per animam (inquit) Dei, volo videre in quo loco reliquias ſancti corporis debeo potiſſimum venerari. Cumque præſul verba regis Priori & fratribus retuliſſet, illi velut exangues effecti, quid reſponderent, quid facerent neſciebant, ex vna parte timẽtes amittere tantum theſaurum, ſi verum eſſet quod apud eos foret, ex altera conuinci de mendacio metuentes, quia hoc prædicauerant ſe habere. Neſciebant enim pro tunc quid in dicto feretro continebatur. Epiſcopus videns ſuorum cõſternationem, animauit eos, monens vt confiderent, quia non ad auferendum tantum theſaurum, ſed venerandum, rex aſpectum reliquiarum requiſiuit. Ventum eſt igitur in eccleſiã, & feretrum ſolutum & apertum eſt per quendam monachum, Alanum de Walſingham dictum, qui poſtea proficientibus meritis Prior factus eſt illius eccleſiæ, qui & ipſe peritus erat in opere aurifabrili, & ideo ad ſoluendum feretrum tunc vocatus.

Villoſus pannus pro corpore inuentus.
Mendacium abbud alio excuſatur.

Rex vero cum vidiſſet cunctos clauos extractos, & feretrum patefaciendum, acceſſit & leuauit operculum manu ſua. Et ecce vident Locellum illum à ſummo vſque deorſum, quodam panno villoſo ita occupatum, vt nihil poſſet aliud continere. In ſuperiori vero parte veſtimenti, conſpiciunt cruoris coagula denſe reſperſa, ita noua, ita recentia, quaſi pridie fuiſſent effuſa. Conſtat hanc veſtem fuiſſe Caracallam quam ſanctus Albanus in conuerſione acceperat à ſancto Amphibalo magiſtro ſuo in ſignum religionis, in quo idem martyr ſententiam ſubiit capitalem.

Caracalla Albani.

Et fas eſt credere quod ad honorem ſancti, diuino miraculo ſanguis eius ſic in hac veſte ſeruatus, ſicut in puluere ſui ſepulchri per multa ſecula legitur conſeruatus. Cuius pulueris maſſam in qua rubebat adhuc ſanguis martyris, ſanctus Germanus Altiſſiodorenſis epiſcopus ſecum abſtulit, & detulit ad natale ſecum Altiſſiodoro, capellam conſtruens in honorem martyris memorati. Rex igitur & omnes aſſiſtentes, de tanto miraculo ſtupefacti, proni corruerunt in terram. Et facta eſt non parua hæſitatio quis accederet ad deponendum operculum & feretrum contingendum. Tãdem rex ipſe cæteris animoſior, operculum detraxit ad locum ſuum, & tunc primo cognouerunt Elienſes quid de ſancto Albano haberent, quid non haberent, cum oculata fide cernerent in dicto

Craſſa cæcitas.

feretro præter Caracallam nihil omnino contineri. Rex vero hilarior effectus de rei comperta veritate, dedit illic dona varia, reſiduum temporis quo manſit ibidem ducens in ſumma lætitia, frequenter conferens de merito martyris Albani & gloria, & iudicans nõ ſine diuina factum prouidentia vt in duobus locis tam celebtibus ſpecialis veneratio martyris haberetur. Et ait Elienſibus, gaudete de Dei munere, gaudete de tanti martyris meritis & ſanctitate, quia ſi prout dicitis, hic Deus per illum plura facit miracula ratione veſtis, credatis quod apud ſanctum Albanum ampliora facit miracula ratione corporis illic ſanctiſſimi quieſcentis. Rex de inſula Elyenſi tranſiuit Lincolniam, deinde ad Eboracum & nouum caſtrum ſuper Tynam, Berewicum per-

Rex in Scotiam properat.

ueniens, expectauit ibidem omnes qui ſibi debebant ſeruitium militare, cunctiſque illuc peruenientibus qui ſibi huiuſmodi debebant ſeruitium, præter Thomam comitem Lancaſtriæ, & comites Warenniæ, Warwichiæ, & Arundeliæ, qui venire nolebant, eo quod articulos petitos totiens & conceſſos ad effectum detractauit perducere.

[illegible]

Bellum Striuelinenſe. *Prælium atrox inter Anglos & Scotos.* *Comes Glouerniæ in medios hoſtes irruit.* *Gilbertus cæſus.*

cerc. Diſpoſuit militiæ ſuæ turmas, & ad obſidionem caſtri de Striuelin diſſoluendam cum grandi exercitu maturauit. Cumque fixiſſet prope locum tentoria, quidam de regis Anglorum exercitu equitationes coram cuneis Scotorum facientes, ipſos atrociter prouocabant, quibus illi viriliter occurrentes, multos Anglorum nobiles die Dominico in Sancti Iohannis Baptiſtę vigilia peremerunt. Quo caſu Anglici exacerbati, in craſtino vindicari firmiter proponebant, cumque dies illuxiſſet craſtinus ad pugnam ſe vterque exercitus pręparabat. Circa vero horam diei tertiam appropinquantes ſibi vtriuſque partis acies, iuxta rei militaris regulam turmas ad pręliandum diſponunt. Duces Anglorum pedites cum arcubus atque lanceis in prima componunt acie, equites diuerſis alis retro conſtituunt. Ex parte vero Scotorum omnes erant pedites, eo quod in bello commiſſo quondam iuxta Fenkyrke non proſpere ceſſiſſet equitibus eorundem, qui deſerta pugna fugerunt, pedites in prælio deſerentes. Robertus de Brus qui ſe regem Scotorum nominauit, pedes Scotorum pręceſſit exercitum, dans ſuis exemplum, vt nemo de fuga cogitaret. Cumque iam ventum fuiſſet ad manus, vt confligerent collidentibus cateruis ad inuicem, plures attoniti, multi ſaucii, multique mortui currerunt, ibi lancearum confractarum fragor horribilis, enſium in caſſides vibratorum tinnitus terribilis, ſecurum Scoticarum vis intollerabilis, ſagittarum & ſpiculorum in vtramque partem miſſorum nubes formidabilis, etiam bene cordatos poterant terruiſſe. Congeminatio ferientium, vox cohortantium, ſtrepitus conclamantium, gemitus morientium poterant vltra quam diei fas eſt procul audiri, variante fortuna vices dum certatum eſt, nec poterat per longum diſcerni tempus, quę pars potior videretur. Tandem ſæuiente Bellona, diſcrimini patuit pars Anglorum. Quod cernens Gilbertus comes Glouernię, velut aper infrenduit, & feritate concepta, cum ſuis commilitonibus in Scotos irruit, quorum quoſdam mucrone mutilat, truncat & trucidat, & gladium ſuum cruore Scotico multipliciter madefacit, quemcunque gladio feriebat vel caput illi vel membrorum aliquod amputabat. Cernentes Scoti tam ſæuum aduerſarium ſuis tam crudeliter inſiſtentem, conglobati concurrunt ſuorum ſuccurſui, circumuallantes Gilbertum ex omni latere, conuertuntque in eum pondus prælii, lateribus eius applicantes cuſpides lancearum & enſium, hinc inde impingentes cum tot viribus, tanta feritate, donec ad terram caderet ſuis viribus deſtitutus, tunc rabidi & inhumani Scoti caput eius ſecuribus biſacutis & gladiis tundunt, pungunt, & feriunt, donec inter pedes ſonipedum ſpiritum exhalaret. Quod videntes ſui famuli, fugere feſtinarunt.

Nomina & numerus cæſorum. *Comes Herefordiæ capitur.* *Radulphus de Mounthemer liberatur.*

Nobilis etiam baro Robertus de Clyfforde cum multis aliis viris nobilibus in hoc funeſto conflictu peremptus eſt, ceciderunt nempe die illo dominus Paganus Typotette, dominus Willielmus Mareſcallus, dominus Ægidius de Argenten, dominus Edmundus de Maule, cum multis aliis quorum nomina pręſentibus inſerere longum foret, ad numerum videlicet, & ſcutiferorum ſeptingentorum. Comites de Hereford & de Penbroke videntes ſuorum plagam terga verterunt, ſibi fugæ præſidio conſulturi. Sed Comes Herefordiæ in fugiendo captus eſt iuxta caſtellum de Boſuilla: capti ſunt autem & in cuſtodia detenti barones & baronetti viginti duo, milites ſexaginta octo, clerici & ſcutiferi numero exceſſiuo, de quibus dominus Rogerus de Northburghe, cuſtos targiæ domini Regis, quæ ab eodem ibidem per Scotos eſt ablata, in captiuitate ductus. Summa vero totalis, tam comitum, baronum & baronettorum, quam militum interfectorum & captorum ibidem centum quinquaginta quatuor. Interea dominus Radulphus de Mounthemer, qui deſponſauerat dominam Iohannam de Acres comitiſſam Glouerniæ & regis pręſentis ſororem, captus fuerat apud Striuelin, inuenit gratiam in oculis Scotorum, ratione cuiuſdam familiaritatis cum Rege eorundem quondam in curia Regis Angliæ habitę caſu fortuito, ita quod redemptio ſua fuit ſibi perdonata. Qui in Angliam rediens, tergiam domini Regis, modo quo permittitur, à cuſtode eiuſdem ablatam per Scotos, ſecũ vſu ipſius reportauit, ratione pręuia ex toto nihilominus interdicto. Rex vero etſi ardenter cuperet vindicari, & inſtaret ad fundendum Scotorum ſanguinem, à ſuis tamen de loco diſcriminis inuitus educitur, & ad fugiendum compellitur, pro tanto infortunio gemebundus. Commiſſum eſt autem iſtud cruentum prælium iuxta caſtrum de Striuelin, in loco qui Bannekemora vulgariter appellatur, Scotorum tripudio, luctui Anglicorum, qui ab hoc die creuit Scotis animus & audacia, Anglis timor & vecordia, vt in ſequentibus plenius apparebit. Cum autem Gilbertus comes

mes

mes Glouerniæ tam infauſto conflictu tam lamentabiliter corruiſſet, & nullum ſuperſtitem maſculini ſexus reliquiſſet hæredem, expectatum eſt per duos annos ſi Comitiſſa coniux ſua fortaſſis impregnata fuiſſet, ſed cum fruſtra præſtolatum fuiſſet biennale tempus ſuper huiuſmodi euentu, diuiſa eſt hæreditas inter tres ſorores comitis ſupradicti,

Partitio hæreditatis Gilberti.

quarum primam duxit in vxorem dominus Hugo de Spencer, ſecundam vero dominus Hugo de Audeley, quam prius habuerat dominus Petrus de Gauerſtone quondam comes Cornubiæ. Tertiam vero duxit dominus Rogerus de Tamari, quam prius deſponſauerat dominus Iohannes de Burgo, filius & hæres comitis Vltoniæ de Hibernia: & ſic diuiſus eſt comitatus nobiliſſimus in tres baronias, qui quondam dicebatur & erat altera regni columna.

Humanitas Rob. de Brus.

Igitur poſt bellum de Striuelin Robertus de Brus interfectorum ſpolia fecit colligi, quæ ſuis ſtipendiariis & his qui pro ſuæ partis defenſione dimicauerant, diſtribuit larga manu. Captiuoſque quos ceperat tam ciuiliter tractari fecit, tam honorifice cuſtodiri, quod corda multorum in amorem ſui indiuiſibiliter commutauit. Corpora comitis Glouerniæ & baronis de Clifford regi Angliæ apud Berewicum moram trahenti tranſmiſit ſine prętio, ſepelienda regia voluntate. Et cum comes Herefordiæ, dominus Humfridus de Boun (vt præmittitur) captus fuiſſet, deliberatus eſt, facta commutatione pro dicti Roberti de Brus coniuge, quæ iam diu in cuſtodia regis Angliæ fuerat detenta captiua. Cæteri vero captiui per redemtionem ſeu commutationem ſunt ſimiliter liberati. Sed rex tamen amaro factus animo cunctis diebus ſuorum deplorauit infortunium, conſtituens in futurum vel certe perimi, vel in aduerſarios vindicari, recedenſque de Berewici partibus peruenit Eboracum, vbi magnum cum clero tenuit concilium & regni magnatibus vniuerſis.

Parliamentum Eboracenſe.

Soluto concilio, rex ſe tranſtulit ad partes Auſtrales. Eo tempore plures ex Anglicis facti transfugæ ſe Scotis confœderauerunt, & à regis Angliæ fidelitate deſciuerunt, reuerſique cum Scotis Northumbranam plagam deprędati ſunt, vaſtantes villas & caſalia, captiuos ſecum trahentes incolas, abigentes animalia & iumenta, agros depopulantes, incendia cedeſque facientes, vbique nemine reſiſtente.

Angli puſillanimes effecti.

Nempe tunc Anglis in tantum conſueta adempta fuit audacia, vt à facie duorum vel trium Scotorum fugerent Angli centum.

Obiit Clemens Papa.

Hoc anno obiit Papa Clemens, qui nunquam ſuo tempore Romanam Eccleſiam viſitauit. Ipſe pontificatus ſui anno tertio multas & magnas dedit indulgentias proficiſcentibus vel conferentibus ad ſubſidiũ terræ ſanctæ, vt qui pro eodẽ terræ paſſagio die Paraſceues 24. quadrantes conferunt, viginti quatuor annorum indulgentiam conſequerentur, cæteris vero anni diebus Veneris duodecim denariorum valorem conferentibus, duodecim annos indulſit, reliquis vero diebus omnibus per hebdomadam ſex denariorum valorem conferentibus, contulit indulgentiam ſex annorum.

Obiit Rex Franciæ.

Regina Nauarræ ob ſtuprum ſuffocata.

Ipſo anno obiit rex Franciæ Philippus le Bows, & ſucceſſit ſibi Ludouicus filius ſuus, qui prius fuit rex Nauarræ: Cuius vxor regina Nauarræ & filia comitis Burgundiæ, propter adulterium ſibi impoſitum, cum domino Iohanne Danne fuit ſuffocata. Qui quidem Ludouicus eodem anno duxit vxorem filiam regis Hungariæ Clementiam appellatam. Hoc anno latens erat odiũ inter regem & proceres, & præcipue inter comitem de Lancaſtria, & comitem de Warwico, & adhærentes eiuſdem.

Annalis cõcluſio.

Tranſit annus iſte nec ſatis frugifer, nec bene fructifer: Anglis lugubris, probroſus & damnoſus, propter infamem Scotorum victoriã: Scotis commodus, lætus, hilaris, propter accreſcens initium libertatis: cæteris mundi partibus multiplici varietate tranſactus.

Natale celebratur apud Windeſore.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo decimo quinto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi octauus, tenuit rex natale ad Windeſore cũ multis regni pręlatis. Eodem tempore in die octauarum ſancti Iohannis Euangeliſtę, rex conuocatis Cantuarienſi Archiepiſcopo, & aliis quatuor pontificibus, cum abbatibus pluribus, & multis viris eccleſiaſticis,

Corpus Petri de Gauerſton Oxoniam tranſlatũ.

corpus Petri de Gauerſton de loco tranſlatum, vbi iam diu quieuerat inter fratres prędicatores Oxoniis, fecit apud manerium ſuum de Langley honorifice tumulari, huic tamen ſolemnitati pauci de regni nobilibus intereſſe curabant.

Parliamentum Londini, in quo de annonæ charitate actum eſt.

Hoc anno in craſtino Purificationis, conuenerunt ad Parliamentum Londoniis vniuerſi pene regni pręlati, cum proceribus & communibus, ad tractandum de ſtatu regni, & alleuiatione precii rerum vænalium, quæ modo tam caræ factæ fuerant, vt vix poſſet viuere plebs communis. Ordinatum eſt igitur, vt melior bos vnus venalis, craſſus de grano non paſtus, vendatur de cætero pro ſexdecim ſolidis: & ſi de grano paſtus fuerit & ſi craſſus, pro viginti quatuor ſolidis ad plus vendatur: Vacca melior viua & craſſa, vendatur pro 12. ſolidis: quilibet porcus duorum annorum

norum craſſus vendatur pro 3. ſolidis 4. d. Multo tonſus craſſus pro quatuordecim denariis. Multo lanatus craſſus vendatur pro viginti denariis: Auca craſſa pro duobus denariis & obolo: Capo bonus pro duobus denariis: Gallina bona pro vno denario: Columbellæ quatuor pro vno denario, vendantur de cætero, & vendentes aliter fecerint, res vænales Regi remaneant forisfactæ. In quindena Paſchæ Rex per breuia citari fecit ad Parliamētum Londoniis Prelatos & Proceres, regniq; communes. Sed quia multi de magnatibus impedimentorum cauſas prætenderunt, per quas merito excuſari poterat eorum abſentia, dictum parliamentum tunc temporis nullum ſortiebatur effectum. *Parliamentum indictum, ſed non celebratum.* Sed vnuſquiſq; tunc Londoniis congregatorum quo ſibi placuit diuertebat, & qui terrã defendere tenebantur, vacabant otio ſiue iocis. Scoti per hoc tempus crudeles & inhumani, flamma, rapinis & cæde partes occidētales Northumbriæ, de Carleolo donec venirent Eboracum, ſine reſiſtentia deuaſtarunt, nec erat locus in illis partibus, vbi tute latere potuerunt Anglici, niſi in Carleolo, & nouo caſtro ſuper Tynam, & prioratu de Tynmutha, & paucis caſtellis aliis, quæ cura diligenti cuſtodiebantur. *Scoti omnia ad Eboracum vſq; depopulantur.* Factaq; eſt patria longo tempore Scotis tributaria, donec miſeri patriotæ nihil haberent, vnde tributa penderent, ſic vt prius vlila de Berewico vix ab Anglicis eſt retenta. Dunelmenſes poſt multa grauamina ad tempus ſibi pacem pro pecunia comparabant. Eo tempore Robertus de Brus trãſmiſit exercitum in Hiberniã, cui ducem conſtituit Edwardum fratrẽ ſuum vterinum, vt terras regis Angliæ in illis partibus occuparet, & Anglicos ibidẽ exiſtentes pro viribus infeſtaret. Eodem anno velut Deo diſplicerent ſtatuta precedentis parliamenti, omnia vænalia ſolito cariora facta ſunt: *Venalia poſt parliamentum cariora.* Carnes animaliũ reperiri non poterant: Capones & anſeres minime cõparebant, quia rariſſime videbãtur: Oues peſtilentia moriebantur: Porci nutriri nequibant, quarterium frumenti, fabarum & piſarum pro viginti ſolidis vendebatur, braſii vero pro marca. Salis autem quarterium pro 35. ſolidis vendebatur, tantaque penuria populus terræ communiter premebatur, vt cum Rex apud Señ in vigilia ſancti Laurentii declinaſſet, vix inueniri poterat panis pro ſuæ ſpecialis familiæ ſuſtentatione. Hoc anno Lewlinus Bren capitalis Wallenſis, qui villas multas cõbuſſerat, & Anglos interfecerat, per milites fortiores de regis camera miſſos contra eum, captus eſt cum duobus filiis ſuis, & regi Londonias deſtinatus. Eodem anno obiit Ludouicus Rex Franciæ, cui ſucceſſit Philippus comes Pictauiæ frater ſuus. *Obiit rex Franciæ.* Tranſit annus iſte ſæuus Anglicis & crudelis, duplici contritione conterẽs Anglicos, fame videlicet & peſte, quam ex fame contraxerant: fruges ſiue fructus fraudulẽter faciens patriotas per ganeones, Scotos immiſericorditer opprimens, toti regno tum luctuoſus quam ſuſpicioſus propter procerum diſſimulationes, qui regis honorem, regni commodum nõ curabant: Franciæ, Flandriæ, cæteriſque vicinis regionibus ocioſus. *Annalis cõcluſio.*

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo decimo ſexto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi nonus, tenuit rex natale apud Clipſton in Schirwood, vbi multa tribuit dona. *Natale apud Clipſton.* Circa feſtum vero Purificationis apud Lincolniam habito magno conſilio, ex conſenſu baronum ſuorum prouiſiones de venditione victualium reuocauit, precipiens, vt vnuſquiſque ſua vænalia meliori foro quo poſſet venderet in futurum. *Edictum de vendenda annona reuocatur.* Cariſtia nempe quæ tranſacto anno inceperat menſe Maio, durauit vſque ad feſtum natiuitatis beatæ Mariæ in eodem anno. Pluuiæ ſiquidem autumnales, tam abundanter deſcenderunt, q; fruges matureſcere nequiuerunt, vix enim ad diem natiuitatis ſanctæ Marię colligi poterant, pro nimia madefactione. Et tunc quidem oportebat piſtores triticum in clibanos ad deſiccandum mittere priuſquam moleretur, tantum ebiberat de humore. Circa feſtum ſancti Michaelis eiuſdem anni in parte fuerat cariſtia temperata, ſed ad ſequens feſtum natalis dominici iterato redierat aggrauata. Panis qui fiebat, non habebat virtutem nutritiuam, nec ſubſtantiale robur, quia grana à calore ſolis æſtiui non habuerant nutrimentum, vnde contigit vt comedentes ex hoc, licet magnam quantitatem ſumerent, elapſo breui interuallo famelici redierunt. Nec eſt ambigendum quin pauperes fame tabeſcebant & inædia, quando diuites continuo eſurierunt poſt refectiones opulentas.

Factum eſt igitur vt preualente fame, tam magnates quam religioſi familias ſuas minuerent, eleemoſinas conſuetas ſubtraherent, & amputarent fercula ſuperflua & delicata. Contigit ergo vt qui expulſi fuerunt à curiis, quondam ſoliti vitam ducere in deliciis, cum nec valerent fodere, & erubeſcerent mendicare, compulſi penuria, manus extenderent ad aliena bona, inſiſtentes cædibus & rapinis, effectiq; ſunt tot veſpiliones, & vix fuerit aliquis de communi vulgo qui non fuerit ſpoliatus. *Graſſatio furum.* Eodem anno

anno Hugo Gerold, qui fuit referendarius Papæ Clementis & epiſcopus Caturcenſis, cui fuit impoſitum quod in mortem Ioannis Papæ fuerat machinatus, perpetuo carceri mancipatur.

Referendarius Papæ exuſtus.

Sed poſtquam fuit degradatus & tonſus capite, veſte ſtragulata indutus traditur curiæ ſeculari, videlicet mareſcallo Papæ, qui ipſum trahens de palacio Papæ ad pedes equorum per totam ciuitatem, poſtremo fecit in campo igne cremari. Hoc anno, circa feſtum Paſchæ conuenerunt Londonias ad Parliamentum regni proceres & magnates ſuper ſtatu regni tractaturi, durante vero adhuc parliamento, creuit fames in regno Angliæ vehementer, ita vt quarterium ſalis & frumenti ante feſtum Natiuitatis Sancti Iohannis Baptiſtæ pro triginta ſolidis venderetur, & ab illo die vſque ad feſtum aſſumptionis beatæ Virginis ad quadraginta ſolidos accreſcebat. Famem igitur totam terram generaliter inuadentē, mortalitas hominum eſt ſecuta, & pręcipue egenorum, in tantum, vt vix poſſent viui mortuos ſepelire.

Grauis peſtilentia.

Nempe diſſenteria ex cibis corruptis generata, pene cunctos infecit, quam comitabatur febris acuta, quæ multos ad extrema perduxit. Et non ſolum homines ex ciborum corruptione lædebantur, ſed pecora ex herbarum putrefactione corrupta cadebant, vnde contigit vt eſus carnium cunctis eſſet ſuſpectus. Nec fuit illo tempore quiſquam tam annoſus, qui meminit, ſe tantam famem, peſtem aut cariſtiam præuidiſſe. Nec valuit contra peſtem prędictam prudentia Phyſicorum, quia medicinales herbę quæ leuamen languidis conferre ſolebant, per aeris intemperiem & elementorum inæqualitatem, contra naturam effectæ degeneres, virus pro virtute reddebant.

Regina ſcitur filius apud Eltha Iohannes.
Grauiſſima fames.

In feſto Aſſumptionis beatæ Virginis natus eſt regi filius apud Eltham, qui vocatus eſt Iohannes. Eo tempore ita fames inualuit, vt quatuor denariatus de groſſo pane in die vni non ſufficerent comedenti: carnes animalium quæ infectæ non fuerant erant raræ, carnes equorum pauperibus precioſæ, multi canes pingues furabantur & eorum carnes edebant: quidam (vt dicebatur) filiorum ſuorum & filiarum ſuarum in locis abditis (compulſi penuria) comedebant: quidam paruulos alienos furabantur & eos furtim mactabant, & eorum carnes edebant. Fures & qui in carceribus tenebantur ad eos nouiter venientes diſcerpębant, & ſemiuiuos illico deuorabant. Per dictum tempus lagena ceruiſiæ tenuis pro duobus denariis, melioris pro tribus, optimæ vero pro quatuor denariis vendebatur. Londonienſes per idem tempus, quia frumentum inbraſiatum maxime conſumebatur, ſtatuerunt ne in ciuitate id de cætero fieret, &

Edictum de victualibus vendendis.

ideo conſtituerunt vt lagena melioris ceruiſię pro tribus obulis venderetur, debilioris vero pro denario & non vltra. Rex autem clamori plebis compatiens, iuxta ſtatutum Londoniarum miſit breuia vicecomitibus vniuerſis per totum regnum, iubens vt tam infra libertates quam extra, in comitatibus, burgis, villis mercatoriis & campeſtribus, lagena ceruiſiæ pro denario venderetur, & ne frumentum vlterius in ceruiſiam conuerteretur inhibuit ſub graui forisfactura, qui niſi celerius hoc mandatum promulgari feciſſet maxima pars populi fame & inædia deperiſſet. Hoc anno poſt mortem Clementis Papę electus eſt in Papam apud Lugdunum, cum ſedes vacaſſet duobus annis quatuor menſibus & quinque diebus, octauo idus Auguſti Epiſcopus

Iohannes papa.
Primitiæ beneficiorum papæ ſoluuntur.

Anniuonię, & vocatus eſt Iohannes viceſimus ſecundus. Iohannes de Kendale regni theſaurarius fit Epiſcopus Wintonienſis. Summus pontifex reſeruauit cameræ ſuæ primos fructus beneficiorum omnium in Anglia per triennium vacantium. Rex celebrauit concilium apud Clarindon, ſed magnates noluerunt intereſſe. Tranſit annus iſte nec frugifer nec fructifer, ſed mortalibus multis peſtifer propter famem & ſitim, diſſenteriam & febres acutas, & varia morborum genera quæ contraxerunt & inædia & aeris lętifera corruptela: Scotis votiuus: Anglicis ea parte nociuus.

Natale celebratur apud Clipſton.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi decimus, tenuit rex natale apud Clipſton, prout fecerat anno tranſacto, ſolemnitatem vero paſchalem apud Clarendoniam. Eodem anno die Lunæ aſcentionem dominicam pręcedente, rapta eſt comitiſſa Lancaſtrię nobilis viri domini Thomæ comitis Lancaſtrię vxor legitima, apud Caneforde in Dorſetia,

Comitiſſa Lancaſtriæ rapta.

per quendam militem de domo & familia Iohannis comitis Warrenniæ, conuocatis ad illud factum deteſtabile fautoribus (vt dicebatur) aſſenſu regio plurimis Anglicorum: ducta eſt autem prompoſe nimis in deſpectum comitis dicti Lancaſtrię, ad dictum Warennę comitem, ad caſtellum ſuum de Rigate. Dumque ſic fœmina duceretur, ecce in itinerando, inter ſępes & nemora inter Haulton & Farnahā exiſtentia, ductores vident eminus vela & vexilla. Aderant enim ſacerdotes cum populo, facientes proceſſiones more ſolito circa campos.

Pauiens timor.

Ductores igitur dictæ comitiſſę timore ſubito

ſubito & horrore percuſſi, putantes comitem Lancaſtriæ, vel aliquos per ipſum miſſos ad auferendum dictam dominam, & tantam iniuriam in ipſos vindicandum, cum omni celeritate fugerunt, domina pene ſola relicta, ſed rei tandem veritate comperta, reuerſi ſunt cum minis & pompa. Cum quibus, quidam miſeræ ſtaturæ, claudus & gibboſus, ſuiſque perpetuo intendens maliciis (Richardus dictus de ſancto Martino) dominam (proh dolor) ſupradictam deluſam miſerabiliter (magno ſuffultus adiutorio) in ſuam exegit vxorem, firmiter proteſtatus, quod ipſam fide media cognouit carnaliter antequam fuerat deſponſata comiti ſupradicto, quod etiam plane prædicta domina palam vbique recognouit, ac etiam verum eſſe fatebatur, nullo ducta timore. Ac ſi quæ toto tempore vitæ ſuæ nobiliſſima fuerat reputata domina, ſubito vergente rota fortunæ, quod dictu turpe eſt, per totum orbem ſpurciſſima meretrix acclamatur. Igitur dictus Richardus ſe ſupra ſe extollens, nomine vxoris ſuæ præſumit in curia regia vendicare comitatus Lincolniæ & Sarum, ſed incaſſum, prout rei geſtæ ſequentia plenius explanabunt. Fama facti huius ad ſummi Pontificis aures allata, miſit idem Pontifex duos Cardinales, vt pacem facerent inter regem & barones, & præcipue Thomam comitem, vt patebit inferius loco ſuo. Rex hoc anno celebrauit feſtum Pentecoſtes apud Weſtmonaſterium in aula magna, vbi cum regaliter reſideret in menſa, præſentibus regni ſui principibus, intrauit quædam mulier ornata hiſtrionali habitu, equum bonum inſidens hiſtrionaliter phaleratum, quæ menſas more hiſtrionum circuiuit; & tandem ad regis menſam per gradus aſcendit, & quandam literam coram rege poſuit, & retracto fræno, (ſalutatis vbique diſcumbentibus) prout venerat ita receſſit. Rex vero fecit literam aperiri, vt cognoſceret eius tenorem, qui talis erat in ſenſu: Dominus Rex minus curialiter reſpexit ſuos milites, qui patris ſui tempore, & ſui ipſius periculis diuerſis ſe expoſuerant, & ſuas ſubſtantias pro illorum honore vel perdiderant, vel diminuerant, & alios qui pondus negotii nondum portauerant, nimis abunde ditauit. His auditis, diſcumbentes ſe inuicem contuentes, mirabantur de tanto auſu fœmineo, & ianitores vel hoſtiarios quod permiſerant eam ingredi, durius increpabant: qui ſe excuſantes, reſponderunt: Non eſſe moris domus Regiæ hiſtriones ab ingreſſu quomodolibet prohibere, & præcipue in tantis ſolemnitatibus vel diebus feſtis. Mittitur idcirco ad quærendum mulierem, quæ de facili inuenitur, capitur, & carceri mancipatur, & cur ita fecerit dicere cogitur, veritatemque reſpondit, ſe ad hoc faciendum conductum à quodam milite mercede condigna. Tunc miles quæritur, inuenitur, capitur ac ducitur coram rege, & ſuper præmiſſis conuenitur, qui nihil omnino metuens, quod ipſe ſit author literæ fatetur audacter, & pro honore regio id feciſſe. Promeruit ergo dictus miles ſua conſtantia fauorem regium cum donis vberrimis, & mulierculam à carcere liberauit. Hoc anno tenuit Rex tractatum Londoniis ſuper iacturis & damnis ſibi & ſuis per Scotos illatis, comite Lancaſtriæ nec ad hunc tractatum, nec ad illum habitum Clarendoniæ volente venire, vnde regis inimicus & regni palam & notorie in regis hoſpitio appellatur. Sub eodem anno videntes quidam de Northumbria Scotorum crebras irruptiones, deprædationes, depopulationes, & incendia quaſi totius patriæ, & nemine volente ſuccurrere tantis malis, velut in defectu regis & procerum, ſumunt arma, & reſiſtere Scotis parant. Sed cum aliquandiu id probe feciſſent, tandem deficientibus tam victualibus quam pecunia, de tyronibus facti ſunt tyranni, de defenſoribus deſtructores, de propugnatoribus proditores. Conuenientibus autem ad eos plurimis, pari voto deſpoliabant domi ruricolas, in campis accolas, eorum boues de plauſtris vel carucis ſoluentes & ad cibum ſuum mactantes. In villis vero nihil reliquerunt, quod ad eſum videbatur aptum, ſed panes, frumentum, vaccas, oues, porcos, cæteraſq; carnes, capones & gallinas, caſeos & auenas diripuerunt ſibi, & non ſolum perpetrauerunt mala talia, ſed plebanos deſpoliauerunt vſque ad fæmoralia, aurum, argentum, veſtes & vaſa rapientes: factus eſt itaq; tam grandis eorum numerus, vt neminem pene timerent, continuaruntque dictam rabiem quatuor fere annis. Interea applicuerunt in Anglia Cardinales rogatu regis dominus Cancellinus domini Papæ viceecancellarius, & dominus Lucas de Fliſco, nuncii domini Papæ Iohannis viceſimi ſecundi, vt pacem inter regna Angliæ reformarent, & Scotiæ, & vt comitem Lancaſtriæ pacificarent regi, etiam attulerunt bullas Papales quibus Papa Scotos excommunicauit, eo quod deſciuiſſent à domino ſuo rege Angliæ, niſi redirent ad pacem eius: qui prout moris eſt Romanorum in externas terras venientium, ſemetipſos oſtentare volentes, contulerunt ſe ſub omni feſtinatio-

Comitiſſa turpiter nubit Richardo de ſancto Martino.

Mulier hiſtrionis habitu literas mordaces regi affert.

Author literarũ capitur.

Latrones graſſantur in confinibus Scotiæ.

Duo Cardinales in Angliam veniunt pacem confecturi.

Romanorum oſtentatio.

natione in parres boreales infauſta hora, vt dominum Ludouicum de Bellomonre, cui dominus Papa ad regis inſtantiam Epiſcopatum contulerat Dunelmenſem, electo eiuſdem loci caſſato, cum pompa Romana intronizarent, quamuis prẹmoniti fuiſſent, vt in comitatu Eboraci ſe continerent, & vltra progredi non præſumerent niſi regia manu fulti.

Cardinales à graſſatoribus ſpoliati.

Cumque veniſſent prope villam de Derelingron, ſubito de valle quadam erumpentes dicti graſſatores (ducibus Gilberto de Midleton, & Waltero de Selby) inopinate irruerunt in familiam Cardinalium, & futuri Epiſcopi Dunelmenſis: iniectiſque manibus ſacrilegis de theſauro & equis ſuis (nulla habita ad rãtas perſonas reuerentia) ſpoliarunt. Ludouicum vero Epiſcopum Dunelmenſem, duxerunt ad villam de Morparh, ad redemptionem grauiſſimam compellentes. Captus eſt inſuper à dictis populatoribus Henricus de Bellomonte, cum equis & theſauris plurimis, & ductus eſt ad caſtrum de Midforde, vbi detentus eſt donec magnam ſummam pecuniæ perſoluiſſet. Cardinales vero reſtitutionem quarundam rerum habuerunt, puta de equis, veſtimentis, & huiuſmodi, ſed reſtitutione plenaria caruerunt.

Cardinales fulminant in latrones.

Sine læſione tamen corporum, cum ſuis familiis Dunelmiam peruenerunt, vbi per dies aliquot perhendinantes, & Scotorum arbitrium præſtolantes, infecto negotio pro quo venerant, reuerſi ſunt ſub conductu regio Eboracum. Quo cum perueniſſent, & viderent ſe poſitos in ſtatione ſecura, tulerunt horribilem ſententiam in malefactores Northumbriæ, & omnes eis quomodolibet adhærentes. Quam ſententiam per totam Angliam publicari fecerunt: & mox Londonias redierunt, octo denarios de marca (pro damnis & expenſis) à clero ſibi dari cum inſtantia poſtulantes: non habentes reſpectum ad quatuor denarios ſibi de marca prius conceſſos pro mora quam facturi fuerant in hac terra.

Cardinales octo denarios de marca petunt.

Clerus vero tractatu habito reſpondit, quod contemptus & damna illis illata ſibimet imputare deberent, cum locum à clero limitatum ſibi, ciuitatem videlicet Eboraci, auaritiæ agitati ſtimulo tranſgredi præſumpſerunt. Quamobrem octo denarios de marca dare clerus Anglicanus noluit, quatuor vero denarios quos prius conceſſerat dare, bene conſenſit.

Pax inter regem & comitem Lancaſtriæ.

Cardinales per idem tempus fecerunt pacem ſub certis conditionibus inter regem & Thomam comitem, quas conditiones Rex cito poſt fregit iniuſte. Inde aucta eſt diſſentio quæ prius extincta putabatur. Interim adductus eſt quidam miles comiti Lancaſtriæ tendens per Pontfret, verſus partes boreales, cum quo alba charta regio ſigillo magno, aliquæ literæ regis ſigillo priuato ſignatæ credentiam innuentes inuentæ ſunt, vt cum Rege Scotorum pro morte dicti comitis paciſceretur. Quem comes de veritate confeſſum, tractum, deinde ſuſpenſum, retentis penes ſe in argumentum fidei chartis ſuis & literis, mortis fecit ſubire ſupplicium, fixo capite ſuo ſuper caſtrum Pontis fracti. Et hic vt dicebatur paulo antea de familia comitis fuerat ſpecialis.

Populus in comitis partes inclinat.

Contigit ergo, quod hac de cauſa populus Anglicanus, qui prius comitem fere ſpreuerat, cognita veritate, contemptis Anglicis adhæſit comiti, vitam ipſius & ſalutem iugiter in ſpiritu poſtulans humilitatis.

Dux latronum captus pleßitur.

Per idem tempus, cum multa damna Prioratui de Tynemurha Gilbertus de Midleton antedictus, cum ſuis complicibus intuliſſet, & multos de conuicinis ſuis captiuaſſet, & ad graues redemptiones compuliſſet, multos autem ſtatim non valentes ſoluere, in cuſtodia detinuiſſet: quidam de regione illa nobiles eorum detentionem iniuſtam dure ferentes, ad ipſum acceſſerunt, ſub conductu ſaluo (quaſi pro vicinorum deliberatione mediante pecunia tractaturi) habito, quoſdam tunc à cuſtodia liberatos ſecum abduxerunt, quoſdam vero pro ſecuritate ſoluendæ pecuniæ ſecum obſides dimiſerunt.

Stratagema.

Finalis vero ſolutionis veniente die, & ſatellibus dicti Gilberti ad prædandum egreſſis, venerunt, qui pacti fuerant ſolutionem facere dicto Gilberto, dicentes ſe pecuniam attuliſſe, quam in villa ſecretius occultauerant propter metum prẹdonum, pro qua quærenda liberum exitum & introitum in caſtellum ſibi concedi petebant. Cumq; ad caſtri portas velut exituri veniſſent, trucidatis mox ianitoribus, multitudinem armatorum foras latentium introduxerunt. Qui ſubito irruentes in eum nil tale cogitantem inflictis plagis ceperunt, & vinculis ferreis acriter conſtrixerunt, deinde quam cito potuerunt eum cum fratre ſuo qui tamen captus fuerat, Londonias tranſmiſerunt, vbi iudicialiter condemnatus in oculis cardinaliũ quos ſpoliauerat, tractus & ſuſpenſus eſt. Illi vero qui ſibi famulatum præbuerant, audientes eum captum, ad Walterum de Selby ſuæ conſortem malitiæ ſe contulerunt, qui in refortiuncula ſua de Horton latens, vicinis ſimilem iniuriam inferebat.

Septimus liber decretalium.

Hoc anno dominus papa ſeptimum librum decretalium à predeceſſore ſuo com-

positum

Inſtitutio ſolemnitatis corporis Chriſti. *Annalis cõcluſio.*

poſitum & quaſi ab ipſo deletum, promulgauit, inſtituit, & confirmauit. Inſtituit etiã feſtum ſolemnitatis corporis Chriſti, quod ab Vrbano Papa quarto ſumpſit exordiũ. Tranſit annus iſte ſterilis in multis partibus regni huius, ſed miſeria copioſus, dum prouincia Northumbrana nunc Scotis attrita, nunc prædonibus illius patriæ paupe- rata, quaſi inter incudem & malleum verſabatur, regi regnique magnatibus interim putibunde ſtertentibus & ſimulantibus damna ſuorum.

Natale apud Weſtmonaſt. *Scoti vſque ad Eboracum & Lancaſtriam graſſantur.* *Rex iterum articulos concedit ſed non obſeruat.*

Anno gratię milleſimo trecenteſimo decimo octauo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi vndecimus, tenuit Rex natale apud Weſtmonaſt. cui pauci de magnatibus interfuerunt propter diſcordiam motam inter regem & proceres, eoquod totiens articulos petitos & promiſſos noluit obſeruari. Sed quia regnum per Scotorũ irruptiones in grandi fuit periculo conſtitutum, nempe Scoti vſq; ad Eboracum ex vna parte, & vſq; ad Lancaſtriam ex alia parte, comburendo, vaſtando, prædando, nullo reſiſtente, peruenerant: prælati regni accitis ſibi cardinalibus regem adeunt, precaturi quatenus articulos totiens expetitos totienſq; promiſſos pro ſtatu regni & Eccleſiæ bona fide confirmaret, & vſu vel actu ſtabiles eſſe permitteret, ne ſibi regnoque ſuo graue periculum eueniret. Rex inclinatus humilibus precibus prælatorum ſimul & Cardinalium, diem ſtatuit ſancti Iohannis Baptiſtæ quando cõgregatis Leiceſtriæ, tam clero quam proceribus ſatisfaceret petitionibus tam diu concupitis. Quo die veniente, & populo cum magnatibus loco præfixo aſſiſtente: Rex more ſolito promiſſos articulos conceſſit obſeruari. Sed cito poſtea conceſſio apparuit non ſolum friuola, ſed penitus fraudulenta. His expletis, Cardinales quaſi grande quid patraſſent in regno accepta licentia ad curiam redierunt, quæ tunc fuerat Ambianis. Eodem anno tenuit Rex parliamentum Londoniæ circa feſtum Sancti Michaelis, in quo fuit ordinatum, quod haberet in auxilium contra Scotos electos homines de qualibet ciuitate vel villa regni quæ homines exhibere poſſet. De ciuitate Londoniarum dati ſunt ducenti viri armati ad vnguem, de Cantuaria quadraginta, de villa Sancti Albani decem, & ſic conſequenter de ciuitatibus & villis regni iuxta villarum vel vrbium æſtimationem. Qui congregati magnum conflauerunt exercitum & hoſtibus melius formidandum. Sed cum perueniſſent ad Eboracum, ſuborto tumultu pariter & ſimultate cum aliis impedimentis, infecto negotio licentiati ad propria redierunt. In craſtino Sancti Bricii terræmotus fuit magnus & horribilis deterrens corda mortalium plurimorum.

Parliamentum Londini. *Singula ciuitates armant homines contra Scotos.* *Terræmotus.*

Edvvardus de Brus captus & Scoti fuſi in Hibernia. *Rex Scotorum excommunicatur regnumque interdicitur.* *Annalis cõcluſio.*

Per idem tempus Edwardus le Brus, frater regis Scotorum, qui iam per triennium Hiberniam infeſtauerat, & ſe ibidem in regem coronauerat nullo iure, à fidelibus regis Angliæ captus eſt, & propter ſuam prę́ſumptionẽ, & ſuperbiã decollatus in Dondalk: occiſis baronettis de Scotia 29. in eodẽ campo, & 5. millibus & octingentis aliis præter milites & nobiles ſupradictos, primate de Armach pro rege Anglorum capitaneo exiſtente, ſicque quodammodo mors comitis Glouceſtriæ nuper perempti apud Striuelyn, multorumque Angliæ nobilium virorum occiſio ibidem facta, inſignum ruinæ maioris vitæ vltionis diuinæ pariter & humanæ recepit Robertus de Brus. Interea Rex Scotorum cum communicantibus authoritate curiæ Romanæ ſolemniter & publice in regno Angliæ & Scotiæ omnibuſque terris adiacentibus extitit excommunicatus, eo quod venit contra fidelitatem regi Anglorum ab antiquo debitam, regnumque Scotiæ generali ſupponitur interdicto. Tranſit annus iſte qui frugibus & fructibus nec ſufficeret incolis nec alienis: Anglicis & Scotis inſtabilis & inquietus: Hibernicis lætus & hilaris, eo quod excuſſum eſt iugum dominationis alienæ de ceruicibus eorundem.

Natale celebratum apud Beuerlacum. *Berwvicum Scotis proditum.* *Scoti conantur reginam Angliæ armis capere.*

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo decimo nono, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi duodecimus, tenuit Rex natale apud Beuerlacum cum Proceribus plurimis & Prę́latis, quo tempore prouidit ſibi de exercitu copioſo, vt Scotorum ſi quo modo poſſet humiliaret ſuperbiam, & ab illorum irruptionibus Angliam liberaret. Accidit eo tempore ad malorum cumulum, quod quidam perfidus dictus Petrus de Spalding, cui cuſtodia villæ de Berwico commiſſa fuerat, Scotis venderet dictam villam & intrare permitteret, quod factum regem grauiter contriſtauit. Cogitauit igitur obſidionem ponere circa villam, cumque collegiſſet exercitum & plantaſſet obſidionem, fuiſſetque ſollicitus qualiter villam caperet, Scoti collecto exercitu quaſi viginti millium, per partes obliquas intrauerunt Angliam, eo propoſito, vt reginam caperent perhendinantem prope Eboracum in quadam villa minus caute, quam vendiderant illis quidam ex Anglia proditores. Sed cooperante Dei

gratia & Regina præmonita, fugit ad loca tutiora, & Scoti cognouerunt ſe fore deceptos. Qui dolentes & de inaniter fuſa pecunia & de præda perdita, in iram conuerſi & rabiem, ad omnem malitiam laxauerunt habenas, diſcurrentes per patriam, & obuia quæque flamma ferroque vaſtantes. Igitur dum quilibet pro parte ſua obſidionem Berewici fideliter ſatis ageret & ſeruaret, Rex fatuitate ſolita prorupit in hæc verba: Dominum Hugonem le Spencer faciam cuſtodem caſtri huius, & dominum Rogerum Tamari capitaneum huius villæ cum eam ceperimus. Quod verbum dure ferens Thomas comes Lancaſtriæ, mox cum multis aliis ſe ſubtraxit, quamobrem à toto exercitu proditor eſt clamatus, nempe prout dicebatur, ſi ſe non ſubtraxiſſet, villa cum caſtro in manus regis data fuiſſet.

Regis fatuitas in cauſa fuit cur comes Lancaſtriæ regem in obſidione Berwici deſereret.

Eboracenſes conſiderantes ſcelera quæ Scoti perpetrabant, vbique animoſitate concepta, collectis Anglorum decem millibus ſunt egreſſi, vt ciuium & patriotarum ſanguinem vindicarent. Scoti tunc prope villam de Mitone ſitam iuxta fluuium de Swale, ſolitis facinoribus intendebant. Noſtrates vero videntes Scotorum cuneos, incunctanter ſe ad prælium ingerebant. Sed quia iam pene totus eorum exercitus in armis fuerat, mox contra noſtros inexercitatos, & inexpertos, & ſine duce vel ordine venientes ordinatiſſime occurrerunt, & leui negotio noſtros fuderunt, & ad tria millia hominum in ore gladii peremerunt, & magna pars eorum qui fugerunt in fluuio de Swala periit rapaci gurgite ſuffocata. Commiſſa fuit hæc infortunata congreſſio in vigilia Sancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ, cui prout dicebatur, multi presbyteri ſeculares, multique religioſi interfuerant mala hora. Cumque rumor huius facti perueniſſet ad aures regias, dimiſſa obſidione Berewici, feſtinauit cum ſuis omnibus obuiare Scotis, priuſquam attingerent terram ſuam, & cum eis per partes Orientales iuxta nouum monaſterium obuiare diſponeret. Scoti præmoniti, cum pompoſa victoria hominum & armentorum præda per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam, fauillas, & cineres & vapores fumi ac peremptorum cadauera in omni villa per quam tranſierant poſt ſe in ſuæ crudelitatis memoriam relinquentes. Igitur Rex ſentiens quotidie ſua damna cumulari, de communi conſilio in treugas iurat biennales, Scotis libenter has acceptantibus, non tamen quia iam fuerant bellis fatigati, ſed quia fuerunt Anglica præda ditati.

Scoti Anglos vincunt.

Rex ſoluit obſidionem Berwici.

Induciæ biennales cum Scotis.

Eodem anno inaudita peſtis animalium, dubium vnde nata, ſuccreuit in Anglia: quæ circa tempus Paſchale incepit in Eſtſexia, & diffuſa eſt in breui per totam inſulam, durans per totum annum, & inficiens pene cuncta pecora regionis. Et quod eſt auditu inſolitum & fortaſſis erit futuris incredibile, canes de cadaueribus pecorum morientium comedentes, & corui, illico intumuerunt, quaſi toxicati veneno, & mortui corruerunt. Quamobrem nullus erat hominum qui fuit auſus carnes bouinas edere, quia in bobus maxime valuit peſtis illa: dicebatur etiam quod tota Gallia per idem tempus eadem peſte fuit infecta. Hoc anno multi paſtores pecudum, & quidam alii, ac mulieres de Anglia, & aliis mundi partibus collegerunt ſe, volentes acquirere terram ſanctam, & inimicos Chriſti interficere vt dicebant. Et quia non potuerunt mare magnum pertranſire, multos Iudæos in partibus Tholoſanis & Aquitaniæ peremerunt, aſſerentes eos inimicos fidei. Ob quam cauſam multi eorum capitalem ſententiam ſubierunt, & alii fruſtrati ſuo propoſito redierunt, & ſic vertitur in nihilum quod fuit ante nihil. Tranſit annus iſte pauper frugum, inops fructuum, probroſus, damnoſus Anglicis: gratus & accommodus Scotorum latrociniis: Gallicis peſtifer, ſed quietus.

Lues animaliũ.

Obſerua.

Multi ſe fruſtra parant ad recuperationem terræ ſanctæ.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo viceſimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecũdi tertius decimus, tenuit Rex natale Wintoniæ, cum magna multitudine militum, armigerorum & regalium famulorum. Hoc anno Iohannes de Kendale Wintonienſis Epiſcopus obiit in viam Patrum, cuius morte comperta, ſummus pontifex ſibi collationem dicti beneficii, quia pingue fuerat reſeruauit, ſed monachi reſeruationem prædictam nihil pendentes, obtenta à rege licentia, ad electionem proceſſerunt, & virum eminentis literaturæ quendam monachum de ſuo monaſterio cõſenſu vnanimi elegerunt in Epm & paſtorem. Rumore igitur ad aures Papæ delato, Papa dictã electionem nullam eſſe pronuncians, caſſauit electionẽ memoratam, & domino Rigando Clerico ſuo ſpeciali, Wintonienſem contulit præſulatum, qui cum poſt multas tergiuerſationes regis beneuolentiã adeptus fuiſſet, in monaſterio ſancti Albani ad Romanam Eccleſiam nullo modo pertinente, munus conſecra-

Natale celebratur Wintoniæ.

Obiit Epiſcopus Winton.

Annalis concluſio.

Papa cooptationem Epiſcopi Winton. ſibi reſeruat.

Quidam ſe regis filium falſo mentitur.

Scoti capiunt comitem Richmundiæ.

Leproſi de veneficio conuicti.

ſecrationis accepit per manus Londinenſis Epiſcopi, in preſentia Elienſis & Roffenſis Epiſcoporum, obtenta prius licentia ab eiuſdem loci Abbate & conuentu. Et ne ipſius conſecratio futuris temporibus priuilegiis monaſterii ſupradicti præiudicialis exiſteret, literas ſuper indemnitate priuilegiorum fecit fieri, quas conuentui tradidit ſigillo ſuo ſignatas. Conſecratus eſt autem in die Sancti Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis ad maius altare, cum magna præſulum deuotione. Sub hoc anno venit Oxonias quidam pauper iuuenis, & prædicauit ibidem ſe fore regis Edwardi nuper regis hæredem, & quod Edwardus qui modò regnat, non erat regis filius, ſed cuiuſdam Carectarii doloſe ſubintroductus ad reginam. Quod audientes ciues Oxonienſes, ceperunt dictum iuuenem, & miſerunt ad regem tunc Northamptoniæ exiſtentem, qui à miniſtris regis in vltionem mendacii tractus & ſuſpenſus eſt, extra villam in loco vocato le Coppeddethorne, inter Northamptoniam & Killingworth, ad terrorem & exemplum talium nebulonum. Per idem tempus rege exiſtente Eboraci, Scoti intrauerunt Angliam, & illuc vſque peruenerunt, & ſuburbana ciuitatis Eboracenſis cremauerunt, & captiuos ceperunt dominum Iohannem de Bretayne comitem Richemundiæ, & plures alios qui grauiſſima redemptione ſunt poſtea liberati. Hoc anno leproſi quaſi per totam chriſtianitatem fuere diffamati, quod iniſſent fœdus cum Saracenis ad intoxicandum Chriſtianos vbique terrarum, quod in multis fecerunt partibus, ponendo venenum in fontibus, puteis, doliis, & locis aliis, ſuper quo multi de prouincia & Francia conuicti combuſti ſunt, & Iudæi detenti & incarcerati propter auxilium eis præſtitum & conſenſum.

Natale celebratur apud Weſtmon.

Noua occaſio coniurationis procerum.

Coniuratio procerum.

Hugo de Spencer omnibus inuiſus.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo viceſimo primo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi quartus decimus, tenuit Rex natale Londoniis, apud Weſtmonaſt. cum magna gloria & honore. Hoc anno miles quidam perdiues à parentela, ſed diſſipator ſubſtantiæ ſibi relictæ, dictus Wilhelmus de Brews, qui baroniæ dignitatem poſſedit, à parentibus in marchia Wallia quandam portionem terræ ipſum hæreditario iure contingentem, diuerſis dominis obtulit ad vendendum. Terra vero quam vendere voluit, terræ de Gowers antiquitus vocabatur. Comes autem Herefordiæ, quia dicta terra contigua fuit terris ſuis pro quadam ſumma pecuniæ cum dicto Willihelmo conuenit, & eo promiſit vberius ſoluere, quo nouit terram vtiliorem præ cæteris ſibi fore, vnde obtenta à rege licentia, dictam terram ingredi diſponebat tanquam propriam poſſeſſionem. Duo etiam milites præpotentes, quorum quilibet vocatur Rogerus de Mortuomari, videlicet auunculus atq; nepos, quia terra illa ſibi videbatur accommoda, propter vicinitatem terrarum ſuarum, neſcientes de pacto prælocuto, acceſſerunt ad dictum Willielmum de Brews, & cū eo conuenerunt ſub pacto quodam de terra prędicta ſibi & ſuis habenda & tenenda, & quaſi ſecuritatem de dicto Wilhelmo reportarunt. Dominus Iohannes de Moubray qui filiam dicti Wilhelmi duxerat in vxorem, quæ heres vnica fuit illi de tota terra pręfata, tanquam vxori ſuæ hæreditario iure debita ſecurior exiſtebat. Nouiſſime ad omnium malorum cumulum, Hugo diſpenſator iunior, concupiſcens terram ſæpius memoratam, quia terris ſuis vndique vicina fuit, quia domini regis erat camerarius, ampliorem à rege gratiam de terra comparanda obtinuit, & ſpecialiorem à domino dictæ terræ adeptus eſt fauorem in emptione terræ pręfata, ita quod finaliter terram illam excluſis omnibus aliis comparauit. Igitur pręfati proceres, videntes ſe circumuentos & deluſos ab Hugone, & à ſuo propoſito defraudatos, commoti ſunt valde & ad iracundiam concitati. Comes vero Herefordiæ, Humfridus de Boun, conqueſtus eſt ſuper iniuria ſibi facta Thomæ comiti Lancaſtriæ, qui allicientes cæteros pene cunctos comites & barones in partem ſuam, coniurationem fecerunt maximam ad viuendum & moriendum pro iuſtitia, & regni proditores pro viribus deſtruendis, & pręcipue vtrunque Hugonem de Spencer, patrem ſcilicet atque filium, quos odio inexorabili perſtringebant, eo maxime quia regem ducebant, pro ſuę voluntatis arbitrio, in tantum quod nec comes nec baro, nec epiſcopus quicquam valuit expedire in curia ſine horum conſilio vel fauore. Omnium ergo liuore perſequebantur, qui omnibus pene dominabantur, & quo plus creuit eorum gloria, & eo amplius contra illos creuit inuidia, quæ ſemper accreſcit abundantia aliorum. Igitur Barones duce Thoma de Lancaſtria apud Schirborne in Elmedon conuenerunt, fœderati prout dicitur & iuramentis aſtricti ad proſequendum propoſitum vſque ad corporis & animæ diuiſionem. Sed tamen pene cuncti præter Thomam de Lancaſtria & Humfridum comitem de Herefordia & paucos alios ante

finem negotii retrorſum abierunt, & præ timore mortis ſe regi dediderunt: ſed hæc inferius plenius videbuntur. Cumque barones vt præfertur apud Schirburnam conueniſſent, quoſdam articulos in præſcriptionem dictorum Hugonis & Hugonis compoſuerunt, ſed tamen vias iuris & æquitatis in hac parte penitus omiſerunt, ſuorum pro tempore exequentes impetus animorum. Nam illorum bona qui illis vel amicitia vel affinitate iuncti fuerant, furibunde inuadebant, capientes caſtra per violentiam, vaſtantes prædia per malitiam, & perimentes famulos repertos in cuſtodiis eorundem, dolentes ob hoc tantummodo, quod eorum perſonas capere quos oderunt minime potuerunt: prædicta furia de die in diem vires ſumente, barones vexillis explicatis ad ſanctum Albanum veniunt, per viam diripientes vbique victualia, &

Monachi ſe ſuaq; miraculis tuentur.

pauperes terræ grauantes. In hac comitiua fuerunt quidam, qui propter inueteratum odium monaſterium Sancti Albani dictique loci Monachos ſe grauaturos deuouerant. Sed tamen diſponente Deo qui neminem temptari permittit ſupra vires, horum magiſter & autor tantæ malitiæ in villa de Alysbury priuſquam ad ſanctum Albanum attingeret morbo percuſſus irremediabili, propriis ſeipſum diſcerpit manibus, & poſt duos dies miſerabiliter expirauit. Cæteri tam formidabili tremefacti vindicta, caſum pro miraculo reputantes, ab executione voti illiciti timore magis quam amore deſtiterunt.

Legatio procerū ad regem.

Magnates vero apud ſanctum Albanum cum ſuis armatis exercitibus per triduum perhendinantes, miſerunt ſolennes ad regem nuncios Londoniis commorantem, Londonienſem, Sariſburienſem, Elienſem, Herefordenſem & Ciceſtrenſem præſules qui tunc apud Sanctum Albanum conuenerant pro pace reformanda, mandantes, vt dominus Rex non ſolum ſuam vacuaret curiam, ſed regnum ſuum de regni proditoribus Hugone & Hugone le Spencer per communitatem terræ in multis condemnatis articulis, exiliumque meritum ſubire permitteret ſi diligeret regni pacem. Petierunt barones inſuper, vt Rex ipſis & omnibus qui in eorum comitiua arma mouerant, literas patentes indemnitatis concederet, & ne pro tranſgreſſionibus tranſactis vel præſentibus à rege ſeu quouis alio futuris temporibus puniretur.

Reſponſio regis.

Ad hæc dominus Rex reſpondit, quod Hugo le Spencer pater in ſuo negotio mare tranſierat, & Hugo iunior in mari erat ad cuſtodiendum quinque Portus, prout ex officio tenebatur, qui de iure vel conſuetudine exulare non debebant ante reſponſa data per eoſdem. Adiecit pręterea quod eorum petitio iuris & rationis fundamento carebat, eo maxime quod dicti Hugo ſenior & Hugo iunior parati ſemper fuerant omnibus de ſe conquærentibus in forma iuris reſpondere, & ſi probare poſſent eos in aliquo ſtatuta terræ lęſiſſe, parati ſemper fuerant legibus regni parere. Poſtremo cum iuramento addidit, quod noluit ſacramentum violare ad quod aſtrictus fuerat in Coronatione ſua, concedendo literas pacis & indulgentiæ tam notorie delinquentibus in ſuæ perſonæ contemptum, & totius regni perturbationē, & maieſtatis regię lęſionem. Hiis auditis, proceres acti in furiam, confeſtim ad arma proſiliunt, & milites quidam ſuper armatura cotucas induerunt vocatas quartelovs, Armigeri vero indumenta bendas habuerunt, quibus indumentis ex poſt induti, tracti ſunt & ſuſpenſi plurimi de procerum comitiua. Cum faſtu igitur & pompa nimia barones Londonias adierunt, hoſpitatique in ſuburbio ciuitatis, manebant pacifice donec licentiam ingredi ciuitatem obtinuiſſent: obtento à rege ciuitatis ingreſſu, magnates ſicut prius in petitione ſua fortiter perſtiterunt. Tandem interue-

Rex metu periculi aſſentitur.

niente Regina & pręfatis epiſcopis laudabiliter mediantibus, Rex inductus eſt propter werræ periculum euitandum, vt condeſcenderet votis & petitionibus procerū prędictorum. Edictoque ſuper hiis per comitem Herefordiæ in aula Weſtmonaſterii publicato, Hugo ſenior in exilium actus eſt. Sed Hugo iunior in diuerſis locis latitans in Anglia & in mari permanſit.

Hugo ſenior exulat, iunior latitat.

Hiis itaque peractis, barones obtentis à rege literis de impunitate & pace regis ad propria redierunt, nec hilares de dicta pace cōceſſa prout præmittitur, nec ſecuri, quia de regis beneuolentia deſperabant, & ideo

Alia diſcordiæ cauſa.

armati ſemper incedebant & loca tuta quærebant. Interea caſus accidit eiſdem magnatibus plenus infortunio & generatiuus moleſtiæ ſubſequentis. Iſabella nempe Regina (quæ nutrix pacis & concordiæ ſemper fuerat inter regem & barones) peregrinatura verſus Cantuariam, in Caſtro de Ledes hoſpitari & pernoctare diſpoſuit. Quod caſtrum dominus Bartholomæus de Batleſmere, qui diu ſeneſcallus regis fuerat, à rege in excambiū pro quibuſdā terris aliis ſibi & ſuis hęredibus impetrauerat, in quo ſuam coniugem cum paruulis & magni theſauri copia dimiſerat pro tutela dum

Regina prohibe-

fidē domini ſui regis deſerendo, adhæſit baronib9 in turbatione p̄fata. Igitur prępueni-

ens

tur ingreſſu caſtri de Ledes.

ens dominæ ſuam reginam Mareſcallus, petiit ingreſſum caſtri, vt illuc neceſſaria comportaret, & pararet pro familia domoq; reginæ. Sed qui in caſtro fuerant, procaciter reſponderunt, ſe nec Reginæ, nec cuiquam alteri ingreſſum caſtri permittere, ſine iuſſione vel literis domini dicti caſtri. Reſponſum mox aud aures Reginæ peruenit, quæ illuc in propria perſona perueniens petiit ingreſſum caſtri, ſed nullam ſpem intrandi potuit à reſpondentibus obtinere, & ideo alias pro nocte illa quæſiuit hoſpitia, illo expreſſe ſibi denegato. Cumq; rediſſet ad regem, de iniuria cõqueritur ſibi facta, ex cuius relatione Rex prouocatus ad iram, collectis pluribus armatorũ millibus cum multis Londonienſibus, ad dictum caſtrum acceſſit perſonaliter, incluſis præcipiens, vt redderent ſibi caſtrum. Renuentibus caſtellanis parere iuſſis regiis, Rex arctat incluſos obſidione, & tamdiu perſeuerat ibidem, donec victus incluſis & victualia defeciſſent. Tandem redditum eſt caſtrum in manus Regis cum omnibus, quæ intus erant. Thomas Colpeper cuſtos caſtri captus eſt in primis, qui tenuerat caſtrum contra Regem, & pro rebellione tractus & ſuſpenſus eſt, mulieres ibi repertæ Londonias miſſæ ſunt in turri Londoniarum ſub arcta cuſtodia conſeruandæ, ſeruientes diuerſis multati pœnis in locis variis ſunt perempti. Theſauri reperti cum armis & equis, regiis ſunt vſibus deputati. Quibus ita peractis, Rex ſuis militibus cuſtodiam caſtri commiſit, & victorioſe progrediens verſus Circeceſtriam, obiter cepit multa caſtra ſibi rebellantium manu forti procerum. Circa feſtum omnium Sanctorum proximo ſubſecutum Hugo diſpenſator iunior filius videlicet ſenioris, aſcendit è mari, & peruenit ad Regem, cuius conſilio & quorundam aliorum Rex mandauit breuia ſua ad omnes vicecomites totius Angliæ, ad congregandum exercitũ contra barones, quia cupiebat vindicari de deſpectu & rebellione nuper Londoniis ſibi factis. Barones vero præmoniti de tanta molitione ſe muniuerunt pro viribus, & ipſi multitudinem exercitus colligentes, vt vim vi repellerent, & viriliter defenderent cauſam ſuam, illud poeticum concorditer retinentes:

Rex obſidet caſtrum, & eius deditionem accepit.

Rex conatur ſe vindicare aduerſus proceres

Proceres defenſionem parant.

Felix qui quod amat defendere fortiter audet.

Tranſit annus iſte ſicut ceteri illaudabilis, prouentu frugum vel fructuũ damnoſus, proceribus & mediocribus ſuſpectus, moleſtus & turbulentus: Regi ſollicitus & inuiſus: Scotiæ propter magnarum Anglorum regni diſcordiam iocundus & hilaris: Franciæ, Flandriæque pacificus, & (quod dolendum fuerat) Sarracenis & incredulis fertilis & quietus.

Annalis concluſio.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo viceſimo ſecundo, qui eſt annus regni regis Edwardi a conqueſtu ſecundi quintus decimus, tenuit Rex ſolemnitatem Natalis dominici apud Circeceſtriam, cum magna militum ſcutiferorum & architenentium numeroſitate. Illuc ergo grandem conuocauit exercitum contra barones, proponens proculdubio vel mori viriliter, vel velut Rex ſuper ſuos ſubditos imperialiter dominari. Audientes multi de Baronibus regis propoſitum, diffidẽtes & animo concidentes neglecto iuramento, quod in cõmune præſtiterant, ad Regẽ meticuloſi venerunt, ſe ſuę gratiæ in omnibus ſubmittẽtes. Inter quos duo Rogeri de Mortuomari primi vel inter primos acceſſerunt, ſe voluntati regiæ ſupponentes, qui partem baronum in magna parte debilitauerunt, eo quod eſſent ſtrenui & bellicoſi, potentes rebus ſæculi & famoſi, & præ ceteris cauſæ communis incentores, ſed tamen ſecus accidit eis quam ſperabant. Nam cum ſe regi reddidiſſent, miſſi ſunt ad turrim Londoniarum, donec Rex conſideraſſet, quid de eis facere debuiſſet, qui quẽ finem ſortiti ſunt, ſequentia declarabunt: comprehendit Rex dominũ Hugonẽ de Audeley ſeniorem, & dominum Mauritium de Berkley, & miſit illos ad caſtrũ Wallingfordiæ cõſeruandos. Alios vero multos blandis deluſos promiſſionibus ſimili ſorte cepit, & variis cuſtodiis commendauit. Cumq; comes Herefordiæ ceteriq; barones adhærentes ſibi hæc veraciter cognouiſſent, ad partes Glouerniæ ſe contulerunt, deinde vna cũ Thoma Lancaſtriæ comite, exercitu grandi collecto, verſus Burton ſuper Trentã vexilla verterunt, rapinis indulgentes vbiq; ad magnũ patriæ nocumentum. Quos è veſtigio Rex inſequens, reperit collectos & paratos ad reſiſtentiã faciendum. Impediueruntque regem per tres dies continuos, quo minus pontem dictæ villæ de Burton tranſire poſſet, occiſis quibuſdam de regis exercitu qui pontem tranſire animoſius inſtiterũt, vnde Rex coactus eſt tranſitum aliunde quærere vltra Trentam, pertranſito Trentæ fluuio Rex hoſtiliter equitauit verſus comites ſupradictos.

Natale apud Circeceſtriam.

Multi ſe regi dedunt.

Rex hoſtes inſequitur.

Thomas vero Comes videns iam res agi pro capitibus, cum ſuis commanipularibus exiit villam de Burton, & exercitum in campo ſtatuit contra Regem, expectans

Digitized by Google

Comes Lancaſtriæ fugit. Regis aduentum in eodem campo. Sed cum vidiſſet Regis exercitum tam numero, quam potentia multo ſuis præſtantiorem, confuſus fugit in dedecus ſempiternum. In fugiendo vero diuerſas fecit deprædationes baronum exercitus, dum vi non tantum victualia per viam rapiunt, ſed etiam ſubſtantias diripiunt incolarum. Nec ſegnior Rex ipſos fugientes perſequitur, dietas continuans, prout poſſibilitas ſuppetebat. Thomas vero de Lancaſtria cum baronibus & exercitu fœderato peruenit ad Bourghbrigge, vbi repererunt magnam reſiſtentiam de borealibus partibus congregatam. Nempe ad dictum locum conuenerant cuſtos Eboraci, dominus Symon Ward, & cuſtos Carleoli dominus Andræas Herkle, cum ſufficienti manu ad pugnandum *Comes Herefordiæ occumbit.* paratí, vbi cum dominus Humfridus de Boun comes Herefordiæ pontem tranſire voluiſſet, à quodam ſub ponte latente lancea transfixus eſt & peremptus ibidem. *Lancaſtrenſis capitur.* Thomas vero de Lancaſtria non valens ſuſtinere pondus prœlii in eum verſi, nec de loco fugere, captus eſt ab Andræa de Herkle cuſtode Carleoli, milite mediocris fortunæ: capti ſunt etiam ab eodem dominus Rogerus de Cliſforde, dominus Iohannes de Moûbray, dominus Warrinus de Inſula, cum multis aliis, & adducti ad Regis præſentiam ad pontem fractum, vbi Rex cum duobus diſpenſatoribus Hugone ſeniore, *Lancaſtrenſis ludibrio habitus.* & Hugone iuniore morabatur. Et eum Thomas Comes introductus fuiſſet in villam, à tota gente deriſus eſt, & acclamatus Rex Arthurus, & vndique ſubſannatus. Quod tantummodo iuſte dicebatur accediſſe ſibi, eo quod ipſe Regem pari forma dehoneſtauerat, cum Rex parum ante à partibus borealibus diuertiſſet, & veniſſet ad Pontem fractum. Nam Thomas irreuerenter egrediens cum ſuis hominibus exiit caſtrum ad deſpiciendum Regem, & acclamans in ipſum Regem viliſſime & contemptibiliter cum magno tumultu, in maximum contemptum ipſius, ac ſi non fuiſſet eius dominus, nec Rex eius. Idcirco venerunt ſuper eum mala præſentia, prout creditur, vt per hæc purgatus facilius poſt hanc caducam mereretur conſequi vitam beatam. Tertio nempe die à captione ſua ſederunt Principes, & in eum ſententiam dictauerunt, Dominus Rex in primis, aſſidentibus Edmundo Comite Cantii, Hugone Comite Wintoniæ, Aymero Comite Penbrochiæ, Ioanne de Warenna Comite Southreyę, Dauide Comite de Atheſel, Roberto Comite de Angos, vbi adiudicatus eſt tractioni, ſuſpenſioni, & decollationi. Tamen quia idem Comes de parentela fuit excelle[nti] & nobiliſſima procreatus, Rex ob reuerentiam parentelæ ſuæ remiſit de ſua ſpeciali gratia dicto Thomæ Comiti executionem duarum pœnarum, quod idem Thomas Comes non traheretur nec ſuſpenderetur, ſed quod executio fieret tantummodo ſuper ipſum, quod decapitaretur, ſicque decapitatus eſt extra villam de Ponte fra- *Lancaſtrenſis capite plectitur.* cto, à captione ſua die tertio, vt præfertur. Warrinus de Inſula, Wilhelmus Toket, Thomas Mandut, Henricus de Bradbourne, Wilhelmus filius Wilhelmi, & Wilhelmus Cheyne, qui capti ſunt cum Thoma Comite, propter roberias & felonias, & reſiſtentiam, quam fecerunt contra Regem ad villam de Burton, occidentes Regis familiares, & Regis tranſitum prohibêtes, ac partem villæ prædictæ in receſſu ſuo comburentes, ceteraque perpetrantes, quæ dicto Thomæ Comiti imponuntur, adiudicati ſunt de prædictorum Comitum & Baronum conſilio, tractioni & ſuſpenſioni apud Eboracum. Dominus Rogerus Clyfforde, dominus Iohannes de Mounbray eodem iudicio condemnati ſunt & ſuſpenſi. Goſſelinus de Inuylla ſimili ſorte vitam finiuit, ex poſt parumper dominus Henricus Tyes captus, Londoniis tractus & ſuſpenſus eſt. Deinde dominus Bartholomæus Batleſmere captus eſt, & Cantuariæ decollatus. Solus dominus Rogerus Tamati morte obiit naturali. Cetera qui voluerit videre ple- *Chronica Riſanger.* nius, in chronicis Wilhelmi Riſanger apud ſanctum Albanum latius poterit reperire, vbi recordatum Regis habetur de omnibus memoratis. Rex igitur elatus de tanta victoria, qui potius gemuiſſe debueret de tanta nobilium turba male perempta, quia *Rex conſcribit exercitum in Scotos.* tunc fuit vere victus, quando tot vicit prudentes milites, collegit exercitum fortem nimis & magnum contra Scotos, quantus à longo tempore non eſt viſus. Qui abſque victualibus in grani pompoſaque multitudine in borealibus adunatus partibus, peruenit ad Regem, ad villam de nouo caſtro ſuper Tynam. Inde Rex hoſtiliter profectus eſt in Scotiam lento greſſu, permetiens quaſdam partes illius prouinciæ, cuius aduentu præcognito, Scoti bona ſua cum neceſſariis ad loca tutiora comportauerūt, fugientes ad montes, nemora, vel paludes: ſicque contigit, vt cum Rex ſuis nullam reſiſtentiam inueniret, nullaque victualia reperiret, ſed omnia deſerta, vacuata, & va- *Regis exercitus fame afflictus dimittitur.* ſtata, perpendit, conſumptis igitur victualibus, tam per terram, quam per mare pro exercitu comportatis, magna pars exercitus fame & inædia tabefacta protinus eſt extincta.

Digitized by Google

tincta. Quia (prout dicit Vegetius de re militari) *Sæpius penuria quam pugna conſumit exercitum, & ferro ſeuerior fames eſt.* Cernens autẽ Rex plebem ſuam perire tam miſerabiliter, dolẽs domũ regreditur, infecto quocunq; negotio fructuoſo. Cumq; multi de Regis exercitu perueniſſent ad propria, & guſtaſſent cibos auidius, mox vel diruptis viſceribus moriebantur, aut conſumpta natura ſemper imbecilles & debiles permanſerunt, vires prælhabitas recuperare non valentes. Contigit eo tempore, cum Rex in partibus moram traheret borealibus, in loco, qui dicitur Regalis vallis, minus caute, Scoti (per exploratores perfidos quos habebant Anglicos) edocti de Regis male cauta perhendinatione, ingreſſi ſunt regnum ſubito, ſperantes Regem incautum capere, vel certe perimere, ſi fortuna fauiſſet: ſed Deo volente Rex præmonitus de Scotorum molitionib. receſſit à loco, quẽ velut fugientem Scoti perſecuti ſunt vſq; ad Abbathiam de Byland, ſed nec ibi tutus locus regi fuerat propter Scotorum violentiam, quamobrem Rex vix arreptis armis, fugit Eboracum celeriter, theſauro ſuo, victualibus & vtenſilibus direptioni relictis. Scoti vero videntes vias ſuas proſperari, patriam peruagantur, omnia ferro flammaque vaſtantes, & captiuos multos ſecum trahentes, inter quos virum nominatiſſimum dominum Iohannem de Bretayne ceperunt, Comitem ſcilicet Richmundiæ, & multis ſpoliis domum proſpere ſunt regreſſi.

Rex prope circũuentus à Scotis.

Eodem anno dominus Hugo de Spencer pater, factus eſt Comes Wintoniæ. cui rex dedit caſtrum & honorem de Donyngton, quod fuit de Lincolniæ comitatu. Ipſo anno obiit Rex Franciæ Philippus, filius Philippi, cui ſucceſſit in regno Carolus frater eius, qui prius fuerat comes Marchiæ Waſconiæ. Tranſit annus iſte parũ frugifer, alias ſatis fructifer: Angliæ damnoſus, probroſus, luctuoſus propter inteſtinam diſcordiam, & nobilium terræ iugulationem. Regi vero infamis notabiliter, propter tyrannidem in ſuos naturales, inuiſus propter infelicem profectionem ad partes boreales, & in Scotiam, vbi pene perdidit mediam gentem ſuam pudibunde maxime, propter fugam ſuã ante Scotorum faciem in proprio regno ſuo, & theſaurorum ſuorum perditionem.

Annalis cõcluſio.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu ſecundi ſextus decimus, tenuit Rex natale dominicum Eboraci, diſſimulans damna probroſa, quæ perceperat dudum per Scotos, & geſtans vultu lætitiam, quamuis immaniter in animo torqueretur.

Natale celebratum Eboraci.

Eodem tempore quidam de mediocri familia Thomæ quondam Comitis Lancaſtriæ captus eſt, qui pro rebellione, quam fecerat inſurgendo contra Regem in guerra baronũ, & notabilib. deprædationibus & incendiis, iudicio publico condemnatus eſt. Sed quia quandoq; ſteterat in Regis curia, & placuerat quibuſdã de maiorib. Regi aſſiſtentibus, multi Regẽ adierunt deprecaturi pro vita eius. Quos cum Rex audiſſet inſtantius pro eius ſaluatione precari, commotus eſt vehementiſſime, cum verbis imperii ita reſpondens: væ vobis ſuſurrones infandiſſimi, detractores maleuoli, nequam conſiliarii, pro vita deprecamini nebulonis notiſſimi, qui pro vita mei conſanguinei militis illuſtriſſimi Thomæ Comitis nullas preces facere voluiſtis. Et quidem ſi ipſe vixiſſet, mihi totique regno neceſſarius extitiſſet. Hic vero quanto diutius in hac vita perſtiterit, erit tanto ſceleſtior, quippe qui hactenus repleuit ſceleratis facinorib. totũ regnũ meũ, per animum (inquit) Dei morte debita morietur. Et mox iuſſit executionem fieri de iudicio dato ſuper eum, motus maxime contra ſuos, qui noluerũt preces fundere pro Thoma comite, quem Rex intime diligebat.

Pœnituit Regem de morte Lancaſtrenſis.

Eo tempore venerunt ad Regẽ Angliæ nuntii noui Regis Franciæ Caroli, videlicet dominus de Beomble, & dominus Andræas de Florentia, ad citandũ & monendũ eum, quod veniret infra certum tempus ad faciẽdum homagium ſuum ipſi Carolo nouo Regi pro ducatu Aquitaniæ.

Rex Franciæ à rege Angliæ ſibi homagium fieri poſtulat.

Et licet Hugo de Spencer filius & Robertus de Baldock cancellarius procuraſſent ipſos nuntios, quod non notificarent regi aduentus ſui cauſam, ipſi tamen in ſuo receſſu monuerunt eum quod veniret infra certum tempus, quaſi conſulendo ad homagium faciendum. Super qua monitione ſiue citatione ſubdola, dictus Andræas de Florentia, qui fuit notarius, fecit publicum inſtrumentum, virtute cuius rex Franciæ fecit proceſſum contra Regem, & terras multas Waſconiæ ſeiſire fecit in pœnam contumaciæ regis Angliæ, qui fuit informatus per malos cõſiliarios, quod ipſum pręfata citatio vel monitio non arctabat.

Fraus Gallica.

Eodem anno Epiſcopus Glaſcuenſis, & Thomas Rondolf Comes Morauiæ miſſi ſunt per Robertum Brus, & totum regnum Scotiæ ad curiam Romanam pro habenda relaxatione excommunicationum & interdicti ſententiarum in regnum & regnicolas Scotię per Cardinales auctoritate Papę latarum. Contra quos Rex Angliæ

Scoti legatos Romam mittunt, vt ab excommunicatione liberentur, ſed non impetrant.

miſit

miſit quendam ſimplicem clericum, qui obtulit ſe coram Papa ex parte Regis Angliæ ad probandam Scotorum manifeſtam & notoriam offenſam, non ſolum contra Regem & regnum Angliæ, ſed etiam contra ſedem Apoſtolicam fore contractam, ita quod ante ſatisfactionem non poſſent dictæ cenſuræ laxari de iure. Contigitque clerici dicti diligentia, quod Scoti infecto negotio redierunt. Per idem tempus Andræas Herkle de probo factus improbus leuauit calcaneum contra Regem, qui illum de puſillo magnum creauit, & fecerat ei nomen iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra. Siquidem cum dictus Andræas ad pontem Burgi Barones à facie Regis fugientes viriliter excepiſſet, & Humfridum de Boun per ſuos, vt præſertur, peremiſſet, & Thomam Comitem Lancaſtriæ tanquam captiuum cepiſſet, reliquos vero fugaſſet, vel occidiſſet pro libito, & cum magna pompa à Rege acceptus fuiſſet, & pro tanta victoria cogitauit Rex qualiter talem virum poſſet vberius honorare: tandem deliberato conſilio, proprijs manibus eum cinxit gladio militari, donans ei comitatum de Carleo, cuius per ante ciuitatis & caſtri diu fuerat conſtabularius ſiue cuſtos. Qui mox honore tanti nominis eleuatus, Hugonem diſpenſatorem cœpit perſequi propter rancorem, quem per longum tempus conceperat contra eum. Sed cum videret dictum Hugonem de die in diem proficere & exaltari, inſuper & per Regem manu teneri, contra eum indignatus quam maxime, quod iuxta malitiam cordis ſui vindicari non poterat, contra fidelitatem, quam domino ſuo Regi iurauerat, iunxit ſe Scotis inimicis Regis publicis, & eorum conſiliis ſe immerſit, qui mox ab illis hilaritate tanta ſuſceptus eſt, ac ſi cœleſte munus, quia nullus vnquam fuerat illis infeſtior aut acrior expugnator. Nempe in regnorum confinio ſemper habitans damna innumerabilia illis intulerat, modo prædas agens, modo faciens equitationes, modo captiuos ſecum trahens, modo flammis villas prædiaque deuaſtans. Cumque per dies aliquot moram feciſſet inter eos, & ipſi iam ſecuri facti fuiſſent de eius nefanda perfidia contra Regem Angliæ, cogitauerunt eum, quantum poterant, honorare, in tantum, vt ſororem Regis Scotiæ vellent ſibi coniugio copulare. Rex interim Angliæ cognoſcens (per relatores) quid Andræas fecerat, doluit, quod tanta beneficia contulerat tam ingrato. Erat tunc in partibus borealibus miles famoſus & ſtrenuus, vocatus Antonius, cognomento de Lucy, qui & Regis fauorem cupiebat acquirere, & patriam de tam nefando proditore protinus vacuare. Hic per exploratores edoctus, quod Andræas apud Carleolum ſatis ſecure (nihil mali ſuſpicatus) morabatur, repēte cum manu valida irruit ſuper eum. Quem illico captum miſit ad Regem Londoniis cathenatum, vbi quadrifario iudicio condemnatus eſt. Nempe primo degradatus eſt, amputatis ſecuri ad talos ſuos calcaribus, & ſic viciſſim diſcinctus eſt baltheo militari, ablatis calceis & chirothecis. Deinde tractus, ſuſpenſus, & in quartas diuiſus eſt. Et partes quatuor principalibus ciuitatibus Angliæ ſunt tranſmiſſæ: caput eius ſuper pontem Londoniarum fixum eſt, verſus partes reſpiciens Scoticanas. Eodem anno Robertus de Brus per literas miſſas per ſolennes nuntios, requiſiuit regem Angliæ de treugis per annos treſdecim duraturis. Rex vero Angliæ fatigatus per guerras Scotiæ multipliciter, conceſſit in treugas voluntarie, quæ ſub treſdecim articulis claudebantur, quos qui videre deſiderat, reſpiciat chronicas fratris Henrici Blankforde monachi ſancti Albani, quæ habentur in monaſterio memorato. Sub eodem anno facta eſt grandis coniuratio multorum, qui cum baronibus ſteterant in guerra ſua, vt omnes, qui in carceribus detenti fuerāt ratione dictæ guerræ per totum regnum, vna eademque nocte eriperent, & à vinculis liberarent. Venerunt igitur quidam de coniuratis ad caſtrum Wallingfordiæ, in quo tenebantur viri nominatiſſimi, Mauricius de Berkley, & Hugo de Audeley, & latenter ingreſſi ſunt per poſticium verſus aquam Thamiſiæ, vt complerent opera præconcepta, ſed eorum furtiuus introitus villanos non latuit, vnde mox clamor & tumultus factus eſt nimis per totam villam, ex quo tota patria eſt commota. Aduenit igitur ex illis partibus indiſcreta multitudo, vt obſiderent eos, qui caſtrum ſic ingreſſi fuerant, & eos obſiderunt, donec venirent ad continuandam obſidionem Comites Cantiæ & Lincolniæ, cum vi maxima armatorum. Videntes autem, qui caſtrum ſic ingreſſi fuerant, ſe non poſſe reſiſtere tantæ violentiæ, ad capellam dicti caſtri pro refugio Eccleſiaſtico confugerunt. Qui tamen inuitis decano & presbyteris dicti collegii, qui eos nitebantur defendere, de capella ſunt violenter abſtracti, & vel diuerſis pœnis ad mortem traditi, vel carceribus mancipati, donec Rex crudelius de eorum ſuppliciis ſtatuiſſet. Factum eſt igitur, vt hac occaſione cuncti per Angliam incarcerati arctius ſolito ſtringeren-

Andræas Herkle ingratus tranſfugit ad Scotos.

Scoti trāſfugam cupide ſuſcepiūt.

Andræas captus regi traditur.

Induciæ inter Scotos & Anglos.

Coniuratio de liberandis omnibus carceribus incluſis.

getentur. Circa feſtum ſancti Michaelis Archangeli Rex circuiuit comitatus Eboraci & Lancaſtriæ, & Marchiam Walliæ, ingrediens ciuitates & villas, & inquiſitiones faciens de pacis perturbatoribus, de vulgi cõmunis oppreſſoribus, de prouinciarum prolocutoribus & ductoribus, qui per nundinas ſiue fora ſoliti fuerant concitare ſeditiones, fouere partes contra partes, manutenere malefactores, & notatos captos & conuictos puniuit iuxta ſuæ demerita prauitatis, antiquiſque profligatis erroribus, leges terræ præcepit in in locis omnibus obſeruari. Eodem anno Papa citauit ducem Bauariæ in Imperatorem electum, vt infra certum terminum veniret ad curiam, & de electione & iure ſuo doceret, & quia non venit in terminum, excommunicauit eum, & poſtmodum pronuntiauit eum nullum habere ius in impetio, vel ad illud, & ſi quod habuit priuauit eundem. Hoc anno vacauit Eccleſia Wintonienſis per mortem domini Rigandi de Aſſeto in curia, cui Papa prouidit de Magiſtro Iohanne de Stretforde in curia tunc præſenti.

Papa electionem imperatoris pro ſuo arbitrio fruſtratur.

Epiſcopus Winton. obiit.

Tranſit annus iſte mediocriter lætus frugibus, ſed fœcundus fructibus: formidoloſus regni malefactoribus Angliæ: Scotiæq; votiuus propter treugas captas.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo viceſimo quarto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi ſeptimus decimus, tenuit Rex natale apud caſtrum de Keneſwotth in magnificentia & gloria, & magna frequentia ſexus vtriuſque. Eodem anno inſequenti quadrageſima conuocari fecit Rex ad parliamentum Londoniis celebrandum regni proceres, & prælatos, ad tractãdum de variis regni negotiis, & præcipue conſulendum, quid foret reſpondendum regi Franciæ, qui Regẽ Angliæ pluries iam vocauerat, ad faciendum homagium ſibi pro Waſconia, & ceteris terris, quas tenebat in regno Franciæ & dominio Regis Francorum, ſuper quo, ex conſenſu procerum & omnium aſſiſtentium decretum fuit, quod in propria perſona non trãſiret, ſed prius mitteret ſolennes nuntios, ſi forte vel hac vice de non cõparendo poſſet obtinere dilationem vel omnimodam excuſationem. Præterea rex petit in præfato parliamẽto, tam de clero quã de populo laicali ſubſidiũ pecuniarũ, pro redemptione nobilis viri Iohannis de Britannia comitis Richmundiæ, nuper capti per Scotos apud Abbathiã de Byland. Sed hæc petitio mõſtrabatur per multas rationes iniuſta fore, & tandẽ vôce publica penitus eſt negata ſub iſta replicatione, quod tantũ pro rege, regina & filiorũ regis primogenito (ſi in captiuitate tenerentur) foret cõtributio faciẽda: & ſic quieuit triburũ, ceſſauit exactor. In eodem parliamento arreſtatus fuit Adam epiſcopus Herefordenſis, in magnum cleri dedecus, & præiudicium totius Eccleſiæ Anglicanæ, & examinatus de proditione & crimine læſæ maieſtatis corã Rege & proceribus vniuerſis. Impoſitum nempe fuit ſibi, quod quoſdam inimicos nuntios regios ſuſcepiſſet, & fouiſſet in magna copia armatorum, & quod eis impendit auxilium, conſilium & fauorem. Ille vero, prout erat vir maturus & literis abundanter imbutus, patienter hęc tulit, ad conuitia & opprobria nihil omnino reſpondens. Tandem pulſatus diuerſimode ſic ora reſoluit. Domine Rex (veſtra regiæ maieſtatis reuerentia ſemper ſalua) ego ſanctæ eccleſiæ Dei miniſter humilis, membrum eius, & Epiſcopus conſecratus (licet indignus) ad tam ardua nequeo reſpondere, nec debeo abſq; domini Cantuarienſis Archiepiſcopi (poſt ſummum pontificem mei directi iudicis (cuius etiam ſum ſuffraganeus) auctoritate, & aliorum parium meorum Epiſcoporum conniuentia vel conſenſu.

Natale apud Keneſwvvorth.

Parliamentum Londini.

Subſidium negatum.

Epiſcopus Herefordenſis de crimine læſa maieſt. accuſatur.

Accuſatio Epiſcopi.

Defenſio ſui ad Archiepiſcopum prouocantis.

Quo reſponſo prolato, mox Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes & ſinguli, qui affuerunt ſurgentes, Regis clementiã pro collega & coepiſcopo implorabant. Sed rege tot ſupplicationibus non placato, aut aut ab ira concepta nullatenus pacificato, totus clerus dictũ Epiſcopũ & membrũ eccleſiæ vindicauit. Deliberatus eſt igitur cuſtodiæ Cantuariẽſis Archiepiſcopi, donec Rex diſcerneret, quando ad obiecta vel obiicienda alias reſponderet. Paucis exactis dieb. rex vt prius epiſcopũ prædictũ cõuenit. Quo rumore ad aures plato Pontificũ, Cantuarienſis, Eboracẽſis, & Dublinenſis archiepiſcopi, eum aliis decem epiſcopis, erectis crucibus ad locum iudicii cum omni celeritate venerunt, & confratrem eorum & coepiſcopum ſolum ſtantem, & nimium deſolatum in ſuam cuſtodiam ſuſceperunt, & cum abſq; reſponſo dato, cum illis protinus abduxerunt, iniungentes firmiter ex parte Dei & ſub pœna anathematis vniuerſis qui aderant, ne quis in eũ manus præſumeret iniicere violentas. Quo ſic abducto, rex de tanta cleri cõmotus audacia quaſi ex officio iudicis obiectis p̃cepit fieri inquiſitionem. Ac iurati de patria conuocati, plus regis terreni metuẽtes offenſam, q̃ ſempiterni iudicis vltionẽ, abſentem epiſcopum reum fuiſſe de omnib. obiectis articulis præſenta-

Præſules epiſcopũ quaſi vi ad ſe abducunt.

Epiſcopus per iuratos laicos reus pronunciatur.

ſentarunt. Quod Rex ducens pro maximo confiſcari fecit omnes redditus, & terras ſuas, & quod erat intollerabilius, omnibus ſuis victualibus & vtenſilib. in plateis proiectis & diſperſis, eum permiſit inhumaniter ſpoliari. Epiſcopus vero remanſit ſub tutela Cantuar. Archiepiſcopi gratiã Regis expectans. Eo tempore Epiſcopus Lincolnienſis, cuius temporalia per biennium in manu detenta fuerant (adepta Regis beneuolentia) ſuis eſt poſſeſſionibus reſtitutus. De quibus omnibus quidam Satyricus illius temporis ita dictauit:

Noſtri cornuti, ſunt conſilio quaſi muti,
Sunt quaſi confuſi, decreto legis abuſi.
Et quia non tuti, nequeunt ſermonibus uti,
Sic perit Eccleſia, iuris & ipſa via.

Hoſpitalariis cõceduntur poſſeſſiones templariorum.

In eodem parliamento terræ poſſeſſiones & dominia quondam templariorum, aſſenſu communi totius cleri & populi, hoſpitalariis conceduntur, iure perpetuo per omnes regni prouincias poſſidenda. In eodem parliamento electi ſunt viri nobiles, Comes videlicet Cantii, germanus Regis, & Archiepiſcopus Dublinenſis, ad excuſandum penes Regem Franciæ, Regem noſtrum, quia citatus non comparuit coram Rege Franciæ, vt ſuperius memoraui. Qui cum transfretaſſent, à Rege Franciæ honorifice ſunt ſuſcepti. Non tamen effectum negotii potuerunt conſequi, donec de quadam tranſgreſſione nuper facta in Aquitania in dedecus Regis Franciæ ſibi foret plenius ſatisfactum. Acceperat nempe Rex Franciæ quandam terræ particulam ibidem per excambium, in qua municipium conſtruxerat, propter amœnitatem loci, & villam in circuitu cum ædificiis ſumptuoſis, cuius habitatores erecti in ſuperbiam, freti dominio Regis Franciæ, non ſolum leges & decreta populi Aquitanici, ſed etiam Seneſcallum Regis Angliæ, dictum Radulphum Baſſet, ſpreuerunt, & contemptibiliter vilipenderunt. Et cum legibus debuiſſent paruiſſe illius terræ communibus, idem Radulphus (collecto exercitu) venit ad locum, & omnes aut vertit, aut gladio interfecit, & vniuerſa ædificia complanauit. Quamobrem dictus Radulphus vocatus ad curiam Regis Franciæ venire contempſit, ſed pro omnibus allegatis reſpõdit audacter, ſe nihil aliud in hac parte feciſſe, quam quod ſui officii debitum exigebat. Super quo reſponſo commoti Franci Seneſcallum præfatum Regis Angliæ cum ſuis vocatum complicibus iterato, & non comparentem, proſcripſerunt. Præfatus vero Radulphus cognito Francorum decreto, ad caſtrum de Monpeſade bene munitum ſe contulit, vbi potuit à Francorum incurſibus tutus eſſe. Hunc ergo à prædictis nuntiis petiit Rex Franciæ ſibi reddi cum ſuis complicibus, vna cum caſtro, ad quod confugerant, memorato, iuxta Francorum conſuetudinem puniendum. Comes Cantii pro bono pacis cum ſuis laicis, Regis voluntati conſentire decreuit. Sed Archiepiſcopus irregularitatis notam timens incurrere, diſtulit conſentire, donec à Rege Angliæ habuiſſet aliud in mandatis. Quocirca mox mittuntur ad Regem noſtrum nuntii, qui quærerent quid agendum foret. Rex vero ſine mora impetuoſum Comitis conſenſum penitus reuocauit, nolens pro bono facto militiæ tantum militem quomodolibet per aduerſarios moleſtari: ſicque reuerſi ſunt nuntii ſine itineris ſui fructu. Rex Franciæ per idem tempus miſit dominum Carolum de Walleys patruum ſuum in Waſconiam cum magno exercitu, ad iuuandum poſſeſſionem totius ducatus Aquitaniæ, pro eo, quod Rex Angliæ non venit ad faciendum homagium ſuum pro ducatu & comitatu Pontini, quam ſeiſiuit, ad quod faciendum fuit vocatus, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Venit ergo in obuiam domino Carolo Comes Cantii, Edmundus de Woodſtock frater Regis Angliæ cum multis nobilibus de regno Angliæ, qui illuc deſtinati fuerant, ad reſiſtendum Carolo ſupradicto. Nullo tamen reſiſtentiam faciẽte, Carolus totam Agennam equitauit, & illas partes ſeiſiuit vſque ad villam de Regula, in qua fuit dictus Edmundus Comes Cantii tenens villam. Finaliter vero fuit treuga inita inter eos vſque ad certum tempus, quo poſſent de pace tractare, & reddita Carolo villa illa, vtraque pars ad propria remeauit. Eodem anno in feſto ſancti Petri ad Vincula, Rogerus de Mortuomari, dominus de Wygemore, qui cum Rogero auunculo ſuo poſt guerram Baronum Regis gratiæ ſe ſubmiſerat, & in eminentiori nihilominus & acriori loco turris incluſus fuerat, data ſuis cuſtodibus ſoporifera potione, euaſit per omnes turris cuſtodias, quas wardas vocamus, & peruenit ad flumen, vbi quandam cimbam reperiens, à quodam coadiutore ſibi præparatam illam intrauit, & cum conſcio ſui ſecreti peruenit ad mare. Quo cum ſumma felicitate tranſmeato, ſe contulit ad Regem Franciæ ſine mora, vbi quorundam de ſua

Legātur qui excuſant regem de homagio non facto.

Legati infecta re domum redeunt.

Rex Frãcia miſit exercitum in Waſconiam.

Rogerus de Mortuomari profugit è carcere.

ſua conſanguinitate præſidio vitam duxit diutinam, gratiam reconciliationis expectans. Rogerus auunculus huius Rogeri fere per quinquennium ſqualore carcerali detentus, ibidem ſatis inciuiliter tandem diem clauſit extremum, cuius corpus delatum Briſtolliam ſepelitur. Miſſi ſunt eo tempore & alii nuntii pro pace impetranda,

Legati in Franciam pro pace.

quorum vnus erat natione Francus, dictus dominus de Suliaco, alter Anglicus, magiſter Iohannes de Shordiche appellatus. Sed Iohannes de Suliaco ibi de quadam tranſgreſſione notatus & accuſatus vix (interuentu Reginæ Franciæ) mortem euaſit, collega ſuo ſine fructu legationis domum tranſmiſſo. Interea mercatores vtriuſque regni diſſentiones Regales deplorabant, quia neque Francis in Anglia, neque Anglis in Francia negotiari licebat.

Franci Anglia pulſi.

Familiares quoque Reginæ quotquot erant oriundi de Francia, terram ſine ſpe reuerſionis exire cogebantur in Francorum odiū & contemptum. Terræ quoque, ſcilicet prædia & caſtella Reginæ, in manus Regis ſeiſita fuere, datis dictæ Reginæ ſtipendiis de burſa Regis. Religioſi autem & beneficati in hac terra de gente Francorum in maxima miſeria degere cogebantur, cum eorum redditus, poſſeſſiones & beneficia vniuerſa & ſingula confiſcabātur, exiliſſimo victu eiſdem de rebus propriis deputato. Tranſit annus iſte illaudabiliter fructus & fruges producēs:

Annalis concluſio.

Anglis & Francis inuiſus propter guerram motam in Waſconia, & præcipue propter negotiatorum varia impedimenta, quæ diſſentionem generauerunt: Eccleſiæ Anglicanæ moleſtus: Scotis quietus.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo viceſimo quinto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi octauus decimus, cum treugę apud Eboracum fuiſſent firmatæ inter Anglicos & Scotos per vtriuſq; regni prudentiores viros, tenuit Rex apud Notingham natale dominicum nobile & ſolenne.

Natale celebratum apud Notingham.

Per idem tempus dominus Papa paci regnorum Angliæ & Franciæ pie proſpiciens, Archiepiſcopum Viennenſem, & Epiſcopum Autiacenſem ad vtriuſq; regni Principes deſtinauit, qui pacis monita darent vtriſq;.

Papæ legati intercedunt pro pace.

Qui cum nihil profeciſſent, facto in clero tallagio, videlicet de ſingulis marcis accipientes quadrantē pro ſuis expenſis, infecto negotio ſunt reuerſi. In octauis ſancti Hillarii factum eſt parliamentum Londoniis apud Weſtmonaſt. in quo tractabatur de ſaluatione ducatus Aquitaniæ, quæ iamdudum per Gallos fuit multipliciter lacerata.

Parliamentum Londoniæ.

Miſſi ſunt ergo ſolennes nuntii ad Regem Franciæ, Wintonienſis & Norwicenſis Epiſcopi, & vir illuſtris Iohannes de Britannia Comes de Richmund. Qui poſt multas diſceptationes, allegationes & excuſationes factas, tandem quandam pacis formam à Rege Franciæ receperunt. Remiſſus eſt ergo in Angliam Wintonienſis Epiſcopus collegis in Gallia remanentibus, qui nuntiaret Regi noſtro, quæ facta ſunt. Tandem poſt longum tractatum familiares Regis laudauerunt Reginam tranſmittēdam ad Regem Franciæ fratrem ſuum pro pacis negotio confirmādo cum familia moderata, quæ ſatis humiliter ſuſcipiens legationis officium, cum vno ſolo barone, ſcilicet domino Iohanne de Cromwel quatuorq; militibus transfretauit.

Regina mittitur in Franciam actura de pace.

Mediatrice igitur Regina Angliæ Iſabella tali pacto, fuit finaliter concordatum, vt Rex Anglię daret Edwardo filio ſuo primogenito ducatum Aquitanię, & comitatum Pontini, vt Rex Franciæ reciperet homagium ab eodem Regis filio, & redderet ſibi ſtatim comitatum Pontini, & terras in Aquitania, de quibus placita mota fuerūt, & de aliis æquitatis per Carolum auunculum ſuum faceret ſibi iuſtitiæ complementum.

Conditiones pacis.

Super quibus omnibus miſit Rex Franciæ ſuas patentes literas in Angliam, & alias literas de conductu ſaluo, tam pro filio quam pro Rege Angliæ, ſi ipſe mallet in perſona propria venire. Super qua optione fuerunt multi & magni tractatus apud Languedon & apud Douoriam, multis conſulentibus, quod Rex in perſona propria tranſiret. Sed vterque diſpenſator pater & filius, qui nec audebant mare tranſire, nec Rege tranſeunte in Anglia remanere propter odium regni nobilium, qui perfecto odio oderant illos, dederunt conſilium & præualuerunt, vt filius Regis tranſiret.

Regis filius proficiſcitur in Franciam.

Cuius tranſitus in caput ipſorum, ſicut patebit, ex ſequentibus redundauit. Vnde dominus Rex Angliæ fecit chartam filio ſuo prędicto de dictis ducatu & comitatu, habendum & tenendum ſibi & heredibus Regis Angliæ, & ſi contingeret ipſum mori in vita patris ſui, terræ redirent ad ipſum patrem. Ita etiam quod Rex Franciæ non poſſet dictum filium Regis maritare, nec tutorem aut curatorem ſibi dare. Quæ ordinatio fuit facta Douoriæ per chartam regis, ex cōſenſu prælatorum & aliorū nobilium regni præſentiū, tunc ibidē in craſtino natiuitatis beatæ Mariæ. Et in die Iouis ſequente idem Edwardus filius mare tranſiuit, & cum eo Wilhelmus Epiſcopus Oxoniæ, & alii in numero competenti. Et circa feſtum ſancti Matthæi fecit homa-

Edwardus filius regis homagium facit regi Francorum.

Siccitas immenſa.

gium auunculo ſuo regi Franciæ, ſub quibuſdã proteſtationib. fuit etiam à contrario proteſtatum. Acta ſunt hæc in Francia in manerio regis Franciæ, appellatum Boydeuincens, coram multis proceribus regni Francorum. Dona vero, quę Franci regi Anglorum præparauerat, & exennia filio regis manu largiflua tribuebant, quorum fauorem iuuenis regis filius indicibiliter conſecurus eſt. Eodem anno Guelfi venientes de Florentia ad Lucam, ſumptib. & de mandato Papę per Gibellinos capti fuerant, & multi interfecti, ac ceteri in fugam acti. Hoc anno in æſtate, & etiam anno ſequenti tanta fuit ſiccitas, quod vere dici poſſet illud Theodoli de hac terra:

Anglorum terras iam feruida torruit æſtas,
In Cancro ſolis dum voluitur aureus axis.

Regina annũ in Frãcia commoratur, conſortiũ diuino habens cũ Rogero de Mortuomari.

Quia fluuiis etiam maioribus deſiccatis, & fontibus riuorum aquæ pene in locis omnibus diſparuere. Quamobrem multa animalia tam domeſtica quam ſilueſtria præ potus penuria defecere. Eodem anno ſtatim poſt feſtum ſancti Michaelis voluit Rex Angliæ, quod domina Regina coniux ſua, & filius ſuus Edwardus facto homagio, vt præmittitur, cito & ſine mora rediiſſent. Sed Regina & filius ſuus remiſſa magna familia vtriuſque in Angliam, per totum illum annum remanſerũt ibidem (vt dicebatur) inuiti. Alii vero aſſerebant, quod voluntarie propter nimiam familiaritatem tunc contractam inter dictam reginam, & D. Rogerum de Mortuomari, ſine quo & aliis nobilibus de Angliæ profugatis noluit dicta Regina redire, & maxime in odium illorum diſpenſatorum, & Hugonis, qui anno pręcedenti procurauerãt familiam reginæ ab ipſa remoueri. Quod propoſitum reginę poſtea rei exitus cõprobauit. Quod percipiens Walterus, Epiſcopus Exonienſis de comitiua dictæ Reginę clam receſſit. Per idem tempus iuſſit Rex Angliæ Iſabellam Reginam Anglię, & Edwardum filium ſuum primogenitum (contra voluntatem ſuam in vltramarinis commorantes) Londoniis tanquam regni inimicos notorios, & regiorum inimicorum receptatores & fautores publice proclamari. Et banniuit eos cum omnibus, qui illis adhæſerant de regno ſuo. Sub eodem tempore euaſerat de caſtello de Corf, vir verſutus & ſubdolus, ſed manu tamen fortis, Robertus de Walkefare miles, qui captus fuerat in guerra baronum, mota contra Regem, eo quod magnus diſſidii ſuſcitator & promotor fuerit, & non dico ductor, ſed ſeductor illius viri nobilis, & magnifici Comitis de Hereford Humfridi de Boun, & ſatis iuſte carceri mancipatus. Nempe Comitibus & baronibus, & aliis regni nobilibus ſtudentibus in illa guerra pro pace patriæ, pro republica, pro honore Dei & Eccleſię, ipſe ſemper cor appoſuit ad rapinas, cędes, & depopulationes: hic inquam continuans ſua ſcelera, conſtabularium caſtri de Corf crudeliter interfecit, & ad reginam tunc exulem ſe contulit vltra mare. Auctus eſt ergo numerus fugitiuorum multipliciter, ita vt rex ipſe timeret illorum reditũ in hanc terram. Quamobrem iuſſit omnes portus maris diligentiſſime cuſtodiri, ne repente fieret per exules reuertentes, aut per Gallicos illis fauentes, vllus motus in regno.

Oliuerus Inghã prouinciã Agenneſium Anglorum imperio adiecit.

Admiralli Regis iuſſu Frãces mari infeſtant & 120. naues capiunt.

Legati Papæ de pace, in Angliam veniunt, & ea infecta recedunt.

Regina Franciæ coronata.

Eodem tempore dominus Oliuerus Ingham, miles iuuenis, ſed cordatus, factus fuerat cuſtos Aquitaniæ per iuuenem ducem Edwardum aſſenſu Regis patris ſui, qui grandi collecto exercitu, de ſtipendiariis militibus Hiſpanicis, Arragonicis, & Waſconenſibus prouinciam Agenneſium occupatam per Regem Franciæ contra pactum inuaſit, eamq; dominio Regis Angliæ reſtituit integraliter & ſubiecit. Sub eiſdem diebus tres Admiralli trium plagarum Angliæ, videlicet dominus Iohannes Oturun, dominus Nicholaus Kiriel, & dominus Iohannes de Felton, cuſtodiam maris habentes, & facultatem plenam per Regis commiſſionem inuadendi, infeſtandi, & diripiendi quoſcunque de Francia mercatores, cum Gernemuthenſium, & Porteſmutenſium, & occidentalium claſſe oceanum ſunt ingreſſi. Et non ſegniter commiſſionis ſuæ negotium exequentes, infra breue tempus centum viginti naues Normannicas ceperunt, & in Angliam attraxerunt. Suſcitatum eſt igitur odium inexorabile inter Reges, & damna vbique pro viribus inferuntur. Quod cernens dominus Papa, & vehementer cõdolens, miſit in Angliam nuntios duos Epiſcopos, qui primo pacem ſtuderent facere inter Regem & Reginam, & ſecundarie inter Reges. Qui reuerenter admiſſi, nihil præter reuerentiam receperunt, vnde dolentes reuerſi ſunt, de pace penitus deſperãtes. Eodem anno coronata fuit Pariſius regina Franciæ, cui ſolennitati interfuere Reges multi, Duces plurimi, Comites & Barones numero pene incredibili, cum ſuis militibus pluſquam quingentis. Inter quos Edwardus filius Regis Angliæ, & dux iam Aquitaniæ, cum ſexaginta & decem militibus celebrius feſtum fecit. Interea creſcente odio inter Regem Angliæ & Reginam, regem Franciæ & re-

& regem Angliæ, & vtrunque regnum, multa mala fiebant. Inter quæ Rex Angliæ (prout dicitur) procurauit mortem vxoris ſuæ, & filii ſui Edwardi. Cuius ſceleris executionem feciſſet dominus Iohannes de Britannia Comes Richmundiæ, qui cum Regina familiaris fuit. Sed Deo prohibente, illa machinatio fuit penitus impedita. In fine vero anni præſentis, cum Regina cerneret magnates Franciæ fore corruptos magnis muneribus Anglicorum, & nuſquam tutam fidem, feſtinauit egredi calorem domus Rechab, & Francos ſuos familiares & conſanguineos (vſa ſapienti conſilio) latenter fugit, & ad Comitem Hannoniæ ſe contulit cum ſua familia & filio ſuo Edwardo, petitura auxilium & fauorem, à quo cum filio & ſuis omnibus magnifice eſt ſuſcepta, & honorabiliter (prout tantam Reginam decuit) exhibita, pro tempore moræ ſuæ. Tranſit annus iſte mediocriter hilaris, frugum fœcunditate vel fructuum: Francis varius propter res perditas cum claſſe ſua: Anglis ſuſpectus propter pericula veriſimiliter imminentia toti regno per Francorum odium, per iram exulum, & redditum eorundem.

Rex reginæ & filii mortem molitur.

Annalis clauſio.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo viceſimo ſexto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu ſecundi, nonus decimus, tenuit Rex natale apud ſanctum Edmundum, timens vehementer Reginæ redditum, & exulum, qui cum ea fuerunt.

Natale celebratur apud ſanctū Edmundum.

Hoc anno Iſabella Regina Angliæ contractis ſponſalibus inter filium & Comitis Hannoniæ filiam, Philippam nomine, in Angliam ire diſpoſuit, adiutorio Comitis dicti fulta. Aſſumptis igitur filio ſuo duce Aquitaniæ fere quatuordecim annos ætatis habente, domino Edmundo de Wodſtock Comite Cantii, germano Regis Angliæ, domino Rogero de Mortuomari, domino de Wigomor, & aliis multis viris illuſtribus de regno Angliæ profligatis, duce domino Iohanne, viro ſtrenuo, fratreq; Comitis Hannoniæ, quem ſequebantur milites ſtipendiarii de Alemania & Hannonia plures valde, ita quod numerus eorundem fuit duo millia ſeptingenti quinquaginta ſeptem hominum armatorum, parata claſſe per Comitem Hannoniæ, peruenit ad mare, & ſatis audacter committens ſe pelago, feliciter nauigauit, peruenitq; ad Orewell cum familia integra; & in portu de Herwiche Angliam eſt ingreſſa in terra Comitis Mareſcalli, cui mox Comes Mareſcallus & Comes Leyceſtriæ aliique Barones & milites illarum partium adhæſerunt, cum Prælatis fere omnibus, & præcipue Lincolnienſi, Herefordenſi, Dublinenſi, & Elienſi Epiſcopis, qui iuncti Reginæ magnum exercitum conflauerunt. Alii vero, & præcipue W. Cantuarienſis Archiepiſcopus ſibi pecuniam miniſtrauit. Recreato exercitu apud ſanctum Edmundum progreſſa eſt ad quærendum ſuos regnique aduerſarios, qui ſe ſemper ſub alis protectionis regiæ adhærentes, eius præſentiæ occultabant. In progreſſu quotidie Reginæ augebatur exercitus, & minuebatur regius numerus, ita vt per totam Angliam non inueniretur aliquis, qui volebat contra Reginam regis ſtipendiis militare. Nec lædebat Reginæ exercitus quoſque in corporibus aut catallis, niſi ſolum aduerſarios quos quærebant, quorum propoſito bona vbiq; locorum inuenta ſuis vſibus applicabant, & prædia deſtruebant. Erat autem Rex Londoniis, quando Regina dicto modo applicuit. Et primo quidem iſtis rumorib. renuit dare fidē, ſed cum certiſſime cognouiſſet rerum fidem, multum conſternatus, petiit Londonienſes, vt ſibi præberent auxiliū militare. Qui poſt deliberationem habitam reſponderunt, quod dominum Regem, Reginam, & filium eorundem, heredem regni legitimum, honorarent obſequio debito, ſed extraneis & regni proditoribus ianuas clauderent, & reſiſtere toto niſu: exire vero ciuitatem ſuam ſe nolle fatebantur ad pugnam, niſi poſſent (iuxta libertatem eis conceſſam) ipſo eodem die reuerti ante ſolis occaſum. Quo reſponſo Rex accepto, ſed nullatenus acceptato, turrim Londoniarū communiuit armis & victualibus, in quo reliquit filium ſuum iuniorem Iohannem de Eltham, & vxorem domini Hugonis de Spencer iunioris, neptem ſuā: ipſe vero loca regni occidua adiit, quæſiturus tutamina, vbi collocaret exercitum contra reginam. Ante receſſum ſuum de Londoniis, proclamari fecit, vt vnuſquiſque ſub foriſfactura rerum & corporum, reſiſteret applicatis, & eos inuaderet & occideret, ſi quo modo poſſet, exceptis ſolummodo regina & Edwardo filio ſuo, & comite Cantii germano ſuo, qui ſi commode poſſent viui caperētur illæſi. Proclamatum eſt inſuper, vt nullus cōmunicaret cum eis, vel victualia venderet, vel quouis modo miniſtraret, aut quicquā boni eis faceret, aut de eis prædicaret ſub pœna prætaxata. Item quicunq; caput vel corpus mortuum ſiue viuum domini Rogeri de Mortuomari Regi deferret, mille libras de fiſco regio

Regina venit in Angliam.

Proceres ſe reginæ adiungunt.

Londonienſes cum rege aduerſus reginam ſe exituros negant.

Regis edictum in aduerſarios.

Edictum reginæ.

reciperet pro mercede. E contra de Regina (vbi illa fuit) proclamatum erat, vt omnes de pace bona ſperarent, exceptis (inimicis regni publicis) diſpenſatorib. patre & filio, & Roberto de Baldock Regis Cancellario, eorumq; fautoribus, per quos præſens regni perturbatio contingebat. Proclamatum etiam, vt nullus caperet inuito poſſeſſore valorem trium denariorum, ſub pœna mutulationis digiti, nec valorem ſex denar. ſub pœna manus amputandæ, nec valorem duodecim ſterlingorum ſub pœna capitis amputandi. Et quicunque caput Hugonis diſpenſatoris iunioris amputatum Reginæ deferret, reciperet duo millia librarum de theſauro Reginæ. Ab hoc ergo tempore pars de parte cauebat. Rege cum ſuis licet cum paucis fugiente, & Regina cum magna multitudine eum ſollicite inſequente. Tranſtulit autem ſe Rex cum duobus diſpenſatoribus ad partes Glouerniæ, & poſtmodum ad Strogoil, & dimiſit dominum Hugonem de Spencer patrem, ad cuſtodiam villæ & caſtri de Briſtollia. Rex autem ingreſſus eſt aquam cum domino Hugone de Spencer iuniore, Roberto de Baldock, & aliis valde paucis, vt inferius continetur. Regina vero cum filio ſuo & exercitu ſuo inſequebatur regem per Oxoniam, vbi Epiſcopus Herefordiæ prædicauit, præſente regina & filio ſuo, de cauſa aduentus illorum, quod videlicet fuerat ad auferendum malū regimen de regno iſto. Deinde venit Regina cum ſuis ad Glouerniam, vbi multū creuit eius exercitus per aduentum dominorum de Percy & de Wake, & aliorum de partibus borealibus & de Marchia. Dum hęc aguntur ex parte Reginę, Londonienſes (quibus nunquam deeſt furia, cū adeſt inſoleſcēdi licentia) congregatis de cunctis artificiis infimis perſonis, ad arma proſiliunt, & Maiorem Ciuitatis, qui partem fouebat regiam, violenti capiunt, & conſentire compellunt, intermi-nata capitali pœna, vt conſentiat illorum ordinationibus per pręſtitum fidei ſacramentum, qui (licet inuitus, timens ſibi vim inferri) adſtandum eorum ordinationibus publicum pręſtitit iuramētum. Fecerunt igitur coniurationē, vt reginę aduerſarios vbicunq; poſſent inueniri, cuiuſcunq; cōditionis aut ſtatus exiſterent, vel qui damnum aliquod libertatib. ciuitatis procuraſſent, captos plecterent ſententia capitali. Cuius iuramenti prętextu diſcurrentes, quendam de ſuis ciuibus dictum Iohannem le Marchal, comprehenderunt. Qui quia familiaris fuerat domino Hugoni de Spencer iuniori putabatur ciues accuſaſſe, quamobrem illico caput eius immiſericorditer amputarunt, & bona eius omnia rapuerunt. Eodem die (continuantes ſuam rabiem) incurrerunt ad hoſpitium Exonienſis Epiſcopi magiſtri Walteri de Stapulton, & ſuppoſito igne in ianuis concito, ſunt ingreſſi, non inuenientes autem Epiſcopum, ad quem perdendum venerant, iocalia ſua cum vaſis argenteis & vtenſilibus rapuerunt. Accidit autem hora infortunata Epiſcopum de campo reuerti, qui quamuis præmonitus fuiſſet de hiis molitionibus, eos tamen nullatenus metuebat, & cum ſatis audacter equo ſedens veniſſet ad oſtiū boreale S. Pauli, mox à furenti populo comprehenſus eſt, percuſſus, laniatus, deiectus, & tandem ad ſupplicii locum tractus. Cumq; traxiſſent eum ad vicum de Chepe, vbi acclamauerunt eum publicum proditorem, Regis ſeductorem, & eorum ciuitatis libertatum deſtructorem. Indutus autem fuit Epiſcopus quadam armatura, quam *Aketon* vulgariter appellamus, qua ſpoliatus, & etiam aliis omnibus indumentis, decapitatus eſt. Aliis duobus de ſua familia, ſcutifero ſcilicet & valecto ſimili ſorte peremptis. Perpetrato ſacrilegio, velut pro triumpho caput fixerunt Epiſcopi in longo palo, vt eſſet aſpicientibus diuturna memoria ſceleris attemptati. Cadauer vero pontificis in quodam veteri cœmiterio, quod fuerat quondam fratrum, quos *Freres Pyes* veteres appellabant, ſed tamen penitus derelicto abſq; vllis exequiis, velut excommunicatum, in quadam ibidem fouea proiecerunt. Cauſa inimicitiarum fuerat, quia cum eſſet regni Theſaurarius, apud Regis conſilium procurauit, vt Iuſtitiarii itinerantes ſederent in ciuitate Londoniarum. Qua occaſione, quia in multis ciues deliquerant, in amiſſione libertatum & emunctione pecuniæ, ac caſtigatione corporum multipliciter, prout meruerant, ſunt puniti. Dicebatur etiam, quod maximam pugnatorū collegerat multitudinem contra Reginam, & filium ſuum Ducem Aquitaniæ, & ideo Londonienſes ſtudierunt, vt dicebant, ſuas molitiones tempeſtiuius præuenire. In craſtino decollationis præfati Epiſcopi Londonienſes caſu fortuito comprehenderunt militem ſtrenuum, dominum Iohannem (Conſtabularium turris Londoniarum) de Weſton, & ab eo claues turris ceperunt, licet inuito, & intrantes turrim omnes incarceratos liberauerunt. Erit ita fuerunt omnes incarcerati, quaſi per totam Angliam liberati, & omnes banniti & fugitiui reuerſi ſunt. Londonienſes vero omnes miniſtros Regis in turri Londonia-runi

Rex confert ſe ad Glouerniam.

Epiſcopus Herefordenſis habita concione Oxoniæ, explicat cauſam aduentus reginæ.

Londonienſes tumultuantes prætorem in reginæ partes vi impellunt.

Londonienſes Epiſcopum Exonienſem trucidant.

Cauſa odii populorum erga epiſcopum Exonienſem.

Londonienſes vrbis arcem occupant, & vinctos dimittunt.

rum amouerunt, & nouos conſtituerunt ſub nomine domini Iohannis de Eltham filii Regis, quem cuſtodem ciuitatis & terræ nominauerunt. Ipſi tamen multas rapinas & alias inſolentias facere non ceſſarunt. Regina vero per illud tempus de Glouceſtria tranſiuit per Berkeleiam, vbi reſtituit caſtrum (prius à domino Hugone de Spencer iuniore detentum) domino Thomæ de Berkley, qui fuit heres domini Mauricii de Berkley defuncti parum ante apud Wallingforde in carcere, cum omnibus pertinentiis & rebus mobilibus ad honorem de Berkley pertinentibus quibuſcunque: expoſt Regina pergens cum exercitu obſedit villam & caſtrum de Briſtollia. Quod fuit cito Reginæ redditum, & filio ſuo duci vna cum villa. Et in craſtino aduentus ipſius, ad clamorem vulgi fuit Hugo de Spencer pater, tractus & ſuſpenſus ibidem in armis propriis extra villam ſuper communi furca latronum. Rex interea vagabundus, nūc hic, nunc ibi, pro varietate locorum, in ſpem erectus, in magna ſolicitudine verſabatur, nuſquam expectare præſumens. Quod videns dominus Thomas de Blount miles emeritus, domini Regis Seneſchallus, ſe cum tota ſua familia, aſſumptis victualibus, armaturis & dextrariis, multis valde contulit ad Reginam. Quem illa cum filio ſuo benigne ſuſcepit, & quoſdam de ſuis ſecum retinuit, quoſdam datis literis protectoriis in pace dimiſit. Rex vero cū Hugone iuniore de Spencer, & Roberto Baldock, ingreſſus aquā primo ad inſulā de Londay inexpugnabilem, vel certe in Hiberniam diſpoſuit confugiſſe, ſed inter maris diſcrimina poſitus, miſerabiliter per vnā hebdomadam vacillauit. Tandem applicuit in Glamorgan, & tranſtulit ſe ad Abbathiam & caſtrum de Neth, & ibi confiſus promiſſioni Wallentium latitauit. Hugolinus filius filii Hugonis diſpenſatoris caſtrum de Kerfilli detinuit ſatis ſtrenue per idem tempus, contra milites Reginæ & filii ſui ducis Aquitaniæ, vſque ad Paſcha. Tandem accepta ſecuritate de vita & membris, & rebus omnibus concernentibus obſeſſos in eodem caſtro, caſtrum reddidit in manus militum Reginæ & filii ſui Edwardi. Rege interea fugiente, & extra regnum vagante, fiebant proclamationes publice in exercitu Reginæ quotidie, in quibus Rex communi vocabatur edicto ad redeundum, & regnum ſuum reaccipiēdum, ſi ſuis ſe vellet ligiis conformare. Quo non comparente, magnates regni, Herefordiæ conſilium inierunt, in quo filius regis, Edwardus dux Aquitaniæ factus eſt cuſtos Angliæ communi decreto. Cui cuncti tanquam regni cuſtodi fidelitatem fecerunt per fidei ſacramentum. Deinde Epiſcopum Norwicenſem fecerunt Cancellarium, Epiſcopum vero Wintonieñſem regni theſaurarium ſtatuerunt. Morabatur autem regina Herefordiæ fere per menſem, quæ medio tempore miſit in Walliam dominum Heuricum comitem Lancaſtriæ, & dominum Wilhelmum la Souch, & magiſtrum Vpliowel, qui fuit prius de carcere Londoniis liberatus, quia in illis partibus erant noti, quia ipſi tres habuerant terras & dominia in Wallia, prope locum, vbi rex latitabat, vnde ipſi Wallenſium adiutorio, dē quibus confidebant, ipſum dominum regem & dominum Hugonem de Spencer filium, ac Robertum de Baldock, & Simonem de Reding ceperunt, non ſine magnæ pecuniæ interuentu, de aliis Regis familiaribus non curantes, & Regem quidem Comitis Lancaſtriæ Henrici conſanguinei ſui cuſtodiæ liberauit. Captus eſt autem Rex 16. Calend. Decembris, in die ſancti Edmundi Archiepiſcopi, iuxta caſtrum de Laturſſin. Comes vero Lancaſtriæ duxit Regem per Monumutham & Ledebury, & alia loca, vſque ad caſtrum ſuum de Keneworth, vbi per hiemem totam manſit. Dominum vero Hugonem de Spencer filium, Robertum de Baldock, & Simonem de Reding ad Reginam (quæ fuit Herefordiæ) conduxerunt, ſed ante eorum aduentum fuerunt decollati Comes de Arundel, Iohan. Daniel, & Thomas de Michildeuere, per procurationem domini Rogeri de Mortuomari, qui illos oderat, qui etiam conſiliarius familiariſſimus Reginæ fuit, & ſine quo nihil pene Regina attemptare voluit in hiis agendis. Illi vero, qui adduxerunt ad Reginam dominum Hugonē de Spencer ſupradictum, pro mercede duo millia librarum (prout promiſſum fuerat) acceperunt. Poſt hæc dominus Hugo prædictus apud Herefordiam fuit morti adiudicatus ſine reſponſione, vbi tractus & ſuſpenſus eſt in furca habente 50. pedes in altitudine, & poſtea decapitatus eſt & quarterizatus, & partes ad quatuor plagas regni miſſæ. Caput vero ſuper pontem Londoniarum fixum fuit, tractus autem fuit in collobio armis inſerto propriis, in quo legibiliter fuit ſcriptus bonis literis Pſalmus, *Quid gloriaris in malitia*, vſq; ad verſum *Ego autem ſicut oliua*, de quo quidam ſic ſcribit:

Funis cum lignis, à te miſer, enſis, & ignis,
Hugo ſecuris, equus, abſtulit omne decus.

Regina obſidet caſtrum Briſtolienſe.

Hugo de Spencer pater ſuſpenſus.

Rex fugit in Walliā ad Glamorgan.

Hugolinus tradit ſe reginæ vna cum caſtro.

Edvvardus filius cuſtos Angliæ conſtituitur.

Rex cum quibuſdam è ſuis capitur.

Aliquot proceres ſupplicio affecti.

Hugo de Spencer capite plexus.

Funis,quia tractus fuit: ligna,quia ſuſpenſus: enſis,quia decollatus: ignis, quia exentratus, & viſcera concremata: ſecuris, quia in quartas diuiſus: equus quidem eum traxit.

Simon de Reding ſuſpenditur.

Eodem die Simon de Reding tractus fuit & ſuſpenſus in eadem furca, qua Hugo ſuſpendebatur, ſed inferius per decem pedes. Hic de familia Regis fuerat, & plura conuitia irrogauerat ſæpe Reginæ, vnde iam ſuo docuit exemplo, quam periculoſum eſt Regem vel Reginam blaſphemare. Acta ſunt autem hæc diebus Lunę in vltionem necis domini Thomæ Lancaſtriæ, qui paſſus fuerat die Lunæ. Robertus de Baldock poſt multas contumelias fuit carceri epiſcopi Herefordiæ liberatus, vbi manſit vſque ad feſtum Purificationis beatæ Mariæ. Et tunc Epiſcopus Herefordenſis fecit eum duci Londonias ad eiuſdem ædes. Londonienſes vero conglomerati, ipſum de cuſtodia Epiſcopi (vt putabatur) conſentientis rapuerunt, & ad Newgate incarcerauerunt, & inhumaniter tractauerunt, adeo quod poſtmodum circa feſtum Aſcenſionis Domini obiit in tormentis.

Robertus Baldok in vinculis moritur.

Regina vero expeditis præmiſſis ſe tranſtulit cum filio ſuo duce, domino Rogero de Mortuomari, & aliis, ad caſtrum de Wallingforde, vbi natale domini celebrauit.

Annalis cõcluſio.

Tranſit annus iſte frugifer & fructifer plus quam anni præcedentes diu: Francis immemorabilis, quia nihil relatu dignum actum fuit ibidem: Anglis notabilis propter Regis fugam & captionem, & lugubris quibuſdam propter nobilium infamem necem, quibuſdam hilaris propter patriam à proditoribus liberatam: Scotis totus ocioſus propter treugas captas, & ademptam bellorum formidinem ea vice.

Natale celebratum apud Wallengeford.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo viceſimo ſeptimo, & regni Regis Edwardi à conqueſtu ſecundi viceſimo & vltimo, tenuit Regina Natale cum filio, Cantuarienſi & Eboracenſi Archiepiſcopis, Wintonienſi regni Theſaurario, & Norwicenſi Cancellario, Lincolnienſi, Elienſi, Couentrenſi & Herefordenſi Epiſcopis, aliiſque Prælatis, regni proceribus, & nobilibus, Wallyngfordiæ, cum ſummo gaudio & honore, Rege detento in caſtro de Kenelworth, vt ſupra dictum eſt.

Regina Londinii venit.

Poſt Natale, Regina cum filio ſuo ante feſtum Epiphaniæ venit Londonias, vbi cum magno gaudio & muneribus eſt ſuſcepta. Conuenit etiam illuc tota regni nobilitas citata per prius ad parliamentum tenendum ibidem in craſtino dicti feſti, vbi cuncti cenſuerunt Regem indignum diademate, & propter plures articulos deponendum, & Edwardum filium eius primogenitum in Regem vnanimiter eligendũ. Quod etiam conſequenter factum fuit, & electio in aula magna Weſtmonaſterii publice diuulgata, per quendam ex magnatibus ſapientem.

Rex dignitate regali abdicatur, & filius ſubſtituitur.

Cui electioni cõſenſit populus vniuerſus. Archiepiſcopus vero Cantuariæ præſenti conſenſit electioni, vt omnes Prælati: & Archiepiſcopus quidem aſſumpto themate, *vox populi, vox Dei*, ſermonem fecit populo, exhortans omnes, vt apud Regem Regum intercederent pro electo. Facto ſermone diſceſſum eſt.

Regina videtur viri abdicationẽ grauiter ferre.

Vt autẽ innotuit reginæ filii ſui electio, & viri deiectio, plena dolore (vt foris apparuit) fere mente alienata fuit. Edwardus quoque filius ſuus materno dolori compaſſus, iurauit, quod inuito patre nunquam ſuſciperet coronam regni. Idcirco cõmuni decreto, ex parte totius regni tres Epiſcopi, duo Comites, & duo Abbates, quatuor barones, & de quolibet comitatu regni tres milites, ac etiã de Londoniis & aliis ciuitatib. & magnis villis, & præcipue de portubus, de qualibet certus numerus perſonarum miſſi ſunt ad regem apud Kenelworth, qui nuntiarent electionem filii ſui, & requirerent diligenter, quod renuntiaret dignitati regiæ & coronæ, & permitteret eundem filium ſuum regnare pro eo, alioquin ipſi redderent ſibi homagia, & procederent in prætactis. Rex autem, vt hæc audiuit, cum fletu & eiulatu reſpondit, quod multum doluit de eo, quod ſic demeruit erga populum ſui regni, & ab omnibus, qui aderant, veniam precabatur.

Rex electionem filii probat.

Sed ex quo aliter eſſe non potuit, gratias egit, quod filium ſuum primogenitum elegiſſent. Nuntii vero ad parliamentum Londonias redeuntes cum Regis reſponſo & inſigniis, plebem lætam fecerunt: mox tota regni communitas Edwardum iuuenem quatuordecim annos habentem, in Regem promptiſſime admiſerunt, & viceſimum diem Ianuarii, diem primum regni ſui eſſe decreuerunt, & in omnibus comitatibus pacem eius proclamari fecerunt ſub hac forma:

Proclamatio pacis noui regis.

Edwardus Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Aquitaniæ, vicecomiti de N. ſalutem. Quia dominus Edwardus nuper Rex Angliæ, pater noſter, de communi conſilio & aſſenſu prælatorum & Comitum, & Baronum, & aliorũ magnatum, nec non communitatum totius regni prædicti, ſpontanea voluntate ſe amouit à regi-

regimine dicti regni, volens & concedens, quod nos tanquam ipſius primogenitus & hæres ipſius, regni gubernationem & regimen aſſumamus. Noſque ipſius patris noſtri beneplacito in hac parte de conſilio & auiſiamento prælatorum, comitum & baronum prædictorum annuentis, gubernacula ſuſcepimus dicti regni, & fidelitates, & homagia ipſorum prælatorum & magnatum recepimus vt eſt moris. Deſiderantes igitur pacem noſtram pro quiete & tranquillitate populi noſtri inuiolabiliter obſeruari, tibi præcipimus, quod ſtatim viſis præſentibus, per totam balliuam tuam pacem noſtram facias publice proclamari, vniuerſis & ſingulis ex parte noſtra inhibendo, ſub pœna & periculo exhæredationis & amiſſionis vitæ & membrorum, ne quis dictā pacem noſtram infringere ſeu violare præſumat, ſed quilibet actiones & querelas abſque violentia quacunque proſequatur, ſecundum leges & conſuetudines regni noſtri. Nos enim parati ſumus, & ſemper erimus omnibus & ſingulis conquerentibus tam diuitibus quam pauperibus in curiis noſtris plenam iuſtitiam exhibere. Teſte meipſo, &c. Calendas Februarii die dominica in vigilia Purificationis.

Rex capit inſignia militaria.

Edwardus iuuenis ſuſcepit arma militaria, cum multis aliis iuuenibus generoſis, per dominum comitem Lancaſtriæ, præſente domino Iohanne fratre comitis Hannoniæ, qui in Anglia tunc agebat, & multis aliis tam indigenis quam externis. Et eodem die coronatus eſt apud Weſtmonaſterium per Cantuarienſem Archiepiſcopum Walterum, Regina (prout prætendebat vultu) in doloribus exiſtente. Eodem tempore aſſignata fuit dos reginæ talis & tanta, quod regi filio regni pars tertia vix remanſit. Per idem tempus Burgenſes de ſancto Edmundo de Bury ſe clam vnanimiter adunantes hora meridiana, fractis ianuis, Abbathiam intrauerunt, & reſiſtere volentes tam Monachos quam ſeculares inhumaniter tractauerunt, & chartas & munimēta loci, diuerſaque iocalia & indumenta eccleſiaſtica, necnon & oloſerica pretioſa, Dei timore poſtpoſito aſportauerunt, detinentes omnia donec Abbas & Conuentus ſuam ſibi conceſſiſſent erroneam voluntatem.

Coronatio Edvvardi tertii.

Debacchatio ciuium de S. Edmundbury.

Eo tempore quia videbatur quibuſdam quod dominus Edwardus pater regis apud Kenelworth fuit nimis delicate tractatus, ordinabatur quod dominus Thomas de Berkeley & dominus Iohannes de Matrauers haberent ipſius cuſtodiam, vnde circa ramos palmarum fuit vſque ad caſtrum de Berkeley ductus ſecrete. Et quia timuerunt aliquorum aduentum ad liberandum ipſum, de loco prædicto fuit deductus nocte ad loca diuerſa, videlicet ad Corf, & alia ſecreta loca: ſed finaliter ductores reduxerunt eum ad caſtellum de Berkeley, ita quod vix ſciri potuit vbi fuit. Sed ſemper dominus Thomas de Berkeley habuit eius cuſtodiam vno menſe, qui eum ſatis tractauit humaniter, & dominus Iohannes Mautrauers alio menſe, qui erga eum aliter ſe habebat. Regina vero miſit ſibi indumenta delicata & literas blandientes, ſed tamen ipſum videre nolebat, fingens quod communitas regni non permiſit. Expenſas autem habuit videlicet centum marcas per menſem.

Rex pater humanius tractatur.

Regina non fert aſpectum mariti.

Eodem anno iuuenis Rex Angliæ cum matre ſua & ſtipendiariis ſuis alienigenis congregans magnum exercitum, verſus Scotiam ſe tranſtulit, cum quo fuerunt plures voluntarie quam inuiti, quia optime præſumebant de auſpiciis iuuenis. Nempe terra tunc recepit vbertatem, aer lætam temperiem, eccleſia libertatem. Sed tamen cum veniſſent Eboracum, orta diſcordia inter Anglos & Hannonenſes, conflictus grauiſſimus factus fuit: Angli tamen peiorem calculum reportabant. Facta tamen pace per bonos mediatores, ſe verſus Scotiam concorditer tranſtulerunt, & venerunt ad Stanneparke, vbi exercitus Scotorum fuit. Et licet exercitus regis Angliæ fuit in triplo maior & fortior, Scoti tamen per proditionem quorundam magnorum Angliæ ſine læſione fugerunt, vnde rex iuuenis eſt cum dolore & ſine honore reuerſus, & cito poſtea remiſit Hannonenſes & ſtipendiarios ad partes ſuas.

Regis profectio in Scotiam.

Diſcordia exorta inter Anglos & Hannonenſes.

Scoti fugiunt.

Eodem anno circa feſtum S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ cum multi conſpirarent ex amicis Edwardi nuper regis ſed depoſiti, ad eius liberationem, cum veru ferreo & ignito inter celanda confoſſus nefarie eſt peremptus in caſtro de Berkley vbi ſuerat carceri mancipatus: & licet multi abbates & priores, milites & burgenſes, de Briſtollia & de Glouceſtria ad videndū corpus ſuum integrū vocati fuiſſent, & tale ſuperficialiter conſpexiſſent, dictum tamen fuit vulgariter, ꝙ per ordinationē dominorum Iohannis de Matrauers & Thomæ Gorney fuit per cautelam occiſus, ipſo proſtrato & ſub oſtio ponderoſo detento ne ſurgeret, dum tortores imponerent cornu in ano ſuo (ꝙ dictu verecundum eſt) & per foramen immitterent ignitum veru in viſcera ſua, ne videlicet veſtigia aduſtionis in cute ſua aliqualiter apparerent, de cuius

Edvvardus pater veru confoſſus.

Inauditum crudelitatis genus.

meritis an inter ſanctos connumerandus ſit frequens eſt in vulgo diſceptatio, ſicut de Thoma comite Lancaſtriæ quondam fuit. Dominus Iohannes Matrauers & Thomas Gorney timentes pœnas ſoluere pro morte regis, repente fugerunt. Sed dictus Thomas fuit poſt tres annos notus & captus apud Marciliam, & remiſſus verſus Angliam pœnam pro demeritis recepturus, qui tamen illuc non peruenit, ſed in mari decapitatus fuit, & ſub quondam colore ne forte magnas perſonas & magnos Prælatos Angliæ de conſenſu necis regiæ & conniuentia accuſaret. Iohannes Matrauars ſe tranſtulit in Alemanniam, & ibi manſit per plures annos, vt infra plenius apparebit.

De multorum obitu.

Hoc anno obiit dominus Carolus de Valeys patruus regis Franciæ, qui (vt prædictum eſt) in Waſconia contra fratrem regis Angliæ equitauit, qui Carolus in vita ſua Anglos habuit exoſos.

Eodem anno obiit Robertus le Brus, relicto filio ſuo Dauide ſeptem vel octo annorum, quem Scoti receperunt pro rege ſuo. Eodem anno obiit Rex Franciæ Carolus, tertius frater, qui poſt mortem Philippi patris ſui regnauit, cui ſucceſſit in regno Philippus domini Caroli de Valeys filius, qui Anglicos nunquam dilexit.

Iuuenis Rex ducit uxorem.

Item hoc anno Edwardus iuuenis Rex Angliæ duxit filiam comitis Hannoniæ in vxorem, quæ etiam fuit filia ſororis domini iuuenis regis Franciæ, licet illa affinitas nec aliqua alia cum Francigenis vnquam contracta Angliæ profeciſſet.

Parliamentum Northamptoniæ.

Eodem anno tenuit Rex iuuenis Angliæ Parliamentum Northamptoniæ, vbi facta fuit turpis pax inter Anglos & Scotos, ita quod Dauid filius Roberti de Brus duxit ſororem regis Angliæ in vxorem, & Rex Angliæ, cum matre (ſed infra ætatem exiſtens) fecit chartas Scotis, quarum tenor ab Anglicis penitus ignoratur: & hoc totum factum eſt per ordinationem reginæ & Rogeri de Mortuomari & Iacobi Duglas Scoti. Rex autem Angliæ poſt dictum Parliamentum ſe tranſtulit verſus Herefordiam, vbi fuerunt ſolennes nuptiæ inter filias Rogeri de Mortuomari & quoſdam nobiles, videlicet filium comitis Mareſcalli, & heredem domini Iohannis de Haſting.

Obiit Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Menſe Nouembris obiit Walterus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cui ſucceſſit per electionem magiſter Simon de Mepham magiſter in Theologia, & canonicus Cieeſtriæ, de Cantio oriundus.

Parliamentum Londoniis.

Hoc anno in feſto ſancti Bricii Rex Edwardus tertius tenuit Parliamentum apud Weſtmonaſterium, in quo ciuibus London omnes libertates prius perditas, & de nouo alias, ac etiam quod omnes pro latrocinio infra libertatem London capti, coram Maiori in domo communi adiudicarentur, libere conceſſit. Rex Angliæ excitatus & inductus per matrem ſuam, fuit occaſio matrimonii prædicti inter Dauidem prædictum & ſororem regis, ac etiam per Rogerum de Mortuomari, ad reſignandum omne ius & vendicationem ſuperioritatis quod ipſe vel primogenitores ſui temporibus quibuſcunque in regno Scotiæ habuerunt. Illis enim diebus Rogerus de Mortuomari theſaurum regium congregauit, poteſtatem regiam vſurpauit, regem (vt videbatur) ſuppeditauit, ita quod comes Lancaſtriæ Henricus, in coronatione regis per procerum conſenſum regis cuſtos deputatus, regia appropriare, cōſulere, nec cuſtodire valens, conſilio Archiepiſcopi Cantuarienſis, epiſcoporum ac aliquorum procerum ductus, circa feſtum ſancti Hilarii cum magno exercitu (vt defectus reformaret, errataque pro poſſe corrigeret) cōtra dictum Rogerum circa Leyceſtriam & Bedfordiam morā traxit, mediante Archiepiſcopo & multis aliis, comes Henricus ſe regi humiliauit, &

Annalis conclusio.

quod in Parliamento reſponderet errori inter eos ſatisfaciendo repromiſit. Tranſit annus iſte fœlix, & fertilis frugum productione & fructuum: Angliæ lætus: iucundus Hannoniæ: hilaris Galliæ: votiuus Scotiæ & quietus.

DE

DE TEMPORE REGIS EDVVARDI TERTII.

ANNO domini milleſimo trecenteſimo viceſimo octauo, & regis Edwardi tertii à conqueſtu ſecundo, poſt quindenam Sancti Michaelis tenuit Rex parliamentum apud Sarum, in quo fecit tres comites, ſcilicet D. Iohannem de Eltham, fratrem ſuum comitem Cornubiæ, & dominum Rogerum de Mortuomari comitem Marchiæ & Walliæ, & Pincernam Hiberniæ comitem de Ormonde. Ad quod parliamentum comes Lancaſt. dominus de Wake, & alii quidam nobiles non venerunt, licet prope venerant armati, de quo Rex fuit offenſus, qui tamen poſtmodum in æſtate, ſe gratiæ regis (procurante Archiepiſcopo) ſubmiſerunt.

Parliamentum apud Sarum.

Eodem anno obiit dominus W. de Norwico die ſancti Vincentii martyris. Item eodem anno circa feſtum Aſcenſionis Rex Angliæ tranſiuit mare, fratre ſuo comite Cornubiæ cuſtode in regno relicto, & fecit homagium ſuum regi Fräciæ Carolo pro toto ducatu Aquitaniæ, & comitatu Pontinæ, ſuper quibuſdam proteſtationibus videlicet quod non admiſit homagium pro terris, quas pater ſuus Carolus ſibi vendicauit, quouſq; eſſet ſibi ſatisfactum de damnis & expenſis, &c. Eodem anno die Veneris poſt purificationem beatæ Mariæ, Simon Archiepiſcopus Cantuar. tenuit concilium prouinciale London, in quo ordinauit aliqua licet modicum ponderanda: ſcilic. q; in die Paraſceue, & in commemoratione omnium animarũ ab omni ſeruili opere ceſſetur. Item ipſe & omnes epiſcopi præſentes excommunicarunt & excommunicatos denunciarunt omnes illos qui Walterũ de Stapleton, Exon. epiſcopum interfecerũt, ſeu manus violentas quomodolibet iniecerunt, & omnes qui eis opẽ, aſſenſum vel conſilium præbuerunt. Itẽ Archiepiſcopus ſtatuit de conſenſu conſilii, q; feſtum conceptionis beatæ Mariæ ſolemniter celebretur. Hoc anno Robertus Brus Rex Scotiæ lepra percuſſus obiit 7. idus Iunii. Hoc anno dominica Quadrageſimæ, Philippa Regina Angliæ coronatur, & in prima ſeptimana Quadrageſimę factum eſt parliamentũ apud Winton. vbi in craſtino S. Gregorii Edmundus comes Cantii auunculus regis fuit arreſtatus, & in vigilia S. Cuthberti morti adiudicatus, ab hora vero prima vſque ad quintam extra portas caſtri, (nullo in eum manum mittente) ſtetit condemnatus, donec miſer quidam de Mareſchalla eum miſſus eſt decollare.

Obiit Wilhelmus de Norvvico.

Prouinciale conſilium.

Moritur Robertus Brus.

Cor. Regina

Decollatur Ed. auunculus regis.

Eodem anno Petrus de Corbario de ordine fratrum minorum, de conſilio & auxilio Ludouici ducis Bauariæ in ciuitate Romana in Papam ſe fecit coronari. Deinde idem Petrus antipapa eundem Ludouicum in regem Romanorum contra ſtatutum eccleſiæ coronauit. Iſte antipapa Cardinales & alios officiarios quos verus Papa ſolebat habere creauit. (*)

(*) Ab hoc anno vſque 1336. partim Th. Walſing. ſeripſit partim extrac. ex A Muremuth, & multum variãt in annis, nam Muremuth incipit annum in feſto Mich. vbi Th Walſing. incipit in feſto natalis Chriſti.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo viceſimonono, qui eſt annus regni regis Edwardi tertii tertius, Epiſcopus Londonenſis fuit accuſatus de eo quod quidam confingentes patrem regis viuum, & quod ipſe & alii conſpirauerunt eum liberare, & ad ſtatum regni reducere, inter quos etiam Robertus Tauton eadem de cauſa carceri mancipatur, & eadem de cauſa Edmundus comes Cantii, & propter quaſdam confeſſiones ſuas, & quaſdam literas ſecum inuentas, anno præterito decollabatur, licet nullæ illarum confeſſionum vel literarum (etſi veræ eſſent) deberent cauſam tribuere morti ſuæ. Iſta recognitio fuit facta corã Roberto Houel Coron. de hoſpicio domini regis, & poſtea corã ſenioribus & proceribus illius terræ apud Wincheſtr. 16. die Martii anno 4. Nimirum quia Edmundus comes Cantii cognouit, quod apoſtolicus ſibi præceperat ſub pœna ſuæ maledictionis, quod vires ſuas & diligentiam adhiberet ad liberandum E. ſuum fratrem iam olim regem Angliæ, & quod ipſe hac de cauſa ſua ſuſtineret expenſa. Et dixit quod quidam frater prædicator Conuent. London ipſum conuenit apud Reuſſington prope London, & ipſe dixit ſe excitaſſe dæmoniũ, quibus ſibi pro certo affirmat, quod E. ſuus frater iam olim rex Angliæ viuit. Et dixit quod Archiepiſcopus Eborac. ad illũ miſit per quendã capellanum dominum Æyn epiſtolam fidelitatis, & fidelitas fuit talis quod ipſe ad illum miſit pro liberatione fratris ſui ad 500. hominum, & eo amplius, quantum habuit, & quantum potuit reddere. Et dixit quod dominus Ingeram Berenger aiebat ad illum Londini à domino Wilhelmo de Souch, quod niteretur quantum potuit ad liberationem ſui fratris. Et dixit quod dominus Wilhelmus de Cliff ad ipſum venit in eodẽ mandato per tales inſtructiones, q; ipſe ſinat compoſitionẽ fieri inter Wockingum & Gildefordũ: & ſibi dixit

Epiſcopus London. accuſatur.

Quadam recognitio comitis Cantii.

ſe vel-

ſe velle oppugnare ciuitatem Heteførdenſem, propterea quod eius neptis de fratre de familia Spencer, qui fuit in eadem ciuitate de Gildeford, & ipſe dominus Wilhelmus ſecum confabulatus eſt de affinitate inter filium Ricardum comitem de Arundel, & eius filiam, & dixit vlterius, quod hoc illi foret maximus honos, qui vnquam illi potuit accidere, & quod ipſe neruos intenderet quãtum potuit, ad hoc faciendum. Et dixit quod dominus Wilhelmus de Werham clericus fratrum ſuorum, & frater Thomas de Brounfeld forent illi, qui ſibi magis gratum facerent, & allicerentur ad has res ſupradictas faciendas. Et dixit quod dominus Rob. de Taunton ab Archiepiſcopo Ebor. in præcepto habuit has res ſupradictas, & ipſe dixit, quod habuit in paratu quinque millia hominum ad hoc negotium ſupradictum complendum. Et quod idem dominus Robertus & duo fratres prędicatores qui ſunt extra eorum ordinem, quorum vnus fecit ſe appellari Edmundum Sauage, & alter Iohannem, iſti fuerunt factores iſtius negotii. Et dixit quod dominus Fouke, filius Waryn, ad ipſum venit Weſtmonaſt. & ipſum rogauit, & ipſum exhortatus eſt hanc rem incipere, & ad hoc faciendum, & ſibi dixit quod hoc foret maximus honos qui ſibi vnquam contigit, & illi dixit quod ſibi opem pręberet quantum potuit. Et dixit quod dominus Ingeram Berenger ad ipſum venit à domino Iohanne Peche qui fuit de hoc conſilio, & ad hoc voluit adiuuari quantum potuit. Et dixit quod dominus Henricus Beamond, & dominus Thomas Roſſelin ad ipſum locuti ſunt Lutetiis in cubiculo ducis Brabantiæ, quod parati erant venire in Angliam in auxilium horum prędictorum, vt quod illi ſe inſtigarunt ad has res conficiendas. Et quod applicuerunt verſus partes Scotiæ, per Abbatem de Donalder de Maar, quod ipſe foret paratus pro eorum auxilio ad tuendum partes ſuas quantum ille potuit, ſed tempus de illorum aduentu fuit tranſactum. Et dixit quod dominus Richar. de Ponfret confeſſor dominæ N. ad illum venit ad Reuſington in coronationem, & poſtea ad Arundel ab Archiepiſcopo Eborac. pro his rebus ſupradictis. Et dixit quod monachus de Quarier, & Iohannes Ciminge eius cognatus habuerunt ſimiliter cymbam paratam ad deducendum fratrem ſuum, & ipſum à ſua turri de Arundel. Et dixit quod patefecit has res ſupradictas E. de Mounchiuer & Georgio de Percy, & dixit quod literæ quas miſit ad dominum Buges de Baiouſe & Iohannem Euroille, firmatæ ſunt de ſuo ſigillo, quas ipſis miſit, & quod vna litera ſcripta fuit manu vxoris ſuæ. Et dixit quod Ingeram Berenger, Mauchein Muſarder & Iohannes Cyminge opem tulerunt, & neruos intenderunt ad has res faciendas. Et dixit quod dominus Ingeram Berenger ad ipſum venit ab Arundel in cubiculum ſuper capellam, & dixit quod Epiſcopus Lodon ipſi ſuccurreret in liberationem ſui fratris quantum potuit, & iſtas res cognouit eſſe veras, & ſic fatetur ſe non vacare culpa. Ideo ponit ſe in miſericordia.

Eccleſia Sarum vacat.

Hoc anno circa mediam Quadrageſ. vacauit Eccleſia Sarum per mortem M. Rogeri de Mortinans, cui eccleſiæ Papa prouidit de Rob. Wiuil, qui ſcripſit ſpeciales literas reginæ, viro vtique competenter illiterato & minime perſonato, quem ſi Papa vidiſſet, nunquam eum (vt creditur) ad tantum apicem promouiſſet.

Obiit Epiſcopus Bathon.

Item hoc anno mortuus fuit Iohannes epiſcopus Bathon. Et licet magiſter Radulphus de Salopia fuiſſet concorditer electus, confirmatus & conſecratus per Simonem Cantuar. Archiepiſcopum, poſt tamen de curia Romana ſe redemit, vt rata eſſent facta de ipſo, nõ ſine magna pecuniæ quantitate.

Papa contra imperatorem, &c.

Hoc anno Papa fecit graues proceſſus contra ducem Bauariæ electum imperatorem, & contra ſibi adhærentes, & pro ſuſtinenda guerra contra eum, omnes fructus beneficiorum vacantium per quadriennium reſeruauit.

Edvvardus quartus natus eſt.

Die Veneris ante feſtum S. Botulphi, videlicet 15. die Iunii 1329. natus eſt regi filius ſuus Edwardus quartus apud Woodſtock.

Rex Scotiæ coronatur.

In feſto S. Clementis coronati ſunt & inuncti Dauid rex Scotiæ, & vxor ſua Iohanna ſoror regis Edwardi tertii.

Parliamentum apud Notingham.

Factum eſt parliamentum apud Notingham, in craſtino S. Lucæ Euangeliſtæ, & Rex areſtari fecit Rogerum de Mortuomari, Galfridum filium ſuum, Simonem de Bedford, & ad turrim Londonienſem tranſmiſit.

Rogerus Mortimerus ſuſpenſus.

In vigilia S. Andreæ dictus Rogerus comes Marchiæ Londini tractus eſt & ſuſpenſus, ac poſt duos dies fratribus minoribus conceditur, & honorifice ſepelitur. Dominus vero Simon de Bedforde Londini tractus fuit & ſuſpenſus. In hoc parliamento rex de communi conſenſu procerum, recepit in manu ſua omnes terras prius matri ſuæ conceſſas, & quod ſingulis annis mille libras perciperet, ordinauit.

Homagium factum regi Franciæ.

Die Iouis in ſeptimana Paſchæ, rex Edwardus cum paucis mare tranſiuit, & regi Franciæ Philippo, pro terra Waſconiæ homagium fecit, & rediit, & infra 15. dies apud Dortforde torneamentum tenuit. Die Lunæ poſt feſtum Sancti

Matthæi

Matthæi Londoniis inter Crucem & Soperlane, 13. milites haſtiludia contra quoſcunque venire volentes, per tres dies tenuerunt.

Papa concedit decimas regi.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo triceſimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii quartus, P. antipapa 25. die Auguſti conuerſus ad fidem catholicam, & fecit confeſſionem ſuam coram domino Papa I. & cardinalibus in pleno conſiſtorio, & papa ipſum abſoluebat. Hoc anno conceſſit Papa decimas regi Angliæ omnium bonorum eccleſiaſticorum in Anglia per quadriennium mediate ſibi retẽtas. Cauſæ vero antedicti comitis Marchiæ, quæ imponebantur eidẽ ſequuntur. Prima quia dicebatur, quod ipſe fuit conſentiens, quod pater regis in caſtro Berkley fuit ſuffocatus, ex qua cauſa dominus Iohannes Matrauers, & dominus Thomas de Gotney ſenior, qui fuerunt deputati cuſtodiæ dicti patris regis ibidem, & quidam alii ſe tetraxerunt ad partes tranſmarinas, & propterea dominus Simon de Bedford fuit ſuſpenſus. Secunda cauſa impoſita fuit, quod impediuit honorẽ regis & regni apud Stannoppark, vbi Scoti fugerunt, qui capi & interfici faciliter potuiſſent, ſi ipſe qui fuit maior de conſilio regis, Anglicos cũ Scotis tunc congredi feciſſet. Item quod ipſe receptis 20. mille libr. à Scotis illos tunc promiſit euadere, & turpẽ pacem poſtmodum inter Scotos & regem iuuenẽ fieri procurauit, & ſuper hoc chartam regis eiſdem fecit fieri, & etiam illud vile matrimonium contractum inter ſororem regis Angliæ & Dauid filium Rob. de Brus fieri conſuluit & procurauit. Item q; male conſumpſit totam pecuniam inuentam in theſauris regis, & domini N. de Spencer & omnia bona regni, poſtquam Angliam regina intrauit, ita quod ipſe & Regina abundabant, & dominus Rex fuit egenus. Item quod appropriauit ſibi cuſtodias & maritagia pinguia per totam Angliam, & fuit malus conſiliarius regi & reginæ matri, & nimis ſecretus cum ea: at de aliis taceamus. Hoc anno Edwardus de Balliolo ius in regnum Scotiæ vendicans, in principio Auguſti, habens in ſuo exercitu, Henricum de Bellomonte comitem de Bogham, Gilbertum de Vmfreuile comitem de Angus, & Dauidem comitem de Athels, cum 2500. armatis & peditibus, Scotiam apud Kingcorn intrauit, vbi comes de Fif, & Robertus de Brus filius Regis Roberti nothus, cũ 10. millibus Scotorum, Anglicos in ripa maris ad pugnam prouocantes, per paucos arcitenẽtes, & alios pedites, antequam armati terram tangere poſſent repelluntur, reliquis in fugam lapſis 900. vna cum Alexandro de Seton filio Alexandri interficiuntur. Et cõfeſtim verſus Abbathiam de Dunfermelin victualibus refertam proceſſerunt. Quadraginta quoq; millia Scotorum in loco qui Gaskinor vocatur, parati ad pugnam venerant, ſed Anglici per diẽ illum videntibus Scotis, in ripa cuiuſdã aquæ morantes in nocte (Alexandro de Moumbray præcedente aquã tranſeuntes, montẽ vbi Scoti erãt aſcenderunt. Mane autẽ facto, exercitibus dimiſſis (exceptis 44. Alemannis retro in equis exiſtentibus) congrediuntur. Scoti virtute diuina reuera, nõ humana, deuincũtur. Comites de Mar, de Menerh, de Athels, de Moref, Robertus Brus nothus, comes de Carrike, vitæ finem dederunt. Nigellus Brus 12. barones 800. milites 200. armatorum 13300. peditum interficiuntur. Ex parte vero Anglorũ ceciderunt milites 33. ſcutiferi. Et in tranſitu aquæ nocte præcedenti, Rogerus de Swinardiſton miles fuit ſubmerſus. Durauit hoc bellum ab ortu ſolis vſq; ad horam diei tertiam. Cadauera enim Scotorum altitudine vnius lanciæ, vt ferebatur, fuerant eleuata, & multo plures corporibus oppreſſi, quã in ore gladii interfecti, fuerant ſuffocati. In craſtino vero Anglici villam ſancti Iohannis victualibus repletam ſuſceperunt, foſſis largis & profundis circumducunt. Poſthæc, Patricius comes de Dunbar, Arthebandus Duglas cum 12. millibus villam obſederunt: Iohanni Crabbe nautæ cuidam experto genere Flandrẽſi, apud Berewicum moram trahenti, ad ſubmergendum & cõburendum naues Anglicorum in aqua Tye, cum nauigio ſuo feſtinare miſerunt. Qui cum 10. nauibus ſuperueniens bargam Henrici de Bellomonte ſubito cepit, ſed Anglici viriliter reſiſtẽtes, omnes naues Scotorum vna cum barga prædicta incendunt, homines fere omnes (Iohanne Crabbe prædicto vſq; ad Berewicum vix per terram fuga dilapſo) aut ſubmerſi, aut ore gladii interfecti, die ſancti Bartholomæi apoſtoli. Cognito autem huius rei euentu, dimiſſa obſidione, Scoti ad ſua redierunt.

Cauſæ mortis comitis Marchiæ.

Edvvardus Baliol regnum Scotiæ vendicat.

Scotorum clades maxima.

Fuerunt occiſi plus quam 20000.

Natale apud Welliam.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo triceſimo primo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quintus, tenuit dominus Rex ſolemniter natale apud Welliam vſq; Epiphaniam: vbi fiebant multa mirabilia ſumptuoſa. Archiepiſcopus vero Cãtuarienſis viſitans dioc. Bathoniæ, tũc tenuit natale apud Wembliſcumbe, qui poſtmodum mãdauit ſe velle inchoare viſitationem ſuam in eccleſia Exoniæ. Et poſt

modum

Epiſcopus Exonienſis reſiſtit Archiepiſc. in viſitatione.
Concilium per diſcordiam fruſtratur.

modum in ciuitate Exoniæ, die Lunæ prox. poſt feſtum Aſcentionis domini: quod ne fieret epiſcopus Exon. appellauit, qua appellatione non obſtante dicto die Lunæ acceſſit idem Archiepiſcopus ad ciuitatem Exon. ſed non fuit ſibi permiſſum eccleſiam neque clauſtrum intrare, armata multitudine reſiſtente. Hoc anno circa feſtum natiuitatis beatæ Mariæ fuit conſilium prouinciale Londini congregatum: ſed propter diſcordiam inter Archiepiſcopū & ſuos ſuffraganeos ſine effectu aliquo terminatum. Item Parliamentum tunc ibidem ſine aliquà vtili expeditione finitur. Rex tamen habuit quintam decimam à populo, & decimam à ciuibus & burgenſibus ſibi per vnum annum conceſſam.

Edwardus Baliol coronatur in regem Scotiæ.

Eodem anno quidam maligni fulti quorundam magnatum præſidio, regis adoleſcentiam ſpernentes, & regnum perturbare intendentes, in tantam turbam creuerunt, nemota & ſaltus occupauerunt, ita quod toto Regno terrori eſſent. Rex militarem manum congregans, & contra impios viriliter agens, quoſdam captos carceribus intruſit, quoſdam excapitauit, & regni perturbatio quieuit.

Hoc anno 5. calendas Octobris Edwardus de Baliolo apud monaſterium de Scone in Scotia, in regem ſolenniter coronatur, & inde rediens apud Rokesburg cū Scotis congreſſum habuit, vbi & Andræas de Morauia captus fuit apudque Dunelmum ducitur, & in cuſtodia detinetur. Poſt hæc comes de Dunbar & Arthebandus Anglus ab Edwardo de Baliolo vſque ad Purificationem beatæ Mariæ treugas petierunt, & obtinuerunt, vt tunc habito Parliamento, pars vtraque pro pacis reformatione plenius tractaret. Rex vero Edwardus dolum neſciens gentem ſuam ad propria remiſit. Die enim aſſignato Scoti armati accedentes quotquot ſubito inuenerunt, Edwardo ſibi vix ſua conſulente, peremerunt. Hoc anno ſeptimo idus Martii Edwardus rex Scotiæ, & multi nobiles Angliæ Scotiam intrarunt, interficientes & comburentes fortalitium, in quo capti ſunt Robertus Coluile. 10. armati, & pedites quamplurimi, quos etiam captiuos vſque Berewicum ſecum duxerunt, quam potenter per terram & per mare obſederunt.

Berewicum obſidetur.

Poſt hæc vero ante Annunciationem dominicam, Arthebandus Duglas Angliæ marchiā cū 3000. intrauit villas de Gilleſonde, per 16. leucas in longum, & 6. in latum combuſſit, cum magna præda & captiuis, in Scotiam ingreſſus eſt. Hoc tempore Antonius de Lucy miles, & Wilhelmus de Lacu Mabonis cum 800. hominibus nocte quadam per duo miliaria Scotiam intrarunt, in regreſſu vero eorum combuſſerunt, occiderunt, & maximam animalium prædam ceperūt.

Wilhelmus Duglas cum ſuis capitur.

Quibus Wilhelmus Duglas cum magna multitudine occurrit. Sed deuictus eſt & captus, vna cū Wilhelmo Barde, & 100. aliis. Humfridus de Boſco, Humfridus de Gardino milites, Wilhelmus de Catleolo 160. valentibus gladio perierunt.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo triceſimo ſecundo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii ſextus, rex Angliæ cum militia magna 6. Calendas Maii ad obſidionem Berewici venit, & tam per mare quam per terram 15. Calend. Iunii villa fortiter expugnatur, diu ante inſultum ſuperuenit horribile incendium infra villam, compulſique ciues gratiam regum, miſericordiam & treugas vſque in craſtinum, factis certis promiſſionibus de villa, & caſtro reddendis, poſtea tamen non obſeruatis obtinuerunt. Poſthæc vero quinto idus Iulii omnes proceres fere Scotiæ, eum exercitu magno congregati obſeſſorum pro ſuccurſu vſque Twedemouthe acceſſerunt, quibus ne quoquo modo obſeſſis ſuccurrere poſſent, per Anglos impediti partes Northumbriæ per ſex dies comburendo, & multa mala inferendo, & incolas deuaſtando redierunt. Septimo vero die per ſuos de caſtro, & villa Berewici, & præcipue per Wilhelmum Deketh militem rogati & reformati, quod ſi redirent, & ad pugnam cum duobus regibus ſe diſponerent indubitanter præualerent.

Scoti vincuntur.

Redierunt igitur & 14. Calendas Augusti dictos reges inuaſerunt, virtuteque diuina deuicti ſunt, & cuncti fere proceres Scotiæ cum multitudine maxima popularium corruerunt, vno tantum milite & peditibus Anglicis decem interfectis. Numerus vero occiſorum & fugatorum per æſtimationem ſe extendebant ad 60. millia.

Cuſtodia villæ Berewici committitur Edwardo de Baliol.

Facta igitur voluntate regis de his qui fuerunt in villa & caſtro, & relicta cuſtodia nomine ſuo in ipſis, quia dixit illa ſua eſſe iure hæreditario, & ex conqueſtu anteceſſorum ſuorum, dimiſit Edwardum de Baliol, cum aliis nobilibus qui ſecum erant, ad cuſtodiam totius regni Scotiæ, & ipſemet rex Angliæ cum modica familia loca deuota Angliæ, ad quæ ſua deuotio cum duxit peregre eſt profectus.

Prælati regni Scotiæ fugiunt.

Prælati vero totius regni Scotiæ in Frāciam fugierunt, & aliqui ad ſummum Pontificem de eorum infortunio, adiutorium & remedium requirentes. Sed hucuſque ſuo deſiderio ſunt fruſtrati. Hoc anno parum

ante

ante feſtum Sancti Michaelis, vacauit Eccleſia Dunelmiæ, per mortem domini Ludouici de Bellomonte, de cuius ſucceſſore infra proximo anno patet.

Obiit Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo triceſimo tertio, qui eſt annus regni regis Edwardi tertii à conqueſtu ſeptimus, circa feſtum Sancti Calixti Papæ, vacauit Eccleſia Cantuarienſ. per mortem magiſtri Simonis de Mepham, qui ſeptimo Calendas Nouembris Cantuariæ eſt ſepultus, in cuius locum capitulum Cantuarienſe magiſtrum Iohannem Stretford Wintonienſem elegit Epiſcopum. Sciuerat enim quod dominus Rex ſcripſit ſummo Pontifici, & ipſe fuit bene in gratia Papæ. Cui Papa prouidit de dicto Archiepiſcopatu primo die Decembris, non virtute poſtulationis capituli Cantuar. ſed proprio ſuo motu.

Tranſlatio epiſcopi Wigorn. ad Winton.

Eodem anno, primo die Decembris tranſtulit Papa magiſtrum Adam de Otelton de eccleſia Wigorniæ ad eccleſiam Wintoniæ ad preces regis Franciȩ. Cuius tráſlationem dominus Rex Angliæ non habebat acceptam, imponens ſibi, ꝙ tunc ipſe fuit nuncius ipſius regis Angliæ ad regem Franciæ, & quod ipſe plus placuit regi Fráciæ, quam regi Angliæ negotia vtilia procurauit. Et quod idem Rex Franciæ ſcripſit Papæ pro ipſo ad eccleſiam Wintonienſem transferendo. Item ex eo Rex Angliæ fuit magis offenſus, quod ipſe pro alio, domino Papæ ſcripſit pro epiſcopatu eodem, ſibiq; viſum fuerat, quod preces ſuæ pro epiſcopatibus & dignitatibus in Anglia citius audiri debent, quam preces regis Franciæ ſupradicti. Ideo retinuit dominus Rex temporalia epiſcopatus Wintonienſis in manibus ſuis vſq; ad diem Veneris poſt exaltationem ſanctæ Crucis, quo die Archiepiſcopus & cæteri Epiſcopi in Parliamento Londoniis rogarunt pro ipſo, ita quod mandauit ſua temporalia ſibi reddi.

Richardus de Bury conſecratur in epiſcop. Dunelm.

Hoc anno cito poſt feſtum ſancti Michaelis Capitulum Dunelmenſis eccleſiæ elegit vnum monachum eiuſdem eccleſiæ, nomine Richardú de Bury, qui cito poſtmodum per Archiepiſcopum Eboracenſis eccleſiæ fuerat confirmatus, & ante feſtú natalis Domini in Eccleſia Eboracenſi ſolemniter conſecratus, non obſtante fama per totá Angliam volante, quod contra regis voluntatem erat promouendus. Itē Papa commendauit ipſum epiſcopatum domino Richardo de Bury Clerico dicti domini regis, ad preces ipſius domini regis, q̄ famam rei exitus poſtmodum comprobauit. Nam idem dominus Richardus cito poſt feſtum natalis domini (obtentis literis Apoſtolicis) ſuper ſua prouiſione ſe fecit autoritate Apoſtolica in Monaſterio de Chertſey per dominum Wintonienſem epiſcopum conſecrari, & à domino rege obtinuit ſibi temporalia ipſius epiſcopatus integra liberari, quod prius dicto monacho facere denegauit: quo viſo & intellecto, idem monachus electus & conſecratus ad clauſtrum (ſine epiſcopatu epiſcopus) eſt reuerſus, & cito poſtea expirauit.

Rex Scotiæ tenuit parliamentum.

Hoc anno dominus Edwardus de Baliol Rex Scotiæ tenuit Parliamentum cito poſt feſtum ſancti Michaelis, ad quod venerunt nobiles regni Angliæ terras & poſſeſſiones ibidem habentes, & finito Parliamento ſunt in pace reuerſi.

Natale apud Wallingeford.

Hoc anno tenuit rex Angliæ natiuitatem Domini apud Wallingforde cú regina peregrinante, & finitis feſtis dimiſit eam apud Woodſtock ad pariendum, & ipſe poſt purificationem beatæ Mariæ tranſtulit ſe verſus Eboracum ad tenendum Parliamentum ibidem, quod in die Lunæ in ſecunda hebdomada Quadrageſimæ inchoauit, ad quod Parliamentum vocatus fuit Edwardus rex Scotiæ, ſed non venit propter inſidias inimicorum ſuorum in inſulis iuxta Scotos latitantibus, propter quod miſit excuſatores ſolemnes, ſcilicet dominos N. de Bellomonte, & W. de Monte acuto, & quoſdam alios milites ſeu barones.

Parliamentum Eboraci.

Hoc anno rex Edwardus Scotiæ 14. Calend. Iulii apud nouum caſtrum ſuper Tynam in domo fratrum prædicatorum fecit & iurauit homagium & fidelitatem regi Angliæ Edwardo tertio, pro toto regno Scotiæ & inſulis Scotiæ adiacentibus. Occaſione huius homagii communitas Scotiæ cótra vtrunq; regem inſurrexit, & plures eis adhærétes cepit, & aliquos occidit. Interim vero rex Scotiæ ad Angliam ſe transferens, apud Rauenshelin per tempus morá traxit. Cui poſt principium menſis Nouembris rex Angliæ apud nouum caſtrum in adiutorium venit. In fine vero menſis Decembris, rex Scotiæ cum exercitu ſibi per regem Angliæ aſſignato, per vallem Anandiæ vſque Glaſcow, Cairik, & Connigham ſe transferens cuncta deuaſtauit. Rex Angliæ vero Londoneam & partes adiacentes inuaſit, quoſdam malefactores cepit, & eorum capitaneos interfecit. Redeuntibus vero regibus verſus Berwicum, Comes Patricius ab eiſdem recedendo homagium ſuum per ſuas literas eis remiſit. Circa finem menſis Iulii Rex Angliæ cum exercitu Scotiam ingreſſus plura loca deuaſtat. Hoc idem rex Scotiæ cum comite Warennæ

Rex Scotiæ facit homagium regi Angliæ.

Expeditio regum in Scotiam.

faciebat. Tandem apud villam ſancti Iohannis ambo reges conuenerunt, vbi comes de Athels & Alexander Moumbray & alii qui propter homagium à rege Scotiæ Angliç regi exhibitum ab illis diſceſſerant, ſub certis condicionibus vtriuſque regis gratiæ ſe ſubmiſerunt. Comes vero de Athels regimen vltra mare Scoticum ſuſcipiens, in breui à Scotis atrociter eſt occiſus. Comes Morauiæ per Wilhelmum de Preſtfeu captus, Londonias eſt tranſmiſſus.

Concilium apud Notingham.

Hoc anno vocauit rex Angliæ Prelatos & magnates quod infra ſex dies poſt translationem S. Thomæ venirent ad eum apud Notingham pro conſilio & aliis tractatibus habendis ibidem: & tunc ordinauit Parliamentum London. & Archiepiſcopus conuocauit clerum ibidem ad Sanctum Paulum die Lunæ poſt feſtum exaltationis ſanctę Crucis. Et quia noua venerunt ad Parliamentum, quod Scoti omnes inſurrexerunt & ceperunt dominum Richardum Talebot & ſex alios milites & multos pedites occiderunt, Rex promiſit ſe iturum verſus Scotos pro Scotorum malitia refrenanda: populus conceſſit ſibi xv. denarium de Temporalibus, & de ciuitatibus & burg. decimum denarium, & clerus conceſſit vnam decimam. In dicto Parliamento dominus rex conceſſit quod iret in terrã ſanctam propriis ſumptibus, ſed certũ tempus inchoandi iter non expreſſit, ſed ordinauit mittere Archiepiſcopum Cantuariẽſem ad Papam, & ad regem Franciæ, vt poſſent de tempore concordari. Ita quod illi duo reges poſſent cum ſuis potentiis ſimul arripere dictum iter.

Subſidium.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo triceſimo quarto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii, octauus, Iohannes Archiepiſcopus Cantuarienſis in feſto Sancti Dioniſii intrauit eccleſiam ſuam Cantuariæ, & ſolenne conuiuiũ more ſolito celebrauit, & in feſto Apoſtolorum Simonis & Iudæ tranſiuit mare verſus regem Franciç cum aliis nunciis, ſicut prius fuerat ordinatum.

Archiepiſcopus mare tranſit. Edvvard. Boun ſubmerſus.

Hoc anno circa feſtum Sancti Martini dominus Edwardus le Boun fuit ſubmerſus in marchia Scotiæ, dum voluit liberari domicellum ſuum fugantem prædam animalium, ita quod neuter euaſit.

Inundatio maris.

Item hoc anno in nocte ſancti Clementis per nimiam inundationem maris per totum regnum Angliæ, & maxime in Thamiſia fuerunt rupti muri maritimi, & animalia infinita ſubmerſa, & terræ fructiferæ in ſalſuginem ſunt conuerſæ, adeo quod ad fertilitatem ſolitam per multa tempora non ſperatur poſſe redire.

Iohannes Papa obiit.

Natale apud Rokesburgh.

Viſitatio Archiepiſcopi Cantuar.

Item hoc anno quarto die Decembris obiit Iohannes Papa viceſimus ſecundus in palatio ſuo Anniuoniæ, & in eccleſia beatę Marię eidem palatio contigua eſt ſepultus, in qua ipſe fuit Epiſcopus ante Cardinalatus honorem: vacauit ſedes Apoſtolica per quindecim dies. Rex Angliæ tenuit feſtũ natalis Domini apud Rokesburgh. Et viceſimo die menſis Decembris fuit electus in Papam frater Iacobus T. T. ſanctę Priſcę preſbyter Cardinalis, qui fuit Monachus ordinis Ciſtercienſis & magiſter in Theologia de comitatu Sluxenſi, iuxta partes Tholoſanas oriundus, & die dominica poſt Epiphaniam tunc ſequente fuit coronatus apud fratres prędicatores. Auinioni Archiepiſcopus Cantuarienſis rediit circa Epiphaniam, & ſtatim poſt Purificationem, Eccleſiam, ciuitat. & dioc. ſuas Cantuariæ viſitauit. Et cito poſt Epiphaniam, rex Franciæ miſit nuncios Regi Anglię, ſcilicet Epiſcopum Abricenſem, & quendam pro pace Scotorum, qui vſque in diem Lunę medię Quadrageſimę in Angliam expectarunt, & tunc apud Notingham, conceſſæ fuerunt treugæ vſque ad feſtum Sancti Iohannis proxime tunc futurum, vt interim fieret parliamentum ſuper illis, & aliis tangentibus ſtatum regni. Circa finem menſis Maii Rex Angliæ miſit Henricum filium comitis Lancaſtriæ cum exercitu magno ad regem Scotiæ qui villam Sancti Iohannis ingreſſi, partes adiacentes vndique deſtruxerunt. Poſt modicum vero tempus, rex Angliæ cum paucis admodum ad eos accedens vltra montes Scotiæ cum exercitu vndique vaſtando procedebat. Et vſque Eglin in Morauia, & in Derneſſe, & per multa miliaria vltra quam vnquam fuit auus ſuus depopulando. Interim vero apud Aberden interfectus fuit quidam miles ſtrenuus per nauigium adueniens, Thomas Roſcelyn nominatus, vnde offenſus rex, per Eberden veniens villam, comburi fecit, & partes adiacentes ſecundum rebellantium demerita deuaſtauit. Caſtra de Striuelyn & Lotheuile reparauit & muniuit. Dimiſſaq; cum rege Scotiæ militia, Angliam rediit. In fine menſis Octobris Iohannes de Eltham germanus regis Anglię, comes Cornubiæ, obiit in villa ſancti Iohannis, & Londini ſepultus. Obiit & ibidem Hugo de Frenes comes Lincolnienſis menſe Decembri, profluuio ventris ſuæ, vt ferebatur, frigore per poſteriora contracto.

Filius comitis Lancaſtriæ proficiſcitur in Scotiam.

Obiit comes Cornubiæ.

Anno

Digitized by Google

Parliamentum Londini.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo triceſimo quinto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii nonus, menſe Martii rex Angliæ tenuit parliamentū apud Londonias, vbi filium ſuum primogenitum Edwardum quartum, tunc comitem Ceſtriæ, ducem fecit Cornubiæ, & ſic ab omnibus præcepit nominari, fecit & idem Rex in eodem parliamento 6. comites, videlicet Henricum de Lancaſtria iuniorem, comitem Derby, Wilhelmum de Monte acuto comitem Sarum, Hugonem de Audley comitem Glouerniæ, Wilhelmum de Clinton comitem Huntingdon, Wilhelmum Boun comitem Northampton, Robertum de Rifford comitem Southfolciæ, in quorum ſolennitatem fecit Rex apud Weſtmonaſterium ſolenne conuiuiū dominica 3. Quadrageſimę. Interea dum hæc agerentur, comes Patricius, & Andræas de Morauia, & Wilhelmus Duglas, plura fortalicia, videlicet Sancti Andreæ & Botheuile inuadentes ceperunt, & caſtrum de Striuelyn obſederunt. Quo audito Rex Angliæ ad partes Scotiæ iter dirigit, Scoti quoque caſtrum fortius aggrediuntur, & in conflictu Wilhelmus Deketh, qui de obſidentibus principalis fuit, interfectus eſt. Et ſic dimiſſa obſidione ante regis aduentum receſſerunt. Rex vero caſtrum victualibus & nouis ſtipendiariis muniens, vulneratos, debiles & infirmos in Angliam ſecum duxit. In hoc parliamento apud London ſtatutum fuit, quod nulla lana creſcens in Anglia exeat, ſed quod ex ea fierent panni in Anglia, & quod omnes operatores pannorum, vndicunque in Angliam venientes reciperentur, & quod loca oportuna aſſignarentur eiſdem cum multis libertatibus & priuilegiis, & quod haberent vadia regis quouſque commode de ſua arte lucrari poſſent. Item ſtatutum fuit, quod nullus vteretur panno extra Angliam operato, & impoſterum deferēdo, rege, regina & eorum liberis duntaxat exceptis. Item quod nullus vteretur pellibus tranſmarinis, niſi haberet in redditibus centum libras, quorum ſtatutum nullus ſequebatur effectus, nec aliquis ea ſeruari curauit. Poſt feſtum corporis Chriſti, Rex Angliæ apud Stamford magnum conſilium tenuit, nunciosq́; ſolennes ad regem Franciæ pro pace inter eos reformanda, videlicet epiſcopum Lincolnienſem, comites Sarum & Huntington, & alios plures nobiles tranſmiſit. Qui naues intrantes, apud Boloniam in principio menſis applicuerunt. Intelligentes voluntatē regis mutatam, tranſitumq́; ſuum fore periculoſum, verſus comitatum Hanonię quam citius poterant properabant, cum Ludouico duce Bauariæ, regnum Alemanniæ contra voluntatē Papę tunc occupante, & cū comite de Selers, ac aliis proceribus multis fœdus in regis Angliæ ſubſidium inierūt. Redeuntes vero duas naues de Flandria verſus Scotiam nauigātes, multitudine Scotorum oneratas, ſcilicet 250. capiunt, reperti enim ſunt ibi Epiſcopus Glaſcuenſis, Iohannes de Steward, & alii filii nobilium de Scotia, videlicet Dauid de la Hay, Hugo Giffard, Iohannes de la Mot, Wilhelmus Baly, Alexander Friſell, cū duobus clericis, magiſtro Thoma Figas, magiſtro Wilhelmo Muffet, & vno Monacho de Dunfermlyn, cum mulieribus quibuſdam nobilibus, quibus fere omnibus interfectis, Epiſcopus obiit lęthaliter in capite vulneratus. Rex Angliæ cuſtodiam Marchiæ Scotiæ comiti Warwici, & aliis proceribus commiſit. Quia diuerſis vicibus Scotiam intrantes modicum profecerunt, ſed Scoti ter Angliam intrantes, plura loca combuſſerunt, & caſtrum de Edenburgh obſederunt. Rege tamen Scotię ſuperueniente obſidionem dimittere ſunt coacti. Hoc anno in eccleſia de Edeligh Winton diœceſ. & decanatu de Aulton, in die Palmarum, poſt prædicationem cuiuſdam ſacerdotis literati Iohannes de Vecca nomine, mulier quædam Iohanna, coram populo, à iuuentute ſua corpus ſuum libidini & obſcœnitati fuiſſe expoſitum, ac alia facinora lachrymabiliter confeſſa eſt inaudita, obnixe flagitans pœnitentiam à ſacerdote prædicto ſibi imponi ſalutarem. Sacerdos quoq; de diuina miſericordia confidens, poſt ſacræ ſcripturę nominata ne deſperaret, ſed in domino peccatores ad pœnitentiam miſericorditer expectante ſpem poneret, ſex dierum in pane & aqua in ſuorum remiſſionem dixit delictorum, illa quoq; pœnitentiam talē ſuorum reſpectu facinorum parum fore ſeu nihil aſſerente, pœnitentiam qualemcunq; agere poſſet ſibi iungi ſimpliciter exorauit. Ille vero diebus poſtea tribus in petitione muliere perſeuerante, in expiationē omnium peccaminum ſuorum indixit ieiunium. Proſtrata vero illa coram imaginibus Eccleſiæ, flens & eiulans, ac preces ad Deum deuote fundens, pronamq́; in terra ſe proſternens, in corporis Chriſti eleuatione exanimis & albiſſima eſt reperta. In foreſta de Walmer capra eſt hinnula, duo habens capita equalis magnitudinis, cum duobus collis, cætera membra erant ſimplicia, nutrita autem aliquanto tempore & cuſtodita in curia Edwardi de ſancto Iohanne militis dictæ foreſtæ magiſtri.

Creatio comitum.

Rex proficiſcitur in Scotiam.

Statuta in parliamento Londini.

Legatio in Franciam.

Legati Gallum à pace auerſum ſentientes cum duce Bauaria fœdus ineunt.

Scoti capti.

Commentum de muliere pœnitentiam agente.

Hinnula biceps.

1335. *Mulier ab incubo oppreſſa.*

Hoc anno nocte Penteceoſtes in parochia de Kingeslay Winton. dioc. & decanatu de Aulton, mulier quædam Iohanna nomine, in ſomnis amaſium ſuum Wilhelmum, à quodam viſitare monita, in craſtino, à ſpiritu incubo dilecti ſui ſpem ſibi apparente in foreſta de Wolmer eſt cognita. Redeunte autem ad domum ſuam, mulier grauiſſima infirmitate eſt detenta. Quod vero per ſpiritum malignum fuerat ſeducta, veritas per dilectum ſuum propalatur. Muliere autem eiulante & deuote dilecto confitente, intollerabili quaſi fœtore domus repletur, poſt triduum toto corpore inflato, vna cum ventre & labiis in nigredine obiit, ab 8. viris ad tumulum eſt vix delata.

1336. *Angli obſident caſtrum de Dunbar.*

Hoc anno Comes Sarum & multi nobiles Angliæ 5. Calendas Februarii caſtrū de Dunbar obſident, ſeptimanisq; 19. durauit obſidio, acceptisq; tandem treugis ſub certis pactis Angliam redierunt. Quæ quidē obſidionis dimiſſio & treuga, Maioribus Angliæ & multis ibidem congregatis diſplicuit, fuerat enim (vt ferebatur) ipſa diſpēdioſa, nec honorifica, nec ſecura, ſed Scotis vtilis atq; grata: Et ſic mediantibus nunciis Papæ, & regis Franciæ, multi tractatus pacis inutiles habebantur, & multæ treugæ ex parte Scotorum ſubdole agentium conceſſæ fuerunt, ſed nihil efficaciter expeditum, quia illis pendentibus comitem de Arcell interfecerunt. Rex autem non permiſit Iohannem Archiepiſcopum Cantuarienſem ab ipſo longe diſtari.

Parliamentum Northampton.

Anno gratiæ milleſimo treccenteſimo triceſimo ſexto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii decimus, habuit rex decimam à burgenſibus, quindecimam ab aliis, decimam à Clero, & circa Pentecoſten habuit parliamentum Northāptoniæ, vbi dimiſit Prelatos & alios tractare, & ipſe ſecrete equitauit verſus Scotiam cum paucis admodum, vſq; Berewike, & inde (aſſumptis ſecum paucis armatis) equitauit ad villam Sancti Iohannis, vbi inuenit ſuos, qui de ſuo ſtupebant, & mirabantur aduentu, & ibi dictam villam fecit muniri foſſatis & muris, & ſuos comites miſit cum rege Scotiæ, per patriam ſi poſſent inuenire Scotos reſiſtentes, ſed nulli audebant eos expectare, ſed per montes, paludes, & nemora latitabant.

Hoc anno dominus rex in ſingulis Eccleſiis cathedralibus fecit capi totam pecuniam collectam, & repoſitam in ſubſidium terræ ſanctæ. Item hoc anno Papa reuocauit ſexennalem conceſſam in ſubſidium terræ ſanctæ, pro eo quod rex Franciæ verſus terram ſanctam minus diſtulit iter ſuum, & voluit quod ſolutum redderetur, ſed in Anglia nihil fuit redditum, quia fuit per Clerum regi conceſſum.

Normanni Porteſmutham incendunt.

Hoc anno menſe Martii in villa de Leighton, iuxta Huntingdon ad ſex milliaria, natus eſt Vitulus duo habens capita, & octo pedes. Quædam naues & galeæ (vt ferebatur) Normannicæ in vigilia Annunciationis beatæ Mariæ apud Porteſmutham applicuerūt, villam quaſi totaliter pręter eccleſiam parochialem & hoſpitalem combuſſerunt, & illæſi cum ſpoliis ad naues regreſſi ſunt.

Hoc anno hyems aſperrima extitit in Anglia, & durauit gelu maximum à quinto Calendas Decembris, vſque ad quartum idus Februarii, & niues nullæ, vnde & triticum charum, ſed cętera blada abundanter terra produxit. In multis locis Anglię ſalices in Ianuario flores protulerunt, roſis in quantitate & colore perſimiles. Sambuci vero arbores fructus ceraſis ſine lapidibus tum ſimilimos produxerunt: interpretetur qui poterit ſigni prodigium.

Rex ſe committit mari contra Francos.

Hoc anno rex Angliæ cum regina & comitibus de Derby & Northampton, ac Sarum, ac militia copioſa, idibus Iulii apud Orewell in mare ſe poſuit contra regem Franciæ. Hic tranſito proſpere mari apud Andewerpe moram traxit, habitoque iuxta Coloniam cum Ludouico de Bauaria conſilio, de toto imperio citra Coloniam eius vicarius factus eſt, & de omnibus imperium tangentibus vicem eius gerens. Miſit quoque rex Angliæ ſummo Pontifici literas ius ſuum in regno Franciæ declarantes in hunc modum.

Rex Angliæ ad Papam ſcriptis literis imperium regni Franciæ vendicat.

Amabilium Deo patrum ſacroſanctę Romanę eccleſiæ Cardinalium collegio venerando, Edwardus Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, & dux Aquitanię ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Sanctiſſimo patri domino ſummo Pontifici poſt debita reuerentiæ munera ſcripſimus in hęc verba: Ius naturę pręuium pariter animalia cuncta docens contra violentas iniurias licentiam defenſionis induſit, ſtatuens vniuerſaliter iure factum, quod quiſque (vim iniuriamque propulſans) ſuam fecerat ad cautelam. Sane cum dudum animoſa guerrarum pericula, iniurioſa damnorum diſcrimina nobis mota fuerunt & illata, quæ toti mundo notoria ex noſtra etiam intumatione frequenti Apoſtolicæ ſedi facta, ſatis pro conſtanti ſuppo-

ſupponitur beatitudini veſtræ nota. Nos cor habentes pacificum (nouit Deus) pro vitandis illis & pacificis inducendis, obtulimus nos voluntarie perſequenti, reuerenter & humiliter forte, nimis amabiles vias pacis; non ſine noſtrorum magno iurium intereſſe, vt neglecta perſecutione alia cuiuslibet iuris noſtri, tempore illo iuſti doloris, quo propter accenſam furoris Soldani Babyloniæ rabiem, & crucis hoſtium aliorum ex cauſa iurati contra eos paſſagii, & ſolenniter publicati in partibus tranſmarinis peribant, & pereunt Chriſtiani, & creſcunt immaniter iniuriæ crucifixi: poſſemus ſicut deberemus & propenſius anhelamus intendere cauſæ crucifixi, quæ negligitur, immo verius imponitur in magnam cuiuslibet Chriſticolæ regis maxime demerentis infamiam & ignominiæ magnæ notam. Sed neſcimus veniat quo peccato, quod de pacificis oblatis humiliter (ex quibus ſurgere debuit pacis amor) in eo qui nos ſola voluntate proſequitur, maioris iracundiæ, maioriſque duritiæ creuit tumor contra nos, cum illum non prouocat (Deo & conſcientia noſtra teſte nobis) aliquod factum noſtrum, vel attemptatum per nos aliquid contra eum, imo vident oculi mũdi, publici teſtes noſtri, præfatus perſecutor noſter (Franciæ regem ſe nominans) damnoſis iniuriis quot & quantis nos & noſtra iura vulnerat & deſolcat. Ipſius quidem regni Fràciç (quod ad nos omni ſucceſſorio iure legitimo pertinere dinoſcitur) eſt inuaſor & illicitus occupator, regnum ipſum (quod debuit nobis vocatis vel defenſis legitime debito iuris ordine petere) nǫn veritus occupare, cum vir eſſemus, & quod perſona eſſemus cuius principaliter intereſſet, notorie certum eſſet, & in regno ipſo ius noſtrum foret tam notorium quam communi iure fundatum ſuppoſito, ſicut euidentia facti notorii præſupponit, quod celebris recordationis Philippus olim rex Franciæ, pater claræ memoriæ Caroli regis Franciæ immediate defuncti, & sereniſſimæ dominæ Iſabellæ reginę Angliæ matris noſtræ, fuerit auus noſter, cum eidem Carolo tempore mortis ſuæ, ex deſcendentibus ſecum ab eodem Philippo maſculus ſuperſtes proximior fuerit nullus nobis. Et perſona fœminea dicti regni per ius in eodem regno ſeruatum antiquitus ſit non capax, quod ius regni præfati fauorem in viá cauſæ finalis attendens, ne regnum ipſum ſub fœminea fragili gubernatione labatur, & propter hoc perſonam mulieris excludens, non excludi perſonam maſculi, per ſic excluſam fœminam deſcendentis, ne fiat iuribus ſemper odibilis prorogatio odiorum perſonæ, videlicet ad perſonam, ſexus ad ſexum, cauſæ ad cauſam, odii ad fauorem, ne contra legum traditiones communes, fœmineum genus vbi maxime de odio agitur concipiat maſculum: ad hoc etiam, per ius memoratum à regno fragilitas muliebris excluditur, vt regno ſalubrius conſulatur & proximior maſculus admittendus. Alias admittatur potiſſime ad ius illud, qui primordialiter à matre ſic excluſa non oritur, ſed in nepotem propagatum ab auo originaliter deriuatur, alioquin ſequeretur & alia iniquitatis abſurditas, per prorogationem odibilem ſupradictam, quod excluderentur collaterales coniunctorum, vt remotior vocaretur, cum ipſo iure gentium naturali, fratres & ſorores eorumque filii in ſucceſſione mutua, collateralibus aliis alterius lineæ præferantur, & inde dictum ius pro regum fauore, ac odii fœmineæ inhabilitatis ad regnum, exoritur tam iuris quam deſcendẽtium ne per fœmineam maſculorum iniuriam occaſio naſceretur. Nec eſt putanda quod memorati iuris intentio ſit iniqua, vt matrem & filium natione contraria ſcilicet damnet. Imo contrario iuris eiuſdem iudicio quo mater à ſucceſſione expellitur, filio gradum matris ingreſſo ſucceſſio tunc differtur, ſimilitudine filii, qui gradum parentis deficientis ingreditur, vt ad patris ſucceſſionem cum patruis etiam admittatur, vt ſic merito triſtis mater præfato rigore regia hęreditate nudata, ſubſtitutione taliter ſibi de filio gaudeat conſolata, nec afflictioni afflictionem accumulat, ꝙ ſancta conſideratio legis horret, ſicut videmus etiam vbi onus afflictionis præamabile non intulit lex, ſed caſus in lege, ſcilicet quæ conſuetudinatiam legem damnat, bona concedentem alii naufragorum, qua ratione quod in expreſſo legali pro vitanda afflictionis adiectione corrigitur, multo fortius in tanto prohibetur, legi igitur regni Franciæ ſufficiat, plus quam plenæ matri, nõ ſuo vitio, ſed naturæ fato, quę fœminam fecit illam radices regias ſuccidiſſe, quodque mater expreſſe per legem ipſam exhæredationis propriæ, quaſi quoddam naufragium patiatur abſque eo quod ex legis pręfatæ conſequenti tacito, omni iure contrario, cum filio exhæredato iterum naufragetur, & ſine culpa pœna inueniatur augeri, cum vbi etiam culpa eſt, debeat emolliri, aliter etiamſi pro eo quod mater ex iure non admitteretur ad regnum, repelli iure filius intelligeretur à regno. Iudæorum regnum contra fidei fundamentum non

perueniſſet legitime ad Ieſum, qui tamen natus Dei miſterio, non virili conſortio ex fœmina regali prole Dauidica Maria virgine, ad regnum huius non admiſſa, nec etiam admittenda, per certam fidei veritatem, Rex verus & legitimus extitit Iudeorum. Abſit etiam, quod Ieſus filius Dauid regalis ſucceſſio legalis obſeruantiæ, ſiue nodi fuerit fractura ſiue ſolutio, cum legem non venerit ſoluere, ſed implere: hoc autem excellentiſſimum legitimæ ſucceſſionis exemplum rationabiliter imponit ſilentium loquacitati contrarii iuris noſtri in regno Franciæ memorato, ne quoad legitimum gradum & ordinem ſuccedendi ſeparemur in conſtitutione vel interpretatione iuris, quos quoad hoc pacificat idemptitas rationis. Ne dum autem debita noſtri vocatio, noſtraque defenſio (vbi de tanto noſtro agebatur præiudicio) eſt admiſſa, ſed etiam noſtri procuratores qui inſtantiam petierant, vt pro nobis & noſtro iure legitime comparerent, non ſolum fuerunt in iudicio non admiſſi, ſed mortis horribilis comminatione repulſi. Et ſic noſtrum titulum memoratum (factum duodecim Parium Franciæ) non excuſat, qui quoad nos (quibus ætatis tenellæ minoritas tunc fauebat) relictis partibus iudicum, ex hoc functi partibus ſunt prædonum. Quorum proceſſum factum in noſtrum præiudicium, ipſa iure noſtra minor ætas fecit inualidum. Qui quoad maiorem etiam efficax non fuiſſet, taliter defenſione ſublata, quæ competit homini ex iure naturæ, quod tolli nequit à principe, nec à iure. Notum etiam communiter eſt vbique, qualiter in Aquitaniæ noſtro ducatu ſemper inuaſerit & colliſerit iura noſtra, terras noſtras inuadens & diſſipans, quas capere potuit, aliis noſtris terris quas occupauit adiungens, & (ius ſibi dicens ad libitũ, Dei timore poſtpoſito) ſibi tenens. Scoti enim, quos noſtræ coronæ ſubiecerant iura temporum antiquorum, iniqua rebellionis dementia, contra naturalem Dominum calcitrantes, continuati in noſtros prædeceſſores, & nos, læſæ maieſtatis criminis rei erant, vt contra nos nihil iniuriæ committerent ad noſtras iniurias fœdere adiunxit, in tanto crimine noſtræ iniuriæ fouens eos qui iure ſanguinis, & natura debuit potius nos iuuare. Cumque præmiſſa omnia non implerent de noſtris iniuriis votum ſuum, collectis vndique viribus quicquid potuit, vt nos iræ ſuæ torrens abſorbeat aggregauit, tollere nos de mundo ſollicitus, ad illud non intentos, forſitan ex intento facto ſuo contra nos, noſtrum contra ſemetitus intentum, quod colligere vel metiri nequeunt per alicuius actus noſtri iudicium nondum actum. Donum inſuper nobis impenſum diuini ægre muneris ferens æſtimare viſus eſt ſuper iniuriam in Angliç regno noſtro nos viuere ſuper terram, & quantum dabat dominus proſpere, ſaltem per omnia pacifice quoad eum, quodque ſeruiens nobis populus, vel verius cui ſeruimus, noſtris temporibus Dei dono fuerit glorioſus. Hęc autem non ſtatim audita vel cognita nos mouerunt, ſed illa ſub diſſimulatione tranſiuimus, nulli parcentes oneri vel honori, vt contra nos perſecutio ſua iniuriaque quieſceret, noſtrumque cum eo pacificum tempus eſſet, donec propinquum nobis vidimus gladium noſtrę ac noſtrorum neci & exterminio pręparatum: ſed nunquid aliquis eſt qui credat quod auunculus nobis cognitus, princeps tantę potentię etſi (vt pręmittitur) occupatis nobis, fuerit negligendus, qui ſuę iuribus voluntatis armatus, potentia vndiq; vocata vallatus vt poſſit liberius pro ſua voluntate nos perſequi iuratam deſerit cauſam Chriſti. Quid igitur pro ſuo iure ſuaque ſecuritate non licuit regi ſui ſtatus ſuique periculum iam videnti, dicat qui nouerit, quid non liceat homini de vitandis iniuriis damniſque certanti, in illis pręſertim quę ad vitæ ſtatuſque radices ſecurim ponere probant, leuis ne timor dici poterit aut vanus, qui pro nobis ſe potuit coniunctorum nobis illuſtrium fortiumque conſtantia corda concutere, multo fortius etiam debet nos terrere, quos ſolos periculorum concepta molimina concernebant. Propter hoc igitur iure naturę dictante, facti tam noſtri quam noſtrorum iurium, non voluntarii ſed neceſſarii defenſores, ac opportunis cautionibus attendentes iuxta rei militaris documenta probata illuſtrium antiquorum, quod potentię magnę pericula conſpirata periculoſius expectantur, in laribus illis nuper currentibus ad noſtrę lucis & ſaluris occaſum cõſultius venimus, in occurſum, ne cõtra nos forte diſcriminoſe procederent, ſed ſui ortus pręfocarentur loco eorũ, freti conſilio & auxilio nobis oblato, quos nobis conſanguinitas & affinitas cõiungebat, & ad quos ſimiliter ſpectabat nobiſcũ periculis noſtræ deſtructionis occurrere, illaque conſiliis & auxiliis pręcauere, ponentes in manu Dei quam in manibus Apoſtolicæ ſedis veſtræ vel aliorum bonorum virorum communium, ponere quondam voluimus, iuſtificatam quantum potuimus cauſam noſtram, vt ipſe

rectum

rectum ex alto proſpiciens, ſententiam iuſtam ferat, & in ſui gladii viribus exequatur. Nec credimus alme pater, quod arbiter quiuis rectus, vel etiam iudex iuſtus, ſic interpretetur aut torqueat noſtrum factum, vt quod pro noſtrorum tuitione & aſſecutione iurium in tanto diſcrimine noſtratum fecimus (fieri ad alterius, quam non intendimus, non agimus nec agemus) putet iniuriam vel offenſam, immo credimus, & certi ſumus, quod facti noſtri intentio attendetur. Et quid, vbi, aut propter quid fiat, debita conſideratione librabitur, & iuſti ſtatera iudicis appendetur. Et ſicut ſanctio legis docet, nõ ſactum ex dicto, ſed dictum penſetur ex ſacto. Non eſſet equidem iuris præſumptio, nobilis quod ſupponit factum ab homine fieri ſuo iure, non benigna interpretatio vel ciuilis, qualem ſemper fieri dictat cenſura legalis, ſi noſtri iuris vſum notorium, noſtræque defenſionis compendium, diſpendium offenſionis illicite quis diceret alienæ eſſe. Ceſſet igitur quæſumus omnis coniectura in actibus noſtris, certiſq; locum duntaxat ſibi vendicẽt, non autem in incertis. Deniq; forſitã accuſator calumnioſus noſtræ actionis interpres, quia ſuſcepimus hominẽ, cõtra quem proceſſiſſe fertur vel Eccleſia, vel parentis Eccleſiæ vicarius, non dicet, quod fratris vel affinis vicibus fungimur, non quod ad iuris habendum titulum neceſſarium nobis potentiæ ſolum vſum aſciſcimus, vt neceſſario fulti pręſidio, vbi nunc ſumus, nos à congeſtis in noſtri ruinam periculis defendamus, & pro noſtrorum iuſta iurium aſſecutione certemus. Non dicet, quod intendimus nos defendere, pro noſtro iure certare, non etiam impugnare, vel eius impugnationi fauere, pro cuius vtique certaremus honore, nullius habita reſpectione periculi, ſicut catholicam excellentiam regum decet, cum tamen vt omnis iuris cenſet intentio, ac cuiuſlibet actionis finalis cauſa, vel ratio principaliter attendenda, & ex notitia voluntatis atque propoſiti, ſurgat diſtincta certaque cognitio operis accuſati, ſolumque geſtis hominum realis actio non verbalis conceptio ponderetur. Non dicet, quod facimus de materia iſta ſcutum contra eum, qui noſtro minabatur capiti mortis ictum. Quodque fecerimus medici ſapientis exemplo, qui materiam morte plenam, currentem ad partes corporis, vbi vita ſe recipit, diuertere facit ad membra, in quibus materia nequit fore ſuſpecta, quæ ad proximum fuerat interitum præparata. Sic loquitur ſancte pater, ſic loquitur propter vehementiam, qui in ſuis inſidiis nos inuenire quærebat incautos & penitus imparatos: ſed proculdubio cautius fuit nobis iuxta militarem theoricam edocentẽ, quod more talis guerræ periculum plus euitat, qui eam à terræ ſuæ limite proſequeſtrat, contra notorium hoſtem noſtrum pro iure noſtro nos congredi, & terris potentum potentib. ſociatos, quam in propria perſona noſtra ſolos. Non igitur apud veſtræ viſcera miſericordiæ & ſanctitatis locum inueniat detrahentium informatio æmula, vel ſiniſtra facta de filio, qui ſuo tum hereditario iure maiorum, in veſtra & Apoſtolicæ ſedis gratia & obedientia ſemper inconcuſſe perſiſtet. Immo ſi quæuis de filio taliter facta ſuggeſtio pulſauerit beatitudinis forſitan aures, non prius à veſtra dignatione ſancta credulitas illi detur, quam auditus ſit filius qui tangitur, qui confidit, & indeſinenter intendit, ante ſanctitatis veſtræ iudicium omni præſidens creaturæ (quod negare hæreſim eſt probare) iuſtam dicere, vel iuſtam facere quamlibet cauſam ſuam. Illud demum dicimus ad veſtræ intentionis maioriſque deuotionis euidentiam ſubiungentes, quod ſi ſit aliquis de nobis fœdere naturæ conuinctus, nobiſque ad noſtram defenſionem adiunctus, qui per viam obedientiæ Apoſtolicæ ſedis veſtræ non ambulet ſicut debet, dare intendimus, quam non parum vtiliter dare poſſe fidimus operam indefeſſam, vt omnium dimiſſo deuio ad viam obedientiæ redeat, omnemque faciat ſemitam ſuam rectam. Vnum rurſus, quod à multis audiuimus, petita venia cum reuerentia, non tacemus, quod alias inauditum fuit. Quanto conſideretur attentius pungit atrocius mentem noſtram, videlicet quod aduerſarii noſtri manus notorie nunc (vt prius) ad noſtri tantum laborantis exitium, cum guerram faceret, nemo ſibi nec ipſe alii niſi nobis de Chriſti patrimonio ſit armatus, quod certe Reges Anglię noſtras prædeceſſores illuſtres Chriſti pugiles, fidei athletas, ſanctę Romanę iuris Eccleſiæ amantiſſimos zelatores, eiuſque mandatorum deuotiſſimos ſeruatores, vt nos etiam nec ſcimus, nec credimus meruiſſe. Et licet propter hoc dicatur à pluribus, non à nobis, quod contra nos ſacta ſubuentio, quod ad nos actus patris vel matris non extiterit, ſed nouercæ: nihilominus tamen conſtanter aſſerimus, quod ſumus, & perſeueranter erimus veſtræ ſanctitatis, veſtræque ſedis deuotus & humilis filius, non priuignus. Ex quo non ſine ratione ſpera-

mus, quod noſtra humilitas facta maior & firmior per illud, quod non meruit nocumentum veſtræ paternæ charitatis, & gratiæ inuenire debeat exuberantius incrementum, vt quod nobis inſontibus intulit, quæ non præceſſit aſperitas punctionis ſequens debeat, & compenſet veſtræ bonitas vnctionis. Hunc autem noſtræ iuſtitiæ, & contra nos iniuriæ ſic multiplicatæ proceſſum præeminentiam veſtri ſancti culminis intimamus, vt veſtra ſumma ſanctaque menſura boni & æqui cuius adeo ſibi comperit, dare claues, aperire & claudere in terra poſitas portas cœli, prout exigit plenitudo ſuæ poteſtatis, & præcellentia ſui fori, quantum fuerit rationis, fauere debeat noſtro iuri, parati ſemper nedum à veſtro ſancto cunctis præſidente iudicio, immo à quolibet alio de veritate contrarii, ſi quis eam nouerit humiliter informari. Et qui ſponte rationi ſubiicimur, aliam datam nobis intelligi veritatem cum plena & humili gratitudine complectemur. Quia vero nobis patres circumſcripti eſtis in partem ſollicitudinis & conſilii dicti domini ſummi Pontificis condignis meritis euocati, ſibique lateraliter ad dandam plebi Chriſti ſalutis ſcientiam aſſidetis, iſta veſtræ patere cupimus notitiæ, vt cognita cauſæ noſtræ iuſtitia, veritati poſſitis impendere quod debetis, ad quod circumſpectionem veſtram prouidam, quæ ſolet ſine perſonarum acceptione iura ſingulorum æquo libramine ponderare, votiuis precib. excitamus. Et ſi forſan in facto noſtro quicquam appareat cautelæ, expoſcentes conſilii ſanioris à vobis, ſuper hoc cupimus ſalubriter informari, parati in agendis noſtris ſingulis cedere rationi. Datæ apud Andwerp. 16. die Iulii, anno domini 1339.

Reſcripſit ei ſummus Pontifex in hunc modum.

BENEDICTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Edwardo Regi Angliæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudum te fili chariſſime clara imitari veſtigia progenitorum tuorum Regum Angliȩ, qui erga Deum & ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, velut peculiares eius alumni & deuoti filii plenitudine deuotionis & fidei claruerunt, ſuæque ſplendorem proſapiæ à quauis obfuſcatione nubili contagii prȩſentarunt, eaque in te prȩlucere clarius cupientes, ob paternȩ charitatis & dilectionis affectum, quo te ſtatumque tuum proſequimur, noſtras tuȩ celſitudini literas direxiſſe meminimus, inter cetera recenſentes, qualiter exceſſus per nobilem virum Ludouicum de Bauaria olim vt aſſerebatur, diſcorditer in regem Romanorum electum aduerſus Deum, & eandem Romanam eccleſiam ac felicis recordationis Ioannem Papam 22. prȩdeceſſorem noſtrum per coaceruationem multiplicium & atrocium offenſarum nequiter perpetrati tuum prȩterire nequibant auditum, quos velut toti mundo notorios, non omnes (cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitiſſet.) Sed ex eis aliquos in eiſdem literis prouidimus vt ſequitur recitandos. Idem namq; Ludouicus contra proceſſus prædeceſſoris eiuſdem & inhibitiones ipſius de conſilio fratrum ſuorum eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalium factos & habitos, diuerſas ſpirituales & temporales pœnas & ſententias continentes: intrauit Italiam, & nonnullos hæreticos de hæreſi publice & notorie condemnatos in conſortium publicæ participationis admiſit, & aſſerens hæreſes manifeſtas, ac fouendo ſecumq; tenendo hæreticos publice dogmatizantes prædictarum hæreſium deteſtabiles & horrendos horrores, hæretica quoque dogmata ſcienter, imo potius dementer approbans, & euidentiam approbationis huius, per diuerſas literas ſigillo ſuo noto munitas, deduxit, in aliarum diſcrimen nationum, ſibi etiam nomen imperiale poſtmodum vſurpare, & adminiſtrare iura imperii in eadem Italia & Alemannia, contra proceſſus & prohibitiones prædictas deteſtabili temeritate præſumpſit. Ex his præter pœnas alias, excommunicationis & anathematis ſententias incurrendo, & tandem auſus auſibus, & exceſſus accumulando exceſſibus ſe conferre non expauit ad vrbem, vbi in illam nequitiȩ prorupit inſaniam, vt meditatus vrbi & orbi vniuerſalis ſchiſmatis ſuſcitare diſpendium, quendam hypocritam diabolicæ præſumptionis virum, nomine Petrum de Corbaria velut abhominationis horrendæ ſimulacrum in apoſtolica ſede pro Romano Pontifice ſtatuere moliretur. Idque quantum in eo fuit pro vi actum, fuit veneratus vt Papa, conſecrationumque immo potius exeerationū diadema imperiale de facto recepit ibidem, vt de multis inſanis & aliis proceſſibus quinimo deteſtandis exceſſibus per eoſdem Ludouicum & Petrum præſumptione perpetratis hæretica taceretur. Propter quæ dictus prædeceſſor præfatum Ludouicum fore à dominio denuntiauit omni honore & dignitate priuatum, & in eum tantarum hæreſium & ſchiſmatum maculis irretitum, exercens gladium Apoſtolicæ poteſta-

Digitized by Google

poteſtatis cum omnibus qui adhærerent eidem, vel præſtarent auxilium, conſilium, vel fauorem, ſeu pro Romano Rege aut Imperatore ſcienter haberent, tenerent, vel nominarent eundem, non ſolũ excommunicationis & anathematis, ſed etiã alias pœnas & ſentẽtias tanquã in fautores hæreticorũ & ſchiſmatis promulgauit, & à iure declarauit prolatas, ſicut in diuerſis proceſſib. per præfatũ prædeceſſorẽ habitis ſeriosius continetur, ſuper quibus quidẽ pœnis quantumcunq; per ipſum Ludouicũ promeritis, & in eum iuſto Eccleſiæ iudicio promulgatis, ſi vere pœnitens ſe humiliaſſet ad gratiam, benignam reperiſſet eandem Eccleſiam, quæ ipſum tanquam filium prodigum de longinquo redeuntem, ad ſuum gremium apertis brachiis recepiſſet, immolatura pro eo (in vbertate diuinæ laudis) vitulum ſaginatũ. Rurſus adiecimus in literis ſupradictis, quod quanquã tam prædictorum exceſſuum contra eorũdem proceſſum (per dictum prædeceſſorem cõtra dictum Ludouicum exigente iuſtitia) poſtmodum habitorum notitiam habuiſſemus & etiã habemus, vt tamen ipſum à peccatorũ nexibus liberatum de faucibus ſempiternæ mortis poſſemus eripere, poſtquam fuimus ad apoſtolatus ſummi apicem aſſumpti, diuerſos nuntios eius (diuerſis vicibus & temporibus ad nos miſſos) receperamus benigne, ac pro reconciliatione ipſius ꝑ fructũ veræ pœnitentiæ promerenda, prolocutiones varias habueramus cũ eis, & tunc pendebat etiam ad proloquendũ vlterius, terminis aſſignatis, in quo proculdubio per nos non ſtetit, quo minus vlterius fuerit (ſuper negotio reconciliationis eiuſdem) proceſſum. Quare (fili dilectiſsime) ſerenitatem tuam requirendam tunc duximus per eaſdem literas, & rogandam; vt prudenter aduertens, & in ſcrinium internæ conſiderationis adducẽs, grauitatẽ pœnarũ, in quas inciderent, & ſententiarũ quas incurrerẽt, quantiſq; periculis & diſcriminibus implicarent, qui præfato Ludouico ſic notorie & publice, ab omnibus hæreſis, & ſic odioſi toti Chriſtianitati ſchiſmatis condemnato, antequam reconciliationis gratiam eiuſdem Eccleſiæ meruiſſet præcipitare præſumerent, ſibique impenderent auxilium, conſilium & fauorem, vel ſibi tanquam imperatori vel Regi Romanorum reuerentiæ cultum ſeu titulum regalis vel imperialis nominis aſsignarent ſcienter, ac cuiuſlibet participationis fœdera contrahendo cum ipſo, & exhibitione reuerentiæ & honoris ſibi tanquam Regi vel Imperatori, quouſque dictus Ludouicus reconciliationis eiuſdem eccleſiæ meruiſſet gratiam obtinere, penitus te retrahere, & totaliter abſtinere curares, vt tibi famæ integritas, & illibata tui generis claritas ſeruarentur, cum autem rumor implacidus & admodum infeſtus ad nos perduxit hiis diebus, quod tu illi requiſitionibus & rogationibus noſtris vtique ſalutaribus, & de fonte prodeuntibus charitatis, non ſine detrimento tuæ ſalutis & famæ, quod dolentes referimus obauditis, non ſolum cum prædicto Ludouico, nondum eidem reconciliato Eccleſiæ, nec à pœnis & ſententiis, quibus (propter præmiſſa & alia multa grauia cõmiſſa) per ipſum prædeceſſorẽ noſtrũ implicatus eſſe noſcitur liberato, nec etiam proceſſus ſæpefati prædeceſſoris, per quos (vt præmittitur) aduerſus omnes & ſingulos cuiuſcunq; preeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel ſtatus, etiamſi pontificali, regali quacunq;, vel alia Eccleſiaſtica ſeu mundana dignitate fulgerent, præfato Ludouico adhærentes ſeu præſtantes, directe vel indirecte, publice vel occulte, conſilium, auxilium, vel fauorem, vel ſibi tanquam imperatori aut Regi Romanorum reuerentiam exhibentes, ſeu titulum regalis vel imperialis nominis aſſignantes ſeu aſcribentes graues, ſpirituales ac temporales pœnæ & ſententię infliguntur (nequaquã relaxatis, imo in ſui roboris efficacia perdurãtibus) participationes, confœderationes ſibiq; adhærere, ac præſtare fauorẽ, auxilium & conſilium præſumpſiſti: imo quod pernicioſius (proh dolor) & damnabilius noſcitur exiſtere (ſi veritas relationibus ſuffragetur) vicariatus officium per totam Alemanniam & Germaniam, ac vniuerſas & ſingulas earum prouincias, ſiue partes ab eodem Ludouico (ſub imperialis nominis titulo, vt aſſeritur) ſuſcepiſti de facto: cum ipſe Ludouicus, nec Rex nec Imperator (vt præfertur) ſit, cuius prætextu nonnullis prælatis Eccleſiarum, & perſonis Eccleſiaſticis in terris imperii deſtitutis, ac in noſtra & Eccleſiæ memoratæ deuotione ac fidelitate debitis perſiſtentibus, ſub pœnis grauibus, per tuas ei literas comminatas mandaſſe diceris, & diſtrictius iniunxiſſe, vt ad te tanquam eiuſdem Ludouici in Alemannia & Germania, & partibus ſupradictis vicarium, & audituri ſententiarum & iudiciorum ipſius Ludouici, tuorumq; mandatorum rectitudinem, ac præſtituri eidẽ Ludouico, vel tibi eius nomine, recognitiones, homagia de terris, bonis & iurib. quæ tenent ab imperio, conuenirent. De te igitur (fili) vt ſit tua tuorũq; conſiliariorum prudentia, ex ea præſertim non ſufficimus admirari. Quod cum tu

(ſicut

(ſicut audiuimus) pro illorum repetitione iurium (quæ ad te aſſeris pertinere) non ſine grandium perſonarum periculis, ac expenſarum & ſumptuum profluuiis peregrinatus ſis ad partes Alemanniæ, & multos ſuper hoc feceris apparatus, nunc ſpretis eiuſdem prędeceſſoris proceſſibus, & deductis damnabiliter in contemptum pœnis & ſententiis ſupradictis, quibus te manifeſte (ſi quæ nobis referuntur, vera ſint) non abſque horrenda nota, quæ non parum obfuſcat tui claritatem generis, quam proculdubio multiplicaſti. Et nihilominus quamuis nos te nunquam offenderimus, nec contra te aliquid fecerimus, quanquam & intelleximus falſo & fallaciter ſuggeſtum tibi per eos, qui te, ſalutem, & honorem tuum minime diligunt, fuerit: quod nos chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Regi Franciæ illuſtri, (in auxilium guerræ ſuæ) ingentem pecuniæ quantitatem, de noſtra camera dederamus, quodque inſtitutionem perſonarum eccleſiaſticarum eidem conceſſeramus in omnibus Eccleſiis regni ſui, quæ omnimoda carere veritate noſcuntur, talia namque nunquam fuerunt poſtulata à nobis, nec ea conceſſiſſemus quomodolibet, cum quantacunque inſtantia petita fuiſſent, nec decimas contra te Regi Francorum conceſſimus: ſed aduerſus Teutonicos Ludouico adhærentes, prædictæque ipſius eccleſiæ Romanæ inimicos, qui ad inuaſionem Regni Franciæ, ſe (vt habebat rumor publicus & notorius) diſponebant, ſicut in conceſſione decimarum ipſarum continetur expreſſe. Non fuit nempe noſtræ intentionis aduerſus te fomentum miniſtrare diſcordię, vel eos alicuius ſubſidii adminiſtratione fulcire. Quinimo ſtatum regni tui & etiam regni Franciæ, pacis & concordię proſperitate & vnanimitate potiri, ſummis deſideriis affectantes, ad hoc, ſerenitati tuæ, & dicto Regi Franciæ per nos ſæpe directis literis, & etiam nuntiis (videlicet ſanctę Romanę eccleſię Cardinalibus, ad partes illas de latere noſtro miſſis) votis ardentibus laborauimus, & laborare non ceſſamus, nec ceſſabimus, vt inter te & Regem eundem, & vtriuſque regna, pacis & vnitatis ſerenitas illuceſcat. Tu tamen fili chariſſime, fide (vt videtur) adhibita prędictis falſis ſuggeſtionibus & mendoſis, re noſtrum & eiuſdem Romanę eccleſię perſecutorem & hoſtem, inuadere ac occupare honores & iura noſtra, ac eiuſdem eccleſiæ (ad quos regimen & adminiſtratio imperii Romanorum eo vacante, (ſicut nunc vacare noſcitur) pertinent pleno iure) moliri, moleſtando prælatos & perſonas eccleſiaſticas in noſtra & ipſius Eccleſię deuotione ac fidelitate debitis, vt pręmittitur perſiſtentes, ipſoſque ad obedientiam dicti Ludouici de diuerſis (vt pręmittitur) hęreſibus & ſchiſmatibus, aliiſq; criminibus ſententialiter condemnati, ac iure regio & imperii (ſi quod ad eum forſan competierat vel competebat) iuſto Dei & Eccleſię iudicio priuati, ac pręſtationem huius recognitionis & homagii ſibi vel tibi eius nomine faciendam attrahere, & inducere coactiuis impulſionibus, & commonitionibus ſatagendo, vtinam fili (antequam de his tam periculoſis & deteſtandis inuoluas amplius) attente conſideres, & matura deliberatione pręuia conſtituas ante oculos mentis tuę, circuitus periculoſos & nodoſos laqueos, quibus te (ſubtilibus ingeniis & fraudibus exquiſitis) aliqui de ſuis potius quam de tuis ſolliciti negotiis & commodis præmiſſis inuoluere, tibique onus (quod a ſe quodammodo reiicere cupiunt) non minus leue, ſi diligenter circumſtantias attenderis, imponere moliti ſunt, & non ſine periculo tui præcipitii moliuntur. Nec te latere volumus, quod præfatus prædeceſſor olim per quandam conſtitutionem ab ipſo deditorum fratrum ſuorum editam conſilio, in omnes & ſingulos (cuiuſcunque ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſterent, etiam ſi patriarchali vel quauis alia ſuperiori, aut Pontificali, vel regali dignitate fulgerent) qui abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, vicarii ſeu cuiuſcunque alterius officii nomen in prædicti terris imperii (eo vacante, ſicut tunc vacabat, & nunc etiam vacat, vt præmiſſum eſt) aſſumere, vel aſſumptum vltra terminum duorum menſium præſumerent retinere, ſeu dimiſſum reaſſumere quoquomodo, inobedientes ac non parentes, & intendentes eiſdem, excommunicationes & alias graues ſententias promulgauit. Nos itaque (qui erga te fili claudere viſcera paternæ dilectionis nequiuimus, & cordis dolore tangimur intrinſecus) cum talia percipimus ad te, tuumque honoris ſtatum ſalutis & famę diſpendium machinari, tuam rogamus magnificentiam, requirimus, & in Domino attentius exhortamur, ſano paternoque tibi nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus ea, quæ præmiſimus, & alia, quæ circa illa tibi poſſunt occurrere, deducens in rectæ deliberationis & diſcuſſionis examē, ac inſuper tenens certius & attendens, quod dictus Ludouicus (vt præmiſimus) nec Rex, nec Imperator eſt, nec aliqua quæ ipſe fecerit, vel faciet, quamdiu fuit & erit, dictis proceſſibus ac pœnis & ſententiis irritatus quic-

quicquam valuerunt, vel valent, nec ſunt aut fuerunt alicuius auctoritatis, roboris, vel momenti: quodque tibi periculoſum eſt, aut multipliciter formidandum, te bellorum ſubiicere diſcriminibus, maxime ſi omnibus ſupradictis proceſſibus, pœnis & ſententiis (à quibus liberari non poſſes, niſi duntaxat per ſedem Apoſtolicam, quæ abſolutionem earum ſibi expreſſe retinuit) inuolutus, ac Dei & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ perſecutor & hoſtis effectus, à quibus te miſericordiarum dominus protegat & defendat. Conſideranſque præterea diligenter, quod licet humanum ſit peccare, in peccatis tamen perſeuerantia diabolica eſt cenſenda, quodque à præmiſſis ſingulis ſic horrendis deuiis ad illa forſan declinaueris ſerpentina deceptione ſeductus, antequam inualeſcant perniciosius, ſeu in conſpectu Dei & hominum fæteant deterius & putreſcant, cupimus te reſilire penitus, pedeſq; tuos ad viam rectam, Deo placitam, ac tuis ſtatui, ſaluti, honori congruam dirigere, quam vt decreta poſtponas eorundem Cardinalium, qui te ſtatumque tuum ſincere diligunt: ſuper reformatione pacis inter te dictumque Regem mutua, placabili Deo & hominibus amabili acquieſcens. Videtur equidẽ, quod etiamſi prædicti vicariatus valeret officium aſſignari, tamen tuum (qui tam magnus tantuſque Rex & Princeps exiſtis, tantoque nomine ac titulo regio exiſtere noſceris inſignitus in orbe) non deceret honorem, quod nominaretis vicarius alicuius domini temporalis, quanto minus igitur tuam decuit vel decet excellentiam illius vicarium appellari, qui auctoritate nulla (vt ſæpe dictum eſt ſuperius) præeminet. Sed (proh dolor) tantorum exiſtit reſperſus labe criminum, tantiſque grauibus pœnis & ſententiis, cum omnibus ſibi adhærentibus implicatus, ſciturus (fili amantiſſime) quod ſi his monitis noſtris ſalutaribus acquieueris, cum effectu (tibi ſic impulſo, vt caderes) manum benignam porrigemus (quantum cum Deo poterimus) ſubleuantem: alias autem non poterimus deſiſtere, cum id à nobis exigat officium Apoſtolicæ ſeruitutis (quo minus ſuper prædictis prouidere de optimis remediis) procedendo contra te (quod moleſtum & graue nobis erit admodum) ſi neceſſe (quod abſit) fuerit, prout exigente iuſtitia debebit & poterit fieri, procuremus. Dat. apud Auinionem, &c.

REx Angliæ Brabantiam (vt præmittitur) intrans, fidelitate ſibi iurata, relicto domino naturali, in amicitiam ſuam Flandrenſes attraxit, mutatoque ſigillo & armis propriis vtriuſque regni, Francorum ſcilicet & Anglorum, arma integra more tum quadripartito ſibi appropriauit, Regem Angliæ & Franciæ cum literis ſe vocauit: miſit quoque literas ſuas patentes ſigillo ſuo ſignatas locis Flandriæ conterminis, inter cetera continentes, quod Rege Francorum domino Carolo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, ipſi tanquam vero ac propinquiori heredi, germanæ ſororis dicti Caroli ſine liberis decedentis filio, regnum Franciæ hereditarie fuerat deuolutum. Inſuper quod dominus Philippus de Valeſio filius auunculi dicti Regis Caroli, in longinquiori gradu perſiſtens, dummodo minor ætas ipſum Edwardum fouebat, contra dominium & iuſtitiam regnum Franciæ memoratum per potentiam occupauit, & iniuſte detinere non deſiſtit. Ipſe quoque Edwardus (grandi mediante deliberatione) regni ſæpedicti regimen aſſumpſerat & nomen. Sed quia Rex Francorum ſuperiorem in temporibus non recognoſcit, nec etiam proceſſus, neque iudicium in præſentiarum iniuſte regnum occupantem amouere valerent: idcirco nulli mirandum foret, ſi in manu armatorum valida regnum intraret: ſed veraciter gentium mortalitatem neque depopulationem ſe quærere aſſerebat. Verumetiam de ſua ſpeciali conceſſit, quod omnes de dicto Francorum regno cuiuſcunque forent ſtatus aut conditionis, qui ipſum verum dominum recognoſcerent, bona ſua omnia in pace poſſiderent. Literas quoq; talia continentes, in portis Eccleſiarum Rex affigi fecit. Rex Angliæ cum militia ſua vna cum duce Brabantiæ, comite Gerlenſi, Gillers, ac multis nobilibus, in menſe Octobris cum exercitu maximo Franciam intrauit, & ferme (vt dicebatur) mille villas combuſſit igni, & damna non modica in bladis, beſtiis, & aliis, in pagis Cameracenſi & Vermundinẽſi intulit. Quibus auditis, rex Franciæ innumerabili quaſi exercitu congregato, vſque ſanctum Quintinum peruenit. Miſit quoque Conſtabularius exercitus Francorum (iuſſu Regis) literas Anglorum Regi, inter cetera continentes, quod ſi Rex Angliæ locum arboribus, foſſatis, & aquis, nequaquã munitum præligeret certo die, Rex Franciæ cum illo bellum committeret. Illud idem Rex Bohemiæ, & dux Lotharingiæ literis ſigillis ſuis roboratis affirmarunt. Adueniente autem certaminis die, Regeq; Angliæ ad bellum in campo

Rex Angliæ inſignia mutat.

Rex miſſis literis per Flandriam ius ſuũ in Francia denunciat.

Rex Angliæ Franciam populatur.

Francus Angliã ad prælium laceſſit.

Francus territus recedit.

cum

cum ſuis parato, Rex Franciæ ad vnum milliare & amplius (vt dicebatur) cum exercitu perſiſtens, neſcio quo infortunio, metu, ſiue terrore ductus (mille equis ſubito & repentino regreſſu in palude quadam, & eo amplius collapſis) in Franciam remeauit, quo comperto, Rex Angliæ in Brabantiam regreſſus eſt. Cito poſt hæc Papa Regi Angliæ ſcripſit in hunc modum:

BENEDICTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, Edwardo Regi Angliç illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dum diligenter attendimus, & profundis cogitationibus meditamur, quanta ſummi & æterni Regis fuerit benignitas, & miſericordiſſimę affluentia pietatis, quod pridem tuis (chariſſime fili) & chariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris Francię Regis, eiuſque collegiatorum ordinatis aciebus, & multũ ex propinquo ad confligendum terribiliter, & animoſe diſpoſitis hinc & inde ſecuta non extiterunt pericula, quæ tantus fragor armorum & armatorum impetus minabatur, eidem laudum exoluimus pręconia, cum & hoc ad donum Dei maximum & grande operatum miſericorditer à clementia diuinę prudentię, qui in ſui diſpoſitione non fallitur miraculum reputetur. Et quidem colligi poteſt etiam apertius, quod, altiſſimo qui bella conterit, & gentibus ea volentibus per prophetam, diſſipationis exterminium comminatur, tantum ſanguinis redemptorum pretioſo cruore dominico fuſum, quantum ſi conflictum ſibi dediſſent acies prędictę tunc temporis in totius Chriſtianitatis damnum & opprobrium, ac animarum multarum periculum, non placebat. Regalis quoque circumſpectio poteſt etiam aduertere quantum & cum Rex prędictus indignationum haberetis formam diuinam, ſi plures de eis, quos ipſe à periculis animarum & corporum eripuit, ſic benigne iterum ſimili ſubiicere diſcrimini curaretis, timendum eſſet, proculdubio vt à Deo attenderetur, & pręſertim vehementius contra illum, qui huius diſcrimini daret ampliorem operam, & ira Dei, vt tanta ſtrages tantaq; confuſio ſequeretur, quod tota concuteretur Chriſtianitas, & reformatio pacis & concordiæ, non ſolum difficile, ſed impoſſibile, quod non ſinat miſerator & miſericors dominus contingere, redderetur. Et inſuper nec minus conſiderandum videtur, quantum occaſione guerrarum pręſentium, multis & variis modis, vt fertur, regii ſubditi non modicum ſunt exhauſti pecuniis & aliis bonis ſuis, & etiam ſi continuatione talium onerum, quod abſit, amplius grauarentur. Quodque bellorum euentus eſt dubius, & multum, vbi Dei timetur indignatio, formidandus. Ideoque regiam magnificentiam rogamus in domino attentius, & hortamur, nihilominus per Dei miſericordiam obſecrantes, quatenus præmiſſa, & alia, quæ poſſunt occurrere circumſpectioni Regis in hac parte reuoluens infra clauſtrum regii pectoris, & deducens in exactę deliberationis examen, ad reformandam pacem cum Rege præfato, & treugas ineundas, vt tuis dilectiſſime fili, tuorumque obuiaretur periculis: & Deo, qui pacem dirigit, & in viris pacificis delectatur, magis placeas, teque acceptiorem eidem efficias, totum corrobores regnum, & inclines dilectorum filiorum noſtrorum Petri tituli, ſanctę Praxedis preſbyteri, & Bertrandi, ſanctæ Mariæ in Aquiro diaconi Cardinalium Apoſtolicæ ſedis, nuntiorum zelatorum vtique regii honoris & commodi, quos dudum ad partes illas propterea de conſilio fratrum noſtrorum deſtinauimus, monitis & ſalutaribus circa hoc perſuaſionibus effectualiter nihilominus acquieſcens. Sane cum prætereaquæ præmiſſa ſunt, & quia huiuſmodi & aliis innumeris periculis ex guerris prædictis imminentib. obuiari ſalubriter poſſimus, & vt inter te fili amantiſſime, dictumq; regem, nexu propinquo ſanguinis & affinitatis coniunctum pacis plenitudo, & mutuæ charitatis dilectio vigeant, pacis reformationem huius feruentibus deſideriis peroptamus, ſi forſan per eoſdem Cardinales ad pacem illam attingi non poſſit in illis partibus, tuque per chariſſime fili, Rex prædictus vos ad mutuã habilitantes concordiam, Deo placabilem, hominibus amabilem, Chriſtianitati vtilem, ac vtriq; veſtrum multipliciter optimam, conſentire voluetatis, vt & nos ad pacem ipſam reformandam, tanquam tractatores amicabiles propria perſona intendamus, & initis aliquibus inuicem treugis vel conceſſis ſufferentiis ab inuaſionibus & commotionibus bellicis vſque ad tempus optimum, infra quod tractatus pacis inchoari, continuari, & ſi miſericordiarum dominus dederit, ad finem poſſit deduci feliceẽ, & votiuos nuntios mandatis ſuffultos idoneis ad vos propterea deſtinando. Nos licet arduis & importabilibus agitemur continue ſupra vires, paratos ob deſiderium pacis prædictæ, nos offerimus, quantum commode cum honeſtate fieri poterit, prætermiſſis efficaciter ſuper

refor-

teformatione huius pro quiete, vtilitate, ac honore vtriuſque partis interponere, ſicut ptæmiſimus, prout ex alto nobis miniſtrabitur ſollicitudinis noſtræ partes, ſuper quibus matura deliberatione præuia reſcribat nobis, quæſumus regalis magnificentiæ ſuæ beneplacitum voluntatis. Reſcripſit autem ſummo Pontifici Rex Angliæ in hæc verba:

REVERENTER & deuote recepimus ſanctitatis veſtrę literas ab vltimo nobis miſſas, per quas pacem reformandam, vel treugas ineundas, cum domino Philippo de Valeſio nobis veſtra benigniras perſuaſit, clementer adiiciens vos velle ad ipſam teformandam in perſona propria, tanquam tractator amicabilis intendere, ſi nos & ptædictus Philippus ad hoc voluerimus conſentire. Nos quidem ſanctam affectionem veſtram, de filiorum quiete ſollicitam in domino contemplantes, de ſalubri petſuaſione veſtra oblatione tanta tamque pia grates & gratias vobis humiliter exſoluimus quas valemus, & ſub firma dilectione rectitudiniſq; veſtræ fiducia ſanis veſtris cupimus inhærere conſiliis, noſque ſanctis veſtris beneplacitis ſpecialiter conformare, ſed in publicam notitiam iam deuenit, qualiter idem Philippus regnum noſtrum Franciæ, ad nos pet mortem eelebris memoriæ domini Caroli, vltimi Regis Francię, auunculi noſtri legitime deuolutum, ſibi contra iuſtitiã vſurpauit. Et eo non contentus, terras noſtras in ducatu Aquitaniæ ſibi attraxit iuxta vires: Inſulas noſtras in mari, & etiam regnum Angliæ noſtrum inuadens hoſtiliter cum nauigio, quod ſub colore ſancti paſſagii tranſmarini parare ſe finxerat, deformat, eum iurauerat in cauſam Chriſti. Scotos etiam in noſtri rebellionem concitauit machinans omnino nos deprimere, vt ſic dictum regnum noſtrum Franciæ, & alias terras noſtras hereditarias iuxta inſatiabile ſuum dominandi deſiderium liberius poſſit retinere. Cui ſicut alias ſanctitati veſtræ ſcripſiſſe nos meminimus, plures obtulimus amabiles vias pacis, volentes ab eo pacem redimere, cum nõ modico noſtrorũ iurium detrimento, ſed ipſe per tractatus varios diu protrahens ſub incerto, & magnis ſumptibus nos exponens, vt noſtrum exhauriret ærarium, & ſic nos ad noſtrorum recuperationem iurium efficeret impotentes, finaliter aliquid nobis facere non curauit, ſed ſemper in nos graſſando perſecutio ſua creuit, propter quod impellente neceſſitate, ad partes venimus tranſmarinas, ad induendum noſtrorum amicorum potentiam, pro reformandis illatis & propulſandis inferendis per eum nobis iniuriis, & iuribus noſtris hereditariis obtinendis, pro certo negligere non intendimus, ſed ea vbi aliam viam congtuam poterimus, proſequemur pro iuribus Deo duce. Et licet coram reuerendis patribus Petro tituli Sanctæ Praxedis preſbytero, & Bertrando, ſanctæ Mariæ in Aquiro diacono Cardinalibus, & ſanctitatis veſtræ nuntiis, qui circa pacis negotium laudabiliter & ſollicite laborarunt, petitum ſit nomine noſtro dictũ regnum Franciæ, quod ad nos pertinere noſcitur omnium iure: noſque præfatis Cardinalibus ſub certis viis pacis, velle noſtrum bona fide fecerimus aperire, offerentes ſemper ad omnem viam pacis rationabilem, nos paratos pro certo tum de voluntate partis aduerſæ, nec per dictos Cardinales, nec per alios huc vſque ſcire quiuimus, quod idem dictus Philippus, quicquam nobis facere voluerit, vel offerre. Et reuera ſi nobis oblationem etiam mediocrem tunc feciſſet, ad vitanda guerrarum diſcrimina & expenſarum profluuia, ſuper ea reſponſionem rationabilem feciſſemus, ſed iam non videmus, quid per viam paeis vlterius eum honore noſtro facere valeamus, ſi tamen adhuc placet præfato domino Philippo nobis offerre rationabilem viam aliquam, vel etiam veſtra conſideratio prouida, ſeu dicti domini Cardinales huius viam congruam (cui prædictus Philippus conſentire voluerit) nobis fecerint aperiri, ſtatim (cum de illa conſtiterit) deliberationem habere volumus ſuper ea, ac talem in omni celeritate facere reſponſionem, quæ ſanctitati veſtræ (& eunctis conſideratam) rectam, & ordinatam habentibus rationem videri debeat rationabilis & accepta. Et ſi forſitan in ſupradicta via noſtrorum amieorum & fidelium, foret requitendus & obtinendus aſſenſus circa illum obtinendum, poneremus omnem diligentiam, quam poſſemus, ita quod per nos non ſtabit, quin eoncordia bona fiat, ſi pars altera velit condeſcendere rationi. Supplicamus igitur veſtræ clementiæ toto corde, quatenus veſtras iuſtitiam & intentionem in veritate fundatas, velitis, ſi placet, debite ponderare, noſque, vos & ſancta Romana Eccleſia in omnium deuotionis plenitudine & ſolidæ dilectionis & fauoris gratia incidenter confouere, de nobis vt de filio deuotiſſimo ſentienres. Nam teſtis eſt nobis conſcientiarum dominus Deus, quod honotes & libertates Eccleſiaſticas extollere eupimus & tueri. Et ſi Deus nobis

proſperari conceſſerit, ad ipſius bella inimicos fieri peragenda deuotis & humilibus affectibus aſpiramus. Conſeruet, &c.

Natale celebrat apud Rokesburg. Southamptō per Francos incenſa.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo triceſimo ſeptimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii vndecimus, tenuit rex natale apud Rokeſburgh. Hoc anno villa de Southampton per galeas Regis Francię, fere totaliter eſt combuſta, quo anno orta eſt grandis diſcordia inter Reges Angliç & Francię, eo quod Rex Franciæ multas terras & oppida in Waſconia improbe vſurpauerat. Qua de cauſa Rex Anglię plures oblationes humiles Regi Francię fecerat, ſi ſaltem ſic poſſit recuperare terras ſuas, ſed cum nihil proficeret, collectis vndecunque pecuniis marc tranſire diſpoſuit. *Parliamentum.* Nempe in parliamento apud Notingham exegit quintumdecimum denarium de communi plebe, decimumque de burgis. In hoc parliamento ordinatum eſt, vt omnes lanifici Flandriæ aliarumque terrarum (volentes inhabitare Angliam) pacifice aduenirent. Reuera per tres annos elapſos, vt dictum fuerat, paſſagium de lanis ceſſabat, vt citius Flandrenſium ſuperbiā Rex deuinceret, qui plus ſaccos quam Anglicos venerabantur. Eodem anno propter inſtantem guerram inter regna, Rex Anglię confiſcari fecit bona Longobardorum & Cluniacenſium monachorum, & Ciſtercenſium, per totum regnum. Circa Calendas Auguſti, id eſt, per quindenam pręcedentem, & quindenam ſequentem, cometa apparuit, pręſignans fortaſſis durum bellum futurum inter regna, quę partim radios emittebat circa orientem, & partim verſus Auſtrum. Hoc anno conceſſa fuit Regi decima Eccleſię Anglicanę per tres annos ſequentes. Tranſit annus iſte fruges & fructus faciens copioſe: Anglis, Francis & Scotis ſumptuoſus, diſpendioſus & odibilis propter guerras motas.

Monachorū bona confiſcata.
Cometa.
Decima conceſſa Regi à clero.
Annalis cōcluſio.

Natale apud Rokesburgh.
Cardinales de pace in Angliam miſſi, in Francia partes inclinant.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo triceſimo octauo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii duodecimus, tenuit idem Rex natale apud Rokeſburgh. Hoc anno cum compertum fuiſſet, Cardinales (qui pro pace venerant reformanda inter Reges Anglię & Francię) plus fauere Regi Francię quam Regi Angliæ, vt patebat in ſermone vnius Cardinalis ad clerum habito, ſurrexit Archiepiſcopus Cantuarienſis, & prędicauit publice aſſertiones Cardinalis fore vanas. Et poſt modicum temporis manifeſte dicebatur per totam Angliam, quod rex Anglię habuit ius in regnum Franciæ, quod proſequi intendebat.

Walterus Many Flandros fortiter deuicit.

Eodem anno Dominus Walterus Many ductor nauigii Regis Anglię verſus terram Hannonię, cum applicuiſſet ad quandam Inſulam, vocatam Ageneys, pro aqua recenti haurienda, & ſui fuiſſent diſperſi per Inſulam, mox inſulani dederunt inſultum ſuper eos, cum fratre Comitis Flandrię, qui fuit dux eorum, vbi poſt multa diſcrimina hoſtium, virtute ſagittariorum ſuperati ſunt, ita quod dictus frater Comitis Flandriæ reddidit ſe Waltero, & populus vniuerſus. Qui quidem frater Comitis ductus eſt in Angliam, & regiæ traditus voluntati. Quidam vero de Inſulanis, cum ad quandam Eccleſiam confugiſſent, à Wallicis, qui cum noſtris profecti fuerant, circa tria millia cum Eccleſia conflagrati ſunt. *Parliamentum apud Bury.* Poſt feſtum Pentecoſtes habuit Rex conſilium apud Bury de transfretando vltra mare, & ſubſidio ſibi conferendo: & in illis partibus vſque ad ſuum tranſitum morabatur, vbi Wallici multa damna fecerunt per illam moram, qui noxii ſunt vbique. Interea cum nuntiatum fuiſſet Duci Bauariæ, qui ſe appellauit Imperatorem, quod Rex Angliæ adueniſſet, acceſſiri eum iuſſit, & circa Calendas Auguſti occurrit ſibi iuxta Coloniam, vbi cum maximo apparatu & gloria ſe inuicem ſalutarunt. Quidam autem ferebant, quod Bauarus indigne ferebat, quod rex Angliæ non ſe ſubmiſit ad oſcula pedum ſuorum. Cui reſponſum fuit, quod Rex Angliæ Rex erat inunctus, & habet vitam & membrum in poteſtate ſua, & idcirco non debet ſe ſubmittere tantum, ſicut Rex alius non inunctus.

Dux Bauariæ regem Angliæ humaniter ſuſcepit.
Rex Angliæ non ſe ſubdit.

Poſt mutuam collocutionem & priſtinæ cōfœderationis renouationem, dictus Bauarus, qui ſe dicit Imperatorem, conſtituit Regem Angliæ vicarium ſuū, & redit ad loca ſua. Rex vero Brabantiam eſt regreſſus, vbi per annum iugiter moram traxit, maximam partem exercitus & familiæ ſuæ propriæ remiſit in Angliam vna cum Wallenſibus, qui in omni loco erant importabiles & nociui. Rex autem Angliæ per hanc moram in Brabantia, conſilio Brabantinorum & Flandrenſium arma Franciæ ſuis armis immiſcuit, & boreales partes Franciæ vſque ad Tornatum incendit & vaſtauit. Eo tempore natus eſt regi filius tertius apud Andwerp, & vocatus eſt Lionellus, in vigilia ſancti Andreæ. Hic poſtea comes fuit Vltoniæ, & tandem Dux Clarentiæ

Rex Angliæ & Franciæ inſignia cum ſuis commiſcet.
Regi naſcitur filius Leonellus.

Digitized by Google

reutiæ eſt creatus. Hoc anno Cardinales prædicti de Anglia ſunt egreſſi. Eodem anno à quinto Calendarum Decembris vſque quartum idus Februarii gelu maximum durauit in Anglia, & niues nullæ: quo anno prodigium apparuit in hac terra, ſalices nempe in menſe Ianuario flores protulerunt roſis in quantitate & colore perſimiles, quanquam eo anno fuiſſet hyems tanta, quanta non fuerat per tranſactos retro viginti annos. Interpretetur qui poterit ſigni prodigium, cuius relator eſſe delegi potius quam expoſitor. Hoc anno Rex Edwardus ſe Regem Franciæ & Angliæ conſtituit appellari. Tranſit annus iſte frugifer ſatis & fructifer, temperatus æſtate, hyeme vero gelidus ſupra modum: Francis inuiſus, diſpendioſus, ſollicitus: Anglis honorificus: Scotis in vtrunque.

Prodigium. *Rex Angliæ primum Angliæ & Franciæ Rex appellatus.* *Annalis obclusio.*

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo triceſimo nono, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii tertius decimus, tenuit idem Rex natale in Brabantia apud Andwerp, cum Regina Philippa & multis proceribus illarum partium & exercitu Anglicano. Circa feſtū Purificationis Rex Edwardus rediuit in Angliam, vxorem tamen ſuam apud Andwerp in Brabantia dimiſit cum liberis, quaſi in ſui redditus aſſecurationem, peruenitque ad turrim Londinarum ſubito nocte media, & non inuenit in eodem niſi pueros ſuos, & tres ſeruientes. Cuius conſtabularius erat tunc Matthæus de la Beche. Rex igitur offenſus, accerſiri fecit Maiorem Londinarum, quem mox dixit pro Cancellario, & theſaurario domino de la Wake, Iohanne de S. Paulo, Michaele Wath, Philippo Thorp, Henrico de Stratford, Iohanne de Sconore Iuſtitiario de banco, & hos omnes p̄ter Cancellariū & theſaurariū, areſtauit, & impriſonauit. Et ex poſt in diuerſis regni partibus fecit areſtari Iohannem de Pulreney, *Wilhelmum* de la Pool, Wilhelmum Schishull, Richardum Willoughby, Iohannem de Schardelow, & Thomam de Ferrariis, qui omnes diuerſis cuſtodiis miſſi ſunt, ſed citò poſt dominus de la Wake honorifice deliberatus eſt. Eodem anno factum eſt parliamentum apud Weſtmonaſt. in quo conceſſa ſunt Regi, nonū vellus, nonus agnus, noua garba, per biennium, ab omnibus, qui per baroniam tenetent, & ad parliamentum venire tenerentur, & prælati religioſi, ac ceteri de clero (vt præmittitur) ſoluentes decimam Regi antea conceſſam, ſoluere minime arctarentur illa vice. Inſuper illi qui ad parliamentum venire non conſueuerunt prælati, ſcilicet religioſi, & ceteri de clero ſolum decimas antea Regi conceſſas ſoluere tenerentur. Pro hac autem conceſſione remiſit dominus Rex, & condonauit omnia catalla, felonum & fugitiuorum euaſiones incarceratorum, fines, exitus, & forisfactiones & amerciamenta murdrorum, & omnia alia delicta infra foreſtas facta, adiudicata vel adiudicanda, teleuia, ſcutagia vſq; ad paſſagium ſuum verſus Brabantiam, videlicet 16. diem Iulii, anno regni ſui duodecimo. Et inſuper auxilia faciendi filium ſuum militem, & filiam ſuam maritandi pro toto tempore ſuo. Inſuper cōdonauit & remiſit omnimoda debita computata, id eſt, arreragia firmariorum, & compotum quocunq; modo ſibi debitū de tempore progenitorum ſuorum, quam tempore ſuo vſq; ad annum regni ſui decimum. Inſuper conceſſit, quod debita terminata in ſcaccario ante tempus ſuum, & in tempore ſuo de debitis antiquis ante tempus ſuum debitis eſſent cōdonata, remiſſa, & adnihilata in perpetuum. Ita tamen, quod terminamenta facta de debitis ſibi debitis & ſuo tempore ortis ſtarent in robore ſuo. Confirmauit etiam magnam chartam de foreſta, & aliqua alia. Eodem tempore Dux Auſtriæ requiſiuit à Rege Angliæ eius filiam ſuo filio deſponſandam, mittens ſibi litteram, cuius ſtili principium tale fuit. Excellenti & magnifico Principi domino Edwardo Regi Angliæ illuſtri, ſincero & amico ſuo chariſſimo: Otto Dei gratia Dux Auſtriæ, Stiriæ, & Carynthiæ, dominus Carniolæ, Marchiæ, ac Portuſaonis, Comes in Hapeburgh, & in Chibugh, necnon Landagrauius Abſaciæ, cum ſinceræ dilectionis affectu votiuorū ſucceſſum & continuum incrementum, &c. Per idem tempus ciuitas Burdegaliæ fuit obſeſſa per militiam Regis Franciæ. Ciues vero tanquam inualidi ad reſiſtendum, cauteloſe finxerunt ſe velle reddere dictis Francis, & apertis ianuis intromiſerunt multos de Gallicis, & arma Regis Franciæ in turribus erexerunt. Quod videntes tam qui intus erant, quam de foris, depoſuerunt arma ſua, ciuitatem captam & eis redditam æſtimantes. Dominus Oliuerus de Ingham, miles nobilis & cuſtos dictæ ciuitatis & terræ, ſubito cum magna manu irruit ſuper eos inermes, & cum ciuium adiutorio magnam eorum multitudinem interemit, vnde Rex Angliæ promiſit eis auxilium affuturum in proximo tam per terram quam per mare, ita ſcribens. Gaudere debetis, quia per magnanimitatem veſtram & conſtantiam, comparaſtis vobis nomē per ſæcula glorioſum, quod ſemper extol-

Natale apud Andvverp. *Rex in Angliam redut.* *Parliamentum.* *Subſidium.* *Decima.* *Relaxationes à rege conceſſa.* *Arreragia remiſſa.* *Dux Auſtriæ petit filiam regis Angliæ in vxorē filio ſuo.* *Stratagema.*

extollere laboretis, & ſic vos remunerare curabimus, quod exemplo retributionis veſtræ reddentur alii promptiores ad exponendum pro nobis ſe & ſua, &c. Sub eodem tempore Comes Sarum Wilhelmus de Monte acuto, & Comes Southfolchiæ, Rob. de Vfford, poſt Regis Angliæ receſſum in tranſmarinis moram continuantes, inconſulte conuolarunt ad arma, vt cum Flandrenſiũ adiutorio inimicos contererent regis ſui, & poſt multas peractas victorias nimis de ſemetipſis præſumentes, ad vrbem Liſſe vocatam acceſſerunt, vt eam ab oppreſſione Gallicorum liberarent, vbi Francorum nimia multitudine occurrente, dum neuter vellet cedere, captus eſt vterque, & ad Regem Franciæ in ramis palmarum Pariſius deſtinatus. Qui quamuis lætus effectus eſſet de ipſorum præſentia, eos tamen arcte carcerari cuſtodi commendauit.

Comites Sarum & Southfolchiæ capti.

Regi natus filius.

Hoc anno natus eſt domino Regi Angliæ quartus filius apud Caudanum, & vocatus eſt Iohannes, qui poſtea factus eſt Comes Richmundię, & tandem Dux Lancaſtriæ eſt effectus. Tranſit annus iſte opulentiſſime frugifer, & abundanter fructifer apud Anglos, nam tanta fuit rerum copia, & æris inopia, quod quarterium frumenti Londoniis duobus ſolidis vendebatur, & ad dimidiam marcam bos pinguis. Fuit autem annus iſte Anglis honorificus: Francis decoroſus: Scotis ſub quiete decurſus.

Annalis cõcluſio.

Rex tenet natale Londini.

Anno gratiæ milleſimo treceneteſimo quadrageſimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii, quartus decimus, tenuit idem Rex natale Londoniis cum familia multa nimis. Hoc anno cum Rex Edwardus firmiter propoſuiſſet in animo iterum transfretare, circa feſtum ſanctæ Trinitatis ſuſcepit noua à Comite de Gillers de conſpiratione Francorum & Normannorum contra eum, qui iam cum ducentis nauibus & multis galeis, necnon viginti quinque millibus electorum pugnatorum portum de Scluys occupauerant, parati ad eum capiendum, & Philippo Regi Franciæ, iuxta tenorem iuramenti, quod ſibi præſtiterant, viuum vel mortuum præſentandum. Rex vero ne ſuo propoſito fruſtraretur, licet ipſe iam ducentas naues adunaſſet, & multam valentem militiam, miſit tamen dominum Walterum de Burghwash, Epiſcopũ Lincolniẽſem ad auſtrales partes regni, & ipſemet Gernemutham acceſſit perſonaliter, pro maiori parte nauium, & militiæ numero congregando. Deinde in vigilia ſancti Iohannis Baptiſtæ ingreſſus eſt mare verſus Flandriam profecturus, & aura ſibi (Immo Deo) fauente cæpit proſpere nauigare. Et cum perueniſſet iuxta maritima Flandriæ, claſſem Francorum copioſe inſtructam obuiam mox habebat. Qua de cauſa per totum diem illum cum ſuis deliberans: in craſtino ſuperueniente in eius auxilium nobili milite Roberto de Morleya, cum boreali claſſe Angliæ, commiſſum eſt bellum nauale cruentiſſimum, quale circa oras Angliæ, Francię ſiue Flandrię nuſquam viſum fuit, vbi fauore diuino Franci & Normanni acriter ſagittati, per Anglos ſunt glorioſe deuicti. Qui partim cæſi, partim ſponte ſubmerſi, partim capti ſunt, nauibus eorum (exceptis paucis, quæ aufugerant) totaliter occupatis. Franci vtique & Normanni cum vidiſſent ſuos ita copioſę cadentes à ſagitta volante in die illo, & vbertim ſterni ab enſe, & ſecuri furente, elegerunt potius in mari ſemetipſos mergere, quam tam horribilibus ictibus ſubiacere. Ceciderunt igitur ibi in ore gladii, vel ſecuris, ſagittæ volantis & ſaltus præcipitis, triginta millia hominum armatorum, vnde expoſt cum nullus auderet referre belli pręſentis exitum Regi Franciæ, affamiliares quendam ſtultum eiuſdem Regis ſubornauerunt, vt per eius verba quodammodo Rex intelligeret quod factum fuit. Nempe dictus fatuus in Regis præſentia conſtitutus, cæpit vehementer vituperare vecordiam Anglicorum, & huiuſmodi materia multiplicitare verba. Rex autem ignorans, quid ſibi vellent verba morionis, interrogat, quare dicit Anglicos tam vecordes. Cui ille: Quia (inquit) timidi ſunt, & in mare ſaltare non ſunt auſi, vt fecerunt noſtri Normanni & Gallici generoſi, per quod verbum illico Rex ſuos intellexit fore deuictos, & Anglicos fore victores. Ceperunt autem Anglici in dicto conflictu ducentas naues, in quarum vna quadraginta corpora Normannorum repererunt, ceteris eorum nauibus in fugam conuerſis. Eodem anno cum Papa vidiſſet Regem Angliæ in ſuis actibus proſperari, Flandriam ſuppoſuit interdicto, quia domino capitali relicto auxilium præſtiterant Regi noſtro. Quam ſententiam parui pendentes Flandrenſes, reſponderunt, quod quamuis Philippo de Valeys (eo quod ſe Regẽ eſſe prætendebat) homagiũ fecerant, tamẽ non Regi, cum ipſe coronã iniuſte detineret, & regni dominationẽ indebite vendicaret. Hoc anno peperit regina Philippa (poſtquam in An-

Victoria de Francis inſignis.

in Angliam eſt reuerſa) filiam in turri Londoniarum (vocatam Blanchiam) quæ inter lactandum defuncta apud Weſtmonaſter. eſt ſepulta. Eodem anno menſibus Iulii, Auguſti, & Septembris, Rex Angliæ Edwardus, cum ſua militia Franciam intrauit, villas non paucas incendio defomauit, blada vaſtauit, prædas egit, ciuitatem Tornacenſem victualibus & armatis optime munitam obſedit. Rex autem Franciæ collecto exercitu quaſi innumerabili, & noſtris temporibus inaudito, iuxta Tornacum ad tria milliaria aqua profunda vtrumque exercitum ſecernente, loco (vt ferebatur) paludibus circumſepto, caſtrametatus eſt, ſed tandem mediante præcipue Comitiſſa Hannoniæ, adiectis conditionibus nonnullis, captiuiſq; interim partis vtriuſque libere dimiſſis, vſq; ad feſtum Iohannis Baptiſtæ initæ ſunt treugæ. Quibus elapſis paceq; inter Reges nondum reformata, ad carceres captiui redirent, vel redemptiones ſoluerent prætaxatas, ſicque Comites duo, Sarum & Southfolchiæ, qui dudum cum paucis villæ, quæ Inſula dicitur, minus prouide appropinquantes, à loci incolis concluſi fuerant & capti, Pariſiuſq; diu in carcere detenti, initis treugis libere dimiſſi, Angliā intrarunt. Ferebant enim nonnulli pecuniæ inopiam Regem plurimum coarctaſſe: ſi enim theſaurum habuiſſet, treugis nunquam conſenſiſſet. Poſuerat quoque in regno ſuo cuſtodes & miniſtros auaritiæ ſuæ (vt videbatur) conſulentes, profectibuſque propriis inhiantes, ſalutem honoremque regium parum curantes, Regem quaſi pecunia deſtitutum dimiſerunt & egenum. Re enim vera ſi geſta Regum à monarcha primo Anglorum reuoluiſſent, accurateque conſideraſſent præteritorum, filium 28. annorum talem inſulam produxiſſe minime reperiſſent. Ante Tornaci obſidionem miſerat Rex Angliæ Francorum Regi literas, ipſum nullatenus Regem, ſed Philippum de Valeſio nominando, inter cetera talia continentes, quod quia per nuntios ſuos plures vias rationabiles ei pro iure ſuo in regno Francorum hereditateque debita recuperandis ſiue poſſidendis, hactenus ab ipſo contra Deum & iuſtitiam detentis ac occupatis obtuliſſet, nec ei rationem, neque iuſtitiam, vt videbatur, facere decreuiſſet, idem Rex Angliæ per medium Flandriæ, ſicut dominus ſuperior tranſierat, collectaque ſecum terræ eiuſdem fortium potentia, verſus ipſum ſe attraxerat in iure ſuo, finem Deo placabilem affectans facere breuiorem. Et quia cauſa inter ipſos duos fuerat mora, pro oppreſſione populi, vaſtatione ac ſtrage euitandis etiam ipſorum, bellum faceret ſingulare. Et ſi via forte iſta ſibi contingeret non placere, ex parte vtraq; centum cum Rege ſuo fortiores ac validiores conuenirent, bellumq; committerent. Quod ſi iſta Philippus prædictus acceptare non curaret, infra decem dies iuxta ciuitatem Tornacenſem cum vniuerſo exercitu ſuo bellum daret. Et quid prædictorum eligere deliberaret, ei per literas ſuas remitteret ſine mora.

Regina Angliæ Philippa peperit filiam vocatam Blanchiam.

Reſcripſit Rex Franciæ in hunc modum: Philippus Dei gratia Rex Francorum, Edwardo Regi Anglorum. Literas veſtras curiæ noſtræ Phil. de Valeſio miſſas, aliquas petitiones dicto Philippo factas continentes perſpeximus. Et quia literæ prædictæ nec petitiones, ſicut illarum tenore euidenter apparet, nobis miſſæ nequaquam fuerant, nec factæ, vobis nullatenus reſpondemus. Sed quia per prædictas literas & aliter intelleximus, quod Regnum noſtrum Franciæ in manu armatorum valida intraſtis, damna non modica nobis, regno noſtro ac populo, voluntate ductus non ratione, ea quæ homo ligeus domino ſuo facere non tenetur, minime conſiderando intuliſtis. Intraſtis ſiquidem dudum homagium noſtrum ligium, nos (ſicut ratio exigit) regem Franciæ recognoſcens, obedientiamq; qualem ligio domino ſuo quis promittere tenetur, ſicut literis veſtris patentibus magno ſigillo veſtro ſignatis, quas penes nos habemus, & etiam vos habere debetis, liquet manifeſte, promiſiſti. Noſtra vero exiſtit intentio, cum aptum nobis decreuerimus ad honorem noſtrum, regni noſtri populique commodum, vos de regno noſtro eiicere ac effugare. Et ad hoc quoq; complendum perficiendumq; firmam ſpem, à quo nobis data eſt potentia, habemus in Chriſto. Per veſtram quippe guerram voluntarie irrationabiliterque motam, ſecundum paſſagium vltramarinum retardatur, non modica Chriſtianorum copia morti eſt adducta, ſeruitium diuinum minoratum, ſanctaq; eccleſia minus æſtimatur. Quod vero aſſeritis, vos Flandrenſium animos ſiue auxilia poſſidere, æſtimamus certe, quod ipſi patriæque tota communitas erga conſanguineum noſtrum Comitem Flandriæ dominum ſuum, noſq; ſuperiorem dominum taliter ſe habebunt, quod honorem ſuum fidelitatemque ſeruare non omittent: & quod huc vſque commiſſum eſſe dinoſcitur, per malum eorum conſilium, qui commune commodum ſiue vtilitatem non conſiderant, ſed proprium, perpetratum eſt.

Eodem anno menſibus Iulii, Auguſti & Septembris Rex Angliæ aſſiſtentibus ſibi duce Brabantiæ Comite Hannoniæ, ciuitatibuſq; & villis de Bruges, Gaunt & Ipres, boreales partes Franciæ iterum eſt ingreſſus, & ciuitatem Tornacẽſem obſidione vallauit. Interim Comes Hannoniç, & dominus Walterus Manny, & Reginaldus de Cobham pluſquam trecentas villas magnas & paruas, prædis & ſpoliis, hominibuſque armorum pluſquam mille peremptis igne deuaſtauerunt. Rex Francorum interea cum magno exercitu ſe tenuit à remotis, reſiſtere non eſt auſus, ſed pluribus ſui exercitus fame & ſiti mortuis, per duos Cardinales treugas dari petiit in Eccleſia de Eſpletelyn, die lunæ, viceſimo quinto die menſis Septembris, anno domini proximo ſupradicto. Rex autem Angliæ ob defectum pecuniæ, quam ſui ſegnes procuratores in Anglia miſiſſent, & non miſerunt, obſidione dimiſſa treugas conceſſit, & ſic vterq; Rex ad propria remeauit.

Rex Edwardus Angliam intrauit, miniſtros ſuos, videlicet cancellarium, theſaurarium, & alios amouit non clericos, imo ſeculares ad placitum ſuum ſubſtituit, nonnulla (vt in ſequentibus patebit) fautorum ductus conſilio inchoauit, vnde & Iohannes Cantuar. Archiepiſcopus ei litteram ſcripſit in hunc modum:

Chariſſime domine, dominationi veſtræ ſcire placeat, quod res excellentiſſima, quæ Reges & Principes debito optimoq; detinet ſtatu, ſapiens eſt conſilium. Et ideo dicit ſapiens, vbi multi cõſiliarii, videlicet boni, ibi ſaluatio. Scribitur enim libro Regum, quod Salomon Regum ſapientiſſimus, ſeniores, ſapientioreſq; terræ ſuæ aſciuit, quorum prouido conſilio, ſenſuque proprio totam terram Iſrael in pace obtinuit, & quiete, omneſque Reges ſibi contermiños voluntati ſuæ tributarios habuit & ſubiectos. Illo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, regnauit filius ſuus Roboam, qui prætermiſſo ſeniorum (qui cum patre ſteterant) conſilio, iuuenibus ſibi placere volentibus adhæſit, vnde & terram Iſrael præter duodecimam partem ſibi à domino reſeruatam iuſte amiſit. Multiq; Reges Iſrael tertarum inſuper aliarum malo ducti conſilio ad magnas inopias deuenere. Et ne vobis domine diſpliceat recolitis quidem, quod per iniquum conſilium dudum domini veſtri Regis patris veſtri, quem Deus abſoluere dignetur, contra legem terræ, magnamque chartam maiores terræ, alioſque cepit, morti adiudicauit, diripuit bona, nonnulloſque redemptionibus grauiſſimis vexauit, Et quid ſibi illa de cauſa acciderit, vobis manifeſtum eſt. Poſt eius vero tempus, per conſiliarios vobis adhærentes fere corda populi terræ amiſiſtis, à quibus (vt ſibi placuit) vos eripuit Ieſus Chriſtus. Poſt hæc autem, per bonam circumſpectionem, diſcretionemque prælatorum, magnatum, ac terræ ſapientum, negotia veſtra taliter ſunt deducta, vt integre corda populi veſtri poſſidetis, & ita clerici ſicut & laici magis quam alicui progenitorum veſtrorum manus porrexerunt adiutrices. Sicque ſano mediante conſilio, populi veſtri ſuffragio, gratia nec non vobis à Deo collocata, de inimicis veſtris Scotiæ & Franciæ glorioſe triumphaſtis, inter Chriſtianos princeps nobilior eſtis reputati. Sed in præſentiarum, per iniquũ quorundã terræ veſtræ conſilium, aliorumque (qui magis commodum proprium ſiue vtilitatem, quam honorem veſtrum, populiue ſalutem affectare noſcuntur) clericos & alios terræ veſtræ capi facitis, proceſſus contra leges terræ, quas per ſacramentum in coronatione veſtra factum cuſtodire tenemini, peragitis indebitos, necnon contra chartam magnam contra quam venite præſumentes per prælatos Angliæ, bullamque papalem quam penes vos habere dinoſcimur, ſunt excommunicati. Quæ quidem in animæ veſtræ non modicum periculum, ſtatus honoriſq; detrimentum (proh dolor) acta ſunt. Et quanquam iidem qui rectotes terræ, magis etiam quam ſtatui illorum congruit, ſe faciunt, & conſiliarios, intelligere nos conantur, quod ea quæ in præſenti peragitis, populo veſtro complacebunt, certiſſime tamen aſſerimus, modo nullatenus inchoato, & hoc reperietis. Dubitamus enim non modicum, quod ſi modum proſecuti fueritis iam inceptum, corda gentis veſtræ, necnon auxilia, bonum ac rectum amittetis, & querelam taliter citra mare contra vos cõcitabitis, quod guerram veſtram perficiendi nequaquam vires poſſidebitis, nec poteſtatem, inimicis veſtris occaſionem inſurgendi contra vos dabitis, & deſtruendi, bonamque famam veſtram ac terram (quod Deus auertat) amittendi. Quare (Domine) ob honoris veſtri terræque ſaluationem, querelam veſtram necnon confouendam, magnates terræ ac ſapientes coadunare, & vt negotia veſtra felicem ſortiantur effectum ſeniorum ac magnatum ſecundum capere aſſenſum, quorum ſine auxilio conſilioque terram veſtram regere, nec etiam querelam poteſtis perficere, velitis operari. Et quia aliqui vobis collaterales adulan-

tes ſiue

Digitized by Google

tes ſiue fauentes, proditionem vobis & falſitatem imponere non formidant, eos excommunicatos fore denunciamus. Et ſicut pater veſter ſpiritualis pro talibus eos tenere velitis exotamus. Ob quorundam inſuper vobis miniſtrantium inertiam iniqua etiam noſtri abſentia ſine famulatu, villam Tornacenſem alios necnon honores quamplurimos amiſiſſe nos aſſerunt & imponunt, velitis ſi placeat, prælatos, magnates, terræque nobiles, vbi cum prælatis ſecure conuenire poterimus, loco competenti congregare, & in quorum manibus ab initio guerræ veſtræ, lanæ, denarii, & alia quæque vſque in hodiernum diem vobis conceſſa deuenerunt, qualiterque miniſtrata fuerint, per quorumque defectum Tornacenſis ciuitas non ſubacta, ſed taliter extiterat dimiſſa, diligenter inquirere, & velut dominus æquus & iuſtus ſecundum leges terræ, prout demerita exigerint culpabiles caſtigare. Et quantum nos attinet, iudicio parium noſtrorum, vt ſancta eccleſia ſtatuet, ordine noſtro alias (ſicut ſæpe ſcripſimus) ſemper ſaluis, in omnibus nos ſubmittere parati ſumus. De nobis itaque nec aliis terræ veſtræ legalibus ac probis, priuſquam veritas cognoſcatur, niſi bonum credere, vel etiam cuiuſque dictis fidem adhibere velitis. Si enim gentes ſine reſponſo (veritate neagnita) puniantur, de bonis & malis, reis & inſontibus vnum iudicium foret & idem, inimicos ſiquidem veſtros Galliæ & Scotiæ adeo fortes attentius matureque conſiderare curetis. Si enim prælati, magnates, ac totius terræ ſapientes, die nocteque ſine diuiſione aliqua ſeu diſcrepatione, vna voluntate forent congrua & aſſenſu, negotia veſtra ſupra modum ardua diſcrete ac circumſpecte ordinando, guerram veſtram iam inceptam, honorem veſtrum, terręque ſaluationem conſeruando, ſatis modicum foret & exile. Nec vobis diſpliceat (domine reuerende) quod veritatem vobis ſimpliciter ſic mittimus & groſſe. Affectio ſiquidem magna quam erga vos habuimus, & ſemper Deo auctore habebimus, honoris veſtri ac terræ conſeruatio, & quanquam indigni, Primas tamen totius Angliæ exiſtimus, & pater veſter ſpiritualis, excitare vos dinoſcitur, pericula animæ veſtræ ac ſtatus detrimentum dicere, mandare, ac præmunire cum effectu. Spiritus ſanctus Domine corpus & animam ſaluet & cuſtodiat, gratiamque bonum conſilium habendi & ſanum, ac credendi, victoriam necnon inimicorum vobis concedere dignetur. Dat. Cantuar. primo die Ianuarii. Reſcripſit etiam idem Archiepiſcopus Cancellario Angliæ in hæc verba.

Iohannes permiſſione diuina Cantuarien. Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas, & ſedis Apoſtolicæ Legatus, domino Roberto Bouſer Cancellario Angliæ, libertates ſanctæ Eccleſiæ & terræ leges illibatas conſeruandi voluntatem. Dicit enim ſapiens, quod veritas præcognita & præuiſa, ac præmiſſa pericula non modica euadere facit poſt futura. Ideo vos intelligere volumus, quod decimæ ſanctæ Eccleſiæ per vnum annum per clerum noſtræ Cantuar. prouinciæ domino noſtro regi vltimo conceſſæ circa feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ proximo futurum, certis terminis cum aliis decimis à retro exiſtentibus perſoluendæ, ſub certis conceſſæ fuerant conditionibus, certiſque articulis à domino noſtro rege dicto clero conceſſis, & per chartam ſuam confirmatis. Et inſuper, quod dictus clerus nulla alia portione ſeu contributione domino regi faciendis, vel etiam concedendis illa vice foret onerandus. Poſt hæc quoque, in parliamento apud Weſtmonaſt. quadrageſima proxime elapſa congregato, conceſſa ſunt Regi nonum vellus, nonus agnus, nona garba, certis tamen modis, conditionibus adiectis, videlic. q. nulli prælati, vel etiam aliquis de Clero prædicto, ad huius nonæ portionis contributionem aliquatenus tenerentur, niſi tantum illi qui per baroniam tenerent, & ad parliamentum tenerentur venire. Quodq; ad ſolutionem decimæ, (vt præmittitur) conceſſæ, pręlati & cæteri de clero nonam portionem prędictam ſoluentes, nullatenus forent aſtricti, ſed quidam noſtræ prouinciæ dictæ nonæ portionis collectores, à pręlatis & cæteris de Clero, qui decimam antedictam ſoluunt, & per baroniam de rege nihil tenent, nec ad parliamentum venire aſtricti ſunt, nonam (vt pręmittitur) conceſſam, leuare, & per diſtrictiones varias nituntur exigere. Inſuper, & ab his qui ad ſolutionem huius nonę aſtringuntur, contra Deum & iuſtitiam, ac conceſſionem ſępedictam, viros eccleſiaſticos onerando, decimam exigunt memoratam. Quare vos hortamur in domino, & requirimus, quatenus perſonas religioſas & eccleſiaſticas niſi ſecundum formam & conceſſionem antedictas onerari vel vexari nullatenus permittatis, nec etiam conſilium ſeu aſſenſum in dictę chartæ pręiudicium, ſeu priuilegiorum ac libertatum eccleſiaſticarum ſubuerſionem prębeatis quoquomodo: ſi vero breue, commiſſio pręceptumue aliud

contra formam magnæ chartæ, priuilegia, ac libertates antedictas, à cancellaria huc vſque fuerint tranſmiſſa infra decem dies poſt harum receptionem literarum, ſicut tenemini, reuocari & annullari faciatis. Voluntas reuera domini regis chartam præfatam, priuilegia, ac libertates eccleſiaſticas, (vt certi ſumus) fouere exiſtit, & conſeruare. Neceſt ſiquidem voluntatis eius, nec eſſe deber, quod clerus vltra cōceſſionem ſuam ſpontaneam, à quoquam onetatus ſit, vel grauatus: hoc enim in pręiudicium ſanctę Eccleſiæ (quod tollerare non poſſumus) non modicum vergeret & grauamen, ſi vero prędicta reuocare (vt pręmittirur) nequaquam curaueritis nec annullare, temedium quale ſancta Eccleſia permittere poterit apponere non omittemus. Et quid in pręmiſſis feceritis, velut filius ſpiritualis, fidelis, & Deo acceptus poſt tempus ſupra dictum infra octo dies per literas veſtras vos certificare curetis. Spiritus ſanctus ſicut iuſticias ſuas ſibi ſeruaueritis illibatas, corpus veſtrum & animam ſaluare dignetur & cuſtodire. Datæ Cantuatiæ 28. die menſis Ianuarii anno vt ſupra conſecrationis noſtræ 7.

Miſit quoque Archiepiſcopus regi ac conſilio ſuo ſchedulam ſiue bullam in hunc modum continentem.

Domino noſtro regi, conſilioque ſuo, ac omnibus & ſingulis dicti conſilii ſui perſonis monſtramus nos I. permiſſione diuina Cantuarien. Archiepiſcopus, totius Anglię Primas, & ſedis Apoſtolicę Legatus, quod cum omnes clericos capientes, in carcerem inuite mittentes ſiue detinentes, ac eos quocunque voluerint ire non permittentes, illos vt publice ac notorie pro talibus reputatos ſcientes, & vt clericos ſe habentes, qui crimina non confeſſi, nec de criminibus conuicti nec indictati, nec etiam notorie in criminibus ſunt deprehenſi à canone latę ſententię exiſtunt innodati: Illamque ſententiam in eccleſia Cantuar. publicamus, & per omnes fratres noſtros ſuffraganeos prouincię noſtrę Cantuarię fecimus publicari. Poſt cuius ſiquidem ſententię denunciationem ſiue publicationem (vt pręmittitur) factam capti ſunt, & in caſtellis diuerſis & locis Anglię in carceres miſſi ac inuite detenti, Iohannes de ſancto Paulo, Michael de Wath, Robertus de Chickwell, Iohannes de Thotp, & Henricus Stretford, in pręiudicium Dei, & eccleſię ſanctę, contra leges ac clericorum priuilegia omnium, necnon illorum animarum in periculum, qui talia commiſerunt, conſilium dederunt & aſſenſum. Quare dominum noſtrum regem, qui libertates ſanctę eccleſię, prout in actibus ſuis dominus Deus temporibus elapſis fœliciter monſtrauerit, clarumque fecerit & iura ac priuilegia ſemper conſeruare curauit illibata exotamus, quatenus dictorum clericorum & ſingulorum contra chartam magnam, leges terrę & conſuetudines detentorum, exceptionem à carcere ſiue deliberationem dominationi ſuę ptęcipere valeat indilate. Rogamus inſuper & obſecramus in domino omnes conſiliarios qui talia committendi conſilium regi dare pręſumpſerunt, deliberationi detentorum nullatenus obuiare. Diſſimulare enim non valemus, quin ea quæ nobis incumbunt, faciamus in hac parte. Item quod perſonæ laici, hominesque liberi, contra magnam chartam, leges ac terræ conſuetudines capti, adhucque in carcere detenti, eiiciantur, pręd ictaque alia, ac ſecundum formam in bulla Innocentii quarti contentam, per quam omnes contra chartam magnam venire pręſumentes ſeu illam violantes, ſententiam excommunicationis incurrunt, dominus tex reformare placeat ac emendare. Item quod non ſolum miniſtri ſui diuetſęque conditionis officiales terram peragrantes, domos, grangias, & alia loca Archiepiſcoporum, epiſcoporum, religioſorum aliorum, necnon virorum eccleſiaſticorum intrant, ſiue cuſtodum firmatiorum voluntate, bona pro libito capiunt, inuiteque aſportant, immo pręmiſſa fieri præcipientes actaque ſuo nomine rata habentes & grata, ſæpe facta ſententia ſunt innodati. Dominus rex dignetur remedium apponere oportunum, diſſimulare enim non poſſumus quin contra tales (prout paſtoralis officii cura exegerit) & per fratres noſtros & ſuffraganeos, quod nobis, & eis incumbit exequamur. Noſtræ tamen intentionis non exiſtir, dominum noſtrum regem, dominam reginam, aut liberos eorundem, dictis ſententiis inuolui ſeu comprehendi, quatenus de iure poterunt excuſari.

Miſit quoq; idem Archiepiſcopus, Epiſcopo Londini literas in hunc modum.

Iohannes permiſſione diuina Cantuar. Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas, & Apoſtolicæ ſedis legatus, venerabili fratri, &c. Sacroſancta eccleſia quæ debet libera eſſe, variis exactionibus indebite, & angariis infeſtis opprimitur, his diebus, cuius bona (ad quæ laica manus non debet extendi) pro libito diripiuntur in prędam. Clerus

rus

ruſquoque noſtræ Cantuar. prouinciæ vexatur iniuſte, ac probroſo contemptu nequiter conculcatur, iuſtitia (quę principaliter elucere deceret, & quę regibus dat regnare, ac populo quietem pręparat oportunam) debito cultu non colitur, ſed ad iniurias & oppreſſiones iniquas multorum frenum laxatur impune. Nos oppreſſorum gemitibus paterno compacientes affectu, ac conſiderantes attente, quod ad Apoſtolicam dignitatem nos ideo diuina clementia ſublimauit, non vt dies noſtros in quiete & delitiarum affluentia duceremus, ſed vt ex iniuncto nobis adminiſtrationis officio, noſtrorum prędeceſſorum exemplis ſalubriter inſtructi, pro domo domini aſcendentibus ex aduerſo nos murum inexpugnabilem pręparemus, vt errantes ad viam veritatis inſpirante domino reducamus, quaſdam excommunicationum ſententias à ſanctis patribus & pręde ceſſoribus noſtris in ſubſcriptis caſibus aduerſus delinquentes hactenus promulgatas, per denunciationes publicas in locis eminentibus faciendas per nos & cæteros confratres, ac ſuffraganeos noſtros, palam duximus omnibus intimare, ne ignorantiæ affectatæ nebula ſe valeant, qui nequam ſunt, aliqualiter excuſare prętextu veritatis vecorditer occultatæ, & vt decet minime publicatæ, ſed vt ſinguli melius ſibi caueant de futuro. Noſtrę tamen intentionis non exiſtit, dominum noſtrum regem Angliæ illuſtrem, dominam reginam aut liberos eorundem dictis ſententiis, vel aliqua earum inuolui, ſeu ſub denunciatione huius comprehendi, quatenus de iure excuſari poterunt in hac parte.

Mandantes, &c. quatenus, &c. Dat. &c. Tenor vero huius articulorum talis eſt. In Dei nomine amen. Nos I. permiſſione diuina, &c. Omnes & ſingulos qui eccleſias ſuo iure priuare, vel per malitiam infringere ſeu perturbare pręſumunt libertates & liberas conſuetudines earundem, & illos præcipue qui antiquas libertates aut liberas conſuetudines noſtræ Cantuar. eccleſiæ violauerint, ſeu in aliquo diminuerint, vel contra priuilegia eidem indulta ſcienter venerint, aut contra ea fecerint, necnon & illos qui pacem & tranquillitatem regis, aut regni Angliæ nequiter & iniurioſe perturbare pręſumunt, ſeu ad hoc dederint conſilium, auxilium vel fauorem, maioris excommunicationis ſententiam, ſicut ſunt à ſanctis patribus, innodatos & excommunicatos fuiſſe & eſſe denunciamus, & à limitibus ſanctæ matris eccleſię ſequeſtramus, authoritate Dei Patris omnipotentis, beatiſſimę Marię virginis matris ſuæ, beati Thomę martyris glorioſi, ſanctorumq; omnium publice & ſolenniter in his ſcriptis. Item cùm magna charta Henrici quondam regis Anglię, ſit conceſſum ac etiam ordinatum, quod nullus liber homo regni Anglię capiatur vel impriſonetur, aut diſſeiſeatur de libero tenemento ſuo, vel libertatibus aut liberis conſuetudinibus ſuis, ſeu vthlagaretur, aut exulet, aut aliquo alio modo deſtruatur, quodque ſuper liberum hominem huiuſmodi lex non ibit, nec mittet niſi per legale iudicium parium ſuorum, vel per legem terræ Anglicanæ, & quod rex nulli negabit, nulli vendet vel differret rectum vel iuſtitiam. Quodque ciuitas Londini habeat omnes antiquas libertates & liberas cõſuetudines ſuas, alięque nõnullæ libertates & liberæ conſuetudines in dicta charta regno Anglię ad laudẽ & gloriam, eccleſiæ catholicæ parem, & regni quietem prouide ſunt conceſſæ, & ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis dicti regni excommunicati, anathematizati, & à liminibus ſanctę Matris Eccleſiæ fuerunt ſequeſtrati. Qui poſt conceſſionem dictæ Chartæ libertates & liberas conſuetudines in ipſa & in charta de Foreſta contentas & conceſſas eccleſię Anglicanæ quacunque arte vel ingenio violauerint & infregerint, diminuerint, ſeu mutauerint, clam vel palam, facto, verbo vel conſilio, contra illas vel illarum aliquam in quocunque articulo temere veniendo. Quamplures nihilominus præmiſſorum non ignari, contra dictas chartas, libertates, & liberas conſuetudines in chartis huius conceſſas venire temere iam conantur, & eas infringere plurimum ſunt moliti. Nos ipſorum auſus nephandos opprimere cupientes, & velatam ignorantiam & captatam fugare, ad omnium notitiam deducentes pręmiſſa, monemus in genere omnes & ſingulos qui contra pręmiſſa fecerunt in aliquo quouiſmodo contra dictas chartas, vel earum alteram, ſtatuta ædiderint, vel ædita ſeruauerint, conſuetudines introduxerunt vel ſeruauerint introductas, ſcriptores etiam ſtatutorum nec non conſiliarios & executores, & qui ſecundum ea pręſumpſerint iudicare, quod debite ſe corrigant, & ordinariorum arbitrio plene ſatisfaciant de commiſſis infra 15. dies, à tempore monitionis noſtrę continue numerandos, quos non parentes, ex tunc in dictam maioris excommunicationis ſententiam, per Innocentium Papam quartum ex certa ſcientia confirmatam denunciamus publice & ſolenniter incidiſſe. Item omnes

omnes & ſingulos qui de domibus, maneriis, grangis, aut locis aliis ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, vel alias perſonas Eccleſiaſticas pertinentibus, quicquam præter voluntatem dominorum, vel eorum qui ſunt huius rei cuſtodes deputati abſtrahere, capere, conſumere vel contrectare præſumpſerint, capi, conſumi, vel contrectari fecerint, vel huius abſtractionem, captionem, conſumptionem, aut contractionem ſub nomine, vel à familiaribus ſuis factam ratam habuerint, eccleſiaſticę libertatis & immunitatis violatores exiſtere, & excommunicationis maioris ſententiam dictam cõtra violatores libertatum eccleſiæ in concilio Oxon. latam, ipſo facto incurrere denunciamus, publice & ſolenniter in his ſcriptis. Item, quia temporis malitia clericos laicis tradit infeſtos, adeo quod ipſos capiunt & detinent inuitos, aut quo voluerint abire libere non permittunt: nos omnes & ſingulos clericos & laicos noſtræ Cantuariæ prouinciæ ſubditos, qui ſcientes eſſe clericos, & publice ac notorie pro clericis habitos & reputatos, & etiam ſe gerentes de crimine non confeſſos, non conuictos, nec etiam indictatos, in cuſtodia vel carcere ponunt, & detinent, aut inuitos temerarie in caſu, à iure vel de conſuetudine regni Angliæ nõ permiſſo in cleri opprobrium, & iniuriam manifeſtam, maioris excommunicationis ſententia à canone lata in hac parte denunciamus publice & ſolenniter inuolutos. Item, cum omnes & ſinguli qui in noſtra Cantuar. prouincia alicui vel aliquibus crimen falſo ex odii fomite malicioſe imponunt, cum ſuper crimine hic impoſito apud bonos & graues prius non fuerant infamati, cuius impoſitionis occaſione quouiſmodo grauentur maioris excommunicationis ſententia in concilio Oxoniæ contra diffamatores huius à ſanctis patribus rite lata ſint, & fuerint innodati, ac delinquentes ſcienter in Archiepiſcopos, aut eos patres ſpirituales, Chriſti legatos, eccleſiæ columnas, ex dignitate offenſarum culpam grauiorem committant, nos ea authoritate qua fungimur, omnes & ſingulos qui in noſtra Prouincia Cantuar. Archiepiſcopo vel Epiſcopo, vel alii cuicunque crimen proditionis ſeu aliud quodcunque falſo nequiter & malitioſe, hactenus imponere, ac publice præſumpſerint, vel in futurum imponent contra conſtitutionem prædictam, dicta maioris excommunicationis ſententia in præfato conſilio prouide lata, denunciamus publice innodatos, & à ſanctæ matris Eccleſiæ liminibus ſequeſtratos.

Miſit inſuper Archiepiſcopus antedictus literam iſtam pręcedentem ad omnes confratres & ſuffraganeos ſuos, vt & ipſi etiam in ſuis diœceſibus & locis ſingulis ſententias (vt præmittitur) publice promulgarent: mandatumque ſuum executioni demandarent. Auditis itaque literis Archiepiſcopi, & ſingulis intellectis, aliis inſuper nonnullis ab Anglicis regiis (vt putabatur) Archiepiſcopo impoſitis, Rex Edwardus miſit Epiſcopo Londonienſi literam, vt ſubſequitur continentem.

Edwardus Dei gratia. &c. Venerabili in Chriſto patri R. eadem gratia Epiſcopo Londonienſi ſalutem. Veteribus probatis hiſtoriis, & ex hiis quæ quotidie geruntur, clarius eluceſcit, quomodo multi probitatem principum & honorem qui in eos collatus eſt, in ſuperbiam abutentes, nituntur interdum malitiæ ſuę commentis regum laudabilia ſtudia deprauare. Et vt manifeſtius quod dicimus cunctis fidelibus noſtris innoteſcat, à noſtra & eorum memoria non credimus excidiſſe, quod nos dudum in annis adoleſcentiæ ad regni ſolium exaltati, in eiuſdem ſuſce pro regimine, ſanis conſiliis dirigi cupientes, quia Iohannem tunc Winton. nunc vero Cantuar. Archiepiſcopum fidelitatis & diſcretionis virtute credebamus aliis præeminere, eiuſque conſilio ſuper his quæ animæ noſtræ ſaluti expediunt, & regni noſtri augmentum & conſeruationem reſpiciunt, ſpiritualiter & temporaliter vſi ſumus, & in tantam familiaritatem eſt à nobis ſuſceptus, ac illam in ſe humanitatem expertus, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus poſt regem ſecundus. Cumq; poſtmodum regnum Franciæ ad nos iure ſucceſſorio fuiſſet deuolutum, & à domino Philippo de Valeſio de facto notorie occupatum, idem Archiepiſcopus nobis oportuna inſtantia perſuaſit cum principibus Alemanniæ, contradictum Philippum fœdus inire, & guerrarum diſpendiis exponere nos & noſtra, promittens & affirmans, quod expenſas ad hoc neceſſarias, de terrarum noſtrarum prouentibus & aliunde quæſitis ſubſidiis abundanter faceret miniſtrari, adiiciens inſuper, quod ſolummodo de perſonis ad bella doctis & ſtrenuis ſolliciti eſſemus. Quia ipſe pecuniam neceſſariam pro noſtris neceſſitatibus, & eorum ſtipendiis efficaciter procuraret: vnde nos mari tranſito, manum ad ardua miſimus, & circa bellicoſos apparatus immenſas, vt oportuit, expenſas fecimus, & confœderatis nobis, in maximis pecuniarum ſummis nos obligauimus, de promiſ-

promiſſo nobis auxilio (vt pręmittitur) confidentes. Sed heu quantum in illuſoris baculo arundineo, cum iuxta ſententiam propheticam, ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius & perforabit, eam fiduciam poſuimus, & ſubtracto nobis, (vtinam non fraudulenter ſperato) ſubſidio, neceſſitate compulſi, ſub vſuris grauiſſimis, quaſi importabilia contraximus onera debitorum, & ſic retardata ęxpeditione vlteriori, coacti ſumus ab inchoatis magnanimiter hoſtium aggreſſibus ea vice deſiſtere, & in Angliam remeare, vbi expoſitis pręfato Archiepiſcopo noſtris ærumnis multiplicibus & infortuniis memoratis, ęonuocatoque ſuper hoc Parliamento, pręlati, proceres, cęterique fideles eiuſdem regni noſtri, nonæ partis garbarum, agnorum & velletum ſuorum, præter decimam nobis à clero conceſſam, tale nobis dedere ſubſidium, quod ſi fideliter collectum fuiſſet congruo tempore & obtentum, ad expeditionem dictę guerræ, debitorum ſolutionem, & inimicorum confuſionem non modicum, nobis pręſtitiſſet, & forte (ſecundum multorum opinionem) veriſimiliter ſuffeciſſet. Idem Archiepiſcopus ad dicti ſubſidii collectionem, & aliorum nobis neceſſariorum ſubminiſtrationem iterum promiſit efficaciter interponere partes ſuas, vnde nos eius promiſſionibus inhęrentes, reſumptis viribus nauigio ad hoc cōgregato, verſus Flandriam nauigantes, commiſſo graui pręlio nautico cum hoſtibus, qui in noſtram & totius gentis noſtræ Anglorum prauiſſime coniurauerant, miſericordiſſima eius clementia, qui ventis & mari imperat, non noſtris meritis, obtinuimus de tantorum hoſtium multitudine numeroſa victoriam & triumphum. Quo pacto cum pręgrandi exercitu, pro iurium noſtrorum recuperatione exinde progredientes, caſtrametati ſimus prope ciuitatem fortiſſimam Tornacenſem, in cuius obſidione aliquandiu iugiter occupati, & continuatis expenſis & laboribus fatigati, pręſtolantes in ſilentio, promiſſum nobis adiutorium ſperabamus in dies miniſterio dicti Archiepiſcopi in tot & in tantis noſtris neceſſitatibus releuari. Tandem ſpe cōcepta fruſtrati, licet per plures nuncios & diuerſas literas plene ſignificauerimus pręfato Archiepiſcopo & aliis conſiliariis noſtris ſibi adhęrentibus noſtras indigentias, & pericula varia quibus expoſiti fuerimus propter defectum promiſſi ſubſidii memorati, vtilitatem inſuper & honorem quos ex ſuccurſu pecuniæ conſpeximus nos poſſe faciliter obtinere, nullum tamen ab eis emolumentum recipere potuimus, quia ſua non noſtra negotia curantes, & commoda propria procurantes, friuolis excuſationibus & fucatis verborum phaleris, ſuam deſidiam, ne dicamus fraudem vel malitiam, palliabant, ſimiles illuſoribus qui (vt ait Iſaias) deridendo ludificant, dicentes, manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vnde (proh dolor) factum eſt, vt dum triumphandi ſuper inimicos noſtros arrideret nobis glorioſiſſime ſpes propinqua, præualente penuria cogeremur inuiti treugis initis conſentire, cum verecunda noſtræ expeditionis retardatione, & exultatione non modica æmulorum. Reuerſis nobis Flandriam, eum eſſemus pecunia vacui & æris alieni mole preſſi, nec ſupereſſet quicquam in noſtris aut noſtrorum marſupiis, vnde poſſemus noſtris neceſſitatibus conſulere, & debita ſtipendia noſtro obſequio militantibus erogare, compulſi ſumus vſurarum voragine nos ſubmergere, & humeros ſupponere cumulatis generibus debitorum. Tandem conuenerunt ad nos amici fideles, peregrinationis noſtræ comites & tribulationis noſtræ participes, eum quibus tractatum habuimus diligentem ſuper optatis remediis, quibus à tanta infortuniorum tempeſtate poſſemus commodius reſpirare. Viſum eſt omnibus præfatæ retardationis euentum triſtabilem & egeſtatis noſtræ incommoda multiplicia, culpa vel deſidia, ne dicamus malitia pręſati Archiepiſcopi, de cuius diſcretione tota regni noſtri negotia conſtituimus, accidiſſe, & vehementer mirantes ac cōtra nos murmurantes. Super hoc quod dictorum Archiepiſcopi & officialium inſolentiam regia manſuetudo tanto tempore relinquere voluit incorrectam ſua publica poteſtate, quod niſi ſuper hiis faceremus congruum remedium celeriter adhiberi, oporteret eos de noſtris obſequiis ſe ſubtrahere, & ab inito fœdere retroire, & hoc vtique in regni noſtri ſubuerſionem, & noſtram perpetuam ignominiam, & nationis Anglicanæ ſempiternum opprobrium redundare, quod auertat temporibus noſtris clementiſſimi patris benignitas, in cuius ſoliditate fixa immobiliter anchora ſpei noſtræ, vnde nos ad diſciplinam & correctionem noſtrorum officialium mentis aciem dirigētes, quoſdam ex eis quos ex cauſis pluribus de mala adminiſtratione, iuſtitiæ ſubuerſione, ac ſubditorū noſtrorum oppreſſione, acceptorum munerū corruptione, ac aliis offenſis grauibus ſuſpectos habuimus, à ſuis fecimus officiis (prout

nobis

nobis licuit) amoueri, alios quoque inferioris gradus in pręmiſſis culpabiles ſub cuſtodia tuta detineri, ne ſi liberatione ſolita potirentur, ſupplantaretur eorum aſtutia iuſtitiæ executio, & deluderetur callide inquiſitio veritatis. Quam cum ex dicti Archiepiſcopi animi latebris eo certius & plenius elicere crederemus, quo nihil eorum ad informationem in hac parte conferre poterant, ipſum veriſimiliter latere debuerat cui totius reipublicæ noſtræ adminiſtrationem & ſummam rerum gerendarum à multo tempore duximus committendam, ſibique per fidelem noſtrum Nicholaum de Cantilupo, ad hoc ſpecialiter deſtinatum, mandauimus, quod ad noſtram pręſentiam, quia perſonali eius colloquio perfrui volebamus, Londoniam venire maturius non tardaret. Ipſe vero ſemper tumidus in proſperis, & timidus in aduerſis, trepidans timore vbi non erat timor, ſibi periculum per aliquos nobis aſſiſtentes intemptatum & comminatum, ſi ab eccleſia Cantua. recederet, imminere minus veraciter allegauit, quia hoc (teſte Deo & pura conſcientia) nunquã in mentem noſtram cecidit, nec alicuius nobis aſſiſtentis (vt credimus) tetigit cogitatum. Et quanquam clero & populo regni noſtri malignitatis ſuæ merito ſe reddidit odioſum, nos autem qui cunctos ad noſtram præſentiam accedere, præcipue noſtris ad hoc literis vel nunciis conuocatis, plena volumus ſecuritate gaudere, ad conuincendam eius malitiam, dilectum & fidelem noſttum Radulphum de Stafford, hoſpitii noſtri Seneſcallum ad ipſum deſtinauimus, vt ei ſecurum conductum offerret & faceret, regias ſuper hoc nihilominus literas patentes, ſigillo regio conſignatas ei fecimus præſentari, iterato mandantes, quod ad nos perſonaliter accederet, inchoatam ſolicitudinem noſtram informaturus ſuper regni negotiis, quæ longo tempore geſſerat, vt præfertur. Ipſe vero precum & mandatorum noſtrorum lenitate contempta, vultu & animo indignato reſpondit, quod ſe noſtris conſpectibus, ſeu colloquiis nequaquam conferret niſi in pleno parliamento noſtro, quod in his diebus ex cauſis rationabilibus nullatenus expedit conuocari. Sicque idem Archiepiſcopus, quem regalis benignitas beneficiis & honoribus magnificis ampliauit, & in ſuæ familiaritatis ſacrarium & vnanimitatem amicitiæ, & vinculum fœderis accerſiuit, ſuper quem ſicut patrem chariſſimum torus noſter ſpiritus & animus requieuit, quin etiam dum eius voluntatibus per omnia acquieuimus, ſophiſticæ dilectionis faciem fuco mendacis beneuolentiæ palliatam, more patris amabilis nobis prætendere conſueuit, ſubito in victricum oneroſum & grauem crudeliter eſt conuerſus, & beneficiis acceptis ingratus tumoris arrogantia beneficum perſequitur, & illam nobis retributionem, (iuxta vulgare prouerbium) Mus in pera, ſerpens in gremio, ignis in ſinu, ſuis conſueuerat hoſpitibus exhibere. Nam licet nobis ad regale faſtigium iure hæreditario diuina cooperante gratia ſublimitatis deteſtabile ſemper ſit & fuerit, abuti potentiæ magnitudine, qui ſummis deſideriis affectamus clementia & lenitate cum moderamine iuſtitiæ gubernare ſubiectos, vt optata cunctis mortalibus pace fruamur: ipſe tamen noſtram innocentiam, ac conſiliariorum & officialium noſtrorum regalem iuſtitiam proſequentium, fidelitatem & diligentiam conuiciis lacerat, publice prædicando, & ſuis literis patentibus in diuerſis partibus publicare mandando, quod poteſtate regia modernis temporibus contra iuſtitiam opprimitur populus, clerus confunditur, regnum variis exactionibus, collectis & talliis prægrauatur. Et quia nomen boni paſtoris (quo hactenus ſemper caruit) cum ſit reuera iuxta communem opinionem & confeſſionem publicam propriam publice (vt fertur) emiſſam notorie mercenarius, fallaciter nititur vſurpare, fucatum zelum vulpinæ caliditatis fuci perizomate palliatum ad liberationem eccleſiæ, cuius vexationes ſi quas in rebus vel perſonis noſtro tempore ſuſtinuit, pręfati Archiepiſcopi duntaxat remiſſioni, & calidis adinuentionibus ac reprobis conſiliis ſunt veraciter aſcribendæ, nequiter ſimulat ſe habere & quaſdam excommunicationum ſententias in eccleſiaſticæ libertatis & magnæ chartæ violatores in genere dudum latas ad ſuggillandam opinionem regiam & pręfatos miniſtros regios diffamandos, ac ſeditiones in populo nobis commiſſo proditorie ſuſcitandas, & deuotionem comitum, procerum, & baronum, magnatum regni noſtri, maieſtati regiæ ſubtrahendam ſpecificatis nonnullis articulis, pręter & contra ſolitum medium in concilio prouinciali traditum, mandauit per ſuas literas in pluribus locis inſignibus publicari. Quamobrem nos volentes vt tenemur integritati famæ noſtræ proſpicere, & præfati Archiepiſcopi malitiæ obuiare, paratoſque nobis & noſtris ab ipſo laqueos cautius declinare: prouidimus pręter ea quę ſuperius expreſſa ſunt, vt ad pręſens multis de eius actibus taceamus aliqua deducere in publicam notionem. Nempe eius im-

prouido

Digitized by Google

prouido conſilio & ſuccurſu in minori ætate conſtituti,tot donationes prodigas,ac alienationes prohibitas,ac gratias fecimus exceſſiuas, quod per eas ærarium noſtrum totaliter eſt exhauſtum,& fiſcales redditus ſunt enormiter diminuti, ipſumque munerum acceptione corruptum,magnas pecuniarum ſummas nobis debitas quibuſdã ſine rationabili cauſa(cum id nulla neceſſitas vel vtilitas expoſcebat)comperimus remiſiſſe, & plurimos prouentus & redditus qui pro noſtris vtilitatibus & neceſſitatibus conſeruari debuerant, ſuis ſuorumque vſibus applicaſſe, & aliis perſonis male mentis erogaſſe. Qui etiam ne dum munerum, ſed etiam perſonarum acceptores, qui votum noſtrum & præſtitum nobis fidelitatis iuramentum ſolitum, ad officia publica in terris noſtræ ditioni ſubiectis, dignis & bene meritis poſtpoſitis,& repulſos & indignos admiſit,multaque alia animo infrenato temere attemptare præſumpſit, in ſtatus noſtri detrimentum, & dignitatis regię læſionem, ac populi nobis ſubditi damnum non modicum & grauamen, poteſtatem traditam & commiſſum ſibi abutendo officium.Qui ſi in elata obſtinatione & obſtinata rebellione & continuata præſtiterit,congruis loco & tempore intendimus apertius declarare, vobis firmiter iniungendo mandamus quatenus hæc omnia & ſingula ſingulatim & clare locis quibus expedire videritis,publicetis & faciatis per alios publicari piam intentionem quam habemus ad ſubducenda incommoda ſubditorum, ipſis iuxta datam & vobis à Deo ſapientiam commendantes,& in hiis taliter vos habentes,quod veſtram debeamus ſollicitudinem merito commendare. Teſte meipſo apud Weſtmonaſterium duodecimo die Februarii anno regni noſtri quindecimo.

Scripſit Ludouicus dux Bauariæ regnum Alemannię occupans,Anglorum regi Edwardo ſub hac forma.

Ludouicus Dei gratia Romanorum imperii ſemper Auguſtus, Edwardo regi Anglorum fratri ſuo chariſſimo ſalutem & fraternæ dilectionis affectum. Licet innumera grandiaque negotia noſtris incumbant humeris,& circa illa multipliciter & aſſidue diſtrahamur, tamen cum diſcordia inter te & Philippum regem Francorum affinem veſtrum prędilectum orta tibi & tuo regno quam plurium perſonarum & rerum diſpendia , ipſa non ſedata in futurum poterit generare , & noſtris ſe repræſentant obtutibus, mentemque noſtram ſpecialiter angit & excitat, vt ad tollendam ipſam,ſtudium & operam noſtræ ſollicitudinis apponamus. Propterea te ſcire volumus quod præfatus Philippus ad requiſitionem noſtram dedit nobis ſuis literis poteſtatem tractandi inter te & ipſum ſuper diſcordia inter vos ſuſcitata, quam & tibi & tuo regno penſatis diligenter omnibus conditionibus & allegatorum tuorum multipliciter expedire credentes,amicitiæ tuæ perſuademus,teque cum diligentia hortamur,vt ad hoc tuum aſſenſum præbeas , quod te & ipſum reuocare poſſimus ad concordiam inter vos pacis fœdera ordinare , ad quę libenti animo vacare volumus & impendere oneroſa proſecutione labores.In quo ſi conſiliis noſtris conſentire volueris & acquieſcere,vt ſperamus,placeat tibi tuis literis nobis dare poteſtatem præmiſſam tractãdi concordiam, & treugas per annum vel biennium ordinandi.Nec te moueat amicitia inter nos & Phil. regem Francorum inita & contracta. Nam ex quo in treugas & certos terminos ad tractandum de concordia inter te & prędictum regem Francorum accepiſti,abſque noſtro ſcitu, voluntate,& aſſenſu de conſilio noſtrorum principum,qui ligias,pacta,& vniones noſtras nouerunt,quibus viſum fuit quod hoc (ſaluo honore noſtro) facere poſſemus,concordiam & amicitiam cum dicto rege Frãcorum contraximus,& vnionem & vniuimus, vicariatum tibi per nos commiſſum, ex cauſis reuocamus prænotatis.Pro firmo ſciturus, quod in tractatibus noſtris ſic tibi fraterne prouidebimus,quod ſi noſtris conſiliis acquieſcere volueris, cauſa tua ad finem bonum,(mediante conſilio noſtro)producetur:ſuper quibus tuam amicitiam de noſtra intentione plenius informaturum, religioſum virum Fratrem Edwardum lectorem ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini , ſpecialem noſtræ curiæ Capellanum,tuæ fraternitati tranſmittimus,quem petimus ſuper præmiſſis celeriter expeditum remitti. Dat.Franfordiæ,&c.anno imperii noſtri.27. Rex autem Angliæ Edwardus, Ludouico prędicto reſcripſit in hæc verba.

Sereniſſimo principi domino Ludouico Dei gratia Romanorum imperii ſemper Auguſto, Edwardus eadem gratia rex Francię & Anglię, & Dominus Hiberniæ ſalutem,& votiuis ſemper ſucceſſionibus gratulari. Serenitatis veſtrę literas reuerenter recepimus,inter alia continentes,quod Philippus de Valeſio ad tractandum inter nos & ipſum concordiam dedit vobis ad requiſitionem veſtram ſuis literis poteſta-

tem. Et ſi placeret vobis, poteſtatem huius vobis dare, libenti daretis animo labores & operam ad dictam concordiam reformandam, & quod amicitia inter vos & Philippum minime nos moueret, nam ex quo ſine ſcitu & aſſenſu noſtro treugas ad terminos ad tractandum de pace inter nos & dictum Philippum, accepimus dictam amicitiam eum eo de conſilio principum veſtrorum, quibus viſum fuerat quod hoc (ſaluo honore veſtro) poſſetis facere, contraxiſtis, vicariatum nobis per vos commiſſum reuocaſtis. Et quidem zelum quem habetis ad faciendam dictam concordiam, plurimum commendamus. Et reuera votiuum foret nobis admodum & acceptum ſi poſſet fieri per tanti mediatoris inſtantiam pax optata. Sed quia ſcimus ius noſtrum in regno Franciæ ſatis clarum, illud arbitrio dubio non proponimus ducere alicui, per noſtras literas committendas, verum dum attenta meditatione penſamus, qualiter veſtra conſideratio circumſpecta videns noſtram patentem iuſtitiam, & dicti Philippi duritiam obſtinatam & iniuriam, nobiſcum contra dictum Philippum veſtri gratia ligiam feciſtis, velut in ſpecialem adoptionis filium de dilectionis exuberantia nos admittentes, vt cum pace veſtra loquamur mirari non ſufficimus, quod præpotens veſtra ſublimitas, quæ ad laudem bonorum & vindictam malorum eſt diuinitus inſtituta, contra nos dicto Ph. iniuriatori noſtro notorio ſe ligauit. Et id quod dicitur nos ſine ſcitu & aſſenſu veſtro cum præfato Ph. treugas ad tractatum pacis iniiſſe, non debuit conſideratis facti circumſtantiis rationabiliter mouiſſe, quia dum obſidebamus ciuitatem Tornacenſem, oportuit nos eorum ſequi conſilia, qui nobis auxilia & comitiuam tunc fecerunt, & hyemis ſubita vicinitas ac locorum diſtantia veſtram ſuper hoc conſulere celſitudinem minime permiſerunt. Immo nobis alias (ſi recolitis) conceſſiſtis, quod ſi opportunitas arrideret tractare poſſemus de pace vobis inconſultis, ita tamen, quod ſine conſenſu veſtro pacem finalem cum dicto P. nullatenus faceremus, quã nunquam facere proponebamus priuſquam veſtrum ſuper hoc habuiſſemus prouidum conſilium & aſſenſum. Sed in votis geſſimus vobis in omnibus facere quod debuimus iuxta vires, ſperantes quod fraternæ veſtræ plenitudo beneuolentiæ, nos ad tempus benignius ſupportaſſet. Videtur etiam aliquibus quod reuocatio dicti vicariatus facta fuerit præmature iuxta ſponſionem ſuper hoc per imperiales nobis factã, non debuiſſent fieri quouſq; regnum Franciæ, vel maiorem partem eiuſdem fuiſſemus adepti. Præmiſſa quæſumus velit veſtra nobilitas debite ponderare, & vlterius facere quod debet, quia per Dei gratiam vobis & veſtris ſemper iuxta menſuram impenſæ nobis beneuolentiæ gratiam faciemus pro viribus repenſiuam. Celſitudini veſtræ donet altiſſimus votiuæ fœlicitatis augmentum. Dat. Londini anno regni noſtri Franciæ. 2. regni vero noſtri Angliæ. 15.

[*Obiit Papa Benedict. 12.*]

Mortuo Benedicto. 12. ſucceſſit Clemens. 6. Hic de abbate ordinis S. Benedicti factus eſt Attreba. epiſcopus, poſtea ſucceſſiue ad archiepiſc. Senonenſem, & Rothoma. aſſumptus, deinde ad Cardinalatum, & tandem ad Papatum aſcendit.

Edwardus Dei gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, vener. &c. ſalutem. Terribilis in iudiciis, & inſcrutabilis in conſilio Rex cœleſtis, qui digne flagellat filios quos diligit, oſtendit plerunque peccanti populo dura, peccantes propter iniquitates ſuas humilians, vt ſic ad ſe reuerſi, quærant humilius nomen eius. Penſantes itaque quantis guerrarum incommodis & aduerſitatibus nos & ſubiectus nobis populus peccatis noſtris, vel ipſius populi ſeu vtriuſque forſitan exigentibus, fuimus à longe retro temporibus, & adhuc ſumus inaniter laceſſiti, ac facultatibus collapſi grauiter & exhauſti, ac conſiderantes periculoſa diſcrimina nobis & noſtris veriſimiliter imminentia, niſi diuina prouidentia clementius reſpexerit nos ex alto, tanta tribulatione malorum & dolorum dum noſtrum conſpicimus imperfectum, diuinam contemplamur omnipotentiam operantes, quod iuſtus iudex, verax Deus, benigne reſpiciet cauſæ noſtræ veritatem & iuſtitiam, & humiliabit calumniatorem, & ſic ſub miſerationis diuinæ fiducia rem aggredientes arduam, paſſagium noſtrum verſus partes Franciæ ordinauimus validum & feſtinum, & alium exercitum verſus partes Scotiæ duximus tranſmittendum, vt ſic, per Dei gratiam comminatis nobis occurramus periculis, & fidelibus noſtris poſt magnam quam paſſi ſunt inquietudinem quietis pulchritudinem pręparemus. Cum igitur conſtituti ſitis pro hominibus à domino, vt offeratis dona & ſacrificia pro peccatis, attendite quæſumus prędicta, nedum noſtra, ſed publica pericula, preces pro fœlici progreſſu noſtro fundentes altiſſimo, ſupplentes vices Moſis, vt nos & noſtri poſſimus aduerſariis in veſtrarum erectione manuum pręualere, & vt augmentum gra-

tiæ no-

tiæ nobis multiplicatis interceſſotibus largiatut, faciatis per noſtras ciuitates & diœc. prædicationes & proceſſiones fieri, & alia piæ placationis officia miſericorditer exetceri, vt Deus miſericordiarum ſuper nos & exercitus noſtros manum ſuæ benedictionis extendat, & actus noſtros in beneplacito ſuo ſic dirigat, vt ſibi cedant ad laudem, nobis ad metitum & ſubiectis nobis fidelibus commodum & quietem. Dat. &c. Anno regni noſtti Angliæ. 16. regni vero noſtri Franciæ. 3.

Hoc anno inita eſt treuga inter reges Franciæ & Angliæ, mediantibus duobus Catdinalibus, in hunc modum, videlicet, quod ſuper omnimodis controuerſiis & diſſentionibus, mittantur ad curiam Romanam aliqui de ſanguine tegum dictorum nobiles, & alii habentes poteſtatem concordiam ordinandi, affirmandi & toborandi, ſuper cauſis, à partibus oſtenſis, ſecundum tractatum domini Papæ & nobilium prædictorum. Et poterunt pattes dicere & præponere rationes ſuas coram domino Papa, non tamen ad finem diſſentionis & dandi ſententiam, ſed pro facienda pace meliori & tractatu. Item quod antedicti nobiles, qui ad curiam mittentur Romanam, ſint in curia citra feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ proximo futurum, negoriaque pręfata diuino mediante ſuffragio, ſummi necnon pontificis inſtantia, citra feſtum natalis domini, etiam de aſſenſu dictorum nobilium, termino illo nullatenus prolongato maneant expedita. Si vero dominus Papa fuerit impeditus, vel pacem & concotdiam inter reges præfatos refotmare non poterit, treugæ nihilominus vſque ad terminum infra poſitum perſeuerent, & firmiter ab omnibus conſeruentur. Ad finem quoque illum quod negotia ſupradicta meliorem plenioremque ſottiantur effectum, concedantur treugæ, vt ad feſtum ſancti Michaelis in menſe Septembti proximo futurum, & à feſto illo vſque ad finem trium annorum proxime ſequentium, inter prædictos reges Angliæ & Franciæ regemque Scotiæ, comitem Hannoniæ, duces Brabantiæ & Gelræ, Marchionem de Gillers, dominum Iohannem de Hannonia, & gentem Flandriæ, omneſque eis adhærentes in omnibus terris eorundem à tempore datæ treugarum præſentium, pet totum tempus ſupradictum. Inſupet tex Scotiæ, comes Hannoniæ, & dictis regibus cæteti nobiles alligati, mittant nuncios ſuos ad curiam præfatam, cum poteſtate conſentiendi & affitmandi; ſecundum tractatum coram domino Papa habendum, in quantum eos attinet, citra feſtum ſancti Iohannis prænotatum: ſi vero dictorum nobilium aliqui nuncios (vt præmittitur) ad curiam Romanam mittete non curauerint, negotia ſupradicta nequaquam ob hoc maneant prolongata. Conſeruentut quoque prædictæ treugæ in Britannia inter ſupradictos & eis adhærentes, quanquam in ducatu illo ius ſe dixerint poſſidere. Dutante vero treuga, ciuitas de Vanes in manibus Cardinalium nomine domini Papę detineatur, elapſiſque treugis, de vrbe illa ſuam faciant voluntatem. Cardinales inſuper partes ſuas diligentet apponant, pro abſolutione Flandrenſium, & ſententiis quas incurterunt amouendis, & quod via bona & rationabilis inueniatur, cutioſe ſtudeant labotare. Comes Flandriæ ſicut dominus ſine medio, & medius velut ſuperiot, durante treuga remaneat in Flandria, ita tamen quod hoc fiat de aſſenſu populi Flandriæ, ſi veto aliqui in Waſconia, vel alibi, durante treuga, vicinis ſuis vel inimicis partis altetius guerram ſuſcitent, dicti reges per ſe, nec per alios, directe vel indirecte, ſe nullatenus inttomittant, nec ob hoc treugæ violatæ ſint infectæ. Dicti vero reges partes ſuas diligenter ſine fraude apponant, nec vnius partis ſubditi durante treuga, parti alteri in Waſconia & Britannia guerram moueant quoquomodo, nec aliquis vni parti obediens, pendente treuga, parti alteri fœdus ſiue amicitiam inite pet mittatur, nec detur vel promittatur quicquam durante treuga directe vel indirecte pro guerra ſuſcitanda, & tam per terram quam pet mare treugæ firmiter ab omnibus ſint conſeruatæ. In Waſconia vero & in Flandria infra 15. dies, in Anglia & in Scotia, infta 40. dies treugæ fiant proclamatæ. Omnes captiui partis vtriuſque à dominica ante feſtum ſancti Vincentii proximo pręterita, vſque ad diem præſentem; de carceribus eiiciantur, bona rapta reddantur, & liberi, prout ratio exigit, dimittantur. Nulla nocumenta vel inuaſiones durante treuga intet pattes in præiudicium treugæ fiant vel deſpectũ. Dicti quoq; reges & eis adhęrentes durante treuga in tali remaneant poſſeſſione & ſeiſina, qua hodie perſiſtunt in omnibus bonis, tetris & poſſeſſionibus, quas detinent vel acquiſierant quoquomodo. Et ſecure de vna terra in alteram redibunt, & omnes mercatores cum metcibus, & cæteri ſinguli fideles, tam per terram quam per mare & aquas conſuetas, tamen in tegno perſolutis, ita libere veniant & ſecure, ſicut tempore prædeceſſotum dictorũ tegum ire ſolebant & redire, exceptis bãnitis dicto-

rum regnorum pro aliis cauſis & pro guerris regum ſupradictorum: ſed Barones Waſconiæ & cæteri de ducatu eodem banniti in dicta guerra continentur, & ire & redire poterunt, durante treuga ſępedicta, banniti vero & fugitiui patriæ Flandrenſis, qui fuerunt ex parte regis Francię durante treuga, Flandriam intrare non poterant: dictæ vero treugę continebunt & comprehendent Hiſpanos, Cathalanos, Ianuenſes, Prouinciales, Epiſcopum Cameracenſem, & capitulum cameratum, caſtra Pagi Cameracenſis, dominum de Brette vicecomitem de Fronſas, dominum de Tynbon, dominum Iohannem de Vernun, Dominum de Roya. Dominus vero Odo dux Burgundię, dominus Petrus dux de Burbon, in animam domini Philippi regis Franciæ: & dominus Henricus Lancaſtrię, dominus Wilhelmus de Boun, dominus Wilhelmus de Monte acuto comites, in animam domini Edwardi regis Angliæ ſecundum mandatum eis per reges ſæpefatos factum, tactis ſacroſanctis Euangeliis iuramentum pręſtiterunt concordale. Dat. in Prioratu ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Maletrete, ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Nauet. 19. die Ianuarii, anno domini. 1342.

Natale celebratum apud Windeſor.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo quadrageſimoprimo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quintus decimus, tenuit Rex natale apud Windeſore. Eodem anno Rex Edwardus cum ſuo nauigio Britanniam nauigauit, vbi per cibos & potus incongruos plures amiſit de ſuis. Quo tempore miſſi ſunt ad eum duo Cardinales, qui ex parte Papæ treugas triennales indixerunt inter reges, ſub quo ſpacio de iure quod Rex Angliæ vendicauit in regnum Francię diſcuti poſſet ad plenum. In redeundo quoque de Britannia maxima incommoda per marinam tempeſtatem perpeſſus eſt, quæ vtique dicebantur per nigromanticos regis Frãciæ procurari. Hoc anno quinto die Iunii apud manerium regium de Langele, iuxta ſanctum Albanum, domina Philippa Regina peperit filium, qui baptizatus eſt à domino Michaele Abbate de ſancto Albano, & nominatus eſt Edmundus. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer, rerum venalium copioſus: regionibus Franciæ atque Scotiæ otioſus: Anglię laborioſus, ſumptuoſus, & ſtudioſus.

Regina peperit quintum filium vocatum Edmundum.

Natale apud Kenington.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii ſextuſdecimus, tenuit Rex natale apud Kenyngton ſolenniter, cum multitudine tam incolarum quam alienigenarum magna nimis. Hoc anno Ludouicus de Bauaria, qui ſe imperatorem appellauit, fœdifragus & falſus, vicariatum citra Coloniam à rege Anglię, (vt ferebatur minus conſulte ſuſceptum) per ſuas literas reuocauit, & ſpretis fœderibus regi Anglię ſacramẽto firmatis, amicitias contraxit cum Rege Francorum. Sub eodem anno Rex Angliæ transfretauit in Britanniam Armoricam, iterato recepto prius homagio de domino Iohanne de Monteforti, pro Ducatu Britannię, qui fuit verus hęres ducatus eiuſdem, volens iuuare ipſum contra Dominum Carolum de Bloys, qui deſponſauit filiam alterius fratris germani, vbi Rex Edwardus plures villas, munitiones & caſtra rebellantia fortiter conquiſiuit, & poſt obſedit ibidem villam de Vanes. Et quamuis Philippus de Valeys Rex Frãciæ ſibi conglomeroſa multitudine occurriſſet, & treugas feciſſet, nihilominus remanſit villa prędicta regi Angliæ ſubiugata.

Natale apud Woodſtock.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii ſeptimus decimus, tenuit Rex natale apud Woodſtock, cum Regina Philippa, & filiis eorundem, ac primogenito ſuo principe Walliæ, & Comitibus ac Baronibus multis valde. Eodem anno Clemens ſextus, quondã Rothomagenſis Archiepiſcopus, ſucceſſit Benedicto duodecimo. Iſte Clemens vir inſignis literaturę fuit, ſed prodigalitatis profuſiſſimę, adeo vt dignitates Eccleſiaſticas vacantes in Anglia, ſuis conferret Cardinalibus, nouoſque pro eis in Anglia titulos moliretur imponere, qua de cauſa Rex Angliæ offenſus, prouiſiones per dominum Papam factas ceſſauit. Et ne quis deinceps tales prouiſiones afferret, ſub pœna carceris atque capitis interdixit. Hoc anno per totum regnum Anglię decimę tam temporalium quam ſpiritualium regi ſolutæ ſunt.

Eodem anno dominus Henricus de Lancaſtria, comes de Derby, cum comitibus de Glouernia, de Warwico, Northamtonia & Oxonia, Barone de Staffordc, Roberto de Vfforde iuniore, & aliis multis valentibus, & exercitu numeroſo profectus eſt verſus Scotiam, ad diſſoluendam obſidionem quam Scoti plantauerant circa caſtellum de Louhmaban, quod quidem caſtrum commiſſum fuerat cuſtodiæ comitis de Northamtonia, Wilhelmo de Boun, qui quendam militem dictum Walterum

de Sel-

de Selby cuſtodem in eodem caſtro conſtituerat loco ſuo, ſed probitate dicti Walteri, & Epiſcopi Carleolenſis, nec non domini de Lucy fuerat obſidione liberatum, antequam ſupradicti heroes aduenïſſent, ſic quod redierant negotio nullo facto. Circa pręſens tempus Henricus Burghwash Lincoln. epiſcopus in Flandria apud Gandauum diem clauſit extremum. Cui ſucceſſit Thomas le Beck, clericus nobilis & excellens. Iſte Henricus quondam Lincolnienſis epiſcopus cupidus & auarus, apud prędium ſuum de Tynghurſt, parcum fecerat, & ſuorum terras contiguas ipſis iunctis eidem parco adiecerat, & ſepibus ac foſſatis incluſerat, non ſine diris illorum increpationibus ademerat terras ſuas. Poſt mortem vero ſuam apparuit cuidam ex armigeris ſuis quondam, cum pharetra & arcu, ſagittis & cornu, indutus breui tunica, & ipſa viridi, & ait ei. Noſti quod non ſine Dei offenſa & iniuria pauperum clauſerim iſtum parcum, datus ſum igitur non ſine pœna ad cuſtodiam huius parci prout vides, quouſque terræ iſtic incluſæ priſtinis poſſeſſoribus reſtituantur. Vade ergo ad fratres nicos Lincolnienſes canonicos, & roga eos ex parte mea, vt hæc omnia pauperibus poſſeſſoribus redonentur, à quibus cum iniuria ea tuli. Canonici vero hęc audientes, & iniuriam prælibatam non ignorantes, miſerunt vnum de canonicis Wilhelmum Bacheler appellatum, ad reſtituendum ſua ſingulis, & ſepes extirpand. foſſataque complananda, qui rediens per Abbatem de ſancto Albano Michaelem, ſibi narrauit hæc omnia ſeriatim.

Eodem anno Papa Clemens iterum fecit in Anglia prouiſiones duobus Cardinalibus de beneficiis proximo vacantibus pręter Epiſcopatus, & Abbathias ad extentam duarum millium marcarum. Quod rex & tota regni nobilitas pati noluit, ſed procuratores dictorum Cardinalium ſub pœna carceris Angliam exire coegit. Et cito poſt rex direxit Papę illam famoſam epiſtolam pro libertate eccleſię Anglicanæ contuenda, quam pręſentibus duximus inſerendam.

Epiſtola miſſa Papæ Clementi pro libertate Eccleſiæ Anglicanæ, plena fructu, cui pro tunc Papa aut Cardinales reſpondere rationabiliter neſciebant.

SANCTISSIMO in Chriſto patri ac domino, domino Clementi, diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Edwardus eiuſdem gratia rex Franciæ & Angliæ, & dominus Hiberniæ, deuota pedum oſcula beatorum. Penſata ſedis apoſtolicæ clementia, quę de fomento deuotionis Chriſti fidelium, & animarum ſalute, ſolet eſſe ſumme ſolicita, non quęrens quę ſua ſunt, ſed quæ ſunt potius Ieſu Chriſti, tenet probabiliter noſtra fiducia, quod veſtra maturitas in ſpecula celſitudinis Apoſtolicę pręclaritate meritorum & ſcientiæ diuinitus iam erecta, ea quę decus eccleſię, & deuotionem plebis attenuant, ac animarum & rerum pericula comminantur, curabit miſericorditer reformare. In publicam autem non ambigimus notitiam prouenïſſe, qualiter ab exordio naſcentis eccleſię in regno noſtro Angliæ progenitorum noſtrorum regum Anglię, & procerum ac fidelium dicti regni digne recolenda prioritas propter diuini cultus augmentum conſtruxit eccleſias, & ipſas amplis dotauit poſſeſſionibus & priuilegiis communiuit, ponens in eis miniſtros idoneos, qui fidem catholicã in ſubiectis ſibi linguis, & populis fœliciter peregerunt, per quorum curã & ſolicitudinem vinea domini ſabaoth in cultu & fructu, ibidem mirifice fœcundauit, ſed q; dolendum eſt, ipſius vineę propagines degenerantur in labruſcas, & exterminant eã apri de ſilua, ſingulareſq; ferę depaſcunt eã, dum per impoſitiones & prouiſiones ſedis apoſtolicę, quæ ſolito grauius inualeſcunt, ipſius peculium contra piã voluntatem & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & præſertim exterorum, & eius dignitates & beneficia conferuntur pinguia perſonis alienigenis, plerunq; nobis ſuſpectis, qui non reſident in dictis beneficiis, & vultus commiſſorum eis pecorum non agnoſcunt, linguam non intelligunt, ſed animarum cura neglecta, velut mercenarii ſolummodo temporalia lucra quærunt, & ſic diminuitur Chriſti cultus, animarũ cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas, eccleſiarum iura deperiunt, ruunt ædificia clericorum, attenuatur deuotio populi, Clerici dicti regni viri magnæ literaturæ & conuerſationis honeſtę, qui curam & regimen poſſent ſibi ſalubriter peragere, & forent pro noſtris & publicis conſiliis opportuni, ſtudium deſerunt, propter promotionis congruæ ſpem ablatam, quę diuinę ſcimus non eſſe placita voluntati. Quinimmo graue noſtrum & fidelium noſtrorum verſatur pręiudicium & ineffabile periculum, niſi ſuper hoc citius & conſul-

tius caueamus. Nam ius patronatus quod nos & fideles noſtri in talibus obtinemus beneficiis eneruatur. Curia noſtra in qua duntaxat cauſæ ſuper iure patronatus dictorum beneficiorum tractari debent deluditur, & ſic iura coronæ noſtræ tam probroſe quam damnoſe depereunt, & regni theſaurus ad extraneos, ne dicamus noſtros maleuolos aſportatur, ſubtili forſan coniectura, vt regni depreſſo ſacerdotio, & eius exhauſto theſauro, reddatur regnum debilius in aduerſis, quæ ſingula & alia quæ ex pręmiſſis ſequuntur incommoda, fuerunt nuper coram nobis in parliamento noſtro generali pro communitate dicti regni palam expoſita, vnanimi & feruenti petitione ſubiuncta, vt prædictis diſpendiis quę dictæ communitati videntur intolerabilia celeriter occurramus. Nos autem Anglicanæ depreſſionem eccleſiæ, & exhęredationem coronæ noſtrę, ac mala pędicta quæ diſſimulata diutius adiicerent veriſimiliter grauiora, patulo cernentes intuitu, ad vos ſucceſſores Apoſtolorum principis, qui ad paſcendum non ad tondendum oues dominicas, ac ad confirmandum, & non ad deprimendum fratres ſuos mandatum à Chriſto ſuſcepit, iſta deferrimus votiuis affectibus ſupplicantes, quatenus pręmiſſis debite ponderatis ac conſideratis, quod de iure creandi ſunt de vico populi magiſtratus, & iuxta dictum Prophetæ, dandi ſunt de eodem loco populi vinitores, quod per beatos Apoſtolos legitur eſſe factum, dum gentibus viros linguarum ſuarum habentes notitiam tranſſumpſerunt, penſata etiam deuotionis plenitudine, qua domus noſtra regia, & clerus & populus dicti regni perſtiterunt hactenus in obedientiam dictæ ſedis, propter quod non habetet paternus affectus eis onera & grauamina cumulare, vt pater filiis theſaurizans, alleuians dictarum impoſitionum, & prouiſionum, ac onerum tam per ſedem apoſtolicam inualeſcentium grauitatem, permittentes vlterius vt patroni patronatus ſui ſolacium non amittant, eccleſiæque cathedrales & aliæ dicti regni liberas electiones & earum effectum habeant, quas quidem eccleſias dicti progenitores noſtri dudum ſingulis vacationibus earundem perſonis idoneis iure ſuo regio libere conferebant, & poſtmodum ad rogatum & ad inſtantiam dictæ ſedis ſub certis modis & conditionibus conceſſerunt, quod electiones fierent in dictis eccleſiis per capitula earundem, quæ conceſſio fuit per ſedem apoſtolicam ex certa ſcientia confirmata. Sed contra formam conceſſionis & confirmationis pędictarum, dicta ſedes per reſeruationes & prouiſiones ſuas dictis capitulis electiones adimit ſupradictas, & nobis ius & pęrogatiuam, quæ iuxta formam dictæ conceſſionis nobis competunt in hac parte, propter quod iuxta legem dicti regni noſtri, ex quo lex in conceſſione poſita non obſeruatur, conceſſio reuoluitur, & rei ſtatus reuertitur in primæuum ſuper pręmiſſis. Itaque dignetur quæſumus veſtra benignitas ad honorem Dei & ſalutem animarum, nec non ad tollendum ſcandala & pęiudicia pęlibata, feſtinum & ſalubre temperamentum apponere, vt nos & noſtri qui perſonam veſtram ſanctiſſimam & ſanctam Romanam eccleſiam revereri cupimus vt debemus, ceſſantibus dictis malis intollerabilibus, in paternæ veſtræ dilectionis dulcedine quieſcamus, reuireſcat veſtraque deuotio per oſtenſam nobis piæ moderationis veſtræ clementiam recreata. Conſeruet vos altiſſimus ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora proſpera & longæua. Datæ apud Weſtmonaſterium 26. die Septembris, anno regni noſtri Franciæ quarto, regni vero noſtri Angliæ, decimo ſeptimo.

Epiſtola regi directa pro Cardinalibus, quibus prouiſiones prius fecerat, expulſis de ſuis prouiſionibus.

CLEMENS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, Domino Edwardo regi Angliæ illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudũ poſt creationem nouorum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium, prouida & matura deliberatione pęuia per nos facta, honoribus Dei & eccleſiæ ſuę ſanctæ, ac vtilitati reipublicæ conuenire, quod Cardinales ipſi, qui ſuper expediendis negotiis ad alueũ Apoſtolicæ ſedis vndique cõfluentibus nobiſcum labores & onera partiuntur, & haberent congrue vnde ſuis valerent neceſſitatibus ſecundum ſtatus ſui decentiam prouideri. Demum excogitatis viis & modis licitis, quibus abſque minori eccleſiarum & perſonatum eccleſiaſticarum grauamine huius prouiſio ſequi poſſet de beneficiis eccleſiaſticis tunc in diuerſis regnis in partibus Chriſtianitatis vacantibus, & in antea vacaturis vſq; ad certã ſummã, pro ſingulis eorundem nouorum Cardinalium, & ſub certis formis & limitationibus pęfatis Cardinalibus diſtinctis eis, prout expedire vidimus prouinciis, gratias fecimus ſpeciales. Cũ autem duobus ex eis de ducatu Aquitaniæ

taniæ oriũdis, videlicet dilectis filiis noſtris Adamare, titulo ſanctæ Anaſtaſiæ, & Geraldo, titulo ſanctæ Sabinæ præſbyteris, Cardinalibus de huiuſmodi beneficiis in regno & terris tuis (fili chariſſime) conſiſtentib. in forma pro ipſis & aliis prædictis Cardinalibus cum magna deliberatione conſilii ordinata, gratias huiuſmodi prouiderimus faciendas, ipſiq; pro eis conſequendis gratiis certos procuratores & nuntios ſuos eccleſiaſticos, viros ſcilicet prudentes & literatos, ad partes regni tui Angliæ deſtinarent, ipſi procuratores & nuntii poſtquã ad regnum peruenićtes prædictum, inceperunt ibidem dominorũ ſuorum prędictorum negotia proſequi ſupradicta, per gentes & officiales regios non ſolum impediti ſuper eis, quinimo captiuati, & tandem de regno prædicto expulſi cum ignominia, ſicut infeſtis nimis relatibus percepimus, extiterunt. Profecto (fili dilectiſſime) ſi præmiſſa, quæ de procuratorib. prædictis præmittimus veritate nituntur attenta, deuotione ſincera, quam ad dominũ & ſacroſanctam Romanam Eccleſiam matrem tuam gerere dinoſceris, ſicut claræ memorię progenitores tui reges Anglię geſſerunt, dum in humanis agerent, ea de tua proceſſiſſe conſcientia faciliter credere non valemus. Certum eſt autem, quod non ſolum in regno & terris tuis prędictis, immo quaſi in omnibus regnis & partibus tam propinquis quam remotis, vbi catholicæ fidei viget cultus, aliis nouis Cardinalibus conſimilem gratiam fecimus, in quibus rebellionem aliquam præter prædictam, quam (ſi vera ſit) cum dolore cordis referrimus factam, nullatenus audiuimus vſquequaq;: ſatis namque honoribus & commodis regiis credebamus & credimus expedire, quod Cardinales, & illi maxime, qui naturaliter afficiuntur ad honores & cõmoda tua regia, in regno & terris tuis beneficia obtineant eccleſiaſtica, quia ex hoc proculdubio libentius & frequentius ad ꝓmouendos profectus regios inducuntur, & vtinam illi qui nutriti de micis eiuſdẽ Romanæ eccleſiæ, & ad honores & ſtatus exaltati per eam, impedimenta & alia prædicta procuraſſe, non abſq; magnæ ingratitudinis vitio, & aliis ſuis periculis veriſimiliter extimantur, ex quibus præter hoc excommunicationis & aliis pœnis & ſententiis promulgatis aduerſus tales à canonibus, ſe perículoſe nimium ſubiecerunt, quæ ſalutis, famæ, & honoris regii felicia reſpiciunt incrementa, fidelibus intenderunt ſtudiis, & contrarium acceptãdo nequaquam lucra propria ſub manu regia venarentur. Demum regiam rogamus excellentiam, & in domino attentius exhortamur, quatenus hiis quæ præmiſimus, & aliis, quæ in hac parte circumſpectioni regiæ poſſunt occurrere, diligenti præmeditatione intra pectoris regii clauſtra diſcuſſis, ea quæ contra dictos procuratores & quoſdam alios præfati Adamari Cardinalis, qui poſtmodum in eodem regno capi & detineri dicuntur, facta fuerunt, reparari & reuocari decẽter & benigne faciat, ipſoſq; procuratores regio fauore ſuffultos, circa proſequenda in eodem regno ſupradicta negotia, plena ſecuritate gaudere, pro diuina & noſtra dictæque ſedis reuerentia faciat regia celſitudo, aures non accommodando regias illis, aliquam in Dei offenſam, eccleſiæ prędictæ contumeliam, ac honoris, ſalutis & famæ tui culminis læſionem, poſſent quomodolibet redundare, vt dominum tibi ſemper propitium; & ſedem prędictam ſuper tuis oportunitatibus cõſtituas promptiorem. Reſcripturus nobis fili dilectiſſime, quæ tua regalis circumſpectio circa hæc prouiderit ordinanda. Datæ apud villam nouam Anniuoniæ diœceſis quinto Calendatum Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

De procuratoribus miſſis ad curiam Romanam.

Per idem tempus Rex Angliæ miſit procuratores ad Romanam curiam, dominos Henricum de Lancaſtria Comitem de Derby, Hugonẽ de Spencer, Radulphum de Stafford, cum Oxonienſi Epiſcopo & multis aliis, dans eis plenam poteſtatem & mandatum ſpeciale ad tractandum coram ſummo Pontifice de iure ſuo in regnum Francię, non vt iudice, ſed vt priuata perſona & amico communi, non in forma nec in figura iudicii, &c.

De quodam iuuene mirabiliter ſenſu alienato.

Eodem tempore contigit quoddam mirabile in partibus borealibus de quodam iuuene, qui fuerat in familia domini I. Baronis de Grayſtok, qui cum equitaret lætus, & hilaris per quendam campum ſeminatum cum ſiligine, & cerneret ſiliginẽ in modum æquoris fluctuare, repente conſiderat quendam homunculũ rubeum de ſiligine caput erigere, qui quanto plus conſiderauit eundem, tanto plus videbatur ſibi eum creſcere in ſtatura, qui appropinquans arripuit frenũ eius, & vellet, nollet, duxit eum in ſiliginem, ad locum, vbi (vt ſibi viſum fuit) pulcherrima domina cum multis puellis ſibi ſimilibus reſidebat, quæ mox iuſſit eum equo deponi, & pelle carnibuſq; lacerari, & demum excoriari mandauit. Deinde prædicta domina caput ſuum ſecans per medium, cerebrum (vt putabat) abſtulit, caput vacuumq; recluſit. Quibus ita geſtis, cum

leuari fecit in equum,& abire demiſit. Nec mora, expers & inops ingenii cœpit furere,& furioſos geſtus continuare. Cumque perueniſſet ad villam proximam, quædam puella, quæ & ipſa de domini ſui familia fuerat,& eum multũ dilexerat, venit ad eum, & curam illius egit, & ne damna inferret ſibi miniſtrantibus, cathenis eum coarctari fecit, quæ duxit eum ad multos ſanctos tranſmarinos pro conſequenda ſanitate, ſed cum nil profeciſſet ibidem, regreſſa eſt in Angliam cum eodem. Non tamen defuit ſibi ille rubeus & rufus, qui ſibi prius apparuit, ſed vbique viſibilis ſibi affuit. Et licet tribus aut quatuor cathenis ligatus fuiſſet, eas ſemper ſoluere conſueuit. Tandem apud ſanctum Iohannem de Beuerlaco poſt ſex annos huius miſeriæ recepit integram ſanitatem. In placidum nempe ſoporem reſolutus, viſum fuit ſibi pulcherrimam dominam eius caput iterato diuidere, & cerebrum per priorem ablatum dominam, reſtituere loco ſuo. Reſtitutus prouide priſtinæ ſanitati, duxit præfatam puellam, quæ eum circumduxerat,& ex ea quindecim filios generauit, qua defuncta, ad ſacros ordines ſe contulit, & præſbyter eſt effectus, & promotus ad Eccleſiam de Thorbaſſet. Dum autem miſſam cum deuotione ſumma celebraret, & corpus Chriſti (prout moris eſt) populo videndũ manibus eleuaret, apparuit rufus ille præfatus,& ait: Sit amodo tibi cuſtos, quem tu tenes in manibus, nouit nempe ipſe te quam ego melius cuſtodire.

Obiit Epiſcopus Norwicenſis.

Hoc anno Antonius Beck obiit, Epiſcopus Norwicenſis, cui ſucceſſit Wilhelmus Bateman. Hic auditor Papalis palatii ſatis famoſus, hoc tempore miſſus eſt à Papa ad Regem Angliæ, qui inter cetera retulit Regi, quod dux Bauariæ Papæ in omnibus ſe ſubmiſit, & abſolutionis beneficium promeruit ab eodem: & ſic Papa imperium, quod prius iniuſte tenuerat, ſibi iuſte contulit & gratioſe. Rex vero cum hæc audiſſet, ira commotus ita reſpondit: Et ſi ipſe componat cum Rege Franciæ, ego tamen paratus ſum confligere cum vtroque.

De florenis factis primo.

Hoc anno ad turrim Londoniarum iuſſit Rex florenos fieri, ſcilicet denarium, obulum & quadrantem. Sub his diebus ciuitas de Algazira capta eſt per Regem Hiſpaniæ, qui eam per triennium, per terram & per mare obſederat, cum pene innumerabili populo Chriſtiano. Rex vero de Garnade qui eam occupauerat, cum Sarracenis deuenit vaſallus regis Hiſpaniæ,& eidem conſtituit cenſum annuum duodecim millium florenorum. Dominus Papa his auditis, in dicta ciuitate ſedem ſtatuit Epiſcopalem, & Epiſcopum illius vrbis ſubiecit tanquam ſuffraganeum Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalenſi.

Rotunda tabula in Anglia.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii octauus decimus, Rex Edwardus fecit conuocari plures artifices ad caſtrum de Windeſore,& cœpit ædificare domum, quę rotunda tabula vocaretur: habuit autem eius area à centro ad circumferentiam, per ſemidiametrum centum pedes, & ſic diametrum ducentorum pedum erat. Expenſæ per hebdomadam erant primo centum libræ. Sed ex poſt propter noua, quę Rex ſuſcepit de Francia, reſecabantur ad 20. libras, eo quod cenſuit pro aliis negotiis theſaurum plurimum comportandum.

Rotunda tabula in Francia.

Eodem tempore Philippus de Valeys Rex Franciæ hoc facto Regis Angliæ prouocatus, cœpit & ipſe rotundam ædificare tabulam in terra ſua, vt ſic ſibi attraheret militiam Alemanniæ & Italiæ, ne ad Regis Angliæ tabulam properarent. Per idem temporis Rex Franciæ conceſſit ſuis hominibus liberam facultatem proſternendi arbores pro nauibus faciendis in omnibus baliuis ſuis, vnde infra breue tempus maxima copia nauium fabricata eſt, quæ multa damna Anglicis intulerunt.

Eodem anno quædam puella quinquennis, apud molendinum de Bettleſpole iuxta Redburnam cadens in aquam ſubito ſubmerſa eſt,& cum eodem tempore molendinum moleret, & rota vehementius per aquæ abundantis decurſum volueretur, eiuſdem puellæ corpus pertranſiuit rotam, ſed quod credebatur ſub rota contritum vel conquaſſatum, integrum permanſit & illæſum, ſaltem ab ipſius rotæ oppreſſione.

Miraculum factum per S. Albanum.

Cumque plurimi occurriſſent ad ſpectaculum, vt viderent matrem puellę vehementius lugere, & compati natæ ſuæ, fundentes vnanimiter orationem ad beatum prothomartyrem Albanum, & menſurantes corpus puellæ, idemque plicantes, quod mirum dictu eſt, cœpit puella reuiuiſcere, & poſt modicum temporis perfectę ſe vitæ redditam demonſtrare.

Priuilegia conceſſa clero per Regē.

Clerus Anglicanus Regi conceſſit decimas triennales,& rex conceſſit eiſdem per chartam ſuam, quod nullus Archiepiſcopus ſiue Epiſcopus ſit arenatus coram iuſtitiariis ſuis cauſa cuiuſcunque criminis, ſi ipſe ſpecialiter non præceperit, quouſque aliud remedium ordinetur. Item quod nullus clericus ſit arenatus coram iuſtitiariis ſuis, ſiue ad ſectam ſuam, ſiue partis, ſi clericus ſuæ clerimoniæ

niæ ſe ſubmittat, dicens ſe membrum Eccleſiæ ſanctę, non debere ipſis Iuſtitiariis reſpondere. Et ſi ſibi imponatur, quod duas vxores duxerit, ſiue vnam viduam, quod ſuper hoc iuſtitiarii non habeant commiſſionem nec poteſtatem ad tractandum per inquiſitionem, vel alio modo bigamiam, ſed mittatur curiæ Chriſtianæ, &c. Venit eo tempore quidam medicus Sarracenus ad Comitem de Warenna, petens licentiam capiendi quendam ſerpentem in dominio ſuo in partibus Walliæ, in loco, qui Brumfield appellatur. Qui cum per incantationes cepiſſet ſerpentem, dixit eſſe in cauerna loco vicino, vbi ſerpens habitauerat, magnam ſummam theſauri. Quod audientes viri de Hereford, conſilio cuiuſdam Lumbardi, qui vocabatur Petrus Pikard, fodere cœperunt illic. Et reperientes verum eſſe, quod Sarracenus prædixerat, illuc in noctibus ſæpius conuenerunt, donec explorati à famulis dicti Comitis capti ſunt, & carceri mancipati, Comes vero non modicum lucrum ſumpſit ex hoc facto. Hoc anno Papa Clemens in conſiſtorio publico dominum Ludouicum de Hiſpania creauit principem Inſularum fortunatarum, qui tunc fuit vnus de Ambaſſatoribus Regis Franciæ. Et aſſumpſit Papa pro themate, Faciam principem ſuper gentem magnam. Illæ autem Inſulę ſunt in mari mediterraneo valde fertiles, quarum incolę nec ſunt Chriſtiani, nec de ſecta Mahometi. Donum vtique laude dignum, ſi poſſeſſionem pacificam contuliſſet.

De quodam caſu mirabili.

Creatur nouus princeps inſularũ Balliarum.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quinto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii nonuſdecimus, Henricus de Lancaſtria Comes de Derby in Waſconiam transfretauit, cum ſexcentis hominibus de armis, totidemque ſagittariis. Qui in primo inſultu vrbẽ munitiſſimã de Brigerack cepit, & 11. nobiles in ea exiſtentes, & plurimos de plebeis capitauit. Vrbes inſignes & villas ibidem numero quinquaginta ſex, Regis Angliæ ditioni ſubiecit. Paulo poſt, exercitum Francorum cum manu valida apud Allebrok contra eum venientem contriuit, captis nobilibus viginti tribus, cum aliis quaſi innumeris viris armorum. Ceteris vero aut peremptis gladio, aut turpiter actis in fugam. Erat enim tam liberalis, tam profuſus in donatiuis, vt dulce quiſque reputaret militare ſub ipſo. Nam cum villam aliquam vi occupaſſet, parum aut nihil ſibi collegit, ſed exercitui vniuerſa permiſit. Reuera cum villam nobilem de Brigerack poſt magna pericula & ſudores hoſtiliter ingreſſus fuiſſet, permiſit cuilibet domum vel manſum occupanti, tam domum quam in ea contenta. Accidit, vt quidam miles, nomine Reth, domum infringeret, vbi monetarii illius terræ monetam in magnis & longis ſaccis poſuerãt pro tutela. Cumque miles tantam conſpexiſſet pecuniam, rem Comiti nuntiauit. Erat enim in ſuperficie moneta nigra de ære, prout moris eſt, ibidem fabricare. Requiſiuit igitur, quid Comes vellet fieri de eadem. Qui ait, Tua (inquit) eſt domus, tua ſunt & in ea reperta. Regreſſus miles, dum effunderet è ſaccis illam pecuniam, vt ſciret eius ſummam, ſubito conſpicit inæſtimabilem ſummam monetæ, de argento puro percuſſæ, & obſtupuit ipſa reuiſa. Æſtimanſque multo plus ibi eſſe de pecunia, quam congruebat ſuæ fortunæ, reuerſus ad Comitem rem protinus enarrauit. Cui Comes: Non (ait) decet me dare, & donum reuocare more puerorum, volo vt tibi permaneant quæ conceſſi, & ſi foret pecunia triplo maior. Eodem anno obiit Epiſcopus Wintonienſis Adam, qui magno tempore cœcus fuerat ante mortem. Cui ſucceſſit Wilhelmus Edyndon theſaurarius Angliæ. Hic fundauit domum apud Edyndone, de ordine, qui neſcitur, de ſecta fratrum de Asherugh. Eodem anno obiit dominus Henricus Comes Lancaſtriæ, pater Henrici Comitis de Derby, & ſepultus eſt Leyceſtriæ in monaſterio canonicorum, præſentib. rege & regina tam antiqua quam noua. Archiepiſcopis & Epiſcopis, comitibus & baronibus quaſi totius regni. Filius eius & heres eo tempore in Waſconia, vt præfertur, actus bellicoſos & ſtrenuos exercebat: quamobrem intereſſe non potuit exequiis patris ſui. Scoti ſub his diebus collecto exercitu quaſi triginta millium, duce Wilhelmo Duglas, apud Weſtmerland hoſtiliter Angliam ſunt ingreſſi, ad inſinuandum erga ipſorum malitiam Carleolum & Penreth, & multas alias villulas combuſſerunt. Epiſcopus igitur Lugubaliæ, & Thomas de Lucy miles ſtrenuiſſimus, cum parua manu ex omni parte Scotorum exercitum circuierunt in noctibus, & lituis, & cornibus, & nocturnis clamoribus ſic inquietauerunt, vt nec pro victualib. exire auderent, nec membra dare ſopori. Tandem cum Scotos omnino vrgeret neceſſitas, Alexander Stragan coadunatis de audacioribus ſuæ gentis pabulatum exire diſpoſuit. Cui mox obuiam fit Carleolenſis Epiſcopus cum Roberto Oggil, & acriter irruunt ſuper Scotos, demum ſors contulit, vt

De probitate Henrici comitis de Derby.

De liberalitate comitis de Derby.

Scoti comburunt villas in Anglia.

Rober-

Robertus Oggil cum Alexandro præfato haſtiludiare valeret. Qui cogens dextrarium vehementer cum lancea præacuta, ipſius Alexandri corpus perforauit, non ſine læſione ſui ipſius. Nam & ipſum Scotus in latere, ſed non læthaliter vulnerauit. Epiſcopus à Scotis ab equo & ipſe deiicitur, & pene capitur, ſed ſuorum laudabili probitate & equo reſtitutus eſt, & à Scotorum manibus liberatus. Et quamuis Scoti viſi ſunt primo propter ſuam multitudinem præualere, commendabili tamen Anglorum conſtantia victi ſunt, multis occiſis, & pluribus captiuatis. Interea domini de Percy & de Neuile ex parte vna, dominus de Lucy ex alia, & viri de comitatu Lancaſtriæ ex tertia, Scotos iam requie & prandio deſtitutos in ſuis tentoriis inuadere cõdixerunt, quod Scoti per exploratores cognoſcentes, ante dictorum dominorum aduentum in ſuam patriam meticuloſe fugerunt.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus, Rex Edwardus miſſis ad curiam Romanam literis, in quibus aſſeruit per Regem Franciæ Philippum, & eius complices, certis rationibus aſſignatis treugas eſſe violatas: menſe Iulii ingreſſus eſt mare in feſto ſancti Thomæ Archiepiſcopi, omnibus ignorantibus quorſum tenderet. Tandem cuiuſdam militis de Harecourt nuper de Francia exlegati, in auſtrali parte Normanniæ apud Hogges, iuxta Sequanam flumen applicuit, mox Cadonum hoſtiliter ingreſſus, cepit, ſpoliauit, combuſſit, & poſtea multas vrbes: verum quia Philippus Rex Franciæ pontes fluminum verſus Franciam in cunctis locis, quibus tranſitus eius eſſe poterat, ante confregerat, nec facultas daretur exercitibus confligendi ad inuicem, Rex Edwardus Normanniam penetrauit, & in ſuo tranſitu Picardiam deuaſtauit & conflagrauit, & tandem veniens Puſianum, fractum pontem ibidem iuſſit reparari. Interim Comes Northantoniæ flumen Sequanæ tranſiens, quingentos ex illis, qui pontium reparationem impedire conabantur, occidit. Mox Rex Edwardus 16. die Auguſti Sequanam flumen pertranſiens, patriam vbicunque perrexit, circumcirca deſtruxit, deprædatuſque eſt illius incolas, & captiuauit aquam de Summe, vbi antea nuſquam fuit trãſitus, illæſus cum toto ſuo exercitu pertrãſiens, & de Gallicis, qui tranſitum impedire conati ſunt, duo millia interfecit. Interim dominus Hugo de Spencer villam de Crotoye cepit viriliter, & quadringentos armatos, qui ad villæ cuſtodiam deputati ſunt, interemit.

Rex intrat Franciam, & capit Cadonũ, vaſtat Picardiam, & tranſit aquam de Summe.

De bello de Creſſy.

Rex Franciæ Philippus audiens, & cognoſcens animoſitatem, probitatem & conſtantiam Regis Edwardi, cum iamdudum comparatis & conductis exercitibus parat obuiam Regi Edwardo. Igitur viceſimo ſexto die Auguſti Reges ſibi obuiant cum ſuis exercitibus apud Creſſy in Pontino, vbi commiſſum eſt bellum atrox valde, & multum ſanguinis effuſum ex parte Gallicorum. Nempe Rex Franciæ Philippus ibi deuictus eſt, cum innumerabili exercitu conductitiorum & fugatus. Duo etiam Reges, qui in auxilium venerant Regis Franciæ, ſcilicet Boemiæ & Maioricarum ibi perempti ſunt. Ferunt vtique Regem Boemiæ cæcutientem fuiſſe, & res poſitas à remotis cernere non potuiſſe, qui quæſiuit à ſuis, qualiter Anglici collocati eſſent. Cui reſpõſum eſt, quod diſpoſiti erant pulchre per bella, & quod ſtatuiſſent à tergo omne cariagium eorundem. Ipſi (inquit Boemius) vel mori volunt in campo die iſta, vel certe victores exiſtere. Relatum eſt præterea Regi Boemiæ, quod multi alites, ſcilicet corui, cornices, & monedulæ, & aliæ eadaeurum ſectatrices ſupra Francorum exercitum volitarent: Prodigium (inquit Boemius) eſt hoc & dirum ſignum, ſignificat (inquit) exercitum fore mactandum. Attamen, inquit, applicate me ad aliquem nobilem, cum quo congredi valeam, ſi poteſtis. Et mox eius milites collocauerunt eum in loco, vbi copiam habere potuit pugnandi cum Edwardo Regis Angliæ primogenito. Cumque conſtanter & bellicoſe pugnaret, circumcluſus & oppreſſus ab Anglicis eſt peremptus. Cecidit ibi præterea Dux Lotharingiæ, cum duobus Epiſcopis, octo Comitibus, & pluribus aliis nobilibus, quorum nomina ſingulatim ſcribere longum foret, duoque millia militum ibidem proſtrati ſunt, & vulgus cuius numerus ignoratur, in hoc bello necatur. Qui gladios, lanceas, ſecures & ſagittas Anglorum potuerunt euadere, cum Rege ſuo fugerunt. Philippus vero Rex Franciæ, dum ſuos hortabatur, & animare conatus eſt, dum in Anglos, vt lupus inter agnos deſinit: dum multos proſternit & perimit, in gutture & femore vulneratur, & bina vice per regem Angliæ equo ſuo deiicitur. Captuſque fuiſſet ibidem, niſi citius ſibimet fuga conſuluiſſet. Quo fugiente, plena victoria ceſſit Anglis. Poſt præfatam victoriam Rex Edwardus recreato, remunerato & refocillato ſuo exercitu, mox nono die ſequente planta-

Obſidio Caleſii.

plantauit obſidionem circa villam Caleſiæ ab olim ſibi regnoq; ſuo toto infeſtiſſimæ, quam obſidionem per annum & amplius protelauit, per quod tempus ibi multi de Anglicis cum corruptione cadauerum & inteſtinorum animalium, cum reliquis incommodis, & maxime fluxu ventris perierunt. Per idem tempus Dauid le Brus Rex Scotię animatus per inſtigationem Regis Franciæ, cum Scotorum exercitu glomeroſo auſus eſt intrare Angliam, æſtimans non remanſiſſe in terra niſi clericos & paſtores, autumnabat enim omnem regni malitiā cum ceteris viris defenſoribus exiſſe regnū cum rege ſuo. Nec vtiq; ſibi conſtabat de glorioſo triumpho, quem rex Angliæ de rege Franciæ reportauerat, ſed progrediens vſq; Dunelmā, putabat ſe poſſe montes æquare vallibus, & cuncta ad libitum ſibi licere, ſed eum opinio ſua cito fefellit. Nam per clerum Eboracenſem, & paucos laicos, non ſine confuſione maxima in vigilia ſancti Lucæ Euangeliſtæ deuictus & captus eſt, cum Wilhelmo Duglas, & multis aliis nobilibus de regno ſuo, & carcerali cuſtodiæ mancipatus. Qui vero dictam (volente Deo) fecere victoriam, fuerunt dominus Wilhelmus la Zouche Epiſcopus Eboracenſis cum clero ſuæ diœc. dominus Gilbertus de Vmfreuyle comes de Angos, Henricus Percy, Radulphus Neuile, Wilhelmus Dayncourt, & Henricus Scroop, cum exercitu quem collegerant Anglicorum, prout poterant in tanta temporis diſtrictione. Et quamuis pene tota militia Scotiæ ibi capta fuerat vel perempta, pauci tamen ibi (Deo laudes) ex Anglicis ceciderunt. Ibidem fuerunt Robertus Comes Morauiæ, & Moritius Comes de Stratherne. Cum Rege vero capti ſunt Comes de *Fyfe*, de Menteth, & de Wygyton. Et reuera hic dies fuiſſet vltimus obſtinatæ Scotorum rebellionis, ſi prædis & captiuis tunc omnino neglectis, Anglici gentem ab antiquo rebellem perſequendo de terra viuentium deleuiſſent. Eodem anno tertio Calend. Auguſti Regina peperit filiam nomine Margaretam. Eodem anno Thomas de Dagworth miles, genere Anglus, cum octoginta armatis & centum ſagittariis, tertio nonas Iunii contra Carolum de Bloys & magnates Britanniæ, & multos extraneos circumquaque collectos habito conflictu valido velut alter Machabæus, per duas vices præualuit die illa, deletis nempe plurimis in ore gladii multos cepit: habuit enim idem Carolus in exercitu ſuo mille quingentos armatorum, octo millia baliſtariorum, & triginta millia peditum. Eo quoque anno menſe Auguſti, tenente concilio in Aquitannia domino Henrico de Lancaſter comite de Derby cum ſuis magnatibus, Iohannes primogenitus Regis Franciæ, qui villam de Aquilon longo tempore obſederat, ſed eam obtinere non poterat, miſit ad Henricū pro treugis habendis, quæ ſibi negabantur expreſſe. Iohannes ergo quanquam iuraſſet, ſe non receſſurum, antequam villam intraſſet: relictis tamen ſarcinulis & tentoriis confuſus abſceſſit. Expoſt mox idem Henricus dictam villam de Aquilon, & villam de Reas, aliaſque multas villas cum caſtellis de Agoneys, & Tonyngges ſibi ſtabiliuit. Deinde progrediens per Scyntonge, cum mille armatis hominibus pernoctauit in villa de Saluetetre, tunc ſibi reddita præ timore. Poſt hæc villas ſancti Iohannis de Angeleyn & de Liuesham potenter cepit per inſultum, captis reſiſtentibus vel occiſis, & quodam Epiſcopo, cum quatuor baronibus, & multis aliis fugientibus ex alia parte ciuitatibus, in qua cum cepiſſet ſpolia quanta placuit, rediit Burdegaliam cum triumpho.

Bellum Dunelmia inter Scotos & Anglos.

Probitas Thomæ de Dagworth.

Acta comitis de Derby.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus primus, cum rex Anglię ſtrictius obſideret Caleſiam, Rex Franciæ iuxta promiſſionem, quam obſeſſis promiſerat, collecto exercitu Caleſiam appropinquat, ad diſſoluendum obſidionem, ſi quoquomodo valeret. In craſtino vero aduentus ſui clam aufugit diluculo relictis tentoriis, cum victualibus abunde refertis, metuens nimirum Anglici regis audaciam, quam expertus fuerat parum ante damno ſuo. Qui in Caleſia villam tenebant contra Regem Angliæ, viſo quod Rex Franciæ aufugiſſet, iam omnino deſperantes de ſuccurſu, & eo maxime, quod fame & inædia tabeſcebant, villam Regi Angliæ reddiderunt, ſaluis vita & membris. Rex autem ingreſſus, villam eius diſpoſitioni & ordinationi totaliter intendebat, quaſi per ſpaciū vnius menſis manens ibidem. Papa vero conſiderans rem contigiſſe contrariam votis ſuis, & iam Regem Angliæ effectum celeberrimum inter omnes Reges, interpoſuit partes ſuas, vt treuga fieret inter regna. Et poſt hæc cum ſumma laude & gloria Rex Edwardus circa feſtum ſancti Michaelis in Angliam eſt reuerſus. Sed in redeundo, ſicut quondam de Britannia minori, repatrians, maximam tempeſtatem perpeſſus eſt in mari, vbi multos valentes & probos de ſuis

De captione Caleſiæ. & reditu Regis in Angliā, & periculo quod perpeſſus eſt in mari.

amiſit

amiſit, ſic & modo magnas pertulit aduerſitates, vnde beatæ virgini conqueſtus eſt dicens: Sancta Maria (inquit) domina mea, quid eſt, quod tendēdo verſus Franciam, felici aura, potior mare placatur, & cuncta proſpere mihi ſuccedunt: in redeundo vero verſus Angliam mihi eueniunt ſæua infortunia, & nimis aduerſa. Eodem anno Thomas de Dagworth ſupradictus cum trecentis armatis, & quadringentis ſagittariis, Carolum de Bloys in obſidione rupis Dianæ laborantem. 12. Calend. Iulii in aurora diei ſuperueniens eſt aggreſſus multitudinem, ad prælium præparatam, & eius aduentum præſtolantem proſtrauit, Carolum cepit cum multis nobilibus, triumphumque obtinuit, futuris ſeculis merito commendabilem. Erat autem in exercitu Caroli militum & ſcutiferorum mille ducenti, & aliorum armatorum ſexcenti, baliſtariorum duo millia, & peditum copia magna valde.

De captione Caroli de Bloys.

De pace & gloria regni Angliæ iſto anno.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octauo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus ſecundus, compoſita pace per totam Angliam videbatur Anglicis quaſi nouus ſol oriri, propter pacis abundantiam, rerum copiam, & victoriarum gloriam. Nam nullius nominis erat fœmina, quæ non aliquid de manubiis Cadomi, Caleſiæ, & aliarum vrbium tranſmarinarum veſtes furruras, culcitras & vtenſilia poſſidebat: mappæ menſales, & monilia, ciphi aurei, & argentea linthea & lintheamina, ſparſim per Angliam in ſingulorum domibus viſebantur. Tunc ſuperbire cœperunt matronæ Anglicanæ in apparatibus matronarum Galliæ celticem, & vt illæ dolebant de rerum ſuarum amiſſione, ſic iſtæ gaudebant de rerum dictarum acquiſitione. Hoc anno fuit magna pluuiæ inundatio, quæ durabat à feſto natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ, vſque ad natale domini proximo ſequens, quam ſecuta mox eſt mortalitas in oriente Sarracenorum & incredulorum aliorum, in tantum, vt vix decimum vitæ relinqueret Sarracenum, qui putantes hanc ciſ peſtem immiſſam propter incredulitatem ſuam, ad fidem ſe Chriſti conuerterunt, ſed comperto, quod in ſecta Chriſtiana eadem peſtis inualuit, iterum ad vomitum reuertuntur.

De magna pluuiæ inundatione.

De magna mortalitate in Anglia, quæ à modernis vocatur prima peſtilētia.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus tertius, magna mortalitas hominum graſſata eſt per orbem, incipiens ab auſtralibus & borealibus plagis, tantaq; clade deſæuiens, vt vix media pars hominum remaneret, tunc villæ olim hominibus refertiſſimæ ſuis deſtitutæ ſunt colonis, & adeo crebra peſtis inualuit, vt vix viui potuerunt mortuos ſepelire. In quibuſdam vero religioſorum domibus de viginti vix ſuperetāt tantum duo. Æſtimabatur autem à pluribus, quod vix decima pars hominum fuiſſet relicta ad vitam. Hanc peſtilentiam è veſtigio lues animalium eſt ſecuta, tunc redditus perierunt, tunc terra ob defectum colonorum, qui nuſquam erant, remanſit inculta. Tantaq; miſeria ex his malis eſt ſecuta, quod mundus ad priſtinum ſtatum redeundi nunquam poſtea habuit facultatem.

De fraude Gallorum apud Caleſiam, & eorum caſu.

Eodem anno quidam miles nomine Galfridus Charneys, vnus de ſecretariis regis Franciæ, venit clam & ſubdole cum multitudine pugnatorum ad capiendum Caleſiam, ſecundo die Ianuarii, ſecundum quod erat per prius doloſe conductum inter ipſum & cuſtodem illius villæ, vt ſaltem ſi villā obtinere non poſſet, ad minus caſtrum villæ ſine dubio obtineret. Et vt ita fieret effectualiter, ſoluit præ manibus præfato cuſtodi (qui fuit oriundus ex Ianua) pecuniæ magnam ſummam. Quod cum Regi Angliæ Edwardo fuiſſet intimatum, neſcientibus Francigenis, illuc ſecrete cum ſuis aduenit armatis ad vnguem. Miles vero prædictus, iuxta conuentionem inter ipſum & Ianuenſem factam, miſit quoſdam de ſuis, vt liberum introitum obtinerent, ſuo nomine, in caſtrum prædictum. Quibus ingreſſis, pons ligneus ſubito eleuatus, ante fores incluſit ingreſſos, & excluſit de foris exiſtentes. Mox Rex Edwardus extra villam Caleſiæ cum ſuis egreſſus animoſe, Francigenas eſt aggreſſus. Orta eſt ergo grauis pugna inter Francos & Anglicos, & tam acriter pugnatum eſt ex vtraque parte, quod vix cum Rege Edwardo remanſerunt triginta de ſuis, tam conſtanter, tam feruide erant cum Gallicis occupati. Rex Edwardus prouide frendens apri more, & ab ira & dolore turbatus, euaginato gladio, Sanctum Edwardum & Sanctum Georgium inuocauit, dicens: *Ha Sainct Edwarde, Ha Sainct George*, quibus auditis & viſis, milites confeſtim Anglici confluebant ad Regem ſuum. Et facto impetu contra hoſtes tam animoſe inſteterunt, quod ducenti ex illis ceciderunt interfecti, & miles ſupradictus captus eſt cum pluribus aliis ſi... [illegible] gentis. Nonnulli vero fugæ præſidio ſunt ſaluati. Interim ſequente peſte in Anglia, dominus Papa Clemens conceſſit plenam remiſſionem

[illegible] remiſſio.

cauſa

Digitized by Google

cauſa huius epidemiæ omnibus vere contritis & confeſſis per totum regnum morientibus. Item obiit Symon Abbas Weſtmon. cui ſucceſſit Symon Banham, qui mox factus eſt regni theſaurarius, deinde Epiſcopus Elienſis, ex tunc regni Cancellarius, deinde Archiepiſcopus Cantuar. demum præſbyter cardinalis titulo ſancti Sixti, poſtremo Epiſcopus Prænestinus.

De bello apud Winchelſee.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, qui eſt annus regni regis Edwardi a conqueſtu tertii viceſimus quartus, commiſſum eſt bellum nauale inter Anglicos & Hiſpanos quarto Calendas Septembris. Edwardus nempe Rex Angliæ cum paucis nauibus obuiauit nauigio Hiſpaniæ, viris bellicoſis refertiſſimo iuxta Winchelſee. Et facto atrociſſimo conflictu, multi læſi ſunt ex vtraque parte. Nam tam feruens erat bellum, tam crebra vulnera inflicta ex omni parte, quod ab illo prælio vix aliquis euaſit illæſus. Demum (Deo volente) victoria ceſſit Anglis. Captæ ſunt ibi igitur 26. naues magnæ, reliquis ſubmerſis, vel in fugã verſis. In hoc conflictu dum Hiſpani timidi & ſuperbi, atque fidentes in robore ſuo, & ſtrenuitate dedignantur ſe reddere iuſſu Regis Edwardi, omnes miſerabiliter perierunt, alii ferro cæſi, alii aquis ſubmerſi. Hoc anno obiit magiſter Thomas Bradwarden Cantuarienſis Archiepiſcopus, cui ſucceſſit magiſter Symon Iſlep.

Tranſlatio ſancti Thomæ Herefordenſis.

Eodem anno cũ magna veneratione facta eſt tranſlatio ſancti Thomæ Herefordenſis Epiſcopi, Rege præſente cum nonnullis Eccleſiæ Anglicanæ prælatis, regniq; nobilibus & aliis plebeis in multitudine copioſa. Eodem anno factum fuit duellum in palatio Regis apud Weſtmonaſt. inter dominum baſtard filium Philippi regis Francorum, & quendam militem de Ypres, ceſſitque victoria Iohanni præfato. Annus iſte erat Iubileus, quo multi de populo vtriuſque ſexus, pro gratia remiſſionis ſuorum peccaminum conſequenda, Romam ſunt profecti. Quo quidem anno, venerunt in Angliam pœnitentes viri nobiles & alienigenæ, qui ſua nuda corpora vſque ad effuſionem ſanguinis, nunc flendo, nunc canendo acerrime flagellabant, tamen (vt dicebatur) nimis hoc faciebant inconſulte, quia ſine licentia ſedis Apoſtolicæ.

De anno Iubileo.

De fabricatione groſſorum & dimidii groſſi.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus quintus, Wilhelmus de Edyngdon Wintonienſis Epiſcopus, regni theſaurarius, & vir magnę prudentiæ, & qui plus Regis dilexit commodum quam communitatis: excogitauit, & fecit inſculpi nouam monetam, ſcilicet groſſum, & dimidium groſſum, ſed hæc erant minoris ponderis, quam correſpondens ſumma ſterlingorum. Quæ res fuit expoſt occaſio, quod victualia ſiue mercimonia fuerunt per totam Angliam magis cara. Operarii vero & artifices, ac ſeruientes prouide callidiores ſolito ſunt effecti. Contra quorum aſtutiam & ſuperbiam, nequitiam & auaritiam, ordinata ſunt ſtatuta per parliamentum ad Weſtmon. Expoſt anno regni Regis Edwardi tertii à conqueſtu 28. & 35. ſed parum ante nihil communibus profecerunt.

De bello Maurona & probitate domini Walteri de Bendeley.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus ſextus, in vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ, dominus Walterus de Bendeley miles egregius, & cuſtos Britanniæ Armoricæ iuxta Mauron inter villas de Reynes & Plumerel, cum trecentis hominibus armatis & totidem ſagittariis debellauit, & vicit Mareſchallum Francię venientem hoſtiliter contra eum, cum exercitu exceſſiuo. Nempe ex parte Gallicorum cæſi ſunt ibidem viri nobiles, id eſt, domini tredecim, milites vero centum quadraginta, ſcutiferi quoque centum, tot autem pedites, quod eorum numerus non facile poterat deprehendi. Capti ſunt ibidem inſuper nouem domini, milites & armigeri centum quadraginta. Gallici & Britanni per hunc euentum ſunt maxime conſternati, & eorum faſtus & ſuperbia inclinati. Obiit Clemens Papa, cui ſucceſſit Stephanus Epiſcopus Hoſtienſis, qui Innocentius ſextus eſt vocatus. Eodem anno Haymo Atthethe Epiſcopus Roffenſis, ſponte & votorie renuntiauit epiſcopatui, reſignans illum in manus Papæ. Cui Papa prouidit de magiſtro Ioanne de Schepey monacho & priore dictæ ſedis. Sub quo tempore incepit magna cariſtia rerum venalium, id eſt, ferri, plumbi, æris, & omnium aliarum. Eodem anno Wilhelmus dux Selandiæ duxit in vxorem filiam Henrici Comitis Lancaſtriæ.

Obiit Clemens Papa 6.

Statuta ſunt in parliamento Londonia ſed fruſtra.

Anno gratiæ milleſimo trecenſimo quinquageſimo tertio, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus ſeptimus, tenuit Rex Parliamentum apud Weſtmonaſt. poſt feſtum Paſchę, in quo ſtatutum eſt inter cetera, quod ſeruien-

tes & operarii & ceteri frequentatores ſeruilis operis de cetero pro dictis ſuis ſine annuis famulatibus plus mercedis vel ſtipendii non accipiant, quam ſolebant accipere ante annum peſtilentiæ quouis modo. Præterea ſtatutum eſt ibidem, vt panni venales per totam Angliam ſint in longitudine & latitudine, ſicut olim ſtatutum eſt apud Northamtoniam. Et quod omnia molendina & alia quæque impedimenta nauium, limborum, & omnium aliarum vectuarum per riuos aquarum omnium in Anglia, tollantur & deleantur. Quæ omnia expoſt (mediãte pecunia & ſingulari dominorum amicitia) ſtate permittebantur ad communium detrimẽtum. Eodem anno tanta fuit ſiccitas à menſe Martii, vſq; ad menſem Iulii, quod vix per totum tempus hoc plueret ſuper terram, vnde contigit, vt ſementa, herbæ, & omnia alia olim fructifera perierunt. Ob quam cauſam Anglia ſemper fertilis, ab aliis regionibus petere alimoniam coacta eſt. Cuius miſeriæ condolens Wilhelmus dux Selandiæ, naues plures onuſtas ſiligine Londonias deſtinauit, quæ non parum profecit incolis regionis.

Primus dux Lancaſtriæ.

Hoc anno Henticus comes Derby & Lancaſtriæ apud Weſtmonaſt. dux Lancaſtriæ eſt creatus, & Radulphus de Stafforde, comes Staffordiæ factus eſt.

De prolocutione concordia inter Regem Franciæ & Angliæ, quæ fruſtra fuit dolo Francorum.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quarto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus octauus, facta eſt concordia & iuramento firmata inter Reges Angliç & Franciæ, excepto quod ſigilla eorum adſcripta indentata nondum fuerant appoſita. In quibus continebatur, quod Rex Angliæ haberet omnes terras ſuas ducatus Aquitanniæ, quas ſibi Rex Franciæ iniuſte vſurpauerat, ſi Rex Angliæ totum ius & clameum, quibus regnum Franciæ vendicabat Regi Francorum remitteret, ac imperpetuum renuntiaret, ſuper quo negotio ex parte Regis Angliæ miſſi ſunt ſolennes nuntii ad Romanam curiam, videlicet, dominus Henticus Lancaſttiæ, Rich. Comes Arundeliæ, Wilhelmus Norwicenſis Epiſcopus, & Guido de Bryan, vt dominus Papa dictam concordiam confirmaret. Sed dolo & fraude Gallotum, quibus iugiter adhærebant, vna cum conniuentia domini Papæ à concordia eſt diſceſſum. Rex vero Edwardus ex hoc non modicum exaſpetatus, copioſo exercitu congregato, regnum Franciæ confeſtim intrauit, ac illud vaſtare cæpit.

Hoc anno feria tertia in hebdomada Pentecoſtes, combuſti ſunt apud Auinionem duo fratres Minores, pro quibuſdam erroneis opinionibus prout Domino Papæ & ſuis Cardinalibus videbatut. Illo quippe anno, grandis ſeditio inter laicos & Scholares Oxonienſes eſt exorta: Laici nempe collecta multitudine virorum de patria cõuicina, in ſcholares atrociſſime irruerunt, & quoſdam vulnerauerunt, quoſdam crudelitet peremerunt. Tandem more prædonum bona Scholarium diripientes, eos de villa fugere compulerunt, propter quod Oxonia diu poſtea erat ſuppoſita Eccleſiaſtico intetdicto, ſed demum mediantibus regni magnatibus, & eorum amicis, pax inter eos tali pacto firmata eſt: vt ciues Oxonienſes, qui cauſas diſcotdiæ miniſtrauerãt, firmitet & ꝑpetualiter obligarent ſe nunquã de cetero ſcholatibus Oxonienſibus fore nociuos, vel eis læſionem aut iniuriam illaturos: regimenque totius villæ cancellatius vniuerſitatis, qui pro tempore fuerit, & nullus alius ſaltem laicus impoſterum obtineret.

De venditione lanarum.

Eodem anno per conſilium Regis Angliæ ſtapula lanarum de Flandria reuocatur cum omnibus ad eam pertinentibus, & ſtabilitur in Anglia, ſed tamen diuiſim per loca, videlicet Weſtmonaſterii, Cantuariç, Cieeſtriç, Briſtoll. Lincolniæ, & Hull. in omnibus libertatibus, conſuetudinibus, & iuribus eidem conceſſis imperpetuum.

Transfretatio ducis Lancaſtriæ.

Per idem tempus transfretauit Henricus dux Lancaſtriç cum magnificentia & honore ad ineundum ſingulare certamen Pariſius cum Duce de Brounſwike, qui res ſuas deptædatus eſt, cum rediret de Romana curia, ſed interuenientibus dominis nihil actum fuit.

Princeps accepto principatu Aquitanniæ transfretauit.

Mors regis Franciæ.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii viceſimus nonus, dum rex Angliæ teneret conſilium apud Weſtmon. nuntiatur eidem Philippum regem Franciæ fore mortuum, & Iohannem filium eius in Regem Franciæ coronatum, eundemq; Iohannem Carolo filio ſuo ſeniori, qui dictus eſt Dolphinus de Vienna, ducatũ Aquitanniæ cõtuliſſe. Quibus auditis, Rex Angliæ indignatus, aduocato coram ſuis proceribus domino Edwardo primogenito ſuo, illi ducatum Aquitanniæ aſſignauit, quia ſibi iure hereditario pertinebat, præcipiens, vt ſe contra ſuos aduerſarios tueretur. Qui mox vna cum patre ſuo imploraturus auxilium, in Anglia loca ſanctorum viſitans, diuerſis diuerſa munera condonauit. Quo tempore Rex pater apud Weſtmonaſter. caput ſan-

ctiſſimi

Digitized by Google

diſſimi obrulit Benedicti. Deinde Princeps Walliæ Edwardus præfati Regis primogenitus 2. Calend. Iulii paratis omnibus in expeditionem tanti negotii, ac comitantibus eum Comitibus de Warwike, Suffolk, Sarum, & Oxon. & mille hominibus armatis, totidemque ſagittariis, in natiuitate ſanctæ Mariæ apud Plymmouth veliſicare cæpit. Igitur curſu proſpero perueniens Aquitanniam, à nobilibus regionis honorifice ſuſceptus eſt. Quibus aduentus ſui cauſam notificans, & habita deliberatione optima, decimo die Octobris equitare cæpit, tranſiens per patriam de Iuſack ſibi ſubiectam, deinde per patrias de Armenack de la riuer. Cunyngerſlee, Tholous, Carcaſon, & Nerbon iuxta mare Græcum, villaſque quamplures, quaſdam muris clauſas per octo hebdomadas eundo & redeundo, captis prædis & ſpoliis igne deuaſtauit, nulla reſiſtentia ſibi facta. Ex tunc hiemauit ibidem. Interim proceres ſui multas villas muratas & caſtra ſibi ſubiugauerunt, quamobrem territi multi nobiles, ſeſecum ſuis dicto domino Principi ſubmittentes, fide Anglici deuenerunt. Hoc anno circa principium menſis Nouembris Rex Angliæ Edwardus audiuit Iohannem Regem Franciæ ad ſanctum Audomarum velle expectare aduentum ſuum, & paratum ad dimicandum contra eum. Qui mox Caleſiam transfretauit cum duobus filiis ſuis, Leonello Comite Vlton, & Iohanne de Gaunt Comite de Richemund, ac domino Henrico Duce Lancaſtriæ, Comitibuſque Northamton. Marchiæ, & Staffordiæ, aliiſque magnatibus & hominibus armatis, ſcilicet ad duo millia bellatorum. Secundo die Nouembris egreſſus Caliſiá, profectus eſt verſus ſanctum Audomarum, vbi putauit Regem Franciæ cum ingenti exercitu expectare. Sed rege Angliæ appropinquante, Rex Franciæ retroceſſit, vaſtando patriæ ſuę victualia, ne eis Anglici fruerentur. Quem ſic fugientem rex Angliæ inſecutus eſt vſq; Heden. Et viſis defectu victualium, vecordiaq; ſui aduerſarii, redit vaſtando totam patriam per dies decem. Et dum hæc agerentur, Scoti ſubdole & nocturno tempore ceperunt villam de Berewico, nullos niſi reſiſtentes occidendo, caſtrum tamen remanſit in manibus Anglicorum, ob quam cauſam Rex Angliæ reuerſus eſt. Eodem anno in Parliamento apud Weſtmo. conceſſum eſt regi, vt habeat de quolibet ſacco lanæ, per ſex annos ſequentes proximo 50. ſolidos. Eodem anno ſeptimo idus Ianuarii natus eſt Regi Edwardo apud Woodſtock filius, & vocatum eſt nomen eius Thomas.

De capite ſancti Benedicti.

De transfretatione Regis Angliæ.

Fuga regis Franciæ.

Villa Berevvick capitur per Scotos.

Anno gratię millesimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus, Rex Edwardus adiuit partes boreales cum exercitu populoſo, vt villam de Berewick eriperet de Scotorum manib. perfidorum. Igitur 13. die Ianuarii Rege Edwardo in caſtro de Berewike exiſtente, & exercitu eius prope villam, Scoti ſibimet metuentes, ſine damno vel difficultate villam Regi reddiderunt, ſed tamen quidam ex Anglis interim deuiantes captiuantur à Scotis. Confeſtim poſtea viceſimo quinto die Ianuarii apud Rokeſburgh dominus Edwardus Baylyol Rex Scotiæ, regnum & coronam eiuſdem tranſtulit in Edwardum Regem Angliæ, literis ſuis patentibus & autenticis inde confectis.

Rex recipit villã Berevvick, & coronã regni Scotiæ in regem Angliæ transfertur.

Eodem anno dominus Edwardus primogenitus Edw. Regis Angliæ, Princeps Walliæ, exiſtens in Waſconia, conſulit Burdegalenſes & proceres illius patriæ de aggrediendo regno Franciæ, aliiſque terris ſibi nondum ſubiugatis. Cuius propoſitum Comes de Armenack domini ſui proditor, Regi Franciæ illico nuntiauit, & quæ mala regno Franciæ imminebant. Quod veraciter agnoſcens Iohannes Rex Franciæ ſtatim iuſſit proſterni omnes pontes ſuper fluuium de Leyre, quos veteres non ſine magnis expenſis extruxerant. Princeps autem Edwardus hæc audiens, exercitu congregato ſexto die Iulii cæpit de Burdegalia proficiſci, tranſiens per patrias de Agiues, Peregor, Lymoſin, Berry, & de Saloigne. In quo tranſitu plures villas ſibi rebelles incendit, & plures cum caſtris & munitionibus ſibi redditas obtinuit ſub tributo. Itinerando quoque hominum armatorum plus quam ſex millia captiuauit. In patria vero de Saloigne capta villa de Remorantin, caſtrum eiuſdem ſex diebus obſedit. Cui obſeſſi non valentes reſiſtere caſtrum reddiderunt, vbi capti ſunt Dominus de Cron. & Burſegraunde, aliique milites, & armati homines octoginta. Deinde progreſſus eſt per Toreigne & Peyton, & ibi prope Chaueny proceres ſui ſeptimo decimo die Septembris conflictum cum Gallicis habuere, in quo plures quam centum homines armati cecidere perempti. Sed etiam Comites de Aunſer, & de Synny ac Seneſchallus Regis Franciæ cum centum hominibus armatis capti ſunt ibidem.

Eodem anno nonodecimo die Septemb. quaſi in fine anni aduetus ſui in Waſconiam,

Bellum de Poyteres, & victoria mirandiſſa.

niam, occurrit Regi Franciæ iuxta Poyteres, cum mille nongentis hominibus, totidemque ſagittariis, venientem contra eum cum ſeptem millibus electis armatorum, aliſque armatis pauiſariis ac baliſtariis in numero exceſſiuo. Aderant ibi duo Cardinales, quorum vnus erat dictus Petragoricenſis, ad perſuadendum pacem inter gentes paratas ad bellum, à latere domini Papæ miſſi. Quibus cum Papa arctius iniunxiſſet præſens pacis negotium, reſpondiſſe fertur eidē Petragoricenſis. Vero inquiens, Pater beatiſſime, aut pacem ſuadebimus, aut ſilices & petræ clamabunt. Tanta fuit illi fiducia, quod dominus Princeps cum tanta paucitate non auderet congredi contra tot hoſtes, quot venerant cōtra eum. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex illius temporis, prophetauit de euentu belli futuri. Quia eū ſagittarii noſtri omnes ſagittas expendiſſent, in hoſtes leuauerunt de agro petroſo lapides, & cominus accedentes proiecerunt in Gallicos, percutientes galeas, caſſides atq; clypeos eorundem, vt ſonus prouenieēs ex petrarū ictibus in campi circuitu reboaret, & ſic quodammodo impleta eſt prophetia Cardinalis, qui ſpopondit, dicens, quia pacem habebimus aut lapides clamabunt: ſed hoc poſtmodum. Igitur eum Cardinales inter vtrunque populum diligentiſſime diſcurriſſent, & vidiſſent ſe non poſſe perſuadere pacem, indignantes receſſerunt. Et mox acies conuenerunt, vbi primo fractis lanceis cum gladiis, ſecuribus & bipennibus rem egerunt. Ibi claruit victoria domini Iac. Arundel militis, qui potenti virtute confregit, & perforauit aciem Gallicorum, & fuit ipſo die necis occaſio hoſtium plurimorum. Ibi patebat fides & conſtantia Comitum de Warwick & de Southfolk, & ceterorum procerum, qui tam animoſe, tam feruide, tam atrociter pugnauerunt, donec manus gladiis & ſecuribus obriguerent eorundem. Nec minus laudabilis erat ipſe Princeps & Dux exercitus Anglicani, qui non ſolum ſe ducem exhibuit in hoc bello, ſed probatum militem & expertum, vniuerſa tentans, audiens & faciens, quæ miles fecerat animoſus. Nec momentanie vel leuiter tranſit iſta pugna. Sed tribus vicibus eo die præ multitudine ſuperuenientium hoſtium oportebat Anglicos bellum inſtaurare. Tandem Deo noſtris tribuente longanimitatem, & immittente Gallicis formidoloſitatē, noſtris inſiſtentib. Galli fugerunt, occiſis prius ibidem duce de Burbon & Athenis, Epiſcopo de Chaluz, aliſque dominis & nobilibus ad numerum viginti duorum, militibuſque peremptis ex hominibus armatis præelectis duobus millibus, & de communibus octogintis. Rex inſuper Franciæ captus eſt ibidem, & Philippus filius eius iunior. Capti ſunt etiam domini Iacobus de Burbon, & Archiepiſcopus Senonenſis, ac Comites vndecim, domini nobiles viginti duo, milites & homines armati pluſquam duo millia. Quidam vero aſſerunt fuiſſe peremptos in hac pugna duos duces, decem & nouem magnos dominos, & quinque millia armatorum, vulgus autem, quod ſub numero non cadebat. Expedito, finitoq; præfato bello, Princeps rediit Burdegaliam cum gloria & triumpho, ducens ſecum Iohannem Regem Franciæ, vbi acceptus eſt à clero honorifice, atque ciuibus cum omni gaudio & honore. Dominus Henricus dux Lancaſtriæ dum hæc agerentur in Britannia circa obſidionem ciuitatis Rauenſis moram traxit, quam expoſt obtinuit.

Princeps redit in Angliam cum rege Franciæ captiuato.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus primus, dominus princeps Edwardus cum Iohanne Rege Franciæ & filio eius Philippo, aliſque magnatibus, rediit in Angliam de Waſconia, & quinto die menſis Maii applicuit in portu de Plymmuth cum prǽda nobili captiuorum. In viceſimo autem quarto die menſis eiuſdem, ducens ſecum dictum Regem Franciæ, captiuoſque prædabiles, per pontem & ciuitatem Londoniarum, & ingreſſus circa horam diei tertiam, tendendo verſus Weſtmonaſt. vbi ruit circa eos tanta populi multitudo in auditum videre mirabile, quod vix impediente populo poſt meridiem potuerunt ad palatium peruenire. Et cito poſt miſſi ſunt in Angliam ex parte domini Papæ duo Cardinales, pro pace reformanda inter duo regna, dominus videlicet Tarilaudus Epiſcopus Albanenſis, & Nicholaus titulo ſancti Vitalis. Tertius vero Cardinalis venit in Angliam gratia viſitandi regem Francorum, qui in Anglia moram traxerūt biennalem, ſæpius cum regibus & eorum conſiliis colloquentes, ſed tandem diſcordes receſſerunt.

Gens ſine capite in Francia.

Sub his diebus conſurrexit in Francia illa famoſa ſocietas, quæ Gens ſine capite vocabatur, quæ primo parua, poſtea magna aggreſſa, magnam Franciæ partem occupans ſine legibus, expulſis vel ſubactis locorum dominis, ſubiugauit. Erantque non tantum de vna gente vel natione, ſed de pluribus regionibus congregati. Hoc anno

Redemptio Regis Scotorum.

anno Dauid le Brus Rex Scotorum circa feſtum omnium Sanctorum de diutina cuſtodia, qua tenebatur in caſtro de Odiam, liberatur, mediante redemptione centum millium marcarum ſoluendarum in proximo ſequentibus decem annis, præter expenſas hoſpitii ſui. Eodem tempore orta eſt tempeſtas grauiſſima, tam in terra quam in mari, quam maxima infortunia ſunt ſecuta. Quo quidem anno conceſſum fuit domino Iohanni Regi Franciæ ſoluere pro redemptione ſua ſexcenta millia florenorum circa feſtum S. Martini: Sed iſta conuentio fuit facta ante, id eſt, in menſe Maii, ſecundo die menſis eiuſdem. Ad habendam ergo maiorem ſecuritatem iſtius ſummæ ſoluendæ, poſtulatur ex parte Regis Angliæ habere potentiores & valentiores perſonas regni Franciæ in obſides, ſed huic petitioni noluerunt Gallici conſentire, quamobrem viceſimo die Nouembris reſponſum eſt Francis, vt ſe defendant & præparent ad bellandum. Eodem anno Calendis Aprilis relaxatur interdictum Oxoniæ, quod auctoritate domini I. Epiſcopi Lincolnienſis propter clericidium & ſacrilegia anno proximo præterito fuit illatum. Iſto anno obiit mater domini regis Edwardi tertii domina Iſabella, die ſancti Ruffi martyris, & viceſimo ſeptimo die Nouembris in Eccleſia Fratrum Minorum Londoniis ſepelitur nondum dedicata. Haſtiludia inſuper hoc anno Londoniis facta ſunt præſentibus regibus Angliæ, Franciæ, Scotiæ, & plebe numeroſa.

De parliamento apud Weſtm. & archiepiſcopo Armachano diſceptante contra ordines Mendicantium.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octauo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus ſecundus, immediate poſt Septuageſimam tenuit Rex Angliæ parliamentum apud Weſtmonaſterium, vbi de pace reformanda inter duo regna, perſæpe colloquentes nuſquam concordarunt. Quo quidem tempore magna controuerſia coram ſummo Pontifice facta eſt inter magiſtrum Richardum Fizraf primatem Hiberniæ Armachanum videlicet, & clerum Anglicanum ex vna parte, & quatuor ordines mendicantium ex altera, ſuper ſtatu & regula eorundem Fratrum. Qui videlicet Armachanus opiniones ſuas erga Fratres coram ſummo Pontifice diu, pluresque ſuſtinuit, & ipſos manifeſte à ſuis deuiaſſe regulis multis rationibus demonſtrauit. Sed tandem (proh dolor) clero Anglicano ſibi ſubtrahente promiſſa, & exuberante in curia Fratrum ſatis magna pecunia, adhuc lite pendente, Fratres ſua priuilegia ſicut per ante ſub data noua obtinuerunt. Eodem anno frater Iohannes Lile Elienſis Epiſcopus nimis iniuſte fatigatus, anno proximo elapſo contra voluntatem domini Regis ad curiam transfretauit, propoſitiſque cauſis ibidem de iniuriis ſibi illatis, & ſuæ Eccleſiæ per dominam Blanchiam de Wake & alios de conſilio ſuo, coram domino Papa motus eſt. Idem Papa vehementer & omnes aduerſarios dicti Epiſcopi fecit excommunicari publice, mandans per literas ſuas domino I. Lincolnienſi Epiſcopo, & aliis quibuſdam prælatis Angliæ, vt ſi quos nouerunt dictorum excommunicatorum mortuos & ſepultos, à ſepulchris extraherent, quod & factum eſt. Vnde Rex indignatus, quia dictorum excommunicatorum quidam erant de conſilio ſuo, dictos prelatos grauiter infeſtabat. Qua de cauſa venerunt quidam miſſi de curia Romana ex parte dicti Epiſcopi Elienſis, obuiantes domino I. Roffenſi Epiſcopo (tunc regni Theſaurario) armati tradentes litteras Apoſtolicas violenter dicto theſaurario, quarum tenor communiter ignoratur, & illico euanuerunt, quos regales inſequentes quoſdam captos incarcerabant, & coram Regis iuſtitiariis morti condemnatos, in carcere atque furcis interfecerunt. Eodem anno Normannia & Britannia Armorica graui clade vaſtantur per Philippum fratrem Regis Nauariæ, dominum Iacobum de la Pype, & Robertum Knolles, alioſq; complures Anglicos, quos ſine iuſſione regis Edwardi, qui in illis regionibus per tres annos & amplius hoſtiliter permanſerunt. Ex quibus Robertus Knolles ex paupere mediocrique valeto mox factus ductor militum, ad diuitias vſq; regales excreuit ibidem. Quo tempore quidam natione Waſco ſurrexit in Francia, vulgariter nuncupatus Archipræsbyter, ducens vnam magnam comitiuam per diuerſas partes Franciæ, ipſas hoſtiliter deuaſtando, & potiſſime prouinciæ regionem.

Normannia & Britannia vaſtantur per R. Knolles.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus tertius, 14. Calend. Iunii dominus I. de Gaunt, Comes Richmundiæ Blanchiam filiam Henrici ducis Lancaſtriæ conſanguineam ſuam de diſpenſatione curiæ, apud Radingum duxit vxorem. Eodem tempore dominus I. Rex Franciæ ſub vmbra pacis & doloſe obtulit Regi Angliæ Flandriam, Picardiam, Aquitanniam, aliaſque terras quas equitauerat & vaſtatat, pro quibus omnibus ratificandis idem Rex Edwardus in Franciam nuntios ſuos direxit, quibus

Rex transfretauit ad frangendum faſtū Francorum.

omnibus Franci contradixerunt, vnde motus rex Angliç, celeriter ſe & ſuos præparauit ad transfretandū, ducens ſecum Principem Walliæ Edwardum ſuum primogenitum, Ducem Henricum Lancaſtriæ, & fere proceres omnes, quos comitabantur vel ſequebantur pene mille currus, habuitque apud Sandwicum inſtructas optime vndecies centum naues, & cum hoc apparatu ad humiliandum Francorum faſtum Franciam nauigauit, relicto domino Thoma de Woodſtock filio ſuo iuniore, admodum paruulo, Anglici regni cuſtode, ſub tutela tamen. Igitur viceſimo ſeptimo die menſis Octobris peruenit Caleſiam, & quarto die menſis Nouembris diuiſo exercitu ſuo in tres turmas propter victualia, vnam turmam fortem Henrico Lancaſtriæ duci commiſit, Edwardo vero Principi turmam aliam fortiorem, & fortiſſimam retinuit penes ipſum. Deinde profecti prætereuntes ciuitates & caſtella, tandem in feſto ſanctæ Luciæ prope ciuitatem Remenſium peruenerunt, vbi moram traxerunt vſque in diem ſancti Hilarii, ſed nihil omnino profecit hæc mora, quia nihil eis reddebatur. Eodem die mouit exercitum verſus Burgundiam: cui venit obuiam dux Burgundiæ, promittens eidem ſeptuaginta millia Florenorum ſoluendorum ſibi fideliter, ſi toti Burgundiæ parceret, & contineret ab incendiis & rapinis. Quod Rex conceſſit eidem. Manſitq; ibidem temis, videlicet vſq; ad quintum diem poſt feſtum ſancti Gregorii Papæ. Interim Normanni cum non modica claſſe nauium apud Winchelſee applicuerunt, ipſamque villam idibus Martii inuaſerunt, & pro parte combuſſerunt, ac omnes ſibi reſiſtẽtes interfecerunt, ſexui, ætati, vel ordini nil parcendo. Matronas inſuper & virgines ac mulieres illorum oculis blandientes captiuas ad naues duxerunt, & plurima ſpolia aſportauerunt, & tandem ſine læſione aliqua receſſerunt. Quorum vnum facinus iſthic ponam, cum Franci applicuiſſent exiſtentibus multis, tam viris quam mulieribus, tempore miſſarum in Eccleſia, ad eandem Eccleſiam cum omni feſtinatione cucurrerunt, & interficientes multos, & deprædantes Eccleſiam, aſpexerunt inter ceteros quandam fœminam pulchram nimis & elegantis formæ, quæ cum vicinis conuenerat, vt audiret miſſas. Ad quam nebulones ſatis intemperanter in eadem Eccleſia accedentes, mox ſuæ libidini vt erant armati proſtrauerunt. Et tam diu ei vnus poſt alium coeundo illuſerũt, donec mulier fatigata ſpiritum exhalaret. Quæ cuncta cum relata fuiſſent, Rex Angliæ turbatus nimium & exacerbatus, exercitum ſuum verſus Pariſius mox conuertit. Interea prælati in Anglia vndique confluxerunt ad arma cum clericis & laicis, vt per terram & mare dictis reſiſterent inimicis. Sed cum ſe & ſuos parauiſſent ad pugnam, nihil actum eſt hoſtilibus illis valefacientibus cum cachinno.

Hoc anno ſanguis effluxit de tumba domini Thomæ quondam comitis Lancaſtriæ apud Pontem fractum. Eodem anno Rex Edwardus incepit nouum ædificium in caſtello de Windeſor, vbi natus fuerat. Ob quam cauſam illum locum amplioribus ædificiis & ſplendidioribus decorare præ ceteris procurauit. Cuius operis conſtituit ſuperuiſorem dominum Wilhelmum de Wicham, virum prouidum & diſcretum. Eodem anno obierunt viri nobiles & præclari Rogerus Comes Marchiæ, Thomas Comes Oxon. I. le Gray tunc Seneſchallus Angliæ, Galfridus le Say, & multi. Et de exercitu domini Regis in partibus tranſmarinis plures quam mille nominati perierunt. Obiit etiam hoc anno dominus Rogerus de Northburgh, Couentrenſis & Lichfeldienſis Epiſcopus.

Anno gratiæ milleſimo treceenteſimo ſexageſimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus quartus, tenuit Rex Natale in partibus tranſmarinis, iuxta Remenſium ciuitatem, manſitque ibidem (vt prædicitur) vſque ad feſtum ſancti Gregorii Papæ, quando ſe conuertit Pariſius, exercitum in nouem aciebus diſpoſuit ad bellandum, & creauit milites quadringentos. Deinde mittitur dominus Henricus dux Lancaſtriæ ad portas ciuitatis, hiis qui intus erant proferens campeſtre prœlium, ſub hac conditione, vt ſi rex Angliæ deuictus foret ibidem, nunquam poſtea regnum Franciæ vendicaret. Et accepto breui reſponſo, quæ audiuit regi nuntiauit. Mox noui milites armati cum aliis ciuitati dederunt inſultum, & illico eius ſuburbana deſtruxerunt. Per idem tempus Londonienſes cum ceteris regni incolis congregata claſſe octoginta nauium, & quatuordecim millibus hominum cum ſagittariis dedecus apud Winchelſee, per prius factum affectantes vendicare, maria perſcrutando inimicos quærebant. Et tandem in Francia applicantes, inſulã de Sans animoſe ceperunt. Sed tamen licet hæc omnia Franci bene ſatis cognoſcerẽt, rumor facti ad Edwardum regem nondũ peruenerat. Igitur præuenire cupientes hos rumores,

res, dominus abbas Cluniacenſis, comes Tankeruile tunc Franciæ Seneſchallus, Burſegaldus conſtabularius dicti regni, & nonnulli alii viri venerabiles, de conſenſu domini Caroli regentis Franciam, conuenerunt ad regem Angliæ, pacem finalem & firmam oſtenſis conditionibus inſcriptis humiliter poſtulanres. Quæ cum deliberatione inſpectæ domino regi & conſilio minime placuerunr, vnde rex commotus prohibuit ne ſollicitarent cum amplius, niſi habita ad eius beneplacitum prolacione prędictorum. Et in craſtino octauis Paſchæ conuertit ſigna cum exercitu verſus Aurelianum prędando, vaſtando, & igni conſumendo plurima, quo tempore ingruebat tam ſæua tempeſtas & inaudita, vt plura millia hominum & equorum in regis exercitu itinerando perirent, ſubito mortua corruendo prę frigoris imminentis aſperitate. Quæ tantum regem nec ſuos terruerunt, quin procederent cum inceptis. Circa inuentionem ſanctę Crucis dicti nuncii iuxta Carnotum domino regi formani pacis optime de communi conſenſu regentis & maiorum Franciæ circumſpectiſſime ordinatam accedentes obtulerunt ſub data apud ciuitarem Carnotum quintodecimo die menſis Maii, requirentes benignum dominum ſuum ac beneuolentiam conſenſumque gratioſum in ſcriptis oſtenſa, rata & grata ac firma ſibi & hęredibus ſuis imperpetuum admittere. Quibus inſpiciendis ſapienti deliberatione habita, rex annuit vt iuratis in corpore dominico partibus, tactiſque ſacroſanctis Euangeliis, pacta ſtabilirentur. Mittuntur igitur ex vtraque parte, Angliæ videlicet & Franciæ, duo barones, duo quoque milites, corporale ſacramentum domini Caroli regentis Franciæ primogeniti I. regis eiuſdem, ac domini Edwardi regis Angliæ, audire & admittere. Pariſius igitur celebrata ſolenni miſſa, dictoque ter Agnus Dei, adiecto Dona nobis pacem, dictus Carolus in pręſentia prędictorum & aliorum plurium, dextram ſuper patenam, cum corpore dominico, & leuam ſuper Miſſale poſuit, hęc verba proferens: Nos Carolus iuramus ad ſacroſancta corpus domini & euangelia firmiter ſeruare penes nos pacem & concordiam formatas inter reges, & nullo modo in contrarium venire. Poſthęc datis militibus reliquiis de corona Chriſti in teſtimonium omnibus valefecit. Simile ſacramentum dominus Edwardus primogenitus regis Angliæ proxima Sexta feria pręſtitit apud Louers. Ambo inſuper reges & eorum filii, maioreſq; vtriuſque regni infra annum proxime ſequentem, idem corporale ſacramentum ſolemniter pręſtiterunt.

Franci petunt pacem.

Ad corroboranda quoque complendaque prędicta & alia partes tangentia, rex Angliæ petiit & accepit maiores Francię in obſidatum, videlicet, dominos duces Aurelienſem, Burbonenſem, Lougan, Berty, & de Bloys: comites vero de Lauſon, Sainct Poule, Derencourt, Pourlay, Valentinoys, Baumund, Brayne, Foreſt: dominos quoque de Recori, Priaunce, Valentinois, de ſanct Venaunce, de Garentz, de Angeſt, de Merenthi, Daunſin, de Auerne, Guill. de Cram, Boys de Arecourte, I. Hugain cum aliis. Aſſignataque ſunt dies & tempus quibus conuenirent ambo reges cum conſiliis ſuis apud Caleys prędicta conſummare. Sigillatis ſcriptis indentatis, rex Angliæ vſque mare continuo proficiſcitur, & apud Humflete ingreſſus mare nonodecimo die Maii in Angliam applicuit, venienſque ad palacium in feſto Sancti Dunſtani, quieuit pauliſper, & mox I. regem Franciæ in turri Londoniis viſitauit. Et facta concordia quid idem pro redemptione ſua ſolueret, ab omni carcere liberauit. Summa vero pecuniæ ſoluendæ erat rres milliones Florenorum. Quibus ita geſtis rex Angliæ regem Franciæ in turri & in palatio itinerando verſus mare multimodis ſolatiis regaliter confortauit. Rex Franciæ prouide nono die Iulii transfretauit in regnum ſuum, deliberaturus & tractaturus cum ſuis de prędictis & aliis ſe tangentibus & regnum ſuum. Eo tempore in Anglia plures homines, beſtiæ & arbores violento fulgure perierunt, & Diabolus in humana ſpecie apparens locutus eſt.

Obſides dantur regi Angliæ.

Concurrentibus in vnum duobus regibus, poſthæc cum ſuis conſiliis apud Caleis conuenerunt de pace & concordia pręformatis apud Carnotum, & iurauerunt (vt prędicitur) eas firmiter ſeruare penes ſe. Quarum articuli erant iſti, videlicet, Rex Angliæ vna cum illis quæ tenet in Waſconia habebit ſemper ciuitates, villas & caſtella, comitatus & patrias de Peyteres & de Peyton cum feodis de Tonard, & terra de Bekeuil, de Saintes, & de Saintoinge, citra & vltra la Charente, Dangleſine & Daugoloſinois, de Limoges & de Limoſin, de Caours & de Cacurſin, & de Paragort & de Paragnis, de Rodes & de Rouorgnes, de Agent & de Ageneys, de Charbe, & de Bigor, & de Caure. Et ſi aliqui domini teneant aliquid inter limites dictorum

De pacis articulis.

locorum, facient homagium regi Angliæ. Tenebitque Rex Angliȩ prȩdicta, modo quo Rex Franciæ ea tenuit à ſexaginta annis vſq; nunc, videlicet in dominio quȩ ſunt in dominio & in ſuperioritate. Habebit etiam ea quȩ antiquitus tenuerunt reges Angliæ in villa de Mounſtroil ſuper mare cum pertinentiis, & eorum comitatum Pontinȩ, exceptis rebus alienatis per reges Angliȩ, ad alias perſonas quam reges Franciȩ. Quȩ ſic alienata ſi rex Franciæ teneat in prȩſenti, tenebitur ea reddere ac liberare regi Angliȩ, exceptis terris obtentis per excambium, cum aliis terris. Quo caſu rex Angliȩ reddet regi Franciȩ ſic tradita per excambium, vel permittet alienari. Et ſi alienata fuit perſonis aliis quam regibus Franciæ per reges Angliȩ, & poſt venerunt ad manus regis Franciȩ per putagium, ſeu aliam iuſtam cauſam, Rex Franciȩ non reddet ea niſi debeant homagium vel alia ſeruitia, tunc tradet illa perſonis quȩ facient homagium, aut alia ſeruitia Regi Angliæ.

Habebitque rex Angliȩ caſtella, villas, & dominium de Saleys, Meerk, Stangate, Colne, Hamme, Wale, Oye, cum omnibus ſuis pertinentiis, ciuitatem de la Rochel, & villam Sancti Wallerici. Habebit etiam Rex Angliȩ caſtellum, villam, & totum Comitatum de Guyſnes, cum omnibus ad ſe pertinentibus, tam integre, ſicut Comes eiuſdem tenuit in vita ſua. Obedientque ſibi omnes viri Eccleſiarum, & aliarum conditionum, infra limites dicti comitatus, ſicut obediebant aliquando regi Franciæ, vel comiti de Guyſnes. Et tenebit rex Angliȩ omnia de Meerk & Caleys cōtenta in prȩſenti articulo, & articulo prȩcedenti in dominio, exceptis hȩreditatibus, quȩ morantur Eccleſiis ibidem, & hȩreditatibus aliis in partibus illis quȩ morabuntur hȩredibus vſque ad valorem centum librarum monetæ de patria, ſed de hȩreditatibus infra villam de Saleys ordinet rex Angliȩ ad libitum ſuum, & ſic habitantium in comitatu, villa & terris de Guyſnes, ſtabit dominium integrum. Rex vero Angliȩ & hȩredes ſui, omnes Inſulas, patriis prȩdictis adiacentes tenebunt, vna cum inſula quas tenent in prȩſenti.

Et rex Franciæ & filius ſuus ſenior pro ſe & hȩredibus & ſucceſſoribus infra Sanctum Michaelem proximo tunc futurum ad vnum annum reddent, liberabunt & tranſportabunt regi Angliæ & hȩredibus ſuis omnes obedientias, homagia, feoda, iuſtitias, recognitiones, iuriſdictiones, patronatus eccleſiarum, omnimodas dominationes & ſuperioritates, & omnia iura quȩ habent vel habere poterint in prȩdictis terris, patriis, villis & rebus aliis. Et mittent ad omnes ſuperiores Eccleſiarum, & alios dominos temporales terrarum, patriarum, comitatuum, & locorum prȩdictorum, vt obediant regi Angliæ & hȩredibus, ſicut obediebant regi Franciȩ, & per ſuas literas ſe acquietabunt de omnibus homagiis, feodis, ſeruitiis, obligationibus, ſubiectionibus, & promiſſionibus factis per aliquem eorum regi & coronȩ Franciæ. Et Rex Angliæ tenebit prædicta omnia in dominio & in ſuperioritate, quæ in ſuperioritate. Si vero donationes aliquæ, alienationes, obligationes, vel aliqua onera fiebant prȩdictorum per aliquem regem Ftanciæ à ſeptuaginta annis vſque nunc, nulla erunt, & res alienatæ, donatæ, ſeu oneratæ reddentur regi Angliæ citra feſtum Sancti Michaelis proximo futurum, excepto quod ſupradictum eſt in articulo de Poitieu, quod permanebit in virtute ſua, & exceptis omnibus collatis ſeu alienatis ad Eccleſias, quæ illis pacifice permanebunt. Habebit etiam Rex Angliæ, & tenebit ciuitates & patrias prȩfatas, quæ antiquitus non erant regis Angliæ, ſicut Rex Franciæ aut filius ſuus ſenior tenet in prȩſenti, & infra limites patriarum prȩdictarum, quæ ab antiquo erant Regis Angliæ cum aliquibus rebus quæ aliquando eiuſdem fuerant, vnde Rex Franciæ in poſſeſſione prȩfuerat in die belli de Peiton, erunt & permanebunt Regi Angliæ. Rex quoque Angliæ omnia prædicta tenebit tanquam vicinus regis Franciæ, abſque recognoſcere ſuperioritatem, facere homagium, reſortem, vel aliqua ſeruitia alia, ſeu recognitiones Regi ſeu Coronæ Franciæ. Rex quidem Franciæ & Filius ſuus ſenior, renunciabunt dictæ reſorti, ſuperioritati, & iuri quæ habent, vel habere poterunt, quæ præſenti tractatu debent pertinere regi Angliæ. Similiter Rex Angliæ ac filius ſuus ſenior renunciabunt omnibus, quæ per præſentem tractatum non eis traduntur, & exigentiis quas fecerunt per ſpeciale nomini vel iuri coronæ Franciæ, omnibuſque homagiis & ſuperioratui ducatus de Toraygne, Normanniæ & Britanniæ, & comitatus ac patriæ Flandriæ, Baniot, & Maignc, & aliis omnibus exigentiis quas fecerunt ſeu facere potuerunt regi Franciæ pro quacunque ſic cauſa, exceptis illis quæ ſibi tradentur per præſentem tractatum.

Valor redem. Rex quidem Franciæ pro ſua redemptione ſoluet Regi Angliæ tres milliones Scu-

Digitized by Google

ptiaris regis Franciæ.

Scutorum, quorum duo valebunt vnum Nobile, videlicet ſex ſolidos & octo denarios argenti. Et omnia iſta tradita Regi Angliæ permanebunt in tali ſecuritate, ac libertate, prout ſunt in pręſenti, & confirmentur à dictis dominis & ſucceſſoribus ſuis. Nec aliquis vel patria aliqua qui ante fuerant ſub obedientia vnius partis, & per concordiam iſtam veniet in obedientiam alterius partis, pro factis præterinis damnetur. Omnes autem exhęreditati vel de terris ablati vel onerati aliquo onere vel redonatione, quaſi banniti, vni parti adhærentes vel alteri, & ſimiliter de Eccleſiis cauſa iſtius guerræ reſtituentur in integrum cum omni iure ſicut ante guerram. Omneſque fortisfacturæ indulgeantur, excepto vicecomite de Frouſard, & domino Iohanne de Galard. Confederationes enim bonę fient ſemper inter reges, non obſtante qualicunque confederatione quam habent cum aliqua perſona. Rex tamen Franciæ & filius ſuus ſenior pro ſe & ſucceſſoribus ſuis regibus Franciæ ſe ſeparabunt à confederationibus quas habent cum Rege Scotiæ, abſque iuuare Scotos, vel confederationes facere contra regem Angliæ ſeu regnum ſuum. Similiter Rex Angliæ & filius ſuus ſenior, facient confederationibus quas habent cum Flandrenſibus, valebuntque omnes collationes & prouiſiones factæ durante guerra, per partes & beneficiis vacantibus, & eorum fructus morabuntur illis qui eos leuauerunt, facientque reges omnia prędicta confirmari à domino Papa, & impetrabunt abſolutiones & diſpenſationes tangentes complementum præſentis tractatus. Poterunt ſtudentes vtriuſque regni in vtroque regno, vt ſibi placuerit ſtudere, & gaudebunt priuilegiis ac libertatibus ſtudentium, per iſtum tractatum omnes alii tractatus & pręlocutiones factæ temporibus pręteritis anullabuntur, nec partes iuuare poterunt. Iurabitur, etiam confirmabitur pręſens tractatus à duobus regibus, facietque Rex Franciæ literas confirmatorias, & alia neceſſaria ſub manu publica, & mittet regi Angliæ, & Rex Angliæ remittet conſimiles literas regi Franciæ. Fient igitur literæ optimæ de omnibus prędictis, ſub ſigillis vtriuſq; regis, & filiorum ſuorum, & iurabunt ambo reges & filii ſui, vigintiq; de mari prole vtriuſque regni, tenere, complere, & teneri facere atq; compleri omnia prędicta, ac ponere rebelles & inobedientes vtriuſque regni in veram obedientiam, & conſurgent ambo reges contra tales inobedientes, & per illud renunciabunt omnibus gentibus pro ſe & regnis ſuis futuris cauſa inobedientiæ prędictæ, & ſe ſupponent coertioni & correctioni domini Papæ. &c.

His ita geſtis, confeſtim mittuntur nuncii ſummo Pontifici, pro pace & pactis mutuis confirmandis. Quo quidem tempore ad præceptum domini Papę, quieuit controuerſia inter clerum & ordines Mendicantium. Eodem anno erat communis mortalitas ſenum & puerorum.

Parliamentum rex tenet.

Anno gratiæ M. CCC. LXI. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus quintus, rex Angliæ celebrato natali apud Wodſtock venit Weſtmonaſterium ad parliamentum, in quo pręſentibus omnibus qui intereſſe debebant, proponitur concordia inter reges ſtabilita. Placuit igitur vniuerſis dictam concordiam recipere & tenere. Quamobrem celebrata miſſa de ſancta trinitate à Cantuariæ Archiepiſcopo cum magna ſolemnitate, aſtante rege cum filiis ſuis & accenſis luminaribus, & crucibus erectis ſuper ſacroſanctum corpus dominicum & miſſale, ſinguli qui non prius iurauerunt, hoc ſacramentum pręſtiterunt in ſcriptis, Archiepiſcopo Cantuarienſi incipiente. Nos Nicholaus Archiepiſcopus Cantuarienſis iuramus ad ſacroſancta corpus Dominicum & Euangelia, firmiter ſeruare penes nos pacem & concordiam firmatas inter Reges, & nullo in contrarium venire. Quibus expletis, ſinguli ſuas ſchedulas regiis notariis tradiderunt. Rex autem Francorum cum ſuis nobilibus idem pręſtitit iuramentum. Sicque firmata pace inter duo regna, liberatus eſt Rex Iohannes.

De eclipſi ſolis.

Diuerſa mirabilia.

Eodem anno. 6. die Maii in meridie fuit Eclipſis ſolis. Eodem menſe Burgundię cecidit pluuia ſanguinea, & ſexto Calendarum Iunii in feſto corporis Chriſti Boloniæ apparuit Crux ſanguinea in aere à mane vſque ad horam ſextam, eam multis videntibus: & tunc ſe mouebat, & in medio mari cecidit. Conſequenter in partibus illis egreſſæ vulpes de ſyluis villas petierunt, & viuos quoſdam homines deuorauerunt. Et in æſtiuo tempore huius anni in Anglia & in Francia in locis deſertis & planis, pluribus ſæpe videntibus, ſubito apparuere duo caſtella, de quibus duo exercitus egrediebantur armatorum, quorum vnus ſignis militaribus ornabatur, alter vero nigro colore veſtiebatur: & congredientes milites vicerunt nigros.

Interim

Digitized by Google

Interim adunati nigri milites ſuperabant, & regredientes in caſtella omnia diſparuerunt.

Et hoc anno poſt feſtum Sancti Michaelis Roſaria protulerunt roſas colorem & odorem perfectum habentes. Corui quoque & aues aliæ pullos produxerunt. Dominus Iohannes Gaunt comes Richmundiæ hoc anno factus eſt Dux Lancaſtriæ, iure vxoris ſuæ filiæ & hęredis quondam ducis Lancaſtriæ, qui eodem anno diem clauſit extremum.

Dominus Iohannes Gaunt fit dux Lancaſtriæ.

Eodem anno illa magna & famoſa Comitiua de diuerſis nationibus adunata, cuius Duces pro maiori parte erant Anglici, partes Franciæ verſus Auinionem inuaſerunt, & villam Sancti Spiritus ceperunt, cum villis & caſtellis multis in Francia, quos nulla virtute vel arte potuit Rex Franciæ expellere de terra ſua. Eodem tempore ſurrexit & alia ſocietas, quæ alba comitiua vocabatur, quæ tranſiit per prouinciam in Lumbardiam, & duces huius comitiuæ erant Anglici, qui aliquando erant ſtipendiarii, aliquando ex proprio capite diſcurrerunt, accipientes redemptionem de diuerſis villis & caſtellis ac ciuitatibus, nec pene ſecure vixit quiſquam in illis regionibus, qui non iſtorum beneuolentia fruebatur.

De magnis comitiuis.

Iſto anno Edwardus Princeps Walliæ deſponſauit Iohannam Comitiſſam Cantii, relictam domini Thomæ de Holande, quæ olim fuit ſeparata à comite Sarum militis prædicti cauſa. Hoc etiam anno fuit grandis peſtilentia, quæ viros potius conſumpſit quam fœminas. Quo in tempore obiit Reginaldus Wigornienſis, Michael Londinenſis, & Thomas Elienſis Epiſcopi. Quibus ſucceſſerunt prouiſione Papæ Iohannes Barnet ad Wigornienſem, Symon Langham Abbas Weſtmonaſterienſis ad Elienſem, & magiſter Symon de Sudbury ad Londonienſem Eccleſias. De nobilibus vero deceſſerunt dominus Henricus dux Lancaſtriæ, Reginaldus Cobham, Wilhelmus Fitzwarin, & Iohannes Moubray.

Princeps diſponſat ſuam conſanguineam.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii, triceſimus ſextus, tenuit rex natale apud Wyndeſor, & quinto decimo die ſequente ventus vehemens, nothus auſter Affricus, tanta vi erupit, quod flatu ſuo domos altas, ædificia ſublimia, turres, & campanilia, arbores, & alia quæque durabilia & fortia violenter proſtrauit pariter & impegit, in tantum, quod reſidua quæ modo extant, ſunt hactenus infirmiora. Hoc anno vendebatur libra ceræ pro 18. dena. Quo etiam anno magna ſocietàs quæ prępualuerat in Francia & excreuerat, commiſit bellum cum Francis, & vicit plures nobiles captiuando, & multa fortalitia capiendo.

Eodem tempore Cardinalis Adrianus abbas Cluniacenſis tertio die in fine Aprilis venit Londinum tractaturus cum rege & conſilio ſuo pro redemptione regis Franciæ minuenda, obſidibus liberandis, & matrimonio contrahendo eum ſanguine regis Angliæ & Caroli Bloys, ſed de his pauca vel nulla expediuit. Eo tempore fiebat Londini in Smithfield haſtiludia quinque primis diebus Maii, præſente rege & regina, & maiori militia Angliæ & Franciæ aliarumque terrarum. Ad quæ venerunt Hiſpani, Cypri, & Armenii milites, auxilium regis Angliæ requirentes contra Paganos, qui inuaſerant fines ſuos. Stapula lanarum non obſtante ſacramento regis & aliorum maiorum Angliæ mutatur ad Caleys. In feſto Apoſtolorum Petri & Pauli rex Ed. 3. apud Weſtmonaſt. obtulit veſtes in quibus beatus Petrus Apoſtolus celebrauit, & dedit per chartam ſuam Abbati & conuentui Weſtmonaſt. duos ceruos de venatione ſua capiendos annuatim in foreſta de Wyndeſore. Edwardus regis primogenitus eo tempore circa feſtum ſanctæ Margaretę apud Weſtmonaſterium, pręſentibus regni maioribus, ſuſcepit à patre ſuo Principatum Aquitaniæ, fidelitate prius & homagio ſibi factis, ſed tamen principatum Walliæ, ducatum Cornubię, comitatus Ceſtrię, & Cantii, non reliquit, qui circa feſtum Purificationis beatæ Marię proximo ſequentem cum vxore & tota ſua familia in Waſconiam transfretauit.

Edwardus Princeps Aquitaniæ.

Eodem anno Simon Iſſep Cantuar. Archiepiſcopus deuotionem multorum aut infecit, aut ſubtraxit, literis ſuis patentibus ſub pœna excommunicationis pręcipiens vniuerſis Eccleſiarum rectoribus & vicariis ſuę prouincię, & illorum ſubditis, vt de cętero non abſtineant in feſtis quorundam Sanctorum, ab operibus manualibus & ſeruilibus, quę prius in talibus feſtis fieri non licebant. Si tamen beneſecerit, iudicet hoc caput Sanctorum cum membris, qui mortem quondam regis Anglię Wilhelmi Rufi tradidit in manus, & arbitrium ſancti Albani prothomartyris huius regni. Idem inſuper Archiepiſcopus aſſignauit & ſtatuit, non plus dari Sacerdotibus

pro

Digitized by Google

pro annuali ſtipendio quam ſexaginta ſex ſolidos.8. den. quod plures furari coegit. Eodem anno cæpit Parliamentum Londini.17.Calen. Nouembris quod continuatū eſt vſq; in feſtum ſancti Britii,quo die Rex natus fuerat,annis ætatis ſuæ quinquaginta expletis: vnde in ſuo Iubileo populo ſuo ſe exhibuit gratioſum , reis maieſtatis ſuæ regiæ offenſas indulgendo,vinctos libere abire permittendo,& exules reuocando:ad petitionem etiam communitatis , placita in lingua materna , & non Gallica verſari iuſſit.Leonellum quoque filium ſuum fecit ducem Clarenciæ, & Edmundum comitem Cantabrigiæ.In dicto Parliamento conceſſum erat regi per tres annos ſequentes recipere.26.ſolid.& 8.denar.de quolibet ſacco lanæ tranſuehendo vltra mare. Ordinatum eſt inſuper nullum in regno pręter regem,Reginam ac duces, in poſterū prouiſores habere victualium , nec vt aliquid caperent , niſi denariis pręſolutis,& vt hæc tranſgredientes ſtricto iudicio puniantur.Obiit hoc anno menſe Auguſti Papa Innocentius ſextus. Cui ſucceſſit dominus Gillerinus Abbas ordinis ſancti Benedicti Marciliat.patria Anglicus, doctor egregius, & auditor in curia. Et.2. Calend. Nouemb.conſecratur, & vocatur Vrbanus quintus. Hic cum longum tempus in curia tranſegiſſet, & nullum à Papa gradum accepiſſet,cuidam amico ſuo conqueſtus eſt dicens:Puto(inquit)veraciter o amice,etſi omnes eccleſiæ mundi caderent, nulla caderet ſuper caput meum. Cum coronatus fuiſſet, accedens ad illum dictus amicus ſuus quondam,ait.Dudum conqueſti eſtis pater beatiſſime dicens:Et ſi omnes eccleſiæ mundi caderent,nulla caderet ſuper caput veſtrum. Ecce quomodo Deus diſpoſuit in hac parte. Omnes ſiquidem eccleſiæ mundi modo ſuper caput vnum pariter ceciderunt.Obiit eodem anno I.epiſcopus Lincoln. cui ſucceſſit per prouiſionem I. de Buckingham,& Rob.Epiſcopus Ciceſtriæ, cui ſucceſſit prouiſione domini Papæ magiſter Wilhelmus de Lenne.Eodem anno obiit domina Iohanna Regina Scotię, & Londoniis ſepelitur.Moriebantur etiam plures morbo litargiæ, multa infortunia prophetantes:mulieres inſuper deceſſere per fluxum,& erat cōmunis peſtis beſtiarū.

Obiit Papa Innocentius.6.

Annus morbidus.

Anno gratiæ M.CCC.LXIII.qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii.36.tenuit Rex natale apud Wyndeſore. Quo anno Papa pluralitates reuocauit, decernens facto decretalis horribilis ſufficere clerico rectoriam cum quatuor prębendis,minoribus vero minus.Iſte Papa fratrē ſuum Epiſcopum Anniuoniæ ordinauit. Et ſequenti proxima Paraſceue Iohannem regem Franciæ cū aliis regibus & proceribus cruce ſignauit.Prope tempus illud quidā ſpiritu diabolico inſtigati, corpus cuiuſdam ſacerdotis Londoniis in quatuor partes diuiſerunt,quas per quatuor partes dictæ ciuitatis contemptibiliter proiecerunt: authores vero huius ſceleris vſq; ad præſens latent. Eodem anno menſe Octobri tenuit Rex parliamentum Londini,à quo nullus magnus ſe potuit abſentare.In quo omne ornamentū aureum ſiue argenteū erat damnatū,ſcil. in cultellis,cingulis,monilibus,annulis,& cęteris corporū ornamētis,niſi in talibus qui poſſent per annum expendere decem libras. Ordinatum eſt ibidem etiam ne mercatores Angliæ, cum ſuis mercimoniis, vel ad vina quærenda de cætero transfretarent,& vt ſinguli artes ſuas exercerent, & vt nulli pannis precioſis, aut pellura vterentur,niſi qui poſſent expendere per annum centum libras. Et vt plebei operarii,& agricultores non veſcerentur cibis delicatis aut potibus. Sed hæc omnia nullū effectum capiebant.Eiſdem diebus venerunt tres reges,videl. Frāciæ,Cypriæ,& Scotiæ,viſere & alloqui dominum regē Angliæ,à quo plurimum honorati, & donis donati,Reges Cypriæ & Scotiæ ad ſua reuerſi ſunt,ſed Rex Franciæ graui morbo correptus Londonias apud Sauey diem clauſit extremum.Sed hoc contigit anno ſequenti. De obitu regis huius exequias Rex Anglorum in diuerſis locis ſolenniter fecit celebrari,ac vſq; Doueriam ſuis ſumptibus per reuerēdos viros corpus eius more regio conduci fecit,qui tandem ſepultus eſt iuxta Pariſium apud ſanctum Dionyſium,& regnauit pro eo Carolus filius ſuus maior.

Tres reges inuiſunt regem Angliæ.

Eodem anno.7.Idus Decembris cæpit gelare,perdurauitq; gelu fortiſſimum vſque.14.Calend. Aprilis.Rex Cypri itinerando in Anglia plura perdidit per latrones. Ob quam cauſam Rex Edwardus conceſſit Londonienſibus poteſtatem copioſiorem malefactores iuſtificandi & incarceratos infra ciuitatem liberandi iuſticiariis regis,vt prius ſolebant ad hoc non vocatis.

Latrones graſſantur.

Hoc anno obiit bonæ memoriæ dominus Radulphus de Shreusbery,epiſcopus Bathonienſis,ad quam ſedem translatus eſt magiſter Iohannes de Barnet,de Eccleſia Wigornienſi,& Io.de Wytteleſeye de Roffenſi tranſlatus eſt ad Eccleſiam Wygornienſem,cui ſucceſſit Thomas Trilleck in Roffenſem eccleſiam.

Hoc

Annona caritas

Hoc anno fuit tanta frumenti cariſtia, vt venderetur ſumma frumenti. 15. ſolidis. Generale cap. nigrorum monachorum fuit hoc anno Northamton. prǽſidente domino Thoma Abbate ſancti Albani, in quo ſtatutum eſt inter cætera perpetuam fieri iugemque memoriam per totum ordinem pro viuis & defunctis, in omnibus horis diurnis pariter & nocturnis.

Anno gratiæ M.CCC.LXIIII. qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus octauus, tenuit rex Edwardus natale apud Wyndeſore. Quo tempore Abbas de Bello itinerando verſus Londinum obuiauit cuidam damnato ad furcas ex Mareſcalcia regis, quem virtute libertatum Priuilegiorum ſuorum, erectum & liberatum à mortis periculo ſecum adduxit. Et quamuis Rex & Magnates alii ferrent grauiter factum iſtud, chartas tamen ſuas per placitum ibidem habuit approbatas. In feſto ſancti Michaelis Carolus le Bloys cum gente multa bellica ad numerum trium millium ſexcentorum, irruit ſubito ſuper Iohannem de Monte forti, & dominum Wilhelmum Latimer, dum obſiderent villam cum caſtro Doueroy, qui vix mille ſexcentos de Anglis & Britonibus & omni gente habuerunt, vbi facto congreſſu abſque deliberatione, ceciderunt ex parte ducis ſeptem viri, & ex parte Caroli intruſorum, ipſe Carolus cum domino de Richford, & Wilhelmo Vango, militibuſque & armigeris pene mille. Et capti ſunt de parte Caroli duo comites, viginti ſeptem domini, & armati viri ſtrenui mille quingenti.

Carolus le Blois in prælio ſuccumbit.

Hoc anno. 5. idus Aprilis obiit (vt prędicitur) I. Rex Franciæ, cuius mors vtrunque regnum non modicum perturbauit. Eodem anno Longobardi mercatores ſunt accuſati per ſocios ſuos de magna infœlicitate in mercimoniis ſuis facta regi, vnde maior pars illorum in turri Londoniarum recluditur, quouſque finem regi feciſſent ad eius beneplacitum. Eiſdem diebus Edmundus de Langley filius regis Edwardi, filiam & hęredem deſponſaſſet Comitis Flandriæ, niſi propinquitas conſanguinitatis prohibuiſſet. Vnde pro habenda diſpenſatione miſſum eſt ad Papam, ſed Rex Francię Carolus ne matrimonium iſtud procederet callide impediuit. Quæ mulier expoſt copulata eſt Philippo fratri regis Franciæ duci Burgundiæ, qui quondam patri ſuo in Anglia fuerat concaptiuus. Sub eodem tempore in planis Turkeyæ in die omnium Sanctorum commiſſum eſt bellum atrociſſimum inter Chriſticolas & Paganos, vbi Chriſtiani quamuis graui ſuo damno fuere victores. Attamen de Chriſtianis ibidem cecidere principibus I. Rex Hungariæ, Siwardus Rex Gorgoniæ, & magiſter Hoſpitalis Inſulæ de Rodes, & chriſtiani ad numerum quinque millium ducentorum & decem, de Paganis miſſi ſunt ad Tartara virorum quadraginta millia robuſtorum, quæ perempta ſunt ibidem cum aliis popularibus, quorum numerus non potuit comprehendi. Et fuerunt principes paganorum Soldanus Babyloniæ, rex Turkiæ, rex Baldok, rex Belmarinus, rex Tartarorum, & rex de Lettowe, ex quibus tres interfecti fuerunt, vt hii qui interfuerant dicto prœlio referebant.

Chriſtianorum & Paganorum cædes.

Anno gratię milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii triceſimus nonus, natus eſt Edwardo principi Walliæ & Acquitanniæ apud Angoliſmum filius, & vocatus eſt nomine patris ſui Edwardus. Hic anno ætatis ſuę ſeptimo diem clauſit extremum, non tamen pręmature vt plurimi aſſerebant. Eodem anno Ingelranus dominus de Comyn apud Wyndeſoram deſponſauit Iſabellam filiam regis Edwardi. 3. cum magna ſolemnitate. Hoc etiam anno Rex Cypriæ cepit Alexandriam magnam quæ clauis eſt Ægypti, perempta illic non modica multitudine Paganorum. Principes igitur prędictorum cum Soldano illud factum indigne ferentes, in numeros adunantes Sath[illegible]nę ſatellites venerunt contra eum. Quorum multitudini Rex & ſui ſe cernentes om[illegible]no impares, cum nō haberent exercitum, qui cuſtodire poſſet tertiam partem ciuitatis, vſi conſilio ſapiēti, deprędati ſunt illam partē quam ceperāt, auferentes ſpolia & diuitias quæ quemlibet exaturare valuiſſent. Nempe non ceperunt niſi vnam partem vrbis ex vna parte fluuii, quia brachium quoddam marinam vrbem ſecat. Reliquam partem tenuere pagani. Ditati nihilominus omnes fuerunt à maximo ad minorem. Et poſtquam ſpolia collegiſſent ad placitum, quarto die captionis eius, vel quinto, recedentes illęſi, ciuitatem deprędatam incredulis reliquerunt. Omnia vero genera ſpecierum tranſmarinarum diu poſthæc & rariora & cariora fuere, quamuis Soldanus in deſpectu Chriſtianorum proclamari feciſſet in partibus, ne mercatores ſe ſubtraherent ab eadem vrbe, ſed more ſolito illuc aduenirent, habituri tam bonum forum rerum venalium, ſicut ante captionem dictæ ciuitatis, ſed tamen non ita euenit. Interfuerunt autem

Rex Cypriæ capit Alexandriam.

tem huic captioni cum rege Cypriæ plures Anglici & Aquitannici referentes tam in Angliam, quam in Aquitanniam pannos aureos, & holeſericos, ſplendoreſque gemmarum exeticos in teſtimonium rantæ victoriæ illic factæ.

Anno gratiæ M.CCC.LXVI. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus, natus eſt domino Edwardo principi Walliæ & Aquitanniæ apud Burdegaliam Richardus filius ſuus ſecundus, quem Richardus Rex Nauarriorum de ſacro fonte ſuſcepit. Circa idem tempus rex Franciæ & maiores regni interpellauerunt auxilium regis Angliæ contra magnas comitiuas quæ debacchabantur in Francia, quarum ductores erant Anglici pro maiori parte, vel ſaltem de dominio regis Anglorum. *De magna comitiua.* Qui primo iuſſit per literas ſuas vt exirent Franciam, & non præſumerent illud regnum vlterius infeſtare. Qui valde ridiculoſe talia mandata ferentibus reſponderunt, ſe nihil ibidem tenere de rege Angliæ, nec velle pro eodem ſuas municiones relinquere, ſiue victum ſuum quæ tantis laboribus adquiſiuiſſent. Quorum reſponſis exacerbatus rex Angliæ, parauit ſe ad transfretandum. Sed rex Franciæ cum audiſſet de tanto regis apparatu, timuit, putans fortaſſis ſe regnum amiſſurum, ſi contingeret regem Angliæ fore victorem. Quapropter miſit ad regem, rogans vt à cæptis deſiſteret, & domi ſe contineret. Quæ quidem miſſio regem Edwardum iterum in tantum contriſtauit, vt iuraret per ſanctam Mariam ſe nunquam ſurrecturum in auxilium regis Franciæ, licet dictæ comitiuæ regem cum ſuis omnibus nitantur expellere regno ſuo. Nihilominus expoſt ad iuſſum regis Angliæ redditis regi Francię villis & caſtellis per prędictas comitiuas diu poſſeſſis, Bertrandus Cleikin miles inſignis & belliger, cum magna comitiua proceſſit contra dominum Petronem regem Hiſpaniæ, vt illum deponeret, fretus auxilio & fauore Papæ. Fuit vtique iſte Bertrandus ſemper quietis impaciens, bellum diligens plus quam pacem. Dicebatur de iſto rege, quod vixit inter ſuos tanquam peſſimus, maleficus, & tyrannus, proſcribens & interficiens ſuos naturales homines, & quod peius eſt, ſpreta religione chriſtiana, cum quadam ſe Iudæa fæmina miſcuiſſet. *Bertrandus mouens bellum in Hiſpania regem fugat.* Qui cum audiſſet aduentum illius terribilis comitiuæ, mox timore perterritus fugit in Waſconiam ad dominum principem Walliæ, poſcens ab eo ſubſidium & iuuamen. Quo fugato, Henricus frater eius baſtardus aſſenſu maioris partis dominorum Hiſpaniæ ſiue communium, & auxilio comitiuæ prędictæ factus eſt rex ibidem. Erat autem numerus comitiuæ prędictæ circiter ſexaginta millia bellarorum.

Hoc anno obiit Symon Iſlepe Archiepiſcopus Cantuarienſis, cui ſucceſſit Simon de Langham epiſcopus Elienſis prouiſione Papę. I. Barnet de eccleſia Bathonienſi translatus eſt ad Elienſem eccleſiam. Magiſter I. Harewell contemplatione domini Edwardi principis Walliæ confirmatus eſt à Papa in epiſcopū Bathonienſem. Item hoc anno obiit Wilhelmus de Edingdone epiſcopus Wintonienſis, cui ſucceſſit per electionem, domino rege procurante, dominus Willielmus de Wickam, portator priuati Sigilli.

Anno gratiæ M.CCC.LXVII. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus primus, princeps Edwardus condolens calamitatibus domini Petronis regis Hiſpaniæ, profectus eſt in regnum illud cum electa multitudine bellatorum Angliæ, Scotiæ, Nauarrię, Aquitannię & Britannię, & aliarum gentium plurimarum, ad quem cum multis acceſſit dominus Hugo de Caluerlee, deſerto Henrico Baſtard, eo quod noluit ſtare contra dominum principem primogenitum regis ſui: venit inſuper ad principem dominus Robertus Knolles cum electa multitudine magnæ comitiuę prędictæ. Qui duo de ſua militia multum auxerunt, confortauerunt, & animauerunt partem eius. De Anglia venit ad eum dominus I. dux Lancaſtriæ cum multis valentibus militibus & armigeris, aliiſque armatis. Eratque cum eo Rex Nauarrię cum multis de gente ſua. Ex aduerſa parte venit ipſe Henricus Baſtardus, & cum eo Bertrandus Cleikin cum magna parte illius magnæ comitiuę quę ipſum ſecuta eſt non tantum amore quantum ſpe prędæ. Venerunt inſuper cum Baſtardo pene omnes domini & potentes Hiſpaniæ, & de Galliis infiniti, partim miſſi per regem Franciæ, partim lucri contemplatione. Saraceni pręterea & vlteriores Hiſpani, ſed increduli, confluxerunt cum intruſore prędicto, qui prę multitudine dinumerari non valebant. Igitur poſt paucos dies aduentus principis in Hiſpaniam, rex Nauariæ ſe gerens incaute captus eſt repente à militibus Bertrandi Cleikin. *Rex Nauariæ capitur.* Qui tamen domino principi expoſt cito fuit redditus, capto eodem Bertrando qui mortis incurriſſet ſupplicium niſi eum protinus iudicaſſet. Remāſit tamen idem Bertran-

Digitized by Google

trandus captiuus poſtea per longum tempus, captus quippe fuerat antequam acies conuenirent ad feriendum, in initio belli huius. Cito poſt hæc acies ad inuicem percuſſerunt, ſagittariis Anglicanis laudabiliter rem agentibus, & Hiſpanos vndiq; cum incredulis ferientibus. Dominus I. dux Lancaſtriæ, & dominus I. Chaūdois miles famoſiſſimus, quibus aſſignati fuerunt illi qui de magna comitiua adhæſerunt principi, primam aciem habuerunt. Super hos pondus belli ſtetit, ſuper hos Saracenica phalanx incubuit, ſuper hos Hiſpanorum innumera multitudo diu ſæuit. Sed tandem ſuperueniente domino Roberto Knols cum electa gente quæ cum ſecuta fuerat, & noſtra pars augetur & animatur, & pars aduerſa debilitatur & terretur. Tunc retrocedunt Hiſpani, corruunt Saraceni, & ad inferna properant per centenos. Ipſe dux partis aduerſæ pauefactus hiis viſis, & maxime de ſagittis quæ eum vndique circumuolauerant, reliquit ſonipedem quem inſederat, & equum velociorem inſiliens feſtinauit ad fugam, non tamen illæſus, quia prout dicebatur erat in inguine ſagittatus. Cognita vero fuga ducis ſui Hiſpani, vltra reſiſtendi ſpiritum non habentes, in fugam illico conuertuntur. Quos noſtrates inſequentes percutiunt, perforant, & proſternunt, quoſdam captiuantes, plurimos perimentes. Captus eſt ibidem ſiquidem comes de Deue cum multis ex nobilioribus illius regni. Captus eſt inſuper (vt prædicitur) ipſe Bertrandus Cleikin, qui fuerat principalis conſiliarius ex parte Baſtardi, & dux primæ aciei. In hac pugna etiam & fuga prædicta occiſi ſunt ex gente Hiſpanica & auxiliariis plures quam ſeptem millia bellatorum. In fluuio nempe de Nazar ſuffocati ſunt multi rapaci gurgite illius aquæ, in tantum, vt vnda appareret rubra vel ſanguinea per ſpacium milliarii, præ numeroſitate vulneratorum, vel illic ſe præcipitantium, vt ibidem per Anglicos peremptorum. Commiſſum eſt prælium iſtud tertio die Aprilis, vel vt quidam volunt, in vigilia Dominicæ annunciationis. Igitur obtenta tanta victoria, princeps illuſtriſſimus præfatum dominum Petronem reſtituit in regnum ſuum. Qui expoſt ingratus & infidelis eidem principi non tenendo præmiſſa, initium magnorum dolorum fuit illi. Reuera cum ſperaſſet de eo recepiſſe pecuniam cum qua ſatisfeciſſet ſuis conductitiis, & præcipue magnæ comitiuæ quam de Galliis acceſſiri fecerat, deficiente ipſo in præmiſſis, confringi & comminui fecit vaſa ſua aurea & argentea, & monetam exinde fieri, quam ſuis ſtipendiariis erogauit, ipſo paupere remanente. Milit præterea quendam ex ſuis militibus vt careret nomine ſuo ſeiſinam in comitatu de Algezira & aliis terris quas idem rex Petro ſibi preconceſſit, ſed nunquam tamen fuit in poſſeſſione pacifica de eiſdem, & ita regreſſus eſt in Aquitanniam, depauperatus nimium, quia conſumpſerat omnes theſauros ſuos in hac expeditione (vt præfertur.) Ob quam cauſam compulſus eſt manus mittere ad bona ſubditorum ſuorum, & in toto dominio Waſconienſi nouas taxas exigere & inſuetas. Quamobrem cito poſtea defecerunt ab eo, & rebellare cœperunt. Sed hæc poſtea. Per idem tempus Bertrandus Cleikin ſoluens redemptionem ſuam, à captiuitate liberatur, & pergens in Hiſpaniam regi Petro reconciliatur. Perſuaſit igitur ſibi tanquam communis amicus & pacis moderator, vt reciperet Henricum Baſtardum fratrem ſuum in gratiam, quem promiſit futurum fidelem ſibi. Cuius verbis credens, idem Petro iuſſit vt ad eum adduceret, ſpondens ſe omnem rancorem & cunctas foriſfacturas remiſſurum. Procurauit proinde idem Bertrandus, vt dictus Henricus aduceret cum armata manu, eo tempore quo rex ſedebat in prandio, & ſubito præoccupatum lancea perforaret. Quod & factum eſt, & mox Baſtardus inuaſit regnum iterum, adeptus proditione quod non potuit aperto marte. Edwardus princeps per idem tempus (vt dicebatur) intoxicatus fuit, à quo quidem tempore vſque ad finem vitæ ſuæ nunquam gauiſus eſt corporis ſanitate. Sed & plures ſtrenui & valentes poſt victoriam Hiſpanicam, fluxu ventris & aliis infirmitatibus perierunt ibidem ad magnum detrimentum Anglicani regni.

Bellum apud Nazar.

Victoria ceſſit Anglis.

Edwardus intoxicatur.

Eodem anno circa principium menſis Maii Papa Vrbanus quintus de Anniuonia cum plena curia ſe tranſtulit verſus Romam, quo circa feſtum ſancti Lucæ euangeliſtæ ſanus peruenit, & ſummo cum honore ab omnibus eſt receptus, quia à tempore Papæ Bonifacii octaui ibidem viſus fuerat Papa nullus, ſtatimque loca ſancta collapſa & eccleſias dirutas reparauit, reliquias ſanctorum auro, argento & gemmis præcioſis pulcherrime decorauit, & multa bona fecit ibidem propter quæ infinitas benedictiones poſt mortem ab omni populo reportauit.

Anno gratiæ M.CCC.LXVIII. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus ſecundus, menſe Martio viſa eſt ſtella Comata inter partes Septentriona-

Digitized by Google

trionales & occidentales, quæ verſus Franciam radios ſuos porrexit. Quo anno menſe Aprilis Leonellus dux Clarençiæ regis Edwardi tertii filius cum electa multitudine nobilium Anglicorum tranſiuit verſus Mediolanum, ad accipiendum in vxorem filiam domini Gallias domini Mediolani, cum qua medietatem eiuſdem dominii fuerat habiturus. Sed tamen modico tempore ſuper coniuge vel dominio gaudere permiſſus eſt, morte (quæ cũcta diſiungit & ſeparat) mox præuentus. Celebrato nempe inter eos cum maxima gloria matrimonio, Leonellus circa feſtum natiuitatis beatæ Mariæ proximo ſequentem diem clauſit extremum.

Franci frangunt pacem.

Eodem anno Franci pacem fregerunt, equitantes in terras Angliæ in comitatu de Pountyf, caſtella, villas, oppida, & municiones ex inſperato capientes, partim vi, partim proditione, homines vero regis Angliæ quoſdam peremerunt, quoſdam captiuauerunt, rege Franciæ hæc omnia ignorante. Et ad circumueniendã regis Francię innocentiam, Rex Angliæ verſutus & doloſus miſit ei nuncios qui dicerent eum fore paratum ſoluere quod reſiduum fuerat de redemptione patris ſui quondam regis Franciæ Iohannis, & omnes condiciones pacis apud Caleys ſactas obſeruare. Interea princeps Walliæ direxit nuncios ad patrem ſuum de Waſconia, mandans per literas ſuas, ne Francorum regi fidem daret, qui proculdubio paratus fuit ad decipiendum eum, & iam pacem fregerat, vaſtando terras ſuas. Sed Rex Angliæ quorundam ductus conſiliis qui dicebant principem temerarium & quietis impacientem, quippe qui nihil magis quam bella cupiuit, & ob id infamauerat regem Francorum ſatis innocentem, filii ſui literas monitorias paruipendit. Eo tempore Rex Franciæ ad decipiendum plenius regem Angliæ miſit ei vina de Bohęmia, & alia donariua indicia bonæ fidei & dilectionis. Et factum eſt, adhuc Gallicis nunciis cum rege exiſtentibus, noua deportantur ad regem, quod Rex Franciæ diripuiſſet hoſtiliter pagum Põtiuum, villas vaſtaſſet, & homines captiuaſſet. Inſuper & magnam villam & fortem de Abuile cepiſſet, & prędas multas cepiſſet ibidem. Cum autem audiſſet Rex de captione de Abuile, contriſtatus eſt valde, & nunciis quidem pręcepit cum donis redire, nolens eis damna inferre. Sed iuſſit eis vt referrent regi ſuo eius ſe infidelitatem quam maxime deteſtari, quam proculdubio lueret in futurum. Quibus domum properantibus, Caleſienſes facti ſunt obuiam, & vina diripientes, Caleſiam adduxerunt. Franci nihilominus vt erant ſemper fraude & doloſitate pleni, cauſam fractionis pacis cauteloſe & ſubdole impoſuerunt Anglicis. Hoc anno menſe Octobrį dominus Simon de Langham Archiepiſcopus Cantuarienſis creatus eſt in Cardinalem, & ſequenti anno menſe Aprilis verſus curiam iter cepit. Igitur Papa tranſtulit magiſtrum Wilhelmum de Wittleſey epiſcopum Wigorniæ, ad eccleſiam Cantuarienſem, & magiſtrum Wilhelmum de Lenne epiſcopum Ciceſtriæ ad eccleſiam Wigornienſem, & magiſtrum Wilhelmum Reed ad epiſcopatum Ciceſtrenſem promouit.

Archiep. Cant. creatur in Cardinalem.

Anno gratiæ M. CCC. LXIX. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus tertius, circa finem menſis Maii rex Edwardus tenuit Parliamentum apud Weſtmonaſterium, in quo tractauit de rupto fœdere inter ipſum & regem Francorum. Quapropter ſicut olim totum regnum Franciæ iterum vendicauit. In cuius rei negotium circa feſtum Natiuitatis beatæ Mariæ miſit filium ſuum I. ducem Lancaſtriæ, & Humfridum de Boun, comitem Herefordiæ, cum valida manu militum in Franciam ad pugnandum pro iure ſuo. Qui ducentes exercitum verſus montem Morianum, qui vulgo dicitur le Chalkhil, prope Caleſiam, in quo conſederat Francorum exercitus aduentum Anglicanæ militiæ præſtolando, ad oppoſitum montis illius tentoria ſua fixerunt. Dux igitur illic adhibitis certis dominis ad corporis ſui cuſtodiam qui noctium vigilias inter ſe diuiderent, pro tutela ſua, diu moram ibi protelauit, tam inutilem quam damnoſam. Erant ibi tunc multi valentes barones & milites, qui cernentes plebem Anglicanam quotidie fame, peſteq; perire, eo quod primum nullum ſinebant pabulatum egredi, decreuerunt pugnare cũ Gallicis priuſquam gens Angliæ peſte ſeu fame nimis infirmata fuiſſet. Sed tamen ductores (vt fertur) huiuſmodi noluerunt conſilio conſentire, cauſantes ſe non habere ſufficientem manum ad congrediendum cum tanta multitudine pugnatorũ. Dubium quoque fuit vtrum eis virtus hominum aut audax mens defuerat. Dominus Thomas Beuchamp comes Warwicenſis, belliger animoſus, audiens quod die ſtatuto Franci pugnare vellent cum noſtratibus illic exiſtentibus, mox electa valida virorum fortium comitiua, peruenit ad mare, & aſcẽſis nauibus quas paratas reperit, cœpit verſus

Rex Angliæ regnum Franciæ iterum vendicat.

Angli peſte pereunt.

Caleſiam nauigare. De cuius aduentu Francorum exercitus ita ſtupefactus extitit, quod relinquerent latenter tentoria cum ſuis victualibus, & clam aufugerent antequam terram attingeret idem comes. Cumque applicuiſſet, ducum quos reperit ignauiam multum redarguens deteſtatus eſt, qui conſulerunt ſibi ne progrederetur. Ipſe vero commotus: Ego (inquit) progredi & pugnare volo dum adhuc panis Anglicanus in virorum meorum ventribus remanet indigeſtus. Et ſine mora cum ſuis progrediens, Normanniam properauit, & inſulam de Caws ferro flammaque vaſtauit, nemine ſibi audente reſiſtere. Sed heu, in redeundo verſus Caleſiam morbo peſtilentiali correptus repente de medio eſt ſublatus, parem ſibi in armorum ſtrenuitate, & regi regnique fidelitate ſuperſtitem minime derelinquens. Cæteri duces (vt pręferrur) exercitum fere vniuerſum quem eduxerunt, quo nunquam vllus validior noſtris temporibus lectus fuit, de terra Anglicana, miſerabiliter amiſerunt, fame, & peſte quem ex fame contraxerat in partibus tranſmarinis. Per idem tempus Papa fouebat guerram contra dominos Mediolanenſes, quia ipſi tyrannice & iniuſte terras, redditus, & caſtella de patrimonio beati Petri longo tempore detinebant. Pro Papa vero militant dominus de Spencer, qui laudabiliter ſe geſſit ibidem poſt mortem ducis Clarenciæ cum quo peruenit ad partes illas. Eodem tempore floruit ille miles egregius & famoſus Iohannes Hauckwoode Anglicus natione, habens ſecum illam albam comitiuam pretactam ſuperius, qui nunc contra Papam, nunc contra prefatos dominos Mediolani arma gerebat, cuius pars quocunque verteret ſemper vincebat. Multa itaque facta egregia ibidem operatus eſt cum ſuis, immo mirabilia inaudita, ſi quis vellet eius geſta per ſingula enarrare. Eodem anno mortua eſt domina Philippa regina Angliæ in die Aſſumptionis beatę Mariæ, mulier nobiliſſima, & Anglorum amatrix conſtantiſſima, quę apud Weſtmonaſterium honorifice tumulatur, fundente ſumptuoſas expenſas rege Edwardo marito ſuo, circa eius exequias & ſepulturam. Obierunt hoc anno inſuper Thomas Percy Norwicenſis, Lodowicus Scherleton Herefordenſis, & I. Graunſon Exonienſis epiſcopi, quibus prouiſione Papę ſucceſſere Wilhelmus Courtnay ad Herefordenſem, Henricus le Speucer ad Norwicenſem, & Thomas Brautingham fauore literarum domini regis Edwardi ad Exonien. eccleſias. Hoc anno fuit magna peſtilentia hominum & groſſorũ animalium, & per inundationes aquarum ſequebatur & magna bladi dampnificatio, in tantum vt ſequenti anno modius frumenti tribus ſolidis venderetur. Obiit Blanchia duciſſa Lançaſtriæ, & in eccleſia ſancti Pauli Londoniæ ſepelitur. Hoc etiam anno tenuit rex Parliamentum apud Weſtmonaſterium, in quo regi conceduntur decimæ triennales in tribus annis ſequentibus perſoluendæ. Et à laicis triennalis quintadecima conceditur pari modo.

Io. Hauckwood miles ſtrenuus.

Moritur Philippa regina.

Peſtis & annona cariſſa.

Anno gratiæ M.CCC.LXX. qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus quartus, rex Edwardus ſiniſtro vſus conſilio, magnas ſummas pecuniæ à prelatis, dominis temporalibus, mercatoribus, aliiſque diuitibus mutuo petiit & accepit, aſſerens, quod in defenſionem eccleſiæ & regni illas expenderet, ſed tamen nihil inde profecit. Expoſt vero circa natiuitatem ſancti Iohannis Baptiſtæ rex Edwardus congregari fecit exercitum magnum valde de valentioribus viris & magis expertis in bello qui in regno poterant inueniri. Inter quos erant domini de Graunſon, de Fitzwater, & plures, tam armigeri quam milites nobiles & valentes. Hiis prefecit ducem dominum Robertum de Knols, virum prouidum & audacem, qui bella tranſmarina tractauerat per ante multoties glorioſe, cuius diſcretione & induſtria voluit eos totaliter regulari, & eius imperio in omnibus obedire. Qui tandem mari tranſito, in regnum Franciæ peruenerunt, vbi quamdiu fuerunt, vnanimes Franci eos aggredi non audebant. Demum circa principium hyemis orta eſt diſcordia inter dictos dominos iuuenes & Robertum Knolles ducem eorum, qui de propriis virtutibus nimis confidentes, æſtimabant ſe multum humiliatos, quod eiuſdem Roberti conſiliis, & mandatis eius oportuit obedire. Erat tunc inter eos quidam miles ſtipendiarius, dictus I. Menſterworth, qui vna & aciem predicti ducebat exercitus, manu quidem promptus, ſed mente fallax & peruerſus, & Roberto Knols (cui tenebatur maxime) infidelis. Hic multum inſtigauit dictos dominos contra Robertum, dicens in eorum grande redundare dedecus, quod ei ſubiecti eſſent, ſatis ſcientem & fortem quemlibet eorum aſtruens, ad perficiendum iniunctum negotiũ ſine cõſilio Roberti Knols, quem Veſpilionem veterem appellauit. Vnde factum eſt cũ Robertus preſatus conſuleret eos egredi Franciã eo tempore hyemali, & in Britannia hyemare, noluerunt

Exercitus Anglicorum in Francia.

runt ei conſentire vel acquieſcere, ſed ibidem dixerunt ſe velle per totam hyemem expectare. Quapropter ſe in diuerſas turmas pueriliter diuidentes, hyemationis loca quæſiuerunt. Robertus vero Knolles vt prudens & exercitatus miles, cum non poſſet eis perſuadere ſalutem, diuertit cum ſuis in Britanniam; & in caſtello ſuo ſe cum ſuis prudenter recepit. Gallici vero ſine mora in cæteros ſic diuiſos, & non dum in locis ſuis conſtitutos, irruerunt acriter, duce Bertrando Cleikin, & pro maiori parte vel occidunt vel capiunt vniuerſos, in magnum regno Angliæ dedecus & detrimentum. Dictus vero I. Menſterworth multis de ſuis amiſſis, vix euaſit. Venienſq; in Angliam dominum Robertum Knolles accuſat inſtantius, imponens illi infortunii totius cauſas, eum inſuper aſſerens proditorem. Sed nomen antiquum & probitas viri nota cunctis Anglicis id fecere, vt idem I. mendax reputaretur, & ingratus illi Roberto diceretur ab omnibus & crederetur. Rex Edwardus nihilominus ſubtraxit ab eodem Roberto dona quædam quæ per ante ſibi contulerat, vnde cõtigit vt dictus Robertus Angliã non auderet intrare antequã regis gratiam magna pecunia comparaſſet. Sed hæc inferius plenius innoteſcent. Igitur dictus I. Menſterworth cernens ſuã fraudem non poſſe procedere, & ſe cognoſcens depræhenſum in mendacio, fugit ad regem Franciæ, domini ſui effectus infandiſſimus proditor, vt infra patebit.

Robertus Knolles detrahitur.

Hoc anno Vrbanus Papa de Roma rediit Anniuoniam, ea de cauſa, vt reges Anglorum & Francorum ad concordiam inuitaret. Sed (proh dolor) ante tam pium opus inceptum morte preuentus, viceſimo ſecundo die Decembris ab hac luce inſtabili eſt ſubtractus. Sepultuſq; fuit ibidem ad tempus in eccleſia cathedrali iuxta magnum altare, ſed poſt anni ſpacium eius oſſa ad Abbathiã ſancti Victoris iuxta Marciliam (vbi quondam Abbas fuerat) deportãtur, & in eccleſia quam ipſe pro maiori parte de nouo conſtruxerat, iuxta principale ſepeliuntur altare. Et cum in vtroque loco Deo cooperante fiunt clara miracula, ex quibus cuius meriti fuit apud Deum, cunctis fidelibus apertiſſime declaratur. Huic ſucceſſit Gregorius vndecimus, diaconus cardinalis, prius Petrus Rogerii nuncupatus.

Obiit Vrbanus Papa.

Eodem anno ciuitas Lemonicenſium contra principem rebellauit, ſicut & plures aliæ villæ cum caſtellis in Waſconia, propter graues exactiones & impoſitiones, ac alia quodammodo importabilia per dominum principem & ſuos (vt dicebatur) eiſdẽ impoſita. Quamobrem ſe ſeparantes à principe, regi Franciæ adhæſerunt, vnde commotus, Lemonicenſium rebellionem primo diſpoſuit vindicare crudeliter niſi maturius reſipiſcerent, & eius gratiam quererent, humili ſatis prece. Sed ipſos quos tutabant muri fortes, victualium abundantia & bellicoſorum virorum copia: nil terruit legatio principis iubentis eos ad pacem redire. Quorum cernens princeps obſtinatiam, per nuncios mandat eis, dicens ſe totam ciuitatem funditus deſtructurum, & omnes inuentos in ea igne vel gladio peremptorum, niſi citius ſibi ſubmitterent & traderent ciuitatem. Sed indiſciplinatum vulgus, nihil horum audire voluit, ſed & nuncios oculo ſuperbo deſpexit, & ciuitatem arctius vndique communiuit. Mox dominus princeps plantata obſidione, diris oppugnatibus & inſultibus ciuitatem circumquaque fatigat, nullam incluſis requiem indulgendo. Demum arte fodientium corruentibus muris, illam capit, & captam ſolo tenus fere deſtruxit, inuentoſque in ea peremit, paucis captis & reſeruatis ad vitam. Quibus ita geſtis feſtinauit in Angliam remeare, tum propter iuges infirmitates quibus vexabatur, tum propter defectum pecuniæ qua bellatores conduceret ad reformandum rebelles. Igitur circa principium menſis Ianuarii cum vxore & paruulo filio ſuo Richardo obſequente familia apud portum de Plimmouth applicuit, relinquens poſt ſe in Waſconia duos fratres ſuos Io. ducem Lancaſtriæ, & Edmundum comitem Cantebrigiæ cum aliis viris ſtrenuis & militibus bellicoſis. Qui mox vt venit ad patrem, totum dominium Waſconiæ in eius manus reſignauit. Eodem anno venit ad regem Edwardum ipſum accerſientem Rex Nauarriæ apud Claryndonam, vbi tractauerunt de certis negotiis tangentibus werram regis Angliæ, ad cuius aduentus ſecuritatem dimiſſi ſunt de Normannia obſides quidam Epiſcopi, & comites ac barones de Anglia, vſque dum idem Rex rediret, ſed poſt multos tractatus, ab ipſo hoc quod petiit non potuit obtinere Rex noſter Edwardus: attamen dictus Rex receſſit magnis à rege noſtro donariis oneratus. Hoc anno ille famoſus, ſapiens, ſtrenuus miles & bellicoſus Iohannes Chandos, interfectus eſt ab hoſtibus in Waſconia, quos prius ſuperauerat, dum incaute caput ſuum diſcoperuiſſet, ad magnum detrimentum vtriuſque regni. Nempe ferunt regem Franciæ, audita morte ſua, maxime doluiſſe: & aſſeruiſſe, quod eo mor-

Lemonicenſium vrbs ſolo æquatur.

Iohannes Chandos interficitur.

tuo, non fuit vllus miles ſuperſtes qui eſſet habilis ad faciendum pacem inter Franciæ & Angliæ reges & regna, tantum metuebatur, tantus æſtimabatur, tantum ab omnibus amabatur.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo, qui eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus quintus, celebrato parliamento apud Weſtmonaſterium in Quadrageſima, Rex Edwardus petiit à clero & populo ſubſidium quinquaginta millium marcarum argenti, quod ſub deliberatione, in conuocatione cleri facta poſt paſcha, fuit conceſſum tam à Clero quam à populo laicali. Ad quam quidem ſummam perſoluendam ſacerdotes ſtipendiarii ſecundum valorem pecuniæ quam perceperunt per annum taxati fuerunt. Minuta etiam beneficia, quæ nunquam prius erant taxata ad complementum illius ſolutionis ſimiliter taxabantur. In iſto parliamento ad petitionem dominorum in odium eccleſiæ amoti ſunt epiſcopi de officiis cancellar. & Theſaurar. & Clericus de priuato ſigillo. Et loco illorum ſeculares ſubrogati fuere. Durante parliamento venerunt Londonias ſolemnes Ambaſſiatores miſſi à domino Papa nouo, ad tractandum cum domino rege de pace inter eum & regem Franciæ confirmanda, qui Papa, videlicet, deſiderauit in hac parte ſui prędeceſſoris exequi voluntatem, ſed tamen nullus ex his prȩmiſſis ſequebatur effectus.

Clerici amouentur, laici ſurrogantur.

Anno gratiæ M. CCC. LXXII. qni eſt annus regni regis Edwardi à conqueſtu tertii. 46. nono die menſis Iunii Rex Edwardus tenuit parliamentum apud Wintoniam, ad quod de clero moniti ſunt venire quatuor Epiſcopi, & quatuor abbates tantum, quod factum fuit (vt putabatur) propter mercatores Londonienſes, Norwicenſes, & alios in diuerſis ſua mercimonia promouentes, de quibus dicebatur, quod contra regem Edwardum rebellare volebant.

Eodem anno dux Lancaſtriæ & comes Cantebrigiæ frater ſuus cum duabus ſororibus filiabus domini Perronis quondam regis Hiſpaniæ de Waſconia in Angliam redierunt, quas poſtea in coniuges acceperunt. Dux quidem ſeniorem vocatam Conſtantiam, & comes iuniorem Iſabellam appellatam. Sub quo tempore, Iohannes dux Lancaſtriæ ratione vxoris ſuæ regem Caſtellæ nominauit & ſcripſit. Per idem tempus iuſſu domini Papæ egreſſi ſunt duo Cardinales ad tractandum de pace inter duo regna, Anglicus videlicet & Pariſienſis, acceptis procurationibus abſq; pacis effectu ad curiam ſunt reuerſi. Hoc anno commiſſum eſt bellum nauale inter Anglicos & Flandrenſes, de quo Anglici reportauere victoriam, captis viginti quinque nauibus ſale onuſtis, & interfectis hominibus & ſubmerſis. Anglici reuera neſcientes quod Flandrenſes eſſent, cum inſolenter prouocati fuiſſent ab eiſdem, vt prædicitur, vniuerſos perimerūt: vnde grauis diſcordia, & plura damna perueniſſent vtrique populo ex hac occaſione niſi pax amicabilis fuiſſet citius reformata. Eodem tempore Franci obſederunt villam de Rochel, & in terra illa multa mala fecerunt. Quamobrem miſſus eſt comes de Penbroke, iuuenis viginti quinque circiter annorum in Waſconiam, ad refrȩnandum Gallicorum immoderatos impetus, & ad diſſoluendum obſidionem prędictam, cum magna multitudine armatorum. Qui cum ſatis ſecuri perueniſſent ad portum de Rochel, repente ruit ſuper eos claſſis Hiſpanica incautos tunc & inordinatos ad pugnam, feriendo, ſternendo, mactando: vnde contigit quod victoria ceſſit Hiſpanis, Anglicis pene cunctis in hoc congreſſu captis, vulneratis lethaliter vel occiſis. Hiſpani inſuper nullum genus damni quod irrogare poterant prętermittentes, naues omnes flāmis voracibus cōbuſſerunt, captumq; comitem cum viginti millibus marcarum ſuſceptarum à rege Angliæ ad continuandam ibidem guerram, necnon dominum de la Spar alioſq; multos nobiles & robuſtos in Hiſpaniam abduxerunt. Contigit autem iſtud infortunium in vigilia natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ, in qua feſtum ſanctæ Etheldredæ virginis ſemper occurrit. Quod quidem infortunium plures aſſerunt ſibi contigiſſe propter iniuriam quam intulit eccleſiæ ſupradictæ virginis, in cauſas inter eandem eccleſiam, & eccleſiam ſancti Edmundi regis & martyris de Bury, priuſquam recederet de terra ſua. Pecunia vero ſupradicta, quia collecta fuerat de ſancta Eccleſia, prout fertur, fuit domino regi minime fructuoſa. Alii ſiquidem aſſerunt dicta mala comiti accidiſſe, principaliter tribus de cauſis, primo, quia ipſe vxoratus rupto fœdere coniugali, cum aliis mulieribus rem nephariam, adulterando commiſit. Secundo, pernitioſus quadam dementia & inſania fatigatus, iura & libertates eccleſiaſticas in quodam parliamento deleuiſſe ex animo affectauit. Tertio, ipſe protinus exagitatus nequitię ſtimulo, ſuaſit Regi,

Digitized by Google

Regi, ſuoq; conſilio, vt viri Eccleſiaſtici bellorum tempore grauius quam alii ſeculares mulctarentur, &c. Iſta vero vltima ſumme dominis temporalibus placuerunt, quę deinceps quaſi in conſuetudinem licet nunquam gaudentes traxerunt, reputantes ſe in hoc magnum aliquid conſequutos, ſi quandoque ſanctam Eccleſiam nouis impoſitionibus & tagallis valeant onerare. Igitur qualiter hi profecerint, ſubſequenter vel regno Angliæ, & incolis eius ſucceſſerit, ſatis nouit & palam prædicat totus mundus.

Eodem anno menſe Auguſto Rex Edwardus parato nauigio copioſo, cum magno nimis exercitu intrauit mare ad diſſoluēdum obſidionem de la Rochel, ſed ventus contrarius non permiſit eum longius à terra recedere, licet per magnum tempus prope littus maris ventum proſperum expectaſſet. Cum vidiſſet igitur, ſe nullo modo poſſe procedere, rediit ad terram triſtis, poſt cuius reditum ſtatim ventus ad partes oppoſitas ſe conuertit. In hoc apparatu erat cum filio filius ſuus Princeps, & nobilitas regni quaſi tota. Expendiſſe quidem fertur eo tempore pluſquam nonies centum millia librarum in vanum. *Rex intrat mare, ſed inaniter.*

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus ſeptimus, Iohannes dux Lancaſtriæ filius Regis, & frater Principis, cum ingenti exercitu transfretauit in Franciam, ad experiendum ibi iterum ſuam fortunam. Tranſiuit igitur equitans per Pariſium in Burgundiam, & ſic per totam Franciam, nemine ſibi volente, immo nec audente reſiſtere. Sed in hac expeditione modicum vel nullum damnum Francis intulit, niſi quia redemptionem diuerſis villis & locis impoſuit, alias vero neminem moleſtauit ex hoſtibus, tandem deſeruit Franciam cum exercitu, in qua victualia ſibi fuere ſufficientia, vbi & epulabantur quotidie ſplendide, & ingreſſus eſt deſerta montium Aluernię regionis, vbi nec reperiri poſſent hominibus victualia, nec beſtiis alimenta, ibidem ergo fame & peſte periit exercitus ſui magna pars, ſed & equi fere omnes interierunt in loco præfato. Tandem ingreſſus eſt Aquitanniam mœſtus de infortunio, & ſic peruenit Burdegaliam. Nam qui ingreſſus Franciæ apud Caleſiam triginta & amplius millia equorum in ſuo comitatu habuerat, perpaucos, vt fertur, equos Burdegaliam ſecum viuos adduxit, vbi cernere poſſent ſpectaculum miſerandum, milites famoſos & nobiles, delicatos quondam & diuites in terra Anglicana (amiſſis hominibus & iumentis) hoſtiatim mendicando, panem petere, nec erat qui eis daret. Deſtructa nempe fuerat terra illa ante aduentum illorum per Gallicos. Ideoque inculta remanſerat ad tempus illud, qua de cauſa facta eſt tanta fames in terra procul & iuxta Burdegaliam, vt ibidem ſumma frumenti pro quadraginta ſolidis venderetur. Dux nihilominus hiemauit ibidem. Decimo autem die Aprilis anno ſequenti erat dies belli præfixus inter ipſum, & ducem Andegauiæ iuxta ciuitatem Tholoſam. Interim vero captæ fuerunt treugæ inter duo regna ab hinc vſque ad viceſimum diem menſis Maii proximo ſequentem, minus caute, prout dicebatur, quia dictæ treugæ Regem Angliæ omnino latebant. Adueniente vero die ſtatuto, aderat illic Francorum magnus exercitus per præfatum ducem Andegauiæ congregatus, ſed nihilominus die illo tranſit abſque bello, non ſine pudore & vituperio Anglicorum, quia Gallici iactitabant ſe fuiſſe paratos in campo die ſtatuto ad expectandum illorum aduentum, qui non venerunt. Quamobrem Anglis multa intulere conuitia, aſſerentes eos eſſe falſos, timidos & vecordes, & hic fructus expeditionis iſtius. Eodem anno Rex Edwardus miſit ambaſſiatores ad dominum Papam, rogans eum, vt ſuper reſeruatione beneficiorum in curia ſua facta in Anglia de cetero ſuperſederet, vt etiam Clerici ad Epiſcopales dignitates, ſuis electionibus pleno iure gauderent, & vt à ſuis Metropolitanis, prout antiquitus fieri conſueuit, idem clerici confirmari valerent. Sicque ſuper his & aliis diuerſis (in quibus tam Rex quam regnum ſentiebant ſe grauari plurimum) remedium poſtulabant, ſuper quibus quidem articulis nuntii à Papa certa recepere reſponſa, de quibus cum redirent in Angliam, deberet Papæ reſcribi per Regem de voluntate ſua & procerum, antequam aliquid determinaretur ſuper prædictis. Hoc anno in Parliamento erat decretū, quod Eccleſiæ cathedrales ſuis gauderent electionibus, & quod Rex de cetero contra electos non ſcriberet, ſed per literas ſuas ad eorum confirmationem iuuaret, ſed tamen hoc ſtatutum in nullo profecit. Obiit hoc anno magiſter I. Thoreſby Archiepiſcopus Eborac. Magiſter I. Barnet Elienſis, & magiſter Wilhelmus Lynne Wygornienſis Epiſcopi. Quibus ſucceſſerunt auctoritate Papali magiſter Alexander Neuyle

Anglorum penuria.

Francorum iactatio.

Decretum de electionibus caſſatum.

ad Eborac. Thomas filius Comitis Arundeliæ ad Elienſem, & dominus Henricus Wakefeld ad Wygornienſem Eccleſias. In ſupradicto parliamenro conceſſa fuit Regi vna decima per Clerum, & vna quintadecima per populum laicalem. Hoc anno caſtellum de Lizimaco Francis teddirur, pro redemptione domini Thomæ Percy.

Aquitania defecit à Rege Anglorum.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tettii, quadrageſimus octauus, dux Lancaſtriæ redit in Angliam de Waſconia, poſt cuius receſſum tota Aquitania præter Burdegaliam & Baionem defecit à Rege Angliæ, & ad Regem Franciæ ſe conuertit.

Circa idem tempus, ſcilicet quinto die Iulii, obiit magiſter W. Wyttleſeye Cantuarienſis Archiepiſcopus, vnde monachi illius Eccleſiæ ad eligendum adepti à rege licentiam, Cardinalem Angliæ in Atchiepiſcopum poſtularunt. Qua cauſa Rex commotus aduerſus eos ira maxima, propoſuit dictos monachos exlegiſſe. Idcirco plura bona expenderunt, antequam potuerunt ſuper illo facto Regis gratiam obtinere. Poſtularioni nempe factæ de cardinale rex conſentire noluir, ſed nec Papa, nec Catdinales. Citca principium menſis Auguſti fuit tractarus apud Burges ſuper diuerſis Articulis inter Papam & Regem Anglorum pendentibus, qui videlicet tractatus durauit fete duobus annis. Tandem concordarum eſt inter eos, quod Papa de cetero reſeruationibus beneficiorum minime vteretur. Et quod Rex beneficia per literas. Quare impedit vlrerius non conferrer, ſed de electionibus ractis ſupetius, pro quibus Ambaſſiatores anno præterito fuerunt miſſi ad çutiam Romanam, in iſto tractaru nihil penitus etat tractatum. Et hoc aſcribitur aliquibus, qui ſciebant ſe potius pet curiam Romanam, quam per electiones ad dignitates epiſcopales, quas ambiunt, promoueti.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto, qui eſt annus tegni Regis Edwardi à conqueſtu tertii quadrageſimus nonus, I. Dux Lancaſtriæ ordinatus fuit per conſilium ad eundem in Flandriã ad tractandum de pace vel ſaltem treugis inter regna Angliæ & Franciæ. Proficiſcens autem, habuit in comitiua ſua Archiepiſcopum Cantuarienſem dominum Symonem de Sudbury, & plures alios procetes, cum familia magna valde. Ad quem locum occurrit ex parte Francorum Dux Andegauiæ, cum multis regni ram Epiſcopis quam ptoceribus, perſonis grauibus & fàmoſis: durauit itaque tractatus iſte fere per biennium, vbi poſt horribiles expenſas & incredibiles, poſt longam moram & diutinam toti regno Anglię deflendam, quam infructuoſe tractauerunt in breui, poſtea ſenſit Anglia damno ſuo: reuera per totum tempus illud Franci fraudulenter non de pace ſed de prœlio cogitabant, ſed teſarcienres arma vetera, nouaque fabricantes, omnem apparatum belli in promptu habere certabant: & contra, Anglici, qui neſciunt prudentia, & prouidentia, ſed ſolum more brutorum animalium cum punguntur agitari ſtimulo, nihil tale cogitabant, ad ſpem ſuam ponentes in ducis ſapientia, & credentes, quod ipſe ſua facundia gaudia pacis affertet epulis, diuerſis iocis inuigilauere. Factum eſt itaque in hac occaſione, quod Angli circumuenirentur incauti, quando non ſpetabant, vt in ſequentibus clarius elucebit. Nam diſceſſum eſt vtrunque ſine pacis effectu. Per idem tempus nuntii domini Papæ, tam illi qui venerunt pro pace, quam illi qui venere ad ttactandum inter Regem Angliç, & dominum Papam, prout ſupra fit mentio, plutes procurationes à clero regni Angliæ receperunt. Hoc anno quarto idus Maii rranſlatus eſt magiſtet Simon de Sudbury Londonienſis Epiſcopus, ad Eccleſiam Chriſti Cantuariæ, & magiſter Wilhelmus Courtney Herefordenſis Epiſcopus tranſlatus eſt ad Eccleſiam Londonienſem, & ad Eccleſiam Herefordenſem tranſlarus eſt Epiſcopus Bangorenſis. Citca tempus iſtud conceſſæ ſunt treugæ inter duo regna, à feſto natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ, vſque ad idem feſtum anni ſequentis. Eo rempore Dux Britanniæ I. Monfort habens ſecum filium Regis Angliæ, Edmundum Comitem Cantabrig. Comiteſque Marchiæ, de Warwike, de Stafford, & dominum le Spencet, cum multis aliis bellicoſis hominibus, in partes Britanniæ rransfretauit. Quibus cito poſtea fuit reddita villa ſancti Matthæi ſupra mare, & duo caſtella, ſcilicet de Breſt & de Orrei, villamque de Kempérle ab eis obſeſſa, in qua fuere tunc incluſi omnes fere maiores Britanniæ, indubitanter cepiſſent, niſi quidam miles afferens noua de treugis captis inrer regna ſuperueniſſet, & præcepiſſet eis ex parte Regis Angliæ, vt dimiſſa obſidione ad Angliam feſtinarent: quo nuntio compulſi ſunt (obſidione ſoluta) recedere anxii cum triſtitia & mœrore. Eiſdem fere diebus inſula de Conſtantin (in qua ſituatur,

Anglorum mores.

Digitized by Google

ſituatur caſtrum ſancti Saluatoris Domini) obſeſſa à Francigenis, eis redditur cum ſuis pertinentiis vniuerſis, in non modicum regni Angliæ detrimentum. Ob quam cauſam poſtea dominus Io. Aneſlee miles Thomam Karington armigerum de proditione appellauit. Hoc anno fuere calores nimii, quo tempore grandis peſtilentia tam in Anglia, quam in aliis diuerſis mundi partibus ita deſæuit, quod infinitos vtriuſq; ſexus morte repentina conſumpſit. Quapropter dominus Papa ad inſtantiam Cardinalis Anglię conceſſit cunctis decedentibus in Anglia, qui de peccatis ſuis contriti forent & confeſſi, plenam remiſſionem per duas bullas ſex menſibus duraturas. Eodem tempore obiit Epiſcopus Sarum Robertus Wyfeld, cui ſucceſſit magiſter Radulphus Argins. Obiit quoque tunc dominus Edwardus le Spencer, & in monaſterio de Teukeſburie traditur ſepulturæ. Comes de Penbroke, qui captus fuerat ab Hiſpanis, & ductus in Hiſpaniam quarto abhinc anno, nimis inhumane tractabatur ibidem. Non ferens igitur Hiſpanorum ſupercilium, miſit ad Bertrandum Cleikin Franciæ Conſtabularium, rogans, vt eum de inhumanorum prædonum manibus liberaret. Qui miſſis litteris ad Regem nothum, pro hac ipſa re recepit eum à baſtardo Hiſpaniæ, qui ſe Regem dixit, in partem ſolutionis pecuniæ ſibi debitæ ab eodem, perductuſque eſt ad Pariſium, vbi cum aliquandiu moram traxiſſet, aſſignata eſt redemptionis ſuæ ſumma. Et cito poſtea idem Comes cæpit ægrotare vſq; ad mortem. Forſitan intoxicatus fuerat ab Hiſpanis, qui hanc artem dicuntur habere impotionandi, vt quidam viuant per quatuor aut quinque annos poſtea, quidam eodem anno, nonnulli vero ſtatim vitam finire cogantur. Metuentes vero Gallici ne moreretur inter illos, antequam ſolueretur ſua redemptio, cum omni feſtinatione eum aduehere viuum Caleſiam ſatagebant, ſed fruſtra, nam inter illorum manus itinerando inter Pariſium & Caleſiam in fata deceſſit, in die videlicet ſanctæ Etheldredæ virginis, quam ante egreſſum Angliæ (vt dicebatur) offendit. Plures nempe tradunt illam dictam virginem offendiſſe multipliciter, & ideo talia infortunia ſuis diebus feſtinis ſibi aſſerunt contigiſſe.

Comes Penbroke capitur ab Hiſpanis.

Comitis mors.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii quinquageſimus, in principio menſis Maii rex Edwardus fecit Parliamentum maximum apud Weſtmonaſt. celebrari, in quo more ſolito petiit à communitate quoddam ſubſidium ſibi concedi pro defenſione regni ſui: cui reſpondentes illi de communitate, dixerũt ſe fore iugiter talibus impoſitionibus multipliciter fatigatos, nec onera talia diu poſſe ferre abſq; maximo detrimento veraciter affirmabant. Nam liquido conſtabat eis Regem pro defenſione regni ſui ſufficienter habere, ſi regnum foret prudenter & fideliter gubernatum, ſed quamdiu tale regimen, quale tunc per malos officiarios haberetur in regno, nunquã illud rerũ copia vel diuitiis abundaret. Hoc itaq; ſe offerebant effectualiter probaturos. Et ſi poſt hanc probationem inuentum eſſet regem alterius indigere, ipſum iuxta ſuas facultates adiuuarent. In progreſſu vero plura fuere delata de Regis familiaribus & aliis diuerſis Regis officiariis, & potiſſimum de domino Latymer ipſius Camerario, qui peſſima gubernatione regem rexit. Quare dux Lancaſtriæ, dominus Latymer, & plures magni Regis officiarii fuerunt amoti, & in eorum locis alii ſubrogati. Item ad petitionem communitatis extitit ordinatum, quod certi Epiſcopi & Comites, ac alii domini conuerſationis laudabilis, Regem & regnum de cetero gubernarent, eo quod Rex iam vergebat in ſenium, & gubernatoribus indigebat huiuſmodi. Sed iſta ordinatio impedientibus illis, qui amoti fuerunt à Rege (vt prædicitur) vix tribus menſibus perdurauit. Item milites parliamentales grauiter conqueſti ſunt de quadam, Alicia Peres appellata, fœmina procaciſſima, quæ nimiş familiaris extiterat domino Regi. Hanc vtique accuſabant de malis plurimis per eam & fautores eius factis in regno. Illa etenim modum mulierum nimis eſt ſupergreſſa: ſui etenim ſexus & fragilitatis immemor, nunc iuxta Iuſtitiarios Regis reſidendo, nunc in foro Eccleſiaſtico iuxta Doctores ſe collocando pro defenſione cauſarum ſuadere, ac etiam contra iura poſtulare minime verebatur, vnde propter ſcandalum, & graue dedecus, quæ exinde Regi Edwardo, non ſolum in hac terra, ſed in exteris regionibus nimium reſultabant, milites petierunt hanc ab illo penitus amoueri. Item in hoc Parliamento quidam defectus notabiles de Richardo Lions, & Adam de Bury Londoniarum ciuibus & mercatoribus in lucem fuere deducti. Quorum primus, mediante pecunia, à vindicta debita valde ſagaciter, imo prudenter euaſit. Secundus ſtupefactus ad ſibi impoſita, protinus de regno profugit in Flandriam, vt ſemet ibi ſal-

Subditi negant ſubſidium Regi.

uare valeret. Qui autem omnium militum prolocutor parliamenti extiterat, & hæc vniuerſa propoſuit Petrus de la Mare fuerat appellatus, vir vtique facundus & ſapiens, cui pro ſui maturitate, diſcretione ſiue prudentia talia negotia merito prę cunctis aliis crederentur. Hic prout erat informatus, contra prædictam Aliciam & quoſdam alios de domini Regis Edwardi conſilio verba fecit. Quamobrem ad inſtantiam præfatæ Aliciæ idem Petrus expoſt fuit apud Noryngham perpetuo carceri adiudicatus, in quo, licet eius amici pro eius liberatione ſæpius ſupplicaſſent, biennio moram traxit.

De morte Edvvardi principis.

Octauo die Iulii durante adhuc parliamento apud Weſtmonaſterium, in regali palatio defunctus eſt dominus Edwardus Princeps Walliæ, Regis Edwardi primogenitus, in feſto videlicet Trinitatis. Quo die idem Princeps ob reuerentiam tanti feſti, in quocunque loco fuerat, ſemper ſolebat quolibet anno ſolennitatem maximam celebrare. Cuius fortunam militiæ tanquam alterius Hectoris omnes gentes tam Chriſtiani quam Pagani, dum vixit incolumis, plurimum formidabant. Eo igitur obeunte, omnis obiit ſpes Anglorum. Quo quidem ſuperſtite nullius hoſtis incurſum, quo præſente nullius belli congreſſum Anglici timuerunt. Qui nunquam eo præſente paſſi ſunt probra male geſtæ ſiue deſertæ militiæ, qui nullam gentem adiit, quam non vicit, nullam ciuitatem obſedit, quam non cepit. Igitur extincto Principe extinctus eſt cum eo profecto parliamenti præſentis effectus. Nam communes, cum quibus ipſe tenebar, dicti parliamenti ſortiti non ſunt talem exitum, qualem pro meliori habuiſſe ſperabant. Dominus Richardus de Burdegalia, filius Edwardi Principis Walliæ, in hoc parliamento factus eſt Comes Ceſtriæ, & non poſt multos dies patriæ ſuæ ſuſcepit integrum principatum. Hoc anno circa principium menſis Iunii homines & tenentes Comitis de Warwike malitioſe & nequiter inſurrexerunt contra Abbatem, & conuentum de Euesham, & tenentes eorundem elaborantes Abbathiam deſtruere cum dicta villa, & eorum famulos diris verberibus affligentes, nonnullos vero crudeliter iugulantes, accedentes inſuper ad monachorũ maneria clauſuras parcorum confregerunt, & incendendo combuſſerunt, & occiderunt feras ingerentes, finaliter omne damnum, quod eorum crudelitati ſors ingerebat in illa furia perpetranda. Nec his contenti, capita viuariorum diſſipantes, aquas excurrere permiſerunt, piſceſq; ceperunt, & ſecum aſportauerunt, & alia damna multa illi loco omnino & diſpendia grauiſſima intulerunt. Et pro certo dictam Abbathiam cum ſuis membris, ſecundum quod tunc veriſimile videbatur, deſtruxiſſent irreſtaurabiliter, niſi Rex manus adiutrices appoſuiſſet citius, mittendo mandata ſua litteraliter ad præfatum Comitem, & præcipiendo arctius, vt huiuſmodi malefactores & pacis perturbatores compeſceret. Sicque timor Regis & amicorum meditationibus, pax inter eos reformata fuit, non tamē plena ſatisfactio facta parti lęſæ, quia maius erat damnũ, quod irrogauerant, quam poſſibilitas ad dictum damnum reſarciendum. Ferunt quidam, quod per iſtam brigam Rex per illos dominos in parliamento conſtitutos noluit vlterius gubernari, vnde filium ſuum Ducem Lancaſtriæ ad ſui & regni regimen reaſſumpſit. Qui vſque ad obitum Regis ſtetit regni gubernator & rector. Qui ilico contra ſtatuta Parliamenti permiſit Regem recipere in gratiam dominum de Latymer, & Richardum Stury, & alios plures, qui in Parliamento prædicto iudiciali ſententia ab eius præſentia fuerant perpetuo ſequeſtrati. Rex inſuper reuocat pellicem Aliciam Peres ad ſuum cōtubernium, quæ fuit eliminata iudicialiter ab eodem propter ſcandala ſiue probra, quę de eius procacitate prouenerunt contra ſacramentum quo ſe aſtrinxerat eadem Alicia, quod & ipſe dominus Rex ratificauerat, videlicet, quod ad Regis præſentiam non accederet quouiſmodo, quæ & permanſit cum eo vſque ad mortem eius. Eodem anno Florentini excommunicantur à Papa propter rebellionem & enormia facta, quę contra Romanam Eccleſiam perpetrarunt, qui inter cetera ſua facinora & facta crudelia, quæ geſſerunt peſſime, quendam Monachum illuc à domino Papa miſſum cum mandatis Papalibus candentibus fuſcinulis ferreis viuum excarnificauerunt, & nondum mortuum in terram foderunt, quorum quidam poſtea venientes in Angliam, & Regis pacem habere rogantes, manſerunt ibidem, donec Papa per ſuas bullas declaraſſet, quantis eſſent ſceleribus inuoluti. Extunc vero Florentini deuenerunt ſerui Regis tanquam natiui, cum omnibus bonis & catallis eorum, ſecundum tenorem literarum Papalium, quod aut ita facerent, aut ad curiam feſtinarent, ſubmiſſuri ſe gratiæ domini Papæ, & curiæ ſupradictæ. Florentini igitur elegerunt (vt ſibi videbatur) de duobus malis minus malum, ſeruire, videli-

De iniuria facta Abbati de Euesham.

Florentini deueniunt ſerui Regis Angliæ.

cet

Digitized by Google

cet more natiuorum Regi Angliæ, quam ſubditi arbitrio Romanorum. Viceſimo ſecundo die Iulii obiit Simon Langham Cardinalis Anglicus.

Obiit Cardinalis Anglicus.

Anno gratiæ milleſimo treceenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, qui eſt annus regni Regis Edwardi à conqueſtu tertii quinquageſimus primus, tanta aduecta eſt in Angliam vinorum abundantia, quanta multa tranſacta tempora non viderunt. Circa Natale vero dominicum tanta excreuit aqua in partibus Northumbrorum de reſolutione niuium, quæ per ante in magna denſitate terram operuerant, vt aqua de ſuperciliis montium deſcendendo iuxta cum fruſtis glaciei domos colonorum ſubuerteret, bona quæ ſuper terram accreuerant, puta carbones, molares, lapides, ligna cum ſegetibus auferret ſuo impetu, inſuper in mare deſcendens, per vim & colliſionem dictarum fruſtarum naues quaſdam tam violenta impulſione glaciei aut inutiles reddidit, aut omnino demerſit. Circa feſtum Purificationis beatæ Virginis factum eſt Parliamentum Londoniis, cogente Duce, qui vices gerebat Regis, ipſo irrecuperabiliter infirmato. In quo ex parte Regis poſtulatum eſt ſubſidium à clero & populo laicali. Cui taxa conceditur hactenus inaudita, videlicet, quod à qualibet laica perſona ſexus vtriuſque annos excedente quatuordecim reciperet vnam groſſam, vel quatuor denarios, exceptis notoriis pauperibus, qui publice mendicabant. Et de cunctis religioſis vtriuſque ſexus & qualibet Eccleſiaſtica perſona promota 12. denarios, & de ſingulis aliis non promotis, vnam groſſam, exceptis fratribus quatuor ordinum Mendicantium. Qui quia in labore hominum non ſunt cum hominibus, non flagellabantur. In hoc autem parliamento abrogata ſunt ſtatuta Parliamenti ſuperioris, quod bonum merito vocabatur. Et Rege ſic volente, perſonæ abiudicatæ priſtino ſtatui reſtituuntur.

Parliamentum.

Per idem tempus ſurrexit in vniuerſitate Oxonienſi quidam borealis, dictus magiſter Iohannes Wicklef, ſecularis in theologia, tenens publice in ſcholis & alibi concluſiones erroneas & hæreticas, ac ſtatui vniuerſalis Eccleſiæ cōtrarias & abſurdas, & præcipue contra Monachos & alios religioſos poſſeſſionatos venenoſe ſonantes, qui vt ſuam hæreſim cautius palliaret, ac ſub exquiſito colore dilataret latius, congregauit iniquitatem ſibi, videlicet, comites atque ſocios vnius ſectæ inſimul Oxoniis & alibi commorantes, talaribus indutos veſtibus de ruſſeto, in ſignum profectionis amplioris, incedentes nudis pedibus, qui ſuos errores in populo ventilarent, & palam ac publice in ſuis ſermonibus prædicarent. Qui inter cetera iſta quidem tenuerunt ad vnguem, videlicet, quod Euchariſtia in altari poſt ſacramentum non eſt verum corpus Chriſti, ſed eius figura. Item, quod Eccleſia Romana non eſt caput omnium Eccleſiarum, plus quam vna alia Eccleſia, nec maior poteſtas per Chriſtum data fuit Petro, quam cuilibet alteri Apoſtolo. Item, quod Papa Romanus non habet maiorem poteſtatem in clauibus Eccleſiæ, quam quiſcunque alius in ordine ſacerdotii conſtitutus. Item, quod ſi dominus eſt, domini temporales poſſunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab Eccleſia delinquente. Item, ſi Dominus temporalis nouerit Eccleſiam delinquētem, tenetur ſub pœna damnationis eius ab ea temporalia auferre. Item quod Euangelium ſufficit ad regulandum in vita iſta quemlibet Chriſtianum: & quod omnes aliæ ſanctorum regulæ, ſub quarum obſeruātiis degunt diuerſi religioſi, non plus perfectionis addunt Euangelio, quam addit albedo parieti. Item, quod Papa nec alius Prælatus Eccleſiæ deberet habere carceres ad puniendum delinquentes, ſed quilibet delinquens poſſet libere quocunq; vellet tranſire, & facere quæ ſibi placeret. Iſta & plura alia in ſubuerſionem noſtræ fidei aſſeruerunt, & affirmauerunt dicti ſeductores, in tantum, quod domini & magnates terræ, multiq; de populo ipſos in ſuis prædicationibus confouerunt, & fauerunt prædicantibus hos errores. Eo nempe maximo, quia poteſtatem tribuerunt laicis ſuis aſſertionibus ad auferendum temporalia à viris eccleſiaſticis & religioſis.

De Io. Wicklef, & eius opinionibus.

Cum autem concluſiones iſtæ & deliramenta fuiſſent exhibita & perlecta coram Papa, viginti tres earum tanquam hæreticas & vanas ipſe damnauit, dirigens bullas ſuas Archiepiſcopo & Epiſcopo Londinenſi, vt ipſarum auctoritate dictum Ioannem facerent comprehendi, ac ſupra dictis concluſionibus diligenter examinari. Quo facto, atque habita declaratione ſuper iſtis, licet ficta & vana, dictus dominus Archiepiſcopus ſibi & omnibus aliis ſuper illa materia, præſente duce Lancaſtriç cum domino Henrico Percy indixit ſilentium, prohibens, ne de cetero illam materiam quouiſmodo tangeret aut tractaret, & ne illam permitteret alios ventilare. Igitur tam ipſe, quam ſequaces ſui aliquandiu ſiluerunt. Sed tandem contemplatione dominorum

Silentium indicitur Iohanni Wicklef.

tempo-

Digitized by Google

temporalium eaſdem opiniones, & alias multo peiores illis poſtmodum auſi ſunt reaſſumere, & laieis ſpargere quam ſparſere prius. Hi vocabantur à vulgo Lollardi, incedentes nudis pedibus, veſtiri pannis vilibus, ſcilicet de ruſſeto, vt per vitam pœnalem facilius incautos traherenr ad ſectam ſuam. Eo vero die quo præmiſſa Londoniis erant peracta, propter verbum quoddam iniurioſum & inſolens à Duce Lancaſtriæ Epiſcopo Londinenſi prolatum, confeſtim Londonienſes vnanimiter inſurgentes, arreptis armis ipſum occidere proponebanr. Sed dictus Epiſcopus ne hoc fieret omnino prohibuit, & niſi runc Epiſcopus ſe oppoſuiſſet eorum conaribus, hoſpitium dicti Ducis de Sauey eo furoris ſui rempore combuſſiſſent, qui vix ab illo propoſito antiſtitis interuentu refrænati ſunr. Tandem ad nutum Pontificis quieuerunt. Inter cetera vero probra, quæ Duci intulerat, arma eius in foro ſunr publico reuerſata. Dux autem & Henricus Percy, quem ad occidendum in hoſpitio ſuo ciues quęſierant, admoniti de tanta commotione relicto prandio fugerunr ad manerium de Kenington, vbi tunc Richardus filius Principis cum matre ſua caſualiter morabatur, coram quibus de opprobriis illis illatis horribiliter ſunr conqueſti. His igitur aliiſque cauſis multis Londonienſes duci facti ſunt odibiles, in rantum, quod maiorem, & ſeniores, qui tunc remporis præfuerunt, exauctorari facerer & deponeret, eorumque loco alios ſubrogaret. Sub eiſdem diebus captus eſt Iohannes Menſtreworth miles prodirioſus, & transfuga in ciuitate Nauarriæ pampilona, & adductus Londonias, primo trahitur, deinde ſuſpenditur, poſtea decollatur, poſtremo corpus eius quadripartitum ad quatuor ciuitates famoſas Angliæ miſſum fuit: capur vero eius ſuper pontem Londoniarum longo tempore poſtea ſtetit affixum. Fuerat nempe iſte I. Regi infidelis & regno, ambitioſus, peruerſus, fallax, ſimulator & cupidus, qui frequenter magnas ſummas pecuniæ à Rege pro ſtipendiis hominum armatorum acceptas in proprios conuertit vſus. Et propter hæc atque alia ſibi impoſita vel imponenda timens pœnas dare, & mortem incurrere quam meruerat, ad Regem Franciæ (vt præfertur) aufugit. Cui facta fidelitate, promiſit claſſem Hiſpanicam ſe adducturum ad regnum Angliæ inuadendum, ſed Deus iuſtus iuſte permiſit illum intercipi & puniri, quam vt doloſe atque malitioſe dominum ſuum Regem, ſolumque natale nequiter infeſtando, ſuum iniquum propoſitum talis proditor adimpleret. Sub eiſdem diebus nuntii, qui pro pace in Franciam ſunt profecti, in Angliam reportauere niſi belli rumores. Quo tempore Rex Edwardus in feſto ſancti Georgii martyris apud Windeſore, Richardo de Portugalia heredi ſuo, filio filii ſui Edwardi Principis Walliæ, contulit ordinem militarem.

Dux Lancaſtriæ à Londonienſibus male afficitur.

De captione I. Menſtrevvorth.

De moribus eiuſdem.

Rex Edwardus tertius cum quinquaginta & fere vno annis regnaſſet, viceſimo ſeptimo die Iunii apud manerium ſuum de Shene diem clauſit extremum: Cui per totum tempus ſuę decubationis aſſiderat (proh dolor) illa infanda meretrix Alicia Peeres, quæ cuncta quæ chariora ſunt, medio tempore ſemper ſuggeſſit eidem, nihil omnino tractans aut tractari permittens de animæ ſuæ ſalute, ſed ei iugiter ſanitatem corporis repromittens, donec in eo vidiſſet indubitata mortis indicia per vocis præcluſionem. Tunc nempe cum cerneret vocem ademptam ſibi, & oculorum acies hebetari, caloremque naturalem extremitates relinquere: mox inuerecunda pellex detraxit annulos à ſuis digitis & receſſit. Solus runc quidam ſacerdos aſſidebat Regi moribundo, ceteris circa rerum intentis direptionem, qui ei eo quod loqui non poterat, nec confeſſionem ore tenus facere, perſuaſit vt veniam peterer pro commiſſis, afferens ſibi crucis imaginem, quam dedit in manus eius. Rex autem cum reuerentia ſumma illam accipiens oſculabatur deuotiſſime, nunc manu, vt porerar, in ſignum optandæ veniæ protendendo, nunc vero de ſuis oculis lachrymas vberes emittendo, & pedes imaginis frequentiſſime oſculando. Tandem cum ad nutum preſbyteri motibus & ſignis, quibus poruit, petiſſet primo & principaliter de peccatis à Deo remiſſionem, & ſecundarie à cunctis creaturis, quas vel ſcienter vel ignoranter offenderat, ſpiritum exhalauit, corpuſque eius apud Weſtmonaſterium cum omni reuerentia eſt humatum.

De morte Regis Edvvardi & fallacia Aliciæ Peeres.

Fuerat nempe rex iſte inter omnes reges orbis & Principes glorioſus, benignus, clemens, & magnificus, dictus antonomaſice gratioſus, propter gratiam ſingularem, qua præcelluit, quia virtute gratiæ diuinitus ſibi conceſſæ vniuerſos prædeceſſores ſuos quadam excellentia gratiæ præcellebat. Erat & corde magnanimus, qui licet aliquando infortunia diuerſa aut incommoda emergentia noſceret ſe paſſurum, nunquam expalluit aut mutauit vultū. Belliger quoq; fuit inſignis & fortunatus, qui de

De moribus & felicitate Regis.

de cunctis congreſſibus in terra & in mari, ſemper triumphali gloria victoriam reportauit. Familiaris, humilis, & manſuetus erat omnibus, tam externis quam internis, ſubditos omnes ſuos fouens, diligens, promouens, & pie regens, Deo deuotus extitit, peregrinationes ſæpe faciens, & miniſtros Eccleſiæ venerans & honorans. In curis temporalibus prouidus & tractabilis, conſilioque diſcretus. In eloquii ſuauitate mitis & affabilis, in geſtu & moribus compoſitus & maturus. Orphanis erat quaſi pater, afflictis compatiens, miſeris condolens, oppreſſos releuans, & cunctis indigentibus impendens auxilia oportuna. Nempe in conferendis beneficiis vltra omnes viuentes fuit ſemper profuſus & promptus: in rerum modeſtus affluentia, non elatus aut ſuperbus, ſed ſe ſemper intra ſe continens, & inferioribus quaſi parem ſe præbuit, & inter orbis primores & principes ſe dominum demonſtrauit. In ædificiis conſtruendis curioſus & ſollicitus, in regni ſui locis diuerſis plura conſummauit ædificia arte exquiſitiſſima, ſtructura elegantiſſima, ſitu pulcherrima, & ſumptibus precioſa, moderate ſupportans gaudia, leuiter ferens damna. Recreationum erant ei ſolatia aucupatio & venatio, quibus quotiens vacauit, prout tẽpus anni obtulit, multum indulſit. Largus erat in donis & hilaris, prodigus in expenſis. Corpore fuit elegans, ſtatura quæ nec iuſtum excederet, nec nimis depreſſioni ſuccumberet, vultum habens humana mortalitate magis venerabilem, ſimilem Angelo, in quo relucebat tam mirifica gratia, vt ſi quis in eius faciem palam reſpexiſſet, vel nocte de illo ſomniaſſet, eo proculdubio die ſperabat ſibi iocunda ſolatia prouentura. Regnum vero ſuum vſque in ſenium ſtrenue, ſapienter & magnifice gubernauit. Et quia fuerat in vniuerſa morum honeſtate præclarus, ſub eo viuere regnare fuit, prout ſuis ſubditis videbatur. In tantum nempe eius fama percrebuit apud nationes barbaras & remotas, vt æſtimarent ſe felices, qui vel eius erant dominio ſubditi, vel ei aliquatenus fœderati. Nullum enim credebant fore ſub cœlo regnum, quod tam nobilem, tam generoſum & felicem produxit Regem, aut eo extincto imposterum ſuſcitabit. Luxus tamen & motus ſuę carnis lubricos etiam in ætate ſenili non cohibuit, alliciente eum ſatis inuerecunde (vt fertur) dicta meretricula A. P. vnde citius (vt putatur) propter illius immoderantiam vitam finiuit. In hoc loco ſumme notandum eſt, quod ſicut in eius primordiis cuncta grata & proſpera ſucceſſiue ipſum illuſtrem reddiderunt & inclitum, ita eo ad ſenilem ætatem vergente, & ad occaſum declinante, peccatis exigentibus, paulatim illa felicia decreſcebant, & infortunia multa infauſta & incommoda ſuccreſcebant, quæ minuere (proh dolor) famam eius.

DE TEMPORE REGIS RICHARDI SECVNDI.

ANNO Dominicæ incarnationis M.CCC.LXXVII. Cognito, quod illuſtris Rex Angliæ Edwardus tertius à conqueſtu, in vigilia ſancti Albani Anglorum prothomartyris, videlicet 21. die menſis Iunii diem ſuum clauſit extremũ, Londonienſes miſerunt de valentioribus ciuib. ad Kyngſton, vbi tunc morabãtur tam Princeps quam mater eius Principiſſa, vt ciuitatem & ciues Londonienſes recommendarent eiſdem. Iohannes vero Philpot Londonienſis ciuis facturus verba pro conciuibus, orationem huiuſcemodi inchoauit. Noua afferimus excellentiſſime domine, quæ ſine magno mœrore referre non poſſumus, de morte indubitanter imminente inuictiſſimi noſtri Regis Edwardi, qui nos & regnum iſtud (vt ita dicam) per ſecula multa in tranquilla pace cuſtodiuit & rexit, & iam manifeſtis in eo mortis ſignis deſinit eſſe rector noſter. Vnde rogamus ex parte ciuium & ciuitatis Londonienſis, vt habeatis recommendatam erga veſtram reuerentiam, ciuitatem veſtram, cameram ſcilicet veſtram, qui in proximo eritis noſter Rex, quem ſolum Regem recognoſcimus, cuius ſolius ſubiiciemur imperio, flectemus arbitrio, pariturí ſumus dominio, famulabimur tã perſonæ quã verbo, & vt cetera exequamur noſtrę legationis nuntia, nouerit veſtra reuerentia ciuitatem veſtram indicibiliter perturbari, eo quod veſtram præſentiam elongaſtis ab ea, quæ tantum vobis noſcitur eſſe deuota, vt non ſolum parata ſit, bona ſua temporalia, ſed etiam ſi neceſſe ſit, pro vobis impendere vitam ſuam. Igitur ad veſtram præſentiam acceſſimus, precaturi, vt ibidem tam ad conſolationem ciuium quam veſtri ſecuritatem & ſolatium morari velitis. Deprecamur inſuper (Princeps illuſtriſſime) vt diſcordię, quę inter ciues noſtros

Legatio Londonienſium ad nouum regem.

& dominum noſtrum ducem Lancaſtriæ nuper quorundam ſimultatib. orta eſt, nullorum quidem commodo, ſed plurimorum diſpendio finem imponere dignemini, ipſi duci & noſtris ciuibus fructuoſum. Hæc & his ſimilibus ab eo peroratis, reſponſum eſt à Principe & ſuo conſilio, quod ſatageret in omnibus eorum ſatisfacere voluntati. Et hoc modo dimiſſi læta nuntia ſuis ciuibus retulerunt.

Legatio ex parte regis Londonienſ.

In craſtino, qui eſt dies ſancti Albani, miſſi ſunt Londonias ex parte Regis dominus de Latymer, dominus Nicholaus Bonde, dominus Symon de Burley, & dominus Richardus Adderbury, qui nomine Regis noui ſalutauerunt ciues. Nam, vt diximus, dominus Rex Edwardus die obiit præcedente, & retulerunt eis triſtia de morte Regis antiqui, & læta de indole Regis noui, qui videlicet eos & eorum ciuitatem ſe delecturum promiſit, & ad eorum vrbem fore venturum ibique, vt petierant moraturum, exequentes & alia Regis noui mandata, dixerunt dominum Regem pro eis ad ducem verba feciſſe, & quod dominus dux ſe in omnibus voluntati regis in hac cauſa ſubmiſit: quapropter eſſe voluntatis regiæ, vt eodem modo, & ipſi ſe ſubmittant, & dominus Rex elaborabit, vt pax inter eos firmetur ad honorem ciuium & commodum ciuitatis. Ciues vero de tali forma pacis territi, reſponderunt ſe hanc rem nullo modo facturos, præcipue quia nouerunt Regem puerum & infirmum, ad patrocinandum eis in tanto motu, & quod non per eum, ſed per eorum aduerſarios & inimicos capitales eorum cauſa ventilaretur, & eorum arbitrio puniretur: ſi Regis mandatis in hoc articulo conſentirent. Tandem (poſt tractatum habitum inter eos ſuper iſto negotio, per ſex horas & amplius) in hanc ſententiam conuenerunt, vt ſi idem milites vellent ſe ciuibus obligare, quod eorum ſubmiſſio in nullius ciuium damnum temporale, vel diſpendium corporale, ſeu in ciuitatis eorum præiudicium reſultaret: regiis libenter iuſſionibus acquieſcerent. Milites autem ſupradicti, & regiis votis ſatisfacere, & ciuium paci ſtudentes conſuluere, ſub ſacramento fidelitatis ſuæ militiæ ſpoponderunt eis, non ad præiudicium (vt prætactum eſt) ſed ad commodum eorum fore, ſi ſe Regi ſubmitterent, ſicut ſe ſubmiſerat prius dux. Hac ſecuritate percepta ciues verſus Schene maneriū regium iter capiunt, vbi reperiunt nouum regem & eius matrem, ducemq; Lancaſtrię, & fratres ſuos regis filios, ac plures Epiſcopos congregatos circa corpus defuncti Regis. Quorum aduentu cognito, rex ſtatim eos accerſiri iuſſit: qui vt prius, deprecati ſunt eum de adhibenda diligentia ſua pro pace reformanda inter ducem & ciues, aſſerentes ſe paratos eſſe per omnia, ad ſubiiciendum ſe regis arbitrio. His dictis dominus Percy & Seneſchallus regni, videlicet dux Lancaſtriæ cum militibus eiſdē adiunctis inequitantes equos nobiles & prægrandes, vt viam inter turbas Regi facerent, inoffenſe incedebant. De quibus nimirum contigit, quod cum fuiſſent per ante formidabiles, non ſolum vulgo, ſed ipſis regni magnatibus pro eorum affluentia & aſſentatorum frequentia, in hac equitatione adeo modeſte ſe habuerunt, turbas tam honeſte, tam facete, vt viæ cederent monuerunt, vt è tanta turba nullum illo die, nec in craſtino verbo vel facto læderent quouiſmodo, vnde contigit, vt pene totius vulgi fauorem (quibus ante ſuſpecti fuerant & odibiles) lucrarentur. Rex autem inſidens magnum dextrarium tantæ perſonæ aptum, ſtratumque regaliter, ſequebatur illos. Cuius gladium manibus eleuatum portabat ante eum dominus Simon Burlee, dominus quoque Nicholaus Bonde eius frænum duxit, incedendo pedes. Regem vero ſequebantur milites & Coetanei ſui, atque domus regiæ familiares. Nec defuit tantæ turbæ magna vis lituum & turbarum, nam quælibet turba ſeorſim ſuos tubicines præcedentes habebat, ſtatutique fuerunt per Londinenſes ſuper aquæductum, & ſuper turrim, quæ in honorem Regis facta fuerat, tubicines qui clangerent in aduentu Regis. Qui omnes ſimul iuncti clangentes, ſonum mirabilem audientibus reddiderunt. Fuit igitur dies ille iocunditatis & lætitiæ dies, vt ita dicam, clangoris & buccinæ dies diu expectatus, renouationis pacis & legum patriæ, quæ iam diu exulauerant, deſidia Regis ſenis & auaritia obſecundantium ſibi ſeruorum eius. Ad honorem inſuper regium ciues ordinauerunt, vt per fiſtulas aquæductus efflueret abundans vinum, & per totum tempus equitationis, id eſt, per tres & amplius horas iugiter emanaret. Factum etiam fuerat quoddam caſtrum habens turres quatuor in ſuperiori parte fori venalium, quod Chepe nuncupatur: de quo etiam per duas partes vinum defluxit abundāter. In turribus autem eius quatuor virgines ſpecioſiſſimæ collatæ fuerant, ſtaturę & ætatis regię, veſtibus albis indutę, in qualibet turri vna, quæ aduentanti regi procul aurea folia in eius faciem efflauerunt, & propius accedēti, flo-

Dux Lancaſtriæ Londinienſium fauorem recipit.

Quomodo Rex Richardus recipitur à Londinenſibus.

renos

renos aureos, ſed ſophiſticos ſuper eum & eius dextrarium proiecerunt. Cum autem ante caſtellum veniſſent, ciphos aureos acceperunt, & implentes eos vino ad fiſtulas dicti caſtelli, Regi atq; dominis obtulerunt. In ſummitate caſtelli, quæ ad modum tali inter 4. turres eleuata fuerat, poſitus erat angelus aureus, tenens auream coronam in mali manibus, qui in tali ingenio factus fuerat, vt aduenranti Regi coronam porrigeret inclinando. Adinuenta ſunt illo die in ciuitate & alia multa, in honorem Regis, quæ numerare per ſingula longum foret. Nam ſinguli per vicos & plateas decertarunt, quis ei propenſiorem reuerentiam exhiberet. Igitur cum tanto plebis ciuiumque tripudio, cum tanto dominorum procerumq; gaudio, perductus eſt ad palatium regium prope Monaſterium occidentale, vbi illa nocte quieuit.

Ordo coronationis Richardi ſecundi.

Die Iouis, id eſt, 16. die Iulii, videlicet 17. Calend. Auguſti, vigilia ſancti Kenelmi Regis, conuenientibus Archiepiſcopo & Epiſcopis, regniq; Proceribus ad Weſtmonaſt. ſummo mane, ordinata proceſſione Monachorũ in capis, Epiſcopi cũ monachis ad oſtium regii thalami peruenerunt, & paratum Regem repericntes ibidem per manus qui eius lateribus aſtiterunt, perduxeruut in Eccleſiam S. Petri, cantantes antiphonam in honorem Apoſtoli, cum oratione competenti adiuncta, & hac oratione: Deus humilium viſitator, qui nos tua miſericordia conſolaris, prætende ſuper famulum tuum Regem noſtrum miſericordiam tuam, vt per eum tuum in nobis adeſſe ſentiamus aduentum. Rex vero mox vt altare peruenit, proſtrauit ſe ſolo tenus ante altare, pauimentum autem ſtratum fuit palliis & tapetis. Proſecuta, vt diximus, oratione Archiepiſcopus cum Epiſcopis qui aderant, proſtrauit ſe ſuper pauimentum circa regem. Interim duo Epiſcopi Letaniam deuote cantarunt. Qua expleta erectus rex ductus eſt ad ſedẽ ſuã. Choro hanc antiphonam decantante, Firmetur manus tua. Tunc epiſcopus ſermonem fecit de materia Regis & regni ad populum, qualiter rex ſe haberet in populo, & in quibus populus ſibi debuit obedire. Quo completo iurauit rex corã archiepiſcopo, & proceribus qui ibi aderãt, quoniã ipſi ſoli eius iuramentum audire potuerũt, quod eccleſiam ſuis pmitteret gaudere libertatibus, & eam & miniſtros eius honoraret, & fidem rectã teneret, & rapacitatem & omnes iniquitates in omnibus gradibus interdiceret. Secundo, vt leges terræ bonas vbiq; ſeruari faceret, & præcipue leges S. Edwardi regis & cõfeſſoris, qui in eadem requieſcit eccleſia, & malas leges faceret abrogari. Tertio, vt non eſſet perſonarũ acceptor, ſed iudiciũ rectum inter virũ & virũ faceret, & præcipue miſericordiã obſeruaret, ſicut ſibi ſuã indulgeat miſericordiam clemens & miſericors Deus. Quibus expletis, Archiepiſcopus præcedente eum Mareſcallo Angliæ domino Henrico Percy, conuertit ſe ad omnes plagas eccleſiæ, indicans populo regium iuramentum, & quærens ſi ſe tali Principi ac rectori ſubiicere, & eius iuſſionibus obtemperare vellent. Et reſponſum eſt à plebe tiſono clamore, quod libenter ſibi parere vellent. Archiepiſcopus Regem his orationibus benedixit, videlicet: Omnipotens & ſempiterne Deus, benedic domine hunc regem noſtrum, qui regna omnium moderaris à ſeculo, tali eum benedictione glorifica, vt Dauidicæ teneat ſublimitatis ſceptrũ, & glorificatus in eius propitius reperiatur merito, da ei tuo inſpiramine, cum manſuetudine ita regere populum ſicut Salomon feciſti regnum obtinere pacificum. Tibi cum timore ſemper ſit ſubditus, tibiq; militer cum quiete, ſit tuo clypeo protectus cum proceribus, & vbiq; tua gratia victor exiſtat. Honorifica eum præ cũctis regibus gentiũ. Felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent, viuat in gentium cateruis magnanimus, ſit in iudiciis æquitatis ſingularis, locupletet eum tua prædiues gratia, fructiferam habeat patriam, & eius liberis tribuas profutura. Præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, vt in diebus eius oriatur iuſtitia, à te robuſtum teneat regiminis ſolium, & cum iucunditate & iuſtitia æterno glorietur in regno. Iſta præmiſſa benedictio poſt primã orationẽ ad modũ præfationis ab archiepiſcopo cantabatur, quã cantata dicta eſt & alia oratio ſuper eum, ſcilicet, Deus ineffabilis, cum antiphona, Confortare & eſto vir fortis, &c. Tunc archiepiſcopus acceſſit ad eum, & veſtimẽta ſuã diſcindens manib. ſuis à ſummo vſq; ad imũ, exuit eum præter camiſiã veſtimentis ſuis. Cuſtodes vero 5. portuũ ex officio tam in proceſſione quã in vnctione & miſſa, & poſt miſſam dũ iret ad palatiũ ab eccleſia, ſemper tenuerunt vmbraculum ſericum magnum, coloris aerii, 4. haſtis per quatuor angulos colligatum. Sed non obſtante vmbraculo ſupradicto, mox antequam Archiepiſcopus eum ſuis veſtibus exuiſſet, allatus eſt pannus aureus à Comitibus, ſub quo latuit, dum vnctionis perciperet ſacramẽta. Archiepiſcopus (vt diximus) eo nudato vnxit manus eius de oleo ſanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetę, & ſicut vn-

Iuramentum regis ante coronationem ſuam.

Preces dicendæ in coronatione.

xit Samuel Dauidem in Regem, vt ſis benedictus & conſtitutus Rex in regno iſto ſuper populum iſtum, quem dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum & gubernandum. Item dixit orationem, Proſpice omnipotens Deus. Poſt hæc vnxit Archiepiſcopus caput eius, & pectus, & ſcapulas, ambaſq; compages brachiorum, dicens: Vnguantur caput iſtud, pectus, & ſcapulæ, & compages brachiorum de oleo ſanctificato, &c. vt ſupra. Et interim chorus cantauit antiphonam, Vnxerunt Regem Salomonem in Gyan, Sadock ſacerdos, & Nathan Propheta, & aſcendentes læti, dixerunt, viuat. Alleluya. Poſtquam ſubiunxit Metropolitanus, Deus Dei filius Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui à patre oleo exultationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri vnguinis infuſionem ſpiritum paracleti ſuper caput tuum infundat, benedictionemq; eandem vſq; ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inuiſibilia percipere & temporali regno iuſtis moderaminibus executo æternaliter cum eo regnare merearis. Mox finita oratione Archiepiſcopus cum Epiſcopis hymnum, Veni creator ſpiritus, Rege interim proſtrato in longa venia, & circa eũ Metropolitano cũ ſuffraganeis ſuis. Expleto hymno erectus eſt Rex ab archiepiſcopo, & indutus eſt primo tunica S. Ed. & poſt eiuſdẽ dalmatica, proiecta circa collũ eius ſtola, archiepiſcopo orationes cõpetentes interim proſequente. Poſt hæc archiepiſcopus cum epiſcopis tradidit ei gladiũ, ita dicẽs: Accipe gladiũ p manus epiſcoporũ licet indignas, vice tamẽ & autoritate ſanctorũ apoſtolorũ cõſecratas tibi regaliter impoſitũ, noſtræq; benedictionis officio defenſionẽ S. eccleſię diuinitus ordinatũ, & eſto memor de Pſalmiſta, qui prophetauit dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuũ potẽtiſſime, vt per eundẽ vim æquitatis exerceas, molẽ iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctã Dei Eccleſiã, eiuſq; fideles propugnando ꝓtegas, nec minus ſub fide falſos q̃ chriſtiani nominis hoſtes execreris ac deſtruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerues, vlciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita, quatenus hæc in agendo virtutũ triumpho glorioſus iuſtitiæ cultor egregius, cum mundi ſaluatore, cuius typũ geris in nomine, ſine fine merearis regnare. Tunc duo comites eum gladio accinxerunt: quo facto archiepiſcopus armillas dedit ei, dicẽs: Accipe armillas ſinceritatis & ſapiẽtiæ, diuineq; circũdationis indiciũ, quib. intelligas omnes operationes tuas contra hoſtes viſibiles & inuiſibiles poſſe eſſe munitas. Poſtea induit eum archiepiſcopus regali pallio, ita dicens: Accipe palliũ quatuor nuntiis formatũ, per quod intelligas 4. mundi partes diuinæ poteſtati eſſe ſubiectas, nec quenquã poſſe feliciter regnare in terris, niſi cui poteſtas regnandi fuerit collata de cœlis. Interim dum archiepiſcopus benedixit coronam regiam, duo comites calcariauerunt, ad quorum officium pertinebat. Benedicta corona, archiepiſcopus impoſuit ſuper caput, dicens: Coronet te Deus corona gloriæ atq; iuſtitiæ, honore & opere fortitudinis, vt per officiũ noſtræ benedictionis, cũ fide recta, & multiplici bonorum operum fructu ad coronã peruenias regni perpetui. Tũc dedit ei archiepiſcopus anulum cum his verbis: Accipe anulum regiæ dignitatis, & p hunc, vitæ catholicę fidei ſignaculum, quia vt hodie ordinaris caput & Princeps regni ac populi, ita perſeuerabis autor & ſtabilitor chriſtianitatis & chriſtianæ fidei, vt felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris. Statim poſt hæc acceſſit dominus de Furneual, ex officio offerẽs ei rubeã chirothecã, quam archiepiſcop⁹ benedixit, & impoſuit manui regiæ, dans ei ſceptrum his verbis, dicens: Accipe ſceptrũ regiæ poteſtatis inſigne, virgã ſc. regni rectã, virgã virtutis, qua te ipſum bene regas, ſanctã eccleſiam, populum videlicet chriſtianũ tibi à Deo cõmiſſum, regia virtute ab improbis defendas, prauos corrigas, rectos pontifices, & vt viam rectam tenere poſſint, tuo iuuamine dirigas, quatenus de temporali regno ad æternum regnum peruenias. Tunc dedit ei archiepiſcopus virgam in alia manu, habẽtem in ſummitate columbã, nam ſceptrum quod ſuſceperat, conſurrexit de totũdo globo aureo, quẽ tenebat in manu chirothecata, & habebat in ſummitate ſignum crucis, & accepit virgam prędictam cum verbis his: accipe virtutis & æquitatis, qua intelligas te mulcere pios, & terrere reprobos, errantes viam doce, lapſiſq; manum porrige, diſperdaſq; ſuperbos & releues humiles, vt aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus dominus noſter. Poſt hæc benedictus eſt Rex ab archiepiſcopo ita dicente: Benedicat te Deus, cuſtodiatque te, ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in præſenti ſeculo felicem æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. His itaque peractis, oſculatus eſt rex epiſcopos omnes & abbates, à quibus ſtatim ductus eſt poſtea ad regale ſolium, epiſcopis inchoantibus hymnum, *Te Deum laudamus*. Finito hymno archiepiſcopus ita eum allocutus eſt: Sta & retine

amodo

amodo locum, quem hucuſq; paterna ſucceſſione tenuiſti hereditarie, indico tibi delegatum per autoritatem Dei omnipotẽtis, & præſentem traditionem noſtram, ſcilicet omniũ Epiſcoporum ceterorumq; Dei ſeruorum, & quanto clerũ ſacris altaribus propinquiorem, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorẽ plebis in hoc regni ſolio confirmet, & in regnum æternum regnare faciat Ieſus Chriſtus dominus noſter.

Hls itaq; peractis, inchoata eſt miſſa congruens coronationi regiæ, cuius officium fuit, *Protector noſter aſpice Deus, &c.* Epiſt. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deũ, &c.* Gradale, *Dirigatur domine oratio mea.* Alleluia. *Domine in virtute.* Euangeliũ. *Abeuntes Phariſæi,* quod legit Epiſcopus Elienſis, Epiſtolam Epiſcopus Wigornienſ. Offertorium. *Intende orationi meæ rex meus.* Lecto Euangelio rex de regali ſolio ductus eſt ad offerendum. Primo igitur obtulit Archiepiſcopo gladium ſuum, quem ſuſceperat, & poſtea aurum quantum placuit, ſed non minus marca propter cõſuetudinem: nam plus poteſt offerre Deo & ſancto Petro ſi placuerit. Poſt oblationem pecuniæ obtulit Archiepiſcopo panem & vinum ad modum monachorum, vnde poſtea, tam Metropolitanus, quam ipſe Rex, communicati fuerunt. Quo facto, Comes, ad cuius officium pertinebat portare gladium coram Rege, gladium quem obtulerat dato precio redemit, & aſſumens eum, portabat coram illo. Percelebrata miſſa vſque ad communionem, reductus eſt Rex ad altare, & genu flexo coram Archiepiſcopo, dixit, confiteor. Quo abſoluto, communicatus eſt, & iterum reductus eſt ad ſedem ſuam. Interea præparauit ſe quidam miles dominus Iohannes cognomento Dimmock, qui clamabat ſe habere ius ad defendendum iura regis illo die, & etiãſi opus eſſet duello confligendum, ſi aliquis præſumeret affirmare regẽ non habere ius in regno Angliæ, quanquã per ante dominus Baldwinus Freuill idem officiũ calumniaſſet, ſed minime obtinuiſſet. Iſte ergo dominus Ioannes memoratus circa finem miſſæ inceſſit ad valuas eccleſiæ armatus decentiſſime, inſidens dextrarium pulcherrime phaleratum, caput etiam & pectus armatum, quẽ idem dominus Ioannes aſſumpſit de ſtabulo regio, vtens videlicet antiqua conſuetudine tam in equo quam armis eligendis de theſauro Regis. Nam & optimũ equum præter vnũ, & præter vnam præcipuam armaturã facturus dictum officium elegit ad vota ſua. Veniens igitur ad oſtium monaſterii, præequitantibus duobus, qui eius lanceam & clypeum portauerunt, expectauit ibidem finem Miſſæ. Mareſchallus autem Dominus Henricus Percye, facturus viam coram Rege cum Seneſchallo Angliæ, ſcilicet Duce & Conſtabulario Domino Thoma Wodſtock, atque fratre eiuſdem Mareſchalli Domino Thoma Percy, qui omnes magnos inequitauere dextrarios, venit ad dictum militem, dicens non debere eum ea hora venire, ſed quod vſq; ad prandium regis differret aduentum ſuum. Quapropter monuit, vt rediret, & depoſito tanto onere armorum, quieſceret ad illud tempus. Miles vero iuxta conſilium Mareſchalli facturus abſceſſit. Illico poſt deceſſum militis præequitantibus Regem Dominis ſupradictis ſuper dextrarios ſuos, necnon præcedente magno numero diuerſi generis hiſtrionum, portatus eſt in humeris militum vſque ad regale palatium, ductus quoque in cameram, pauliſper quieuit: debilis enim fuerat præ labore parum comedens. Poſtea veniens in aulam, creauit quatuor nouos Comites, antequam acceſſit ad menſam. Dominum namq; Thomam Woodſtock auunculum ſuum comitem Buckingham, datis ſibi mille marcis annuarim de theſauro regio, donec ſibi de terris tanti valoris prouidiſſet. Dominum etiam Giſardum de Angoliſmo quondam magiſtrum ſuum fecit Comitem Huntington, datis inſuper ſibi mille marcis annuis vſquequo prouidiſſet ſibi de redditibus tanti valoris. Domino de Moubray dedit comitatum Notynghamiæ, & domino Henrico Percy Northumbriæ comitatum: Milites quoque fecit nouem eodem die. Quibus expletis aſcendit ad menſam, vbi epulabantur cum eo ſplendide Epiſcopi, Comites, & barones, & innumera multitudo plebis confluxerat in illã aulam prægrandem, quod niſi dux Lancaſtriæ, videlicet Seneſcallus Angliæ, & comes Buckinghamiæ regni Conſtabularius, & dominus Henricus Percy Mareſchallus, cum multis aliis, viam ſuper equos grandes ſeruientibus in aula feciſſent, ferentes fercula ad conuiuas minime penetraſſent. Si numerare contenderem conuiuii apparatum, diuitias vtenſilium, varietatem ferculorum, forſitan lector percuſſus tam tantarũ rerum precio q̃ magnitudine credere formidaret. Vnũ ſolum quod ad magnificentiam regiam oſtendendam fuerat ordinatum, aliis omiſſis æſtimo proferendum. In medio regalis palatii eleuata fuerat quædam columna marmorea, concaua ſuper certos gra-

Solemnizatio miſſæ in die coronationis.

Ioannes Dymock athleta Regis.

Coronatio Regis.

dus, cuius ſummitatem occupabat grãdis aurata aquila, ſub cuius pedibus in capitello columnæ per 4. partes vina diuerſi generis decurrebant per totum diem coronationis regiæ, nec erat qui aliquem vel pauperem virum haurire vetaret: facta eſt coronatio hæc anno 11. ætatis ipſius Regis.

Generalis proceſſio.

In craſtino facta eſt generalis proceſſio pro rege & pace regni, cui reueſtiti interfuerunt omnes prælati, videlicet archiepiſcopus cum epiſcopis & abbatibus, qui coronationi interfuerant, necnon ipſe dux cum magnatibus & plebis multitudine copioſa. In progreſſu autem proceſſionis concionatus eſt ad populũ epiſcopus Roffenſis, hortans vt diſſentiones & diſcordiæ ortæ, & diu continuatæ, inter plebem & dominos ſopirentur, probans per multa argumenta huiuſcemodi diſſentiones deo plurimum diſplicere, hortatus eſt inſuper dominos, ne tantis de cetero ſine cauſa taxationibus populum onerarent. Monuit etiã vt ſi cauſa ſubeſſet rationabilis, qua oporteret eos omnino iuuare regem & regnum, vt patienter & ſine murmure atq; ſeditionis ſcrupulo facerent quod oporteret. Inſuper exhortatur eos generaliter, qui Regi puero & innocenti adhęrerent, vt relictis vitiis, quibus inſeruiebant, videlicet ſtupris in fornicationibus & adulteriis, eius puritati & innocentiæ ſe conformare ſtuderent, aſſerens hoc omnino patri patrię oportunũ, perfacileq; Regi à recto deuiare, regnum & populum periclitari, ſi tales eſſent, qui ei ſedulo & eius conſilio miniſtrarent. Sermone finito, domini & vniuerſi prælati ad ſua ſecedunt.

Concio Roffenſis Epiſcopi.

Poſt paucos dies videns dux iam mortuo patre ſuo, & nouo rege conſtituto, cuncta noua in regno futura, & ſuam ſolicitudinem totaliter inter nouellos paruipendendam, & metuens, ſi aliqua ſiniſtra contingerent Regi vel regno, ſibi putarentur, & pro bonis grates nullas ſiue modicas reportaret, accepta à Rege licentia ad ſua diſceſſit, promittẽs regi, ſi indigeret eius adiutorio, ſe venturũ cum abundantiori apparatu, quam aliquis dominus Angliæ ad ſuccurrendum ſibi, ſiue aliud faciẽdum, quod eius commodo cederet vel honori. Erubuit (vt dicebatur) & doluit, quod Rex ceperat de eo caſtrum Herefordiæ, vbi propoſuerat maxime moratus fuiſſe: & ob hoc maremium emendicauerat ad fortificandum caſtellum de ſuis vicinis poſſeſſoribus in circuitu eius, ad magnam profecto iacturam eorundem, de quibus talia poſtulauerat, quia non audebant eius voluntati contraire, eo præcipue tempore, quo talia poſtulauit. Receſſit ergo (vt diximus) à curia ad caſtrum ſuum de Killingworth, ſed ante receſſum eius conniuentia ordinati ſunt, qui Regis hærerent conſilio, & qui quodammodo tutelam haberent. Ordinati ſunt autem ad conſilium viri boni, prudentes & famoſi, dominus Wilhelmus de Courtney Epiſcopus Londinenſis, & dominus Edmundus de Mortuomari, Comes Marchiæ, & quamplures alii, de quibus opinabatur optime plebs communis. Sed quia Sariſburienſis Epiſcopus, & dominus Latymer illis mixti fuere, murmuratio ſuccreuit in vulgo. Per idem tempus Mareſchallus Angliæ dominus Henricus Percy Comes Northumbriæ reſignauit virgam officii ſui, & ad ſua diſceſſit. Cuius loco ſubrogatus eſt dominus Iohannes de Arundele, frater Comitis Arundeliæ, qui ſtrenue Gallicis reſtitit, quando impetum fecerunt ad villam de Southampton, & eos viriliter arcuit ab ingreſſu villæ, ad mare fugatis.

Comes Northũb. ria infeſtat Scotos.

Prope tempus illud ex leui quadam cauſa orta diſſentione in nundinis apud Rokeſborough inter Anglos & Scotos, & occiſis quibuſdam ex vtraque gente Scoti peius calculum reportarunt, vnde in furorem verſi, paulo poſt redeuntes ad eandem villam, duce Comite de Dunbare, & nocte eam occupantes, peremerunt ciues, eorum bona diripientes infeſtis manibus, & villam flammis voracibus coardentes. Quibus cognitis, nouus Comes Northumbriæ tactus dolore cordis intrinſecus, maxime pro morte ciuium de prædicta villa, ſtatuit vindictam retribuere in hoſtes eorum, & auferre opprobrium terræ populi ſui. Et intrans terram Scotiæ cum decem millibus hominum, prædas agit in terris Comitis de Dunbarre, qui auctor extitit totius mali præſcripti, & triduo donans obuia quæque flammis, poſt congruam vltionem inimicis repenſam, reuerſus eſt cum ſuis omnibus in terram ſuam.

Gallici capiunt inſulam de Vecta.

Et ne ſolum Anglis gaudia impermixta dolori contingerent: Gallici eodem anno viceſimo primo die menſis Auguſti, inſulam (vt ita dicam) incapabilem de Wight capiunt, minus virtute quam aſtu, quæ à nullo hominum fuiſſet captiuata, ſi diligenti cuſtodia fuiſſet conſeruata. Sed Inſulanorum male cauta ſecuritas eis induxit exterminium, Gallicis inſperatum tripudium, & Anglicis opprobrium & graue damnum.

damnum. Reuera Gallici ad inſulam tempeſtate pulſi, temptauerunt irrumpere inſulam ſupradictam, æſtimantes inſulanos inſcios eorum aduentus, ſed Vectuarios non latebat conſilium Gallicorum. Quare permiſerunt eos ingredi terram ſuam, vt certis intromiſſis quibus prçualere rebantur, cæteri ab ingreſſu arcerentur: ſed ſecus accidit quam credebant. Nam (vt diximus) quibuſdam intromiſſis, conati ſunt Vectuarii adimere cæteris ingreſſum terræ, ſed fruſtra, quoniam Gallici tam abunde prorupernt, quam conſtanter Inſulanos à maris cuſtodia repulerunt, vt iam compellerentur latebras fugiendo quærere, qui prius credebant ſe poſſe pro ſuæ voluntatis arbitrio Gallicos captiuare. Gallici igitur tali modo Inſula prædicta potiti, vndique peruagantur, ſtragem ex incolis faciendo, villas quaſdam comburendo, & incolarum ſubſtantias abradendo. Tandem ad Caſtellum quod in eadem Inſula eſt venientes, & eam leui negotio occupare putantes, inuenerunt ibidem incredibilis audacitatis ſtimulum, dominum Hugonem Tyrrell, cuſtodem Caſtelli prędicti, qui eis audacter prope caſtellum occurrens fecir maximam ſtragem inter illos, ob quam cauſam ab illius caſtelli infeſtatione deſtiterunt, & de cætero non arbitrantes rurſum cohabitare tam vicino ſerpenti, prędam quam potuerant ex Inſula collegerunt, & inſulanos coegerunt extorquere ab amicis quos habebant extra inſulam mille marcas argenti pro ſaluatione domorum ab ignibus & reſiduo bonorum ſuorum. Inſuper accepto iuramento de fidelitate ab eiſdem conſeruanda, & quod non reſiſterent eis per circulum vnius anni, quotienſcunque placeret eiſdem ingredi terram illam, à loco receſſerunt. Poſt occupationem inſulæ ſupradictæ, Gallici galeas iterum repetentes circuierunt oram maritimam vſque dum peruenerunt ad obiectum villæ de Winchelſee. Et cognoſcentes abbatem de Bello ad illam conuolaſſe cauſa cuſtodiæ, miſſis nunciis, petunt vt villam redimat. Abbas vero negat ſe empturum, quod non perdiderat, quin potius denunciat, vt ab infeſtatione villæ deſiſtant ſub interminatione damni quod eis poterit prouenire. Gallici eius reſponſo exaſperati, petunt (ſi bellum velit) vt ſinguli ex vtraque parte mittantur, vel certe plures qui ſpectante vtroq; exercitu congrediantur: ſed nec hanc petitionem Abbas admiſit, dicens ſe religioſum virum eſſe, & non licere ſibi huius petitiones admittere, nec illuc belli cauſa, ſed tuitionis & conſeruationis pacis patriæ aduenıſſe. His auditis, Gallici æſtimantes animum abbatis ſuorumque defeciſſe: mox admotis inſtrumentis bellicis, ſcilicet miſſilibus quorum copia fruebantur, villam acriter infeſtabant, pugnantes à nona vſque ad veſperum: ſed abbatis & eorum qui cum ipſo erant laudabili probitate minime profecerunt. Interim dum pugnant ibidem mittunt partem nauium ad villam de Haſtings, quæ reperientes villam pene vacuam, combuſſerunt eam. Gallici vero videntes ſe nil prçualere apud Wynchelſee receſſerunt.

Eodem anno Gallici intrauerunt ad villam de Rottyngdene, prope villam de Lewes, vbi obuiauit eis Prior de Lewes, cum parua manu, & ſuperueniente copia Gallicorũ captus eſt, ductuſque ad naues eorum cum duobus militibus qui ſibi adhæſerant, videlicet domino Iohanne de Falleſley, & domino Thoma Cheyne, & vno armigero, cuius nomen erat Iohannes Brokas. Quidam autem armiger qui diu fuerat in obſequio prioris de Lewes natione Gallicus, tam viriliter, tam animoſe pugnauit ibidem contra Gallicos, donec effunderentur eius viſcera ad pedes ſuos, & ipſe inſequendo hoſtes, quod eſt dictu horribile, ea per grande ſpacium poſt ſe primo protraheret, tandem omnino relinqueret. Defuerunt autem in illo conflictu ex Anglicis pro, e centum. Igitur (vt diximus) Gallici cum omni claſſe ſua repatriauerunt, cuius ſumma ſe extenderat ad triginta ſeptem Galeias, octo cogones Hiſpanicas, & nonnullas bargias. Mox igitur vt patriam attigerunt, quidam illorum profecti ad obſidionem, quæ tunç circa villam de Arde proditione quæ eis ſemper familiaris exiſtit, tradente eis cuſtode caſtelli eiuſdem villæ quodam Alemanno, ſcilicet Domino de Gunny, villam primo, mox munitionem occupauerunt, Ob quam cauſam idem cuſtos captus à domino Hugone Caluerley cuſtode Caleſiæ Angliam miſſus eſt, & carcerali cuſtodiæ mancipatus.

Prior de Lewes capitur à Gallis.

Gallici capiunt villam de Arde.

Dum hæc agerentur in Gallia, accidit toti Angliæ luctuoſus euentus in Aquitannia. Egregius miles dominus Thomas de Hilton, cui commiſſa fuerat cuſtodia prouincię Aquitaniæ, nimis inconſulte cum paucis ſuper plures Gallicorum irruens, ab eorum multitudine oppreſſus & captus eſt, cum multis nobilibus eiuſdem terræ, qui parti Anglicanæ fauebant. Hoc autem infortunium contingebat prope villam quæ Rule nuncupatur.

Tho. de Hilton capitur in Aquitania.

Parliamentum in quo proſcribitur Alicia Peeres & taxa regia.

Per idem tempus coactum eſt Parliamentum Londoniis, quod à feſto Michaelis vſque ad feſtum beati Andreæ Apoſtoli protelatur. In eo Parliamento fuere pene omnes milites cum prædicto domino Petro de la Mare, qui ita nobiliter perſtiterunt in eo Parliamento, quod bonum merito appellatur pro incremento patriæ atque regni commodo. Hii itaque reſumentes petitiones ſuas eo in loco quo prius dimiſerant, inſtiterunt pro bannitione illius Aliciæ Peeres, quæ contempto ſtatuto parliamenti, & iuramento quo ſe aſtrinxerat, curiam regis ingredi auſa fuit ad ſuadendum & impetrandum ab eo quæcunque ſibi placerent. Quæ quamuis plures ex dominis, & omnes legiſperitos Angliæ pecunia corrupuiſſet, qui pro ea non tantum occulte, ſed publice allegarunt, diligentia tamen & ſapientia prædictorum militum ore ſuo conuicta proſcribitur, omnibus bonis ſuis mobilibus & immobilibus fiſco regio iudicatis. Conceſſa ſunt autem in adiutorium regi ab eccleſia & clero duæ decimę eodem anno perſoluendæ, ea tamen conditione, vt videlicet rex de cætero populum, non grauet talibus petitionibus extorquendo pecuniam ſubditorum, ſed de ſuis viuat, & continuet guerram ſuam, quæ vtique (prout reſponſum fuerat ibidem) bona ſua propria regalia ſibi ſufficiunt, tam ad regiæ domus exhibitionem quam ad guerræ ſuſtentationem, ſi eadem bona miniſtros idoneos ſortiantur. Et deputati ſunt ad huius pecuniæ cuſtodiam duo ciues Londini, Wilhelmus Walworth, & Iohannes Philpot.

Anglici mare ingrediuntur.

Circa tempus illud audientes Anglici multitudinem nauium Hiſpanorum apud Scluſiam venti penuria detineri, collecta copia armatorum cum ingenti claſſe mare ingredi meditantur, cupientes eis vicem rependere pro damnis quæ Anglis irrogauerant, ferentes auxilium Gallis æſtate pręcedente. Cuius claſſis primi fuere: Dominus Thomas Wodſtock comes Buckingham, dux Britanniæ: dominus de Latimer, dominus Fitzwater, dominus Robertus Knolles, & nonnulli alii valentes cum eis: qui ingreſſu maris ſæuam experti ſunt fortunam. Nam nimium inſurgente vento imbreque nociuo, mox naues ad inuicem ſeparatæ in partes dilabuntur, confringuntur mali, vela dirumpuntur, plura de minoribus vaſis quæ victualia exercitui fuerant allatura, ſubmerſa. Dum qui in ea conceſſerant, timore tempeſtatis ipſa relinquerent, ingrediendo naues maiores, vel iuxta ſuam opinionem fortiores, diuina tandem ſuperueniente clementia naues inuicem recollectæ ad terram Angliæ ſunt appulſæ. Et reſarcitis eiſdem iterum, bellatoribus inſtauraturæ, & iterum mare petunt.

Geſta domini Hugonis Caluerley.

Prope dies illos dominus Hugo Caluerley faciens expeditionem verſus Boloniam, fortuito repperit in portu prędictæ villæ bargiam, quæ Aden villa nomen habuit, cum alia quæ erat regis Francię, & nauibus maioribus & minoribus numero viginti ſex: quas omnes repente iniecto igne cremauit cum magna parte de ſuburbanis illius villæ, in quibus etiam eodem die à capellano ſuo miſſam celebrari fecit, quam & ſatis audacter ad finem audiuit, qua completa, eandem partem villæ direptioni dedit, abducens ſecum quæque concupiſcibilia, quæ ibidem repperit, cum nonnullis captiuis qui ei obuiauerunt infauſta hora. Magnum etiam numerum ouium & armentorum coram ſe agebat, quæ repererat in paſtura prope villam, quę victui Caleſienſium merito ſufficerent per magnum tempus. Eius namque laudi adiiciendum eſt, quod caſtellum de Merk, quo non poſſet eſſe locus magis infeſtus Caleſię, ſi parti aduerſariorum faueret, cuſtodum incuria perditum, ipſo eodem die ſtrenue recuperauit, quo ipſum Gallici occupauerant, & antiquo dominio parere fecit. Siquidem dominus Robertus de Salle miles ne gregarius, ſed inter famoſiores ſtrenuus, prędicti caſtelli capitaneus in Angliam conceſſerat de certis cauſis, commiſſa ipſius munitionis cuſtodia quibuſdam minus cautis. Qui eo abſente, debito negligentiores effecti, ludis & ſagittationibus indulſerunt. Cumque certo die ſagittationem inſtituiſſent non procul extra dictum caſtellum, videntes ſtipendiarii qui in ea erant Picardi, videlicet quod genus hominum apud Gallicos falſiſſimum reputatur, quod omnes Anglici exiuiſſent, portas claudunt, caſtellum muniunt, & Gallicos quibus proditione fauebant admittunt, excluſis hoc ingenio Anglicis, quibus caſtelli fuerat cuſtodia deputata. Quod comperiens, vt prælibauimus, dictus dominus Hugo, facto inſultu caſtellum cepit, Gallicos qui aduenerant captiuauit, & omnes Picardos tanquam proditionis reos excapitauit. Tranſit annus iſte lætus temperie, abundans fruge, ſed fructibus arborum pene carens: quod autem ad pacem pertinet, Angliæ inquietus & ſuſpectus, non minus fraude ciuium quam terrore Gallicorum: Gallicis immanitate expenſarum

rum & lucri exilitate nimium oneroſus: nam à Paſcha vſque ad feſtum Michaelis, ad ſtipendium triginta ſeptem galearum & octo cogonum à Francis pendebantur diebus ſingulis mille marcæ, quæ profecto ſumma continuata tanto tempore, depauperaſſe poterat quodque prędiues regnum.

Anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octauo, qui eſt annus regni regis Richardi ſecundi primus, tenuit idem rex natale apud Windeſore. *Natale apud Windeſoram.* Paucis diebus ante natale dominicum, miſit dominus Papa bullam ſuam vniuerſitati Oxoniæ, miniſterio magiſtri Edmundi Stafford, increpans eos correctione paterna ſuper eorum deſidia manifeſta, eo quod tanto tempore opiniones erroneas ipſius Antichriſti diſcipuli, ſcilicet magiſtri Iohannis Wicklef radicari permiſerant inter eos, dum non fuerat qui ferrum doctrinæ catholicæ aſſumere laboraret ad extirpandum tam peſtiferæ plantationis radicem. Cuius vniuerſitatis moderni procuratores ſiue rectores quantum degenerauerint à prudentia ſeu ſapientia antiquorum *Oxonienſes dubitant recipere bullam Papæ.* per hoc facile coniici poterit, quod audita cauſa aduentus dicti papalis nuncii, diu in pendulo hęrebant vtrum papalem bullam deberent cum honore recipere, vel omnino cum dedecore refutare. Oxonienſe ſtudium generale quam graui lapſu à ſapientiæ & ſcientiæ culmine decidiſti, quod quondam inextricabilia atq; dubia toti mundo declarare conſueſti, iam ignorantiæ nubilo obfuſcatum dubitare non vereris, quæ quemlibet è laicis chriſtianis dubitare non decet. Pudet recordationis tantæ imprudentiæ, & ideo ſuperſedeo in huiuſmodi materia immorari, ne materna videar vbera decerpere dentibus, quæ dare lac potum ſcientiæ conſueuere. Igitur bullæ papalis tenor miſſę Oxoniæ ſtudio, talis eſt.

Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Cancellario & vniuerſitati ſtudii Oxonienſis, Lincolnienſis diœc. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Mirari cogimur & dolere, quod vos propter gratias & priuilegia veſtra, ſtudio Oxonienſi ab Apoſtolica ſede conceſſa, & propter ſcientiam ſcripturarum, in quarum pelago fœlici remigio (dante domino) nauigatis, tanquam pugiles & propugnatores orthodoxę fidei (ſine qua ſalus animarum non prouenit) eſſe deberetis, lolium inter purum triticum campi glorioſi ſtudii veſtri prędicti per quandam deſidiam & ignauiam permittitis pullulare, & quod eſt pernicioſius etiam adolere, nec circa extirpationem huius lollii (ſicut nuper apud nos inſonuit) curam aliquam adhibetis, non ſine clari nominis obfuſcatione, & animarum veſtrarum periculo, & contemptu eccleſiæ Romanę, & memoratæ fidei detrimento. Et quod nos torquet acerbius, prius de incremento lollii prędicti ſentitur in Roma quam in Anglia, vbi tamen extirpationis remedium apponeretur. Multorum ſiquidem fide dignorum inſinuatione admodum dolentium noſtris eſt auribus intimatum, Iohannem Wycklef rectorem Eccleſię de Luttleworth Lincolnienſis diœc. ſacrę paginæ profeſſorem, vtinam non magiſtrum errorum, in illam deteſtabilem erupiſſe vecordiam, nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas & falſas, ac prauitate hęreſeos ſapientes, quæ ſtatum totius eccleſiæ, & etiam ſecularem policiam ſubuertere & eneruare nituntur, quarumque aliquæ, licet quibuſdam mutatis terminis, ſentire videntur peruerſas opiniones & doctrinam indoctam damnatę memorię Marculii de Padua, & Iohannis de Gandauo, quorum libet per fœlicis recordationis Iohannem Papam 22. prędeceſſorem noſtrum reprobatus extitit, & damnatus in regno Angliæ nempe glorioſo potentia, & copia facultatum, ſed glorioſiore pietate fidei rutilante, ſacræ paginæ claritate conſueto viros producere, diuinarum ſcripturarum recta ſcientia illuſtratos, morum grauitate maturos, deuotione conſpicuos, & catholicæ fidei defenſores, dogmatizare, & publice prędicare, ſeu potius de virulento clauſtri ſui pectore euomere non veretur, nonnullos Chriſti fideles earum reſperſione commaculans, & à fidei prefatę recta ſemita in pręcipitium perditionis abducens. Quare cum tam lęthiferam peſtem, cui ſi eius non obſtetur principiis & ipſa radicitus euellatur, ſero poſſet medicina parari quum per contagionem plurimos infeciſſet, noluimus prout nec velle debemus ſub conniuentia pertranſire. Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientię, & ſub pœna priuationis omnium gratiarum, indulgentiarum, & priuilegiorum vobis ac ſtudio veſtro à dicta ſede conceſſorum, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus concluſiones & propoſitiones in bonis operibus & fide, male ſentientes licet eas proponentes ſub quadam verborum ſiue terminorum curioſa implicatione nitantur defendere, de cætero non permittatis aſſeri vel proponi: dictumque Iohannem authoritate noſtra capiatis, ſeu capi faciatis, &

ipſum

ipſum venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Cantuar.& Epiſcopo Londonienſi,aut eorum alteri ſub fida cuſtodia tranſmittatis. Contradictores quoque de dicto ſtudio veſtræ iuriſdictioni ſubiectos, ſi qui forſan (quod Deus auertat) eſſent huiuſmodi erroribus maculati,ſi in illis pertinaciter perſtiterint ad ſimilem captionem & miſſionem, aliaſque prout ad vos ſpectat, firmiter & ſollicite procedatis, perinde veſtram ſuppleturi diligentiam,hactenus in pręmiſſis remiſſam, noſtramque & dictæ ſedis præter diuinæ retributionis pręmium & meritum, gratiam & beneuolentiam adepturi. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam maiorem.11. Calendas Iunii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Bulla papalis miſſa Archiepiſcopo Cantuar. & epiſcopo Londonienſi ad monendum regem & magnates Angliæ ne prædicto Iohanni faueant vel adhæreant quouſmodo.

Venerabilibus fratribus Cantuar. Archiepiſcopo & Epiſcopo Londonienſi ſalutem.&c. Super periculoſis admodum erroribus quarundam deteſtabilium propoſitionum & concluſionum ad eneruationem totius eccleſiaſtici ſtatus tendentium, ſcriptas in cedula incluſa pręſentibus. Iohannes Wycklef, rector Eccleſiæ de Luttleworth Lincolnienſis dioc. dictus theologiæ profeſſor, aſſeritur tam impie quam temere ſuſcitaſſe,plenius vobis ſcribimus, per alias noſtras patentes litteras, quas cum pręſentibus deſtinamus. Volumus igitur & veſtræ fraternitati mandamus quatenus clariſſimum in Chriſto,Edwardum regem Angliæ illuſtrem,& dilectos filios nobiles viros natos dicti regis, ac dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem Iohannam Principiſſam Aquitaniæ & Walliæ, & alios magnates de Anglia & conſiliarios regis per vos & alios magiſtros & peritos in ſacra pagina, non maculatos huiuſcemodi erroribus, ſed in fide ſinceros & feruidos ſtudeatis facere, plenarie informari, ac eis oſtendi,quanta verecundia deuoto regno Angliæ oriatur exinde, & quod non ſolum ſunt ipſę concluſiones erroneæ in fide,ſed ſi bene aduertantur, innuunt omnem deſtruere politiam. Et requiratis eos ſtrictiſſime, quod extirpationem tantorum errorum pro reuerentia Dei & Apoſtolicæ ſedis,& noſtra, ipſorumque merito apud Deum & honorem ſęculo,tanquam Catholici principes & pugiles dictæ fidei, omni qua poterunt efficacia tribuant auxilium & fauorem. Dat. Romæ apud ſanctam Mariam maiorem.11. Cal. Iunii anno ſeptimo.

Alia bulla de eadem re.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cantuar. & Epiſcopo Londonienſi ſalutem,&c. Nuper per nos non ſine graui cordis turbatione,& plurium fide dignorum relatione,percepto quod Iohannes Wicklef, rector eccleſiæ de Luttleworth Lincolnienſis diœc. ſacræ paginæ profeſſor, vtinam non magiſter errorum in tam deteſtabilem veſaniam temere prorupit,quod nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas, ac falſas & male in fide ſonantes, quæ ſtatum totius Eccleſiæ ſubuertere & eneruare nituntur,quarumque aliquę (quibuſdam mutatis terminis) imitari videbantur peruerſas opiniones, & doctrinam indoctam damnatæ memorię Marſilii de Padua, & Iohannis de Gandauo, quorumlibet per felicis recordationis Iohannem Papam 22. prędeceſſorem noſtrum reprobatus extitit & damnatus,non verebantur in regno Anglię aſſerere,dogmatizare,& publice prędicare illis nonnullos Chriſti fideles maligne inficiens,ac à fide catholica (ſine qua non eſt ſalus) faciens deuiare. Nos attendentes quod tam pernicioſum malum, quod in plurimos ſerpere poterat,eorum animas læthali contagione necando,non debebamus, prout nec debemus ſub diſſimulatione tranſire, vobis per alias litteras noſtras commiſimus & mandauimus, vt vos vel alter veſtrum de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copiam ſub bulla noſtra miſimus interclusam, vos ſecrete informantes, ſi ita eſſe inueniretis,prętatum, Iohannem authoritate noſtra capi & carceribus mancipari faceretis, cumque ſub bona cuſtodia teneretis in vinculis, donec à nobis ſuper hæc reciperetis aliud in mandatis,prout in dictis literis plenius continetur. Conſiderantes vtique quod prętatus Iohannes huiuſmodi captionem & carcerationem forte præſentiens,poſſet(quod abſit)perfugere,ſeu latitationis pręſidio dictum noſtrum mandatum in grauiſſimum fidei detrimentum eludere:nos (ne tam damnabiles propoſitiones & concluſiones indiſcuſſæ, & earum temerarius aſſertor impunitus remaneret in detrimentum grauiſſimum fidei pręlibatæ) fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mãdamus, quatenus vos vel alter veſtrum per vos vel aliũ ſeu alios, pręfatum Iohannẽ,ſi per vos capi & incarcerari non poſſit,per ędictum publicũ proponendum in ſtudio Oxoniæ Lincolnienſis diœc.& aliis locis publicis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quod ad dicti Iohannis notitiam peruenire valeat, & de quib⁹ vos expedire videatur,ex parte noſtra peremptorie monere & citare curetis,ꝙ infra trium menſium ſpacium a die citationis huiuſmodi in antea computandum, vbi-

Digitized by Google

vbicunq; tunc nos eſſe contigerit, comparere, ac perſonaliter coram nobis ſuper propoſitionibus & concluſionibus huiuſcemodi reſponſurus, ac auditurus & facturus quicquid ſuper eis duxerimus ordinandum, & ordo dictauerit rationis prædicendo in huiuſmodi citationis edicto, quod ſiue idem Iohannes in huiuſmodi termino cõparuerit, ſiue non comparuerit, nos ſuper prȩmiſſis, & contra eum vſque ad debitam condemnationem ipſius incluſiue procedemus, prout eius demerita exigent, ac nobis ſecundum Deum & conſeruationem fidei videbitur expedire. Volumus autem & prȩſentium tenore ſtatuimus, quod prȩdicta citatio ſic facta, prouide præfatum Iohannem arctet, ac ſi ſibi perſonaliter inſinuata & intimata fuiſſet, conſtitutione quacunque contraria non obſtante. Diem vero citationis, & formam, & quicquid feceritis in prædictis, nobis per veſtras litteras ſigillis munitas harum ſeriem continentes, fideliter & quam citius poteritis intimare curetis. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam maiorem. 11. Calendarum Iunii anno ſeptimo.

Alia bulla de eodem negotio.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Epiſcopo Londonienſi ſalutē. &c. Regnum Angliæ glorioſum nempe potentia & abundantia facultatum, ſed glorioſius pietate fidei, & ſacræ paginæ claritate coruſcum conſueuit viros producere diuinarum Scripturarum recta ſcientia prȩditos, maturitate graues, deuotione præclaros, & pugiles fidei orthodoxæ, & qui non ſolum proprios, ſed alienos populos documentis inſtruebant veriſſimis, & in mandatorum domini ſemitam dirigebant. Et ſicut ex effectu contingentium temporis antiqui colligitur, dicti regni prȩſules in ſpecula ſollicitudinis poſiti, proprias excubias exercentes ſollicite, non permittebant aliquod oriri erroneum, quod poſſet inficere oues ſuas, ſed ſi oriretur zizania ex inimici hominis inſperſione, illam protinus euellebant, creſcebat aſſidue purum triticum in dominicum horreum inferendum. Sed (proh dolor) nunc apparet quod in ipſo regno officio vigiles, negligentia vero deſides, non circuunt ciuitatem, dum hoſtes ingrediuntur in eam, animarum theſaurum precioſiſſimum prȩdantur. Quorum latentes ingreſſus, & patentes aggreſſus, prius ſentiuntur in Roma intercapedine longa remota, quam eis in Anglia reſiſtatur. Sane plurium fide dignorum ſignificatione admodum dolenter audiuimus, quod Iohannes Wycklef rector Eccleſiæ de Luttleworth Lincolnienſis diœc. ſacræ paginæ profeſſor, vtinam non magiſter errorum, in illam deteſtabilem veſaniam dicitur temere prorupiſſe, ꝙ nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas & falſas in fide male ſonantes, quæ ſtatum totius Eccleſiæ ſubuertere & eneruare conantur, quarumque aliquæ, licet aliquibus quibuſdam mutatis terminis ſentire videntur peruerſas opiniones & doctrinã indoctam damnatȩ memoriæ Marcilli de Padua, & Iohannis de Ganduno, quorumlibet per fælicis recordationis Iohannem Papã. 22. prædeceſſorem noſtrum reprobatus extitit & damnatus, nõ veretur in præfato regno aſſerere, dogmatizare & publice prædicare, nonnullos Chriſti fideles eis maligne inficiens, ac à fide catholica (ſine qua non eſt ſalus) faciens deuiare, de quibus ſic ſubortis, & non extirpatis, ſeu ſaltem eis nulla facta reſiſtentia, quam ſciamus, ſed tranſactis ſeu tolleratis, conniuentibus oculis tam negligenter tranſeundo non immerito deberetis rubore perfundi, verecundari, & in propriis conſcientiis remorderi. Quare cum tam pernicioſum malum, quod nõ præciſum ſeu radicitus extirpatum ſerpere poſſet in plurimos in animabus eorum (quod abſit) læthali contagione necandos, nolumus (ſicut nec debemus) ſub diſſimulatione tranſire. Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus receptis prȩſentibus, vos vel alter veſtrum de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copiam vobis mittimus ſub Bulla noſtra incluſam, vos ſecrete informantes, ſi inueneritis ita eſſe, præfatum Iohannem faciatis authoritate noſtra capi, & carceribus mancipari, eiuſque confeſſionem ſuper eiſdem propoſitionibus ſeu concluſionibus recipere ſtudeatis, ac ipſam confeſſionem, & quȩcunque dictus Iohannes dixerit ſeu ſcripſerit, ſuper earundem propoſitionum & concluſionum inductione ac probatione, & quicquid feceritis in præmiſſis ſub veſtris ſigillis clauſa, & nemini reuelata, nobis per fidelem nuncium tranſmiſſuri, eundemque Iohannem ſub fideli cuſtodia teneatis in vinculis, donec à nobis ſuper hoc aliud receperitis in mandatis. Cõtradictores. &c. Inuocato &c. Non obſtantibus fælicis recordationis Bonifacii Papæ. 8. prædeceſſoris noſtri conſtitutionibus, in quibus cauetur ne aliquis extra ſuã ciuitatem vel diœc. niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœc. ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à ſede apoſtolica deputati aliquos vltra vnam dietam à fine ſuȩ dioc. euocare præ-

re prǽſumant,& de duabus dietis in conſilio generali, ac expenſionis & aliis priuilegiis,conſtitutionibus,& literis apoſtolicis prędicatorum Minorum & hæremitarum Sancti Auguſtini, & ſanctæ Mariæ de monte Carmeli,& aliis quibuſcunque mendicantium,vel aliis ordinibus,& locis aut ſpecialibus perſonis ſeu capitulis & conuentibus ipſorum generalibus vel ſpecialibus,quorumcunque tenorum exiſtant, necnon ſtatutis & conſuetudinibus eorundem ordinum,& locorum contrariis, per quæ effectus prǽſentium impediri valeat quomodolibet vel differri,etiamſi de eis eorumque totis tenoribus ac de verbo ad verbum plena & expreſſa mentio in noſtris literis ſit habenda, ſeu ſi Iohanni prędicto vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim à dicta ſede ſit indultum,quod perſonaliter capi aut quod ius dici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Mariam maiorem.11.cal.Iunii,anno.7.

Epiſtola Papæ ad regem de eadem re.

Chariſſimo in Chriſto filio Edwardo regi Angliæ illuſtri,ſalutem.&c.Regnum Angliæ quod altiſſimus tuæ ſuppoſuit poteſtati, glorioſum nempe potentia & abundantia facultatum,ſed glorioſius pietate fidei,& ſacrę paginæ claritate coruſcum cóſueuit viros producere diuinarum Scripturarum recta ſcientia pręditos, matutitate graues, deuotione feruentes, & catholicæ fidei defenſores,qui non ſolum proprios ſed alienos populos prǽceptis ſalutaribus inſtruebant, dirigebantque in diuinorum ſemitam mandatorum.Sed nuper cum ingenti cordis amaritudine plurimorum fide dignorum ſignificatione percepimus, Iohannem de Wicklef rectorem eccleſiæ de Luttleworth Lincoln. diœceſis, ſacræ paginę profeſſorem, vtinam non magiſtrum errorum, in illam nefandam & abhominabilem prorupiſſe dementiam, quod nonnullas propoſitiones & concluſiones plenas erroribus,& manifeſtam hæreſim continentes, quæ ſtatum totius eccleſiæ ſubuertere & eneruare nituntur, quarumque aliquæ,licet quibuſdam mutatis terminis ſentire videntur peruerſas opiniones, & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marcilli de Padua & Iohannis de Ganduno, quorumlibet per fælicis recordationis Iohãnem Papam.22. prędeceſſorem noſtrum reprobatus extitit & damnatus,in dicto regno dogmatizare & publice prędicare, ſeu potius de virulento clauſtro ſui pectoris euomere non veretur,nonnullos Chriſti fideles earum reſperſione commaculans, & à prǽfatæ fidei recta ſemita in prǽcipitium perditionis abducens. Nos itaque tantum malum quod non prǽſciſum ſeu radicitus extirpatum ſerpere poſſet in plurimos,in animabus eorum (quod abſit) læthali contagione necandos,nolentes prout nec velle ſine noſtræ morſu conſcientiæ,poſſumus conniuentibus oculis pertranſire, venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Cantuarienſi & Epiſcopo Londinenſi per litteras noſtras commiſimus & mandauimus,vt ipſi vel alter eorũ receptis per eos dictis noſtris litteris de dictarũ propoſitionũ & cõcluſionum aſſertione,quarum copiam eis ſub bulla noſtra miſimus incluſam,ſe informantes (ſi inuenirent ita eſſe)facerent præfatum Iohannem authoritate noſtra capi & carceribus mancipari, eius confeſſionem ſuper eiſdem propoſitionibus ſeu concluſionibus recipere ſtuderent,ac ipſam confeſſionem & quæcunque dictus Iohannes dixerit vel ſcripſerit ſuper earundem propoſitionum & concluſionum inductione, & probatione,nobis per fidum nuncium tranſmittere non poſtponant. Cum itaque dicti archiepiſcopus & epiſcopus in proſecutione huius negotii noſcantur fauore & auxilio tuæ celſitudinis indigere, maieſtatem tuam quam & tui progenitores incliti catholicæ fidei,cuius in hac parte res agitur,ſemper conſueuerunt eſſe & præcipui zelatores, requirimus & deprecamur attente quatenus ob reuerentiam Dei dictæ fidei,& Apoſtolicæ ſedis, & noſtrum intuitum digneris præfatis archiepiſcopo & epiſcopo, & aliis qui huiuſmodi negotium perſequentur, in ipſa proſecutione tui fauoris & auxilii patrocinium exhibere prouide, pręter humanæ laudis præconium diuinæ retributionis præmium, noſtram & dictæ ſedis adepturus beneuolentiam ampliorem. Datæ Romæ apud ſanctam Mariam maiorem.11. Cal.Iunii, anno.7.

Propoſitiones ſiue concluſiones quas Io. Wicklef publice prædicauit.

Prima. Totum genus humanum citra Chriſtum non habet poteſtatem ſimpliciter ordinandi: vt Petrus, vt omne genus ſuum dominetur policiter, imperpetuum ſuper mundum.

2. Deus non poteſt dare homini pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum ciuile dominium.

3. Chartæ humanitus adinuentæ de hæreditate ciuili ꝑpetua ſunt impoſſibiles.

4. Qui-

4. Quilibet exiſtens in gratia gratificante finaliter, ne dum habet ius, ſed in re habet omnia dona Dei.

5. Homo poteſt ſolum miniſtratorie dare tam naturali filio quam inuitationis in ſchola Chriſti tam temporale dominium quam æternum.

6. Si Deus, domini temporales poſſunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab eccleſia delinquente.

7. Nunquid eccleſia eſt in tali ſtatu vel non, non eſt meum diſcutere, ſed dominorum temporalium examinare, & poſito caſu confidenter agere, & ſub pœna damnationis æternæ eius temporalia auferre.

8. Scimus quod non eſt poſſibile vt vicarius Chriſti pure ex bullis ſuis, vel ex illis, cum voluntate & conſenſu ſuo & ſui collegii, vel habilitet vel inhabiliter.

9. Non eſt poſſibile hominem excommunicari niſi prius & principaliter excõmunicetur à ſeipſo.

10. Nemo ad ſui deteriorarionem excommunicatur, ſuſpenditur, vel aliis cenſuris cruciatur niſi in cauſa Dei.

11. Maledictio vel excommunicatio non ſimpliciter, niſi quantum fertur in aduerſarium legis Chriſti.

12. Non eſt exemplificata poteſtas à Chriſto vel ſuis diſcipulis excommunicãdi ſubditos, præcipue propter negationem temporalium, ſed è contra.

13. Diſcipuli Chriſti non habent poteſtatem coacte exigere temporalia per cenſuras.

14. Non eſt poſſibile de potentia Dei abſoluta, quod ſi Papa vel alius prætendat ſe quouiſmodo ſoluere vel ligare, eo ipſo ſoluit vel ligat.

15. Credere debemus quod ſolum tunc ſoluit vel ligat, quando ſe conformat legi Chriſti.

16. Hoc debet credi catholice, quod quilibet ſacerdos rite ordinatus habet poteſtatem ſufficientem ſacramenta quælibet conferendi, & per conſequens quemlibet contritum à peccato quolibet abſoluendi.

17. Licet regibus auferre temporalia à viris eccleſiaſticis ipſis abutentibus habitualiter.

18. Siue domini temporales ſiue ſancti Papæ, ſiue Petrus, ſiue caput eccleſiæ, qui eſt Chriſtus, dotauerat eccleſiam bonis fortunæ vel gratiæ, & excommunicauerit eius temporalia auferentes, licet tamen propter conditionem implicitam delicto proportionabiliter eam temporalibus ſpoliare.

19. Eccleſiaſticus immo & Romanus pontifex poteſt legitime à ſubditis & laicis corripi, & etiam accuſari. Iſtæ fuerunt propoſitiones vel potius deliramenta ſæpedicti Iohannis, quæ ad aures domini apoſtolici peruenere, vnde iuſte concitatus præſcriptas bullas huius tanti negotii executores, & ſtatum contingente vniuerſalis eccleſiæ prædictis epiſcopis demandauit. Qui quam indeuote, quam ſegniter commiſſa ſibi mandata compleuerint, melius eſt ſilere quam loqui. Hoc tantum poſterorum notitiæ declarare ſtuduimus, quod cum ipſi Epiſcopi tantæ dignationis fauorem & apices ſuſcepiſſent, animati plurimum, nec immerito, profitebantur ſe nullius precibus, nullius minis vel muneribus eſſe flectendos, quin in iſta cauſa recta iuſtitiam ſequerentur, etiam ſi periculum capitis immineret. Sed inſtante die examinationis ipſius apoſtatæ, à timore, à vento arundinis agitatæ, molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum in iacturam publicam propriæ dignitatis, & totius Eccleſiæ detrimentum. Et qui nec ipſis dominis regnique principibus ſe obtemperare deuouerant, donec exceſſus ipſius hæreſiarchæ puniuiſſent iuxta mandata papalia à facie cuiuſdam, nec nobilis militis neque potentis de curia principiſſæ: Iohanne videlicet Ludouici Cliffordc pompoſe vetantis ne præſumerent aliquid contra ipſum Iohannem ſententialiter diffinire, tanto timore concuſſi ſunt, vt cornibus eos carere putares factos velut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Inſuper nec illud eſſe ſilendum æſtimo, cum Epiſcopi prædicti cũ iſto ſchiſmatico in capella Archiepiſcopi apud Lambheth conueniſſent, non dico ciues tantum Londonienſes, ſed viles ipſius ciuitatis ſe impudenter ingerere præſumpſerunt in eandem capellam, & verba facere pro eodem, & iſtud negotium impedire, confiſi (vt reor) de ipſorum præmiſſa negligentia prælatorum. Talibus occaſionibus ſeu commentis pſeudopropheta, & verus hypocrita pro tunc euaſit, amplius non compariturus coram dictis Epiſcopis circa mortem Gregorii Papæ. Cuius obitum

non modicum fideles contriſtauit, ſed in fide falſos ipſum Iohannem & ipſius aſſeclas animauit.

Iſta ſunt declarationes factæ per I. W.

In principio proteſtor publice ſicut ſæpe feci alias, quod propono & volo, ex toto corde meo, mediante Dei gratia, eſſe integer Chriſtianus, & quamdiu manſerit in me halitus, profiteri atque defendere, quantum ſufficio legem Chriſti. Et quod ſi ex ignorantia vel quacunque alia cauſa in iſto defecero: rogo Deum meum de venia. Et nunc prout ex tunc reuoco & retracto ſubmittens me humiliter correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ. Et quæ per pueros ſententia eſt fidei quam dixi in ſcholis & alibi, ac magis per pueros etiam vſque ad Romanam curiam tranſportata, ideo ne Chriſtiani ſcandalizentur in me, volo in ſcriptis dare ſententiam, ex qua impetitus ſum, quam volo vſq; ad mortem defendere, ſicut credo omnes chriſtianos debere, ſed ſpecialiter Romanum pontificem & cæteros ſacerdotes eccleſiæ. Intelligo autem concluſiones ad ſenſum & modum loquendi ſcripturæ, & ſanctorum doctorum, quem paratus ſum exponere, & dato quod ſunt fidei contrariæ, volo ipſas paratiſſime reuocare. Prima concluſio. Totum genus humanum concurrentium, citra Chriſtum non habet poteſtatem ordinandi ſimpliciter vt Petrus & omne genus ſuum dominetur imperpetuũ policite ſuper mundum, patetq; non eſſet in hominum poteſtate impedire aduentum Chriſti ad finale iudicium ꝙ oportet creare iuxta illum articulum fidei, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Ex hinc enim ſecundum fidem ſcripturæ, ceſſabit hominum politia. Intelligo autem dominationem pollicitam vel ciuilem dominationem ſecularem, pertinere laicis actiuis viantibus dum peregrinantur à domino. De tali enim dominatione politica loquuntur philoſophi. Et quamuis periodicũ vocatur, quandoq; perpetuum, quia tamen in ſcriptura ſacra in vſu Eccleſiæ & libris philoſophorum perpetuum ſumitur cõmunis pro æterno aperte, poſt in illa ſignificatione famoſiore ſuppono terminum illũ capi: ſic enim canit eccleſia, Deo patri ſit gloria, eiuſq; ſoli filio, cum ſpiritu paracleto, & nunc & in perpetuum: Et tunc eſt concluſio immediata principiis fidei, cum non ſubiacet hominum poteſtati, ordinare peregrinationem Eccleſiæ ſine fine. Deus non poteſt dare homini pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum ciuile dominium. Intelligo autem ciuile dominium vt ſupra intellexi dominationem pollicitam & imperpetuum, vt ſupra, ſicut Scriptura intelligit in beatitudine perpetuas manſiones. Tunc dixi primo, quod Deus de potentia ordinata non poteſt dare homini imperpetuum ciuile dominium. Dixi ſecundo, quod probabile videtur, quod Deus de potentia ſua abſoluta non poteſt dare homini imperpetuum tale dominium, eo quod non poteſt vt videtur ſemper incarcerare ſponſam ſuam in via, nec pro ſemper differre vltimum ſuæ beatitudinis complementum. Multæ chartæ humanitus adinuentæ de hæreditate ciuili potentia ſunt impoſſibiles. Iſte veritas eſt incidens, non enim oportet catholicare omnes chartas à quolibet iniuſte occupante. Sed hoc confirmato fide eccleſiæ daretur charitatis occaſio confidendi in temporalibus & petendi licentia: ſicut enim omne verum eſt neceſſarium, ſic omne falſum eſt poſſibile ex ſuppoſitione, vt patet teſtimonio ſcripturæ, & ſanctorum doctorum loquẽtium de neceſſitate futurorum. Quilibet exiſtens in gratia gratificante finaliter nedum habet ius in rem, ſed pro ſuo tempore ius iure ſuper omnia bona Dei, patet ex fide ſcripturæ Matth. 24. quia veritas promittit ciuibus intrãtibus in gaudium ſuum. Amen dico vobis ſuper omnia bona conſtituet eum. Ius enim cõmunionis ſanctorum in patria fundatur obiectiue ſuper vniuerſitatem donorum Dei. Homo poteſt ſolum miniſtratorie dare tam naturali filio inuitationis & temporale dominium & æternum, patet eo quod omnis homo debet recognoſcere ſe in omnibus operibus ſuis humilem Dei miniſtrum vt patet ex fide ſcripturæ. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, imo Chriſtus ſic miniſtrauit & docuit ſuos præcipuos apoſtolos miniſtrare. In patria vero dabunt ſancti confratribus dominia bonorũ vt patet de ſuis corporibus, & bonis eis inferioribus in natura, iuxta illud Lu. 6. Menſuram bonã & cõfertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinũ veſtrum. Si Deus eſt, domini temporales poſſunt legittime ac meritorie auferre bona fortunæ ab eccleſia delinquente. Iſta eſt correlatiua primo articulo fidei. Credo in Deũ patrem omnipotentẽ. Intelligo aũt poſſe modo ſcripturæ concedentes ꝙ Deus de lapidibus põt ſuſcitare filios Abrahæ. Aliter enim omnes Chriſtiani principes forent hæretici. Pro prima cõcluſione formatur ſic ratio. Si Deus eſt ipſe eſt omnipotens. Et ſi ſic, ipſe põt præcipere dominis temporalibus, ſic auferre. Et ſi ſic, poſſunt legitime ſic auferre, ergo à primo: vnde in virtute illius principii chriſtiani principes practizauerũt illam ſenten-

ſententiam,ſed abſit ex illo credere,quod intentionis meę ſit ſeculares dominos,licite poſſe auferre,quandocunq; & quomodocunq; voluerunt vel nuda autoritate ſua, ſed omnino autoritate eccleſiæ in caſibus & forma limitatis à iure. Scimus quod non eſt poſſibile,vt vicarius Chriſti pure,ex bullis ſuis vel ex illis cum volutione & conſenſu ſuo ac collegii quenquam habilitet vel inhabilitet, patet ex fide catholica cum oportet dominum omni operatione vicaria tenere primatum. Ideo ſicut in omni habilitatione ſubiecti prius exigitur gratia & dignitas habilitati, ſic in omni inhabilitatione prius exigitur dignitas ex demerito inhabilitati, & per conſequens non pure ex miniſterio vicarii Chriſti ſit talis habilitatio vel inhabilitatio. Sed deſuper aliunde, non eſt poſſibile hominem excommunicari ad ſui damnum niſi excommunicetur primo & principaliter à ſeipſo. Patet cum oportet talem excommunicationem originari à peccato damnificati: vnde Auguſtinus de verbis domini ſermone. 21. Tu te noli conculcare,& te non vincet homo. Et adhuc canit fides Eccleſiæ, quod nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas, ſuppoſitum habemus octauæ. Omnis tamen excommunicatio ex cauſa multiplici eſt timenda, etiam licet excommunicatio Eccleſiæ ſit humili excommunicato non damnabilis ſed ſalubris. Nemo debet niſi in cauſa Dei, excommunicare, ſuſpendere, interdicere, vel ſecundum quamcunque cenſuram Eccleſiaſticam vindicando procedere; patet cum omnis cauſa iuſta ſit cauſa Dei, cuius ratio debet maxime ponderari, immo amor excommunicati debet ſuperare zelum vindictę & appetitum temporalium quorumcunque cum aliter ipſe excommunicans ſeipſum damnificet, ſuppoſitum nonæ. Iſti tamen congruit,vt pręlatus excommunicet in cauſa hominis principaliter tamen ſecũdum rationem,quia fit iniuria Deo ſuo, vt patet 13.q.c.inter quærelas. Maledictio vel excommunicatio non ligat finaliter niſi de quanto fertur in aduerſarium legis Chriſti, patet cum Deus ligat omnem ligatum ſimpliciter, qui non poteſt excommunicare, niſi propter præuaricationem legis ſuæ ſuppoſitum decimæ. Iſti tamẽ conſonat,quod cenſura eccleſiaſtica non liget ſimpliciter, ſed ſecundarie ſecundum rationem, quia fertur in aduerſarium membri eccleſiæ. Non eſt conceſſa poteſtas à Chriſto ſuis diſcipulis excommunicandi ſubditum propter negationem temporalium; ſed è contra patet ex fide ſcripturæ qua creditur, quod Deus eſt ſuper omnia diligendus, & proximus & inimicus,& pluſquam omnia temporalia huius mundi neceſſario, quod lex Dei non eſt ſibi ipſi contraria. Diſcipuli Chriſti non habent poteſtatem ad exigẽdum coactione ciuili temporalia per cenſuras, vt patet ex fide ſcripturæ. Luc. 22. quã Chriſtus prohibuit ſuos Apoſtolos ciuiliter dominari. Reges,inquit, gentium dominantur eis, vos autem non ſic. Et ad iſtum ſenſum exponitur à beato Bernardo, beato Chryſoſtomo & aliis ſanctis,ſuppoſitum habemus duodecimæ. Iſti tamen non obſtat quod exigant temporalia per cenſuras eccleſiaſticas acceſſorie ad vindicationem Dei ſui. Non eſt poſſibile de Dei potentia abſoluta; quod ſi Papa alius vel Chriſtianus prætendat ſe quouiſmodo ſoluere vel ligare, eo ipſo ſic ſoluit vel ligat. Oppoſitum iſtius deſtrueret totam fidem catholicam, tamen ne implicaret blaſphemiã vſurpantem talem abſolutam potentiam domini, ſuppoſitum habemus tertiodecimæ. Per iſtam concluſionem non intendo derogare poteſtati Papæ, vel cuiuſcunque prælati Eccleſiæ, quin poſſunt in virtute capitis ligare & ſoluere. Intelligo autem conditionalem negatam, vt impoſſibilem ad hunc ſenſum, quod non poteſt eſſe, quod Papa vel alius prælatus Eccleſiæ pretendit ſe quouiſmodo ſoluere vel ligare, niſi eo ipſo ſic ſoluerit vel ligauerit,& tunc non poteſt eſſe peccabilis. Credere debemus, quod tunc ſolum ligat vel ſoluit Chriſti Sacerdos,cum ſimpliciter legi Chriſti paret,pro eo quod non licet ſibi ſic facere,niſi in virtute legis illius,& per conſequens niſi quando eſt conformitas legi illi. Hoc debet credi pro catholico, quod quilibet ſacerdos rite ordinatus ſecundum legem gratiæ habet poteſtatem ſecundum quam poteſt Sacramenta quælibet ſecundum ſpeciem miniſtrare, & per conſequens ſibi confeſſum de quocunq; peccato contritũ abſoluere: patet ex eo, quod poteſtas ſacerdotalis non ſufficit maius vel minus in ſua eſſentia: poteſtates tamen inferiorum ſacerdotum, nũc ſunt rationabiliter reſtrictæ,& alias in vltimo neceſſitatis articulo ſunt laxatæ, ſuppoſitum habemus quintodecimæ: & ſic ſecundum doctores eſt dare in prælato duplicẽ poteſtatem, ſcil. poteſtatem ordinis,& poteſtatem iuriſdictionis ſiue regiminis,& quoad illam ſunt prælati, vt ſuperioris maieſtatis & regiminis. Licet regibus in caſibus limitatis à iure, auferre temporalia à viris Eccleſiaſticis ipſis habitualiter abutentibus,patet ex hoc quod domini temporales debent plus inniti ſpirituali eleemo-

eleemoſinæ fructus vberiores ferenti quam eleemoſinæ corporali neceſſario, quod foret in caſu opus eleemoſinæ ſpirituales clericos damnificantes ſe in corpore & anima per ſubtractionem huiuſmodi caſtigare. Caſus autem quem iura limitant foret defectus correptionis ſpiritualis præpoſiti, & demum fidei clerici corrigendæ, vt patet. 16. q. 7. filiis. 40. di. Si Papa, ſiue domini temporales, ſiue quicunq; alii dotauerint eccleſiam temporalibus, licet eis in caſu auferre temporalia medicinaliter ad cauenda peccata, non obſtante excommunicatione, vel alia cenſura eccleſiaſtica, cum non niſi ſub conditione implicata ſunt donata: patet ex hoc quod nihil habet impedire à præcipuis operibus charitatis neceſſario, quod in omni opere humano debet ſubintelligi conditio diuini beneplaciti neceſſariaque lege ciuili collationes decorandi c. 5. in fine collationis. 10. ſuppoſitum habemus ſeptimæ decimæ. Abſit quod illis verbis detur occaſio temporalibus ad auferendum bona fortunæ in detrimentum eccleſiæ. Eccleſiaſticus etiam Romanus pontifex poteſt in caſu à ſubiectis corripi, & ad vtilitatem eccleſiæ, tã à clericis quàm à laicis accuſari poteſt ex hoc q; ipſe eſt peccabilis citra peccatum in Spiritum S. vt ſupponitur ex ſanctitate, humilitate, & reuerentia debita tanto patri. Cũ enim ſit frater noſter peccabilis, ſubiacet legi correptionis fraternæ, & cũ totum collegium patet eſſe deſes in correptione pro neceſſaria proſperitate eccleſiæ, patet q; reſiduum corpus eccleſiæ, quod poſſibile eſt ſecundũ plurimũ ſtare in laicis, patet medicinabiliter eũ corripere, accuſare, & ad frugem melioris vitę reducere. Caſus autem poſſibilis tãgitur diſt. 40. Si Papa fuerit à fide deuius, ſicut enim nõ debet ſupponi in dño Papa ſine patenti euidẽtia tantus lapſus, ſic non debet ſuppoſitionẽ lapſo de poſſibili tanta obſtinatia quin medelã ſuperioris ſui, quoad Deum humiliter acceptabit, vnde practica iſtius concluſionis multę chronicæ atteſtantur. Abſit ab eccleſia Chriſti q; damnetur veritas, quia male ſonat peccatoribus vel ignaris, quia tunc tota fides ſcripturæ foret damnabilis. Hoc eodem modo idem verſipellis I. Wycklef ponendo intellectum in ſuis nefandis propoſitionibus, vt dictũ eſt, fauore & diligentia Londinenſium deluſit ſuos examinatores, epiſcopos deriſit, & euaſit. Quæ omnes ſi ſimpliciter caperentur ſecundum modum quo ipſe in ſcholis & in publicis prędicationibus eas protulit, hæreticam proculdubio ſapiunt prauitatem. Non enim circumlocutionem aliquam eis immiſcuit, quando eas laicorum auribus inſtillauit, ſed nude & aperte vt præſcribuntur eas docuit, captans per talia gratiã laicorum, qui libenter audiunt quæ peruerſa ſunt, pręcipue tamẽ de eccleſia, & perſonis eccleſiaſticis, & libentius impelluntur ad damna vel iniurias inferenda religioſis & clericis, cũ aliqua oportunitas ſe ingeſſerit quæ omnino extat eis deſiderabilis & votiua. Idemq; memoratus hypocrita cũ ab Epiſcopis mandata cepiſſet, ne vlterius in ſcholis ſeu ſermonibus propter laicorum ſcandalum tales propoſitiones frequentaret, ſpreto ſui Metropolitani pręcepto obſtinatus & inobediens, alias nouas concluſiones ponere non omiſit, adeo male vel peius q̃ priores ſonantes, vt patet. 1. Dominium ciuile, dominium proprietarium actum viatoris ſuper bonis plene ſecundũ leges humanas. 2. Nõ ſtat pure clericum abſq; mortali peccato ciuiliter dominari, & intelligit per pure clericos, Papam, Cardinales, epiſcopos, diaconos & alios ſacerdotes. 3. Papa nõ poteſt diſpenſare contra Apoſtolum ſicut nec cum clerico, vt habeat ciuiliter proprium. 4. Dominium ciuile formaliter dictum ſapit inſeparabiliter peccatum.

Aſſertiones I. Wycklef.

5. Actus ciuilis eſt actus rationalis creaturæ factus ſecundum legem humanam.

6. Sicut Deus non poteſt exercere actus ciuiles, nec homo in ſtatu innocentiæ, ſic illicitum eſt alicui pure clerico actus ciuiles exercere.

7. Quodcunq; collegium clericorum quod acquirit bona fortunæ, redditus vel prouentus, nec eis ciuiliter dominetur, peccat mortaliter.

8. Eſt impoſſibile de Dei potentia abſoluta Chriſtum regnaſſe ciuiliter.

9. Monachi ſicut apoſtoli Chriſti nil haberent ciuiliter vt plane poteſt elici ex regula & profeſſione vnanimi monachorum.

10. Maior pars accumulationis bonorum fortunæ, in manibus religioſorum eſſet diſſoluta, ſi iura regni Angliæ eſſent debite executa, & intelligit per illum terminum religioſorum in dicta concluſione Epiſcopos, ſacerdotes, monachos & canonicos ac omnes pure clericos.

Nauigium Angliæ rediit.

Prope tempus illud rediit nauigium Anglicanum, quod ſupra retulimus magna pertuliſſe pericula maris & ventorum in procinctu primæ profectionis. Sed maiora in hoc ſecundo progreſſu non tantum tempeſtatibus quantum perfidia defectionis ſuorum, in quibus ſperare debebant. Namq; hoc ſatis patuit per claſſiarios quibus præpo-

ſitus

ſitus fuerat dominus Fitzwater. Qui cum eo tempore quo claſſis domini Thomæ de Wodſtock comitis Buckingham, nauigium Hiſpanię inuadere decreuiſſet, ipſi quos gubernaſſe debuerat idem dominus Fitzwater, non ſolum ſe mouere in auxilium eiuſdem Thomæ ſolatium feſtinare pro viribus impediuerunt, & ipſum eoſdem pro huiuſmodi negato ſubſidio durius increpantem ad mortem vſq; proſecuti fuiſſent, ſi non idem dominus Cantius ſe ſubtraxiſſet. Qui tãdem pene ſolus fugiens in quodam Balingario, peruenit ad eundem comitem, & ei auxilium pręſtitit pro poſſe ſuo, vnde factum eſt vt tunc caperentur octo naues Hiſpaniæ in mari Armoricanę Britannię prope portum caſtelli de Breſt. Et plures forſitan captæ fuiſſent, ſi pręſcripti deſertores militię & defenſionis ſocii adfuiſſent. Itaq; re minus laudabiliter geſta, reuerſum eſt nauigium poſt natale, quod à primo pręcincti modo imbribus, modo niue, modo ventis & ſpiritibus procellarum, modo inteſtino diſſidio, ita aduerſum impeditum & conturbatum fuerat, velut caruiſſet diuino fauore. Solus dominus Thomas Percye ex hoc nauigio pro ſuæ claſſis emendatione remanſerat, aliis (vt diximus) ſecunda vice proficiſcentibus, qui non ſolum euadere meruit maris incõmoda, ſed & adipiſci diuino fauore, non tantum ſibi, ſed & toti regno perampla commoda. Hic namque, poſtquam ſui nauigii infirma firmaſſent, profectus eſt cum vna magna naui & duabus bargiis, aliiſq; minoribus vaſis paucis, & factus eſt obuiam quinquaginta nauibus onuſtis mercibus Gallicorum, quarum quędam fuere Flandrenſes, quędam Hiſpanicæ, ipſas intrepide eſt aggreſſus, denuncians primo Flandrenſibus, vt ſecederent ab Hiſpanis. Quibus nolentibus ſocios derelinquere, eo quod videbantur eorum bona communiter cum Francorum vehere neceſſariis, ſine delectu rates inuaſit. Quę cernentes eius conſtantiam animoſam, & putantes in proximo magnum ſibi ſubſidium affuturũ, reſiſtere deſtiterunt. Et mox octo & viginti fuga prolapſis, viginti duę ſe protinus reddidere, ſicque ſolus idem Thomas re bene geſta rediit commendabilis, aliis nil reportantibus pręter fuſcam famam. De quibus pręd icatum fuerat eos expediſſe minus proſpere, quod non ſolum publicas meretrices auſi ſunt ſecum ad marina bella traducere, ſed & comprouincialium coniuges adulteri & inceſti.

De Roberto Knoll.

Eadem rẽ peſtare Robertus Knoll, cui cuſtodia cõmiſſa fuerat caſtelli de Breſt, per exploratores edoctus didicit non poſt multos dies quoſdam Britones aduenturos hoſtiliter ad pręd andum patriã circa eum, vt ipſe prouocatus hoc modo exiret incõſultius ad repellendum eos, vnde ſi fortuna faueret, ipſi Britones fiduciam ipſum interficiendi conceperant, ſed fruſtra, nam eorum fraudes ipſe pręueniendo deluſit, & pręcurrente diuina gratia, quod in ipſum meditati fuerant in ipſos ille peregit, cecideruntq; in foueam quam fecerunt, captis octoginta & carceribus mancipatis.

Dominus Hugo Caluerle & ſui ſpoliant mercatores Bolonienſes.

Paucis euolutis diebus poſt natale, dominus Hugo de Caluerle otioſitatem ſibi inimicam exiſtimans, nolens etiam inimicos in otio tranſigere diu dies, conuocatis omnibus vicinis ſuis qui parebant Anglicanæ fidei, vniuerſiſque ſuis ſtipendiariis, poſt magnam cœnam factam, cum omnes hilariores è vino factos eſſe conſpiceret, querit (ſi neceſſitas vrgeret) vtrum ei liberi animo ad communia ſiue damna ſiue cõmoda ſecuturi eſſent: quibus Sacramento firmantibus ſe eius ſigna quocunque vellet prompto animo ſecuturos, tunc quidem ſingulis gratias agens eos ad propria loca remiſit. Quos vix elapſo triduo armatos adeſſe rogauit. Quibus eius iuſſioni parẽtibus, ipſe intimauit quid mente conceperat quidue facere communis vtilitatis cauſa decreuerat. Moxque cunctis in ſua conſpirantibus eos ſecreto armatos educit, & ad villam de Stapul quam feſtinanter potuit properauit. Erant autem nundinæ in eadẽ villa ad quas confluxerant mercatores Bolonienſes, Noſterlenſes, Ambianenſes, Pariſiacenſes, cum multis aliis qui mercandi gratia illuc aduenerant nihil periculi metuẽtes. Nocte igitur dominus Hugo deliteſcens cum ſuis, notata hora congrua, villam ingreditur cum armatis. Qui illico irruentes in vulgus inerme, plurimos interficiunt, multos in vincula coniiciunt captiuorum more pecunia redimendos. Exhinc omnia mercimonia hoſtili more diripiunt, villamque comburunt igne ſuppoſito, præter pauca loca quæ diligentia dominorum à flamma redempta ſaluantur, vna etiam aliaque mercimonia, groſſoriaque quod ſecum oportune tollere non valebant, minatus eſt idem Hugo diffundere vel gurgiti demandare, niſi mercatores (fide interpoſita) pro ipſarum rerum conſeruatione taxatam ſummam pecuniæ pro ſuæ voluntatis arbitrio ſoluere ſpoſpondiſſent. Hiis rite peractis, Caleſiam cum ſuis omnibus incolumis repedauit, afferens ſecum è nundinis quæ ſuorum Caleſienſium commodo merito cederent multis annis.

Viri de Winchelſee & de Ria, hiis diebus collecta multitudine, & aſcenſis bargiis, egreſſi ſunt verſus Normanniam, ſi quo modo poſſint damna anni præteriti eis illata per aduerſarios eorundem, cupientes incommodum reſarcire, noctuque terræ applicantes, villam quæ Portus Petri dicitur, ingrediuntur armati, quoſq; obuios in ore gladii trucidantes peruagantur vicos, quos dignos captiuitate iudicant, eos videlicet qui dignam ſummam pecuniæ pro redemptione pendere poterant, vinculatos ad vaſa deducunt, domos cum eccleſiis ſpoliant, in omnibus remetientes eis tandem menſuram quã prius menſi fuerant apud Riam, vbi tandem inuenerunt multa ſpolia quæ abduxerant de villa de Ria, & præcipue campanas quas tulerant de eccleſia, cũ plumbo etiam quod detraxerant infauſtis manibus de eadem. Tandem commendantes vniuerſa Vulcano, deſcendunt de Wilet non procul poſitam properantes & ſimilia facientes ibidem, domum cum præda opulentiſſima ſunt egreſſi.

Petitio ducis Lancaſtriæ.

Per idem tempus Iohannes dux Lancaſtriæ inſtanter expetiit vt pecunia præconceſſa regi in vltimo parliamento à clero & laicis, ſub arbitrio ſuo traderetur, affirmans ſe inimicos à finibus Angliæ per annum integrum cum ipſa pecunia arctaturum, & inſuper aliquod prægrande commodum allaturum. Cuius importunæ petitioni licet inuiti magnates aſſenſum non ſine cordis amaritudine (prout dicitur) præbuerunt, pręnoſcentes fortunã aduerſam ſibi, & ipſum etiam tantum in regno valere, vt omnino nõ expediret eius contradicere voluntati. Primũ ergo diem menſis Martii ſtatuunt diffinito cõſilio, in quo omnes & ſinguli qui huic profectioni intereſſent, ad mare parati per omnia conuenirent. Et ne interim cuſtodia mare careret, conductæ ſunt nouẽ naues de Baionenſibus, quæ mare & aridam tuerentur ab incurſibus & latrociniis Gallicorum. Quæ inſtructæ ſufficienti manu armata, in breui mare ſulcantes obuiant nauigio & mercimoniis Hiſpanorũ. Initoq; conflictu, claſſem vehementer inuadunt Hiſpanicam, & in breui captis decem & quatuor ratis onuſtis baccho, cæteriſq; neceſſariis, læta noua reuertentes Angliæ nunciarunt, domino tamen Roberto Knoll, cuſtodi municipii de Breſt, de ſuis ſpoliis dedere primitias centum doliã vini præcipui, dum tranſitum per eum facerent verſus terram iſtam.

Henricus Baſtardus nauigium parat.

Henricus interea Baſtardus qui ſe dicit regem Hiſpaniæ, audito quod Baionenſes tot damna ſuis hominibus intuliſſent, & quod dux Lancaſtriæ ad ingreſſum maris ſecum turbam copioſam pręparaſſet, timuit vehementer, æſtimans eum non ob maris cuſtodiam ſolummodo acceſſurum, verum ſed ob eius regnum, (ꝙ idem dux petebat ratione vxoris hæredis legitimæ regni ipſius Hiſpaniæ) hoſtiliter vindicandum. Quare idem Hẽricus ſupradictus nauigium de tota terra ſua parari iuſſit, vt vel ipſum ducem ab ingreſſu terræ ſuæ viriliter perturbaret, vel ſi fortuna faueret ipſum (propiciante Marte) captiuaret. Quod forſitan effeciſſet, ſi rex Portingaliæ ſibi impedimẽto non fuiſſet. Nam ortis quibuſdam ſimultatibus inter ipſos, Rex Portingaliæ cum innumerabili pene Chriſtianorum & Sarracenorum turba regnum Hiſpaniæ hoſtiliter eſt ingreſſus eo quidem tempore quando idem Baſtardus ſe contra ducem ad præcinctum itineris pręparaſſet. Qua Baſtardus occaſione turbatus, ratus eſt tutius in terra morari ad repellendum eos qui iam occupauerant regnum eius, quam dubium exitum arripere ad conquirendum eos qui non dum attigerant fines ſuos. Dum igitur res ſe haberent (vt diximus) circa ducem, & ipſe nil feſtinare diceretur ad mare, ſed profectionem ſuam in dies retardaret, moti hii qui claſſi pręfuerunt, non expectato duce, maris alta cum nonnullis viris bellicis petierunt, ibidem eius aduentum expectaturi, glorioſius reputantes in mari de manibus hoſtium victitare, quam in patria de ſpoliis incolarum. Cum diebus aliquot maris peregraſſent ſemitas, obuii fiunt eis Hiſpani cum armata manu. Qui mox conſertis viribus vtrobique ducti prædæ cupidine pugnauerunt, ſed noſtri aduerſa tempeſtate defuncti victoriam hoſtibus conceſſerunt, quibuſdam fuga prolapſis, quibuſdam captis per manus hoſtiles. Captus eſt in eo conflictu dominus Hugo Courtney miles egregius inter multos, infortunium vero totum duci Lancaſtriæ eſt aſcriptum, eo quod ipſe pręſentiam ſuam tam diu ſubtraxit ab eis, ſed ſi Dux in culpa fuerat ignoramus. Non enim ſemper recte iudicat vulgi furor.

Eodem tempore circa feſtum Sancti Iuonis Epiſcopi menſe Martio ſcilicet 7. Calend. Aprilis obiit Papa Gregorius.11. bonus vtiq; vir & iuſtus, qui multum doluerat de damnis vtriuſque regni, & multum laborauerat vt pax fieret inter illa. Ipſe etiam ob amorem domini Simonis de Langham Cardinalis & Epiſcopi Præneſtini quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi, dum peſtilentia inualuiſſet in hac terra, per

per bullas ſuas omnibus tunc morientibus vere contritis & cōfeſſis plenam remiſſionem de theſauris Eccleſiæ indulſit exceptis his qui ære alienæ grauantur. Magnum vtique beneficium & omni acceptione digniſſimum, & quo maius incolis non potuit impendiſſe. Huic ſucceſſit Bartholomæus Barenſis Archiepiſcopus, qui multiplices tribulationes pertulit à Cardinalibus pro cultu iuſtitiæ, adeo vt ipſi niterentur eum cum dedecore papatu priuare, vt inferius declarabimus ſuo loco.

Circa tempus illud filius Iohannis Mercer, natione Scotus, collecta non parua manu Gallicorum atque Scotorum, ac etiam Hiſpanorum, dum adhuc dux Lancaſtriæ Iohannes in terris ageret, aggreſſus eſt naues quaſdam apud Scarburgh, quas incautas leui negotio cepit, & ſecum ad mare deduxit, occiſis prius quibuſdam, qui nauibus illis præerant, quibuſdam vinculis mancipatis. Et ideo quam maxime noſtratibus irrogauerat in vltionē opprobrii patris ſui, qui antea ab Anglis captus fuerat, & in caſtello de Scarburgh mandato regio cuſtoditus. Eſt autem pater eius æque Scotus tam gente quam patria, & Regi Franciæ propter diuitias multas prædilectus, nam erat mercenarius, & vir ſatis vafer & conſilio prouidus, cuius non immerito oris decreta in his quę Angliā contingebant ipſe rex & omnes Gallici ſequebantur. Hunc caſu interceptum cum quibuſdam nauibus, Northumbrenſes eorum comiti præſentarunt. Qui vt diximus in eodem caſtello cuſtodiæ deputatus, cito poſt deliberatus fuerat ad magnum damnum totius regni & omnium incolarum. Nam ſi redemptus fuiſſet captiuorum more, regem & regnum inæſtimabili pecunia diuites effeciſſet. Huius filius, vt prælibauimus, poſtquā damna noſtratibus apud Scarburgh intuliſſet, gloriabatur de arridēte ſibi fortuna, & maiora Angliæ damna non ſolū meditabatur, ſed etiā publice minabatur, ſed eius conatus ipſe impediuit, qui ſupbos humiliat & exaltat humiles. Tum vero ſuſcitauit Deus cōtra eum vnum ex ciuibus Trinouantum, qui eum humiliauit, & à timore eius regnum Anglię liberauit, vt patebit inferius volentibus intueri. Iohannes Philpot ciuis Londonienſis vir & ingenio præditus, & potentiſſimus opibus, ducis Lancaſtriæ, & ceterorum dominorum defectum, ne dicam falſitatem, qui regnum defendiſſe debuerant attente conſiderans, & oppreſſionibus condolens incolarum de propria pecunia conduxit mille armatos, qui & prædicto Iohanni Mercer eriperent naues & bona, quę latrocinando ceperat, & regnum Angliæ à talibus incurſibus tuerentur. Et factum eſt, vt omnipotens, qui ſemper aſſiſtit piis votis, ſibi & ſuis ſucceſſus proſperos miniſtrauit, ita vt in breui eiuſdem Ioannis Merceri filium iure bellico ſui conductitii caperent, cum omnib. quæ apud Scarburgh ipſe violēter abduxerat, & aliis quindecim nauibus Hiſpanorum, onuſtis multis diuitiis, quæ ſibi auxilio fuerant eodem tempore infauſta hora. Fit ergo in plebe vniuerſa tripudium, omnibus laudantibus & admirantibus, tandem ipſius viri erga Regem beneuolentiam & charitatem, iamque ſolus Iohannes Philpot ore omnium laudabatur, & admirationi habebatur, de noſtris vero proceribus & militia, quæ dudum conducta fuerat, dicebantur probroſa verba, aſpera & inuectiua, prout commune vulgus ſolet inferre vario motu ſuo. Londonienſes præcipue obloquebantur, dicentes, iam per paucorum procerum corda fore cum Rege, eos ſolos ſibi fideles eſſe, quorum Rex, licet ironice, vocabatur à nonnullis proceribus, eo quod ipſi multum iuuiſſent eum in coronatione ſua.

Magnanimitas Iohannis Philpot erga patriam.

Proceres regni Angliæ, ſcilicet barones & comites, vidētes tam laudabile factum Iohannis Philpot, conſcientiæ propriæ ſtimulis agitati, illud ægre ferebant. Et quamuis ſe reos agnoſcerent & culpabiles, in tantum, vt iam plebi eorum foret inertia manifeſta, tamen eidem Iohanni Philpot non ſolum occulte inſidiari, ſed publice improperari ceperunt, dicentes, non licere ſibi talia facere ſine conſilio Regis & regni, ac ſi non licuiſſet benefacere regi vel regno ſine conſilio comitum & baronum. Quibuſdam autem talia memorātibus, & præcipue omnium pene minori ſed prolocutori præcipuo, ſcilicet comiti de Stafford Hugoni, idem Iohannes dicitur reſpondiſſe, prænoſcerit abſq; dubio, me neq; pecuniam meam, nec meos ad maris pericula ideo deſtinaſſe, vt tibi vel collegis tuis ſurriperem militiæ nomen bonum, mihique lucrarer, ſed condolens plebis patriæque miſeriæ, quæ iam veſtra deſidia de nobiliſſimo regno dominia quoq; gentium, eſt in tantam deuoluta miſeriam, vt cuiuſlibet viliſſimæ gentis direptioni pateat, cum ſit nullus ex vobis, qui ad defenſionem eius manus apponat. Ego me meaq; expoſui pro propriæ gentis ſaluatione, & patriæ libetatione. Comes autem non habuit quod reſponderet.

Æmulatio procerum aduerſus I. Philpot.

Adhuc dux in Anglia morabatur nolens maris experire fortunam tempore limi- *Comites Sarum*

 tato,

& Arundeliæ componunt cum habitatoribus de Scarburgh pro villa.

tato, ſcilicet nec in vere nec in prima æſtate, neſcitur quibus detentus impedimentis. Sed eius perſuaſu ingreſſi ſunt mare duo Comites, Sarum & Arundeliæ, qui ſcrutaris vbique locorum hoſtibus & ſociis mare ingreſſurum nulla pericula nuntiarent. Comes vero Sarum dominus Wilhelmus de Monte acuto vocatus, vir in armis & iuuentute exercitatus, & ſtrenuus, mox vt mare ingreſſus eſt, compulit naues ad terram oppoſitam, vt aliquid damni aduerſariis irrogaret, vbi dum moram trahit nociuam aduerſariis, componit cum habitatoribus villæ de Scarburgh, quæ pertinebat Regi Nauariæ, qui iam & ipſe inimicus factus fuerat Regi Franciæ, vt eadem villa cederet diſpoſitioni & arbitrio Regis Angliæ, ita duntaxat vt idem Rex Angliæ manucapiat cuſtodiam eiuſdem villæ aduerſus Gallicos, ad commodum tam Regis quam regni Angliæ, & nocumentum Gallicorum, quod & factum eſt. Mox comites Sarum & Arundelię remiſerunt ad regem & regni conſilium certificantes eos de tam glorioſo euentu, & vt deſtinarent illuc ex Anglis, qui villæ cuſtodiam obtinerent. Miſſi ſunt igitur ad cuſtodiendum villam illam ex Anglicis, quot ſufficere videbantur, & paulo poſt Comites in Angliam redierunt.

Hugo Caluerle per idem tempus (cuius memoria benedictione eſt dormire) non ſinens Gallicos prope eum, cepit quoddam caſtellum cui nomen erat Merke, & ad ſolum vſque deiecit, cum Eccleſia quadam, quæ caſtello vicina erat, & magnum præſidium Gallicorum. Et paruo interiecto, verſus ſanctum Audomarũ proficiſcens, cepit innumerabilem multitudinem animalium diuerſorum, & ad Caleſiam vſque deduxit, nullo audente conatus eius impedire, quia Deus erat cum eo, & omnia opera eius dirigebat. Eius eſt inſuper laudibus aſcribendum, quod capitaneum caſtelli de Arde, qui eum doloſe decepiſſe decreuerat, ipſe iuſte deceperat, & in foueam, quam effoderat, eundem tali occaſione impulerit ſapienter. Petierat idem capitaneus à rege Franciæ auxiliares vires, videlicet quoſdam milites & inſtrumenta bellica, machinas & tormenta, & alia quibus vel infeſtari, vel omnino proſterni ſolent munitiones hoſtium, promittens ſe magnum damnum noſtris municipiis præcipue ſitis prope Caleſiam illaturum. Præfinito igitur die, quo hæc omnia ad villam de Arde veherentur, timens idem capitaneus ſolicitudinẽ eiuſdem Hugonis, qui vix vnquam ſinebat Gallicos vel eorum bona prope eum impune tranſire, vt eum teneret attentius occupatum, quo minus impedirentur eius vota, quæ conceperat, mittit ad eum, nuntians vt aliqua velit tractare cum eo, & hoc caute egit, vt eodẽ die foret iſte tractatus, quomodo omnia prædicta peruenirent ad eum. Hugo vero vir perſpicax, æſtimans non pro nihilo eundem capitaneum tam ſolicite eidem talem diem ad tractandum deputaſſe, ſibi quidem conceſſit ipſo die ſaluum conductum tractaturo, de quibuſcunque placeret, ſuis autem propriis hominibus miſit occulte, mandans, vt viam ipſam obſiderent, ſecretiuſque ducit de Bolonia ad villam de Arde, ne forte idem capitaneus noua aliqua ipſis nociua vel contraria moliretur. Et factum eſt, volente Deo, vt hæc omnia ab hominibus ipſius Hugonis proſpere caperentur, & ad Caleſiam ducerentur cum omni apparatu armatorum, & aliarum rerum, ipſo capitaneo de Arde non dum egreſſo de prædicto colloquio, quod ipſe doloſe confinxerat ad decipiendum Hugonem. Videns igitur omnia venire Caleſiam, expauit vehementiſſime, recedens eum gemitu atq; murmure, & dolum, quem imaginauerat, fatebatur, aſſerens ingenioſe deceptum, & in aduentione propria circumuentum.

Dolus dolo compenſatur.

Contigit ſub eiſdem diebus Anglicis graue damnum & dedecus toti regno imprudentia & ſuperbia Northumbrorum. Quorum (vt eſt proprium loqui) ſublimia grandia temere attemptari, ita de facili ſuccumbere, & ſine grandi negotio eneruari. Hi namque de ſua virtute fidentes, inconſulte nimis eruperunt de occidentali Marchia in terram Scotorum, putantes ſe poſſe ibidem montes æquare vallibus, lapideſq; conterere ſine auxilio vicinorum. Scoti vero de eorum eruptione ſatis edocti, congregata ſufficienti armata manu, eis obuiam proceſſerunt, & ſine magno eorum diſpendio maiorem partem eorum crudeliter peremerunt. Quo facto, accreuit Scotis audacia, vicinis Anglis timor & inertia, adeo vt iam effœminatos crederes, quos parum ante cordis magnitudo æquauerat leopardis. Miſſus eſt ergo dominus Edmundus Mortimer Comes Marchiæ, ad tractandum cum Scotis, vt moris eſt ſingulis, in die, quam Anglici & Scoti, diem Marchiæ conſuetudinaliter appellant. Qui id effecit, vt treugæ ſtabiles inter vtrunq; populum, ſed paruo tempore firmarentur.

Prope dies iſtos Dux Lancaſtriæ (cuius memoriam ſæpe per ante fecimus) poſt longam & diutinam moram in terra, quam iam licet protraxerat, ſe conuerſaturus in

aquis

Digitized by Google

equis validis accingitur cum turba ſatis valida verſus mare. Quæ quidem multitudo ad reſiſtendum quibuſlibet hoſtibus ſuffeciſſet, ſi Dei gratia tanto agmini minime defuiſſet. Sed pudet recordationis tot rerum tam male geſtarum ipſo tempore, adeo vt ſilentio multa tegamus, quę ſcribere deberemus, ne forte ab incredulis ſiue noſtris æmulis odii ſeu malitiæ regni taxemur. Ne ergo lateant omnino poſteris facta noſtratum parcius quam geſta ſunt omnia tunc temporis, locuturi ſumus curſim tranſeundo potius quam ſilendo infortunia, quam in talibus immorando. Ingreſſus mare Dux poſt non multos dies ad Brytanniam eſt traiectus Armoricam, vbi combuſtæ ſunt quædam villæ per dominum Robertum Knoll, ſed impune, nam plures amiſit ex valentioribus viris ſuis. Dux vero ad ſanctum Maloum ſe cum omnibus copiis contulit villam inter omnes villas Britanniæ munitam, vt illa capta feciſſe aliquid magni videretur. Sed villani (vt dicitur) de tanti exercitus multitudine tremefacti obtulerunt duci villam eo pacto, vt ipſe eos à rapinis & incendiis tueretur cum omnib. bonis ſuis. Sed dux hanc ciuium ſubmiſſionem æſtimans eſſe vecordiam, prout dicebatur à pluribus, audita tam gratioſa conditione, non ſuſcepit eos, ſed repulit, in tantum, vt pacem oblatam ſperneret, mandans, vt ſine conditione aliqua redderent ſibi villam facturo de ea & ciuibus quæcunque ſibi placerent. Ciues vero poſtquam hæc audiſſent, videntes rem agi ꝓ capitibus, concepta audacia villam alacriter munierũt. Dux vero collectis exercitibus & rebus expugnandæ villæ neceſſariis, iuſſit ſuis vt irent ad experiendum vires cum villanis, dum ipſe interim ſe contineret alonge contemplaturus bellantes, & optimos pro meritis remuneraturus. Conſerunt ergo manus Angliçi & Britanni, & vtrobiq; acriter decertatum eſt, illis cupientibus res & capita cuſtodire, iſtis è contrario nitentibus villanos atterere, & ciuibus & eorum poſſeſſionibus dominari. Sed tandem vt creditur iniuriam paſſis fortuna fauit, & præualuerunt Britanni, Anglicis à muris turpiter ſatis deiectis, & quamplurimis ex valentioribus interfectis. Quid plura? doluit dux ſuorum facta fœdari, cum ſuis militibus præſtantioresin opere martio reperiret. Quapropter receſſit iratus, dedignans accedere ad hoſtes tam truces: ſed illis cõmiſit propriis arbitrio & voluntati. Sed dum hæc aguntur, Gallici mare oceanum peruagantes, villas in Cornubia licenter incendunt, videlicet Fowey & quaſdam alias abſq; reſiſtentia ſiue licentia Anglicorum. Hæc tamen in ducis abſentia facta ſunt in terra iſta, ſicq; ſub hac tempeſtate hic illicq; percutiuntur, vbiq; vero generaliter flagellamur. Quia ſi bubo lapidi iactetur vel lapis illi:

Ictus damna grauis ſemper habebit auis.

Rem ſcripturus ſum plus quam tragicam, qui comœdiam ſcripſiſſe ſemper optaueram ſcelus à noſtris ſeculis intentatum, ſed in noſtris diebus (proh dolor) perpetratum. Qualiter videlicet Sathanæ ſatellites irrumpentes templum, inauditum perpetrant ſceleris exemplum. Pollutionem vtique illius aulę Dei ab Apoſtolorum principe dedicatæ, & ad præſens tempus ab ipſis etiã incredulis & ſine fide hoſtibus impollutæ. Sed inuenit tempus noſtrum (proh dolor) homines Chriſtiano nomine inſignitos peiores & infidelibus & irreuerentiores ipſis Ethnicis aut Paganis. Reuera Pagani ſuorum ſacrorum immunitates & iura, quæ non Soldanorum Admiralliorum ſiue Regum chartis fulciuntur. Sed ſolum deuotione plebis adeo illibata cuſtodiunt, vt capitale ſit infra ambitum templi illius hominem percuſſiſſe. At templa tanta gaudent immunitate, vt nulli liceat damnum aut grauamen inferre hiis qui ſe talibus libertatibus contulerunt. Econtra vero Chriſtiani modernis temporibus ſub fide falſi & deteriores Ethnicis, non ſinunt domum Dei, portam cœli, ianuam Paradiſi, Summi ſacerdotis aulam, videlicet domini Ieſu Chriſti ſponſam non ſolum liberam & immunem eſſe, ſed etiam inceſtis manibus, funeſtis gladiis, truci propoſito non tantum ancillare, ſed inſuper polluere humano ſanguine non verentur. Quid ergo dicendum eſt? vbi fides periit, ius euanuit, deuotio friguit & abſceſſit: vel quid ſcribendum vbi omnis conſpirat in deteriora conſenſus? Dolor autẽ nos ſilere compellit, magis autem ipſa pericuIoſa tempora, in quibus perfidi Chriſtiani Antichriſti diſcipuli, diuini verbi prædicatores, ſiue ipſorum morum deteſtabilium conſcriptores odiis, damnis & iniuriis perſequentes. Sed tamen ne videamur magis homines vereri quam Deum, etſi non vniuerſa mala, quæ fiunt in terra, ſcribere decreuimus, illa ſaltem trademus notitiæ poſterorum, quæ pro ſui magnitudine latere non debent. Erant ergo in his temporibus duo armigeri, quibus non facile vel in Anglia vel in Francia validiores reperiri valerent. Nomen vni Robertus Haule, alteri vero Iohannes Schakel. Hii ante decenium in bello, quod illuſtriſſimus Princeps Edwardus

contra

contra Hiſpanos geſſerat, in quo & Henricum Baſtardum deuicit, & Petrum fratrem eius iniuſte pulſum regno reſtituit, ceperant Comitem de Dena, virum non ignobilem, qui iudicio Principis & Iohannis Chandos dictorum armigerorum magiſtri, eorum captiuus eſt effectus, ſuper quorum decretis Chriſti armigeri chartas tam Principis, quam dicti Iohannis ſigillis firmatas obtinuerant, ne alicuius impoſterum impetitio præpediret eos, quo minus emolumentum tantæ perſonæ perciperent. Dictus igitur Comes de Dena filium ſuum primogenitum eis dederat in obſidem pro eo, dum ipſe dictorum armigerorum indulgentia ad propria remiſſus eſſet. Comes autem poſtquam Hiſpanias perueniſſet, paruipendit fidem datam hiis, qui eum ceperant, filio (vt dictum eſt) obſide in Anglia derelicto. Huic ergo poſtquam naturæ debita perſoluiſſent, duo illuſtriſſimi Edwardi, videlicet Rex pater, filius quoque Princeps, conſiliarii noui regis ad opus eiuſdem timide petierunt, vt quibuſdam vero placet, hoc factum eſt in gratiam ducis Lancaſtrię, qui habebat ius in regnum Hiſpaniæ, vt habito tanto Comite ad prædicti regni poſſeſſionem facilius perueniret. Alii vero aſſerebant factum propter dominam Matildam ſororem regis relictam domini P. de Courtney, vt illa ſibi deſponſata, & illa tanto viro promoueretur, vt pax & concordia accreſceret per tales nuptias inter regna, ſed nullo modo prædictam perſonam extorquere poterant ab illorum manibus Rex nec ipſe Dux, quin ipſam occultarent, & ab eorum manibus elongarent. Quapropter capti, & in turri Londinenſi truſi ſunt. De qua cuſtodia euadentes, de curia ad Weſtmonaſterium confugerunt. Quod Dux grauiter ferens & eorum æmuli conſiliarii, conſilium inauditum, vt videlicet ſpretis tot ſanctorum Regum ſanctionibus, tot ſummorum Pontificum confirmationibus, & tot contrauenientium terribilibus ſententiarum comminationibus, poſtremoque diuino timore ac ſanctæ matris Eccleſiæ reuerentia ſtatuerunt, eos à ſanctuario perturbatos, ad turrim vſque reducere, & ibidem cautius conſeruare, vel vt putatur tot malis affligere, vt vitam deſerere cogerentur. Proinde mittuntur ex aulicis ad Weſtmonaſterium cauſa huius iniuriæ in homines, Deum, & Eccleſiam committendæ, quinquaginta armati, ſecrete tamen propter metum Londonienſium, ne forte tumultus fieret in plebe illa. Qui ingreſſi ſanctuarium ſancti Petri, aſtu quidem primum ſcilicet Iohannem Schakel circumuentum libertate Eccleſię exuerunt, & ad turrim illico reduxerunt. Ad ſecundum autem eodem die Robertum Haule cum veniſſent, & ipſe miſſarum ſolenniis, in craſtino videlicet ſancti Laurentii intereſſet, conuenerunt eum de ſatisfaciendo Regi ſuper hiis, quibus eius offenderat maieſtatem, quia cum eſſet eius ligius homo, regiis non tantum poſtulationibus quantum precibus eius ſpretis, contra eum tergiuerſari tam procaciter auſus fuit. Ille vero dum non regem, ſed eius conſiliarios de iniuſtitia, auaritia, falſoque conſilio accuſare niteretur: & illi manus inicerent, ad extrahendum de Eccleſia violenter: extracto quodam curto gladio, mox omnes armatos ipſe inermis ad fugam coegit. Et ſaluare ſe cupiens, bis circa chorum monachorum currendo pro refugio, tandem in ipſo choro ab ipſis vndique circumuallatur. Quid multa? ex omni parte ſtrictis pugionibus impetitus, vt ſe reddat perſtrepunt horribiliter exclamando, & ſanctiſſimum illum conuentum monachorum, nec non ſacerdotem, ſacro aſtantem altari, poſt perlecta ſancti verba Euangelii conturbando, amplius etiam exarſit eorum furor, in tantum, vt domum Dei non ſolum haberent deſpectui: ſed etiam in ipſos Chriſti famulos, qui iam, vt dictum eſt, domino in choro aſtabant, miniſterio iniquitatis vaſa conuerterent, pectoribus ſingulorum figentes cuſpides gladiorum, vetantes eos ſub pœna mortis horridæ, ne ſubſidio forent illi, quem perimere laborabant. At illi, qui eundem Robertum Haule circumſteterant, dum pacem Eccleſię peteret, dum cauſam tanti ſceleris quæreret, dum ſe tandem cancellatis manibus ſub his verbis Deo & Eccleſiæ commendaret, inquiens: *Deo me reddo talium iniuriarum vindici, & libertati ſanctæ matris Eccleſiæ*, vnus eorum inter hęc verba gladio percutiens caput eius, eum in choro prope altare ſtantem crudeliter excerebrauit: alius vero eius corpus in eodem momento mucrone transfodit à tergo. Quidam autem ex famulis ipſius Eccleſiæ, qui conatus fuerat eos impediſſe à tanti ſceleris perpetratione, precando atque monendo, ne verendum illud templum miraculoſe ab Apoſtolorum principe dedicatum, & hactenus impollutum fœdarent, cuiuſdam framea mox in ipſo loco per latera traiectus interiit, vt credimus martyrio coronatus. Dicti vero miniſtri ſceleris non contenti aut ſatiati, tot execrandis maleficiis, ipſius Roberti Haule cadauer exanime per pedes arripiunt, & illud horrende trahentes per ſacratiſſimum locum cho-

Cædes perpetrata in templo Weſtmonaſt.

ri.

ri, ac per Eccleſiam, eius ſanguine ſiue cerebro cuncta fœdantes, demum irreuerenter foras eiciunt, vtpote deliræ debacchātes, q̄ nec timuerūt Deū, nec hominē reuerentur. Sic vero prophanatū eſt ſanctuariū, luget Syon, S. Petri ſacrarium ſedet in triſtitia, regū receptaculū, domina eccleſiarū facta eſt in opprobriū & deriſum, viæ Syon lugent, quia omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius gementes, & ipſa oppreſſa amaritudine, facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici illius locupletati ſunt, quia dominus locutus eſt ſup eā: Et quid locutus eſt dominus? prædixit, vt à ſeniorib. noſtris audiuimus, iſtud facinus p̄dixit & vindictā deferendā ob necē S. Thomæ martyris & Archiepiſcopi Cantuar. donec ſacrarium Weſtmonaſt. humano ſanguine fœdaretur, timenda eſt vindicta, rogandus eſt dominus, vt fiat pax & veritas in diebus noſtris.

Prima excommunicatio per ep[i]ſcopos in malefactores.

Peracta apud Weſtmonaſterium cæde prædicta, paſtores Eccleſiæ congregati, aliquandiu dubitauerunt, quid faciendum foret, vtrum videlicet metu materialis gladii, gladio ſpirituali percuterent, vel omnino renuntiarent poteſtati & viribus ſancti Petri: tandem (quamuis tarde) concepta audacia, Metropolitanus Pontifex cum quinq; ſuffraganeis procedit in publicum, & terribiliter fulminauit excommunicationis ſententiam in omnes, qui huic nephario operi interfuerant, vel qui illis conſilium impenderant aut iuuamen: præcipue autem & nominatim in dominū Alanum Buxhul, & dominum Radulphum de Ferrariis, qui horum malefactorum fuere capitanei & ductores, demum tamen Regem & matrem eius, necnon & auunculum Ducem Lancaſtriæ ab hoc anathemate ſpecialiter exceperunt. Londonienſis vero antiſtes apud S. Paulum, dominicis feriis quartis & ſextis, indictos malefactores diu prædictam continuando ſententiam terribiliter publicauit, vnde factum eſt, vt plures ex illis tam terribilis fulminis aduſtione perculſi, citius pœnitendo ad pacem Eccleſiæ ſe conferrent.

Dux aggerat ſibi inuidiam.

Factum eſt per idem tempus conſilium apud Windeſor, ad quod Dux Lancaſtriæ cum ceteris, qui eum ad mare (vt ſuperius dictum eſt) comitati fuerant, iam poſt exhauſtam pecuniam, & nil geſtum proſpere redierat, vt ore communium dicebatur. Dum igitur veniſſet, & audiſſet de tam terribili fulmine indies ab ore miſſo Londonienſis præſulis, ægre tulit, & præcipue autem abhominari ſe dixit tantam in eo proteruiam, qui cum literas regias ſupplicatorias accepiſſet, vt deſiſteret, vt differret publicationem prædictæ ſententiæ, ipſe nihilominus regiis contemptis precibus, perſeueraſſet in pertinacia præconcepta. Et maius abſurdum aſſeruit inuitatus à Rege ad idem conſilium venire, ſuperbe contempſiſſer. Quapropter affirmauit, ſi Rex iuberet, ſe velle properare Londonias, & illum cōtumacem Epiſcopum, inuitis Londonienſibus (quos ribaldos vocabat) violenter ad conſilium adducturum. Præterea dicebantur omnia, quæ ſcelerate geſta retulimus apud Weſtmonaſt. eius iuſſu & conniuentia p̄petrata, vnde commota ſunt corda multorum & ora ad male ſentiendum vel loquendum de perſona ſua.

Parliamentum Glouerniæ.

Circa feſtum ſancti Lucæ Euangeliſtæ factum eſt parliamentum apud Glouerniam, inſtigatione quorundam peruerſorum, qui ſemper aliquid noui moliebantur incommodi ſacerdotio ſiue regno, & ea cauſa quammaxime, quia credebant Epiſcopos & plebem regni communem, necnon & Londonienſes minus audere reſiſtere vel contradicere votis eorum in partibus tam remotis. Nempe retulit fama vulgatis, quod inæſtimabili ſumma pecuniæ decreuerant regnum mulctaſſe, ac etiam ſanctam Eccleſiam de pluribus poſſeſſionibus ſpoliaſſe, ſi fuiſſent ſuum peruerſum propoſitum conſecuti. Et idcirco locum illum elegerant præmeditato facinori, ne Londonienſes, ſi Londoniis fuiſſet parliamentum prædictum, ſua auctoritate vel potentia eorum conatus vllatenus impedirent. Sed ipſe cōſilium eorum diſſipauit, qui perdit ſapientum ſapientiam, & prudentiam prudentium reprobat ſolo nutu. Reuera cor archiepiſcopi & ceterorum Epiſcoporum, vt creditur, à domino confortatum & viſitatum eſt, & tam firmiter ſolidatum, vt decernerent inter ſe nihil concedendum, quod in præiudicium Eccleſiæ, vel damnum aliquod redundaret, quorum conſilio maligno non latuit. Quare ipſi verentes pati repulſam cum dedecore, ſe in lucis angelos transformarunt, nihil pro tunc omnium, quæ decreuerant temptaturi, ſed vniuerſa facturi, quæ ipſe archiepiſcopus & ſuffraganei pro tunc vel diſcernerent, vel iuberent. Ne autem omnino nullum damnum inferrent patriæ, hoc egerunt, vt regi de quolibet ſacco lanæ per annum præſentem vna marca à mercatoribus penderetur, & de qualibet argenti libra rerum venalium, quæ de vltramarinis partibus aduehuntur, & ab emptoribus comparantur, ſex denarios Regi perſoluendos cenſuerunt.

Ad

Digitized by Google

Nuntii Papæ noui.

Ad idem parliamentum venerunt ſolemnes ex Italia Papales nuntii, petentes ſuccurri domino Papæ in arcto conſtituto per Regem & magnates, declarantes iniurias & damna, quę idem dominus Papa pertulit inſolentia apoſtatarum cardinalium, qui nitebantur eundem cum vniuerſa Eccleſia ſubuertere & infirmare. Venerunt & nuntii eorundem Cardinalium, afferentes literas decem ſignatas ſigillis, petentes & ipſi auxilium præſtari Cardinalibus, allegantes fortiter pro eiſdem. Sed domino Deo fauente, qui cuncta iuſte diſponit, repulſi ſunt apoſtatici, & admiſſi Papales, promiſſumque ſubſidium domino Papæ gratanter quam cito tempus exigeret oportunum. Cantuarienſis nempe Archiepiſcopus perpendens publicam falſitatem & errorem manifeſtum per ſcripta eorundem, in quo idem Cardinales voluntarie verſabantur, & execrans eorum actus ſceleratos vehementer, ſpiritu Dei ſubito agitatus, cepit hoc thema: Vnus erit paſtor noſter. Nam inuenit in eorum literis electionem factam de illo Apoſtolico, & ita luculenter illorum populo declarauit errorem, & per multa argumenta, & præcipue per eorum dicta propria, vt omnibus conſtaret illorum malitia, & error innoteſcat execrandus. Abierat tunc quidam è Cardinalibus, qui quondam fuerat Ambianenſis Epiſcopus, iuſſu venerandæ memorię Papę Gregorii ſupradicti, ad ſedandum quaſdam diſſentiones apud Pyſas, quæ ortæ fuerant inter Papam & ciues eiuſdem vrbis. Qui audito de morte Papæ Gregorii, & de electione noua facta, tunc quidem ibidem morari decreuit, donec noua reciperet à fratribus aut à Papa. Quod & factum eſt. Sed expoſt in breui apicibus accitus Apoſtolicis, properauit ad curiam mandatis Papalibus paritutus. Poſt cuius aduentum cum nouus Pontifex intraſſet conſiſtorium, cœpit ethice tractare de multis, & inter multa diſputate contra Cardinalium auaritiam, qui fuluo corrupti metallo, aut exœcati pecunia, plus venabantur argentū, quam pacem gentium, ad quā miſſi fuerant inter regna

Cardinalium increpatio à Papa.

repatanda. Ambianenſis autē amplius publice deteſtabatur, & cōdemnauit perfidiā, imponendo ſibi, cum ſæpius miſſus fuiſſet à Papa Gregorio prædeceſſore ſuo, vt quoquomodo pacem inter Angliæ & Francię regna firmaret, & ipſe inæſtimabiles auri & argenti ſummas pro labore ſui itineris iuſſu Papæ de vtroque regno cepiſſet, omiſſo ſuæ legationis officio, non curauit paci prouidere regnorum, ſed potius elaborauit, vt diſſentiones & odia continuarentur inter Reges diutius, vt dum ipſe ſæpius deſcenderet taliter ſub vmbra firmandæ concordiæ, rediretque multotiens, infecto negotio, ſuo prouideret vberius infando marſupio de male quæſita pecunia releuata de Chriſti patrimonio vtroque regno ſophiſtice ſpoliato. Ambianenſis vero his auditis, in furore mentis erexit ſe cum indicibili faſtu, & in propatulo extento digito domi-

Furioſa reſponſio à Cardinale domino Papæ.

no Papę hæc verba furioſe reſpondit. Tu (inquit) tanquam Barrenſis mentiris. Et mox relicto conſiſtorio cum contumelia receſſit à conſpectu Papali. Quem illico ſecuti ſunt plures è Cardinalibus, qui parti ſuæ fauebant, vel conſimilia ſcelera obligabant. Quos omnes dominus Papa confeſtim ſuis priuauit titulis, & alios ordinauit numero viginti nouem diuerſorum regnorum, homines excellentiorum dignitatum, vtpote Archiepiſcopos, Epiſcopos, Archidiaconos, inter quos & Londonienſem de regno Angliæ cenſuit eligendum. Cardinales igitur Apoſtatici guerram aperte contra Papam auſi ſunt ſuſcitare, & ipſum & ſibi fauentes perſequi vſque ad diuiſionem corporis & ſpiritus ſtatuerunt. Et vt eorum conatus ampliora ſortirentur robora, eligunt quendam altis ortum natalibus in Papam ex Gallia, qui ipſi Francorum Regi & pluribus ex Franciæ magnatibus linea cōſanguinitatis erat iunctus: amplius autem ad diffiduciandum dominum Papam hanc eidem epiſtolam plenam minis & terroribus tranſmiſerunt.

Epiſtola erronea Cardinalium apoſtatarum.

Epiſcopi, præſbyteri, & diaconi, cardinales Apoſtolica ſede vacante, Bartholomæo quondam Archiepiſcopo Barrenſi ſpiritum conſilii ſanioris. Exigit ſanctitas, & catholicæ fidei puritas, & Chriſtiani populi deuotio ſalutaris, totiuſque Eccleſiæ ſtatus clara profeſſio ac ſalus animarum Chriſti fidelium ſingularis, vt ea quæ diſſimulatam in fide maculam, ſubuerſionem in Chriſticola populo, ſtatus Eccleſiaſtici eneruationem, ac euidentia animarum pericula inducerent, palam notificentur omnibus, & annuncientur in populis, & iuxta doctrinam Euangelicam ſuper tecta prædicentur, ne per indiſcretum ſilentium in errore relinquantur hi qui poterant erudiri, ac hii ad quos ex officio pertinet ſubiaceant reprehenſioni Prophetæ, dicentis: Prophetæ & prædicatores tui videbant tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Cum igitur Apoſtolica ſede vacante, per obitum piæ recordationis domini Gregorii Papæ vndecimi, qui menſe Martio proximo

præ-

præterito in vrbe diem clauſit extremum, nos pro electione futuri Pontificis (vt iuris & moris eſt) celebranda, in conclaui ad hoc in Apoſtolico palatio, in quo idem ſanctę memoriæ dominus Gregorius obierat deputato, conueniſſemus, populus Romanus etiam ad campanæ ſonum congregatus hoſtili more locum totum circundans, ab intus & ab extra totum ferè implens palatium, & cum terrore vehementi minas etiam ſuperaddens, quod niſi elegerimus & ſine mora Romanum vel Italicum, ſtatim incideremur per fruſta. Etiam congruo ſpacio, omnes in quo ſaltem de perſona idonea deliberare poſſemus, penitus nobis ſubtracto contra voluntatem & propoſitum noſtrum ad eligendum Italicum, ſubito & ex abrupto per violentiam & metum corporis coegerunt inuitos. Propter quod ad euitandum mortis duntaxat periculum alias non facturi, vt etiam tunc palam inter nos diximus, te in Papam duximus eligendum, æſtimantes te, cui tam infanda impreſſio, ſicuti & toti clero & populo nota erat, talis eſſe conſcientiæ, quod eam nullatenus acceptares. At tu propriæ ſalutis immemor, omni pura conſcientia procul pulſa, ambitioſus alias, mundani honoris ardore quammaxime inflammatus præſentatione electionis huiuſmodi, ab illis qui à nobis in vrbe remanſerant, etiam per metum extorta contra canonicas ſanctiones in ſcandalum maximum cleri & populi Chriſtiani, ac exempli perniciem electioni huiuſmodi, licet nullæ & inualidæ ipſo iure conſenſiſti. Necnon metu & ipſius metus cauſa adhuc proculdubio perdurante in vrbe intronizatus & coronatus de facto, te in Papam nominaſti. Qui à ſanctis & ſapientibus patribus, & à iure communi apoſtaticus anathematizatus, Antichriſtus, & totius Chriſtianitatis inuaſor ac deſtructor potius & merito nominatis. Nempe igitur cum iſta tua tam nephanda intruſio in Papatum iam ſit diuulgata per orbem, veluti tam notoria, quod iam alicubi celari non poteſt, cum hoc tempore videlicet modicum ante Paſcha factum fuerat, quãdo de vniuerſis partib. Chriſtianitatis maior adeſt populi multitudo in vrbe, quod errores plurimi pullulare inceperunt, & fidelium Chriſtianorũ illaqueari conſcientiæ, tuq; diutius expectatus, & in ſecreto charitatiue admonitus immemor ſalutis propriæ, totum in præcipitium cupiens trahere clerum & populum vniuerſum, ad cor redire non curas: ſed inanem & tranſitoriam mundi gloriam, ſaluti animæ, & aliorum Chriſti fidelium anteponens, animo obſtinato ſatagis ipſum Papatum tyrannide poſſidere, qui per oſtium non intraſti. Nos non valentes præmiſſa ſaluis conſcientiis amplius ſub diſſimulatione tranſire, ad tuam & aliorum Chriſti fidelium notitiam, omnia præmiſſa, licet ipſa tam ſibi, quam penè toti clero & populo exiſtant notoria, deducentes te anathemizatum ac tanquam intruſum ad papatum, nulla electione canonica præcedente, totius Chriſtianitatis inuaſorem, qui caput ipſius Chriſtianitatis inuadere non formidas, deſtructoremque, qui vt ſub tua occupatione tyrannica efficere ſatagis, vt ferè ſacramenta deficiant, & vt Chriſticola populus tanquam vero paſtore carens per abrupta deducatur in deuium. Publicamus & etiam denunciamus te nihilominus exhortantes & obſecrantes, per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, cuius Eccleſiam ſponſam ſuam non erubuiſti inuadere, vt de fine cogites, ad quem te trahit plenitudo dierum, ad Deum & puram conſcientiam dirigas aciem mentis tuæ. Ipſamq; beati Petri ſedem ſanctiſſimam, quam ſine titulo occupas, liberam & vacuam omnino dimittas, inſigniaque deponas Papalia, & ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium, Papatus & Romanæ Eccleſiæ abſtineas indilate, ac alias Deo & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per fructus veræ pœnitentiæ ſatisfacere ſtudeas iuxta poſſe. Quod ſi feceris, gratiam Dei & gloriam mundi, & laudes cleri & populi, ac acerbarum pœnarum per iura canonica tibi impoſitarum ac imponendarum remiſſionem cum vniuerſa diligẽtia mereberis obtinere, aliter indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli, ſanctorumque omnium non immerito incurſurus. Noſque diuinum & humanum conſilium cum Chriſti ſponſa & omnium Chriſtianorum, quorum mater parte proculdubio violatur inuocabimus, aliiſque vtemur remediis per canonicas ſanctiones conceſſas abinde, & antea nullam ſpem de miſericordia habiturus.

Hanc ergo epiſtolam plenam veneno & malitia, idem Cardinales ſchiſmatici doloſe confinxerunt, & eam publice domino Papæ (vt ſupra retulimus) tranſmiſerunt, deſiderantes per eandem commune vulgus & innocentem populum à vero paſtore ſuo fraudulenter auertere, & in fauorem eorum talibus inclinationibus inclinare. Vnde ipſo elaborante qui noſtris gaudet in periculis, & Eccleſiæ lætatur perturbationibus & ꝓcellis inimico homine, qui ſolet puro tritico ſuperſeminare zizaniã, multi

Digitized by Google

ſeducti ipſarum doctrinarum ſequerētur errores in breui ex diſcipulis facti magiſtri, vtpote potentes Francorum cum ipſo eorum rege, & aliis qui non parum nauiculam Petri, ſponſam Chriſti, matrem Chriſtiani populi perturbarunt hoc modo ſuis miniſtris mille artifex viam prouidit, qua deſiderium eorum attulit eis, & non ſunt fraudati à deſiderio ſuo ſaltem pro tempore, quo ſponſus Eccleſiæ Chriſtus Petri nauiculam inter tot fluctuum perturbationes agitati permiſit.

Reſponſio epiſcoporum catholicorum ad litteram pſeudocardinalium.

Vniuerſi Chriſti fideles, ſuo ſacroſancto charactere inſigniti, ſuper firmā petram fidei ſic fundati, vt manutenente domino, & noſtræ ſanctæ fidei irrigante radicem, nullo turbine hereticæ ſeu ſchiſmaticæ perſuaſionis extirpari poterimus aut euerti: Iohanni Epiſcopo Præneſtino, Gulielmo titulo ſancti Stephani in Celio monte, &c. non prout nobis ſcribitis miſeratione diuina ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, immo ſuper vos maledictione fulminante, lupis rapaciſſimis totius gregis Chriſti inuaſoribus, ac vulpibus calidiſſimis vineam domini Sabaoth cupientibus demoliri, non ſalutem ſed languorem, non gaudium ſed mœrorem, & indui ſicut duploide confuſione veſtra. Tenor inſipidus litterarum veſtrarum, quas inſtigante diabolo per omnes & ſingulas Chriſtianitatis prouincias temere deſtinaſtis, corda & intima quæque noſtra ſauciauit, non inquam fidei noſtræ læſione, ſed pia cordis compaſſione de tam horrendo ſcandalo in Eccleſia ſancta Dei nouiter ſuſcitato, veruntamen de vobis per quos ſcandalum venit. Nam pallida facta eſt matris Eccleſiæ facies, pallore nempe turbationis immenſæ, & ex errore ſcelerum veſtrorum à ſeculis inaudito, qui putabimini eſſe legis æmulatores, ſed eſtis ſacrilegi, rubor verecundiæ interdum conſpergitur, dum ex veſtris actibus ſcandaloſis fines totius Chriſtianitatis vtuntur. O veſtra deteſtabilis & infelix ambitio, qui tunicam domini inconſutilem, quam ſors beata veſtræ diſpoſitioni non annuit, ſcindere nititur, & partiri, quæ diuiſionem non patitur, ſed congaudet potius vnitati. Serui nequam, ex ore veſtro iudicandi modum electionis ſummi Pontificis nuper celebratæ nobis per litteras veſtras declaraſtis, dicentes, quod conclaue veſtrum vallauit armatorum indomita multitudo, minas vobis facientes terribiles & lęthales, niſi eligeritis Italicum vel Romanum, nullam tamen certam vobis limitando perſonam ad quam compellerent eligendam.

Manifeſtum eſt igitur, quod perſonam, quam vos conceditis elegiſſe libere & non coacte, & ſic quantum ad perſonam à vobis tunc electam tenemus firmiter, & tenebimus ipſam electionem eſſe & fuiſſe rite & canonice celebratam, & ipſo electo, inthronizato, & coronato tanquam ſacroſanctæ Eccleſiæ vero capiti, & Petri ſucceſſori, & in terris Chriſti vicario fideliter adhæremus, & ipſius monitionibus, & dictis & factis vt veri fideles & catholici humiliter promittimus obedire, veſtram pernicioſam rebellionem & ſacrilegam ac hæreticam cōtumaciam, in exemplum damnabile non trahentes. Deteſtemur inſuper veſtram vecordiam, qui cum in acie eccleſiæ ſitis conſtituti velut pugiles & oppugnatores orthodoxæ fidei, & Eccleſiæ libertatis capellos in capitibus rubeos comportantes, ob ſignum ſtrenuitatis & audaciæ, quod intrepide vſque ad mortem certare pro iuſtitia deberetis, quomodo metus mortis vos inuaſit & vicit, vt perire iuſtitiā fineretis, quomodo qui vos columnas Eccleſiæ nominatis facti eſtis & infirmi & debiles, vt ſuſtinere non poſſetis tectum quin rueret. Numquid affuit ibi Sampſon, qui longe prius obierat. Sed dicetis fortaſſe ad excuſationes in peccatis, quod Petrus petra fidei, & poſt Petrum Chriſtum primum Eccleſiæ fundamentum ad vocem ancillæ hoſtiariæ expaueſcens ipſum Chriſtum deteſtando & iurando negauit. Cuius infirmitatis vos eſtis participes & ſequaces, Genimina viperarum, callidi ſerpentes veneno nutriti, ſi amaram guſtatis herbam, guſtate ſimiliter dulcem & ſuauem. Et poſt capitis veſtri damnabilem negationem redite cum Petro ad confeſſionem. Verum verbum hoc ſeminamus ſuper petram, cum veſtra deteſtabilis obſtinatio, inde proditoris vos efficiat participes & conſortes, cuius iniquitas reſidet ſuper talentum plumbi. Ceterum non exiſtimet veſtra ſtulta cœcitas & cœca ſtultitia, quod illa verba, quæ interdum in veſtris literis videntur ſapere pietatē & zelum domus dei nos cōmoueant, vel quicq̄ vobiſcū cōſentiendo pſuadeant, ſatis enim luculenter perpendimus, quod ipſa verba fermento Phariſæorum conduntur, à quo in Euangelio Chriſtus ſuos cauere præcepit. Locum ergo quem elegiſtis veſtris ſceleribus perpetrandis idoneum vobis nominatis, oſtendentes clare vos verum caput Eccleſiæ reliquiſſe, & effectos membra diaboli in deſertum abiiſſe cum Iuda proditore, vbi voſmetipſos eſtis laqueo ſuſpenſuri, vt de vobis verificetur id Propheticum:

cum:

Digitized by Google

cum: Fiat habitatio eorum deſerta, & in habitaculis eorum non ſit qui inhabitet. Et iterum de ſingulis veſtrum dictum eſt: Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter. Præterea Comitis fundorum claram famam veſtris commendationibus in toto Chriſticola populo denigraſtis, cum dicat Poeta: Idem eſt laudari à turpibus & ob turpia. Animaduerte igitur ſundotum Comes, quod per quamplures Chriſtianorum fines eras incognitus, & eo infelicius præſertim; cum iam tibi non nomen, ſed ignominiam perquiris, inimicos Chriſti, & vnitatis Eccleſiæ diuiſores, ac pacis & tranquillitatis totius Chriſtianitatis turbatores inuitando, eos in ipſorum deteſtabili perfidia confouendo, vt etiam contra Chriſtum & populum catholicum ædificaſſe videatis aſylum. Exurge ergo ô Comes, & mures de pera proiicias, de tabernaculo tuo fuga ſerpentes, & carbones ſulphureos à ſinu tuo excute, ne flamma inextinguibili te exurant, & Dei gratiam & benedictionem totius populi Chriſtiani, gloriam mundi, & commendationem adipiſcetis, & diuinam mereberis effugere vltionem. Dat. &c.

Captio caſtri de Berewico.

Circa idem tempus, videlicet die Iouis proximo ante feſtum S. Andreæ Apoſtoli, latrones de Marchia Regis Scotiæ furtiue intrauerũt caſtrum de Berwico noctanter, per quoddam foramen cuiuſdam turris, & conſtabularium dicti caſtri dominum Robertum de Boynton militem ſtrenuum ibidem imparatum inuenientes occiderunt, vxorem vero eius & filios, ac etiam familiares alios exire permiſerunt, ſub conditione reddendi eiſdem duo millia marcarũ infra tres ſeptimanas ſequentes, vel alias, reddendi eorum corpora cuſtodiæ carcerali. Deinde in craſtino, idem veſpiliones exeuntes patriam conterminam peruagantes, oues & boues, & diuerſi generis animalia rapuerunt, & ad caſtrum pro eorũ victu perduxerunt. Sperabatur autẽ à multis, quod hęc facta ſunt conſilio & fauore procerum regni Scotorũ. His auditis, dominus comes Northumbrorum animoſe ad obſidẽdum dictos male factores aduolat, & abſq; mora (adunatis quaſi 400. armatis) inſultum facit ad caſtrum, deterrens incluſos inſuper cum petrariis & aliis machinis bellicis per longam moram. Collocauerat autem idem Comes ſemetipſum & filium ſuum primogenitum Henricum, qui primo tunc ſuum vexillum diſplicuit, ad magnam portam ipſius caſtelli. Dominum vero Alanum de Heton, cum ſuis ad aliam partem, dominum Thomam de Ilderton cum ſuis ad aliam partem, & vniuerſos de familia de Herones ad quartam partem. Et adiutorio altiſſimi inuocato, inſultum fecere vnanimiter quilibet in ſua cuſtodia contra muros. Nec defuit incluſis animus, quin fortiter & viriliter repellerent Anglos inſiſtentes contra eos, & arcerent eos ab ingreſſu amplius quam per duas horas. Tandem poſt magnum longumque conflictum, fortuna noſtratibus arridente, captum eſt caſtrum miraculoſe quidem, quum omnes quos diximus reſediſſe in circuitu eius, domini ſimul & ſemel intrauerunt, quilibet videlicet in ea parte quam ceperat expugnandam. Occiſi ſunt ex Anglicis tantum duo, & plurimi vulnerati. Ex Scotis vero ad numerum quadraginta & octo contriti ſunt gladioque conſumpti, vno tantummodo ad vitam reſeruato, qui Scotorum conſilia ediceret noſtræ genti: ſicque operarii iniquitatis ceciderunt (fauente Deo) in foueam quam fecerunt, & pene omnes malefactores Marchię contriti ſunt ſuperbia ſua repente, qui putabant ex hoc vno ſucceſſu Anglis exterminium irrogaſſe. Cum vtique primo eorum irruptio in dictum caſtellum Comiti Northumbrorum nunciata fuiſſet, miſit ad Comitem de Dunbare, qui eſt cuſtos Marchię ex parte Scotorum, inquirens, ſi eius conſcientia vel conſilio fuiſſent treugæ taliter violatæ, & hæc omnia perpetrata. Qui affirmauit, ſe nullo modo horum conſcium extitiſſe, nec iſtam iniuriam præſciuiſſe, quinimmo promiſit, ſe velle communiter cum Comite Northumbriæ ad locum properare, & quantum in ipſo foret auxilium impendere ad extorquendum ipſum caſtrum de manibus perfidorum. Veniens autem iuxta condictum, requiſiuit eos virtute treugarum, vt redderent caſtrum (quod iniuſte occupauerant) Regi Angliæ vel Comiti Northumbriæ, ſeu attornato Regis. Qui more gentis eorum reſponderunt tam breuiter quam procaciter, ſe nullatenus regi Angliæ caſtrum illud, nec regi Scotiæ redditutos, quinimmo ſeruarent illud vſibus regis Franciæ contra omnes homines quamdiu viuerent, quod & opere compleuerunt. Nam octo diebus ſeruantes illud, nono die (vt prædicitur) gladio perierunt.

De diſſentione inter regem & Britones.

Rex Francorum eiſdem diebus coacto parliamento Pariſius, proceres Britanniæ qui adfuerant, iurare compulit ad reddẽdum villas munitas & caſtella quæ habebant in manibus, ſibi vel eius aſſignato, quandocunque placeret eidem regi petere ab

eiſdem. Nolentes autem quoſdam ſe aſtringere huiuſmodi iuramento, mortis intermination e deterruit,& iurare coegit multos. Britanni vero poſt dictum Parliamentum feſtinantes ad propria,munierunt ſua loca, comportantes frumentum & cetera neceſſaria ad inſtaurãdum caſtella ſua. Rex autem Franciæ paulo poſt miſit Bertrandum Cleykin cum exercitu copioſo, ad extorquendum præfatas munitiones de manibus Brytannorum,& imponendũ Francos ſuos. Sed Britones non ignari de aduentu eorum reſtiterunt eis viriliter, arcentes eos à finibus Britanniæ cum armata manu valida,& retrocedere compulerunt. Et hac occaſione facta eſt diſſentio inter Regem Franciæ & Britannos. Tranſit annus iſte lætus & habundus victualibus: Eccleſiæ perturbatus propter errores excreſcentes in clero: Triſtis propter mortem Papę Gregorii, Angliæ, Franciæ, atque Scotiæ: Britanniæ ſuſpectus, moleſtus,& inquietus, propter motus varios & euentus.

Annalis concluſio.

Anno dominicæ incarnationis milleſimo treceenteſimo ſeptuageſimo nono, qui eſt annus regni regis Richardi ſecundi poſt conqueſtum ſecundus, eodem anno dominus Robertus Rous, miles egregius,& cuſtos villę de Scherbourgh, poſtquam Gallicos pluries infeſtaſſet,& cepiſſet Oliuerum fratrem Bertrandi Cleykin,& alia multa regno Angliæ feciſſet vtilia, reuerſus eſt in Angliam, & miſſus eſt ad cuſtodiam illius loci dominus Iohannes Herleſton.

Hugo Caluerlee à Caleſia reuocatur.

Dominus Hugo Caluerlee per idem tempus vocatus eſt à Caleſia, quam ſtrenue cuſtodierat, ad totius Angliæ commodum & honorem, & factus eſt Admiralius maris. Et dominus Thom. Percy aſſociatus eſt ei ad obſeruandũ ſemitas maris per vnum annum. Dominus Wilhelmus de Monte acuto comes Sarum miſſus eſt Caleſiam loco Hugonis Caluerlee, qui non modicum poſt aduentũ ſuum prædas egit infra Galliam,& inſtaurauit Caleſiam de non parua multitudine diuerſi generis animalium & iumentorum.

Acta Hugonis Caluerlee & Tho Percy in mari.

Eodem tempore dominus Hugo Caluerle,& dominus Thomas Percy profecti ſunt ad mare cum magna multitudine armatorum, qui Britannicum perſcrutantes Oceanum, obuiauerunt ſeptem nauibus onerariis, & vni naui bellicæ, onuſtis vino, quas leui negotio ſubactas ceperunt, & Briſtollium tranſmiſerunt. Quum autem circa littus maris Armorici perueniſſent, exierunt de hominibus dictorum Hugonis & Thomæ ad deprædandum patriam conuicinam. Quidam vero miles nomine Galfridus Cornel in inſidiis deliteſcens, cum magna manu bellicorum hominum irruit in eos improuiſos inſidiarum talium, & cepit quotquot aſcenderant ſuper terram. Mandauerat tamen ſuis ne cuiquam nocerent ex ipſis, ſed captos illæſos omnino ſeruarent. Quod & factum eſt. Igitur dominus Galfridus ſumens homines, quos iure belli ceperat, properauit ad dominum Hugonem Caluerlee ſub conductu,& reddidit ſine redemptione homines ſupradictos, promittens, ſi idem dominus Hugo vellet in regionem aſcendere, multum placeret dominis & habitatorib. ipſius terræ, & quod ipſi parati fuerunt ad liberandum ſibi villas munitas & caſtella, ſi tamen vellet morari ad regionis cuſtodiam. Obtulit inſuper idem Galfridus nomine principum regionis ſibi victualia,& mille equos exercitui ſuo, ſi placeret ei per patriam equitare. Sed idem dominus Hugo, quoad equitationem vel moram excuſans ſe, dixit aliud ſe habere opus conſummandum, quod ſuſceperat, nec poſſe vacare pro tunc vllo modo, ad ſatisfaciendum votis eorum.

Archiepiſcopus Caſſilienſis.

Sub eiſdem diebus venit à Roma Archiepiſcopus Caſſilienſis Hibernicus, qui illuc miſſus fuerat vrgentibus quibuſdam cauſis, reportans magnam poteſtatem ligandi & ſoluendi indultam ſibi ab Apoſtolico. Cum autem veniſſet Londonias, habito ſermone ad populum, denuntiauit Regem Franciæ, & quotquot Antipapæ adhærebant inuolutos excommunicationis ſententia, aſſeuerans etiam iam Angliæ fore tempus acceptabile tam in cauſa Regis Angliæ, ad inuadendum regnum Franciæ, præſertim cum eſſet veriſimile, quod Rex anathematizatus non haberet fiduciam reſiſtendi.

Proclamatio contra Papam.

Circa idem tempus Rex Franciæ fecit proclamari per vniuerſum regnum ſuum, quod nullus pareret vel obediret Vrbano Papæ. Quod ſi aliquis attemptaret, decollandum ſe noſceret,& omnia bona ſua regiis vſibus confiſcanda.

Parliamentum Londini.

Eodem anno factum eſt parliamentum Londoniis, in quo fuit ordinatum, quod immunitates & priuilegia Eccleſiæ Weſtmon. illibata manerent, ſed appoſita eſt modificatio ſatis rationabilis, atque vtilis ſuper impunitate illorum, qui pro debito illuc eſſent de cetero fugituri. Nam cum prius quidam quibus erat ſuperabundans ſubſtan-

Digitized by Google

ſtantia ad reddendum, quibus obligantur debita, ſcrupuloſam ſibi formantes conſcientiam, illud fugerunt, ibidē lætos ducentes dies in cōmeſſarionibus & conuiuationibus, quorum bona ſeu poſſeſſiones eadem gaudebant immunitate vbicunq; locorum ſiti eſſent, qua ipſorum domini exiſtētes, intra libertatem Weſtmonaſterii fruebantur, ac per hoc nonnunquam hi, quibus debebantur pecuniæ defraudabantur nequiter & depauperabantur, dum eorum debitores commorántes ibidem, vel omnino recuſabant ſoluere, quæ debebant, vel quibus debebant, dimidium pro toto recipere compellebant, & ita (vt diximus) ſemper pars iuſtior iniuſte grauabatur. Statutum eſt, vt Eccleſia, quæ iuſta debet vniuerſa diſponere, iuſtitiæ non præiudicet, ſed ſicut illa ſuis debet gaudere priuilegiis, ita debet omnem iuſtitiam adimplere. Quapropter ordinatum eſt, vt pro debito confugientes ad libertatem Weſtmona. ſi actor hoc expetierit præconis voce, facta proclamatione in loco, vbi eſt veriſimile, quod talis proclamatio debet venire ad audientiam debitorum, moneantur parere iuſtitiæ. Quod ſi noluerint, extunc liceat miniſtris regiis inueſtigari bona debitorum, vel intrare poſſeſſiones eorundem, & venditionem facere de bonis ſeu poſſeſſionibus talium, donec plene creditoribus perſoluatur. Item conniuentibus quibuſdam, qui ſemper aliquid incommodi nuntiabant, ordinata eſt noua taxa ad opus regis, parcendum enim decreuere communibus, qui exactionibus præteritis pene depreſſi fuerant. Duces videlicet Lancaſtriæ & Britanniæ ſoluerent viginti marcas, ſcilicet quilibet eorum decem marcas, Archiepiſcopi vero tantum. Comites autem ſex marcas, Epiſcopi quoque & abbates mitrati tantum, non obſtante quod Abbates tenerentur ſoluere pro ſingulis capitibus monachorum ſuorū 40. denar. In quo de certo patet maniſeſtius eos bono modico caruiſſe, qui talia ſtatuere, dum quilibet pauperrimus abbas pro cornibus ſuis teneretur ſoluere tantum, ſicut ditiſſimus Comitum vel Epiſcoporum, & vltra pro monachis ſuis, donec excederet taxam dictam. Nullus præterea iuſtitiarius, vicecomes, miles, vel armiger, rector, vicarius, vel ſimplex capellanus ſubterfugier hanc taxam, ſed ſi habitura ſit euentus ſordida præda bonos, Deus nouit.

Hoc anno poſt Paſcha domini Vrbani Papæ milites cum Romanorum & Italicorum exercitu inierunt bellum aduerſus Antipapę exercitum, qui dicit ſe Clementem, & aduerſus Britones, qui omnino fauebāt eidem: & ceſſit noſtris victoria fauente Deo. *Bellū Papæ contra antipapam.* Occiſiq; ſunt ex antipapalibus quinque millia, ſiue plures, ex communibus exercitus & campi milites ſexaginta, cum eorum campi ductore Bernardo Delſale. Quod audiens, non Clemens, ſed pene demens factus antipapa, concito fugit, ad quoddam caſtrum reginæ Neapolis, quod vocatur ſpelunca, ibidem latitans, & in terra Comitis ſundorum, donec furtiue tranſuectus eſt à ſchiſmaticis Auinion. Sperabat nimirum in vmbra alarum Regis Franciæ, quem nouit parti ſuæ fauere, & idcirco illum locum pro maiori ſecuritate cenſuit expetendum. O deteſtanda, prophana, damnanda, non ignorātia ſed malitia huius regis, qui non ignorat quam iniuſtus, quam inualidus, quam vilis ſit titulus huius pſeudopapæ, & tamen non ſolum in perniciem animæ ſuæ, ſed multorum damnationem & interitum, & totius Eccleſiæ ſubmerſionem nititur tale idolum adorare, colere & exaltare. Conſtabat vtiq; ſibi, quod non intrauit per oſtium, ſed aſcendit aliunde, videlicet per maceriam, & ideo damnabilis eius fauor omnibus fidelibus eſſe videtur. Suſceperat equidem epulas eiuſdem poſt electionem Vrbani Papę de eius electione concordi, de eius intronizatione, ſolio, & aliis, quæ verum Petri ſucceſſorem decerent, vnde nihil aliud videtur facere, niſi talibus conſentire, qui dicunt verum falſum, & falſum verum. Audierat inſuper, ſicut nec eum latere poterat, epiſtolas quas idem de greſſu Vrbani Papæ ſuo conſanguineo Comiti Flandriæ direxerat, quibus eum verbis commendauerat, quorum (effectum etſi non omnino) tenorem dicā, vt per hæc eius malitia clarius fidelibus eluceſcat. Erat ſiquidem hic antipapa (vt præmiſimus) Comitis Flandriæ conſanguineus, vir & nobilitate generis præclarus, & ſcientia literarum non minus ſpectabilis, ſi genus & ſcientia ac perfidia minime maculaſſet. Hic igitur mox, vt Vrbanus Papa Pontificatum eſt ingreſſus, adhęſit eidem familiarius ceteris, vnde & eius conſiliis ſpecialius eſt accitus. Quod & compertum eſt comiti Flandriæ memorato, gaaiſus eſt, quaſi per ipſum multa eſſet apud Papam facturus & impetraturus. Nec ſecus accidit quam ſperabat. Nam conſeſtim ad ipſum ſuas deſtinauit epiſtolas oneratas precibus & promiſſis, vt quendam clericum ſui comitatus, Præpoſitum videlicet Sancti Donati transferre laboraret ad Epiſcopatum Mormenſem, ac quendam

Papa facile annuit comiti Flãdrenſi.

alium clericum de ſua familia in Præpoſitum ſancti Donati faceret promoueri. Quibus acceptis, ſtatim Cardinalis reſpectu tanti viri conſanguinei ſui, domino Papæ eius petitiones curauit exponere, nec ſegnius à Papa quæ petierat impetrauit. Expeditus igitur pro ſuæ voluntatis arbitrio Flandrenſis petitionibus, confeſtim remiſit eidem ſuas literas, nuntians & ſuas petitiones auditas, & quam benignum dominum Papam repererat erga ſuam perſonã, commemorans etiã multa de ſanctitate Papæ & iuſtitia, vnde precabatur obnixius, vt & ipſe Comes eſſet amicus eius, quem ſenſerat inprimis ſuis petitionib. ſibi tam fauorabilem, ac inſuper in ſuis literis curaret eidem Papæ ipſum Cardinalem ſpecialiter recommendare. Quę omnia idem Comes adimpleuit. Expoſt vero cum ipſe Cardinalis & ceteri de collegio, quibus Eccleſiæ perturbatio complacebat, viderent Vrbanum Papam vt ſummum Pontificem per omnia condecenter agere, contra auaritiam ipſorum diſputare, aduerſus iniuſtitias decertare, & in omnes Simoniacos intrepide terribiliter fulminare, pœnituit eos feciſſe hominem. Augebat inſuper furorem eorum, quod proteſtatus fuerat ſe iuſtitiam facturum inter virum & virum, & maxime inter Reges Francorum & Anglorum, per quorum pene diſcordias tota Chriſtianitas detrimentum accepit. Fauebãt nimirum Regi Francorum, eius illecti muneribus, vnde & metuebant ne aliquid ſalubriter ſtatueret contra eum, per quod vel eorum minueretur commodum, vel eorum opinio penes Regem. His itaq; & hiis ſimilibus cauſis deſciuerant ab eo quaſi vir vnus, & iſtum de quo ſit ſermo ad inſtar Baal, quod interpretatur vanitas, erigentes ſtatuerunt ſimulacrum ſuum, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, & procidentes curuauerunt genua ſua ante Baal. Relicti ſunt tamen viri aliquot, viri iuſti, timentes dominum ex collegio Cardinalium, qui non incuruati ſunt ante eum, ſed cum Vrbano in vnitate Eccleſiæ permanſerunt. Ex quibus præmiſſis (vt dixeram) manifeſte clareſcit, quantum periculum ſuo capiti Rex Francorum aggerauit, qui hæc omnia ſciens, ſed diſſimulans, nitebatur viribus & ſubſtantia totam Chriſtianitatem trahere in errotis abyſſum.

Vrbanus Papa iuſtitiæ deditus.

Cardinales deſciſcunt à Papa.

Deditio caſtelli ſancti Angeli.

Cum hęc ita ſe haberent, arridere cæpit aliqualis aura ſerenior domino Vrbano Papæ populoque Romano, Domino auferente opprobrium ex Iſrael, & conterente portas æreas & vectes ferreos confringente. Portas, inquam, & vectes munitiſſimi caſtelli, videlicet ſancti Angeli, quod fuerat eis ſpina in oculo, in latere ſtimulus, quamdiu antepapales, Britanni videlicet, illud municipium occuparunt. Britanni tenere ad eius cuſtodiam mox initio diſſidii inter Papam & Cardinales deſtinati, illud viriliter munierunt, bellicoſe gubernarunt, & ſtrenue ſeruauerunt, adeo autem, vt ignominiam Romani populi redundaret, quicquid meditati ſunt, quicquid machinati ſunt, quicquid denique operte compleuerunt. Romanorum namq; bona diripientes in caſtellum comportarunt, loca vicina deuaſtarunt, & obiecta quæq;, ſcilicet domos, & palatia, q̃ eis nullo modo eſſe poſſunt impedimento, machinis, trabiculis miſſilibus, & petrariis conquaſſarunt. Erat ibidem cernere (neſcio vtrum magis miſerandum an dolendum) ſpectaculum, populum cuius patribus nulla ciuitas, nulla prouincia, nullum regnũ, deniq; nec totus mundus quandoque reſiſtere potuit, tam propriis finibus ita arctari, ita vexari ab eo, reprobabiliter deturbari à facie medioeris caſtri, vt pene omnem ſpem amitteret reſiſtendi, propriis vtiq; diffidens viribus, quendam Anglicum militem Iohannem Hawkwode in Italiæ & Lumbardiæ partibus cum non parua manu militum & armatorum militantem vocandum, vel potius multa pecunia coemendum ad ſuum auxilium peroptimum fore putauit. Sed Britones, qui in caſtello erant, cum hæc audiſſent, tutius rati ſunt ſe occulte domino Papę reddere, quam eius aduentum in ſui perniciem expectare. Conſtabat namq; eis Romanos ſicut à malitia veterum & probitate exciderant, ſic à clementia & pietate, quæ ſemper antiquos Romanos victores comitari ſolebant. Et reuera Romani moderni crudeliſſimi viri ſunt, & nulla pietate præditi, pręcipue penes eos, quos armis ſubiugare cótingit. Hac ergo cauſa pcipue coacti ſunt Britones occulte cũ domino Papa componere, vt ſaluis corporibus, tamen illæſi permitterentur abire. Dominus vero Papa, vt vir pacificus eorum petitionibus adquieuit. Redditum eſt itaque caſtrum domino Papæ, ſed occulte & in nocte, ne forte venirent Romani, & tollerent ipſum locum & gentem. Conſtabat autem domino Papæ, Romanos nullis eorum petitionibus inclinandos, nullis precibus fore flectendos, & ideo dimiſit eos occulte propter metum, qui oderunt eos. Numerus quidem eorum, qui caſtrum ita tenuerant, qui Romanos veluti aſpis in ſinu afflixerant, vix excreuit ad ſeptuaginta quinq;, vnde & eos maiori

Romanorum mores.

odio

Digitized by Google

odio perſtringebant, cum videbant à tam paucis eorum poſſe contundi ſuperbiam, & ipſos Romanos amplior rubor confuſionis inuaſit. Quare (vt diximus) nullo modo ſaluti eorum conſenſiſſent, ſi dominus Papa pro liberatione eorum Romanorum arbitrium expectaſſet. Britonibus itaque de caſtello egreſſis, & papalibus iuxta condictum immiſſis, per totam noctem aurum & argentum, vaſa concupiſcibilia, & vniuerſaque vſui Papæ prodeſſent fecit Dominus Papa ad ſuum palacium comportari. Illucente craſtino, ſenatus populuſque Romanus cum comperiſſent deditionem caſtelli, occurrit ilico cum ſecuribus, ligonibus, & omnis generis inſtrumẽtis ad diruendum caſtellum, in vltionem tanti opprobrii accepti per Britones caſtellanos. Confractum eſt itaque caſtellum in ipſa die, & dirutum pro magna parte, & ita Romani de viſibili materia crudelem quodammodo cepere vindictam.

Acre certamen inter Anglicos & Gallicos apud Scherburgh pro victualibus.

Eodem anno ſtipendiarii qui erant cum domino Iohanne Harleſton apud Scherburg, & maxime hii qui remanſerant poſt receſſum domini Roberti le Rous, verſi in ſeditionem duxerunt hanc multitudinem, præſertim cum gallici omnes penè aditus, omnes vias concluſerint, per quas ſpes victus eſſe poſſit. Dominus Iohannes vero eorum neceſſitudinibus compaſſus, eorum lenire cupiens amaritudinem, dixit ad eos. Cernitis commilitones me eadem neceſſitate, preſſum vobiſcum comitet qua vos vrgeri doletis. Et quid eſt quod vltra facere vobis debeam, decernite quid me vultis facere pro ſalute veſtra, paratum me habebitis ſiue ad vitam ſiue ad mortem: cui illi: Eſt hic (inquiunt) non procul Eccleſia & quoddam molendinum, in quæ hoſtes noſtri ſua victualia comportarunt, tranſeamus illuc inſtructis armis, & experiamur ſi forte nobis arrideat fortuna ſerenior. Melius eſt enim & honorificentius nobis mori fortiter, quam fame & inædia cum dedecore deperire. Applaudit ille dictis eorum, & nocte ſequenti accinguntur ad iter: ad loca ergo prædicta perueniunt, ſed ea Gallicis repleta reperiunt. Nec mora, inſultum dant acerrimum ad vtrunque locum, & fit vtrinq; magnus ſtrepitus, hinc Anglicis certantibus pro communi victu, illinc Gallicis eos viriliter propellentibus, pro cuſtodia vtrarumque rerum, victus videlicet atque vitæ. Ibi videres in Anglicis non per ſpeculum vel enigma, ſed facie tenus, quid fames imperat, quid inedia ſtimulat, dum noſtrates potius læthale ferrũ hoſtium appetunt, ſaxa libenter ſubeunt, muros alacriter (ſed periculoſe) inuadunt, quã famis incommoda ſeipſos tollerare permittunt. Quid multa? pro victu inſtatur audacius, pugnatur ardentius, occupant famelici ſaturatos, Anglici Gallicos, & captiuos accipiunt pro libito iure belli, redeunt onuſti ſpoliis, gaudent victoria affectata. Sed non diu perſeuerat iſta iocunditas, non longum tenet Vua comas, nec Populus vmbras, nam in ipſo itinere obuios habent quoſdam ex Gallicis qui bellum eis indicunt, aut captiuitatem omnibus repromittunt. Turbantur Anglici à facie verborum eorum, Gallici redeunt ad ipſos qui miſerunt eos. Nec mora, apparent Anglicis qui delituerant in inſidiis Gallici, vnde noſtrates certiores effecti de pugna, parant ſe ad glorioſe viuendum aut fortiter moriendum, inſtituunt acies, turmas diſponunt iuxta diſciplinam militaris ordinis, præponunt ſagittarios, ſtabiliunt pedites, & ipſi qui equites fuerant pedites efficiuntur. Gallici ergo videntes apparatum talem, & ipſi ſe parant & mutuis exhortationibus ſe confortant. Deinde venitur ad pugnam, manus conſerunt. Sed Gallici multo noſtratibus fortiores, primo impetu noſtros retrocedere vi compellunt. Interim architenentes noſtris præſidio fiunt, dum denſo ſagittarum imbre Francos obnubilant, dum plures vulnerant, & Plutoni commendant. Nec tamen cedunt Gallici, ſed inſtant animoſius, pugnant alacrius, mortem ſi contingat ſubire pro gloria reputantes. Fit itaque perſonantium grandis tumultus inuicem ſe collidentium, gladiorum galearumque tinnitus, vnde non mediocriter animantur partes ad res bellicas magis ſtrenue peragendas ibidem. Dominus Iohannes Harleſton Anglorum ductor & capitaneus primus, vel vnus è primis Francos inuadens fortiter, concidens horribiliter, proſternens immiſericorditer, & ipſe à multitudine eorum ſe circundantium ſicut apes opprimitur, ſolo tenus deiicitur, pedibus & hominum & equorum conteritur, & ibidem relinquitur ſemiuiuus. Illic cernendũ Anglorum animoſitatem & fidẽ, qui cum ſuum ita deiectum cernerent campiductorem, non cedere, non fugere demum, nec mente concidere, ſed audacius & fiducialius mortem contemnentes, in campo proſtrare didicerunt. Dum hæc agũtur, & Bellona pro parte Francorum deſæuiret, dominus Galfridus Worſelee, miles & manu promptus & bello ſtrenuus, quem noſtrates ex induſtria ad ſuccurrendum (ſi neceſſitas vrgeret) reliquerant, improuiſe cum turma ſua ſuperuenit, duriſſimis armata

Fama vit.

Bellum inter Anglos & Gallicos.

Io. Harleſton comprimitur.

ſecuribus,& Gallorum ſtationem petit,ipſoſq; inuadit,diſſipat & proſternit. Omnes itaque qui conuenerant Anglici cum eodem,viri fortes,ſcientes bellum, eleuatis ſecuribus Gallicos mactant vt pecudes,dum nullus ictus effectu careret, nullus feriendo laboraret in vanum. Quicunque hoſtem vno ictu percuſſerat,non opus erat vt ſecundum adderet. Cernere erat ibidem fortiſſimas galeas à viris fortibus omnino diſſectas, nonnullas autem ita colliſas,vt omnino vel conquaſſato capite, vel contrito, vnum latus adhæreret alteri,nulla arte leuandum, nulla ratione reformandum ſine diſſolutione totius operis. Affuit etiam & alia turba garcionum & aliorum, qui ad cuſtodiam equorum remanſerant, & ad ſarcinas, quæ videns iam ſtatum belli ex parte Francorum aliqualiter inclinatum, ſumpta audacia, & aſſumptis inſtrumentis, vel quæ de propriis habere poterant vel quæ de cadentibus Francis extorſerant, repente ex aduerſo ſuper Gallicos irruunt, & eos duplici contritione conterendo, dum hii iſtac cedunt. Illuc vt diximus Dominus Galfridus memoratus & ſui ſæuiunt, diſſipationem adducunt,& violenter, immo turbulenter ad deditionem compellunt, occiſis primitus pluſquam centum viginti, & captis pene priſonibus ad numerum ſupradictum. Facta eſt igitur in illa die magna ſalus in gente Anglorum, & collaudabant dominum omnipotentem, cui non eſt difficile ſaluare in paucis æque vt in multis. Et reuerſi ſunt ad municipium cum magna gloria & ſpoliis multis, digni per omnia quibus dicatur, Vos eſtis qui feciſtis ſalutem in Iſrael, & abſtuliſtis opprobrium de gente.

Angli victores fiunt.

Flandrenſes perfidi pro crudelitate in Anglos pœnas luunt.

Eodem anno circa feſtum Natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ manifeſtata eſt hominum malitia doloſe diligentium,& conſequenter Deo volente in doloſos iuſta animaduerſione vindicatum. Malitia quidem hominum impiorum ficte loquẽtium, hominum perfidorum Flandrenſium, qui more Samaritanorum Iudæos quondam colentium inter proſpera, perſequentium inter aduerſa, Anglicos viciſſim & amant, & odiunt varietate temporum. Hi ſiquidem & Anglos colunt & diligunt dum conſtat eos eſſe ſuperiores, aduerſis fortiores hoſtibus, fortunatiores aduerſantibus, ſolito ditiores, ac contra, cum cernunt eis aduerſa conſurgere, prępualentes hoſtes inſurgere, miſerias creſcere, ærumnas augeri, negant conſilium, negant auxilium, negant fiduciam, negant notitiam, & poſtremo ipſi efficiuntur eiſdem cunctis hoſtibus ſæuiores: patuit hoc non ſemel aut iterum, ſiue tertio, ſed puto infinities, ſi ab origine gentis eiuſdem retexere cuncta fas ſit. Patet in præſenti tempore quod noſtris damnis ſentimus, effectualiter cernimus. Enimuero cum dominus Hugo Caluerlee, & dominus Thomas Percy ad cuſtodiam maris deſtinati fuiſſent, obuia fuit eis bargia quædam Cornubiæ, de Villa de Foiwaye, quæ tam tranſacto tempore à rege ſibi deputato ad maris cuſtodiam ante ingreſſum dictorum militum Hugonis & Thomæ, conſumptis ſtipendiis domum redire parabat. Quam cum cognouiſſent idem milites, & cauſam ipſius reditus petierunt, & qui in ea erant cum eodem vaſe reuerterentur cum eis, promittens ſe interim quoſdam ex ſuis Angliam remiſſuros pro eorum ſtipendio renouando. Ipſi vero propriis ceſſurum commodis arbitrantes, ſi quid ex hoſtium manubiis leniter lucrari valerent, negant ſe pro tunc redituros, ſed potius ducunt ſe nauigaturos ad propria, & poſtea nouis victualibus, nouis vtenſilibus, nouo robore reuerſuros. Quid multa? velificant ipſi verſus patriam. Milites cum ſuis ad maris cuſtodiam & tutelam, cum voluceri curſu ſemoti eſſent procul ab inuicem, & vtriſque viſus & cognitio ablatus, obuiam habent Cornubienſes quandam nauem Flandrenſem, armatis onuſtam, perfidis repletam, crudelibus refertam, impiis oneratam. Qui cernentes bargiam ſolam, & cognoſcentes noſtrum nauigium in alias partes conceſſiſſe operi conſueto dantes operam, fide profligata, pietate repulſa, ſumpta audacia, in noſtros arma conuertunt: ſed & noſtrates cernentes rem agi pro capitibus, & ipſi ſe parant ad viriliter reſiſtendum. Fit igitur conflictus atrociſſimus, noſtris pro rebus & vita certantibus, Flandrenſibus contra laborantibus, ne eorum in hac parte perdatur dolus & falſitas, ſi non contingat eos ſuperiores exiſtere ſeu victores. Sed quid pauci contra multos, feſſi contra fortes valerent, ſiquidem noſtri diutina maris experti incommoda, eis erant impares, qui & plures erant, & minime fluctibus fatigati. Ceſſit ergo victoria hominibus inhumanis, trucibus & cruentis. Reuera bargiam occupantes, occidunt, proſternunt & demergunt noſtros, nulli parcentes, nulli deferentes, nullum denique quem ſors eorum crudelitati obtulit reſeruantes. Occiſis randem (vt arbitrabantur) omnibus, bargiam profundo commendant, vt videlicet eorum fraudulentia, doloſitas, & doloſa fraudulentia Anglicis fieret manifeſta: ſu-

ta:ſuperfuit tamen quidam garcio ex eadem bargia, qui dum inſtantiſſime vtrinque pugnaretur, cernens noſtros perdendos, tranſierat in nauem Flandrenſium, deſcendenſq; in ſentinam ibidem latuit, nulli cognitus donec idem Flandrenſes portũ Anglicum attigiſſent. Hic ergo per tres dies ſine victu perſeuerans dum audiſſet Flandrenſes Anglicis colloquentes, & ydioma ſuorũ agnouiſſet, repente ſurrexit ex profundo nauis, fidem & ſuffragium Anglorum clamitans magna voce, accurrunt Anglici, turbantur Flandrenſes, nulli tamen rei veritas erat nota, ſed demum inualeſcente clamore res innotuit Anglicis ſicut erat. Et mox Flandrenſes capti ſunt & carceribus deſtinati, recepturi pro facinoribus mercedem dignam. Nauis autem & bona eorum regiis ſunt vſibus confiſcata.

Flandrenſium pirata capta in Anglia.

Sed Anglis nunquam damna ſola veniunt quin potius multiplicata cõcurrunt. Accidit Anglis eodem anno graue diſpendium & toti inſulæ deplorandum. Nam vir armipotens & bellicoſus, prudens & ſtrenuus, Iohannes Clerke, ſocius & collega ſtrenuiſſimi militis domini Hugonis de Caluerlee, dum in Armoricam Britanniam conceſſiſſet, & moraretur in caſtello ibidem, quædam galea portum intrauit dicti caſtelli tanquam naues eiuſdem incenſura. Videntes autem hoc qui cum eodem Iohanne erant, mox armati ad vaſa concurrunt, & ipſi defenſuri naues ab incendiis vel rapinis. Dictus autem Iohannes (cui nunquam defuit quod ducem deceret) cernens ſuos ita grauiter pro rerum defenſione concurrere, & ipſe leuiter armatus deſcendit, accurrit nauem, ingreditur, aſſerens ſe velle fortunæ ſuorum fore ſocium, ſiue aduerſa futura eſſet ſiue ſecunda. Qui vero in galea erant, cernentes rem pro votis accedere, noſtros ſcilicet perſequi incircumſpecte, quaſi in meticuloſe fugiendo noſtros laceſcunt iaculis & miſſilibus donec venirent ad introitum ipſius portus. Et egreſſis vtriſque, illis ficte fugientibus, noſtris cum ardore ſequentibus, mox noſtri proditos ſe ſenſerunt. Nam repente ſe inter quinque galeas qui in inſidiis delituerant conſpexerunt. Quid tunc noſtri facerent, quo ſe verterent dubitabant. Tum ſubito Iohannes memoratus ſumpta audacia velut gigas fertur in hoſtes, hos proſternens, iſtos repellens, vt ipſe ſolus contra tot ſufficere videretur. Mirantur & hoſtes animoſitatem hominis & audaciam, & in ipſum ſolum vires, mentes, odium, arma, conuertunt. Interim quidam ex ſuis eius hortatu portum reintrant, eius protecti præſidio, forti defenſi brachio, ſaluati periculo. Ipſe tandem cernens omnes ſuos poſſe ſaluari, eos qui in eius naui erant ducit ante eum, ipſe murus pro illis effectus contra hoſtes, dum illi terram attingunt, nec prius ſatageret, donec omnes ſuos cerneret ſaluos & incolumes terram pręoccupaſſe ante eum. Demum cum ille nauem relinquere vellet, ſaltando de naui, cuiuſdam ſecuri percuſſus in femore corruit & illico captus eſt. Factum eſt vtique femur eius illo ictu & tibia fere à corpore ſeparata, vir ſpectatæ bonitatis & audaciæ, poſteris multarum peroptime rerum à ſeipſo geſtarum monumenta relinquens.

Iohannes Clerk miles ſtrenuus in femore percuſſus corruit.

Ad malorum autem cumulum amiſſa eſt eodem tempore & nobilis bargia Eboraci, quæ dum nimis inconſulte galeas inuaderet, repente circumuallata vndique à multitudine galearum, capitur à viris eorundem, ſed male gauiſi ſunt hoſtes tanto lucro, nam mox vt barbari eam intraſſent quodammodo, & ſuis & noſtris quos captiuos iam tenebant eſſet impleta, ſubito & inſperato petiit profundum maris abyſſi, & demerſa eſt cum vniuerſis Anglicis atque Barbaris qui in eam conceſſerant, rebuſq; omnibus quas comportarant in eam perditis, cum manus conſererent noſtrates, & hoſtes in profundo eiuſdem, quod latuit tam noſtros quam hoſtes, donec effectualiter diſpendia vitæ ſentirent, ſubmerſione præfata.

Bargia quadam Eboraci vna cũ hominibus ſubmerſa.

Sub eiſdem diebus dux Armoricæ Britanniæ (quem pręximus vocatum à ſuis ad recipiendum ducatum ſuum, à quo velut eiectus fuerat) multis annis ſuſceptis obſidibus & ſufficiente ſecuritate transfretauit ad ſua, applicuitque ad portum iuxta ſanctum Maloum pridie nonas Auguſti. Cui occurrentes domini milites, armigeri, mercatores, ciues pene præ gaudio viſionis domini ſui naturalis, ſemetipſos inter ſe capere non valebant, tanta erat vniuerſis hilaritas, omnibus in commune gaudium & iocunditas, vt cernentes certatim ipſos populi principes ſplendidiſſime armatos, indumentis præcioſiſſimis circuamictos, præ deſiderio videndi, recipiendi, honorandi, quem eorum anima diligebat, ſua ornamenta velut viliſſima quæque contemnere, & ſe maris fluctibus præcipitanter ingerere, & ad nauem deuote in qua dux eorum dominus erat accedere, ac in ipſis Neptuni gurgitibus prout poterant genua flectere, quibuſdam cum honorem aduentanti certant impendere pelagi fluen-

Dux Armoricæ Britanniæ à ſuis honorifice ſuſceptus.

fluentis ad genua, nonnullis ad pectora, pleriſque ad mentum vſque totaliter madefactis. Inter alios occurrerunt ei ad eundem portum de villa de Dimiam, dominus Carolus de Dimiam, dominus de Mountafillan: Item dominus de Beaumaueris, dominus Petrus Turnemeyne, dominus de Hannaday: Item vicecomes de Dimiam, capitaneus de Dimiam & de Selidort: Item dominus de ſancto Gyell, dominus de Ferris, dominus de Pleſiers, dominus de Mountaban, & plures alii milites, quorum nomina ſcribere ſuperſedi: venerunt & armigeri innumerabili numero cum eiſdem vſque ad numerum vt vſu vulgari loquar ccc. ſexaginta lancearum. Septimo die Auguſti venit ad eum conſtabularius de Reynes, & plures aliĩ ad numerum .60. lancearum. Octauo die Auguſti venit ad eũ dominus de la Vale, dominus Caſteló, dominus de Mounford, & plures alii milites & armigeri nonaginta lancearum. Decimo die Auguſti venit ad eum vicecomes de Rone, quondam fortiſſimus & infeſtiſſimus inimicus ſibi, cum quo venerunt alii plures milites & armigeri ducatus ſui vſque ad numerum quadringentarum lancearum. Qui omnes eum vt eorum dominum naturalem & legitimum honorauerunt, recognouerunt ac ſuſceperunt, & pacem ſecũdum eius arbitrium cum eo fecerunt. Reperitque idem dux (quod mirum dictu eſt) poſt ipſius patriæ tot diſſidia, tot bellorum choruſca fulgura, tot hoſtium direptiones, & veſpilionum furta publica, quæ iugiter per multos annos pertulerat ipſa regio, omnem domus ſuæ ſuppellectilem & theſaurum, omnia denique bona quæ poſſederat relinquens patriam, adeo intacta & integra, ac ſi ipſe perſonaliter ea cum omni virtute ſua & robore conſeruaſſet. Tanta itaque conſtantia arſerant populares in amore domini, tanta fide viguerant in amore principis, tanta perſeuerantia perſtiterant in amore ducis, vt prius, vt citius, vt potius paterentur propria in direptionem & prędã dari, quam quicquid minueretur de hiis quæ apud eos reliquerat eorum dominus naturalis. Tributum inſuper regionis quod ſoliti fuerant in pace colligere vſibus ſui ducis, etiam in vaſtitate hoſtili colligi fecerunt, & ad ſecurum locum comportari, vt quandocunque adueniſſet ad tractandum eos in manſuetudine & lenitate vt accidit, theſauros tam inſperatos quam inæſtimabiles repeririſſet. Dux autem omnia iſta conſiderans præter ſpem eueniſſe, indicibili repletus gaudio, gratias agit Deo, qui quando vult, transfert & mutat regiones & regna, & quibus vult ea tribuit. Et interim cum tempus miſerandi eius aduenerit, reſtituit ea timentibus nomen eius. Deinde plebi pro incredibili fide & gratitudine quam in eis inuenit regratiatur vberrime, promittens ſe de cætero eis, non vt tirannus aut hoſtis, pręfuturum cum fauore, ſed vt pius princeps cum iuſtitia & amore.

Memorabile factum domini Hugonis Caluerlee.

Nec obliuioni eſſe tradendum æſtimo factum notabile, factum non minus laudabile quam memorabile illius virtutum & fortitudinum exemplar, illius pręfulgentis ſpeculi militaris domini Hugonis Caluerlee, qui tamen ſua ſapientia, animoſitate & virtute ipſum ducem ſeruauit à deriſionibus hoſtium, & inſuper commune vulgus quod ſequebatur apparatus aulæ, ſeu cameræ Theſauros publicos & priuatos, arma bellica, vaſa aurea & argentea, omnemque ducis ſuppellectilem defendit à rapinis & inuaſionibus barbarorum. Cum autem vt præfatus dux Britanniæ & dominus Thomas Percye cæterique maiores portum præoccupaſſent, ſimulque cum eis dominus Hugo memoratus, nec eum naues onerare quæ victualia vehebant, & cætera quæ prædiximus portum attigiſſent, non enim poterant omnes ſimul intrare, quia portus arctus eſt & periculoſus, ecce repente veſpiliones Gallici ſimul cum Hiſpanis vecti galeis aduolant, rati cuncta ſibi ceſſura pro votis, cum naues noſtræ quæ iam portum tenebant, reuerti non poterant ad ferenda pręſidia, duplici vt eis viſum eſt de cauſa, quia videlicet & aura erat eis contraria & malitia loci ſuſpecta. Nec mora, conſuetis adhibitis inſtrumentis, miſſilibus ſcilicet, quæ vulgus gunnas vocant, terribiliter feriunt & conquaſſant ipſam claſſem, & adeo conſtanter inuadunt, vt omnis ſpes liberationis earum & ipſis & illis qui iam terram tenebant eſſet adempta. Vidit hæc dominus Hugo Caluerlee, & ingemuit, & concaluit cor eius intra ſe, & oblitus totius periculi, imperat nauclero vt conuertat nauem in qua erat ad hoſtes, quoniam inquit pudendum eſt nos affici incommodo duplici, videre noſtros cum noſtris deperire, & auxilium ferre non poſſe. Citius deberemus mortem amplecti quam tam probroſe damna talia cum cachinnis hoſtium ſuſtinere. Ne igitur dicãt nos noſtratibus vel noluiſſe, vel auſos non fuiſſe in tantis periculis tuliſſe ſolacium: ſentiant quid Deus valeat, ſentiant & nobis animos non deeſſe. Diutius vero reluctanti nauclero, & impoſſibilitatem prætendenti reuertendi ad noſtros, & pericula commemoranti quæ paſſuri

ni eſſent ſi forte reuerterentur, comminatus eſt pœnas niſi laboraret reuerti, ſicque ctum eſt vt cum maxima difficultate reuertendo penetrarent ad hoſtes. Quo um perueniſſent, mox dominus Hugo & ipſe ſua preparat inſtrumenta, & ſagittariis mperat vt iam demonſtrent hoſtibus, quid manus, quid brachia, quid arcus, quid tela ſua præualent. Ipſi vero non ſegniter iuſſis eius parent, & tam animoſe, tam denſe ſagittas in hoſtes emittunt, vt tempeſtas grandinis deſcendere conſueuit in ortu primi veris. Igitur nullus locus, nullus angulus ſagitta volante tectus erat, quin vbicunque locorum conceſſerant hoſtes vel læderentur, vel configerentur, vt ſaltem per ſagittas impedirentur à cæptis, ſicque dum ſagittarii eminus, gladiatores noſtri non cominus prælıantes, parata eſt via & occaſio nauibus onerariis euadendi. Nec prius deſtitit Hugo quoaduſque omnes prędictas naues tutam ſtationem cepiſſe viderat. Tūc demum & ipſe inſequitur hoſtes viriliter à ſua rate perturbans, qui eum inſecuti fuerant & eorum conatus tam vi quam aſtu deludens, donec & ipſe cum ſuis portum ſalutis teintraſſet. Viderant hæc omnia vna parte Britones cum ſuo duce, qui ob facta fortia eiuſdem Hugonis & Anglorum qui cum eo fuerant, in tantum amorem eorum exarſerunt, quod vitam & animam pro eis ponere, ſi neceſſitas hoc exigeret, cum iuramento dulce reputarent: ſed & ipſe dux vix vnquam à gratiarum actione ceſſabat, nunc Dei collaudans virtutem & gratiam, nunc Hugonem extollens & magnificans, quaſi per eum ex inope factus fuiſſet opulentus, quippe qui opes & ſubſtantiam turpiter & cum dedecore perdidiſſet, niſi iam Hugonis animoſitas, ſtrenuitas atque probitas opem tuliſſet. Stabant ex aduerſo in muris & turribus villæ ſancti Maloi Gallici cum eorum Capitaneo Bertrando Cleykyn, quin & ipſi non minus quam Britones viri auſus laudantes & facta, afficiebantur ibidem, timentes (vt aſſolet vulgus) caſum aut captionem viri quem diligit, & quanquam hoſtes exiſterent, tamen pro eius incolumitate dominum præcabantur. Ipſe inſuper Bertrandus Cleykin publice proteſtatus eſt ſe maluiſſe omnes Gallicos illo conflictu deperiiſſe, quam quicquam aduerſi tantus vir pertuliſſet, quibus laudibus ipſe vir dignus haberur, qui & ſuis ſalutem, per hoſtium detrimenta tulit, & tamen pro virtute ſua hoſtium promeruit laudem & fauorem. Profecto noſtris temporibus non eſt inuentus in ordine militari ſimilis illi qui conſeruaret legem excelſi, & idcirco reor omnia hæc ſibi contigiſſe præter ſolitum, vt cognoſcant poſteri quantum erga Deum deuotio, erga ſanctos affectio, erga matrem Eccleſiam veneratio, ac poſtremum erga cultum iuſticiæ feruor & dilectio valeant obtinere. Nullus quippe vt verum fateor, eo virum magis ſanctitati deditum, orationibus aut Eleemoſinis aſſuetum noſtro tempore facile reperiſſet.

Eodem tempore quidam nobilis & prædiues mercator Ianuenſis veniens in Angliam & pluries commoda regi regnoq; promittens ſi rex dignaretur permittere eum apud Hampton caſtellum de nouo conſtructum occupare & ibidem ſua mercimonia recondere, repente interemptus eſt à mercatoribus Anglicanis, magno detrimento plebis & regni, nam promiſerat, & effectualiter compleuiſſet (vt dicebatur) ſi conſecutus fuiſſet vota ſua, & vita priuatus ſubito non fuiſſet, eo prouexiſſe portum Hamptonum, q̄ nullus portus in his occiduis Europæ partibus æquiperari potuiſſet eidem. Reuera quicquid ex orientalibus regionibus per mercatores Ianuenſes, Flandriæ, Normanniæ, Britanniæ Armoricæ ſolebat inferri ante, noſtris temporibus & regionibus fuiſſet allatum. Et ita conſequenter compulſi fuiſſent ab Angligenis exteri ſuas merces requirere, à quibus ipſi nō ſine magno periculo ſuas diuitias petere conſueuerunt, ſed tantis commoditatibus obuia fuit noſtrorum malitia, nimis licēter efferata eſt in virum innocentem & molientem noſtra commoda. Mercatores ſiquidem ſuis ceſſura damnis arbitrātes quæcunq; in hac parte publico proficerent incremento, vt ferunt hominē nihil doli ſuſpicantem noctu repente circumuentum Londoniæ, in platea publica ante fores obtruncant hoſpitii ſui, per quoſdam conductos ad illud facinus exequendū. Sicq; noſtrorum deteſtanda malitia nec minus execrabilis auaricia nobis inimicitias peperit amicorum, Ianuenſium videlicet & aliarum nationum quæ in circuitu noſtro ſunt, & paucorum perfidia ſuſpectam reddidit fidem omniū incolarum. Quis enim externus audebit ſe fidei noſtræ committere cui tanta infidelitas ſiue inhumana crudelitas nota erit? Quis non timebit noſtras verſutias & abhominabitur nomen noſtrū? Et ſuper hæc omnia metuendus eſt dominus quē tam proterue noſtris peccatis offendimus, cuius mandata adeo infinite deſpicimus, vt nō iam negligenter quidem delinquimus, ſed tanquam ſerui qui ſciunt domini voluntatem

Diues quidam mercator Ianuēſis à mercatoribus Anglicanis inuidioſè peremptus.

tatem

tatem & non faciunt, voluntarie ſuis legibus conrraimus. Seimus enim eum comminando præcepiſſe: Innocentem & iuſtum non interficies, ſed nihili pendit mandata diuina auara cupiditas, & legis naturalis ſcita refugit ambitio mundialis, plus valet apud inhumanos homines lucrum remporalis ſubſtantiæ quam charitas vel affectio ſocialis vitæ, quæ nos generaliter fratres efficit. Timendum eſt igitur ne nobis iratus eſt dominus, vt vltionem ſubitæ necis comminando dicens improperet: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, & maledicta terra in opere tuo, quæ aperuit os ſuum & ſuſcepit ſanguinis frarris tui. Quis aurem frater carnalis vnquam maiora commoda fratribus ſuis elaborauit inferre, quam iſte noſtratibus machinarus eſt? reuera diecbatur, quod librum piperis pro quaruor denariis vendidiſſet, & ita conſequenter de ſingulis faciendo generibus ſpecierum, quod profecto tractu temporis indicibile emolumentum incolis peperiſſet.

Magna peſtis in partibus Borealibus, Scotiq; tunc partes illas innadentes.

Eodem anno tempore æſtiuali tanta peſtis exorta eſt in partibus borealibus ex iniquo ſydere, quanta nunquam antea viſa fuit, adeo namque inualuit ipſi ipſa mortalitas, vt pene totam patriam de probatiſſimis viris ſubito ſpoliaret, & de mediocribus (quid dicendum) euacuauit quamlibet fere domum, vt penitus ſola remaneret, familias ampliſſimas abſorbendo deleuit, non vſque ad vnum, ſed vſque quo nullum ſuperſtitem derelinqueret. Sed hæc perpauca ſunt reſpectu eorum quæ ſequuntur. Enimuero in tantum aggrauata eſt manus domini ſuper eos, vr villas & oppida olim viris bellieis, prudentibus & prædiuitibus, ac ipſis colonis refertiſſima, ſuis habitatoribus deſtituerat & in ſolitudinem redigeret & deſertum. Er ſuper omnia, Scoti vt paret humani generis inimici, non compati tot Chriſtianorum mortibus, non condolere tot calamitatibus didicerunt gentis miſeræ, poſtremo nec manum domini tam vicinam eis vereri ſciuerunt, ſed inhumaniores bruris, efferatiores feris, iſtud rempus accommodatum eorum erudelitati putantes, in gentem morbo & peſte tabeſcente efferari, quos dominus percuſſerar perſecuti ſunt, & dolorem vulnerum eorum addiderunt, percutientes in ore gladii viros bello aptos, quos non dum morbus aut peſtis infecerat, & plurimorum amputatis capitibus, veſano ſpiritu agirati, ipſa capita ad inuicem pede percutere & repercutere ad modum cum pila ludentium non horrebāt. Et cum nullum rot malis obuianrem, nullum reſiſtentem conſpicerent, exinde audaciores effecti vniuerſa ſibi licere putantes, patriam peruagantur, villas prędantur, diuitias aſportant, fugant beſtias coram eis & iumenra, in tantum vr ipſos greges porcorum coram ipſis abigerent, quod animalium genus nullus ante Scotorum abducete prætemptauit. Cum autem patriæ pręmeditati fuiſſenr direptionem, antequam ingrederentur regionem illam, accitis quibuſdam ex ineolis ſoliciti ſcitati ſunt cur ipſis rantum tanta peſtis acciderat plus quam Scotis aut aliis gentibus conuicinis. Qui ſimpliciter reſponderunt ſe neſcire cauſam tantæ mortalitatis, quippe quibus occulta fuere diuina iudicia: ſed vnum conſtanter affirmabant, quod omnis calamitas, omnis mortalitas, demum omnis aduerſitas quæ eis acciderant, ex ſpeciali Dei gratia contingebant: quandoque propter peccata ſua vt luerent in hac vita commiſſa nepharie, & malis operibus dediti timore mortis deſiſterent ab inceptis: aliquando propter exercitium iuſtorum, vt maiorem fidem in Deo habeant, quemadmodum ſcriptum eſt, Iuſti & timebunt & ſperabunt in domino: & aliquoties propter multas cauſas occultas quas non expedit vobis ſcire. Cum vero Scoti aut ab incolis peſtem eis illatam Dei gratia trepidauerunt timore vbi nō erat timor, ſaltem talis qualem aſſumpſeranr ſatis beſtialiter, vnde ingreſſuri terram, & poſtquam ingreſſi ſunt eam quotidie mane, ſignauerunt ſe tali benedictione ab ipſis magna deliberatione compoſita, & multū neceſſaria vt eis viſum fuit. Senior igitur vel maior natu inter ipſos taliter inchoauit, Benedicite, & reſpondebatur Dominus: deinde maior proſecutus eſt, Deus & ſanctus Kyntegernus, ſanctus Romanus & ſanctus Andreas ſeruent nos hodie à diuina gratia, & fœda morte qua Anglici moriuntur. Et poſt iſtam benedictionem ſe ſatis protectos ſatiſque munitos putabant à cunctis malis caſibus quæ ſuperuenire valebant, quæ benedictio multo ridiculoſius ſonar in ipſorum ydiomate quam lingua latina, & propterea illam in præſenti loco ſcribere dignum puto, nam iſto modo ſonat: *Gode and S. Mango ſaint Romayn, and ſainct Andrew, ſchield vs this day fro Goddis grace, and the foule death that Engliſch men dien vpon.* Sperandum eſt ergo etſi non in præſenti, in futuro tamen precum ſuarū conſequēter effectum, & inhumanitatis crudelitatē quam exercuerunt in populū humiliarum ſub flagello Dei, peſte videl. laborante, digna cōpenſatione perſentient, lento namq; greſſu progreditur diuina ſeueritas, ſed tarditatem iræ grauitate pœnæ compenſat.

Cur Deus affligat.

Scotorum imprecatio.

Eodem

Digitized by Google

Eodem tempore intercurrentibus perſonis grauibus qui multum de iniuria irrogata perſonis dudum in Eccleſia Weſtm. videlicet Roberto Haule & Iohanni Schakel pie iuſteq; doluerant, reddita eſt pax & libertas Iohanni Schakel, quem ſupra docuimus irreuerenter extractum de eadem eccleſia, & ad turrim Londini tractum, ibidemque carcere mancipatum. Conuenit ſiquidem inter dominum regē, & ipſum depoſtulantibus viris venerabilibus, vt Iohannes Schakel captiuum ſuum filium comitis de Deua, qui iam nuper defuncto Papa & ipſe hæreditarie comes effectus eſt, domino regi publicaret, non dum enim ſciebant quis aut qualis eſſet, vel vbi moram traxerat ita diu. Et præterea ordinatum eſt, vt dominus rex daret eidem Iohanni pro poſſeſſione prædicti captiui, terras ad valorem centum marcarum per annum, & in pecunia quingentas marcas, & quod dominus rex de bonis regiis fundaret vnam cātariam pro animabus eorum, quos eius miniſtri in eccleſia ſupradicta peremerant de quinq; ſacerdotibus perpetuis temporibus duraturam, firmatis iſtis conditionibus, regi captiuus redditur, & Iohannes Schakel priſtinæ libertati. Iuſſus autem exhibere captiuum, cunctis admirantibus miniſtrum ſuum obtulit, qui ei aſtiterat, & more valecti ſeruierat in omni tribulatione ſua, & ante perſecutionem quæ ſibi illata fuerat in carcere, & extra carcerem, & ita fideliter ſibi adhæſerat, vt non potuiſſet agnoſci ita impenſe miniſtrauerat, vt putari conductitius ſuus famulus merito potuiſſet. Erat cernere inter Anglos ibidem confuſionem magnam, & verecundiam de tanta viri fide, dum quiſque non haberet in ſumma tranquillitate, quod ipſum in maxima perturbatione & regni totius commotione habuiſſe conſpiceret, omnibus inter ſe quærentibus quiſnam ex ipſis inueniri potuiſſet ſimilis, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, vt honorificus dominus habitus à rege fuiſſe regnique proceribus, & omnia reſpectu fidei quam magiſtris ſuis debuit contempſiſſe, ac demum in ipſa perſecutione ſuis magiſtris illata pene caput ſuum intuitu fidelitatis ipſis gladiis poſuiſſe. O conſtantia iuuenis prędicanda, quæ licet poſita inter preſſuras perſequentium, nulla tamen varietate fortunæ frangi potuit, quo minus inueniretur perfecte ſtabilis inter aſpera, ſecurus inter dubia, fide cernens nil aduerſa. Anglice quiſquis es, qui pecunia corruptus aut aliis donis illectus perditionem patriæ tuæ moliris, reſpice ſpeculum huius externi, fidem ſcilicet huius viri, qui non Anglicus, non indigena, ſed quodam iure hoſtis & alienigena, & ita tamen, ita proterue, ita pertinaciter fidem ſeruat, iuramentum obſeruat quo magiſtris ſuis, vt ita dicam, ſe adiunxerat, quod pauper & inops, & ſeruus miſeriæ magiſtrorum infidelitate plus eligit effici, quam in fidei læſione ſemetipſum prodendo, damno magiſtrorum in rege regniq; proceribus iuxta cōditionem ſui generis in abundantia, iocis, ac diuitiis gloriari. Hæc idcirco ſcripſi, vt pudeat Anglos præſentes & futuros proditionis infamia, qui reſpectu huius Hiſpani in promptu habent fidei non fictæ ſed perfectæ ſpeculum, & diſcant quanta laus & gloria fide & probitate perquiritur, & è contra quam pudenda recordatio, quam fœda memoria ſequitur proditores.

Iohannes Schakell libertati priſtinæ reſtitutus.

Hiſpani miranda fidelitas.

Sub eiſdem pene diebus, Comes Flandriæ, dum nouas conſuetudines à ſuis cōmunibus, dum nouas exactiones exquirit, dum noua onera minus prudenter imponit, dum inſueta contra ſuorum libertates inquirit, cum omni domo ſua, vniuerſa familia, totoque conſilio de terra ſua vi communium eſt expulſus. Et mox exercitus plebis cito deligitur viginti millium & eo amplius virorum de communitate, electorum ad cuſtodiendum fines patriæ ab incurſu fauentium comiti, ſuo videlicet domino naturali, & ad obſidendum & capiendum eundem comitem, ſi perſiſtendum inceptis putaret. Interim vt aſſolet fiunt direptiones & prędæ bonorum comitis ſibique fauentium, incendia prædiorum, mortes famulantium, & cuncta quæ vel odio perſonarum geri ſolent, vel vindicta victorum ſenſit damni partem. Waleranus comes Sancti Pauli, qui per idem tempus ad partes illas conceſſerat ad muniendum caſtra ſua in illis partibus conſtituta. Cum comperiſſent eum fauere parti comitis, mox ad quoddam eius manerium vniuerſi ſe transferunt in ſpiritu furoris & iracundiæ, & totum illud prædium, quod in ædificiis & pulchritudine omnia comitatus excedebat, prędia ſolo complanant, non relinquentes tignum ſuper parietem, aut lapidem ſuper lapidem, vt omnibus luceret clarius illos in corde & ex corde odio perſequi dominum ſuum comitem, & omnes qui ei familiaritate aliqua iungebantur. Cum igitur elapſis iam multis diebus, comes cerneret eos in ſua perſeuerare pertinacia, & prius mori velle quam conſuetudines ſuas auitas amittere, & ipſe pertæſus damni quod patriæ inferebatur medio tempore, mittit ad eos qui eorum palparent animos

Comes Flandriæ dum nouas à ſuis communibus exigit conſuetudines, expulſus eſt.

mos ſi forte interim flexi fuiſſent, vel labore militiæ aut expenſarum nimietate animo concidiſſent. Sed vbi didicit eos nullo modo deflexos, nullis laboribus fatigatos, decernit deſcendere ſuorum voluntati. Et idcirco renunciauit illis ſe fore paratum ad præſidendum eis vt dominus placidus, ſed ſi ipſi in cæteris modo conſueto ſibi ſubmittant. Ipſi vero nequaquam ſe ſubiiciendos renunciant, niſi omne conſilium remoueatur ab ipſo, & recipere ſolum velit conſiliarios ex communis vulgi decreto, & inſuper vt tradat in manus plebis ipſos qui huiuſmodi perturbationis ſeu commotionis cauſa fuere. Comes igitur nullam aliam viam cernens ad recuperandum eius dominium, licet inuitus adiudicauit fieri petitionem eorum, & ita poſtremo eſt ſuo comitatui reſtitutus.

Edmundus Brūfielde fraudulenter agit in acquiſitione Abbathiæ Sancti Edmūdi.

Per idem tempus venit à curia Romana Edmundus Brumfield monachus eccleſiæ ſancti Edmundi de Burgo, afferens ſecum bullas, in quibus dono & prouiſione domini Papæ aſſeuerauit ſe Abbatem & paſtorem ipſius eccleſiæ confirmatum. Iſte ſiquidem Edmundus promotus ex ſubſtantia illius Monaſterii vſque ad ſummum gradum, quotiens à ſtudio reuocabatur ad Monaſterium, ſemper contentioſus & ſeminator diſcordiarum & odii concitator extiterat inter fratres, vnde fratres illius loci fatigati ſæpe per ipſum, cum conſilio domini Iohannis Bryuele, patris tunc & paſtoris eorum, decreuerunt quouis pacto aut per fas aut per nefas deliberari à perſona ſua, ne videlicet vna ouis morbida totum gregem ipſius Monaſterii contaminaret, & vt illorum propoſitum cautius & ſecretius ac ſine fratrum, vel loci aut ipſius Edmundi ſcandalo ſortiri valeret effectum, offerunt ſibi officium procuratoris domus illorum, vt vadens ad Romanam curiam, ibidem pro eccleſiæ neceſſitatibus iugiter moraretur, ac ſic per conſequens domus illa ſua præſentia vacuaretur, & fraterna quies ſuis ſimultatibus impoſterum minime turbaretur. Sed antequam hoc negotium eum exequi, aut ab eis recedere permiſerunt, cogitantes plerunque quod cœli diuerſa facies, vel externa regio non mutant conditiones quorundam, nec poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, exegerunt ab illo iuramentum de non acquirendo aliquo beneficio ipſius domus, & de non procurando, quod in ipſius eccleſiæ cederet præiudicium quouiſmodo. Quod & iurauit, facto coram eis publico ſacramento. Poſtea vero præſidentibus capituli generalis id procurantibus, impoſitum eſt ei onus procuratoris generalis totius nigri ordinis, & vt fauorabilius acceptaretur à ſummo pontifice, litteras commendatorias (quanquam aliqualiter contra conſcientias) tam præſidentium, quam ſuæ domus, accepit ad Papam, quæ poſtea magno detrimento domus ſuæ fuere, vt inferius declarabo. Cum ergo Romam veniſſet, & ibidem longam moram traxiſſet, nec aſſecutus ab Apoſtolico vllum fuiſſet beneficium, tandem audiuit D. Iohannem Bruole quondam Abbatem ſuum diem clauiſſe ſupremum, & putans iam tempus oportunum arriſiſſe ſibi ſit ad procurandum & conſequendum quod diu mente conceperat, acceſſit ad quendam aduocatum, ſed filium qui tamen morabatur in curia, & vocabatur magiſter Iohannes Shipdam, & promiſit ei magnam ſummam pecuniæ annue ſi id efficeret, vt abbas de Burgo quoquo pacto creari poſſet. Et ſi contingeret eum in hoc negotio minime expedire, procuraret ſibi aliquem ex vacantibus Epiſcopatibus, aut ſi hoc non poſſet aſſequi, prioratum de Derhurſt obtinere laboraret eidem, habiturus pro labore ſuo pro quolibet annuatim vnam ſummam ex eis. Dictus vero Iohannes, quoſdam è Cardinalibus qui nunquam aurum reſpuunt ad partem ſuam traxit, vt ipſorum interuentu, & fauore Edmundi prædicti negotia efficatius expediret, ſecurus ergo de ipſorum Cardinalium adiutorio, proponit coram domino Papa cauſam Edmundi, aſſerens eum verum electum capituli & omnium fratrum vocis optatum ad eccleſiæ eidem præeſſendum. Dominus vero Papa conſiderans malitiam ipſius temporis, & ſui aduerſarii antipapæ quotidianum incrementum, & ſperans Edmundum magno adiutorio ſibi adfuturum ſi abbas efficeretur ibidem, de facili inclinatus ad confirmandum, vel ſi electio rite celebrata non fuiſſet, ad gratis dandum ipſi Edmundo beneficium ſupradictum. Quid multa? conſequitur Edmundo dono & fauore Papæ imaginarium appetitum, & ad repatriandum cum bullis ſuis ſe præparat toto niſu.

Fratres vero de Bury poſt mortem ſtatim Abbatis ſui ad electionem conuenerunt, & vnanimi conſenſu eligerunt in Abbatem dominum Iohannem virum idoneum de Tymworth, domus ſuæ ſuppriorem & ordinis zelatorem. Qui audientes Edmundum eos taliter præueniſſe, mox feſtinarunt duos Monachos ad Roma-

nam

nam tranſmittere curiam, ad certificandum dominum Papam de falſa ſuggeſtione Edmundi, & ad petendum confirmationem ipſorum electi. Deferunt ergo ſecum litteras regias, & plurimorum dominorum ſupplicatorias pro confirmatione electi, & Edmundi depoſitione. Sed Papa pro tunc plus fauens Edmundo quam monachis, permiſit eoſdem ibi damnoſam trahere diu moram. Interea Edmundus cogitans quod mora trahit periculum, & ſemper nocuit differre peractis, properat ad burgam ſancti Edmundi, & ibidem aliciens ſibi vicinos de patria, in breui magnum exercitum in partem ſuam traxit. Stipatus igitur multis aſſentatoribus publicari fecit in parochialibus eccleſiis ſuas bullas, vt fieri ſolet in talibus. Plebs auida ſemper ac cupida nouorum, ſuis credit aſſertionibus & fauet honori, maxime quia patriota fuerat & vicinus eis. Videns autem Edmundus principia ſibi ceſſiſſe pro votis, ſperat cœlos miſcere terris, & ſpiritum carni coniungere, & clauſtrum foro, monachos ſcilicet, conflare laicis, & vnum ſerere in vtriſque. Intrat ergo capitulum cum turba multa, mittens notarios qui inuitarent monachos ad capitulum, ex parte domini Papæ, ad audiendum ſub pœna inobedientiæ eiuſdem mandata. Simpliciores vero fratres timentes hanc notam, capitulum intrauerunt. Alii quoque qui pericula mente librauerunt & incommoda quæ monaſterio poſſent emergere per talem prouiſionem, à turba ſe & capitulo ſubtraxerunt. Edmundus igitur in capitulo reſidens, de facili traxit in partem ſuam fratres qui aderant, partim timore cenſuræ, partim affectione, partim dominandi cupidine, præcipue quos amor adminiſtrationum temporalium detinebat. Erant idcirco poſt expreſſata negotia ſua, & poſtquam vidit partem fauere, nouos obedientiarios ſtatuit, & deponit antiquos, ſed & electum eorum dominum Iohannem de Tymworth reſtituit officio ſuperioris, ſi tamen idem electus præcedentium electioni & mandatis eius parendum. Dehinc cum illa parte conuentus quæ conuenerat ad capitulum & eius ſuaſioni acquieuerat intrat Eccleſiam, & arreptis pontificalibus ornamentis, Miſſam ſolemniter celebrat more abbatis loci, agens diem ſolennem in condenſis, non tamen vſque ad cornu altaris, ſed vſque ad ipſas menſas & conuiuium, magna vtique ſexus vtriuſque frequentia atque plauſu, ſed non diu iſtud gaudium durat, quin perturbatio atque luctus eius extrema occupat. Nam paulo poſt regales tam milites quam armigeri cum lictoribus ad burgum conueniunt, & Edmundum ſine magna difficultate ſecum ducunt ad reſpondendum regi ſuper præmiſſis. Egreſſus autem cum illo Edmundo pars conuentus quæ ſibi fauebat, ſecuti ſunt illum monachi circa decem & octo, cumque ad Weſtmonaſterium perueniſſet, requiſitus eſt à Cancellario domino Richardo Scrob milite, cur ſine licentia regia Abbathiam de Burgo ſancti Edmundi intrare, & vices ibidem agere præſumpſiſſet. Quo reſpondente ſe tanquam legitimum paſtorem intraſſe ouile proprium, vt & ouibus ſuis infectis peſte præſtaret ſolatia, & morbidis ſalutifera procuraret remedia. Subintulit Cancellarius, puto te (inquit) in ipſo loco nec ægras oues, nec ſanas poſſidere, præſertim cum ſine conniuentia regia, imo contra ius regium, & approbatas regni conſuetudines, non vt paſtor, ſed nec vt mercenarius tantum, ſed vt lupus potius ſubintraſti. Et ideo ſcire te debes, & omnes tui ſimiles læſæ maieſtatis Regiæ tanquam proditores arcendos & carceribus mancipandos, præcipue propter ſtatutum parliamentale æditum. 22. anno Edwardi regis vltimi, quod docet omnes tales vel decapitandos vel carceribus detrudendos. Decernimus ergo te ad turrim Londoniarum mittendum & ibidem conſeruandũ, donec voluntatẽ regiam & decretũ parliamẽti futuri ſuper iſto negotio plenius cognoſcamus. Nec mora, cũ verbum & decretum perficiebatur. Deducti enim ſunt ad turrim vna cũ eo qui conſentientes aderant, & proclamatum eſt Londoniis, vt committerentur pari cuſtodiæ ſi inueniri poſſent huius viæ monachi nõ præſentes. Factumq; eſt, vt qui quietẽ clauſtralem ſponte deſeruerant, inuiti cõmendarentur inquietudini carcerali. Expoſt tamẽ vel propter regales expenſas minorandas, vel propter zelũ religionis, conſilium regale decreuit, vt Monachi qui Edmundum ſecuti fuerant, diuerſis monaſteriis mitterentur, cũ mandato regio ſuper eiſdem, vt videlicet Abbates vel Priores quibus directi fuerant eorum cuſtodiam agerent, reſponſuri pro corporibus eorundem domino regi in parliamento ſequenti.

Edmundus ſupradictus cum ſuis adhærentibus turri Londonienſi commiſſus.

Ipſo anno etiam prope feſtũ ſancti Nicholai præſulis exercuit dominus manum magnam ſuper Anglicos, in quoſdam vindicta deſinens, quibuſdam vero miſericordiã ſuam prætendens. Cum enim iam regium conſilium in parte ſuccurrendum putaſſet duci Britanniæ, cui poſt reditum ſuum in terram ſuam Francorum hoſtilis

Exercitus mittitur in Francos ad ſuccurrendum duci Britanniæ.

incurſio terrorem iniecerat magnum, communi decreto miſſi ſunt armata manu ad auxilium ſibi dominus Iohannes Arundel, dominus Hugo Caluerle, dominus Thomas Percy, dominus Wilhelmus Elinham, dominus Thomas Morews, dominus Thomas Lancaſtre, & plures alii milites & armigeri, quos enumerare longum foret. Hi ergo armis & equis inſtructi nobiliter poſt perceptum à rege aurum ſtipendiarium, ad confinia maris properant, ibidem auram proſperam præſtolaturi. Qui ſicut generis præeminentia & in armis exercitata prudentia, ac bellatorum ſequentium populoſa frequentia Anglicis & Britannicis fiduciam magnam, & bonam ſpem hoſtes conterendi pepererant, ita & Gallicis metum grandem incuſſerant, nec merito, quia profectò ſi Deo non diſplicuiſſet talis exercitus, pro virium gloria, pro præliandi cautela, pro reſiſtendi contra hoſtes audacia, non temere fuiſſet cunctis Gallicis metuendus. Sed quid valet vis humana? quid aſtutia? quid opulentia? ſi cui hæc accommodantur; perſona diſpliceat creatori, vtique non ad gloriam proficiunt, ſed ignominiam, & forſitan tendunt ad damnationis augmentum. Sed de his hactenus, iam ad materiam reuertamur. Cum igitur vt prædiximus dominus Iohannes de Arundel cum ſuis complicibus ad mare perueniſſet, & nec dum aura ſecunda flaret eiſdem, ſtatuit vt optabat operire tempus gratioris venti. Perrexit interea ad quoddam monaſterium monialium virginum nõ procul ſitum, & cum ſuis ingrediẽs petiit à matre monaſterii, vt ibidem ſuos commilitones in negotiis regiis laboratores permitteret hoſpitari. Sanctimonialis autem fœmina mente librans pericula quæ per tales hoſpites poſſent emergere, & quia omnino religioni talis petitio contraibat, cum reuerentia & humilitate qua decuit expoſuit ſibi iuuenes plures qui cum eo venerant & impelli poſſe de facili in ſcelus inexpiabile, quod non ſolum in opprobrium & infamiam illius loci, ſed in periculum & pernitiem ſui & ſuorum redundaret, qui non modo caſtra pudicitiæ impugnare vitarent, ſed etiam omne genus peccati effugere laborarent, ſi id agerent, obtinerent, quod viros ad bellum profecturos oporteret. E contra, ille inſiſtere magis feruide cœpit in propoſito, dicens illam falli in ſuis ſuſpitionibus, & non eſſe veriſimile quod mente imaginarie pertractaret. Cui illa ſolo proſtrata: ſcio (inquit) domine viros tuos viros effrenes eſſe, indomitos, qui Deum forſitan non verentur, & omnino non expedire vobis, nec tibi ingrediantur clauſtra noſtra. Quapropter coniunctis manibus, tuam generoſitatem oro, atque obteſtor, vt hoc dimiſſo propoſito, alibi tibi tuiſque requiras hoſpitia, quæ ſuperabundant in patria conuicina. Ille vero perſiſtens in propoſito contemptibiliter, præcepit vt ſurgeret, iurans ſe nullo modo flectendum quin in eodem loco ſuis hoſpitia prouideret. Confeſtim ergo iubet ſuis, vt domos ingrediantur, & cameras publicas occupent & priuatas, donec veliſicandi tempus inſtaret. Qui mox (vt creditur) diabolico ſpiritu agitati, irruunt in clauſtra monaſterii, & vt aſſolet in tam indiſciplinato vulgo, ille iſtam, iſte illam erumpit cameram, in quibus virgines filiæ maiorum prouinciæ ſeruabantur ad diſcendas litteras, & plæræque iam paratæ fuerant ad ſuſcipiendum ſacræ religionis habitum, & in propoſito virginitatis mentem fixerant ſuſcipiendam, quas (ſpreta loci reuerentia & Dei timore poſtpoſito) opprimunt & polluunt violenter, & non ſolum in iſtis eorum libido furit, ſed & vidualem continentiam & coniugale vinculũ pollutioni tradere minime verebãtur. Nam plures illuc viduæ confluxerant hoſpitandi gratia (vt moris eſt in talibus abbathiis) vel pro rei familiaris inopia, vel pro perfectius & ſecurius ſeruanda continentia. In mulieres etiam coniugatas quæ illuc ex cauſſis pręmiſſis conuenerunt adulterium commiſerunt publicũ, ſed violentum. Nec tantis contenti nequitiis (vt fertur) ipſas ſanctimoniales ad ſuã luxuriã attraxerunt, paruipendentes inceſti & ſtupri notã. Qua de re primo patientes iniuriam, mox vniuerſi qui in vicinia morabantur, ad quos notitia tanti mali peruenerat, maledictiones congerunt ſuper eorum capita horribiles, & eis quicquid infortunii, quicquid aduerſi Deus eis ſuſcitare valeat, imprecati ſunt. In his omnibus dominus Iohannes Arundel nihili pendens tantum clamorem, tot execrationes, talis infamiæ dedecus, adiecit peccata peccatis, addit mala malis. Reuera permiſit ſuos quodammodo ſpoliare patriam, apporiare vulgus, dum victualia vel cætera neceſſaria vi afferentes non compulit ad ſoluendum, ſed potius eorum fauebat violentiæ, & ipſe particeps effectus erroris: vnde proteſtati ſunt illius regionis incolæ maluiſſe aduentum in terram quorumuis, pręter domorum incendia, q̃ ipſius domini Iohannis cũ ſequela ſua. Pauca ſunt iſta, immo parua ſunt iſta reſpectu eorum quæ ſequuntur: Die namq; illo quo mare ingreſſuri erant ſui, & ipſe cum eis,

Iohannis Arundel in ſanctimoniales ſæuit.

eis, quandam nouam nuptam & illo eodem die per manus & orationes ſacerdotis viro de prouincia copulatam, de eccleſia poſt Miſſam & ſponſalia celebrata reuertentẽ violenter rapiunt de medio & manibus eam ducentium, & ad naues vſque deducunt, operaturi in ea opus nefarium poſt ingreſſum eorum in mari, non conſiderantes nec putantes tanta ſcelera celeriter punienda. Et Abbathia etiam (vt fertur) prędicta, fœminas coniugatas, viduas & virgines abduxerunt, & in ſuis manibus collocarunt, nec iſtis ſaturati, quidam ex ipſis ad ſacrilegia manus extendunt. Nempe poſt auditam Miſſam, vt apparuit indeuote, ante ſacerdos caſulam deponere potuiſſet, accedentes, & calicem de altari rapientes, cum ſumma feſtinatione, lætabundi quaſi de præda, curtunt ad naues, ſacerdote eos in ſacris veſtibus, ſcilicet alba ſtola & fauone perſequente, & ſub interminatione cenſus calicem repetente, cumq; nili ſanas & terribiles minas niſi retrocederet accepiſſet, non ſic quidem ſilere decreuit, ſed accitis cõuicinis ſacerdotibus, ad littus vſque proceſſit, cum candelis accenſis, campanilis, libris, & his quæ ſententiis huiuſmodi promulgandis requiruntur, ibique petiit ſub pœna excommunicationis, ſententiam terribiliter & publice fulminauit, & iactu in mari cereum extinguendo, dominus Hugo Caluerle, & dominus Tho. Percy, & nonnulli alii quos hæc præmiſſa latebant, antequam naues aſcenſuri erant, fecerunt proclamari per patriam voce publica, vt venirent ante diem nauigationis qui moleſtati fuerant per ſuos vllo modo, vel per illatas iniurias, vel per alias quaſcunque vias vel cauſas, habituri condignam ſatisfactionem de quibuſcunque tranſgreſſionibus conqueri voluiſſent: vnde contigit, vt ipſos deuota precans populus proſequeretur ad mare, ſicut è contra dominum Iohannem Arundel diris imprecationibus fuerant inſequuti.

Ioh. Arundel calicem ſacerdoti aufert.

Poſt hæc euolutis non multis horarum ſpaciis, cum ventus flauiſſet paulo turgidius, imperat dominus Iohannes vt omnes naues ingrediantur, & mãdat naucleris velis expanſis & in altum deductis, committant nauigia ventis. Nautæ vero in cuius nauem ipſe dominus Iohannes conceſſerat, videlicet Robertus Ruſt de Blackney præſagus intemperei futuræ, diſſuadet ei ſe pro tunc mari committere, dicens tempeſtatem poſt modicum tempus affuturam, quæ & indubitatum ferret periculum, & forſitan naufragii cauſa foret. Ipſe autem quem ſua fata trahebant aurem accommodare noluit verbis eius, ſed magis vrgebat ad velificandum. Igitur nauta cernens non poſſe perſuaderi dicto Iohanni, vt remorari deberet, dat Neptuno naues, & in breui ingreditur alta maris, & vt ita dicam, poſtquam altum tenuere rates, mox vẽti velut agmine facto incubuere mari, ceruleuſque ſupra eorum caput imber aſtitit, noctem hyememq; ferens, & inhorruit vnda tenebris, continuoq; venti voluunt, mare magnaq; ſurgunt æquora, & diſperſi iactantur gurgite vaſto. Inuoluere diem nymbi, & mox humida cœlum abſtulit, itaque incertis errat in vndis, præſentemque eis intentant omnia mortem. Et quod ipſa morte terribilius eſt, vt ferunt, diabolica viſio ſiue ſpiritus apparuit inter eos, quæ viſibiliter videbatur eorũ perditioni, qui in nauem dicti Iohannis Arundel conceſſerant imminere: quis clamor, quantus luctus, quales gemitus, quot lachrymæ ſunt inter mulieres, quæ vi vel ſponte in naues aſcenderant vſque ad cœlos, & deſcenderent vſque ad abyſſos, cum iam non mortis imaginem, ſed ipſam mortem præſentem cernerent, & continuo morti dari minime dubitarent.

Vltio diuina in Ioh. Arundel

Quanta perturbatio, mentiſque trepidatio, corporiſque magnus remorſus, & anxietas conſcientiæ viros inuaſit, qui pro explenda libidine mulieres ad pericula maris traxerant, ipſi opportune referre nouerint, qui participes exiſtentes tanti mali quandoq; domino miſerante, ſalutis portũ contingere meruerunt. Idcirco quid interim agerent dubitabant, cum hinc ventis & procellis, illinc fluctibus & fœminarum clamoribus vrgerentur. Tentauit ergo primo alleuiare vaſa proiicientes impedimenta vilia, dehinc quæque pręcioſa, ſi forte vel ſic eis exurgeret ſpes ſalutis. Sed cum ita non minus deſperationem, ſed potius augeri cernerent, refundunt cauſas infortunii in ipſas fœminas ac in ſpiritu furoris eiſdem manibus, quibus ante illas blande actrectauerat, iiſdem brachiis, quibus eas libidinoſe demulſerant, arreptas in mare proiiciunt, ad numerum (vt fertur) ſexaginta fœminarum, piſcibus & marinis beluis deuorandas, ſed ita quidem non ceſſauit tempeſtas, ſed excreuit per amplius, vt cunctis omnem ſpem adimeret mortis pericula euadendi. Cumque diebus aliquot atque noctibus, non tantum in mortis periculo quantum in mortis faucibus, non ſine trepidatione maxima tranſegiſſent, tandem vidit quoddam littus, & quandam inſulam in regione Hiberniæ circa littus illud in fluctibus marinis ſitam, vnde momentaneo gaudio perfuſus dominus Iohannes Arundel, mox iubet vt nau-

tæ ſe transferant ad littus illud, ſi forte eis terram contingere donaretur. Nautis autem reluctantibus, & aſſerentibus in tantis turbinibus magis tutum fore maris alta tenere, quam vi ventorum illidi arenæ vel ſcopulis appropinquando terræ, irruit in eos dictus Iohannes furibunde, & quoſdam ex eis crudeliter (vt fertur) interfecit. Robertus vero de Ruſt, cuius erat nauis ipſa, timens etiam ſibi de dicti Iohannis violentia, promiſit ſe, ſi non deſit gratia, nauem impulſurum non procul à terra. Cui dictus dominus Iohannes: Nonne conſpicis illam inſulam prope terram? ſaluemur in ea aſcendendo ſaltem in ipſam, & refocillando membra noſtra, fortaſſis qui in terra ſunt videbunt nos & noſtræ miſeriæ condolebunt, & victualia nobis adferent vel efferent ad terram ſuam, vel certe quod graue videtur, naufragos captiuabunt. Eſto captiuamur ad tempus, minus graue eſt hoc quam in mari totiens ante mortem mori, & tandem mortem dedecoroſam euadere nullo modo poſſe. Aut ſi inimici ſunt qui in hac terra ſunt, citius eligo per manus hoſtiles interfici, forſitan cadaueri ſepulturam indulgebunt, quam more pecoris marinis mergi fluctibus, & fieri pælagi monſtris cibus. Cum hæc audiſſet Robertus præfatus nauis rector, omni niſu elaborauit vt nauem impelleret inter terram & prædictam inſulam, ſperans inſulam poſſe protegere nauem à ventis, & æſtimans facilem fore aſcenſum in terram: ſed cum illic nauis perueniſſet, cernit ſcopulos miræ magnitudinis ex vtraque parte, & ſe in medio ſubito conſtitutum. Qui mox more morituri in clamorem erupit, & ſociis confeſſionem facere monuit, & quemlibet hortabatur ſe morti parare. Quoniam (inquiens) iam nullus ſupereſt euadendi locus. Cumque in tam horrendo periculo huc illucque per magnum tempus iactati fuiſſent, & nauis illæſa ſcopulis iam vndas admiſiſſet, repente apparuit aſcenſus in Inſulam, ſed arduus & difficilis propter ſcopulos & arenas. Nauta igitur omnem vim exercens, impulit nauem in arenam, vt vel ſic ſaltem fracta naui daretur eis occaſio euadendi. Et cum nauem marinis fluctibus quantum poſſibile fuerat expuliſſet, ipſe primus in arenam exiliit, deinde multi ſaltando poſt ipſum inſulam præfatam ſunt ingreſſi. Demum dominus Iohannes Arudell & ipſe ſaltauit, & arenam attigit, ſed (vt videbatur) ſalutis ſuæ nimis ſecurus fuit, nam quaſi tamen nihil metuendum exiſteret, in arena viua ſtans, cæpit aquas excutere veſtimentis ſuis, quæ in naui aquis marinis fuerant madefacta. Quod cum vidiſſet memoratus Robertus Ruſt, pericula librans quæ nondum Iohannes euaſerat, deſcendit in arenam, & arripiens manum eius nitebatur ſecum trahere de ſtatione periculoſa: ſed dum alienæ ſaluti nimis caute conſulit, & ſuam negligeret, vitam perdit. Reuera dum nititur dictum dominum Iohannem ſecum trahere, mare vndoſum & inquietum (quippe quod tunc fluxit) in vlteriora fluctus dirigens, vtrumque proſtrauit, & in regreſſu ſuo ambos in maris profundiora traxit, & hic finis eorum. Armiger ſpecialiſſimus domini Iohannis memorati, nomine N. Muſard, vir inter magnos maximus & decentiſſimus, & inter omnes Anglicos audaciſſimus & fortiſſimus, qui & ipſe ſaltauerat in arenam, & nauis quendam ſcapulum detinuerat, alluuione maris dum flueret, violenter auellitur ab ipſa petra, & longius in mari proiicitur, & hac illacque modo ſupinus, modo reſupinus defertur, donec mare fluxu cum ad ſcopulos illidendo confregiſſet. Alter armiger vocabulo Deuyok ſimilem finem ſortitus eſt. Nobiliſſimus miles dominus Tho. Banaſtre, dominus N. Trumpington, & dominus Thomas de Dale, dum ſaltant de naui, dum quiſque contendit alium currendo præcedere, quilibet exiſtit alterius impedimento: vnde contigit, vt ſimili aſcenſu, ſicut prius, mare eos & plures alios rapiens, ſecum traheret in abyſſum. Pauci qui euaſerunt, & in inſulam attigerunt, pannos non habentes, an ſi fortaſſis habebant quidam, tamen aquis erant pleni, vnde abundantioris frigoris cauſa facte, cum domos non inueniſſent ibidem, frigore moriebantur. Cæteri modo currendo, modo luctando, quoquo pacto frigus deludere contendebant, degentes etiam ibidem in magna miſeria à die Iouis vſque ad nonam dominicæ ſubſequentis, qua hora poſt mare ſedatum, Hibernienſes aſcenſis nauiculis ad inſulam nauigarunt, & reductos ad terram exiliter refecerunt: fuerant enim pene inedia exanimati. Perdidit in dicta procella dominus Iohannes ſupradictus, non ſolum vitam, ſed omnem ſuppellectilem ſuam, & omnem apparatum, qui merito ornatum regium ſuperaret. Habuit nempe quinquaginta duos pro proprio corpore nouos apparatus, vel aureos vel auro textos (vt ferunt) quos omnes mare abſorbuit, cum equis & dextrariis, qui ad valorem decem millium marcarum taxabantur. Præterea.

25. naues aliæ, quæ ſecutæ ſunt eum cum hominibus & equis aliiſq; diuitiis ſorte conſimili perierunt. Corpus eiuſdem domini Iohannis, & eorum corpora, qui cum eo ſimilem experti ſunt fortunam, ab bis qui remanſerant poſt triduum ſunt inuenta, & in quadam Abbathia in Hibernia tumulata.

Dominus Thomas Percy, & dominus Hugo Caluerle, necnon dominus Wilhelmus Elinham, & nonnulli alii ſpacioſe diſperſi, ſed tamen pelagi profunda ſuſcitantes, iuxta meritum ſinceræ vitæ & bonæ fidei euadere meruerunt, apud quos illud mirabile contigit. Cum dominus Thomas Percy poſt tantum fragorem & horrendam mortis diutinam expectationem, magis aptus fuiſſet ad refocillandum membra inedia, vigiliis, laboribus, & tot ærumnis debilitata & fatigata lecto vel molliori ſtramine, irruit repente ſuper eum, nauis Hiſpanica, armatis onuſta, qui putabant eum leui negotio poſt tot infortunia ſuperandum. Sed quid ageret tunc miles inuictus, non opus extitit de deliberatione, ſed mox vbi nec locus nec tempus pro huiuſmodi ſupperebāt, intra ſe cenſuit illud modicum vigoris, & ſpiritus militaris, quod remanſerat in hoſtes expendere, & ſic ſaltem ſi victoria negaretur, vitam honeſte finire. Sed fortuna parti ſuæ, immo Deus ſibi ſuiſque robur contulit & audaciam, & de inimicis victoriam gratioſam. Nec fuit conflictus iſte momentaneus, vel cito pertranſitus, ſed per tres horas ante deditionem hoſtium continue perdurauit. Igitur poſt mare ſedatum, cum ipſa naui, quam ſuperatam ceperat & captiuis redit, reparando duplicem regioni lætitiā de ſua ſalute ſeruata, & de victoria prælibata. Quā mox vincolarum colloquio frui potuit, nauem quam ceperat pro cautione poſuit, acceptis à patriotis centum libris argenti. Cum quibus illico audacter ingreditur mare iterum, & curſum verſus caſtellum de Breſt, cuius erat concapitaneus, cum Hugone Caluerlee dirigit, ne locus ille diutius Capitaneo deſtitutus vllum incurrat infortunium per manus hoſtiles, ad quem locum domino ducente, feliciter in breui iuxta vota peruenit. Ac non multum poſt hæc, dominus Hugo Caluerle, & dominus Wilhelmus Elinham, & quidam alii diuerſa littora in Anglia & Hibernia attigerunt. Sed in his mirandum, quod cum ceteri vix vita ſaluata euadere potuerunt, dominus Thomas Percy, & dominus Hugo Caluerle, nullum ex ſuis hominibus, ſed nec equos quidem aliquos perdiderunt. Intueri libet in præfato negotio & euidentem vindictam diuinæ ſeueritatis, & manifeſtam miſericordiam dominicæ pietatis. Sed ne iudicemur odio vel fauore proſequi, quorum infortunia vel fortunas declarauimus, iſtam materiam conferendam ad quemcunque ſenſum placuerit lecturis derelinquimus: hoc pro certo adiicientes, quod omni fuco mentiendi, circumloquendi, excitandi, vel commouendi propoſita, ſolidam veritatem, vt ab eis, qui his omnibus interfuere, didicimus, quibus nos non decet deſcribere, ſcripſimus vniuerſa.

Claret militia domini Thomæ Percy.

Per idem tempus Hiſpani & Gallici magnam vim nauium ex vniuerſa Gallia, Hiſpania, Portingalia, & regionibus illis ſubiectis congregauerant, ad impediendum noſtrorū profectionē prædictā verſus Britanniā, vel potius ad dimicandū contra noſtrates, vt debilitatos, vel certe capros, deſiſtere cōpellerent ab inceptis. Sed ne libertas eis accreſceret gaudendi ſuper noſtris infortuniis, manum domini ſuper eos ſimilem ſenſerunt, & nō tamē ſimilē, ſed multo (vt dicitur) grauiorē. Nam & maiorem numerum nauiū, & plures perſonas hominū perdiderunt in procella ſuperius memorata. Tranſit annus iſte frugifer, & ſatis fructifer: Eccleſiæ Romanæ modo lætus, modo lugubris: Franciæ deſidioſus, ſed ſuſpitioſus: Angliæ oportunus propter euentus diuerſos tam leues quam aſperos: Britanniæ ſerenus & iocundus propter receptionem domini naturalis: Flandriæ ſollicitus & infamis propter eiectionem Comitis: Scotiæ fauorabilis, quia Borealibus noſtris fuit infeſtus propter peſtem.

Annalis [illegible]

Anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo octogeſimo, qui eſt annus regni regis Richardi ſecundi poſt cōqueſtum tertius. Hoc tempore circa feſtum natalis domini rediit à Caleſia dominus Wilhelmus de Monte acuto, Comes Sarum, qui annalem cuſtodiam egerat illius villę, cui ſubrogatur dominus Iohannes Denros miles ab antiquo exercitatus in armis.

Circa dies iſtos rediit de cuſtodia villæ de Scherbourgh nobilis miles, dominus Iohannes Harleſton, cui ſucceſſit ad cuſtodiam dictæ villæ dominus Wilhelm. Windeſor miles ſtrenuus.

Iſto anno poſt octa. Epiphaniæ coactum eſt parliamentum Londini, quod vſq; caput Calendarum Martii continue perdurauit, in quo regni communitas petiit ali-

Parliamentum Londini.

quem ex baronibus ordinari ad tutelam regiam, qui ſciret forinſecis prudenter date reſponſa, & eſſet maturus moribus, potens operibus, rractabilis & diſcretus. Electus eſt ergo communi ſententia Dominus Thomas Beauchamp Comes Warwici, vt iugiter cum Rege moram traheret, & de theſauro regio quandam ſummam pecuniæ pro labore, vt decuit perciperet annuatim. Deputati vero fuerant ad idem negotium anno præcedenti certi Epiſcopi, Comites & Barones cum Iuſtitiariis, & multis aliis, qui eius aſtarent conſilio commodiſq; vacarent. Qui omnes per annum magnam pecuniæ ſummam de Regis ærario exhauſerunt, & nullum aut modicum fructum prorulerunt, vnde iam (vt diximus) communitas vnum petiir, amotis aliis, qui omnia & ſingula ſatis expleret, quæ omnes antea perſecerunt. In hoc etiam parliamento dominus Richardus Serop ceſſit officio Cancellariæ: & Archiepiſcopus Cantuarienſis magiſter Symon de Sudbury contra gradum ſuæ dignitatis, vt plurimi, conclamabant, illi officio militaturus acceſſit, ſed ſi ipſe illud procurauerit, aut ſponte ſuſceperit, nouit Deus.

Proceſſus contra Edmundum de Bury.

Ad iſtud etiam parliamentum venerunt quidam à Romana Curia, non directe miſſi à Papa, ſed à Cardinali de Agapito, ferentes ſecum eiuſdem Cardinalis literas. In quibus idem Cardinalis fatebatur dominũ Papam ſibi mandaſſe, vt Archiepiſcopo Cantuarienſi, capitulo ſancti Edmundi Regis de Bury, & domini Papæ Collectorio ſcriberer, & mandarer vniuerſis & ſingulis, vt viſis eius literis & intellectis, ſine dilatione reſcriberent ſingulas literas, certificantes eum de ſtatu domini Edmundi de Brumfield (cuius ſuperius egi memoriam) ſi videlicet acceptus in gratiam regiam admiſſus fuiſſet ad poſſeſſionem pacificam Abbathię de Bury. Cauſa autem huius miſſionis iſta dicirur extitiſſe. Poſtquam dictus Edmundus de Brumfield receſſiſſet à curia, vt dominus Papa audiuit & vidit tot literas ſupplicatorias pro confirmatione electi de Bury, ac Regi regnique magnatibus diſplicere prouiſionem ſuam quam fecerat, conferendo ei dictam Abbathiam, mente turbatus eſt vehementer. Et reuoluens in animo, quantum auxilium Rex cum magnatibus contra aduerſarium ſuum Antipapam conferre valeret, ſi eorum frueretur amicitia, & quanto detrimento foret eidem, ſi aduerſarentut, ſtatuit cameraliter, non quidem dictum Edmundum deponere, ſed quia clericus, & eius creatura fuerat, ad quendam Epiſcopatum in Hibernia tunc vacantem transferre. Quod audiens ſupranominatus falſidicus, magiſter Ioannes Shipdam, confeſtim in craſtino, cum Procuratores electi de Bury in conſiſtorio adfuiſſent coram Papa, & periiſſent cofirmarionem electi prædicti, adfuit ipſe, allegans hoc nequaquam debere fieri, maxime quia dictus Edmundus iam receptus eſſer in gratiam regiam, & ſuis temporalibus inueſtitus. Quod vt probaret ita eſſe, introduxit quendam Monachum Ciſtercienſem, & quendam preſbyrerum, qui paulo ante de Anglia venerant, quos & conduxit, vt iurarent coram Papa, ſe pro certo ſcire dominum Edmundum admiſſum in regis gratiam: & non ſolum in gratiam, ſed & attractum ad eius familiare conſilium, & ſuis temporalibus inueſtitum. Ac vt maiorem fidem facerent in præmiſſis, iurauerunt ſe oculis ſuis vidiſſe eum ante eorum egreſſum de Anglia Londinum nobiliter incedentem, vt tantum Abbatem decuit, ſtipatum magna caterua præeuntibus eum bis ſenis armigeris in vna ſecta. Quæ omnia Procuratores electi conſtanter refellebant, aſſerentes hoc nullatenus ita eſſe. Quapropter dominus Papa diſtulit in cauſa procedere, donec alia certiora noua de iſta materia cepiſſet. Et hęc (vt dixi) fuit cauſa, quare dictus Cardinalis præfatus dicto modo ſcripſit.

Reſcriptũ archiepiſcopi certificatorium Papæ.

Archiepiſcopus ergo Cantuarienſis inprimis maturauit ſcribere domino Papę, & eundem certificare ſuper his, quibus fuerar oneratus. Qui poſt præmiſſa verba ſubiectionis & reuerentiæ debitæ, innuit ſe ob Apoſtolicam reuerentiam inſtetiſſe penes regem & proceres pro Edmundi prædicti deliberatione, & vt Edmundum eccleſiam Papali ſibi prouiſione collaram pacifice ingredi paterentur. Sed poſt paucam progreſſu aſſeuerat pro firmo, ſe ex reſponſo regali ac regni procerum intellexiſſe, nunquam eos paſſuros ingreſſum Edmundi in Abbathiam de Burgo, ſed nec egreſſum eius à carcere timore vel interuentu alicuius perſonæ, niſi ſolummodo contingat eos flecti per ipſius domini Papæ preces ſolliciras & inſtantes. Explicat præterea eum ius regium & regni conſuetudines ab initio talibus prouiſoribus contraueniſſe. Er inter cetera deprecatur, vt temporis præſentis conſiderara malitia, condeſcendat voluntati regiæ intuitu vndecunque periculorum emergentium, Electum de Bury iuxta Regis & magnatum regni deſiderium confirmando. Horratur præterea humilitate,

Digitized by Google

litate,qua condecet,vt nullius credat literis,nullius fidem det ſermonibus, qui aliter ſcripto vel verbo ſuę ſignificabunt reuerentiæ,quam ipſe propriis literis commendauit.Hæc tempore prædicti parliamenti acta fuere.

In eodem parliamento conceſſum eſt ab eccleſia vna decima,& à laicis vna quintadecima ad opus regis adiecta conditione,quod ab illo tempore,ſcilicet à Cal. Martii vſque ad feſtum S. Michaelis anno reuoluto, aliud non fieret parliamentum: ſed conditio iſta non ſeruabatur,vt in ſequentibus demonſtrabimus.

Nuptiæ factæ ſunt eodem anno in oct. Paſchæ apud Wyndeſore, tubicinum & hiſtrionum magna frequentia, Francorum gaudio, nullius commodò, ſed liuore & odio plurimorum: ſiquidem Dominus Walleramus, Comes ſancti Pauli externus & alienigena, adamatus Dominæ Iohannæ Courteney ſorori Regis in tantum, vt nullius Anglici reſpectu illius dignaretur amplexum, duxit (vt prædictum eſt) eam ſupra memoratis loco & tempore in vxorem. Et quia contra conſilium matris ſuæ quondam principiſſæ, tunc matris Regis & omnium amicorum, eadem Iohanna iſta præſumpſit, ipſorum deſtituta ſubſidiis merito & indignationem incurrit, & de gente ſua opprobrium non leuiter tranſiturum. Rex tamen, quia ſoror eius erat, conſilio eorum, qui aſtabant ei, contulit eis villam ſuam, & manerium de Biſleet, vt videlicet & illam honoraret, & Comitis animum ſuæ fidelitati magis & obſequiis inclinaret.

De duello inter I. Anneſlee, & Th. Katrington.

Res noua per hoc tempus in Anglia viſa eſt, quæ cum magis inſolita, tanto plures ad ſpectaculum ſui traxit, propterea quod natura humana gaudet non ſolum variis ſed inſuetis. Miles quidem nomine Iohannes Aneſlee in parliamento (quod bonum merito appellatur) tempore domini Edwardi Regis tertii poſt conqueſtum, Thomæ Katryngton armigero (quondam cuſtodi caſtelli de ſancto ſaluatore, quod recolendæ memoriæ dominus Iohannes Chaundos conſtruxerat in Galliis, intra inſulam de Conſtantin) impoſuerat notam proditionis, eo quod dictum caſtellum, vt aſſeruit, vendiderat Gallicis pro inæſtimabili ſumma pecuniæ, cum nec defenſio ſibi, nec victualia defuiſſent: in qua cauſa, cum eodem armigero armorum lege obtulit ſe pugnaturum. Ad eum namq; (ratione vxoris ſuæ, cui debebatur hereditas tanquam proximæ de affinitate dicti Iohannis Chaundos) dominium illius caſtri ſpectaſſet: ſi non proditioſe alienatum fuiſſet commentis dicti Thomæ. Prædictus autem Thomas pro hac cauſa captus, & incarceratus fuit pro tunc, ſed cito poſt, quando duci licuit, quicquid libuit, dum Rex pater eius in extremis agebat, deliberatus eſt interuentu (vt dicitur) domini de Latymer, cui idem armiger in pace, & in bello, in iuſtis & in iniuſtis, in veris & in falſis per ante militauerat. Nec potuit Iohannes Aneſlee ſui clamoris effectum per totum tempus ſequens conſequi vſque modo, quibuſdam aſſerentibus contra iura regni fore aliquem de ipſo regno pro vlla cauſa tali lege in regno pugnare. Obſtabant quammaxime, qui ſimili nota percelli tumebant, ſed tandem coactis viridicis & ſenioribus militibus regionis, diffinitum eſt pro cauſa extrinſeca ſicuti pro præſenti cauſa, quæ non infra regni limites orta eſt, & pro poſſeſſione rerum tranſmarinarum bene licere, quenquam duello confligere, ſi Conſtabulario & Mareſchallo regni, per ante cauſa fuiſſet notificata, & in eorum præſentia duellum à partibus acceptatum. Statuitur ergo dies belli, & interim præparantur duello neceſſaria in curia apud Weſtmonaſterium, limites videlicet, quas liſtas vocant de lignis fortiſſime fabrefactis, tanquam perpetuo duraturæ. Adueniente die præfixo, conueniunt de cunctis regni partibus ad inſuetum belli ſpectaculum, in tanta quidem copia, vt numerus Londoniæ confluentium multitudinem eorum, qui ad Regis coronationem paucis annis ante confluxerant exceſſiue (multorum teſtimonio) ſuperaret. Ipſo vero die ſummo mane Rege cum proceribus & regni communitate locum ingreſſis (prout moris eſt) miles intrat armatus, inſidens dextrarium decentiſſime phaleratum. Nam appellator debet ingredi primo locũ, defenſoris præſtolaturus aduentum. Deinde, poſt aliquam horam vocatus eſt armiger ad defendendum cauſam ſuam tali forma. Thoma de Katrington defenſor compareas defenſurus cauſam tuam, pro qua dominus Iohannes de Aneſlee miles & appellator te publice & in ſcriptis appellauit. Hoc autem ter voce præconis belli factum fuit. Tertia vocatione completa, adeſt armiger, & ipſe armatus, equitans dextrarium ſtratum règaliter ſtramentis præferentibus arma dicti Thomæ. Qui mox vt ad liſtas peruenit, deſcendit de equo, ne iuxta conſuetudines pręlii Conſtabularius vendicaret eum, ſi limites fuiſſet ingreſſus. Sed nihil ſibi

Incarceratio Thomæ Katr.

valet

valet aſtutia ſua: nam equus iuxta liſtas diſcurrens, aliquotiens rotum caput & pectus iniecit vltra limites. Ob quam cauſam Conſtabularius dominus Thomas de Wodſtoke equum vendicauit, iurans ſe velle caput eius habere, videlicet quantum inter liſtas de equo viſum fuit, vnde adiudicatus eſt ei equus: ſed hæc expoſt, iam ad formam duelli reuertamur. Armigeto itaque limites pedes ingreſſo, per Mareſchallum & Conſtabularium allata eſt indentura quondam coram ipſis confecta conſenſu & voluntate partium, in qua continebantur articuli depoſiti contra eum per militem aduerſarium, & in omni audientia legebantur. Armiger autem, quem conſcientia ſtimulabat, nitebatur exceptiones facere, vt quoquo pacto ſua cauſa purior effici valuiſſet. Dux vero Lancaſtriæ eum vidiſſet eum tardare, & audiſſet eum exceptiones iam velle facere, publice iurauit, niſi iuxta conditiones duelli & leges armorum vellet admittere cuncta in indentura conſcripta, quæ non ſine eius aſſenſu confecta fuerant, quod mox tanquam proditionis reus ad ſuſpendendum traheretur. Quo facto, Dux multorum ſibi conciliauit gratiam & partem infamiæ ſuæ antiquæ abſterſit. At armiger vt iſta perſenſir, fatebatur ſe audere pugnare cum milite, non tantum in his caſibus, ſed in omni caſu mundi. Fidebat vtique plus in robore fortitudinis ſuæ & fauore amicorum, quam in cauſa quam ſuſcepetat defendendam. Erat enim magnus ſtatura, cum miles inter mediocres minimus videretur: & habebat amicos potiſſimos, dominum de Latimer, dominum de Baſſet, & plures alios, quorum nomina ſupptimemus ad cautelam, quorum interuentu fulciri ſperabat, ſi forte quicquam aduerſi paſſurus eſſet. Huiuſcemodi occaſionibus animatus, ingreditur locum pugnæ, & præmiſſo ab aduerſario ſuo milite iuramento, prout moris eſt. Et ipſe idem iurauit audacter, videlicet, quod cauſa, in qua pugnaturus erat, vera fuit, & quod non erat conſcius vllius artis magicæ, per quam de aduerſario poſſet reportare victoriam, nec geſtabat ſuper ſe herbam, aut lapidem, nec experimenti genus, quibus ſolent malefici de hoſtibus triumphare. Quibus paratis, & ab vtroque deuote oratione fuſa, pugnam ineunt, primo lanceis, deinde gladiis, poſtremo cultellis rem agentes, pugnatum eſt ergo diutius, donec omnia inſtrumenta bellica armigero ſurripuiſſet. Tandem armiger à milite virtuoſe proſternitur, & miles ſe præparat ad irruendum in eum, ſed tamen ſudore decurrente per caſſidem aliqualiter viſu hebetatus, dum credit ſemetipſum proiicere ſuper eum, à latere corruit armigero non appropinquans. Quod perſentiens armiger, quanquam iam pene exanimis factus eſſet præ labore, ſe conuertit ad militem inferiorem exiſtentem, & ideo quantotius deuincendum. Alii vero dicebant militem in proximo ſurrecturum, & victoriam de armigero habiturum. Interea Rex pacem clamari præcepit, & militem leuari de terra. Quid multa? mittuntur qui armigerum erigunt, ſed cum perueniſſent ad militem, rogauit cum inſtantia, vt dominus Rex permittat eum modo prætacto iacere, aſſerens ſibi bene eſſe, & victoriam reportaturum, ſi armiger reponatur modo, quo prius iacuit ſuper eum. Tandem cum miles non poſſet vota ſua conſequi in hac parte, permiſit ſe leuari de terra. Qui mox poſtquam leuatus eſt, ſine fulcimento cuiuſquam perrexit ad Regem alactiter. Cum armiger poſtquam leuatus fuiſſet, ſine ſuſtentamento duorum hominum, nec ſtate, nec quaquam progredi potuiſſet, & idcirco depoſitus in cathedra ſe dedit quieti. Miles igitur cum ante Regem veniſſet, rogauit eum & proceres, vt ſibi illam concederet gratiam, vt iterum in loco quo prius, poſſet reponi, & armiger ſuper eum: perſenſerat enim armigerum iam pene vltimum flatum emiſſurum præ nimietate & caloris & armorum ſuorum ponderoſitate, quæ ſibi vitales fere ſpiritus ſubripuerant. Rex vero & proceres cum vidiſſent militem tam animoſe, tam viuide bellum repetere, & inſuper magnam ſummam auri offerre publice, vt id poſſet effici, decreuerũt eum iterum reponendum, & armigerum ſuper eum modo vniuerſaliter ſeruato, quo iacuerant ante proſtrati. Sed interim armiger deficiente ſpiritu repente de cathedra corruit quaſi mortuus inter aſtantium ſibi manus. Accurrũt ergo multi, hominem vino perfundunt & aqua, ſed nihil omnino proficiunt, donec detractis armis & omnibus indumentis ad corpus vſque nudatus fuiſſet. Quod factum, & militem victorem probauit & armigerum eſſe victum. Poſt diutinam autem moram paululum reuixit ſpiritus armigeri, & apertis oculis cæpit caput erigere, & terribiliter vnumquemque reſpicere circumſtantem: quod vt nuntiatum eſt militi, acceſſit armatus, quippe qui nihil depoſuerat armaturæ à pugnæ principio, & alloquens eum & proditorem & falſum appellans, quærit ſi iterum audeat duellum repetere. Illo vero nec ſenſum, nec ſpiritum habente reſpondendi, clamatum eſt pugnam finitam, & vt quiſque ad propria remearet.

Digitized by Google

mearet. Atmiger igitur mox vt ad lectum delarus eſt cœpit furere, & in inſania mentis perſeuerans, in craſtinum circa horam nonam ſpiritum exhalauit. Actum eſt bellum præfatum 7. idus Iunii, communis vulgi gaudio, proditorum dolori.

Circa iſtos dies rex Angliæ & eius conſilium validum conflantes exercitum, miſerunt in ſuccurſum ducis Britanniæ, qui pene ab omni ſpe excederat reſiſtendi Gallis, poſtquam audiſſet videlicet dominum Iohannem de Arundelia, & eius exercitum in mari (vt prædiximus) expertos tam dira fata. Præfecti ſunt autem huic exercitui dominus Thomas de Wodeſtoke comes Buckingamiæ Regis auunculus, dominus Thomas Percy, frater domini Henrici Percy comitis Northumbriæ, dominus Hugo Caluerlee, dominus Robertus Knoll, dominus de Baſſet, dominus Iohannes Harleſton, dominus Wilhelmus de Wyndeſore, omnes profecto viri, quibus ſingulis merito exercitus quiſque committi poſſet, præ ſapientia, fortitudine & arte bellandi. Hii, quia tutum non erat directo curſu ab Anglia in Britanniam nauigare, propter galleias obſeruantes maris ſemitas, & propter paucitatem nauium, quæ non plures ſimul ex eis tranſuehere poterant, elegerunt à Doueria & Sandwico ad Caleſiam copias transferre, & ita per omnem Franciam equitare, donec Britanniam peruenirent, ne per longinquum mare ſperſim traiecti, diſpendia numeri ſuorum hominum piratarum paterentur incurſu. Iohannes Philpot ciuis Londoniarum in iſta profectione laudem promeruit & honorem, qui & eis naues proprio labore conduxit, & grauatos ære alieno, propter longam iuxta mare moram, vt aſſolet pro expectatione nauium aut ductorum, abſoluit à debitis creditoribus, ſatisfaciens, & cautiones ſuis dominis reſtituens, qui loricas, laminas, caſſides, galeas, arcus, lanceas, & alia armaturæ genera pro victualibus vadiauerant, quib. neceſſe fuerat vel non tranſire pro defectu (vt dicitur) armaturæ præfato modo expoſitæ, vel certe inermes omnino proficiſci. Accepti vtique ab ore eiuſdem Iohannis Philpot, quod mille loricas vel tunicas (quas vulgo Iackes vocant) redemerit de manibus creditorum. Profecti autem noſtrates omnem Galliam circumequitando girauerunt, patriam deprædantes in vaſtitate hoſtili, villas & prædia ſuccendentes, & populum ſine reſpectu in ore gladii perimentes, donec ad confinia Britanniæ perueniſſent, nemine eorum auſus impedire præſumente de tam famoſo regno. Tantus vtrique terror ipſos Francos inuaſit, vt in ampliſſimo regno, in quo mille ſemper viri ſingulis ex Anglicano exercitu opponi potuerant, citius eligerent more fœminarum latebras ſe occultādo quærere, quam glomeratim Anglicanis manipulis obuiare. Tua ſunt opera hæc Chriſte, tua miracula Ieſu bone, cui poteſtas eſt dimicare, ſeu vincere in paucis æque vt in multis, qui tibi famulantibus inter confertiſſimos hoſtes tutum iter præbes, & vindictam retribuis in hoſtes noſtros, tu enim feciſti, vt eſſent immobiles quaſi lapis, donec pertranſiret populus tuus domine, exercitus Anglicanus, qui non in ſuperbia & in abuſione regnum Franciæ ſubiugate labotant, ſed in iuſtitia & æquitate, & innocentia regis ſui iuſti heredis Francorum regni confiſi.

Exercitus Anglicanus equitat per regnum Franciæ nemine reſiſtente.

Per iſtud tempus viri de villa de Hul, & de Nouo caſtro ſuper Tynam, communibus votis egreſſi, ad piratarum qui tum abundabant malitiā retundendam, fortuito cuidam naui de Scotia obuiantes, cognito quod hoſtes eſſent in ea, nauem inuadunt hoſtiliter, & occiſis vel captis qui in eam conceſſerant, ratem pertrahunt ad partes ſuas, cum bonis ad valorem ſeptem millium marcarum æſtimatis. Nec mora, huius euentu rei cognito, comes Northumbriæ dominus Henricus Percy citius aduolat, & partem vel totum dictę prędæ obtinere cupiens regis nomine præcipit, ne diſtractionem rerum ipſius nauis facere præſumant ſine eius conniuentia quouiſmodo. At boreales mox ſpiritum habentes in naribus, prout moris eſt illius gentis, ſatis incompoſite ore diſtorto naribus præ furore vento repletis, turgide reſponderunt cum ſumma indignatione latrantes ſe mortis periculis obtuliſſe pro regis regnique commodis, & per magna diſpendia hoſtium bona ab ipſorum manibus extorſiſſe, nec debere eos, qui tantum laborauerant ipſius arbitrio partes capere, ſed potius ipſorum eſſe in diuiſione diſcretio, quorum fuerat in adeptione periculum, & idcirco quantotius iubent illum recedere, ne cogantur in illum arma vertere pro rebus propriis, pro quibus iterum ſe fatebantur citius dare diſcrimen magis æquanimiter quam ſufferre in earum diuiſione eius arbitrium, qui in earum adeptione minime laborauit. Comes hæc audiens, quanquā ſitiens auide bona præfata, iratus valde diſceſſit, imaginaturus contra eos malum, quos ſciuit ſibi nihil in hac parte velle deferre. Adquiſiuit ergo breuia ad capiendum eos tanquam ſibi & per conſequens regi rebelles, quippe qui

Capitur nauis Scotica.

qui vices Regis ibidem gerebat. Sed interim nec ipſe nec viri de nouo caſtro, qui maxime ſibi reſtiterant, gauiſi ſunt de præda, quin potius à deſiderio ſuo fraudati, & ridiculoſe deluſi abalienati ſunt retrorſum, bonis prædictis ab eiſdem abductis cauteloſe, & ad alias partes tranſuectis. Occaſio huius facti fuit. Quidam de villa de Hull, qui (vt præmittitur) in dicta profectione ſocius laboris fuerat, & poſtquam Comes præfatus (vt diximus) rerum diuiſionem petierat nec obtinuerat, petiit à ſociis ſibi dari partes ſuas, pro quibus laborauerat, timuit reuera, ſi mora longior intercederet, quod nec ipſe, nec ſocii gauiſuri eſſent bonis præfatis. Socii vero ſui de nouo caſtro & de conuicinis locis reſpõderunt, bona prætacta nondum partiri debere, præſertim cum neſcirent, quid Comes Northumbriæ contra imaginaturus eſſet. Altercantibus autem illis pro hac cauſa, & exorta rixa cum verbis, poſtremo negantibus viro de Hull quicquam de præda, receſſit ad ſua, & poſt paucos dies cum armata manu ex improuiſo adueniens, ſoluit nauem cum bonis omnibus, & nullo audente reſiſtere, reuertitur ad villam de Hull, inſidis ſociis ſpoliatis, & Comite ſupradicto à ſuo deſiderio cum ſannis & cachinnis excluſo.

Hoſtes in Hibernia capiuntur.

In feſto ſanctæ Margaretæ virginis Franci & Hiſpani, qui maritima loca Angliæ multipliciter infeſtauerant, & naues plures rapuerant, dum conſueta ſuæ nequitiæ opera continuare contendunt, per viros de occidentalibus partibus Angliæ ſubito ſuper eos irruentes coacti ſunt quendam portum capere in Hibernia, vocatum Kynſale ab incolis, vbi virtute & animoſitate Anglicorum & Hibernicorum capti ſunt duces eorum, videlicet Iohannes de Verſe admiralius & capitaneus Franciæ, Iohannes Perys de Verris, Iohannes frater eiuſdem Gounſalue, Martinus de Moterigo, Turgo dominus de Moraunts, dominus de Reyth Perys, Martinus de Vermewe, Iohannes Medite de Vermewe, Seymch de Vcillale, Seniſchall. de Wergario, Iohannes Seniſchall. de ſancto Audiro, Cornelius de ſancto Sebaſtiano, Paſchalus de Bykey, Iohan. Martinus Sopogorge de ſancto Sebaſtiano, & plures alii nominati, pluribus interfectis, quorum numerus ſe extendit ad quadringentos viros. Recepta ſunt autem ibi vaſa, quæ ipſi noſtratibus abſtulerunt, viginti etiam vnum maiora & minora cum quibuſdam vaſis eorum, ſcilicet quatuor bargiis & vno balingario. Euaſerunt noſtrorum manus ex Hiſpanicis quatuor, nominati Martinus Graunts, Iohannes Peris Montago, Iohannes Huſch de Gytario & Greſſiæ, & de ſancto Sebaſtiano.

Scoti capiũt nundinas de Penreth.

Hac æſtate Scoti nauem, de qua locuti ſumus, captam eſſe dolentes, Northumbrenſibus vices rependere ſtuduerunt, & ſimilia pro ſimilibus machinari. Ingreſſi namque cum populoſa multitudine gentis rabidæ fines noſtros, gentes Weſtmarorum & Cumbrorum inuaſerunt, ſpoliarunt & occiderunt, & vltra progreſſi de foreſta de Ingelwode diuerſi generis animalia in Scotiam fugauerunt, ad numerum (vt dicitur) quadraginta millium, vbiq; furentes, vbique cædentes, & quæ poterant flammis contradentes. Nec hiis contenti, nocte iter ingreſſi furtiue & repente ſuper villam de Penreth irruunt, vbi tunc nundinæ celebrabantur multorum populorum frequentia, in quo loco & occiſis quamplurimis, multiſque captis, cunctiſque fugatis reliquis congregatas aſportant diuitias, quæ nimirum cuiuſlibet cupidiſſimi exercitus auiditatem explere potuerunt. Deinde per vrbem redeuntes Carleolenſem, eam inuadere decreuerunt, ſed tamen fama territi, quod nocte præcedente pene innumerabiles de appendicibus comitatibus ad eius defenſionem occulte confluxiſſent, ſtatuerunt quidem iter agendæ circa ciuitatem prædæ, ne forte aliquo dolo circumuenti, ſi ibi morari contingeret, partas manubias apud Penreth, & in patria dimittere cogerentur, quod & factum eſt: ſed tamen tranſeundo per quoſdam ſagittarios Weſtmarorum & Cumbrorum, nonnullos ex ſuis amiſerunt, vnde contigit, vt cum metu prætereundo recederent feſtinanter, agentes tamen coram eis prædas captas, & in Scotiam traducentes. Comes Northumbrii pulſatus eorum iniuriis, quippe cui amplius damni quam mille mercatus intulerant, dum ad arcendum eos, vel pro damnis damna parat reddere, per ſcriptum repente regium eis quicquam facere prohibetur. Vnde cum feſtinatione veniens ad conſilium regale Londonias, quærit quidnam hoc eſſe poteſt, quod inhibitum ſit per Regis ſcriptum & regni reſiſtere tam immanibus inimicis. Qui blande mox accepto reſponſo & diem Marchiæ, quem annis ſingulis Angli ſimul tenent & Scoti, expectare iuſſus, receſſit, nihil acturus vſque ad diem præfinitum.

Deluſio.

Villa Wynchelſee capitur.

Hac ipſa æſtate Galeæ iugi peruagatione per diuerſa littora plura damna patriæ irrogarunt. Nam veſpiliones, qui in eis erant, vbi cuſtodiam deeſſe conſpexerunt,

egreſſi

egreſſi prædas agebant impune multotiens, & quandoque etiam villas iniectis flammis combuſſerunt, ſed more mergorum, vbi aliquem armatum aduenire videbant, ad aquas præcipitanter cucurrerunt. Quos aliquando fortuna noſtris obtulit, vnde contigit, vt quandoq; octoginta, quandoque centum ſimul intercepti, antequam ad mare peruenire poſſent ſagittis præfotari, remotari coacti ſunt. Interque dedecoroſa damna, quæ patriæ intulerunt, villam de Winchelſee cæperunt, & Abbatem de Bello ſuccurſum eidem villæ præbere conantem ad fugam cum ſuis omnibus compulerunt, capto quodam ex ſuis monachis, qui illuc cum ceteris armatus conuenerat. Comes de Arundelia Richardus, quem paternæ diuitiæ & auita hereditas ſublimem effecerāt, nihil horum minuere quouis pacto, decernēs, poſtpoſita pompa rei militaris & nominis, ne damna inferret clauſtris inexorabilibus, cum in partes ſuas prædicti nebulones aſcenderent, cum notabili familia ſane incompetenti tali perſonæ cum vna lancea (vt vſu vulgari loquar) egreſſus eſt non ad terrēdum hoſtes, ſed eiſdem præſtandi animum ad vilipendendum comitatus dignitatem & nobilitatem militiæ Anglicanæ, dum cernerent vel audirent quempiam è nobilioribus, ditioribus & potioribus regionis cum tantilla familia egreſſum, non in occurſum prædonum, & vt patriæ ſpem reſiſtendi pareret, ſed potius (vt vulgo ferunt) metum incuteret, minoribus ipſo ſed melioribus, qui proculdubio eos ſatis viriliter arcuiſſent, ſi ipſe timide non interpoſuiſſet manus ſuas.

Per idem tempus, dominus Thomas de Helton pacta redemptione à carcere in Aquitania liberatur, qui domum rediens, obuiauit Anglicano exercitui (quem ſupradiximus in Franciam deſtinatum pro ſuccurſu Ducis Britanniæ) quem omnes Domini cum ſumma iocunditate ſuſceperunt, & per dies aliquot cum eis detinuerunt. Qui medio tempore moræ ſuæ pluta ſalutis monita dedit eis, & eoſdem inſtruxit de multis præcauendis periculis, quæ eis expoſt (vt apparuit) non paruo momento fuere. *Thomas Helton carcere liberatur.*

Circa menſis Septembris initium orta ſimultate inter comitē Flandriæ, & communes ſuos de Ypres & de Gandauo, dum Yprenſes conueniſſent ad tractandum cum magnatibus comitis, repente venit comes inopinate cum magna armatorū multitudine, & irruit ſuper ciues Yprenſes, & occidit ex eis ad octo millia virorum, adorſus fortaſſis facinus in ſeipſo acrius puniendum: deinde iuxta naturam ſui crudelis animi è veſtigio cingit vrbem Yprenſem obſidione, quam captam, mox ſuccendit partem ex ea, partem ad teſtimonium victoriæ ſuæ intactam reliquit à flammis. Quadraginta vero de maioribus illius villæ decapitari præcepit, & totidem ad villam de Brugges direxit carcerali cuſtodiæ deputādos. Quibus feraliter perpetratis, commune vulgus conuocat, & ſe illorum fore dominum ſuperbe pronuntiat. Quapropter mandat de cetero, caueant illi reſiſtere, ne ſimilem omnes pœnam incurrant, quam decapitatos diximus excepiſſe, ſacramento affirmans ſe vindicaturum in illos, ſi vnquam ſibi reſiſtendum putaucrunt, vt in concilies eorum vſus eſt, omnes generaliter plectendo ſententia capitali. Præterea cum pulſaretur clamoribus relictarum fœminarum, quarum maritos obtruncauerat, quærit quænam ſint vel quæ cauſa clamoris earum. Cumq; didiciſſet has relictas virorum morte punctorum, mox vt nihil plenæ deeſſet crudelitati, & has decapitari præcepit, mandans, vt ſuis mittantur maritis, ne diutius in viduitate detentæ cogantur prolixius inaniter lamentari. Quibus geſtis, Gandauum cum centum millibus de plebe ſua obſidione vallauit, nam & illam vrbem ſubuertere cogitabat, non ſolum quia rebellem iudicabat eandem, ſed ideo maxime, quia Gandauenſes villam de Dindermoun igni ſuccenderant, eo quod Comiti nimis fauere viſa fuit, ſed Gandauenſes nihil eum veriti, nec eius exercitum metuentes, eleuatis portis de ſuis cardinibus, & in medium forum villæ perlatis, latum iter ſibi & ſuis, ſi intrare audeant, patefaciunt. *Crudelitas comitis Flandriæ.*

Hac æſtate Carolus, qui dictus eſt Rex Franciæ, qui & illud regnum poſt periurium occupauit iniuſte, maximus aduerſarius regis Angliæ, & domini Vrbani Papæ, conceſſit in fata, à ſuis prius impocionatus, vt ferunt, ſatiſq; pœnitens de ſuſcitatione belli iniuſti contra regnum Angliæ & adhæſione antipapæ, qui cum conſilio ſuorum procerum, ducem Burgundiæ iuniorem, ſcilicet fratrem ſuum conſtituit regni Francorum rectorem, antequam moreretur, eique commendauit paruuli filii ſui omniſquedomus ſuæ tutelam, eo quod infantulus nondum aptus fuerat ad regnandum. Andegauenſis autem dux, maior frater Caroli, poſt mortem eius ægre ferens minorem fratrem ſibi prælatum, nam ad ipſum ratione ætatis ſpectaſſet (vt aſſeruit) regni *Caroli Franciæ Regis mors.*

X tutela,

tela, cæpit aduerſari manifeſte ſibi, adhærente ſuæ parti domino de Cliſſon & nonnullis aliis de potentioribus regionis, facta eſt diſſentio publica atque notoria inter eos, ita vt pene plus timerent inuicem alterutram crudelitatem, quã noſtri exercitus Angliæ, qui tunc impune circum patrias equitabat, potentiam ſiue numeroſitatem.

Acta noſtratum in Francia.

Dux tamen Burgundiæ vt oſtenderet ſe idoneum regni cuſtodem, iam tunc cum fratre confligere non reputauit expediens, quando cerneret noſtrates circumquaq; patriotas perimere, patriam vaſtare tam flamma quã gladio: quare collecta apud vrbem de Troys qua potuit multitudine de tota terra præter terras Andegauenſis Ducis & domini de Cliſſon, quas ſciuit propter memoratam diſſentionem ſibi parere nolle, ad numerum fere quatuor millium armatorum, & de communi plebe magna multitudine, ſtatuit noſtratum impedire viam, eos in itinere pueniendo, vt quoquo pacto compelleret ad pugnandum: quod vt noſtris eſt compertum, decreuerunt Francos præcedere ſine mora, ne forte eis aliquod impedimentum cõtingere poſſet, ſi Gallici eos præceſſiſſent: & factum eſt ita. Collectique ſunt noſtri ſubito ante eos, non modicum mirantibus ipſis, quo modo noſtratibus ita cito ipſorum conſilium innotuiſſet. Cumq; certam noſtri elegiſſent ſtationem, vt armatos ſtatuiſſent ordinate & pulchre diſpoſitos per turmas ſuas, cariagium quoq; (quod Garcinas appellamus) à tergo locaſſent, ecce quidam ex Gallicis egreſſi ſunt, tranſgredientes quandam nouam foſſam, quam iidem Gallici ſibi fecerant pro ſui exercitus maiori tutamine ad pugnandum contra noſtrates, quos illico ſine grandi negotio quidam è noſtris foſſam relinquere, & ad ſuos retrocedere compulerunt, obtẽta ex eis eadem foſſa, & multis ſuper eandem interfectis, quod factum Gallicis mox pauorem incuſſit adeo quidem grandem, vt amplius dictam foſſatam egredi non auderent. Ciues autem vrbis de Troys tantus metus inuaſit, vt ſine mora (collectis quibuſque de rebus pretioſiſſimis) ad partes alias pauidi tranſmigrarent: credebant namque noſtros repente irruituros ſuper eos, & eorum vrbem, quam rebantur nullo modo cuſtodiri poſſe contra eos. Noſtrates vero poſt prædictum certamen per aliquor horas expectantes in loco, cum nullum è Gallicis vlterius eos infeſtare vel impetere velle pcepiſſent ſine magno damno cum victoriæ gloria receſſerunt, diutius ibidem immorari cauentes, imo quammaxime, quia neſciebant qualiter res cum duce Britanniæ (in cuius adiutorium miſſi fuerant) ſe haberent, quanquam fortaſſis ſi poſt prædictũ conflictum, vel Francos impetere, vel dictam vrbẽ inuadere decreuiſſent, magnum eiſdem commodum excreuiſſet tali facto. Sed amor ducis & inuictum mandatum quod acceperunt ad feſtinandum ad ſuccurſum ſuum, eos à tali propoſito auerterunt, qui tamen tam periculoſa itinera peragraſſe, tam confertos hoſtes & loca hoſtilia penetraſſe, tantos labores non conſummaſſe, ſed inchoaſſe, in aduentu & approximatiõe Britanniæ cognouerunt. Enimuero dux, cuius amoris intuitu hæc omnia temptare, (vel inductus metu vel allectus mercede) in partem conſenſerat aduerſam per ante, vt multis conſtaret ſanioris capitis, cum magis timore quam amore Anglicis videntur impendere gratiam vel fauorem, ſi tamen gratia ſiue fauor ſunt dicenda, quæ vel ab inuito, vel coacto quouis pacto extorquentur. Iam nunc vel ſero ſaltem cognoſcere poſſunt Anglici ſuam proteruam & indiſciplinatam imprudentiam & ſtultitiam irrefrænabilem, qui omnium credentes ſpiritui, ſenſum, vires ſuas, atque ſubſtantiam in omnem ventum diſpergentes, & velut metuentes ne terra ſua habitatores eius deuoret, eoſdem emirunt, qui defenſio, protectio & iuuamen eſſe poſſent, in mari vel peregrinis regionibus conſumendos. Et dum magis cauent alienis periculis, ipſi iacturam irrecuperabilem patiuntur, & periculis ſe exponunt, ipſorum more, qui vitantes Scylleam voraginem in Charybdim impingunt. Quis enarrare poterit quanta diſpendia, quantos luctus mors domini Iohannis de Arundelia, & nobilium perditio, qui cum eo ſimilem ſenſere fortunam, inuexit incolis Anglicanis? quæ plaga regionis, quæ prouincia, quæ ciuitas ſiue villa quenquam non amiſit in illa infauſta expeditione, in quam de roto regno valentiores conuenere? Puto nullus aut rarus angulus in tota terra vacauit à luctu, vbi non mater filium, vel vxor maritum, aut quis affinem vel cognatum in ipſo naufragio ſe doluit amiſiſſe. De ſubſtantia rerum pretioſarum amiſſarum, ſiue pecunia, qua pauperes apporiati ſunt, & terra depauperata pro illius exercitus, exhibitione ſileendum exiſtimaui, cum anima ſit plus quam eſca, & corpus quam veſtimentum, eum inſanabilis ſit plaga terræ tot fortibus morte percuſſis, tam generoſis perditis, tam probis ſubmerſis: & tamen hiis omnibus non obſtãtibus, adhuc inſenſata patria iterum militiam legere, iterum expenſas parare, iterum optimos

mos & probatiſſimos regionis dubiis fatis committere non veretur. Ecce enim in expeditionem Britannicam emittitur ſimul fere tota nobilitas ad hoſtes manifeſtos & publicos, priuatos & dubios deſtinatur, quę ſi non magis diuina cura quam patrię ſuæ fide fota fuiſſet, forſitan nunquam patriam reuidiſſet. Præſertim cum hinc Gallici certi hoſtes, illinc Britones dubii vel occulti (in circuitu eorum conſtituti) dolos & malitiam, inſidias & fraudem iugiter meditantes; eos quouis pacto prodere vel circumuenire tentabant. Nam quotiens à Francis, dum per totum regnum Francorum audacter equitabant, dum vaſtabant patrias flammis atq; ferro, dum quicquid libuit, pro voluntate in ipſo itinere verſus Britanniam diſponebant, ibidem inſidias occultas & manifeſtas ſunt perpeſſi, dicere longum foret. Nouiſſime Britāniam ſubintrantes, & cuncta reperientes ibi confuſa, ducē dubium & inſtabilem & nutātem, incolas perfidos & fraudulentos quis diffidere poterit, eos in maximis periculis conſtitutos, & quod magis eſt hiis omnibus; ſuæ gentis propriæ perpeſſi proditionem, dum mox, vt terram Angliæ ſunt egreſſi, derelicti velut mortuus à corde, è veſtigio pacta confracta, promiſſiones infectæ, & pene omnis ſpes auxilii eſt ſubtracta, vnde niſi dominus cuſtodiuiſſet eos propter vitæ munditiam, cordis innocentiā, quibus effulſere qui ductores fuerunt huius exercitus, nunquam terram propriam reintraſſent. Nempe campi ductores huius turbæ, nō vt pleriq; ceteri, qui duces ante eos fuere, patriam paſſi ſunt deprædari propriam ingreſſu ſuo, non maledictiones pauperum incolarum plebem ad prœlia proceſſuram fiuerunt promereri, ſed potius quicquid fauorem, gratiam, beneuolentiam totius populi inuitaret in terra, antequam ingrederentur maris alta, agere ſtuduerunt. In Francia quoq; cōſtituti, cum pene per totum regnum Franciæ ipſi inuitis Gallicis illæſi tranſiſſent, adeo vt nullum è ſuis per totum illud iter perdiderunt, in tanta felicitate nullatenus obliti ſunt Dei ſui, ſed regi & proceribus, & omnibus religioſis Angliæ, preces deuotiſſimas litteraliter direxere, vt orationes continuare, proceſſiones pro eiſdem facere, & alia pietatis opera exercere dignarentur. Contigit ergo, vt felici fine in propria regione, quamuis in terra hoſtili inſidias paterentur, benedictus Deus, cui placere comprobata ſunt ipſorum opera, cuncta concluſit, & ad propria, cum ſalute, cum honore gratioſe reduxit. Et quidem ipſorum fuit gratioſa regreſſio, qui vbi amicos reperiſſe initio putauere, hoſtes familiares (Britones videlicet) repererunt. Ipſe etenim dux Britanniæ, pro cuius amore (vt præmiſimus) Anglia tot valentes amiſit & nobiles, pro quo (illis omnibus non obſtantibus) iſti tam periculoſa itinera tranſierunt, vt opem ferrent eidem, in ipſorum aduentu, mox vt ad eum peruenere, colloquio cum illis habito de eorum receſſu non de mora tractare curauit. Cuius inconſtantiam ipſi mente librantes, & pericula, quæ eis parabantur pręuidentes, (nam per certos viros partis aduerſæ, qui eoſdem imo diligebant amore, præmoniti, niſi cautius & citius atque ſubtilius ſibi prouiderent, quod vniuerſi (proditione mediante) vel interirent, vel ſaltem vi hoſtibus traderentur) oblatum ab eodem duce aurum nō modicum, ea conditione, vt recederent, ſuſceperunt, & ita (Deo volente, & eos dextera ſua protegente) ad propria ſunt reuerſi, ſine ſuo vel ſuorum damno vel læſione, excepto quod equos omnes vel in mari redeundo, vel in Britannia perdiderunt, & præter illud, quod in obſidione, quam fecere fruſtra circa Maumentenſium ciuitatem, nonnullos valentes amiſere, inter quos nobiliſſimum militem dominum Hugonem Tyrel viderunt iniquis fatis ſuccumbere à quodam baliſtario traiectum.

Hoc anno menſe Nouembris coronatus eſt filius Caroli quondam regis Francorum in Regem, ætatis videlicet decem aut vndecim annorum. Poſt cuius coronationis exacta celebria, cum vniuerſa fere nobilitas regni Franciæ Pariſius conueniſſet, repente orta eſt ſeditio magna communis vulgi & tumultus, & murmur magnum excreuit inter proceres, eo quod totiens non tam apportaſſent, quam deſpoliaſſent patriam diuerſis taxis, quas Gabelas appellant, iam exhibitas Galliariis & nautis, qui nihil commodi regni contulerunt, iam diuerſis exteris, qui eos tutarentur & Anglis officerent, qui nihil profecerunt, iam dominis & regni proceribus, qui eos protegerent, ſed in vanum, nam ipſi proceres, qui eis defenſio fuiſſe debuerāt, & ipſi patronis opus habebant, cum cernerent exercitum Anglicanum per totum regnum equitare, flammis & ferro quæq; vaſtare, & nullū è ſuis non tamē eiſdem ſe obuiare, ſed nec quidem reſpicere auſum, ſed quemlibet more fœminarum vel in vrbibus vel caſtellis occultare. Quare pudendū fore dominus aſſerebāt, quod in tāto regno, vbi tot nobiles, tot magnates, tot milites, tot bellici eſſe debuerant, vt merito cōtra quēlibet de exer-

Coronatio Regis Franciæ, & insimulatio communium Pariſienſium.

citu Anglicano decem de facili producere potuiſſent, quod nullus ex omnibus pro regno auderet ſe opponere, vel pro plebe. Pudendū inſup eſſe dicebāt, quod pulchris pollicitationibus totiens populum falſe circumueniſſent, promittendo, ſi iam & iam tantum ſoluiſſent, ſe Angliam ſubiugaturos, ſi modo tamen pendidiſſent pacem habituros, & nullū ipſorum verū verbum ſtetiſſe, quin etiam tūc Anglos in medium eorum conueniſſe, & Francos menriculoſe domi reſidere, nihil omnino patriæ prouidere, ſed vniuerſa Anglorum direprioni derelinqui. Quapropter ſcirent proculdubio plebem nullatenus velle vel taxari, vel taxationibus acquieſcere, quin potius relictis Rege ſuo & proceribus, qui continue eorum apporiationi ſtudebant, ad Anglos ſe conferre, quos ſciuerunt magis placide dominaturos ſuper eos, quam Gallicos ſuos dominos naturales. Et talia conclamantes, vix manus poterant continere, quin in quoſdam regios familiares & conſiliarios iniicerent manus ſuas. Duces igitur & magnates cernentes populum exacerbatum, vim ſibi timentes inferri, plebem cum omni manſuetudine demulcentes, vix ad horam ſedare vel compeſcere potuerunt. Igitur Rex & regni maiores in quendam locum munitum ſe contulerunt, facientes illud Poetæ conſilium:

Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori.

ibidem rerum euentum prēſtolaturi. Plebs vero ſequenti nocte cum furoris cōtinuatione progrediens, domum cuiuſdam ex maioribus ciuitatis, cuius conſiliis imputabanr ſe totiens taxis vexatos fuiſſe, funditus diruerunt, & omnia vbiq; vrbis loca perluſtrantes, quotquot ex Ianuenſibus galeariis reperire poterant immiſericorditer trucidarunt, quoniam (vt ipſi aſſerebant) pene exhauſerant ſine fructu totam pecuniam regionis. Et reuera grandis fuit ſumma, quam quotidie receperunt, quæ nimirum excreuit per dies ſingulos ad ſeptingentas quinquaginta libras, quæ per æquales portiones viginti quinque galeis diuidebantur, & quidem per tempus prolixum, ab initio menſis Maii, quo menſe primo Galeæ audent occiduum ſulcare Oceanum, vſque ad finem Auguſti, poſt quem pertimeſcunt in noſtro mari propter procellas & turbines immorari. Dux Lancaſtriæ Iohannes ſæpius nominatus, per hoc tempus ad infeſtandum Scotos perfidos & rebelles mittitur in partes boreales, cum decentiſſima ſatis turba ad exturbandum, ſi expediret totum regnum Scotorum. Occaſio profectionis iſtius extitit Scotorum irruptio turbulenta, dum (vt præmittitur) ſatis inhumane partes Cumbrorum & Weſtmarorum, necnon villam de Penreth hoſtiliter inuaſiſſent. Sed quid Dux ibidem tractauit, quam fructuoſa eius profectio fuerit, conricere poteris ex vniuerſis ſuis profectionibus antecactis: nam Scoti verſipelles & falſi, poſt eius tractatum (licet elaboraſſet pro pace, tam illorum, quam noſtratium quammaxime, plura damna irrecuperabilia regno Angliæ irrogarunt. Nam vt prætermittamus plurima, Scoti nos non ſolum deceperunt, ſed deriſerunt. Eo tempore vaſtata fuit pene prouincia Northumbrorum, noſtri exercitus hoſpitatione, in tantum, vt prouinciales iuramento firmarent magis æquanimiter aduentum Scoticani exercitus pertuliſſe, quibus legaliter ſiue licite poterant reſtitiſſe, quā Anglorū aduentantium ea vice, de quib. reuerentia cognitionis & patriæ, necnon metu legum, non poterant vindicari. Poſt idcirco apporiatam patriam, poſt expenſam incredibilem auri ſummam, videlicet vndecim millium marcatū per ante collectarum de communi plebe, reuerſus eſt exercitus, nil boni reportans patriæ, præter equos quos ſuſceperat ad vſus proprios comparatos à Scotis ea vice.

Profectio Ducis verſus Scotiam, & depauperatio regni.

Hiis diebus, quos inanes duxit noſtra militia, quidam pauper inuentas litteras quaſdam ſigillatas attulit Iohanni Philpot, qui conuocatis ſociis ciuibus, vnam aperiens, partiæ proditionem legit in ea, & ſigillo exteriori inſpecto, cognouit ſigillum fore Radulphi de Ferrariis militis, qui inter regios conſiliarios fere tenuit primum locum: moxq; alias quatuor litteras eodem firmatas, primo regni cancellario, deinde Regi defert: quibus inſpectis, & ſigno Radulphi cognito, nec non conſiderato, quibus perſonis directæ fuiſſent, Rex, Regiſque quod pro tunc aderat, conſilium plurimum admirati ſunt, & eo præcipue, quod miles tam ſenex, in quo etiam magna ſpes patriæ ſita fuit, proditionibus inſeruiret. Namque directa erat vna ex ipſis Bertrando Cleykyn, alia Bruero de la Riuer & Franciæ Camberlano, vna vero domino de Clyſſon, & vna patrono Galeiarum, & Duci Francorum & Hiſpanorum exercitus, qui eodem tempore per diuerſa loca maritima remigantes, plurima damna patriæ inferebant. Continebant adeo profunda regis & regni conſilia, vt nulli veniret in dubium alium quam Radulphum Ferreis, vel talē, qui priuato regis conſilio aſſiſtebat,

Litteræ repertæ contra Radulphū de Ferrariis.

bat, potuiſſe vel imaginaſſe, vel ſciuiſſe, vel talia denudaſſe. Igitur cum ſumma feſtinatione miſſi ſunt quidam milites cum dicto Iohanne Philpot ad Ducem, qui tunc (vt prædiximus) ad tractandum cum Scotis in partes conceſſerat boreales, cum quo etiam & Radulphus de Ferrariis eadem tempeſtate fuit, ſigilli vero impreſſionibus duci ſecrete monſtratis, vocatus eſt Radulphus de Ferrariis, & ſigillum proprium monſtrare iuſſus, collatione ita facta, impreſſione compertum eſt nihil omnino differre: ad cumulum etiam maioris ſuſpitionis, fatetur idem Radulphus ſe nulli commiſiſſe ſui ſigilli cuſtodiam per tres annos anteactos, vnde viſum fuit hiis, qui tunc aderant, ſatis manifeſte conuictus. Præcepit eum dux areſtari, & in caſtello Dunelmenſi ſeruari, reuerſiſque ad Regem, quos diximus hac de cauſa ducem petiſſe, miſſa ſunt ad eum verba conſolatoria, mandantia, ne concideret in hoc caſu vultus eius, ſed eſſet forti animo, ſciens pro certo, ſe nulla damna paſſurum pro præmiſſis. Vnde mox vt talia plebi fuere cognita, contra ducem multa dixerunt verba acerba plena contumelia. Sed qualiter idem Radulphus euaſerit, ſequens quod ſcripturus ſum parliamentum declarabit. Idem Radulphus de Ferrariis, & Barones quatuor, qui parliamento proximo interfuere, manucaptus eſt, donec per magis euidentes rationes ſuam innocentiam declaraſſet.

Comes S. Pauli eiicitur.

Comes ſancti Pauli Walerannus, qui cum coniuge ſua Ioanna Courtenay ſorore domini regis Angliæ paulo ante egreſſus eſt de terra, vel, vt verius aſſeritur, expulſus eſt in propriam regionem propter ſua facinora, ſine ſtrepitu tamen, ne perſona regia dehoneſtari potuiſſet per eum qui tam arcta affinitate eidem coniunctus fuerat, mox vt acrem attraxit proprium, more gentis ſuæ, prodere voluit ſe nō ex corde cum Anglicis ambulaſſe, ſed ficte potius & doloſe: reuera nacta mox oportunitate vt peruenit ad propria, magnates Francorum adiit, qui nouo Regi aſtiterunt, filio ſcilicet Caroli ſupradicti, qui eius negotia regi regiſque conſilio promouerent: nec mora, gratanter ab vniuerſis admiſſus, regis Camerarius eſt effectus, factuſq; eſt aduerſarius publicus, ita vt cunctis conſtaret Anglos ex eo fouiſſe ſerpentem.

Flandrenſes faciunt pacem.

Flandrenſes videlicet de Gandauo poſt multa ac damnoſa litigia, poſt diutinam obſidionem, ſed inanem, poſt cædes ac mortes quibus affecti ſunt, & patriotas ex parte Comitis affecerunt, quibus & ſuperiorem manum continue reportarunt, id comite poſtulante & obſidionem diſſoluente, pacem fecere cum eodem, ſed modico tempore duraturam.

Parliamentum apud Northamptonam.

Circa feſtum ſancti Martini nutu quorundam conſiliariorum, contra voluntatem, & citra conſenſum pene cunctorum regni magnatum, & præcipue contra voluntatem Londonienſium, coactum eſt parliamentum apud Northamptoniam, eo quidem omnibus magis graue, quod contra hyemem & in tali loco fuit celebrandum, vbi nec copiam focalis facile potuit reperire, nec hoſpitia apta tātæ turbæ. Cauſa vero, quare prædicti conſiliarii ibidem parliamentum eſſe coſtituere, fuit appetitus vltionis, quam ſumere auebant de Iohanne Kyrkeby, qui fuerat interfector ipſius Ianuenſis mercatoris, de quo ſupra tetigimus in hoc libro. Reuera conſiderauerunt animoſitatem Londonienſium, cogitaueruntque, prout erat futurum, ſi Londoniis parliamentum fieret, nequaquam Londonienſes paſſuros eundem I. Kyrkeby pro occiſione prædicti Ianuenſis morte puniri, quin potius ſi talia Londoniis temptare conarentur, ſibimet periculum imminere. Vnde præhibito ſecum conſilio, vt præmiſimus, Northamptoniæ parliamentum fieri procurarunt, in quo nimirum parliamento trahi & ſuſpendi fecerunt eundē Kyrkeby, Londonienſib. vniuerſa cernentibus: & nouam taxam ad opus Regis, & eorū præcipue qui nuper cum domino Thoma de Wodeſtoke per Franciam in Britanniam Armoricam miſſi ſunt, coegerunt exigi, ſcilicet de quolibet ſacerdote religioſo dimidiam marcam, & tantum de vnaquaque fœmina religioſa, de ſacerdotibus quoque ſecularibus tantum, & ex ſingulis capitibus regionis, virorum ſcilicet coniugatorum & non coniugatorum, ac etiā mulierum, 12. denarios, non ſine diris imprecationibus leuari fecerunt: quod quidem factum cauſa fuit inauditi mali in terra, vt ex poſteris eluceſcet.

Anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo octogeſimo primo, qui eſt annus regni Regis Richardi à conqueſtu ſecundi quartus, poſt feſti natalis domini gaudia celebrata, coactum eſt conſilium Londoniis, in quo abſolutus eſt ab officio theſaurarii Dominus Thomas Brantygham Epiſcopus Exoniæ, & ſubrogatus eſt dominus Robertus Hales magiſter hoſpitalis, miles in primis magnanimus atq; ſtrenuus, ſed qui non placeret communitati. Circa præſens tempus aduectæ ſunt Tieres

Southamptonam, quas caricas alii vocare ſolent, refertæ multi generis ſpeciebus & vinis, aliiſq; diuitiis, quæ non modicum profuerunt incolis vniuerſæ terræ tempore Quadrageſimali.

Opiniones Iohannis Wickliff.

Eodem tempore ipſe vet[illegible] hypocrita, angelus ſathanæ, Antichriſti præambulus non nominãdus, Ioannes Wy[illegible]if, vel potius Wickebeleue hæreticus, ſua deliramenta continuans, viſus eſt abſorb[illegible] Iordanem, & omnes Chriſtianos mergere in abyſſum, reaſſumens quidem dam[illegible]as opiniones Berengarii & Okleſe, aſtruere laborauit poſt conſecrationem in miſſa à ſacerdote factam remanere ibidem verum panem & vinum, vt fuere per prius, Chriſtum ibidem vt vbiq; aſſiſtere, ſed ſpecialius, & non plus valere panem illum quam alium, niſi ſolum propter benedictionem à ſacerdote datam. Quinimo ſi ibi eſſet corpus Chriſti, aſſeuerauit in fractione ſe poſſe frangere collũ Dei ſui. Affirmauit præterea Chriſtianos errare in veneratione illius ſacramenti, quod panem eſſe dicebat & rem inanimatam, & potius venerãdum eſſe bufonem, vel quodlibet animatum, quam illud, quia multo præſtantiorem eſſe fatebatur rem animatam, quam quæ carebat anima: & talia delirando multos ſeduxit in eundem errorem.

Factum militis de corpore Chriſti.

Vnde quidam miles de comitatu Wilshire iuxta Sariſburiam, nomine & cognomine Laurentius de ſancto Martino, non diſſimiliter ſeductus, cum inſtante feſto paſchali viuificum ſacramentum ſumere debuiſſet, petiit à ſacerdote ſuo, vt in vigilia ipſius feſti ſibi daret communionẽ ſanctam, qui iuxta vota poſt miſſarum ſolemnia obtulit quod petebat. Miles vero poſt datam à ſacerdote hoſtiam, illam manu recepit, & continuo ſurgens, ad domum ſuam (portans corpus dominicum) properauit. Sacerdos igitur præter ſolitum vidẽs militem delirare, & mox inſequitur, clamans & adiurans, ne tantam iniuriam faciat ſacramento, ſed illud ſibi reſtituat, vel Chriſtianorum more honorifice tractet & ſumat: ſed nihil omnino preces illius profecere vel clamores, quin miles illud excluſo præſbytero, adhibitis oſtreis di-

Panis quidem cũ deo miſſa comparandus.

uideret, & partem cum oſtreis, partem cum cæpis, & partem cum vino deglutiret, affirmans quemlibet panem apud domum ſuam tanti eſſe valoris, quanti fuit ille, quem ſumpſiſſe tali modo gaudebat. Famuli vero ſui, qui de tam horrendi facti nouitate ſtupuerunt, hæc omnia exteris retulerunt. Sacerdos igitur parochialis, quem ſtimulabat nimia amaritudo mentis ob tantum ſcelus commiſſum à milite, Sariſburienſi epiſcopo, Magiſtro Radulpho Ergom, cuncta per ordinem inordinate patrata narrauit. Epiſcopus autem mox militem citari mandauit, quem comparentem & factum nullatenus abnegantem, admonuit, quia vir in illis partibus magnæ æſtimationis fuerat, vt domum rediens diuerſos ſibi notos clericos aggregaret, & cum illis de ipſa re tractatum haberet, ſi forte diuinitus reſpectus interim gratiam conſequeretur ſalubrius ſentiendo de præfato ſacramento, compariturus interim certo die coram Epiſcopo ſupradicto: quod & factum eſt, & die præfixo rediens, iuxta doctrinam clericorum, qui ad eum confluxerant in huius rei gratiam cõfeſſus eſt ſe male ſenſiſſe de ſacramento altaris, multumq; peccaſſe in dehoneſtatione ſacramenti: quare ab epiſcopo & cunctis qui aderant, veniam ſuppliciter deprecatus eſt. Epiſcopus ergo eius videns conuerſionem, & attendens humilem confeſſionem, in partem pœnitentiæ iniunxit eidem erigere Sariſburiæ (in loco publico) crucem lapideam, in qua per ordinem rota feries huius rei ſculperetur, & vt ſingulis feriis ſextis vitæ ſuæ diſcooperto capite, nudis pedibus, in ſola interula & femoralibus, ad eandem crucem veniret, & coram ea totius facti peccatum publice & per ordinem (flexis genibus) fateretur: aliaſque iniunxit ei pœnitentias, tam publicas quam priuatas, quas longum foret huic paginæ commendare. Hæc idcirco ſcripſi plenius, vt omnibus eluceſcat, quanta mala beſtia (quæ aſcendit de abiſſo) collega ſathanæ, Iohannes Wickliff ſiue Wickebeleue ſeminauit in terra.

Cardinalis Papæ Angliam expilat indulgentiis.

Pileus tituli ſanctæ Praxedis, præſbyter Cardinalis, per iſtud tempus venit in Angliam cum duce Tarſiliæ & multis nobilibus ex parte Imperatoris, locuturus de conditione matrimonii contrahendi inter ſororem eiuſdem Imperatoris & Regem Anglorũ, & regnum de inæſtimabili ſumma pecuniæ vacuaturus. Nam (vt aſſeruit) poteſtatem afferens inauditam, in breui totum regnum ad ipſum cõfluere fecit pro diuerſis gratiis impetrandis: reuera diuerſa diuerſis beneficia contulit, indulgentias, quas dominus Papa concedere ſolummodo cõſueuit & ipſe cõceſſit, biennales, triennales, confeſſionales literas quibuſlibet ſoluentib. gratanter indulſit. Ad capellanatum domini Papę, tam poſſeſſionatos quam mendicantes admiſit, nec aurum eorum reſpuit, qui

qui notarii publici effici precabantur. Altaria quoque portatilia nulli pecuniam offerenti negauit. Quadraginta libras cum aliis donis Ciſtercientium non repulit, quũ glorioſe concederet eis licentiam generalem veſcendi carnibus extra monaſterium indifferenter, vt in monaſterio edere conſueuerunt. Excommunicatis gratiam abſolutionis impendit. Vota peregrinationis ad Apoſtolorum limina, ad terram ſanctam, ad ſanctum Iacobum, non prius remiſit, quam tantã pecuniam recepiſſet, quantam iuxta veram æſtimationem in eiſdem peregrinationibus expendere debuiſſent. Et vt cuncta concludam breuibus, nihil omnino petendum erat, quod non cenſuit intercedente pecunia concedendum. Interrogatus autem in qua poteſtate hæc faceret, cum ſumma indignatione reſpondit, ſe Romæ (ſi ſcire vellent) eius poteſtatem omnibus reſponſurum. Iam iamque adeo referti erant argento eius ſacculi, vt aduenientibus eius miniſtri reſpondere dedignarentur, niſi aurum afferrent, dicentes, afferte nobis aurum, argento enim veſtro pleni ſumus. Receſſurus autem, aurum nec argentum poſt ſe nequaquam relinquere voluit, ſed ſecum ſuper ſummarios deferri fecit, ad tantam quidem ſummam, quantam nunquam Anglia in taxa vel talliagio ſemel pendere conſueuit.

Peridem tempus collectus eſt copioſus exercitus ducis Lancaſtriæ conniuencia, qui in adiutorium regis Portugaliæ mittendus fuerat contra regem Hiſpaniæ qui aduerſabatur eidem. Aſſeuerauit enim idem dux expediens fore regno, vt illuc armatorum copia cum auri abundantia mitteretur. Quatenus Rex Portugaliæ qui pro eis miſerat, maiori charitate regno Angliæ & incolis regionis aſtrictus, maris prohiberet tranſitum apud Gades Herculis, quas moderni vocant, Stricta de Marrachia, galeis quæ de neceſſitate per eum & eius ibidem dominium tranſire in adiutorium Gallicorum & Hiſpanorum ad Occeanum. i. mare infeſtandum Britãnicum vel Anglicum debuerunt. Sic itaq; & Angliam fore tutam, & prædicta duo regna, & præcipue Franciam deludendam aſſeruit. Conſtituti ſunt duces & primarii huius profectionis, dominus Edmundus de Langeley, comes Cantebrigiæ, regis auunculus: dominus Wilhelmus Beauchamp, dominus Botreus, & dominus Matthæus Gournay, & alii plures milites quos non expedit numerare. Qui mare tranſeuntes fæliciter quidem peruenerunt Vlixibonam, ciuitatem metropolim regionis, & à rege gratanter ſunt accepti. Sed præ paucitate ſua ad laceſcendam bello Hiſpaniam minus apti tamen regno Portingaliæ plurimum profuerunt, quia ſatis fortes erant ad defendendum fines regni, & impediendum Hiſpanos, vel ne intrarent regnum hoſtiliter, vel pro votis damna incolis irrogarent. Hiſpani vero putantes ſe plurimum profuturos ſi Vlixibonam obſiderent, in quam noſtrates conceſſerant, adhibitis nauibus & Hiſpanorum magna turba, vrbem obſidione vallarunt, ſed tunc datum eſt eis cognoſcere virtutem Anglorum. Nam cum per multos dies vrbem circumſediſſent, & nihil præter verbera & cruenta vulnera lucrati fuiſſent, tandem (cum dedecore ſoluentes obſidionem) ad propria receſſerunt. Noſtrates igitur eorum cognoſcentes ignauiam, plus animati ſunt, & ſæpius pro viribus & numero Hiſpanos irritantes, expectabant audacius in terra illa, donec fortaſſis ex Anglia plures bellatores mitterentur eiſdem.

Profectio vel expeditio in Portugaliam.

Circa tempus illud Anglorum regnum pro peccatis affligendum, magnum repente & inauditum cunctis ſeculis ſenſit è ſuis membris diſpendium emanaſſe, quod niſi Deus miſericordiarum dominus ſolito bonitatis intuitu citius compreſſiſſet, & regimen omnino deſtructum, & factum fuiſſet cunctis gentibus in ſibilum & deriſum. Ruſtici namque quos natiuos vel bondos vocamus, ſimul cum ruralibus accolis in Eſtſexea maiora ſuis concipientes viribus, & ſpem habentes omnia ſubiicienda ſuæ ſtoliditati, conglobata multitudine pro libertate tumultuare cæpere, & pares dominis effici, & nulli omnino alicuius de cætero aſtringi ſeruicio meditati ſunt. Et vt efficacius ſua vota perducerent ad effectum, mox ad quamlibet primo paruam villam, viri tantum duarum villarum qui auctores & primi motores huius mali fuere, mittere curauerunt, vt omni excuſatione poſtpoſita, omnes, tam ſenes quam florentes ætate, ad eoſdem confluerent armis instructi, prout quiſque poterat, ſcientes eorum bona qui venire ſuperſederent, negligerent, aut contemnerent, diſſipanda, domos conflagrandas vel deponendas, capita amputanda. Terribilis ergo comminatio cũctos coegit accurrere, vt aratri relictis negociis, ſeminandiq; commoditatibus, vxoribus ſuis & prædiis, in breui tantus coactus ſit numerus, vt ad quinque millia recenſerentur viliſſimorum communium & ruſticorum, quorum quidam tantum

De miſeria quæ contigit Angliæ in tumultu natiuorum vel ruſticorum & aliorum communium.

Digitized by Google

baculos,quidam rubigine obductos gladios,quidam bipennes ſolummodo, nonnulli arcus præ vetuſtate factos à fumo rubicundiores ebore antiquo, cum ſingulis ſagittis(quarum plures contentæ erant vna pluma)ad regnum conquerendum conuenere.Inter mille vero de talibus,de facili non videndus erat vnus armatus,ſed omnes vt magnum numerum conficere,credebant totum regnum illis reſiſtere non valere. Vt autem maioris roboris firmamento lætari poſſent, Cantium tranſmiſerunt nuncios, qui eos certificarent de illorum voluntate ſimul & propoſito, & inuitarent ad occurrendum eiſdem pro libertate adquirenda,pro iſto negotio contuendo, demum, pro regno regniquè malis conſuetudinibus immutandis.Cantiani itaque rem audientes votis per ante deſideratam pluries, tollentes moram illico & ipſi, congregata non parua manu communium & ruſticorum iiſdem comentis, quibus diximus Eaſtſaxones ſuas congregaſſe turbas,in breui fere totam prouinciam ſuam ad ſimilem tumultuationem concitauerunt. Moxque vias omnes quibus peregrinando itur Cantuariam obſidentes, & peregrinos vniuerſos cuiuſcunque condicionis exiſterent,areſtantes iurare compulerunt. Primo vt regi Richardo & communibus fidelitatem ſeruarent,& nullum regem qui vocaretur Iohannes acceptarent,ob inuidiam videlicet Iohannis ducis Lancaſtriæ, qui propter maritagium filiæ Petri quondam regis Caſtellæ,& hæredis,ſe dicit regem Caſtellæ. Et quod parati eſſent quandocunq; placeret pro eiſdem mittere, ad veniendum & obuiandum eiſdem,& quod omnes conciues vel conſortes ſuos inducerent ad tenendum cum eiſdem,& nullæ taxæ de cætero leuandæ in regno acquieſcerent aut conſentirent,niſi quintædecimæ quam patres & anteceſſores eorum ſolummodo nouerunt & acceptauerunt. Itaque factum eſt, vt mox fama huius facti in Southſexiam,comitatus Hertfordiæ & Cantebrigiæ, Suffolchiam & Northfolchiam repente diffunderetur. Eratque magna expectatio totius plebis, quid ſi vellent hæc omnia,& quorſum tenderent cepta tam audacter multis coniicientibus pro meliori futura,quibuſdam timentibus ea in pernitiem totius regni ceſſura. Diuiſionem namque regni præloquebantur talibus auſis euenire,& per conſequens eius deſolationem & deſtructionem.Et cum acciperent indies incremẽtum huiuſcemodi congregationes,& iam fere factum fuiſſet eorum numerus infinitus,ita vt nullius reſiſtentiam pertimeſcerent,cæperunt facta monſtrare quędam quę mente conceperant,& omnes & ſingulos iuris terræ peritos, tam apprenticios quam ſenes iuſticiarios,& cunctos iuratores patriæ, quos appræhendere poterant, ſine vllo reſpectu pietatis,capitis truncatione mulctare aſſerentes,non, priuſquam illis occiſis, terram ingenua libertate poſſe gaudere. Placuit iſte ſermo vehementer ruſticis,& ex minoribus maiora concipientes,ſtatuerunt omnes curiarum rotulos, & munimenta vetera dare flammis, vt obſoleta antiquarum rerum memoria, nullum ius omnino ipſorum domini in eos in poſterum vendicare valerent:factumque eſt ita. Nec dum euigilare voluere domini ad obuiandum tantis nequitiis, ſed velut ſtertentes, domi quieſcentes,immobiles permanebant : donec Kentenſes & Eſtſaxones appropinquantes ſibi vnum conflaſſent exercitum, quaſi de centum millibus communium & ruſticorum.Currebatur reuera ad eos ex omni parte ab his qui vel oppreſſi fuerant ære alieno,vel cenſuram iuris timebant propter malefacta, & fiebat plebanorum conglomeratio,quantam nullus meminiſſe potuit vel audiſſe inſulis conueniſſe. Cum tanta ergó frequentia ventum eſt ad locum vocatum Blackheth, vbi ſtatuerunt turbam videre collectam,& ſociorum multitudinem numerare. In quo loco dum conſtitiſſent,venerunt ad eos ex parte regis milites, qui cauſam inquirerent commotionis eorum, & quare illuc tantum populum contraxiſſent. Quibus reſponſum eſt ſe pro certis cauſis & negotiis ad habendum cum rege ſuo colloquium conueniſſe, & debere eoſdem nũcios regios remeare ad regem, & intimare ei oportere eum omnino ad eoſdem venire,ad audiendum deſideria cordis eorum. Nunciatum eſt igitur reſponſum regi,& ſuaſum à nonnullis vt ad eos pergere feſtinaret. Archiepiſcopus vero Cantuariæ pro tunc regni Cancellarius magiſter Symon de Sudburia, & dominus Robertus de Hales magiſter Hoſpitalis ſancti Iohannis, tunc regni theſaurarius, obnixe reſtiterunt talia ſuadentibus,dicentes,nequaquam debere regem adire tales diſcaligatos ribaldos,quin potius diſponendum eſſe aliter ad comprimendum ſuperbiam ganeorum.Quæ cum audiſſent reſponſa vulgares,in furorem verſi, iurauerunt ſe regios traditores, Archiepiſcopum, ſcilicet, & Robertum prædictum quæſituros, quo tutiores habere pedes ſe credebant,& eorum capita ablaturos. Et confeſtim iter verſus Londonias arripientes, venerunt ad Southwerk, & omnia loca repleuerunt ibidem,

ibidem,& in regione vicina. Maior ergo Londoniarum & Aldermanni metuentes vrbi,portas mox claudere decreuerunt: ſed commune vulgus ciuitatis, & præcipue pauperiores, fauentes ruſticis, prohibuere Maiorem à clauſura portarum, inferentes vim,& mortem comminantes eidem ſi id facere attemptaret. Itaque factum eſt, vt per totam noctem ſequentem, id eſt, vigiliam feſti corporis Chriſti,libere gauderent exitu & introitu nebulones. Animauit communitatem Londoniarum,& etiam totius regni ad fauendum eis,quod aſſerebant eorum eſſe propoſitum regni tantummodo proditores ſcrutari, & poſtea ceſſaturos. Et eo maiorem fidem adhibuere dictis eorum, quod nihil rapuerunt omnino, ſed omnia emerunt iuſto præcio. Et ſi quenquam reperiſſent in furto, capite priuauerunt,tanquam qui fures maxime deteſtarentur.

In craſtino autem,hoc eſt in ipſo feſto corporis Chriſti,intrantes & exeuntes vrbem,& de libertate acquirenda,de proditoribus capiendis,& maxime de duce Lancaſtriæ, quem inprimis odio habuerunt, cum ſimplicibus communibus Londoniarum verba ſerentes,in breui pauperiores omnes in eorum vota fecere de facili conſpirare. Cum autem eodem die ſol altius eleuatus incaluiſſet, & ipſi pro votis vbique vina diuerſa & precioſiſſima pocula prægustaſſent, & facti fuiſſent non tam ebrii quam dementes (nam Londoniarum Maiores & plebs communis cuncta cellaria illis aperta reliquerant)cæperunt cum ſimplicioribus ciuitatis multa tractare de proditoribus,& inter cætera ſe mutuo cohortati ſunt,vt properantes Saueyam, hoſpitium ducis Lancaſtriæ,cui nullum vſquam in regno in pulchritudine & nobilitate potuit comparari, iniectis flammis conflagrarent, ad diffiduciandum videlicet ipſum ducem,quem proditorem vocabant, & metum cæteris proditoribus incutiendum. Placuitque ſtatim ſermo vulgaribus Londoniarum, & ipſi in primis fœdum reputantes,ſi quiſquam duci ante eos iniuriæ aut damni aliquid irrogaret, illico velut amentes cucurrerunt,& ignibus in giro coniectis, deſtructioni loci vacabant. Et vt pateſceret totius regni communitati eos nõ reſpectu auaritiæ quicquam facere, proclamari fecerunt ſub pœna decollationis, ne quis præſumeret aliquid vel aliqua ibidem reperta ad proprios vſus ſeruanda contingere, ſed vt vaſa aurea & argentea quæ ibi copioſa habebantur,cum ſecuribus minutatim confringerent, & in Tameſim,vel in cloacas proiicerent. Pannos aureos & holoſericos dilacerarent, & pedibus conculcarent,anulos & alia iocalia cum lapidibus præcioſis impoſita, mortariolis contererent, vt poſtea nullis vſibus apta forent. Et factum eſt ita. Deinde,vt nullum genus dedecoris præterirent, quin duci cuncta imaginabilia irrogarent, arreptum quoddam veſtimentum præcioſiſſimum ipſius, quale Iacke vocamus, & impoſitum lanceæ,pro ſigno ad ſagittas ſuas ſtatuerunt. Et cum parum damni inferre ſagittando valerent,depoſitum ſecuribus & gladiis confregerunt. Quibus perpetratis ſatis malicioſe,etiam locum qui vocatur Temple Barre, in quo apprenticii iuris morabãtur nobiliores, diruerunt ob iram quam conceperant contra Robertum de Hales, magiſtrum Hoſpitalis ſancti Iohannis, de quo præfati ſumus, vbi plura munimenta quæ iuridici in cuſtodia habuerunt,igne conſumpta ſunt. Et amplius inſanientes, illã domum nobilem Hoſpitalis ſancti Iohannis de Clerkenwell,immiſſo igne ardere fecerunt per continuos ſeptem dies.

Illuceſcente die Veneris, die iræ,die tribulationis & anguſtiæ, die calamitatis & miſeriæ,non dum finitis matutinis apud ſanctum Albanum, venere de villa de Barnet ſub feſtinatione maxima, qui nunciarent communes mandaſſe, vt aſſumptis ſecum communibus villarum de Barnet & de ſancto Albano, cum armis quibus ſe defendere ſciuere melius,Londonias feſtinare properarent: ſin alias, viginti millia eorum ſimul acceſſura ad incendendum villas præfatas, & eos cum poteſtate magna adductura. Res ſtatim notificatur Abbati, qui timens eorum aduentum, & damna ex eo ſecutura,confeſtim conuocatis vniuerſis curiæ ſuæ famulis & villanis, Londonias feſtinare rogauit,ad mitigandum eorum malitiam,& impediendum aduentum. Nec mora,villani feſtinant & abbatis armigeri ad occurrendum eis & Londonias iter accipiunt cum feruore. Diſſimiliter tamen hii & illi, de Abbathia ſcilicet & de villa, quia noſtrates ad proficiendum,villani vero ad officiendum ſe pararunt. Cum enim ventũ fuiſſet non procul à Londoniis iuxta prædium quoddam Magiſtri Hoſpitalis Sancti Iohannis,cui nomen Heybury,vident ibidem quandam multitudinem (quaſi viginti millium ruſticorum & communis vulgi) qui immiſſo igne in æditiſſimas domos,quæ iam ardebant inextinguibiliter, nitebantur cum diuerſis inſtrumentis cun-

cta quæ incendio diſſolui non poterant ſubuertere machinamentis ſolo tenus. Viſi autem à quodam illorum ductore, qui vocabatur Iohannes Strawe: mox accerſiti & coacti, fidem ei fecerunt quod regi Richardo & communibus adhærerent. Erant pro tunc turbæ ruſticorum in tres partes ſeparatæ, de quibus vna pars vacabat (vt diximus) deſtructioni prædii ſupradicti. Alia iuxta Londonias expectauit in loco le Mileende vocato. Tertia vero occupauerat montem Turris. Ea autem turba quæ prope turrim erat, ita inuerecunda & inſolens habebatur, vt victualia regis quæ ad turrim vehebantur, diriperet inuerecunde. Et inſuper, tanta agitabatur inſania, vt regem compelleret ad concedendum eis Archiepiſcopum & magiſtrum Hoſpitalis ſancti Iohannis, alioſque in ipſa turri occultatos, quos omnes proditores vocabant: alias ſciret ſemetipſum vita priuandum. Rex igitur in arcto conſtitutus, permiſit eos in turrim intrare, & loca ſecretiſſima pro ſua voluntate nequiſſima perſcrutari, qui nihil negare tute potuit quod petebant. Erant eo tempore in ipſa turri ſexcenti viri bellici, armis inſtructi, viri fortes & expertiſſimi, & ſexcenti ſagittarii, qui omnes (quod mirum eſt) animo ita conciderant, vt eos magis ſimiles mortuis quam viuis reputares. Mortua enim erat in eis omnis memoria quondam bene geſtæ militiæ, extincta recordatio ante habiti vigoris & gloriæ, & vt concludam breuiter, emarcuerat à facie ruſticorum pene totius Locgriæ omnis audacia militaris. Nam quis vnquam crediſſet, non ſolum ruſticos, ſed ruſticorum abiectiſſimos, non plures, ſed ſingulos audere thalamum regis vel matris eius, cum baculis ſubintrare viliſſimis, & vnumquemque de militibus deterrere minis, & quorundam nobiliſſimorum militum barbas ſuis incultiſſimis & ſordidiſſimis manibus contrectare, demulcere, & verba modo familiaria ſerere de ſocialitate cum eiſdem habenda de cætero, modo de fide ſeruanda ipſis ribaldis, modo de iuramento præſtando, vt communiter cum eis regni quærerent proditores, cum ipſi manifeſte proditionis notam deuitare non poſſent, quippe qui vexilla & penicellos erigentes, tali modo cum armata manu pro modulo ſuo, ſcilicet modo prætacto incedere non timebant. Et cum hæc omnia facerent, & (vt diximus) plærique ſoli in cameras conceſſiſſent, & ſedendo, iacendo, iocando ſuper lectũ Regis inſoleſcerent: & inſuper matrem regis ad oſcula inuitarent quidam, non tamen (quod mirum dictu eſt) audebant plures milites & armigeri, vnum de tam inconuenientibus actibus conuenire, non ad impediendum manus iniicere, nec verbis ſecretiſſimis muſitare. Intrabant & exibant vt domini, qui quondam fuerant viliſſimæ conditionis ſerui, & præferebant ſe militibus, non tamen militum, ſed ruſticorum ſubulci. Quia (vt credimus) Deus Anglicis demonſtrare voluit, quod non in fortitudine ſua roborabitur vir, nec in arcu vel gladio fore ſperandum, ſed in eo qui ſaluat nos de affligentibus nos, & cuſtodientes nos ſua miſericordia & pietate confundere conſueuit. Sed de iſtis hactenus: modo de his quæ geſta ſunt circa Archiepiſcopum calamum dirigamus.

De his quæ geſta ſunt circa Archiepiſcopum.

Cum ergo fatalis hora veniſſet, in qua manifeſtatum eſt diuinam vltionem incubuiſſe regno Angliæ, ruſtici, ribaldi perditiſſimi, ganeones dæmoniaci, patrẽ communem totius populi Archipræſulem & Primatem quæſituri, inſtinctu diabolico portas turris (vt prætactum eſt) illi per vias glomeratim, & cum clamore terrifico ſunt ingreſſi, reperto vero quodam ibidem è famulis, imperant furibunde, vt eos ducat ad locum in quo pius pater (quem proditorem nominauerunt) deliteſcebat. Is autem eorum mandato contrauenire non audens, deduxit eos ad capellam, in qua poſt celebratam Miſſam, & ſacram perceptam communionem, Archiepiſcopus orationibus inſiſtebat. Nempe non inſcius Archipræſul eorum aduentus & propoſiti, totam noctem præcedentem duxerat in confeſſionibus orationibuſque deuotis: & ideo cũ magna ſecuritate eorum intrepidus expectauit aduentum, frequentiſſime (tam in Miſſa ſua, quam poſt Miſſam ab eo celebratam) mores eorum arguens tali modo: Quando (inquiens) ſunt venturi? Deus bone, quid expectant? iam enim tempus eſſet, ſi Deo placeret vt venirent. Cum autem eos aduentantes audiſſet, cum magna conſtantia dicit ſuis: Vadamus modo (ait) ſecuri, præſtat enim mori cum non iuuat viuere, neque enim ante in vita noſtra in tanta ſecuritate conſcientiæ mortui fuiſſemus. Et poſt puſillum ingreſſi tortores, clamauerunt: Vbi eſt regni proditor? vbi communis vulgi deprædator? Archiepiſcopus vero tanquam nihil omnino turbatus ad clamores eorum, ita reſpondit: Bene (ait) veniſtis filii, ecce, ego ſum Archiepiſcopus quẽ vos quæritis, non proditor aut deprædator. Igitur eo viſo, mox membra diaboli (iniectis in eum manibus ſceleratis) rapiunt de capella, nullum deferentes honorem loco

ſeu

ſeu ſacris altaribus, aut imagini crucifixi, quæ in ſummitate baculi eius figurata erat, poſtremo nec corpori dominico, quod ſacerdos coram eo tenebat: ſed peiores dæmonibus (qui Chriſti ſacramenta verentur & fugiunt) nihilipendentes ſaluatoris præſentiam, trahunt per brachia, per caputium, per diuerſa loca, ad eorum ſectæ ſatellites extra portas ad montem turris. Quo cum perueniſſet, factus eſt clamor horrendiſſimus, non ſimilis clamoribus quos edere ſolent homines, ſed qui vltra omnem æſtimationem ſuperaret omnes clamores humanos, & maxime poſſet aſſimulati vlulatibus infernalium incolarum. Qualibus etiam clamoribus vſi in omni decapitatione cuiuſlibet, & proſtratione domorum, quamdiu Deus permiſit eorum nequitiam impunitam. Non tamen reſonabant verba inter horrificos ſtrepitus, ſed replebantur guttura multiſonis mugitibus, vel quod eſt verius vocibus pauonum diabolicis. Cum itaque ſtaret Archipontifex inter eos (vt diximus) circundatus nebulonum millibus, & gladios cerneret circa caput eius extractos in numero exceſſiuo, mortem ſibi minitantes circumſtantibus dixiſſe fertur. Quid eſt, chariſſimi filii quid eſt quod proponitis facere? quod eſt peccatum meum quod in vos commiſi, propter quod me vultis occidere? Cauendum vobis eſt, ne me interfecto, qui paſtor, prælatus & Archiepiſcopus veſter ſum, veniat ſuper vos indignatio iuſti vindicis, vel certe pro tali facto, tota ſupponatur Anglia interdicto. Vix hæc verba finire potuit, antequam horriſono clamore perſtreperent, ſe nec interdictum timere, nec Papam, ſolum ſupereſſe ſibi vt collum ſubmittat, qui falſus fuerat communitati & regni proditor, gladiis amputandum. Cernens autem Archiepiſcopus ſibi mortem indubitatam imminere, nec ſupereſſe viam euadendi, poſt plura piæ exhortationis documenta, poſt prædicata verba ſalutaria, vt erat vir eloquentiſſimus, & incomparabiliter vltra omnes regni ſapientes ſapiens, nouiſſime poſt remiſſam ſpiculatori, qui eum decollaturus erat (quantum in ipſo fuit) offenſam necis ſuæ, vt plene videretur ſaluatorem moriendo ſequi, patrem pro perſecutoribus exorauit, flexis genibus collum ferienti ſuppoſuit. Percuſſus vero in collo ſecuri, ſed non læthaliter, appoſita manu vulneri, ita dixit: Ah, ah, (inquit) manus domini eſt. Non dum manum de loco doloris amouerat, & ſecundo percuſſus, ſummitatibus digitorum amputatis, & arteriarum parte, cecidit, ſed nondum occubuit, donec octauo ictu miſerabiliter mutilatus in collo, & in capite dignum (vt credimus) martyrium compleuiſſet. Iacuit ibidem corpus eius inhumatum toto illo die Veneris, in quo fuit feſtum ſancti Baſilii, & in craſtino, nemine illud audente tradere ſepulturæ, propter metum irrationabilis vulgi vndique debacchantis. Percuſſor eius mox diuinam ſenſit vltionem, in furiam actus, & cæcitate percuſſus. Quidam etiam ex ruſticorum turba inſtigatus auaritia, nocte ſequenti eius decollationem, latenter acceſſit ad corpus, vt anulum (qui in digito eius fuerat) furtiue detraheret. Quidam inſuper à multis annis cæcus, quem idē Pontifex diu ex eleemoſina ſua ſuſtentauerat, audita morte eius & cauſa, fiducialiter petiit à Deo per eius merita ſibi viſum reſtitui, & viſum recepit. In ſepultura ſua quidam de Doueria, qui iam duos annos in cæcitate tranſierat, per viſum admonitus ad corpus venit, & ea nocte lumen ſibi redditum fore gaudebat. Mulier quædam quæ impregnata fuerat, & parere nullo modo poterat, poſtulato eius auxilio, eodem die deliberata eſt de tribus maſculis puerulis, qui omnes baptizati ſunt. Multaque miraculorum ſigna alia poſt eius mortem diuinitus ſunt oſtenſa, & diuinæ vltionis iudicia manifeſta in eos qui vel mortis eius authores fuere, vel in eius necem voluntarie conſenſere, quæ in ſequentibus cum res & tempus poſtulauerint inſeremus. Interfecti ſunt cum eo Robertus Hales miles ſtrenuiſſimus, magiſter Hoſpitalis Sancti Iohannis & regni theſaurarius, & Iohannes Leg, vnus ex lictoribus regiis, & quidam frater de ordine Franciſci, ob iram ſcilicet & rancorem quem in ducem gerebant Lancaſtriæ Iohannem de Gandauo, quia familiaris ei fuiſſe dicebatur. Decapitati ſunt eodem die quamplures, tam Flandrenſes quam Anglici ob nullam quidem cauſam, ſed ad explendum crudelitatem tunc dominantium ruſticorum. Erat namq; eis ſolemnis ludus, ſi quem apprehendere poterant qui eis fidem non fecerat, aut cum eiſdem pari mente non gradiebatur: aut ſi quis ex ipſis quenquam exoſum habuiſſet, repente tali detrahere caputium cum clamore conſueto, & mox in plateis certatim ruere ad decollandum eum, nec vllam reuerentiam impendebant ſacris locis, ſed de ipſis Eccleſiis, & in ſanctuariis paſſim, trucidabant quos odio habuerunt. A fide digno etenim referente, cognoui treſdecim Flandrēſes violenter extractos fuiſſe de eccleſia fratrum Auguſtinenſium, quæ ſita eſt Londoniis, & in ſtrata publica decollatos: & ab

Miraculum de mortuo Archiepiſcopo.

& ab alia parochiali eccleſia in eadem vrbe decem & ſeptem, qui omnes (ſpreta reuerentia ſanctuarii, Deique timore, quia tunc temporis ipſa turba maledicta hominem non reuerebatur) conſimili mulctatione capitum fuiſſe peremptos. Cum idcirco tantas tranſgreſſiones perpetrari viderent Rex & qui de eius conſilio fuerant, poſt repentinos tractatus & ſubitos, quia tempus illud diutinam non permittebat deliberationem, & maxime, quia omnes & ſinguli conſternabantur de occiſione Cantuar. Archipræſulis, & regni theſaurarii, qui potiſſimi in regno fuerunt: & quia timebant, occiſis maioribus, minoribus non eſſe parcendum. Dominus rex cum deliberatione conſilii, quod tunc cum eo fuit, vt ſedaret furorem qui tunc in curſu extitit, obtulit eis pacem, ea conditione, vt ceſſarent ab incendiis domorum, & deiectionibus, & hominum interfectionibus, & redirent ad propria, ſine pluri ibidem præſtolaturi chartas confirmatorias pacis prędictæ. Quod Eſtſaxones libenter audierunt, eo quod iam pertæſi diutini laboris, afficiebantur quodammodo domibus, vxoribus & liberis reuiſendis. Statuerunt tamen quoſdam ex ipſis, qui cum illis recedentibus remanerent, pro chartæ regiæ acquiſitione. Factumque eſt, vt recedentibus remanerent Kentenſes tota nocte ſequente.

Ruſtici diſpoſuerunt Londonias ſpoliaſſe.

Craſtinus dies aduenerat, quæ fuit dies Sabbati, dies ſanctorum Viti & Modeſti. 17. Calend. Iulii infra octa. feſti corporis Chriſti, & ecce Kentenſes pene nihil remiſſius egerunt in omnibus ſceleratis operibus, quam die fecerant prędecedente: ſed mortibus hominum, domorum deiectionibus, & incendiis, vacauerunt. Rex autem ad Kentenſes miſit, qui nunciarent ſocios receſſiſſe, de cætero victuros in pace, & velle eis eandem formam concedere ſi eis acceptare placeret. Ductor ergo eorum maximus, dictus Walterus Helier, vel Tyler (nam talia nomina ſibimet impoſuerunt) & ex induſtria vir verſutus, & magno ſenſu præditus, ſi ingenium decreuiſſet bonis vſibus adaptaſſe, pacem quidem ſe dixit amplecti, ſed ſi conditiones ſecundum eius arbitrũ dictarentur. Decreuerat vtique regem regiſque conſilium (quia fortior illis eſſe videbatur) vſque in craſtinum cauillationibus ſuſpendiſſe, vt nocte ſequenti ſuum peruerſum propoſitum liberius conſequi potuiſſet. Cogitauerat etenim in ipſa nocte, quia cuncti communes pauperes, videlicet vrbis Londoniarium illis fauebant, ciuitatem deſpoliaſſe, occiſo prius rege & maioribus ſibi adhærentibus, & eam quatuor locis iniectis ignibus conflagraſſe. Sed qui ſuperbis reſiſtit Deus, humilibuſque dat gratiam, non permiſit eius impias imaginationes & affectus ad finem vſque perduci, ſed gratioſe & ſubito iniquum eius conſilium diſſipauit. Cum enim trina vice chartæ fuiſſent ſibi conſcriptæ, ſecundum formam quam in ſequentibus demonſtrabimus, & nulla illarum illi placere potuiſſet, nouiſſime rex deſtinauit ad illum quendam è ſuis militibus, qui vocabatur Iohãnes Newton, vt non tam inuitaret quam rogaret eum, quia ſuperbia eius nota erat ſatis, regi ad accedendum, & tractandum cum rege de articulis pro quibus inſtabat ſuę chartæ inſerendis, de quibus vnum inſerã noſtris chronicis, vt legentibus conſtet clarius cæteros fore contrarios rationi.

De ſuperbia Walteri Tyler.

Voluit namque ad alia commiſſionem pro ſe & ſuis obtinuiſſe, ad decollandum omnes iuridicos, Eſcaetores, & vniuerſos qui vel in lege docti fuere, vel cum iure ratione officii communicauere. Mente nempe conceperat, doctis in lege necatis, vniuerſa iuxta communis plebis ſcitum de cætero ordinari, & nullam omnino legem fore futuram, vel ſi futura foret, eſſe pro ſuorum arbitrio ſtatuenda. Fertur re vera cum ſuperbia magna dixiſſe, pridie quam iſta fierent, appoſita manu ſua ſuis labiis, quod ante quatriduum omnes leges Angliæ de ore ſuo & labiis emanarẽt. Igitur cũ (vt diximus) dominus Iohannes Newton pro acceleratione inſtaret penes eum, indignando reſpondit: Si tibi (ait) multum feſtinandum fuerit, redeas ad dominum tuum regẽ, ego vero veniam cum placebit. Poſt regreſſum vero militis, & ille vectus equo ſubſecutus, ſed tamen paulo tardius: Cumque veniſſet vt eſſet non procul à loco in quo rex conſtitutus fuerat, Smithfield appellato, deſtinatus eſt ad eum ſecundo prędictus miles, ad audiendum & referendum vota ſua. Miles autem dextrarium inſidens acceſſit ad eum, auditurus quid dicere proponebat. Ille quidem indignatus quia equo vectus miles acceſſerat, & non pedes, mox cum furore dixit, decere eum potius pedes quam equum inſidens ſuæ pręſentiæ propinquare. Miles vero non dum oblitus omnino militiæ ſuæ veteris probitatis, illico ſic reſpondit: Sedenti (inquit) tibi in equo, non eſt iniurioſum me equitem acceſſiſſe. Ad quod verbum indignatus nebulo, mox extracto cultello, quem dagger vulgo dicimus, ictum militi minabatur cum adiectione verborum quibus eundem militem proditorem appellauit. At miles abhor-

rens

rens illud nomen, eum mentiri aſſeruit animoſe, extracto contra eum æque tali cultello. Econtrario ribaldus non ferens inter ſuos ruſticos illatam contumeliam, parauit in militem irruiſſe. Rex igitur videns militi periculum imminere, vt mitigaret animum pro tempore ganeonis, militem iuſſit equo deſcendere, & cultellum quem extraxerat reddere nebuloni. Cumque non ſic mitigari poſſet eius elatus animus, quin omnibus viis & modis vellet in militem irruere furibunde, acceſſerunt ad regem (qui iuxta ſtabant) Maior Londoniarum Wilhelmus Walworth, & plures de militibus & armigeris regiis, aſſerentes dedecus inauditum & interminabile, ſi illis præſentibus, rex permitteret nobilem militem tam pudendæ morti ſuccumbere coram eo. Quapropter ſuccurrendum fore ſibi celerius, & ribaldum areſtandum. Quibus auditis, Rex (quanquam puer eſſet & tenerioris ætatis) concepta audacia, iuſſit Maiori Londoniarum vt eum areſtaret. Maior autem vir incomparabilis animoſitatis & audaciæ, indubitanter eum illico areſtauit, librato ictu eius capiti, qui eum plurimum perturbauit. At mox ab aliis miniſtris regiis circumcluſus gladiis, diuerſis in locis corporis tranſuerberatur. Corruenſque de equo in terram, primum dedit ſpem Anglicanæ militiæ fere mortuæ communibus poſſe reſiſti. Statimque vt communes viderunt eius ruinam, præ dolore mortis clamauerunt: Mortuus eſt Capitaneus noſter, proditioſe peremptus eſt ductor noſter: Stemus ſimul, moriamur cum ipſo, ſagittemus & vindicemus viriliter mortem eius. Tenſis ergo arcubus ſagittare pararunt. Rex vero vltra ætatem mirabiliter ingenio præuentus, & audacia concitus, calcaribus vrgens equum ad eos acceſſit, & in circuitu eorum equitans, dixit eis: Quid eſt hoc homines mei? Quid agitis? Nunquid ſagittare vultis regem veſtrum, non cauſemini, nec ſitis triſtes de morte proditoris & ribaldi. Ego enim ero rex veſter, ego capitaneus & ductor veſter, ſequimini me in campum, habituri omnia quæcunque vos petere delectabit. Hoc autem fecit rex ne ruſtici in amaritudine mentis conſtituti ignem immitterent in domibus apud Smithfeld, vbi fuerunt quando ductor eorum præfatus proditor eſt occiſus. Igitur in apertum campum ſecuti ſunt regem & milites qui cum eo erant, nō dum plena deliberatione certi, vtrum regem perimere debuiſſent, an omnino conquieſcere, & domum cum charta regia remeare. Interea Maior Londoniarum cum ſolo quodā famulo feſtinanter equitans ingreſſus ciuitatis, clamare cæpit: Ciues optimi, gratiſſimi, piiſſimi, ſuccurrite ſine mora regi veſtro perimendo, mihique ſuccurrite veſtro Maiori in eodem periculo conſtituto, vel ſi nō decernitis mihi ſuccurrendum propter mea demerita, tamen nolite relinquere regem veſtrum. Hæc cum audiſſent optimates de Londoniis, & cæteri quorum cordibus amor regis inhæſerat, ſubito decenter armati ſunt ad numerum mille virorum. Et mox parati in plateis conſtituerunt, expectantes quenquā ex militibus qui eos ducere poſſet ad regem. Obtulitque fortuna pluribus Robertum Knolles, quem omnes rogauerūt, vt eſſet ductor eorum, ne incōpoſite & inordinate venientes facilius frangi poſſent. Qui gratanter duxit partem illorum, partem vero alii milites fulgentem armis ſplēdidiſſime ad regis præſentiam perduxerunt. Rex autem & qui cum eo erant milites & armigeri de inſperato armatorum numero lætificati, repente circumcinxerunt omnem turbam vndique ruſticorū viris bellatoribus, velut cum oues caulis includuntur, vſq; dum mercenario cōplacuerit quas vult in paſturā emittere, & quas vult morti deputare. Cernere erat ibidem mirabilē dextræ Dei mutationem, modo proiectis baculis, ſecuribus, bipennibus, gladiis, arcubus & ſagittis, ruſticos ad terrā ruere ſuppliciter, gratiā poſtulare, qui parū ante & regis & regaliū vitam in ſua non gratia ſed poteſtate habuiſſe gloriabātur: deliteſcebant miſeri in frugibus, in foueis & antris, in ſiluis, per fugam vel abſconſionem vitā ſaluare cupiētes, in quorū iamdudum manibus, mors & vita nobilium pene totius Loegriæ ſitæ fuerunt. Milites idcirco qui cum rege fuerunt, cupientes, non tā eorum iniuriā quam infamiam in ruſticos vindicare, rogauerunt regem, vt permitteret eos vel ſaltem centum vel ducenta capita nebulonum tollere, vt monumētum eſſet in poſterum, viros ordinis militaris, vel aliquid in ruſticos valuiſſe. Rex vero eorum poſtulationibus noluit acquieſcere, aſſerens plures ex ipſis timore ductos turbam fuiſſe ſecutos, & poſſe tali modo euenire, fortaſſis vt qui nihil peccauerant plecterentur, & delinquentes impunitate gauderent. Iuſſit tamen vt Londoniis ſtatim proclamaretur, ne ciues de cætero communicarent cum illis, nec admitteret quenquā ex illis in Ciuitate ea nocte, ſed permitterent eos ſub diuo ruri pernoctare. Chartam nihilominus (quam petierant ſcriptam ac ſigillatam, ad deuitandum maius ma-

lum pro tempore) tradi iuſſit eiſdem, ſciens nondum Eſtſexiam pacificatam, aut Cātium fore ſedatum, quarum prouinciarum communes & ruſtici parati erant ad inſurgendum, ſi citius eorum non ſatisfaceret voluntati. Tenor chartæ extortæ per vim à domino rege talis extat, mutatis nominibus communitatum, prout diuerſis comitatibus mittebantur.

Charta regis de manumiſſione ruſticorum.

Richardus Dei gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, omnibus balliuis & fidelibus ſuis, ad quos præſentes literæ peruenerint, ſalutem. Sciatis, quod de gratia noſtra ſpeciali, manumiſimus vniuerſos ligeos & ſingulos ſubditos noſtros, & alios comitatus Hertfordiæ, & ipſos & eorum quemlibet ab omni bondagio exuimus, & quietos facimus per præſentes, ac etiam perdonamus eiſdem ligeis ac ſubditis noſtris omnimodas felonias, proditiones, transgreſſiones & extortiones, per ipſos vel aliquem illorum qualitercunque factas ſiue perpetratas, ac etiam vt legariam vel legarias, ſi qua vel quæ in ipſos vel aliquem ipſorum fuerint vel fuerit his occaſionibus promulgata vel promulgatæ, & ſummam pacem noſtram eis & eorum cuilibet inde concedimus. In cuius rei teſtimonium has litteras noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud London. 15. die Iunii Anno regni noſtri quarto. Habita iſta charta, communes ad propria receſſerunt: ſed tamen priora mala facere minime ceſſauerunt, prout demonſtrabimus in ſequentibus, in proceſſu videlicet quem poſt redditum ſuum, villani de ſancto Albano fecerunt. Qui vt plenius cognoſcatur altius materiam repetemus, reincipientes à die exitus ipſorum, ſcilicet die Veneris præcedente.

Proceſſus de maleficiis & malicia villanorum de ſancto Albano contra Abbathiam.

Cum ergo (vt in anterioribus eſt prædictum) villani de Sancto Albano, & famuli de Abbathia perueniſſent ad prædictum de Heybury, ipſo die Veneris in craſtino feſti corporis Chriſti, & inde pertranſiſſent: & Londonias perueniſſent. Mox villani Abbathiæ famulos relinquentes, ad malignitatis ſe commenta conuerterunt, adeuntes namque Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Arcubus, quæ ſita eſt Londoniis, ibidem tractare cœperunt de anceillatione Monaſterii, & quomodo ea quæ diu inter eos ſecrete voluerant, perducere poſſent ad effectum, vt videlicet nouis gauderent bundis circa villam, in quibus libere ſua paſcerent animalia, & piſcationem ſine calumnia in certis obtinerent locis, nec non venationes & aucupationes iterum haberent in certis locis, & pro ſuæ voluntatis arbitrio, molas erigerent manuales vbicunque placerent. Et vt balliuus libertatis nihil interponeret infra villæ limites, & obligationes repoſcerent, quas fecerant, quondam parentes eorum piæ memoriæ Abbati Richardo de Wallyngforde, & alias chartas, ſi quæ forent illis præiudiciales, omnia quoque perſcribendo quæ forent munimenta in Abbathia, vel illis firmamento, vel Monaſterio detrimento. Et vt celerius optatum conſequerentur effectum, quidam laudauerunt Walterum Tyler adeundo ducem ribaldorum & ruſticorum de Cantio, vt accepta ab eo poteſtate, quia nunquam putauerunt maiorem in regno futurum, nec leges terræ de cætero valituras, eo quod iam maxima pars iuridicorum perempta fuerat, & reliqua iuxta æſtimationem ipſorum fuerat perimenda, domum redirent, & ſtrictis conditionibus expeterent quæ volebant. Vt videlicet ſi Abbas decerneret negandum eſſe quod peterent, mox incendium comminarentur domui, & mortem monachis, necnon poſtremo totius Monaſterii demolitioni, vt in eo non relinqueretur lapis ſuper lapidem. Alii vero aſſerebant eſſe ſecurius adeundam regis præſentiam, quæ tunc nulli neganda fuit, & ab eo eſſe petendam litteram, ſub priuato ſigillo Abbati dirigendam, vt videl. Abbas redderet eis libertates, & iura quæ patres & anteceſſores eorum Henrici regis temporibus habuerunt. Laudatum eſt vtrunque conſilium, & tam regem pro littera Abbati dirigenda, quam Walterum promittendis (ſi neceſſe foret) in ſubſidium eorum & loci deſtructione ganeonibus adierunt. Wilhelmus Gryndecobbe qui plura debebat Monaſterio, tum quia educatus, nutritus, & exhibitus ibidem fuerat, tum propter propinquitatem Monachorum, qui eius conſanguinei fuerāt, & pro tunc fuerunt, maximus proſecutor iſtorum negotiorum extitit penes regem, ita vt ſexta vice coram turba regi genua flecteret pro dicta littera, quam obtinuit, obtinenda. Ipſe etiam in primis prolocutor extitit principalis pro iſtis negotiis ipſi Waltero idolo ruſticorum. Fuerunt tamen quamplures alii coadiutores maliciæ ſuæ penes ipſum, qui tantum Abbatem & Priorem, & quoſdam è monachis deprauarunt de iniuſta dominatione in ſuos ruſticos, de oppreſſione communium, de retentione ſtipēdiorum pauperum, & ſeruitium, vt commouerent ipſum Walterum, quanquam non fuiſſet propoſiti ſui, recedere

dere de Londoniis, nec quenquam à ſe de ſuis ſequacibus mittere ad promittendum eis aduentum ſuum, ad radendum barbas Abbatis & Prioris, & cæterorum Monachorum, id eſt, ad decapitandum eos, cum numero viginti millium, ſi neceſſe foret, vel ſi ducerent mittẽdum eſſe pro ipſo. Ità duntaxat vt ipſi in omnibus mandatis eius parerent, & nihil præterirent de vniuerſis quæ mandaret. Et dedit mandata quæ facerent mox poſt eorum aduentum ad propria, ſicuti dederat vniuerſis & ſingulis qui de eo receſſerant, vel receſſuri erant, ſub affirmatione iuramenti, quod nihil præterirent intactum de eius iuſſionibus & doctrina, quæ in ſequentibus educemus: hac ergo accepta ſecuritate, domum redire diſponunt. Præuenit tamen eorum aduentum quidam de famulis Abbathiæ, curſu equorum velociſſimo, & mortuum nunciauit Archiepiſcopum, mortuum theſaurarium, mortuos eſſe quamplures alios, & nullum ineſſe communibus miſericordiam aut gratiam, ſed quoſcunque ordirentur ſine pietate trucidare, decollandum fore Priorem, & alios cæteros monachos periculo ſubiacere, ſi vim & aduentum communium expectarent.

Fugit ergo Prior, & cum eo quatuor monachi, alii quoque familiares Monaſterii nonnulli, & per longa itinera, per magnaque pericula, quidam è monachis equis vecti, quidam pedibus ad Tynemutham tandem trepidi peruenerunt. Villani vero nõ diu poſt receſſum Prioris (vt dicitur) redierunt: ſed ante omnes Wilhelmus Gryndecob & Wilhelmus Cadyndon piſtor feſtinarunt, vt ipſi ſaltem aliquid feciſſe viderentur ante aduentum ſociorum. Cupiebant reuera ſpecialius aliquid illis aſcribi poſſe præ cæteris, vt magni poſtea haberentur. Hii igitur in aduentu illorum nunciauerunt cuncta ſibi proſpere eueniſſe, de cætero non ſeruos ſicut hactenus, ſed dominos futuros eſſe, de magnis & mirabilibus negotiis contra Abbathiam expediſſe. Et ideo inprimis ad diffiduciandum Abbatem, faldas quæ fecerat in Fauconwod & ſiluis aliis, eſſe frangandas ipſa nocte, & portas de Eywood & alias ſiluas quantocius excindendas, domumque ſubcellararii, quæ ex aduerſo ſtratæ ſtabat vbi piſces venduntur, quia videbatur aſpectum burgenſium impedire, & nobilitatem ciuium prægrauare: ſic enim ſe iam vocabant omnibus viis & modis, illico diruendam. Nec mora, ſtulti ſtultorum conſentientes aſſertionibus, ipſa nocte ante quietem vniuerſa (vt præmittitur) in fractione Faldarum, exciſione portarum, & domus ſubuerſione in magna mentis inſania perpetrarunt. Et hic finis diei Veneris apud Sanctum Albanum, & initium malorum ſubſequentium, quæ pro parte in proximo capitulo perorabo, diſtinguendo iam diem Sabbati à die Veneris, vt poſteris facti notitia melius nota fiet.

Igitur die Sabbati mane ſurgentes villici de Sancto Albano, tractaturi de his quæ perpetrata fuerant: Villani cum pompa magna egrediuntur ad Fawconwoode, facta prius proclamatione, ne aliquis domi remaneat qui arma ferre præualet, ſed omnes & ſinguli ſtatim ſequentes egrediantur cum armis & vtenſilibus quibus ſe melius defendere poterant vel ſciebant, ſub pœna decapitationis, & nihilominus ſi domum haberet propriam, deiectionis domus ſuæ, & amiſſionis omnium bonorum inibi repertorum. Grauis interminatio beneuolos & maleuolos coegit accurrere, & accuratius ſubſequi inceutores nequitiæ: Wilhelmum Gryndecobbe, cuius nomen ante pręmiſimus, & Wilhelmum Cadyndon, & alios quos ſuperſedeo numerare. *Quod actum ſit die Sabbati.*

Ventum eſt ad locum præfixum cum turbà multa, habitum & diffinitum eſt cõſilium, quid peterent, quid facerent, quid minarentur. Conſultum eſt de faldis in ſiluis, de ſiluarum portis, vt primo ſi quid pridem fuerit relictum eis integrum, ita vt mox contereretur, ne vllis vſibus de cætero foret aptum: ſecutum eſt opus malicioſum, conſilium impium, & factum eſt ita. Deinde, cum eadem turba regrediuntur ad villam, vbi iam expectabant eorum reditum de villis circumiacentibus, & domino Monaſterii ruſtici, & communes qui per eos non inuitati ſed citati, conuenerant duo millia vel amplius ribaldorum. Dederant namque in mandatis hominibus villarum de libertate ſancti Albani, vt omni excuſatione poſtpoſita, & ſub pœna pręmiſſa concurrerent ſimul, & ſemel, petituri & habituri libertates quaſcunque petere decreuiſſent, & vt nullum permitterent generoſum domi reſidere, ſed omnes ſecum ducerent in auxilium eorundem. Nolentes vero cum eis communiter pergere, & fidem eis facere, decollarent, & eorum habitacula diruerent aut conflagrarent, ſic enim docendo præceperat eis Walterus Tyler, dominus & magiſter ipſorum. Cumque vidiſſent turbam quæ conuenerat ipſorum iuſſu, magnos

ſe reputantes, non modicè confortati ſunt, & eleuatum eſt cor eorum: moxque iungentes dexteras, fidem acceperunt ab inuicem & dederunt. Deinde cum ſuperbia magna ad portas monaſterii properarunt, demonſtraturi quantam poteſtatem adepti fuerant de Waltero prædicto. Cum itaq; perueniſſent ad portas quæ eis apertæ fuerunt, carcerem à ianitore illis aperiri cum indicibili faſtu iuſſerunt. Qui non ignarus illorum propoſiti, quid videlicet præcepturi ſibi fuerant, quidue facturi (nam Abbas per quoſdam de villanis, quorum tetigerat Deus corda, occulte de omnibus edoctus fuerat, & quid facturus eſſet, ianitorem edocuerat) confeſtim oſtia carceris reſerauit. Ingreſſi ergo cunctos vinctos eduxerunt, & liberos abire iuſſerunt, ita duntaxat, vt communitati fidem de cætero deberent & gratiam, & eis inſeparabiliter adhęrerent. Quendam autem quem morte dignum iudicabant, inter alios extractum de carcere, ipſi iudices effecti & carnifices decollauerunt in larga terra ante ianuas Abbathiæ, & caput eum clamore diabolico, quem Londoniis didicerant in decollatione Archiepiſcopi, deferentes ad colliſtrigium in ſublime fixerunt, vt cunctis pateſceret eos nouis vti poſſe legibus, nouis fultos eſſe priuilegiis. Non multo poſt iſtud factum, venerunt & villani de Barnet, villanis de ſancto Albano fœderati, ad ſupplendum prauorum numerum, & ipſi venientes ſimili mente contra Abbathiam. Circa horam diei tertiam, curſu velociſſimo equi ſui vectus, venit de Londoniis Richardus de Walingforde maximus villanorum Sancti Albani, qui ibidem remanſerat pro littera deferenda, pro qua ſupra retulimus Wilhelmum Gryndecobbe regi totiens ſupplicaſſe deferens ante eum vexillum, vel pencellum diſplicatum, de armis Sancti Georgii, iuxta morem illorum qui Londoniis tot ſcelera perpetrarunt. Huius aduentum cum cognouiſſent villani, aſſumpta ſtatim cum eis turba communium patriæ & ruſticorum, quæ (vt diximus) citata per eoſdem aduenerat, obuiam accurrunt eidem ad largam terram, vbi deſcendens equo ſuo, & figens ſtandardum ſuum, iuſſit vt omnis populus veluti ſit in bello adhæreret ſtandardo. Et poſt modicum temporis ſpacium quod indulſit colloquio & conſilio villanorum de habendo tractatu cum Abbate, præcepit communi plebi cum ſtandardo ſtare, & eorum reditum ibidem expectare, donec videlicet reſponſum certum obtinerent, quid Abbas decerneret efficiendum, de petitionibus ei ex parte populi porrigendis. Ingreſſus eſt igitur in Eccleſiam ipſe & plures de maioribus, & illico pro Abbate miſſum eſt in cameram, vt veniret & communibus reſponderet. Ita enim tunc temporis gloriabantur eo nomine, vt nullum cenſerent nomen honorabilius nomine communitatis, nec quenquam de cætero reputaturi fuerunt dominum (iuxta æſtimationem ſuam ſtolidam) niſi regem ſolummodo & communes. Abbas vero qui iamdudum citius mori decreuerat pro libertate tuenda monaſterii, quā quicquam facere quod eccleſiæ ſuæ cederet præiudicio, pulſatus ſuorum Monachorum precibus, monitionibus & aſſertionibus, qui dicebant nil præualere monaſterio mortem ſuam in hac cauſa: & ſi omnino mori decerneret, cum irrationabile vulgus firmiter propoſuiſſet vel obtinere petenda, vel illum & Monachos ſuos morti tradere, Monaſteriumque cremare, tandem victus deſcendit ad eos. Qui cum veniſſet in eccleſiam, poſt breuē ſalutationem, Richardus de Walyngford porrexit eidem breue regium, quod nuper Wilhelmus Grindecobbe, non tam obtinuit quam extorſit à rege, (ſicut prædiximus) cuius tenor eſt talis.

Littera regis directa Abbati pro chartis regiis.

Treſcher en Dieu, à la petition de nous amez lieges de la ville de ſainct Alban, nous voulons & mandons, qui certeines Chartres eſtans en voſtre garde, faits par noſtre progeniteur le roy Henry, aux lez burgeoiz & bonnes genz de la dite ville, de cōmune & de paſture, & de peſcherie, & de certeines autres commoditès expreſſées en meſmes les chartres, à ceo qu'ils diſoiēt faites cea que loy & raiſon le requirent, par ainſi qu'ilz n'ayent matiere de plaindre de ſore à nous pur celle cauſe. Donnez ſoubs noſtre ſignet, à Londres, le .15. iour de Iuin, l'an de noſtre regne quart.

Acta apud ſanctum Albanum die Sabbati.

Dominus autem Abbas, recepta cum reuerentia debita & perlecta litera, informare nitebatur, & cōmouere eos, qualiter omnia talia per placita fuere ſuorū patrum temporibus terminata, & exinde recordum eſſe apud Weſtmonaſt. in rotulis regiis, vnde iuxta leges regni antiquitus vſitatas aſſeruit eos nullum ius vel clameum debere habere in omnibus quæ petebāt. Richardus de Wallingford, omniū prolocutor, reſpondit ad hæc dicens, cōmunes iam pro tempore dominari leges, penitus nō curare, nec rationes tales velle vel expectare vel acceptare, quare conſulo (inquit) vos & hortor ne quouiſmodo communitatem exaſperare tentetis, quæ nullatenus eſt ſedanda, donec

donec cuncta quæ mente conceperant vno modo vel alio nanciſcatur. Cumque nõdum acquieſceret Abbas, ſed rationes & allegationes pro ſe plures faceret, quare non deberet petita concedereri, idem Richardus cum maioribus villæ qui adfuerunt iſto colloquio ſubintulerunt. Conſiderate (inquiunt) ad millia populi ante fores monaſterii feſtinum reſponſum præſtolantis, qui in nos proculdubio ſuum furorem conuertent, ſi diutius immorati fuerimus pro hac cauſa: aut enim decreuerunt obtinere petita repente, aut pro Waltero Tyler nuncios mittere, vt cum viginti millibus veniat in ſubuerſionem loci iſtius & periculum capitum monachorum. Abbas vero tactus dolore cordis intrinſecus, cum audiſſet talia, dixit eis: Heu, heu (inquit) boni proximi, iam triginta duo anni ſunt ex quo Abbas & pater veſter extiti, & nunquam vos infeſtaui vel contriſtaui, ſed quotiens in tribulatione fuiſtis & anguſtia, laboraui veſtris neceſſitatibus & miſeriis depellendis, & vos me omnino ſubuertere nitimini amicum veſtrum & placidum dominum ſine cauſa. Cui illi: Fatemur (inquiunt) vos & æquum & placidum nobis fuiſſe dominum, & idcirco nequaquam propoſuimus in diebus veſtris, vos pro cauſa huiuſcemodi moleſtaſſe. Expectauimus ſiquidem diem mortis veſtræ, vt poſt fata veſtra de ſucceſſore veſtro in hac cauſa triumphaſſemus, ſed iam nihil vobis & nobis ſupereſt, niſi vt pro periculo vos deuitando celerius acquieſcatis: & nos, ne mora nobis etiam vitæ periculum generet, aut communes cum vno reſponſo vel alio reuertamur. Abbas igitur librans pericula quæ incumbebant, ad deuitandum maius malum, minus malum elegit incurrere, & conceſſit eiſdem vniuerſa quæ petere voluerunt. Cernentes idcirco villani iam tempus ſuæ malitiæ arridere, mox petitiones (vt præmiſimus) ſpecificant, poſtulantes nouas chartas illis fieri libertatum, & obligationes quas fecerant ex parte eorum monaſterio, ipſis protinus redonari: nec mora, cupiens Abbas eorum importunitate carere, tradi iuſſit obligationes quæ petebantur, facturus chartas pro illorum arbitrio de quibuſcunque libertatibus voluiſſent. Igitur mox obligationes cum quibuſdam domus munimentis & rotulis quas extorſerant ab Archidiacono, quia nec iura ciuilia, nec canonica de cætero frequentare cogitauerant, in foro villæ iuxta crucem flammis conſumpſerunt: ſed iſta ſufficere non valebant indiſciplinato populo, quin quandam chartam antiquam repoſcerent de libertatibus villanorum, cuius litteræ capitales fuerunt de auro, vna altera de azorio, ſine qua non poſſe ſatisfieri votis populi aſſerebant. Abbas autem affirmauit ſe nullam talem chartam ſcire, nec quidem de illa audiſſe perante, ſed contentos eos eſſe rogauit ad præſens, quod omnia obtinuerant ab eo quæ potuit conferre eis, & nihil negauerat quod duxerant poſtulãdum, velle ſe chartam inter munimenta requirere ſi vſpiam inueniri poſſet, & eis ſine fraude reſignare, tantum iam quieſcerent à furore. Igitur à maioribus de Eccleſia ad minores renunciatur eiſdem reſponſum Abbatis, renunciatur omnia adepturos firmamento ſigillorum Abbatis & conuentus poſt nonam, quieſcere debere ad tempus illud. Tamen interim ribaldi cum inſtrumentis clauſtrum ingredientes, de locutorio forinſeco lapides molares (qui in pauimento hoſtii locutorii in monumentum & memoriam antiqui placiti inter villanos & Monaſterium quondam Abbatis Richardi locati fuerant) leuauerunt, aſportauerunt, & ad communes detulerunt, & ibidem minutant & confregerunt, dantes partem cuique, vt panis benedictus dominicis partiri & conferri in Eccleſiis parochialibus conſueuit, vt videlicet videntes eaſdem particulas, apud ſe recognoſcerent ſe olim in ea cauſa de Monaſterio vindicaſſe. Indultum eſt ſpacium prandio monachorum, ſed quod non proficeret manducantibus, quoniam à facie mœroris & angoris, triſtitiæ & pauoris, cibabantur pane lachrymarum, & panem vtiq; doloris manducabant, & potus eorum fletibus miſcebatur. Quis enim ſanus, vel ſapiens pro tunc lamentari non debuit, videns mutatũ rerum ordinẽ, ſeruos verſa vice dominis imperare, in tantũ, vt vbiq; vita & mors eſſent in manibus ruſticorum qui dominari neſciunt, miſereri nolunt? Quis temperaret à fletibus, cernens nobile caput regni, vrbem dico Londoniarum perditã per diem & noctem integram, & cõmunium voluntati ſubiectam? Quis non expaueſceret cum ipſum caput cleri digniſſimum à viliſſimę condicionis hominibus obtruncatum audiret, Archiepiſcopum ſcilicet in medio regni tam crudeliter interfectũ, & regni Theſaurarium cum eo pariter decollatum? Quis non doluiſſet, regem Angliæ (& nobilitate & dignitate cunctis mundi regibus prę ferendum) in tantum à ſeruis arctari, vt nihil pręter eos facere præualeret, & ipſam nobilem & approbatam regni militiam in conſpectu ſilere ruſticorum, & eorum ſequi per omnia voluntatem?

Congregatio villanorum ad portas ſancti Albani.

Nouiſſime vt ad Sanctũ Albanum redeamus. Quãta triſtitia putandum eſt fuiſſe repleta cor da Monachorum, qui videbant illud celebre monaſterium iam vel conſtare ſuorum indulgentia natiuorum, qui nec indulgere ſciunt, nec amare dominos, vel ipſorum furore & iracundia conflagrandum? Talibus ergo ferculis miniſtrabatur monachis eo die, donec tempus poſt nonam, quo villani pro charta libertatis obtinenda venerunt. Venientibus autem illis, conuenit ad portam monaſterii turba copioſa, amplius quam duo millia nebulonum, qui omnes vna voce, vna mente firmarunt, vel portam magnam illico diruendam, vel chartas Burgenſibus eſſe tradendas. Fecerat autem dominus Abbas quandã chartam fieri ſecundum petitionem eorum, & miſit vt legerent eã in concione villanorum, & ſi dignarentur eam acceptare, paratus erat ad confirmandum eã roboramine ſigillorum Abbatis & conuentus: ſed non potuit placere eis q. ipſi non conceperant, ſed cum magna ſuperbia miſerunt Abbati per quendam armigerum ipſius, vt deſtinaret ſuum clericum cum incauſto & pargamento, vt quod ipſi decernent, ipſe ſcriberet, & expoſt Abbas & conuentus apponerent ſigilla ſua. Abbas vero renunciauit eiſdem ſe confirmaturum vniuerſa quę vellent, vt tantum de cætero forent amici & deſiſterent ab inceptis. Sed poſtquam & clericum habuiſſent, & chartam confeciſſent iuxta vota ſua confirmandam & ſigillandam, non tamen ſatisfactum eſt eis, ſed dixerunt quandam ſupereſſe chartam in monaſterio, libertatum ſuarum antiquarum, quam iurauerunt eis eſſe reddendam, vel monaſterium diruendum. Abbas autem bonos & honoratos armigeros patriæ miſit ad eos, qui nunciarent eum velle ſi cuperent in craſtino coram eis miſſam celebrare, & ſuper ſacramentum (quod ſumpturus erat) cum omnibus ſuis monachis, vel quos ipſi ducerent adhibendos, iuramento firmare ſe nullam talem chartam penes eos ſcienter retinere. Sed nec ſic quidem poterant mitigari, aut omnino recepturi erant quod haberi non poterat, aut in prima ſententia permanſuri. Abbas ergo quid faceret, quem anguſtiæ premebant vndique & dolores nimii affligebant, remiſit eoſdem viros quos ante miſerat, qui nunciarent eis Abbatem in omnibus voluntati ſuæ velle parere, eos quoddã impoſſibile exigere, rogare vt condeſcenderent rationi, & ex quo talis charta nõ potuit inueniri, componerent ipſi chartam quibuſcunq; vellent libertatibus aut conditionibus exaratã, de temporibus Henrici regis, & Abbatis qui tunc ſuperarat annotandã, & ſigillis protinus firmaretur. Sed adhuc ita nõ potuit ſatisfieri ganeonibus, affirmantibus ſe nulli iuramento fidem daturos, velle chartam irrecuperabilem recuperare, aut monaſterium ignibus concremare. Tandem (Deo volente) quia plura damna illaturi erãt ſuis proximis, & non poterant vacare deſtructioni monaſterii ſimul & proximorum detrimento, conuentum eſt, vt more treugarum Abbathia gauderet indemnitate, vſque in craſtinum ad horam nonam, tunc proculdubio ſubitura diſpendium, niſi charta præfata quæ non habebatur, communibus exhiberetur. Nihilominus ruſtici & natiui Abbatis & conuentus ſimul cum cõmunibus patriæ, & quibuſdam de villanis ad numerum mille quingentorum hominum omnis conditionis, perſiſtentes ante magnã portam, inſtigante ſola malitia, totũ ædificium portæ deſtruere ſe velle dicebant, ſi quiſquã vellet percutere primum ictum. In tantũ enim natiui monaſterii infeſti fuere ſuis dominis, vt quamuis concederẽtur eis chartæ libertatis, potius deſtruere monaſteriũ cuperent, quam chartas obtinere præfatas. Mittebatur eis ceruicia abundanter eum panibus in magnis cunis ad portam, vt quilibet biberet & tolleret quod volebat, vt vel ſic pro beneuolentia oſtenſa conquieſcerent: ſed nihil hæc omnia profecerunt, donec quidam de maioribus villæ veniret & periculo ſe obiectaret inter illos conſcientia ad hoc inductus. Hic ergo eum veniſſet, ſatis caute compeſcuit eos, dicens: vos ribaldi quid facitis? quid molimini? nunquid vos intenditis dare primum ictum in proſtratione huius ædificii, qui eſtis extranei vel aduenticii? & non nos potius qui ſumus Burgenſes & liberi huius villæ? quieſcite ab inceptis & Burgenſes ſequimini, & quid ipſi decernunt facere faciatis, ipſi enim vos ducent & ad ducenda ad loca diruenda vel certa facienda. Hoc commento fecit eos à porta recedere, & ad aliam congregationem ſimilium ribaldorum quæ in villa fuerat properare. Vbi quicquid reſtabat temporis illius diei, conſumpſerunt in deiectione domorum, in confractione vtenſilium, vel rerum inuentarum in eiſdem ſecũdum quod didicerant Londoniis à Waltero præfato.

Proclamatio per villanos.

Præſumpſerũt inſuper ſub vexillo regio diſplicato proclamationes facere de vigiliis locãdis circa villam, in numero copioſo, ne forte venirent armati in adiutorium Abbathiæ & occuparẽt incautos de ſemitis obſeruãdis & viis circa fluuiũ & ſanctum Germa-

Germanum, ne vllus exiret ibidem monachus vel intraret, & ſi ibi aliquis apprehendi valeret, vel decollaretur, vel vſque in craſtinum ſecura cuſtodia ſeruaretur, vnde contigit plus quam centum illas obſeruare partes, vt ſi forte Prior monaſterii, vel qui cum eo receſſerant, reuerſi fuiſſent per illam viam inter ribaldos, decollati fuiſſent. Proclamauerunt etiam vt ſi cuiquam deberetur pro mercede vel ſtipendio, vel pecunia de Abbate, Priore, vel monachis ceteris, veniret in craſtinum petiturus, & Burgenſes villæ ſancti Albani ſatisfacere curarent de bonis monaſterii, quantum ſufficere poſſent ipſa bona cuilibet ſic petere volenti. Pluraque magiſteria præſumpſerunt, quæ nimis longum eſſet per ſingula numerare. Dum ergo illi circa talia ſatis inutiliter occuparentur, intrauit quidam cum gladio & perna penticium Abbatis, audacter petens centum marcas ab Abbate donari ſibi, vel certe mox congregata familia impia, ignem immitteret in grangiam S. Petri, & manerium de Kyngeſburi, quæ ſunt ſita prope villam. Fuerat namq; quondam firmarius de Kyngeſburi, & cùm deberet magnam ſummam pecuniæ conuentui, & non haberet vnde redderet, fugam latenter arripuit, legũ cenſuram timens. Iam ergo reuerſus, affirmauit ſe timore Prioris qui eum pro eadem pecunia perſecuturus fuerat, nõ fugam iniſſe, ſed ad amicos tranſiſſe, qui ei ſuccurriſſent de tanta pecunia (quanquam iniuſte) ſoluenda, & modo ſe petere tantam ſummam pro damnis illatis ſibi ratione ſubitæ tranſitionis de manerio, quæ quidem damna dixit ſe incurriſſe per Priorẽ, cum nihil omnibus computatis debuerat: ſed cui debebantur centum marcæ de terminis, quibus occupauit manerium ſupradictum; velle ſibi ſatisfieri iam de præfata ſumma, quia tempus eam recuperandi arriſerat, vel certe prędicta loca daret flammis. Habebat namq; (vt aſſeruit) duo millia communium prope loca, qui niſi abbas citius ſatisfaceret, aduſtione locorũ eius iniurias vindicaret. Quid multa? nulla in tantis turbinibus alia reſtabat via, niſi vt Abbas ſatisfaceret ſuæ petitioni, fraudulente tamen pulſatus ribaldus multorum precibus de centum marcis recepit viginti libras, & abiit, iurans ſe malle quam totam illam pecuniam Prioris habere perſonam, vt ſuas iniurias in eius capite valeret vlciſci, qui nihil vtique vnquam ſibi iniuriatus fuerat, ſed potius eum fouerat, & in multis adiuuerat, donec ſenſit aperte ipſum fuiſſe damnoſum monaſterio, & inutilem debitorem. Hiis & multis ſimilibus damnis, iniuriis & terroribus afficiebantur abbas & monachi eo die.

Tumultuantur villani de S. Albano.

Pertranſita nocte mœroris, in quã monachi conſtituti fuere in maxima perplexitate, quid agendũ foret eo die de conditione propoſita per villanos, niſi charta redderetur, q̃ non potuit reperiri, nec noua fieri, cuncti cõſilium ceperant, fugiendi propter malitiam villanorum (qui occaſiones quærebãt deſtruendi monaſterium per talem impoſſibilem conditionem propoſitam) cępit illuceſcere dies dominicus, in qua & arridere fauorabilius diuina conſolatio pauore depreſſis, mœrore confectis, nempe ſupercilium villanorum repente humiliatum eſt, & ſuperbia heſterna hodie concidit inſperato. Rumores vtique illis plurimum diſplicentes ſpergebantur de morte turpiſſima fœdæ memoriæ ganeonis ſæpe dicti Walteri Tyler ipſorum magiſtri, quod occiſus fuerat coram Rege, & quod communitas Londoniarum confluxerat copioſa ad ſuccurrendum Regi, & vnanimiter reſiſtendum communibus de Cantio Eſtſexia, aliiſq; nitentibus ſe leuare contra Regem. Venerat inſuper ſummo mane quidam ex Regis militibus, qui proclamari fecit pacem ex parte Regis, vt omnes ligei Regis ſub foriſfactura vitæ & membrorum conquieſcerent ab hac hora. Dominus quoque rex miſit præterea chartam protectoriam abbati pro monaſterio & omnibus locis eidem pertinentibus, in hæc verba:

Litera protectoria regis pro Abbate S. Albani.

Richard par la grace de dieu Roy d'Angleterre & de France, & ſeigneur d'Irland, à tous noz lieges & cõmunes des counteéz de Hertford, & de tous autres counteés adioinantz & procheins. Nous vous prions, chargeons, & mandons le plus eſtroictement que nous pouons, & ſur la foy & ligeance que vous nous deuez, que à noſtre treſchier en dieu l'Abbé S. Auban, ne à noſtre maiſon & monaſtere dudit lieu, que eſt de noſtre patronage, ne à nul de gentz, moignes ne autres, ne à nul dez biens dez le dit Monaſtere & l'enclos d'icelle & en quelconques autres places de dite Abbey eſteiãs, ou à luy & à les ſiens apertenãts, vous ne faces, ne ſoeffres eſtre fait en tant come en vous eſt, aulcũ gref, damage ne moleſte quelcõques en cors ne biẽs en quelcõque manier, car ſi le dit abbé ou aucũ de ſiẽs ayt meſpris deuers vous, nous meſmes de luy ferõs le redreſſer & amẽder ſi come raiſon vouldra. Et ceſte noſtre mandemẽt prenez ſi à cueur que nous vous en deuons ſauoir gre ſur tout l'amour & loy alté que

vous portes à nous. Donné ſoubs noſtre grand ſeale à noſtre Cité de Londres le 15. iour de Iuin l'an de noſtre regne quart.

De malitia villanorum ſancti Albani.

Oppidani tamen de ſancto Albano cum hæc omnia comperiſſent, & noua frequenti relatione ſuis votis contraria percepiſſent, adhuc inſenſati & ſine ratione libertates quidem expetere decreuerunt, ipſo die dominico dum adeſſet turba, quæ ipſorum iuſſu citata fuerat ſub forma prænotata, de villis de Lutona, de Watforde, de Barnet, de Rukemerſworth, de Trenge, & aliis circumiacentibus vicis & villis, ne viderentur ab hiis, quos tanto faſtu vocauerant, nimis faciliter fuiſſe territi, vel regiis mandatis & monitionibus paruiſſe. Nihil etenim futurum præuidentes, ſed omnia præſentia ſolummodo conſiderantes, deſideria cordis eorum ſine vlla impoſterum reuocatione implenda putabant. Quapropter parui pendentes chartam regiam quæ pacem obtulit ceſſantibus ab iniuſtis leuationibus & extorſionibus à die Veneris & deinceps, necnon pericula & damna, quæ eos manebant impoſterum pro huiuſmodi inſurrectionibus & turbationibus, conuenerunt cum turba multa mane prima ſabbati, hoc eſt, dominica, vt ea quæ heſterno petierant, hodierno plenius recuperarent. Non tamen tam turbulente, tam immodeſte ſicut prius, ſed pacem & tranquillitatem ſimulantes, petebant chartas præfatas, beneuolentiam promittentes ex hiis inter villanos & monachos orituram, & in perpetuum duraturam, non attendentes, quod: Quia

de male quæſitis vix gaudet tertius heres:
Nec habet euentus ſordida præda bonos.

Vtque omnia hæc tutius agere viderentur, & à maiori velamine obumbrarent chartam de forisfacturæ remiſſione, quam quidam ex ipſis à Rege pro comitatu Hertfordiæ die præcedente obtinuerant & attulerant, quæ (vt prædiximus) conditionaliter remiſſionem & gratiam & manumiſſionem promiſit, communibus occultare & recipere ſtatuerunt, donec ea quæ petituri erant de abbate per phas aut nephas conſequi potuiſſent, vt videlicet ſi eis aduerſitas vlla pro hiis inpoſterum oriretur, excuſationem ſcrupuloſam poſſent prætendere, ſe ſcilicet ante diuulgationem chartæ præfatæ hæc petiiſſe & obtinuiſſe, tanquam voluiſſent ſcienter contraueniſſe mandatis regiis, cum aperte conſtabat eos & ſcienter & voluntarie ſed doloſe non tam petiſſe, quam cum terroribus & minis extorſiſſe, chartas prætactas.

Igitur vt præfati ſumus, die & hora præmiſſis, intrauerunt cameram Abbatis maiores villanorum, & iuxta cōdictum heſternum chartas libertatis exquirunt cum inſtantia, & pro votis accipiunt, ipſis dictantibus quæ volebant, & clerico aſſidentibus & aſtantibus, donec in eorum præſentia cuncta forent inſerta, quæ pro eorum libertate fuerant meditati, ſic enim oportebat fieri, quia nondum turba plene ſedata, non pacificata fuerat, ſed omnia adhuc turbulenta fuerunt & intranquilla. Obtenta autem charta ſecundum voluntatem propriam, de villæ libertatibus chartam exquirunt, qualem ſæpe memorauimus, Abbatem aut monachos nullatenus habuiſſe. Sed quia minus valuit iſto die, quam heri ruſticorum audacia, non tam feruide inſtabant pro eadem vt prius, ſed obligationem eis petunt fieri & ſigillo Abbatis & conuentus firmari, de mille libris Sterlingorum, quod ſi idem Abbas citra feſtum annuntiationis beatæ virginis aliquam talem chartam inuenire poterit, eam villanis reſtituet ſine dolo. Et ſi nulla talis charta poterit reperiri, paratus erit Abbas cum duodecim ſenioribus monachis monaſterii ad iurandum ſuper Euchariſtiam, ſe nullam huiuſmodi chartam penes ſe ſcienter retinere, nec habere, & ex tunc volunt obligationem præfatam nullius eſſe roboris aut valoris. Abbas autem & fratres, quos dudum nimius dolor afflixerat de irrationabilitate villanorum, iam cernentes mitigatam eſſe heſternam ſæuitiam, gaudio gauiſi ſunt, quod conceperant ſpem ſaluandi monaſterii, & eo amplius congaudebant, quod ſperabant meliora noua de Regis audire dominio, & ſubiectione ruſticorum in proximo, maxime quia dominus Hugo Segraue Regis Seneſchallus, & dominus Thomas Percy milites, Abbatem confortauerant ipſo die literaliter, præcipientes vt in vniuerſis pareret vulgi petitionibus, ſciens pro certo ſibi nec ſuo monaſterio de talibus conceſſionibus vllum diſpendium aut præiudicium prouenturum. Paruit idcirco Abbas petitioni præſenti villanorum, & iuxta vota eorum ſcriptum obligatoriū ſub forma præmiſſa (appoſito ſigillo proprio & ſigillo conuentus) confecit & tradidit manibus eorundem. Ipſi autem in hiis omnibus non tanquam ſubditi, ſed velut domini, in camera Abbatis, in capella, in penticio, pro libito deambulabant, & interfuerunt ſcripturæ ipſi, dictantes hoc quod ſcribendum fuerat, & ſigil-

Digitized by Google

& ſigillationi curioſius intendentes: nam pro tunc ſigilla Abbatis & conuentus ibidem fuerunt. Vnde mirabile illud contigit cum charta de libertate villæ vel villanorum ſigillari debuiſſet, quod cum omni cautela & diligentia cera appoſita à ſcientibus ſigillo communi fuiſſet, in quo vetuſtiſſimo opere imago glorioſi prothomartyris Britannorum Albani figuratur, tenens in manu palmam, nulla potuit arte per tres vices auelli vel remoueri de ſigillo, prænoſticans proculdubio martyrem nolle eos fore dominos, ſed velle dominari vt hactenus ſuper eos. Adepti chartam libertatum villæ, & obligationem præfatam, oppidani ibant gaudentes, tunc demum diuulgaturi ad crucem publice chartam, quam obtinuerant de monaſterio, vna cum charta regia, quæ (vt diximus) videbatur indulgere ligeis hominibus Regis, felonias, proditiones, tranſgreſſiones & extortiones per ipſos factas, &c. & manumiſſionem natiuis promittere modo prætacto. Chartam inſuper protectoriam, quam dominus Rex miſerat monaſterio, facta proclamatione demonſtrauerunt, tanquam omnimodam foris beneuolentiam ſimulantes, cum intus malitia regnaret in menſa, vt ex poſteris elucebit.

Nota mirabile de ſigillo communi.

Die Lunæ & Martis ſequentibus conuenerunt natiui omnium villarum pertinentium monaſterio, aſſerentes ſe in mandatis habere, vt omnibus aliis curis poſtpoſitis, exigerent chartas manumiſſionis & libertatis ſecundum tenorem chartæ regalis, qui omnes conſimiles chartas acceperunt in hæc verba: Vniuerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis præſentes literas inſpecturis, Thomas permiſſione Abbas monaſterii ſancti Albani, & eiuſdem loci conuentus, ſalutem in domino. Noueritis nos literas domini Regis inſpexiſſe in hæc verba: Richardus Dei gratia, &c. Harum literarum tenorem antea fuſe explicuimus, in quarum fine adiunctum eſt in charta Abbatis & conuentus: quas quidem literas volumus & mandamus in villa de N. firmiter obſeruari. In cuius rei teſtimonium tam ſigillum noſtrum, quam commune capituli noſtri præſentibus appoſuimus, & hii omnes qui venerunt talia petituri, citati fuerant per villanos ſancti Albani in grauamẽ abbatis & conuentus, & monaſterii detrimentum: nam mox acceptis chartis prædictis, ruſtici æſtimabant ſe ſuper lineam regiam generoſos, & quietos ab omni ſeruitio & conſuetis operibus impendendis, vnde nullum omnino opus, nullas conſuetudines, poſtremo nec redditus quidem facere vel reddere decreuerunt. Hæc de natiuis ſancti Albani, quibus ſimilia perpetrauerunt natiui, vbicunq; terrarum turbatio prædicta deſinit. Iam ad alia loca progrediemur, in quibus aliquot facinus abhominabile perpetratum eſt: reincipimus à dicto die Sabbati, vt plenius cognoſcantur tempus & dies mali.

Charta conceditur cunctis natiuis S. Albani.

Exigit hiſtoriæ confuſum ordinem, confuſio rerum in locis plurimis perpetrata, & vix pro varietate locorum, & diuerſitate facinorum vno tempore commiſſorum, ſeruari poteſt ordo ſcribendi. Ecce enim, dum magna & nimis magna facinora ſcribo diebus Veneris atque Sabbati geſta Londoniis, vix eorum explicare poſſum tragædiam, quin eiſdem diebus occurrunt ſcribenda ſimilia apud ſanctum Albanum, vt prætactum eſt. Nec dum apud ſanctum Albanum exarare poſſum commiſſam miſeriam, antequam ſe offerat alibi aliquod par aut magis execrabile ſeu notabile nephas. Eodẽ die Sabbati (vt generalis eſſe videretur iſta tempeſtas) in partes Southfolciæ & Northfolchiæ miſit Deus iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, & tribulationum immiſſiones per angelos malos, quoſdã videlicet perfidis Eſſexcenſibus perículoſiores, Angelos Sathanæ, qui informarent populum in quiete degentem, populum innocẽtem ad tumultuarionem ſuperioribus ſimilem, & cõnecterent in ſuos dominos corda ſeruorum. Qui confeſtim efficientes magis quam proficientes, duce quodam ſceleratiſſimo preſbytero, dicto Iohanne Straw, qui & ipſe Londoniis fuerat pridie, & inſtructus à ganeone præfato Waltero Tylero, de facili congregauerũt turbam, cuius numerus excedebat (vt ferunt) quinquaginta millia plebanorum. Hii autem iuxta maiorem eorum, qui Londoniis fuerunt, in vniuerſis ſurentes, domos & prædia magnorum virorum legis peritorum proſtrauerunt, legis apprenticios occiderunt, & dominum Iohannem Cauendiſch Iuſtitiariũ regni principalem interceptum decollauerunt, & ſuper colliſtrigium, in foro villæ S. Edmundi de Bury, dominum Iohannem de Cantebrigia, virum induſtrem & ſolertem, Orpheum Tracem, Neronem Romanum, Belgabred Britannum vocis dulcedine pariter & cantus ſcientia ſuperantem, dum à facie eorum fugere niteretur repente captum, crudeliter capitis truncatione peremerunt. Cauſa mortis eius ſatis nota eſt, quia cum eſſet circumſpectus & prudens, cauſas domus ſuæ ſuſcepit tuendas. Et

Furia acta in Northfolchia.

quia

quia fideliter decertauit contra villanos de Bury pro iure monaſterii, accepit (vt diximus) ſententiam capitalem prope villam de Mildenhale, quæ ad ius eiuſdem monaſterii pertinere dinoſcitur, non tam villanorum prædictæ villæ de Bury ſuorum aduerſariorum, ſed propriorum ſeruorum & natiuorum arbitrio ſimul & iudicio addictus morti. Corpus eius fuit vſq; ad ſtaminum nudarum & ſemoralia, in aperto campo ſubdio iacuit inhumatum quinq; diebus, nemine præſumente illud vel auferre, vel naturæ debitum illi minus impendere, propter ſententiam ruſticorum.

Nota de Iohanne Straw ductore plebis.

Perpetrato prædicto piaculo, proceres perfidiæ cum plebe perfida, dictus ſcilicet Iohannes Straw, cum præfata turba ad villam de Bury properant, & nemine reſiſtente ſubintrant, caputq; Prioris prænominari in conſpectu villarum tanquam proceſſionaliter circumeundo inditum ſuper lanceam perferentes, donec ad colliſtrigium peruenirent: quo cum aceeſſiſſent, in ſignum antehabitæ victoriæ, & amicitiæ inter Priorem & Iohannem de Cauendiſch, & deriſionem vtriuſque perſonæ, capita modo velut ad auriculandum, iam quaſi ad oſculandum inuicem ſuper ſummitates lancearum cum maxima amentia coniunxerunt. Poſtremo cum talibus ſaturati fuiſſent ludibriis, vtriuſque caput iterum ſuper colliſtrigium poſuerunt. Deinde mox in odium Prioris quandam domum quam ædificauerat, & à fundamentis de nouo conſtruxerat, diruerunt, quibus perpetratis clauſtra ingreſſi monaſterii, dominum Ioannem de Lakynghuythe cuſtodem Baroniæ illis tradi iuſſerunt, comminantes incendium monaſterio, niſi traderetur. Cumque ſtaret inter illos (mirum dictu) nulli eorum nota fuit perſona ſua. Sed hæc omnia perſecerunt inſtinctu villanorum, qui ad hæc eos (vt facile erit probare ex ſequentibus) occulte conduxerant, ipſis ſe à turba ſubtrahentibus, vt vel ſic à tantis ſceleribus eſſe viderentur immunes. Igitur præfatus Iohannes cauens domus ſuę periculo, reſpondit ſe eſſe quem quęrebant, interrogans ad quid à communibus peteretur: ad quem illi, ad mortem (inquiunt) proditor te modo quęrimus, non iam enim diutius vitam protelabis: quibus ille, ad mortem quidem paratus ſum, quam & libenter amplector, ita dũtaxat, vt iſtud monaſterium nullum cauſa mei detrimentum patiatur. Moxque tractus ab eis, eum ingenti vociferatione, quod inueniſſent filium, monachum abduxiſſent proditorem, in foro publice decollatus eſt, octies percuſſus, antequam caput eſſet à corpore ſeparatum, cuius caput illico ſuper colliſtrigium capiti Prioris ſociauerunt. Nec hiis contenti, quendam alium monachum, videlicet Walterum Todington ad conſimilem mortis pœnam quæſierunt: ſed is occultatus diligentiſſime, cum non poſſet inueniri, mortis periculum euitauit. Poſt hæc euoeatis cunctis monachis, dixerunt eos iam diuturno tempore per potentiam oppreſſiſſe conſocios eorum Burgenſes villæ de Bury, quapropter voluerunt, vt in conſpectu communium modo redderent obligationes, quibus obligati fuerant Regi & Monaſterio, ſi contigiſſet eos aliqua temptaſſe contra Abbathiam, necnon & chartas libertatum villæ, quas Cnuto fundator monaſterii quondam conceſſerat, & quas ſucceſſores ſui Reges vſq; in præſens ad firmamentum monaſterii conceſſerunt. Monachi vero ſibi & ſuæ domui metuentes, ſi non parerent voluntati communium, omnia quæ petebantur, quæ ſcilicet vel villanorum firmamento vel illorum detrimento eſſe poterant, in forum coram omnibus protulerunt, iurantes inueniri non poſſe plures chartas (quæ villanorum commodo cedere poſſint) apud eos. Communes autem fidem dictis eorum vix dare volebant, ſed vocatis villanis, qui ſimulabant in iſtis triſtitiam, tanquam diſplicerent quæ geſta ſunt, pręceperunt eis, vt diligenti ſcrutatione ſuperuiderent obligationes & chartas præfatas, & ſi ex hiis non poſſent conſequi veteres libertates edicerent, quibus gaudere ſolebant. Et Abbas, qui in carcere tenebatur apud Notingham, Edmundus Brumſeld, quem deliberare propoſuerant (vt in ſequenti feſto Iohannis Baptiſtę in ſuo monaſterio ſolemniter diuina celebrare deberet, poſt quadrageſimum diem aduentus eius exinde confectam chartam ſigillo ſuo muniret, & cõuentus idem facere ſigillo ſuo communi non differret. Placuit hæc oratio monachis extrema, metuentibus & compellentibus communibus, & ita faciendum eſſe dictantibus, iocalia domus maxima, quandam erucem auream, & vnum calicem de fuluo metallo pretioſum, aliaque nonnulla iocalia clara de monaſterio, quorum pretium excedebat mille libras monetæ tradiderunt viee pignoris manibus villanorum; ea videlicet conditione, vt ſi Edmundus Bromfeld (vt præmittitur) deliberatus à carcere gauderet ibidem Abbatis honore, ſigillum apponeret proprium, vna cum conſenſu communi & ſigillo conuentus infra tempus limitatum libertatibus eorundem. Quod ſi conditio prædicta non eſſet impleta,

pleta, remanerent prædicta iocalia imperpetuum penes villanos. Et ita quidem apud Bury res ſe habebant mirũ in modũ, communibus petentibus pro villanis, quæ ad eos minime pertinebant. De quibus rebus etiã ſcire nõ poterant, qualia quoq; facere non debebãt, niſi informatione & inſtigatione villanorum. Quis vnquam crederet communes quenquam ex monachis eis inuiſum, incognitum, innocentem, ad mortem, petiſſe, quem inſuper eis aſtantem non cognoſcebant, ſi ad hęc minime inducti per alios extitiſſent? Quid ad eos pertinuit libertates exquirere pro villanis? Hæc omnia diſplicebant, cur recedentibus communibus & pace reddita ablata reſtituere diſtulerunt, inexcuſabiles prorſus mihi videntur, vt ex poſteris clarius apparebit.

Conſimilia facta in comitatu Cantebrigiæ & inſula Elienſi.

Exaratis pro parte, quæ apud Burgum ſancti Edmundi contigerunt, prætermiſſis facinoribus apud Cantebrigiam perpetratis, & in comitatu Cantebrigiæ, nec non in inſula Elienſi, quæ non fuere diſparia, ſed omnino ſimilia ſceleribus in mortibus hominum & locorum demolitionibus, ceteris quoque malis quæ docuimus alibi perpetrata, ad ea quæ in Northfolcia geſta ſunt tranſiemus. Igitur conglomerata ibidem communium turba nõ modica, duce quodã tinctore de Norwico, cuius nomen erat Iohannes Litteſtere, cæperunt vt vbiq; locorũ alii fecerant, & ipſi facere, nihil prætermittentes ex omnibus, quæ audierant cõmunes in aliis locis egiſſe, ſed maiora inſuper præſumentes, ad rapinas cæperunt extendere manus ſuas. Igitur nullus pene locus tutus ab hiis eſſe poterat, quorum omnium conſpirauerat ad mala conſenſus. Et quoniam parua videbatur eis ad tanta mala facienda authoritas propria: comitem Southfolchiæ, dominum Wilhelmum Vffforde duxerunt adhibẽdum turbæ communium, vt ſi contingeret inferiores imperi pro talibus cauſis inpoſterum exhibere poſſent maiorem & parem, ſub cuius vmbra vel conniuentia hæc feciſſent. Sed comes præmonitus de eorum aduentu, repente ſurrexit à cœna ad quam conſederat, iter faciẽs per deſertas patrias, per loca vltra citraq; propoſita ſemper declinãs turbas communium peruenit ad S. Albanum, & ita peruenit ad Regem, garcionem domini Rogeri de Boys ſe ſimilans, manticamq; poſt tergum ducens. Communes autem eo fruſtrati, ſubito loca quorundam aliorum militum occupantes, & eos in eiſdem inuenientes, compulerunt in ſua vota iurare, ac pro maiori cautela cum ipſis per patriam equitare. Quod niſi feciſſent confeſtim, morti turpiſſimæ ſuccubuiſſent. Nomina militum, qui eos ſequi compulſi ſunt, fuere, dominus de Scales, dominus Wilhelmus de Morlee, dominus Iohannes de Brewes, dominus Stephanus de Hales, dominus Robertus de Salle, qui Robertus non diu viuus permanſit inter eos, quia diſſimulare neſciuit vt ceteri, ſed cępit eorum facta condemnare publice & horrere, ob quam cauſam à quodam ruſtico repente percuſſus in cerebro, natiuo ſcilicet proprio, expirauit miles, qui mille ex eis ſolus terruiſſet, ſi cõtigiſſet eum aperto marte pugnaſſe contra eos. Ceteri vero cernentes vel eſſe diſſimulãdum, vel turpiter moriendum, caſu conſimili & periculo docti præfati militis, decreuerunt vniuerſa laudanda quæ ipſi laudarent, & vituperanda quæ eis diſplicerent. Vnde contigit, vt in gratiam recepti dicti nebulonis Iohannis Litteſtere, qui ſe regem communium appellabat, mererentur prægustatores effici ciborum eius & potuum, & flexis genibus ei obſequi in prandio reſidenti. Nempe dominum Stephanum de Hales, quia miles honorabilis fuerat, ad ſcindendum coram eo præelegit, & prægustandum cibaria quæ ſumpturus erat, ceteris quoq; alia officia deſignauit. Cumq; iam fatigari communes cæpiſſent, & multi dies pertranſiſſent, conſilium inierunt, vt mitterent duos ex militibus, dominum ſcilicet Wilhelmum de Morlee, & dominum Iohannem Brewes, cum tribus, in quibus fidebant ex communibus, ad regem Londonias vel vbicunque poſſet inueniri, pro charta manumiſſionis & remiſſionis obtinenda, quæ vt ſpecialior eſſet ceteris chartis aliis comitatibus conceſſis aut concedendis, magnam ſummam pecuniæ, quam ceperant de ciuibus Northwicenſibus ſub obtentu ſaluandæ vrbis à cædibus, incendiis & rapinis, pręfatis nuntiis tradiderunt, vt videlicet pacem & libertatem, quam ipſi non meruerant, pecunia impetraret.

Animoſitas Epiſcopi Northwicenſis.

Milites ergo acceptis comitib. de comitiua communium, ad exequendũ properant iniunctum mandatum, & cum perueniſſent ad villam de Ickingham, quæ nondum multum diſtat à villa quæ dicitur Nouum forum, inopinate fit eis obuiam Epiſcopus Northwicenſis, dominus Henricus le Spencer, vir idoneus ſatis armis gerendis bellicis, & ipſe armatus ad vnguem. Audierat namque famam, cum moraretur apud manerium ſuum de Burlee prope caſtellum Regis de Okam in partibus Stanfordiæ, tumultuationis Northfolkenſium, quare propoſuit illuc deſcendere ad

viden-

videndum vtrum clamorem opere compleuerint vel compleuiſſent. Habebat tunc in comitatu ſuo non plures quam octo lanceas, & ſagittarum numerum perexilem. Videns autem milites & quoſdam è communibus, præcipit ſub ligeantia ſua militibus, vt edicerent, ſi qui ex proditoribus Regis præſentes eſſent eum illis. Milites vero quos dudum ruſticalis timor abſorbuerat, diſſimulabant reſpondere, æſtimantes epiſcopum, quia iuuenis erat & audax, inconſulte talia verba protuliſſe, nec habere qui adiuuarent, ſi proditores prodidiſſent. Epiſcopus autem cernens & conſiderans rem, vt erat, hortabatur eos, vt confidenter agerent, & ſi qui adeſſent, traderent proditores. Tunc milites deterſa ignauia & ſumpta audacia reſponderunt, duos ex maximis concitatoribus inter eos adeſſe, tertium pro eorum coemendo prandio alibi conceſſiſſe, ſed & cauſam eorum itineris per ordinem narrauerunt. Epiſcopus ergo ſtatim illos duos decapitari fecit, & tertium ipſemet requirere ſtuduit, ouem ſuam, quæ videlicet perierat, & dum à regia fide deſciuerat, & quę peritura fuerat tunc epiſcopali decreto capite punienda. Fixis ergo capitibus eorundem apud Nouum forum, Epiſcopus cum militibus properat feſtinanter verſus Northfolchiam, ad Northwalſham videlicet, locum in quo communes expectaſſe decreuerant reſponſum regium & reditum ſociorum. In pertranſeundo ergo patriam, ſemper numerus Epiſcopalis augebatur, quia de ordine militari & plures è patria generoſi, qui deliteſcebant timore communium, videntes Epiſcopum militem induiſſe, & galeam aſſumpſiſſe metallicam, & loricam duram, quam non poſſent penetrare ſagittæ, necnon gladium materialem ancipitem arripuiſſe, eius lateri ſe iunxerunt. Epiſcopus itaque cum perueniſſet ad locum præfatum, ſtipatus turba decenti, reperit ruſticos more bellatorum foſſata circumcinxiſſe locum in quem conuenerant, & ſuper foſſam, tabulas, feneſtras, & oſtia cum palis in defenſionem ſui fixiſſe. A tergo autem conſpicit eorum cariagium & carectas locatas, tanquam de fuga minime cogitarent. Nec mora, Epiſcopus Martius aperto Marte pugnaturus, commotus ſuper audacia nebulonum, iubet tubicinib. & clangatorib. ſuis canere. Et ipſe arrepta dextera manu lãcea, vrget cornipedẽ acutis calcaribus, & tanta animoſitate, tanta audacia effertur in eos, vt curſu velociſſimo foſſam præoccuparet citatior ſagittis ſuis, nec erat opus architenentibus ſagittariis, cum res iam manu ad manum cominus ageretur. Antiſtes ergo belliger velut aper frendens dentibus, ſibi nec hoſtibus ſuis parcens, vbi manus conſpicit eſſe periculum, dirigit robur ſuum, hunc perforando, illum deiiciendo, alium vulnerando, non ceſſat lædere vehementer, donec omnis turba, quæ eum ſecuta fuerat nacta foſſa ad confligendum parata foret, idcirco pugnatum eſt acriter ab epiſcopalibus, nec ſecus à communibus, donec (vt aſſolet) infirmior conſcia pattem terreret iniuſtam, & animum ab audacia & voluntate ſubtraheret moriendi. Nihil eſt infelicius quam bella gerere cauteriata conſcientia, qua timor & confuſio ſemper ſolent ingeri, nunquam victoria prouenire. Fugiunt idcirco meticuloſi plebani, & quia nulla alia reſtabat via vltra carectas ſuas & cariagia (quæ retulimus eos à tergo ſuo locaſſe) per ſaltus ire facere elaborant. Sed præſul Imperatoris circumſpecti vbiq; gerens officium, hos conatus elidit, & fugere meditantes cedendo impedit, impediendo cedit, donec captis maioribus turbæ concitatoribus, & ipſo eorum Rege Iohanne Litteſtere, & quot volebat ad vitam reſeruatis, plena victoria potiretur.

Finis Iohannis Litteſtere regis Northfolchiæ.

Epiſcopus itaque præfatum Iohannem idolum Northfolcorum adduxit tractioni & ſuſpendio, nec non decapitationi. Quem auditum & abſolutum virtute officii, ipſemet proſequebatur ad furcas, demonſtrans in eo, quanquam viciſſet eum, opus manſuetudinis & pietatis, ſuſtentans videlicet caput eius, ne colliderctur à terra dum ad ſuſpendium traheretur. Quibus ita geſtis, nondum quieuit Epiſcopus, donec perſcrutatis per totam patriam malefactoribus, iuſtitia fieret de eiſdem. Sicq; pacem peperit regioni, & indicibile toti regno commodum, laudãda probitas & audacia commendanda Pontificis bellicoſi.

Capitulum probans eos in eccleſiæ & fidei Chriſtianæ, necnon regni deſtructionem conſpiraſſe.

Expeditis paucis, quæ in Northfolchia geſta fuerunt, ſuperſedeo ſcribere, quæ mala in Northfolchia, quot damna in reliquis comitatibus per viros diabolicos in turbatione totius regni ſunt expleta: niſi enim dæmoniis pleni fuiſſent, nequaquam in deſtructionem ſacroſanctæ Eccleſiæ & Chriſtianæ fidei, necnon in regni exterminium conſpiraſſent. Probant hæc eorum opera, probant confeſſiones quorundam, qui expoſt capti ſunt, quæ narrabimus loco ſuo. Ex operibus quippe iudicandi ſunt, quia patrem totius cleri & caput Eccleſiæ Anglicanæ Archiepiſcopum Cantuarienſem occiderunt. In fidei quoque detrimentum quid fecerunt, magiſtros ſcholarum gram-

grammaticalium iurare compulerunt ſe nunquam paruulos inſtructuros in arte præfata. Amplius quid fecerunt? munimenta vetera ſtuduerunt dare flammis, & de nouo quis reperiri valeret, qui vetera ſine noua de cetero poſſet vel noſcet commendare memoriæ, huiuſmodi trucidabant: periculoſum erat agnoſci pro clerico, ſed multo periculoſius ſi ad latus alicuius attramentarium inuẽtum fuiſſet. Nam tales vix aut nunquam ab eorum manibus euaſerunt. Quid in regni deſtructionem cogitauerant, probat confeſſio Iohannis Straw, qui fuit poſt Walterum Tyler maximus inter illos. Hic cum captus & Londoniis (Maiore dictante ſententiam) capite priuãdus eſſet, Maior Londoniarum poſtquam damnatus fuiſſet, publice eum taliter eſt allocutus. Iohannes (inquit) ecce mors tua inſtat abſque dubio, & nullam ſperare potes viam euadendi. Quapropter in adiutorium tui exitus & pro ſalute animæ tuæ, abſq; mendacio narra nobis propoſitum, quod inter vos concepiſtis, ad quem finem turbam communium commouiſtis. Cumque aliquandiu hæſitaret & differret loqui, Maior ſubiunxit: ſcias firmiſſime ô Iohannes, quæ præcipio, ſi hiis parueris in animæ tuæ commodum conuerſura, ſed & ego in adiutorium animæ tuæ plures triennales miſſas faciam celebrari, multique qui aderant ex ciuibus idem promiſerunt, vnuſquiſque pro perſona. Ipſe vero iam animatus tam pulchris pollicitationibus ita cæpit: Iam (ait) mentiri non expedit, nec fas eſt falſa proferre, præſertim cum per ea nouerim ſpiritum meum tormentis arctioribus deputãdum, & quia duplex ſpero commodum ex veritate dicenda, primo quia reipublicæ profectura ſunt quæ dicam, & poſtea iuxta promiſſa veſtra, poſt mortem veſtris ſuffragiis adiuuari, ſine fuco eloquar falſitatis. Eo tempore (inquit) quo ad le Blackheth conuenimus, quando pro accerſendo rege deſtinauimus, propoſiti noſtri fuerat, cunctos milites, armigeros, & ceteros generoſos, qui cum eo veniſſent, morti ſubito tradidiſſe. Ipſum quoq; Regem inter nos regaliter exhibitum in vniuerſis, nobiſcum de loco ad locum traduxiſſe, vt eo viſo, omnes & præcipue commune vulgus ad nos & noſtram turbam tranſmigrare debuiſſent audacius, qui viderent ipſum regem eſſe velut autorem noſtrę commotionis. Cumq; innumerabilem turbam conflaſſemus per omnes patrias communis plebis, repente dominos mortificaſſemus, in quibus conſilium contra nos vel reſiſtentia eſſe potuiſſet, & primo & principaliter deſtructioni hoſpitalariorum vacaſſemus. Poſtremo regem occidiſſemus, & cunctos poſſeſſionatos, epiſcopos, monachos, canonicos, rectores inſuper eccleſiarum de terra deleuiſſemus. Soli mendicantes vixiſſent ſuper terrã, qui ſuffeciſſent pro ſacris celebrandis aut cõferendis vniuerſę terrę. Cũ vero nullus maior, nullus fortior, nullus ſcientior nobis ſuperfuiſſet, leges condidiſſemus ad placitum, quibus ſubiecti regulati fuiſſent. Nam & Reges creaſſemus Walterum Tyler in Cantio, & in ceteris comitatibus ſingulos præfeciſſemus. Sed quia iſtud noſtrum propoſitum impeditum fuit per archiepiſcopum, maiori odio exarſimus contra eum, & citius ſtuduimus tradere eum morti. Rurſum eo die adueſperante, quo occiſus eſt Walterus Tyler, propoſuimus, quia commune vulgus Londonienſium nobis fauebat, & præcipue pauperiores, iniectis ignibus in quatuor partibus ciuitatis vrbem repente cremaſſe, & omnia pretioſa reperta inter nos pro libito diuiſiſſe. Et addidit, hæc fuerunt in noſtro propoſito, ſicut Deus me adiuuet in exitu vitæ meæ. Poſt hanc confeſſionem factam decapitatus eſt, & caput eius poſitum ſuper pontem Londoniis iuxta caput collegæ ſui Walteri Tyler. Ecce hic edocuimus, qualiter in regni deſtructionem conſpirauerunt. Ne autem inſufficiens videnda fuerat iſta vnius confeſſio, confeſſi ſunt eadem vel omnino ſimilia plures alii, dum mortem adeſſe præ oculis cernerent, qui expoſt capti ſunt.

Confeſſio Iohannis Strauu.

Si quis ſcire delectat nomina eorum, qui incentores & ductores fuere communium, inueniet hic inſerta pro parte. Primus & principalis dicebatur Walterus Tyler, vel vt quidam dicunt Walterus Helyer, ſecundus Iohannes Straw, tertius Iohannes Kyrkeby, quartus Alanus Treder, quintus Thomas Scot, ſextus Radulphus Rugge. Hic multos multis poſſeſſionibus inueſtiuit tempore ducatus ſui. Hii & plures alii ductores Kentenſium & Eſtſaxonum extiterunt. Eorum qui apud Mildenhale, & Burgum ſancti Edmundi inſanierũt, Robertus Weſtbrom, qui ſe regem fecerat, nominatiſſimus fuit poſt Iohannem Wraw, qui quoniam præſbiter erat (vt diximus) coronam apponere voluit ſuper coronam, ſed contentus vna corona, quę erat ei ſatis competens, ſacerdotali videlicet, nomen regium & coronam ſi placeret, dereliquit præfato Roberto. Apud Northwalham, præfatus Iohannes Litteſtere & nomen & poteſtatem, vt præmittitur, regiam exercebat.

Nomina ductorũ communium.

Opiniones cur hac mala acciderunt.

Acciderunt hæc mala omnia aduerſis prouinciis vno eodemq; tempore, iiſdem fere diebus, quanquam itinere longiſſimo loca diſtarent, infra octauas videlicet feſti corporis Chriſti, multis opinantibus propter remiſſam curam Archiepiſcopi, ceterorumque comprouincialium Epiſcoporum, huius rei præcipue, quam curaſſe debuerant, qua fides & ſtabilimentum Chriſtianæ religionis conſiſtit. Nempe cum nouiſſent indigne agere filios ſuos, Iohannem Wyclif & eius ſequaces, dogmatizando peruerſam & damnatam doctrinam Berengarii de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſtiani, & longe lateque per patrias populum maculando ſuam prædicationem dilataſſe, ita vt pene maiores prouinciarum eorum ſequerentur errorem, quia ſciebant, quod

Mobile verſatur ſemper cum principe vulgus.

& maiorum exempla minores ſequerentur. Nec fuit vllus cornutus, qui volebat, vel audebat tantis malis occurrere, & filios perfidos correptione debita caſtigare, miſiſſe creditur à multis domini tribulationem præfatam, eo præcipue tempore, quo ſpecialem de tranſlatione corporis Chriſti facit ſacroſancta Eccleſia mentionem. Archiepiſcopum vero quanquam credibile eſt eum martyrio finiſſe vitã, tamen propter teporem curæ, quam adhibuiſſe debuerat in hac parte, horrenda mortis paſſione puniſſe, videlicet ſpiritum pie conſulens, vt ſi quid hac occaſione purgandũ in eo fuerat, aut ex alia leui culpa, quia ſine peccato in carne iſta non viuitur, quia dicente ſapiẽte, ſepties in die cadit iuſtus & reſurgit, tam terribili, tamq; graui, & tam aſpera paſſione in hac vita penitus purgaretur. Alii peccatis dominorum aſcribebant cauſam malorum, qui in Deum erant fictę fidei, nam quidam illorũ credebant (vt aſſeritur) nullum Deum eſſe, nihil eſſe ſacramentum altaris, nullam poſt mortem reſurrectionem, ſed vt iumentum moritur, ita & hominem finire. Erant prętere a in ſubditos tyranni, & in pares diuerſi inuicem ſuſpecti, viuendo inceſti, violatores coniugii, Eccleſiæ deſtructores. Alii imputandum eſſe communis vulgi facinoribus dicebant eſſe, quod accidit, quia in pace degentes, bono pacis abutebantur, dominorum facta rodentes, noctes inſomnes in potationibus, ebrietatibus & periuriis tranſigentes, viuebant in terra pacis ſine pace, rixando, litigando, cum proximis contendendo, fraudes & falſitates iugiter meditando, libidini dediti, fornicationibus aſſueti, adulteriis maculati, vnuſquiſque poſt vxorem proximi ſui hinniebat. Et ſuper hæc omnia in fide & fidei articulis plurimi claudicabant. Quare non immerito opinatum eſt iram Dei deſcendiſſe in filios diffidentiæ.

Nota contra fratres mendicãtes.

Mihi quoque videtur, tempora mala non tamen iſtis imputanda, ſed generaliter cunctorum habitatorum terræ peccatis incluſiue ordines ſumendo Mendicantium, ad cumulandum cauſas malorum. Qui ſuæ profeſſionis immemores, obliti ſunt etiam, ad quid ipſorum ordines inſtituti ſunt, quia pauperes, & omnino expeditos à rerum temporalium poſſeſſionibus, eorum legiſlatores viri ſanctiſſimi eos eſſe ideo voluerunt, vt pro dicenda veritate, non haberent quod admittere formidarent: ſed iam poſſeſſionatis inuidentes, procerum crimina approbantes, commune vulgus in errore fouentes, & vtrorumque peccata comedentes pro poſſeſſionibus acquirendis, qui poſſeſſionibus renuntiauerant pro pecuniis congregandis. Qui in paupertate perſeuerare iurauerant, dicunt bonum malum, & malum bonum, ſeducentes principes adulationibus, plebem mendaciis, & vtroſque ſecum in deuium pertrahentes. In tantum etenim illam veritatis profeſſionem ſuam peruerſe viuendo macularunt, vt in diebus iſtis in ore cuiuſlibet, bonum ſit argumentum tenens tam de forma, quam de materia. Hic eſt frater, ergo mendax. Sicut & illud: hoc eſt album, ergo coloratum. Sed ne videamur liuore ſcripſiſſe præſentia, fateamur nos omnes in culpa, & emendemus in melius, quæ ſcienter peccauimus, & Deum pacis & dilectionis deprecemur attentius, vt fiat pax & veritas in diebus noſtris.

Rex colligit exercitum magnum valde contra Kentenſes.

Scripſimus non ſine labore in præcedentibus hiſtoriam tragicam ad poſterorum notitiam & cautelam, de dominatione ruſticorum, debacchatione communium, & inſania natiuorum. Modo redeundum recte videtur ad enumerandum, quos fructus collegerint viarum ſuarum, regis & nobilium dominio reſpirante. Occiſo (vt præmittitur) ſuperbiſſimo nebulone Waltero Tyler, corruit ſpes & fiducia ruſticorum: ſed quia adhuc fluctuabant animi Regis & regalium, conſpicientes plebem pronam eſſe ad malum, conceſſerunt eis chartas manumiſſionis (vt diximus) & remiſſionis forisfacturæ, & eorum quæ ſequuntur, & abire permiſerunt. Quibus geſtis congregari fecit Rex exercitum de Londoniis, & miſit per patrias, vt qui diligerent regem & hono-

honorem regium, accelerarent ad eum Londoniis, armis inſtructi & equis vecti, nullus veniret inermis, nullus pedes, & qui nō habebant arma, remanerēt domi. Et conſimiliter quibus equi defuerunt. Et factū eſt, vt infra triduum numeraret circa ſe quadraginta millia equitum decentiſſime armatorum. Exibat quotidie ad le Blackheth, ad recenſendum numerum aduentantium, ipſe rex inprimis inter armatos equitans dextrarium grandem, & vexillum ante faciem eius portabatur, in exercitu gaudebat conſpici, & ab hominibus ſuis dominus recognoſci. Cum ergo tantus coactus eſſet exercitus, quantus nunquam in Anglia fuit ante conſpectus, audiuit Rex Kentenſes iterum conſpiraſſe, iterum impiam familiam in totius regni perniciem cōgregaſſe. Quid multa? indignatur rex, excandeſcit exercitus, & extemplo in Cantium proficiſci, & totum illud germen Kentenſium & iunctorum ſtatuerunt de terra viuentium eradicare. Sed procerum & maiorum Cantii interuentu, qui fideiuſſere pro communibus, placatus factus eſt, & qui cum eo erant ſuper malignitate, quam dixerant facere toti populo imperito. Et tunc primo miſſi ſunt Iuſtitiarii ad ſedendum & inquirendum de malefactoribus, & eis principaliter, qui auctores, incentores, & concitatores fuere turbarum in Cantio, & ſiluit terra illa in conſpectu eorum, & timuerunt valde. Tunc Maior Londoniarum & ipſe ſedens pro tribunali, cepit tam vrbis illius malefactores quam cunctos qui comprehendi potuerunt de Cantio, Eſtſexia, Southſexia, Northfolchia & Southſolcia, & ceteris comitatibus, vbi communes fuerunt, infra libertatem ciuitatis Londoniarum, ad iudicium audacter trahere publicum, & vniuerſos quos reperit reſperſos præfata perfidia, decollare.

Tunc Iohannes Straw, Iohannes Kyrkeby, Alanus Treder, ductores communium decollati ſunt. Tunc etiam Iohannes Starling de Eſtſexia, qui gloriabatur ſe archiepiſcopum decollaſſe, & ipſe decollatus eſt. Iſte mox poſt illud perpetratum facinus arreptus à Diabolo inſanire cæpit, & domum veniens, nudum gladium à collo ſuo ſuſpendit ante pectus ſuum, & cultellum (quem dagger dicimus) etiam euaginatum ſuſpendit ad tergum, & ita veſanus circuibat per plateas & vicos, clamans & proteſtans, ſe cum eis Archiepiſcopum occidiſſe. Et cum per dies aliquot domi moram feciſſet, rediit Londonias, affirmās ſe mercedem accepturum ibidem illius facti. Quo cum perueniſſet, & conſtanter fateretur ſe Archiepiſcopum decollaſſe, recepit capitalem ſententiam pro mercede. Sed & hoc aduertendum, quod cuncti de Cantio vel Eſtſexia, qui manus appoſuerunt noxias ſuper Archiepiſcopum, cōſimili modo confeſſi ſunt (quanquam inuiti) ſponte tamen venientes, qui in eum commiſerāt, & Londoniis pro maiori parte decollati ſunt. *Decollatio ductorum communium Londoniis.*

Tunc quoq; accidit & villanis de S. Albano prognoſticum futurorum malorū in eadem vrbe. Nam cum quidam illorum conducti & miſſi fuiſſent per Abbatem in ſupplementum regalis exercitus, noluerunt tamē (dubium an pro malitia aut pro ſuperbia) fateri eos miſſos ad regem per Abbatem, ſed velut propria veniſſent autoritate iactitare. Accidit tunc Richardum Peeres, quendam ex armigeris Archiepiſcopi, qui & in obſequio etiam erat Abbatis, & ad robas eius, eos in vrbe videre, & recognoſcere, quod quidam eorum malefactores fuerunt, & incentores malorum geſtorum apud ſanctum Albanum. Quos ſine mora (adhibitis balliuis) trahi fecit ad carcerem, in craſtino proculdubio capitibus puniendos, niſi citatum remedium per abbatis adiutorium adfuiſſet. Nempe carceri mancipati, nullo modo alio ſperauere ſalutem, niſi miſſis nuntiis ad conuicaneos ſuos villanos, edicerent quibus periculis conſtituti eſſent, & eiſdem exponerent, quod niſi ipſi iam adire curarent Abbatem pro ſaluatione eorundem, in craſtino ſine vlla dubitatione fuerant puniendi. Acciderunt hæc in vigilia paſſionis ſancti Albani, octauo videlicet die ab illo die Veneris, quō cæperunt primo contra martyrem calcitrare. Quid plura? venerunt lugubres maiores villæ tempore matutinarum, quæ ſolemnes erant in honore paſſionis dicti martyris, dum conuentus hymnum laudis cantabat, ſcilicet *Te Deum laudamus*, quæſituri remedium proximis ſuis, & accepturi ab Abbate. Cumque finitis laudibus matutinis, expoſuiſſent hæc omnia coram Abbate, ingemuit Abbas vehementer, & vltra modum triſtis effectus, maledixit armigero ſuo, qui cauſa fuerat miſeriæ prædictorum, iurans ſe maluiſſe traiectum fuiſſe gladio, quam talia audiuiſſe, præſertim cum ipſe eos illuc miſiſſet, & aſeribenda eſſet ſibi calamitas, quam patiebantur. Nec mora, accerſito quodam ex commonachis ſuis, iuſſit vt feſtinantiſſime Londonias properaret, non parcendo cornipedi, nec dimittēdo, donec incarceratos liberos abire vidiſſet: qui non ſegniter iuſſa complendo, ſine ſomno nocte perdurans *Nota de villanis ſancti Albani.*

Londonias properauit. Iniunctum eſt ergo præfato Richardo, vt deſiſteret ab inceptis, ſicut diligeret honorem Abbatis: & iuratum coram Maiore, eos miſſos fuiſſe per Abbatem ad incrementum exercitus regii. Et ſic demum poſt magnos timores, ipſo die S. Albani dimiſſi ſunt, præſtito prius iuramento, vt fideles eſſent domino Richardo Regi, & domino eorundem abbati S. Albani. Et hoc initium malorum, quæ contigerunt illis. Nec fuerunt Albanenſes villani abſq; terroribus cunctis feriis ſextis & ſabbatis ex poſt ſequentibus, vſq; ad illam ſextam feriam, qua Rex (vt dicemus) venit ad S. Albanum, ad vlciſcendum iniurias martyris exaſperati per eos. Sed hæc plenius dicemus ſuis locis, interim ſcribendo acta regis vſq; ad tempus prænotatum. Rex ergo interea modo Londoniis, modo ad Waltham morabatur cum turba plurima, cogitans quid agendum pro communi regni commodo & quiete. Placuit tandem regis conſilio huiuſcemodi literas per patrias deſtinare.

Pro reſiſtẽdo pacis regni perturbatoribus.

Richardus Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, vniuerſis & ſingulis vicecomitibus, Maioribus, & balliuis, & aliis fidelibus noſtris comitatus N. ſalutem. Quia datum eſt nobis intelligi, quod diuerſi ſubditi noſtri, qui contra pacem noſtram & inturbationem populi in diuerſis comitatibus regni noſtri Angliæ ſe leuarunt, & in diuerſis conuenticulis & congregationibus ſe poſuerunt, & damna plurima fidelibus noſtris perpetrãdo populo noſtro comitatuum prædictorum, dant intelligi, & affirmant ſe dictas congregationes & leuationes ex noſtris voluntate & auctoritate feciſſe & facere, ac damna perpetrare. Vobis innoteſcimus per præſentes, quod huiuſmodi leuationes, congregationes & damna, ex noſtra voluntate ſeu autoritate minime proceſſerunt, prout nec procedere aut fieri debēt, ſed inde quantũ plus poteſt, nobis diſplicet in immenſum, & ea in noſtri maximum vituperium, & coronæ præiudicium, & totius regni noſtri damnum, & turbationem redundare ſentimus. Et ideo vobis & cuilibet veſtrũ iniungimus & mandamus, quod hoc in locis, vbi melius & celerius pro pace noſtra in hac parte conſeruanda vobis videbitur faciendum, publice proclamari, & pro reſiſtentia quorumcunque contra pacem noſtram (vt prædictum eſt) leuantium manu forti, pro toto poſſe veſtro, ſi neceſſe fuerit, taliter ordinari faciatis, quod pro defectu huiuſmodi proclamationis & reſiſtentiæ, damna vel mala aliqua in comitatibus prædictis per huiuſmodi congregationes ſeu leuationes, vel alio modo, minime fiant ſeu perpetrentur, & ſub forisfactura omnium, quæ nobis forisfacere poteritis, nullatenus omittatis. Præcipientes vniuerſis & ſingulis ligeis & ſubditis noſtris, quod ab huiuſmodi congregationibus, & leuationibus, & damnis penitus deſiſtentes, ad propria ſe trahant, & ibidem in pace morentur ſub forisfactura vitæ & membrorum, & omnium aliorum, quæ nobis forisfacere poterunt. Teſte meipſo apud Londonias 17. die Iunii, anno regni noſtri quarto.

Hæc commiſſio fideles regis & regni plurimum confortauit, & perfidos nec immerito conturbauit. Compulſi ſunt igitur quærere latebras, qui antea videri appetebant, & auſi ſunt de cauernis egredi iuriſte, & qui primitus à facie furoris fugiebant, ibi ſub ſilentio iam expectabant, trementes iudicium & iuſtitiam in eos ſtatuenda. Iſti deterſa formidine gaudentes erigebantur ad iniurias ſuas vindicandas, attamen non in omni parte ad ſimilem timorem ruſtici ſunt perducti, quin vbi primum pullulauit inſania in Eſtſexia. Ruſtici recollecta noua multitudine, ad Billerica, quæ eſt villa prope villam de Hatfeld Penerell, ſic nuncupata, nimis fidentes ſuis viribus, propria decepti ſuperbia, decreuerunt vel extorta libertate gaudere, vel pro eadem pugnando mori.

Mittuntur nuntii per ruſticos ad regem de Eſtſexia pro libertate.

Mittuntur ergo ad regem, qui tunc ad Waltham morabatur, qui ſciſcitarentur ab eo, ſi cogitaret permittere eos præmiſſa libertate gaudere, & amplius peterent, vt eſſent in libertate pares dominis, & quod non eſſent cogendi ad curias, niſi tantummodo ad viſum Franciplegii bis in anno. Rex autem & conſilium, quod tunc aderat, ſuper tanta temeritate ruſticorum admirantur quammaxime, & aliquandiu hæſitatum eſt, quale reſponſum reportarent, donec Rex in perſona propria taliter reſpondiſſet: O (inquit) miſeri & odibiles terræ mariq;, nec viuere quidem digni petitis dominis comparari. Morte turpiſſima mulctandi fuiſſetis proculdubio, ſi non decreta nuntiis obſeruaſſe ſtatuiſſemus. Sed quia more nuntiorum aduenistis, non in præſenti moriemini, ſed vita gaudebitis, quatenus noſtra reſponſa veſtris conſociis narratione veridica nuntietis. Proferte ergo iſta collegis ex parte Regis. Ruſtici quidem fuiſtis & eſtis, in bondagio permanebitis, non vt hactenus, ſed incomparabiliter

tet viliori. Nam ad hoc dum viuimus, & regno Deo dante præfuerimus, ſenſu, viribus & catallis noſtris elaborabimus vos ſuppeditare, taliter vt exemplum ſit poſteris veſtræ ſeruitutis offenſum, & habeant præſentes & futuri vobis ſimiles ſemper coram oculis, & tanquam pro ſpeculo veſtram miſeriam, & vobis maledicendi materiam & timorem vobis ſimilia perpetrandi. Vos autem qui nuntii aduenistis, expleto noſtro mãdato, & veſtræ legationis officio, ſi ad nos redire decernitis, & in noſtra perſeuerare fidelitate & ligeantia, vitam viuetis. Iam ergo eligite, quod melius iudicabitis, cum ad veſtros ſocios perueneritis, & conſummaueritis noſtra mandata. Cumque abiiſſent prædicti nuntii, miſſi ſunt in Eſtſexiam è veſtigio cum armata manu, Dominus Thomas Woodſtoke Comes Buckynghamiæ, & dominus Thomas Percy, frater Comitis Northumbrorum, ad prædictorum comprimendam audaciam ruſticorum. Ruſtici vero (vt prædiximus in ſuperioribus Northfolcos feciſſe) per omnia ſe munierant in foſſatis, plagis, & cariagio, præterquam iſti fruebantur maiori ſiluarum & nemorum tutamento. Qui quamuis fuiſſet eorum magnus numerus, leui negotio diſſipati ſunt, à decem tantum (vt vſu vulgari loquar) lanceis, qui præceſſerunt dominos ſupradictos. Domini itaque cum vidiſſent eos fuſos tali modo, ſepſerunt ſiluas, ne vllus quidẽ euaderet, licet periculoſum fuiſſet eos perſequi intra ſiluas. Et factum eſt vt occiderentur à viris vtriuſq; diuerſis in locis quingenti, ceteris beneficio nemorum protectis & ſaluatis. Ceſſeruntq; ibidem in vſus militum octingenti equi, quos ruſtici ſecum duxerant, pro ſarcinis trahendis aut portandis, ſed nondum ſtatum finis poſt iſtam victoriam, malitiæ nebulonum auſi ſunt, qui euadere poterant, tantam cladem iterum calcitrare, iterum malignari. Nempe recollecti qui diſperſi fuerant, ad Colceſtriam properauerunt, & oppidanos, ſollicitare cœperunt ad nouam tumultuationem & veſaniam ſimilẽ, ſummis precibus, magnis minis, pluribus argumentis: ſed cum nihil profeciſſent, ad Sudburiam commigrarunt. Cognoſcentes autem eorum tranſitum dominus Fitzwater, & dominus Iohannes Harleſton, ſubſecuti ſunt eos cum viris armatis, & repente cum proclamationes ſolitas facerent ex parte communium, inopinate irruerunt ſuper eos, & quot placuit occiderunt, & reliquos vel ad vitam dimiſerunt, vel carceribus recluſerunt.

Rebus ità ſe habentibus in Eſtſexia & Southfolchia, dominus rex volens Eſtſexiam ſua iuſtificare præſentia, ſe contulit ad prædium ſuum, quod dicitur Hauering at the Boure, deinde ad villam de Chelmesforde, vbi conſtituit dominum Robertum Treſilian Iuſtitiarium, vt ſederet & inquireret de malefactoribus & turbatoribus patriæ, & ſecundum regni conſuetudines puniret delinquentes. *Litera renouationis libertatis.* Cum ergo viderent Eſtſaxones fortunam aduerſam, & librarent mala imminentia, ſupplices venerunt ad Regem quingenti, & eo amplius viri nudatis pedibus & diſcoopertis capitibus, veniam ab eo & miſericordiam petituri. Quibus ea conditione conceſſa eſt venia, vt malefactores maiores & concitatores præfatæ turbationis proderent & traderent ipſi regi. Factum eſt ergo, vt multi cuſtodiæ traderentur, ſuper quibus deliberandis vel occidendis, Iuſtitiarius onerauit viginti quatuor homines in eorum conſcientiis, vt nulli parcendo fauorabiliter, nec quenquam propter odium perſequendo, de eorum factis & moribus dicerent veritatem. Et factum eſt, vt plures, dictante duodena, tractione & ſuſpendio interirent, aliquando ſuſpenſis ſuper vna trabe decem & nouem. Viſi ſunt tamen prius iudices, qui ſederunt in Eſtſexia, Cantio & Londoniis, propter multitudinem perimendorum decollationibus ruſticorum, donec viſum fuiſſet pœnam capitalem non correſpondere tantis tamque facinoribus manifeſtis, quia quodammodo erat nimis ſecreta punitio tam euidenti delicto. Ob quam cauſam, expoſt iuxta regni conſuetudines decreuerunt omnes expertos ſceleratiores (vt diximus) protractione ſuſpenſione punire: & in Eſtſexia res vtique taliter ſe habebant. Interea placuit Regi Regiſque conſilio has literas diuerſis prouinciis demandare.

Richardus Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, omnibus, ad quos præſentes literæ peruenerint, ſalutem. Licet nuper in turbatione deteſtabili, per quoſdam ligeos & ſubditos noſtros contra pacem noſtram inſurgentes horribiliter facta, certæ literæ noſtræ patentes ad ipſum inſurgentium inſtãtiam importunam factæ fuiſſent, continentes, quod nos vniuerſos ligeos noſtros & ſubditos communes, & alios ceterorum comitatuum regni noſtri Angliæ manumiſimus, & ipſos & eorum quemlibet ab omni bondagio & ſeruitio exuimus, & quietos fecimus. Ac etiam quod perdonauimus eiſdem ligeis & ſubditis noſtris omnimodas inſurrectiones

per ipſos contra nos factas, equitando & eundo per diuerſa loca in regno noſtro cum hominibus armatis, ſagittarus & aliis viis manu armata, cum vexillis, pennicellis diſplicatis: ac etiam omnimodas proditiones, felonias, tranſgreſſiones & extortiones, per ipſos vel aliquem ipſorum factas ſiue perpetratas, ac etiam vtlegariam, & vtlegarias ſi qua vel quæ in ipſos vel aliquem ipſorum fuerint, vel fuerit his occaſionibus promulgata vel promulgatæ, vel firmam pacem noſtram eis & cuiſiber eorum conceſſimus. Quodque volumus, quod iidem ligei noſtri & ſubditi noſtri liberi eſſent, ad emendum & vendendum in quibuſcunq; ciuitatibus, burgis, villis, mercatoriis, & aliis locis infra regnum Angliæ, & quod nulla acra terræ in comitatibus prædictis, quæ in bondagio vel ſeruitio tenens, altius quam ad quatuor denarios haberetur: & ſi quaminus antea tenta fuiſſet, inpoſterum non exaltaretur. Nos tamen pro eo, quod dictæ literæ de curia noſtra, abſque matura deliberatione, & indebite emanarunt, perpendentes conceſſionem literarum prædictatum in noſtri & coronæ noſtræ maximum præiudicium, ac tam in noſtri, & prælatorum, procerum & magnatum dicti regni noſtri, quam ſacroſanctę Eccleſiæ Anglicanę exheredationem, nec non diſpendium & incommodum reipublicæ tendere manifeſte, dictas literas, & quicquid exinde fuerit ſubſecutũ de auiſiamento concilii noſtri reuocauimus, caſſauimus, irritauimus, & penitus adnullamus. Nolentes quod aliquis cuiuſcunq; ſtatus ſeu conditionis fuerit, libertatem ſiue commodum aliquid de prædictis literis quomodolibet habeat ſeu reportet. Volumus enim & intentionis noſtræ exiſtit, talem gratiam ſingulis ſubditis noſtris, quamuis enormiter ligeantiam ſuam forisfecerint de auiſiamento ſani conſilii noſtri inpoſterum impartiri, quæ Deo placabilis, nobiſque & regno noſtro vtilis fuerit, & vnde fideles noſtri ſubditi reputabũt rationabiliter ſe contentos, & hæc omnibus, quorum intereſt, innoteſcimus per præſentes. Damus autem tam vniuerſis & ſingulis dominis, magnatibus, & aliis fidelibus ligeis & ſubditis noſtris, vicecomitibus & aliis miniſtris noſtris comitatus N. tenere præſentium firmiter in mandatis, quod ipſi præſentes literas noſtras in ſingulis ciuitatibus, burgis, & aliis villis & locis in comitatu prædicto, tam infra libertates quam extra, vbi expediens fore viderint, & neceſſe ex parte noſtra publice proclamari faciant, vlterius diſtricte præcipiendo, quod omnes & ſinguli, tam liberi quam natiui, opera, conſuetudines, & ſeruitia, quæ ipſi nobis aut aliis dominis ſuis facere debent, & ante turbationem prædictam facere conſueuerunt, abſq; contradictione, murmure, reſiſtentia ſeu difficultate faciant aliquali, prout ante ſolebant. Inſuper inhibendo eiſdem, ne ipſi opera, conſuetudines, & ſeruitia ſua prædicta, iſtis turbationum temporibus magis ſolito retrahant, ſeu nobis aut prædictis dominis ſuis facere vllo colore retardent. Nec aliqua alia libertates ſiue priuilegia exigant, vindicent, ſiue clament, quam ante turbationem prædictam rationabiliter habuerunt. Et quod ipſi, qui prædictas literas noſtras manumiſſionis & perdonationis penes ſe habent & cuſtodiunt, eas ſtatim penes nos & conſilium noſtrum deferant & reſtituant cancellandas, ſub fide & ligeantia quibus nobis tenentur, & ſub forisfactura omnium, quæ nobis forisfacere poterunt in futurum. In cuius rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud Chelmesforde 2. die Iulii, anno regni noſtri quinto.

Hæc in Eſtſexia (vt ante docuimus) facta ſunt, vbi erat rex moram trahens. Iam redeundum eſt ad ſcribendum proceſſum factum apud S. Albanum, vt eo diſcant poſteri villanorum dolos magis feliciter præcauere, quoniam:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Proceſſus factus apud S. Albanũ per Walterum at Lee militem.

Cum itaq; rex in Eſtſexia aliquandiu moram traxiſſet, & multorũ relatione didiciſſet, quas iniurias & damna villani de ſancto Albano, non tam procuraſſent quam irrogaſſent monaſterio, propoſuit cum omni turba ſua, quæ erat copioſa valde, perſonaliter locum adire, de tranſgreſſoribus iuſtitiam rectam facturus, Sed huic propoſito obſtitit toto niſu dominus Walterus atte Lee miles, quia de patria illa fuerat, timens videlicet patriæ deſtructionem, ſi tantus illuc populus aduenitſſet. Ob quam cauſam perſuaſit Regi & conſilio, ſe facturum bonam pacem inter villanos & Abbatem monaſterii ſancti Albani, ſi placeret eis ſibi committere cauſam iſtam. Qui fidem adhibentes verbis eius, dant commiſſionem, ſociantes eidem Edwardum Benſtude, & Galfridum Stukle, & quoſdam alios, quorum nomina non occurrunt. Feria ergo ſexta in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, vt non deeſſent eis miſeriæ illa die, in qua ipſi immiſericorditer miſeros (vt retulimus per ante) afflixerant, cognoſcentes villani prædictum Walterum cum armata manu in craſtino aduenturum, factis

pro-

propriis rorti,& conſcientiis male conſciis fatigati,cæperunt pauere & tædete. Iamiamque multi fugam iniſſent, niſi obſtetiſſet improba, animoſitas Wilhelmi Grindecobbe, quem inter oppidanos ſupra retulimus magnum fuiſſe. Hic namque perfidos in infidelitare confortauit, dicens : Eſtote viri cordati, locupletes enim ſumus,non deerunt nobis auxilia,quandiu non defuerit noſtra pecunia. Ecce villæ circumiacentes nobis fœderantur, quæ nobis erunt adiurorio ſi oportuetit. Egrediamur manc velut homines, in obuiam militis extra villam equis vecti,& inquiramus antequam appropinquet villæ noſtræ vtrum pacificus ſit aduentus eius. Qui ſi non fuerit,fugabimus eum verberibus à villa noſtra. Placuit ergo ſtultus ſermo ſtultis,& mane iuxta verbum eius egreſſi ſunt. Militem vero latuit cauſa huius obuiationis pro tunc. Qui ramen benigne poſtquam obuiaſſent ſibi (vt videbatur) ſalutatus ab eis,& reſalurauit eos,& conduxerunt eum ad villam honorifice more ſuo. Habebat autem ſecum miles quinquaginta lanceis, & Architenentium vndeeunque collectorum magnum numerum,qui forſitan ſi militi aliquod periculum contigiſſet,quia de patria fuerant quidam,& villanis fœderati,in primis reſtitiſſent eidē. Mox itaque poſt aduentum ſuum ad villam in ipſo feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, fecit proclamari,vt omnes villani,& qui citati fuerant ad comparendum de villis vicinis coram eo, conuenirent in campum de Detſfold voluntatem, & mandatum regium audituri poſt horam nonam. Conuenerunt ergo omnes ad horam & locum prȩfatum,& ipſe vnà cum eis ſtipatus armatorum multitudine pariter eſt egreſſus. Cumque locaſſet ſe & armatos circa eum ſub ſilua de Dertſold, & cunctum populum ſtare diſpoſuiſſet coram eo ad modum arcus cæleſtis, ad eos ſermonem huiuſcemodi perorauit.

Oratio militis habita ad villanos.

Domini(inquit)& amici,qui citati conueniſtis ad hunc locum,antequam quicquam aggrediar cauſam aduentus mei vobis expouere,conueniens reputaui. Noſtis enim quam grauiter pacis perturbatores regiam maieſtatem offenderint. Ob quam cauſam dominus rex modo in partibus Eſtſexiæ,exercet iudicia maxima & magnum grauamen ſuper patriam vniuerſam & habitatores eius,vt iugum eorum aggrauat vehementer. Qui audiens de perturbationibus & damnis & iniuriis factis in hac villa & monaſterio, cuius patronus eſt & aduocatus, vltra quam credi poteſt indoluit, & vindicari cupiens in tranſgreſſores,ſtatuit perſonaliter cum exercitu qui cum ipſo eſt huc aduētaſſe,qui ſi veniſſet cum ea turba quam ibidem retinet, proculdubio omnes fructus,cuncta blada patriæ neceſſario deuaſtaſſet. Tantus nimirum eſt cum eo exercitus, quod per quinque milliaria in eorum circuitu, non fœnum,non blada aliqua, non fructus terræ noui, non antiqui ſuperſunt, ſed omnia conſumpta & conculcata ſunt. Condolens ergo elaboraui in his,tantis damnis patriæ meæ prouenturis, prȩcauens & compatiens conuicinis,parte regis eneruare propoſitum,& impedire aduentum, aſſumens quidem pro patriotis onus graue ſuper humeros, ſed tamen voluntarium: quia ſperaui aliquid patriæ tali occaſione conferre. Commiſſa eſt ergo mihi poteſtas,licet non ſine difficultate,ad precum mearum inſtantiam patriam iuſtificandi,vice regis,cui non extranei,non incogniti, ſed proximi veſtri & amici in commiſſione ſunt iuncti. Agite igitur quod expediat & alacriter principales concitatores turbarum tradatis, & abbati huius Monaſterii ſatisfacere ſtudeatis, quem inuenitis (vt reor)ſatis rationabilem,quia vir ſanctus & iuſtus eſſe dinoſcitur, & regiam beneuolentiam & tranquillam recuperabitis tali facto. Finitis his ſermonibus applaudunt multi,& eius conſiliis ſe velle parere promittunt. Tunc miles (conuocata duodena de villanis) onerat, vt in craſtino venientes iuxta formam iuramenti edicant quoſcunque reos ſciuerint in hac cauſa, & ſic ea die dimiſſa turba,& ipſe ad hoſpinum eſt reuerſus. In craſtino autem quia propoſuerat malefactores, quos iudicandos putauit per prȩfatam duodenam ſine ſtrepitu apprehendiſſe, vocauit viros duodenæ ad cameram ſuam, vt ſciret quos iudicaſſent. Qui cum veniſſent, reſponderunt ſe neminem indictare poſſe, neminem accuſare velle, omnes eſſe bonos & fideles regis,neminem alium noſſe inter eos. Quibus auditis,& cognito quorſum intentio eorundem vrgeret, quod videlicet peiorando mallebant ſuas conſcientias maculare, quam quemlibet ex proximis accuſare,miles cōticuit, arte artem deluſurus. Poſt auditam miſſam monuit eos reddere chartas quas extorſerant de monaſterio,dicens ex tali facto eis non modicum commodum prouenturum. Illi vero pro tunc promiſerūt ſe ſurſum poſt nonā, chartas prȩfatas reddituros. Cum vero p[o]ſt nonam reueniſſent ad cameram Abbatis vbi comederat dictus miles, excuſationes nouas prȩtendentes,

innuebant ſe chartas reddere non valere propter metum communitatis, & maxime, quia non ſciebant pro certo quis eas in cuſtodia detinebar. Miles igitur commotus nec immerito, iurauit, quod exirent de præſentia ſua donec chartas reddidiſſent. Ob quam cauſam mendaces & falſi, expoſt dixerunt ſe impriſonatas fuiſſe in camera Abbatis iniuſte. Abbas autem ne materiam vel occaſionem haberent male loquendi, quos ſciunt pronos ad mendacia, interceſſit pro eis penes militem, dicens ſe tantum in eorum confidere conſcientia, quod nō eſſet opus alio mediatore inter ipſos præter eoſdem & ſemetipſum. Quibus verbis miles mitigatus, dimiſit eos. His itaque geſtis, miles omnem turbam, iuſſit conuenire ad le Barnet wood, vbi parum aut nihil agens propter metum villanorum qui aggregauerant illuc, prope trecentos ſagittarios de villis circumiacentibus, inter quos præcipui fuerunt Barnetēſes, & viri de Berkhamſtede, qui omnes, ſi aggreſſus fuiſſet aliquam publicam iuſtitiam facere in eo loco (vt credebatur) inſurrexiſſent in eum, & hi fortaſſis qui cum eo venerant, eo relicto aliis adhæſiſſent, nihil pro tunc aliud decreuit aperte, niſi mouere eos de ſatisfaciendo Abbati, & chartis reddendis. Secretis vero ſeorſum conuocatis Balliuis & Conſtabulariis, iuſſit ex parte regis, vt mox poſt ſubtractionem turbæ, quæ ad villam conuenerat, elaborarent circa captionem Wilhelmi Grindecobbe, Wilhelmi Cadyndon, & Iohannis Barbitonſoris, qui videlicet (vt ſupra retulimus) petras molares abſtulerat de locutorii pauimento, & quorundam aliorum quos dixir ita aperte accuſatos de tam manifeſtis maleficiis, quod oportebat omnino pro honore villę & ſaluatione villanorum eos ad tempus arctari. Iniunxit inſuper, vt apprehenſos adducerent Hertfordiam in craſtino hora tertia coram eo. Poſt hæc repente aſcenſo compede cum omnibus qui cum eo venerant, Hertfordiam feſtinauit. Et factum eſt poſt receſſum eius, magnanimitate, diligentia & probitate armigerorum, qui tunc in obſequio Abbatis erant, ſcilicet Richardi Peeres, Iohannis Chiual, Thomæ Eydon, Wilhelmi Eccleshale, & balliui quanquam inuiti inducerentur ad capiendum præfatos viros: & capti ſunt eadem nocte tres nominati ſuperius, & in priſona poſiti apud Portam. In craſtino vero iuxta præceptum militis Hertfordiam ſunt deducti, comitantibus eos maioribus & valentioribus villæ S. Albani, & cunctis armigeris & valectis abbatis decenter armatis: ſic enim præceperat miles, vt venirent ad fortificandum eum, qui iuſtitiam & iudicium eo die erat facturus. Poſt quorum receſſum cæpit turbari vniuerſa villa & ampulloſa verba fundere, & iuramenta ſuperuacua miſcere, quod videlicet centum pro vno occiderentur, ſi contingeret quenquam ex proximis eorum occidi. Hinc cæperunt eodem die à villanis frequentari conſilia, congregari conuenticula, non tamen in villa, ſed in campis, ſiluis, & extra villam locis, vnde credebatur quod ipſa die immiſiſſent ignem in Abbathiam, quia nullus domi erat qui defenderet: vel hoſtili more monaſterium obſidione vallaſſent. Ex qua cauſa abbas & commonachi in timore maximo cōſtituti, miſerunt pro quibuſdam generoſis de patria, qui locum tuerentur ſi neceſſitas accidiſſet. Abbas etiam cum cognouiſſet quo abiſſent armigeri ſui, & quod intendebant prædictos captiuos ad mortem inſequi, confeſtim miſit ad eos literaliter, pręcipiens vt dimiſſis omnibus, feſtinantiſſime remearent ad eum pro præcauendis periculis, quæ ſibi de nouo emerſerant inſperato. Erant, cum ad eos hęc noua perlata fuiſſent, ſtantes coram iudice, & conſtanter prædictos captiuos accuſantes, & de eis ſecundum iura regni iudicium fieri poſtulantes. Viderant autem in quoſdam eis ſimiles capitis punitionis animaduerſum ibidem, vnde conceperant ſpem eos conſimiliter puniendi. Viſis ergo literis abbatis, armigeri vehemēter doluerunt, eo quod compellendi erant ad recedendum antequam vidiſſent finem de prædictis. Qui ſi expectaſſent, proculdubio eo die vidiſſent eoſdem decollatos. Redierunt idcirco notificata prius militi legatione domini ſui, cum ſumma celeritate, quia ignorabant cauſas tam repentinæ reuocationis. Quibus recedentibus, inſteterunt villani de ſancto Albano, qui ibidem erant, pro manucaptione dictorum, ſed duobus detentis in carcere, tertius, ſcilicet Wilhelmus Gryndcobbe deliberatur, eiſdem obligantibus ſe, pro eiſdem tribus de vicinis ſuis in trecētis libris, ſingulis etiam integra ſumma obligatis, quod eum carceri reſtituerenr die Sabbati proximo ſequente. Nam tunc erat dies Lunæ in octauis ſancti Iohannis Baptiſtæ, niſi contingerent eos inire concordiam cum Abbate infra dictos dies. Reuertuntur igitur cum Wilhelmo ſua æſtimarione laudabiles, quod manucapere poterant pro amico, niſi timor ſurrepſiſſet de fuga Wilhelmi, quæ ſi contingeret, ſemetipſos æſtimabant perituros. Tractant interea cum vicinis ſuper deliberatione Wilhelmi, affirmantes vnum è duobus ne-

ceſſa-

ceſſarium, aut Abbati reſtitutis chartis ſatisfacere, aut eundem Wilhelmum in ſuo reditu capite priuari, & plures forſitan ex vicinis conſimili pœna percelli. Cumq; intrarent & reſponſa ſuſpenderent, Wilhelmus Gryndecobbe cuius cor iam induratum in malo fuerat, ita ait: Conciues quos iamdudum parca libertas de oppreſſione diutina releuauit: ſtate modo dum ſtare licebit, & de mea mulctatione minime timeatis, qui in cauſa libertatis acquiſitæ moriar, ſi nunc contingat occumbere, fœlicem me reputans per tale poſſe martyrium vitam finire. Agite hoc in tempore, vt facere debuiſſetis, ſi Hertfordiæ heſterno decollatus fuiſſem. Nam nihil obſtabat quin finem vidiſſem vitæ, ſi non Abbas armigeros ſuos tempeſtiuius reuocaſſet. Nempe ipſi me in multis accuſauerant, & iudicem fauorabilem eis habebant, & in ſanguinem meum pronum. Quid multa? Indurantur & villani, & iurant ſe nondum libertates recuperatas dimiſſuros, quin potius æſtimant ſe infortunatos & vecordes, qui cum tantam turbam eis fauentem habuiſſent, quod caput militis, qui in burgum eorum & burgēſes tanta præſumpſerat, ad terrorem vbique terrarum Iudicum & falſorum Iuſticiariorum, viriliter amputaſſent, & ſuper colliſtrigium collocaſſent. Pœnituit tamen Wilhelmum Grindecobbe, ſed ſero, ſtultitiæ ſuæ, quia vicinos elatos in ſupetbiam, & cum vellet non potuit à ſtultitia reuocare. Adueniente ergo ſabbato, vt diebus Sabbati innouaretur tribulatio eis qui eo die multos conturbauerant, reductus eſt ad carcerem per eos qui pro eo fideiuſſerant, Wilhelmus antedictus, & ibidem cuſtoditus vſq; ad tempus illud, quo reductus eſt ad ſanctum Albanum, ad iudicium ſubeundum in aduentu regis, vt expoſt dicetur. Interea non ceſſabant coniurationes, elationes inter villanos per illam hebdomadā vſq; in diem Veneris, quo die Wilhelmus Grindecobbe miſit illis noua multum diſplicentia, de aduentu comitis Warwici, & domini Thomæ Percy, qui mittendi fuerant in fauorem Abbatis, ad iudiciū exercendum in eos cum mille viris armatis. Nam & ipſe Wilhelmus fratrem habuit, qui ad intercedendum pro eo curiam regis adiuerat Chelmesfordam, & ibidem audiens talia, prædicto Wilhelmo fratri ſuo nunciari curauit, & Wilhelmus vicinis ſuis. Tunc mœror & luctus iterum, tremor & horror inuaſerunt perfidos, ſuperbos, elatos villanos. Tunc de nouo tractare cæperunt de chartis Abbati reddendis, de nouis fœderibus feriendis, de concordia ineunda. Venerunt idcirco in craſtino. i. die Sabbati in octauis Apoſtolorum Petri & Pauli, hora completorii, ad reddendum chartas, & quendā librum in quo veteres placitæ inter Abbathiam & villanos habitæ continebantur, quem quidem librum abſtulerant in die furoris ſui: ſed abbas non reputauit illam horam idoneā, ad tractādum cum illis ſuper re tam ardua. Quapropter miſit ad illos fratrem Wilhelmum Killingworth, Priorem de Wymundham, qui librum ab eis reciperet, ſed chartas reacceptare differret, & ducentas libras quas pro emendis faciendis obtulerant, vſq; in craſtinam horam primam.

Accidit autem vt comes Warwici, cui cauſa Monaſterii commiſſa fuerat iuſtificanda eodem tempore, audiret à referentibus in partibus ſui dominii grauem turbationem exortā eſſe, quare cauſis extrinſecis omnino dimiſſis, oportebat eum ad ſua quantocius feſtinare. Miſſis ergo qui eum excuſarent de ſuis militibus ad Abbatem, & eum confortarent, ne concideret vultus eius pro dilatione aduentus ſui, abiit in viam ſuam. Cum vero in craſtino cognouiſſent villani pro certo comitem non eſſe venturum, in deriſiones diſſoluuntur, & ſannas ad inuicem garrulātes. Quid eſt quod timebamus? quare à verbis mendacibus formidauimus? num putandū eſt exercitum hic fuiſſe contrahendum ad preces Abbatis? ſtulti ſumus, inepti credidimus, vt fatui operati ſumus. Nunquam de cætero eſt offerenda pecunia, nunquā chartę reddendę. Et ſi reddendæ chartæ forent, quare nos primi meticuloſe in pernitioſum exemplum inciperemus? Nō contingat hoc dedecus in perſona noſtra, falliat interim abbas carnes quas mactauit, ne putreſcant: & vendat ceruiſiam quam pandoxauit, ne aceſcat: & panes quos pinſuit ne indureſcāt aut muſcidi fiant, aut à muribus corrodātur. Huiuſcemodi verbis per ſingulos dies improperabant Abbati & famulis de abbathia, donec quidā ex armigeris abbatis zelo ducti domino regi tantas moleſtias indicaſſent. Qui cū audiſſet talia, cōmotus & ipſe, nimirū iurauit ſe acceſſurum perſonaliter ad tātas inſolētias cōpeſcendas. Villani vero (vt videbatur) interim de pace reformāda minime cogitabant. Requiſiti autē cur chartas non redderent, reſpōderunt ſe timore Barnotenſium & Watfordenſium & cęterarū villarum differre, qui incendiū villæ cōminati fuerant, & eis exterminium, ſi ipſi primò id attemptare præſumerent: ſed falſi quidem locuti ſunt falſa, vt rerum exitus cōprobauit. Nam Barnotenſes & cæterarum contermina-

minarum viri villarum, priuſquam illi & chartas humiliter reddiderunt, & ſe in miſericordia domini poſuerunt, & ſe paratos eſſe ad pugnandum cum eis dixerunt, videlicet eum ſingulis ſinguli, aut cum decem totidem, aut cum omnibus omnes in hac cauſa, quod ſcilicet mendoſe de eis talia protuliſſent. Sed de his hactenus, iam ad ſuperiora reuertamur. Dum igitur hæc agerentur, allati ſunt rumores flebiles ad ſanctũ Albanum, quod Rex aduentare diſponeret, & ibidem iudicia præſentialiter exercere. Doluit ideirco abbas, qui timuit per tantum populum patriam deuaſtandum. Doluerunt villani ſed diſpariter, quia metuebant ſubire iudicium debitum maleficiis eorundem. Abbas quem reipublicæ charitas detinebat, aliis ſatis benigne præcauere cupiens: miſit Londonias ad dominum Hugonem Segraue ſeneſcallum, amicum ſuum, & alios amicos, & notos quos habebat in curia, rogans & efflagirans vt regis impedirent aduentum, ſi quoquo modo poſſent. Monachus vero qui hæc executurus exiuerat, cum nihil omnino proficere poſſet ille vel amici præfati, rediit infecto negotio, narrans Abbati regem pro nullo velle mutare propoſitum, quin omnino accederet infra duos dies. Triſtatus eſt ergo Abbas vltra quam credi poteſt, non pro ſe, ſed pro miſeris oppidanis ſancti Albani, nec non pro patria conuicina, quibus ſciuit per aduentum regium prouenturum maximum detrimentum, quanquam idem villani expoſt mendacia fabricantes, aſſeuerauerunt Abbatem regi contuliſſe mille libras vt in excidium eorum properaret. Sed fallax turba, gens perfida, populus doloſus, viri mendaces, homines fraudulenti, proximi vicini inuidi, beneficiis ſemper ingrati, talia confinxerunt ad diffamandum eorum velint nolint dominum & patrem ſpiritualem, vt veræ iniquitatis filii, patrem totius ingratitudinis & mendacii diabolum imitantes. Hi cum audiſſent regem proculdubio aduenturum, conducunt quẽdam militem cauſidicum, ſcilicet Wilhelmum Croyſer magno præcio, quia ipſimet propter maleficia ſua iuxta opinionem propriam non merebantur audiri ad intercedendum & proloquendum pro eis, ſi forte abbas pro reuerentia mediatoris, induci poſſet ad ignoſcendum eis. Nouerat apud abbatem laborem hunc facilem, qui ignoſceret deprecantibus, ita tamen vt damna reſarcirent eccleſiæ, quæ intulerant perturbatione præfata. Conuenit igitur inter Abbatem & villanos, mediante præfato milite & timore aduentus regii, vt eo die poſt nonam, quo die rex erat venturus, reportarent tot molarum manualium lapides, quot aſportarunt de pauimento hoſtii locutorii forinſeci, & reſtaurarent propriis ſumptibus domum quam diruerant, prætet id quod Abbas conceſſit eis maremium, quod remanſit de domo præfata, & quod ſoluerẽt eidem abbati, vel ſucceſſoribus ſuis, pro damnis & iniuriis illatis ſibi pariter & expenſis ſuis, ducentas libras argenti bonæ & legalis monetæ citra feſtum S. Michaelis Archangeli proximi ſequentis, ad quam ſummam ſoluendam obligauerunt ſe plures de maioribus appoſitis ſigillis ſuis, ſub pœna duplici. Et quod Abbas nullam deponeret quærimoniam penes regem pro illatis per illos iniuriis, ſed ſi contingeret eos impeti per regẽ pro factis ſuis in turbatione prȩfata, idem apponeret diligentiã ſuam pro acquietatione eorundem & gratia obtinenda. Quibus promiſit abbas ſe nullam quærimoniam depoſiturum de eis, ſi condicta ſeruarent, penes regem vero ſe intercedere velle pro poſſe promiſit, ſiquidem eius preces poſſent exaudiri, cæterum ſe nolle promittere eis veniam publice proteſtatus eſt, quæ tantummodo eſſet de regia gratia proceſſura, quia ignorabat ſi id impetrare poſſet. Quod verbum acceperunt de ore eius maiores pariter & communes, aſſerentes illis ſufficere bonam voluntatem abbatis, cum rege autem ſe optime conuenturos de his quȩ ſpectant ad regiam dignitatem. Et ita pro tunc ſolutum eſt conſilium & dimiſſa. Circa horam veſperarum allati ſunt lapides molares ſex, quot videlicet aſportauerant, & miniſterio villanorum poſiti iuxta locum de quo alii fuere leuati. Chartas inſuper & obligationes quas extorſerant timore ducti ſuppliciter veniam deprecati ſunt, & chartas redonauerunt, & quamplures ſe obligauerunt ad ſatisfaciendum iuxta quantitatem delictorum ſuorum. Et iſta vtique eo die quo rex erat venturus facta ſunt.

Finitis veſperis cum proceſſione ſolemni obuiam regi proceſſum eſt ab Abbate & conuentu ad occidentale hoſtium monaſterii, acceptuſque eſt honorifice cum pulſationibus campanorum cantuque tam debito quam deuoto. Aduenerunt autem cum eo ad millia Architenentium, & armatorum, inter quos dominus Robertus Triſilian miles, Iuſticiarius peritiſſimus, vir multum habens pectoris & prudentiæ ſerpentinæ. Hic in craſtino ſedens pro tribunali in villa apud le Moorhal, accerſiri iuſſit ex Hertfordia, Wilhelmum Gryndecobbe, Wilhelmum Cadyndon, & Iohannem

nem

nem Barbitonſorem quem ſupra retulimus pauimentum locurorii cõfregiſſe, & molares abſtuliſſe,& comminuiſſe in ſpiritu furoris ſui. Cum ergo veniſſent ad Sanctum Albanum, iuſſit eos in cuſtodia conſeruari vſque in diem lunæ, quo videlicet die iurati qui onerati fuerant primo die ſeſſionum ad prodendum malefactores qui regiam pacem perturbauerant, dicturi erant veredictum onerationis eorundem. Erat autem primus dies quo eum ſediſſe deſcripſimus dies Sabbati, & primus dies canicularium, qui expoſt infauſti fuere villanis.

De Iohanne Ball presbytero.

Hoc die præterea Iohannem Ball præsbyterum captum à vitis Couentrenſibus,& pridie ductum ad ſanctum Albanum & regis præſentiam, cuius maieſtatẽ conuictus eſt læſiſſe enormiter, auditum & confeſſum turpiſſima ſcelera, tractioni, ſuſpẽdio, decollationi, exenterationi & quatterizationi vt vſu vulgari loquar, idem Robertus adiudicauit, cuius mors dilationem accepit vſque in diem lunæ, interuentu domini Wilhelmi Londonienſis Epiſcopi, qui circa ſalutem ſollicitus ſuæ animæ illud ei ſpacium pœnitentiæ impetrauit. Hic per viginti annos,& amplius ſemper prædicans in diuerſis locis ea quæ ſciuit vulgo placentia, detrahens tam perſonis eccleſiaſticis quam dominis ſecularibus, beneuolentiam magis communis populi, quam meritũ penes Deum captabat. Docuit nempe plebem, decimas non eſſe dandas curato, niſi is qui daturus eſſet foret ditior quam vicarius qui acciperet ſiue rector. Docuit etiã decimas & oblationes ſubtrahendas curatis, ſi conſtaret ſubiectum aut parochianum melioris vitæ fore quam curatũ ſuum. Docuit etiã neminem aptũ regno Dei qui nõ in matrimonio natus fuiſſet. Docuit & peruerſa dogmata perfidi Iohãnis Wicklef,& opiniones quas tenuit & inſanias falſas,& plura, quæ longum foret recitare: propter quæ prohibitus ab Epiſcopis in quorum parochiis hæc præſumpſit, ne in eccleſiis de cætero prædicaret, conceſſit in plateas & vicos, vel in campos, ad prædicandum. Nec defuerunt ei de communibus auditores, quos ſemper ſtuduit per detractiones prælatorum & placentia verba allicere ad ſermonem. Poſtremo excommunicatus, cum nec deſiſteret, carceri mancipatur, vbi prædixit ſe deliberandum per viginti millia amicorum. Quod poſtea euenit in turbatione regni præfata, cum omnes homines carceres confregerunt & incarceratos abire compulerunt. Cumque taliter deliberatus fuiſſet, eos ſecutus eſt, inſtigans ad plura mala perpetranda,& prædicans ita omnino fore faciendum. Et vt ſua doctrina plures inficeret, ad le Blackheth,(vbi ducenta millia hominum communium fuere ſimul congregata, huiuſcemodi ſermonem eſt exorſus.

Wahn Adam delfe and Eue ſpan, who was than a Gentleman?

Thema ſermonis Iohannis Ball.

Continuanſque ſermonem inceptum, nitebatur per verba prouerbii quod pro themate ſumpſerat, introducere & probare, ab initio omnes pares creatos à natura, ſeruitutem per iniuſtam oppreſſionem nequam hominum introductam contra Dei voluntatem, quia ſi Deo placuiſſet ſeruos creaſſe, vtique in principio mundi conſtituiſſet, quis ſeruus, quiſue dominus futurus fuiſſet. Conſiderarent igitur iam tempus à Deo datum eis, in quo (depoſito ſeruitutis iugo diutius) poſſent ſi vellent, libertate diu concupita gaudere. Quapropter monuit vt eſſent viri cordati,& amore boni patrisfamilias excolentis agrum ſuum, & extirpantis ac reſecantis noxia gramina quæ fruges ſolent opprimere,& ipſi in præſenti facere feſtinarẽt. Primo maiores regni dominos occidendo. Deinde Iuridicos, Iuſticiarios,& iuratores patriæ perimendo. Poſtremo quoſcunq; ſcirent in poſterũ cõmunitati nociuos tollerent de terra ſua, ſic demum & pacẽ ſibimet parerent & ſecuritatẽ in futurũ. Si ſublatis maioribus eſſet inter eos æqua libertas, eadẽ nobilitas, par dignitas, ſimiliſq; poteſtas. Cumq; hęc & plura alia deliramenta prędicaſſet, commune vulgus eum tãto fauore proſequitur, vt acclamarent eũ Archiepiſcopum futurum,& regni cancellarium, ſolũ eum dignum Archipræſulatus honore, Archiepiſcopum qui tunc ſuperſtes erat, communium & regni proditorem fuiſſe,& idcirco decapitandum vbicunque poſſet in Anglia cõprehendi. Miſerat inſuper ductoribus communibus in Eſtſexia quandam literam ænigmatibus plenam, ad hortandum eos vt incepta perficerent, quæ expoſt inuenta eſt in manica cuiuſdam ſuſpendendi pro turbatione præfata, cuius tenor talis eſt.

Litera Iohannis Balle, miſſa communibus Eſtſexiæ.

Iohn Schep ſometime ſeint Mary prieſt of Yorkn, and now of Colcheſter, græteth well Iohn Nameleſſe, and Iohn the Miller, and Iohn Carter, and biddeth them that they beware of guyle in borough, and ſtand together in Gods name, and biddeth Piers Plowman goe to his werke, and chaſtiſe well Hob the robber, and take with you Iohn Trewman, and all his fellows, and no moe. Iohn the Miller hath yground ſmal, ſmall, ſmall: The kings ſonne of heauen ſhal pay for all. Beware or ye be woe,

know your frende fro your foe, Haue ynough, and ſay hoe: And do wel and better, & flee ſinne, and ſeke peace and holde you therin, & ſo biddeth Iohn Trewman & all his fellowes.

Hanc literam idem Iohannes Balle confeſſus eſt ſe ſcripſiſſe, & communibus tranſmiſiſſe, & plura alia fatebatur & fecit, propter quæ (vt diximus) tractus, ſuſpenſus, & decollatus apud ſanctum Albanum idibus Iulii, præſente rege, & cadauer eius quadripartitum quatuor regni ciuitatibus miſſum eſt.

Comitia celebrā tur apud S. Albanum.

Robertus Triſilian Iuſticiarius, Idibus Octobris apud Sanctum Albanum conuocari fecit duodenam, quam tridie onerauerat ad indictandum & prodendum malefactores & pacis regiæ turbatores. Venerunt igitur iurati de villa, & dixerunt ſe nullum talem ſcire, nullum indictare iuſte poſſe, cunctos fideles & obſequentes regi fore, ſemperque fuiſſe. Videns autem Iuſticiarius, quo tendebat iſta reſponſio, vt erat vir ſapiens & profundæ intelligentiæ, præcepit vt redirent & memores eſſent verbi illis dicti ex parte regis, quando ſuppliciter egreſſi in obuiam regi, miſericordiam & veniam poſtulabant. In hoc videlicet & perdonationem & veniam conſequuturos, ſi incentores & authores turbationis regni tradidiſſent, ſin aliàs, iuxta ſermonem regis eos ſubituros prædixit eandem pœnam quam pertuliſſent iidem malefactores ſi depræhenſi fuiſſent. Regreſſi ſunt igitur dicti iurati, quos è veſtigio ſecutus eſt Iuſticiarius ad locum in quo erant de præmiſſis tractaturi. Et proferens de ſua manica quandam rotulam, in qua & nomina plurimorum, & malefacta continebantur, ante eos: En (inquit) depoſita proximorum veſtrorum ſcelera per bonos viros & fideles patriæ, quæ neminem pene latent, & vos putatis nos omnes deludere veſtro ſilentio, vel excæcare. Nequaquam fiet quod putatis, cum in promptu habeamus, & nomina & facta ſceleratorum, quos vos iuſtos monſtrare velletis. Agite propterea quæ vobis expediunt, & vitam veſtram ſeruare ſatagite, ne dum nimis inutiliter caueatis proximis, vobiſmet periculum excitetis. Turbati ergo villani, eſtimauerunt ſalubrius indictare reos vicinos, quam in ſemetipſos dicta mala congerere, & indictauerunt quamplures, tam de patria quam de villa. Tunc Iuſticiarius, conuocata ſeorſum alia duodena, demonſtrauit eis & nomina & indictamenta perſonarum per primam duodenam (vt præmittitur) exarata, interrogans quid illi vellent dicere de perſonis prædictis ſi illi onerati eſſent ſuper præmiſſis. Viri autem de ſecunda duodena cernentes cuncta fore vera, quæ per primam duodenam fuere ſcripta, reſponderunt ſe eo modo feciſſe quo illi, ſi fuiſſent onerati. Igitur hanc duodenam ſeruauit Iudex ad dicendum veredictum de præfatis perſonis, quæ nullo modo potuit aliter dicere in reddendo veredicto, quam dixerant cum interrogarentur de præmiſſis: ſed oportuit illos, vellent nollent, damnare eos quos antea fatebantur ſe voluiſſe indictaſſe de prædictis ſceleribus, vel cum rubore falſi apparere. Et hoc commento, Iuſticiarius induxit eos (quanquam falſi eſſe maluiſſent) ad dicendum veritatem. Onerauit nihilominus & tertiam duodenam ſuper eadem re, quæ cum vidiſſet primæ duodenæ depoſita, eadem depoſuit quæ prima deſcripſit, ita vt nullus damnaretur niſi per ora triginta ſex virorum: ſed ſecunda duodena (vt diximus) ſemper ſeruabatur pro veredicto dicendo, poſtquam prima & tertia duodena indictamenta feciſſent.

Executio quorūdam malefactorum.

Tunc damnatus eſt Wilhelmus Gryndecobbe, Wilhelmus Cadyndon, Iohannes Barbitonſor, & quidam alii malefactores, pro turbatione pacis regiæ, & tracti ſunt & ſuſpenſi, ad numerum decem & quinque virorum. Incarcerati ſunt de maioribus villæ ad ſectam regis, ſuis conuicinis eoſdem indictantibus, Richardus Walyngforde, Iohannes Garlek, Wilhelmus Berewill, Thomas Putor, & plures alii mediocres. De patria vero cōmendati ſunt cuſtodiæ carcerali ad numerum octoginta perſonarum, qui expoſt regis indulgentia ſunt dimiſſi.

Abbas & conuentus ſancti Albani accuſantur de perturbatione & commotione prædicta.

Interim villani (vt nullum lateret eorum malicia) quanquam dominus Abbas ſæpius pro eis interceſſiſſet domino regi, & pro ſalute & vita ſupplicaſſet eorundem, & frequenter ob id iram regiam metuiſſet, quia proclamatum fuerat nullum debere pro quoquam preces fundere, non onerati, non iuſſi, non coacti, ſed ſponte, in Abbatem & conuentum dolum cogitantes, & mendacia fabricantes, eoſdem indictauerunt de prima commotione villanorum, quod ſcilicet Abbas iuſſiſſet & coegiſſet eos egredi ad turbam quæ erat Londoniis congregata, cum villani parum aut nihil de talibus cogitaſſent: quare aſſeuerauerunt Abbatem & conuentum & famulos eorundem incitatores & authores primos fuiſſe turbationis quæ in villa poſtea contingebat: & inſuper eos direxiſſe in adiutorium inimicorum regis & regni. Cumque iuſticiarius hæc audiſſet & vidiſſet, abhorrens nimium & execrans tantam tamque manifeſtam

feſtam

feſtam villanorum malitiam, dixit eis: dicatis ait o perfidi in animabus veſtris hoc, quod creditis vtrum Abbas iſta fecerit, tanquam regis & regni proditor, vel pro meliori, id eſt, pro periculo pręcauendo, ne turba veniens quæ furebat, damna tam vobis quam ſibi inferret. Edicite ſi ſibi & vobis optauit exitium; aut ſi intentionis eius fuerat, vt reuertentes cum tanto numero, inferretis damna quæ ſibi & vicinis veſtris intuliſtis. Dicatis per iuramentum veſtrum, ſi reus eſt Abbas horum quæ numerauimus in pręſenti. Illi autem confuſi in aſtutia propria, nec habentes quid reſponderent, aliquandiu conticuerunt. Vrgebat autem Iuſticiarius vehementer vt dicerent quid ſentirent. Tandem verecundi compulſi ſunt dicere veritatem, aſſerentes Abbatem ſatis fidelem tam regi quam regno fore, & hæc omnia iuxta intentionem ſuam pro meliori feciſſe. Tunc Iudex deteſtatus eſt eorum perfidiam coram multis, & increpauit eos aſperrime, præcipiens vt ſine mora ipſimet manibus ſuis indictamentum prædictum confringerent & caſſarent. Quod & villani, licet cum mala voluntate, fecerunt. Conſiderantes vero quod fraudati fuerant ſuo nequam deſiderio in hac parte, cogitauerunt qualiter abbatem moleſtare poſſent per alias adinuentiones. Hoſpites namq; ſuos, milites & armigeros de regis familia, qui apud eoſdem copioſe hoſpitati fuerant, fictis inſimulationibus credere compulerunt, Abbatem fore hypocritam, & per ſpeciem ſanctitatis quam foris monſtrabat, pleroſque dominorum regnique magnatum deludendo decipere, vnde contigit vt eorum fultus patrociniis, tirannides impune exercere, & iniuſte ſubiectos opprimere non timeret. Aſſerebant inſuper eundē Abbatem burgenſium ſancti Albani iura & libertates auitas nequiter per falſa commenta ſurripuiſſe, & eoſdem liberos homines tanta oppreſſione contriuiſſe, vt nemini liceret in domo ſua molam manualem erigere, ſed more natiuorum cuncti compellerentur molere ad ipſius Abbatis molendina. Dicebant etiam eum infinitam auri quantitatem regi dediſſe, vt adueniens ſecūdum quod accidit, cōciues eos ſuſpendi iuberet. Perſuadebant præterea muneribus, vbi verba defuerunt, vt quoquo pacto regales inducerent ad maleloquendum de Abbate, ſi ſaltem mala irrogare actualiter non valerent. Suadebant & mulieres eorum, quod viri non valebant, quæ ſatis communes fuerunt eiſdem tempore hoſpitalitatis eorū. Sicq; factum eſt, vt tot excreſcerent maliloqui, quod pene cunctos amicos monaſterii conturbarent, licet proclamaretur publice viros ſuſpendendos qui Abbatem accuſare falſe præſumerent, & fæminas concremandas. Et hæc quidem erat retributio villanorum quam retribuerunt Abbati, qui reddere mala pro bonis feſtinabant, & odium pro dilectione ſua, ac pro eo quod eundem diligerent detrahebant ſibi. Cum dominus rex iam fuiſſet octo dies apud Sanctum Albanum, intelligens & prænoſcens eius conſiliū quod tunc aderat, natiuorum & ſeruorum monaſterii corda non recta futura cum ſuis dominis, id eſt, cum Abbate & conuentu in poſterum, niſi cautius ageretur cum eiſdem, iuſſu regis remedium apponere ſtatuerunt huiuſmodi malis futuris, magno regis ſigillo firmatum. Nam regis Cancellaria tunc tenebatur in domo capitulari, vnde facilius conſequi potuit idem Abbas quæ volebat.

Richardus Dei gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, dilectis ſibi Iohanni Lodewyke, Iohanni Weſtwycombe, Iohanni Kenting, Richardo Perers, Waltero Graunford, Richardo Gyffarde, Thomæ Eydon, & Wilhelmo Eccleshale ſalutem. Mandamus vobis & cuilibet veſtrum, firmiter iniungentes, quod ſtatim viſis pręſentibus, quacunque excuſatione ceſſante, in ſingulis villis & locis in comitatibus Hertfordiæ & Buckingham, tam infra libertates quam extra, vbi expediens fore videritis & neceſſe, ex parte noſtra faciatis publice proclamari, quod omnes & ſinguli tenentes dilecti nobis in Chriſto Abbatis de ſancto Albano, tam liberi quam natiui, opera, conſuetudines, & ſeruitia quæ ipſi prædicto Abbati facere debent, & ab antiquo (ante turbationem in diuerſis cōitatibus regni noſtri Angliæ iam nouiter exortam) facere conſueuerunt, abſq; contradictione, murmure, reſiſtentia, ſeu difficultate aliquali, faciant prout antea facere ſolebant. Et vlterius, ex parte noſtra diſtricte inhibeatis, quod iidem tenentes aut natiui, ſeu alii quicunq;, opera, conſuetudines, aut ſeruitia ſua pędicta, iſtis turbationum temporibus magis ſolito non retrahant, ſed nec ea prædicto Abbati facere vllo colore retardent, nec aliqua libertates ſiue priuilegia exigant, vendicent, ſiue clament, quam ante pręſentem turbationē habuerunt, ſub fide & ligeantia quibus nobis tenentur, & ſub forisfactura omnium quæ nobis forisfacere poterunt in futurum. Et omnes illos quos poſt proclamationem & inhibitionem prædictas, contrarios inueneritis ſeu rebelles, areſtetis & capia-

Commiſſio ad inquirendum, vt omnes tenentes ſancti Albani reddant ſeruitia conſueta Abbati prædicto.

tis,& ipſos in priſonis noſtris mancipetis,in eiſdem moraturos, quouſque de eorum punitione aliter duxerimus demandandum. Et hoc ſicut nos & honorem noſtrum ac ſaluationem iuris regni noſtri diligitis nullatenus omittatis. Teſte meipſo apud villam de ſancto Albano.15.die Iulii,Anno regni noſtri quinto.

Homines de Comitatu Herifordiæ præſtant fidelitatem regi.

In die ſanctæ Margaretæ virginis poſt refectionem, dominus rex tranſiturus ad Caſtellum de Berkhamſtede, in magna curia Abbathiæ apud ſanctum Albanum fidelitatem ſuſcepit de hominibus comitatus Hertfordiæ, qui ſummoniti fuerant vt ibi comparerent coram eo, cuncti videlicet qui erant inter quintumdecimum & ſexageſimum ætatis annum. Qui omnes ſimul data fide iurarunt ſe de cætero fideles domino ſuo regi futuros,& nunquam iterum contra pacem ſurrecturos, ſed citius morituros,quam regni turbatoribus parituros, & eoſdem regni turbatores pro viribus comprehenſuros, & carceribus adducturos, opera & ſeruitia conſueta facturos fideliter. Et ſi qui inter eos eſſent qui ductores,concitatores turbarum fuerant, continuo captos regi monſtraturos. Poſt quod iuramentum dimiſſi ſunt in ſua, rege ad Berkhamſtede properante, vbi cum aliquandiu moratus fuiſſet, tranſiuit venandi gratia ad villam de Eſthamſtede, quo in loco relatum eſt ſibi, ſuſpenſos apud Sanctum Albanum fuiſſe depoſitos,& à furcis longius fuiſſe remotos. Dominus autem multum miratus ſuper tanta audacia, & commotus immodice propter contumeliam in hac parte ſibimet irrogatam,illico breue ſuum miſit balliuis villę de ſancto Albano in hæc verba.

Corpora proditorum iuſſu regio ferreis cathenis ad furcas ſuſpenſa ſunt.

Richardus Dei gratia rex Angliæ & Franciæ,& dominus Hiberniæ, Balliuis villæ de Sancto Albano ſalutem. Quia certitudinaliter informati ſumus quod diuerſi malefactores (timore noſtræ regiæ maieſtati abiecto) corpora diuerſorum proditorum & felonum apud villam prædictam, qui pro eorum maleficiis in præſenti perturbatione contra nos & ligeantiam ſuam factis, vt ſuſpenderentur & penderent quandiu poſſent durare adiudicati fuiſſent, prædictis proditoribus & felonibus iuxta iudicium prædictum ſuſpenſis,à furcis vbi pendebant, ceperunt & aſportauerunt,in noſtri vituperium & contemptum, ac contra iudicium ſupradictum, vnde quamplurimum commouemur,nec immerito conturbamur. Vobis igitur in fide & ligeantia quibus nobis tenemini præcipimus, firmiter iniungentes,quod ſtatim viſis pręſentibus,cathenas ferreas fieri, & corpora prædictorum ſuſpenſorum vbicunque inuenta fuerint,ad fureas pręd ictas reduci,& ea cum eiſdem cathenis reſuſpendi faciatis ibidem,quandiu durare poterunt penſura iuxta formam iudicii ſupradicti. Et hoc ſub foriſfactura omnium quæ nobis forisfacere poteritis nulatenus omittatis. Teſte me ipſo apud Eſthamſtede tertio die Auguſti anno regni noſtri quinto.

Villani regio mādato coacti, ciues ſuos reſuſpendunt.

Hoc mandatum villanos de ſancto Albano, iamdudum pro libertate tumultuantes,turpis & abhominabilis ſeruitutis ſeruos effecit, dum non habentes qui huiuſmodi obſequium pro eiſdem vellet agere,compulſi ſunt propriis manibus ſuos cōciues reſuſpendere cathenis ferreis, quorum iam corpora, tabe fluentia, ſcatētia vermibus,putida & fœtentia,odorem ipſis tetertimum refundebant. Et quidem merito hoc erat fædum officium,virorum vſurpantium minus iuſte nomen ciuium,vt apte vocarentur & eſſent ſuſpenſores hominum, ipſo facto incurrentes opprobrium ſempiternum. Et qui veritatem reticere & peiorare maluerant, quam ſibi ſimiles proditores prodere non temere,ipſos eoſdem ſuſpendere ſunt coacti. Conſequuti quoque ſunt canes eorum, quod domini non merebantur, dum per dominos (detractis cathenis quibus ligati fuerant) libertati donati ſunt,ipſis cathenis ſedentibus inuius ſuſpendendorum hominum,& magiſtros eorundem canum ſuſpendendum (vt præfertur)miniſtrantibus,ac per hoc(vt dicitur) in turpiſſima morantibus ſeruitute: Quia videlicet pat erat,vt periuri & Deo odibiles detractatores,canibus (Dei iudicio) mōſtrarentur peiores,dum canibus eotum dimiſſis liberis,ipſi necterentur tam execrandæ ſeruitutis obſequiis. Et hæc quidem apud ſanctum Albanum geſta ſunt circa feſtum inuentionis eiuſdem martyris, quem probati ſunt peccabiliter offendiſſe, & in multiplices miſerias corruiſſe.

Treuga biennales inter Anglos & Scotos.

Dux Lancaſtriæ Iohannes, quia parum ante prędictæ tumultuationis tempus pro die Marchiæ(prout moris eſt) tenenda inter Anglos & Scotos annis ſingulis, in partes cōceſſerat boreales,cum audiſſet de dominatione ſeruili,& quid ruſtici nebulones tempore quod datum eis fuerat præualere,vel in dominos,vel equales illis perpetrauerant,conſternatus eſt valde. Et præcauens in futurum,vtile iudicauit ſub feſtinatione pacem facere cum gente Scotorum, ne ſi perueniſſent rumores tam flebiles ad au-

ad aures eorum, non ſolum illis afferrent inſperatum gaudium, verum etiam audaciam inculcarent, refutatis pacis conditionibus, in noſtram regionem hoſtiliter irruendi. Et factum eſt (Deo volente) vt firmarentur treugæ ad inſtantiam ducis prædicti, antequam notitia facti daretur Scotis, conceſſis prius eiſdem certis terrarum ſpaciis, quibus per plures annos non fuerant ante gauiſi. Sed nimietatem huius conceſſionis excuſat nimietas ſupradictæ turbationis, quæ quemlibet etiam conſtantiſſimum turbaſſe & terruiſſe merito potuiſſet. Scoti vero cum iuramento firmaſſent biennales treugas ſe fideliter ſeruaturos, & earum formam in chartas redactam ſub chirographorum ſignis muniſſent: audierunt à ſuis exploratoribus de turbatione præfata, qualiter vel regi dominabantur & turrim Londoniarum occupauerant, vel cancellarium ſeu theſaurarium regni decollauerant, & cætera per ordinem quæ facta ſunt hiis diebus. Tunc primum dolere cæperunt, ſe tam cito condeſcendiſſe pacis condicionibus, quia miſcuiſſe ſe deſiderabant tantis turbationibus, & terram repleſſe cædibus & rapinis. Tamen quia turpe videbatur eiſdem tam cito notari periurio, ducem confortare cæperunt, & ei ſuadere, vt acceptis viginti millibus bellatorum de gente Scotorum, quos ei concederent animo liberali, ad Angliam properaret, vindicaturus eorum ope & auxilio, communes dominorum iniurias, & emendas accepturus de damnis & dehoneſtationibus illatis irreuerenter perſonæ ſuæ, ſed renuit plane Dux promiſſa, dicens proculdubio ſi id attemptarent, futurum quod bellum contra eos paratum reperirent ſatis aſperum antequam ad Eboracum peruenirent, etiam ſi cum eis contraherent poteſtatem gentis Scotorum: noſcere ſe dixit multitudinem, fortitudinem quoque, nec non audaciam Anglicorum, qui nihil minus quam bellum timebant, quibus aſſeuerauit Scotos in breui fore ludibrio, etſi in duplo maior numerus eorum eſſet. Tamen quia dubiam cernebat fidem multorum quos fideles ſibi reperiſſe putauerat, puta comitis Northumbrorum, aliorum quoque militum qui in illis partibus habebant cuſtodias Caſtellorum, inſuper & ſuorum militum commenſalium, nec non totius pene ſuæ familiæ, quippe à facie formidinis prædictæ tumultuationis contabuerant, in tantum, vt vix pauci cum eo ſtarent. Audierant nempe regem timore ductum corpus domini ſui ducis donaſſe communibus id petentibus. Rogauit Scotos dux, vt ſi eum diligerent vt dicebant, concederent ei ſaluum conductum in terras eorum, & facultatem morandi quamdiu ſibi placeret inter illos, necnon emittendi in Angliam quoſcunque de ſuis vellet, & eos vel alios admittendi, qui ad eum ex Anglia pacifice venire vellent, ac etiam poteſtatem quandocunque ſibimet hoc placeret, ſine impedimento ad Angliam remeandi. Scoti vero cuncta petita liberaliter conceſſerunt, & eum venientem honorifice ſuſceperunt, & longo tempore confouerunt.

Diſcordia inter ducem Lancaſtriæ & comitem Northumbrorum.

Talibus occaſionibus orta eſt diſcordia grauis inter ducem & comitem Northumbrorum, quæ (vt ex poſt dicetur) totam Angliam deterrebat. Comes etenim audiens tam horrēda mirabilia à parte duci parere vel timebat, vel (vt quidam aſſerunt) contemnebat. Cuius exemplum comprouinciales ſecuti, duci non paruum timorem imprimebant. Quod factum poſtea non ſolum comitis inobedientiæ, ſed & ingratitudini dux aſcripſit. Et quoniam ſcriptum eſt, vexatio tantum dabit intellectum auditui. Tunc primo dux ipſe conuerſus ad religionem, cæpit accuſare vitam ſuam priſtinam, non ſolum priuatis ſed publicis confeſſionibus: tunc ſuis peccatis aſcribere cauſas malorum quæ contigerant: tunc ſibimet imputare mortes, non ſolum nobilium, ſed reliquorum qui illo tempore manu impia ſtrati ſunt: tunc illius Katherinæ Swinford conſortium abhorrere vel potius abiurare, & fletibus ac ſingultu facere videbatur pænitentiæ dignos fructus, quibus commentis (vt creditur) iram domini cōplacuit. Igitur regione pacificata, & oppreſſis vel occultatis malefactoribus, cæpit dux de reditu cogitare. Tamen ante regreſſum ſuum, vt ſe regi regnoque monſtraret humiliatum vſquequaque, præmiſit qui nunciarent regi eius fugam, & fugæ cauſas, quam maluit ipſemet migrationem in Scotiam nominare. Nunciarent etiam ſi placeret res, & id opus expeteret, ſe velle reuerti cum ingenti Scotorum multitudine ad comprimendos rebelles, vel ſi hoc diſpliceret, cum propria familia quam recollegerat, & illuceſcente pace, de latebris ad eundem emerſerat, quæ ſatis fortis erat ad obuiandum cunctis ruſticis regionis. Quod ſi nec ſic placeret aduentus eius, vel ſi eum multitudo viuentium cum eodem, regi ſiue regis conſilio ſuſpectum redderet, determinaret rex cum conſilio aſſiſtente perſonas quas vel quot placeret eiſdem, & ipſe dimiſſis reliquis, paratus erat ad regem venire, etiamſi contingeret determinari

ſolum tres petſonas, militem, armigerum, & valectum. Si veto nec iſta tegi placereut, & ipſe ita inuiſus eſſet vel proceribus vel communibus regionis, vt putatent per eum, vel regnum turbandum, vel pacem minuendam, paratus erat, ſi dominus Rex id dictaret, regno diſcedere velut exul, Angliam denuo non viſutus, dummodo pacem conſequeretur rex & regnum eius. Rex autem & procres compatientes afflicto, renunciarunt ſibi, vt dimiſſa gente Scotorum, confidenter reditet cum tota familia propria, quæ ſi non præſtaret, aſſumetet de vnaquaque villa per quam tranſiturus etat certum numetum ad conducendum eum vſque ad villam aliam pro tutela, donec veniret ad tegem. Et factum eſt ita, tege ptæbente ſibi commiſſionem: veniensque ad dominum ſuum regem honorifice ſuſceptus eſt. Poſt paucos dies depoſuit quærimoniam contta comitem Northumbrorum, quod non ſolum inobediens, ſed infidelis & ingratus extitiſſet ei, prout (vt ptæmittitur) tutbationis generalis tempeſtate. Ob quam cauſam vocatus eſt comes ad Berkhamſtede, vbi congregati fuerunt ad intereſſendum conſilio pene cuncti comites totius regni, vbi cum dux pluta dixiſſet contra eum, comes impatiens (more gentis ſuæ) contra prohibitionem regiam in verba contumelioſa eſt reſolutus, cum tamen dux tacere iuſſus, ad primam iubentis vocem ſatis humilitet tacuiſſet. Cuius inobedientiæ occaſione, comes tanquam reus læſæ maieſtatis tegiæ ptotinus arteſtatur, ſed fideiubentibus pro ſe comitibus Warwici & Southfolciæ, quod veniret ad proximum parliamentum & ſuam præſentiam exhiberet, dimiſſus eſt, & conſilium reſolutum.

Parliamentum Londini.

Circa feſtum omnium Sanctotum conuenetunt ad patliamentum Londonias Barones regnique communitas, ad quod dux cum tanta copia conuenit armatorum, vt facile dinumerari non poſſet. Conttaxit & comes de partibus borealibus non inferiorem numetum, & Londonias vſque peruenit. Sed dux ſuſpectam putans fidem Londinenſium proptet inueteratum odium, non æſtimauit tutum Londonias hoſpitari. Comes vero ad ciuitatem fiducialiter cum ſuis acceſſit, qui protinus à ciuibus acceptus eſt cum fauote, illis obuiam in equis procedentibus, illis xenia opipara præmittentibus, hoſpitia ſua præbentibus, & paſturas quas in citcuitu ciuitatis poſſidebant armentis quæ ſecum duxetat, pro tanta familia copioſa nimis comodantibus, & eidem (ſi oporteret) promittentibus fidele iuuamen. Erat igitut comes tunc multum auctus, & numeto & fauote Londinenſium, & iam multo fortiot partibus ducis pars eius exiſtere videbatur. Erat interea cetnete miſerandum ſpectaculum, tegnum quod olim pacis tranquillitate præ cunctis regnis gauiſum fuerat, vndique (verſa vice) turbationis fluctibus agitari, hinc ſeditione communium, illinc diuerſis factionibus optimatum. Reuera viri diuerſi pattis ducis & comitis armati contta regni conſuetudinem, ad Weſtmonaſterium diebus aliquot conuenere, inuſitatum de ſemetipſis incolis præbentes ſpectaculum, ſed ſapientioribus non modicum tali facto inculcantes metum. Expectabatur tot diebus à pacis perturbatoribus, vt ignis conceptus arderet in publicum, & furor dominorum procerum libere prodiret ad actum. Nutans commune vulgus non curabat quem illotum magnatum ſequeretur ad pugnam, dũ tali occaſione (ſicut prius turbationis tẽpore) itrefrenatas diſcurſandi poſſidere poſſet habenas, & materiã vindicandi ſuorum complicum proditorum, decollationes, tractiones, & ſuſpenſiones factas pet tegem & fideles regni. Totus clerus autẽ pluteſq; de populo, quorũ Deus corda tetigerat, interim cõſtituti erant in timore magno, & expectatione, ptoptet mala quæ ſuperuentuta erant vniuerſo orbi Britanniæ, occaſione diſſentionis eotundem, ſi effutire pararent odium præconceptum, vnde fiebant in clero orationes publicæ & ptiuatæ, vt Deus (cuius natura eſt bonitas) inter illos ſpirare concederet auram pacis. Tandem cum diu parliamentum protelatum fuiſſet inaniter propter diſſenſionẽ ſuptadictam, intetcurtentibus regni proceribus, cepit rex querelas eotum in manus ſuas, ne propter dominorum diſcordiam, cuncta regni negotia non ſolum paterentur impedimentum, ſed & irrecuperabile detrimẽtum. Sicq; ſoluta ſunt à metu corda fidelium, domino miſerante.

Diſſoluitur Parliamentum.

Proceſſum eſt perinde ad tractandum de regni regiſque negotiis in patliamento ptęſenti, ſed immoratum eſt inaniter, in eodem diu, nec ad aliquem effectum quicquã productum, quamuis non ſine magnis fuiſſet ibidem ſumptibus demoratum. & cũ iam effectus aliquis ſucceſſiſſe putaretut, ſuperuenere noua de aduentu nouæ teginæ Caleſiam, ſororis videlicet regis Boemiæ Wynceslai filii quõdam regis Boemię, & impetatoris, qui & ipſe expectauit in Imperatorem cotonari, & ſe Imperatorem vbique literaliter nominauit. Hanc igitur magno præcio, multiſq; peremptam labotibus, ha-

bus,habendam rex prælegerat,quanquam cum ineſtimabili auri ſumma oblata fuiſſet ei filia domini Mediolanenſis Barnabonis. Audito igitur (vt retulimus) de aduentu reginæ futuræ, ſoluitur parliamentum, reincipiendum poſt regales nuptias & natale dominicum. Et inſuper laborat vnuſquiſque pro viribus tantas nuptias honorare muneribus inſuper & obſequiis fauore dignis. Miſſum eſt ergo in obuiam tantæ virgini,& conducitur cum omni gloria mundi ad portum vſque Doueriæ,comitantibus eam multis nobilibus tam ſuæ patriæ quam iſtius terræ. Accidit illo die mirabile cunctis auſpicium,iuxta multarum opinionem fauorem Dei, fælicia fata terræ affutura præmonſtrans. Nam cum pedem terræ intuliſſet è naui,& ſaluo cunctis egreſſis, nauigio reliquo, ſequuta eſt è veſtigio tanta maris commotio , quanta diu ante viſa non fuerat,& ipſas naues in portu conſtitutas adeo agitauit,vt diſſiparentur ſubito, & colliderentur,naui prius in qua regina conſederat diſſoluta, & in multas partes horribiliter comminuta. Quidam vero aliter interpretati ſunt ſupradicta, putantes eſſe futurum,vt regnum turbaretur per eam,vel regioni incommodum aliquod eueniret. Sed iſtius dubiæ perplexitatis obſcuritatem geſta ſequentia declarabunt.

Soror regis Bohemiæ honorifice ſuſcipitur.

Anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo, qui eſt annus regni Richardi regis à conqueſtu ſecundi quintus,circa præſens tempus Britones in Armorica Britannia indignati, quod Anglici in tanto conſtituti eſſent honore penes dominum ſuum ducem Britanniæ,verſi in ſeditionē, conuenerunt aduerſus dominum eorundem,imperioſe mandarunt , vt dimiſſis à ſuo famulatu cunctis Anglicis,tantummodo gauderet ipſorum obſequiis,ſcilicet Britonum , vel mortem inferrent eiſdem,inſuper & ab eius obſequiis cuncti Britones deſciuerent. Igitur dux in arcto conſtitutus,conuocatis de familia ſua Anglicis,enarrat dolenter inſtans periculum,& licet inuitis à ſua terra quantocius vniuerſos iubet abire. Conturbati vero & conterriti ſuper audita Angli, cum omni feſtinatione parant indemnes abſcedere,ne fortaſſis eis queant deteriora contingere incolarum malitia dictę terrę. Audiens Anglorum receſſum repentinum dominus de Cliſſon, & cauſam diligenter inquirens & agnoſcens, (nam & ipſe reconciliatus erat duci) vehementer iraſcitur contra autores receſſus Anglorum,& conuocatis tam militibus quam armigeris,cæteris quoque quos nouit in hac cauſa peccaſſe,quærit cuiuſmodi auctoritate id efficere præſumpſerunt,vt à duce ſuo domino remouerent viros domino ſuo fideliſſimos, & qui vltra nationes alias ſuis dominis decenter obſequi & placere ſciuerunt, & eis reuerentiam omnem impendere commodum prouidere. Nullus inquit veſtrum tāto honore dominum ſuum colere, affectu tanto diligere, tantæ humanitatis obſecūdatione venerari nouit,vt Anglici, quos inuidia pleni, in vituperium domini veſtri atq; dedecus abieciſtis. Quapropter redire finatis ad domini veſtri ſolatium , quos ad eius tædium amouiſtis,& eidem eos pacifice deſeruire permittite, aut (Deum teſtor) ſuperbiſſimos è vobis faciemus ſuſpendio ſtrangulari. Quibus dictis,mittit qui reuocarent familiam eiectam,pręhabitis officiis iterum gauiſuram,ſed fruſtra,quia iam plures ad Angliam transfretauerant, & relicti fuerunt pauci admodum,qui deficiente nauigio ſiue vento poſt ſocios remanſerūt,quos reuocatos iterum reſtituit curiæ domini ſui Ducis. Poſt feſtum Epiphaniæ conuenit Londonias vniuerſa regni nobilitas,ad intereſſendum regalibus nuptiis,& obſequium deferendum iuxta conſuetudinem à quolibet antiquitus vſitatam. Benedicitur apud Weſtmonaſterium Imperialis puella in ſponſatā regiam,à domino Cantuarienſi Archiepiſcopo in reginā cum gloria & honore coronatur. Haſtiludia quoq; fiunt pro magnificentia tantæ celebritatis per dies aliquot,in quibus & Angli & virtutem ſuam,& patriotæ reginæ ſuam probitatem publice demonſtrarent. In quibus non ſine damno perſonarum vtriuſq; partis laus eſt acquiſita,& rei commendatio militaris.

Dux Britanniæ à Britonibus eliminatus, dimiſſis Anglis.

Regales nuptiæ.

Expletis nuptiarum ſolemniis,incipitur Parliamentum quod omiſſum prędiximus propter cauſas præmiſſas, in quo plures articuli ſunt propoſiti & decreti, videlicet de extraneis admittendis ad vendendum perſonaliter,ſine impedimento mercatorum Angliæ,libere ſua mercimonia. De abrogatione pelluræ, & apparatus argenti in zonis,&c. à communibus ſtatus inferioris : de precio vini ſic appoſito , videlicet dolium non excedere ſex marcas. Multa ſunt & alia quæ ſtatuta ſunt ibidem. Sed quid iuuant ſtatuta Parliamentorum,cum penitus expoſt nullum ſortiātur effectum? Rex nempe cum priuato conſilio cuncta vel mutare vel delere ſolebat quæ in Parliamentis ante habiris,tota regni non ſolum communitas ſed & ipſa nobilitas ſtatuebat. Editum eſt & ibi ſtatutum contra communitatem impoſterum inſurgentem,vt

Parliamentum nuper ſolutum incipitur.

Digitized by Google

non expectato alieno ſuffragio, videlicet breui regio, fideles regni vbicunque viderent ruſticos vel communes excitare ſuſpecta conciliabula, ſenos aut ſeptenos, eos capere foret eis licitum, & in cuſtodia detinere.

Comes Southfolciæ morte obiit repentina.

Comes Southfolciæ Wilhelmus Vfforde in iſto præſenti parliamento dum à militibus comitatuum fuiſſet electus ad pronunciandum ex parte illorum negotia reipublicæ, die & hora quibus exequutus fuiſſet ſuſceptum negotium, cum gradus aſcẽdere incepiſſet ducentes ad cameram in qua regni nobilitas tota conceſſerat, repente corruit, & inter ſuorum manus illico ſpiritum exhalauit, quamuis iucundus & nihil mali ſentiens aulam Weſtmonaſterii parum ante & velut immediate ſubintraſſet. De cuius morte ſubitanea non parum conſternati ſunt, non tantum cuncti regni proceres, ſed & omnes mediocres & pauperes, quia cunctis ſe in omni vita amabilem exhibuerat. Poſt cuius mortem finis eſt impoſitus Parliamẽto, poſtquam mercatores Angliæ conceſſiſſent regi pro ſubſidio conſuetudines lanarum iterum, quos Maltot vulgares appellant, per quadriennium ex poſt ſequens. Ordinatus eſt etiam in hoc Parliamento (petentibus hoc magnatibus & communibus) Richardus Scrop miles, cancellarius, vtpote vir qui ſpectabili ſcientia & inflexibili iuſtitia non haberet ex ſua fortuna parẽ in regno. Ad officium vero theſaurarii dominus Hugo Segraue miles ſubrogatur. Per idem tempus comes Marchiæ dominus Edmundus de Mortuo mari in Hibernia conceſſit in fata, poſtquam illam terram totam pene perduxiſſet ad pacem, & nobiliſſime & ſapientiſſime gubernaſſet. Circa dies iſtos magiſter Wilhelmus Courtney Epiſcopus Londonienſis transfertur ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem, & magiſter Robertus Braybrock effectus eſt Londonienſis.

Carolus coronatur à Papa in regem Neapolis.

Circa tempus illud Carolus de pace (de quo ſuperius pauca proſtrinximus) poſt coronatus eſt à domino Papa in regem terræ laboris Neapolis, quam intrauit in manu forti poſſeſſurus terram illam, & nemine reſiſtente peruenit in pace Neapolim, ciuitatem Metropolitanam regni, vbi cum honore decenti à ciuibus eſt ſuſceptus, & vt ſucceſſus correſponderent ei iuxta domini Papæ vaticinium, dicentis in quodam ſermone habito ad populum eiuſdem Caroli pacis: Eſt tibi fili chariſſime non abs re cognomen inditum, quoniam proficiſceris in pace, & pax erit tibi in ingreſſu tuo, pax in progreſſu, & pacis ſucceſſione gaudebis. In terra illa redditæ ſunt ei pacifice ſine cuiuſque belli tumultu vel diſpendio, vrbes Gaietana, Capua, Beneuentum, Auerſana, & plures alii, quarum nomina non tenemus. Et illa meretrix magna quæ ſedit ſuper aquas multas & vocabatur regina Neapolis, à facie formidinis Caroli & eius exercitus fugit in caſtellum vrbis eiuſdem, quod vocatur caſtrum nouum, quam mox Carolus obſidere curauit, & protelauit obſidionem quadraginta & duobus diebus. Igitur quadrageſimo die obſidionis præfatæ, inſultum fecit aſperrimum ad caſtellum. Et cum maxime deſudaret ipſe & ſuus exercitus ad perturbandum caſtellanos, & caſtellum violenter occupandum, repente ſuperuenit à tergo Caroli & ipſius exercitus intromiſſus in vrbem (mediante proditione) dominus Otto de Bronneſwich, (maritus prædictæ reginæ) cum Marco de Monte Ferrando, & armatorum copioſa turba, ad irruendum in Carolum, & ſuccurrendum reginæ. Erat tunc in exercitu Caroli quidam miles, dictus Iomitus, qui & ipſe princeps erat exercitus, vir vtique & in bellis prouidus & manu promptus. Hic repente ſentiens dolum proditorum, & periculum quod imminebat, partem exercitus locat ad muros, quæ caſtellanos prohiberet ab irruptionibus, dum manus confereret pars exercitus altera cum Ottone, cui mox obuiatum eſt cum audacia à Carolo & Iomito, & pugnatum eſt atrociſſime, donec hoſtilis exercitus diſſipatus & victus eſt, plurimis occiſis, & multis captis. In qua pugna peremptus eſt Marcus de monte Ferrando, & Otto de Bronneſwich læthaliter vulneratus & captus. Quem confeſtim reginæ monſtrantes, minabantur in machina poſitum proiecturos ad illam in caſtellum, niſi mox reddere vellet illud. Sed tamen nocte ſuperueniente, non fecerunt ita. Igitur regina nocte illa tractatum cum ſuis faciens, in craſtino ſe reddidit & caſtellum, in quo repertæ ſunt diuitiæ infinitæ. Capta autem, in cuſtodia ſeruabatur, donec Carolus cum domini Papæ conſilio deliberaret quid agẽdum eſſet de perſona ſua. Captus eſt in eodem caſtello cum regina, comes cancellarius, cum comite camberlano, & multis aliis, quos lõgum foret per ſingulos nominare. Hoc modo parata eſt pax Carolo de pace, & paratum eſt regnum in conſpectu eius. Fuerunt quidã, quod regina poſt captionem ſuam (mediantibus vtriuſque partis amicis, Papa ſic volente, & Carolo permittente) ingreſſa ſit religionẽ monialium, quæ de ordine Sancti

Franciſci

Digitized by Google

Franciſci ſunt,& Minoriſſæ vocantur,quæ ſi conſecutura ſit de tanta perfectione meritum,nouit Deus,cui omne cor patet.

Propoſitiones ſeptem magiſtri Io. Wiclif.

Aduerſarius fidei Chriſtianæ,Hæreſiarcha recordationis execrabilis,Iohannes Wiclif,ſollicitus peruertere tam maiores quā minores regionis incolas ſuis nequam adinuentionibus,ſuas damnabiles opiniones modo per ſe,modo per ſequaces ſuos, modo ſcriptis,modo prædicationibus,per totum tempus iſtud dilatare contendit. Et quia minus ſatisfaciebat eius affectui,prædicationibus in vulgari plebe inexecrabiliter declamatis, ſcribit ad dominos & magnates, qui circa feſtum ſancti Iohannis ante portam latinam Loudonias ad Parliamentum coadunati fuerunt machinationes nouas,quibus & illos allicere poſſet,& in errorem trahere: ſub hiis verbis modum ponemus promiſſum,vt in eius ſchedula ſcribitur,erat nempe iſta præſcriptio.

Magiſtri Iohannis Wiclif ſeptē interpretationes, ad tutelam regni Angliæ per eum porrectæ quidā.

Quod Rex aut regnum nulli ſedi vel prælato obediat,niſi de quanto ex fide ſcripturæ ſonat in obedientiam Ieſu Chriſto. Patet,quia aliter proponetur Chriſto in obedientia Antichriſtus: Omnis enim obedientia,quæ non fit Chriſto,fit Antichriſto: Quia Lucæ 2. *Qui non eſt mecum,&c.* Quod nec curiæ Romanæ,nec Auinonicæ, nec alicui exteræ emittatur regni pecunia,niſi doceatur hoc eſſe debitum ex ſcriptura ſacra,patet,quia aliter foret rapina lupi rapacis quam Chriſti. Matth. dicit eſſe à fructibus cognoſcendum. Quod nec Cardinalis,nec alius habeat fructum Eccleſiæ vel præbendæ de Anglia,niſi vel rite reſideat,vel occupetur legitime in cauſa regni à proceribus rationabiliter approbata. Patet,quia aliter non intraret per Chriſtum,ſed aliunde aſcenderet,vt Antichriſti diſcipulus,& per traditiones ſeculi tanquam latro prædaretur regnum in ſubiectis pauperibus,ſine æquiualentia pecuniæ recompenſæ. Quod Rex & regnum tenentur deſtruere regni proditores,& ſuos à ferocibus inimicis defendere. Quod regni communitas nō oneretur tallagiis inſuetis, antequam totum patrimonium,quo clerus dotatur,deficiat,patet,quia omnia iſta ſunt bona pauperum charitatiue exponenda ad eorum agentiā,viuente clero in perfectione primariæ paupertatis. Quod quocunque Epiſcopo vel curato dotato de Anglia in contemptum Dei notorie incidente,nedum liceat regi,ſed teneatur ſua temporalia confiſcare: patet,quia aliter regnum poſtponeret,Chriſtum Regis domini temporalis contemptum ponderans pluſquam viginti. Quod Rex nullum Epiſcopum vel curatum mancipiet ſuo miniſterio ſeculari,patet,tam rex quam clerus foret proditor Ieſu Chriſti.

Aliæ propoſitiones Iohannis Wiclif.

Quod rex nullum propter moram in excommunicatione incarceret,antequam ſecundum legem Dei mora iſta ſit docta eſſe illicita,patet,quia ſæpe excommunicantur multi improuide,vbi ſecundum legem Dei & Eccleſiæ debeant excommunicationes perpetuæ tolerare,auctorizare incarcerationem hominis propter hoc quod facit,& debet fore opus dæmonii merediani. Contraria autem iſtorum licet ſint inſenſibilia non curata,tamen nimis confundunt rempubl. quia res inſenſibiles parui penſæ ſunt maximæ in vigore. Vt autem periculoſius traheret auditores ſuos,ſcripſit eo tempore,& publicauit alias concluſiones ab omni eccleſia anathematizandas,& ſunt iſtæ. Subſtantia panis manet poſt conſecrationem,& ſubſtantia panis poſt conſecrationem eſt corpus Chriſti. Deus de potentia ſua abſoluta non poteſt facere quod in ſacramento altaris eſſent accidentia ſine ſubiecto.

Nulla hæreſis vel falſitas in tota doctrina magiſtri Ioh. Wiclif poterit probari.

Deus debet obedire Diabolo. Papa plus tenetur Imperatori quam è conuerſo. Omnes monachi de ordine ſancti Benedicti nolentes labore manuum victum adquirere,non ſolum non ſunt Apoſtatæ ab ordine ſancti Benedicti,ſed quod verius eſt,à diſcipulatu Chriſti. Nullus eſt dominus,ſimul nullus Epiſcopus,nullus eſt prælatus, dum eſt in peccato mortali. Si ordines fratrum eſſent certi,& in Chriſto fundati,non quærent confirmationem à Papa. Vbi leges humanæ non fundantur in ſcriptura ſacra,ſubditi non tenentur obedire. Has delirationes execrabiles poſuit idem Iohannes ea vice,ſed ad damnationis ſuæ cumulum,emiſit viros apoſtatas de fide catholica peſſime ſentientes,ad dogmatizandum & prædicandum,& alias concluſiones periculoſiſſimas,quas audiens quiſque fidelis,merito tinnirent aures eius. Inter quos erat quidam vultum & habitum præferens heremitæ,veniens equidem in veſtimentis ouium,ſed intrinſecus erat lupus rapax. Hic emiſſus per dictum Iohannem,publice prædicauit Leiceſtriæ dominica in ramis palmarum abhominationes iſtas.

Concluſiones Iohannis Wiclif.

Prima concluſio. Quod homines qui dimittunt audire verbum Dei & Euangelium prædicatum propter excommunicationes hominum,ſunt excommunicati,&

Digitized by Google

in die iudicii traditores Dei habebuntur, & etiam illi, qui dimittunt prædicare propter talem excommunicationem. 2. Excommunicatio, quæ datur ad impediendum homines audire verbum Dei, excommunicatio Antichriſti eſt, & non Chriſtiani. 3. Quod nullus prælatus debet excommunicare aliquem, niſi prius ſciat ipſum excommunicatum à Deo, & ſi quis aliter aliquem excommunicauerit, ipſe excommunicatus eſt & hæreticus. 4. Nullus debet aliquem excommunicare, niſi ex charitate, & pro ſalute animæ ſuæ. 5. Prælatus excommunicans clericum, qui appellat ad Regem & conſilium regni, eo ipſo traditor Dei eſt & Regis regni. 6. Prælati Eccleſiæ adquirunt beneficia ſua per aurum, & ſic ſunt Simoniaci & hæretici. 7. Contra antiquam legem eſt, & etiam contra nouam, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones temporales. 8. Nunquam erit bona pax & plenaria in regno iſto, quouſq; iſta temporalia auferantur à viris Eccleſiaſticis, & ideo rogabat populum (manibus extenſis) vt vnuſquiſque adiuuaret in iſta materia quantum poſſet. 9. Quod viri eccleſiaſtici dummodo vixerint in diuitiis & voluptatibus, ſicut iam viuitur, ſunt inhabiles ad orandum pro populo, pro quo fine principaliter fuerunt ordinati. 10. Si rex haberet in manu ſua temporalia Eccleſiaſticorum, non oporteret eum tunc accipere tallagia, nec communitatem regni ſpoliare. 11. Beatus Paulus acquiſiuit victum pro ſe & diſcipulis ſuis ſuis manibus, & ſic deberent religioſi manibus ſuis laborare, & non publice mendicare. 12. Quod ſi iſtæ nouæ ſectæ, quæ quaſi heſterno die venerunt, aſſerunt vitam ſuam perfectiorem, quam religionem Chriſti communem & Apoſtolorum, & volunt ſic facere Chriſtum fatuum. 13. Quod ſacramentum altaris poſt conſecrationem eſt verus panis & verum corpus Chriſti, & illa rotunditas, quæ videtur, & albedo, & huiuſmodi ſunt panis, & hæc eſt ſententia Apoſtoli, doctorum antiquorum & ſanctorum, & in iſta materia doctores nouelli vel contradicunt inter ſe, vel non dant ſufficientem huius ſacramenti deſcriptionem. 14. Religioſi prædicantes, qui nolunt dicere populo & ſcribere veram deſcriptionem huius ſacramēti, & fidem fundatam in Euangelio & ſacra ſcriptura, ſunt excommunicati & hæretici, & ſi quis talibus eleemoſinam ſuam dederit, ipſe eſt fautor illorum, & cum ipſis excommunicatus, & quod fratres verecundantur dicere fidem ſuam de ſacramento altaris. Confirmatione autem omnium dictorum ſuorum, dixit quod hæc eſt fides, quam debent habere ex Euangelio & dictis Apoſtolorum, & ſi quis oppoſitum prædictorum diceret vel prædicaret, quod nullo modo eſſet ei credendum. Hæc & multa alia erronea dixit publice, & prædicauit idem zizaniæ ſeminator in detrimentum Eccleſię & fidei orthodoxæ. Nec ſuffecit huic diei malitia ſua, niſi vt & apponeret iterum in die ſancto Paraſceues prædicare nequitiam inauditam in eodem loco, rectoribus Eccleſiarum non valentibus prohibere eum ob fauorem popularem, qui libentiſſime eum audiebant, & ſe periculo mallebant exponere pro eodem, antequam vel prohiberetur prædicare, aut quicquam contra eum per viam iuris tentaretur. Reuera loquebatur eis placentia, & quicquid proferre nouerat in derogationem prælatorum, detractionem magnatum, quæ vulgus commune ſolet libenter audire, lingua protulit venenata, captans per ſingula verba ſermonis ſui fauorem, laudem quoque vulgi, callide commentis talibus ſeducens & decipiens populum imprudentem. Vnde poſtea contigit, cum Epiſcopus Lincolnienſis eum correxiſſe paraſſet, & ab eo facultatem prædicandi tuliſſe, ſæuiens turba demens Epiſcopum adeo deterrebat, vt nihil auderet agere contra eum. Ad notitiam igitur poſterorum, vt cognoſcant quantum noſtris temporibus præualeret inimicus, & impune debacchatus fuerit, concluſiones, vel potius abuſiones, quas in die Paraſceues, vbi ſupra proclamauit, huic paginæ inſeremus.

Concluſiones in die Paraſceues.

1. Quod ſi parochiani ſciuerint curatorum eorum incontinentem eſſe, & malum, debent ſubtrahere ab eo decimas, & alias ſunt fautores criminis, & conſentiētes eius malis operibus. 2. Quod decimæ ſunt puræ Eleemoſinæ, & in caſu, quo curati fuerunt mali, poſſunt licite eas aliis conferre. 3. Quod homines poſſunt debita ex charitate petere, ſed nullo modo propter debita aliquem incarcerare. 4. Quod curatus malus ſubditos excommunicans pro decimarum detentione, non eſt, niſi pecuniam ab eis indebite & male extorqueri. 5. Si aliquis capellanus, vel compatres aut commatres infantium puerorum, temporibus quibus huiuſmodi pueros ſeu infantes baptizauerunt & leuauerunt de ſacro fonte, fuerint in aliquo mortali peccato detenti, infans huiuſmodi ſiue puer non eſt baptizatus, nec recepit tempore huiuſmodi ſacramentum baptiſmi. 6. Quicunque Epiſcopus conferens alicui ſacros ordines

præſbi-

præſbiteratus, huiuſmodi perſonaliter ordinatus, nō eſt præſbiter ratione collationis huiuſmodi ſibi factæ, niſi ſit electus à Deo. 7. Item idem dixit publice & expreſſe in prædicatione ſua coram maiori Leyceſtriæ & multis aliis, quod Deus nunquam conſtituit miſſam celebrari, & quod bonū eſſet iſtis temporibus, vt pauciores miſſæ celebrarentur quam celebrātur. 8. Item dixit publice & expreſſe corā vicario de Fuſby, decano de Goſecote, & multis aliis in prædicatione ſua, quod quicunque parochianus dans decimas ſuo curato, ſciēs ipſum in mortali peccato, vel tenere aliquam mulierem ſuſpectam publice vel occulte, quod ipſe cōferens decimas huiuſmodi curato ſuo, manu tenet ipſum in peccato ſuo huiuſmodi, & eſt particeps criminis eiuſdem. 9. Item dixit, quod ſacræ canones ſunt traditiones humanæ. 10. Item idem Wilhelmus dixit publice & expreſſe in prædicatione ſua Leyceſtriæ, quod ſciuit bene, quod illud quod tractabatur in altari, fuit corpus dominicum, ſed (vt aſſeruit) ſciuit plus dixiſſe de iſta materia ſi voluiſſet, & ſic per huiuſmodi verba ſua per eum prolata, nequiter & perplexe indicata ſimplici populo Chriſtiano, eoſdem Chriſti fideles fecit per ſua erronea multipliciter deuiare, & de fide Catholica deſperare, & quod deterius eſt, omnes laicos de ipſa patria à tramite iuſtitiæ & veritatis quaſi penitus declinare, diœceſano (vt retulimus) timore turbæ, cui quammaxime complacuere ſermones eius, quicquam contra eum agere non audente. Fuerunt eo tempore & plures alii huius nefandæ doctrinæ ſequaces & diſcipuli, qui prædicauerunt & iſta & plura alia magis enormia, non in quibuſcunq; villis aut ciuitatibus, ſed in ipſa vniuerſitate Oxoniæ, profeſtis diebus. Cancellarius pro tunc magiſter Nicholaus Hertford, acerrimus ſectator Iohannis Wiclif, & quidam canonicus Leiceſtriȩ, & alii qui non aſcenderant per oſtium in ouile ſcholarum, ſed aliunde, poteſtate magnatum contra fratrum ſuorum & abbatis proprii voluntatem. Hii omnes & plures alii ex eorum complicibus peccatum ſuum quaſi Sodoma prędicauerunt, nec abſconderunt, nec ſuffecit ſcholis male ſentire de fide Catholica aut de ceteris in quibus errabant articulis, niſi publicis prædicationibus traherent in ſuæ prauitatis deuium Chriſti fideles. Ex quibus ille canonicus Leiceſtriæ (vt pateret quam imperfecte viuendi normam didicerat ex doctrina ſanctorum) aſſeruit in quadam prædicatione ſua, ſe ſolummodo laudare ſuum ordinē, ex hoc quod ceteris ordinibus erat propior & conformior vitæ ſeculari. Qui vt erat in ceremoniis propior, optabat vt in habitu conformis eſſet, hoc ſolum eis deeſſe ad gradum perfectionis aſſeruit, quod in habitu eſſent ſecularibus diſconformes. Monachorum vitam & aliorum religioſorum imperfectionem eſſe dicebat, quod pluribus obſeruantiis aſtringebantur.

N. Hertford & quidam canonicus Leiceſtriæ diſcipuli & ſequaces Iohannis Wiclif.

Hiis clamoribus excitatus dominus Cantuarienſis magiſter Wilhelmus Courtney, vt erat vir (vt creditur) ſpiritu Dei plenus, non paſſus eſt tantas nequitias habenas liberas poſſidere, ſed mox, vt erat in Chriſtum domini cōſecratus, vt doceret ſibi non iuſtitiam Phinees, ſed facultatem hactenus defuiſſe in refrenādis animis irruentibus & infrænatis, conuocatis fratribus ſuis ſuffraganeis, tractat de malitia temporis, edicit miſeriam, & conqueritur de filiis proditionis, qui ſinu foti matris Eccleſiæ, conantur diſcerpere matrem ſuam. Tandem poſt tractatum habitum, auditis quorundam ſuper iſta re ſententiis, deliberat penes ſe vel tot enormitates ad rectam regulam retorquere, vel caput exponere pro cauſa Dei. Diſpoſuit ergo primum, adhibitis quibuſdam coepiſcopis, qui poſt Baalim non abierunt, & pluribus de ſacræ paginæ profeſſoribus, diuerſitates lepræ diſcutere, quibus reſperſæ erant oues erraticæ, & diligenter inſpectis opinionibus infirmis, diſcernere inter lepram & lepram. Igitur afferuntur in medium tantę fæditatis vlcera paſtoris palpanda manibus, eiuſque miniſterio anathematis ignibus conſumenda. Quæ ſeorſum ſingillatim ponemus, prout damnari meruerunt.

Archiepiſcopus rem agit cum coepiſcopis de concluſionibus Wicliffi.

1. Quod ſubſtantia panis materialis & vini maneat poſt conſecrationem in ſacroſancto altaris. 2. Quod accidentia non maneant ſine ſubiecto poſt conſecrationem in eodem ſacroſancto. 3. Quod Chriſtus non ſit in ſacroſancto altaris ydemptice, vere, & realiter in propria præſentia corporali. 4. Quod ſi Epiſcopus vel ſacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, conficit, nec baptizat. 5. Quod ſi homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua vel inutilis. 6. Pertinaciter aſſerere non eſſe fundatum in Euangelio, quod Chriſtus miſſam ordinauerit. 7. Quod debent obedire Diabolo. 8. Quod ſi Papa ſit præſtigiator & malus homo, ac per conſequens membrum diaboli, nō habet poteſtatē ſupra fideles Chriſti ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare. 9. Quod poſt Vrbanum ſextum non eſt aliquis

Articuli Iohan. Wiclif ab archiepiſcopo, &c. damnati.

quis

quis recipiendus in Papam, ſed viuendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis. 10. Aſſerere quod eſt contra ſacram ſcripturam, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones temporales.

Notatis grauioribus culpis, dominus Archiepiſcopus conſequenter deſcendit ad minores, vt euellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, quæ filius perditionis ſeminauerat, omnia ſcandala in regno Dei, quæ partim hic inferius annotantur, 1. Quod nullus prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat ipſum excommunicatum à Deo. 2. Item quod ſic excommunicans ex hoc ſit hereticus vel excommunicatus. 3. Quod prælatus excommunicans clericum, qui appellauit ad Regem & conſilium regni, eo ipſo traditor eſt Dei, & Regis, & regni. 4. Item qui dimittunt prædicare ſeu audire verbum Dei, vel Euangelium prædicatum propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die iudicii traditores Dei habebuntur. 5. Aſſerere quod licet alicui Diacono vel præſbytero prædicare verbum Dei abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi Catholici, ſeu alia, de qua ſufficienter conſtet. 6. Quod domini temporales poſſunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab Eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus, vel quod populares poſſunt ad arbitrium eorum dominos delinquentes corrigere. 7. Quod decimæ ſunt puræ Eleemoſinæ, & quod parochiani poſſunt propter peccata ſuorum curatorum eas detinere, & ad libitum aliis conferre. 8. Quod ſpeciales orationes applicatæ vni perſonæ per prælatos vel religioſos, non plus proſint eidem perſonæ, quam generales orationes eidem ceteris paribus. 9. Eo ipſo quod aliquis ingreditur religionem priuatam quancunque, redditur ineptior & inhabilior ad obſeruantiā mandatorum Dei. 10. Quod ſancti inſtituentes religiones quaſcunque priuatas, tam poſſeſſionarorum quam mendicantium, in ſic inſtituendo peccauerunt. 11. Quod religioſi viuentes in religionib. priuatis, non ſunt de religione Chriſtiana. 12. Quod fratres teneantur per laborem manuum, & non per mendicationem victum ſuum acquirere, error damnatus ab Alexandro Papa quarto.

Archiepiſcopus Cantuarienſis mittit mandatū ſuum cancellario Oxoniæ contra articulos prædictos.

Damnatis prædictis concluſionibus hæreticis & erroneis à domino Archiepiſcopo & cœtu ſapientum, conſequenter idem archiepiſcopus mandatum mittit cancellario Oxoniæ Roberto Rugge, in quo declarauit damnationem, & mandauit, vt per ſe vel per alium eaſdem eſſe damnatas faceret publice declarari. Prohiberet inſuper hæc & cetera talia vel in ſcholis communicari, vel in prædicationibus attrectari de cetero, & eo effectualius laboraret in executione mandati ſibi directi, quo dominus archiepiſcopus poſſet aperte cognoſcere eum nullatenus talibus erroribus maculatum, aut talium prædicatoribus adhęrere, ſed diſſimulari non potuit malitia præconcepta in corde ſuo, quin patenter foris oſtenderet venenum, quod in eius animo firmauerat ſibi ſedem. Reuera diebus ſolennioribus, quibus eius incumbebat officio ſermones in populo facere, commiſit onus verbi hiis quos ſciuit acerrimos Iohannis Wicliſ ſectatores, ſpreto vel paruipenſo archipontificali mandato. Et quidem Philippo Ripindon præfato canonico de Leyceſtria, ſermonem dicendum aſſignauit in feſto corporis Chriſti, in quo ſermone inter multa quæ dixit abuſiua talia perorauit. In doctrina autem ſpeculatiua cuiuſmodi eſt materia de ſacramento altaris: Ponam (inquit) cuſtodiam ori meo, donec Deus aliter illuſtrauerit ſiue inſtruxerit corda cleri. Factumque eſt, vt non emendationem malorum, ſed augmentationem, idem Cancellarius mandato Archipræſulis vteretur, & ad irritationē paternæ patientiæ & lenitatis. Quibus rebus nimirum Archiepiſcopus exacerbatus, iterum recollecto cœtu magiſtrorum, citari fecit expoſt prædictum Cancellarium & ceteros ſuperius nominatos, ad reſpondendum de tanto contemptu coram eis publice, & declarandum quid de præmiſſis damnatis articulis ipſi ſentirent. Qui tandem poſt multas tergiuerſationes, imponendo duplicem ſenſum in eiſdem, & cauillationes diuerſas, coacti ſunt, licet inuiti, ſimpliciter proferre ſentire ſuum de præmiſſis, facta prius proteſtatione, quod vellent & intenderent eſſe humiles & fideles filii, & Eccleſiæ in omnibus obedire, &c. Conceſſerunt igitur cunctas præmiſſas concluſiones, intelligendo eas, prout verba ſonant, fore vel hæreticas vel erroneas, iuxta quod dominus Archiepiſcopus & magiſtrorum cœtus (vt ante retulimus) plena deliberatione definierant de eiſdem.

Comes Flandriæ expellitur de terra ſua.

Comes Flandriæ circa dies iſtos expellitur cum dedecore grandi de terra ſua, qui dum plus ſtudet falſitati quam veritati, iniuſtitiæ quam æquitati, ſentit repente manum domini aggrauatam ſuper eum. Reuera Gandauenſes cum iam nullatenus

eum

eum fidem erga eos ſeruaturum agnoſcerent, nec eis more domini debito præfuturum, poſtquam multa mala eis latenter & aperte irrogaſſet, vindicari ſtatuunt in eum, & adhærentes ſibi, ſi fortuna permittat. Quapropter in die Inuentionis ſanctæ Crucis, qui eſt dies celeberrimus in tota Flandria, dicti Gandauenſes latenter (congregatis innumeris de communibus & ſtipendiariis Zelandenſibus, necnon Brabantiis & quibuſdam Anglicis) hoſtiliter egreſſi ſunt, & pene ſubito ad tertium milliarium à villa de Burges peruenerunt. Ductore quodam Philippo de Northfeld arcta villa, qui quondam conſanguineus extitit Anglorum Reginæ Philippæ. Comes ergo audiens de aduentu Gandauenſium, repente cum multis obuiam eſt egreſſus. Bellum igitur eſt commiſſum inter eos atrociſſimum, & cadunt hinc viciſſim plurimi. Sed Burgenſes ſenſere totum pene diſpendium, proſtratis in breui ſeptem millibus ex eiſdem. Cernens autem Comes partem ſuam totaliter infirmatam, & animos deficere reliquorum, concidit & ipſe animo, & timide fugiendo feſtinat ad Burges, quem Gandauenſes è veſtigio inſecuti ſunt ad villam vſque de Burges, & portas violenter effregerunt, & foſſas aqua repletas leui negotio tranſierunt. Nam villa non munitur muro, ſed optimis foſſis circumdatur & profundis: & ſic in villam velociter irruperunt. Impedimento erat eis pauliſper foſſarum tranſilitio quibuſdam de villa repugnantibus, cum interim qui in villa fuere quinque bella licenter ordinauerunt contra eos, & intra villam locauerunt. Quæ pene ſine difficultate vicerunt, diſſipauerunt, & occiderunt, & Comitem in Franciam fugere compulerunt. Peracta tandem ſtrage belli, ad cædes ciuium conuertuntur. Diſcurrentes ergo per totam villam, ſcrutantur vbicunque locorum frequentatores iſtarum artium, videlicet piſcariorum, pelliparioriorum, carnificum, & eorum quos Macleres vocant lingua ſua, qui mercedes recipiunt ex vtraque parte pro negotiis expediendis: de quibus quoſque repertos in ore gladii peremerunt. Excreuit autem numerus occiſorum ad decem & ſeptem millia virorum de Burges. Nonaginta vero de maioribus villæ de Burgges, captos Gandauum tranſmiſerunt, veruntamen nulli mercatori extraneo nocuerunt, vel quicquam moleſtiæ intulerunt. Sed & Anglicis præcipue pepercerunt, adeo vt ſi quis conuinceretur de bonis cuiuſquam Anglici aliquid rapuiſſe, mox ſine reſpectu miſericordiæ capite plectebatur. Et cum cuiuſdam Anglici compotorium, quod Comitor vocamus, eſſet confractum in prædicta deprædatione, & idem Anglicus de hoc depoſuiſſet querelam capitaneo eorundem, cum interrogatus neſciret dicere quis hoc feciſſet, capitaneus dedit ei equum ſuum, præcipiens ne de hac re vlterius quæreretur, pro quo dictus Anglicus mox recepiſſe potuit octoginta florenos, cum reſarcire damnum ſuum potuiſſet minus quam decē marcis. His itaq; geſtis, Gandauenſes tam prudenter diſpoſuerūt pro villa de Burges, vt infra triduum om̄nia mercimonia & mercata ibidem (quod mirum dictu eſt) non minus aperte & quiete tenerētur & frequētarentur, q̄ triduo vel quatriduo tenebātur ante cōflictum. Depoſita villa more ſuo, Gandauenſes regreſſi ſunt Gandauum in multis ſpoliis & triumpho, mittentes ex eis qui ſequerentur, & obſiderent eos, qui ad munitionem de Vdenarde confugerant, & eandem contra eos præſumpſerant detinere. Fuerunt equidem nobiliores & valentiores milites & armigeri totius Flandriæ, & putabant tum pro fortitudine loci, tum quia contigua eſt illa inimico prouinciis Galliarum, vnde auxilium eis de facili ferri poſſe credebant, ibidem ſe fore ſaluandos. Igitur obſidione diſpoſita, circumſederunt locum per torum tempus æſtiuale, quibus Comes Flandriæ apud ſanctum Audomarum commorans plura damna pluries irrogauit, vt ſubuenire poſſet obſeſſis.

Circa feſtum ſancti Iohannis ante portam Latinam conuocati ſunt ad parliamentum Londonias cuncti maiores regni, & qui de conſuetudine vocari ſolebant, quamuis in quadrageſima præcedente factum fuiſſet aliud parliamentum, prout ſupra ſcripſi. In quo, petitione militum comitatuum, Ioannes Straw præſbyter, qui ductor fuit eorum qui inſurrexerant apud Bury & Mildenhale, tractioni & ſuſpenſioni adiudicatur, licet multi putaſſent eum fuiſſe pecunia redimendum.

Parliamentum Londinis.

Londoniis eo tempore quidam nebulo pretendens phiſicum & aſtrologum proclamari per vrbem fecerat, ne quiſquam in vigilia dominicæ aſcentionis cubiculum ſuum exire præſumeret, antequam dixiſſet quinquies orationem dominicam, & comedendo ſoluiſſet ieiunium, propter nebulam peſtilentē, quę eo die ſuperuentura fuit. Rogauerat inſuper ſe ſeruari interim, & pœna plecti fidens forte in fatuitate ciuium, ſi ipſum ſuum vaticinium fefelliſſet. Nam prædixit omnes ſubito morituros,

Quidam nebulo phyſicus ſeque impoſitus mendacii mercedem recepit.

qui

qui ſecus quam ipſe conſulerat facturi eſſent. Plures igitur parentes conſilio ganeonis, eique credentes, eo die nec ad miſſas audiendas proceſſerunt, nec egredi voluerunt, priuſquam illius diei ieiunium violaſſent. In craſtino, cum mendacium latere non poſſet, captus eſt, & equo impoſitus, equinaque cauda commiſſa ſuis manibus loco fræni, & duæ ollæ, quas Iordanes vulgo vocamus, ad eius collum colligãtur, cum cote in ſignum quod illam mentiendo promeruit, & ita circumductus eſt per omnem ciuitatem in conſpectu cunctorum phyſicorum & chirurgorum digna dehoneſtamenta recipiens pro mercede.

Anglici nauem Falconem à piratis diripiunt.

Prope tempus iſtud noſtrates cum quibuſdam viris de Rya, & nonnulli de patria ſunt egreſſi ad luſtrandum mare, & pugnandum ab incurſu piratarum, cum ecce repente vident quaſdam naues hoſtiles, inter quas conſpiciũt vnam nauem, quæ quondam fuerat domini Thomæ de Latimer, & vocabatur Falco, propter inſigne falconis, quod poſitum erat ad cognitionẽ dictæ nauis. Hæc dudum (præualentibus hoſtibus) capta fuit, & per eoſdem abducta. Hanc igitur cum noſtri vidiſſent, & ad Anglorum dedecus ampliatam, & inſigne priſtinum ſuperpoſitum in vituperium Anglicorum, ſe periculo cuncti deuouent, & ſtatuunt extrema quæque pati, niſi eam victorioſe recuperare valerent. Præmiſſis ergo qui ſuaderent hoſtibus, qui in ea erant, vt eam pacifice redderent, cum nihil præter cachinnos recepiſſent, ad conflictum ſe præparant hinc & inde, & poſt diuturnum belli congreſſum, noſtris præualentibus, reddita eſt nauis, occiſis prius in ea, & ſex aliis vaſis captis cum eadem, trecentis viris. Regreſſi ſunt quoque noſtri cum victoria commendanda, ducentes ſecum prædicta vaſa onuſta multis bonis, puta vino, cera, & diuerſi generis mercibus, non parum incolis profuturis.

Dux Andegauiæ coronatur in Regem Neapolis.

Dux Andegauiæ coronatus ab Antipapa Auinione in Regem Neapolis, circa dies iſtos carpit iter verſus Neapolim cum magna turba dominorum Galliæ, & comite de Saueya ad deponendum Carolum, quem ſupra diximus à Papa coronatum in Regem dicti regni, & quia Regina victa iure conqueſtus occupauerat regnum illud. Fertur autem dux præfatus traxiſſe cum eo tria millia hominum armatorum, & mille baliſtarios, præter illos qui Comitem de Saueya ſecuti ſunt, quorum numerus (vt vſu vulgari loquar) ad ſexcentas lanceas aſcendebat, & præter triginta galeias per mare deſtinatas, armatas optime, & ad vſum prœlii præparatas. Præmiſit autem ante faciem ſuam in Italiam gentibus quæ in Lumbardia & Tuſcania commorãtur, tres ſolennes nuntios, ad manifeſtandum aduentum ſuum, & aduentus cauſam innuens, videlicet ſe venturum ad ſuccurendum & iuuandum ac recuperandum Ioannæ reginæ, quam Carolus depoſuerat, regnum illud. Et hæc quidem erant verba monſtrata de foris ad omnes dominos & communes Italiæ per nuntios ſupradictos.

Perturbationes per Londinenſes.

Londonienſes iſto tempore cæperunt vltra modum inſoleſcere in pernitioſum exemplum vrbium aliarum. Reuera freti maioris illius anni Iohannis de Northampton auctoritate ſuperc iloſa, præſumpſerunt Epiſcopalia iura, multas dehoneſtationes inferentes, in fornicationibus vel adulteriis deprehenſis. Captas nempe mulieres in priſona, quæ vocatur dolium, apud eos ptimo ſecluſas incarcerarunt. Poſtremo productas ad conſpectum publicum, deciſſa cæſarie, ad modum furum, quos appellatores dicimus, circumduci fecerunt in conſpectu cunctorum inhabitantium ciuitatem, præcedentibus tubicinis & fiſtulatoribus, vt latius innoteſcerent perſonę earundem, nec minus huiuſmodi hominibus pepercerunt, ſed eos iniuriis multis & opprobriis affecerunt. Animati etenim fuerant per Iohannem Wiclif & ſequaces eius, ad huiuſmodi perpetrandum in reprobationem prælatorum. Dicebant quoque ſe abhominari curatorum non ſolum negligentiam, ſed & deteſtari auaritiam, qui ſtudentes pecuniæ omiſſis pœnis à iure limitatis, & receptis nummis, reos fornicationis & inceſtus fauorabiliter in ſuis criminibus viuere permiſerunt. Dicebant ſe vtique pertimeſcere, ne propter talia peccata in vrbe perpetrata, ſed diſſimulata, tota ciuitas quandoque Deo vlciſcente ruinam pateretur. Quapropter velle ſe purgationem facere ciuitatis ab huiuſmodi inquinamentis, ne forte accideret eis peſtis aut gladius, vel certe abſorberet eos tellus. Erat autem maior eorum homo duri cordis & aſtutus, elatus propter diuitias & ſuperbus, quoniam nec inferioribus acquieſcere, nec ſuperiorum allegationibus ſiue monitis flecti valeret, quin quod inceperat proprio ingenio, toruo propoſito ad quemcunque finem perducere niteretur. Habebat plane totius communitatis aſſenſum ad noua moliendum, quia

Mobile verſatur ſemper cum principe vulgus.

& quo rarius audita vel viſa tentaret, eo auidius eum ſequi ad huiuſmodi negotia feſtinaret. Factumque eſt, vt curatus eorum Epiſcopus Londinenſis, veritus indiſciplinatum cum capite vulgus, & malitiam temporis, contra eos procedere non auderet. Sed & ipſum Archiepiſcopum irreuerenter turba præſumpſit in ciuitate ſedentem impedire, cum proceſſum fuiſſet contra quendam Iohannem Aſton magiſtrum in artibus, & arctiſſimum ſequacem Iohannis Wiclif, effractis foribus conclauis, in quo idem Archiepiſcopus ſedit cum turba Theologiæ, & iuris profeſſorum. Nec ſuffecere eis iſta, quin apponeret maior ſupranominatus (adiutorio & fauore communis plebis) omnes piſcarios ciuitatis ad tantam miſeriam illo anno producere, vt melioris conditionis eſſet extraneus quiſque piſcator, quam illi, qui ciuilitatem vrbis vel hereditarie vel emptione poſſidebant. Reuera cuilibet licebat forinſeco, ſuos piſces in propria perſona infra ciuitatem vendere, cum piſcariis ciuitatis adempta facultas fuiſſet ita facere ſub magna forisfactura, corporibus eorum nihilominus carceri detrudendis, ſi contrauenire tentarent. Quid plura? in tantũ arctauit eoſdem piſcarios, vt compulſi faterentur aperte, artem quam hactenus exercuerant, non eſſe artem, nec pro arte computandam, aut nominandam inter ceteras artes ciuitatis, effecitque, vt qui antea ſuperiores in ciuitate fuerant, vix inferiores eſſe permitterentur. Eos autem, qui per ante banniti fuerant, & quibus interdictum eſt, ne conſiliis & tractatib. ciuitatis intereſſent de cetero, ad gradum priſtinum reuocauit, quorum conſilio & ordinationi ſubiecta eſt tota communitas cum ipſa ciuitate, qui ſtudentes quomodo quammaxime communibus complacere poſſent, & Maior eorum eis fieri valeret acceptior. Nullum permiſerunt forinſecum piſcatorem tranſire per vrbem ad afferendũ patriæ victualia, ſed omnes expectare fecerunt ibidem, & communibus vendere piſces ſuos, appoſito pretio iuxta voluntatem Maioris. Commune vulgus igitur cernens forum venalium emendatum, vſque ad ſydera Maiorem extollunt, & iam habentes odio conciues ſuos piſcarios eos exterminare (ſi id oporteat, & maiori placeat) ſunt parati. Sed de patria conuicina in his omnibus nihil cogitarunt, quæ de eorum abundantia ſummam patiebantur inopiam, dum nihil patriæ inferre permiſerunt. Enimuero illis viluit pretium marinorum piſcium, patriæ autem non tantum carum, ſed omnino carum factum eſt, illis impedientibus commeatum. Contigit ergo, vt vnde maior vrbanorum fauorem meruit, inde maledictionem incurrit, & odium totius patriæ conuicinæ. Et Londoniis quidem eo tempore res ita ſe habebant.

Hac æſtate in Anglia terræmotus eſt magnus, vbi raro cernitur vel auditur, 12. Calendas Iunii hora 9. multorum mortalium corda deterrens. In Cantio tamen vehementius terra tremuit, in tantum vt Eccleſias quaſdam concuteret, & dirueret ſolo tenus. Secutus eſt & alius terræmotus nono Calend. eiuſdem menſis ſummo mane ante ſolis ortum, ſed non ita terribilis ſicut prior. *Terræmotus.*

Romani eo tempore ſeditioſi & inquieti inſurgere contra Papam & Cardinales cæperunt, & tantum terrorem Cardinalibus incuſſerunt, vt pene fugerent vniuerſi, vel diuerticula quærentes & latebras, quibus ſaluari poſſent à facie furoris crudelis & indiſciplinatæ plebis. Sed dominum Papam in ſua iuſtitia confidentem & adiutorio ſperantem altiſſimi non plebs armata, non clamor horribilis, non diſcurſus inordinatus vulgi perterruit, quin confidenter aſſumpta cruce ſua manibus egrederetur ad eos, huiuſmodi verba faciens ad eoſdem. Quid eſt (inquiens) filii, quid molimini, ſubuertere nitimini amicos veſtros? Quid in vos peccauit Collegium fratrum meorum? quare exarſit ira veſtra in eos qui vos diligunt? aut certe ſi me quæritis, cur moramini caput meum tollere? Ecce caput in manibus veſtris eſt, ſi placet tollite vt pax reformetur: ſi tamen hoc opus habetis. Videntes autem Romani tantam in viro conſtantiam, tanquam telo trabali percuſſi, cuncti protinus corruerunt ad terram, indulgentiam implorantes flebiliter de commiſſis, & paternam benedictionem humiliter poſtulantes. Quibus dominus Pepa (eleuata manu) libenter benedictionem impartitus eſt, monens vnumquemque cum pace ad propria remeare, & à talibus, tumultibus & ſeditionibus impoſterum temperare. Qui parentes paternis monitionibus, non ſine grandi miraculo, depoſita ſuæ feritatis malitia, ad propria ſunt reuerſi. *Cardinales perterriti à Romanis.*

Dominus Papa ſub iſtis temporibus poſtquam diſtuliſſet per amplius quam biennium electionem factam de Iohanne Tymworthe apud Burye confirmare, tandem regalibus & procerum literis pulſatus frequentibus, Edmundum Bromfielde *Papa confirmat Iohannem Tymvvorth in abbatem S. Edmundi, ſed non ſine pecunia.*

(cui contulerat Abbathiam de Bury) tranſtulit ad Abbathiatum cuiuſdam monaſterii in Waſconia: ſi tamen Regi placuerit eundem Edmundum à diutina quam pertulerat carcetis cuſtodia liberare. Iohanni vero Tymworth non confirmando electionem de ipſo factam, ſed per prouiſionem conceſſit Abbathiam, ita duntaxat, vt ſolueret Romanæ curiæ duplicis vacationis cenſum, videlicet pro Iohanne Brinclee & Edmundo Bromefield, & ita videbatur nouiſſimus error eſſe peior priore. Fratres tamen monaſterii tamdiu paterno deſtituti ſolatio, ad hanc formam conſenſetunt, non conſidetantes, quod eundem Edmundum ptius prouiſionaliter eis datum abegerant, & quanta pro tuitione cauſæ ſuæ profudetant, ne videlicet electio facta per eoſdem locum non haberet. Regi veto regioque conſilio non placuit iſta forma papalis collationis, tum quia credebant electiones in futurum faciendas per eandem ſi admitteretur periclitari, tum quia turpe videbatur eis flecti de cauſa, quantam diu dictante conſcientia defenderant ſtudio pertinaci. Et ita videbatur amor iuris & æquitatis dilectio inter monachos quodammodo dormitare, inter ſæculares & laicos vigilare. Hoc anno menſe Decembri ſtella cometa apparuit in occidente amplius quam per quindenam.

Richardus Scrop miles priuatur officio Cãcellarii.

Dominus Richardus Scrop miles, quem ſupta docuimus per regni communitatem & aſſenſum dominorum electum in regni Cancellarium, per dies iſtos deiicitur de officio Cancellarii, quod laudabiliter adminiſtrauerat & prudenter. Cauſa deiectionis eius extitit pertinax reſiſtentia regiæ voluntati, qui deſiderabat ſemetipſum exinanire, vt forinſecos exaltaret. Enimuero poſt mortem Edmundi de Mortuomari comitis Marchiæ, aliorumque dominorum, qui nuper in fata conceſſetant, accedentes ambitioſi, tam milites quam armigeri, & inferioris gradus famuli ad Regem, poſtulabant ab eo tertas cettas, & dominia mottuorum ſibi concedi, pro tempote quo de regni conſuetudine Rex deberet ea in manibus retinere. Quibus Rex vtpote puer nihil moratus, poſtulata conceſſit, & mittens eos ad Cancellarium, iuſſit vt eiſdem chartas ſigillo magno ſignatas contraderet iuxta arbitrium voluntatis eotum. Cancellarius autem, qui cupiebat ardenter tegni profectum, Regis quoque commodum negauit eis plane petita. Aſſerens Regem ære alieno multum prægrauatum, opus habere talia contingentia penes ſe detinere, vt per ea debita ſua poſſit in parte debitoribus teſtituete. Ipſos autem qui nouerunt quibus debitis Rex obligatus erat, non eſſe fideles regi, dum magis ſuæ conſulerent auaritiæ, quam vtilitati regiæ, emolumenta talia poſtulantes, & priuata commoda publicis neceſſitatibus præponentes. Quaptopter deſiſterent ab huiuſmodi poſtulationibus, & contenti eſſent ſuperioribus Regis largitionibus, quæ ſatis erant competentes eis. Scientes, proculdubio ipſum nullas chartas confirmatorias eiſdem facturum aut ſigillaturum de huiuſmodi Regis donationibus, qui nondum pueriles annos exceſſerat, ne forte malas ab eodem grates reciperet in futurum.

Richardus Scrop ſigillum regi dat.

Igitur reuerſi, qui à Cancellario talia venerant petituri, renuntiant Regi obſtinatum eſſe animum Cancellatii, & nihil eum velle facere regis ad imperium, ſed contemnere potius regale mandatum, regem cum ſeueritate debita, tam effrenatam inobedientiam debere celeriter coercere, aut cito futurum eſſe, vt regis honor vileſceret apud ſuos, & imperium non valetet. Rex ergo qui ſapiebat vt paruulus, plus attẽdens delatorum falſas machinationes quam ſui Cancellarii fideles allegationes, in furoris ſpiritu mittit, qui ſigillum ſuum expeterent ab eodem, & ſibi deferrent. Et cum iterum atque iterum miſiſſet rex per ſolemnes nuntios, vt ſigillum ſibi temitteret, Cancellarius ita teſpondit, ſigillum (inquit) paratus ſum reſignate, non vobis, ſed ipſi, qui mihi illud ſeruandum tradidit, nec erit medius portitor inter me & illum, ſed ego teſtituam illud manibus ſuis, qui mihi propriis non alienis manibus commiſit illud. Et ita pergens ad regem, ſigillum quidem retradidit, & ſe fidelem Regi (ſicut hactenus) fore repromiſit. Officiarium tamen ſe futurum ſub illo impoſtetum denegauit. Et ita rex recepto ſigillo, multis diebus quicquid libuit faciebat, donec magiſter Robertus Braibrook Londonienſis Epiſcopus officium Cancellarii ſuſcepiſſet. Audientes igitur non ſolum magnates regni, ſed & ipſa communitas, Regem contra regni conſuetudinem, Cancellarium depoſuiſſe captioſe, quem tota tegni nobilitas cum ſuffragio totius vulgi delegerat, indignati ſunt valde. Nemo tamen audebat aliquid palam loqui de materia propter malitiam Regi aſſiſtentium, & ipſius Regis irrationabilem iuuentutem. Et ita Regis tegniq; commoda ſuppeditata ſunt à facie inſipientiæ Regis, & à malitia inhabitantium cum eodem.

Circa

Conſpiratio inter homines de Northfolcia.

Circa feſtum beati Michaelis Archangeli, quidam in Northfolcia dæmone agitati, quos non caſtigauerant aliena pericula, mortes aut tormenta non terruerant aliorum, facta conſpiratione congregauerunt iniquitatem ſibi, & firmiter ſtatuerunt (ſi fortuna faueret) Epiſcopum Norwicenſem, & cunctos maiores patriæ interceptos inopinato necare, & (vt maiori fulcirentur potentia) nundinas apud ſanctam Fidem adire latenter decteuerunt, & cunctos congregatos ibidem cogere, vel in ſua vota iurare, vel ſine dilatione trucidare. Quibus ad effectum productis, cogitauerunt occulte præoccupare Abbathiam ſancti Benedicti de Hulmo, quod fortis munitio videbatur eis futura, ſi aliquid periculi contra eoſdem perfidos immineret. Sed hæc omnia, antequam ad effectum perduci poſſent, compreſſa ſunt, vno de coniuratis prodente conſilium reliquorum, vnde contigit, vt inopinato caperentur conſpiratores, & dignam malitiæ ſuæ apud Norwicum ſubirent pœnam, capitibus amputatis.

Parliamentum ad quod venerūt Flandrenſes.

Circa idem tempus vocati ſunt ad parliamentum (prout moris eſt) maiores regni, & quorum intererat de conſuetudine intereſſe. Ad quos venerunt maiores de Flandrenſibus, miſſi de Flandria per conciues ſuos, ad ſupponendum ſe & terram ſuam Domino Regi Angliæ eorum domino naturali, ſcilicet Comite Flandriæ abdicato. Et quoniam minus ſufficiens eſſe videbatur iſta legatio, remiſſi ſunt ad reducendum cum eis quoſdam de ſingulis villis Flandriæ, qui maioris reputationis eſſent & famæ, de quibus merito conſtaret, quod poteſtatem haberent tractatum huiuſmodi facere, & pactum firmare ſuper præmiſſis. Quorum aduentum ſimul & petitiones, ac reſponſa, quæ ceperunt, cum locus & tempus ſe ingeſſerint, deſcribemus. In iſto Parliamento maior Londoniarum cum magna parte communitatis, facta ſuggeſtione regi & conſilio de fraude ac deceptione, quam (vt aſſerebat) exercuerant piſcarii in diſtractione victualium, impetrauerunt, ne de cetero vllus eorum vel reliquorum, qui victualia diſtrahant, puta vinum, carnes, aut qui de numero ſunt apothecatiorum eligantur in maiores ciuitatis. Et ita indies elaboratum eſt per Maiorem, ne vnquam piſcarii occaſionem poſſent habere ad gradum priſtinum aſpirandi, adempto ipſis tantæ dignitatis honore. Conſiderans inſuper Maior domini Iohannis Philpot autoritatem in ciuitate plurimum præualere, & cognoſcens, quod amicus erat his, quibus Maior ipſe inuidebat, abdicari fecit eum, ne de cetero tractatibus ſecretis ciuitatis & conſiliis intereſſet, virum videlicet, qui plus cunctis pro libertatibus ciuitatis laborauerat & honore. Alios autem (vt præmittitur) qui quondam falſi repetti fuerant, & propter hoc abdicati, ad tractatus vrbis & conſilia reuocauit,

Dans veniam Coruis vexans cenſura Columbas.

Bulla papalis episcopo Norwicenſi directa.

Epiſcopus Norwicenſis dominus Henricus le Spencer parum ante iſtud tempus receperat bullas à domino Papa ſibi directas ad cruce ſignandum quoſcunque volentes cum eo proficiſci in Franciam ad deſtructionem Antipapæ, qui ſe Clementem appellauit, & ſanctificandum bellum contra quoſlibet adhærentes ſibi. Quas bullas, quia ei magnam contulerant poteſtatem, fecit in parliamento publicari & earum exemplaria fecit dirigi circumquaque, & in oſtiis Eccleſiarum, & in pratis monaſteriorum publico conſpectu iuſſit affigi. Bullam præterea, quam Papa ſibi miſit, & ius ſuum & iniuriam quam irrogauerant ei aut Papales declarantem publicauit ibidem, cuius tenorem non de verbo ad verbum, ſed effectum præſentibus inſeremus.

Effectus prædictæ bullæ.

Bulla Papalis, in qua Papa conqueritur de filiis, quos exaltauerat Romana Eccleſia, qui verſa vice conati matrem ſuam viperinis conatibus laniare. Vnde dominus Papa de ſuorum confratrum conſilio, decreuit exurgere contra eos & adhærentes eis & fauentes, qui colligationes, conſpirationes & machinationes diuerſas facientes in Eccleſia Dei, ſchiſma & diuiſionem ponere, & ciuitatem Anagniam, & caſtellum ſancti Angeli de vrbe, & nonnulla alia caſtra, terras & loca Paſchalia occupare præſumpſerunt, & inſuper venire fecerunt ad ciuitatem, & alias terras prouinciæ ſuæ Campaniæ violenter occupandas multitudinem gentium, armigerorum, quæ Britones, Vaſcones nuncupantur, qui ibidem plura homicidia, ſacrilegia, rapinas, depopulationes, & alia mala ac damna, & ſcelera perpetrarunt. Et cum exhortaſſet eos, vt ad corredirent per Petrum epiſcopum Portuenſem alioſq; duos Cardinales, & multos honorabiles & probos viros, ac etiam per literas ſuas iteratis vicibus, & ipſi nihilominus contempſiſſent eius monitus obedire, quem dudum in vrbe per ipſos & alios, ad quos ſpectabat in Papam elegerant, ac debitis & conſuetis ſolennitatibus ob-

ſeruatis inthronizauerant, ac publice coronauerant, & quem tanquam Papam ſummum Pontificem in miſſarum ſolemniis & conſiſtoriis publicatis & priuatis conſulendo, & ordinando de ſtatu Romanæ Eccleſiæ, ac Reipublicæ, per plures dies tractauerant, recipiendo ab eodem Eccleſiaſtica ſacramenta, ac dignitates, ac beneficia Eccleſiaſtica pro ſe & aliis ab eo impetrando, diuerſos libellos diffamatorios fecerunt, & illos ad diuerſos prælatos & mundi principes tranſmiſerunt, per quos aſſerebant eum non verum Papã fore, ac multa alia & enormia de ipſo dicere præſumpſerunt, & tandem cum quibuſdam aliis, quos cum eorum ſuggeſtionibus ad eorum impium propoſitum attraxerant, congregati in domo iniquitatis filii Honorati Caietani, olim comitis Fundorum, cum ipſius Honorati auxilio & fauore, Robertum olim Baſilicæ 12. Apoſtolorum vulgariter dictum Gebenenſem, Iohannes Catter ſancti Clementis vulgariter dictus, maioris monaſterii præſbyter Cardinalis, & Petrus olim Tatter ſancti Euſtachii diaconus Cardinalis, temere eligendo Antipapam fecerunt, ipſumque auſu ſacrilego Papam nominare præſumpſerunt & præſumunt. Ipſeque Robertus ſe Papam nominare auſu temerario non erubuit. Præterea cum etiam iniquitatis alumnus Petrus olim Archiepiſcopus Arelatenſis, & camerararius eiuſdem domini Papæ, diabolico ſpiritu inſtigatus, de vrbe prædicta (vbi cum eo erat) abſque licentia ſua, & quaſi furtiue receſſit, & de Camera Papæ quamplura iocalia & alias res magni valoris & precioſa, ad dominum Papam & Romanam Eccleſiam pertinentia, ſecum aſportauit, & ad dictam Ciuitatem Anagniam ſe conferens, cum prælatis ſceleratis diuerſas conſpirationes & colligationes ordinare & facere, & ad conducendũ dictas gentes, armigeros, ad dictam Ciuitatem Anagniam, conſilium, auxilium & fauorem præbere. Et tam ipſi, quam prohibitionis filii, Iacobus olim Patriacha Conſtantinopolitanus, Nicholaus olim Archiepiſcopus Cencenſen. Petrus olim Vrbinas, Petrus olim Axutis Flaſton, Iohannes olim Gebenenſis, & Franciſcus olim Gaiciens. Epiſcopi, Bertrandus Raſim olim clericus Cameræ Apoſtolicæ, & Matellus Caſſilii olim rector Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Pediſgriptæ prope Neapolim: ac etiam iniquitatis filii, Honoratus prædictus, Anthonius olim Comes Caſertan. Franciſcus de Vico olim præfectus vrbis, Iohannes de Malaſtrete, Nicholaus Spinellus de Iumenatio, alias dictus de Neapoli, Silueſter Bude, Bernardus de Laſala milites, & Guilhonetus de Laſala domicellus præfato Roberto adhærere, credere, ac fauere, & eum Papam prædicare, & prædicari facere non verentur. Ipſumque dominum noſtrum Papam non fore Papam, nec Romanum Pontificem, eorum falſis & confictis mendaciis aſſeuerant, ac Franciſcus de Vico ciuitatem domini Papæ Viterbienſem, & Iohannes de Malaſtrete, Silueſter Bernardus, Petrus de Laſaga, & Guilhonetus, cum eorũ complicibus, dictã ciuitatem Anagniam, & alias terras Papæ occupare, & occupantibus fauorem præbere pręſumpſerunt, crimen hæreſis, ſchiſmatici, læſæ Maieſtatis & apoſtaſiæ damnabiliter incurrendo. Cumque huiuſmodi exceſſus & ſcelera eſſent adeo notoria, quod nulla poſſent tergiuerſatione celari, dominus Papa ad maiorem certitudinem eorundem, Iohanni titulo Sanctæ Sabinæ, & Gulielmo titulo Sancti Euſebii præſbyteris Cardinalibus ſucceſſiue, & indiuiſim commiſit, vt ſe de prædictis informarent, qui informationem huiuſmodi per eos debite receptã domino Papę in conſiſtorio retulerunt, prædicta exceſſus & ſcelera fuiſſe, & eſſe notoria, & eſſe manifeſta. Et tandem dominus Papa nequiens abſque graui offenſa Chriſti, & remorſu conſcientiæ tot & tantos exceſſus amplius tolerare, aduerſus pręfatos ſceleratos viros in virtute altiſſimi de dictorum fratrum conſilio (vt præmittitur) exurgere dignum duxit, & contra ipſos procedere iuſtitia mediante. Ipſis igitur ad hoc legitime citatis, & aliis debitis iuris ſolemnitatibus obſeruatis per Papalem diffinitiuam ſententiam, decreuit & declarauit prædictos Robertum, Iohannem, Geraldum, Petrum, olim Cardinales, nec non Iacobum olim Patriarcham, Petrum olim Arelatenſem, &c. fuiſſe & eſſe ſchiſmaticos, & contra Papam conſpiratores, & blaſphemos, & tanquam hæreticos puniendos, & reos criminis lęſæ maieſtatis, ipſoſq; pariter excommunicatos & anathematizatos, & incidiſſe in pœnas & ſententias tam à iure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, &c. Ac etiam declarauit dictos Robertum, &c. fuiſſe & eſſe depoſitos, & ab omnibus beneficiis Eccleſiaſticis quibuſcunque fuiſſe & eſſe priuatos & inhabiles, & inhabilitauit etiam ad habenda. Declarauit etiam prædictos Patriarcham, & Archiepiſcopos, & Epiſcopos depoſitos ab omnibus dignitatibus Pontificalibus, &c. Necnon prædictum Honoratum, &c. depoſuit dominus Papa ab

ab omnibus dignitatibus & honoribus, & gradu militiæ, & cingulo militari. Priuauit, ac etiam declarauit tam prædictorum olim Cardinalium, quam etiam omnium aliorum ſuperius nominatorum bona & immobilia, ac iura & iuriſdictiones fuiſſe & eſſe confiſcata, & perſonas eorum deteſtabiles fuiſſe, & eſſe exponendas, & eas expoſuit à Chriſti fidelibus capiendas, vt ſic captæ, ſi abſque eorum fuga & euaſionis periculo fieri poſſet, eidem Papæ indilate tranſmitterentur, alioquin arctis carceribus traderentur, & ſub fida cuſtodia detinerentur, donec aliud ſuper hoc ipſe mandaret. Credentes præterea, receptatores, & defenſores eorum, & fautores excommunicationis ſententia innodauit, abſolutionem ipſorum præterquam in mortis articulo Romano Pontifici reſeruata. Decreuit inſuper, quod quicunque aliquem ipſorum ſcienter præſumerent Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, excommunicationis ſententię ſubiacerent, à qua abſolui præterquã in mortis articulo nõ poſſent, niſi prius propriis manib. extumularent, & procul eiicerent ab eccleſiaſtica ſepultura corpora eorundem. Et ſubſequenter inhibuit omnibus Chriſti fidelibus, &c. ne in locis ſuis aliquem prædictorum ſcienter reciperent, ſeu eis ad illa loca, in quibus prædicti damnati vel aliquis illorum habitarent, vel moram traherent, blada, vinum, carnes, pannos, ligna, vel vlla victualia, ad eorum vſum vtilia, portare, mittere, ſeu portari, mitti, aut deferre præſumerent, ſi hoc prohibere poſſent. Prohibuit inſuper dominus Papa, ne quis impedire præſumeret quouiſmodo, quominus prædicti Robertus, &c. caperentur, detinerentur, & ad eum tranſmitterentur: præcepit quoque, vt quilibet auxilium præſtaret ad captionem eorundem. Qui vero contra præmiſſa facerent, ſeu qui præfatum Robertum, qui ſe Clementem Papam nominat, ſcienter Papam nominarent, vel tenerent, vel ipſum Papam crederent vel prædicarent, ſi perſona ſingularis, excommunicationis, ſi vero communitas vel vniuerſitas eſſet, vt interdicti ſententias incurrerent, & ciuitates ac terræ eorum aliorum carerẽt commercio ciuitatum, locorum atque terrarum, ac ciuitates ipſæ ſe noſcerent pontificali dignitate priuandas, & quod huiuſmodi excommunicationis ſententia nullus ab alio quam à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolui, nec interdictum huiuſmodi per alium poſſit quam per eundem Pontificem Romanum relaxari. Inhabilitauit inſuper omnes, qui à præfato Roberto quælibet beneficia acceptarent. Dedit deinde præfato Norwicenſi Epiſcopo poteſtatem publicandi per ſe vel per alios omnia præmiſſa, & contra præfatos damnatos procedendi, &c. Conceſſit præterea dominus Papa omnibus vere pœnitentibus & cõfeſſis, qui præfatum Robertum Antipapam & alios damnatos prædictos, & eorum complices expugnabunt in perſonis propriis vel alienis, & ſuper hoc per vnum annum incipiendum, à die quo Epiſcopus Norwicenſis duxerit ordinandum continue, vel interpolatum in executione huiuſmodi laborabunt, Eccleſiæ ſequendo vexillum tam clericis quam laicis, & eis inſuper, qui eis duntaxat expenſas iuxta quantitates & facultates ſuas deſtinabunt, vel Epiſcopo, vel alteri deputando per eum, miniſtrabunt ſufficientia ſtipendia, & deſtinare valeat idoneos bellatores per dictum tempus bellaturos, & moraturos ibidem, illam indulgentiam, quæ concedi conſueuit, proficiſcentibus in ſubſidium terræ ſanctæ.

Priuilegia per ſanctiſſimum in Chriſto patrem, & dominum Vrbanum diuina prouidentia Papam ſextum domino Henrico Norwicenſi epiſcopo conceduntur. In primis, quod dictus Epiſcopus poſſit exequi capitalia contra Antipapam, & ei adhærentes, fautores, & conſiliarios vbicunq; locorum cum manu forti. Item habet poteſtatem publicandi proceſſus contra Antipapam, & ei adhærentes, & quoſcunq; alios per dictum dominum Romanum Pontificem contra ipſos & ipſorum ſingulos fulminatos. Item habet poteſtatem inquirendi ſummarie, & de plano de omnibus & ſingulis ſchiſmaticis, & ipſos incarcerandi, & ipſorum bona mobilia & immobilia confiſcandi. Item habet poteſtatem priuandi laicos ſchiſmaticos, quibuſcunq; officiis ſecularibus, ipſaq; officia conferendi aliis perſonis idoneis. Item habet poteſtatem priuandi, & priuatos declarandi quoſcunq; ſchiſmaticos clericos in hac parte, ipſorum beneficia, cum cura vel ſine cura dignitates, perſonatus, vel officia conferendi aliis perſonis idoneis. Item habet poteſtatem in perſonis exemptis, laicis & clericis, ſecularibus & regularibus, etiam ſi fratres fuerunt de ordine mendicantiũ, ſeu pceptores, aut aliarum profeſſi domorum, vel hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolomitanæ, aut beatæ Mariæ Theutonicorum, vel cuiuſcunq; aliorum ordinum profeſſores. Item habet poteſtatem diſpenſandi cum quibuſcunq; clericis ſecularibus beneficiatis çum cura

Priuilegia cõceſſa à Papa Epiſcopo Norvvicenſi pro executione præmiſſorum.

vel ſine cura, etiam dignitatibus, perſonatus, vel officia habẽtibus, etiam regularibus exemptis vel non exemptis, quod ipſorum ſinguli poterunt ſecum abeſſe de ipſis beneficiis, dignitatibus, &c. ſub vexillo crucis ſine licentia ipſorum prælatorum obtenta, cum integra perceptione fructuum beneficiorum ſuorum, ac ſi perſonaliter reſiderent. Item conceditur omnibus tranſeuntibus ſuis propriis ſumptibus & expenſis, vel etiam alicuius expenſis plena remiſſio peccatorum, & tot priuilegia conceduntur ſecum tranſeuntibus in terræ ſanctæ ſubſidium. Item illi qui propriis bonis & facultatibus miniſtrabunt ſufficientia ſtipendia idoneis bellatoribus iuxta diſcretionem dicti Domini Epiſcopi, vel alterius deputandi per eum, licet ipſimet perſonaliter non interſuerint in executione negotii prædicti, conſimilem habebunt remiſſionem peccatorum, vt ſupra, & indulgentiam, ſicut ſecum perſonaliter intereſſent. Item huius remiſſionis ſunt participes omnes, qui ad expugnationem dictorum ſchiſmaticorum dicto Epiſcopo de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Item ſi aliquem ſequendo vexillum per iter arreptum mori contigerit, vel interim ipſum negotium congrua terminatione compleri integre percipiet ipſam gratiam, & erit particeps indulgentiæ & remiſſionis memoratæ. Item habet poteſtatem excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi quaſcunque perſonas rebelles, ſeu impendientes ipſum exercere poteſtatẽ ſibi cõmiſſam, cuiuſcũq; dignitatis, ſtatus, gradus, prę-heminẽtiæ, ordinis, loci, cõditionis extiterint, etiã ſi regali, aut reginali, aut imperiali, ſeu quauis alia Eccleſiaſtica, vel mundana pręfulgeant dignitate. Item habet poteſtatem compellendi quoſcunque religioſos, etiam de ordine mendicantium profeſſores, ſi ſibi videbitur expediẽs deſtinare ſeu tranſmittere pro executione prędictorum.

Mandatum Epiſcopi Norwicenſis clericis Eboracenſibus ad publicandum bullam prædictam.

Henricus permiſſione diuina Norwicenſis epiſcopus, ſedis apoſtolicæ nuutius, dilectis nobis in Chriſto omnibus & ſingulis rectorib. vicariis & capellanis parochialibus per ciuitatem & diœceſ. Eborac. conſtitutis, ſalutem in domino. Licet vobis omnibus ſingulis auctoritate apoſtolica in domino exhortauimus, & diſtricte præcipiendo mandauimus, quatenus veſtris parochianis cruciatam nobis commiſſam & eius virtutem pro tempore & loco magis oportunis publicaretis, cuius ſuſtentatores, fautores, & auxiliatores, ſecundum noſtram ſeu noſtrorũ deputatorũ diſcretionem plena conceditur remiſſio peccatorũ, & vltra hoc ſalutis æternę pollicetur augmentum, prout in litteris Apoſtolicis per totam Angliam legitime publicatis plenius continetur. Et quia ex relatione fide dignorum facta ſentimus, quod exhortatio noſtra & mandatum nullum aut modicum ſortiuntur effectum, maxime (vt creditur) propter negligentiam curatorum in diminutionem fidei catholicæ, & periculum animarum, quæ faciliter conſilio & exhortatione veſtra præſata priuilegia, & gratiam conſequi potuerunt ſempiternam. Quapropter nos animarum ſalutem & profectum affectantes, ne huiuſmodi gratiæ ſpiritualis & inſolitæ pretioſum munus, ſeu veſtra poteſtas aliquem parochianum veſtrum, quantum in nobis eſt, lateat in futurum. Nomina autem ſingulorum parochianorum veſtrorum ſcribi faciatis, ſummas & donationes ſoluentium ſuper ipſorum nomina ſignando, & non ſoluentes de diebus in dies quotiens, quando plus expedit, non ſolum diuites, ſed paupetes ad ſimilitudinem pauperculæ viduæ, ſanos & valetudinarios maxime in confeſſionibus prudenter tractetis & inducatis, vt huiuſmodi ſancto viagio in deſtructionem & exterminium hæreticorum modernorum manus apponant adiutrices, vt meriti & præmii in hac parte indultorũ valeant eſſe participes, & vos ex hoc ab onere curæ veſtræ plurimum releuari. Inſuper huius viagii ſancti perturbatoris, ſeu noſtris mandatis verius apoſtolicis rebelles ſchiſmatis moderni fautores citetis, ſeu citet aliquis veſtrum peremptorie, quod certo termino per vos vel aliquem veſtrum præfigendo compareant perſonaliter coram nobis, vel commiſſariis noſtris in Eccleſia cathedrali ſancti Pauli Londonienſi, oſtenſuri & propoſituri pro termino præciſo & peremptorio, quare in cenſuras contra talia perpetrantes fulminatas pronuntiari non debeant, incidiſſe vlteriuſq; facturi & recepturi, quod iuſtitia ſuadebit, de nominibus & quantitate eleemoſinam in hac parte conferentium necnon de diebus citationis veſtræ, modo & forma eiuſdẽ nos vel noſtros commiſſarios diſcrete & prudenter certificetis, ceu certificet aliquis veſtrum, de quibus omnib. & ſingulis, & cuiuſlibet veſtrã conſcientiam oneramus, vobis in virtute obedientiæ, qua ſedi apoſtolicæ tenemini firmiter iniungentes quatenus pręſentes literas noſtras inter parochianos veſtros publicatas copiis penes vos retentis, ipſas ad curatum proximum in diœc. præſata celeriter tranſmittatis. In cuius rei teſtimonium ſigillũ cruciatæ, quo in hac parte vtimur præſentibus apoſui-

Digitized by Google

poſuimus. Dat. in hoſpitio noſtro apud Charyngu iuxta Weſtmonaſterium. 9. die menſis Februarii. Anno domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo, & conſecrationis noſtræ tertio decimo.

Forma abſolutionis.

Authoritate Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa te A.B. ab omnibus peccatis tuis ore confeſſis, & corde contritis, & de quibus confiteri velles, ſi tuæ occurrerēt memoriæ abſoluimus, & plenariam tuorum peccatorum remiſſionem indulgemus, & retributionem iuſtorum ac ſalutis æternę pollicemur augmentum, & tot priuilegia quæ in terrę ſanctæ ſubſidium proficiſcentibus conceduntur tibi concedimus, ac Eccleſiæ vniuerſalis ſynodi, & Eccleſię ſanctæ catholicæ orationum & beneficiorum ſuffragia tibi impartimur.

Solutio obſidionis villæ de Owdenarde cum magna confuſione Flandrenſium.

Vix parliamento terminato lugubria noua feruntur è Flandria de ſolutione obſidionis villæ de Owdenarde, & de morte Philippi de Nartfelde, & confuſione magna Flandrenſium per bellum Britonum & Francorum. Enimuero rex Franciæ cum omni militia ſuæ terræ, & quibuſcunque quos poterat de exteris regionibus in auxilium euocare, Flandriam eſt ingreſſus, quibus Gandauenſes incunctanter obuiã exierunt, ſperantes in auxilio ſociarum ciuitatum & villarum Flandriæ, quod fuit eis cauſa magnæ ruinæ. Reuera cum ad bellum peruentum eſſet, & iam inclinari cæpiſſet ſtatus belli, de parte Francorum ſuperuenit multitudo maxima de villa de Burges & partibus adiacentibus, quaſi ad auxilium ferendum Gandauenſibus, quem tamen eoſdem prodere cogitabat. Igitur Gandauenſes nihil doli metuentes, ſed inſtanter & animoſe pugnantes, conciues proprii de Burges aggreſſi ſunt à tergo hoſtibus afferentes auxilium, & illis ante, iſtis retro cædentibus Gandauenſes inopinato perterriti, pugnandi animos dimiſerunt, ſicque factum eſt, vt leui negotio vincerentur, occiſis in eo bello viginti quinque millibus Gandauenſium & ſociorum.

Galli villanos de Burges à ſuis laribus detrudunt.

Hoc ergo bellum Francis animum attulit, & Gandauenſibus ademit ſpem reſiſtendi, donec iterato nouo ſuffragio fulti, vel in Francos vel in patriotas iniurias ſuas vleiſci valerent. Gandauenſes idcirco compulſi fugere, propriam villam petierant, ſed iniuſtitiam deficientium ſociorum mox vltio iuſta ſecuta eſt. Nam Burgenſes & cæteri eorum complices qui malitioſe ſuos prodiderant, quos adiuuiſſe debuerant, ſubito ſenſerunt ſemetipſos in grauibus miſeriis conſtitutos. Quia Gallici nullam fidem aut gratiam illis pro tali facto debentes, ingreſſi villam de Burges, & omnes alias villas prouinciæ expulerunt è ſuis propriis laribus, proditores, & quæque pretioſa diripientes ad Gallias tranſmiſerunt, & ipſos proditores vectigales eſſe regi Franciæ ſtatuerunt. Itaque factum eſt, vt conditio Gandauenſium ſuperatorum multo melior eſſet quam Burgenſium proditioſe victorum. Quia illis & propria ciuitas libertaſque remanſit, iſtis nihil omnino neque ciuitas, neque libertas, nec poſſeſſiones remanſerunt. Superauerant vtique Burgenſes, ſi nõ tuliſſent deſertis ſociis opem Gallicis, Francos à direptione rerum ſuarum temperaturos poſt victoriam. Sed ſecus accidit quam ſperabant. Nempe Gallici ex inſperato omnes villas & loca eorum qui eis deteſtandum tulerunt auxilium, armatis hominibus munierunt, & inter eos degentes ipſos ditis ſeruitus oppreſſerunt. Senſit & Anglia huius incommodi graue damnum. Nam ſicut per antea in conflictu inter Gandauenſes & Burgenſes, Mercatores Anglici ſunt ſaluati, & in rebus ſuis nil mali paſſi: ita verſa vice modo præualentibus Gallicis, externis mercatoribus cunctis impunitate gaudentibus, ſolummodo Anglicorum bona direpta ſunt, & Regis Francorum viſibus confiſcata, occiſis apprentitiis Anglicis obuiam illis factis. Igitur in Anglia his auditis rumoribus, nunciis de quibus ſupra retulimus redeundi timor incutitur, & ipſorum reſponſum ad tempus ſuſpenditur, donec Conſilium Regum tempus plus conueniens ipſis non ſolum reſpondendi, ſed & opem ferendi prouidiſſet.

Crudelitas regis Franciæ in Pariſianos ſibi reſiſtentes.

His ita ſe habentibus in Flandria, regreſſus eſt Rex Franciæ arrogans & ſuperbus Pariſius pro victoria memorata, ſed tamen in patria propria reperit reſiſtentes. Communitas ſiquidem Pariſiorum portas claudere, muros munire contra eum, & arma ſumere moliebatur. Statuit ergo Rex violenter (collecta multitudine obſidentium) Ciuitatem effregiſſe. Sed tamen viſa numeroſitate intus repugnantium, diuertit ab hoc propoſito, & loquutus eſt eis verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, permiſeruntque intrare cum omni turba ſecum eſſentium bellatorum. Aſtu itaq; ciuitatem ingreſſus, illico rupit pactũ, & mentitus eſt eis, faciens nobiliores vrbis contemptibiliter compræhendi, & quoſdam ex eis ſuſpendi, quoſdam decollari. Eis

vero qui arma tulerant contra eum, brachia dextra abſcindi, & in ſignum opprobrii ſempiterni, ad illorum colla ſuſpendi fecit ipſa brachia amputata. Omnes autem portas vrbis fecit dirui præter portam Sancti Antonii, in qua Rex ipſe poſſidet domiciliũ ſpeciale. Ipſam vero Ciuitatem omni armatura & vaſis bellicis ſpoliauit, ne habitatores illius vel minimam occaſionem habere poſſent in poſterum rebellandi. Inſuper & noua grauiaque tributa illis impoſuit, violenter (ſi nollent voluntarie) exigenda. Et hæc quidem Pariſius geſta ſunt.

Comes Cantebrigiæ redit è Portugalia.

Dominus Edmundus Cantebrigiæ Comes, domini Regis auunculus, & quos ſupra docuimus miſſos Portugaliam, hoc tempore poſt expertam maris ſæuam fortunam, & quorundam bonorum amiſſionem, Angliam redierunt. Miſſi ſiquidem (vt diximus) fuerant ad ferendum auxilium regi Portugaliæ contra Baſtardum Hiſpaniæ, qui ſe regem dixit, quique multis iniuriis affecerat regem Portugaliæ, & pene contriuiſſet, ſi non iuuamen ex Anglia ſibi maturius adfuiſſet. Poſt annalem moram noſtratum in regno Portugaliæ, & plures irruptiones in Hiſpaniam, & quarundam munitionum captionem, placuit Hiſpanis hoſtiliter campum petere contra Regem Portugaliæ, & exercitum Anglicanum. Nec ſegnius rex cum noſtratibus illis occurrit, pugnaturus (ſi fortuna permitteret) & vt ſperabatur victor futurus.

Cuius animoſitatem ſimul & noſtrorum probitatem timentes Hiſpani, tractare cum rege Portugaliæ petierunt, ita duntaxat, ne Comes Cantebrigiæ aut vllus Anglicus ſuis cõſiliis intereſſet. Annuit ipſe rex petitis, & ad tractatum acceſſit. In quo tam Hiſpanis quam Portugalibus cupide pacem deſiderantibus, cito conuentum eſt ad hoc quod vtriſque placeret, & illis regi Portugaliæ, & ipſis ſaluo vtrorumque iure cõcedentibus quæ volebant, pax clanculo eſt firmata, ita tamen vt rex Portugaliæ regnũ ſuis Anglicis vacuaret. Et ne idem Anglici prætenderent nauigium ſibi deeſſe, Rex Hiſpaniæ de ſuis illis conceſſit nauigium, & rex Portugaliæ naulum & quæ neceſſaria eſſe nauigantibus viderentur. Timebant nempe Hiſpani Anglicorum audaciam, & iam idem Anglici Portugalibus facti ſunt oneroſi, quia quos contutandos contra hoſtes ſuſceperant, ipſi viliori ſeruitio deprimebant, non tamen bona diripientes eorũdem, ſed & vxores & filias execrabiliter opprimentes, quare ſuis hoſpitibus odibiles ſunt effecti. Rex vero Portugaliæ de dicto tractatu rediens, indixit communiter ſuis & noſtratibus, vt domum redeuntes arma deponerent, & quod in pacem rediſſet cũ Hiſpanis omnibus intimauit. Oportebat ergo noſtrates (vellent nollent) eius parere mandatis. Et ita campum cum magna mentis amaritudine, deſeruerunt, eo quod nõ eſt permiſſum eis confligere cum Hiſpanis. Ab illo ergo die non tantum præparati quantum coacti ſunt ad reditum, donec omnis Portugalia Anglicis vacuaretur. Redut igitur (vt prędiximus) cum ſuis comes, reducens ſecum vxorem ſuam quondam Petri Regis Caſtellæ filiam iuniorem, & filium ex ea ſuſceptum per annos aliquot antequam Angliam exiuiſſet. Quem quidem tempore moræ quam fecit in Portugalia deſponſauit, filia regis Portugaliæ cum ſolemnitate congruente. Sed quia timebat dubiam fidem illius regionis hominum, noluit eum poſt ſe relinquere, quãquam rex Portugaliæ id petiſſet, nec rex filiam ſuam voluit in Angliam cum comite deſtinare. Et hoc quidem modo eo tempore in Portugalia negotium ſe habebat.

Nauis Carika applicuit apud Sandvvicum.

Anno domini milleſimo treceenteſimo, octuageſimo tertio, qui eſt annus regis Richardi ſecundi ſextus. Eodem tempore venit in magna tempeſtate ad Sandwici portum nauis quam dicunt Carika, miræ magnitudinis, plena diuitiis, quæ facile inopiam totius terræ releuare potuiſſet, ſi incolarum inuidia permiſiſſet. Sed mercatores (vt fertur) Londonienſes habentes domi plura mercimonia non noua ſed vetera, puta fructus, ſpecies diuerſi generis, oleum & cætera talia, & ea (ne nouis ſuperueniẽtibus proiicerentur) vendere cupientes, facta pactione cum Ianuenſibus, eorum portum relinquere & Flandriam velificare fecerunt, & ita propter paucorum auaritiam magnum diſpendium ſenſit totum regnum.

Parliamentum Londini in quo tractatur de poteſtate conceſſa Epiſcopo Norvvicenſi.

Diebus quadrageſimalibus factum eſt parliamentum Londoniæ, in quo per plures dies tractatum fuit de poteſtate conceſſa per ſummum pontificem Epiſcopo Norwicenſi, & de profectione ſua contra ſciſmaticos, & factus eſt ibi motus varius animorum. Nam pars, quorum corda Deus tetigerat, volebat eum proficiſci tanquam Eccleſiæ pugilem contra hoſtes Chriſti: pars aduerſa repugnabat, aſſerens non eſſe tutum committere plebem regis & regni præsbytero inexperto: & ſchiſma erat inter eos. Ob quam cauſam pontificale negotium, ſimulque totius Eccleſiæ, protelatum eſt vſque ad Sabbatum, quo de paſſione cruceque dominica in vniuerſali Eccleſia fit mentió

mentio ſpecialis. Tandem poſt multas tergiuerſationes per duces regni factas, poſt plures altercationes interpoſitas per comites, barones & magnates terræ plurimos, ſed omnino Dei virtute & laudabili cõſtantia militum parliamentalium cõquaſſatas, ipſa die Sabbati horaq; quibus ſancta Eccleſia vexilla crucis prodiſſe decantat, omnis repente turba quæ illi conſilio vel parliamento interfuit, & quę maxime ſteterat contra crucis negotium crucisq; fidei promotionem, conſentit tanquam perculſa tonitru ſolemnis illius Antiphonæ, ecce crucem domini, fugite partes aduerſæ, decreuitque pro votis Epiſcopi cruce ſignari. Aſſignatur ergo ſibi per commune decretum quinta decima regi præconceſſa in ſuperiori parliamento pro bellatoribus cõducendis. Decima vero Oxoniis præconceſſa per Epiſcopos regi remanere ſtatuitur pro maris cuſtodia, dum Epiſcopus agere deberet in remotis. Quibus ita ſe habentibus, miſit Epiſcopus literas ſigillo ſuo munitas per omnes regni prouincias, committens rectoribus & vicariis, aliiſque curatis per vniuerſam Angliam conſtitutis, poteſtatem audiẽdi ſuorum confeſſiones parochianorum, eiſque qui de bonis à Deo ſibi collatis aliquid erogarent, vnde negotium cruce ſignatorum promoueri poſſet, abſolutionis beneficium pariter & remiſſionis authoritate apoſtolica impendendi, iuxta formam bullæ prænotatæ. Igitur regni totius incolæ, audita tantæ benedictionis dulcedine Anglicis aduenisse, tantam gratiam nec abiicere in vacuum prorſus ſuſcipere voluerunt, ſed deuotionis fideique calore ſuccenſi, qui bello ſe reputauerunt idoneos, ad proficiſcendum ſe cum omni feſtinatione præparabant: qui vero profectioni videbantur inhabiles, iuxta conſilia confeſſorum de bonis ſuis liberaliter ad opus proficiſcentium erogarunt, vt tantę remiſſionis & indulgentiæ eſſe participes mererentur. Et ita generaliter (Deo volẽte) ſunt accenſa deuotioni corda cunctorum, vt pene nullus in tam ſpatioſo regno reperiretur qui non vel ſemetipſum offerret dicto negotio, vel de bonis ſuis aliquid erogaret. Factumque eſt, vt in breui magnæ pecuniarũ ſummæ ex multis regni partibus aceruatæ Epiſcopo deferrẽtur, vt iam incepit videri poſſibile, quod per ante regis conſiliariis, vel huiuſmodi profectionis aduerſariis impoſſibile viſum fuit, vnde videlicet epiſcopo, & inter epiſcopos regni pauperrimo ſubſtãtię tantæ profectioni neceſſaria miniſtraretur. Epiſcopus autem non dominos præpotentes, nec eos qui in incerto diuitiarum ſuarum ſperant, elegit in conſodales ſibi, ſed mediocres, & qui ſine ſtrepitu vel ſine pompa diſponere bellum ſcirent & regere bellatores. Primus & principalis illorum erat dominus Hugo de Caluerle, vir ab antiquo exercitatus in armis, & qui in cunctis locis opera militaria laudabiliter & prudenter adimpleuerat, & iam pulchrum ſibi videbatur bellando bella dominica finem imponere operi militari. Secundus vero dicebatur dominus Wilhelmus de Faringdon, ſane vir prudens & callidus, ſed cuius opera nõ reſponderent vltima primis, quia quod laudabiliter inchoauit, expoſt perfidia maculauit. Hic primo vt apparuit, minas iudicum non timuit, nec à facie ducum ſuperciliosa verba ructantium formidauit, quando pene cuncti magnates regni crucis negotio reſtiterunt, ſed conſtanter atque prudẽter pro epiſcopo cruce ſignato diſſeruit, & ipſius profectionẽ non ſolum ſacroſanctæ eccleſiæ promotionem futuram, ſed totius regni prouectionẽ, palam argumẽtis euidentiſſimis allegauit. Sed tamen more Cayphæ prophetauit, vt poſterius elucebit. Habuit Epiſcopus ſecum & alios nominis non parui milites, puta, dominum Wilhelmum Elinham & dominum Thomam Triuet, & plures quos longum foret inſerere. Quibus Deus proculdubio dediſſet bene expediendi gratiam in rebus militaribus, vltra quã meruerunt duces & marchiones Angliæ, quia multis annis elapſis, bella Gallica frequentarunt, ſi eodem anno eadem intentione iter illud arripuiſſent, quibus Epiſcopus & ſimplicioris conditionis homines qui profecti ſunt cum eo: ſed inerat eis (vt expoſt apparuit) mens inuidia corrupta, animus obſeſſus auaritia, & cor proditionis felle toxicatum, vt ex ſequentibus apparebit.

Piſcatores Londonienſes (quos ſupra docuimus ſuis conſuetudinibus & dignitatibus exutos fuiſſe, non tantum cauſa tranſgreſſionum factarum per eoſdem, quantum malitia Maioris Londoniarũ & eius complicum eiſdem inuidẽtium) in hoc parliamento ſuis conſuetudinibus per chartam regis parentem reſtituuntur, excepto q; curias inter ſemetipſos vt hactenus non tenebunt, ſed tranſgreſſiones per eoſdem factæ in curia publica ciuitatis emendabuntur ad libitum Maioris, prout de aliis artibus vrbis fieri conſueuit. Maior vero ciuitatis veteri non dum digeſta inuidia quam gerebat contra eos, quanquam demonſtraſſent chartam regiam de libertatibus recõceſſis eiſdem, & allegaſſent eſſe voluntatis regiæ ſimul & totius parliamenti decretum,

Piſcatores Londonienſes libertatibus reſtituti.

tum, quod prędictis gauderent libertatibus, acquieſcere nolint eorum aſſertionibus, nec quouiſmodo chartam regiam acceptare, ſed permanens in ſua malitia eos violenter oppreſſit. Quod vt liberius facere præualeret, data fului metalli ineſtimabili ſumma ſuis fautoribus, & eis qui de conſilio regis erant, ipſos in partem ſuam traxit. Piſcatores autem videntes ſe nihil proficere in hiis omnibus, vſque ad tempus tacere decernunt. Et quidem erga Piſcatores ita ſe res habebat.

Gandauenſes tributum collectum in vſum regis Franciæ hoſtiliter diripiunt.

Hoc pene tempore qui de villa de Bruges & de Ipres erant, & omnes de occidentali Marchia Flandriæ vectigales effecti regi Franciæ, tributum collectum à ſemetipſis regi Franciæ (iuxta condictum) per ſuos mittere diſponebant, qui vt ſecuriorem poſſiderent tranſitum, adhibuerunt armatos qui conducerent vectigal portantes, & ſuffragia ferrent ſi contingeret hoſtes adeſſe. Quibus omnibus cognitis per exploratores, Gandauenſes ſe præparant ad auferendum tributum nunciis ſupradictis, vel certe ſi contra vota contingeret moriendum. Igitur diſpoſitis in itinere turmis Gandauenſium, ſed latenter & inſperato, veniunt ad manus hoſtiles tam Gallici quam Flandrenſes cum pecunia memorata. Et quia fuit impar manus Gallicorum, Gandauenſes ſine difficultate vicerunt, & Gallicis & qui cum eis venerant non tantum vitam ſed & vectigal ſurripuerunt, & Gandauum ſine magna ſuorum ciuium læſione cum ſpoliis.

Comes de Sauey Antiochi more percuſſus obiit.

Circa tempus paſchale comes de Saueye qui cum viginti octo millibus profectus fuerat cum duce Andegauiæ contra Papam & Carolum de pace, cum diutinam moram feciſſet in illis partibus ſed damnoſam, agnouit manum domini contra eum miſſam, nam qui in patria ſua ſubdi Deo noluit, & communem mundi patrem venerari, ſed potius dimiſſa quiete qua diu gauiſus fuerat, ſtatuit perſequi in remotis, iuſto Dei iudicio miſerabiliter percuſſus Antiochi more, periit in terra peregrina, conteſtatus prius quod iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo eiuſque vero vicario, quodque peccauit enormiter patrem filius perſequendo. Quapropter filio ſuo & hęredi dedit mandata ſalutaria, ne Vrbanum Papam exemplo paterno perſequeretur. Et ſi quid forte contra eum temptaſſet, celeri ſatisfactione corrigere niteretur, ac ad vnitatem Eccleſiæ ſe conferret. Augebant autem non ſolum dolorem ſuum, ſed & pœnitentiam eius mortes infandæ ſuorum militum quos conduxerat, qui omnes præter octo ante ipſum diſſenteria perierunt, talique fine conſummatus eſt comes & pene cuncti ſui milites, duci Andegauiæ ſi fuiſſet in gratia manifeſtum reſipiſcendi relinquentes exemplum, ſed ſuperba mens eius, quamuis hæc omnia cerneret, renuit tamen humiliari. Induratum erat nempe cor eius contra dominum & contra Chriſtum eius.

Epiſcopus Norwicenſis cum ſuis properat verſus mare.

Circa feſtum trinitatis quod euenit hoc anno in medio menſis Maii, Epiſcopus Norwicenſis cruce ſignatus cum quibuſdam de exercitu conducto per eum arripuit iter verſus mare & feſtinato perueniens Cantium, ad manerium Abbatis ſancti Auguſtini vocatum Northbourne diuertit, præſtolaturus ibidem auram ſecundam, apud quem locum dum adhuc moram protrahit, accepit breue regium, in quo iubetur redire ad alloquendum regem, & eius cognoſcendum voluntatem. Epiſcopus ergo timens ſi reuerteretur ad regem, mandatum remanendi ſuſciperet, & ſic omnis labor, omnis apparatus eius, non ſine riſionibus deperiret, eligit exponere ſe fortunæ cum parua manu quam præſentem habebat, citius quam remanendo effici prouerbium æmulorum. Igitur renunciari regi fecit, ſe iam paratum ad procinctum profectionis, non expedire vt modo impediretur per vllum colloquium, quod forſitan parui vel nullius eſſet ponderis, ſed oportere potius vt iter acceptum maturaret, tam ad Dei quam ad regis honorem. Et concito conuocatis quos ſecum habuit, adiutorio domini Iohannis Philpoti militis & mercatoris Londoniarum qui nauigium procurabat, cum illis Caleſiam eſt tranſuectus, recordatus illius Poetæ conſilii qui ſic iubet. *Tolle moras ſemper nocuit differre paratis.* Caleſiæ igitur commoratus paucis diebus donec aduectus eſſet exercitus qui primam aciem facere debuiſſet, quo adunato, mox egreſſus de Caleſia, vexillum ſanctę crucis erexit, & ad villam de Graueling muris fortibus circumcinctam, bellatoribuſque ex Francia & Britannia contractis munitam, audacter acceſſit. Quam non obſidere, ſed inſpicere maluit, dum adhuc Anglici vigere viribus viderentur. Nec ſegnius qui in villa erant ad defenſionem ſui ſe parauerunt, ſed alacriter ad muros cucurrerunt, & modo plumbum, modo ferrum, modo calcem viuum, modo lapides & quicquid erat neceſſarium defenſioni ſuper Anglicos proiecerunt. Noſtri vero vexillum ſanctæ crucis habentes præ oculis, & ad cautam ſuæ cruce ſignationis pariter & abſolucionis dirigentes intuitum vincere quidem

Digitized by Google

dem gloriam in hac cauſa, ſed mori lucrum reputabant: quapropter contemptis periculis, vulneribus paruipenſis, ſpreta morte, muros inuadunt, cum hoſtibus cominus bella committunt, & modo repelluntur, vulnerant & vulnerantur, proſternunt & proſternuntur, donec ex vtraque parte intereunt multi mortales. Interea Britones & Gallici qui in villa erant, villanos animant ad reſiſtendum fortius, pugnandum acrius, aſſerentes ſuperuenturos Gallicos, qui præſentes Anglicos inopes, imbelles & mendicos in ore gladii tanquam ignis ſtipulam deuorabunt. Parte vero noſtra Epiſcopus & dominus Hugo Caluerlee (cuius memoria in benedictione eſt) noſtris audaciam monitis & perſuaſionibus ingerunt, mõſtrantes cauſam Dei eſſe, & totius Eccleſiæ, quam tuendam ſuſceperant, prædicantes martyres futuros quotquot diſcedere contingeret in hac cauſa. Quapropter rogant, hortantur, adiurant, vt omni metu depoſito, hoſtes crucis inuadant, non minus recepturi meritum de dictorum canum mortibus, quam ſi tot de gente Iudaica vel Saracenica peremiſſent. Talibus monitis animata iuuentus, vires colligit, & hoſtes acrius inuadendo cædit, retrocedere cogit, donec rarus ſuper muros defenſor appareret. Occupant idcirco muros noſtri viriliter, & in villam deſiliendo deſcendunt, & hoſtes intra muros comprimunt & coarctant, donec pauefacti arma proiiciunt, & latibula fugiendo requirunt. Noſtrates autem cernentes iam rem correſpondere, ardent crucis opprobria vindicare, necnon & proprias vlciſci iniurias inſolenter ab habitatoribus villæ illius die præcedente acceptas cum primo applicarent ad muros. Dixerant nempe multa conuitia in noſtrates, quæ illos nec immerito moleſtarent. Ob quam cauſam modo noſtri hoſtes ſcrutantur per latibula & eos contumelioſe extrahunt, & pollutos ſpiritus compellunt emittere violenter. Præcurrentes itaque villam, nulli parcunt, ſed eos vſq; ad vnum delere laborant, ſicq; crucis beneficio factum, vt cruce ſignati & villa glorioſe potirentur, & hoſtes crucis ita delerent, quod vnus ex eis non remãſit. Nec occulte muris ruinã molientes, aut doloſe hoſtes circumuenientes, ſed aperto marte pugnãtes hanc victoriam ſunt adepti, à meridie diei præcedentis per totam noctem vſq; ad meridiem diei ſequentis fortunam variam tollerantes. In portu villæ prædictæ captæ ſunt tres magnæ naues, in quibus habebantur ducenta dolia vino plena, & carnes multæ ſalitæ, frumentum quoq; ſimul & ferrum. Quæ omnia fuerunt aduecta inſtaurationi villæ memoratæ. Captæ ſunt inſuper ibi duæ bargiæ quibus non facile reperientur ex tota Gallia meliores. Duæ præterea galeæ cum ſcaphis piſcatoriis ſexdecem interceptæ ſunt ibidem. Equi etiam multi nobiles ac alacres in eadem villa reperti ſunt, quos Gallici præmiſerant ad illam villam, quia depoſuerant interfuiſſe bello quod expoſt geſtum eſt (vt dicemus) & obtenta victoria, quam ſine dubio ſperabant Epiſcopum fugientem cum ſuis intercepiſſe: ſed euenit aliter quam ſperabant, quia quicquid ipſi diſponebant ad dolum hoc, diuinitas ſuis conuertit in bonum, & dedit eis prius præoccupare præfatam villam quam Gallici crediderunt. Factum eſt ergo vt noſtri tantis prouentibus plurimum confortarentur, quia plurimi qui pedites venerant ex inſperato equites ſunt effecti. Nam fuit ibidem equorum tanta copia, vt equus vno ſolido venderetur. Et ad villam de Graueling, hæc quidem geſta ſunt.

Prælium inter cruce ſignatos & Flandrenſes.

Protractis diebus paucis apud villam de Graueling, quibus Epiſcopus & dominus Hugo de Caluerlee dictum oppidum munierunt, & cuſtodes ſtatuerunt, ibidem aſſumpſit commanipulares ſuos, & ad villam de Dunkirke pulchram valde foſſis latis circumdatam, portis & ſeris firmam, profectus eſt. Audierat vtique villanos de Dunkirke nuper nocte perueniſſe de noſtris viris nauticis ad triginta ſeptem, vnde offenſus eis, mortes patriotarum in illos ſtatuit vindicare. Quam quidem villam ſine grandi labore cepit, & quibus voluit in illa vicem reddens, quibuſdam vero parcens, totum exercitum ſuum in dictam villam traxit. Interea Flandrenſes & Gallici, Britones & alii conductitii exercitum grandem comparauerunt, ducibus Baſtardo Flãdriæ, quem Haſam lingua ſua vocant, & domino de Dixemurhe, ac quodam Iohanne Mitreney, qui & ipſe parum ante in Anglia fuerat & Epiſcopo auxilium fidele promiſerat venienti, ſed præuaricatus eſt pactum in omnibus mentiendo. Hii ergo contractis amplius quam triginta millibus baliſtariorum & virorum bellicoſorum, ſed tamen occulte, ſtatuerunt repente ſuper Epiſcopum improuiſum irruiſſe, & eum de ſub cælo cum toto ſuo exercitu deleuiſſe. Sed his conatibus reſtitit dominus fortis & potens, dominus potens in prælio, & dolos eorum tali occaſione Epiſcopo patefecit. Egreſſi ſiquidem fuerant Garciones ad pabulandum ſuper velociſſimos magiſtrorum ſuorũ equos, qui inopinato conſpiciunt exercitum magnum & fortem, armis fulgentem,

&pene

Digitized by Google

& penè ſuperficiem terræ replentem. Et exiſtimantes (prout erant) hoſtes videlicet eos eſſe, vrgentes equos calcaribus, feſtinanter fugerunt, & Epiſcopo cænanti apud villam de Dunkirke vniuerſa quæ viderant nunciarunt. Nec mora, Epiſcopus deiectis menſis & ſumptis armis villam egreditur illico pugnaturus, quamuis nonnulli laudarent ſocios ex Anglia ſuperuenturos qui plures exſtiterant expectandos. Dominus Hugo de Caluerlee videns animoſitatem Epiſcopi & hoſtes adeſſe prope ſentiens, hortatur ſocios vt etiam nunc viriliter agant & de Dei adiutorio ne diffidant, qui eis tam læta principia contulit, qualia ipſi ſperare vix poterant, antequam Deus illis infudiſſet totam gratiæ plenitudinem. Quis enim veſtrum credidiſſet (inquit) tam fortem villam, tot fortibus cuſtoditam, à tam paucis potuiſſe ſubiici, vbi nec inſtrumenta bellica, nec multitudo repugnantium defuerunt, niſi dominus adiuuiſſet nos, niſi manus domini feciſſet hæc omnia. Cogitate ait vos modo non eſſe pugnaturos contra muros lapideos, contra vallum foſſaſque de Graueling, ſed leniorem inſtare pugnam contra Flandrenſes imbelles, ſchiſmaticos, crucis hoſtes. Et quia nec vſum pugnandi contra Anglicos hactenus habuerunt, ideo leniori negotio ſuperandos. Exhortatione facta, diſpoſuit aciem, collocat certis ſtationibus architenentes, & quemlibet rudem inſtruit de pugnandi forma. Hoſtes vero videntes noſtros iam obuiam proceſſiſſe, occurrunt cum clamore. Sed ne propius accederent repulſi ſunt ſagittis, donec manus armata parata eſſet ad congrediendum cum ipſis. Igitur accedentibus cominus armatis, cernere erat durus conflictus, hoſtibus gladiis, lanceis, & cudibus ferro ligatis rem agentibus, Anglicis vero ſecuribus duris & acutis contra ſtantes more pecudum proſternentibus. Ibi rectores & vicarii quos beneficium abſolutionis illexerat, periculis expoſiti, guſtauerunt quam dulcis eſt domus propria, monachi & Canonici cognouerunt quam bona ſit obedientia. Fratres mendicantes ſenſerunt quãto leuius ſit ſtipem poſtulare inter notos & in patria. Nam vt ita dicam, erat ex parte noſtra niſi manipulus hominum, videlicet quinque millia maiorum & minorum, oppoſitorum triginta millibus bellatorum. Quare merito viri de rebus bellicis ex parte delicioſe educati in pace requieque nutriti, animo poterant concidiſſe, niſi adfuiſſet illis ſpiritus domini, ſpiritus conſilii & fortitudinis, & audaciam infudiſſet. Sed accidit ea hora (cooperante diuinitate) quod viri (vt vſu tranſacto loquar) irrequieti viribus & pulchris facinoribus demonſtrarent, quia multum illis profuit requies diurna. Namque compertum eſt quoſdam ex religioſis. 16. homines in ipſo conflictu peremiſſe, & tanto alios in fortitudine præceſſiſſe, quanto conſtabat eos clauſtralib⁹ ociis diutius ſenuiſſe, de qualibus olim Poeta ſic ait: *Da requiem, requietus ager bene credita reddet.* Ita iſti de re requie ad laborem repente tranſlati, fructum quietis & ocii nobiliter reddiderunt. Sed inter omnes & præ omnibus, architenentes noſtri laudem ibidem merebantur & gloriam, qui hoſtes ſic à ſagitta volante percuſſerunt, vt non plus in armis illorum morarenr, quam ſi nudos feriiſſent ipſæ ſagittæ: tanta itaque erat denſitas ſagittarum volantium, vt aer tanquam à nube nigra obſcuraretur, & tam crebre hoſtibus mittebantur, vt vultus erigere non auderent. Quia quicunque in ſublime ſuſpicere nitebatur, hic repente vel amiſſum oculum, vel ſagittam, vel perforatum cerebrum deplorauit. Fuerunt multi qui dum manus armatas apponunt frontibus, ſubito ſagitta perueniens vtramque configit, perforabantur capita nihil iuuante galea, manus tenentes lanceas ſiue ſudes, ipſis inſtrumentis ſuis ſunt affixa, non proficientes chirothecæ. Et (vt vtamur breuibus) tanta erat pugnantium ibi diuerſitas, vt hinc homines paratos ad occidendum cerneres, illinc pecudes ad moriendum. Franci igitur & Britones qui affuerunt, quorum numerus ad mille nongentos ſe extendit, videntes tantam ſtragem Flandrenſium, horrore nimio ſunt percuſſi. Hii nempe antepoſuerunt Flandrenſes in dicto bello duabus quidem cauſis, quarum vna fuit, quia ſuſpectam habebant fidem Flandrenſium, & ideo ne de bello fugerent cum inſtaret neceſſitas eos primis periculis expoſuerunt: alia cauſa fuit, vt ſi contingeret Anglicos eſſe victores, ipſi haberent maiorem copiam fugiendi. Igitur Gallici conſiderata (prout diximus) tanta pernicie, obriguerunt omnes timore perterriti, & feſtinant, terga vertentes fugerunt, poſt quos mox omnis reliqua multitudo. Quod videntes Anglici, confeſtim hoſtes inſequi maturabant, cædebant ergo comprehenſos fugientes ante faciem ſuam, necnon à dextris & à ſiniſtris, & cadebant in denſo numero iugulati. Vt autem nulli veniret in dubium hanc victoriam diuinitus procuratam, fiebant in hora pugnæ præfatæ horrida fulgura, tremenda tonitrua, quæ ſicut Anglicis famulabantur, ſic in perniciem hoſtium ferebantur. Nam &

in bel-

in bello & in fuga, per crebra fulgura in ſuos oculos emiſſa cæcabantur, proſternebantur & necabantur. Anglici vero ſentientes hæc eſſe diuina beneficia, confortabantur, exhilarabantur, vt eſtimare merito valerent illud Claudiani fuiſſe eorum cuilibet applicatum:

Te propter gelidis aquilo de monte procellis,
O venit aduerſas acies reuolutaque tela,
Vertit in auctores, & turbine reppulit haſtas:
O nimium dilecte Deo, qui fundit ab antris,
Æolus armatos hyemes, cui militat ather,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Interfecti ſunt autem in loco pugnæ & in fuga duodecim millia inimicorum, de noſtris vero tantum ſeptem viri ceciderunt, vt cunctis ſeculis eluceret hanc victoriam de cælis fuiſſe collatam. Commiſſum eſt dictum bellum octauo Calend. Iunii, die videlicet quo facit ſancta eccleſia de bono Vrbano Papa & martyre mentionem, ita omnia concurrebant, vt iſtam profectionem Deo placere nullus hominum dubitaret. Expleta pugna, Epiſcopus cum ſuis in villam de Dunkirke ſe recepit.

Auditis rumoribus de præfata victoria, vel Epiſcopi continuatis ſucceſſibus in Galliis, concidit vultus aduerſariorum, & timuerunt valde, quamobrem rex & tota nobilitas Franciæ (deliberato conſilio) ſtatuerunt vniuerſos amicos & notos prope poſitos ad ferendum auxilium cõtra tam infeſtos hoſtes euocare, quod & factum eſt, rege interim in valle Sueſſionenſi expectante venturos, & ibidem ſuos Gallicos adiuuante: nam regio illa multorum capax erat, & fertilis, ac victualibus cunctis abundans. Illic deſcenderunt ad regem duces ſeptem cum ſuis exercitibus, Comites quidem decem, quidam ligeantia aſtricti, quidam precario aduocati, cũ multis aliis dominis & viris magni nominis & poteſtatis, non abſq; militibus & armigeris, valectis & ciuibus, necnon & communi vulgo, quorum numerus centum millia excedebat. Sed horum omnium congregationem Epiſcopus paruipendens, ſtatuit interea ſubiicere patriam ſibi vicinam, donec & ipſe ſuos conductitios qui nondum mare tranſierãt recepiſſet, conduxerat ſiquidem multos viros exercitatos in armis & bello aptos, ſi fideles fuiſſe maluiſſent. Quorum vnus erat Wilhelmus de bello campo, frater comitis Warwici, ſcil. domini Thomæ de bello Campo, hic quingentas Marcas ſuſcepit ab Epiſcopo pro ſua ſola perſona, ſed quia non ante ſolutum erat ei de totidem quas habuiſſet ex pacto antequam transfretaret, pecuniam quidem ſibi retinuit, & nihilominus domi remanſit cum imprecatione ſiniſtra totius vulgi. Dominus Thomas Triuet & ipſe conductus nondum ſuos ſecum profecturos congregauerat, non ante paratus & ipſe fuerat, ſed more mulieris iacentis in puerperio iacebat ad mare, neſcio quid expectans. Ob quam cauſam Londonienſes & quidam ex amicis Epiſcopi comminati ſunt ei mortem, niſi maturius transfretaret, cunctis acclamantibus eum proditionis cauſa remorari. Quibus aculeis ſtimulatus mare tranſiit, & ad Epiſcopum feſtinanter peruenit, ſed nihil profuit aduentus eius Epiſcopo. Igitur Epiſcopus vt præfati ſumus affectans ſubiugare prouinciam de villa de Dunkirke, profectus eſt à facie vnde mox tota vicina turbabatur. Et recordantes quanta fecerit apud Graueling, quanta per poſt apud Dunkirke, ſine reſiſtentia ſe reddere maluerunt, quam reſiſtendo perdere villas & vitas. Villas ergo de Newport, de Burburgh, de Braw & de Poperinge ſine conflictu recepit, & multas alias adiacentes.

Quid rex Francia fecerit poſt hoc bellum.

Cum igitur in Anglia tam læta noua fuiſſent cognita per quoſdam qui interfuerunt captioni villarum de Graueling & de Dunkirke, qui in teſtimonium fidelis relationis de præda, equos & equas, boues & multum ſuppellectilem domum ſecum cõtraxerant, confeſtim omnis patria ſpe prædæ illecta commota eſt ad proficiſcendum. Et ſine maiori deliberatione de Londoniis multi apprenticii, plures ſerui, ſumptis albis capuciis & rubeis crucibus in parte dextera, rubeis quoq; gladiorum vaginis in ſiniſtra, inuitis magiſtris & dominis ſunt profecti. Quod exemplũ ſecuti alii de tota pene Anglia, relictis parentib. & cognatis, chariſq; famulatibus, inermes pręter gladios, arcus & ſagittas, ſunt egreſſi: & non tantum ſeculares viri iſta fecerunt, ſed religioſi ſectæ cuiuſlibet eodem animo (petita licentia, licet non obtenta) illud iter arripere pręſumpſerunt, in magnum perſonarum ſuarum dedecus & detrimentum, quia nõ propter Ieſum tantum peregrinare decreuerũt, ſed vt patriam mundumq; viderent. Currebatur itaq; per omnes ſemitas à plebe inexperta & gente ruſtica, donec peruenire-tur ad mare, vbi dominus Iohannes Philpot ſollicitus pro Epiſcopo nauigium proui-

De noua profectione cruce ſignatorum.

debat. Ibi fuerunt multi qui præter nauium nullas habebant expenſas, eo quod æſtimabant, ſi mare tranſiſſent, nihil eis omnino defuturum, ſed futura cuncta pro votis, tranſpoſiti ſunt ergo multi, & ad Epiſcopum feſtinabant, qui tunc vlterius progreſſus ad villam de Ypres peruenerat cum exercitu, diuitiis plenam, ædificiis inclitam, bellatoribus communitam, quamuis inuitus, quamuis proteſtans non eſſe ſuæ voluntatis obſidionem ponere, ſed Franciam tam in cauſa domini Papæ quam regis intrare. Compellitur per milites, dominum Thomam Triuet, Wilhelmum de Elinham, & Wilhelmum de Faringdon, reſidere, velit nolit, inuitus, qui omnes vnanimiter affirmabant ſe nolle vlterius ſequi eum, donec dictam villam hoſtiliter effregiſſent, licet in Franciam ire vellet. Aſſecurabant etiam Gandauenſes affuturos in adiutorium, & non eſſe modo difficile Anglicis & Gandauenſibus ſimul victis villam effringere, cum tantummodo Gandauenſes, ſine externo ſuffragio eodem anno villam eandem vi & armis cepiſſent. Videns ergo Epiſcopus ſe nihil proficere, tacere decreuit, & eorum ad tempus obſequi voluntati, maxime quia pro certo cognouit Gandauenſes obſidionis ſocios & laboris.

De obſidione villa de Ypres. Igitur villam de Ypres Epiſcopus & cruce ſignati ex vna parte, & triginta millia Gandauenſium ex altera parte circumſederunt, venerunt idcirco cateruatim ex Anglia ad obſidionem (quos ſupra diximus illectos ſpe prædæ) & iam tantus effectus eſt numerus accurrentium, vt ſexaginta millia numerarentur ex Anglicis aduenisse. Igitur perpendens Epiſcopus tantum populum aduenisse, qui nec exercitatus eſſet in armis, nec arma quidem poſſideret, doluit, & mittens ad dominum Iohannem Philpot, rogauit ne permitteret quenquam de cætero mare tranſire, niſi valentes: & ait ad eos qui inermes venerant, vt quid ergo veniſtis ad conſumendum victum, qui vix ſufficiet bellatoribus: vos numerus eſtis, fruges conſumere nati: melius fuiſſet vobis domi ſine cura ſuper ollas carnium reſediſſe. Ob quam cauſam vulgus indignabatur, & iam quiſq; cœpit Epiſcopo detrahere, occulte tamen propter metum eius.

Rex Angliæ circuit per Abbathias. Dum hæc aguntur in Flandria, rex Angliæ & regina cum ſuis Boemiis Abbathias regni circueunt viſitando, quibus tanto triſtior fuit eorum aduentus, quanto grauior, quia & acceſſerunt in exceſſiuo numero, & non offerre ſed auferre venerunt. Senſit hoc Abbathia de Bury, quæ in eum & reginam ipſorumq; familiam per decem dies (quibus moram fecerunt ibidem) expendit octingentas marcas, tanquam nõ ſuffeciſſent eis paſtoris viduacio per quadriennium, damna irreſtaurabilia per inſurrectionem cõmunium, pecuniarum largæ profuſiones pro recuperatione ſuorum iuriũ tam in Romana curia quam in iſta terra. Vt videretur tamen rex aduentu ſuo eidem Monaſterio aliquid cõtuliſſe, fecit vt nouiſſima illius fierent peiora prioribus, admittendo prouiſionem factã per dominum Papam de Iohanne Timworth, qui paulo ante iurauerat ſe nunq̃ conſenſurum vt gauderet honore paſtorali, niſi ſimpliciter Papa vellet confirmare electionem de ipſo factam. Inſuper & dudum Papæ reſcripſerat in eadem verba, ſed vix Ambaſſiatores ſui Romani peruenerant, antequ pueriliter mutato propoſito, eundem Iohannem Timworth benedici fecit à confeſſore ſuo Epiſcopo Landauenſi, quo facto, inconſtantia regis eiuſq; conſilii longe lateque innotuit, & ſicut Eccleſiæ Anglicanę detrimentum, ita Papę & curialibus magnã peperit materiã inſoleſcendi. Expletis diebus moræ diſpendioſe apud Bury recte ad Therford properat, & ſic ad Northwicum, vbiq; multa tam à religioſis quam à ſecularibus ſcienter accipiens, vbi duo mala concurrere videbantur. Non enim regi magna donaria ſuffecerunt, niſi & reginæ æqualia præberentur: nec cum populo graue viſum fuiſſet, eius honoris intuitu exhibuiſſe perampla donaria, ſi ad vſum eorum prudenter conſeruata fuiſſent. Sed quicquid hauſit eorum manus auida mox alienigenis de gente reginæ, ſcilicet Boemiis prodigaliter erogauit, vnde contigit vt poſt regni circuitionem magis inopes reuerterentur quam egreſſi fuerant, vt cunctis verum eſſe conſtaret illud prouerbium ſapientis, Væ terræ cuius rex puer eſt. Tædet recordationis tot nugarum, & idcirco placet melius ſilere quam loqui. Iam ergo ad Flandrenſium bella ſtilum vertamus.

Proditio quorundam. Sedente igitur Epiſcopo ſuiſq; complicibus in obſidione villæ de Ypres, in ipſo feruore dierum Yprenſes cõſiderantes obſeſſores eſſe remiſſos, ociiſq; vacare, villam firmare, ruinas reficere, arma & vtenſilia bellica (quibus hoſtes arceri deberent) fabricare continue ſatagebant. Gandauẽſes vero qui alteram partem villæ obſidebant, comportare aggerem, implere foſſam, vt facilior eſſet aditus ad conferendum eum villanis totis viribus laborabant. Sed noſtris militibus nõ placuit inſilire villã, experiri fortu-

fortunam,aut appropinquare muris, propter pericula quæ poſſunt emergere, ſed operire tempus dedicionis voluntariæ,quod ſciebant nunquam fore futurum, nam omnibus carnibus & tritico,& diuerſi generis potibus habundabãt. Fuerunt qui dixerint dominum Thomam Triuet & quoſdam ex militibus reliquis vtres plenos auro de villanis cepiſſe,& in villam ſæpiſſime introiſſe,ac tam priuate quam publice cum illis tractatus multotiens habuiſſe,vnde non ſolum plebs communis ſuſpicabatur eos eſſe proditores,ſed clamando publice teſtabatur. Factum eſt itaque,vt per moram inutilem quam traxerunt,peior eſſet conditio obſidentium quam obſeſſorum, quia & illis inter ſe inerat multa concordia & victus habundantia, noſtris ſuſpicio & diſcordia,ac panis & aquæ penuria,vnde contigit peſtis mortifera inter noſtros, & quotidie plures diſſenteria perierunt, furtiue igitur è caſtris recedendo noſtri quotidie mare petunt,& Angliam venientes, quæ viderant vel audierant de dictis militibus referebant. Videns ergo Epiſcopus indies numerum ſuorum minui,inſtat apud milites (qui iam non eius ſubditi ſed magiſtri fuerunt effecti) vt contra villam ſuas vires experiantur,antequam turba nimis vel peſte,vel diſceſſione minuatur.

Inſultus ad villam de Ypres. Cui petitioni vix tandem conſentientes,villam occurrunt totis animis, & cum lapidibus,lanceis & ſagittis,igne græco,& miſſilibus quæ Gunna vocantur, noſtros vbiq; repellunt. Fecerat autem Epiſcopus fieri quendam pontem ſubtiliſſimum , per quem ad vallum facilis fuiſſet aſcenſus. Quem villani cernentes in magnam perniciẽ illorum eſſe compoſitum , emittunt Gunna grandem lapidem,qui percutiens pontem,ſine difficultate confregit, & quoſdam milites ſuperſtantes ſimul crudeliter interemit. Nec minora damna fiebant in locis aliis,propter quæ noſtri ſeſe retrahere & inſultum dimittere cogebantur. Subtractis cunctis qui ſuperfuerant,de loco periculi diſceſſum eſt ad hoſpitia ſingulorum,& intra paucos dies obſidio diſſoluta , Gandauenſibus cum mærore diſcedentibus & falſitatem exectantibus Anglicorum, quia profecto ſi fuiſſet tanta fides inter duces Anglicorum quanta fuit inter Gandauenſes, villa de Ypres hodie non ſupereſſet. Relinquentes autẽ obſidionem,quæ incendere poterant exurebant,ne hoſtibus eſſent ad ſolatium vel iuuamen, vellent nollent tamen reliquerunt ibidem quę nec incendere , nec confringere , nec euehere potuerunt, Gunnas videlicet magnas ingentis precii & valoris. Plurimi vero neſcientes tempus diſceſſionis , quæque præcioſa & portata per multos labores & pericula) ſubito migrare compulſi) dimiſerunt ibidem. Et hic finis & fructus obſidionis villæ de Ypres.

Milites contradicunt Epiſcopo volenti ingredi Pikardiam. Poſt obſidionis ſolutionem cognoſcens Epiſcopus per exploratores regem Frãciæ cum exercitu perueniſſe ad ciuitatem Ambianenſem,alloquitur ſuos milites, ſcilicet dominum Thomam Triuet,& Wilhelmum de Elinham,cæteroſq; , dicẽs ſe velle Pikardiam ingredi,& contra regem Franciæ vno die Martis experiri fortunam. Et cum multa allegaſſet quibus merito accendi potuiſſent ad profectionem,nihil tamẽ profecit,ſed cum iniuria etiam contumelias recepit ab eis , dicentibus eum temerarium,& neſcientem vires tantæ multitudinis, quæ centum habebat contra vnum ex illis. Non fore tutum nec diſcretioni conſonum ſic temptare Deum,vbi nulla ſpes eſſet victoriæ, ſed certitudo confuſionis, niſi forte ſubito tam arctam neceſſitatem incurriſſent,de qua non poſſent effugere niſi pugnando. Quibus auditis,Epiſcopus valefecit eiſdem cum paucis admodum Pikardiam ingrediendo. Milites vero ad villam de Burburgh properant,quam munire decreuerunt contra Francos, ſi forte illuc eos contingeret aduenisse. Cum ergo Epiſcopus prope partem exercitus Gallicorum appropinquaſſe demonſtrauit ſe, ſuoſque in campo , explicatis vexillis,ſed nemine audente conſerere, quia nondum totus exercitus Gallicanus conuenerat , Epiſcopus vexilla reflexit,& ſub omni feſtinatione ad villam ſuam de Graueling cepit iter,cum domino Hugone de Caluerlee,qui ei ſemper fuerat in cunctis anguſtiis comes indiuiduus,ſociuſq; fidelis.

Epiſcopus reuertitur ad Grauelingũ & milites ad Burburgh. Coadunatus ſuis exercitibus rex Franciæ, & de noſtrorum diſſeſſione non parum elatus,vt agnouit quoſdam villam de Burburgh ingreſſos fuiſſe, totũ exercitum conuertit ad locum , iurans ſe neminem illorum qui fuerunt ibidem prece vel præcio ſaluaturum,ſed omnes vel ignibus crematurum cum eadem villa, vel certe captos in ore gladii peremptūrum. Quibus molicionibus dux Britanniæ contrauenit, aſſerens non ita futurum vt credebat,ſe noſſe perſonas quæ in ea fuerunt,quod omnes eſſent viri fortes & ſcientes bellum,& ſine graui Gallorum diſpendio ſuperari nõ poſſe. Non(inquit) contra Flandrenſes pugnaturi eſtis, ſed contra Anglicos,viros vtique

cordatos valde,& qui malunt mori quam vinci. Rex autem commotus ad hæc verba ducis,& tu (inquit) ex illis es,& ideo pro illis verba facis. Cui confeſtim dux: & neeſtimetis me ait aut timore vel eorum fauore talia protuliſſe, videbitis me primum, cum meis hominibus inſultum facere contra eos. Habebat ſiquidem virorum electiſſimorum ad duodecim millia quos contraxerat ex omni ditione ſua. Et illico vexillis erectis ad muros acceſſit. Erant autem in villa dominus de Bemond,& Thomas Triuet, Wilhelmus Elintham, & Wilhelmus de Faringdon milites, & multi alii viri fortes, qui locati in circuitu vt defenſores, mox contra Britones dimicare parati ſuas occupant ſtationes. Fit ergo pugna ingens (ſpectante rege Franciæ cunctiſque Gallicis) & in omni conatu Britones peiorem calculum reportabant. Fecerant autem noſtri inſtrumenta ferrea & vncata, quibus attraherent appropinquantes & in villam eiicerent, vel certe pungendo repellerent & in foſſas cadere facerent luto plena. Attrahebantur itaque plures ſupra muros in villam & more pecudum mox cadentes, cum ſecuribus excerebrabantur: multi autem à muro repulſi in cæno quod in foſſis erat demergebantur, inſuper & vexillum ducis Britanniæ violenter extortum de manibus ſigniferi, raptum eſt in villam, cum ſignis pluribus aliorum. Cogebantur ergo Britones metu mortis à pugna quieſcere, & ſe muris ſubtrahere cum pudore. Tunc Gallici & ipſi præſumptuoſi accedere temptauerunt, ſed ſuis periculis didicerunt Britones non ſe temere ſubtraxiſſe, nam mox vt appropinquauerunt, candentibus verubus ſunt repulſi, quibus apponere manus volentibus, & ad ſe contrahere, dum multi ſuper vnum veru manus mittunt, omnes parem recipere mercedem manibus eorum miſerabiliter concrematis, vnde confeſtim inutiles facti, dum manus ſoluunt, vel trahuntur in villam, vel præcipitantur in foſſam. Igitur interfecti ſunt ex Gallicis in illo conflictu amplius quam quingenti, noſtris pene nihil læſis, niſi quod per ignẽ Græcum in villam emiſſum tertia pars domorum cum multis victualibus eſt combuſta. Nocte ſuperueniente, pugna dimiſſa, & Gallici ſe ad ſua tentoria contulerunt, amiſſis ſignis regis & plurium dominorum. Sub ipſo noctis articulo dux Britanniæ venit ad regem Franciæ, quærens quid ſentiret de Anglicis, & ſi adhuc cenſeret plures inſultus facere contra eos. Rex vero reſpondit, eos eſſe dæmones non homines, qui tam fraudulenta commenta adinueniſſent aduerſus aliquos Chriſtianos. Nihilominus dixit ſe non ceſſaturum donec omnes eos cepiſſet manu forti. Cui dux, & ego (ait) nõ laudo plures inſultus fieri, quia & ingenioſi & fortes ſunt viri, & quotidie nouas contra adinuentiones diſperquirent: & ſi tales tres dies fecerimus, perdendo contra eos, noſtro numero imminuto, ipſi ſatis fortes erunt quarto die cum auxilio Epiſcopi (qui tenet prope villam de Graueling) ad exeundum & pugnandum contra nos in campo, tunc non dubito quin plura perdemus quam prius amiſimus. Rex igitur & ſanior pars Gallorum iam aliqualiter animo fracti, non de inſultu ſed de tractatu cum noſtratibus cogitare cœperunt: anguſtiabant nempe eos tot mortes, non plebium, ſed exercitatorum militum & armigerorum, tot læſiones dominorum tam Britanniæ quam Gallorum. Nam & ibi Mareſcallus Franciæ fuit occiſus, & dominus de Cliſſon grauiter vulneratus, ita vt in manibus aſportaretur à muris. Propter quæ omnia reputantes ducem Britanniæ iam viridicum, decreuerunt vt ipſe alloqueretur eos ex parte regis Franciæ, de reddenda villa, quia notus erat eis, & ipſe peroptime nouit eos. Agentes ergo tractatum dux & noſtrates, poſt plures altercationes tandem in hanc ſententiam conſenſerunt, vt villam redderent regi Franciæ, & ipſi cum equis & armis, & cunctis ſeruientibus, cunctis quoq; bonis quæ de villa aſportare placeret indemnes exirent, & ad quemcunque locum vellent pergerent ſub conductu regis Franciæ, ita tamen vt verſus Angliam properarent. Exeuntes autem Caleſiam, peruenerunt cum ipſis multa ſpolia deducentes, quod nimium Gallicos contriſtauit. Sperauerant nempe ditati fuiſſe de eorum ſpoliis & exhilarati mortibus: ſed tamen ſecus accidit quam credebant vt prætactum eſt.

Rex Franciæ cõponit cum Epiſcopo vt deſerat villam de Graueling.

Poſt diſceſſionem noſtrorum de villa de Burburgh, conuertit ſe exercitus Gallicanus cum rege ſuo ad villam de Graueling, vbi erant dominus Hugo de Caluerlee & Epiſcopus conſtituti. Quia ergo Gallici iam ſatis experti ſunt quæ damna, quæ pericula ſequantur inſultus, inſultum facere de cætero metuebant. Idcirco mittunt ad Epiſcopũ enumerantes multitudinem Gallicorum, fortitudinem & animoſitatẽ Britonum & qui cum illis erant, denunciantes vt reddat regi Franciæ villam q̃ ſuam iniuſte dignoſcitur occupare. Et Epiſcopus ad hæc breuiter reſpondebat, ſe tam in cauſa domini Papæ quam regis Angliæ lucratum fuiſſe villam prædictam, per multa

pericu-

Digitized by Google

pericula inſuper, & expoſt eandem reparaſſe, ac fortificaſſe, fuſa multa pecunia, nec ſe cognoſcere quenquam habere iuris titulum præter regem Angliæ, vel ſemetipſum in eam. Cum ergo Gallici hæc audiſſent, & diffiderent de redditione, remiſerunt qui nunciarent Epiſcopo ſe velle .15. millia marcarum dare, ita vt Epiſcopus eam deſerat & complanet ad terram, & habeat facultatem Epiſcopus libere migrandi quocunq; vellet cum omnibus bonis ſuis & cunctis qui ibidem fuerũt cũ eo. Ad hæc Epiſcopus petit inducias vt reſponſum differrat ad certum diem, & dantur ei, qui ſtatim miſit in Angliam, nuncians regi ſemet in arcto poſitum & regem Franciæ cum innumerabili exercitu ante ipſum iacere, iam tempus eſſe (ſi vnquam vellet congredi cum rege Frãciæ) properare vel mittere qui cum eo auderent congredi, quia niſi in Angliam nauigaſſe præſumpſiſſet, non potuiſſet propius acceſſiſſe, & ideo non erat difficile Anglicis ad ſuccurſum properare, cum nil in terra Franciæ morarentur priuſquam vel bellum haberent, vel regem Franciæ effugarent. His auditis, rex Angliæ dum adhuc eſſet vagabundus (vt diximus) per patriam & domos religioſorum, & eſſet in cœna apud villam de Dauentre, mox expulſis tabulis cũ omni furia & feſtinatione ſurrexit, & apprehenſo equo, curſu velociſſimo noctem conſumit equitando, multotiens equos mutando, tanquam ea nocte eſſet regem Franciæ perempturus, venitq; ad Sanctum Albanum nocte media, ſed nil moraturus ibidem, niſi dum Palefridum Abbatis mutuat, nunquam redditurus eundem, confeſtim feſtinat ad Weſtmon. ſequentibus eum paucis, quo cum perueniſſet, fatigatus à laborioſa equitatione, & ſomno preſſus, ibidem pernoctare decreuit. Cum autem dormiſſet, cernens requiem quod eſſet bona, ſtatuit mitius agere cum hoſtibus ſuis, & alios mittere qui propulſarẽt eos. Sicque actum eſt, vt poſt grandia verba, & pompam nimiam, ab ipſo factum eſt nihil, qualibus illudens Poeta dicit: *Parturiunt montes, exibit ridiculus mus.* Miſſum tamen eſt pro duce Lancaſtriæ, vt ipſe vſque ad locum properando feſtinet, & Epiſcopum liberet, & Gallicos arceat manu forti. Qui & ipſe tanquam continuo facturus, ita feſtinat ad mare, & expectat ibidem donec dies induciarum pertranſiſſent. Videns ergo Epiſcopus ex Anglia nullam fidem, nullum euenire remedium, componit cum Gallicis, & villam deſtruit ſolo tenus (vt tenebatur ex pacto) ſed pecuniam non recepit, quia hoc cognouit conſiliariis regis diſplicere.

Poſt receſſum Epiſcopi, & ipſi Gallici ad propria receſſerunt, in parte tamẽ maxima imminuti, quia (vt ſupra diximus) ad villam de Burburgh plures valentes amiſerunt, & quotidie in exercitu plures ſubito diſſenteria & aliis variis infirmitatibus perierunt, ita vt multis diebus amplius quam trecenti in die ſpiritum exhalauerũt. Coacti reuera fuerunt iuuenes delicati, mercatorum & Burgenſium filii, neſcientes arma, ignorantes vigilias, & per omnia inexperti ad ſupplementum exercitus, qui mox vt conſuetudinem mutare cœperunt, continuo infirmabantur, & repente iuxta latus regis dum ſtarent in armis, nil habentes mali (prout viſum fuit) mortui corruerunt. *Gallici reuertuntur ad propria infirmati.* Quare ſi qua fides, ſi appetitus gloriæ, ſi audacia in noſtris tunc militib. qui domi remanſerant & hæc audierant extitiſſet, profecto fuiſſet tempus acceptabile transfretandi & experiendi vires contra hoſtes totiens in terra ſua quæſitos. Nam multotiens quæſiti fuerunt in regno Franciæ, per duces, per comites, & alios dominos, ſed tamen inueniri nequibant: iam præſentes fuerunt, non procul, ſed prope: non pauci, ſed plures: non communes, ſed potentes & diuites: non exercitati, ſed inexperti: non fortes, ſed infirmi: & ecce noſtri (vel proditione detenti, vel vecordia refrænati) non tranſeunt contra diu deſideratos, ſæpe quæſitos. Proh dolor, terra quæ olim generauit & produxit homines cunctis reuerendos, prope & procul poſitis metuendos, effeminatos iam euomit, ridiculum hoſtibus, fabulam ciuibus: nam nullus vel rarus reperitur in ea, qui reipublicæ ſe deuoueat, qui pro ciuibus laborem impendat, ſed omnes ſua lucra ſectantur, propria commoda perſcrutantur. Sed ne lectores ſcandalizentur huiuſcemodi verbis, plura de hiis ſcribere ſuperſedemus. Ad materiam igitur ſuperius memoratam reuertamur. Igitur Epiſcopus relinquens Gallias, Angliam eſt reuerſus, qui cito poſtquam terram attigit, ducem adiuit qui adhuc iacebat illis in locis, qui Epiſcopum obiurgans, quærens nodum in ſcirpo cito dimiſit. Hugonem vero Caluerlee aliquanto diutius ſecum detinuit, honorem ei exhibens propter antiquam militiam approbatam. Hic ergo finis fuit profectionis & belli pontificalis.

Scoti per idem tempus occaſionem ex tempore nacti, eo q; plures fuiſſent cum Epiſcopo egreſſi, Northumbriã intrauerunt (prout moris eorũ eſt cum ſuperiores eſſe videntur,) incolis damna irrogarunt, agentes prædas vbiq; & captiuos de ſuis domi- *Scoti intrant Angliam.*

bus educentes & Scoriam pertrahenres. Auſi ſunt inſuper ad caſtellum quod vocatur Werk ſuper flumen de Twede cum multis armatis accedere,& captum ac deprædatum ignibus conflagrare,nemine conatus eorum impediente,nec ſemet ipſorum inſolentiis apponere volente,proprer metum quorũdam qui runc remporis à communi populo putabantur plus Scotis quam Anglicis fauere. Ob quam cauſam milites & armigeri qui cuſtodias caſtellorum vel municionum habebant in villa patria, venerunt ad regem & reddiderunt ea in manus ſuas, dicenres Scoros vehementer inualuiſſe, & Anglicos qui in partibus illis erant perpaucos eſſe ad reſiſtendum illis, niſi rex ipſe manus apponeret adiutrices,qui reſponſum conſolarorium acceperunt, vt dicemus in capitulo de proximo parliamento quod ſcripturi ſumus.

De Papa & Romanis.

Eodem fere tempore Papa diffidens de fide Romanorum, ſimulata cauſa velut puriorem aerem vellet haurire, vrbem ad quoddam caſtellum non procul poſitum multotiens egrediebatur & reuertebatur, quandoque ad noctem, aliquando vero pernoctauit ibidem,& die ſecundo vel tertio eſt reuerſus. Vt autem tollerer omnem ſuſpicionem à cordibus Romanorum,non procul à dicto loco quod amœnus eſſet & ibi locus, dixit ſe velle caſtellum forte conſtruere,in quod ſeſe poſſet ſecure recipere, ſi neceſſitas vlla vrgeret. Vnde gauiſi Romani,iam libere permiſerunt eum ſine ſuſpicione vel exploratione,quotiens vellet vel quando vellet adire locum, pro eo maxime quod nouerunt eum latomos &fabros plurimos conduxiſſe,&ad eum locum magnam materiam lapidum & lignorum comportaſſe.Iam ergo Papa ſecurus neminem eius migrationem velle perſcrutari,accito clanculum quodam potenti domino qui erat in illis partibus,componit cum eo vt certo die veniens cum armata manu, deducat eum in patriam ſuam vbi natus fuerat,ſcilicet in Neapolim,quia rebatur maiorem fidem inuenire inter ſuas patriotas,quam Romanos,ſi contingeret indigere. Quod& factum eſt. Audientes autem Romani Papam repente fugiſſe,cum magno ſupercilio miſerunt ad eum,mandantes vt reuertatur, alioquin affirmabant eum velle deponere,& aliquem de Cardinalibus qui in vrbe remanſerunt in Papam eligere, vel certe reuocare eius aduerſatium Antipapam,&ipſum inthronizate. Ipſe vero paruipendens eorum minas,motam ſuam continuare diſponit in dicta terra, quanquam ibidem multa aduerſa eſſent prouentura,prout in ſequentibus plenius(cum locus & tẽpus id poſtulauerint)edicetur.

De nauibus hoſtium captis.

Circa dies quibus Epiſcopus Norwicenſis& cruce ſignati ſederunr circa villam de Ypres,hoſtes armauerant quinque vaſa bellica,qualia Balingarias appellamus, vt arcerent & impedirent tam tranſitum verſus eum, quam verſus Aquitaniam, quia & illuc dirigendi fuerant cruce ſignati, cum turba militum & armigerorum: Ducibus domino Britrigaldo de la Bret,& nonnullis aliis electis ex Anglia viris bellicoſis. Et cum plura mala feciſſent in mari,non ferentes hæc viri de Porteſmutha & Dotteſmutha,armauerant ipſi naues ſuas bellicas ad impediendum conatus eorum. Et progreſſi in obuiam,commiſerunt repente prælium cruentum valde,ſed tamen adiutorio ſuperno noſtri ſuperiores effecti, occiderunt omnes qui erãt in eis præter nouem viros, & vaſa & vniuerſa contenta diripiebant ſibi, aduehentes patriæ tam prędam quam pacem, per victoriam glorioſam. Eadem fere tempeſtate nauigiũ Anglicanum dum liquidas obſeruat in mari vias, octo naues grandes refertas multis bonis,& vnam præcipue bellico iure lucrantur, in quibus dicuntur fuiſſe mille & quingenta dolia boni vini. Et ita licet per breues ſucceſſus Angliam plurimum confortabatur.

Qualiter Gandauenſes lucrati villam de Owdenarde.

Poſtquam cruce ſignati è Flandria Angliam ſunt egreſſi, Gallici qui cuſtodiebant villam de Owdenarde, quam ſuperiori anno Gandauenſes obſederunt à feſto inuentionis ſanctæ crucis vſq; ad natale Domini, quo tẽpore (vt ſuperius ſcripſimus) Gandauenſes ibidem victi fuerunt per regem Franciæ, & Philippus de Narthfeld interemptus cum viginti quinq; millibus Flandritarum, cæperunt Gallici crudele dominium exercere ſuper ciues illius villæ, opprimentes eos vehementer. Et non tantũ bona diripientes eorum,ſed etiam vxores vi rapientes eis,pro ſuæ voluntatis arbitrio abutebantur. Super quibus omnibus oppidani de Owdenarde vehementer commoti,nec immerito,cum iam nullã ſpem cernerent correctionis Gallicorum, ſed potius indies eorum ſcelera augeri viderent, miſerunt ſecreto nuncios ad Gandauum,qui & eorum iniurias ciuibus nunciarent, & auxilium rogarent ab eiſdem. Promittentes inſuper illos quacunq; nocte vellent introducere in villam de Owdenarde, vt ſic & dominio villæ potirentur,& acceptas frequenter iniurias ſiue damna per Gallicos in ipſos viriliter vindicarent. His auditis, Gandauenſes non ſegnes accinguntur ad

iter,&

iter,& nocte peruenerunt ad villam, datiſque ſignis ad inuicem, qui in villa erant, & qui extra villam, intromiſſi ſunt Gandauenſes. Oppidani igitur dictæ villæ iuncti Gandauenſibus, ſcientes peroptime, vbi hoſpitia Gallicorum fuere, domos repente irrumpunt, Gallicis dormientibus, & in ipſos ſubito irruentes, iugulant quotquot in villa fuere, multos valde, ita quod non ſuperfuit vnus ex eis. Et ita Gandauenſes villa potiti, etiam ſtragem magnam fecerunt in Flandrenſibus, qui falſi fuerant ſuis ciuibus dictæ villæ. Ibi mercatores Anglici in parte recuperauerunt damna, quæ pertulerant per ante in villa de Bruges, dum bona in dicta villa reperta à Gandauenſibus pretio leui emunt, & non ſolum mobilia, ſed etiam domos, & quæque læta villæ. Poſt hæc Gandauenſes miſerunt ad Regem Angliæ, nuntiantes ſe lucratos dictam villam, quam vellent dare ſibi, ſi vellet illuc ex Anglia cuſtodes & auxilium deſtinare, alioquin detraherent illam ſolo tenus. Rex vero gratias agit illis, reſpondens ſe nolle illuc ſuos dirigere propter inſtantia pericula, quæ regno ſuo multis ex partibus imminebant, & honoratos dictos nuntios prout decuit Gandauum remiſit. Et hic finis Gallicorum, qui multa mala perpetrauerant in villa de Owdenard. Nec ſilentio reticendum, quod in dicta villa repertus eſt infinitus theſaurus Comitis Flandriæ, qui merito & Gandauenſes animaret, ad continuandam guerram, & Comitem cogere deſperare.

Circa feſtum omniũ Sanctorum factũ eſt parliamentum Londoniis, in qua cōceſſa eſt medietas quintæ decimæ ꝑ laicos, & paulo poſt medietas vnius decimæ per clerum, Regi. Cuius pecuniæ portionem domini partium borealium petierunt, quia in hoc parliamento fuerunt deputati ad cuſtodiendum partes illas contra Scotorum irruptiones. Quibus reſponſum eſt per dominum Wilhelmum Wicham Epiſcopum Wintonienſem, quod ideo ex pauperibus effecti fuerant diuites, & domini vt Scotos liberius arcere poſſent, & vt Rex & auſtralium domini partium minus grauarentur, dum alias oporteret eos omni anno comparare exercitus, populumque vexare contrahendo verſus partes illas. Nec eſſe difficile eis ibidem hoſtes repellere, qui domini & magnates facti ſunt, cum eorum anteceſſores, videlicet patres & aui, qui neque fuerunt domini vt ipſi, nec diuitiis abundantes, potuerunt ſua animoſitate & audacia, hoſtibus, id eſt, Scotis reſiſtere, & de ipſis multotiens triumphare. Conceſſæ ſunt tamen illis commiſſiones congregandi virtutem exercitus, & Scotis reſiſtendi, & damna pro damnis inferendi, quotiens contingeret Scotos irrumpere, vel hoſtili more partes illas intrare. Hæc autem facta ſunt pro eo maxime, quia in vltimo die, quo dux Lancaſtriæ, & ipſi conuenerunt ad diem Marchiæ, conuentum fuit inter eos pro commodo partis vtriuſque, vt de cetero ipſi nec Anglici vexarentur per tot labores & expenſas, ſed ſingulis annis certi vtriuſque partis deſtinarentur ad parliamentum regni vtriuſq;, qui & iniurias acceptas proferrēt in medium, & emendas acciperent ſecundum quantitatem damnorum per iudicium dominorum. Qui vero Scoti ſuperſederunt ad hoc Parliamentum venire iuxta condictum, & inſuper damna interim plura Borealibus præſumpſerunt inferre, ac etiam hoſtes ex Galliis in nocumentum Anglorum conducere. Decretum eſt per Parliamentum, vt frangenti fidem, fides frangatur eidem. Et vt poteſtas lecta ex Anglia mittatur illuc, ſubductore domino Thoma de Woodſtoke, videlicet mille lanceæ, & duo millia architenentium, ad compeſcendum conatus eorum. Quibus cognitis, Scoti valde timentes in fine Parliamenti ſupplices aduenerunt, etiam de pace vel treuga tractare voluerunt. Sed Anglici totiens eorum falſitatem experti, cum eis tractarē nec componere noluerunt, ſed eos effectos contumeliis ad propria redire præceperunt, denuntiantes, vt capita ſua defenderent quam bene ſcirent, & ſua iura tuerentur. Quibus regreſſis (vt præmiſimus) domini boreales ſuſceperunt patriam conſeruandam, donec comes *Buckinghamiæ* dominus *Thomas de Wodſtock* prædictus paratus eſſet ad accedendum cum poteſtate grauiori. In hoc Parliamento Rex cepit temporalia Epiſcopi Norwicenſis in manu ſua, eo quod inobediens erat voci eius, quando (vt præmiſimus) reuocauit eum per breue ſuum, cum paratus eſſet ad transfretandum, ſed tamen Epiſcopus noluit reuenire. Milites quoq; qui cum Epiſcopo fuerunt in Flandria, quia & ipſi Epiſcopo fuerunt inobedientes, & quod peius eſt, proditores, incarcerati ſunt: ſed mox manucapti ſunt per amicos, redimendi fuluo metallo. Et hic finis & fructus Parliamenti præſentis. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer: ſed in fructibus arborum ſuſpicio multa fuit, eo quod per nebulas fœtentes, exhalationes, aeriſque varias corruptiones, ipſi fructus, puta poma, pyra, & huiuſmodi

Parliamentum Londini.

Annalis conclusio.

ſunt infecta, quorum eſu multi mortales hoc anno, vt peſtẽ lethalem, vel graues morbos & infirmitates incurrunt. Fuit etiam annus iſte Anglicis luctuoſus, quia plures tam in Flandria quam in patria perierunt: Flandrenſibus exitioſus, quia patria illa cum ſuis habitatoribus tam per ſuos quam alienos eſt vaſtata: Gallicis formidabilis & oneroſus, qui nunquam per ante timuerunt quenquam ex Anglicis ducibus ſicut Epiſcopum formidabant, & oneroſus propter contractionem tanti exercitus, quantum Rex Franciæ congregauit, & expenſas, quas in commune ad hoc negotium profuderunt.

De treugis inter regna.

Anno domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo quarto, qui eſt annus Regis Richardi à conqueſtu ſecundi ſeptimus, fuit idem Rex ad natale apud manerium ſuum de Eltham, & cum eo Regina Anna. Exactis diebus natalitiis, dux Lancaſtriæ Iohannes de Gandauo, qui ante natale profectus fuerat in Franciam ad tractandum de pace inter regna, redit in Angliam, ferens treugas vſque ad feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ, quo tempore rediturus erat ad tractandum iterum & confirmandum pacem, ſi poſſet fieri inter Reges. Quæ treugæ quantum contulerunt vtrique regno, regna manifeſte ſuis commodis perſenſerunt. Nam Anglia per Gallicos & maxime per Normannos ſequente quadrageſima referta eſt cunctis neceſſariis mercibus, puta vino, fructibus diuerſi generis, ſpeciebus atque piſcibus, adeo affluenter, vt admirationem ferret incolis vilitas rerum vænalium, præcipue in illis partibus, ad quas acceſſus eſſe poterat Normannorum. Francia & Normannia lætati ſunt, quia argentum & aurũ prompte perceperunt ex Anglicis pro ſuis mercimoniis, & abundantius multo quam in ſuis partibus pro tantillo commercio percepiſſent. Vnde ab vtriuſq; regni incolis, & maxime communibus, pax eſt ardentiſſime concupita.

De diſſidio inter Londonienſes pro maioribus.

Eodem anno in nocte Purificationis beatæ Virginis viſa ſunt ingentia fulgura, & audita tonitrua, quæ corda mortalium non modice terruerunt: & non multo poſt. Iohannes de Northamptonia dictus alias de Comberton, Maior London. anno præcedente, qui ſuis ſeditionibus iuxta ſui nominis etymologiã ciuitatem Lõdoniarum ſeditionibus adimpleuit, moliri noua temptauit, multis aſſentantibus, quibus rapina placebat. Nempe Maiorem (electum iuxta morem ciuitatis) turbare, & cum multitudine ſtipatorum incedere, non ſemel ſed pluries ad plurimum terrorem, quibus placebat vſus. Et cum iam Maior illius anni (dictus dominus Nicholaus Brambre, miles) occurrere ſuis motibus parauiſſet, in tantam inſaniam dicti Iohannes Comberton amatores conuerſi ſunt, vt quidam ex arte ſutoria, qui maior æſtimatione videbatur, publice communitatis ſuffragium expeteret & commoueret. Obquam cauſam (conſilio domini Roberti Knolles militis) domo ſua tractus & decollatus eſt, tanquam inſurrectionis concitator, & pacis regiæ perturbator. Quod factum pro tunc compeſcuit commotionem vulgi, inſurrectionem populique ſedauit, qui dicebatur eo tempore in necem Maioris electi, & multorum valentium conſpiraſſe.

De profectione ducis verſus Scotiam.

Inſtante tempore quadrageſimali, dux Lancaſtriæ Iohannes, cum fratre ſuo Thoma de Wodſtock comite Buckinghamiæ, & innumerabili pene turba militum, armigerorum & architenentium, profectus eſt verſus Scotiam, vt Scotis perfidis perfidiæ pœnas inferret. Cumque in partibus borealibus perendinaſſet, donec incolarum deſtructis victualibus, plus damni irrogaſſet eiſdem, quam per ante intulerant ipſi Scoti, tandem circa feſtum Paſchæ terram Scotorum intrauit, vbi tanta erga eos vſus eſt patientia, vt villanos de Edenburgh permitteret aſportare de villa quæcunq; vellent, & vltra mare Scoticum comportare, indicens interim exercitum, ne præſumerent ſub pœna mortis verſus eandem villam pedem mouere. Iacebant ergo noſtrates per totum triduum non procul à villa, id eſt per tres leucas, dum potuiſſent adiuiſſe prædictam villam, & Scotos aſportatione rerum vel perturbaſſe, vel iure bellico ipſa bona occupaſſe. Sed aſportatis quibuſlibet rebus è villa, & Scotis fuga ſaluatis, ſignum dedit mouendi exercitum penes villam. Ad quam cum veniſſent, nihil præter domos vacuas inuenerunt, & non tantum vacuas, ſed omne ſtramentum tectorum depoſitum propter incendium & detractum. In nocte vero Paſchæ fecit exercitum in paludibus propter metum hoſtium armatum pernoctare, ſed ſuperueniente niue, & intollerabili frigore, perdidiſſe fertur (vt taceam de hominibus exanimatis) per frigus amplius quingentis equis. Scoti vero ſemper prudenter agentes ſe ſubtraxerunt, & in nemoribus vel vltra mare Scoticum delituerunt, nolentes bellum inferre noſtratibus. Sed experimentaliter cognoſcẽtes noſtros illis in locis, & illo tempore

pore

Digitized by Google

pore ſine gladio, ſine certamine, frigore, & inedia perituros. Quod & factum eſt: nam plures ſine ferro perierunt, plures per irruptiones Scotorum vel captiuitaꝫ vel mortem incurrerunt. Vt viderentur ergo boni ductores, dux & frater eius volentes pabulatum exire prohibuerunt, exeuntes aſcenſis velociſſimis equis perſecuti ſunt, & cum lanceis præacutis non plus parcentes eiſdem quam hoſtibus, percuſſerũt, vulnerauerunt, perforauerunt, & occiderunt plures ex Anglicis quam hoſtib. perimentes. Tandem parum damni infer[illegible]s hoſtibus præter incenſionem villarum paucarum, cum imprecatione cunctorum borealium, id eſt, Northumbrenſium cum magno quidem ſupercilio ipſi domini, ſed mediocres, egentes, anguſtiati, afflicti redibant. Poſt quorum diſceſſum, mox erumpentes Scoti in partibus borealibus, prædas egerunt, & plura damna per combuſtionem villarum fecerunt, quam noſtrates intulerant ante illis. Et factum eſt, vt in hac expeditione non minus perderet & regnum in effuſa pecunia, in turba virorum perdita, in amiſſa ſubſtantia, quam anteactis expeditionibus per annos multos factis noſcitur perdidiſſe.

Parliamentum apud Salisbury.

Exacto tempore Paſchali, id eſt, poſt quindecim aut paulo plures dies poſt Paſcha conuenere citati proceres apud Saliſbury, ad Parliamentum celebrandum. Quidam de ordine Carmelitarum frater, bacularius in Theologia, Hibernicus genere, infauſta hora properauit. Hic namq; quandam ſchedulam dictauerat, & conſcripſerat, in qua plura enormia machinamenta per Ducem Lancaſtriæ (vt aſſeruit) excogitata fuerant exarata. Contenta ſiquidem in illa fuerunt, quod dux ſtatuerat Regem repente oppreſſiſſe, regnumq; occupaſſe. Deſignauit tempus, locum & cetera, quæ huius rei facere poſſent argumentum. Obtentoq; aditu ad regale colloquium, porrexit ſchedulam, iurans in ſacramento corporis Chriſti, quod ipſe eodem die celebrando confecerat, nullum verbum fore falſum, quod in ſchedula ſcripſerat, monuitq; ne audirẽtur ducis excuſationes, quia perſubtilia (inquit) verba hac die quidem iudicium differet, & ſi fugerit in ſpacio miliarii populum contrahet, & quo plus facultatis obtinuerit recedendi, tanto materiam obtinebit maiorem fortitudinem congregandi, & ita efficietur vel hoſtis publicus, vel doloſe reconciliabitur tibi regi. His auditis, rex puer non dominos, non pares regni, ſeu qui ſenſu vigebant in regno, ſed conſuetos conſiliarios ſuos, duos videlicet capellæ ſuæ clericos, Nicholaum Slake, & quendam alium ſuper tantis conuenit negotiis, vt diſcernant quid in tali articulo ſit agendum. Inter tractandum more ſolito dux intrauit, nihil volens aduerſi, omnino neſciens quid tractarent. Quem cũ rex toruo vultu reſpexiſſet, nec vt ſolebat, honorem impenderet, dux æſtimans aliquid latere in mente Regis, quod perſonam ſuam tangeret, ſe ſubtraxit. Interea duo dicti Regis conſiliarii fortaſſis metuentes ducis dominationem, vel affectantes amorem, conſulunt, vt omnibus viis & modis ducem accerſat, & ipſe cum conueniat ſuper iſtis. Vocatus eſt tandem Dux à Rege, & ſchedula ſibi tradita ſupradicta, quam vt perlegerat, ſuſpirans, ait ad Regem: Heu (inquit) domine mi, cur fidem datis talibus delatoribus? cur de mea perſona talia opinamini? Nonne ſum auunculus veſter? Nonne tutor extiti? Nonne poſt vos principalis in regno? Quid mihi ſuaderet vos prodere vel certe necare, qui nihil lucri reciperem de veſtra morte? Nunquid hoſtes veſtri me ditiorem facerent in terra ſua, quam effectus ſum in terra veſtra & in natali ſolo? aut ſi regnum affectarem, credendumne eſt poſt veſtram interfectionem (quod abſit) dominos huius regni æquanimiter ferre me poſſe, domini mei & patrię proditorẽ? Deſiſtite (ſi placet) fidem dare talia referentibus, quia paratus ſum more militis cõtra quemcunq; mundi mihi in hac cauſa aduerſantem pugnare, & meã innocentiã defendere & purgare. Cumq; hęc & his ſimilia plura pro ſe dixiſſet, credidit Rex ipſi duci, & ſuſcepit excuſationes eiuſdem. Dux vero rogauit regẽ, vt frater ſupradictus in cuſtodia teneretur vſq; ad diem, quo cauſam diceret horum, quæ propoſuerat contra eum. Et rogauit ſpecialiter, vt dominus Iohannes Holand eius cuſtodiam obtineret. Erat iſte Iohannes Holand frater regis ex parte matris, filius ſcilicet quondam domini Thomæ Holand, qui libenter propter amorem ducis fratris cuſtodiam acceptauit.

Interficitur frater Carmelita.

In ipſa nocte, quæ præceſſit diem datum ſuæ reſponſioni, idem Iohannes & quidam alius miles, dictus Henricus Grene, apprehendentes fratrem, & mittentes funem in collo eius, & eadem reſte nectentes eius genitalia, ſuſpenderunt à terra, imponentes ſuper ventrem eius lapidem tantę ponderoſitatis, qui & torqueret eum per diſtrictionem verendorum, & eius guttura ſuffocaret, confringeretque ſpinam dorſi eius, vt nõ tantum vno ſupplicio, ſed tribus tormentis vitam finiret: qua iniuria fra-

ter

rer occubuit ſuperatus. In craſtino fecerunt fratris corpus exanime per villam detrahi more proditoris, vt ſuſpicionem tollerent illatæ ſibi mortis iniuſtæ. Et mirandum, quod non armigeri, non valecti, non garciones, nec inferioris ſtatus viri quicquam mali voluerunt inferre fratri, ſed milites hæc fecerunt. Ipſi iudices, ipſi miniſtri, ipſi tortores extiterunt. Et hic fructus parliamenti præſentis, excepto quod Rex petiit & obtinuit de laicis quidem medietatem vnius, (vt vſu vulgari loquar) quintæ decimæ, de clericis vero vnius decimæ medietatem. Et præter hoc, quod dominus Wilhelmus la Zouche, quamuis grauiſſima detineretur ægritudine, accerſitus erat ad parliamentum prædictum, ad ſtandum iudicio Regis & dominorum, quia idem frater eum velut inuentorem, inceptorem & incentorem dixerat omnium quæ ſcripſerat extitiſſe. Qui cum veniſſet lectica delatus, quia propter guttam equitare non poterat, compulſus eſt diſcinctus, & diſcooperto capite ad hęc omnia ſibi obiecta, more latronum vel proditorum reſpondere. Qui viriliter negauit obiecta ſacramento firmans hæc nunquam audiſſe, vel huiuſcemodi cogitaſſe, & ita demum abſolutus eſt, & domum redire permiſſus, factus non ſolum illius ordinis, ſed cunctorum ordinum fratribus inimicus. Sunt qui dicunt cratem ſiccam, ſuper quā fratris corpus tractum erat reuiruiſſe, floruiſſe & folia produxiſſe, & quendam cœcum ad eandem cratem lumen amiſſum recepiſſe, ſed ſi vere id aſſeuerauerint vel amore, vel odio perſonarum nondum ſcitur. Ferunt etiam, quod dominus Thomas de Wodſtoke frater Ducis irruperit in cameram qua rex erat, & terribiliter iurauerit, ſe oppugnaturum vel occiſurum quemlibet, qui proditionem imponere vellet fratri ſuo duci, nullum excipiēs, non ipſum regem quidem. Vnde Rex turbatus, nec contramutire quidem auſus eſt. Quod factum capitale fuiſſet, ſi rex habenas regni rite rexiſſet.

Mirabile.

Irruptio Scotorũ.

Circa idem tempus, quia Scoti varia damna Northumbrenſibus inferre non ceſſabant, Comes Northumbriæ, dominus Henricus Percye, Scotorum regnum parat ingredi, & damna pro damnis illis reddere, & iniurias illatas ſuis patriotis vlciſci. Quibus ita geſtis, cum reuerſus fuiſſet Comes, & exercitum dimiſiſſet, reuertuntur Scoti, & damna damnis in patria cumulant, vnde dictum comitem multipliciter irritarunt. Eratque per totam æſtatem vtriuſq; gentis euentus varius, dum nunc illi nunc noſtri proprijs damnis addiſcerent, quanta mala pariat diſcordia, quanta pericula lis inter regna. Hac æſtate dominus Iohannes Philpot miles, & ciuis Londoniarum nobiliſſimus, qui pro regno regnique commodo plus omnibus laborauerat, & expenſis & affectu ſæpius regem regnumque releuauerat, conceſſit in fata, neminem in huiuſcemodi affectibus relinquens ſuperſtitem ſibi parem.

I. Philpots mors.

Dux Lancaſtriæ Franciam proficiſcitur pro treugis.

Prope menſis Auguſti principium, Dux Lancaſtriæ profectus eſt in Gallias, ad tractandum cum Francis de pace vel treuga, quarum tractatus ſemper damnoſæ Anglicis, & promiſſiones infructuoſæ fuerunt. Igitur Dux ibidem cum numeroſo nobilium comitatu diu perhendinans, cum iocunda noua patriæ putaretur afferre, reuerſus eſt cum denuntiatione belli anno futuro prima æſtate, treugas tantum habens vſque ad primum diem menſis Maij. Sicque reuerſus eſt in terram iſtam, poſtquam expendiſſet (vt dicitur) quinquaginta millia marcarum argenti.

Proceſſus & iudicium in Iohannem de Northampton olim Maiorē Londonia.

Eodem tempore (rege vocante) congregati ſunt multi de nobilibus regni apud Rading, dum adhuc dux ageret in remotis, ad compeſcendum ſeditioſos motus Iohannis de Northamptonia nuper Maioris Londoniarum, qui ingentia facinora niſus eſt, de quibus & conuictus eſt ibidem, ſuo familiari clerico eum accuſante, & molitiones plurimas per ipſum excogitatas, tam in damnum regis, quā totius ciuitatis Londoniarum obijciente. Cumque ſententia ferenda eſſet in eum rege præſente, reclamauit improbus, & aſſeruit, tale iudicium non debere fieri in abſentia domini ſui ducis. Quo verbo ſuſcitauit ſuſpicionem ſiniſtram tam vulgi quam procerum contra ducem. Tamen ex proceſſu iuris Iuſtitiarius huiuſmodi verbis vſus eſt: Iohannes (inquit) ſcelera quæ tibi obijciuntur, debes duello refellere, vel per iura regni tractioni, ſuſpenſioni & quarterizationi ſubiacere: cumque mutus ſtaret, nec vllum verbum vellet ædere, decretum eſt, vt perpetuo carceri traderetur, & eius bona regijs vſibus confiſcarentur, & vt Londonias non appropinquaret per centum miliaria in vita ſua. Deſtinatus eſt igitur ad caſtellum de Tyntagel in finibus Cornubiæ conſtitutum, & interim miniſtri regis velut Harpiæ bonis illius incubabant. Et hic finis pro tunc proceſſus contra eum facti.

De miraculo facto in die S. Oſwini regis.

Prope dies iſtos, id eſt, viceſima die menſis Auguſti, quo die videlicet celebratur paſſio S. Oſwini regis & martyris, in nouo caſtro ſuper Tynam apparuit nouum & inau-

inauditum noſtris diebus prodigium. Duo nempe nautę ad reſarciendum nauē ſuam quoddam lignum dolare ſatagentes die prædicto, dum alter illorum ſecuri dictum lignum percuſſiſſet, ſanguinem repente de ligno prædicto, tanquam de pecude vbertim ſtupuit emanaſſe. Perculſus ergo formidine magna de tanta renouitate diu hæſit: tandem recordatus diei ſancti Oſwini, cuius ſolemnitatem infeſtauerat, vouit ſe nihil vlterius eo die in æternum facturum operis manualis. Quod audiens eius ſocius & miraculum paruipendens, iurat ſe dolaturum dictum lignum, & eo die loco præordinato poſiturū. Cumq; & ipſe lignum percuſſiſſet, vidit ſanguinē abundantius effluentem in parte percuſſa. Induraturus tamen lignum vertit, & inſiſtit operi alia parte ligni, ſed nec ibi defuit miraculum prę oſtenſum. Nam & ibi ſanguis tanquam è boue vel vacca decurrit. Giratur lignum ad quatuor partes, omni parte pcutitur, omni parte fluit cruor. Quod cernens qui prius improbe ſignum contempſit, ad deuotionem ſe conuertit, & deinceps eo die ab omni opere manuali ſpondet ſe ceſſaturum. Iſtud miraculum à multis viſum, & quibus incumbebat, approbatum, teſtimonium magnum reddit ſanctitati & excellentiæ martyris ſupradicti.

Eodem anno die ſextadecima menſis Auguſti, ſero & per noctem ſequentem audita ſunt in Anglia perhorrenda tonitrua, & viſa fulgura terribilia, quæ mortales multipliciter terruerunt. In craſtino vero poſt meridiem quaſi per horam facta eſt eclipſis Solis, & coniunctio ſimul, aſpicientibus eas multis. *De Eclipſi ſolis.*

Eodem anno circa feſtum ſancti Martini factum eſt Parliamentum Londoniis, in quo (prout iam à multis conſueuit temporibus) nihil dignum memoria fuit actum, præter illud, quod ſedulo actitabatur extortio, videlicet pecuniæ, de clero & communi plebe ad ſuſtentationem militibus guerræ regalis, & præter hoc quod duellum commiſſum eſt infra liſtas, inter quendam armigerum Anglicanum, & quendam de Nauaria, qui accuſauerat dictum armigerum (cuius nomen erat Iohannes Walshe) de proditione regis & regni effectualiter: tamē non erat proditor, ſed inuidebat ſibi, eo quod cum eſſet idem Iohannes ſubcapitaneus de Cherburgh, oppreſſerat vxorem dicti Nauarienſis, prout idem Nauarus expoſt ſuperatus ab eodē, & moriturus publice fatebatur. Ob quā cauſam idē Nauarus regali iudicio (qui ad ſpectaculū duelli cum principibus regni ſui conſederat) tractus & ſuſpenſus eſt, quanquam regina & plures alii pro eo preces ſedulas porrexiſſent. Nondum Parliamentum finitum fuerat, cum noua de partibus borealibus ſunt allata de captione caſtelli de Berwico per Scotos, cuius cuſtodiam comes Northumbriæ, dominus Henricus Percy auito iure poſſedit. Scoti namq; mediante pecunia, de quodam qui ſecundarie caſtri cuſtodiam tunc habebat, introitum caſtelli doloſe nacti ſunt. Quibus dux Iohannes cognitis lætatus eſt valde, quod materiam iam inuenerat nocendi dicto comiti, prout fertur. Factum eſt ergo duce procurante (prout dicitur) vt pro perditione dicti caſtelli regalis comes iudicium qui aderant optimatum, & regis ſententiam damnationis exciperet in eum publice promulgatam. Cuius executionis vindicta per Regem poſtea cito relaxata fuit, quamuis id Duci (vt dicitur) diſpliceret. Acta ſunt hæc decimo quarto die Decembris in eodem Parliamento, non obſtante, quod idem Comes ad dictum Parliamentum vocatus fuerat per breue regium, & ad cuſtodiam ſuæ patriæ morari maluiſſet. Hæc idcirco cauſa inter ipſum Ducem & Comitem poſtea iræ & odii fomitem miniſtrauit. *De Parliamento Londinii. & duello in eodē. & condemnatione comitis Northumbriæ.*

Comes Northumbrorum taliter adiudicatus, ſed indulgentia regis vitæ poſſeſſionibuſque reſtitutus, nullas moras nectens, omnem apparatum belli præparat ad obſidendum dictum caſtrum, & expugnandum eos, qui in eo erant. Et cum populoſum exercitum congregaſſet, & vtenſilia comportaſſet expugnationi neceſſaria, repente caſtrum obſidione vallauit. Tandem cum ibidem moram traxiſſet aliqualem, conuentum eſt inter obſidentes & obſeſſos, vt ipſi obſeſſi caſtellum relinquerent, & vita gauderent, & mobilibus bonis ſuis, & pro redditione caſtelli reciperent ab eodem Comite duo millia marcarum Anglicanæ monetæ. Et hoc modo recepit Comes caſtellum de Scotorum manibus, doctus prudentius in futurum ſua fortalitia cuſtodire. *Comes Northūbriæ capit caſtellum de Baruuico.*

Hoc anno Dux Andegauiæ poſt longam & procul poſitam à patria peregrinationem, poſt opum indicibilium & expenſarū profuſionem, poſt magnatum ſuorum morte periuntiū amiſſione, ſpe ſua fruſtratus, decidit in lecto ęgritudinis & ſimili ſorte periit, in magna mentis amaritudine moriens in terra aliena. Sicq; factum eſt, vt cui non placuit fortuna ſua, dum ad dignitatem aſpirat regiā, ducatus amiſit honorem, & *Nota de Papa Vrbano.*

non ſolum ambitioſus moriens, ſed etiam excommunicatus vitam finiuit. Qui remanſerunt de eius exercitu veſpillones & latrones facti, non ſolum regnum Siciliæ, ſed & alias regiones in giro poſitas, impleuerunt cædibus & rapinis. Et hic factus & fructus totius apparatus ducis Andegauiæ regnum Siciliæ meditantis conquirere, & Papam Vrbanum ſuppeditare conantis. Tranſit annus iſte quo ad Gallos pacificus, ſed Anglicis nociuus Scotorum irruptionibus, frugum fertilis, ſed fructuum neque omnino ſterilis, neq; fœcundus: in hac quidem terra ſeditionibus turbulentus propter motus inordinatos Londinenſium volentium Iohannem de Comberton ad dignitatem priſtinam reuocare, & propter occultum odium inter dominos ſuſcitatum, prout in geſtis ſequentis anni patebit.

Annalis concluſio.

De morte Iohannis Wiclif.

Anno domini milleſimo treceenteſimo octuageſimo quinto, qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi octauus, fuit idem Rex ad natale cum Anna regina, quam raro vel nunquam lateri ſuo deeſſe permiſit, adfuerunt & Boemi patriotæ reginæ, qui guſtata dulcedine terræ, propriæ regionis obliti, inuerecundi & illæti hoſpites repatriare nolebant. Die S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi martyris organum diabolicum, hoſtis Eccleſiæ, confuſio vulgi, hæreticorum idolum, hypocritarum ſpeculum, ſchiſmatis incentor, odii ſeminator, mendacii fabricator, Iohannes de Wiclif, dum in S. Thomam (vt dicitur) eodem die in ſua prædicatione quam dicere præparauerat, actiones & blaſphemias vellet euomere, repente iudicio Dei percuſſus ſenſit paralyſim omnia membra ſua generaliter inuaſiſſe. Os nempe quod contra Deum & ſanctos eius ſiue ſanctam Eccleſiam ingentia locutum fuerat, à loco ſuo miſerabiliter diſtortum, horrendum cernentibus ſpectaculum exhibebat, lingua effecta muta confitendi vel teſtandi copiam denegabat, caput tremulum maledictionem quam diuinitas in Cayn fulminauerat, in ipſum latam etiam patulo demonſtrabat. Et vt nulli veniret in dubium eum Cayn conſortio deputandum (vt ferunt hi, qui affuerunt morienti) per ſigna forinſeca moriens deſperauit: & quidem totius malitiæ ſuæ concluſio talis erat.

Rumores monachorum de morte Wiclif.

De domino le Bourſer, & eius neceſſitatibus apud Gandauum.

Dominus Edwardus le Bourſer per hos dies miſſus eſt Gandauum cum armata manu, vt Gandauenſibus præeſſet more capitanei. Illis quidem à Rege hoc inſtanter petentibus, & ſibi fidelitatem promittentibus ſub iuriſiurandi atteſtatione, vbi quam prudenter Gandauenſes rexerit, quam circumſpecte res belli tractauerit, & nobis ſilentibus hoſtes ſui, videlicet Gallici fatebuntur. Nam in ipſo aduentus ſui principio ipſo duce Gandauenſes tria millia Gallicorum deuicerunt, & ex illis quoſdam ſugauerunt, nonnullos ceperunt, plurimos occiderunt, & præter reliquam prædam quadringentos equos hoſtium abduxerunt. Gallici proinde multipliciter exaſperati cunctos captiuos, quos inter ſe tenebant, enormiter mutilantes, effoſſis oculis, & amputatis manibus & variis modis læſis irreſtaurabiliter domum ad commouendum corda Gandauenſium remiſerunt. Quibus viſis Gandauenſes commoti, voluerunt militibus & armigeris, quos de Francis (vt diximus) viuos ceperant, eadem ſupplicia irrogaſſe. Quibus conatibus obſtitit dominus le Bourſer dicens, id non debere fieri viris, qui iure belli capti, ſe ipſos pro ſaluatione vitæ ipſorum fidei reddidiſſent, ſi vero in futurum quoſcunq; Gallicos poſſent violenter intercipere, hos dixit ſe bene permiſſurum tali modo mutilatos vt Gallias mitterent, & ſimili ſorte Gallicos ſalutarent. Quod paulo poſt factum eſt ipſis ſibimet obuiantibus, & Gandauenſibus victoriam reportantibus ipſo duce.

De diſcordia inter Papam & regem Siciliæ, & degradatione ſex Cardinalium.

Sub præſenti tempore commota eſt vniuerſa Sicilia, commota eſt & tota Romana curia commotione magna, qualem per ante nunquam ſenſerat vel tollerauerat, cuius cauſam inferius deſcribemus. Cum dominus Papa (vt ſupra retulimus) dulcedine natalis ſoli illectus, Romanos decepiſſet ſuo repentino receſſu, & Neapolim appropinquaſſet: Carolus Rex Hieruſalem & Siciliæ, qui vocatur à multis Rex Neapolis, cepit inopinato Papam in lecto ſuo, & per octo dies in priuato loco ſecum tenuit, & eum tam ſecrete ſeruauit, vt ignoraretur à Papalibus famulis, quonam illorum dominus deueniſſet. Quam quidem detentionem Papa vocauit expoſt incarcerationem. Hac ergo de cauſa grandis diſſentio creuit inter Papam & Regem, & etiam inualuit in alterutrum odium eorundem. Regina vero Neapolis non mediocriter dolens de tanta diſſentione, appoſuit vires omnimodas pro pace reformanda, & beneuolentia redintegranda inter illos, ad cuius inſtantiam commẽdabilem quamuis foret difficile, facta eſt pax, Rege iuramentum edente, & obligationem faciente de nunquam delinquendo contra Papam verbo vel facto. Ex parte vero Papæ Cardinales cum Romanis obligauerunt ſe Regi pro Papa in centum millibus florenorum.

Quod

Quod videlicet dominus Papa ſeruaret conditiones factas inter illos, inter quas conuentiones conuentum eſt inter Papam & regem, quod dominus Papa prǣſtaret auxilium ad cuſtodiendum ciuitatem Neapolim. Quibus firmatis dominus Papa eruce ſignauit regem ſuis manib. & conſortauit eum ad bellandū inimicos eccleſię, & campum tenendum contra eos. Rex itaq; progreſſus tenuit campū contra dictos aduerſarios per 8. menſes: ſed mox poſt receſſum regis Papa tranſtulit ſe cum tota curia ſua ad villam, quæ Luceria nominatur, & infregit conuentiones & pactum initum inter illos. Regina proinde Neapolis dedit mandatum ciuitatibus & caſtellis, vicis & villis, & omnis conditionis hominibus, ſub pœna mortis, ne victualia Papæ aut curialibus ferre præſumerent, & omnem illis ex omni parte interdixit commeatum. Nec ſolum tunc inter Papam & Siculos orta eſt diſcordia, ſed inter ipſum & Romanos propter pacta quæ pepigit, & miſit eiſdem ſub bullis ſuis plumbo ſigillatis. Iuramento & iam firmauerat iiſdem Romanis, & ſpoponderat ſe redditurum & moraturum inter eos: ſed tamen nihil impleuit ex omnibus quæ promiſit. Quibus de cauſis Romani illum falſum reputabant, & publice proclamabant.

Eodem tempore 3. idus Ianuarii orta eſt grauis diſſentio inter Papam, & quoſdam de collegio Cardinales, qui intrauerunt ipſo die (prout moris erat) Papale palatium, vocati prius ab eodem, ignorantes ſiquidem intentionem Papæ, conſiſtorium ſunt ingreſſi, vbi Papa inopinato propoſuit & obiecit in conclaui ſex Cardinalibus conſpirationem in mortem ſuam, & affirmauit eoſdem triginta articulos hæreſis voluiſſe ſibimet impoſuiſſe, & comprobaſſe eum deprauatum fuiſſe hæretica prauitate. Cardinales mox attoniti, vnus poſt alium iurauerunt ſe nunquam talia cogitaſſe. Papa nihilominus ſine proceſſu facto comprehendi fecit eoſdem & incarcerari, & expoſt quæſtionibus contorqueri, quorum quidem nomina Cardinalium iſta fuere. *De diſcordia inter Papā, & quoſdam de collegio.*

Cardinalis de Venetia, Cardinalis de Anglia, Cardinalis de Ianua. qui omnes erant viri venerabiles & religioſi, & maximæ opinionis in vulgo, & ſacræ paginæ profeſſores: trium reliquorum nomina fuere iſta, Cardinalis Zang. Cardinalis Corſienſis, & Cardinalis Tarentinus, qui fuerunt valentes, & de magno genere, & ex eis duo doctores legum. Igitur poſtquam torti fuiſſent (vt præfertur) dicti Cardinales confeſſi ſunt (vt dicitur) delictū ſuum ſiue conſcientia ſtimulati, ſiue pro carendo pœnarum acerbitate. Cardinalis tamen Angliæ nihil fatebatur præter id, quod dixiſſet, Papam eſſe nimis ſuperbum. Proximo die dominico ſequente Papa compelli fecit curiales & laicos de villa & caſalibus in circuitu, ad veniendum in caſtellum, quibus ingreſſis portas claudi fecit, ne quis exiret, donec ipſemet prædicaſſet. Aſcendit igitur turrim altiſſimam, ſecundum portā etiam prædicare cæpit, plebe ſedente exterius ſuper terram in magno frigore & eſurie, donec eſſet fere hora veſperarum, in qua prædicatione mouit multas rationes, inter quas dixit, quod Cardinales prędicti cōfeſſi fuiſſent ſe adinueniſſe articulos ſupradictos, & conſpiraſſent in mortem ſuam tali modo: videlicet, quod Rex cum ſua comitiua cepiſſet, eum ſubito & depoſuiſſet, vel certe peremiſſet. Dixit etiam, quod iſta omnia fuerunt demonſtrata ſibi reuelatione diuina. Longum eſt autem & tædioſum fabulas inſerere quas narrauit. Inter quas dixit, quod Cardinalis Reatinus quondam factus per eundem, ſed diu ante depoſitus, fuit inceptor & inuentor dictorum malorum contra eum, qui etiam diu ante fuit excommunicatus ab eo. Qui Reatinenſis iudicio populi vir ſapiens & circumſpectus reputabatur, & erat doctor legum apprime eruditus: & quamuis Papa priuaſſet eum, erat tamen maximæ æſtimationis in conſilio, & inter conſiliarios Regis Caroli ſupradicti. Præterea Papa retulit in illo ſermone, quanta fecit pro Rege dicto, & Cardinalibus memoratis, & vt promouerit eos de puluere & de terra, & quot gratitudines oſtendiſſet Regi & Reginæ, & Cardinalibus ſępedictis. Poſt finem vero ſermonis Papa cum Cardinalibus non priuatis, erecta cruce, & accenſis candelis excommunicauit regem Carolum & reginam, Antipapam & anticardinales, Abbatem montis Caſſini quondam Reatinenſem Cardinalem, & prędictos ſex quondam Cardinales, & omnes conſiliarios, & adiutores vel fautores eorum verbo vel facto, & omnes comedentes aut bibentes cum eiſdem, & interdixit ciuitatem Neapolitanam, ne ibidem celebrarentur, aut fierent ſacramentalia vel ſacramenta: & vna cum his extinxerunt candelas ſuas, & extra iecerunt inter plebes. Quibus expletis tumultus magnus excreuit in tota Luceria, & patria in circuitu conſtituta, & malefactores diſcurrere cæperunt, & deſpoliare quoſcunq; poterant ſuperare. *Nomina Cardinalium degradatorum.*

De malis quæ irrogauerunt vagales peregrinis poſt datã ſententiam.

Eodem die poſt ſolis occaſum malefactores peremerunt quendam Anglicum procuratorem, & nuntium cuiuſdam Clerici Regis Angliæ, dictum Iohannem Aleyn, dum ire diſponeret ad hoſpitium ſuum, & deſpoliauerunt eum. Quapropter omnes, qui ſequebantur Curiam, colligatis ſarcinis reliquerunt ibi eſſe, & ad villam, quæ citra eſt conſtituta dicta Caſtelmare properare cæperunt viri amplius quam ſexcenti: ſed tamen deprædati fuerunt in ipſo itinere, & amiſerunt amplius quam quadraginta onera aſinorum: vt autem Papa cognouit tantam miſeriam, & procinctum itineris peregrinorum & aliorum curialium, ſummoneri fecit omnes Anglicos ad veniendum ad eius colloquium, vt videlicet commorati fuiſſent in caſtello ſuo, & cuſtodiſſent illud ſub pœna excommunicationis omnium beneficiorum ſuorum. Non tamen voluerunt ex Anglicis expectare cum eo viri aliqui nominati, præter Epiſcopum Bethleemenſem, & magiſtrum Henricum Bowet, & alios circa duodecim.

Redit rex Carolus.

Septimo Calend. Februarii venit Carolus rex Neapolim ſtipatus turba magna, cui ciues & milites exierunt obuiam cum ingenti lætitia, & deduxerunt eum in caſtellum ſuum. Proximo die Sabbati ſubſequenti Papa in publico conſiſtorio educi fecit dictos ſex Cardinales priuatos, vbi fatebantur publice dictos articulos & obiecta de conſpiratione contra Papam: ſed tamen Cardinalis Angliæ nihil fatebatur, niſi ſicut prius, ſcilicet quod intollerabilis erat faſtus Papæ. Credebatur tamen eos voluiſſe longe aliam feciſſe confeſſionem, ſi fuiſſent è carcere liberati: ibi tunc Papa iterum excommunicauit eoſdem, & priuauit & regem & reginam. Cumq; rex hæc vniuerſa cognouiſſet, relatione veridica iratus eſt valde. Et quarto die ſequenti miſit illuc magnam turbam hominum bellatorum, quibus præpoſuit Villænocheum & Amiralium, cum tota poteſtate ſua. Qui confeſtim cæperunt deſtruere caſalia & villas in circuitu Luceriæ conſtitutas, & capere cunctos quos poterant, qui cum Papa tenebant, aut cum Principe Capuano, qui erat conſanguineus Papæ, & compellere eos ad redemptionem. Proxima ſexta feria ſequente obſederunt villam de Luceria, & inſultum fecerunt ex vtraque parte plurimi vulnerati. In craſtino, id eſt, diei Sabbati, fecit Rex congregari totum conſilium Cleri Neapolis, ad quærendum, ſi interdictum foret timendum: cui poſt tractatum diuturnum clerus reſpondit, interdictum non fuiſſe factum bono ſenſu & bona deliberatione, nec in iure ſacroſanctæ Eccleſiæ, ſed potius captioſe, & ideo non fuerat metuendum. Die Lunæ proximo ſequente regalis exercitus cepit villam de Luceria, & concremauit illam. Cepit inſuper vlteriorem cuſtodiam, quam wardam vocant, caſtelli Papæ & gardinum eius. Tandem metuens ſibi Papa, miſit ad Regem nuntios pro concordia & pace reformanda. Sed Rex multipliciter exaſperatus, reſpondit Papam fore falſum, & ſemper conuentiones factas inter eos infregiſſe, & nullum ex pactis omnibus cuſtodiſſe, & ideo nolle ſe de cetero credere ſuis ſponſionibus fraudulẽtis. Demũ tamen intercurrentibus viris illuſtribus & bonis, concordati ſunt ſummus Pontifex & Rex magnus, & Papa dimiſſus propriæ libertati.

Conuocatio cleri Neapolis.

Cauſa de Bury.

Cauſa monaſterii ſancti Edmundi de Bury, pro qua multotiens multi verſus curiam Romanam laborauerant, huiuſcemodi finem cepit. Papa laudabili inſtantia ambaſſiatorum conceſſit & permiſit, vt ad nouam procedentes electionem, ſatagerent eligere monaſterio dignum patrem, quanquam iamdudum Iohannes de Tymworth per prouiſionem ſibi factam Abbathia aliquanto tempore fuiſſet gauiſus. Miſit ergo fratribus, mouens vt eundem Iohannem Tymworth (ſi poſſet fieri) præ ceteris eligerent in paſtorem, cuius conditiones per ante Papæ commendauerant in immenſum. Ceſſauitq; Papa tam benedictionem, quã perceperat ab Epiſcopo Landauenſi, quam electiones & prouiſiones de eo vel ſibi factas, vt electio iuxta poſtulata poſſet eſſe libera & quieta: delegationem vero ad ratificandum, quæ in hac parte ſecundum iura fierent, & munus benedictionis impendendum electo commiſit Magiſtro Roberto Braybrok Epiſcopo Londonienſi, qui accedens ad locum adimpleuit officium, & eiuſdem Iohannis Tymworth, quem iterum cõuentus elegerat in Abbatem, ratificauit electionem, & benedixit eundem in eadem Eccleſia cum ſolemnitate magna in die S. Albani Anglorum prothomartyris.

Diſcordia inter regem & ducem Lancaſtriæ orta.

Per idem tempus in Anglia orta eſt duci Lancaſtriæ inquietudo grauiſſima, iuuene rege & iuuenibus eius complicibus, in mortem illius conſpirantibus. Conuenerunt nempe inter eos, vt eum ſubito areſtatum iudicio ſiſterẽt coram Iuſtitiario Roberto Tryſilian, qui manu ceperat audacter in eum laturum ſententiam iuxta qua-

litatem

Digitized by Google

litatem criminum ſibimet obiiciendorum. Sed dux præmonitus à quodam de conſilio, & propriæ ſalutis non negligens, prudenter ſe ſubtraxit, & ad caſtellum ſuum de Ponte fracto quantocyus properauit, quod & armis & victualibus affatim communiuit: vnde factum eſt, vt iam non tantum occaſione diſſentionis huius in priuato, ſed etiam in publico inualeſceret odium in alterutrum, & iamiam timebatur adfuturum, quod communes diu affectauerant, diſcordia videlicet inter eos, ac per hanc licentiam impune diſcurſandi & graſſandi, ſicut olim quando communes non principati ſunt, ſed debacchati ſunt. Sed tantum diſcrimen regni ferre non ſuſtinens domina Iohanna mater Regis, quamuis tenera foret & delicata, & præ corporis ſui ſaginâ ſemet ipſam vix portare valeret, neglecta tamen corporis ſui quietudine, laborioſum iter, nunc ad regem, nunc ad Ducem gratis aſſumpſit, nihil parcens expenſis, nihil humilibus precibus, donec voti compos effecta inter eoſdem pacem & concordiam reformaſſet.

Coniunctio Iouis & Saturni.

Eodem tempore coniunctió duarum maximarum Planetarum facta eſt, videlicet Iouis & Saturni menſe Maio, quam ſecuta eſt maxima regnorum commotio, prout patebit inferius, cum attigerit ſtilus locum.

De apparatu regis Franciæ volentis Angliam inuadere.

Sub eadem tempeſtate rex Franciæ cum ſuis Gallicis exitium, quod Anglorum regno diu per ante excogitauerat, effutire parat. Et congregatis ratibus vndecunque atq; conductis apud Scluſam, in anchoris ſtare præcepit. Ergo illuc omnis ætas apta bello iuſſa venire equos adducit, arma comportat, victualia congerit, & cuncta neceſſaria tantæ profectioni deponit. Auditur in Anglia rumor iſte ſcilicet ſexcentarum nauium illuc dirigendarum, cum exercitu infinito, qui totum regni ſolum ſicut locuſtæ repleret, & illico (quaſi nulla ſpes ſalutis eſſet) non ſolum plebani, ſed & ipſi milites olim exercitati, ſed modo effœminati: olim animoſi, ſed modo meticuloſi: olim cordati, ſed nunc excordes & eneruati, trepidare cœperunt, & non de reſiſtentia, non de bello modo, ſed de fuga vel deditione tractabant. Miſſus eſt inſuper Hertfordenſis Epiſcopus cum nonnullis aliis reuerẽdis nuntiis, vt eum Francis componat, vel certe dilationem belli reportet. Qui deriſus à Gallicis, treugas reportat non nobis vtiles, ſed ad duos menſes, videlicet donec illi ſe poſſent commodius præparare, adiectis conditionibus, quod nec illi terram iſtam, nec noſtrates terram ſuam ingrederentur hoſtili modo per tempus prædictum. In mari tamen liceret eis nobiſq; prædas agere, hoſtiliter accitare. Videbatur interea Anglia reſpirare, quod non ſtatim hoſtili gladio ſubiicienda foret. Interea præparatur nauigium ex cunctis portubus Anglicanis, conducuntur bellatores copioſi, præficiuntur eiſdem Admiralli, Magiſter hoſpitalis ſancti Iohannis, & Dominus Thomas Percy, frater ſcilicet Comitis Northumbrorum: qui per totum tempus æſtiuum obſeruaturi maris ſemitas, videntes frequenter claſſem Gallicam, nunc eos prætereuntem, nunc etiam deridentem, nihil omnino contra eos, qui in illo erant, agere ſtatuerunt, impediti vel priuata diſcordia, vel vecordia repercuſſi. Sed non ſic viri de Porteſmouth & Dortmouth, non ſic feriare decreuerunt, quos nullus conduxerat, nullus coemerat ad nocendum hoſtibus, ſed virtus propria ſtimulauerat, probitas innata ſuccenderat. Hi nempe nihil metuentes à facie multitudinis nauium, nihil formidantes occurſus hoſtium, cum parua manu pertranſeuntes Oceanum, in Sequanam nauigarunt, vbi ſine magna difficultate quatuor naues hoſtium demerſerunt, alias quatuor abduxerunt, cum bargia domini de Cliſſon, cui par non erat in Angliæ ſiue Franciæ regnis. In quibus vna ferrum & prædam aliam ſunt lucrati, quę merito auidiſſimi cuiuſque ſaturare poſſet auaritiam, & inopiam releuare.

De vecordia noſtratum in mari.

Terræmotus.

Hoc anno terræ motus factus eſt ante mediam noctem præcedentem diem Inuentionis ſanctæ crucis, ſignificans fortaſſis commotionem magnam, & profectionem, quæ poſtea cito facta eſt in terram Scotiæ per noſtrates.

Indignatio Regis contra Cantuarienſem Archiepiſcopũ, & quoſdam alios.

Eodem tempore rex ob leues occaſiones in tantam exarſit iracundiam contra Cantuarienſem Archiepiſcopum Dominum Wilhelmum de Courtney, vt eius bona temporalia iuberet auferri, & in manus ſuas ſeiſiri: factumque fuiſſet vt iuſſerat, niſi Cancellarius regni, Dominus Michael de Poole, eius conatibus laudabilius reſtitiſſet. Ob quam cauſam idem Cancellarius indignationẽ regiam vix euaſit. Prætermitto (quia longum foret ſcribere) verba cõtumelioſa, quæ rex iecit in vtrumque, quæ regale faſtigiũ non decerent. Taceo probra & opprobria, quæ dixit in dominum Thomam Triuet, quamuis (vt quidam aſſeruit) verum dixerit, vocando eum publicum proditorem: taceo verba proteruia & cõtumelioſa habita per eum contra domi-

num Iohannem Deueroux militem generoſum, qui verba pro Archiepiſcopo facere ſunt conati. Archiepiſcopus vero vt à præſentia regis eſt egreſſus, ſumpta cruce ſua, & conſuta ſub pannis eius ad pectus eius, paucis conſciis latenter ſe ſubtraxit, & latibula perquiſiuit, donec intercurrentibus viris timoratis, pax eſt inter eoſdem, & gratia reformata.

De aduentu Francorũ in Scotiam, & profectione regis contra illos.

Dominus Iohannes de Vienna, ſtipendiarius Regis Franciæ, per idem tempus peruenit in Scotiam cum magna multitudine nauium & hominum bellatorum, vt pariter iuncti Scotis totum regnum Angliæ infeſtarent, & vt dum ipſi potentiam regni ad illas partes attraherent & detinerent occupatam, Rex Franciæ cum ſuo nauigio & exercitu congregato, alias partes regni licentius poſſet ingredi, nemine videlicet (vel ſaltem paucis) domi dimiſſis, qui eius introitum prohiberent. Comperto in Anglia dicti Iohannis aduentu, & Scotorum ferocitate, qui iam fulti Francorum ſubſidio, nihil illis obſtare poſſe credebant, Rex & tota regni nobilitas ſe præparauit ad profectionem: expetunt ſeruitia conſueta & noua, non tam precãtur, quam timore poteſtatis extorquent. Fit concurſus ad regem iam primo ſuos aduerſarios debellaturum, militum, armigerorum, & arcitenentium noſtris ſæculis & regionibus inauditis, ita vt equorum numerus ad ſummam excreſceret trecentorum millium, prout æſtimauerunt quibus incumbit ſeruientes de armis. Lætatus eſt ergo Rex, vt veraciter lætari poterat de tam valentis exercitus numero & effectu, ac etiam de tam nobili apparatu ſuorum, & diutius gaudet de animoſitate, quam ſuis vidit ineſſe. Sed priuatum & publicum gaudium obnubilauit apud Eboracum cito ferocitas domini Iohannis Holand fratris Regis, qui dominum Radulphum de Stafford filium Comitis de Stafford occidit in via, dum pergeret ad Reginam, cuius familiaris erat miles, & ab eadem ſumma fuerat affectione dilectus. Erat non minus percharus ipſi regi, vtpote qui cum eo coaluerat, & ſodalis eiuſdem fuerat ab ætate primæua, quamobrem rex indignatus ſtatuit perſequi dictum Iohannem, non tam vindicare cupiens dolorem proprium quam comitis de Stafford patris eiuſdem iuuenis orbitatem. Confiſcari fecit igitur bona Iohannis de Holand, vt nulli veniret in dubium cum ex animo vindicare velle mortem iuuenis ſupradicti, quo facto, ſibimet conciliauit amorem Comitum de Stafford & de Warwike dominum de Baſſet, & omnium qui ipſi iuueni neceſſarii fuerant vel affines. Ipſe Iohannes iam fortunam mutatam intelligens fugit Beuerlacum, vt impunitate gauderet eiuſdem loci.

Cauſa mortis maternæ rex.

Audiens domina Iohanna mater Regis & eiuſdem Iohannis de Holand, & homicidium, quod filius ſuus fecerat, & vt Rex eum ſubiiciendum legis rigori iurauerat, mittit illico qui Regem adeant, maternas preces deferant, & filio pro fratre porrigant, exorent ne matris faciem pro tantilla petitione confundat, miſereatur fratris, miſereatur & matris, & ampliorem experiatur frater miſericordiam, quod frater ſuus ſit. Sed cum nuntii rediſſent Wallingfordiam, & mater filiorum nullam in hac parte à Rege conſecuta fuiſſet gratiam, nimia profecto grauata dolore lecto decumbit, & poſt quatuor aut quinque dies ſeculo valefecit, cuius corpus ceratis lintheaminibus inuolutum, & plumbo impoſitum, conſeruatum eſt Wallingfordiæ vſque ad regis regreſſum de Scotia, & tempus quo deberet Stamford inter fratres Minores honorifice tumulari.

Fulgura, tonitrua, & terræ motus.

Hoc anno ſeptimo die poſt tranſlationem S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & martyris, circa horam tertiam poſt nonam audita ſunt tonitrua, & viſa fulgura & coruſcationes iugiter per vnam horam, quę multorũ corda terruerunt, ex quorum ictibus quidam ſunt mortui, quidam irremediabiliter læſi multis in locis. Quarto die ſequente dictam tempeſtatem affuit terræ motus circa ſecundam vigiliam noctis, præſignans forſitan inanem commotionem vtriuſque regis, Angliæ videlicet & Franciæ, qui iam contraxerant inauditos exercitus, vnus verſus Scotiam, vt hoſtes arceret à regno: alter verſus Angliam, vt acquireret ſibi regnum.

Rex Angliæ equitat per totã terrã Scotiæ, & cõburit loca diuerſa.

Menſe Auguſti Rex Anglię cum potenti manu regnum Scotię eſt ingreſſus, cuius viribus Scoti & Gallici ſeſe cernentes impares, diuortia quærunt, nemora petunt, & ad latibula feſtinare contendunt. Ex quibus tamen frequentius latenter egreſſi, noſtros ignaros tam locorum quam inſidiarum ex inſperato inuadunt, perimunt, captiuos abducunt. Exercitus Anglicanus, quo nunquam pulchrior, nunquam fortior, numeroſior viſus eſt, equitat per terram habitatoribus deſtitutam, animalibus vacuatam, carentem victualibus, quæ omnia Scoti cum Francis præſcientes, aduentum noſtratum abegerant, abduxerant & aſportarãt, in tantum enim deſolata eſt terra, vt

noſtra-

noſtrates veraciter fatebantur, nec auem quidem ſe vidiſſe ibidẽ, bubonibus ſolummodo duntaxat exceptis, fruges ramẽ ibi pulcherrimas virides copioſas inuenerunt, quos vel in equorum pabulis conſumpſerunt, vel equorum pedibus deſtruxerunt. Ceterum hoſtibus bellum ſubterfugientib. nihil dignum relatu per noſtrates actum eſt amplius, niſi ad Abbathiam de Mailtos & villam de Edenburgh cum caſalibus, quas obiter repererunt noſtri flammis dederunt.

De diſcordia inter regem & ducem Lancaſtriæ, & reditu de Scotia.

Cum perueniſſet exercitus noſter ad Edenburgh, deficientibus victualibus ceperunt multi infirmari, nonnulli fame periclitari. Ibi ergo conſuluit rex, quid melius videretur agendum. Dux Lancaſtriæ, qui inter magnos maximus poſt regem, aderat, fari taliter eſt exorſus: Domine mi rex (inquit) Deũ laudãdi & multipliciter gaudendi vobis ſe ingeſſit occaſio gratioſa. Primo quod hoſtes, qui ſua confiſi potentia exiſtimabant regnum veſtrum peſſundare, à facie veſtra veriti, comparere non audent, ſed fugiunt cum dedecore. Secundo quod adeſt vobis dominorum & nobilium ſpectabilis numerus; bellatorum copioſus exercitus (qualis antea in hiis regionibus nunquam viſus eſt) pro vobis dimicare paratus. Tertio, quod fauor diuinitatis vos (vt veriſimilire arbitror) comitatur; quia & æſtas temperara, & aura ſerena votis noſtris in tantum hactenus arriſerunt, quod non vento contrario, non imbre nociuo fuimus impediti, quo minus vel in diebus equitare, vel in noctibus ſub diuo requieſcere valeremus. Conſulo propterea, vt mare Scoticum tranſeamus, quo conſtat hoſtes noſtros confugiſſe, præſertim cum facilis ſit nobis tranſitus, & patriam flamma ferroque deſtruamus, vt vel ſic compellãtur hoſtes ad pugnã, vel ſaltẽ ad dedecoroſam fugam. Rex ad hæc (tanquam teſtem proditionis inueniſſet ducis ſentẽriam) exarſit in iram: tu (inquit) vbicunq; locorũ cum exercitu deueniſti, meos homines malo ductu, malo conſilio, mala patria, fame, ſiti, penuria perdidiſti, ſemper tuis marſupiis conſulens, meis nihil. Et nunc iuxta morem tuum me cogis ad tranſitum maris Scotici, vt ego cum hominibus meis fame peream & inopia, & fiam hoſtibus meis præda: ecce nobis in hoc loco conſtitutis deſunt victualia, & multi de meis hominibus inedia perierunt, & tu compellis ad tranſeundum remotius, quo nullus victus ad me vel meos poſſit adduci, nequaquam fiet vt cogitas. Sed ſi tu velis tranſire cum tuis, mare tranſeas. Nunquam enim antea ſtipatus fuiſti tanto numero tuorum hominum, quanto modo ſtiparis, ego enim & mei homines reuertemur. Ad hæc reſpondente duce, & ego homo veſter ſum: nequaquam inquit Rex vehementer turbatus, & dux humiliauit ſe ſatis eidem. Non ferentes domini tantam diſcordiam, ingeſſerunt ſe, & pacem reformauerunt, qualem poterant pro malitia temporis inter illos. Et factum eſt ita, vt non procederent, ſed reuerterentur via, qua venerant in terram ſuam. Et quidem tantæ profectionis in Scotiam iſte fuit finis & fructus.

Scoti prædantur Angliam Rege abſente.

Rege cum vniuerſo exercitu ſuo terram vaſtante Scotiæ, ingreſſi ſunt in Angliam Scoti cum Gallicis, & villas cremantes, prædas agentes, & captiuos multos abducentes, reuerſi ſunt in terram ſuam, & ſic ingreſſu ſuo furtiuo plus commodi perceperunt in Anglia, quam rex cum imperiali exercitu retulit de terra ſua.

Rex Franciæ præparari fecit nauigium contra Angliam.

Dum adhuc Anglicanus exercitus moraretur in Scotia, Rex Franciæ præparauit nauigium, conducit populoſum exercitum, inſtrumenta bellica congregar, & victualia ſuæ profectioni neceſſaria comportat ad le Sclus, quia præcogitauerat intraſſe regnum Angliæ, dum poteſtas regni (prout dictum eſt) in Scotia moraretur. Sed tantos ſumptus, tantam aſtutiam, tantam prudentiam, tantum conſilium (quia facta ſunt contra dominum) diſſipauit in hora breui dominus per captionem villæ de Ledam in Flandria, quam ceperunt Gandauenſes, habitatoribus illius villæ tradentibus eam ipſis, quia iam feſſi de dominio Francorum, quod erat eis nimis ſuperciliosum & importunum, magis expedire credebant ſe ſubmittere ſuis proximis quã crudelibus dominis. i. Francis. Et reuera Gallici vbi eos ſuperiores eſſe & dominari contigerit, cum ſumma ſuperbia & intollerabili iniuria ſubditos ſuos tractare ſolent. Inuenerunt ergo Gandauenſes in dicta villa prædam magnam, victualium diuerſorum, vinique præcipue, eo quod ibi erat cellarium vinorum Regis Franciæ, nempe mille & octingenta dolia inibi ſunt reperta. Gandauenſes aſportatis Gandauum, quæ ſibi neceſſaria videbantur, poſuerunt in dicta villa præſidium hominum defenſorum, & ad propria ſunt reuerſi.

Gallorum dominantium mores.

Obſidio villæ de Ledam.

Audiens Rex Franciæ cum ſuis magnatibus, quod Flandrenſes qui in villa prædicta erant, ſe tradidiſſent Gandauenſibus, conſternatus eſt, & iam primo deſperans de regno Angliæ conquirendo, præmeditatum dimiſit propoſitum, & cuncta, quæ

patauerat ad debellandum Angliam, contraxit ad obſidionem prædictæ villæ. Collocatis ergo per gyrum ſuis exercitibus ſignum datur inſultum faciendi villæ, & fit inſultus acerrimus, Francis nitentibus glorioſe recuperare, quod fraudulenter amiſerant, Flandrenſibus contra certantibus conſeruare libertatem, quam iam receperat, excuſſo iugo importabili Gallicorum: quid multa? repelluntur Gallici ferocitate Flandrenſium, & recedunt Flandrenſes feſſi, in villam ſe recipiũt, & quieſcunt. Cumque aliquotiens Franci inſultus feciſſent, nec tamen profeciſſent, ac per hoc videretur pars melior obſeſſorũ: videntes tamen qui in villa erant iacula ſibi deeſſe & inſtrumenta repellendis hoſtibus neceſſaria, prudenti conſilio tradunt villam quadam nocte conſeruandam mulieribus & ſenibus, affirmantes oportere eos facie tenus habere cuſtodiam villæ per illam ſaltem noctem, qua oportuit eos, qui dimicauerant die præcedẽti membra reficere, ſomnum capere, corpora recreare. Dum ergo hii villam circumeunt, vigilias noctis cuſtodiunt, aduerſariorum irruptiones obſeruant, omnes bello apti viri (neſcientibus qui remanſerant) villam furtiui egrediuntur, & Gandauum (neſcientibus hoſtibus) perueniunt ſine rerum vel corporum læſione. Confractis autem in egreſſum ſuum cunctorum doliorum capitibus, & effuſis vinis & aliis liquoribus, qui in eis erant, ne Gallicis cedere poſſent in adiutorium quouiſmodo. Sicque Rex Franciæ dum villam ſe lucratum fuiſſe credidit, & aduerſarios ſubiugaſſe, dum villam intrat, cognoſcit ſe deluſum. Et quidem in Flandria res ita ſe habebant, & Anglia pro præſenti anno gratulata eſt hoc modo ſe ab hoſtibus liberatam.

Rex Portugaliæ vincit Hiſpanos.

Circa tempus iſtud Rex Portugaliæ congregatis quos poterat de terra ſua pugnatoribus, vna cum Anglicis, qui ſibi dudum miſſi fuerant in adiutorium, Matte fauente, immo domino Deo exercituum corda ſuis, vireſque præbente, de Caſtellanis Hiſpanenſibus habito congreſſu ferociſſimo glorioſe triumphauit. Quod bellum ſibi dedit requiem ab inimicis ſuis, & totum regnum Portugaliæ ſuæ reſtituit ditioni. Nomina potentum peremptorum in prædicto bello duximus inſerenda, Comes de Mariorca, Comes Carion, Iohannes Gandiſſaleyn, Prior ſancti Iohannis de Caſtell, Conſalpinus Galaci, Didacus Gomiſſixæ, Magiſter de Galliaturna, Dominus Iohannes Duke, dominus Iohannes Renulds comes de Dene, Didacus Auari, & frater eius filius Mariaci de Willanor, Lupus de Roding, Lupus Gomoſſi de Liſle proditor. Poſt dicti belli conſummationem rex Portugaliæ miſit regi Angliæ ſex Galeyas, vt adiuuarent eum, & eſſent illi ſolatio contra hoſtes ſuos, quę exceptæ cum fauore in breui beneficio Londonienſium, & aliarum vrbium, ſenſerunt ſe non ſine ſuo commodo in Angliam remigraſſe.

Damna illata regi Franciæ, & ſuis reſidentibus in Flandria.

Rex Franciæ poſt fruſtratum propoſitum, quo cogitauerat Angliam infeſtare, poſt diſpendioſam moram factam circa villam de Ledam, de qua cupiuerat triumphare, poſt infructuoſam adeptionem dictæ villæ, quam putauit bonis omnibus abundare, triſtis, feſſus, & illuſus ad propria remeauit, non ſine magno ſuorum diſpendio in inſultibus factis ad villam, vbi quinque valentiores primo perierunt, & in via verſus patriam, vbi Gandauenſes multos de ſuis ceperunt, & plurimos occiderunt. Nam vt taceamus damna irrogata ſibi per terreſtrem viam, plura damna pertulit per campos liquidos, amiſſione tam hominũ quam ſuarum rerum: affuit ſiquidem tempeſtas horrida, dum naues redirent de le Sclus, quæ naues diſperſit, alliſit, cõfregit, & inuitis nautis impulit in loca regis Angliæ, Caleſiã videlicet & partes adiacentes. Re-uera die exaltationis ſanctæ crucis duæ grandes Galeyæ, & aliud genus ratis, quod vocatur Line, & vna bargia, & ſeptem Balingariæ periclitatæ ſunt ante villam de Caleſia, & Caleſienſes captiuos ceperunt quingentos de Gallicis & Normannis, qui claſſe demerſa venerunt ad portum. Numerus captiuorum, inter quos captus eſt Robertus Bremuile, homo prædiues & potentiſſimus inter totius Neuſtriæ mercatores. Tertio die ſequente ſeptuaginta & duæ naues Francorum redeuntes de Scluſa pertranſire Caleſiam decertabant. Sed Caleſienſes egreſſi, pugnauerunt contra eas, & lucrati ſunt decem & octo naues, & quandam grandem Bargiam, in qua fuerunt capti vel occiſi armati homines ſexaginta. Tertio itidem die ſequente dictum conflictum quadraginta & quinq; naues maximæ redeuntes de Scluſia, dum preterire vellent Caleſiam, per noſtrates impeditæ ſunt. Nempe Caleſienſes & harũ aduentu cognito armauerunt ſe contra eas, & pugnauerunt amplius quam per ſex horas, tandem victoria ceſſit noſtris, & fugerunt omnes illæ naues, præter duas, & vnum Coggonem, in quibus capti ſunt duo admiralli Galliæ cum multis bonis. Fuerunt autem duæ dictæ naues

tes grandes adeo, quod apud Caleſiam non valebant introduci, quamobrem ad
ndwicum miſſæ ſunt. harum Maiorem comparauerat dominus de Clyſſon, pro tri-
s millibus Francorum apud Scluſam, & erat nauis noua vtpote ipſo anno facta. Præ-
ctum vero Coggonem de Eſtlandia Normanni conduxerant, quinq; millibus Frã-
rum, vt eſſet eis ad tutelam & defenſionem redeuntibus in terram ſuam, ſed tamen
ſiſtentibus Anglicis, ſemetipſam defendere non valebat, quin caperetur & fieret
nglis præda. Capti ſunt & occiſi in dictis nauibus de nautis & ſtipendiariis ducenti
viginti & ſex: per omnia benedictus Deus.

Noſtrates prædãtur in Francia.

Die ſancti Dioniſii ſtipendiarii de Caleſia & fortaliciis regis Angliæ illis in par-
bus conſtitutis latenter exierunt in Franciam, & quatuor millia ouium, & trecenta
oſſa animalium verſus ſua municipia fugauerunt. Quod cognoſcentes dominus de
ambures (qui erat capitaneus Boloniæ) cum armatis exiit contra noſtros, qui in pri-
o congreſſu acceptus lancea cuiuſdam Anglici, equo ſuo illico perturbatus eſt, &
uatus per ſuos in equum ſuum, non ſuſtinuit ibidem diutius expectare, ne deterius
bi contingeret. Sed vrgens compedem calcaribus præacutis, fuga ſua noſtris ſuam
rædam abigendi liberam tribuit facultatem. Capti ſunt per noſtros in hac profectio-
e plures quam centum perſonæ.

De his quæ geſta ſunt in Portugalia.

Præpoſterum petit ordinem poſteritas nunciorum redeuntium à remotis, & me
quandoque ſcribere quæ ſunt prima nouiſſime, & quæ nouiſſime primo cogunt. Hinc
eſt quod res Portugalenſes in hoc loco pono, quæ per ante poni debuerant ſi tempo-
ris ordinem conſeruaſſem. Igitur poſt deceſſum domini Edmundi comitis Cante-
brigiæ de Portugalia, regina Portugaliæ (prout dicunt) conſenſu cuiuſdam militis quẽ
dilexit illicite, venenum regi Portugaliæ propinauit, cuius hauſtu læthifero rex in
fata conceſſit. Regina proinde conſiderans cuncta ſibi licere quæ voluit, filiam ſuam
quæ deſponſata fuerat filio domini Edmundi comitis Cantebrigiæ, vendidit regi
Caſtellæ, conſilio militis ſupradicti. Rex ergo Caſtellæ odium inueteratum quod
contra regnum Portugaliæ diu conceperat, effutire geſtiens, gaudio gauiſus eſt quod
occaſionem quandam ſuſceperat perdendi regnum ſibi odibile diu ante. Et hac
occaſione villas & municiones dicti regni ſuſcepit in ſua, parans proculdubio in fu-
turum cunctos ibidem ſuos aduerſarios delere vſque ad vnum, immo deſtruere vſque
ad nullum. Proceres vero regni rem tacite conſiderantes quorſum hæc tenderent
meditabantur, tandem videntes regni deſolationem præparari, concito ad regis de-
functi fratrem, virum Martium, fide perſpicuum, ſenſu præditum concurrerunt, in-
citantes eum vt ſe opponeret tãtis malis. Erat ille Magiſter hoſpitalis, vir tam religio-
ne quam poteſtate præſtans cæteris, & habuit in temporalibus vnde proferret noua
& vetera pro defenſione dicti regni. Hic ergo pulſatus à ciuibus caſtrum adiit manu
forti, vbi regina cum amaſio moram traxit. Et quidem pacificũ prætendens ingreſſum
reginam ſibi fecit occurrere, & eum eo ampliori honore ſuſcipere, quo regis defuncti
frater, quo Magiſter hoſpitalis, quo nominatiſſimus in regno fuit. In primo itaque in-
greſſu ſuo reginam cæpit conuenire de fidefragio erga comitem Cantebrigiæ, dein-
de de regimine prauo regni per quod vacillabat regni ſtatus vt præfertur. Quod au-
diens miles, quem prædiximus reginã viciaſſe, ſine reſpectu reuerentiæ tãtæ perſonæ
debitæ inſolentius reſpondit eidem, dicens nihil ſibi competere de regni regimine,
quippe qui religioſus eſſe deberet, & ſuæ religioni potius indulgere q̃ regni guberna-
tioni. Quo reſponſo magiſter hoſpitalis agnouit militis aſſenſum in præmiſſis mini-
me defuiſſe: quapropter illico extracto cultello in proditorem irruit & protinus in-
terfecit. Reginam vero iuſſit apprehendi & in eodem caſtello regaliter cuſtodiri, cor-
pus quoq; militis interfecti iuſſit ſepeliri, quo facto tota regio adhæſit eidem. Cumq;
expoſt contra regem Hiſpaniæ vna vice & alia proſpere dimicaſſet, totius vulgi fa-
uore electus eſt in regem: reclamauit ipſe tamen dicens ſe ſuæ religioni voto profeſ-
ſionis aſtrictum, nec poſſe, nec debere regni ſuſcipere dyadema. Inſtantibus, vrgenti-
bus, compellentibus tandem illis, dixit ſe velle parere ipſorum quodammodo volun-
tati, dum dictum regnum adminiſtrare vellet vſq; ad aduentum hæredis iuſti *filii*, vi-
delicet comitis Cantebrigiæ cui filia fratris ſui regis Portugaliæ (vt præfertur) primo
fuerat deſponſata, & hoc quidem modo eſt regni conſecutus honorem, Anglos mul-
tum diligens, acrius fouens qui erant in regno ſuo propter illorum nimirum probita-
tem, per quos non dubitauit ſe ſuperiorem manum ſemper in cunctis conflictibus re-
portaſſe. Rex vero Caſtellæ non ignorans per quos rex Portugaliæ triumphauerat, tẽ-
tauit Anglos fuluo metallo corrumpere, quorum naturam didicit indultam auaritiæ,

tranſmittens aliqua, plura vero promittens, ſi prodere velint regem cum gente. Erát reuera duo armigeri quorum virtute, diſcretione, prudentia per ante ſemper Portugalenſibus ceſſit victoria, Hiſpanis vero fuga. Hii (proh dolor) auri ſaera fame coacti conſenſere regi Caſtellæ, præferentes pecuniam fidei, munera veritati, ſed eorũm internuncii cuiuſdam Anglici illibata conſcientia regi delati, & cito conuicti, idem armigeri capti ſunt, & carcerali cuſtodiæ deputati, non ſine magno totius ſuę gentis opprobrio, & ſcandalo nationis. Hæc in Portngalia geſta ſunt trans Neptunum.

Actus Papæ.

Per idem tempus Vrbanus ſextus cui nil datum eſt diu dulce guſtare eius neſcio an aduerſariorum improbitate, iterum inimicitias renouatas agnouit inter ipſum & Carolum regem Siculorum, iterum nempe per ipſum regem obſidionis contumelias, opprobria, damna tollerauit, vſquequo pene ad deſperationis articulum eſt perductus. Sed tandem Ianuenſium probitate qui cuncta norunt facere propter quid, ereptus, libertati abductus, Ianuam vſque perductus eſt, à qua ciuitate tranſmigrare non permittitur donec ineſtimabilem auri ſummam pro ſua ereptione perſoluiſſet Ianuenſibus, qui plus propter nummum quam propter Deum eius ereptioni intenderant, prout patet.

Electus ſancti Andreæ capitur.

Hiis diebus electus ſancti Andreę in Scotia dum proficiſceretur cum multis militibus & armigeris verſus Lugdunum vt confirmaretur ab antipapa, captus eſt, qui quamuis vnum tantum Coggonem haberet in quo ipſe & ſui conſederant, ſeptem tamen pene de noſtris bargiis ſuperauit, tanta vis armatorum nebulonum extitit in naui ſua. Captus tandem eſt à duobus filiis Wilhelmi Ruſcheby ſenioris, armigeris comitis Northumbriæ, & eidem comiti præſentatus. Qui cogente triſtitia, paulo poſt prætulit mortem vitæ, ingreſſus viam vniuerſæ carnis.

Parliamentum Londens & acta eiuſdem.

Circa feſtum ſancti Martini factum eſt parliamentum Londoniis, in quo laici conceſſerunt regi vnam quintam decimam & dimidiam, ſub conditione tamẽ quod clerus decimam & dimidiam daret eidem: cui conditioni obnixe reſtitit Archiepiſcopus Cantuarienſis, dominus Wilhelmus de Courteney, dicens hoc minime fore faciendum, præſertim cum Eccleſia debeat eſſe libera & per laicos nullo modo taxanda, immo citius caput exponeret pro hac cauſa, quam in tãtum ſanctam Eccleſiam Anglicanam permitteret ancillari. Quæ reſponſio tamen commouit turbam communium, vt milites comitatuum, cum quibuſdam ex proceribus regni, cum ſumma furia depręcarentur auferre temporalia ab eccleſiaſticis, dicentes clerum ad tantam excreuiſſe ſuperbiam, quod opus eſſet pietatis & Elemoſinæ per ablationem temporalium, quæ eccleſiaſticos extollebant eos compellere ad humilius ſapiendum. Hæc clamabant, hæc regi in ſcriptis breuibus porrigebant: & tanta fuit eorum in hac parte veſania, quod hanc petitionem ad effectum poſſe perduci credebant. Inde cernetes milites lætari venerios, de his inter ſe conferre, & velut totius Eccleſiæ temporalia eorum abuſionibus iam deputata fuiſſent, hunc de hoc monaſterio, alium de alio ſibimet blandiendo, promittere certam ſummam. Audiui egomet reuera quendam ex huiuſcemodi militibus intenſe iurantem ſe velle de domus ſancti Albani temporalibus annuatim percipere mille marcas. Sed tantæ deliracioni non conſenſit Rex, ſed auditis hinc inde, & horum inordinatis clamoribus, & iſtorum iuſtis reſponſis, præcepit deleri ſcripta, & ceſſari inordinate petita, dicens ſe Eccleſiam Anglicanam in eiuſdem ſtatus qualitate ſuis temporibus ſeruaturum, quam ipſam cognouerat extitiſſe cum regnum ſuſcepiſſet, aut potius meliori: quo facto, & apud Eccleſiaſticos magna muneratione dignus cenſebatur, & apud bonos laicos hoc reſponſum maxime laudabatur. Archiepiſcopus proinde (communicato cum clero conſilio) regem adiit, & dixit ſe cum clero regni, vnanimi voluntate, conſenſu ſpontaneo vnam decimam regis vſibus prouidiſſe. Quam conceſſionem rex tam læte audiuit, tam grate ſuſcepit, vt palam aſſereret ſe malle hanc ad præſens donacionem liberam, quam alias quancunque quadrupli valoris coactam: & ita pro tunc hoſtium eccleſiæ auiditas inſaciabilis eſt fruſtrata. Creata eſt in hoc parliamento noua dignitas Anglicis inſueta, nempe comes Oxoniæ dominus Robertus de Veer appellatus, & factus eſt Marchio Dubliniæ in Hibernia, cæteris comitibus hoc indigne ferentibus, quod viderent eũ gradum celſiorem ipſis regis munere percepiſſe, & præcipue, quia nec prudentia cæteris, nec armis valentior videbatur.

Oxoniæ comes primo creatus. Noui duces.

Creati ſunt inſuper noui duces: quanquam in procinctu Scotico rex in campo donaſſet illos hiis nominibus, dominus Thomas de Wodeſtoke, videlicet comes Bukinghamiæ nomen ducatus accepit, & vocatus eſt dux Glouerniæ, & dominus Edmundus de Langeley qui erat comes Cantebrigiæ vocatus

catus eſt dux Eboraci, quibus Rex de fiſco regio ſummas dedit propter honorem nominum ne ſuſcepiſſe tantum nomen inaniter viderentur. Dominus Michael de le Pole qui fuit regni cancellarius ibidem, factus eſt comes South folchiæ, datis ei annuatim de regio marſupio mille marcis, vir plus aptus mercimoniis quam militiæ, & qui trapezetis in pace conſenuerat non armatis in bello. *Nouus comes.*

Rex pręterea in hoc parliamento mediatione ſollicita pręſulis Elienſis, videlicet Thomæ de Arundell, reſtituit Epiſcopo Norwicenſi bona ſua temporalia quæ detinuerat per multos annos (vt ſuperius exaraui) quamuis cãcellarius id fieri diſſuaderet. Reuera cum dominus Elienſis rogaſſet regem de re pręmiſſa, cancellarius cum indignationis fellę reſpõdit Elienſi dicens: quid eſt domine pręſul ꝗ rogatis? nunquid tam leue regi videtur Norwicenſis temporalia modo dimittere quæ per annum ſibi præſtant amplius mille libris? non indiget Rex talibus conſiliariis: nõ eget amicis huiuſcemodi qui eum mulctare cupiunt tantæ pecunię detrimento. Cui reſpondit illico Elienſis: quid eſt ꝗ loqueris domine Michael? non de rege ſua depoſco, ſed aliena quę minus iuſto detinet titulo, tuo vel tibi ſimilium inductus prauo conſilio, ſibi nũquam prout eſtimo profutura: & tu ſi tantum regis detrimenta conſiderando ponderas, cur ab eo mille marcas annuas tam auide percepiſti, cum te comitem Southfolchiæ creauiſſet? Cancellarius cum id audiſſet, velut iaculo reuerberatus ſubſtitit, & amplius huiuſmateriæ contradicere non pręſumpſit. Et hic finis parliamenti præſentis. *Reſtitutio temporalium Epiſcopi Noruuic.*

Anno domini M. CCC. LXXXVI. qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi nonus, tenuit Rex natale apud Eltham cum Anna Regina, quo peruenit ad eum Rex Armeniæ ſub prętextu pacis reformandæ inter Angliæ reges & Franciæ: ſed quid profecerit eius aduentus, ipſe ſolus ſenſit. Nam pręter innumera dona quæ de rege regniq; ue percepit proceribus, Rex conceſſit & dedit eidem chartam de mille libris ad vitam ſuam percipiendum annuatim. Fuerat nempe (vt aſſeruit) fugatus à regno ſuo per Tartaros, & ob hanc cauſam multa à regibus Chriſtianis extorſit munera, in tantum vt fælicior fuit illi fuga ſua in aliena patria, quam dominium regni ſui cum gente ſua. Per idem tempus moritur Carolus de pace Rex Siciliæ, qui multa damna Papæ irrogauerat ſi iniuſte noluimus diffinire: excommunicatus tamen à Papa diſceſſit quo vindicandi genere Papa pro tunc contentus eſt, quia aliud vindictæ genus non occurrit. Nec eſt in ambiguo Papam voluiſſe, ſeque ſeuerius & materialius vindicaſſe ſi ſibi poteſtas brachii ſecularis minime defuiſſet. Ferunt ipſum Carolum prodicioſe occiſum à quodam milite dum ſederet ad menſam, die & hora quibus Papam propoſuerat occidiſſe. Gandauenſes hiis diebus, non expectato adiutorio quod illis Rex Anglię non ſine magnis ſumptibus pręparauerat innato more genti ſuę, vt ſi leui conſilio ſe regi Francię dediderunt, manifeſte monſtrantes ſe non poſſe vni amico vel domino fidem diutius conſeruare. Igitur pars exercitus cum quibuſdam capitaneis quæ Gandauum mittenda fuerat, ad villam de Berewico deſtinatur ad retundendas irruptiones Scotorum qui pręparati erant ad inferenda damna noſtratibus in hac plaga. *Carolus Neapolis moritur.* *Gandauenſes ſe red dunt regi Franciæ.*

Circa feſtum Paſchæ dominus Iohannes dux Lancaſtriæ cum magna turba militum, armigerorum & architenentium ſe præparauit Hiſpanię, quod ſibi debebatur hęreditario iure vxoris ſuę, ſcilicet dominæ Conſtantię filię quondam domini Petronis regis Caſtellæ & Legionis, vel cum incolarum pace repetere vel iure bellico vendicare. Acceſſit eius profectioni fauor Papalis & autoritas, tribuens peccatorum veniam cunctis ſecum proficiſcentibus, & omnibus eius profectioni de bonis ſuis quicquam conferentibus, vt ipſe quæſtor ex principe effici videretur. Et reuera cunctas diſpenſationes & ſingulas accepit à Papa, quas per ante ſuſceperat Northwicenſis Antiſtes, quando cruce ſignatus erat contra Gallicos & Flandrenſes: ſed ipſa frequens veniæ & relaxationis conceſſio tantum viluit & ſordebat in populo, vt pauci forent qui huic poſtremæ cruce ſignationi aliquid erogarent. Arripuit iter nihilominus, & ad mare cum perueniſſet expectare coactus eſt ventorum penuria, donec pene cuncta quæ ſui comportauerant neceſſaria conſumpſiſſent. Tandem cum humiliati fuiſſent ſub potenti manu Dei, aſpirauit aura quæ claſſem afflauit in Britanniã, prope caſtellum de Breſt, contra quam patriotæ Britones erexerant duas munitiones ad arcendum caſtellanos, & prohibendum eorum egreſſum in terram ſuam. Erat tunc dicti caſtelli capitaneus quidam miles dictus Iohannes Roche, qui cum deploraſſet ſuam coarctationem memoratam, laudabili probitate domini filii Walteri & aliorum nobilium qui cum duce erant confortatus eſt: ſiquidem mox egreſſi contra muni- *Dux Lancaſtriæ proficiſcitur in regionem longinquam Hiſpaniæ accipere ſibi regnum.*

municiones prędictas eas ceperunt, confregerunt, diruerunt, & magnam prædam cum captiuis obtinuerunt ibidem, ſed non ſine ſuorum diſpendio deplorando, quia perdiderunt illic viros quoſdam validos atque fortes, quibus patratis ſurgente vento ſecundo appulſi ſunt in Hiſpaniam, in portum videlicet de le Groyn, in vigilia ſancti Laurentij, cum integra claſſe ſua.

De Henrico Percy miſſo Caleſiam.

Hac æſtate increbuere rumores de propoſito regis Franciæ volentis obſidionē ponere circa villam de Caleſia, & ad hoc exercitum comparantis, ad cuius impetus ſuſtinendos vel potius repellendos cum multis victualibus miſſi ſunt ex Anglia plures valentes, inter quos dominus Henricus Percy iunior, videlicet Henrici Percy comitis Northumbriæ deſtinatur iuuenis, in quo totius probitatis & militiæ ſpecimen elucebat, qui cum aliquandiu apud Caleſiam moram protraxiſſent in ocio, indignatus Henricus Percy, huiuſcemodi quietes ſe odire profeſſus eſt. Et reuera per ante dum fuiſſet cuſtos villæ Berewici, gentem omnino inquietam, id eſt Scotos, quieſcere cōpulit, & ſua alacri inquietudine multociens fatigauit. Ob quam cauſam illorum lingua ipſum Henricum Hotſpor vocauerunt, quod calidum calcar ſonat. Hic ergo Henricus congregatis ſociis, ſuper Morinos & Pikardos facit expeditiones, prædas abducit, & actus exercet laudabiliter militares, & cum pluries iſta feceris & nullus ei reſiſteret, inſuper & cognouiſſet quod rex Franciæ non proponeret obſidere Caleſiam, ſed potius inuadere deliberaret Angliam, reuertitur in hanc terram, vt hic ei occurreret quod volebat, bellum ſcilicet Gallicorum.

De his quæ contigerunt in Auſtria.

Per id temporis in ducatu Auſtriæ ſub breui tempore fortuna vultus ſuos in diuerſa mutauit, modo ſe fauorabilem præbens proceribus, modo ſemet oſtendens adiutricem vulgaribus verſa vice. Nempe dux Auſtriæ vir vafer & cupidus, & Vrbano Papæ contrarius, inuidens peregrinis ad Papam confluentibus, impoſuit tributum importabile per terram ſuam tranſituris, vt vel ſic ſaltem arceret Catholicos à viſitatione Papali. Vnde factum eſt vt per illam viam peregrini tranſire ceſſarent, præeligētes longiorem in circuitu peregrinationem ſuſcipere, quam tot iniuſtis exactionibus, contumeliis & iniuriis laceſſiri. Vulgares autem patriæ cernentes vias deſolatas & librantes damna quæ iamdudum perceperant, cum peregrini ceſſaſſent tranſire per illos, ducem adeunt, oraturi vt more ſolito liceret peregrinis tranſire per illos, per quorum confluentiam non mediocre emolumentum perceperat tota terra: qui ſpreti & ſuperciliose à duce repulſi, ad propria diſceſſerunt, congregaturi communes regionis ad vindicandum in ducem ſuperbum iniurias præacceptas, quorum cognitis molicionibus dux cum ſuis generoſis & dominis pergit obuiam turbæ vulgari. Et mox commiſſo bello, cædit, proſternit & captiuat eoſdem & adductis morti quos volebat, dimittit reliquos in domos ſuas, qui cum tanto damno ab eo digreſſi & amaro animo nimis effecti, iam tunc quidem ceſſare minus decreuerunt, ſed nouum exercitum recolligere, de nouo ducem aggredi ſtatuerunt, quibus illico dux occurrit fidens in priori victoria, perempturos omnes ſi fortuna faueret, ſed aliter euenit quam ſperabat, quia ipſe cum tota nobilitate & generoſa gente ducatus coram eis corruit.

De timiditate Londonenſium.

Londonienſes comperto pro vero quod rex Franci conduxiſſet nauigium, cōparaſſet exercitum, direxiſſet propoſitum in Angliam veniendi, timidi velut lepores, meticuloſi, vt mures requirunt hinc inde diuortia, perſcrutantur latebras, & velut iam capienda foret ciuitas cæpere propriis diffidere viribus, & de reſiſtentia deſperare, & qui in pace timidi iactitabant ſe cunctos Gallicos ſufflaturos ex Anglia. Audito iam licet inani rumore de aduentu hoſtium, vix vniuerſam Angliam illos poſſe tutare putabant. Idcirco velut à vino madidi ad muros vrbis currunt, contiguas domos dilacerant, deponunt, deſtruunt, & cuncta formidoloſe faciunt quæ in extremis neceſſitatibus poſiti facere conſueuerunt. Nondum vllus Gallicus in nauem pedem poſuerat, Neptunum nullus hoſtis intrauerat, & Londonienſes ac ſi tota terra in circuitu victa conquiſita fuiſſet, adeo metuunt, ita ſollicitantur, velut ipſos hoſtes aſpicerent ante fores, ſic ſic viri qui in quiete fortes, in pace feroces de ſemetipſis pulchrum prębent ſpectaculum, proferunt non ſequendum exemplum quid acturi forent, ſi ſentirent inſtare prælium, inuenire periculum.

De vaſis captis ſed prædictione liberatis.

Sub hac tempeſtate familia regis quæ conſtituta fuerat circa Doueriam & Sandewicum ad reſiſtendum Gallicis, ſi forte illic temptarent irrumpere æquoris vndas, ingreſſa duce domino de Garſi, obuiat quippe magnis Coggonibus & ſex Carricis refertis vini ſpeciebus, pannis aureis & holoſericis, auro & argento & lapidibus precioſis

cloſis, & diuerſi generis mercibus exoticis, quæ curſum verſus Scluſam in Flandria maturabant, quo cognito quod hoſtes eſſent, de ditione requirit eos qui in illis erant. Ianuenſes vero videntes ſe impares tantæ virtuti, ſemetipſos ſine magna reſiſtentia reddiderunt. Nempe ipſa vaſa cum contentis Ianuenſium eſſe dicebant, attracta ad Sandewicum cæperunt ea exonerare multis rebus, qui ea lucrati fuerunt. Ianuenſes autem non ignorantes vbi ſuccurri deberet eiſdem, mox feſtinant Londonias Cancellarii regni, domini Michaelis Atte-Pole comitis Southfolchiæ auxilium petituri, qui fuerat à pueritia magis mercimoniis, vtpote mercator mercatoris filius, quam militia occupatus, qui mox & illorum vicem doluit, & regem circumuenit, vt ſcriberet hiis qui ceperunt eos, vetans ne quicquam pręſumerent minorare de bonis eorum, reſtituerent inſuper cuncta quæ cepiſſent. Cancellarius præterea iuſſit de theſauro regio eorum damna reſarciri, vt videlicet pro cunctis quæ terra marique perdiderant poſt captionem ſuam reciperent pecuniæ dignam ſummam, & ita rex circumquaque deluſus, ſupplantatus, ſeductus eſt, & regnum theſauro debito vacuatum, & hoſtes ſæuiſſimi, infeſtiſſimi, crudeliſſimi, cum pace pecuniaque dimiſſi. Ipſi ergo mox vt ſoluerunt à litore, curſum verſus Flandriam direxerunt, & portum de Scluſa ſubintrauerunt.

Rex Franciæ parat inuadere regnum Angliæ.

Rex Franciæ parans inuadere regnum Anglię, per illud tempus victoriam non armis ſibi tantummodo prouenturam credidit, ſed muris ligneis eſtimauit: quamobrem congregatis ex multis locis ſabris lignariis, quendam murum ligneum ſpiſſum atque denſum iuſſit fieri altitudinis viginti pedum, qui ſemper ad duodecim paſſus haberet turrim capacem decem hominum, quę foret altior ſubiecto muro per decem pedes, quem murum (vt fertur) erigere pręfiniuit in loco vbi applicaturus erat, vt per murum defenderetur à ſagittis, & ſuos gunnarios protegeret, noſtratibus plagas horribiles illaturos, & cum opus eſſet ſuum exercitum reuocare poſſet vltra muri ambitum, vbi & feſſi quieſcere & ſaucii recreari valerent. Habebat murus ille prout ferebatur in longitudine tria millia paſſuum, & erat diſpoſitus turribus firmis & crebris vt pręfertur. Eo tempore noſtrates qui in mari erant obuiant duabus nauibus regis Franciæ ſulcantibus campos liquidos, & iter carpentibus verſus Scluſiam. Et illico conſerta pugna & naues illæ captę & Sandewicum tractę ſunt, in quibus & pars muri & turrium prędictarum eſt reperta, & magiſter totius fabricę interceptus, qui erat Anglicanus natione, ſed quandoque bannitus. Captus eſt inſuper ibi magiſter Gunnarius qui & ipſe prius Anglicis famulabatur apud Caleſiam, dum dominus Hugo Caluerlee capitaneus ibi fuerat, & cum hiis diuerſæ machinę ad iaciendum lapides & muros conterendum, & Gunnæ plures, cum magna quantitate pulueris, cuius pręcium pręualuit omnibus manubiis ſupradictis. Erecta eſt igitur illa pars muri apud Sandewicum, & quem contra nos hoſtes pręparauerant, nos ereximus contra hoſtes.

Naues Francorum captæ.

Parliamentum factum Londoniis & magna commotio regni.

Circa feſtum ſancti Michaelis Archangeli citati ſunt ad parliamentum Londoniæ qui de iure vel conſuetudine adeſſe parliamento debebant. Per id temporis Michael Atte Pole dudum creatus comes Southfolchiæ, & iam tunc regni cancellarius, cui rex plus debito credebat, & fauebat, conuocari fecit pene de cunctis regni finibus armos & Architenentes in merciam, vt prope Londonias exiſtentes parati forent ad repellendum Francos cum rege ſuo, ſi tamen verum eſſet quod dicebatur de eis, quia parati fuerunt cum ingenti multitudine nauium ad regnum Angliæ inuadendum. Adunatis igitur de diuerſis regni comitatibus velut innumerabilibus, tam armatis quam Architenentibus perhendinauerunt prope Londonias viginti milliaria in circuitu, velut pro ſuis caſtris occupantes, vbi fuit cernere non ſecus quam hoſtilis recognitionis imaginem, dum plebs ſic vocata quæ & victu carebat & pecunia cogebatur, ſicut in hoſtili patria pabulando vicinos ſpoliare, & cuncta quæ feciſſent inter hoſtes in terra propria perpetrare, hoc excepto ſolummodo, quod ab incendiis abſtinebant, qui cum diu morani tam ſibimet quam patrioris infructuoſam feciſſent, iuſſi ſunt ad propria remeare, & parati fore, cum rex ipſos decerneret reuocandos, quorum plures pro rei familiaris inopia, compellebantur reuertentes exponere, vel equos, vel arma venditioni, quidam pro commeatu ſpoliis intendebant, & rapinis. Nondum finitum fuit parliamentum, ſed regreſſis ad ſua vulgaribus, proceres Londoniis permanſerunt, pręſtolantes rumores de Francorum aduentu qui quotidie dicebantur eſſe venturi.

Vbi ne dominus rex parum feciſſe videretur, dominũ Robertum de Veer quandoque

Digitized by Google

Marchio Dubliniæ creatur dux Hiberniæ.

doque comitem Oxoniæ, ſed nuper in vltimo parliamento creatum Marchionem Dubliniæ, ducem fecit Hiberniæ, facturus expoſt de duce regem, ſi fortuna faueret, tantum afficiebatur eidem, tantum coluit & amauit eundem, non ſine nota (prout fertur) familiaritatis obſcenæ, ſubmurmurantibus cæteris nobilibus & baronibus, ac indigne ferentibus tantæ promotionis appetitum in viro tam mediocri, quem nil plus cæteris commendabant vel generis ſui ſublimitas, vel reliquarum virtutum dotes.

Depoſita in Parliamento contra Michaelem Atte Pole.

Per omne tempus iſtud durante parliamento quotidie prædicabantur noua de Gallorum aduentu, multis in magna trepidatione exiſtentibus, quod viderent Barones in multis diſſentire, vnde putabant quidam de prudentibus magnum regno diſpendium affecturum, præcipue ſi mens non foret vna dominis inter tot pericula quæ ab hoſtibus parabantur. Quia reuera rex infenſus erat non ſolum militibus parliamentalibus, ſed pene cunctis proceribus, quia fauebant eiſdem proponentibus multos articulos falſitatis contra prædictum Michaelem Atte Pole, & inſtanter exorantibus iudicium fieri de eodem. Conuicerant eum nempe de multis fraudibus & quibuſdam proditionibus in regem, quos nequaquam inficiari nequibat, vnde & cum reſponſis aſtaret & obiecta negare nequibat. Rex pro ipſo verecundatus & ruboré ſuffuſus, caput agitans, heu, heu, inquit Michael, vide quid feciſti. De multis etenim obiectis cõtra eum hoc vnum extitit, quod auarus exiſtens & alienæ pecuniæ auidus, circumuenit regem, vt concederet ſibi firmam cũctorum queſtorum regni, qui cum indulgentiis circuire ſolent, & congregare pecuniam ad opus fraternitatis ſancti Antonii, daturus regi viginti marcas, de prouentibus memoratis de quibus ſingulis annis leuaſſe videbatur ſeptuaginta marcas. Hiis & multis aliis defectibus veridica ratione probatis contra ipſum, de officio cancellariæ deiicitur, mulctandus pecunia grandi, ſcilicet ſoluenda regi.

Reſponſum regi fuit ipſum non egere ſubiectorum tallagio, cum de tanta ſumma ab eo qui iuſte debitor erat regis, poterat merito prouideri. Hæc autem omnia quanquam ſumme regi placuiſſe debuerant, maxime diſplicebant, adeo fidebat infideli, adeo coluit nebulonem. Factumque eſt vt eius amoris intuitu non multo poſt infirmaret quicquid in parliamento contra ipſum fuit ſtatutum, & familiariorem haberet quam ante habuerat, non tantum in priuato ſed in publico, ita vt in conuiuio ſequenti natali in menſa ſua recumbere faceret, non contentum communi procerum indumento, ſed togatum, quod genus ſolis regibus ab antiquo debetur, & ne fieret in eum iudicii executio prælegit proditioſe circumuenire ſuos accuſatores cum duce Glouerniæ, qui maxima pars videbatur exiſtere eorum qui pro regni commodo laborabant. Itaque prouiſum erat inter regem & ſuos familiares, vt quidam de militibus parliamentalibus qui plus obſtiterant vel ſibi petenti ſubſidium pecuniare, vel dicto Michaeli infeſti fuerant, vnà cum domino Thoma duce Glouerniæ inuitarentur ad cænam in hoſpitio cuiuſdam Londoniis, & ibidem repente trucidarentur. Quorum morte ſolummodo, æſtimabat ſibi ceſſurum arbitrium voluntatis: ſed non cepit effectum tantæ malignitatis commentum: quia & dux de hiis omnibus præmonitus fuit, & vt cauerent cæteros pręmonuit: iubens vt cænis eſſent contenti propriis, ne intricari valerent (vt præmittitur) alienis. Ferunt dominum Nicholaum Brambre, (qui Maior Londoniarum fuerat anno pręterito) huic aſſenſum præbuiſſe conſilio. Sed laudabili conſtantia Richardi Extone Maioris anni pręſentis (qui libere fatebatur cum vocatus eſſet à rege ad prębendum fauorem tanto facinori, ſe nunquam cõſenſurum in necem talium innocentium) dictum ſcelus eſt omiſſum. Et palam factum eſt verbum iſtud omnibus habitantibus in regione vicina tua, vt ex tunc apud omnes odium creſceret talium conſiliariorum, & amor ducis & militum pręđictorum. Non tamen omiſit dux, & milites, ea quæ vera ſunt, regnoque fructuoſa loqui, ſed maiori conſtantia regi petenti ſubſidia reſtituerunt, ſępiuſque illud ſuſannicum inculcabat militibus, dicens, quin melius eſt nobis incidere in manus hominum quam derelinquere legem Dei noſtri. Tandem propter improbitatem potentium, conceſſum tallagium, ſcilicet media pars vnius decimæ, & media quintæ decimæ, quod non regis arbitrio ſed procerum pręđictorum iudicio pro regni commodo expenderetur. Recepit hanc pecuniam comes Arundeliæ profecturus ad mare. Duci Hiberniæ ad regis inſtantiam eſt prouiſum vt hæredes Caroli de Bloys, qui vindicauit olim ducatum Britanniæ Armoricæ, venderent Francis pro triginta millibus marcarum, vt hac adductus pecunia, dominium quod rex ſibi donauerat in Hibernia viriliter recuperaret, ea

ret, ea duntaxat conditione, vt citra proximum paſcha Hiberniam transfretaret, tantum nempe proceres, tantum communes eius tranſitum affectabant, vt mallent regno carere tanto theſauro, quam ipſius habere præſentiam regem ſeducentis & infatuantis in regno.

Regi Armeniæ denegatur conductus.

Peridem tempus rex Armeniæ, (qui dudum expertus fuerat regis liberalitatem & procerum) mittit pro conductu, velut aduentus eius cauſa foret amor pacis reformandæ inter regna Angliæ & Franciæ, quorum vnum iam omnino paratum fuerat ad reliquum inuadendum. Sed reuera plus deſiderauit dona quam pacem, plus pecuniam adamauit quam plebem, plus aurum regni quam regem. Et licet Rex eſſet ſibi beneuolus, proceres tamen librantes quod eſſet illuſor, reſponderunt regi ſe nolle tractare cum illo. Sicque impeditus eſt aduentus eius, qui ſicut nec primo nec quidem ſecundo profuiſſet.

Regis Franciæ aduentus miraculoſe impeditur.

Rex interea Frãcię ducum, comitum, & aliorum procerum inaudita turba moram traxit in Flandria, paratus ad diripiendum regnum Angliæ, ſi non Deus eius conatibus obſtitiſſet. Nempe per totum tempus quod fluxit à Kalend. Auguſti vſque ad vigiliam omnium Sanctorum, nunquam flauit aura ſibi commoda per paucas horas. In ipſa vero vigilia (ſurgenre vento prout putabat ſibi fauente turgidius) à longa ſtatione diſſoluit naues, & cum impetu portum de Scluſa reliquit. Cumque cunctæ rates fuiſſent egreſſæ & iam profunda tenerent, eſſentque à portu remotæ quaſi per viginti milliaria, ecce ventus contrarius obuius eis factus, omnes retrocedere compulit, & non tantum compulit ſed & impulit naues, & alliſit vt quædam ex eis in introitu ipſius portus de Scluſa confringerentur. Hac occaſione & Anglia metu liberata, & rex Franciæ eſt regreſſus ad ſua. Numerus claſſis regis Franciæ mille ducentæ naues in hac comitiua fuere. Duces. 16. comites. 26. tria millia militum, & ſexcenta centum millia pugnatorum.

Proceſſus in Michaelem Atte Pole.

Ad hoc vſque tempus parliamento continuato, licet rex grauiter ferret accuſationes factas de Michaele Atte Pole cæteriſq; quos imprudenter amauit, compulſus eſt tamen poſt multas tergiuerſationes, auditores & iudicii diffinitores eligere qui plenam haberent poteſtatem audiendi, & indicium proferendi in dictum Michaelẽ, cæteroſq; quos milites accuſauerant parliamenti. Conſtituti ſunt autem iudices dominus Thomas Glouerniæ, & dominus Richardus comes Arundeliæ, qui non ſegniter iniunctum negotium adimplebant, rege ad alias partes digreſſo, quia noluit hiis iudiciis quamuis ſibi forent proficua intereſſe. Tandem (vt præfertur) dicto Michaele de multis ſceleribus fraudibuſque conuicto, morte dignus iudicatur, & eius bona regio fiſco ceſſura decernuntur. Ipſe tamen manu captus, quibuſdam diuitibus pro eo in magna ſumma pecuniæ obligatis. Quem (vt diximus) Rex mox finito parliamento recepit, & ſibi cohabitare fecit cum duce Hiberniæ & Archiepiſcopo Eboraci domino Alexandro Neuile, qui ex tunc quantum poterant laborabant regem contra dominos cõmouere diebus ac noctibus, & acta parliamenti adnullare. Succreuit igitur indies regi odium contra ſuos proceres naturales & fideles, iſtis ſuſurrantibus regẽ non in effectu fore regem, ſed vmbratiliter, futurumq; vt nihil ſui iuris exiſteret ſi domini accepta poteſtate gauderent. Credebat itaque illis Rex, & idcirco de cætero proceres omnes ſuſpecto habebat, nihilominus tamen deiecto Michaele Atte Pole de cancellaria, ſubrogatus eſt dominus Thomas Arundell Epiſcopus Elienſis, Dunelmenſis de officio theſaurarii, qui multum laborauerat, & expenſas fecerat huius dignitatis amore, & pro eo conſtitutus eſt frater Iohannes Gilbert de ordine prædicatorum, Epiſcopus Herefordenſis, vir qui plus lingua quam fide vigebat. Et hic huius parliamenti finis.

Annalis cõcluſio.

Tranſit annus iſte frugifer, ſed mediocriter fructifer: Hiſpaniæ propter aduentum ducis Lancaſtriæ regnum vendicantis ſollicitus & ſuſpectus: Auſtriæ propter ducem & nobiles interemptos à communibus pernicioſus: Frãciæ propter ſumptus & apparatum quem fecerat ad Angliam inuadendum, oneroſus: Angliæ, ptopter graues rumores, ſed Londinenſibus, propter muliebrem meticuloſitatem maxime dedecoroſus.

Anno domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo (qui eſt annus regni regis Richardi ſecundi à conqueſtu decimus) fuit rex ad natale apud cum Anna regina, & Boemis ſuis. Circa initium menſis Martii (iuxta decretum parliamenti) parauerunt ſe ad ſulcandum liquentes campos, dominus Richardus comes Arundeliæ, & dominus Thomas Moubray comes Notinghamiæ: quorum primus conſtitutus eſt Admiralius inſtantis termini, vir valde deuotus & bonus, & qui probra quan-

doque deſertæ militiæ (cum tunc Gallici circa Southſexiam oras infeſtarent maritimas nunc abolere cupiens) curauit apponere totas vires.

Comes Arundeliæ proficiſcitur ad mare.

Igitur profecturus ad mare, cum recenſionem facturus eſſet in campo ſui exercitus, cognouiſſetque ducem Glouerniæ, cum multis nobilibus velle videre collectam militiam, elaborauit vt bonos haberet, & famoſos, vitans conducere Londonienſium & aliarum ciuitatum ſutores, vel ſciſſores, quales quidam ante conduxerant leui prçcio, vt plus accreſceret auri marſupio. Et quidā alii ſic agentes, non regni commodo, ſed lucro proprio militabant, vnde factum eſt, vt à longo tempore, regnum nihil aut parum emolumentum perciperet, illis non hoſtes inuadere, non experiri vires, ſed inaniter tempus acceptum conſumere meditantibus, vt integra ſtipendia conſequi præualerent. Comes è contra quos (vt diximus non parcens expenſis) valentiores nouit, elegit, vt per hos poſſet magnum aliquid patriæ reportare. Dux proinde Glouerniæ cernens tam pulchram, tam electam militiam, vrgebat omnes, monebat ſingulos, vt maris vndas intrarent, ſolutis morarum nexibus (multis ſe excuſantibus quod oportebat amicis valedicere, negotia diſponere domus ſuæ): æſtimabat nempe (prout erat) quoſdam arma mutuo ſuſcepiſſe pro dicto ſpectaculo, vt laudarentur à dominis tanquam ſufficienter armati, quæ proculdubio ſi diuertendi copiam habuiſſent, redditurì ſuis erant poſſeſſoribus, & mare repetituri, veluti inermes, quamobrem fuit veriſimile quod minus audaces fuiſſent ad aduerſarios inuadendum. Ingreſſi ſunt ergo mare, vellent nollent, cum cunctis vtenſilibus quæ habebant, fauſta hora, quia non multum tempus effluxit antequam aduerſariis obuiarent. Reuera die dominica, in vigilia Annunciationis dominicæ, magna claſſis nauium Flandriæ, Galliæ, & Hiſpaniæ refertarum viris bellicis, armatorum diuerſis machinis, de longe velificans à ſpiculatore conſpicitur: quæ mox Amirallio comiti nunciata, ipſum & ſuos omnes hilaritate repleuit. Aduerſarii vero nihil tale ſuſpicantes, quibus (vt fertur) promiſſum fuerat à quibuſdam Angliæ proditoribus (quibus regnum raro carebat) noſtrum nauigium circa menſem Maium minime fore paratum, agebant per omnia magis ſecure, ventum pro vehiculo, & armatos pro tutela tenentes. Cum autem noſtratibus propinquaſſent vela tanquam noſtros vellent aggredi, noſtri ex induſtria ſimulauere fugam, velut fuiſſent impares tantæ virtuti. Illi vero plus ſecurum tranſitum quam bellum cupientes, pertranſibant, vnde contigit, cum noſtrates ventum percepiſſent ad vota aduerſarios inſequentes, irruerunt ſubito ſuper eos, & conflictum atrociſſimum commiſerunt: tandem victoria ceſſit noſtris, captis octoginta nauibus, & multis diuerſæ conditionis armatis, quampluribus quoq; peremptis. Fugerunt tamen de conflictu quædam, quas biduo comes Arundeliæ perſequens, poſtremo cepit & ad claſſem noſtram traxit. Erant autem numero maiores & minores rates centum, & eo amplius quæ omnes vinis refertæ fuerunt. Numerus vero doliorum, ad decem & nouem millia, aut plus excreuit. Ipſa vero vina, cum vaſis, mox ad portum de Orwello, & alios regni portus deſtinata ſunt, præter ea quæ regis parti ſegregabantur, licet ciues de Middelbourgh ad comitem acceſſiſſent, & oraſſent vt liceret eis illa vina comparare, & dare mox pro ſingulis doliis centum ſolidos, eo quod amici noſtri videbantur exiſtere & vinis egere. Sed his reſpondit Admiralius, iuſtius eſſe, vt hi his gauderent vinis, qui expenſas fecerant pro ſua profectione verſus mare, ſcilicet communes Angliæ quam alii quicunque pro quocunque lucro ea auferrent. Attamen (inquit) quin eſtis amici, & de longe veniſtis, dabimus vobis viginti dolia ne omnino vacui rediſſe videamini. Ipſe vero comes tanta liberalitate vſus eſt, diuerſis conferens de parte ſibi contingente, vt nec vnum dolium ſibimet remaneret (vt fertur.) Accreuerūt ergo laudes comiti in immenſum à vulgaribus, quod poſtponens quæ ſibimet aggeraſſe poterat, vendens alienis direpta vina, præpoſuit communem vtilitatem priuato commodo, & eo maxime quod vulgares in effectu ſenſerant, non omnino deperiſſe, quod penderant perfectioni ſuç.

Anglia proditoribus nunquam vacua.

Numerus nauiū captarum.

Numerus doliorum.

Comes autem volens his maiora prçſtare patriæ, recollecto reſarcitoque nauigio, & conductis recentibus pro his qui læſi vel ſauciati fuerant, ſiue perempti, vela reflexit verſus caſtellum de Breſt, quod videtur canis eſſe minoris Britanniæ, contra quod Gallici ſiue Britones iam duas munitiones erexerant, vel erecturi fuerāt maiores, & multo fortiores, quam fuerunt illæ quas dux Lancaſtriæ per ſuos debellauerat, & deſtruxerat verſus Hiſpaniam proficiſcens. Harum vnam Admiralius (debellatis qui intus erant) cepit, & quia videbatur fortis, & neceſſaria caſtello, ſi noſtri poſſiderent eam, poſuit quoſdam ex noſtris in ea. Reliquam vero ſumptuoſe paratam,

ſed

ſed nondum erectam iniecto igne cremauit, & ſic Franci paruo tempore eodem in loco geminata damna cepere, primo per diſcis milites: ſecundo, per comitis huius tirones. Caſtellum inſuper de Breſt cunctis victualibus quæ ſufficerent ad vnum annum refecit, & caſtellanis veſtes & calciamenta donauit. Compoſitiſque per omnia rebus, rediuit in Angliam cum benedictione omnium plebanorum. Sed inuidebant omnes tantæ probitati qui cum Rege erant, Dux Hiberniæ, Comes Southfolchiæ, & Symon de Burleya, cum Richardo Styry, deprauantes acta Comitis apud Regem, & dicentes eum nullum opus egregium perpetraſſet, quippe qui non niſi Mercatores inuaſerit, quorum fructuoſius extitiſſet amorem ſeruaſſe patriæ, quam odium exorabile concitaſſe.

Quidam inuident factis comitis.

Et hi nimirum milites, plures erant Veneris, quam Bellonę, plus valentes in thalamo, quam in campo, plus lingua quam lancea pręmuniti, ad dicendum vigiles, ad faciendum acta Martia ſomnolenti. Hi igitur circa regem conuerſantes, nihil quod deceret tantum militem informare curabant, non dico tantum armorum vſum, ſed nec ea quæ maxime reges generoſos decent in pace, videlicet in venationem, vel aucupationem aut his ſimilia, quibus regni honor creſcit. Factumque eſt iſtorum inſtinctu, vt Rex tantum offenderetur his qui hoc negotio militauerant, quod venienti ſibi Comiti Notinghamiæ (qui eſt Comes Mareſchallus, & regis ſemper fuerat conſodalis & coetaneus) & ſperanti magnas à rege grates reportaſſe, rex nullum bonum vultum faceret, ſed omnino demiſſum. Dux autem Hiberniæ, vtrique Comiti, nõ ſolum vultum ſubtraxit, ſed colloquium: inuidens fortaſſis probitati, quam ipſe aſſequi non valebat. Ipſi vero comites hæc cernentes, ſed paruipendentes, ad propria diſceſſerunt, victuri quietius quam cum rege.

Henricus Percy iunior deſtinatur ad mare.

Interiecto poſt hæc paruo tempore, qui de conſilio regis erant, monuerunt eum, vt Henricus Percy (filius comitis Northumbrorum) mitteretur ad mare, ad repellendum irruptiones hoſtium, qui dicebantur prompti (propter plagam quam dudum acceperant per comitem Arundeliæ) ad irruptiones in Angliam faciendum. Cui nec ſufficientem manum delegauerunt, nec fauorem quem decuit impenderũt, ſed hæc fecerunt ei, inuidentes (vt dicebatur) eius indoli, eo quod iam nomen magnum propter probitatem, tam inter Scotos, quam Anglicos eſt adeptus. Sed ipſe, quod ipſi doloſi machinati fuerant, vel neſciens, vel paruipendens, intrepide ſuſcepit iniunctum negotium, & animoſe ſtrenueq; peregit: & (expleto termino ſuæ militiæ) incolumis remeauit.

De poteſtate Walteri Diſſe.

Per idem tempus erat quidam frater in Anglia, de Carmelitarum ſecta, cui nomen erat Walterus Diſſe, (qui dudum fuerat confeſſor ducis Lancaſtriæ,) ſed cum eo in Hiſpaniam tendente minime profectus eſt, ſed domi remanſerat propter cauſam inferius declarandam. Papa ſiquidem Vrbanus ſextus, agnoſcens Hiſpaniæ regnum grande, diuitiiſque refertum, & librans (licet inaniter) quanta commoda ſibi accreſcerent, ſi Dux eius dominio potiretur, pręter priuilegia quæ conceſſerat profectura, iam noua conceſſit profecto per dictum fratrem Walterum Diſſe poſtulantibus diſpenſanda, ſed non ſine pecunia acquirenda. Inter quæ priuilegia ſiue poteſtates acceptas à Papa, fuit vnum, ad quod acquirendum concurrebant, & grandes ſummas offerebant. Qui pronior exiſtens plura proferentibus, eos domini Papæ capellanos creauit, ſecundum formam & iuris conſuetudinem in Romana curia, frequentatam. Conceſſit inter multas hanc libertatem cuidam fratri de ordine Auguſtinenſium, dicto Petro Pareshull, qui exinde putans ſe omni libertati donatum, cæpit primo adhærere Wicleſenſibus (quos Lollardos quidem vocant) qui ſui tenentes doctrinam magiſtri, iam ex anima multa ſuorum ſequacium Londoniis fecerant, & plures doctrina polluerant ſua praua. Igitur iſtorum ſe tradens informationi, didicit quod bene fecerit priuatam deſerendo religionem, publicæ vitæ ſe conferens, quæ ſanctior, & perfectior, eminentior, atque ſecurior eſſe videbatur. Tandem horum imbutus malitia, & propria exagitatus nequitia, hortantibus illis, coactus eſt prędicare, & publice vitia ſui ordinis propalare. Venit igitur ad Eccleſiam Sancti Chriſtofori Londoniis, ſequentibus eum pene centum de lollardis, & ibidem tanta mala facinora in confratres quondam ſuos euomuit, vt horrori foret audientibus, & ſtupori. Interea quidam accurrentes, hæc Auguſtinenſibus nunciarunt. Quorum quidam mox egreſſi (ſcilicet ad numerum duodecim maiori animoſitate vigentium) venerunt ad locum, vbi adhuc flagitioſus ille, tanta facinora declamabat. Et audientes quæ dicebantur, valde commoti ſunt, vnus autem plus zelans pro religione,

audacter aſtans, contradixit his quæ nebulo proponebat. Quod cernentes lollardi, ſurrexerunt cum impetu, & fratrem contradictorem deiecerunt, laceràuerunt, & conculcauerunt, & male verberibus tractauerunt. Sed & cunctos fratres eiecerunt, & extra eccleſiam perſecuti ſunt, volentes eos perimere, & eorum domos incendere, cum furore clamantes, & dicentes: Diſperdamus homicidas, incendamus Sodomitas, ſuſpendamus regis & Angliæ proditores. Cum iſto itaque furoris clamore currentes, ignem in habitacula fratrum iniicere proponebant. Sed impediti tamen ſunt humili oratione fratris Thomæ Ashbourne, & ſodalis ſui, qui ambo boni viri, ambo fuere ſacræ paginæ profeſſores. Innuit inſuper ad ſedandum turbam furentem, interuentus cuiuſdam de vicecomitibus Londoniarum, qui eos ſua ſuaſione mitigauit, & ad propria redire fecit. Interea Lollardi ſecum dictum fratrem tenentes, hortabantur vt quia alias diſturbatus in ſermone fuerat, chartam conſcriberet, in qua omnia pręmiſſa, & ſi quæ plura noſceret, exararet. Qui mox eorum acquieſcens ſceleratis conſiliis, chartam confecit, in qua quoſdam fratres ſuos accuſat, de diuerſorum confratrum ſuorum homicidio. Et vt maior fides tribueretur dictis ſuis, edicit occiſorum nomina, & tortorum vocabula: necnon & loca deſignat, in quibus occiſi vel ſepulti fuerant tali modo perempti. Dicit inſuper eos Sodomitas exiſtere, regiſque & regni traditores, & multa plura quæ dinumerare longum foret. Confectamque chartam configit ſuper fores Eccleſiæ ſancti Pauli Londoniis, vt maior confuſio poſſet accreſcere fratribus memoratis. In cuius principio dicit ſemet de nido egreſſum diaboli, & per Dei gratiam, de malis & impuris hominibus euaſiſſe ad vitam perfectiſſimam, ob quam cauſam, & quia erat veritatis aſſertor, dicit plurima ſemet aduerſa paſſurum ab iiſdem fratribus, ſi comprehendere poſſent eum. Sed gratias agit Vrbano Papæ, quod tantæ per eum libertati donatus ſit, quod valeat cum adiutorio amicorum ſe ſubtrahere de manibus æmulorum. Hanc chartam multi de caputiatis militibus perlegentes, pro firmo prædicauerunt cuncta fore vera quæ ſcribebantur, vnde & tranſcripta exinde ſibi fecerunt, vt valerent ſuæ militiæ ſatisfacere in futurum.

Ruina militum lollardorum.

Erant autem milites qui hanc ſectam coluerunt quam maxime, & ſuſtentauerunt Wilhelmus Neuile, Ludouicus Clifford, Iohannes Clanvow, Richardus Styry, Thomas Latymer, & inter cæteros maior fatuus Iohannes Montagu, qui in tantam lapſus eſt veſaniam, vt cunctas imagines quas apud manerium de Scheuele (bonæ memoriæ quondam) Iohannes Aubrey, & expoſt dominus Alanus Buxille, vel eorum anteceſſores erexerant in capella ſua, deponi faceret, & in locis abditis collocari: vnum ſolummodo priuilegium adepta eſt imago beatæ Catherinæ, quam in priſtinum ſuum deferri permiſit, quia plures afficiebantur. Huius ſacerdos ſectator acerrimus lollardorum, cum perueniſſet ad vitæ metam, & cognouiſſet ſe proculdubio moriturum, compunctus, & penitens eorum quæ contra fidem commiſerat, ſacerdotem petiit, cui confiteri valeret: Cui quidam de familia velut cum admiratione reſponderunt: Quid eſt (inquiunt) quod quæritis? quid quod deſideratis? Nonne vos prædicaſtis, omnem confeſſionem extrinſecam ſacerdotibus faciendam ſuperuacuam, ſolummodo ſufficere, vt quis ſoli Deo confiteatur? Quibus ille, Erraui, inquit, ſed modo precor indulgete mihi copiam ſacerdotis. Accidit eo tempore vt præſens eſſet Nicholaus Hereford, doctoris theologiæ gradum habens, ſed ſeductoris ſequens officium, quippe cui (poſt hæreſiarcham Iohannem Wicklef) omnes huius ſectæ viri maxime adhærebant. Hic ergo cum ad præsbyterum acceſſiſſet, & in voluntate confitendi poſitum cognouiſſet, quid eſt (inquit) quod agis fatue? quid turbaris? Confitere Deo, qui poteſtatem ampliorem habet ligandi, atque ſoluendi, quam habent laici ſacerdotes, & ſufficiet iſta confeſſio tua: tibi ipſi peccaſti, nõ ſacerdoti, ipſe debet remittere cui ſit offenſa. Ille vero perſiſtens in petitione ſua: In vobis (inquit) ſit peccati periculum, ſi ſine confeſſione viaticoq; diſcedam, cui voluntas ineſt catholice moriendi, ſi mihi copia donaretur: & poſt puſillum ſpiritum exhalauit. Cui credibile eſt ſuffragaturam voluntatem bonam confitendi, quam habuit moriendo. Et quia pro maiori facienda notitia huius infandæ ſectæ, pauliſper digreſſi ſumus à materia ad continuandum inceptæ rei ordinem reuertamur.

Dux Hiberniæ repudiat uxorem ſuam, regis natã, & ducit ignobilem.

Accidit his diebus, vt Robertus de Veer elatus de honoribus quos rex impendebat eidem iugiter, ſuã repudiaret vxorem iuuenculam, nobilem, atque pulchram, genitam de illuſtris Edwardi regis filia Iſabella, & aliam duceret, quæ cum Regina Anna venerat de Boemia (vt fertur) cuiuſdam Cellarii filiam, ignobilem prorſus, atque fędam: ob quam cauſam magna ſurrepſit occaſio ſcandalorum (cuius nomen erat

in vulgari idiomate Lancecrona.) Fauebat ſibi in his omnibus ipſe Rex, nolens ipſum in aliquo contriſtare, vel potius (prout dicitur) non valens ſuis votis aliqualiter obuiare, quia maleficiis cuiuſdam fratris (qui cum dicto Roberto fuit) Rex impeditus nequaquam quod bonum eſt, & honeſtum cernere, vel ſectari valebat.

Dux Glouerniæ indignatur.

Indignabantur proinde proceres, ſed præcipue dux Glouerniæ auunculus præfatæ puellæ, qui etſi modo non valebat vlciſci tantas iniurias illatas nepti ſuę, omnia tamen conſeruabat in corde ſuo, vſque in tempus retributionis futuræ. Ducem vero Hiberniæ pręmiſſa non latebant, quamobrem & ſibi cauere ſtatuit, & ducem Glouerniæ cum vniuerſis qui ſibi fauebant de medio tollere meditatur. Iam Paſcha tranſierat, iam tempus pręterierat, quod dux Hiberniæ transfretaturus fuerat in Hiberniam, & adhuc eum, velut nihil de profectione cogitaret, Anglia retinebat. Sed ne tumultus foret nimius in regno inter proceres, rex velut deducturus eum ad naues, in Walliam proficiſcitur cum eodem, non dimiſſurus eum, ſed detenturus ibidem, vt illuc ſemoti, quietius deliberare poſſent, qualiter Ducem Glouerniæ, comites Arundelię, Warwici, Derby, & Notynghamiæ, cum aliis regni fidelibus dolo tenerent, & occiderent. Erant autem cum illis comes Southfolchiæ Michael Atte Poole, Robertus Tryſilian iuſticiarius, & plures alii qui ſuæ pelli timentes, non ſegnius quam rex, & dux Hibernię, in necem prędictorum procerum conſpirabant.

Rex redit à Wallis.

Emerſo temporis magno ſpacio è Cambria (velut profectio Ducis in Hiberniam obliuioni data eſſet cunctis qui remanſerant in Anglia) redit cum duce, & ſuis traditoribus, ad caſtellum de Notyngham, tractaturus ibi finaliter de morte procerum prędictorum.

Conſilium ſubdolum. Cauſa huius vocationis.

Illuc igitur aduocari fecit multos de Londoniis, quos nouit contingentes ad vtrumlibet, & cunctos regni vicecomites, & Iuſticiarios vniuerſos. Sed Londonienſes accerſiuit, quia mobiles erant vt arundo, & nunc cum dominis nunc cum rege ſentiebant, nuſquam ſtabiles, ſed fallaces, quorum multi nuper de proditione in regem confeſſi fuerant, ſed tamen eius gratiam conſecuti, vt ipſi gratiam ſibi pro gratia gratis rependerent: & dominos indictarent de multis criminibus, quæ contra eos rex dum in remotis ageret imaginatus fuerat cauteloſe, vicecomites conuenire fecit, vt ſciret quantam poteſtatem poſſent contrahere in regis negotium aduerſus Barones, & vt ipſi nullum militum de pago vel ſchira permitterent eligi, niſi quem rex, & eius conſilium elegiſſet. Sed ad iſta reſponſum eſt per vicecomites, communes omnes fauere dominis, nec eſſe in poteſtate ſua ad hanc cauſam exercitum contrahere. De militibus eligendis dixerunt ſimiliter, communes velle tenere conſuetudines vſitatas, quæ volunt quod à communibus milites eligantur. Vicecomites ergo datis his reſponſis, dimiſſi ſunt. Iuſticiarii ſunt vocati, vt ipſi decernerent indictamenta fore legalia, & eiſdem apponerent ſua ſigilla.

Proceres indictantur.

Quod & tunc factum eſt, à Roberto Tryſilian & Iohanne Blake iuris apprenticio (quem Robertus Treſilian ad curiam Regis ad dictum facinus introduxerat perpetrandum) expeditis ad vota indictamentis in ſæpedictos proceres, & multos alios nobiles & Barones, qui ad hoc vocati fuerant ſunt dimiſſi.

Rex conducit bellatores.

Rex autem & dux Hiberniæ miſſis mox nunciis conduci fecerunt, quos poterant, vt cum illis ſtarent ſi oporteret contra dominos in die belli. Quorum multi reſponderunt, ſe nec poſſe, nec velle ſtare contra dominos, quos pro certo ſciebant intime regem diligere, & omnia machinari, omnia ſtudere, omnia facere pro honore ſuo. Multi ſimpliciter putantes ſe conduci, promiſerunt ſe ad notationem regiam fore paratos. Interea rumor huius facti peruenit ad dominos, & eos magna repleuit triſtitia, eo quod nullius culpæ conſcii tanto regis odio turbarentur.

Dux Glouerniæ nititur regem pacare.

Vnde in primis regis patruus, dominus Tho. dux Glouernię, vt regis odium mitigaret, & animum ad concordiā pacemq; reduceret, coram epiſcopo Londinenſi, & multis aliis regni nobilibus, tactis ſacroſanctis, iuramentum ædidit ſe nunquam aliquid in regis lęſionē machinatum fuiſſe, ſed omnia pro poſſe, ſtuduiſſe, & perfeciſſe, quæ regis honorem, cōmodum, & beneplacitum proſpectabant: excepto, quod ducem Hibernię, quem rex dilexit, lætis oculis non reſpexit, nec quidem in futurum reſpicere voluit, qui non tātum ſuam ſed regis conſanguineam dehoneſtaſſet: quamobrem in eundem ſtatuit firmiter vindicari. Cum autem epiſcopus Londinenſis iſta (prout iniunctum ſibi fuerat) regi retuliſſet, & aliqualiter ad credendum Ducis iuramento inclinatus eſſet, Michael Atte Poole timens ſi dux & rex rediſſent in concordiā, ſua adfutura diſpendia, verba fecit contra ducem, quibus aduerſus eum regis animum commoueret.

Epiſcopus loquitur Michaeli Atte Poole.

Cui mox epiſcopus: Sileas (inquit) o Michael, non decet enim te os de cætero aperire.

Digitized by Google

Quare (inquit Michael) ita dicis? Quin (inquit epiſcopus) damnatus fuiſti in retroacto parliamento, & non eſt niſi regia gratia quod tu viuis. Ad hæc mox Rex iratus præcepit epiſcopo recedere, & ad ſuam eccleſiam remeare. Qui confeſtim diſceſſit, & duci quæ viderat vel audierat nunciauit. Hinc excreuit rancor & indignatio duci, ſuiſque nequam conſiliariis odium inexorabile, per omnes dies duce Hiberniæ, Michaele Atte Pole, Roberto Triſilian, Alexandro Neuile Archiepiſcopo Eborac. & multis aliis, iram augentibus, concitantibus, & confirmantibus contra ducem. Qui conſiderans quorſum res tenderet, conuocatis ſecreto comitibus Arundeliæ, Warwici, & Derbeyæ (qui conſimili damnationi ſubiacerent, ſi non mature proſpicerent ſibi) denudat conſilium, edicit periculum, quod omnes in commune tangebat. Qui mox collectis exercitibus, ſtatuerunt regem conuenire ſuper præmiſſis, & fauore quem præbuit non tantum ſuis, ſed publicis proditoribus, nec non de periclitatione regni, quæ imminebat, niſi maturius ſubueniretur eidem. E contra rex ex parte ſua (agentibus proditoribus) deliberauit qualiter ſingulos præfatos tolleret, antequam munitis viribus ſibimet ſubuenirent. Et primo miſit ad caſtellum de Reygate (vbi comes Arundeliæ morabatur) comitem Northumbriæ, cum multis aliis ad arreſtandum eum. Qui cernens animum comitis exacerbatum, & militiæ magnam multitudinem circa ipſum, timens perficere commiſſum mandatum, negotio receſſit infecto. Poſt quem miſſi ſunt plures qui nocتanter eum interciperent, & præſentiæ regis ſiſterent, vel certe perimerent, ſi quo modo poſſent. Sed illorum aduentum præuenit nuncius ducis Glouerniæ, qui nocte tota illum equitare compulit, ita vt ſummo mane perueniret ad ſiluam de Harynggeye (tranſcurſis celeritate triginta milliaribus (non ſine magno labore,) vbi reppertit congregatos ducem Glouerniæ, & comitem Warwicenſem, cum populo numeroſo.

Rex mittit ad capiendum comitem Arundeliæ, ſed euaſit.

Eodem tempore (vt dicebatur) rex verſus Cantuariam ſe parauerat proficiſci, non tantum vt vota redderet beato Thomæ, ſed vt promiſſa pacta firmaret tranſfretando regi Franciæ, cui vendiderat Caleſiam, cum caſtello de Guynes, & vniuerſis fortalitiis quæ anteceſſores poſſederant in illis partibus, vel auito iure, vel bellica acquiſitione. Sed hanc profectionem impediuit ſubito comperta congregatio dominorum in ſilua de Harynggeye, & regem obſtupeſcere multum fecit, vnde conuocatis familiaribus ſuis, ſciſcitabatur quid ſibi vellet talis collectio inopinata. Et cum cognouiſſet propoſitum dominorum, quod pro reducendo eum ad frugem melioris vitæ, & regiminis commodioris conuenerant, mox expauit, quærens quid agendum in tanta turbatione foret. Quidam autem cenſuerunt dominos reconciliandos, & promittendum eis votiuam executionem propoſiti ſui. Alii laudauerunt regis familiam, congregandam cum Londonienſibus, ad exeundum & obuiandum proceribus, & experiendum martis fortunam. Et horum acerrimus erat Archiepiſcopus Eboracenſis. Sed diſſuaſerunt hoc prudentiores conciliarii, aſſerentes regi nullum prouenturum commodum licet vinceret, & magnum adfuturum dedecus & diſpendium ſi vinceretur. Interea venit quidã miles exercitatus, ſed ſenſu vacuus, Dominus Hugo de Lynne, qui eo quod ſtultus erat, & ſenſum perdiderat, eleemoſyna dominorum plurium ſuſtentabatur. Ab iſto igitur Rex iocando quæſiuit quid acturus eſſet contra proceres, qui congregari dicebantur in prędicta ſilua. Cui mox Hugo cum ſumma melancholia reſpondit. Exeas (inquit) & aggrediamur eos, & cuiuslibet matris filios perimamus, & per oculos Dei hoc completo, peremiſti omnes fideles amicos quos habes in regno. Quod reſponſum etſi ſtulte prolatum, ſapientes quam maxime ponderant. Interea pacis mediatoribus intercurrentibus, res ad id deductum eſt, vt domini apud Weſtmonaſterium coram rege venirent, accepturi reſponſum de his, pro quibus commoti fuerant. Epiſcopo Elienſi, cum multis aliis fide dignis, ſacramento firmantibus pro parte regis, quod nulla fraus, nulla deceptio, nullum periculum pataretur, per quod ipſi domini nec in vita vel membris ſentirent diſpendia quouiſmodo. Et ſi contingeret regem, vel eos qui cum eo erant, ab iſto pacto reſilire, palam, vel occulte, dicti mediatores dominos inde pręmonerent. Cum autem domini ſe paraſſent, vt Londonias iuxta condictum conuenirent, præfati pacis mediatores, clam miſerunt ad illos, nunciantes inſidias tenſas eis, in loco qui vocatur le Muwes iuxta Londonias, & ideo ſe nolle conſulere vt venirent, niſi cum ſecura manu. Quod audientes domini, ſuum diſtulerunt aduentum. Vnde tranſacta hora limitata, cum nõ adfuiſſent, inquiſiuit rex cur domini pacta non ſeruabant. Cui epiſcopus Elienſis: Quia (inquit) parantur inſidiæ mille vel amplius armatorum in tali

Rex proficiſcitur Cantuariam.

Proceres congregantur, rex turbatur.

Ridicula ſatis reſponſio.

in tali loco contra pactum, & ideo nec veniunt, nec reputant vos fidelem. Rex vero confeſtim motus, iurauit ſe non eſſe conſcium huius rei, & ideo iuſſit vicecomites Londoniarũ, vt pergentes ad le Muwes, & omnia perſerutantes, interficerent, ſi quos inuenirent ob hanc cauſam congregatos ibidem: ſed non latuit dolus ibi, ſed apud Weſtmonaſt. factione Thomæ Triuet, & Nicholai Brambre militum, qui cognoſcentes ſe deprehendendos, occulte dimiſerunt armatos, & Londonias remiſerunt. Miſit ergo Rex iterum ad dominos, promittens ſecurum commeatum, ſi venirent. Qui mox ad Weſtmonaſterium cum manu valida peruenerunt.

Rex vero in aduentu dominorum regalibus ornans ſe inſigniis, toga videlicet, & ſceptro, aulam Weſtmonaſt. eſt ingreſſus, pro quo Cancellarius Epiſcopus Elienſis verba fecit in hunc modum. *Aula apud Weſtmonaſt. inter regem & dominos* Domini (inquit) dominus noſter Rex audiens vos dudum congregatos in parco de Harynggeye contra morem, non in vos irruere voluit (quod quidem ſibi fuiſſet facile, ſi non vobis cauiſſet, & his qui vobiſcum erant.) Quia nulli dubium, ſi conflaſſet exercitum, multo plures vobis habuiſſet, & fortaſſis multus hominum ſanguis effuſus fuiſſet, quod conſtat dominum noſtrum Regem quammaxime abhorrere: & ideo patientiam ſibi ſumens & manſuetudinem, præeligit vos pacifice conuenire, & cauſam dicere, quare tot homines congregaſtis. Ad hæc domini reſponderunt ob regis & regni vtilitatem ſe conueniſſe, & vt proditores, quos ſecum iugiter detinebat, auellerent ab eodem. Proditores vero appellabant Robertum de Veer ducem Hiberniæ, Alexandrum Neuile Archiepiſcopum Eborac. Michaelem Atte Pole comitem Southfolchiæ, Robertum Tryſilian falſum Iuſtitiarium, Nicholaum Brambre falſum militẽ Londinẽſem. Et vt hanc appellationẽ veram fore monſtrarent (proiectis chirothecis) eam ſe velle duello proſequi iurauerunt. Ad hæc Rex: Non ait modo fiet hoc, ſed in proximo Parliamento, quod præfigimus in craſtino Purificationis beatæ Virginis, ad quod, tam vos, quam ipſi venientes, recipietis (ſecundum iuris exigentiam) quæ ratio dictauerit vniuerſa. Et nũc ad vos (ô domini) meus ſermo, quo modo, qua ratione, vel quali vos audacia præſumpſiſtis contra me inſurgere in hac terra? Putaſtiſne me perterruiſſe cum tanta veſtra præſumptione? an non armatos habeo, ſi voluiſſem, qui vos circumſeptos vt pecudes mactauiſſent? Profecto de vobis omnibus non plus in hac parte reputo, quã de coquinæ meæ infimo garcione. Cum hæc & plura alia peroraſſet, leuauit Ducem Glouerniæ (qui hactenus genu flexerat) & reliquis iuſſit vt ſe erigerent. Poſt hæc amicabiliter duxit illos in cameram, & pariter potauerunt, & finale reſponſum receperũt, quod cuncti (prout dictum eſt) ad parliamentum conuenirent, in quo fieret omnis iuſtitia vtrique parti. Et interim Rex recepit Ducem Hiberniæ & ceteros in ſuam protectionem, & Ducem Glouerniæ cum ſuis ſociis pari modo, vt nulla pars interea noceret alteri, nec præſumeret congregationem facere vſq; ad diem tempuſq; præfixum: & ſic iſtud conſilium eſt ſolutum. Hæc acta ſunt in abſentia prædictorum, quia non audebant comparere in dominorum prǽſentia, quia profecto ſi comparuiſſent, tunc ilico pœnas luiſſent abſq; reſpectu regiæ maieſtatis.

Recedentibus dominis non eſt viſum eis tutum iam tunc diſiungi, propter regis mobilitatem, & proditorum notoriam fallitatem, quod eis expoſt magnæ ſapientiæ loco fuit. Nam de conuenientia regis dux Hiberniæ in partibus Ceſtriæ, Walliæ, magnam turbam collegerat. *Dux Hiberniæ congregat exercitum ad extinguendum dominos.* Quorum campi ductor erat Ceſtriæ Conſtabularius dictus Thomas Molynewes, vir diues & audax, cuius nutum tota illa prouincia expectabat. Non diu tamen dominos latere potuit tantus dolus, ſed præmoniti de his omnibus, & quod Dux Hiberniæ Londonias properaret cum tanta turba, vt iunctus Londonienſibus, quaſi inuincibilem exercitum ex duobus faceret, extemplo ſuos armauit, & inuicem cohortantur, vt iam non negligant ſalutem propriam, ſed feſtinẽt præoccupare vel extinguere, qui in illorum necem conſpirauerant fraudulenter. Igitur Duci Hiberniæ exeuntes obuiam, ſed occulte, dimiſerũt turmas ſuas ad obſidendũ omnes vias, quibus venturus ſperabatur. *Domini exeunt obuiam duci Hiberniæ.* Sed dux Hiberniæ cum ſublimis &glorioſus equitaret cum exercitu, quem comparauerat, & nullum crederet auſurum obuiare ſibi, repente dirigens in obliquum oculos, vidit dominorum exercitum non procul ab eo diſtantem, & aduentum eius in cuiuſdam vallis medio præſtolantem. Quo viſo, cor eius expauit, & dixit: Amici (inquit) vt cerno mihi fugiendum eſt ad horã, quia multo maior fortitudo in aduerſa parte videtur quam noſtra: *Dux Hiberniæ verba facit ad ſuos.* vnde antequam ſit manibus conferendum, me ſubtraham, & ſaluabo ſi potero. Quia me ſolum quærunt, contra vos autem nihil habent. Quamobrem me dilapſo vos de facili euadetis. Cui quidam

ex militibus ſuis ait: Tu nos è patria exire compuliſti, tu fidem nobis ſuaſiſti, tu ad hoc iter nos coegiſti, tecum ergo parati ſumus dimicare, tecum vincere (ſi contingat) vel (ſi fortuna non faueat) tecum mori viriliter. Non (inquit) ita in præſentiarum facietis, & mox calcaribus vrgens ſonipedem fugere æſtimabat. Quare multi, qui cum eo venerant execrantes eius meticuloſitatem, ad dandum dextras dominis parauerunt. Erat ibi tunc dictus Thomas Molinewſ, qui ſe præparauit ad pugnam (quia nondum domini cuncti conuenerant ad illum locum) ſed vnus tantum, filius ducis Lancaſtriæ Henricus Comes Derbeyæ, qui cum aliquandiu pugnaſſet, feſſus & deſperans, flumen quod prope erat, ingreſſus eſt. Inter multos vero Thomas de Mortuomari miles hortabatur vt aſcenderet, vel ſine dubio eum in flumine ſagittis perforaret. Si (inquit Thomas) aſcendam, viſne ſeruare vitam meam? Non hoc promitto (ait miles) ſed vel aſcendas vel occumbes mox. Cui ille: Si ſic (inquit) neceſſe eſt, ſinas vt aſcendam, vt tecum vel quocunq; veſtrum pugnem, vt moriar ſicut homo. In aſcendendo autem cepit eum miles per caſſidem, & de capite ſuo traxit, & mox extracto cultello daggardo eius cerebrum perforauit. Interea dux Hiberniæ fugiens, peruenit ad flumen, ſed cum tranſire ad pontem vellet, confractum reperit. Ad alium vero pontem dum perueniſſet, architenentes inuenit, qui eius tranſitum prohiberent. Igitur diuertens ab eis, & vadum quærens, equum compulit intrare flumen, in quo mox ex equite natator factus, ad aliam ripam venit. Nox autem erat, & ideo non ſunt ſecuti fugientem ſerui procerum, eo maxime, quod diuerticula patriæ neſciebant. Equus tamen eius, cum caſſide, & cum chirothecis pectorale, in ſortem peruenit dominorum. Vnde expoſt magno tempore ſubmerſus fuiſſe putabatur. Quadrigam eius inſuper cum clitellis proceres interceperunt, in quibus plurima repererunt, & præcipue Regis ad ipſum literas, in quibus continebatur, vt venire feſtinaret ad eum Londonias, cum poteſtate magna, & Rex paratus eſſet, & cor apponeret ad viuendum & moriendum cum eo. Qui apices magnam fidem fecerunt dominis de Regis inconſtantia & mutabilitate.

Thomas Molineux occiditur.

Abſa Michaelis Atte Poole.

Michael Atte Poole per idem tempus timens animaduerſionem in eum futuram, latenter fugit Caleſiam, ducente eo quodam milite Wilhelmo Atte Hoo. Quo cum perueniſſet mutato habitu, & raſa barba, portabat altilia velut ad vendendum, donec veniſſet ad fores caſtelli Caleſię, cuius capitaneus erat dominus Edmundus Atte Poole frater eius, à quo (licet difficulter cognitus propter veſtem ſordidam, & raſam barbam) rogauit vt eum occultaret & tutaretur, narrans quod propter quoſdam æmulos, quos timebat Angliam exceſſerat. Cui ille, Frater meus es (ait) ſed noueris, quod pro vlla conſanguinitate nolo deprehendi falſus regno Angliæ, nec te admittere ſine ſcientia vel cõſilio domini Wilhelmi de Bello campo, qui eſt capitaneus huius villæ, quia credo & veraciter coniicio, quod ſine magnis offenſis non fugiſti. Miſit ergo ad Wilhelmum Beauchamp, nuntians fratrem eius aduenisſe, non tam mirabiliter, quam miſerabiliter, & orans vt ſibi liceret recipere eum, & exhibere, donec idem Wilhelmus decerneret eum remittendum. Quod ita factum eſt: Nam reductus ad Regem fuit, ſed permiſit illum Rex ire libere, quocunque vellet, paruipendens verbum proprium, quo promiſerat eum exhibendum cum ceteris Parliamento futuro. Fugerunt eo tempore Archiepiſcopus Eborac. & Robertus Tryſilian, iram (quam meruerant) procerum metuentes. Regreſſis dominis à conflictu, qui fuit iuxta Burford prope Babbelake, vbi militibus, qui conuenerant cum duce Hiberniæ, & armigeris, redonatis armis & equis, & ſecum detentis, ſed plebanis equis, arcubus, ſagittis, ſpoliatis & domum remiſſis, magna fiebat in communi vulgo lætitia de hoſtibus regni ſtratis. Sed hanc lętitiam temperauit euaſio ducis Hibernię quia quid de eo fuit actum neſciebatur.

Capitur nuntius regis Francorum

Accidit eo tempore, vt quidam nuntius regis Franciæ caperetur, Luſtratus nomine, qui detulerat apices, in quibus licentiauit Rex Franciæ, Regem Angliæ, & ducem Hiberniæ, & quoſdam alios (ſub hominum certo numero) venire in Boloniam, vbi Rex Franciæ (collecto exercitu) aduentum Regis præſtolabatur, vt eum ſuſciperet cum magna pompa, & ab eo reciperet poſſeſſionem in Caleſia, & omnibus munitionibus, quas Rex Angliæ in illis partibus poſſidebat, pro quibus omnibus rex Franciæ perſoluiſſet. Et Rex Angliæ pro Vaſconia homo ligeus Regis Franciæ deueniſſet, proceres autem hæc reticentes, feſtinauere Londonias properare, vbi rex natale dominicum celebraturus erat, non apud Weſtmonaſterium, ſed in turri, quia putabat locum (ſi quid ſiniſtri emergeret) ſe poſſe tueri. Collecto ergo exercitu prope ad quadragin-

Digitized by Google

aginta millium valentium bellatorum (eo libentius aduentantium, quo ſperabant ondinenſes ſpoliandos.) In craſtino natalis dominici Londonias peruenerunt, & ſe campos, vbi videri poterant à turri per bellicas acies demonſtrauerunt. Et quia res igeſſimus vſque ad hoc tempus, hic erit elapſi finis anni. Tranſit annus iſte frugifer, ructifer, & ſalubris mediocriter: Angliæ turbulenter (præter id, quod vina capta per omitem Arundeliæ lætificarunt corda multorum:) Hiſpaniæ lætus de receſſu ducis egnum vendicantis, & ſuorum interitu miſerando: Franciæ triſtis & lugubris, propter non ſolum vina perdita, ſed vaſa cum viris: Flandriæ mœſtus, propter vina perdita cum bonis communiter Gallicorum. *Annalis concluſio.*

Anno dominicæ incarnationis M. CCC. LXXXVIII. fuit Rex ad natale Londoniis in turri (vt præfertur) (hic eſt annus vndecimus regni eius) ad quem locum collecti ſunt proceres cum plebe ſua, hoſpitatique ſunt in ſuburbiis vitantes fallacias vrbanorum. Erant tunc in magno metu Londinenſes, librantes diuerſa pericula, ſcilicet iram Regis, ſi proceribus aperirent, ſi vero illos excluderent, indignationem indiſcreti vulgi, quod cum illis venerat, & præſto fuit ad infringendum muros vel fores ciuitatis, ſi vel minime exacerbarentur. Reſtabat & aliud ſatis graue periculū, quia niſi maiores dominis aperirent, communes ciuitatis & pauperes (qui plus affectabant ſeditionem quam pacem) parauerunt ſe ad introducendum dominos cum plebe ſua, & diripiendum quicquam in domibus diuitum pretioſum. Habita tandem deliberatione Maior Londoniarum exiit, & dominis hoſpitia intra vrbem, & omnia neceſſaria bona fide (ſi acceptare vellent) promiſit, & vinum cum ceruiſia, caſeumque cum pane diſtribuit in exercitu vniuerſis, quod non paruum commodum poſtea vrbi fuit. Rex interea audiens, & ſciens hæc omnia, diſſimulabat, tanquam collectam multitudinem paruipenderet, & dominos non timeret, dicens Archiepiſcopo Cantuarienſi, & aliis qui intercurrebant pro pace facienda. Sinantur (inquit) hic iacere cum turba ſua, donec expenderint omnia bona ſua, & tunc demum vacui reuertentur, & egentes in domos ſuas, & tunc loquar cum eis iudicium ſigillatim. Cum hæc audiſſent domini, valde commoti iurauerūt ſe nunquam receſſuros, donec cum eo ore ad os colloquium obtinerēt. Et mox miſerunt, qui fluuiū Tameſin cuſtodirēt, ne rex laberetur à manibus eorum, & poſtea ſubſannaret eos. Tunc videns rex ſe vndiq; circumcluſum, nuntiis loqui cœpit, & iuſſit renuntiari dominis, ſe velle tractare cum eis. Qui poſtulauerunt, vt in craſtino veniret ad Weſtmonaſt. vbi voluerunt ſibi depromere vota ſua. Non (ait rex) volo tractare cum eis apud Weſtmonaſterium, ſed hic in turri. Cui domini renuntiauerunt hunc locum ſuſpectum fore, eo quod poſſent illic ſtrui inſidiæ, & eis pericula præparari. Ad hæc Rex, mittant (inquit) ducentos vel quot de ſuis voluerint, & præuideant cuncta, ſcrutentur vniuerſa, ne lateat vllus dolus. Quod ita factum eſt. Tunc Dux Glouerniæ cum ſociis ſuis intrant turrim, & habito palam cum rege, ſed breui colloquio (poſtulante rege) cameram intrauerunt, vbi coram eo, eius conſpirationem qua indictati ſunt recitauerunt, & literas oſtenderunt, quas miſerat duci Hiberniæ, vt exercitum congregaret in pernitiē eorundem. Apices quoque Regis Franciæ (quas interceperant) exhibuerunt, quibus vel conceſſus fuit regi conductus in Franciam veniendi, vel cetera firmandi, quibus eius honor decreſceret, poteſtas fateſceret, & fama periret. Quid tunc Rex ageret (iſtis viſis) neſciuit, præcipue, quia nouit ſe notabiliter depreſſum. Tandem confuſum & lachrymantem (licentia tunc petita) reliquerunt, ea conditione, vt craſtino veniret ad Weſtmonaſterium auditurus plura, & tractaturus de neceſſariis negotiis regni ſui. Quod ipſe promiſit, retinens ſecum in pignus amoris ad cœnam Comitem Derbenſem: ſed antequam iret cubitum, agentibus ſuſurronibus, & dicentibus non eſſe decens Regi, tutum, nec honorificum, vt illic pergeret, propoſitum mutauit. Proceres cum hæc nouiſſent triſtes effecti, & amaro animo, renuntiauerunt ei, niſi venire maturaret iuxta condictum, quod eligerent alium ſibi regem, qui vellet & deberet obtemperare conſiliis dominorum. Quo telo Rex percuſſus, ad Weſtmonaſterium in craſtino remigauit. Cui (poſt paucos tractatus) dixerunt proceres pro honore ſuo, & regni ſui commodo, oportere, vt proditores, ſuſurrones, adulatores, & malefici, detractatores, & inutiles à ſuo palatio & comitiua eliminarentur, & alii ſubſtituerentur loco ipſorum, qui ſcirent, & vellent, ſibi magis honorifice & fidelius famulari. Quod vbi Rex conceſſit (licet mœrens) cenſuerunt arcendos à curia Alexandrum Neuile Archiepiſcopum Eboracenſem, Iohannem Fordā Epiſcopum Dunelmenſem, fratrē Thomā Rushok regis confeſſorem (de ordine Prædicatorum) *Acta inter Regē & Londinenſes.*

Epiſco-

Epiſcopum Ciceſtrenſem, ſed ipſe ſibi conſcius fugam iniit, & Eboracenſis latebras requiſiuit. Expulerunt præterea dominos de Souche, de Haryngworth, de Burnel, & de Bemond, Albredum de Veer, Baldwinum de Bereford, Richardum Adderbury, Iohannem Worth, Thomam Clifford, & Iohannem Louel milites: non vt omnino dimiſſos, ſed Parliamento proximo parituros. Expulſæ ſunt & dominæ tanquam inutiles curiæ, ſcilicet de Ponyngs, quæ fuit vxor domini Iohannis Worth, de Mowen, & de Molyng, quæcunque manucaptæ ſunt obiiciendis in proximo Parliamento reſponſuræ.

Milites areſtantur.

Clerici areſtati.

Areſtauerunt inſuper Simonem Burley, Wilhelmum Elinham, Iohannem Beauchamp de Holte Regis Seneſchallum, Iohannem Saliſbury, Thomam Triuet, Iacobum Berneys, Nicholaum Dagworth, & Nicholaum Brambre milites. Cæperunt & clericos, Richardum Clifford, & Iohannem Lincoln. Richardum Motford, & Nichol. Lake, decanum capellę Regis, cuius verba multa fiebant in curia, & Iohannem Blake iuris apprenticium, quos omnes milites & clericos diuerſis carceribus tranſmiſerunt ſub arcta cuſtodia conſeruandos, vſq; ad Parliamentum futurum, quo ſuis aſtituri erant reſponſis.

Parliamentum Londini.

Capitur Robertus Tryſilian.

Suſpenſio militum.

Poſt feſtum Purificationis inceptum eſt Parliamentum Londoniis, licet rex voluiſſet omnino ſubterfugiſſe dictum Parliamentum ea vice. Ad quod proceres cum ſufficienti conuenerunt exercitu, ad compeſcendum, ſi emergerent motus rebelles, & continuatum eſt iſtud Parliamentum vſque ad feſtum Pentecoſtes cum magna multorum ſollicitudine & expectatione. In quo primo captus eſt Robertus Tryſilian ſatis infortunate ſibi, quia mox tractus eſt, & ad furcas ſuſpenſus. Conſequenter iudicio dominorum proceſſum eſt contra Nicholaum Brambre militem, qui eidem damnationi ſubiacuit, licet plures habuiſſet interceſſores. Hic (vt fertur) nomen nouæ ſcilicet paruę Troię, cuius vrbis & nominis ipſe dux creari ſtatuit & nominari, ad perducendum ad effectum facilius cogitata, tabellos ſiue rotulos conſcribi fecerat, in quibus plura millia nominum ſuorum ciuium exarata fuerant, quorum in hac parte reſiſtentiā verebatur, qui omnes repente iugulati fuiſſent, ſed tamē ante ſuſpēſus eſt, (vt præfertur) quam ad effectum perduceret meditata. Poſt hæc Iohannes Saliſbury, & Iacobus Berneys, ambo milites, ambo iuuenes, ſed ambo proditores, tracti ſunt Parliamenti iudicio & ſuſpenſi. Deinde Iohannes Beauchamp de Holte Regis Seneſchallus (ab antiquo fallax & fraudulentus, & tam domino Edwardo de Windeſore Regi, quam filio ſuo Leonello quondam duci Clarentiæ infidelis) eiuſdem Parliamenti decreto tractus & ſuſpenſus eſt. Suſpenſus eſt conſequenter Iohannes Blake ſcutifer, qui in conſilio apud Notyngham ſteterat contra dominos infauſta hora.

Decollatus eſt Simon Burley.

Nouiſſime decollatus eſt Simon Burley, quamuis Comes de Derby omnes vires appoſuiſſet eius ereptioni. Ob quam cauſam magna diſſentio orta eſt inter eum & Ducem Glo:iernię, ſed cito (laudes Deo) ſopita. Hic in cunctis locis vbi incedebat non ſuæ fortunæ militem, ſed in omni apparatu ducem vel principem ſeipſum exhibebat. Eratque cuſtos caſtelli de Doueria, quod ad nutum Regis conſenſerat Gallicis vendidiſſe: fueratque intollerabiliter ſuperbus & arrogans, oppreſſor pauperum, oſor Eccleſiæ, mœchus & adulter. Damnati ſunt inſuper in præmiſſo Parliamento Iuſtitiarii, Robertus Belknap, Iohannes Holte, Rogerus Fulthrop, & Wilhelmus Burgh exilio, conceſſa certa pecunia ad vitam ſingulis pro ſuſtentatione ſua quotidiana: deinde exactum eſt iuramentum à Rege ad ſtandum regulationi procerum, & non ſolum à Rege, ſed à cunctis regni incolis idem iuramentum eſt expetitum.

Profectio comitis Arundelienſis.

Poſt feſtum Pentecoſtes Richardus Comes Arundeliæ cum valentium turba profectus eſt ad mare, & hinc inde velificans hoſtes vbique quæſiuit, tandem hoſtium rates reperiens, confligit & vincit: & naues octoginta vel mergit, vel capit, vel incendit. Inſulam de Beas ingreditur, quam deſpoliat & comburit. Inſulas inſuper de Vs, & de Ree, de Lemuſtre & de Rochele, de Olum & de Olorum (vbi leges marinæ conduntur) inuadit, capit, & deprædatur. De quibuſdam redemptionem percipiens, quaſdam vero igne deuaſtans, Gallicos ſiue Britones, qui reſiſtentiam parauere, vincens conuertit in fugam. Pactoque cum ſumma felicitate negotio rediuit ad regnum.

Gallici ingreſſi terras ducis de Gelre.

Eodem tempore Gallici (de pace faſtidioſi) cum magno numero armatorum terras Ducis de Gelre ſunt ingreſſi, vt ei inquietudinem ſuſcitarent, eo maxime quod erat Anglis fidus amicus: ſed mox Dux occurrens eis cum quibuſdam Anglicis, docuit quam periculoſum fuerat excitare canē dormientem, occidens ex eis plurimos, multoſque captiuans, paucis per fugam dilapſis: ſenſitque in hoc conflictu damnum

Fran-

ıncia, quantum non ſenſerat à diebus antiquis. Flandrẽſes per idem tempus & ipſi currentes Gallicis magnam ſtragem fecerunt ex ipſis: nec immerito cum ſumma perbia grauiq; tyrannide Galli eos per ante oppreſſerant & vexarant. Eodem anno coti (quietis neſcii) conſiderantes Anglicos nihil moliri contra illos, præparauerũt vt mox expirantibus treugis eſſent omnes parati ad inuadendum partes boreales. actumq; eſt vt cum grandi exercitu regnum intratẽt, antequam Anglici quicquam diſponerent contra eos. Igitur (nullo reſiſtente) progreſſi, agebant cædes & rapinas vbique, multos captiuantes, villaſq; conflagrantes, quæ fuerunt in eorum itinere (niſi quas domini de eiſdem pecunia redemiſſent. Peruenerunt q; cum magno faſtu prope nouum caſtrum ſuper Tynam, & non procul inde ſua tentoria poſuerunt. Erat tunc in villa prædicta Henricus Percy iunior, & Radulphus frater ſuus, ambo milites, ambo gloriæ militaris cupidi, ambo Scotis infeſti: ſed Henricus præcipue, qui pro ſuæ ſtrenuitate perſonæ, à Scotis maxime timebatur. Hic Henricus indigne ferens, quod Scoti tam impune bacchabantur, & eo maxime quod prouocatus fuiſſet ab eis ad pugnam, repromiſit ſe procul dubio aduenturum ad conferendum cum illis infra triduum, quamuis omnino foret impar multitudini eorundem. Superuenit ergo repente iuxta condictum, irruens ſuper eos in tentoriis conſtitutos, & magnam ſtragem faciens de eiſdem. Dux Scotorum præcipuus W. Duglas (qui & ipſe fuit iuuenis ambitioſus) videns Anglos præualere, Henricum Percy videlicet intra caſtra, alacriter equitat contra eum. Erat ibidem cernere pulchrum ſpectaculum, duos tam præclaros iuuenes manus conſerere, & pro gloria decertare, & quamuis neutri virilis deeſſet animus, tamen ſors contulit Henrico victoriam, qui Scotum, Scotorum maximum, ſuis manibus interfecit. Superuenit comes de Dũbare cum exceſſiuo Scotorum numero, & ipſum Henricum cum fratre ſuo cepit, occiſis ex Anglicis ibidem multis, ſed & ipſi Scoti damnum irrecuperabile perceperunt de ſuorum potentiſſimorum ſtrage facta per Henricum & paucos qui ſecuti ſunt eum ad hanc pugnam. Interea dum proceres ſe diſponunt ad obuiandum Scotis, Scoti humiliati p hoc dedecus illis illatum, de regno fugiunt cum captiuis quos ceperant, expectare aduentum procerum non audentes, & ſic vnius Henrici videlicet probitate (licet captus eſſet) totum regnum fuit tam metu, quam Scotis penitus vacuatum.

Duglas perimitur, & Henricus capitur.

Poſt feſtum natiuitatis S. Mariæ factum eſt Parliamentum Cantebrigiæ, in quo noua ſtatuta ſunt ordinata, de ſtipendiis famulorum: de mendicis: de armis non portandis: de ludis non exercendis præter ad arcum: de ſtapula reducenda de Middelbourgh ad Caleſiam: de laboratoribus non recipiendis in aliena villa, niſi cum ſigillo hundredi: de prouiſoribus, quod regnum non exeant ad acquirendum beneficia cum cura vel ſine cura, niſi habeant ad hoc licentiam ex ore Regis, & ſi fecerint, eo ipſo Rex excluderet eos à ſua protectione: multa fuerunt & alia ibidem ſtatuta, quæ hic omitto ſcribere, propter id maxime, quod eadem per ante ſæpius ſunt ſtatuta, ſed nullatenus obſeruata. Tandem finis Parliamenti erat taxa leuanda ad opus Regis, id eſt, decima de clero, & quintadecima de populo laicali. Tempore Parliamentali cum dominus Thomas Tryuet cum rege ſublimis equitaret ad regis hoſpitium (quod fuit apud Bernewelle) dum nimis vrget equum calcaribus, equus eadit, & omnia pene interiora ſeſſoris dirumpit: protelauit tamen vitam in craſtinum, quod tempus, vt puto, datum fuit ſibi ad pœnitentiam, ſi ille vellet acceptare. Facta eſt in eius morte magna lætitia plurimorum, tum quia ſuperciliosus nimis extiterat, tum quia (vt dicebatur) Norwycenſi Epiſcopo infidus in ſua profectione cum cruce ſignatis fuerat, & præcipue quia contra proceres cum rege ſteterat, conſulens, vt rex eos perimeret anno tranſacto. In eodem Parliamento dominus Iohannes Holond, frater regis ex parte matris, qui nuper redierat de Hiſpania, vbi duci Lancaſtriæ militauerat, creatus eſt Comes Huntingdoniæ.

Parliamentum Cantebrigiæ.

Triuet casu equi caſus.

Per idem tempus Vrbanus Papa (vt erat ſemper varius) ad loca varia tranſtulit ſe frequenter, tandem cum de Piſis latenter voluiſſet ſe tranſtuliſſe Neapolim, Romani eum armatis obuiauere ſibi, vt eum per vim violentiamq; detinerent Romę, ſi ibidem nollet morari ſua ſponte: ſed cum propinquaſſent ſibi, viderunt ſe multo inferiores militia, quam ea quæ cum Papa venerat, & ideo depoſito verborum ſupercilio, eum pacifice ſalutarunt. Qui ſciſcitatus eſt ab eis, ad quid venerint cum tanta manu? qui mox finxerunt ſe veniſſe in eius obſequium, vt (ſi ſibi videretur expediens) eum deducerent quocunque vellet: ipſe vero commotus reſpondit, ſe non egere eorum conductu, quinimo ſub benedictione ſua Romam remearent: illi autem

Abbas montis Caſſini prohibet tranſitum Papæ.

artem

Digitized by Google

artem arte deludentes, accepta licentia regreſſi ſunt. Sed mox aduentum Papæ Abbati de Monte Caſſino ſignificare curarunt (hic erat quondam Cardinalis Reatinenſis (vt pręmittitur) ſed degradatus fuerat per Papam præfatum:) hic illico collecta manu militari, explorauit aduentum Papæ, quem oportuit omnino tranſire per illum. Qui cum veniſſet ad partes eius, ei reſtitit, & eius tranſitum prohibebat. Papa vero, quem nimius amor ſoli patriæ detinebat, confectis bullis de reſtitutione ſua ad Cardinalatus dignitatem, & gradum doctoratus, necnon Abbathiæ Caſſini Montis honorem, deſtinauit ſibi hæc omnia, tamen vt permitteret eum tranſire reuiſere natale ſolum. Cui Abbas reſpondit, ſe quidem non egere bullis ſuis ad reſtitutionem dignitatum, quibus & donatus & inueſtitus fuit à prædeceſſore ſuo, cuius temporibus non erat ſchiſma in Eccleſia, qui & cognitus eſt vniuerſaliter pro Papa Romano, de iſto vero dubium fuit, ſi futurus eſſet Papa viuente Clemente ſuo aduerſario, & ideo remiſit nuntios cum bullis Papalibus, iniungens vt ei dicerent ex parte ſua, vt Romam rediret mundi Metropolim, & ibidem inter Romanos verſaretur vt Papa Romanus, quia proculdubio non expediebat ſub ſua iuriſdictione conſtitutis eum quætere tam remote, vt ad mare magnum proficiſcerentur, qui eius perfrui benedictionibus affectabant. Rediit ergo Papa vellet nollet Romam, vbi à ciuibus ſummo cum honore receptus eſt.

Tranſlationes Epiſcoporum.

Eodem anno Papa tranſtulit dominum Thomam Arundel. Epiſcopum Elienſem ad Archiepiſcopatum Eboracenſem, Alexandro Neuile ptoditore & ſuſurrone tranſlato ad Epiſcopatum ſancti Andreæ in Scotia, quanquam non habiturus eſſet eum, quia Scoti pro tunc fuere ſchiſmatici: Iohannem vero Fordam de Dunelmenſi fecit Epiſcopum Elienſem, Magiſtrum Waltetum Skirlow de Bathonienſi fecit Epiſcopum Dunelmenſem, Magiſttum Radulphum Ergon de Sarum fecit Epiſcopum Barhonienſem, & Iohannem Waltham clericum de priuato ſigillo per prouiſionem contulit Epiſcopatum Saliſburienſem. Tranſit annus iſte frugifer & fructifer abundanter, proditoribus lugubris, fidelibus regionis hilaris: Francis diſpendioſus propter vaſa perdita inuaſione Comitis Arundeliæ: Hiſpanis quietus tractantibus de pace: Scotis varius, & infauſtus (quanquam Henricum Percy eo tempore captiuaſſent) domino Papæ inuiſus & odibilis, quia non conſecutus eſt arbitrium voluntatis.

Annalis concluſio.

Tractatus de treugis.

Anno domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo nono, qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi duodecimus, fuit idem Rex ad natale cum Anna Regina apud Weſtmonaſt. Hoc anno miſſi ſunt nuntii ex parte Regis Angliæ, pro pace vel ſaltem treugis petendis à Rege Franciæ, Magiſter Walterus Skirlow Epiſcopus Dunelmenſis, & Iohannes Clambowe, ac Nicholaus Dagworth milites: qui diu perendinantes Caleſiæ, & nunc iſthac, nunc illac, trans mare diſcurrentes in pronuntiandis vel accipiendis treugarum cōditionibus, tandem pro finali recepere reſponſo, quod Gallici non conſentirent ad treugas niſi Hiſpani, & Scoti, ſub dictis treugis, quiete ſimili congauderent. Diu igitur ſuſpenſum fuit pacis negotium, eo quod noſtri affirmabant Scotos eſſe ligeos homines Regis Angliæ, qui pacem Regis ſui enormiter contutbauerant, & ideo debere eos vt tranſgreſſores legum, iuxta voluntatem Regis & procerum regni puniri, nec fas eſſe, vt Rex ſuis obiectis (ſed tamen trangreſſotibus) tamen ptæſtaret, vt abſque vindicta cum eis taliter conueniret. Hac occaſione treugæ dilatæ ſunt, ſed & Scoti interim paruipendentes ampulloſas minas noſtras, irrupetunt in Northumbriam, facientes magnam ſtragem, ex hominibus plures abducentes captiuos, & prædas maximas in ſuam patriam reuehentes. Eo tempote miſſus fuit cum armata manu dominus Thomas Moubray Comes Bukinghamiæ, mareſchallus, vt Scotorum obuiaret improbitatibus: ſed quia non erat par tantis exercitibus, nihil fecit, quippe qui non vltra quingentas lanceas ſecum duxit, contra triginta millia aduerſariorum.

Obitus abbatum ſancti Edmundi.

Circa dies iſtos obiit dominus Iohannes Tymworth, quondam abbas ſancti Edmundi de Bury, cui ſucceſſit per electionem dominus Wilhelmus de Stratfeld, monachus eiuſdem loci, qui Romam pergens confirmatus eſt à Papa, promiſſione prius perita (ſed non conceſſa neq; ſoluta) de certa penſione annua perſoluenda de domo ſua Edmundo de Brumfeld: pet cuius ambitionem (vt præfertur) idem monaſterium varia ſuſtinuit detrimenta.

Obitus Epiſcopi Roffenſis.

Eodem tempore, dominus Thomas Bruton Roffenſis Epiſcopus conceſſit in fata, cuius morte comperta, mox Papa contulit Epiſcopatum illum fratri Iohanni Boltesham (de Prædicatorum ordine) qui fuit Epiſcopus Landauenſis. Edmundum

vero

Digitized by Google

vero præfatum, creauit Epiſcopum Landafenſem: & ſic exonerata eſt domus de Bury, de penſione petita, ratione videlicet beneficii ſibi collati. Elegerant autem Roffenſes in Epiſcopum vnanimiter, magiſtrum Iohannem de Barnet: ſed Papa cupiens vtriq; perſonæ præſtare gratiam, Iohanni ſcilicet (quia ſecum permanſerat in temptationibus ſuis tempore quo apud Luceriam fuit obſeſſus) & Edmundo (eo quod carceres & damna ſuſtinuerat in cauſa Papæ, quando ſibi prouidit Abbathiam de Bury) ceſſauit electionem factam de dicto Iohanne Barnet, vt ſic vtriq; liberius prouideret, Edmundo videlicet & Iohanni.

Eodem anno rex ductus quorundam conſilio ſuſurronum, conuocatis proceribus & multis regni valentibus, ſubito ſubintrauit domum conſilii, vbi proceres eius præſtolabantur aduentum. Et ſedens requiſiuit ab eis, quot annos ætatis habebat. Reſponſum eſt, quod iam viginti annos peregiſſet. Ergo (inquit) plenæ ſum ætatis ad gubernandum domum & familiam, necnon regnum meum, iniuſtū enim mihi videtur, vt conditio mihi imponatur infra regnum. Nempe quilibet hæres regni mei, cum vicefimum attigerit ætatis annum, defuncto parente, libere propria ſua negotia tractare permittitur. Cur ergo mihi negatur, quod cuilibet alteri gradus inferioris iure conceditur? Cumq; Barones ad hæc attoniti reſponderēt, nihil iuris ſibi debere ſubtrahi, ſed eum habiturum regimen regni ſui ſibi de iure debitum: ita ait: Ecce noſtis, quod diu regulatus fuerim per tutores, nec licuit mihi quicquam vel minimum facere ſine illis, iam enim de cetero illos de conſilio meo amoueo, & vt hæres ætatis legitimæ, quos voluero ad conſilium aduocabo, & negotia propria pertractabo. Et ideo iubeo, vt in primis Cancellatius ſigillum mihi reſignet. Cumq; Eboracenſis Archiepiſcopus ſigillū reddidiſſet, rex illud recollegit in ſinum, & repente ſurrexit, & exiit, & poſt puſillum rediit, & reſedit, tradiditq; ſigillum Epiſcopo Wintoniēſi, domino Wilhelmo Wykham, faciens eum Cancellarium, quamuis plurimum renitentem. Creauitq; nouos officiarios plurimos, antiquis depoſitis, in omnib. vtens propriis arbitrio & poteſtate. Ducemq; Glouerniæ, & comitem Warwicenſem, alioſq; multos valentes amouit à conſilio, adhibitis aliis, qui ſuis oculis complacebant. Sub eodem tempore Rex creauit Iuſtitiarios nouos quinque.

Rex vendicat liberam regni iure hereditario diſpoſitionem.

Interea quidam detractores, Regem circumuenientes, tantum profecerunt, vt crederet auunculum ſuum ducem Glouerniæ, collegiſſe turbas ad infeſtandū eum: ſed tandem Rex (acceſſito duce) & comperta fama mendace, confuſus erubuit. Aderant tunc præſentes quidam, qui hoc mendacium ſeminauerant, contra quos cum Dux loqui voluiſſet, & eorum perfidiam publice declaraſſe, rogauit Rex ſub obteſtatione ſuæ dilectionis, ne vlterius procederet in materia prætaxata. Acquieuit ergo Dux roganti facilius, quod bene nouit iam Regi ſuam innocentiam declaratam. ſed cum receſſiſſet ad ſua, ſuccreuit vtrobiq; ſuſpicio, ſuſurronibus interponentibus partes ſuas.

Rex ſeducitur & contra ducem exaſperatur ſine cauſa.

Circa feſtum natiuitatis S. Iohannis Baptiſtæ, firmatæ ſunt treugæ triennales, inter regna Angliæ & Franciæ: Iohanne Clanbow milite, & Richardo Rouhale clerico, ſuſcipientibus in Francia iuramentum ex parte Regis Franciæ, & paulo poſt (ſcilicet circa feſtum ſancti Laurentii) venit in Angliam comes ſancti Pauli (qui deſponſauerat ſororē regis Angliæ Matildam de Courtenay) cum aliis honorabilibus, ad ſuſcipiendum iuramentum de treugis ſeruandis fideliter ex parte Regis Angliæ, qui cum honore maximo ſuſceptus eſt. Eo tempore quidam ex nuntiis, qui de regno Francorum venerant, miſſi ſunt in Scotiam ad dandum Scotis opinionem ſub certis conditionibus, vel includi inter treugas datas inter Reges, vel omnino de protectione Franciæ Regis excludi. Maiores Scotorum reſponderunt, ſe libenter treugas & conditiones admiſſuros, ſed tamen bene ſcire durum fore hæc communi vulgo perſuaderi, cum iam parati eſſent iterum cum abundantiori militia Angliam ingredi, & ſperarēt de tali ingreſſu lucrum multum, præcipue cum iam antea paucioribus, qui audebat reſiſtere, nullus fuit: & vt ſe monſtrarent obedientes regi Franciæ, rogauerunt vt nuntii cum illis accederent, & viderent ſimul & præparationē pugnæ, quam Scoti fecerant, & audirent, quæ communitas nuntiis reſpondere vellet. Gallorum ergo nuntii cum veniſſent ad Scotorum exercitum, repererunt eos pulchre per turmas diſpoſitos, fulgide & decenter armatos, & quaſi ad procinctum prœlii præparatos. Quibus cum innotuiſſet cauſa aduentus iudiciorum Franciæ, indiſciplinatum vulgus reclamauit procaciter ſe nolle tantum apparatū deſerere, tantos ſumptus perdere, quos ad regnum Angliæ inuadendum comparaſſet: præcipue cum domos

Treugæ firmatæ.

Nuntii deſtinantur ad Scotos.

 & pe-

& pecunias, prædia & ſuppellectiles ad hunc finem inuadiaſſet, & ſe multipliciter depauperaſſet. Nuntii nihilominus hiis auditis, nunc minis & terroribus, nunc pollicitationibus & blanditiis idegerunt cum populo, vt armis depoſitis, in pacem conſentirent. Iuuitq; multum ad animos ſedandos rebellium, & aſſertio procerum Scoticorum, qui omnino iurauerunt, ſe nolle eis præbere ducatum in Anglia, ſed ſi omnino decernerent cępta continuare, ipſi proprio periculo pergerent, & ex ſe ipſis Duces eligerent pro eiſdem. Sicq; factum eſt, vt improbi Scoti pacem ſuſciperent, & treugis acquieſcerent, non ſine improperio Anglicorum.

Miraculum de Ely.

Sub eiſdem diebus apud Ely beata Etheldreda, virgo perpetua & regina, apparuit cuidam iuueni, docens eum cauere pericula ſibi imminentia, & inſtruens eum de periculis maximis, quæ regno ſuperuenirent, niſi pius Deus placatus orationibus piis fidelium, manum ſuſpenderet à vindicta. Quapropter monet, vt Priorem & monachos adeat, & eis mandata ſua deferat, vt pro ſalute gentis exorent dominum, & precentur, vt auertat iram indignationis ſuæ à populo Anglicano. Spondetque (beata virgo) ſuas etiam preces oblaturam domino, pro cauſa præmiſſa: cunctanti vero iuueni, nec audenti iuſſa perficere, ſignum dedit, dicens: Contractus & claudus eris, & omnino inutilis, qui modo ſanus & ſoſpes eſſe dinoſceris, vſque ad diem feſtum depoſitionis meæ. Quo die deportatus ad memoriam meam conſequetis integram ſanitatem. Prodit ergo iuuenis quæcunque viderat, & ad credendum dictis ſuis, ſuæ contractionis pœna multos inuitat. Et ne fictum videretur, vel humano adinuentum ingenio, quod in ipſo factum fuerat, conſumptis carnibus, tibiæ exinanitæ fuerant, vt tantum pellis hæreret oſſibus, & poplices ita conſtrictæ, vt talinatibus inſeperabiliter iungerentur. Accurrerunt ergo multi, illecti fama facti, ferroq; pungunt tibias ſeu pedes iuuenis, ſed caro conſumpta, pellis mortua nil ſenſere: tentant tibias contractas à tergo retrahere, ſed minime profecere. Statuunt igitur operiri diem præfixum, in quo vel fama mendax, vel omnino vera probaretur. Illabente die glorioſæ virginis & Reginæ, iuuenis ad Eccleſiam deportatus, primo cepit obdormire, & mox excitatus à ſomno reſiliit. Audiebanturque neruorum crepitus, & ſequebatur membrorum diſtentio, & iuuenis exilire cæpit, & coram multis memoriam ſanctæ virginis circuire. Et quia per ante dictus iuuenis, multa iuſſu ſanctę virginis Etheldredæ ſecreta de multis prædixerat (quæ ſuo parochiali ſacerdoti ſub ſigillo confeſſionis reuelauerat) quæ omnia vera fuiſſe comperta ſunt, fidem fecerunt indubitabilem de cunctis quæ ventura prædixit. Prædixit enim plura pericula imminentia, inter quæ prophetauit æſtatem feruidiſſimam affuturam, cuius feruor plumbū Eccleſiarum liquefaceret, niſi deus manus apponeret adiutrices. Feruorem vtique ſenſimus aliqualem, intollerabiliorem ſubituri, vt credimus (niſi preces fidelium obſtitiſſent) plumbum Eccleſiarum per ignes cœleſtes eo tempore liquefactum eſt, cum in Southſexia in villa de Maunſelde Eccleſia collegialis Cantuarienſis Archiepiſcopi conflagrata eſt, cum omni pene villa, & quędam prędia in Eſtſexia naueſq; cum nautis quibuſdam in locis ictibus fulminum ſunt conſumpta.

Aliud miraculū de Etheldreda.

Fidem fecit huius viſionis & miraculi alia viſio cito ſubſecuta, manifeſtataque decrepitæ mulieri, & octogenariæ, cui videbatur beatam Reginam & virginem Etheldredam aſtitiſſe ſæpius, & eadem, vel plura commemoraſſe ſuperuentura pericula, niſi deuotis ſupplicationibus omnipotens placaretur. Adiecitque beata virgo, ſe cum populo preces domino porrexiſſe, vt malum ſubtraheret, quod propoſuit terræ immittere pro peccatis. Monuitque vt Priori & conuentui atq; plebi ex parte ſua mandaret, continuare proceſſiones, multiplicare deuotiones, facere inceſſanter orationes, vt Deus auerteret gladium imminentem. Sciantq; proculdubio (inquit ſancta) quod ego precum meatum inſtantia, minas varias & ruinas ab eis auerti. Iuſſitq; glorioſa domina, vt mulier hæc vniuerſa publice profiteretur, & in feſto ſanctę Mariæ Magdalenæ ſe deferri faceret ad eius tumbam, ibidem contractionis & inualetudinis conſecutura coram populo ſanitatem. Nempe per triennium ita confecta fuerat tibiarum intollerabili paſſione, vt immobilis ſemper vno iaceret in loco, niſi quando miſeratione vicinorum compatientium de vno loco ad alium portabatur. Igitur in feſto memorato, vetula in ſporta ad feretrum beatæ Etheldredæ defertur, vbi in ſomnum reſoluta, videt glorioſam virginem prodientem. Quæ accedens apprehendit eius tibias, & in longum protraxit, neruique tibiarum (pluribus de populi aſſiſtente audientibus) crepuerunt, & mulier mox ſana ſurrexit, quæ prius ægra, veterana fuerat, & contracta: tumbamque tribus perluſtrauit vicibus, illam deuo[illegible]

deoſc-

Digitized by Google

deoſculans,& agens Deo gratias, & glorioſæ dominæ Etheldredæ. Per idem tempus Cantebrigię in feſto commemorationis ſancti Pauli, occurrebat & feſtum dedicationis ſanctæ Mariæ ibidem, ad quod feſtum amplius honorandum, in proceſſione per parochiam deferebatur corpus dominicum ſuper duos humeros ſacerdotum in feretro non ponderoſo, ſed tam leui, vt à ſeptenni puero, ſine vexatione portari tota machina potuiſſet. Procedebant igitur,& præcedebant dicti præſbiteri, ſupportãtes corpus domini per dictam villam, donec venirent ante locum fratrum Auguſtinenſium (qui ſituati ſunt iuxta mercatum villæ) vbi repente feretrum, quod æqualiter vtriuſque humeris accliuis erat, ſe ſubrigens, nitebatur quaſi quadam virtute inperceptibili, ab eorum humeris reſilire, efficiebaturque adeo ponderoſum, vt ſacerdotes vix neque poſſent ſufferre tantum pondus, neque feretri fines humeros iterum detrahere & applicare: torquentur proinde & ſudant, & anhelant præ labore nimio, laicorum auxilium flagitantes. Accurrunt laici, manus ſupponunt, ſed (quod mirabile fuit) nihil ponderis perſenſerunt. Cumque pertranſiſſent omnem loci ſitum, dictorum fratrum feretrum iterum repente ſuper illorum humeros æqualiter requieuit. Sed tunc quidam ineptus, & vere miſer, incompoſito motu corporis cæpit ſaltare ſiue tripudiare coram Euchariſtia, quem incontinenter apprehendit terribilis valde vindicta. Nam inter iocandum repente corruit, & poſt puſillum ſpiritum exhalauit. Horum cauſa mirabilium à multis multipliciter eſt interpretata, quam iudicare nos prætermittimus, malentes aliis iudicium derelinquere, quam de nobis incognitis inconſulte aliqua definire. Hoc tantum audemus adiicere, quod magna & formidabilis peſtilentia extemplo ſubſecuta eſt Cantebrigiæ, qua homines ſubito (prout dicebatur) ſoſpites correpti mentis freneſi, moriebantur ſine viatico, ſine ſenſu. Eodem tempore in manerio regio de Schene, repente tot cinifes confluxerunt, vt ipſum aerem obſcurare viderentur, quæ mox conflictum ineuntes, pugnam confecere duriſſimam, ita vt duæ partes illius innumerabilis multitudinis in terram caderent interfectæ, tertia vero pars perfecto bello & conſummata victoria auolauit, dubium in quas partes. Tantaque fuit peremptarum copia, vt ſcopis poſſent colligi, & ex illis plures modii poſſent impleri. Quid ſignificare velint, aliis diſcutiendum relinquo.

Mirabile de corpore Christi contingens Cantebrigiæ.

Pugna inter cinifes.

Per idem tempus in Francia fratres Prædicatores antiquam ſuam opinionem reaſſumentes de conceptu beatæ Mariæ virginis, & prædicantes, illam fuiſſe in originali peccato conceptam, in tantam efferati ſunt ſuperbiam, vt Epiſcopis illi indicentibus huius rei ſilentium, noluerunt obedire. Poſtremo nec Regi & proceribus id iubentibus parere volebant. Quapropter extra protectionem regiam facti ſunt, & inhibiti circuire per patrias more ſolito, ne forte commune vulgus ducerent in eiuſdem erroris deuium,& ſeducerent innocentes: iuſſi ſunt etiam intra propria ſe habitacula cohibere, de labore manuum ſuarum infra loca ſua viuere, egredi nuſquam præſumere ſub pœna capitali. Præceptumque eſt eis, ne de cetero quenquam ad ordinem ſuum admitterent vel reciperent, ſub pœna præmiſſa. Sed ipſimet ita faceſcerent, vt poſt hos, qui modo viuunt, nullus eſſet, qui eorum ordinem continuaret.

Fratres delirant.

Hac æſtate perfidiæ promptuarium, ſentina auaritiæ, auriga proditionis, archa malitiæ, odii ſeminator, mendacii fabricator, ſuſurro nequiſſimus, dolo præſtantiſſimus, artificioſus detractor, patriæque delator, Michael Atte Pole, quondam Comes Southfolchiæ, regnique cancellarius, ſed nequam conſiliarius, conceſſit in fata Pariſius, merito perfidum euomens ſpiritum in terra peregrina. Cuius opes, quas ſibi habuit, ſuo ceſſere collegæ Roberto de Veer (quondam duci Hibernię) qui illuc fugerat cum eodem. Dominus Papa per id temporis conſiderans vires hominum, & ætates imminutas, conſtituit iubileũ fieri, qui inciperet à natali ſequente,& in ęternũ poſtea ſemper reuolutis triginta tribus annis, cunctis Chriſticolis volueretur, indicans videlicet annos ætatis plenitudinis Chriſti miſticos & idoneos ad renouãdum iubileum. Eo tempore mulier quædam Agnes nomine, de Londoniis, quam triſtitia amentem effecerat, ita vt pene nulli, qui ſolebat frequẽtare Londonias incognita foret eius dementia, præ famoſitate ſui clamoris & operum: admonita erat per viſum, ſanctum adire Albanum Anglorum prothomartyrem, apud eum conſecutura ſanitatem & ſenſum. Quæ mox vt paruit viſioni, perfecte priſtinæ eſt reſtituta ſaluti. Lolardi ſequaces Iohannis Wiclif, per idem tempus in errorem ſuum plurimos ſeduxerunt, & tantam præſumpſerunt audaciam, vt eorum preſbiteri more Pontificum nouos crearent preſbiteros, aſſerentes (vt frequenter ſupra retulimus) quemlibet ſacer-

Obiit Michael Atte Poole.

Papa conſtituit iubileum.

Miraculum apud S. Albanum.

Lolardi Lolardos creant.

dotem tantam conſecutum poteſtatem ligandi atq; ſoluendi, & cetera Eccleſiaſtica miniſtrandi, quantam ipſe Papa dat vel dare poteſt: exercuerunr autem iſtam perfidiam in dioceſi Sarum. Et qui taliter ordinati ſunt ab hęreticis, ſibi cuncta licere putanres, miſſas celebrare, diuina tractare, & ſacramenta conferre minime timuerunt. Prodita eſt hæc nequitia per quendam ab eis ordinatum, qui ſtimulatus conſcientia, Epiſcopo Sarum confeſſus eſt errorem, apud manerium ſuum de Suunyng. Eodem rempore, dicti hæretici prædicauerunt peregrinariones non debere fieri, & præcipue apud Walſingham, & crucem de Northdore apud Eccleſiam ſancti Pauli Londoniis, vbi nihil erat numinis, ſed tantum putride ſtipites, ſcaturienres vermibus, per quas imperitum vulgus ſeductum idolatrare manifeſtiſſime cogebatur. Audierunt & viderunt, atque ſciuerunt hæc vniuerſa Pontifices, ſed abierunt alius in villam ſuam, alius vero in negotiationem ſuam, dimiſerunt oues expoſitas luporum rictibus, ſed nullus erexit baculum ad abigendum. Iam plena erat omnis turba, non ſolum lupis, ſed ipſis rapacibus, quorum morſus ineuitabiliter virulenti atq; læthales, ſed nullus oblatator, qui ſaltem voce terreret fures, pręter antiſtitē Norwycenſem, ſit nomen eius benedictum in ſæcula, quia non permiſit plebem ſuam infici ranta labe. Iurauit nempe & non pœnitebit illum, quod ſi quiſquam de ſecta peruerſa prædicare præſumeret in diœceſi ſua, vel ignibus rraderetur, vel capite priuaretur. Nulluſq; fuir de tanta ſequela, qui hiis cognitis, vellet ad martyrium properare, propter quod in Epiſcopatu ſuo hactenus fides & religio inuiolata permanſit.

Miracula apud Wymundham.

Sub eodem tempore (diuinitate procurante vt putamus ad confirmandum pie credentes, & confutandum hæreticos) iuxta priorarum de Wymundham noua ſuccreuere miracula apud quandam crucem erectam in via publica, quæ merito & miracula dici poſſent & credi.

Miracula de Brydlington.

Eo tempore in prioratu Canonicorum de Bridlington, qui eſt in dioceſi Eboracenſi ad tumbam Iohannis quondam Prioris ibidem, tanta (namq; manifeſtata) fiebant miracula, vt pene totam Angliam ducerent in ſtuporem: de quo ferunt, quod in vita ſua ſuper aquas ambulauerit, mortuum ſuſcitauerir, & in horreis domus ſuæ tam manifeſtata quam mirabilia per orariones frugum fecerit, vt quæ vix per menſem familiæ putabantur ſuffecturæ, prece ſua ſufficerent toto anno, prærogatiua ſanctitatis eius, humilitas & miſericordia ſuper afflictos.

Viſitatio archiepiſcopi Cantuarienſis.

Per id temporis archiepiſcopus Cantuarienſis magiſter Wilhelmus de Courtenay ſuam prouinciam viſitauit, qui cum veniſſet Exonias, niſus eſt nigrorum monachorum habitationem viſitare, miſſo prius mandato, quod omnes intereſſent die viſitationi ſtatuto. Sed dictum mandatum non fuir præſentarum Priori monachorum ibidem, ipſo exiſtente tunc Glaſconię. Turbantur ergo ſcholares de tam non exemptis monaſteriis, quam exemptis, eo maxime, quod nunquam viderant vel audierant ſimile mandatum viſitationis. Abbas ergo Weſtmonaſterii, qui arctius iſta cepit cordi, deliberauit cum ſuo conſilio, vt Abbas ſancti Albani, qui ab omnibus venerabatur, & colebatur præ ceteris Abbatibus nigri ordinis, deſtinaret literam magiſtro Symoni de Southerey commonacho ſuo (Priori nigrorum monachorum ibidem) præceptoriam in virtute obedientiæ, vt omnibus poſtpoſitis, eo celerius quo poſſet ſe transferret ad monaſterium ſuum, ad habendum colloquiū cum Abbate ſuo, pro certis cauſis monaſteriū concernentibus. Et quod iſta litera præſentaretur corā reſtibus magiſtro Symoni ſupradicto, pridie ante diem viſitarionis præfixæ hora veſperarum, & ſuper iſtius literæ pręſenratione ac receptione fieret publicum inſtrumētum, & quod dictus magiſter Simon ſtatim poſt receptionem literæ ſui Abbatis, conſtitueret procuratorem ad allegandum cauſam ſuæ abſentiæ, coram archiepiſcopo vel eius commiſſario ſedente pro iudicio: prædicto Symone per præconem citato, & non comparente, procuraror ipſius, non vt procurator, ſed vt amicus dunraxat eiuſdem diceret, quod prædictus magiſter Symon mandatum Archiepiſcopi non recepit, nec ſibi fuit præſenratum. Qua quidem excuſatione acceptata & repurata pro vero, effectus dicti mandati toraliter expitaret. Et ſi runc Archiepiſcopus, vel eius commiſſarius, inquireret à curſore ſuo, in iuramento ſibi præfato, ſi mandatum Archiepiſcopi præſentauit præfato Simoni, & ille reſponderet quod ſic, tunc oporteret probare contrariū per obliquum, & tunc ſi dicatur, ꝙ mandatū Archiepiſcopi fuit ſufficienter oſtenſum & promulgatum, tunc idem procurator non vt procurator adhuc, ſed vt amicus allegabit, quod prædictus magiſter Symon non potuit comparere dicto die ſtatuto, propter præceptum ſui Abbatis, in litera ſua contentū, & ſi forte tunc Archiepi-

Digitized by Google

chiepiſcopus vel eius commiſſarius peteret, quare reſponderet pro dicto Simone, in iudicio imponendo ſibi ſilentium, tunc primo diceret, quod eſſet procurator eius. Et ſi oporteret demonſtrare procuratorium, quo demonſtrato, exhiberet literam domini Abbatis de ſancto Albano, per quam clareret, quod dictus magiſter Simon die ſtatuto nō potuit comparere coram Archiepiſcopo vel eius commiſſario. Et ita foret practica, ſiue magiſter Simon mandatum Archiepiſcopi recepiſſet, ſiue non, ſiue virtute illius mandati aliquos citaſſet, ſiue non: hoc tamen prouiſo, quod nullo modo literas certificatorias exhiberet de mandato. Prouiſum eſt etiam per eundem dominum Abbatem Weſtmonaſterii, & ſuum conſilium, vt vnus Monachus ſtudens Oxoniis prouocaret pro ſe & omnibus aliis ſibi adhærere volentibus pridie ante diem viſitationis. Et ratio eſt, quia oporteret, quod omnes ſibi adhærere volentes adhærerēt infra decem dies, & quia bonum erat, vt eo minime infra id tempus curreret, ideo pridie ante diem viſitationis prouocaret, pro ſe, & aliis ſibi adhærere volentibus, & hæc practica pro primo die ad euacuandum mandatum: & ſi contingat, quod Archiepiſcopus nouum mandatum dirigeret Priori ſtudentium, vel Monacho ſingulari, prouiſum erat, vt mitteretur forma mandati feſtinanter ad Dominum Abbatem Weſtmonaſterii ad videndum, quid deberet fieri quoad illud. Iſta tamen nullius fuere valoris, quia non iſto modo ad euacuandum viſitationem proceſſum eſt. Sed modo qui ſequitur dominus Archiepiſcopus ab executione viſitationis ſponte receſſit. Abbas ſancti Albani ſcripſit domino Archiepiſcopo, rogans & conſulens, vt à viſitatione ſtudentium deſiſtere dignaretur, commemorans multa, quæ tam ſibi quam dictis ſcholaribus forent diſpendio, ſi propoſitum ſuum exequendum putaret. Cuius literas dominus Archiepiſcopus hilari vultu, lætoq; corde ſuſcepit, & monachum S. Albani literarum baiulum, ad prandium humaniſſime inuitauit. Et poſt prandium ad ſe vocato Monacho, aſſeruit quod pro domino Abbate ſancti Albani amico ſuo ſpeciali quicquid poſſet (ſaluo iure Eccleſiæ ſuæ) libentiſſime faceret, veruntamen à viſitatione Prioris, & nigrorum monachorum Oxoniæ ſtudentium, dicebat ſe ſaluo iure eccleſiæ ſuę nullo modo poſſe deſiſtere, etiam ſi rex Angliæ pro prædictis inſtaret: & addidit, ibi, inquit, eſt collegium, nunquid (ait) non habetis Priorem, qui poteſt tenere capitulum, & viuitis in communi? Ad hoc Monachus S. Albani reſpondit quod non fuit ibi collegium, cū ibi morātes ſigillū cōmune non habeant, nec locus ſit donatus temporalibus & ſpiritualibus: & alia plura deſint, quæ ad collegium requiruntur. Cui Archiepiſcopus, volumus, inquit, venire & videre, & inquirere, qualiter ſtat vobiſcum. Ad hæc Monachus: Domine (ait) ſi veneritis ad illum locum, nō habetis iuriſdictionem inquirendi de talibus, niſi in non exemptis, & ipſi ſunt viſitati in propriis monaſteriis per vos, ergo ſecunda vice non ſunt viſitandi. Cui archiepiſcopus, certum eſt (inquit) quod in propriis monaſteriis per me non fuerunt viſitati, immo Abbates illorum excuſauerunt eos, pro eo quod fuerunt in ſcholis, quare in ſcholis eos intendimus viſitare. Tunc quidam doctor legiſperitus Monachus Cantuariæ, qui cum Archiepiſcopo venerat, volens ampliare iuriſdictionem eius ait: etiam domine (ait) poteſtis viſitare exemptos quamdiu in ſcholis ſteterint, cum ſunt ibi ſub iuriſdictione cancellarii, &c. Reſpondit Albanenſis, quod exempti ibi ita ſunt priuilegiati, quod vbicunque fuerint, non ſunt ſub iuriſdictione alicuius Epiſcopi, niſi Romani Pontificis, vel legati à latere miſſi. Ad hæc Archiepiſcopus benigne reſpondit, quod ſi ita foret, nec potuit, nec voluit eos in aliquo moleſtare. Die S. Bricii magiſter Simon de Southreye Monachus S. Albani (qui dum hæc agerentur abſens fuerat) comparuit coram Archiepiſcopo, ſupplicās vt à viſitatione præmiſſa deſiſteret, ſed Archiepiſcopus noluit aliquo modo illud ſibi concedere illa vice. Dominica vero ſequente præſentauit ſe dictus Simon, cum omnibus Monachis exemptis, & non exemptis, poſt occaſum ſolis coram Archiepiſcopo in Eccleſia S. Fredeſwidæ. Quos videns dominus Archiepiſcopus, petiit an ad ſubmittendum ſemetipſos aduenisſent, cui reſponſum fuit, quod ad captandam eius beneuolentiam aduenerunt. Reſpondit benigne dominus Archiepiſcopus: Et ego vos habeo excuſatos, nec vnquam intendo vos grauare, & hic finis negotii ſupratacti.

Eodem anno menſe Octobris Papa Vrbanus ſextus diem clauſit extremum, vir cuius capitoſitas multis fuit exitio, & ſibimet (vt ferunt) damno, arcte tamen viuere dicebatur, ita vt mores Carthuſienſium, & conſuetudines, quantum res patiebatur, imitaretur. Rigidus erat ſibi, ſed ſuis multo rigidior, ita vt delinquentibus nunquam ignoſceret, aut eorum ærumnis aliquatenus compateretur, probat hoc pœna *Obiit Vrbanus Papa ſextus.*

ſuorum Cardinalium, ferociter inflicta, & æterna damnatio carceris ſubſecuta. Cuius loco electus eſt à Cardinalibus Cardinalis dictus Neapolitanus, qui Bonifacius nonus eſt vocatus.

Dux Lancaſtriæ redit in Angliā.

Circa principium menſis Nouembris dominus Iohannes Dux Lancaſtriæ de partibus Waſconiæ in Angliam transfretauit, poſtquam in Hiſpania & Aquitania, ſiue Waſconia moram fecisſet triennalem, qui in Hiſpania infortunia paſſus primo, poſtremo ad ſummam felicitatem perductus eſt, non viribus hominum, nec in nnmeto bellatorum, ſed manifeſto diuino fauore. Enimuero cum primo perueniſſet ad partes Hiſpaniæ, cum manu ſatis valida, deficientibus victualibus, cæpit plebs Anglicana primo fame, poſtea diſſenteria interire, ita vt nonaginta milites famoſi de exercitu miſerabiliter morerentur. Quapropter reſidui, vrgente neceſſitate, Ducem in campo deſerentes, tranſierunt ad exercitum Gallicorum, qui ibi aderat in adiutorium regis Caſtellæ, obtento prius cōductu ab exercitu memorato. Qui eorum condolentes miſeriis, humaniſſime eos tractauerunt, & de ſuis victualibus refecerunt. Nempe mos eſt vtrique genti, Angliæ ſcilicet atq; Galliæ, licet ſibimet in propriis ſint infeſti regionibus, in remotis partibus tanquam fratres ſibimet ſubuenire, & fidem adinuicem inuiolabilem obſeruare. Rex vero Portugaliæ, qui tunc cum quatuor millibus bellatorum affuit, videns Anglos ſic receſſiſſe, allocutus eſt ducem dicens: Ecce (ait) Anglici voſtri qualiter te deſerentes, ad hoſtes recedunt, qui cum refocillati fuerunt tibi & mihi infeſtiſſimi (vt reor) erunt, vadam ergo, & manus conſeram, & nullum ex eis in vita relinquam. Cui dux: nequaquam domine rex fiet ita, ſcio quod ſola victus neceſſitate, & non ex perfidia hoc fecerunt. Et mox Dux inclinans caput (vt erat æquus) amariſſime fleuit ſuper equū, tacite fundēs preces omnipotenti Deo, commemorans in cotde ſuo, quod antea in felicitate & rerum opulentia nec Deum vt debuit cognouiſſet, nec vt decuit coluiſſet. Tacitus ergo ſubortis ſuſpiriis implorat pro gratia, precatur pro miſericordia, ſpondens imposterum correctionis vitæ practicam, & apud cordis oculos futuram iugem Dei ſui notitiam: cuius videns lachrymas, qui Mariæ peccatricis quondam ſuſcepit ſuſpiria, dedit ex inſperato à die illo, & deinceps ſibi, cuncta proſpera, cuncta læta. Nam aduerſarius ſuus rex Caſtellæ non viribus humanis territus, nullius niſi Dei ſolius timore compulſus, quippe qui inter ſuos ſecurus habitans, & vidit & ſciuit noſtratum miſerias, tractare cæpit cum Duce de forma pacis habendæ inter illos. Et ventum eſt ad iſtud, vt acciperet Rex Caſtellæ filio ſuo, ducis filiam in vxorem, quorum poſteritas Hiſpaniæ regno gauderet. Et ſi nulli liberi prouenirent inter illos, hereditas volueretur ad filium ducis Eboci, qui frater erat Ducis Lancaſtriæ, & deſponſauerat filiam Regis Caſtellæ, quondam Petronis iuniorem, & ſi contingeret eum diſcedere ſine prole legitima, vis regni reuolueretur ad ſobolem inter ducem Lancaſttiæ & Conſtantiam filiam Petronis antedicti procreatam. Quibus pactis firmatis, Dux accepit à Rege Caſtellæ pecuniam multam nimis pro tunc, & pro ſecuritate ſoluendi reſiduum, obſides nobilium filii dati ſunt ei, in poſterum vero omni anno (dum idem dux viueret) pactus eſt rex Caſtellæ ſibi ſoluere decem millia librarum, & eius vxori dominæ Conſtantiæ tantum, pro qua pecunia ſoluenda fideliter quatuor bonæ villæ aſſignatæ ſunt dominæ Conſtantiæ ſupradictæ.

Conſilium apud Reding.

Eo tempore apud Redingum Rex Angliæ proceres ad conſilium conuocauit, ad quod Dux Lancaſtriæ eo celerius properauit, quo percepit Regem non rectis oculis quoſdam de proceribus velle reſpicere, & metuit orituras eo tempore ſimultates, quas omnino ſedare diſpoſuit in aduētu ſuo, neque fruſtra quidem laborauit, ſed id effecit, vt & pacem cordi Regis, pacemque magnatum pectoribus infunderet gratioſe, ſicq; dictum conſilium diſſolutum fuit, & vniuerſi cum pace ad propria diſceſſerunt. Tranſit annus iſte mediocriter frugifer, ſed ſatis abundanter fructifer: luctuoſus Northumbrenſibus propter mala per Seotos illis illata, modeſte lætus ceteris regni partibus propter miracula renouata: regnis Angliæ & Franciæ ſatis commodus, pro treuga firmata: ſed multis multum formidabilis pro peſtilentia prouinciis diuerſis immiſſa.

Anno gratiæ milleſimo trecenteſimo nonageſimo (qui eſt annus regni Regis Richardi à conqueſtu ſecundi tertius decimus) tenuit idem Rex natale cum Anna regina apud Manerium ſuum de Wodeſtoke. Dux vero Lancaſtriæ fuit ad natale in Caſtello de Herthforde. Sub eiſdem diebus Comes Penbrochiæ, dum ludum haſtilium attemptare cupit, percuſſus eſt in inguine à milite ſibi occurrēte, dicto Iohanne de

Digitized by Google

ne de ſancto Iohanne, quo videlicet ictu eius viſcera ſunt dirupta, & mors eſt illico ſubſecuta, cuius interitus luctum indicibilem non tantum magnatibus, ſed & cunctis communibus generauit. Fuerat nempe liberalis, affabilis cunctis, humilis & benignus ſuper omnes nouellos dominos eius ætatis qui fuerunt in regno. De cuius anteceſſoribus illud mirabile contigit, quod ab Aymero de Valence comite Penbrochiæ qui fuit vnus de aſſeſſoribus & iudicibus ſuper mortem Thomæ de Lancaſtria vſque ad iſtum Iohannem de Haſtynge, nullus vnquam comes Penbrochiæ patrem ſuum vidit, ſed nec pater filii viſione lætatus eſt. Hoc quoque anno ſanctus Thomas de Lancaſtria canonizatus eſt. *Comes Penbrochiæ haſtiludio obiit.*

Die lunæ proxima poſt feſtum ſancti Hillarii, factum eſt parliamentum Londoniis in quo conſtanter à communibus eſt petitum, vt ſigna dominorum quæ geſtabant, & eorum famuli deponerentur, eo quod iam tales per prouincias qui adepti fuerant ſigna talia, effecti fuere tiranni, malefactores, & malefactorum ſuſtentatores, ſed poſt multas altercationes quia proceres noluerunt eorum ſigna deponere, ſaltem ad id conſenſerunt, vt nulli geſtarent eorum ſigna niſi qui forent de priuata familia, & perciperent de magnatum marſupio certum aliquod annuatim. In eodem parliamento quidam nouiinſurrectores de Cantio capti, tracti ſunt & ſuſpenſi. Statutum eſt in eodem inſuper parliamento vt de cætero nullus transfretaret ad obtinendum prouiſiones in eccleſiis, vel eccleſiam, & ſi quis contrarium faceret, ſi poſſet apprehendi caperetur vt regi rebellis & incarceraretur. Statutū eſt præterea vt nullus occultus iugulator (quales murdeters appellant Anglici) de cætero chartam de regia gratia obtineret, & ſi vllus dux præſumeret pro huiuſmodi preces facere, condemnabilis eſſet regi in centum libris, ſi comes in centum marcis, ſi Archiepiſcopus in centum libris, ſi Epiſcopus in centum marcis. Conceſſum eſt autem regi in hoc parliamento, vt habeat de quolibet ſacco lanæ quadraginta ſolidos, de quibus quadraginta ſolidis, decem applicarentur in præſenti regiis vſibus, & triginta ſeruarentur in futurum in manibus theſaurariorum conſtituendorum per parliamentum, non expendendi niſi cum belli neceſſitas inſtare videretur. Similiter rex habebit de libra ſex denarios, quatuor ſeruandos ad vſum præfatum per dictos theſaurarios, & duos iam percipiendos, & expendendos ad voluntatem regis. Hoc anno dominus Laurentius quondam monachus de Bello, & expoſt domini Papæ penitentiarius, poſtremo Epiſcopus Aſſauenſis, conceſſit in fata, cuius loco electus eſt alter, qui mox virtute ſtatuti parliamentalis, poſtulauit ab Archiepiſcopo Cantuarienſi conſecrari. Eodem anno in parliamento pręſcripto, dominus Iohannes dux Lancaſtriæ factus eſt dux Aquitaniæ, per virgam & pileum prębitis manu regis. Eo tempore filius & hæres ducis Eboraci, creatur comes de Rutland. Quinto die Martii ventus magnus, terribilis, atq; nociuus, tecta dilacerans, domos ſubuertens, animalia conterens, arbores proſternens, ſpirauit in Anglia incommodo generali. Hoc anno magna peſtis inualuit in hac terra, iuuenum pręcipue, & puerorum, qui paſſim moriebantur per ciuitates & villas numero incredibili & exceſſiuo. Quam Epidemiam mox ſecuta eſt frugum caritas, ita vt modius frumenti in quibuſdam locis viginti tribus denariis venderetur. Eodem tempore dominus Adam Cardinalis Anglicus, qui dedecoroſe depoſitus & priuatus fuerat per Vrbanum Papam, ſuo gradui per Bonefacium reſtituitur cum honore. Ferunt ſiquidem quod cum Vrbanus tirānizare diſponeret, hunc maxime propter profunditatem ſenſus, & ſcientiæ plus cunctis metuerit: & ideo ne per eum eius conatus impedirentur, eum ſatis iniuſte comprehēdit & extorſit & in carcere recluſit. Quod factum in morte ſua ſatis inde doluit publice pænitendo, & proteſtando hunc reum nullius criminis extitiſſe. Huius adeo petitione declaratum eſt per Papam Bonefacium, quod Bullæ de indulgentiis plenariis conceſſæ quibuſlibet, in extremis tantum valent eas obtinentibus. in confeſſione quæ mortem immediate præcedit, qui licet multoties propter diuiſa pericula confiteantur, & conualuerunt, vſque ad extremum articulum nullum ſortiuntur effectum. *Nouus dux Aquitaniæ.* *Declaratio indulgentiæ.*

Dominus Henricus comes de Derby per idem tempus profectus eſt in le Pruys vbi cum adiutorio Mareſcalli dictæ patriæ, & cuiuſdam regis vocati Wytot deuicit exercitum regis de Letowe, captis quatuor ducibus, & tribus peremptis & amplius quam trecētis de valentioribus exercitus ſupradicti pariter interemptis. Ciuitas quoque vocatur Will. in cuius Caſtellum rex de Lettowe nomine Skirgalle, confugerat, potenti virtute dicti comitis maxime, atque ſuorum capta eſt. Namq; qui fuerunt de familia ſua primi, murum aſcenderunt, & vexillum eius ſuper muros, cæteris vel tor- *Geſta Henrici comitis de Derby.*

Digitized by Google

pentibus, vel ignorantibus poſuerunt. Captaque ſunt ibi vel occiſa quatuor millia plebanorum, fratre regis de Poleyn inter cęteros ibi perempto, qui aduerſarius noſtri fuit. Obſeſſumque fuit caſtrum dictæ ciuitatis per quinque hebdomadas, ſed propter infirmitates quibus vexabatur exercitus, magiſtri de le Pruys & de Liſland noluerunt diutius expectare. Facti ſunt Chriſtiani de gente de Lettow. VIII. Et magiſter de Liſland duxit ſecum in ſuam patriam tria millia captiuorum.

Annalis cõcluſio.

Tranſit annus iſte vernales opes reddens fraudulenter, quia nec copiam fructuum protulit, neque frugum, quãobrem ſequens annus multo difficilior exiſtebat. Odibilis erat hic annus non ſolum Romanis Romanæque curiæ, ſed Anglicis infinitis, qui curiam propter prouiſiones & beneficia ſequebantur, ſuſpectus pręlatis & religioſis, quia metuebant cenſuras vel interdictum regni futurum, propter ſtatutum pręmiſſum, factum cõtra Romanam eccleſiam, quanquam ipſi prælati parliamentum tunc exiuerunt, & proteſtati fuerint ſe nihil commune ſentire cum illis in hac parte qui ſtatutum illud proponere voluerunt.

Aduentus nuncii regis Franciæ.

Anno gratiæ milleſimo, treceteſimo nonageſimo primo (qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi quartus decimus) fuit rex ad natale cum Anna regina. Camberlanus regis Franciæ miſſus à rege ſuo, Francorumque proceribus, venit in Angliam, proferens pacem deſiderabilem, & diutiſſime concupitam. Poſt cuius receſſum miſſi ſunt in Franciam de noſtris quidam, vt rei veritatem certius explorarent. Qui à rege Franciæ cum honore ſuſcepti, cum magnis muneribus ſunt dimiſſi. Aſſerebant ſiquidem Gallici, ſe peroptime noſſe fore inſufficientes ad regnum Angliæ deuincendum, & Anglicos nullatenus fore tam fortes vt Franciam ſubiugarent, & in talibus inutilibus expeditionibus vtrumque regnum fore multiplicit[er] onerandum. Quapropter dicunt ſe velle omnino dimittere, nec vlterius attemptare, quod conſtat eos nullatenus poſſe perducere ad effectum, & altercationibus vanis & damnoſis poſtpoſitis, velle modis omnibus pacem quærere, pacem petere, pacem tenere, niſi per Anglicos ſteterat, quo minus tantis commodis perfruantur, vt ergo pax ſtabilior, conditio firmior, tractatus honoratior habeatur, rex Franciæ tam per ſuos, quam per noſtros petiit à rege noſtro colloquium perſonale, quod iuxta Caleſiam fieri poſtulauit. Rex autem Angliæ, licet multis ſuſpectus foret omnis tractatus Francorum, illuc proficiſci decreuit. Et quia ſublimis & honorabilis ibi apparere debuit, miſit per ſingulas regni Abbathias pro equis nobilibus, quales regem decuit inſidere. Miſit inſuper ad eadem loca (ne minus viderentur equos dediſſe regi ſuo) pro magnis ſummis pecuniæ ſibi mutuo concedendis, ne pacis negotium per religioſos impediri videretur, ſi ſibi quod rex ab illis petiit negaretur. Vt autem de aliis taceam, de monaſterio ſancti Albani equum habuit precii viginti quatuor marcarum, & nihilominus ab Abbate petiit mutuo quingentas marcas. Quam ſummam quia pro tunc impoſſibile fuerat perſoluiſſe, Dux Lancaſtriæ Iohannes charitatis intuitu promiſit theſaurariis ſe regi velle ſatisfacere pro eiſdem: ita duntaxat, vt Abbatem ſancti Albani quietum redderent in hac parte. Dederat nempe regi mutuo, quinque millia librarum parum ante, & ideo factus eſt audacior in noſtra interceſſione. Nec minus pepercit rex ciuitatibus regni ſiue burgis, qui à ſingulis peteret in hoc negotium ſingulas ſummas, & acciperet, quamuis plurimi murmurarent.

Reuocatio Anglicorum à curia Romana.

Sub eiſdem diebus de conſenſu regis regiſque conſilii proclamatio facta fuit Londoniis, vt omnes beneficiati exiſtentes in Romana curia, redirent in Angliam citra feſtum ſancti Nicholai, ſub pœna perditionis omnium beneficiorum ſuorum: & nondum beneficiati, redirent per idem tempus ſub pœna forisfacturæ. Anglici audito tanto tonitruo, in remotis metuentes ictum, deſerta curia fugiunt ad natale ſolum. Papa vero tanto ſonitu conturbato, mittit nuncium ſub celeritate quendam Abbatem, videlicet qui cauſas exploret harum rerum omnium, ſimul & ſtatuti parliamentalis nuper æditi, de prouiſoribus contra conſuetudinem eccleſiæ Romanæ.

Legatio Bonifacii 9. ad regem Richardum.

Adueniens dictus Abbas, ſalutauit regem ex parte Papæ, commendans regis deuotionem, & ſuorum prædeceſſorum erga eccleſiam, eo quod ſemper veris ſummis pontificibus adhæſerunt. Deinde ſubintulit quod Papa percepto per literas regis, quod ſtatuta ſic edita fuerant, mirabatur, & vt bonus paſtor ſalutem animarum deſiderans, ſæpius admonuerat & obteſtatus fuerat ſtatutarios vt huiuſmodi ſtatuta de medio tollerent, in quantum lædebant eccleſiaſticam libertatem. Dixit etiam quod Papa non intendit minuere coronam regis, nec tollere, quin ſtatuta condere valeat, (non facientia contra eccleſiaſticam libertatem) quin immo paratus eſt conſeruare (pro poſſe) regis honorem, prout

ad hoc

ad hoc ſe cognoſcit multipliciter obligatum. Dixit etiam dictus nuncius, quod Papa diutius expectans non ſenſit obtemperatum fuiſſe ſuis monitis, & tamen nihil innouando nec proceſſus aliquos faciendo, expreſſit quæ iura ſtatuunt contra ſtatuentes contra eccleſiaſticam libertatem, & propulſatus à pluribus pronunciauit illa irrita fore in quantum faciunt contra eccleſiaſticam libertatem. Et quia Papa, ſi non ſenſit ſtatuentium animas immutari, cum magna mẽtis amaritudine intelligens hęc in denigrationem famæ regiæ redundare, miſit prędictum nũcium, per quem exhortatur, rogat, & requirit, quod rex ſtatuta illa tolli & de capitularibus faciat aboleri: maxime ſtatuta. Quare impedit, & præmunire facies, & his ſimilia. Et Papa offert, quod ſi ſtatutarii velint cõqueri de aliquo, ſi mittant ad Papam legatos, erit promptus quantum cum Deo poterit, regi & regno complacere. Et ſi ſtatuentes non tollant. &c. ſaluo honore Eccleſię, & animarum ſalute, non poteſt illa diſſimulare. Item dominus Papa ſignificat regi per prędictum nuncium, qualiter rex Franciæ & Antipapa pacta inierunt, hinc inde videlicet, ꝙ idem rex per fortitudinem ducẽ Burgundiæ expellet, & inueſtiet ducem Turoniæ de omnibus terris eccleſiæ in partibus Italiæ, & quendam alium promiſit coronare regem Tuſciæ & Lumbardiæ, & ducem Andexaciæ firmare in regno Siciliæ. Quare Papa exhortatur & rogat, quod rex ad defenſionem fidei & Sanctę matris eccleſiæ ſe exponat. Item Papa exponit pericula, ſi Antipapa & Rex Franciæ pręualerent, quantumque Papæ Gallici iura regni Angliæ conati ſunt deprimere. Et ſi Gallici vſurparent imperium, conſequentur totum mundum, & ſic finaliter Angliam vſurparent. Ideo Papa conſulit quod rex Angliæ videat & prouideat de remedio oportuno. Item Papa ſignificat, quod Gallici tractabũt cum Anglicis, vt concordia inita poſſent liberius vſurpare pręmiſſa, & vt ſubtiliter (fractis tandem conuentionibus) poſſint Angliam finaliter vſurpare: quare papa ſuadet quod cum ſint ſchiſmatici, ex nulla alia cauſa communicatio ſit cum eis, niſi pro reducendo eos ad fidem & obedientiam debitam. Item in caſu quo tractatur de pace cum Gallicis, Papa hortatur & rogat, quod nulla fiat conſenſio niſi pactio roboretur pœnis vallata, quod rex Francię non mittet gentes in Italiam, nec permittet ſuos ſubiectos illic ire occaſione pręmiſſa, & de factis Romanæ eccleſiæ, & Romani imperii, vel Italiæ, nullatenus intromittet, & quod non fauebit Antipapę in partibus Italiæ, ſub pœnis appoſitis, alias pax intelligatur eſſe fracta. Item Papa deſiderat, quod rex Anglię mittat Legatos ad imperatorem, vt pro honore eccleſiæ & imperialis dignitatis, concurrat cum rege Angliæ in pręmiſſis. Item quia dicitur quod gentes paratæ ſint ad inuadendum, vt ſupra, Papa exhortatur, & rogat vt ad defenſionem ipſius, rex Angliæ pręſtet ſubſidium, cum aliis ſubuenire volentibus, ad reſiſtentiam Gallicorum. Ex pręmiſſis patet quantæ reuerentiæ, quanti nominis rex noſter pro tunc fuerit, cuius ope potiſſimum Papa ſe ſperabat poſſe protegi & defendi. Rex noſter vt filius obedientię, auditis pręmiſſis, & conceptis ſenſibiliter, ſubuenire decreuit & parere ſingulis, quo expediebant maxime vel licebant. Iuſſit ergo Papali nuncio vt expectaret parliamentum futurum, in quo de communi conſilio reſponſum de ſingulis ſibi daretur. Expectauit igitur non inuitus, eo quod liberalitatem per ante ſenſerat Anglicorum.

Dux Glouerniæ iter arripuit, ſed infauſtum.

Eodẽ tempore Dux Glouerniæ, dominus Thomas de Wodſtocke, multis mœrentibus iter apparauit verſus le Spruys, quem non Londinenſium gemitus, non cõmunis vulgi mœror retinere poterant, quin omnino proficiſci vellet. Nam plebs cõmunis tam vrbana quam ruſtica metuebat, quod eo abſente aliquod nouum detrimentum ſuccreſceret, quo pręſente, nihil tale timebant, ſiquidẽ in eo ſpes & ſolatium totius patriæ repoſita videbantur. Ipſe vero mox vt fines patriæ ſuæ tranſiit illico, aduerſa agitatus fortuna, nunc hac, nunc illac turbinibus procelloſis circumfertur, & in tantum deſtituitur, vt de vita etiam deſperaret. Tandem poſt Daciam, poſt Norwagiam, poſt Scoticam barbariem non ſine mortis pauore tranſcurſam, peruenit Northumbriam, & ad caſtellum ſe cõtulit de Tynnemutha, velut aſylum antiquitus notũ ſibi, vbi per aliquot dies recreatus, iter aſſumpſit verſus manerium ſuum de Plashey, magnum apportans gaudium toti regno, tam de eius euaſione, quam de aduentu ſuo.

Mortalitas.

Hoc anno in æſtate. 7. idus Iulii ſol apparuit rubeus, per nebulas ſpiſſas, fœtidas interpoſitas, & quaſi nihil præſtans luminis à meridie vſque ad occaſum. Et expoſt ferè per ſex hebdomadas nebulæ ſuperabundabant temporibus meridianis. Quædam vero per totum diem & noctem durabant, nullatenus euaneſcentes. Eo tempore mortalitas tanta ſuccreuit in Northfolchia, & multis aliis comitatibus, vt non impar

magnis

magnis peſtilentiis cenſeretur. Siquidem vt de aliis ciuitatibus & villis taceam, apud Eboracum infra breue tempus vndecim millia cadauerum ſunt elata. Eodem anno dominus Henricus Percye, comes Northumbriæ reuocatus eſt de Caleſia, & factus eſt cuſtos marchiæ Scotiæ, & dominus Robertus Moumbray factus eſt cuſtos Caleſiæ.

Parliamentum Londini.

Sub eiſdem diebus, ſcilicet feria ſexta proxima ſequente commemorationem animarum, inceptum eſt parliamentum Londoniis, in quo tractatum eſt de Papali negotio, quoad ſtatutum nuper editum contra prouiſores, & quanquam rex ipſe & dux Lancaſtriæ videtentur Papæ deferre, tamen milites parliamentales nullo modo cōſentire voluerunt vt liceret Romipetis impune acquirere ibi beneficia ſicut prius, ſed ne viderentur nullum honorem Papæ, vel regi detuliſſe, hoc tolletauerunt, vt per regis gratiam liceret eis acquirere vſque ad parliamentum futurum. In hoc parliamento conceſſa fuit regi dimidia decima, & dimidia quintadecima, quæ pecunia deſeruiret tractatui habendo pro pace cum Gallicis, quem tractatum dux Lancaſtriæ proſecuturus erat. Conceſſa eſt ipſi regi conditionaliter plena decima, & integra quintadecima, ſi videlicet ipſo anno moueret expeditionem aduerſus Scotos: & hic finis & fructus parliamenti prędicti.

Annalis ōclusio.

Tranſit annus iſte pauperibus & mediocribus multum durus & difficilis, propter caritatem iam biennio continuatam, vnde contigit vt veniente tempore nucum, pomorum, & cæterorū huiuſcemodi fructuum, plures pauperes de eorum eſu percepta diſſenteria morerentur. Fuiſſetque validior peſtis ex fame, ſi non laudabilis diligentia Maioris Londoniarum communibus ſubueniſſet. Qui iugi animo id prouidit, vt ſemper de tranſmarinis partibus frumenta Londonias deportarentur, alias ſine dubio nec patria ciuitati, nec ciuitas patriæ ſuffeciſſet. Autumnali tempore veniente,

Rus gaudens vario fundit munuſcula fœtu,
Cum bene vernales reddit & annus opes:

Cæpitque minorari precium frumentorum. Fuitq; pręſens annus multis in locis (vt prędicitur) peſtilentialis: Angliæ & Franciæ quietus à bellis: ſed Romanæ curiæ propter Anglorum reuocationem, & ſtatutariorum indurationem odibilis & inuiſus.

Anno gratiæ M. CCC. XCII. qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi quintus decimus, tenuit rex natale magnificum cum Anna regina & quatuor Epiſcopis, & tot comitibus, & vno duce, videlicet Eboraci, multiſque proceribus, & quindecim dominabus apud Langley iuxta ſanctum Albanum. Ipſo die natalis Delphin de mari veniens, luſit Londoniis in Tameſia, perueniens vſque ad pontem, præſagiens fortaſſis tempeſtates, quæ mox infra hebdomadam ſequebantur. Qui à ciuibus viſus & inſecutus, ſed difficulter interceptus, reuectus eſt Londonias, multis præbens ſpectaculum de ſui corporis vaſtitate, nempe qui habuit in longitudine decem pedes.

De Delphino.

Sunt autem Delphines marinæ belluæ, quæ voces hominum ſequuntur, & gaudent cantibus tibiarum, & ad ſimphoniam ſolent gregatim aduenire. Hi quando pręludunt in fluctibus ſaltu præcipiti, tempeſtates pręſignant. Quibus nihil velocius, nihil agilius continent maria. Nam plęrunque ſalientes tranſuolant vela nauium. Cum coeunt coniuges euagantur: Catulos edunt. Decimus menſis menſuram partus facit, partum æſtiuus dies ſoluit, vberibus fœtus alunt teneros, & iuuenes in faucibus receptant: circa inualidos ſolicitantur: vſque ad triceſimum annum viuunt: quod exploratum eſt in experimentum caudis amputatis. Ora habent loco quo cęteræ belluæ, ſed in ventribus contra naturam aquatilium ſoli linguas ſuas mouent, aculeatæ ſunt pinnæ dorſuales, cum iraſcuntur inhorreſcunt pinnæ, cum animi conquieuerint quibuſdam receptaculis operiuntur. Spirare eos in aquis negant, ſed vitales auras non niſi in aere ſupero ſpirare dicunt: pro voce gemitus eſt illis ſimilis humano, certum hoc vocabulum. Quo accepto vocantes ſequuntur: nam proprie Simones vocantur, voces hominum cum ventus eſt in Aquilone celerius audiunt. Econtra flante Auſtro, auditus illorum obſtruuntur. Sub Auguſto Cęſare puer quidam, primo fragmentis panis Delphinum allexit, & in tantum conſuetudo valuit, vt ad manum pueri alendus veniret, mox puerilis audacia in tantum prorupit, vt ſuper dorſum eius aſcenderet, & puerum Delphinus per aquarum magna ſpacia vectitaret. Hoc tamen diu geſtum eſt per annos plurimos, donec aſſiduo ſpectaculo deſineret eſſe miraculū. Sed mox vt puer obiit ſub multorum oculis, deſiderii mœrore Delphinus interiit. Apud Hipponem in Affrica Delphinus à ciuibus paſtus eſt, qui & ſe manibus tractandum prębuit, & multos dorſo impoſitos frequenter geſtauit. Apud Iaſſum vrbem Babyloniæ

bylonię Delphinus puerum adamauit. Quem dum poſt aſſueta colludia impacientius ſequitur recedentem, à renis inuectus hæſit, vbi & mortuus eſt. Alium puerum ſimiliter inſidentem dorſum Delphini cum vndoſior fluctus necauiſſet, Delphinus ad terram reuexit, & velut fateretur reatum, pœnitentiam ſuam morte mulctauit, nec reuerti voluit amplius in profunda. Hæc de natura delphinorum curauimus iſtic inſerere, vt delectet quos latuit, & quos non latuit non faſtidiat.

De transfretatione ducis Lancaſtriæ, & magnifica eius ſuſceptione per regem Franciæ.

Hoc anno Iohannes Dux Lancaſtriæ transfretauit in Franciam, ad colloquium regis Franciæ, tractaturus de pace finali, quam rex Francię ſummopere affectauit, miſſus illuc videlicet per regem Angliæ, totumque regni conſilium, pro negotio memoraro. Cuius aduentui rex Franciæ non minora parari fecit, quam pro aduentu imperatoris cuiuſque maximi prouidiſſet. Nempe ſuis ſumptibus ſuſcepit eum, & Epiſcopum Dunelmenſem, cum pene mille equis, & exhibuit à Caleſia vſque dum perueniret ad ciuitatem Ambianenſem, nemine de ducis vel pontificis familia ſolicitante de quibuſlibet victualibus prouidendis, Regis Francię prouiſoribus & miniſtris cuncta comportantibus ad manus famulorum ducis, & pręſulis, quæ neceſſaria videbantur. Cumque ad regis pręſentiam dux acceſſiſſet, Rex eum vltra quam credi poteſt honorauit, & gloriabundus ſemetipſum exrulit: quod colloquio ducis ſapientiſſimi, honorabiliſſimi, atque potentiſſimi eum perfrui contigiſſet. Occurrerunt Ambianis iuſſu regis ea vice duces illius regni, Comites & barones ad deliberandum de tractatu & de pace componendum, vt quo abundantiot adeſſet in tractatu nobilium numerus, tanto rei fœliciot eſſet effectus. Tandem finito tractatu, Dux rediit Angliam, treugas vnius anni reportans, vt per idem tempus deliberaret regni Angliæ collecta poteſtas, vtrum expediret paci finali manus dare potius, quam negotia dubia belli tractare. Idcirco Stanfordiam acceſſere vocari non ſolum regni domini, ſed & de qualibet ciuitate quidam, prout ad parliamenta ſolent accedere, deliberaturi de tanto negotio quod agendum, ſed tamen nihil profuit ea vice tanta collectio, pręterquam quod treugas ſuſceperunt per anni circulum duraturas, ad quas ſeruandas inuiolabiliter vterque rex ſcilicet Franciæ, corporale pręſtitit ſacramentum: Seneſchallo Franciæ, huc accedente ad capiendum regium iuramentum, & quibuſdam de noſtris militibus deſtinatis in Franciam ad idem exigendum de rege: quod & factum eſt.

Aduentus ducis Gelriæ.

Eo tempore venit in Angliam dux Gelriæ, cognatus regis, vir clariſſimus, Anglię vnus in militia, Anglis honorabilis, & Francis formidabilis, qui ſtrenue Francorum ſuperbos motus compreſſerat in terra ſua. Hic magna animoſitate qua viguit, conſulit regi noſtro, ne pacem cum Francis aut Scotis faceret, niſi quam deceret regiam maieſtatem, promittens ſe paratum fore in auxilium regis (ſiue in Franciam transfretaret, ſiue in Scotiam arma moueret) cum nobiliori militia terræ ſuæ, quamobrem à rege multipliciter honoratus, laudatus, muneribuſque donatus, ac ducibus Lancaſtriæ & Glouerniæ regnique nobilitate pari modo reſpectus, cum fauore cunctorum permiſſus eſt ad propria remeare. Eodē tempore, (ſed non eodē anno) venit in terram iſtam comes de Oſtrians tanquam amicus, paciſque mediator inter regna, qui ſarcinatus donis variis cito receſſit. Hoc anno rex Mauritaniæ intrauit terras magni Catayæ, & non modicam ſtragem fecit ibidem, & non multo poſt intrauit terras regis Hungariæ, ſed ibi repperit obſtaculum exercitatæ militię, rege viuaciter eum cum ſuis omnibus repellente. Circa dies iſtos dominus Papa Boneſacius nonus, ordinauit nouum feſtum, celebrandum in Eccleſia, de ſalutatione beatæ Mariæ, qua ſalutauit Elizabeth cognatam ſuam, componens lectiones & hiſtoriam competentem, plenam miſteriis, refertam indulgentiis, excitatiuam deuotionis. Nam & pares indulſit remiſſiones intereſſentibus diuinis illis officiis, in vigilia, & in die, ac infra octauas, & in octauis, indulgentiis feſto corporis Chriſti præconceſſis per Vrbanum quartum. Voluitque hunc diem haberi celebrem ſeptimo Calend. Iulii, id eſt in craſtino feſti natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ, quia eo tempore ſancta Maria manſit cum Elizabeth & miniſtrauit ei. Sub eodem tempore miſit rex ad ciues Lōdoniarium petens ab eis mutuo mille libras, cui procaciter & vltra quam decuit reſtiterunt. Sed & quendam Lumbardum volentem accōmodare regi dictam ſummā male tractauerunt, verberauerunt & paulominus occiderunt. Quę cum rex audiſſet, iratus eſt valde, & conuocans omnes regni pene maiores, apperit proteruiam ciuium Londoniarum, & de pręſumptione conqueritur eorundem. Qui omnes infeſti ciuibus propter diuerſas cauſas, conſulunt vt reprimatur citius eorum inſolentia, & ſuperbia

Aduentus comitis de Oſtrians.

Nouum feſtum Mariæ & Elizabethæ.

De transgreſſionibus Londinenſium & ira regis.

perbia deſtruatur. Erant quippe tunc inter omnes fere nationes gentium elatiſſimi, arrogantiſſimi, & auariſſimi, ac male creduli in Deum & traditiones auitas, Lolardorum ſuſtentatores, religioſorum detractores, decimarum detentores, & communis vulgi depauperatores. In tantumque excreuit eorum ſupercilium, vt auderent leges condere, quibus aduentantes de circumiacentibus villis, vel prouinciis, contra rationem omnem humanam, Deum, & iuſticiam, moleſtarent, grauarent & fatigarent. Prætereo eorum inhumanitatem, ſileo rapacitatem, reticeo infidelitatem, tranſeo malignitatem, quam indiſciplinate in aduentantes populos exercuerunt. Qui ſi vellem cuncta deſcribere quæ perpetrauerunt hoc tempore, volumen credo maximum conficeret. Obiecta ſunt eis igitur quæ contra regem fecerant, & ſuæ maieſtatis notoriam læſionem, obiecta ſunt quæ in prouinciales commiſerant ad regis ac dominorum regnique populi detrimentum: quæ ſi vellent inficiari præſto erant accuſatores è patria, qui ſacramento ſuo eorum probare cuperent acta praua. Londonienſes ergo in medio miſeriarum ſubito conſtituti, & velut verſati inter incudem & malleum, cum non eſſet locus excuſationis, decreuerunt ſe potius ſubmittere regis gratiæ, quam ſuccumbere veridicto vel iudicio duodenæ. Regis ergo iudicio areſtatus eſt Maior Londoniarum, & vicecomites, cum quibuſdam de maioribus, cæteris domum redire permiſſis. Maior autem miſſus eſt ad Caſtellum de Windeshores, cęteri ad diuerſa caſtella deſtinata ſunt, ſub arcta cuſtodia conſeruandi, donec rex cum conſilio deliberaſſet quid faceret de eiſdem. Ibiq; decretum eſt, ne de cętero, Londonienſes Maiorem eligerent vel haberent, ſed rex de ſuis militibus prouideret aliquem qui rector foret, & cuſtos ciuitatis vocaretur, & eſſet (quem alio nomine vocamus vulgariter Gardianum) ibi ſubſequenter: & eorum ſunt priuilegia reuocata, libertates annullatę, & leges quas vel condiderant, vel à diebus habuerant abrogatæ. Tunc primo Rex conſtituit cuſtodem ciuitatis, abrogato Maioris vocabulo, quendam militem dictum Edwardum de Dalyngrygge, qui & ciues regeret, & iuſticiæ cunctorum æque proſpiceret: ſed is cito fuit per regem depoſitus, quia conuictus eſt ciuibus feciſſe iuramentum, vel de eorum conſuetudinibus defendendis, vel certe pro poſſe ſuo, ſubtiliter reuocandis. Fuerunt qui dicerent eum ex induſtria hoc feciſſe, pluſq; regis commodo quam ciuium in hac parte proſpexiſſe. Quod cum regi fuiſſet cognitum, pœnituit eum militem beneuolum ſic tractaſſe. Nihilominus rex & alium militem loco ſuo conſtituit nomine Baldewinum de Radyngton, virum certe prouidum & diſcretum, qui ſciret delinire mœrorem ciuium, & eorum mentes erigere ad ſpem bonam. Nam ciues præ triſtitia contabuerant & dolore.

Londinenſes ſub mittunt ſe regis gratiæ.

Maior & vicecomites areſtantur.

Interea multis mediantibus (ſed præcipue duce Glouernię inſiſtente) rex factus animi æquioris paulatim diſcedit à ſui rigore propoſiti, reducens ante mentis oculos honores varios, quos per Londinenſes acceperat, & magnifica dona per eos præſtita: vnde decernit mitius cum eis agere, & eos ad ſpem aliqualis gratiæ reuocare. Mittit nempe mandans Londinenſibus, vt ad caſtellum de Wyndeſore conueniant, demonſtraturi priuilegia, libertates ac iura ciuitatis noua & vetera coram eo, conſilio quoque ſuo, vt ibi decerneret quæ ſeruanda forent in ciuitate, vel quæ penitus abolenda. Quibus oſtenſis, quędam ratificata, quædam permiſſa, quædam damnata fuere, Maioris tamen nec perſonam, nec dignitatem ea vice recuperauere, neq; plenam regis gratiam, donec ſatisfeciſſent regi de damnis & iniuriis quæ vel ſibi, vel regis plebi antea intuliſſent. Equidem eà vice conuenit inter regem, & dominos ne eorum ſatisfactionem acceptaret, nec cum eis quouiſmodo componeret ſine conſilio dominorum. Nempe rex cum primo contra eos incanduiſſet (propter cauſas quas ſupra notauimus) meditatus eſt exercitum congregaſſe, & in ciuitatem irruiſſe cum impetu, & ciues de ſub cœlo deleuiſſe. Quod tamen propoſitum ducis Lancaſtriæ oratione mutatum eſt, qui cenſuit eos (vt pręmittitur) euocandos, & (vt pręfertur) caſtigandos, vel (ſi obſtinati fuiſſent) tunc iuxta regis propoſitum obſidendos, & de terra viuentium diſperdendos. Rex autem in hac collectione apud Wyndeſore, dominos temporales regni cunctos, & Epiſcopos pene omnes, nec non exercitum talem contraxerat, qui merito terrori Londinenſium poſſet eſſe. In quos omnes incredibiles fecit expenſas, pro quibus certum erat Londonienſes ſoluturos. Ipſi vero non ignorantes quod horum finis eſſet expoſitio argenti & auri, ſubmiſerunt ſe & ſua regi, voluntariæ ei decem millia librarum vadiantes, dimiſſi tamen ſunt domum redire, incerti quid ſoluerent, donec regis conſilium & formam ſatisfaciendi, & ſummam ſoluendi definiſſet. Cumq; & ciues regreſſi fuiſſent: & proceres qui cum rege fuerant, ac reli-

Londinenſes ad Wyndeſor vocantur.

reliquus populus ad propria remeaſſent, Rex audiens Londinenſes in triſtitia conſtitutos, & mente lapſos, ait ſuis: Vadam inquit Londonias, & conſolabor ciues, nec patiar eos vltra de mea gratia deſperare. Quæ ſententia mox vt cognita fuit in ciuitate, incredibili iocunditate repleuit omnes, vnde omnes & ſinguli ei generaliter ſtatuerunt occurrere, & non minores expenſas facere in xeniis, & donatiuis quam fecerant in eius coronatione. Rex igitur vt venit Londonias, tanta gloria, tanta pompa, tanta varietate diuerſorum apparatuum eſt ſuſceptus, quanta ſuſcipi regem aliquem triumphantem decuiſſet. Nam equos & phaleras, tabulas aureas & argenteas, pannos aureos & holoſericos, pelues & lauatoria de fuluo metallo, aurum in pecunia, gemmas & monilia, tam ditia, tam nobilia, tam ſpecioſa donauerunt eidem, vt cunctorum valor & precium, non poſſet facile æſtimari. Sicque recuperauerunt ciues conſuetudines & libertates antiquas, quæ ſaltem ciuitati poſſent eſſe fulcumento, nec extraneis detrimento. Indultumq; fuit eiſdem, vt Maiorem poſſent eligere ſicut prius. Credebant autem Londonienſes quod per hæc dona domigerium euaſiſſent, & in poſterum quieti fuiſſent: ſed fefellit eos eorum opinio, qui coacti ſunt expoſt ſoluere regi decem millia librarum, de communitate collecta in amatitudine mentis magna: proceres vero regni qui regis conſilio interfuerant, audientes quod rex contra pactũ indulſiſſet Londonienſibus, offenſi ſunt valde inter ſe, regis leuitatem & inconſtantiam condemnantes. Nemo tamen palam regem redarguit de pręmiſſis. Finemque cepit turba ciuium iſto modo, quam Delphinus præludens in thamiſi Die natalis domini vltimo præterito, forſan ſignauit eminus affuturam.

Dona regi data.

Eodem tempore, eum dux Glouerniæ recepiſſet pecuniam ſtipendiariam eundicum exercitu in Hiberniam (cuius inſulæ rex dudum creauerat eum ducem, & iam paratus & inſtructus eſſet ad proficiſcendum, ſine cauſa ſubito reuocatus eſt, ad magnum tam Angliæ quam Hiberniæ detrimentum, nam aduentus eius fama cognita, cuncti pene reguli Hibernienſes ſe ei deliberauerant ſubmiſiſſe, ſed præualuit penes regem malignorum conſilium, quod tamen (proh dolor) commodum impediuit. Hoc anno rex Franciæ (vt fertur) maleficatus incurrit amentiam, & freneticus eſt effectus, dum expeditionem moueret contra ducem Britanniæ, vt dicitur minus iuſtam: perdurauitque in eo hæc infirmitas quam diu durauit calor æſtiuus: hyemali tempore mitigabatur paſſio, & ipſe redditus ſuo ſenſui videbatur: nunquam tamen tam plene conualuit, quin expoſt ſemper eo anni tempore, quo prius incurrerat iſtud incommodum deſtitueretur ſenſu ſuo. Eodem anno Robertus de Veer quondã comes Exoniæ, qui per multos gradus ſaltauerat ad nomen ducatus Hiberniæ, in Lõdonia diem clauſit extremum in mentis anguſtia rerumque penuria miſeranda. Qui equidem iuuenis aptus fuerat ad cuncta probitatis officia, ſi in pueritia non defuit ei diſciplina.

Dux Glouerniæ profectum in Hiberniam reuocatur.

Anno domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, poſt natale factum fuit parliamentum Wintoniæ in quo conceſſum fuit regi per clerum dimidia decima, & dimidia quintadecima per communes, pro expenſis ducum Lancaſtriæ & Glouerniæ, qui fuerant profecturi in Franciam ad tractandum de pacis negotio inter regna. Eo tempore rex Franciæ dum tripudiaret in aula ſua cum quatuor militibus de familia, & eſſet diſſiguratus in Silueſtrem hominem, habens ſtrictum veſtimentum reſina piceque linitum, vt lini ſtuppa quæ fixa fuerat in veſte ſtricta, hæreret tenacius, & repręſentaret euidentius, fuiſſet repente in cineres combuſtus, niſi gratia affuiſſet dolo fratris ſui ducis, qui à tempore ſuæ infirmitatis aſpirauit ad regnum: nempe rege cum ſociis ducente choream, quidam ad hoc ſubrogatus, inclinato torticio, ſubmiſit ignem in ſtuppa, inuſto quo, corpora eorum fuere exterius cooperta, qui ardens vſque ad veſtimentum quod ſtrictum & conſutum erat corpori, vbi inuenit materiam picis & reſinæ inextinguibiliter arſit vſque ad corpus: videns tamen periculum quædam domina, accurrit & regem rapuit de chorea. Rex vero hoc modo ſaluatus fuit. Sed quatuor ſocii eius nullo ingenio potuere ſaluari donec ſemiuſtis pellibus atque carnibus expiraſſent. Hoc anno Bancus regius & Cancellaria tranſlata ſunt de Londoniis Eboracum, vel odio Londonienſium (vt fertur) vel fauore Eboracenſium, eo quod Cancellarius, qui fuit Archiepiſcopus Eborac. cuperet profectũ ciuitatis ſuæ. Sed non longo tempore durauit hæc nouitas, quia ea facilitate qua tranſportabantur Eboracum, eadem Londoniis reportabantur. Iſto quoq; anno dominus Albertus de Veer, factus eſt comes Exonię. Eodem anno in feſto Cathedrę S. Petri obiit ſubito Iohannes de Enros miles, Cõſtabularius Douerię, & regis Seneſchallus, cui ſucceſſit in

Google

officium Seneſchalli, dominus Thomas Percy (qui fuerat prius Subcamerari⁹ regis:) in conſtabulatum Doueriæ, dominus Thomas de Beamond ſucceſſit: & dominus Wilhelmus Scrop ſubcamerarius, vir quo in humano genere de facili non inueniretur nequior aut crudelior. Circa pręſens tempus, idem Wilhelmus Scrop emit de domino Wilhelmo de Monte acuto comite de Sarum, inſulam Euboniæ, cum corona. Nempe dominus huius inſulæ rex vocatur, cui etiam fas eſt corona aurea coronari, hæc inſula vocatur in vulgari, inſula de Man, quæ inter Angliam & Hiberniam ſituatur. Hoc anno duces Lancaſtriæ & Glouerniæ transfretarunt in Franciam, pro fine faciendo treugarum pręlocutarum, vel pacis finalis inter regna. Sed tamen nondum finis, quia rege Franciæ iterum infirmato non potuit finis eſſe.

Præſes inſulæ Man coronatur.

Per idem tempus dominus Henricus Percy iunior conſtitutus eſt cuſtos Burdegaliæ. Menſe Septembris fulgura, choruſcationes, & tonitrua in multis regni partibus multa damna fecere, ſed præcipue in comitatu Cantebrigiæ, vbi domos & blada iuxta Lolleworth, & in ipſa villa terribiliter cremauerunt. Aquarum etiam inundantia non multo poſt irruit, quæ apud Bury aream impleuit eccleſiæ, & apud Newmarket domorum parietes diruit, & viris illic ac mulieribus pene periculum demerſionis intulit, menſe Octobri. Eodem anno multi moriebantur in Eſtſexia ingruente peſtilentia, menſe Septembri. Ipſo anno dominium villæ de Cherburgh reuolutum eſt ad priſtinum poſſeſſorem, regem Nauarriæ, quod oppignoratum fuerat regi Angliæ per certos annos, pro viginti duobus millibus marcarum de rege Angliæ mutuo ſuſceptarum. Eodem anno dominus Thomas de Roos dum reuerteretur à terra Sancta, in Inſula de Cypro ciuitate Papho, tactus aeris regionis incommodo, diem clauſit extremum.

Aquarum inundatio.

Anno domini M. CCC. XCIIII. (qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi. 17.) Motettus de Turcia, vallauit obſidione ciuitatem Conſtantinopolitanam, ſed obſeſſorum probitate repulſus eſt. In octa. S. Hillarii factum fuit Parliamentum Londoniis, in quo petitum fuit regi ſubſidium, volenti in Hiberniam proficiſci, vbi Clerus conceſſit ei plenam decimam ſi transfretaret, ſi vero non laboraret, medietatem tantum decimæ conceſſit eidem. Tempore iſtius parliamenti ſuborta eſt grandis diſcordia inter Ducem Lancaſtriæ, & Comitem Arundeliæ: Impoſuit nempe dux comiti, quod circa feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis, iacuerit cum armata manu in partibus Ceſtriæ, id eſt, in caſtello ſuo de Holte, eo tempore quo patria illa inſurrexerit contra eum, Ducibus Nicholao de Clifton, ſuiſque complicibus in ſubſidium rebellantium vt putauit. Quod comes negauit expreſſe, & ſe ſatis euidenter excuſauit, ſicque pro tempore tempeſtas magna ceſſauit.

Parliamentum Londini.

Circa feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ redit è Francia dux Lancaſtriæ, qui profectus ad tractatum fuerat menſe Maio, reportans quatuor annorum treugas, in quibus & Scoti comprehendi debebant, ſi vellent ſubiici regi Anglorum, vt de iure ſolebant. Dum Dux agebat in Galliis (vt pręfertur) obiit in Anglia coniux ſua domina Conſtantia, domini Petri quondam Regis Caſtellæ filia, mulier ſuper fœminas innocens & deuota. Et ne ſola venirent funera lamentanda eo tempore, conceſſit in fata Maria comitiſſa de Derby, vxor domini Henrici comitis de Derby, filii ducis Lancaſtriæ ſupradicti. Obiit quoq; Anna regina, quę apud Weſtmonaſt. eſt ſepulta, cuius exequię quanto celebriores fuerunt in expenſis, tanto notabiliores in fainiis: quia rex polluit locum ſanguine comitis Arundeliæ in principio officii funeralis. Eodem anno obiit domina Iſabella duciſſa Eborac. ſoror vterina duciſſæ Lācaſtriæ, mulier mollis & delicata, ſed in fine (vt fertur) ſatis pœnitens & conuerſa. Hæc ſepulta eſt iuſſu regis apud Langley ſuum manerium, inter fratres. Hoc anno etiam obiit ille toto mundo miles notiſſimus I. Haukewood, cuius geſta tractatum exigunt ſpecialem. Circa menſem Auguſti proclamatum eſt per totam Angliam, vt omnes Hibernici redirent ad terram propriam, contra feſtum natiuitatis beatæ Marię, pręſtolaturi in Hibernia aduentum regis, ſub pœna capitali: dicebatur nempe quod venerat in Angliā ſpe lucri, tanta multitudo Hibernicorum, vt terra illa viris pene vacuaretur. Vnde contigit quod meri Hibernici, Anglicorum aduerſarii, partem inſulæ quæ paruerat regi Angliæ vaſtauerunt, nemine reſiſtente. Cum vero Rex Angliæ illuſtriſſ. Edwardus tertius à conqueſtu illic poſuiſſet bancum ſuum, atque iudices cum Scaccario, percepit annuatim ad regalem fiſcum triginta millia librarum de terra illa. Et modo propter abſentiam perſonarum, & hoſtium potentiā irrefrenatam, nihil inde venit, ſed per ſingulos annos de ſuo marſupio ſoluit triginta millia marcarum, ad ſui

dedecus,

dedecus,& ciſtæ detrimentum grauiſſimum. Circa feſtum natiuitatis ſanctæ Mariæ, Rex Anglię transfretauit in Hiberniam,& cum eo dux Glouerniæ,comiteſque Marchiæ,Notinghamiæ,& Ruthlandiæ. Hibernici de tanto apparatu territi, quia palam non audebant occurrere,clandeſtinis irruptionibus frequenter regis exercitum fatigarunt. Coacti tamen (Anglicis pręualentibus) ſe regi ſubmittere plures reguli illius terræ,quorum quoſdam rex ſecum detinuit,ne noua aliqua molirentur: morabatur autem rex in Hibernia vſque poſt Paſcha.

Per idem tempus venerunt ad eum de Anglia Archiepiſcopus Eboracenſis, & Epiſcopus Londinenſis, cum aliis nunciis miſſis per clerum,vt quamcito in patriam remeare dignaretur,ad ſuccurrendum fidei & Eccleſiæ,quæ iam per Lolardos, & eorum fautores incredibiliter affligebatur. Nam ad hoc vacabant ſolummodo, vt imaginaretur qualiter totius Eccleſiæ poſſeſſiones tollerent, & quod peius fuit, cunctas canonicas deſtruerent ſanctiones. His auditis rex inflammatus diuino ſpiritu, quamcito potuit in Angliam eſt reuerſus,arbitrans magis neceſſarium fidei periclitāti ſuccurrere,quam circa regna temporalia decertare.

Anno domini M. CCC. XCV. (qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi.18. rex tenuit natale in ciuitate Dubliniæ, Hiberniæ Metropoli.& poſt natale fecit parliamentum ibidem,ad quod conuenerunt tam ligei, quam illi qui dudum ſubmiſerant ſe eidem. Eo tempore poſt octa. Epiphaniæ vocante cuſtode regni Angliæ,domino Edmundo regis patruo, Duce Eborac. factum eſt parliamentum Londoniis,ad quod acceſſit (miſſus de Hibernia) dux Glouerniæ, qui coram cunctis expoſuit regis neceſſitatem,qui iam exhauſit theſauri ſui inter Hibernicos facultatem. Cuius legatio tantum valuit, vt Clerus vnam decimam, & quintamdecimam plebs communis daret, (facta prius proteſtatione, quod ad hoc concedendum non tenebatur de ſtricto iure, ſed ſui regis affectione.) Eo tempore Lolardi cum ſuis fautoribus in omnem maliciam efferati, fixerunt publice ſuper oſtia eccleſię S.Pauli Londoniis,& Weſtmonaſt. abhominabiles cleri accuſationes,& hactenus inauditas concluſiones,quibus nitebantur deſtruere perſonas Eccleſiaſticas, & eccleſiæ ſacramenta, animati (vt fertur) nimio fauore quorūdam procerum & militum Anglicorum. Inter quos campi ductores fuerunt Richardus Stury,Lodouicus Clifford, Tho. Latymer, Io.de Monte acuto,qui inſtigabant & confortabant hæreticos ad confundendum (ſi poſſe daretur) pręcipue religioſos. Rex igitur (vt pręfertur) cōceptis lolardorum maliciis,feſtinauit in Angliam,vt diſſiparet eius intuitu tanta mala. Quo cum perueniſſet fęliciter,quoſdam de proceribus obiurgauit acriter,cōminans eis terribiliter ſi de cętero lolardis fauerent,vel eos in aliquo confortarent. De Richardo quoq; Stury accepit iuramentum,quod de cætero opiniones huiuſmodi non teneret. Quo facto,dixit rex: Et ego iuro tibi,ſi tu vnquā violaueris iuramentum, morte turpiſſima morieris. Audientes cęteri tantum rugitum, cornua retraxerunt, & hactenus delituerunt. Eo tempore imago crucifixi cum ſtigmatibus ſanguinolentis apparuit in Gallia ſupra campanile cathedralis eccleſiæ Landunenſis,per mediam fere horam, cernentibus Epiſcopo,clero & populo manifeſte. Quo anno Morectus ille Barbarus, cum trecentis quinquaginta millibus paganorum,conflixit contra Priorē ſancti Iohannis de Rodes,alioſq; chriſtianos,ſed Dei virtute conuictus eſt,centum millibus de exercitu eius interfecit. Et quia fortuna nō pręualuit ſibi cāpeſtri pręlio, nauali bello ſtatuit experiri fortunā,ſed qui terræ mariq; dominatur,eius conatus eneruauit, & eū cōfuſione maxima fugere cōpulit iterato. Ciuitas quoq; Cōſtantinopolitana (quā ſupra diximus obſeſſam eius exercitu velut infinito) ſuperueniente imperatore Cōſtantinopolitano cum paruo Chriſtianorum numero liberatur,quingētis millibus de gente pagana miraculoſe peremptis. Eo anno ſenſit Anglia graue damnum per piratas reginę Deumarchiæ qui nautas & mercenarios deprędabantur,p̃cipue tamen viros de Norfolcia,qui auſi ſunt cōgregata multitudine congredi cū eiſdem: ſed hoſtibus pręualētibus,multi perempti,plurimi vero ad redemptionem grauiſſimā ſunt ſeruati,amiſſis viginti millibus librarū,quas ad mercandizandum cōportauerant. Eodem anno Wilhelmus Cantuar. Archiepiſcopus,non conſiderata depreſſione eccleſiaſtica qua iugiter premebatur per tallagia pendenda regi annis ſingulis,plus ſpectans ſuum priuatū commodum q̃ communitatis incommodū, impetrauit bullam ab apoſtolico gratioſam,vt leuaret per totā ſuam prouinciā quatuor denarios de qualibet libra omniū bonorum eccleſiaſticorum, tā exemptorum quam non exemptorum,nulla prætenſa cauſa vera nec legitima. Cuius bullæ fuerunt conſtituti executores, Archiepiſcopus

Eboracenſis,& epiſcopus Londinenſis. Multi vero cenſuras timentes tam ſublimium executorum, maluerunt ſummam continuo ſoluere, quam dubiis litibus cum iactura forſitan ſubiacere: nonnulli ſedem apoſtolicam tanquam à grauamine appellantes, ſuã cauſam nitebantur defendere, & dictum ſubſidium tanquam illegitimum quomodolibet reuocare, quorum animoſiores, & pręcipue fuerę Lincolnienſes, ſed tãtis motibus finẽ impoſuit mors Archiepiſcopi cito poſtea ſubſecuta. Hoc anno obiit Io. de Waltham epiſcopus Sarum & regni theſaurarius, qui tantum regi complacuerat, vt etiam (multis licet murmurantibus) rege iubente apud Weſtmonaſterium inter reges meruit ſepulturam: huic ſucceſſit in officio theſaurarii dominus Rogerus Walden, prius regis ſecretarius & Caleſiæ theſaurarius. In epiſcopatu vero I. de Mytford Ciceſtrenſis epiſcopus, ad cuius epiſcopatum Dublinenſis Archiepiſcopus eſt translatus, quia maior pontificatus, in ſeculari ſubſtãtia minor erat. Obiit etiam Exonienſis epiſcopus Wilhelmus, poſt quem ſucceſſit regis inſtantia magiſter Edmundus de Stafford, portator priuati ſigilli. Obiit quoque dominus Henricus de Wakefeld epiſcopus Wigornienſis, cui ſucceſſit ad preces regis, Papali permiſſione, quidam monachus Ciceſtrenſis regis Phyſicus dict. Rob. Tydeman, ſpreta & caſſata magiſtri Iohannis Grene electione legitima. Hoc anno menſe Nouembris rex Angliæ apportato de Londonia corpore quondam dilecti ſui Roberti de Veer, quem creauerat ducem Hiberniæ (fœlicis quidem ſi non aſpiraſſet ad gradus ſublimes, ſed propter extollentiam infœlicitati ſubacti) fecit apud Prioratum de Colne in Eſtſexia ſolennes exequias, ibidem exhibens ſuam pręſentiam, magnificans officium funerale. Curauitque thecam cypriſſinam, in qua corpus balneo delibutum iacebat, aperire faciem, conſiderare, digitoque tractare, & publice monſtrare dilectionem defuncto, quam impendiderat prius, iaceo, viuo. Erant ibi cum rege mater defuncti, comitiſſa Oxoniæ, Archiepiſcopus Cantuariæ, pluri mique epiſcopi, cum Abbatibus & Prioribus, aliiſque religioſis, ſed proceres pauci, quia nondum digeſtum erat odium quod conceperant contra illum.

Anno domini. M. CCC. XCVI. dux Lancaſtriæ, cui rex donauerat ducatum Acquitaniæ, cum iam inæſtimabilem ſummã theſauri expendiſſet in illis partibus pro adipiſcenda patriotarum beneuolentia, conſecutuſque fuiſſet propoſitum, ſubito per mandatum regium reuocatur. Qui nihilominus reuocanti paruit & rediuit in Angliã, peruenitq; Langleyam, vbi rex natale domini tenuit iſto anno, ſuſceptus eſt à rege (prout decuit) cũm honore, ſed vt iidem aſſerunt, non amore: licenciatus proinde à rege, receſſit à curia, & properauit Lincolniam, vbi Catherina de Swynforde tunc morabatur, quam poſt octa. Epiphaniæ (cunctis admirantibus facti miraculum) deſponſauit, quia fortuna talis fœminæ tantæ ſublimitatis error minime competebat.

Ducis nuptiæ.

Hoc anno Papa ſcripſit regi Angliæ, orauitque vt aſſiſteret pręlatis eccleſiæ in cauſa Dei, & ipſius regis & regni, contra Lolardos, quos declarauit non ſolum proditores eccleſiæ, ſed & ipſius regis, rogauitque obnixius, vt quos pręlati declaraſſent hæreticos condemnaret. Alias eo tempore direxit bullas ad reuocandum religioſos, qui capellanas obtinuerant vel ab ipſo Papa, vel à quoquam alio nuncio vel legato, quas bullas (quaſi munus gratiſſimum) amplexati ſunt ordines Mẽdicantium, ſed fratres Minores, pręcipue qui confeſtim fratres ſuos qui per exemptiones capellanatus ab eis ſegregati fuerant, rapere, capere, domumq; reducere ſatagebant. Eo tempore iuxta pacta inter reges Angliæ & Franciæ prius firmata, conuenerunt dicti reges, ad locum vltra Caleſiam eorum colloquio deſignatum, vbi ambo regum tentoria magnifice fixa fuere. Qui ante tractatum, pro pacis veræ fidei ſecuritate, corporale pręſtiterunt coram omnibus huiuſmodi iuramentum. Nos Carolus rex Franciæ, iuramus in verbo regali, ſuper euangelia pro nobis & omnibus nobis ſubiectis, amicis, & affinitate nobis iunctis, & beneuolentibus, quod non faciemus, nec patiemur fieri, per nos nec per ſupra nominatos damnum, nec diſturbationem vllo modo per tempus noſtræ cõuentionis, nec per octo dies ante conuentionem, & ſeptem dies ſequentes, noſtro filio regi Angliæ, nec alicui de ſuis ſubiectis, amicis, affinibus, nec beneuolis, ante dictũ tempus. Et ſi caſu aliquo inſolentia vel litigium per aliquos de noſtris ſupradictis (quod abſit) emerſerit: Nos permittimus in verbo regali, & per ſecuritatem pręd ictam, quod faciemus hæc debite emendari, & ſine dilatione reformari, & iuramus vlterius ſuper ſecuritate pręd icta, quod ſi aliquis vel aliqui qualicunque ſtatu vel conditione extiterint, voluerit, vel voluerint contraire dictæ noſtræ ſecuritati, nos erimus in auxilium noſtri filii, pro noſtro poſſe ad reſiſtendum maliciæ malefactorum

Iuramentum de pace.

rum prędictorum, & conſeruandum noſtrum dictum filium, & ſuos, per modum quẽ nos & noſtri ſcimus. Et ad tenendum omnia, & proſequendum ſine fraude vel malo ingenio, ad hoc iuramus & promittimus vt ſupra. Die.26. menſis Octobris rex Angliæ equitauit de Caleſia verſus caſtrum ſuum de Guynes, & cum eo dux de Berry, qui miſſus fuerat ad recipiendum ſacramentum regis noſtri. In craſtino obuiauerunt reges pariter, ducentibus regem Angliæ, dominis Franciæ. ſc. quatuor ducibus, de Berrey, Burgundię, Aurelianenſis & Burboniæ: comite Sauter, vicecomite de Maleyn: epiſcopo de Valeins, domino de Bushy. Econtra de parte noſtra miſſi ſunt ad conducendum regem Franciæ duo duces. ſ. Lancaſtriæ & Glouerniæ, comites Derby, & Ruthlandiæ & Northumbriæ, habueruntque colloquium duo reges, & aſſenſu mutuo fuit ordinatum, vt conſtrueretur in eodem loco amborum ſumptibus in memoriam ſempiternam vna capella. Quæ capella noſtræ dominę de pace vocaretur. Die ſabbati in feſto apoſtolorum Simonis & Iudæ, rex Angliæ & Franciæ collocuti ſunt de certis articulis tractatus ſui, quo facto, iurati ſunt per Euangelia de pactis ſeruandis. Tunc rex Angliæ rogauit regem Francię vt pranderet cum eo die ſequente. Die Lunæ venit rex Francię ad tentorium regis Angliæ. Ea hora regina fuit adducta ad tentoria regis noſtri. Rex Francię donauit eam regi noſtro, quam rex noſter cepit per manum, & oſculabatur eam, regratiando patri ſuo regi Franciæ de dono tam honorabili & gratioſo, aſſerens ſe eam ſub conditionibus accipere factis inter eos, vt per iſtam affinitatem poſſit vterque rex viuere in pace & tranquillitate, & peruenire ad bonum finem & concluſionem pacis perpetuę faciendę inter regna, & ne ſanguis Chriſtianus effundatur, cuius effuſio poſſit ſimiliter euenire, ſi iſta affinitas inter eos non fieret iſta vice. Commendata eſt igitur regina ducıſſę Lancaſtriæ & Glouerniæ, & comitiſſis Huntyngdoniæ, & Staffordię, aliiſque dominabus quæ aderant, quæ conduxerunt eam Caleſiam cum maximo apparatu hominum & equorum, habuitque cum ea duodecim currus plenas dominabus & domicellis. Quibus ita geſtis, reges acceſſerunt ad prandium in tentorio regis Anglorum: rex Franciæ conſedit in dextera parte aulę, cui ſeruitum fuit regaliter more ſuę patrię. i. de omnibus cibariis primi curſus ſimul in magna perapſide, & de ſecundo curſu eodem modo. Regi vero Anglię ſeruitum fuit patriæ ſuę more. Poſt prandium reges oſculati ſunt pariter, & aſcenderunt equos, duxitque rex Angliæ regem Francię in viam ſuam, & tandem iunctis manibus ſuper equos diſceſſerunt ab inuicem, rex Francię equitauit ad Arde, rex autem Anglię ad Caleſiam ſe cõuertit, vbi filiam regis Francię duxit vxorem, puſiolam ſeptennem vel octennem. Fuit annus iſte regum apparatus grandis & ſumptuoſus in donariis & expenſis. Nam pręter dona quæ rex Anglię dedit regi Francię, aliiſque proceribus illius regni, quę ſuperauerunt ſummam decem millium marcarum, rex expendit (vt dicitur) trecenta millia marcarum & amplius ea vice. Rediit igitur cito poſt in Angliam ſaluus, & vxor ſua, ſed auerſa tempeſtate perdidit tentoria ſua, & magnam partem ſuppellectilis domus ſuæ.

Congreſſus duorum regum.

Hoc anno valefecit mundo magiſter Wilhelmus Courtney Archiepiſcopus Cantuarienſis, cui ſucceſſit poſtulatione communis capituli, dominus Thomas Arũdell frater comitis Arundelię, regnique Cancellarius, qui mox Cancellarię dimiſit officium, & illius ſollicitudinem per regis aſſenſum Magiſtro Edmundo Staffordo commendauit. Eodem anno deceſſit totius Monaſticę religionis pater & ſpeculum dominus Thomas Abbas monaſterii ſancti Albani.

Anno gratiæ. M. CCC. XCVII. (qui eſt annus regni regis Richardi à conqueſtu ſecundi viceſimus) poſt natale Domini factum fuit parliamentum Londini, in quo dux Lancaſtriæ legitimari fecit ſobolem quam ſuſceperat de Catherina Swynforde. In eodem parliamento fuit ordinatum, vt Iuſticiarii de cętero non habeant aſſeſſores. Item Thomas Benforde filius Ducis Lancaſtrię, & dictæ Catherinæ (nam ſic cenſuit Dux cognominari filios eiuſdem C. quos ſibi genuerat) creatus eſt comes de Somerſet. Eo tempore conceſſa fuit regi per clerum medietas vnius decimæ, ſoluenda ad duos terminos ipſius anni. Hoc anno Richardus rex Angliæ, contra iuramentum quod prę́ſtiterat, reuocauit de Hibernia Iuſticiarios, quos olim de conſenſu ſuo proceres propter defectus eorum notabiles conſtituerunt exulare. Eo tempore increbuere rumores (licet vanę) quod videlicet Rex Angliæ fuiſſet electus imperator, vnde rex elatus (vt fertur) ab eo tempore ſapere cępit altius quam ſolebat, vulgus apporiare, grandes ſummas pecunię de quibuslibet mutuari, in tantum quod nullus prælatus, nulla ciuitas, nullus ciuis notatus locuples in to-

Parliamentum Londini.

Rumor erat regem Angliæ futurum imperatorem.

to regno ſe potuit occultare, quin de ſua pecunia mutuo regi daret. Anno pręſenti cum iam ſibi regnum Angliæ ſumma videretur pace gauiſurum, propter nouas nuptias regales & diuitias per eaſdem accumulatas, & treugas annorum triginta firmatas, & pręſentiam tot nobilium dominorum, quot & quales nulla externa regio poterat exhibere: repente regis aſtutia cuncta turbantur, dum inopinato capit auunculum ſuum ducem Glouerniæ vi & armis, (nihil tale verentem) apud Plashy in Eſtſexia, & vſque ad Caleſiam deduci facit, carcerali cuſtodiæ mancipandum. Comitem quoque Warwici ipſo die quo eum inuitauerat ad conuiuium fecit areſtari, & protinus incarcerari, quamuis ei peroptimum vultum monſtraſſet eodem die, & inſuper ſibi bonum dominum futurum & magnam amicitiam promiſiſſet. Comitem quoque Arundeliæ deceptum blandis perſuaſionibus, qui ſatis potens erat, & ſe ſaluaſſe, & ſuos amicos deliberaſſe, ſcilicet ducem Glouerniæ, & comitem Warwici, ſe reddentem pacifice, miſit in inſulam Vectem, pari modo in carcere detinendum. Et ne fieret communis vulgi commotio pro captione dictorum procerum (quam maxime verebatur) proclamari fecit per regnum, quod iſta dominorum captio, non erat facta pro quibuſquam antiquis tranſgreſſionibus, ſed pro nouis commiſſis contra regem, quæ propalarentur in parliamento futuro. Sed hæc proclamatio ficta fuit, prout rei exitus comprobauit. Rex vero (neſcitur quid metuens) per idem tempus metuit ne pontifices, aliiue prælati facerent proceſſiones, ſiue deuotiones pro cauſa pręmiſſa, vel procerum ereptione tantorum. Et paulo poſt apud Notyngham fecit indictari dictos dominos de proditione, ſubornauitq; appellantes, qui eos appellarent in parliamento futuro ſcz. Edwardũ comitem Ruthlãdię, Thomã Mounbray comitẽ Mareſchallum, Thomam Holand comitem Cantii, Iohannem Holand comitem Huntingdoniæ, Tho. Benford comitem de Somerſet, Iohannem de Monteacuto comitem Sarũ, Thomam dominũ de Spencer, & Wilhelmum Scrop regis Camberlanum. Quibus ſic geſtis, fecit rex proclamari per totum regnum, quod domini areſtati proditores erant, & pro proditione detenti. Interea rex ſibi metuens, conuocauit ad tutelam ſui corporis multos malefactores de comitatu Ceſtrię, qui noctium vigilias dierumque ſeruarent & diuiderent circa illum. Circa octa. natiuitatis beatæ Mariæ factum eſt parliamentum Londoniis, ad quod venerunt omnes regni proceres armati cum ſuis retinentiis, ducti timore regis: fuerunt autem pręcipui prolocutores huius parliamenri milites valde cupidi, & ambitioſi & tumidi, I. Bushy, Wilhelmus Bagot, & Henricus Grene. Hi importunis clamoribus petierunt, vt chartæ pardonationum in primis reuocarentur & annullarentur, ſuper quibus requiſiti prælati de facile indicarunt, chartas tales fore reuocabiles, non attendentes quod huius gratię reuocatio, perſonæ regis maxime repugnabat, cum miſericordia ſit ſolii regalis confirmatio, & qui tollit à rege miſericordiam, tollit ſolii regalis firmamentum. Cõſequenter domini temporales videntes aſſenſum cleri, cenſuerunt & ipſi huius chartas annullandas, magis timore regis dicti, quam mentium ratione. Exactum etiã fuit à pręlatis, vt conſtituerent laicum procuratorem pro eiſdem, vt quia illi non poterãt intereſſe iudicio ſanguinis, procurator eorum (ſi neceſſe foret) huius negotio conſentiret. Altero die cum Archiepiſcopus Cahtuarienſis de regis mandato, & conſilio quem credebant amiciſſimum ſe abſentaſſet de parliamento, qui ſibi iurauerat q; nihil attemptaretur in eius pręiudicium, abſente ipſo contra omnem iuſticiam adiudicatus fuit exilio, cum adiecto quod non remaneret in regno vltra ſex hebdomadas ab eo die proximo cõputandas. Quo taliter condemnato, miſit rex clam ad curiam Romanam pro tranſlatione eiuſdem, effecitque vt Rogerus de Waldene regni pro tunc theſaurarius, pro eo Archiepiſcopus ordinaretur. Qui quia cubile patris ſui viuẽtis aſcendere pręſumpſit, poſt biennium deiectus eſt auctoritate Papæ pręfati. Die ſancti Matthæi datum eſt iudicium contra Richardum comitem Arundeliæ, allegantem & expoſcentem ſuffragia chartarum, & pardonationis regis, ſed nihil in hac parte proficientem, nam adiudicatus eſt tractioni, ſuſpenſioni, exentricationi, combuſtioni interiorum, decapitationi, & quarterizacioni. Sed prolata ſententia modificata eſt de regis gratia, vt condonatis pœnis cæteris, ſubiret tamen capitalem ſententiam, cuius executio mox facta eſt. Sed comes nec cum reſponſis aſtitit, nec cum ſententiam domini triſtem ſubiit, nec cum de loco iudicii ad locum tranſiuit ſupplicii, neque cum iam flexo poplite præſtolabatur ictum gladii, vultu concidit, ſed ſeruans ſemper faciei colorem vniformem, non plus palluit quam ſi fuiſſet ad epulas inuitatus. Præceſſit autem eum, & ſequebatur ſatis ferialis turba Ceſtrenſium, armata ſecuribus, gladiis, arcubus & ſa-

gittis educebant eum,& vrgebant ad mortis metam Comites, Mareſchallus & Cantii, quorum alter gener eius erat, alter nepos ex filia, & Comes Huntingdoniæ frater Regis. Intuens ergo ſuos affines & neceſſarios Comites,ſcilicet Mareſcalli & Cantii perurgere negotium decollationis ſuæ, vere, inquit, decuiſſet vos præcipue abſentes fuiſſe,& ab iſto negotio ſubtraxiſſe,ſed veniet in breui tempus, quando ror mirabuntur de veſtris infortuniis,quot de meis caſibus nunc mirantur. Deinde data lictori venia,rogauit ne torqueret eũ diutius,ſed ictu vnico caput eius amputaret,tentauitque ſuis digitis mucronis aciẽ quo fuerat feriẽdus: ſatis,inquit,acutus eſt,fac cito quod facturus es, qui eum ictu vnico decollauit, cuius corpus cum capite inter Auguſtinẽſes Londoniis eſt humatum. Poſt cuius mortem Rex diuerſis imaginibus in ſomnis eſt turbatus: videbatur nempe vmbra comitis(mox vt dormire cępiſſet)ante oculos ſuos volitare,minariq; ſibi,& eum indicibiliter deterrere,quaſi diceret cum Poeta:

Nunc quoq; factorum venio memor vmbra tuorum,
Ius quoq; & vultus cum oſſa forma tuos.

Quibus Rex pauefactus imaginibus,præ timore medios ſomnos interrumperet, maledixit diei,in quo nouit comitem memoratum. Auxit quoq; mentis inſaniam,quod audiuit vulgus commune comitẽ reputare pro martyre, peregrinationes fieri ad corpus eius: vnde die decimo ſepulturæ eius Rex miſit circa decimam noctis horam duces & Comites, qui corpus eius effodi facerent, & aſpicerent, ſi caput corpori eſſet iunctum (prout fama communis erat) qui effoſſo corpore cum famam mendacem reperiſſent, omnia Regi renuntiarunt. Ille non contentus experimentis huiuſmodi, iuſſit vt fratres ſigna deponerent,& quæ circa corpus eius fixa fuerãt, & locum ſepulturæ ſuæ ſub pauimento protinus occultarent. Poſt mortem comitis Arundeliæ productus fuit comes Warwici ad ſtandum iudicio parliamentali, ſed defuit illi conſtantia,quæ comitem Arundelię comitabatur. Nempe requiſitus quid reſpondere vellet ad equitationes factas cum duce Glouerniæ, mox fatebatur cum lachrymis ſe proditorem eo facto: data igitur mortis ſententia contra ipſum,quam mox temperauit miſericordia Regis,condonans ſibi veniam atque vitam, qui mox miſſus eſt ad inſulam Euboniæ, quæ pertinebat domino Wilhelmo Scrop, vbi ſub cuſtodia carcerali reſiduum tranſigeret vitæ ſuæ. Interea (quia non videbatur tutum Regi, vt dux Glouerniæ reſponſis aſtaret) Princeps propter fauorem populi,qui ei nimis afficiebatur, rex iuſſit comiti Mareſcallo, vt eum occulte occideret, qui miſſis iniquitatis miniſtris fecit eum ſuffocari ſuperiectis culcitris, & lectis pluma refertis ſuper os eius: ſicq; mortuus eſt ille vir optimus, Regis filius, & Regis patruus, in quo poſita fuere ſpes & ſolatium totius regni communitatis. Poſtea Rex aſtute fecit illud Parliamentum differri vſq; poſt natale domini, quod reincipitur, vel potius continuatur apud Salopiam in confinibus Walliarum.

Anno M. CCC. XCVIII. poſt natale in parliamento continuato Salopiæ, procurauit Rex ſubtiliter, fecitque concedi de conſenſu omnium ſtatuum regni, vt poteſtas parliamenti remaneret penes certas perſonas, ſeptem vel octo, quibus liceret determinare (diſſoluto Parliamento) certas petitiones in eodem Parliamento porrectas pro tunc minime expeditas. Cuius conceſſionis colore perſonæ ſic deputatę proceſſerunt expoſt ad alia generaliter parliamentum illud tangentia, & hoc de voluntate regis in derogationem ſtatus Parliamenti, & incommodum totius regni, & perniciosum exemplum. Rex autem ſuper hoc facto, vt videretur habere colorem & autoritatem, fecit rotulos Parliamenti mutari & deleri contra effectum conceſſionis prædictæ. Tunc aſſumpſit rex ſibi nomen Principis Ceſtriæ, & Comitẽ de Derby creauit ducem Herfordiæ, comitem Mareſcallum ducem Norfolchiæ, comitẽ de Ruthlande ducem Albemariæ, comitem Cantii ducẽ Southreyæ, comitẽ Huntingdoniæ ducem Exceſtriæ, comitiſſam de Norfolke ducifſam Northfolchię, comitẽ de Somerſete marchionem ibidem, dominũ de Spencer comitẽ Glouceſtriæ, dominũ de Neuile comitem Weſtmerlandiæ, dominum Wilhelmum Scrope comitem de Wilteshere, dominum Thomam Dercy Seneſcallum Regis, comitem Wygorniæ: proinde Rex mutauit arma ſua, addiditq; ſcuto ſuo arma S. Edwardi Regis & confeſſoris. Eo tempore rex contulit nouis creatis ſuis ducibus & comitibus magnam partem terrarum Ducis Glouerniæ, comitumque Arundeliæ & Warwici. In hoc parliamento continuato apud Salopiam Rex dominorum conſenſu Ioannem dominũ de Cobham miſit in exilium ad inſulã de Gernſey, & dominus Reginaldus de Cobham condemnatur; quia fuit vnus ex deputatis ſibi pro ſuo cõſilio & tutela ꝑ dominos anno ſuo vndecimo.

Comitum creatio.

cimo. Annullaturque per Parliamentum tentum eodem anno. Et vt robur obtinerent perpetuæ firmitatis, ordinationes & iudicia facta lata in præmiſſo Parliamento, impetrauit Rex literas Apoſtolicas, in quibus graues cenſuræ proferebantur contra quoſcunq; qui dictis ſtatutis in aliquo contrauenire pręſumpſerint, quas promulgari fecit Londoniis ad crucem ſancti Pauli, & aliis celebertimis regni locis. Circa pręſens tempus appellauit Dux Herfordię Ducem Northfolchię, de quibuſdam verbis per eum dictis, quæ in Regis dedecus redundabant. Ob quam cauſam indictum fuit eis duellum apud Couentre. Tandem cum liſtas intraſſent tam animoſe quam magnifice, Rex in manu ſua cauſam ſuſcepit, & fecit proclamari, quod Dux Herfordię debitum ſuum honorifice adimpleſſet. Sed tamen velut immediate poſtea Rex ſine cauſa quacunque legitima dictum ducem Herfordię ad decennium relegari fecit, & mandauit, contra iuſtitiam & iura militaria, & conſuetudines huius regni. Ducem quoq; Northfolchię perpetuo damnauit exilio, immiſericorditer ſtatuens ſub pœnis grauibus, quod nullus rogaret, vel apud ipſum regem intercedere pręſumeret, pro gratia facienda Ducibus ſupradictis. Facta ſunt hęc eo die, ad annum, quo idem dux Northfolchiæ Ducem Glouernię fecerat ſuffocari. Hoc anno Papa Iohannem Lincolnienſem Epiſcopum tranſtulit ad Epiſcopatum Ceſtrię, tunc vacantem. Et dedit epiſcopatum Lincolnię Henrico Bewford, vni de filiis domini Iohannis Ducis Lancaſtrię, & Catherinæ de Swinford, ob Ducis reuerentiam & amorem. Epiſcopo vero Lyncolnię veteranus noluit hanc admittere tranſlationem, ſed ea ſpreta contulit ſe Cantuariam, & in Eccleſia Chriſti inter monachos finem vitę fecit. Confeſſor Regis (quidam frater de ordine prædicatorum) de epiſcopatu Landafenſi tranſlatus eſt ad epiſcopatum Ceſtrenſem. Rex eo tempore fecit conuocari clerum, vt determinaret ſi liceret Papæ tales facere tranſlationes pro arbitrio ſuæ voluntatis. Ad quod fuit reſponſum, nō directe, ſed modo ſupplicationis porrectę regi ex parte cleri, vt dignaretur Papæ ſcribere, vt à talibus tranſlationibus ceſſaret pro commodo totius Eccleſiæ Anglicanæ. Rex vero cum audiſſet reſponſum tale, velut offenſus licentiæ Papæ, iurauit, quod ſi clerus reſtitiſſet conſtanter Papę in iſto negotio, ipſe manus appoſuiſſet in auxilium eorundem. Eo tempore venit in Angliam domini Papæ nuntius Petrus de Boſco Aquenſis Epiſcopus, ad commonēdum regem, vt permitteret ligeos ſuos prouiſiones acquirere de manu Papæ, & reuocaret ſtatutum editum contra prouiſores: & illud breue Quare impedit, multaq; ſimilia: Sed quod minus obtinuit de ſuo negotio, rex accumulauit ſuo marſupio, donans ei iocalia magni pretii & valoris. Sub hoc anno Romæ repertus eſt theſaurus Helenæ, matris Conſtātini Imperatoris, ſub quodam pariete ruinoſo: ipſa vero moneta aurea ſignata fuit imaginibus dictæ dominæ, habens in circulo nomen eius ſcriptum, & valuit vna Petta xx. ſ. de noſtra moneta: cum quo theſauro poſtea Papa fecit reædificari capitolium & caſtellum ſancti Angeli. Hoc anno fere per totum regnum Angliæ lauri veteres aruerunt, & expoſt contra multorum opinionem reuiruerunt.

Duellum indictum.

Anno gratiæ M. CCC. XCIX. in die circumciſionis domini, prope Bedefordiam aqua profundiſſima, quæ decurrit inter villas de Suelleſton, & Harewode, repente reſtitit, & ſe diuiſit ſic, quod per tria miliaria alueus ſiccus remanſit, præbens quibuſlibet ingreſſum ſiccum. Quod prodigium viſum eſt plurib. ſignificare proprii diuiſionem, & à Rege defectionem, quæ contigit eo anno. Eo tempore Rogerus Comes Marchiæ, dum nimis fidit in virtute ꝓpria, ab Hibernicis in Hibernia eſt peremptus. Cuius morte cognita, rex ſtatuit vindicare perſonaliter mortem eius, Hibernenſeſq; domare, non attendens, quantum odium ſibi accumulauerat ligeorum ſuorum, & quam amarum animum vulgus commune gerebat contra eum. Fecit igitur præparationem maximam per totum tempus quadrageſimę, & ſic deinceps vſq; ad ſuū tranſitum extorquens pecunias, exigens equos & quadrigas, victualia pro profectione ſua rapiens, nihilque ſoluens, vnde factus eſt ſuis ſubditis odibilis & inuiſus. Per idem tempus venit in Angliam Epiſcopus Calcidonenſis, cum literis Apoſtolicis comminatoriis, vt regni fideles de bonis conferrent Imperatori Conſtantinopolitano, qui infeſtabatur nimium per Tartaros, & ducem eorum vocatum Morectum. Vt autem proniores efficerentur regnicolæ ad offerendum huic negotio, conceſſit Papa benefactoribus (vere contritis & confeſſis) plenam remiſſionem. Inuoluitque amaris cenſuris omnes impedientes huius negotio conferre volentes, attendēs, quod licet Imperator eſſet ſchiſmaticus, Chriſtianus tamen erat: & ſi ipſe per incredulos opprimeretur, imminebat toti Chriſtianitati ruina, habens in mente illud Poeticum:

Tunc

Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet.

Hoc tempore obiit Iohannes Dux Lancaſtriæ, cuius corpus in Eccleſia ſancti Pauli Londoniis eſt humatum, poſt cuius mortem Rex dominum Henricum filium eius, quem relegauerat ad decennium, exulare decreuit in perpetuum, reuocans ſuas patentes literas generales, quas ſibi prius conceſſerat, quod in abſentia ipſius dum fuerat relegatus, generales attornati ſui poſſent proſequi pro liberatione ſibi facienda de quibuſcunque hereditatibus, ſiue ſucceſſionibus ipſum ex tunc contingentibus, & quod homagium ſuum reſpectuari poſſet pro fine rationabili faciendo. Quo facto, conſtabat manifeſtius Regem ſincere diligere Ducem Herfordiæ, nec eum relegaſſe, niſi pro diſſenſionibus, quæ potuiſſent oriri inter familias ſuas, & Ducis Northfolchiæ, vt prætenſum fuerat, ſed occaſione bona ducibus occupandi, vt multi dicebant. Circa præſens tempus obiit nobilis fœmina, domina Margareta duciſſa Northfolchiæ, cuius corpus in Eccleſia fratrum Minorum Londoniis tumulatur. Interea rex cepit mutuo grandes pecuniarum ſummas, de quampluribus dominis, tam temporalibus quã ſpiritualibus, aliiſq; perſonis regni, promittens eis bona fide ſub patentibus ſuis literis, q; pecunias illas ſic mutuatas reſolueret termino limitato, quas tamẽ nunquam poſtea rcddidit creditoribus ſupradictis. Eodem anno grandiores ſummas exegit pecuniarum, à xvij. regni comitatibus, metum mortis imponẽs eis, quod contra eum ſteterunt cum duce Glouerniæ, comitibus Arundeliæ & Warwici, &c. quare paratus erat ſuper eos equitare tanquam ſuper hoſtes publicos. Quamobrem recepit à dictis comitatibus nouam ſecuritatem ſub iuriſiurandi firmamento. Quo facto, miſit certos Epiſcopos cũ aliis viris honorabilibus ad dictos comitatus, qui inducerent tam dominos ſpirituales, quã temporales, & omnes dictorũ comitatuum perſonas mediocres, vt ſe regi ſubmitterent, & ſemetipſos recognoſcerẽt proditores, per literas ſigillis ſignatas eorundem. Hac occaſione coacti ſunt regi concedere clerus, & commune vulgus, dominique temporales dictorum comitatuum importabiles ſummas pecuniæ pro beneuolentia ſua recuperanda. Cupiens (vt fertur) populũ regni ſui ſubpeditare & opprimere, direxit patentes literas ad omnes regni comitatus, & per terrores induxit, vt ligei ſui quicunq;, tam temporales quã ſpirituales, iuramenta inſueta præſtarent in genere ſuo, veriſimiliter cauſare poſſent deſtructionem plebis ſuæ finalem, coegitq; ligeos ſuos ipſa iuramenta ſub literis eorum & ſigillis roborare. Ad albas chartas inſuper eoſdem ligeos apponere ſigilla ſua compulit, vt quotiens graſſari vellet in eos: facultatem haberet eoſdem ſigillatim, vel inſimul opprimendi. Fecit præterea, vt vicecomites per totum regnum noua iuramenta præſtarent vltra ſolita: quod videlicet obedirent omnibus mandatis regiis, quotienſcunque directa fuiſſent eiſdem ſub magno priuatoq; ſigillis, ac etiam literis illis directis ſub ſigneto ſuo. Et in caſu, quo idem vicccomites ſcire poſſent aliquos de balliuis ſuis (cuiuſcunq; cõditionis eſſent) aliquod malum dicere, ſiue loqui, publice vel occulte, quod cedere poſſet in dedecus aut ſcandalũ perſonæ regis, ipſos incarcerarent, donec de rege aliud ſuſciperent in mandatis. Vnde cõtigit quod quamplures ligeorũ ſuorũ malitioſe accuſati, quod debuiſſent dixiſſe quicquam publice vel occulte, quod cedere poſſet in vituperium, ſcandalum ſiue dedecus perſonę regis, capti fuerunt & inpriſonati, & ducti coram Conſtabulario & Mareſcallo Angliæ, in curia militari, non excuſandi aliter, niſi per eorum corpora commiſſa Monomachia, ſe iuſtificarent & defenderent, non obſtante, quod accuſatores & appellatores eorum eſſent iuuenes fortes & ſani, & illi ſic accuſati pro magna parte ſenes impotentes, mutulati & infirmi: vnde non ſolum deſtructio magna regni, ſed omniũ & ſingularum perſonarum communitatis eiuſdẽ veriſimiliter timebatur. Circa feſtum Pentecoſtes rex relinquẽs regnum (vt præfertur) turbatum multipliciter, nauigauit in Hiberniam cum ſuis Ceſtrenſibus, & quibuſdam regni magnatibus, ducibus videlicet de Almarle, de Exceſtria, aliis quoq; multis. Duxitq; ſecum nobiles pueros, filios ducum Glouerniæ & Herefordiæ, quorum affines præcipue verebantur. Epiſcopos etiam traxit ſecum multos, cum Abbate Weſtmonaſterii, qui quotiens vellet Parliamenta facere (prout prius conſtituerat) cũ conſenſu octo perſonarum, præſto forent ad confirmãdum pro parte ſua quæ fuerant ſtatuenda. Theſaurum præterea & reliquias, aliaque iocalia, regniq; diuitias (ab antiquis dimiſſas in Archiuis regni pro honore regni) ſecum abſtulit in Hiberniam profecturus, ſine conſenſu ſtatuum regni ſui. Cumque veniſſet in Hiberniam, videbatur primo quidem proſperari, & ſuper inimicos ſuos confortari, non tamen exinde multum lætabantur regnicolæ, qui ſemper de eo ſentiebant deterius, & per eum adhuc

huc

hucgrauius opprimi metuebant. Interea Dux Henricus, olim Herfordiæ, ſed nunc Lancaſtriæ, paterno iute, grauiter ferens relegationem ſuam, ſed multo grauius exilium ſuum & exheredationem, & conſiderans regem iam iniuſtum, cunctis ſuis ligeis propter cauſas pręfatas (nacta oportunitate de regis abſentia) Angliã redire diſpoſuit, ad petendum hereditatem ſuam. Aſſumptiſque ſecum domino Thoma de Arundel (quondã Archiepiſcopo Cant.) & filio Comitis Arundeliæ & herede, qui iamdudum ſibi adhæſerant, mare intrauit cum familia mediocri, quippe qui ſecum non amplius, habuit, quam vt vſu vulgari quindecim lanceas, licet in multo fortiorem manum potuiſſet habuiſſe: tantum fidebat de ſua iuſtitia populique fauore, noluit tamen recto curſu terram ingredi, nec repente: ſed nunc apparuit patriotis in vna parte regni, re nunc in alia, vt videret, ſi contra eum iuxta littora reſiſtentia pararetur. Audiens Dominus E. Dominus Dux Eboraci (Regis patruus) cui cuſtodia regni commiſſa fuit in Regis abſentia, quod Dux Lancaſtriæ iam mare teneret, eſſetq; patatus ad ingrediendum regnum, vocatis regni Cancellario, domino Edmundo Staffotd Epiſcopo Ciceſtrenti: & Theſaurario, Wilhelmo Scrope Comite de Wilteshere: & militibus de Regis conſilio, Iohanne Bushy, Wilhelmo Bagot, Henrico Grene, & Iohanne Ruſſel, quæſiuit ſuper iſto negotio, quid eſſet agendum. Qui conſuluerunt, vt de Londoniis ſe ttansferret ad ſanctum Albanum, præſtolaturus ibidem manum bellicam, quæ poſſit Duci reſiſtete venienti, ſed quam inane fuit eorum in hac parte conſilium, rei exitus declarauit. Nam aduenientes illuc de multis prouinciis proteſtabantur, ſe duci Lancaſtriæ nolle nocere, quem nouerant iniurioſe tractatum fuiſſe. Dicti vero nequam conſiliarii Iohannes Bushy, Wilhelmus Bagot, Henricus Grene cum Theſautario Wilhelmo Sctope, cognoſcentes iam communitatem adhærere velle Duci Lancaſtriæ, relicto regni cuſtode, atque Cancellario, fugetunt ad caſttum Briſtolliæ feſtinanter. Et Dux Lancaſtriæ circa feſtum ſancti Martini translationis applicuit prope locum, vbi quondam fuit villa de Raueneshere, nemine reſiſtente. Cui occurrit Comes Northumbriæ Dominus Heuricus Percy, & dominus Henricus eiuſdem filius, Comes Weſtmerlande Dominus Radulphus Neuile, aliique domini, qui timebant Regis tyrannidem plures valde. Factuſque eſt in breui exercitus, quaſi ſexaginta millium pugnatorum, qui omnes vno voto ſtatuerunt in primis perſequi Regis malos conſiliarios antedictos. Venerunt Briſtolliam celeriter, & obſederunt caſtrum, quia parauetunt teſtitiſſe, vbi tandem capti ſunt Theſaurarius Wilhelmus de Scrop, Iohannes Bushy, Henricus Grene, qui ſtatim in craſtino ad clamorem communium ſunt decapitati, ſolus ex eis W. Bagot euaſit in Hiberniam nauigando. Non enim cum ſociis ſuis Briſtoliam ſe contulerat, ſed apud Ceſtriam fugat, & ſe occultaret.

Richardus Rex cum audiſſet in Hibernia de Ducis aduentu: mox curauit filium Ducis Glouerniæ, & filium Ducis Lancaſtriæ in caſtro de Trym recludere (quod eſt in Hibernia ſatis forte) & confeſtim ad nauigium conuolauit, cum Ducibus Albemarlæ, Exoniæ, & Southreyæ, & Epiſcopis Londonienſi, Lincolnienſi, & Carleolenſi, multiſque aliis, vt Duci occurteret cum armata manu, priuſquam ipſe auxiliarios congtegaſſet. Sed cum Angliam attigiſſet, & cognoſſet de Ducis apparatu, pugnandi dimiſit animum, pto certo tenens, quod populus contra eum congregatus citius mori vellet, quam cedere, tam propter eius odium quam timotem. Dimiſit igitur familiam, monens pet Seneſchallum dominum Thomam Petcy, vt ſe reſeruarent ad tempora meliora. Ipſe vero Rex quærens diuortia, huc illucque contulit, multis diebus ſemper eum duce cum exercitu inſequente. Tandem apud Caſtellum de Conewey conſtitutus, petiit habere colloquium cum domino Thoma Arundel, quem expulerat de Archiepiſcopatu Canr. & Comite Notthumbriæ, cum nulla ſpes eſſet vlterius fugiendi. Quibus indicauit ſe velle regno cedere, ſi ſibi victus honorificus vitæque ſecuritas octo perſonis (quas nominare vellet) fide interpoſita donaretut. Quibus conceſſis & firmaris, venit ad caſtrum de Flynt, vbi habito breui colloquio cum duce Lancaſtriæ, mox aſcenſis equis venerunt ad caſtellum Ceſtriæ ea nocte cum exercitu: (qui Ducem ſecutus fuerat numeroſus valde) reddidit autem ſe Rex Duci viceſimo die menſis Augusti, & quadtageſimo ſeptimo die ab ingteſſu Ducis in Angliam, theſaurus Regis, cum equis, & aliis ornamentis, & vniuerſa domus ſuppellectili, venit ad manus ducis: ſed familiares Regis magnates, domini, & mediocres, per Wallicos & Northumbrenſes deſpoliati ſunt. Rex vero perductus eſt Londonus conſeruandus in turri, vſque ad parliamentum proximo celebrandum. Interim directa

Rex dedit ſe duci.

ſunt

ſunt breuia ad perſonas regni, qui de iure debeant intereſſe parliamento, ſub nomine regis Richardi, vt conuenirent Londoniis apud Weſtm. in craſtino ſancti Michaelis. Quibus conuenientibus, ipſo die S. Michaelis coram Archiepiſcopo Cant. Thoma de Arundel, Archiepiſcopo Ebor. Richardo le Scrop: & Iohanne Epiſcopo Herfordenſi: nec non domino Henrico duce Lancaſtriæ: Henrico Comite Northumbriæ: Radulpho Comite Weſtmerlandiæ: Hugone Domino de Burnele: Domino Thoma de Berkeleye: Abbate Weſtmonaſt. Priore de Cantuar. domino de Roos, de Wilby, de Bergenney: W. Thirnynges, & I. Makeham iuſtitiariis: Thom. Sroke, & Iohanne Burbache legum doctoribus: T. Herpingham, & T. Gray militibus: Wilhelmo de Ferby, & Dionyſio Lopham notariis publicis: in turri Londoniarum, rex Richardus gratanter (vt apparuit) & vultu hilari, perlegit diſtincte formam ceſſationis ſuæ, & abſoluit ligeos ſuos à iuramento fidelitatis & homagii, & relaxauit ab omnibus aliis iuramentis quibuſcunque, & ſuis dominiis renuntiauit & ceſſit, iurauit talia, dixit & protulit in legendo, & manu propria ſubſcripſit, prout in forma ceſſationis plenius continetur. Et mox adiunxit, quod deſiderauit, vt Dux Lancaſtriæ ſuccederet ſibi in regno, ſed quia hoc in poteſtate ſua non erat, archiepiſcopum Eboracenſem, & epiſcopum Herfordenſem pro tunc ſuos cõſtituit procuratores, ad declarandum & intimandum ceſſationi. Sede regali tunc vacua, abſq; præſidente quocunque, procuratores Regis Richardi, Archiepiſcopus Eborac. & Herfordenſis renuntiationem dicti Regis, & ceſſionem, omnibus ſtatibus regni tunc adunatis ibi publice declararunt. Quam quidem renuntiationem & ceſſionem ſinguli ſingillatim ſuper hoc requiſiti vnanimiter & concorditer admiſerunt: tunc fuit expoſitum publice, quod fuit expediens ac vtile regno prædicto, pro omni ſcrupulo & ſiniſtra ſuſpicione tollendis, quod plura crimina & defectus per dictum regem circa malum regimen regni ſui frequẽtius perpetrata, propter quæ (vt idem rex aſſeruit in ceſſione ſua) facta per eum, & eſſet ipſe merito deponendus à populo legerentur, quodq; eſſent populo declarata. Lecti ſunt igitur articuli numero triginta duo, qui omnes violationes iuramenti regalis finaliter concludebãt. Et quoniã videbatur cunctis regni ſtatibus ſuper dictis articulis ſingillatim ac etiã cõmuniter interrogatis, quod illæ cauſæ criminum erant ſufficientes & notoriæ ad deponendum eundem regem, ordinati ſunt commiſſarii ex parte ſtatuum & communitatis eiuſdẽ regni, ad ferẽdum depoſitionis ſententiam contra dictũ regem ſub forma quę ſequitur. In Dei nomine amen. Nos I. Epiſcopo Aſſauenſis, I. Abbas Glaſconienſes, Thomas Comes Glouceſtriæ, Thom. dominus de Berkeleye, Th. de Epingham, Th. Gray milites, Wilhelmus Thirnyng iuſtitiarius, per pares & proceres regni Angliæ ſpirituales & temporales, & eiuſdem regni communitates, omnes ſtatus eiuſdem regni repræſentantes, commiſſarii ad infra ſcripta ſpiritualiter deputati pro tribunali ſedentes attentos periuriis multiplicibus, ac crudelitate aliiſque quampluribus criminibus dicti Richardi, contra regimen ſuum in regnis & dominiis ſupradictis, pro tempore ſui regiminis commiſſis & perpetratis, ac etiam dictis ſtatibus palam & publice propoſitionibus exhibitis & recitatis, quæ adeo fuerunt & ſunt publica, & notoria, manifeſta & famoſa, quod nulla poterant aut poterunt tergiuerſatione celari: nec non confeſſione poſt dicti Regis recognoſcentis, & reputantis, ac veraciter ex certa ſcientia iudicantes, ſe fuiſſe & eſſe inſufficientem penitus, & irrationabilem, ad regimen & gubernationem regnorum & dominii prædictorum, & partium eorũdem, ac propter demerita notoria, non immerito deponendum, ac per ipſum Richardum prius emiſſa, ac de voluntate & mandatis ſui coram dictis ſtatibus publicata, eiſque notificata, & expoſita in vulgari præhabita, ſuper hiis & omnibus in ipſo negotio actitatis coram ſtatibus antedictis, & nobis diligenti vice, nomine, & auctoritate nobis in hac parte commiſſa, ipſum Richardum ex abundanti & ad cautelam, ad regimen & gubernationem dictorum regnorum, & dominii iuriumque & partium eorundem fuiſſe & eſſe inutilem, inhabilem, & inſufficientem penitus, & indignum, ac propter præmiſſa, & eorum prætextu ab omni dignitate & honore regiis (ſi quid dignitatis & honoris huius in eo remanſerit) merito deponendum pronuntiamus, decernimus & declaramus: & etiam ſimili cautela deponimus, per noſtram definitiuam ſententiam in hiis ſcriptis. Omnibus & ſingulis dominis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis, Ducibus, Marchionibus & Comitibus, Baronibus, militibus, vaſallibus quibuſcunque, ac ceteris hominibus dictorum regnorum, & dominii, & aliorum locorum, ad dicta regna & dominia ſpectantium, ſubditis ac ligeis ſuis quibuſcunque ipſo-

Rex cedit regno.

Regia depoſitionis forma.

rum

rum de cetero inhibentes expreſſe, ne quiſquam ipſorum de cetero præfato Richardo tanquam regi vel domino regnorum, aut dominii prędictorum pareat quomodolibet, vel intẽdat, volentes præterea dicti ſtatus, quod vel deſit quod valeat aut debeat contra præmiſſa requiri, ſuperinde ſingillatim interrogati perſonas eaſdem prius per commiſſarios nominatos, conſtituerent procuratores ſuos communiter & diuiſim ad reſignandum & reddendum dicto Regi homagium, & fidelitatem prius ſibi facta, & ad pręmiſſa omnia huius depoſitionem & renuntiationem tangentia, ſi oportuerit intimandum. Et confeſtim vt conſtabat de præmiſſis & eorum occaſione regnum Angliæ cum pertinentiis ſuis vacare: præfatus Henricus dux Lancaſtriæ de loco ſuo ſurrexit, & ſtans erectus, vt videri poſſet à populo, & muniens ſe ſigno crucis in facie, & in pectore, inuocato Chriſti nomine, regnum Angliæ ſic vacans (vt præmittitur) cum corona, ac omnibus membris & pertinentiis vendicauit in lingua materna: ſub hac forma verborum.

In Dei nomine Amen. Ego Henricus de Lancaſtria, vendico regnum iſtud cum corona, & omnibus membris illi pertinentibus, tanquam per regium ſanguinem veniens de Rege Henrico, & per iuſtitiam, quam Deus de ſua gratia mihi miſit, cum adiutorio conſanguineorum meorum, & amicorum, ad recuperandum illud: quod regnum erat in puncto perditionis propter defectum gubernationis, & legum violationem. Poſt quam quidem vendicationem, tam domini ſpirituales, quam temporales, & omnes regni ſtatus, conceſſerunt vnanimiter, vt dux præfatus ſuper eos regnaret. Tunc Archiepiſcopus Cantuarienſis apprehẽdens manum eius dextram, poſuit eum in ſede regali, aſſiſtente ſibi Archiepiſcopo Eboracenſi, & vniuerſo populo applaudente. Et confeſtim dominus Archiepiſcopus aſſumpto themate prædicauit, cuius thema fuit: Vir dominabitur in populo. 1. Reg. 9. &c. Poſt hæc de mandato noui Regis fuit proclamatum publice in magna aula, quod die lunæ proxima poſt feſtum ſancti Michaelis, Parliamentum teneri ac celebrari deberet. Et quod die Lunæ ex tunc proximo ſequente, videlicet in feſto S. Edwardi, coronatio Regis fieret apud Weſtmonaſterium. Quibus ita peractis, Rex de ſede ſua ſurgens, & populum vultu hilari & benigno reſpiciens, receſſit ad albam aulam, vbi eo die conuiuium ſolemne celebrauit. Die Mercurii proxima ſequente, dicti procuratores (vt præmittitur) deputati ad præſentiam dicti Richardi (nuper Regis) infra turrim exiſtentis, prout eis iniunctum fuerat, acceſſerunt, & per os domini Wilhelmi Thirning admiſſionem renuntiationis, ac modum, cauſam, & formam depoſitionis huiuſmodi eidem Richardo notificarunt, & vice omnium regni ſtatuum homagium & fidelitatem eidem Richardo nuper Regi factam (vt præmittitur) reddiderunt & reſignarunt: ita quod nullus dictorum ſtatuum ſiue populi ab hoc tempore & deinceps ſibi portaret fidem nec obedientiam tanquam Regi ſuo. Ad quæ ſolum reſpondit iſtud, quod non reſpexit poſt talia: ſed poſt hæc omnia (inquit) ſpero, quod cognatus meus vult eſſe mihi bonus dominus & amicus. Rex Henricus in hoc Parliamento fecit ſecundum filium ſuum dictum Thomam, Angliæ Seneſcallum: procreauerat ſiquidem maſculini ſexus ex filia domini Humfridi Boun Comitis Herfordiæ iuniore, quatuor liberos, & duas fœminas, primogenitus vocabatur Henricus, ſecundus Thomas, tertius Iohannes, quartus Humfridus.

DE TEMPORE REGIS HENRICI
poſt conqueſtum quarti.

DIE translationis ſancti Edwardi Regis & confeſſoris, coronatus eſt Rex Henricus IIII. apud Weſtmonaſt. per manus domini Thomæ Archiepiſcopi Cantuar. ipſo videlicet die, quo fuerat in exiliũ relegatus anno reuoluto, non ſine diuino miraculo (vt putatur) & in auſpicium vberioris gratiæ ſibi futuræ (prout creditur) vnctus eſt illo cœleſti vnguento, quod olim beata Maria mater Dei commiſit beato Thomę martyri Archiepiſcopo Cantuar. dum eſſet in exilio conſeruandum, prædicens eidem, quod reges Anglorum qui vngerentur hoc vnguento, pugiles eſſent Eccleſiæ, & benigni. Hoc vnguentum in aquila aurea & ampulla lapidea conſeruatum latuit per multa tempora, ſed tandem miraculoſe manifeſtatum. Dum dominus Henricus primus dux Lancaſtrię bella gereret regis ſui in partibus tranſmarinis, ipſi nempe tradita fuit prædicta aquila per quendam ſanctum

ctum virum qui illam inuenerat reuelatione diuina. Qui dedit eam nobiliſſimo principi Edwardo (primogenito Edwardi illuſtris Regis Angliæ) vt in ea vnctione poſt mortem patris vngeretur in Regem. Qui poſuit in turri Londoniarum vnguentum præfatum, recludens in ciſta multis firmata ſecuris, latuitque ibi vel per obliuionem, vel per negligentiam, vſq; ad tempus Richardi Regis filii principis memorati.

Vnguentum regum.

Anno domini prædicto milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono, prædictus Rex Richardus curioſe perſcrutatus res à progenitoribus ſibi relictas, inopinato reperit aquilam & ampullam, & ſcripturam ſiue prophetiam beati Thomæ martyris cum eiſdem. Et cum didiciſſet virtutem talē vnctionis, rogauit dominum Thomam Cant. archipræſulem, vt eum denuo vngeret hoc vnguento. Qui hoc facere omnino recuſauit, dicens ſibi ſufficere, quod ſemel per manus ſuas ſacram ſuſcepit in coronatione priſtina vnctionem, quę habere non debuit iterationem. Hanc aquilam cum ampulla rex Richardus portauit in Hiberniam, profecturus & denuo rediens in hanc terram. Quam petenti Archiepiſcopo apud Ceſtriam tradidit, dicens ſe iam patenter clareſcere, quod non fuit voluntatis diuinæ, vt vngeretur illo vnguento, ſed alteri deberi tam nobile ſacramentum. Archiepiſcopus vero reſeruans tanta iocalia ſub veneranda cuſtodia, ea tenuit vſque ad tempus coronationis regis moderni, qui primus regum Angliæ vnctus eſt tam pretioſo liquore. Durante Parliamēto, creauit rex filium ſuum primogenitum Henricum, cum conſenſu omnium regni ſtatuum, principem Walliæ, addens ducatum Cornubiæ, & Ceſtriæ comitatum. Expoſt in eodem parliamento creauit eum ducem Aquitaniæ, & heredem proximum regni Angliæ. In hoc Parliamento fuit ordinatum, vt ſtatuta, &c. facta in Parliamento tento in feſto exaltationis ſanctæ Crucis 21. anno Richardi Regis apud Weſtm. & poſtea dilato Salopiam (in quo certa poteſtas commiſſa fuit per autoritatē dicti Parliamenti, certis perſonis, ad procedendum in certis articulis in rotulo parliamenti, qua occaſione diuerſa ſtatuta, iudicia, ordinationes & confirmationes erroneæ, facta fuerunt in exheredationē finalem, deſtructionē & extirpationē plurimorū honorabilium dominorum, & aliorū ligeorum regni & heredum eorum imperpetuū cum ſuis circumſtātiis vniuerſis) annullentur, reuocentur, irrita habeantur, & caſſentur. Item vt Parliamentum tentum apud Weſtmonaſterium, anno Richardi Regis 11. firmiter teneatur pro honore & commodo totius regni. Item, vt domini aliique perſonæ, qui fuerunt foris iudicati in Parliamento anno 21. Richardi Regis, & eorum heredes, qui mortui ſunt, reſtituantur integraliter ſuis poſſeſſionibus, ſine alia proſecutione aut liberatione facienda, excepto, quod dicti domini & alii nihil habebunt de exitibus receptis medio tempore. In eodem Parliamento Rex dedit Comiti Northumbriæ inſulā Euboniæ, tenendam de Rege, per ſeruitium deportationis gladii, cum quo intrauit Angliam: dedit & comiti Weſtmerlandiæ Richemundię comitatum. Item iudicium datum fuit contra appellantes ducis Glouceſtriæ, tali modo. Domini in præſenti Parliamento regis aſſenſu iudicant & decernunt, quod duces Albemarlæ, Surreyæ & Exceſtriæ, qui modo ſunt præſentes & fuerūt appellantes, amitterēt ducum nomina & honores exinde pariter & dignitates. Et quod Marchio de Dorſete, qui præſens eſt, nomen amittat Marchionis. Et comes de Glouceſter, qui præſens eſt, nomē amittat pro ſe & heredibus ſuis, ſicut & ſuperius nominati. Et vt omnia Caſtella, prædia, dominia, & cetera, quæ habuerunt (de hiis, quæ fuerunt eorum, quos appellauerant) à die areſtationis Ducis Glouceſtriæ, & aliorum dominorum, vel expoſt aliquo tempore ſimpliciter, & abſq; gratia & miſericordia vlla perdant. Et vt omnia alia caſtella, prædia, dominia, poſſeſſiones, & libertates (quæ tenuerant de dono regis ipſo die vel poſtea) ſtent in Regis gratia ab hac hora: & quod omnes literæ patentes, & chartæ, quas habuerunt, vel aliquis illorum habet dictorum nominum, caſtellorū, dominiorum, poſſeſſionum & libertatum, ſurſum reddantur in Cancellariam ibidem cancellanda. Et quod omnino conſiſtant in ſtatu, quem habuerunt nomine & poſſeſſione, ante dictum diem areſtationis prædictæ. Et quod ipſi nec aliquis illorum det libratas vel ſigna, nec faciat retinentiam hominum, niſi officiariorum intrariorum in ſuis domibus, & officiariorum extra, ad gubernandum hoſpitia, terras, & poſſeſſiones eorum, & aliorum intrariorum, prout rationabiliter pertinet dictarum ſtatui perſonarum. Et vlterius domini temporales regis aſſenſu iudicant & decernunt, quod ſi iſti poſt dicti domini, Dux de Almarle, & ceteri, ſiue illorum aliquis, vnquam adhæreat Richardo (qui fuit rex, & eſt depoſitus) ferendo conſilium, adiutorium, vel confortamen ſibi contra dictam depoſitionem, iudicium, ordinationem, vel affirmatio-

Iudicium in dominos.

Digitized by Google

nem in præſenti Parliamento tangentem perſonam dicti Richardi, vt ſint in pœna proditionis, & pro talibus habeantur & teneantur. Et inſuper quia fuit & eſt clamor & tumultus magnus in communi populo, quod quidam dictorum dominorum famuli fecerunt grandes extortiones, iniurias, & oppreſſiones in communi populo, per cauſarum manu tenentiam domini ſupradicti regis aſſenſu, iudicāt & decernunt, quod fiant proclamationes, & cetera, quod ſi vllus velit conqueri de dictis dominis, vel de aliquo de ſua familia, qui cum illis eſt aut erat hiis tēporibus, ſcilicet de extortionibus, iniuriis, vel oppreſſionibus ſibi factis per eoſdem, veniat, & grauamen inſinuet, & remedium fiet ei. Poſt iudicium datum contra dominos prædictos, ortum eſt murmur maximum in communi populo contra regem & Archiepiſcopum Cantuar. Comitemq; Northumbriæ, alioſq; de Regis conſilio, quod vitas ſaluaſſent hominum, quos vulgus ſceleratiſſimos & morte digniſſimos reputabat. Rex vt demonſtraret cunctis gentibus in circuitu conſtitutis, quo iure, quo titulo, quo fauore coronam regni ſuſceperit, miſit ad curiam Romanam ambaſſiatores, Epiſcopum Herfordenſem, Magiſtrum Iohan. Treuenant, I. Cheyne militem, & Iohan. Cheyne ſcutiferum: in Franciam miſit Epiſcopum Dunelmenſem, magiſtrum Walterum Skirlow, & Comitem Wygorniæ dominum Thomam Percy. In Hiſpaniam Epiſcopum Aſſauenſem, magiſtrum I. Trenor, & dominum Wilhelmum Par militem deſtinauit. In Almaniam miſit Epiſcopum Bangorenſem, cum aliis, quorum nomina non tenemus. Scoti per tempus Parliamenti nacta occaſione de dominorum abſentia Borealium, & quia partes Angliæ Boreales per illud tempus premebantur grandi peſtilentia, partes illas hoſtiliter intrauerunt, & caſtrum de Werk, quod deputatum fuerat cuſtodiæ Domini Thomæ Gray militis, qui pro tunc in parliamento ſtetit pro commoditate gentis ſuæ, ceperunt, & per tempus aliquod tenuerunt, quod tandem deſpoliauerunt, & funditus deiecerunt, aliaque multa mala fecerunt in terra. Thomas de Mounbray (quondam Dux Northfolchiæ) diem clauſit extremum in terra peregrinationis, cuius mors fuiſſet toti regno deflenda merito, ſi in Ducis Glouerniæ necem minime conceſſiſſet. Item hoc anno ceſſit in fata domina duciſſa Glouerniæ, quæ (parum fauſto omine) filium ſuum & heredem amiſerat (Humfridum vocabulo) ſubtractum ſibi peſtilentia, cum fuiſſet Hibernia reuocatus. Sub hoc tempore Romæ imagines crucifixi, & beatæ virginis Mariæ, humorem ſanguineum ſudauerunt. Quo tempore nobiles pene totius Italiæ, cum plebe communi, noua deuotione tacti, induti pannis lineis, cum crucibus inſertis in eiſdem, ferentes cruces in manibus, & vexilla habentes, etiam imaginem crucifixi deportatam coram eis, fecerunt proceſſiones, circumeuntes ſtationes die noctuque, & nudatis corporibus vſque vmbilicum, flagellabant ſe, cantantes pios cantus in vulgari & in latino, ſed deuotius & frequentius inter ceteros, ſtabat mater doloroſa iuxta crucem lachrymoſa, dum pendebat filius, & clamabant ſæpiſſime miſericordiam & pacem in ſuo vulgari. Fuerunt autem in vna comitiua quadraginta millia: in alia vero viginti millia: in alia quoque decem millia: vt autem vna comitiua compleuit Romæ ſuam deuotionem, acceſſit & alia, faciens per omnia ſicut prior, & non dormieruut in lectis pro tempore peregrinationis ſuæ, nec carnes aut lacticinia comederunt, & diebus ſabbati generaliter ieiunauerunt.

Anno gratiæ milleſimo, quadringenteſimo (qui eſt annus regni Regis Henrici à conqueſtu quarti primus) comites Cantii, Saliſburiæ & Huntingdoniæ ingrati Regis beneficiis, qui vitas eorum ſaluauerat, contra vota cunctorum regni communium, ac multorum procerum congregantes iniquitatem ſibi, per conuenticula facta variis locis, & coniurationes, ſtatuerunt ſuper Regem irruiſſe repente in Caſtello de Wyndeshore, ſub ſimulatione ludorum natalitiorum, & eum cum filiis ſuis crudeliter peremiſſe. Regemque Richardum requiſitum regno reſtituiſſe, & per tanta facinora nomina ducum atque poſſeſſiones, quibus priuati fuerant recuperaſſe. Sed Rex gratioſe prænoſcens præſtructos dolos, de loco receſſit, & Londonias ſe contulit feſtinanter. Illi vero (ſcilicet comes Cantii, & Comes Sarum) putantes Regem latere ſuam conſpirationem, dominica proxima poſt feſtum Circumciſionis domini, id eſt in octauis Innocentium, in ipſius noctis crepuſculo præfatum facinus perficere ſunt aggreſſi: peruenerunțq; ad caſtellum cum armata manu circiter quadringentorum virorum, ſed cum cognouiſſent Regem præmonitum, conturbati ſunt valde, diuorcia requirebant, veneruntque curſu velociſſimo ad Sunnynges (quoddam prædium iuxta Radingiam) vbi Regina tunc temporis morabatur. Ingreſſuſque Comes Cantii

cum prædicto Comite Sarum (diſſimulata triſtitia iu præſentia familiæ Reginæ ſibi occurrentis) eleuata ad frontem dextera, ſignauit ſe: Benedicite (inquit) quid accidit, quod Dominus Henricus de Lancaſtria ſic à facie mea fugit, qui tantum de ſua ſtrenuitate & militia ſe extollebat? Et mox ſubiunxit: Domini (ait) & amici, noueritis, quod Henricus de Lancaſtria (me perſequente) fugit ad turrim Londoniarum, cum filiis ſuis & amicis. Et meæ intenſionis eſt a lite Richardum, qui fuit & eſt, & erit verus Rex noſter, quia iam euaſit de carcere, & iacet ad Pontem fractum cum centum millibus defenſorum. Vt autem fidem faceret dictis, detraxit ſigna regis, ſcilicet collaria de collis quorundã quos vidit ibi habentes ſigna talia, cũ deſpectu, dicens, non eſſe geſtandum de cetero tale ſignũ. Detraxit inſuper de brachiis domicellorum ſigna creſcentium, & abiecit. Sicq; lætificata regina (licet inaniter) receſſit, tendens primo Wallingfordiam, deinde Abyndoniam, commonens populum per omnes vias, vt arma caperẽt, & occurrerẽt regi ſuo Richardo. Peruenit tandem Cireceſtriam cæca nocte: viri vero dictæ villæ ſuſpectũ habentes tantum apparatum, & putantes (prout erat) rumores eorum mendaces, præſtrinxerunt omnes aditus & exitus hoſpitii eorundem. Cumq; media nocte temptaſſent latenter diſcedere, villani arcubus & ſagittis armati, eos egredi non ſinebant. Comites vero cognoſcẽtes ſibi imminere periculum, & ipſi ad arma conuolant, putantes villanos leui negotio ſuperandos. Pugnatum eſt igitur, hic, & ibi, à noctis medio vſq; ad horam diei tertiam. Tandem fatigati, manus dederunt communib. obnixe precantes, vt ſaluarẽtur à morte, donec cum rege colloquium habuiſſent. Si non quidam præſbyter de eorum familia ignem miſiſſet in quaſdam domos villæ, hac intentione, vt occupatis communibus circa extinctionem ignis, domini poſſent habere euadẽdi occaſionem, ſed fruſtra, nam communes relictis domib. in conflagrationis periculo maiori furia concitabantur ad vindicandum in dictos dominos incendii damna prædicti: perduxerunt igitur eos de abbathia, & in ipſo noctis crepuſculo decollauerunt. Comes Sarũ (qui Lolardorũ fautor in tota vita fuerat, & imaginum vilipenſor, contemptor canonum, ſacramentorumq; deriſor, ſine ſacramento confeſſionis (vt fertur) vitam finiuit. Comes Huntingdoniæ dominus Ioh. Holand, non erat cum prædictis dominis apud caſtellum de Windeſore, ſed expectauit Londoniis rei finem. Qui cum nouiſſet rem verſam contra vota: fugere nitebatur in ſchapha, ſed vento flante contrario repulſus eſt. Quamobrem equo vectus, peruenit Eſtſexiam cum quodam milite dicto Iohan. Scheuele. Tentauit igitur per mare fugiſſe ab illis partibus, ſed quotiens voluit mare ingredi, totiens repulſus eſt vi ventorum, donec omnino deſperans de Neptuni ſuffragiis, deſiſtit ab inceptis. Tandem reuerſus in terram ad domum cuiuſdam amici, qui dum ſederet in cœna cum milite ſupradicto, captus eſt per cõmunes patriæ, & ductus primo ad villam de Chelmesfordia, deinde ad portalicium de Pleshy, cuſtodiendus ibidem tanquam loco ſecuriori. Quo confluentibus regionis communibus, die ſancti Mauri circa ſolis occaſum productus eſt, & in loco quo dominus eorum dux Glouerniȩ quondam areſtatus fuit per regem Richardum, decapitatus eſt, confeſſus prius lachrymabiliter, ſe peccaſſe in deum ſuum multipliciter, & in regem ſuum, quia ſciens conſilia dictorum dominorum, regem exinde minime præmonuiſſet. Per idem tempus dominus Th. le Spencer, qui dicebatur comes Glouceſtriȩ, dum fugiſſe propoſuerat, repente captus, ductus eſt Briſtoliam, vbi iuxta vota communiũ decollatus eſt. Capti ſunt quamplures alii huius conſpirationis conſcii, & morte mulctati ſunt, quidam Oxoniis, quidam Londoniis. Damnati ſunt nempe Londoniis clerici, I. Maudelyn Mawde, & Wilhelmus Ferby, qui tractione, ſuſpenſione, & capitis detruncatione finierunt vitam. Bernardus Prokays, & Ioh. Scheuele milites, alii quoque plures acceperunt ſimilem mortis ſortem. Epiſcopus Carleolenſis impetitus de coniuratione damnatus eſt, ſed tamen regis miſericordia reſeruatus. Richardus (quondam rex Angliæ) cum audiſſet hæc infortunia, mente cõſternatus, ſemetipſum extinxit inedia voluntaria (vt fertur) clauſitq; diem extremum apud caſtrum de Ponte fracto, die ſancti Valentini. Cuius corpus per loca celeberrima, quæ interiacent à dicto caſtello vſque Londonias, vbi contigit pernoctare, monſtratum eſt poſt officium mortuorum, & in craſtino poſt Miſſam peractam. Cumq; in Eccleſia ſancti Pauli Londoniis celebratæ fuiſſent exequiæ, rege præſente, & Londoniarum ciuibus, confeſtim corpus reportari iubetur ad Langley, tumulandum in Eccleſia fratrum Prædicatorum, perfeceruntque ibidem ſupremum officium Epiſcopus Ceſtrenſis, Abbas ſancti Albani, & Abbas de Waltham, ſine magnatum præſentia, ſine populari turba, nec erat qui eos inuitaret ad

prandium poſt laborem. Eodem anno ſub æſtiuo tempore fuit Epidemia, quę multos hac luce priuauit. Eo tempore per viros de Lemnia captæ ſunt quædam naues Scotorum, quarum Admiralius fuit dominus Robertus Logon miles Scoticus, qui pactus fuerat deſtruxiſſe nauigium Anglicanum, & præcipue piſcantes apud Aberdenam. Sub eodem tempore noſtrates inſulas Orcadum quaſdam deprædati ſunt. Mox etiam rex (congregato exercitu) profectus eſt in Scotiam, ſed Scotis ſe ſubtrahentibus, nec facientibus belli copiam, rex vaſtata patria reuerſus eſt. Interea Wallici nacta occaſione de Regis abſentia (duce quodam Oweno de Glendour) rebellare cæperunt.

Wallorum rebellio.

Hic primo apprenticius fuit apud Weſtmonaſterium, deinde ſcutifer Regis moderni, ſed orta diſcordia inter eum & dominum Reginaldum Grey de Ruthyn, ꝑ terris quas aſſeruit ſibi iure hereditario pertinere, cum rationes ſuas & allegationes paruipenſas cerneret, primo in dictum dominum de Grey hoſtilia commouit arma, vaſtans poſſeſſiones eius per incendia, & ferro perimens plures de ſua familia nimis crudeliter & inhumane. Quem proinde Rex proſequi ſtatuens, tanquam pacis patriæ turbatorem, cum armata manu Walliam eſt ingreſſus, ſed Cambri cum duce ſuo montes Snowdoniæ occupantes, intentata vindicta ſe protinus ſubtraxerunt. Rex vero combuſta regione, & quibuſdam peremptis (quos ſors pro tunc gladiis ænigmatis obtulerat) cum præda iumentorum & animalium remeauit. Hoc anno obiit magiſter Radulphus Ergam Epiſcopus Bathonienſis, cuius loco regis intuitu electus eſt magiſter Henricus Boowet.

Imperator in Angliam venit.

Sub eodē tēpore Imperator Conſtantinopolitanus venit in Angliam, poſtulaturus ſubſidium contra Turcas. Cui occurrit Rex cum apparatu nobili, ad le Blackheth, die ſancti Thomæ Apoſtoli, ſuſcepitque (prout decuit) tantum heroem, duxitque Londonias, & per multos dies exhibuit glorioſe, pro expenſis hoſpitii ſui ſoluens, & eum reſpiciens tanto faſtigio donatiuis. Papa tranſtulit Epiſcopum Carleolenſem ad Epiſcopatum alium, vnde nec fructus perciperet nec prouentus, cui ſucceſſit in Pontificatum Ligubaliæ magiſter Wilhelmus Strikelande.

Parliamentum Londini.

Anno domini M.CCCCI. (qui eſt annus regni regis Henrici à conqueſtu quarti ſecundus) poſt Epiphaniam factum eſt Parliamentum Londoniis, in quo ſtatutum fuit editum de Lolardis, vt vbicunq; deprehenderentur ſuam prauam doctinam amplexantes, caperentur, & diœceſano Epiſcopo traderentur. Qui ſi perſeuerarint pertinaciter opiniones ſuas defendere, degradarentur, & iuriſdictioni ſeculari committerentur: practizataq; fuit hæc lex in pſeudo præſbytero, qui apud Smithfield (multis aſpectantibus) eſt combuſtus.

Rex de Lecto peremit in bello Balſak, filium Balthaſardan illuſtris (quem Admiratum vocant) deſtruxitque Hieruſalem, & in circuitu regionem, & quia gratioſe vicit eum, & inopinabiliter conuerſus eſt ad Chriſtianitatis ritum, cum ſexaginta millibus hominum ſectæ ſuæ. His auditis rumoribus, Imperator lætior receſſit ab Anglis, honoratus à rege donariis pretioſis. Hoc anno 6. idus Aprilis obiit dominus Thom. de Bellocampo, Comes Warwici, qui ſæuam fortunam expertus fuerat ſub Rege Richardo. Eodem anno debita naturæ ſoluit magiſter I. de Bottleſham, qui ex fratre de ordine Prædicatorū factus eſt Epiſcopus Bethlemitanus, ac deinde Roffenſis, per Vrbanum Papam, cui ſucceſſit I. eiuſdem cognominis clericus de familia domini Cantuarienſis. Sub hoc tempore conditionibus iam inter regna firmatis, & omnibus profectioni reginæ neceſſariis præparatis, reuecta eſt Iſabella (quondam regina Angliæ) ad patrem patriamq; ſuam Franciæ, nondum annorum plene duodecim. Hoc tempore Owenus de Glendor, cum ſuis Wallenſibus damna grauia infert Anglis. Cum nocte quadam rex iturus eſſet cubitum (Deo protegente) euaſit læthale periculum. Siquidem in ſtramenro lecti ſui (cuiuſdam proditoris ingenio) poſitum fuerat quoddam ferrum fabrefactum ad modum tricuſpidis, habens tres longos aculeos ſubtiles, atq; rotundos, punctuū aculeis acutiſſimis, ſurſum erectis, tali ingenio, vt cum rex decubuiſſet, & mole corporali ſtramenta preſſiſſet, per eoſdem aculeos vulneratus fuiſſet, vel forſitan interfectus: Sed (Deo volente) rex inopinato perſenſit inſtrumentum mortiferum, & periculum deuitauit.

Anno gratiæ M.CCCC.II. (qui eſt annus regni regis Henrici à conqueſtu quarti tertius, cometa apparuit menſe Martio, primo inter chorum & ſeptentrionem, videlicet in circio flammas emittens, poſtremo comas in boream transferens, præſignans fortaſſis effuſionem humani ſanguinis circa partes Walliæ & Northumbriæ expoſt futuram. Eo tempore Owenus de Glendor vaſtauit terras domini Reginaldi de

Grey,

Grey, cui occurrens idem dominus, putans eum leui negotio ſuperandum, inopinato (verſa mortis alea) captus eſt, & de ſuis plurimi trucidati, quod infortunium Wallicos extulit in ſuperbiam, & inſolentiam auxit eiſdem. Circa feſtum Pentecoſtes coniurauerunt quidam mortem Regis, aſſerentes Regem Richardum viuere, & quantotius in palam venturum, & ſuos fideles digne remuneraturum. Huius conſpirationis in parte metus euanuit, capto quodam præsbytero apud Ware, qui ſcripſerat nomina multorum in matricula, qui futuræ turbationis auctores vel adiutores fuiſſent. Iſte iuxta conceptum proprium, nomina plurimorum inſcripſerat, qui nullatenus conſcii fuerant huius facti, prout expoſt patuit ſua confeſſione, nempe cum requiſitus fuiſſet de certis perſonis coram eo cōſtitutis, quorum nomina ipſe irrotulaſſet, ſi nouiſſet eas, reſpondit quod non, & cum interrogatus fuiſſet quare tales irrotulaſſet, dixit, quia opinabatur eos voluiſſe feciſſe contra regem ſi cōplices inueniſſent, quia per Regem Richardū ditati quondā fuerant, & promoti. Hac occaſione liberati ſunt plurimi, qui fuere ſuſpecti, & ſacerdos tractus & ſuſpēſus eſt. Nō multo poſt Prior quondam de Lawne, qui pro malo prioratus ſui regimine à beneficio & ſtatu ſuo priuatus erat, ſortem ſimilem eſt expertus, non quia deprehenſus aliquid actitaſſe, ſed quia confeſſus ſe maligni conſilii fuiſſe conſcium, & hoc vtique concelaſſe. Hic erat quondam canonicus apud Dunſtapliam, dictus Walterus de Baldok, qui (malo omine) relicto clauſtro, peruenit ad Regis Richardi curiam, & ibidem limitatus diutiſſime cum fortuna, tandem dono regis, de Lawne obtinuit prioratum. Eo tempore ſat iniquo ſydere quidam ex ordine Minorum de proditione penſantes, priuſquam procedere potuiſſent, capti ſunt. Quorum vnus interrogatus quid facere voluiſſet, ſi rex Richardus viueret & adeſſet, reſpondit conſtanter, ſe pro eo velle decertaſſe contra quemlibet vſque ad mortem: data proinde contra eum ſententia, tractus & ſuſpenſus eſt in habitu ſuę religionis. Sed confratres eius non ferentes tantum dedecus æſtimauerunt, vt corpus defuncti ſupremis exequiis curaretur. Suſpenſus eſt etiā eo tempore miles Rogerus de Clarindon (filius vt dicebatur) nothus quondā nobilis Principis Edwardi, filii regis Edwardi tertii, à conqueſtu) & cum eo ſuus armiger & valectus, eo quod accuſati de proditione defecerūt in purgatione. Diabolica ſpecies apparuit in Eſtſexia apud Danbury, in feſto corporis Chriſti, hora veſperarum in ſimilitudine fratris Minoris intrantis Eccleſiam, & inſolentiſſime debacchantis, vnde terrorem parochianis incuſſit indicibilem. Eadem hora cum tempeſtatis turbine, & tonitruo perhorrendo, fragore fulgurum & choruſcatione globis collucentibus, concauitas totius Eccleſiæ confracta eſt, & medietas cancelli confracta & diſſipata. Poſt dies aliquot capti ſunt octo fratres de Minorum ordine, & ad iudicium publicum dedecoroſe tracti, vbi examinati, & conuicti, quod contra regem feciſſent, London. tracti, ſuſpenſi & decapitati ſunt. Eo tempore Owenus de Glendor, cum comitiua Cambrenſium, aſſuetis intendens irruptionibus, pene totam militiam Herefordenſis comitatus prouocauit ad arma. Cuius comitatus viris congregatis, Edmundus de Mortuomari præbuit ducatum, ſed cum peruentum fuiſſet ad actum (proditione mediante) Edmundus captus, & ceteri victi ſunt, occiſis de magnatibus amplius quam mille viris, vbi perpetratum eſt facinus ſeculis inauditū, nam fœminæ Wallenſium poſt conflictum, genitalia peremptorum abſciderunt, & membrum pendendum in ore cuiuſlibet mortui poſuerunt, teſticuloſq; à mento dependere fecerunt, naſoſq; præciſos in culis preſſerunt eorundem, nec patiebantur corpora peremptorum ſine grandi pretio ſupremis exequiis commendari.

Dæmon ſpecie fratris.

Hoc anno miſit Rex filiam ſuam cum grandi apparatu ad Coloniam Agrippinam, cui occurrit filius Imperatoris in apparatu, qui (vt decuit nomen tanti faſtigii) nec paruerat in occurſum venire tantæ virgini. Ibi tamen iuuenis duxit (more regionis) virginem in vxorem. Rex Angliæ ante feſtum Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, collectis exercitibus, profectus eſt in Walliam, ad perſequendum Owenum de Glendor, ſed nihil profuit tantus armorum ſtrepitus, cum Wallicus in nota latibula ſe recepit, quin potius (vt putatur) arte magica regem pene perdidit, cum exercitu quem ducebat, per pluuias, niues, & grandines (vt creditur) arte diabolica concitatas. In vigilia vero natiuitatis ſanctæ Mariæ, cum rex in loco amœniſſimo fixiſſet tentoria, ibi nihil formidans, ſed ſumma requies ſperabatur, repente in ipſius noctis prima vigilia flauerunt venti, & deſcendit pluuia tam exceſſiua, vt ipſum regis tentoriū deiiceret, & eiuſdem lanceam euerterent impetu vehementi, & in regis armatura defigerent. Fuiſſet ipſa regi nox vltima, ſi non quieuiſſet armatus: nec meminerunt Anglici (licet aſſueti

rebus bellicis) ſe vnquam tantum vexatos, periculis tantis expoſitos in illa expeditione fuiſſe. Fuerunt plures (ſi fas ſit credere) qui dicerent hæc aduerſa arte fratrum Minorum contra Regem fuiſſe commentata, qui parti Wallici fauere dicebantur. Sed abſit hoc ab hominibus tam ſanctam profeſſis regulam, vt cum dæmonibus tantam contraherent familiaritatem, & poneret in gloria ſua maculam nullo ſæculo detergendam.

Abſit religioſis cum dæmonibus familiaritas.

Rex autem (neceſſitate cogente) rediuit in Angliam poſt incenſam patriam & prædatam. Eo tempore Scoti faſtu ſolito concitati, ſatis hoſtiliter Angliam ſunt ingreſſi, putabant nempe cunctos dominos Transhumbranos in Walliarum partibus regis obſequiis fuiſſe detentos: ſed comes Northumbriæ dominus Henricus Percy, & Henricus eius filius, comeſq; de Dunbarre, qui dudum relictis Scotis fidem fecerat regi Angliæ, cum armata manu, & copia ſagittariorum, Scotis repatriare volentibus, poſt prædas & incendia reſtiterunt ſubito, & repente præcludentes eis viam, ſic quod oportebat Scotos ſubſiſtere, & capere locum pugnæ. Elegerant ergo montem iuxta villam de Woller, vocabulo Halweden hil, in quo ſe cum ſuis armatis & architenentibus collocarunt. Quod noſtrates cernentes, relicta via, in qua conſtiterat contra Scotos, montem Scotis oppoſitum conſcenderunt, nec mora, noſtri ſagittarii in valle conſtituti ſagittas miſerunt ad Scotorum cuneum, vt eos ad deſcenſum quomodolibet prouocarent. Econtra architenētes Scotici in noſtros ſua ſpicula dirigunt toto niſu. Qui tamen vt ſenſerunt grauitatem, & velut imbriferam tempeſtatem ſagittarum noſtræ partis, fugerunt. Comes Duglas cernens ſuorum fugam (nam & ipſe erat campiductor Scotorum) ne belli deſertor videretur eſſe, arrepta lancea, cum turba ſuorum animoſe deſcendit, confidens nimirum in armatura propria, complicumque ſuorum (iam per triennium elaborata) & ſuper architenentes irruere nitebatur. Quod videntes ſagittarii retrocedendo ſagittabant, tam viuide, tam animoſe, tā grauiter, vt ipſos armatos omnino penetrarent, caſſides terebrarent, gladios perforarēt, lanceas funderent, & omnem armaturam leui negotio tranſuerberarent. Ipſe quoque Duglas quinque vulneribus confoſſus eſt, non obſtante ſumptuoſiſſima armatura.

Scotorum ſtrages.

Reliqui de Scotis, qui nondum de monte deſcenderant, conuerſi retrorſum à ſagitta volante fugerunt. Sed fuga nihil profuit, dum inſequerentur architenentes, quin ſe reddere cogerentur Scoti, metu ſpiculorum mortiferorum. Comes quoque Duglas captus eſt: ſed ex his qui fugerant, multi capti ſunt, ſed multi rapacitate Twedæ fluminis ſubmerſi fuere, dum vada neſcirent, ad numerū (vt aſſeritur) quingentorum. In hac pugna nullus dominus, nullus miles, aut ſcutifer hoſtib. ictum intulit, ſed ſolummodo Deus omnipotens architenentibus Anglorum victoriam miraculoſe contulit, proceribus & armatis effectis belli ſpectatoribus otioſis. Eodem die flos Scoticæ militiæ captiuitati ſubactus eſt. Nempe cum Comite Duglas, Murdak de Fyf (primogenitus Ducis Albaniæ, & heres apparens regni Scotiæ) captus fuit. Experti quoque ſunt ſimilem ſortem Comes de Murryf, Comes de Angus, Comes de Orkeney: Et barones dominus de Mōtegomerito, dominuſq; de Erskin, dominus de Grame, cum multis aliis militibus ad numerum octoginta, præter ſcutiferos, & valectos, quorum numerum ignoramus. Interfecti ſunt Barones ibidem, dominus de Gurdon, & dominus Iohannes de Swynton inſidus vtriq; regi: commiſſum fuit bellum iſtud die exaltationis ſanctæ Crucis.

Lolardorum opiniones.

Eo tempore Lolardi docuerunt concluſiones execrabiles, in occulto tamen, propter metum iudiciorū. Quæ ſunt iſtę: quod ſeptem ſacramēta nō ſunt niſi ſigna mortua, nec valent in forma, qua eis vtitur Eccleſia. Item quod virginitas & præſbyteratus non ſunt ſtatus approbati à Deo, ſed ſtatus coniugii optimus eſt & ordinatus à Deo. Quapropter omnino virgines & præſbyteri, religioſiq; populi, ſi ſaluari deſiderant, debent coniugari, vel eſſe in voluntate & propoſito coniugandi, alias ſunt homicidæ, & deſtruunt ſanctū ſemen, vnde conſurgeret ſecunda Trinitas, & ſic impediunt numerum ſaluandorum pariter & damnandorum. Item ſi vir & fœmina conuenerunt in vna voluntate nubendi, ipſa voluntas ſufficiens eſt coniugium ſine maiori obedientia Eccleſiæ facienda, & ſic coniuncti plures, quam nos cognoſcamus (prout dicunt.) Item, quod Eccleſia nihil eſt aliud quam ſynagoga Sathanæ, & ideo nolunt adire illam ad honorandum dominum, neque percipiendum ſacramentum aliquod, & præcipue ſacramētum Altaris, quia (vt aſſerunt) non eſt niſi buccella panis mortui, & turris ſiue pinnaculum Antichriſti. Item, ſi haberent puerū modo natum, non baptizaretur per manus præſbyterorum apud eccleſiam, quia puer iſte eſt ſecunda Trinitas non contaminata peccato, & peior eſſet ſi deueniret in manus eorundem. Item, quod non habemus aliquem diem ſanctificatum

vo-

Digitized by Google

vel ſanctum,ſed nec diem dominicum, ſed quilibet dies eſt eiuſdem libertatis,ad operandum,comedendum & bibendum. Item quod non eſt purgatorium poſt hanc vitam,neq; quod oportet agere maiorem pœnitantiam pro vllo peccato, (quanquam viliſſimo) ſed tantum vt committentes illud deſerant, & apud ſe pœniteant, quia (vt dicunt) in fide ſtat quicquid eſt. Sicut Mariæ Magdalenæ dixit Chriſtus, fides tua te ſaluam fecit. Has concluſiones Lodouicus de Clifford miles (qui iamdudum Lolardis fautor extiterat,) diu ſub terminorum inuolucris palliatas, ſed iam denudatas Archiepiſcopo Cantuarienſi patefecit, vt videlicet ſe oſtenderet, non ex pertinaci malitia, ſed ſimplicitate cordis & ignorantia, communicaſſe cum impiis. Dedit etiam nomina Cantuarienſi,dictas dogmatizantium prauitates. Elienſes per hoc tẽpus pares eſſe cupientes Norwicenſibus, qui in feſto Trinitatis,& Burienſibus qui in feſto ſancti Edmundi indulgentias impetrant, à ſede Apoſtolica obtinuerunt (peregre aduentantibus)& eccleſiæ ſuæ benefacientibus. In feſto Trinitatis à primis ipſius veſperis, vſque ad poſteriores veſperas, feriæ martis in hebdomada Trinitatis vere contritis,& confeſſis, plenam remiſſionem. Eo tempore Edmundus Mortymer obiit, iuuenis quem retulimus ante captum ab Oweno Glendor, vel tædio diræ captiuitatis,vel metu mortis,vel ex alia qua neſcitur cauſa,conuerſus retrorſum cum Oweno, contra regem Angliæ ſe ſentire profeſſus eſt, dum nuptias ſatis humiles & ſuæ generoſitati impares contrahit,cum filia dicti Oweni. Huius (vt fertur) natiuitatis exordia,dira comitata ſunt prodigia: quia nocte qua in lucem profuſus eſt, in hypodromo paterno omnes equi patris ſui reperti ſunt in alto cruore ſtetiſſe vſq; ad tibiarum demerſionem, quod tunc interpretati ſunt plurimi ſiniſtrorſum. Parliamentum Londoniis factum in craſtino ſancti Michaelis per ſeptem hebdomadas perdurauit: cuius finalis effectus fuit conceſſio decimæ & medietas à Clero,& à Burgis decima & quindecima de regni communitate.

Anno domini M.CCCC.III. poſt feſtum Purificationis, Regina venit in Angliam de minori Britannia ad maiorem, de ducatu ad regnum, de gente feroci ad populum pacificum, & vtinam fauſto pede. Hæc fuerat prius coniugata nobili viro domino Iohanni de Monteforti duci Britanniæ, de quo tulit vtriuſque ſexus liberos: ſed de rege Angliæ Henrico cui iam nupſit, omnino nullos. Viceſima vero ſexta die menſis Ianuarii, Londoniis apud Weſtmonaſterium fuit magnifice coronata. Æſtate ſecuta iuxta villas de Bedford, & de Byckeleſworth frequenter viſa ſunt monſtra mane & meridie de ſyluis emergentia, ſub colore vario, in ſimilitudinem hominum bellatorum, quæ ſibimet occurrentia videbantur inire dira bella. Quæ etſi conſpici poterant à remotis, appropinquantibus inueniri minime potuerunt: ſicque dicta fantaſtica vel fatalis apparitio ſæpius deluſit plurimos accedere cupientes. Eodem tempore dominus Henricus Percy iunior (cui fortuna ſemper hactenus blandita fuerat, & in quo ſpes erat repoſita totius populi) repente hoſtis regis apparuit. Cui contra cunctorum opinionem, iunxit ſe dominus Thomas Percy comes Wigorniæ patruus Henrici prędicti. Hic repente deſerens domum Principis,regis primogeniti, cuius rex curam ſibi commiſerat in ſpeciali, receſſit ad nepotem, augens eidem vires & animum rebellandi. Quorum vt excuſabilis eſſet coniuratio, ſcripſerunt prouincialibus vbilibet conſtitutis, propoſitum quod aſſumpſerant, non eſſe contra ſuam ligantiam, & fidelitatem quam regi fecerant, nec ab aliunde exercitum congregaſſe, niſi pro ſaluatione perſonarum ſuarum, & reipublicæ meliori gubernatione. Quia ſenſus & tallagia regis conceſſa pro ſalua regni cuſtodia, conuertebantur(vt dixerunt)in vſus indebitos,& inutiliter conſumebantur: prętereà quærebantur quod propter æmulorum dilationes peſſimas, Rex eis infenſus fuerat, vt non auderent perſonaliter venire ad eius præſentiam, donec prælati regnique barones regi ſupplicaſſent pro eiſdem, vt coram rege permitterentur declarare ſuam innocentiam, & per pares ſuos legaliter iuſtificari. Plures igitur viſis his literis, collaudabant tantam virorum ſolertiam, & extollebant fidem quam erga rempublicam prętendebant. Sed rex vt fraudem comperit, turbatus nimirum, cogitabat quibus mediis communitati poſſet ſatisfacere,& eorum ficta commenta peſſundare. Scripſit ergo perſonis quibus ipſi ſcripſerant, dicens ſe mirari quam maxime, q cum comes Northumbriæ & Henricus eius filius percepiſſent partem maximam ſummarum ſibi conceſſarum per clerum ſeu communitatem Angliæ, pro tuitione Marchiæ Scotiæ, vt poſſet euidenter oſtendere vnde concepiſſent materiã tantæ non ſolũ querimoniæ, ſed detractionis manifeſtæ. Scripſit inſuper, q intellexerat comitẽ North-

umbriæ, filium quoque ſuum, necnon & comitem Wigorniæ certificaſſe multis ſe non audere propter æmulorum dilationes ad regis venire præſentiam, ſine mediatione prę uia prę latorum & procerum, quare ſupplicabant, vt partes interponerent, vt de regis gratia venire poſſent ad allegandum pro ſe, & ſua innocentia declaranda. Quamobrem ſcripſit eidem comiti. &c. ſub ſigillo regio poſſunt accedere ſine damno, ſaluoque recedere ſine periculo ſiue dolo: ſed effrenata temeritas ſpreta lenitate regali, rigorem rebellionis induit, & Salopiam properauit, ſperans (vt putatur) in auxilio Oweni Glendor & Edmundi de Mortuomari, quorundamque Ceſtrenſium & Wallicorum. At rex vt perſenſit induratam iuuenilem maliriam (nam pater eius non exceſſerat limites patriæ ſuæ) decernit occurrendum fore feſtinanter Henrico, patruo quoque ſuo, domino Thomæ Percy, priuſquam conflaſſent exercitum fortiorem. Nempe hi, & eorum complices, publicari fecere per patrias, regem Richardum viuere, & apud eos eſſe, cuius nomine ſiue cauſa bella ſumpſerant contra regem. Quem ſi videre vellent incunctanter, accederent armis inſtructi, & in caſtro Ceſtriæ viderent infallibiliter dictum regem. Quæ quidem quamuis doloſa denunciatio, varios multorum mentibus motus effecit, & fluctuare coegit plurimos, vt ignorarent cui parti foret tutius adhę rendum. Multi reuera afficiebantur regi Richardo, & præcipue qui familiares eius quondam fuerant, & ab eo donati feodis vel aliis donatiuis. Rex Henricus pręmiſſa prudenter attendens, cum eſſet manu fortis & audax, congregauit quos potuit, inſtigante eum comite de Dunbarre Scoto maxime, qui monuit omnino ne moras necteret, commemorans illud Lucani,

Tolle moras, nocuit differre ſemper paratis,
Dum trepidant, nullo firmatæ robore partes.

Facit rex vt Scotus monuit, & inopinato peruenit ad partes vbi rebelles bacchabantur. Henricus autem ſubito conſpecto vexillo regio, cum iam inſtaret effringere villã Salopiæ, mox deſtitit ab infeſtatione villanorum, dicens ſuis: Deſiſtere nos (inquit) oportet ab inceptis, & arma vertere in eos qui contra nos veniunt, videtis certe ſignum regium, nec vacat quærere licet vellemus diuortium. State proinde corditer, quia dies hic aut nos omnes promouebit ſi vincimus, de ſtatu regali liberabit ſi victi ſumus. Nam pulchrius eſt in bello cadere pro republica quam poſt bellum mori hoſtis noſtri ſententia. Conueniunt in hoc votum ſubito qui ſequebantur Henricum, ad numerum quatuordecim millium lectiſſimorum hominum qui ſe perſtituros ad flatum vltimũ cum Henrico promittunt. Præoccupauerant autem illis campũ magis accõmodum. Pax vero conſtitit cũ ſuis tenens cãpum ad eorum oppoſitum. Cumq; partis vtriuſq; pugnatores ſignũ belli prę ſtolarentur, Abbas Salopiæ, & clericus de priuato ſigillo pro parte regis legatione fungebantur, vt offerrent Henrico pacem & perdonationem ſi deſiſteret ab inceptis. Quorum perſuaſionibus Henricus effectus manſuetior, cũ illis direxit ad Regem patruum ſuum dominum Thomam Percy, qui ſibi tantæ turbationis cauſas exprimeret, emendas exigeret cum effectu. Ferunt autem quod cum rex omni rationi condeſcendiſſet & humiliaſſet ſe (ſecus quam perſonã regiam decuiſſet) idem dominus Tho. Percy cum rediſſet ad nepotem, contraria referens reſponſis regis, exacerbauit mentem iuuenis, & ad bellum impulit, etiam nonvolentem. Igitur architenentes Henrici prælium inchoarunt, nec erat ad terram iaculis locus ſed in corpora ferrum omne ruit, caduntque de parte regis ad inſtar foliorum decidentium brumali tempore poſt prunam: nec minus regii ſagittarii ſuum peregere negotium, ſed imbrem aſperrimum ſpiculorum in aduerſarios emittentes. Cadunt proinde vtrinque plurimi, velut cum poma ruunt in Autumno, cum mouentur ab Africo, multaque ſimul millia de loco belli fugiunt, putantes regem ſagittis occiſum. Ipſe vero campi ductor Henricus partis aduerſæ, comeſque Duglas Scotus (quibus animoſiores nullus vnquam reperiſſet) ſpretis iaculis emiſſis de parte regis, ſpretis armatorum conſertis cuneis, contra ſolam perſonam regiam vires excitant, arma vertunt, ipſum pro decem millibus computantes ſtratis requirunt obuiis, infeſtis lanceis & gladiis perſcrutantes. Comes de Dunbarre cum comperiſſet iſtorum propoſitum, regem ſubtraxit à ſtatione ſua. Quod factum ſalutare fuit regi ea vice, quia & ſignifer regius à furentibus eſt proſtratus, vexillumque deiectum, circumſtantes occiſi. Inter quos comes Staffordiæ, & dominus Walterus Blunt miles regius cecidere.

Henrici periculum.

Princepſq; (regis primogenitus) pertentans præliandi primitias, ictu ſagittæ vulneratur in facie. Interea dominus Henricus Percy dum præcedit ſuos in prælio, dum incon-

inconſulto penetrat hoſtes ſuos,inopinato concidit,interemptus dubium cuius manu,quo cognito,fugere partis aduerſæ defenſores,quibus fugiendi copia eſt permiſſa:ſed comes de Duglas captus eſt hic bina vice hoc anno, pugnãs aduerſus Anglicos aduerſam ſemper expertus eſt fortunam. Nam in proximo bello traiectus capur amiſit oculum, in ſecundo verenda transfixus perdidit paulominus loculum,& ſub iugum venit captiuitatis ſecundæ. Capt^9 eſt etiam comes Wigorniæ dominus T. Percy, inuentor (vt dicitur) totius mali,& cauſa præſentis infortunii: cum domino Richardo Vernon, Baroneque de Kinderton cum multis aliis. De parte regis ceciderunt decẽ milites, multi ſcutiſeri, plures valecti, & ad numerum trium millium ſunt grauiter vulnerati. Ex parte rebellium corruit maior pars militum & ſcutiferorum comitatus Ceſtrię,ad numerum ducentorum,præter domicellos & pedites,quorum numerum non tenemus. Commiſſum fuit hoc prælium in vigilia ſanctæ Mariæ Magdalenæ,quo nunquam (vt putatur) vllum acrius geſtum fuit. Die lunæ ſequente (nam ſabbato cõmiſſum fuit antedictum bellum) iudiciali ſententia decollati ſunt apud Salopiam Comes Wigorniæ, Baro de Kinderton, & dominus Richardus de Vernona. Die etiam Lunæ ſecuta proximo, dũ comes Northumbriæ in manu robuſta & brachio extenſo verſus filium ſuum properat, vel verſus regem (vt putatur) pro redintegrãdo pacis negotio, Comitem Weſtmerlandiæ & Robertũ Waterton ne progrederetur habuit impedimẽto. Hii nempe exercitu grandi collecto obuiare ſibi ſubito diſponebant. Qui neutrum horum putans ſibi beneuolum, frena reflexit, rediens ad caſtellũ proprium de Werkwortha. Eo tempore nuncii miſſi in Franciam reportarunt inducias & vacationem vſque ad diem primum menſis Martii, videbanturq; magnam rem feciſſe in tanta rerum turbatione. Compoſitis rebus Salopiæ, rex progreditur Eboracum, vbi conſtitutus literaliter mandauit communitati Northumbriæ, vt ſibi occurreret. Dimiſſa turba venit Comes ad Regis monita in craſtino ſancti Laurentii cùm parua familia, non tamen ſuſceptus eſt familiaritate ſolita, ſed potius more ſupplicis gratiam requirentis. Cui rex vitam condonauit, & victui neceſſaria, decernens conſeruandum ſecura cuſtodia. Reuerſus rex de partibus borealibus diſpoſuit adire Walliam ad compeſcendum inſolentiam Wallicorum qui multa damna irrogauerant patriæ poſt receſſum ſuum. Sed tamen retinuit eum rei familiaris inopia, eo quod deſtitutus eſſet pecunia pro exercitu conducẽdo. Aſtitere ſibi tunc milites & ſcutiferi magis idonei, Martis lauernæ, q̃ Palladis, qui cenſuerunt Epiſcopos qui tunc illic forte conuenerant equis & auro ſpoliandos, domumque pedites remittendos, vt familiarium regis egeſtas ipſorum abundantia leuaretur. Affuit tamen gratioſus dominus, qui reſpondiſſe fertur vnus pro omnibus ſatis alacriter: milites improbos non ſpoliaruros de ſuis aliquem, niſi prius auſus temerarios luerent duris ictibus, & ſpolia verberibus nundinarent. Rex interea ſe gerens moderatius, aucupabatur quodammodo beneuolentiam prȩlatorum, vnde contigit quod dominus Cantuarienſis conuocato clero, ſibi de vna decima cum conſenſu prȩſulum prouideret. Britones Armorici duce domino de Caſtel. villam de Plimmouth inuadunt impune & ſuccendunt. Mox claſſis occidua ſub ducatu Wilhelmi de Wilford ſcutiferi in partibus prȩdictæ Britanniæ, cepit naues quadraginta, refertas ferro, oleo, ſopo & vino de rupella, ad numerũ mille doliorum. Redeundo vero, cremauit naues quadraginta; & apud Penarch applicans idem Wilhelmus cum ſuis, combuſſit villas & prȩdia ad ſpacium ſex leucarum. Villam quoque ſancti Matthæi vltricibus flammis dedit, & tria millia in giro dictæ villæ. Paucis diebus ante natale domini, Galli ſtipati bellatorum turba, aſcenderunt terram in Vecta inſula, iactantes ſe celebraturos natalis Feſtum illic etiam inuito rege. Cumque mille de Gallis intraſſent inſulam, & greges ac armenta fugaſſent, vt ad mare reuerterentur cum præda non modica, ſuperueniente ſubito auxiliatorum copia, coacti ſunt prȩdas dimittere, & ad nauigia cum dedecore feſtinare, non ſine damno ſuorum. Sicque contigit, vt qui prius inſtanter ab incolis petierant rerum redẽptionem, vix euadere potuerunt publicam interuentionem.

Rebellium clades.

Plimmouth incenſa.

Gallorum infeſtatio vana.

Anno domini. M. CCCC. IIII. in parliamento tento London. poſt octa. Epiphaniæ, comes Northumbriæ reſtitutus eſt ſuæ dignitati priſtinæ, boniſque mobilibus & immobilibus integraliter, & hæredes ſui. In hoc parliamento conceſſa fuir regi taxa inſolita, & incolis tricabilis & valde grauis. Cuius modum præſentibus inſeruiſſem, niſi conceſſores ipſi, & authores dicti tallagii, in perpetuum latere poſteros maluiſſent: nempe ſub ea tantum conditione concedebatur, ne traheretur poſterius in exemplum, nec ſeruarentur eius euidentiæ in theſauraria regia, nec in ſcaccario, ſed

Taxa inſoluta.

ſed ſcripturæ vel recordationes eiuſdem protinus poſt datum compotum cremarentur. Nec emitterentur breuia ſeu commiſſiones contra collectores vel inquiſitores huius negotii de melius inquirendo. Gallici circa tempus illud venerunt ante Vectam inſulam cum magna claſſe, miſeruntque de ſuis quoſdam qui peterent nomine regis Richardi & Iſabellæ reginæ tributum, vel ſpeciale ſubſidium ab inſulanis. Qui reſponderunt regem Richardum fuiſſe defunctum, Reginam quondam ſuam coniugem remiſſam pacifice ad parentes & patriam, ſine conditione tributi. Quapropter reſponderunt finaliter ſe ſubſidium non daturos, ſed ſi belli voluntas tenet Gallos, iuſſerunt vt aſcenderent, ſine cuiuſquam impedimento, & daretur illis ſpacium refocillationis poſt ingreſſum inſulæ ſex horarum, & expleto tempore ſupradicto, daretur infallibiliter eis bellum. Quo audito, Galli nullo perfecto negotio receſſerunt.

Inſulanorum de Dorthmouth geſta.

Per idem tempus dominus de Caſtel. Britannicus fatis ſe trahentibus, cum multitudine Gallorum & Britonum apud Dorthmouth, cum intollerabili faſtu terram ſcandit, putans fortunam ſecuturam ſicut prius apud Plymmouth: ſed ſecus accidit quam ſperabat. Nam ab his quos maxime habebat contemptui, ſcilicet ruralibus, eſt peremptus. Et qui poſt ipſum terram ſcanderunt, mox oppreſſi à ruſticis, capti ſunt protinus, vel occiſi. Fœminæ quoque fraudari non debent huius facti præconio, quæ fundarum miſſilibus hoſtes diris ſtrauerunt ictibus. Vnde contigit plures à fœminis, plures à ruſticis ſterni vel captiuari. A ruſticis occidebantur multi quia neſcierunt eorum linguam, quamuis grandes pro ſua redemptione ſummas obtuliſſent: ſed rurales rudes alia pro aliis interpretantes, putabant eos comminari, quando pro vita ſollicite ſupplicabant. Capti tamen ſunt eo die tres domini & milites nominati viginti, peſſundeditque Deus eo die arrogantiam ſuperborum, & eſſe fecit victoriam ruſticorum. Proſecuti ſunt igitur captiuos ſuos ruſtici ad regis vſque præſentiam, poſtulantes aliquod commodum prædæ ſuæ. Cum quibus rex ipſe libenter conuenit & eorum crumenis ſuffarcinatis fuluo metallo abire permiſit ad propria, retinens captiuos penes ſe grauiori cenſu in poſterum redimendos. Menſe Aprili conceſſa fuit regi per clerum vna decima conditionaliter, ſed ne quis prouiſor de cętero capiat bona vel careagia de eccleſiaſticis contra voluntatem eorum. Sed tamen appenſa pecunia, neglecta mox fuit conditio interpoſita. Anno pręſenti quinto Idus Martii clareſcentibus miraculis circa corpus ſancti Iohānis (quondam Prioris Canonicorum de Brydelyngton) de mandato domini Papæ tranſlatum fuit corpus eiuſdem ſancti Iohannis, per manus honorabilium virorum, ſcilicet Eboraci Archiepiſcopi, & Dunelmenſis, atque Carleolenſis Epiſcoporum. Per omne tempus æſtatis pręſentis Owenus Glendor cum ſuis Wallicis prędatur, incendit & deſtruit regiones ſibi contiguas, & nunc dolis, nunc inſidiis, nunc aperto marte, multos captiuat. Plurimos perimit Anglicorum, caſtellaque nonnulla capta complanat: quædam ſibi conſeruat integra pro tutela. Iohannes Grenor epiſcopus Aſſauenſis, cernens rem proſperari in manu Wallici, conuerſus eſt in virum prauum, factus transfuga ad Owenum. Eo tempore Flandrenſes & Britones ceperunt quaſdā naues noſtratum, onuſtas mercibus, & nautas gladio vel ſuſpendio peremerunt. Per idem tempus comitiſſa vetula (quondam Oxoniæ mater Roberti de Veer ducis Hiberniæ quem exulatum diximus, & mortuum Louarne) fecit per ſe ſuoſque familiares diuulgari, per omnes fines Eſtſexiæ, regem Richardum viuere, & in proximo fore venturum, & honorem priſtinum vindicaturum. Fecitque fabricari ceruos argenteos, & auratos plurimos (ſigna videlicet quæ rex Ric. conferre ſolebat ſuis militibus ſcutiferis & amicis) vt his vice regis diſtributis, facilius allicerentur in vota ſua milites illius patriæ, cæterique valentes. Vrgebat namque plurimos ad putandum, quod Rex Richar. viueret, famaque quotidie ferebatur è Scotia, regem Richardum inibi conſtitutum, expectare ſolummodo tempus accommodum, quo cum forti brachio Frācorum atque Scotorum poſſet recuperare regnum.

Rumores Richardum viuere.

Auxit errorem iſtum cuiuſdam Serlonis, quondam cubicularii regis Richardi commentum, qui falſo finxerat priuatum ſigillum nomine dicti regis Ric. & deſtinauerat litteras conſolatorias, ſimul & conſonatorias, multis in regno de dicti Richardi quondam familiaribus, in quibus & continebatur eius incolumitas, & ipſius in breui cernēda proſperitas. Hac occaſione multi dederunt fidem dictis & ſcriptis ipſius dominæ comitiſſæ, in tantum, vt crederent eius mendaciis & religioſi quidam Abbates illius patriæ, qui ex poſt, eo quod cū Comitiſſa ſenſiſſe videbantur, de mandato regis tenti ſunt & carceribus mancipati. Comitiſſa vero (confiſcatis bonis ſuis omnibus) arctæ cuſtodię mancipatur. Clericus

vero

vero qui pręmiſſa fallaciter auribus multorum inſtillauerat, tractatione & ſuſpendio muneratur: nam & ipſe diligenter eundo per patrias, præeminentes perſonas nitebatur ad credendum allicere, Regem Richardum non ſolum viuere, ſed in proximo palam cunctis fore, adiiciens ſe dictum regem nuper allocutum fuiſſe, loco tali, tali denique apparatu. In feſto Sancti Iohannis Baptiſtæ (vocante rege) comes Northumbriæ venit ad Pontemfractum, nepotes ſuos, & filiorum ſuorum filios ſecum ducens. Quo facto mitigauit corda complurium, qui putabant eum rebellionis iuuenibus prębuiſſe conſilium. Venit & cum comite dominus Wilhelmus de Clifford miles, trahens ſecum Serlonem inuiſum toti regno (de quo ſupra fit ſermo) quem parum ante ceperat cauteloſe. Quo facto, penes regem metuit excuſari, quod vltra placitum tenuiſſet Berwici caſtrum: propter quod reus læſæ maieſtatis extiterat. Viſo Serlone, feruebat omnis ætas in domo regia, ſciſcitari, ſcire, vel audire, quibus modis, quibus mediis, quibuſue ſociis illum inclitum regis filium, regis auunculum, Ducem Glouerniæ iugularit. Ille vero iam actum de ſe non ignorans, hoc ſolum fatebatur quod dignus fuit mille mortibus propter hoc ſcelus. Qui confeſſione, ſimul & plenitudine, multorum ita demulſit animos, vt gratis promitterent ſe pro eius anima pręsbyteros conductores, qui ſuffragia ſpiritualia quotis diebus ferrent.

Requiſitus cur dementare voluerat multos, vt putarent regem Richardum viuere, reſpondit ſe hoc odio Regis feciſſe, vt alienaret ab ipſo corda ſuorum, retulitq; ſe beatum fuiſſe potuiſſe, in aula regis Franciæ, quam in aula regis Scotiæ, ſi nõ defuiſſet gratia. Sed cum bene ſibi fuiſſet in domo regis Franciæ, audito quod rex Richardus viueret, in Scotiam ſe tranſtulit, vt probaret ſi veridica fama foret. Quo cum perueniſſet, & inueniſſet quandam perſonam ſimilem, ſed non ipſum quem quærebat, nihilominus tamen vt illuderet Scotis & Anglis, affirmauit hunc eſſe Richardum regẽ proculdubio, pręſeruatum ab æmulis diuino miraculo. Sed expoſt cum comperiſſet cõmentatam fallaciam patefaciendam, & ipſe iam incurriſſet rei familiaris inopiam, peruenit Berwicum ad dictum Wilhelmum Clifford, putans ſe per ipſum pecuniali præſidio releuandum, quo redire in Franciam potuiſſet: ſed in hac parte ſua ſpe fruſtratus eſt. Nam Wilhelmus captum detinuit, vſus conſilio ſatis callido, vt regis gratiam nundinaret huiuſcemodi mercimonio. Igitur Serlo finali iudicio tractus eſt in qualibet villa pręcipua inter Pontemfractum & Londonias, inchoans pœnas meritas in ipſa villa regia de Pontefracto. Eo tempore rex indigens (vt fertur) pecunia, conuocauit regni proceres ad Parliamentum tenendum Conuentre, circa feſtum ſancti Fidis virginis, non conſiderato quod ipſo anno tempore quadrageſimali Parliamentum celebrauerat apud Weſtmonaſterium, quod inutiliter vt multis videbatur per duodecim hebdomadas fuerat protelatum. Direxit ergo breuia vicecomitibus, ne quoſquam pro comitatibus eligerent quouiſmodo milites, qui in iure regni vel docti fuiſſent vel apprenticii. Sed tales omnino mitterentur ad hoc negotium, quos conſtaret ignorare cuiuſq; iuris methodum: factumq; eſt ita. Qui conuenientes in vnũ & in id ipſum, cum propoſitũ fuiſſet pro parte regis quo premebatur rei familiaris incõmodo, inſtantibus prope Scotis & Wallicis, procul Britonibus, Flandricis & Gallicis, ſelecti milites parliamentales pro releuando rege nõ aliud inuenire potuere remediũ, quam confiſcandi Chriſti per totũ regnum patrimonium, ſcilicet vt Eccleſia generaliter de bonis temporalibus priuaretur. Hinc orta eſt inter Clericos & laicos grandis altercatio, militibus regis aſſerentibus ſe pro rege, atque cum rege profectos ſæpius citra rebelles & hoſtes, non ſolum ſua expendiſſe profuſius, ſed corpora quoque multis periculis expoſuiſſe, ſiue laboribus: Clericis interim domi otioſe ſedentibus, & in nullo regi ſuffragantibus. Contra quæ dominus Cantuarienſis reſpondit, Clerum ſemper tantum Regi contuliſſe, quam Laici, dum decimas ipſi frequentius darent regi, quam ipſi quintas decimas, & inſuper tenentes ſui non minori numero regem ſequebantur ad bella vel pericula quam tenentes feodi laicalis. Et ſuper hæc omnia nocte dieq; Miſſas & orationes facerent, pro eodem & omnem ſibi famulantium proſperitate. Et cũ adhęc prolocutor militum vultu, voceq; prętendiſſet publice ſe preces eccleſiæ paruipendere, iam (inquit dominus Cãtuarienſis) video manifeſte quorſum tendit regni fortuna, excluſis vilipenſiſq; ſuffragiis, quib9 diuinitas placari ſolet. Certe nunquam fuit diu regnum ſtabile quod vacauit à precibus & deuotione. Attamen tu qui vilipendis cleri religionem, nec te putes impune direpturum Eccleſiæ poſſeſſionem, quia ſi viuit Cantuarienſis, malo tuo rapies quicquam de ſuis. Erat autem prolo-

Serlo tractus.

Parliamentum indoctorum.

prolocutor Miles, dictus Iohannes Cheyne, qui (vt fertur) militiam ſortemque Chriſti deſerens, in ſortem Martis apoſtatando tranſierat. Nam (prout dicunt) Diaconus fuerat ordinatus, nulla tamen vt reſiliret diſpenſatione licenciatus. Archiepiſcopus inter hæc regem nutantem conſiderans, ſurrexit, genu flexo coram Rege, rogauit vt attenderet primitiuum propoſitum ſuum, quod cuilibet ſeruaret iura propria pro poſſe ſuo, attenderet, & in iuramentum quod non inuitus pręſtiterat, videlicet quod Eccleſiam & miniſtros eius honoraret, foueret & defenderet, attenderet & periculum iuramenti, ſiue dedecus violati, & eccleſiam gaudere promitteret ſuis priuilegiis & libertatibus, quibus gauiſa eſt anteceſſorum ſuorum temporibus, vereretur offendere regem, per quem reges regnant: vereretur & cenſuras quas incurrunt qui res Eccleſiaſticas depręedantur: quo omnes conſtat excommunicationis ſententia innodari. His à Cantuarienſi prolatis, Rex pręcepit ei repetere ſedem ſuam, aſſerens voluntatis ſuæ fore eccleſiam in adeo bono ſtatu dimittere ſicuti eam inuenerat, vel potius meliori. Archiepiſcopus concionatus militibus dixit: Vos (inquit) & veſtri ſimiles, conſilium dediſtis domino noſtro regi moderno, & anteceſſoribus ſuis, vt confiſcarent bona cellarum, quæ Gallici vel Normanni poſſederunt in Anglia, dicentes eis per hæc diuitias accumulandas in magna copia, & quidem (prout valent) multa fului metalli millia, ſed tamen conſtat hodie regem non ditiorem dimidia quidem marca, vobis vel extorquentibus, vel emendicantibus de manu ſua & vobiſmet appropriantibus dicta bona. Vnde poteſt coniici vos non pro regis vtilitate, ſed pro veſtra cupiditate temporalia noſtra petere. Quia proculdubio ſi rex (quod abſit) veſtro ſatisfeciſſet execrando propoſito, non eſſet opulentior vno quadrante ſequenti anno. Et certe prius hoc caput exponam gladio, quam eccleſia deſtituatur minimo iure ſuo. Milites hac ſententia, ſimul & Metropolitani repercuſſi conſtantia, conticuere: Archiepiſcopus vero (vt Argus) ſibimet ex omni parte perſpiciens, cum comperiſſet milites perſtituturos in petitione temporalium, dominos tẽporales quoſdam allexit in partem ſuam, qui conſtanter affirmauerunt ſanctam eccleſiam nunquam ſua voluntate, ſuis temporibus ſpoliandam, & in hac parte reddentes Archiepiſcopo & prælatis gratiã, pro gratia quã ſibi prius pręſtiterant, quando milites petierunt ad opus regis reſtitui quæcunq; dicti domini de corona tenebant, vel dono regis nunc, vel anteceſſorum ſuorum regum Edwardi & Richardi, cui ſcilicet petitioni dominus Cantuarienſis obnixius reſtitit & prælati: ſic quod factum eſt vt de exactione temporalium nulla fieret mentio in poſterum. Sed & milites ipſi qui importune perſtiterant in hoc errore, domino Cantuarienſi ſupplicabant, vt illis ignoſceret, fatentibus malitiam & reatum ſuum, & gratias agentibus, quod animoſitate ſua ſub hac tempeſtate reſpiraſſet Eccleſia commemorantes illud Ethnici ita dicentis: *Tu ſub principe diro, temporibuſq; malis, auſus es eſſe bonus.* Præter multa quæ conceſſa fuerunt regi in hoc parliamento, laici conceſſerunt duas quintas decimas, ea cõditione, vt dominus de Furniual. &c. reciperent omnem ſenſum illum, & expẽderent in werris regis. Reuocatæ ſunt etiam patentes regis pręconceſſæ perſonis variis de ſuſtentatione ſua annua per reges Edwardum & Richar. militibus parliamentalibus ea conſentibus, licet id in regis dedecus redundaret. Clerus conceſſit regi vnam decimam & dimidiam, non obſtante quod medietas vnius decimæ vltimo pręconceſſæ in feſto ſancti Martini fuerat perſoluta.

Aquarum diluuium.

Eo tempore tanta repente ruptis limitibus irrupit aquarum influentia in terra domini Cantuarienſis, & aliorum in Cantio, quanta nunquam fuerat illic ante viſa, qua ſubmerſa ſunt animalia numero & præcio exceſſiuo: Nec ſolummodo defleuit Anglia damna talia, ſed (vt fertur) Selandia, Flandria, & Holandia per vndarum excremẽta innumerabilia ſenſit diſpendia eo anno.

Wickami fundationes.

Hoc in tempore vir grandæuus dominus Wilhelmus Wickham Wintonienſis epiſcopus viuere mundo deſiit, cuius ſumptibus & induſtria quotidie Clerus Anglicanus augmentatur & creſcit. Nam in Wintonia conſtituit collegium nouellis, Grãmaticis, & in Oxonia ſubtilioris ſcientiæ clericis fundauit domum. Exhibentur autem in vtroque loco centum perſonæ de ſumptibus prouiſis per eundem. Menſe Octobris primo die menſis obiit Romæ Papa Bonifacius nonus, cui ſucceſſit Epiſcopus Bononienſis & vocatus eſt Innocentius ſeptimus, alias dictus Coſmatus gentilis, vir per omnia dignus nomine & gradu tanto.

Bonifacii 9. mors Innocentius 7. papa.

Anno domini milleſimo quadringenteſimo quinto, circa feſtum ſancti Valentini rapti ſunt filii comitis Marchiæ & abducti. Sed cito poſt recepti de caſtro de

Wyndeſor, faber ferrarius qui claues finxerat, per quas patebat ingreſſus ad eos, truncatione manuum atque capitis eſt mulctatus. Domina de Spencer (relicta domini Thomæ de Spencer, nuper occiſi Briſtoliæ) dum fugit (vt fertur) ad Owenum Glendor cum filio octenni capta eſt, & cunctis theſauris ſpoliata, perque regios ad regem reducta, cuſtodiæ arctioris ſubiit nocumenta. Poſt feſtum Purificationis rex (accerſitis Londonias regni baronibus) tractabat cum eiſdem de regni regimine, deque pecuniali ſubuentione ſibi ferenda, ſed proceres regiis votis tunc minime paruere. In quadrageſima vero ſequente Rex conuenire fecit apud ſanctum Albanum clerum, regnique barones pro præmiſſo negotio. Sed proceribus renitentibus nil actum fuit. Diſceſſeruntque cuncti velut in concordi diſcordia, penes regem in vigilia palmarum. Sub his diebus Comes Mareſchallus Thomas Mounbray, armis inſtructus acceſſit ad Archiepiſcopum Eboracenſem Magiſtrum Richardum le Scrop, dubium an voluntate motus propria, an pontifice ſollicitatus vt veniret. Eoque tempore dominus de Bardolf, Thomas adiuit Comitem Northumbriæ dominum Henricum Percy, eo animo vt moleſtarent regem, vt ex poſt apparuit manifeſte. Sed Archiepiſcopus atque comes Mareſchallus non diu celauere propoſitum quin mox palam facerent intentum ſuum. De comitis nempe Northumbriæ dominique de Bardolf (vt fertur) conſilii ſolatio, Ciues Eboraci cum multis aliis euocauerunt in magno numero, vt ſtarent cum ipſis pro regni commodo, communiumque ſalute, & promptiores redderentur ad præſens negotium, finxerunt articulos *Archiep. Ebora.* in oſtiis monaſteriorum & Eccleſiarum vrbis, ſcriptos in Anglicis, pro quibus opor- *inſurrectio.* tuit eos voluntarie in armis eſſe. Lectis ergo articulis, milites, armigeri, plebs vrbana & ruſtica, intellecto pio propoſito in magno valde numero pontificem conſtipauere, quem cunctis commendabant, & ætatis grauitas, & vitæ præcedentis ſanctitas, & incomparabilis literaturæ ſcientia, & cunctis amabilis ipſa perſona. Comes Weſtmerlandiæ qui cum filio regis Iohanne tunc prope fuit, audito rumore præcedentium, congregatis copiis, feſtinat occurrere Pontificali turbæ, priuſquam multiplicata facile vinci non poſſet. Sed fruſtra: nam manus Archiepiſcopalium multo fortior erat gente ſua. Miſit ergo qui peterent cauſam tantæ conglobationis, & cur contra pacem regiam adeſſent armati. Archiepiſcopus reſpondit ſe nil moliri contra pacem regiam, quin immo cuncta pro pace tranquillitateque facere, armari vero ſiue vallari hominibus tantum ob metum regium, ad quem alloquendum tutum non haberet acceſſum ſine multitudine aſſentatorum. Propoſitum vero ſuum regis & regni fore commodum, ſi forte noſcere vellent illud: demonſtrauitque ſchedulam, qua articuli continebantur. Quam cum legiſſet comes Weſtmerlandiæ, verbo vultuque laudauit palam præſulis pium ſanctumque propoſitum, ſpondetque ſe velle proſequi cum ſuis propoſitum Archipræſulis, vnde petit vt accedat cum paucis in medium, ſecum habiturus colloquium, & ipſe eum paucis obuiaret ſibi, adæquato numero perſonarum. Antiſtes gauiſus credit verbis comitis, perſuadet comiti Mareſcallo, (etiam nolenti) ſecum procedere ad locum colloquio deputatum. Ad quem cum pari numero conueniſſent, cum perlecta fuiſſet charta de articulis, mox comes & qui cum eo erant præbuerunt aſſenſum dictis & fauorem. Tunc comes aſtutior cæteris, ecce inquit finis optatus aſſumpti laboris, iamdiu eſt quod populus perſeuerauit in armis, renunciet ex veſtris aliquis genti veſtræ, vt domum redeant, arma deponant, & ſolitis occupationibus operam dent conſuetam. Nos interim in ſignum concordiæ bibamus pariter, cernente populo partis vtriuſque. Nec mora (datis dexteris) miles emittitur de parte præſulis, qui renunciet pacem populo, iubeat vnumquemque depoſitis armis ſua reuiſere, quoniam iam partes in vnam ſententiam conuenere. Illi verò videntes ſigna pacifica, proceresque combibentes, feſſi ex inſueta militia, læti lora vertere ſic quod factum eſt vt (illis recedentibus) creſceret ex condicto paulatim aduerſorum numerus, nec prius intellexit Archiepiſcopus ſe ſeductum, *Archiepiſcopus* quam per manus fuit comitis areſtatus cum multis aliis per eundem. Quibus omni- *capitur.* bus indemnitas eſt promiſſa, ſed nullatenus obſeruata, quia tam præſul, quam comes decollatus fuit, poſtea veniente rege ad Eboracum in craſtino Pentecoſtes. Quo facto patuit illud febricitantis Bridelintone vaticinium fore verum, prædicẽtis ſatis obſcure præſens factum, ſub hiis verſibus.

Pacem tractabunt, ſed fraudem ſubter arabunt,
Pro nulla marca, ſaluabitur ille ierarcha.

Archiepiſcopo decapitato qui ſatis conſtanter necem tulit, martyrio pulchro fini-

Digitized by Google

tus, vt vulgares opinabantur, qui etiam aſſeuetabant miracula quædam facta fuiſſe tam in campo quo decollatus, quam in loco quo ſepultus eſt, illico vulgus promiſcuum cæpit obnixe colere cinetes antitiſtis iam defuncti, quem dilexetant petante viuentem, donec pet quoſdam regales ptohibiti, pręſulis monumentum teuiſete metuebant. Corpus vero domini Thomæ Munbray comitis Mareſcalli, permiſſione regis ſepultum eſt in Eccleſia Cathedrali, multis dolentibus vicem eius. Sed caput eius fixum in ſtipite, ſtetit ſupta muros vrbis longo tempore, expoſitum feruotiatque pluuiæ. Quod tandem cum rex annuiſſet vt conſepelireretur corpori, ferunt inuentum fuiſſe in nullo fluxũ, in nullo marcidum, nec penitus decoleratum, ſed eundem prętuliſſe decotem, quem viuens obtinuerat. Rex poſthæc ciuibus Eboracenſibus mulctatis ad libitum qui cum Archiepiſcopo ſenſerant, promouit exercitum ad perſequendum comitem Northumbriæ & dominum Thomam Bardolf, omne pręparamentum belli ſecum conttahens & exercitum. XXXVII. millium pugnatorum. Comes Northumbriæ comperto tegis propoſito, Barwicum ſe tranſtulit. Eo tempore nuntii regis Daciæ, Norwagiæ & Suauiæ, venientes in Angliam, petiere tegis filiam in coniugium domino ſuo: hotum pręcipuus fuit Epiſcopus Solucenſis, qui cum ſcriptote præſentis chronicæ de vita ſancti Albani (euius peroptime nouit & communicauit hiſtotiam, eo quod in Danemarchia martyr noſter celebris habeatur.) Intetea rex firmans faciem contta comitem Northumbriæ, venit Barwicum: comes veto à facie formidinis eius fugit in Scotiam, & dominus de Bardolf cum eo. Quos dominus Dauid Fleming Scotus in fide ſua ſuſcepit. Rex autem eum cognouiſſet fugam comitis, mandauit hiis qui erant in caſtello vt illud ſibi redderent. Quod cum illi pręciſe negarent, intendit Gunnam magnam, cuius vnico iactu deiecit partem vnius turris, & incluſos tantum terruit, vt mallenr obiicere ſe ſponte gladiis, quam expectare ſecundum iactum. Redditum eſt ergo caſtrum regi, & de defenſoribus partim fuere decollati, partim carceribus mancipati. Quo recepto, & pro votis diſpoſito, caſtrum de Alnewyk & cæteta caſtra comitis teddita ſunt faciliter in manus tegis. Quibus ſucceſſibus rex elatus, rediuit incunctantet Walliam, vbi è contrario nil ſibi ceſſit ptoſperum, ſed velut infortunate omnia gerebantut. Quapropter nullo profecto negotio reuetſus eſt, currus, carectas, & plauſtra perdens numero quinquaginta (prout fertur) cum theſauro maximo & cotonis ſuis, pet aquarum inundationes ſupetuenientes improuiſe. Venit ergo Wygorniam, & accerſitis Atchiepiſcopo & aliis Epiſcopis, patefecit eis infortunium quod aeciderat, petens ſibi ſuccurri per eoſdem, cui reſpondit Archiepiſcopus ſe cum clero ſuper iſto negotio ttactaturum. Medio tempore Gallici venientes in ſuccurſum Wallici. i. Oweni Glendor, cum centum quadtaginta nauibus applicuerunt in portu de Millefotd, amiſſis primo præ penuria recentis aquæ pene omnibus equis ſuis. Dominus de Berkle & Henticus Pay combuſſerunt ex eiſdem nauibus quindecim in eodem portu. Dicti vero Galli obſederunt vrbem Kaermerdyn, & ceperunt, conceſſis prius defenſoribus omnibus bonis ſuis mobilibus, cum licentia ſe transferendi quocunque vellent. Sub eodem tempore captæ ſunt naues. XIIII. per ſupradictos dominum de Berklee & dominum Thomam de Swinburne, ac Henricum Pay, dum velificarent verſus Galliam ad auxiliandum Howeno. in quibus ſeneſcallus Franciæ, & alii. VIII. capitanei capti fuete. Villa de Royſton conflagrauit in die translationis beati Martini. Comes Arundeliæ duxit London. in vxorem, filiam regis Portugaliæ notham, ſatis magnifice, pręſentibus rege Anglię, & regina, in craſtino ſanctæ Cathatinæ. In feſto conceptionis ſanctæ Mariæ, domina regis filia præconis voce proclamata eſt regina Datię, Norwagiæ, Suauię, ſiue Sueſiæ, in præſentia nuntiorum qui eam venerant petituri.

Gallorum appulſus in Walliam.

Anno domini. M. CCCC. VI. (qui eſt annus tegni regis Hentici à conqueſtu quarti ſeptimus) dominus Rogerus de Waldene debitum naturæ ſoluit, qui vatiâ fottuna vectus, expertus eſt ſub breui tempore quam ſit ineonſtans, incerta, volubilis, ipſa, errans, inſtabilis, vaga, quæ dum ſtare putatur,

Occidit & falſo mentitur gaudia vultu.

Walteri varia fortuna.

Nempe pet hanc ex pauperculo, factus eſt regni theſaurarius, & mox Cantuarienſis Atchiepiſcopus, quo iure mundus nouit, viuente Thoma de Arundelia. Et illico deiectus & priuatus per longa tempota, tandem leuatur itetum in Londoniarium thronum venerandum, quo tamen non eſt permiſſus gaudere pet annum. Huic ſucceſſit dominus Richardus Bobwyth. Hoc in tempore dominus Papa peremptores Richardi Scrop quõdam Eboracenſis Atchiepiſcopi publice excõmunicauit. Eo tempo-

tempore inchoatum eſt Parliamentum, quod protelabatur inutiliter fere per annum: Quia poſtquam parliamentales milites diſtuliſſent diu concedere regi ſubſidium, in fine tamen fracti, conceſſere taxam petitam, communitatis damno. Nam propter hanc dilationem expenſæ militum æquiperabant pene ſubſidiũ poſtulatum. Per clerum autem noua taxa regi conceditur, leuanda de presbyteris ſtipendiariis, & fratribus mendicantibus, ac aliis religioſis qui annalia celebrabant, vt horum quilibet dimidiam marcam regi daret in releuationem cleri, ſed qui ſemper onus portauerat pro eiſdem. Per idem tempus comes Northumbriæ & dominus de Bardolf monitu Dauid Fleming fugerunt in Walliam. Patefecerat nempe illis conſpirationes Scotorum, qui conſpirauerant illos tradere regi ſuo pro quorundam captiuorum commutatione. Ob quam cauſam Dauid à Scotis occiditur & Scoti prouocantur ad inteſtina bella, in tantum vt inualeſcente diſcordia, treugas annales petere cogerentur. Quibus firmatis in terra, Scoti miſere per æquora filium regis ſui & hæredem, vt coaleſceret & informaretur in Francia de facetia linguaque Gallica. Quem quidam nautæ de Cley in Norfolchia cepere fortuito, & quendam Epiſcopum Comitemque de Orkeney, quibus commiſſus fuerat à patre ſuo, & ad Angliam deduxerunt, regique dederunt. Rex vero reſolutus in iocos dixit: Certe ſi grati fuiſſent Scoti, hunc miſiſſent mihi iuuenem inſtituendum, nam & idioma Franciæ ego noui. Miſſique ſunt ad turrim Londoniarum dictus iuuenis, & comes Orcadum, epiſcopo per fugam lapſo. Eo tempore dum Galli properant in ſuccurſu Oweni Glendor cum ratibus. 38. captæ ſunt ex eis octo naues armatis refertę, reliquis in Walliam euadentibus meticuloſe. Non multo poſt captæ ſunt naues quindecim, portantes vinum & ceram, per mercatores noſtros ad maris cuſtodiam deputatos. Papa contulit Archiepiſcopatum Eboracenſem magiſtro Roberto Alum Cancellario Oxonienſi, tunc in curia exiſtenti. Sed rex Angliæ indignatur & contradicit. Hac æſtate rex & regina perduxerunt virginem Regis filiam, ex priore coniuge procreatam, ad villam de Lenna, vt inde transfretaret in Daciam ad ſponſum ſuum regem. Hanc comitabantur nobiles, inter quos Epiſcopus Bathonienſis erat, & dominus Richardus frater ducis Eboraci. Qui redeuntes expleto negotio, parum vel nihil boni de patria retulerunt. Circa finem autumni dominus Henricus de Spencer Epiſcopus Norwicenſis ingreditur viam patrum, vir qui & militis ſuo tempore conſummauit officium, & pontificale non neglexit debitum. Cuius loco monachi Norwicenſes elegerunt Alexandrum commonachum & Priorem ſuum. Adhuc durante parliamento, reſtitutus eſt dux Eboraci dignitati priſtinæ, qui putabatur à multis obiiſſe in carcere. Comes Cantii duxit in vxorem filiam domini de Mediolano. Hoc anno die ſancti Clementis (apoſtolica vacante per obitum F. Re. Innocentii Papæ Cardinales 7. conſiderantes Chriſtianæ religionis infamiam contractam ex peſtifero ſchiſmate (quod tantis (proh dolor) temporibus perdurauit) conuenerunt, vouerunt Deo ac eius matri Mariæ, & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, totique cæleſti curiæ iurauerunt, & ad inuicem vnus alteri, & è conuerſo ſe obligando ſolenniter, promiſerunt quod ſi quis eorum aſſumptus foret ad apicem ſummi apoſtolatus, renunciaret effectualiter iuri ſuo & papatui, ſi & quando antipapa qui eſt, & pro tempore fuerit conſimiliter renunciaret, accederet, & ante cardinales ſic conuenire ac concordare vellent cum eiſdem dominis & ſacro collegio, ſic quod ex his duobus collegiis ſequeretur iuſte canonica electio vnius Romani pontificis, ac etiam promitterent ſe facturos & curaturos, quod ſi quis ex dominis abſentibus vel extra collegium per eos aſſumeretur in Papã, eandem faceret obligationem. Quodq; nullus eorum à prędictis promiſſione, voto, & obligatione, abſolutionẽ, peteret vel impetraret. Et ad maiorem pręmiſſorũ firmitatem, quilibet ex dominis de collegio ſupradicto manu ſua ſubſcripſit. Elegerunt itaq; dominum Anglicum tituli S. Marci, præsbyterum cardinalem Conſtantinopolitanum, & vocauerunt Gregorium. 12. Qui eodem die poſt electionem, votum, ſacramentum, & promiſſionem (prout ſuperius continetur) in præſentia dictorum Cardinalium & teſtium manu propria ſubſcripſit. Ego Gregorius hodie die vltimo menſis Nouembris, anno domini M. CCCC. VI. aſſumptus in Romanum pontificem, iuro, voueo, & promitto, ac confirmo omnia ſupradicta, &c. Coronatus eſt autem die ſancti Andreæ Apoſtoli vir annorum circiter octoginta. Circa feſtum ſancti Martini cum rates Anglicæ verſus Burdegalam curſum tenderent, & infrequentatum mare noſtris hactenus attemptarent, quatuor naues de villa de Lenna nauigantes incautius inciderunt ſubito in caribdim, quæ dicitur eſſe in mari Hiſpanico, &

Innocentiũ mors.7.

Cardinalium vota.

cernentibus ſociis abſorpti ſunt. Nam illic dicitur eſſe mare vertiginoſum, quod occultis gurgitibus naues ſorbet. Ter enim in die ſtringit fluctus & ter vomit. Aquas itaque accipit vt vomat, vomit vt accipiat, vnde Naſo.

Euomit epotas dira charibdis aquas.

Doctæ ſunt ergo reliquæ priorum periculo vela reflectere de tam pernicioſo pelago, veneteque ſaluo Burdegalim, ſed numero diminuto. Appropinquante natali dominico, exactum eſt inſtantius vt regi prouideretur de pecuniali ſubſidio. Sicque tandem conceſſa fuit ei quintadecima de communi populo.

An. Do. 1407. ſoluta eſt obſidio facta villarum de Burgh, & de Bloys in Gaſconia, facta per ducem Aurelianenſem, qui cum quinquaginta millibus venerat ad ſubuertendum illas. Sed Deo diſpenſante, qui ſuperbos humiliat, nulla dies per octo hebdomadas illuxit ei ſine tempeſtate pluuiarum, niuis, & grandinis mixta cum ventis & fulmine, quæ tam homines ad mortem compulit quam iumenta. Quibus infortuniis fertur ſex millia hominum perdidiſſe, & qui in aduentu ſuo ſupra fortunam ſuam nimis ambitioſus, fecerat deportari ſupra caput ſuum à quatuor militibus pannum aureum, iam reuertens inglorius, gaudebat ab imbribus iam ceſſare cælum. Per idem tempus Henricus Pay & quidam de quinque portubus, cum nauibus quindecim, in mari Britannico centum viginti naues anchorantes, onuſtas ferro, ſale, oleo, vinoque, de rupella ceperunt. Epiſcopus Sarum Richardus Mitford ſeculo valefecit. Eo tempore fixæ ſunt ſcedulæ multis in locis Londoniis, quibus continebatur quod rex Richardus viueret, & in proximo venturus eſſet in magnificentia, & gloria, accipere ſibi regnum. Sed non multo poſt captus eſt & punitus auſus tam temerarii ſtultus cómentor, & ex mendatio multorum conceptam lætitiam temperauit. Hac æſtate ex aeris corruptione tanta peſtis humanis eſt infuſa corporibus, quanta non eſt viſa per annos plurimos in hac terra. Ita (vt ita dicam)

Læ'iferis calidi ſpirarunt æſtibus auſtri,
Peſtis & in magna dominatur manibus vrbis.

Ducis Aureliæ. turpis diſceſſus.

Peſtis.

Nam & Londoniis conſumpſit infra breue tempus ad triginta millia ſexus vtriuſque: in villis vero ruralibus peruenit ad miſeros damno grauiore colonos, vt multæ domus quondam frequentibus lætę familiis, penitus vacuarentur. Eo tempore prout videbatur in vnam conuenere ſententiam Papa Romanus, & antipapa per litteras directas adinuicem, attamen nondum finis. Sub hoc tempore Gallici ceperunt munitionem de Eye, & deſtruxerunt, ac bona inibi reperta rapuerunt, vnde dolentes ſtipendiarii Caleſiæ, ceperunt & ipſi caſtrum de Pouile, & ibidem bona reperta copioſa valde Caleſiam comportarunt. Prope medium menſis Iunii, cum Papa Gregorius ſe paraſſet ad proficiſcendum Sauoniam, iuxta condictum inter ipſum & antepapam gratia vnionis faciendæ in Eccleſia Dei, repente dæmonis inſtinctu, ſuperuenit Rex Neapolis, & ante portam ſancti Laurentii conſedit cum exercitu, vnde dominus Papa confugit cum cardinalibus in caſtellum ſancti Angeli. Et accerſito nobili viro Paulo Vrſino, iuſſit vt cum manu forti militari valida opem ferret. Qui commiſſa pugna peremit ſeptem millia de hoſtibus Eccleſiæ, nobilibus multis captis. Rex vero mœrore plenus aufugit, & inglorius Neapolim repedauit. Hac occaſione retardatum eſt negotium vnionis & pacis in eccleſia ſancta Dei. Circa feſtum aſſumptionis beatæ Virginis, dominus Robertus Knolles diem clauſit extremum. Cuius arma regnum Franciæ ſenſit, & expauit infeſta ducatus Britanniæ, verebatur Armoricæ, atque pertimuit gens citerioris Hiſpaniæ. Qui prętęr laudem quam ſibi peperit in geſtis Martiis, conſtruxit pontem vltra flumen de Modewey iuxta Roffam, prouexitque domum fratrum Carmelitarum Londoniis, fundauitque collegium ſecularium clericorum apud Pontemfractum, & alia multa laudabilia conſummauit. Eodem anno Guido de Mone, Meneuenſis epiſcopus, præſentis lucis ſenſit eclipſim, qui dum vixit magnorum malorum cauſa fuit.

Neapolis rex Papam obſidet.

Knolles moritur.

Sub eodem tempore, magiſter Henricus Bower ad inſtantiam regis translatus eſt ab Epiſcopatu Bathon. ad Archipręſulatum Eboracenſem, & Magiſter Robertus Alun cui Papa prouiderat de Archiepiſcopatu Eboracenſi, thronum conſcendit Sariſburienſem, vacante per mortem magiſtri Clickhole. Magiſter vero Richardus de Clifford, de Pontificatu Wigorniæ tranſiit ad ſedem Londinenſem. Thomas quoque Peuerel ab Epiſcopatu Landaffenſi transfertur ad cathedram Wigornienſem. Hac æſtate dominus Henricus Princeps Walliæ cepit per obſidionem caſtrum de Abruſtwich, ſed non multo poſt Owenus Glendor fraudulenter illud intrauit, & nouos cu-

Epiſcoporum translatio.

uos cuſtodes impoſuit. Menſe Nouembri facto parliamento Londoniis, facta fuit leuatio pecuniæ toto regno.

Niuis aſperitas.

Anno domini milleſimo.cccc.VIII. (qui eſt annus tegni tegis Henrici à conqueſtu quarti octauus) fuit hiems aſperrima, ex niuium abundantia, durans per menſes Decembris, Ianuarii, Februarii, atque Martii, vnde contigit pene cunctas volucres de genere Mauiſtorum vel Merularum, fame frigoreque perire. Eo tempore rege tenente cōſilium grande Londoniis cum regni magnatibus, comes Northumbrię, dominuſque Thomas de Batdolf (fatis iniquis vrgentibus) in Angliam rediere. Qui poſt longam equitationem, cum perueniſſent ad villam de Thrisk, proclamari fecerunt, vt quiſquis libertatem cuperet, atreptis armis eos alacriter ſequeretur. Igitur ſecuti ſunt eos plurimi, putantes ſibi cuncta pro votis accedere. Viceçomes vero de Euerwike, cum militibus patriæ illis occurrens, iuxta Horſelwood commiſſo graui prælio comitem intetemit. Cuius caput illico præciſum eſt, dominus de Bardolf ex vulneribus acceptis ſaucius, captus eſt viuus, ſed cito poſtea defecit in mortem. Acta ſunt hæc quantum ad bellum.II.Cal.Martii. Completaque putabatur prophetia quæ præmiſſa prę̨nunciauetat ſub hoc inuolucto.

Inſurrectio D. Percy.

Stirps Percitina periet confuſa ruina.

Nempe dominus iſte ſtirps fuit cunctorum de nomine Percy ſuperſtitum, & aliotum plurimotum variis cladibus finitorum. De cuius infortunio vulgus non parum doluit, tecolens viri magnificentiam, famam, & gloriam, applicans ſibi Lucani carmen lugubre ſic dicentis:

" *Sed nos nec ſanguis, nec tantum vulnera noſtri*
" *Affecere ſenis, quantum geſtata per vrbem*
" *Ora ducis: quæ transfixo deformia pilo*
" *Vidimus.*

Nam caput eius veneranda decoratum canicie, pilo ſuperpoſitum, per vrbem Londoniarum publice deportatum, ſupet pontem confuſibiliter eſt locatum. Pontifex Bangorienſis captus cum prædictis dominis donari vita metuit, eo quod inermis captus fuit. Poſt mortem prędictorum procerum, vires aſſumpſit inuidia, ſuccreuitque delatorum turba in Boreali patria, quæ patriotas accuſare ſtuduit de impenſo fauore dictis dominus. Quorum clamore rex excitus, perrexit Eboracum ad faciendum iudicium tranſgreſſorum, vbi cum multos damnaſſet, plurima confiſcaſſet, patriam pacificaſſet, ſuſpenſo Abbate de Hayles (qui cum pręfatis dominis armatus ſteterat) rediit ad partes auſtrales. In craſtino S. Mariæ Magdalenæ, in conſilio cleri celebrato Londoniis, aſſiſtentibus doctoribus vniuerſitatum Cantebrigiæ & Oxoniæ, tractatum eſt de cenſu, & obedientia Papæ ſubtrahendis vel non ſubtrahendis, quia contra votum & iuramentum pręſtitum, ſe ſubtraxit à loco, vbi iuxta pacta, de ceſſione pro parte ſua procedendum fuerat ad vnionem in Eccleſia faciendam. Eo tempore dux Aurelianenſis dum ſcottis, ſtupris, inceſtibus vacat & adultetiis in regno Francię, peremptus eſt à quodam milite cuius coniugem adulterate conſueuit. Dux Burgundiæ quia pręſumpſit factum defendere militis, proſcriptus & multis affectus incōmodis, Franciam dereliquit. Sed expoſt captus & incarceratus: ſolutus eſt ſub pacto Caleſiæ capiendæ.

Dux Aurel. quomodo caeſus.

In vigilia natiuitatis beatæ Mariæ tanta fuit inundatio pluuiæ, quantam ſenes vetetani antea non videtunt. Sanctus Edmundus Comes Cantii dum obſidet caſtrum de Briant in Britannia ſpiculo baliſtæ vulneratus in capite, cepit tamen caſtrum & deſtruxit funditus, nec multo poſt (puttefacto cetebro) mortem incurrit. Circa feſtū omnium ſanctorum venit in Angliā cardinalis Burdegalenſis, (vir potens in opere & ſermone) miſſus à Collegio cardinalium, ad infotmandum regem, regniq; clerū, de inconſtantia Papæ Gregorii (prout prius edocuerat regē Franciæ & incolas regni eius) quatenus hii duo reges qui cenſebantur in orbe pręſtantiſſimi, manus apponerent adiutrices, ad inducendū dictum Gregorium ad ſeruandū iuramentum pręſtitū, vt ipſorum duorum regum auctoritate magnifica, vnio fieri poſſet in eccleſia. Cui negotio rex Ftanciæ lubens annuerat: & ſolennes Gregorio nuncios deſtinauerat, licet tetgiuerſanti & indurato. Quamobrem rex Franciæ, ſecutus conſilia doctorum vniuerſitatū, Pariſiorum, & Bononienſium, Aurelianorum, Tholoſanorū, & montis Peſulani, ad euitandum pœnas fautoris ſchiſmatis, neutri de papatu contēdenti decteuit obedire, donec pax haberetur in eccleſia Dei. Rex Angliæ cum intellexiſſet propoſitionem Cardinalis, exhiberi ſibi iuſſit omnem humanitatem, offerens ſumptus ſibi largifluos quamdiu cuperet in Anglia commorari.

Pluuia.

Legatio à Papa.

Digitized by Google

Anno domini M.CCCC.IX.(qui eſt annus regni regis Henrici à conqueſtu quarti nonus)poſt Epiphaniam conuocauit dominus Cantuar. regni clerum Londoniis, ad eligendum perſonas idoneas, quæ proficiſcerentur Piſas, ad conſilium generale. Inter quas electi ſunt Magiſter Robertus Alin Sariſburienſis Epiſcopus, & præmiſerat ante Rex Angliæ ambaſſiatores ad Papam Gregor. & Cardinales, dominum Iohannem Coluile militem,& magiſtrum Nicholaum Rixton clericum, cum litteris exhibendis eiſdem. Et quidem in littera Papæ directa, inter cætera ſcribitur ita. Beatiſſime pater,ſi ſedis apoſtolicæ dignaretur attendere prouidentia, quanta quaſi per vniuerſum orbem pericula, prætextu ſchiſmatis emerſere, & potiſſime de ſtrage populi Chriſtiani (quæ vltra ducenta millia perſonarum (vt aſſertur) ex guerrarum fremitibus in diuerſis mundi partibus exortarum, & iam pridem ad numerum. 30. millium)ratione diſſentionis habitæ ſuper Epiſcopatu Leodienſi inter duos, vnum ſcilicet auctoritate Dom. veri pontificis,& alium auctoritate antipapæ titulo contendentium,in bello campeſtri (quod dolenter referimus) fuerant interfecti, pro facto iam dicto anxiaretur in ſpiritu, & in iſto dolore torqueretur in mente, dictanteque bona conſcientia,potius apoſtolicę ſedis honorem relinqueret,quam huiuſmodi deteſtanda conuicia de cætero ſub diſſimulationis clamide tolleraret, exemplum ſumens de vera matre, quæ coram rege Salomone contendens, ceſſionem potius elegerat,quam filii ſectionem. Et quamuis ex illa noua creatione nouem Cardinalium, contra iuramentum veſtrum(vt aliorum verbis vtamur) vltimo per vos facta (de qua vehemens admirationis cauſa conſurgit) poſſit aliquatenus (præſertim prout veriſimile eſt cenſendum)intentionem veſtram ad finem ſchiſmatis non intendere. Abſit tamen à ſeculo ſemper, quod ſedes veſtra circumſpecta, de tanta mentis inconſtantia notaretur ab aliquo, vnde nouiſſimus error priore deterior haberetur. Hæc deſcripſimus de epiſtola q̃ rex direxit Papę,vt cunctis liqueat quam ſobrie,quam modeſte temptauit Papam inducere ad votum,iuramentumque ſoluendum,ne per eum ſtare videretur quo minus in Eccleſia vnitas reformaretur. In epiſtola vero directa cardinalibus,inter cætera ſcripſit ſic. Cupientes oſtendere quem zelum habuimus, & habemus, vt pax detur Eccleſiæ de conſenſu ſtatuum regni noſtri,domino ſummo pontifici literas noſtras tranſmiſimus(iuxta ſeriem copiæ prę̨ſentibus interclusæ) effectualiter exequendas:veſtrum itaque venerabilem cætum affectuoſe precamur, quatenus ſi contingat eundem Gregorium (intereſſendo generali conſilio apud Piſas, & cedendo Papatui, iuxta votum & iuramentum per ipſum vicibus iteratis emiſſum) acquieſcere votis veſtris & noſtris (prout cupimus, & tenemus ipſum facturum) pro ſtatu ſuo totaliter ordinare velitis, vt pręcipue Deus exinde placetur, & tam ipſe Gregorius, quam nos qui non immerito ſuum honorem & commodum ex affectu diligimus, vobis & ſingulis veſtrum merito teneamur ad gratiarum vberes actiones.

Anno domini milleſimo, CCCC. X. iuxta condictum conuenere Piſas domini Cardinales vtriuſq; collegii, videlicet Gregorii, & Benedicti, vt ſuper reformatione vnionis tractarent tam effectualiter quam finaliter,occurrentibus ad eundem locum pene totius orbis Latini prælatis,& viris venerabilibus electis ad ſuffragandum cardinalibus in hac cauſa:ſic quod factus eſt ibidem numerus maximus mitrarum.Qui inuocata Spiritus ſancti gratia, conſenſerunt in vnã perſonam, ac elegerunt vnum qui caput eſſet totius eccleſiæ,duobus aliis abdicatis,vocaueruntque nomen eius Alexãdrum quintum, licet Gregorius, & Benedictus (qui ſe de conſilio prædicto ſponte ſubtraxerant)procaciter obgrunnirent.Hic Alexander in primordio ſuæ creationis, conceſſit omnibus vere confeſſis & contritis, qui manus adiutrices apponerent eccleſiæ ſiue prioratui ſancti Bartholomæi Canonicorum de Smithfeld Londoniis, ſcilicet die Cænæ domini,die Paraſceues,ſiue ſancto Sabbatho Paſchæ, ac etiam in feſto Annunciationis beatæ virginis à primis veſperis vſque ad ſecundas veſperas,& quolibet iſtorũ dierum plenã remiſſionem omniũ peccatorum. Creati ſunt hoc anno dominus Thomas Benfort in regni Cancellarium, & dominus Henricus Scrop in theſaurarium.Facto parliamento Londoniis,ſub diebus quadrageſimæ,quidã laicus, arte Faber, dum pertinaciter defendit hanc hæreſim, quod videlicet non eſt corpus Chriſti q̧ ſacramentaliter tractatur in eccleſia, ſed res quædam inanimata,peior bufone,vel aranea,quæ ſunt animalia animata,nec vellet opinionem iſtã deſerere, traditus eſt iudicio ſeculari. Cumq; damnatus eſſet, & in Smithfeld includendus dolio, dominus princeps Hẽricus(regis primogenitus)qui tunc affuit,ad cũ acceſſit, conſuluit,

luit, monuit vt reſipiſceret: ſed neglexit (perditus nebulo) tanti principis monita, & elegit potius ſe comburendum, quam ſacramento viuifico deferre reuerẽtiam. Quapropter dollo includitur, affligitur à deuorante flamma, mugitq; miſerabiliter inter incẽdia: clamore cuius horribili Dn. Princeps motus, iuſſit ignis materiam ab eo ſubtrahi, ardorẽ longius amoueri. Conſolatur pene mortuũ, promittens nunc etiã victurum ſe, & cõſecuturum veniam, ac ſingulis diebus vitæ ſuæ (ſi reſipiſceret) de fiſco regio tres denarios percepturum, ſed miſer (refocillato ſpiritu) reſpuit tantæ dignationis oblationem (non dubiũ quin maligno ſpiritu induratus.) Quamobrem iuſſit dominus Princeps eum iterum recludi dolio, gratiã nullã conſecuturũ de reliquo, vnde contigit, quod illie ad fauillas arſit ardalio, miſerabiliter mortuus in peccato ſuo. In hoc Parliamento milites Parliamentales, (vel vt dicamus verius ſatellites pilatales) in maligno poſiti, nulli commoditati regni ſtudentes, ad vnum ſolummodo ſcelus vacant, vt Eccleſiam Dei per Angliam ſpoliarent, huiuſcemodi ſchædulam Regi dantes: Excellentiſſimo domino noſtro Regi & omnibus proceribus in præſenti Parliamento conſtitutis omnes communes fideles demonſtrant humiliter, dicentes veraciter, quod dominus noſter rex poteſt habere de bonis temporalibus per Epiſcopos & Abbates, ac Priores occupatis, ac ſuperbe vaſtatis in regno, quindecim comites, mille quingentos milites, ſex mille ducẽtos armigeros, & centum xenodochia plura quam ſunt, bene & fideliter ſuſtentata de terris & tenementis nunc inutiliter & ſuperbe vaſtatis. Sed cum niterẽtur oſtendere, de quibus locis tã grandes ſummæ leuari poſſent, vnde præmiſſi dotarentur ſiue ditarentur, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, & dum diligunt vanitatem, quæſiuere mendacium. Sereniſsimus autem Princeps, abhominatus tantam Lolardorum malitiam, prohibuit, ne de cetero præſumerent talia commentari. Cumq; cœtus execrabilis Lolardorum militum videret, ſe nõ poſſe progredi in pręmeditata malitia petierunt cum inſtantia, vt clerici conuicti de cetero non traderentur ergaſtulis Epiſcoporum, ſed carcetibus regiis, & temporalium dominorum: ſed nec hoc quidem conſecuti ſunt. Petierunt etiam, vt ſtatutum factum de Lolardis (in quo cauetur, vt vbicunq; forent deprehenſi dogmatizare doctrinas erroneas, caperentur ſine breui Regio, & proximo Regis carceri mancipari parentur:) vel mutaretur, vel modificaretur. Et acceperunt reſponſum, ſe nõ habituros huius petitionis propoſitum, quin potius ſtatutũ ſuper huiuſmodi negotio aggrauandum. Rex vero in præſenti parliamẽto petiit, vt quotannis, dum viueret, ſine parliamento tenendo, decerneretur ſibi de clero vna decima, & de laicis vna quinta decima, ſed non obtinuit. Prorelatum eſt ergo Parliamentum ab octauis ſancti Hilarii fere in medium menſis Maii. Tandem de laicis conceſſa fuit illi vna quinta decima, non ſine grandi murmure communitatis. Hoc tempore dominus Thomas Benford Comes Surrey conceſſit in fata. Circa nonum menſis diem Aprilis incenſa eſt villa de ſancto Audomaro, cum Abbathia, vbi reconditus fuit apparatus execrabilis per Ducem Burgundiæ, qui pactus fuerat villam Caleſiæ, vel deſtruere, vel Gallorum arbitrio ſubiugare. Ibi machinarum hactenus nullibi conſpectarum multitudo maxima, ibi vaſorum venena continentium (quæ proiicienda præordinauerat in dictam villam) magna nimis abundãtia ſeruabatur. Collegerat ſiquidem ſerpentes, ſcorpiones, bufones, & alia venenorũ genera, & incluſerat in paruis cadis, vt dum corripuiſſent illic noxiorum carnes animantium, & in tabem reſolutæ fuiſſent, facta obſidione circa Caleſiam, cados emiſſos è machinis in villam proiiceret. Qui dum confracti fuiſſent iactus violentia, fætore peſtifero ſtrangularent incluſos, armatos contactu inficerent, & vbique vicos venena ſparſa fœdarent. Interea iuuenis quidam ductus auri cupiditate, vel affectæ villæ regiæ, petiit à rectoribus, quid mercedis meretur, qui villam è tanto metu vacuaret, & omnem apparatum, quem formidabant, incenderet. At illi ſummã fului metalli taxant, qua contentus digreditur adoleſcens, & immiſſo igne non ſolum combuſſit dictam materiam, ſed pene cum monaſterio totam villam.

Alexander Papa quintus electus in conſilio Piſis celebrato, diem clauſit extremum, cui ſucceſſit Balthazar Bononienſis Archiepiſcopus, conſenſu vtriuſque partis Cardinalium, qui vocatus eſt Iohannes viceſimus tertius.

Anno domini M. CCCC. XI. hoſtis humani generis inuidens incrementis orbis Chriſtiani, non ſolum graue ſcandalum, ſed & magnum ſcandalum intulit Chriſtianis. Siquidem Rex de Krakon tactus affectu Chriſtianæ profeſſionis, baptizatus eſt in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Qua de cauſa cuncti noti & amici ſui,

qui remanſerunt in perfidia Saraſenica, ſe elongauerunt ab eo, & conſpirauerunt, vt ipſum peruerterent, aut certe bello delerent. Quorum vt comperit molitiones, tanquam Chriſticola à vicinis Chriſtianis contra hoſtes ſuæ fidei ſubſiduum expetiuit. Erant autem ſibi contermini proceres & rectores de le Pruws, qui priuſquam Chriſtianus effectus eſſet, conſueuere terras ſuas inuadere, & exinde prædas optimas Martio iure referre. Sed iam ratione religionis ceſſare neceſſe fuit. Nihilominus Pruſienſes heroes, comperto, quod affines ſui perſequerentur eum, vt afflictum magis affligerent, non verentes domini vindicem, bellum ſibi crudeles indicunt, quamuis ipſe ab eis ſuffragia contra Saraſenos primitus imploraſſet. Itaq; conſtitutus inter incudem & malleum, quo ſe verteret ignorabat, ſed tandem animatus (vt creditur) & indutus virtute ex alto, quo maius imminebat periculum, ſe conuertit. Et licet hoſtes præſtarent & numero & apparatu, inuocato rex Neophitus Chriſti nomine commiſit cum Pruſienſibus, & fecit ſtragem magnam. Quo ſucceſſu non ſolum ſibi ſubegit hoſtes, ſed & omnem regionem eorundem. In hoc tamen pie conſulens ſubiugatis, vt pmitteret eos ſuis auitis gaudere priuilegiis, & mercimonia, prout ſoliti fuerant, exercere. Hoc anno Burdegaliæ ex diſſenteria pene quatuordecim millia hominum periere. Tantumque peſtis inualuit in Aquitania & Waſconia, quod vindemiatores & vuarum calcatores in patria defecerunt. Iohannes Prendergeſt miles, & Wilhelmus Long pelagus præſeruantes à piratis, mare pacatum reddidere. Sed non tolerauit hoc maleuolorum ſupercilium, quin viros accuſarent de furtis, de rapinis, de prædationibus rerum inconceſſarũ. Quapropter miles Weſtmonaſterii petiuit aſilum, non domum tigurium (vel vbi caput reclinare poſſit) obtinere potuit metu Regis, ſed in veſtibulo ſancti Petri (explicatis tentoriis) ſibi neceſſe fuerat repanſare, adhibitis lateri ſuo cuſtodibus, propter timores nocturnos, qui ſibi ab æmulis parabantur. Remanſit interim Willielmus collega ſuus in pelago, donec Admiralius, qui tunc fuit, naues armaſſet, & ad eum perſonaliter acceſſiſſet, & impunitatem ſibi (fide interpoſita) ſpopondiſſet. Qua conditione relictis nauibus ſecutus eſt eum: ſed tamen (non obſtantibus promiſſis pollicitationibus) recluſus eſt in turri Londoniarum. Dominus Cantuarienſis dum nititur viſitare vniuerſitatem Oxoniarum, repulſam paſſus eſt. Guerra mota eſt inter Ducem Burgundiæ & Ducem Aurelianenſem (filium Ducis Aurelianenſis nuper occiſi) factione Ducis Burgundiæ ſupradicti, ſuffragantibus Duci Aurelianenſi Regibus Nauarię & Arragoniæ, ducibus Biturię & Britanniæ, cum Waſconis & Aquitanis, nec non Comitibus de Huys, & de Armanak, & multis aliis. Dux Burgundiæ (cui fauit rex Frãciæ, & eius primogenitus (dictus rector Franciæ) cum multis aliis) videns partem contrariam robore fortem, populoſitate numeroſam, diffidens ſuis viribus, miſit ambaſſiatores in Angliam, petens per eos Regis ſuffragia contra Ducem Aurelianenſem, offerens plurima, pluraque promittens, inter quæ nuptias filiæ ſuæ promiſit Principi, ſimul cum maxima ſumma fului metalli. Cui Rex fertur tale dediſſe reſponſum. Conſulimus ne cum hoſte veſtro præſumatis in hac cauſa congredi, qui iuſte vos infeſtare videtur pro nece per vos procurata parentis ſui, ſed quantum in vobis eſt, animum iuuenis exaſperati mitigare ſtudete, ſatisfactionem rationabilem iuxta conſilium partis vtriuſque promittentes. Quod ſi nec ſic à perſecutione ceſſare decreuerit, ſecedite in partes tutiores veſtri dominii, & illic vires aggregate, quæ ſufficiant ad repellendum ſuam violentiam. Si vero poſt hæc bellum contra vos mouerit, ad congrediendum cum eo iuſtius mouebimini. Et in tali cauſa fauorem vobis quem petitis exhibebimus. Tranſmiſſi ſunt ergo Comes de Arundel, Comes de Kyme, dominus de Cobham, Iohannes Oldcaſtell: & quidam alii cum armata manu, & architenentibus in numero copioſo. Qui cum ſumma gratulatione recepti ſunt per Ducem Burgundiæ, ſufficienterque conducti: ſed cum moram Pariſius diuturnam protraxiſſent, & iam macellarii carnes ſolito carius venderent, ſtatuerunt noſtrates egredi, & (ſi fortuna faueret) ab hoſte quærere victum ſibi. Iacuit tunc non procul Aurelianenſis comes in loco quodam forti, cum priuata familia, prope villam de Seynclo, in qua magna pars exercitus ſui conſtituta fuit, quaſi media via inter vtroſque. Profecti ſunt ergo Anglici pabulatum, proq; ſua neceſſitate prouidendum. Cumq; villam de Seynclo proponunt inuadere, cõperiunt pontem fractum ab hoſte. Cui tabulas licet ſtrictas, longas tamen, hoſtes ſuperſtrauerant, vt egredientes ab ingreſſu villæ noſtros arcerent, & ſi neceſſe foret (iuxta qualitatẽ negotii) reuerti poſſent. Pugnatũ eſt ergo, & Franci fugati. Qui dum meticuloſe fugiunt, per arctitudinem tabularum cadentes in flumine dimer-

dimerguntur. Occiſi feruntur ibidem mille, trecenti ceteriſq; in villam ad ducem fugientibus, caſumq; referentibus cum ploratu. Qui confeſtim fugiens è diuerſa parte, ſaluti ſuæ conſuluit. Noſtri proindę villam de Seynclo deprædantur, captiuos multos ſecum trahunt, Pariſius reuertuntur. Reguli & nobiles cum vidiſſent manum magnam, quam exercuerat dominus ſuper hoſtes per manum noſtratum, deum pro ſucceſſu nouo laudauere, noſtriſq; gratias retulere. Sed quia captiuos ſecum traxerant, rei læſæ maieſtatis extiterant, eoſdem captiuos Galli mox iudicialiter punire temptabant, contradicunt noſtrates, eo quod pacta redemptione ſaluaſſent eos iuxta leges armorum, & timebant perdere ſummas pactas. Quapropter bile repleti, dum nituntur ſaluare, quos tueri ceperant, de Pariſienſibus plures morte plectunt. Sed tandem recepta pecunia pacta pro redemptione captiuorum de fiſco Regis & ciuibus, permiſere Francos gaudere ſuorum mortibus. Quorum quidam decapitãtur, quidam tormentis variis iuxta morem patriæ mori coguntur. Parliamentum celebratur Londoniis in craſtino animarum.

Anno domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, dux Aurelianenſis, qui ſe putabat inſuperabilem, accepta plaga per Anglos inflicta, mox diſperquiſiuit media, per quæ regem Angliæ, necnon & proceres, ac commune vulgus, in affectum ſibi poſſet allicere. Initoque conſilio ſuper iſto negotio, ſcripſit procuratorium ſub his verbis. Iohannes Regis Francorum filius, Dux Bituriæ & Aluerniæ, Comes Pictauiæ, Stamparum, Boloniæ & Aluerniæ, &c. Carolus Dux Aurelianenſis & Valeſii, Comes Bleſenſis, & Bellimontis, & dominus Conciati. Iohannes Dux Burboniæ, Comes Clarmontis & Foreſtarum, & dominus Belli ioci, & Iohannes Comes Alekoniæ, de Armaoak & de Pertica, & dominus Filgeriarum. Notum vobis facimus vniuerſis, quod noſtrum quilibet de probitate, & fidelitate, circumſpectione, & prudentia Falconeti, &c. ad plenum confiſi, ipſos & eorum quemlibet præſentium tenore noſtros procuratores fecimus certos, indubitatos, & irreuocabiles, ac nuntios & legatos ſpeciales, ad tractandum & concordandum, & concludendum cum sereniſſimo Principe Domino Henrico Dei gratia Rege Angliæ, & illuſtriſſimis eius natis, &c. ſuper reſtitutione & traditione reali Ducatus Aquitaniæ, cum ſuis iuribus, & pertinentiis vniuerſis, quæ ad ſereniſſimum Dominum Regem Angliæ hæreditario iure (vt aſſeritur) pertinent, per nos eidem fiendis, &c. Poſtquam legati ſuum procuratorium exhibuiſſent, obtulerunt quæ in ſubſcriptis articulis denotantur. Primo obtulerunt ſua corpora exponenda pro ſeruitio domini regis Anglię in omnibus ſuis cauſis & actionibus (ſalua ſemper eorum fidelitate) ſcientes, quod aliter requirere nollet. Secundo obtulerunt filios ſuos, filias, neptes, nepotes, & vniuerſaliter omnes cooſanguineos ſuos pro coniugiis faciendis, ad complẽdum iuxta diſpoſitionem regis Angliæ. Tertio obtulerunt caſtra, villas, theſauros & alia bona in obſequium præfati domini regis. Quarto obtulerunt amicos fere omnes, nobiles Franciæ, clericos famoſos, ciues honeſtos, qui eis aſſiſtunt, vt de facto patebit. Quinto obtulerunt ducatum Aquitaniæ integre, eodem modo quo eius prædeceſſores obtinuerunt, nihil excipiendo de pertinentibus ad præfatum ducatum. Ita quod parati ſunt recognoſcere terras, quas tenent à præfato domino rege, & tradere in manu ſua quas poſſunt, ac reſiduas pro iuribus conquieſcant. Ipſi vero petunt recipere, quod dominus Rex Angliæ & ſucceſſores eius eiſdem dominis aſſiſtant, cõtra ducem Burgundiæ, ſcilicet de crimine commiſſo in perſonam ducis Aurelianenſis. Secundo petunt quod dominus rex Anglię aſſiſtat contra ducẽ Burgundiæ & ſuos fautores, vſq; ad reparationem omnium bonorum, quæ habuerunt illius & ſuorum occaſione cauſæ. Tertio petunt, quod aſſiſtat contra Ducem Burgundiæ pro reſtitutione damnorum, & reparatione offenſarum, amicorum, vaſallorum & ſubditorum ſuorum. Quarto petunt, quod eis aſſiſtat pro pace regnorum quantum poterit, &c.

Hoc anno libra Piperis quatuor ſolidis vendebatur. Circa feſtum aſſumptionis ſanctæ Mariæ, cum Rex decreto ſui conſilii ſtatuiſſet opem præſtare partibus Ducis Aurelianenſis, miſit filium natu ſecundum Thomam ducem Clarentiæ, nec non Edwardum ducem Eboraci, dominumq; Thomam comitem Dorcetanum, plurimoſque valentes cum manu valida, vt Duci præfato ferrent auxilium contra ducem Burgundię (nondum reuerſis in Angliam cunctis qui iamdudum cum comite Arundeliæ transfretauerant ad roborandum partes Burgondionis) vnde ſuccreuit multis admiratio, qualiter tam repentina facta ſit mutatio, vt ſub temporis tantilli ſpatio contingeret, Anglos velut duo contraria confouere. Profecti ſunt tamẽ prænotati proceres,

& in Neuſtria applicuere, vbi cum dux Aurelianenſis iuxta condictum, tempore ſtatuto non occurriſſet, incenderunt villas ſuas, prædati ſunt vicos, & municipia multa cepere. Tandem licet ſero conuenerunt ad colloquium ducis Clarentiæ, & Aurelianenſis. Habituſq; eſt tractatus inter eos, vt noſtrates deſiſterent ab hoſtili equitatione & à prædationibus temperarent. Quo conceſſo receſſerunt duces noſtri in Aquitaniam illic hiematuri, Aurelianenſis ad propria ſe conuertit. Medio tempore dominus de Heyle Mareſcallus Franciç, cum multis magnatibus, hominibuſq; de armis ad numerum quatuor millium pugnatorum, obſedit quoddam municipium in Aquitania, quod erat in cuſtodia domini Iohannis de Blunt militis, qui cum trecentis auxiliariis fugauit & ſubdidit totum exercitum Gallicorum, captis de nominatis viris duodecim, & aliis generoſis ad numerum centum viginti.

DE TEMPORE REGIS HENRICI poſt conqueſtum quinti.

ANNO domini M. CCCC. XIII. Rex Henricus tenuit natale apud Eltham, valetudine graui preſſus ſic quod quandoq; mortuus videbatur. Reſumpſit tamẽ vires, Deo volente, & dies natalitios iocunditate qua potuit celebrauit. Poſt natale cõuocauit regni ꝓceres ad parliamentũ tenendum Londoniis, in craſtino Purificationis S. Mariæ, ſed tamen finem parliamenti non expectauit, fato præuentus, die 20. menſis Martii, cum glorioſe regnaſſet annis 13. & dimidio, præter 5. dies. Sepultuſque eſt in Eccleſia Chriſti Cantuarii.

Eodem anno coronatus Londoniis Henricus primogenitus regis Henrici nuper defuncti 5. idus Aprilis dominica in paſſione domini. Quo die fuit tempeſtas niuis maxima, cunctis admirantibus de temporis aſperitate, quibuſdam nouelli Regis fatis impingentib. aeris turbulentiam, velut ipſe futurus eſſet in agendis frigidus, in regimine regnoq; ſeuerus. Aliis mitius de perſona regis ſapientibus, & hanc aeris intemperiem interpretantibus omen optimum, quod ipſe videlicet niues & frigora vitiorum faceret in regno cadere, & ſerenos virtutum fructus emergere, vt poſſet effectualiter à ſuis dici ſubditis: Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit. Qui reuera mox, vt initiatus eſt regni infulis, repente mutatus eſt in virum alterum, honeſtati, modeſtiæ, ac grauitati ſtudens, nullum virtutum genus omittens, quod non cuperet exercere. Cuius mores & geſtus omni conditioni tam religioſorum, quam laicorum in exempla fuere. Poſt feſtum Paſchæ tenuit Rex parliamentum ſolenne Londoniis, in quo ſubſidium petiit & accepit. Circa præſens tempus rediit dominus Thomas dux Clarentiæ (frater regis) de partibus Aquitanniæ, quem directum diximus in auxilium ducis Aurelianenſis contra ducem Burgundiæ. Sub hiis diebus magna pars ciuitatis Norwicenſis, cum tota domo fratrum Prædicatorum ordinis S. Dominici, & omnibus eiſdem pertinentibus, nec non & duobus fratribus ordinis eiuſdem, repentinis ignibus conflagrauit. In feſto S. Trinitatis celebratæ ſunt ſolennes exequiæ regis Henrici à conqueſtu quarti, Cantuariæ, præſente rege Henrico filio ſuo & herede. Eo tempore decretum fuit per cleri concilium Londoniis apud S. Paulum celebratum, ad inſtantiam maxime regis nunc, vt feſtiuitas S. Georgii martyris, vt duplex feſtum de cetero celebretur. Quod etiã die ſancti Dunſtani dominus Cantuarienſis cenſuit faciendum. Alexander Epiſcopus Norwicenſis, qui de veterano Priore loci prędicti Pontifex factus fuerat, curis ſæculi valefecit. Cui ſucceſſit per electionem magiſter Richardus de Cortunaco, dignus, qui genere, moribus, & ſcientia cõquadraret hunc gradum. Eo tempore Lolardi, qui doctrinam Euangelicã & Apoſtolicam atq; propheticam deprauabant, fixerunt ſchedulas in valuis eccleſiarũ Londoniis, quæ continebant centum millia parata, ad inſurgendum contra cunctos, qui non ſaperent ſectam ſuam. Inuitabantur nempe viribus & ingenio cuiuſdam, qui dicebatur Iohannes Oldcaſtell, qui ob reuerentiam nuptiarum, quas contraxerat cum affine nobilis viri domini de Cobham, cognomen dicti dominii eſt ſortitus. Erat iſte Iohannes fortis viribus, operi Martio ſatis idoneus, ſed hoſtis Eccleſię peruicaciſſimus. Regi propter probitatẽ charus & acceptus, ſed tamen propter hæreticã prauitatem valde ſuſpectus. Eo tempore facta Londoniis cleri cõuocatione per dominum Cantuarienſem, maxime iam cauſa prædicti Iohannis, repertum fuit, quod idem Iohannes fuit & eſt principalis receptator & fautor, protector & defenſor Lolardorum,

& quod

& quod præſertim in diœceſibus Londonienſi, Roffenſi & Herefordenſi, ipſos Lolardos ab ordinariis ſiue diœceſanis locorum minime licentiatos contra conſtitutionem prouincialem inde factam ad prædicandum tranſmiſit, eorumq; prædicationibus nephariis interfuit, & cõtradictores ſi quos repeterat, minis & terroribus, ac brachii ſecularis poteſtate compeſcuit. Aſſerens inter cetera, quod Cantuarienſis Archiepiſcopus & eius ſuffraganei non habuerunt nec habent poteſtatem aliquam huiuſmodi conſtitutionem faciendi, aliterque ſentit & ſentit, ac dogmatizat, & docet, de ſacramentis Altaris, & pœnitentiæ, peregrinationibus & adorationibus imaginum, ac clauibus, quam Romana Eccleſia docet & affirmat. Quare ex parte totius Cleri, Dominus Cantuarienſis fuerat requiſitus, vt deſuper præmiſſis contra eundem Ioannem procedere dignaretur. Qui tamen ob reuerentiam domini regis, cuius ad tunc idem Iohannes familiaris extiterat, & ob honorem ordinis militaris vna cum omnibus ſuffraganeis tunc præſentibus, & magna parte cleri, acceſſit ad præſentiam domini Regis (tunc in prædio ſuo de Kennyngton exiſtentis) declarans ei defectus eiuſdem. Ad inſtantiam tamen domini regis cupientis eum ſine dedecore reuocare, ſuſpenſum fuit negotium magno tempore: ſed cum dominus rex circa reductionẽ eius longum tempus triuiſſet inaniter, ſignificauit domino Cantuar. ſe circa eum inutiliter laboraſſe. Dominus ergo Cantuarienſis dictum Iohannem de & ſuper præmiſſis perſonaliter reſpõſurum coram eo ad certum terminum decreuit euocandum, ac nuntiũ ſuũ cum literis citatoriis ad dictum Ioannẽ tranſmiſit (tunc in caſtro ſuo de Coulyng degentem) mandans dicto nuntio, vt dictum caſtrum dicti Iohannis nullo modo ingrederetur, niſi licentiatus, ſed per mediationem cuiuſdam Iohannis Butler hoſtiatii cameræ domini noſtri Regis, ipſum dominum Iohannem requireret, quatenus, vt daret dicto nuntio licentiam ingrediendi, vt citaret eundẽ, ſeu ſaltem extra caſtrũ ſuum prædictum faceret ſui copiam, vt ſic citatione poſſet apprehendi. Qui tamen Iohannes Oldcaſtel dicto Iohanni Butler ex parte Domini Regis ſibi præmiſſa exponenti, publice reſpondit, quod nullo modo citari voluit; nec citationem ipſius aliqualiter tolerare. His auditis, dominus Cantuarienſis decreuit eum citandum per edictum (in valuis Roffenſis Eccleſiæ ſibi vicinæ) publice affigendum: vt compareret coram eo 11. die menſis Septembris, ſuper præmiſſis & aliis hæreticam prauitatem concernentibus perſonaliter reſponſurus. Quo die adueniente dominus Cantuarienſis in capella maiori infra caſtrum de Ledes (quod tunc inhabitabat) ſedens pro tribunali audita & recepta relatione, quod idem dominus Ioannes ſe incaſtellauit & fortificauit in caſtro ſuo prædicto, ac opiniones ſuas defendit, claues Eccleſiæ & poteſtatem Archiepiſcopalem multipliciter contemnendo, fecit eum citari publice ac præconizari. Qui cum diu expectatus nullo modo compareret, prout initio contumacẽ excõmunicauit in ſcriptis. Et quia dictus Ioannes in defenſionem erroris ſui contra claues ſe eccleſiæ incaſtellauit & fortificauit, dominus Cantuarienſis decreuit iterato citare dictum Iohannem (ſi poſſet apprehendi) vel alias per edictum (ſicut prius) vt cõpareret coram eo die ſabbati proximo, poſt feſtum ſancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ proximo futuro: cauſam rationabilem (ſi quam haber) quare contra eundem ad grauiora procedi non debeat, tanquam publicum hæreticum, ſchiſmaticum, & hoſtem & aduerſarium vniuerſalis Eccleſiæ, quare etiam pronuntiari non debeat, ac auxilium brachii ſecularis contra eum ſolemniter inuocari perſonaliter reſponſurus, facturus, & recepturus, circa omnia & ſingula præmiſſa quod iuſtitia ſuadebat. Adueniente termino præfixo, dominus Cantuarienſis ſedente pro tribunali in capitulo ſancti Pauli Londoniis, aſſidentibus ſibi dominis, Richardo Londinenſi, & Henrico Wintonienſi Epiſcopis, dominus Robertus Murley miles cuſtos turris Londoniarum ſecum præfatum dominum Iohannem adduxit. Nam parum ante per regios miniſtros comprehenſus fuerat, & in turri clauſus. Cui dominus Cantuarienſis recitauit proceſſum memoratum, quomodo videlicet in conuocatione cleri detectus & delatus extiterat, quomodoq; citatus & propter ſuã contumaciam excommunicatus, vnde dominus Cantuarienſis gratioſe ſe obtulit & paratum fore promiſit ad abſoluendum eum: ſed ille abſolutionem domini Cantuariæ petere noluit, ſed diuertens ad alia dixit quod libenter recitaret coram domino Cantuarienſe fidem quam tenet. Extraxitque de ſinu ſuo ſchedulam indentatam, quam tradidit domino Cantuar. poſtquam legiſſet: Qua ſchedula perlecta, dominus Cantuarienſis dixit: Ecce domine Ioannnes, in hac ſchedula veſtra plura bona continentur, ac ſatis catholica, ſed habetis terminum iſtum ad reſpondendum ſuper aliis, errores &

Reſponſio I. Oldcaſtle.

res & hæreſes ſapientibus, quibus per contenta in hac ſchedula non eſt plene reſponſum. Et propterea vos oportet ad eadem reſpondere, qualiter ſentitis, & fidẽ veſtram plenius declarare, videlicet, an credatis & affirmetis, quod in ſacramento altaris poſt conſecrationem rite factam remaneat panis materialis vel non. Item, an teneatis, credatis & affirmetis, quod in ſacramento pœnitentiæ neceſſarium fuerit, quod habens copiam ſacerdotis cõfiteatur de peccatis ſuis præſbytero per Eccleſiam ordinato. Qui reſpõdit expreſſe, ſe nolle aliter prædicta declarare, quam in dicta ſchedula ſua continetur. Cui compatiens dominus Cantuarienſis dixit: Caueatis domine Iohannes, quia ad hæc vobis iniecta, clare non reſpondeatis in termino legitimo vobis iam dato, poterimus vos denuntiare & declarare hæreticum: ſed dictus Iohannes aliter reſpondere contempſit. Tunc dominus Cantuarienſis declarauit ei, quid ſancta Romana Eccleſia ſequẽs dicta beatorum Auguſtini, Hieronymi & Ambroſii, & aliorũ ſanctorũ determinauit, quas determinationes oportet quoſcunq; Catholicos obſeruare. Ad quæ dictus Iohannes reſpondit, quod voluit credere & obſeruare, quicquid ſancta Eccleſia determinauit, ac quicquid voluit ſe credere & obſeruare: ſed quod dominus Papa & Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ceterique Prælari Eccleſiæ haberent poteſtatem talia determinandi, noluit ad tunc aliqualiter affirmare. Vnde dominus Cantuatienſis ſibi compatiens, ſub ſpe melioris deliberationis ſibi in Anglicis certis articulis, rogauit vt in die lunę proximo ſequẽte plene & clare ſuum daret reſponſum ſuper eiſdem. Quo die Lunæ videlicet 25. die menſis Septembris, coram domino Cantuar. & antedictos Epiſcopos, adiuncto illis Bangorenſi Epiſcopo domino Benedicto, comparuit dominus Robertus Murley cuſtos turris Londonienſis, ac præfatum dominum Iohannem ſecum duxit, ac coram domino Cantuarienſi, & toto clero pro tunc congregato ſtatuit. Cui Archiepiſcopus affabiliter & ſuauiter recitauit acta prioris diei, & quomodo excommunicatus fuerat, & eſt: ac rogauit, & requiſiuit eundem, vt peteret ac admitteret in forma debita Eccleſiæ abſolutionem. Quod ſe dictus Iohannes facturum negauit, ſed à ſolo Deo abſolutionem petiturum. Conſequenter dominus Cantuarienſis ſuaui & modeſto modo rogauit & requiſiuit eundem, quatenus de & ſuper contentis in dicta ſchedula determinationem Eccleſiæ eidem tranſmiſſam de ſibi oppoſitis clarum daret reſponſum. Et primum ſuper ſacramentum Euchariſtiæ: Ad quem articulum inter cetera reſpondit: quod ſicut Chriſtus hic in terra degens habuit in ſe diuinitatem & humanitatem, diuinitatem tamen velatam & inuiſibilem ſub humanitate, quæ in eo aperta & viſibilis fuerat. Sic in ſacramẽto altaris eſt verum corpus & verus panis, videlicet quem videmus, & corpus Chriſti ſub eadem velatum quod non videmus. Ad fidem circa ſacramentum huiuſmodi in ſchedula prædicta per dominum Cant. tranſmiſſa ſibi, perque ſanctam Romanam Eccleſiam & doctores ſanctos determinatam, expreſſe negauit, dicens, quod determinatio Eccleſiæ facta eſt contra ſacram ſcripturam, poſtquam Eccleſiam dotata eſt, & venenum infuſum in Eccleſiam & non ante. Quod etiam ad ſacramentum pœnitentię & confeſſionis, dixit & aſſeruit, quod ſi quis eſſet in aliquo graui peccato cõſtitutus, à quo ipſe ſurgere neſciret, expediret & bonũ eſſet ſibi adire aliquem ſanctum & diſcretum ſacerdotem pro conſilio ab eo habendo. Sed quod confiteretur peccatum ſuum proprio curato ſeu alteri preſbytero, etiam ſi haberet copiã eiuſdem, non eſt neceſſarium ad ſalutem, quia ſola contritio peccatũ huiuſmodi delere poſſet, & ipſe peccator purgari. Circa adorationem ſanctæ crucis dixit & aſſeruit, quod ſolum corpus Chriſti, quod pendebat in cruce, debuit adorari, quia illud corpus ſolum fuit & eſt adorandum. Et interrogatus quem honorem faceret imagini ipſius crucis, reſpondit verbis expreſſis, quod illum honorem ſolum faceret ſibi, quod bene mundaret eam, & poneret in bona cuſtodia. Quod autem ad poteſtatem clauium, dominum noſtrum Papam, & Archiepiſcopos, & alios prælatos. Dixit, quod dominus noſter Papa eſt verus Antichriſtus, hoc eſt, caput eiuſdem Archiepiſcopi & Epiſcopi, nec non alii pręlati ſunt membra, & fratres cauda eiuſdem. Quibus Papę, Archiepiſcopis, & Prælatis, non eſt obediendum, niſi quatenus fuerint imitatores Chriſti, & Petri, in vita, moribus, & conuerſatione. Et quod ipſe eſt ſucceſſor, qui eſt vita melior, moribus purior, & nullus alius: vlterius dixit idem Iohannes alta voce, manibus expanſis alloquendo circumſtantes. Iſti qui iudicant & volunt damnare me, ſeducunt vos omnes, & ſeipſos, & vos ducent ad infernum, & ideo caueatis ab eis. Quibus omnibus per eum ſic dictis, dominus Cant. iterum ac ſæpius flebili vultu dictum dominum Iohannem alloquebatur verbis quibus potuit exhortãdo, vt ad vnitatem rediret Eccleſiæ,

ſiæ, crederet & teneret quod Eccleſia Romana credit & tenet. Qui reſpondit expreſſe ſe aliter non credere, quam ſuperius expreſſit. Videns ergo dominus Cantuar. ſe in nullo poſſe proficere, cum magna cordis amaritudine proceſſit ad prolationem ſententiæ diffinitiuæ in hunc modum. In Dei nomine Amen. Nos Thomas permiſſione diuina, &c. in quadam cauſa ſiue negotio hæreticæ prauitatis, de & ſuper diuerſis articulis, ſuper quibus dominus Iohannes Oldcaſtell miles Dominus de Cobham coram nobis in vltima conuocatione cleri noſtræ Cantuarienſis prouinciæ, in Eccleſia ſancti Pauli celebrata, poſt inquiſitionem diligētem ibidem inde captam, reperimus eundem Iohannem fore & eſſe hæreticum, hæreticis credentē, ac in fide & obſeruantiis ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ errantem, & præſertim circa ſacramenta Euchariſtiæ & pœnitentiæ: ad quod tanquam iniquitatis & tenebrarum filius in tantū obdurauit cor ſuum, vt non intelligat vocem paſtoris ſui, nec velit monitionibus allici, nec reduci blanditiis, vnde penſatis ipſius delictis & culpis per ipſius damnabilem pertinaciam aggrauatis, volentes quod, is qui nequam eſt, fiat nequior, & alios inficiat ſua labe, de conſilio & aſſenſu magnæ diſcretionis & ſapientum virorum venerabilium nobis aſſiſtentium, præfatum dominum Iohannem Oldcaſtell militem, dominum de Cobham de & ſuper huiuſmodi deteſtabili reatu conuictū & ad eccleſiæ vnitatem pœnitentialiter redire nolentē, hæreticum, ac in hiis quæ tenet, docet, determinat, & prædicat ſacroſancta Romana & vniuerſalis Eccleſia, & præſertim in articulis ſubſcriptis, errantem iudicamus, declaramus & concedimus ſententialiter & diffinitiue, in hiis ſcriptis relinquentes eundem ex nunc tanquam hæreticum iudicio ſeculari. Ipſumq; nihilominus hæreticū, omneſq; alios & ſingulos, qui eūdem de cetero in ſui fauorem erroris receptauerint, defenſauerint, ſeu ſibi conſiliū, fauorem vel auxiliū in hac parte præbuerint, tanquā fautores, receptatores & defenſores hæreticorum, excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus in hiis ſcriptis. His itaq; peractis, dominus Cantuar. Regem certificauit ſuper præmiſſis viuæ vocis oraculo, poſtulans vt dominus Rex dignaretur dicto Iohanni damnato iuridice, gratioſe concedere 50. dies ad inducias. Nam tam Rex quam Pontifex non eius interitum, ſed vitam cupiebant affectualiter, & pro ſalute ſua laborauere non ſegniter, vnde factum eſt, vt ad turrim adduceretur, vbi ſub induciarum ſpatio ſibi conceſſarum poſſet reſipiſcere, & gratiam tam Eccleſiaſticam quam regiam promereri. Sed iſta ſpecialis indulgentia facta fuit ſibi malignandi copia, dum citra præfixum terminum elapſus è cuſtodia, congregauit iniquitatem ſibi, nil aliud cogitans quam de vindicta. Reuera clam deſtinatis literis ad ſequaces ſuos tam milites quam armigeros, qui non pauci fuere, hortabatur, vt & ipſi ſcriberent ad amicos ſuos, vt & ipſi ſe ad vindictam mutuo concitarent. Igitur per omne tempus illud, quod fluxit ab euaſione eius vſq; ad circumciſionem domini, vel Epiphaniā, diſcurrebant vndiq; Lolardorū nuntii, qui rurales & quoſcunq; poterant (promiſſis amplis ſtipendiis) allectarent, quatinus incertū diem eis denuntiādum parati forent ad ſtādum viriliter, & actus martios peragendum. Multis ignaris quærentibus cauſam, pro qua vel in qua certare deberēt, reſponſum fuit non eſſe curandum, dummodo ſtipendia larga reciperent, & pro rebus bene geſtis affluenter remunerandos proculdubio ſe ſperarēt. Sed de hiis omnibus in ordine præſentis hiſtoriæ poſt hæc plenius referemus. Hoc anno plures Angli peſte percuſſi vel epidemia viuere deſiere. Item hoc anno leuatū fuit corpus Richardi quondam regis Angliæ, quod humatum fuerat iuxta Eccleſiam fratrum Prædicatorum de Langelea, & deportatum Londonias, ac apud Weſtmonaſterium regaliter tumulatum, non ſine maximis expenſis regis nunc, qui fatebatur ſe ſibi tantum venerationis debere, quantum patri ſuo carnali.

Sententia in D. Ioh. Oldcaſtel.

Anno domini M. CCCC. XIIII. Rex tenuit natale ſolenniter apud Eltham, vbi Lolardi (facta coniuratione) regem inopinato cum fratribus ſuis & amicis cepiſſe vel occidiſſe ſtatuerant. Sed Deus omnipotens noluit innocentem, nocentum perire manibus neque periclitari, ſed immiſit timorem ſuum in corda quorundam conſpiratorū, qui regem monuere vitare periculum, & iam ſtructas inſidias declinare. Vnde factum eſt, vt ſine ſtrepitu rex modeſte ſe transferret ad palatium ſuum prope Weſtmonaſterium, vbi & locus tutior & frequētia populi maior fuit. Lolardi vero cum iam completa eſſet eorum malitia, effutire parabant quæ mente conceperant, geſtientes experiri fortunam quam ſuis votis fore propitiam putauere. Veneruntque ſub ipſo noctis cōticinio in campum (qui dicebatur ſancti Ægidii, prope Londonias, vbi ferebatur eorum campiductor Iohannes Oldcaſtel dominus de Cobham ſuos ſa-

tellites operiri: videres per ſemitas, perq; vicos, per compita concurrentium, turbas pene de cunctis regni comitatibus ſolicitatas magnis promiſſis confluere ad diem & horam iam inſtantem. Qui requiſiti quamobrem ſic feſtinabant, & velut anheli currebant, reſponderunt ſe properare ad dominum de Cobham, qui eos conductos ſuis ſtipendiis acciuiſſet. Rex vero non ignarus omnium præmiſſorum, ſub eiuſdẽ noctis articulo iuſſit ſuos in armis eſſe paratos, tunc primum ſuis intimans, quid facere decreuiſſet. Fuerunt tunc plures cum Rege, qui laudauerunt in diem clarum protelandum negotium, quo decernere poſſent, qui cum rege vel contra dominũ ſtare vellẽt. Alii vero cõſuluere, regẽ debere præſtolari, donec ad eũ multitudo conueniſſet exercitus, ne cum paucis hoſtes aggrediẽs, peiorẽ (q; abſit) reportaret calculũ. Sed neutris acquieuit rex, eo maxime, quod audiſſet Lolardorum fore propoſitum, ſi præualuiſſent primitus deſtruendi monaſteria de Weſtmonaſterio, de ſancto Albano, de ſancto Paulo, & cunctorum fratrum Londoniis conſtituta. Quamobrem Rex tantis malis ſe obiiciens ingeſſit periculo, contra vota ſuorum in campum progrediens, pauliſper tranſacta nocte media, vbi & conſtitit prӕſtolaturus, quid ventura pariat dies proxima, vbi contigit, vt multi de remotis partibus ad caſtra hoſtilia, prius intrarent per errorem caſtra regia, vbi requiſiti quid quærerent, reſponderunt dominum ſuum de Cobham. Quapropter contra ſpem capti ſunt, & carceribus mancipati. Peruenit rumor iſte ad duces partis aduerſæ, ſcilicet quod rex cum manu valida occupaſſet arua contermina, & de ſuis plurimos captiuaſſet. Conſternati que ſunt peramplius, quod neminem viderunt de Londoniis aduentare, vnde putabant millia ventura in auxilium eorundem. Præceperat autem Rex, vt ciuitatis portæ clauderẽtur, & per armatos ſeruarentur arctius, vt nullis pateret egreſſus niſi hiis, quos ſcirẽt ad ſigna regia properare. Et reuera niſi rex vſus fuiſſet hac calliditate nocte illa (prout fertur) exiuiſſent de ſeruis & apprenticiis, ſimul cum quibuſdam de ciuibus eorundem magiſtris ad quinquaginta millia contra regem. Qui vero de Lolardis adunati fuere vt audiuere regem iam in eodem campo ſuas acies ſtatuiſſe, non habentes vltra ſpiritum, fugæ præſidia petiere, quos regales inſequentes quóſdam cepere, quoſdam peremere. Quo vero diuerterit dux eorum, minime ſcire potuit, licet dominus Rex ſpopondiſſet publica voce præconis, cuicunq; prodenti eum, de ſuo marcipio mille marcas, & ciuitatibus ſiue pagis, qui illum detegerent, maximas libertates, vnde poteſt coniici pene totam patriam eius dementiam amplexatã fuiſſe, cum nullus inueniretur, qui reſpectu tanti lucri eum voluerit publicare. Capti ſunt tamen de ſuis aſſeclis plurimi, qui dicebantur conſpiraſſe generaliter in deſtructionẽ regis & procerum, prælatorum, religioſorum poſſeſſionatorum, fratrum mendicantium atq; ciuium, qui ſuper hiis conuicti, non ſolum tractioni & furcarum ſuſpenſioni ſunt addicti, ſed poſt infelicia fata cremati. Inter quos quidam de Dunſtaplia (negotio braciator) diues admodum, dictus Wilhelmus Murle, qui arctius ſecutus opiniones Iohannis Oldcaſtell, Orthodoxorum plurimos ſupra cunctos ſectæ ſuæ perfidæ moleſtauerat. Hic cum in campo fuiſſet, & regis præſentiam cognouiſſet, meticuloſe ciuitatem repetiit, latebraſque quæſiuit. Præordinauerat vtique (prout fertur) eo die ſuſcepiſſe de manu Iohannis Oldcaſtel ordinem militarem. Cuius rei argumenta fuere dextrarii duo ſe ſequentes auro phalerati, & deaurata calcaria, quæ ſinu ſuo recõdiderat, exinde detracta, quando captus fuerat. Quod & euenit paruo peracto ſpatio poſt fugam ſuam. Tractus ergo, ſuſpenſus & combuſtus, finem quem metuit eſt ſortitus. Repertus eſt autem rotulus præcentoris ſancti Albani, continens cuncta monachorum nomina dicti loci in manica ſua, quem vel ipſe vel ſui furtim abſtulerant, quos (prout fertur) eliminaſſe propoſuerat, & eorum locum velut dominus & Comes Hertfordenſis pagi dono ducis ſui Iohannis Oldcaſtel obtinuiſſe. Fuerunt & plures alii tam ſacerdotes quam laici, qui capti, conuicti ſunt & damnati, exituque ſiunt conſimili, quorum plurimi nec quidem pœnitere curabant. De hiis prophetatum eſt apud Anglos per longa tempora antequam iſta contingerent ſub hiis verbis:

Inter petroſum fontem montemq; nodoſum,
Corruet Anglorum gentes perfida fraude ſuorum.

Conſtat veraciter inter hæc duo loca gentem perfidam contra Regem veniſſe, fraudeque ſuorum illic corruiſſe, quia quidam de ſuis Regi nuntiauerant eorum conſpirationes. Hoc anno cecidit eminentiſſima turris Eccleſiæ Anglicanæ, & pugil inuictus dominus Thomas de Arundelia, morti ſoluens debita x. Calen. Martii. Cui ſucceſſit in Archiepiſcopatum magiſter Henricus Chichele. Confeſſor Regis magi-

ſter

ſter Stephanus Pattington (frater de ordine Carmelitarum, vir eruditus in triuio, & quatriuio) factus eſt Epiſcopus Meneuẽſis. Rex cõpatiens Henrico Percy adoleſcentulo (qui per auum ſuum Henricũ Percy, comitem Northumbriæ, ductus fuit in Scotiam, poſt mortem patris ſui perempti in bello apud Salopiam, cum adhuc eſſet paruulus) iuſſit ſuis neceſſariis, vt pro eius euocatione ſolicitarentur, cum non ſolum honorare ſtatuens eius reuocatione, ſed vt ſublimiaret comitis Notrhumbrorũ nomine & dignitate. Eo anno ad Parliamentũ tentũ Leyceſtriæ, venere nuntii regis Franciæ, ducisq; Burgundiæ, qui contra Ducem Aurelianenſem fortificati petiit, promittens (vt fertur) plura quam præſtare potuit. Miſſi ſunt ergo per Regem Angliæ ſolennes nuntii ad vtrunque. Inter quos duo Pontifices, ſcilicet Dunelmenſis, & Norwycenſis, legationis principes extitere. Frequenter enim & hii in Franciam, & Francorum legati directi ſunt in Angliam, ſumptuſque maximi conſumpti ſunt vtrobique, ſpe pacis omnino ſopita. Hoc anno cæpit Rex Henricus fundare tria monaſteria religioſorum, iuxta prædium ſuum (apud Schene vulgariter appellatum) vnum de ordine monachorum Cartuſienſium, aliud monachorum qui Celeſtini vocarentur: qui profitentes regulam ſancti Benedicti, quam ſeruare ſe dicunt ad literam, & vlterius ſe aſtringunt ad reclusionem perpetuam. Tertium Brigittinorum, qui ſancti Auguſtini profitentur regulam, quæ cum aliis adiectis ceremoniis vocatur ab eis regula Saluatoris: hiis non licet habere proprium, non quidem obolum, nec pecuniam tangere quouis modo. In hoc monaſterio iuxta regulam debent eſſe ſorores ſexaginta, ſacerdotes xiij. Diaconi iiij. octo fratres laici, quibus omnibus computatis, tantus erit numerus perſonarum, quantus erat xiij. Apoſtolorum, & ſeptuaginta duorum diſcipulorum Chriſti. Hii non lineis, ſed laneis ſemper vtuntur: qui duo conuentus habebunt vnam Eccleſiam in communi, moniales habebunt ſuperius ſub tecto, fratres inferius ad terram. Et ſunt vtriq; cõuentus ſeparatim incluſi, quibus poſt profeſſionem non licebit egredi, niſi de domini Papæ licentia ſpeciali. Iſti duo conuentus debent habere ex regula ſufficientem dotationem ad ſuſtentationem perſonarum & ſeruientium, ac ſupportationem onerum tanti monaſterii, ita quod abſque indigentia & mendicitate tam in anno ſterili, quam fertili poſſint ſufficienter & quiete ſubſiſtere. Poſtea vero ſi totus mundus poſſeſſiones & prędia eis offerret, quicquam omnino recipere non liceret. Ante feſtum omnium ſanctorum annuatim computari debent & præſciri victualia, & neceſſaria anni ſubſequentis, & quæcunq; tunc remanent de victualibus ſeu pecunia anni tunc inſtantis in craſtino omniũ ſanctorũ debent pauperibus erogari. Si vero aliquando victualia ſequentis anni videntur non ſufficere, tunc de pecunia aut victualibus imminentis anni additur ſequenti anno quantum neceſſe eſt, & non plus, ſi Abbatiſſa, & generalis eiuſdem loci confeſſor, periculum animæ ſuæ voluerint euitare. Et expoſt quicquid remanſerit, egenis dari debet. Abbatiſſa cum conſenſu ſororum & fratrum eligere debent vnum de xiij. ſacerdotibus in confeſſorem generalem monaſterii, cui omnes fratres obedire debent, & contra præceptum eius omnino nihil facere. Nullus ſecularium virorũ, ſeu mulierum ſecularium, ſeu religioſorum, ingredietur clauſtra monaſterii monialium. Hos ritus & plures alios obſeruant huius nouellæ religionis ꝓfeſſores, quos ad præſens omittimus, ad alia feſtinantes. Ambaſſiatores noſtri Dunelmenſis, & Norwicenſis Epiſcopi, iam ſecundo de Francia redeũtes, Gallicos dolis hactenus inſeruiſſe declarat. Quamobrem rex irritatus cachinnos eorum temperare decreuit, & in deriſores animaduertere belli iure, & quantæ ſit dementiæ ſuſcitaſſe canem dormientem factis oſtendere. Circa feſtum Michaelis iuſſit rex venire Londinum ad conſilium cunctos regni proceres, & prælaros, conſultaturus de negotiis arduis tangentibus regnum ſuum. Quo quidem tempore Cantuarienſis celebrauit ibidem grande conſilium, in quo tractatum eſt de priuilegiis exemptorum per Romanos Pontifices indultorũ (quibus gauiſi ſunt hactenus) annullandis. Hoc initium ſignorum fecit nouus Metropolitanus, vt manifeſtaret bilem ſuam. In hoc conſilio ſunt electi, qui pro parte cleri Angliæ proficiſcerentur ad generale concilium celebrandum, apud Conſtãtiam Germaniæ ciuitatem. Quo pene per laudabilem ſolicitudinem regis Romanorum & Hungariæ (viri Chriſtianiſſimi) qui electus in Imperatorem Alemanniæ, recuſauit coronam ſuſcipere, donec ſibi conſtaret indubitanter, quis eſſet præficiendus in Papam: totius Chriſtianitatis prudentiſſimi Pontifices, & Prælati cum aliis clericis velut innumeris confluxere. Vtque de aliis taceamus, de regno Angliæ miſſi ſunt ad cõſilium viri valde venerabiles, Sariſburienſis, Bathonienſis, Herefordẽſis Epiſcopi, & cum his Abbas Weſt-

monaſterii, Prior Wigorniæ, & plures alii pollentes ingenio, religione famoſi. Horum cœtum honorauit multipliciter præſentia Comitis Warwicenſis. His ergo & collegiis Cardinalium (quondam Gregorii & Petri de Luna) cum aliis prælatis & doctoribus pręcipuis chriſtianitatis, apud Conſtantiam, Gregorius renuntiauit Papatui, ita duntaxat vt idem faceret Petrus de Luna qui in Arragonia, & Iohannes qui in Roma, nomen ſibi Papatus aſſumpſerat, ſed Iohannes noſter aliquandiu tergiuerſauit, donec monitus & inductus, per Imperatorem, ſe renuntiaturum ſicut & ceteri aliquando conceſſit. Quo facto, factum eſt indicibile gaudium, inter omnes qui aderant, putantes iam finem diſſidii imponendum. Sed (proh dolor) vbi ſperabatur perfectionis & pacis initium, iam nouæ diſſentionis ſurrepſit exordium. Nam Papa Iohannes infirmitate ſimulata, nocte repente receſſit cum Duce Auſtriæ ad quandam ciuitatem dicti Ducis, ſe tamen excuſauit literaliter penes Imperatorem, quod propter aerem ſibi nociuum reliquiſſet Conſtantiam, ſed nihilominus quandocunque Imperator duceret eum accerſendum, paratus foret ad conſilium ſine mora regredi, ad conſummandũ & implendũ quæcunq; promiſerat. Cũ vero poſt dies aliquot viſum fuiſſet imperatori & conſilio vt ſuam exhiberet inter eos pręſentiam, ꝑ nuntios rogauerunt, vt venire nõ deferret ad conſiliũ, prout promiſerat ſe facturum, ꝙ plane negauit ſe facere, & occulte diffiguratus, fugit cum Duce Auſtriæ in terram ſuam. Miſit ergo Imperator ad ducem, mandans vt eum reduceret, vel ſaltem reduci permitteret ad conſiliũ memoratum. Quod cum dux ſuperſediſſet facere, imperator terras eius ingreſſus eſt, coegitq; ducẽ ſe ſubmittere, Papamq; reducere in eodem habitu, quo eũ abduxerat fugitiuũ. Reductus eſt ergo, coramq; conſilio demonſtratus, non indumentis religioſitatis redimitus, ſed Brigantinorum more ſemiueſtitus, geſtans ad latus ſagittas breues, qualiter vtuntur equites illarum partium, qui malendrini dicuntur. Deriſus igitur à toto cœtu, tam religioſo, quam ſeculari, miſſus eſt in carcerem ſub arcta cuſtodia conſeruandus. Moxque cuncta bona ſua mobilia direptioni patuere: fertur enim, quod deſpoliatus ſit de ſeptuaginta quinque millibus librarum auri & argenti, quibus auditis in Anglia, pecunia collecta ad opus eius, & apud ſanctum Paulum in ciſta repoſita, diruptis feris, extracta eſt melioribus vſibus deſtinata. In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti amen. Sacroſancta generalis ſynodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto congregata legitime, inuocato Chriſti nomine, ſolum Deum præ oculis habens, viſis articulis in hac cauſa contra dominum Ioannem Papam 23. formatis, habita matura deliberatione ſuper eiſdem, per hanc ſententiam diffinitiuam, quam proferimus in his ſcriptis, pronuntiat, decernit & declarat receſſum per præfatũ Ioannẽ Papã 23. ab hac ciuitate Conſtantienſi in dicto ſacro conſilio generali clandeſtine, & de nocte hora ſuſpecta, in habitu diſſimulato & indecenti factum fuiſſe, & eſſe illicitum Eccleſię Dei, & dicto conſilio ſcandoloſum, vacationis & vnionis ipſius Eccleſiæ turbatiuum, & impeditiuum, ſchiſmatis inueterati nutritiuum, à voto, promiſſione, & iuramento per Dominum Iohannem Papam, Deo & Eccleſiæ, & huic ſacro conſilio præſtitis deuiatiuum, ipſumque dominum Ioh. Papam ſimoniacum notorium, bonorum, bonorumque & iurium, nedum Romanæ, ſed aliarum Eccleſiarum, & plurium aliorum piorum dilapidatorem notorium, malumque ſpiritualium & temporalium Eccleſiæ adminiſtratorem, & diſpenſatorem fuiſſe & eſſe, ſuis deteſtabilibus inhoneſtiſque moribus & vita, Eccleſiam Dei & populum Chriſtianum notorie ſcandalizantem, ante eius aſſumptionem ad perpetuum, & poſt vſque ad iſta tempora, ipſumque per præmiſſa, Eccleſiam Dei, & populum Chriſtianum notorie ſcandalizaſſe, & ſcandalizare, poſtque monitiones debitas & charitatiuas, iteratis & crebris vicibus eidem factas in præmiſſis malis pertinaciter perſeueraſſe, ſeque ex hoc notorie incorrigibilem reddidiſſe, ipſumque propter præmiſſa & alia crimina in proceſſu dictæ cauſæ contra eum deducta & contenta, tanquam indignum, inutilem, & damnoſum, à Papatu, & omni adminiſtratione ſpirituali & temporali amouendum, priuandum & deponendum fore, & dicta ſancta ſynodus amouet, priuat & deponit, vniuerſos & ſingulos Chriſticolas cuiuſcunque ſtatus, dignitatis vel conditionis, vt exiſtant ab eius obedientia, fidelitate & iuramento abſolutos declarando, inhibendo inſuper vniuerſis Chriſti fidelibus, ne eundem de cetero Papam nominent, nec illi tanquam Papæ adhæreant, ſeu quoquomodo obediant. Et nihilominus ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis ſupplet dicta ſancta ſynodos omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorũ interuenerint, &c.

Item decernit, ſtatuit, ordinat dicta ſancta ſynodus pro bono vnionis Eccleſiæ Dei, quod nullo vnquam tempore reeligantur in Papam dominus Balthazar Coſſa nuper Iohannes Papa 24. nec Petrus de Luna Clemens 13. nec Angelus Corrario, Gregorius 12. in ſuis obedientiis ſic nominati, & ſi contrarium fieret, id ſi ipſo facto irritum & inane, nullus cuiuſque dignitatis, præheminentiæ, etiam ſi imperiali regali, Cardinalatus, vel Pontificali dignitate præfulgeat eis, vel eorum alicui contra hoc decretum vllo vnquam tempore obediat ſeu adhæreat, ſub pœna fautorie dicti ſchiſmatis & maledictionis æternæ, ad quas contra præſumptiones ſi qui in poſterum fuerint, etiam cum inuocatione brachii ſecularis rigide procedatur. Sub hoc tempore, cum iam Rex Angliæ comperiſſet Francos fallaciis & fraude, fictiſque promiſſionibus eum inaniter ſolicitaſſe, naues conduxit, architenentes & armatos elegit, machinas & miſſilia, ac omnem apparatum bellicum præparauit: quibus poſſet hoſtes efficacius infeſtare. Iuſſitque, vt omnes ſecum profecturi parati forent in feſto Natiuitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ, apud Hampton. Quo tempore acceſſerunt ad eum noui recenteſque legati Francorum, inter quos præcipuus fuit Archiepiſcopus Senouenſis (vir verboſus & arrogans, ſed parum diſciplinatus) prout oſtendit expoſt, nimis petulanter ſe gerens in præſentia Regis & procerum in peroratione ſuæ legationis. Finaliter tamen Rex legatorum ſpreuit oblationes & promiſſa, quæ nec rationi fuerint conſona, nec ſibi honorifica: & Londonias remiſit eos. Dum Rex ſuorum procerum, qui cum eo transfretare debebant, apud Southamptoniam præſtolaretur aduentum, tres viri potentes (in quibus præ ceteris confidebat) in eius necem coniurauerunt. Quorum nomina ſi vellem ſupprimere, fama flagitii diuulgaret (etiam me tacente.) Dicam ergo, quod me dicturum doleo, parricidarumque nomina non celabo. Primus & præcipuus dominus Henricus le Scrop, in cuius fide ſiue conſtantia totus animus regius requieuit. Qui ſub hypocriſi cuncta gerenda foris ſuppallians, & *Proditio Henrici le Scrop.*

Aſtutam vapido geſtans ſub pectore vulpem,

in cunctis agendis agninam ſimplicitatem publice præferebat.

Edidicit (nempe) *ſimulare fidem, vultuſq; minaces*
Protegere, & blando fraudem prætexere riſu:
Plenus ſæuitia, lucriq; cupidine feruens:
Doctus & vnanimes odio turbare ſodales.

Hic tantę fuit æſtimationis penes regem, vt ſi quando conſilia priuata vel publica tractabantur, huius diffinitione terminabantur. Prætendebat namque tantam grauitatem in vultu, tantam in geſtu modeſtiam, tantam in affatu religionem, vt quicquid ipſe dictaſſet, velut oraculum è cœlo lapſum, rex oportere fieri iudicaret. Si legatio ſolemnis emittenda foret in Franciam, ingenio vel perſona Henrici le Scrop exequi neceſſe putabat. Ille proinde tractabat cum hoſtibus, ipſe domino ſuo Regi hoſtis occultus, mulcebatque Regem vanis ſponſionibus, deluſit conſilium promiſſis inanibus, referens vtriſque alia pro aliis, fronte fauens ſuis, mente vero Gallis. Cumque Rex innocens (propter magnam confidentiam) huius ſe arbitrio in pluribus commiſiſſet, & ei multa donaria ſpecialia tribuiſſet, ille tantis beneficiis retributor iniquus, dominũ ſuum, cum iam in procinctu foret profectionis ſuæ, parata claſſe & aggregatis militum copiis, repente vita priuare moliebatur. Spoponderat iſta Francis (vt fertur) pacta ſibi pro proditione pecunia, qui iam ad ſua regreſſi lætificauere ſuos, aſſerentes regem Angliæ mutato propoſito, vel ad ſua regreſſum, vel certe quod verius putauere peremptum. Habuit conſortes proditionis Richardum comitẽ Cantebrigiæ, fratrem ſcilicet ducis Eboraci: & Thomam Grey militem Borealem. Quem quidem Richardum comitem rex creauerat, & multis bonis ditauerat, & præ ceteris honorauerat ratione generis & parentelæ, ſed nulla impenſa beneuolentia, nullum collatum beneficium proditores præuertere poterant, quin in necem tanti benefactoris mutuo ſe armarent. Atq; priuſquam conceptum facinus poſſent ad effectum perducere, Deo volente detecti ſunt, & iudicio parium ſuorum condemnati decapitationis ſententiam ſubire, rege alias pœnas de iure debitas perdonante (pręterquam H. Scrop, qui dicitur fuiſſe tractus) qui etiam rex defleuiſſe vices eorũ fertur. Quamobrem nonnulli propter regis modeſtiam, compaſſionem, & pietatem, laudes Auguſti in eum transferunt, quondam editas à Naſone: eo quod

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quiq; dolet quoties cogitur eſſe ferox,

Præſbyter proditor captus.

Eodem tempore velut ex condicto, & tanquam proditionis præfatæ conſcientia, Lolardi ſtumulati, è latebris emerſere, & in Regem blaſphemias euomuere, loquentes grandia, minaſque ſpargentes in ſcriptis, (quæ fixerunt in valuis Eccleſiæ, & Eccleſiarum Londoniis in multis locis) talibus ſe cohortantes. Iam (inquiunt) Princeps præſbyterorum abiit, iam hoſtis noſter abſceſſit, iam nobis arriſit tempus accommodum, quo noſtras impune licebit iniurias vindicare, ſicque ſe mutuo confortantes, ſcripſerunt adinuicem multa millia in ſua vota veniſſe. Interea campiductor, & caput eorum Iohannes Oldcaſtel, cum latuiſſet prope Maluerniam, & accepiſſet à falſo nuntio Regem Angliæ transfretaſſe, ex eius abſentia concepta audacia verba comminatoria miſit ad dominum de Bergeyne, dicens in capite eius vlciſci velle ſibi & ſuis illatas iniurias ab eodem. Qui prudenter ſibi præcauens, cum circa noctis medium hæc audiſſet, illico ſecretis egit nuntiis, vt mane diluculo occurrerent armati ſibi apud caſtrum ſuum de Haneley, ex Wigornia perſora & Teukeſburia, prope quinque millia architentium & armatorum. Quo comperto, dictus Iohannes Oldcaſtel more ſolito latebras requiſiuit. Cepit tamen idem herus quendam præſbyterum dicti Iohannis Oldcaſtel, & quoſdam alios ex ſuis complicibus, quos ſic arctatos quæſtionibus examinauit, vt patefacerent locum, quo dictus Iohannes arma ſua cum pecuniis occultaſſet. Quæ cuncta congeſta ſunt in quadam domo inter duos parietes ſic erectos, vt nullus ſine indice dictæ ſtructuræ fallaciam percepiſſet. Illic inuenta ſunt ſigna ſua cum vexillo, in quibus depingi ſumptuoſe fecerat calicem & hoſtiam in forma panis. Ibi etiam conſpicienda fuere crux Chriſti cum flagris, lancea cum clauis, quæ depinxerat in vexillis ad ſeducendum ſimplices, ſi quando contigiſſet erigere ſigna ſuffultum populari dementia, ſed cognito apparatu diſpoſito contra ſe, demiſit cornua, quæ arroganter erexerat, ſuppreſſit minas faſtuoſas, & eo celerius atque meticuloſius latebras vt prius repetiit, eo quod audiuit Henricum Scrop & ſuos complices apud Hamptoniam proditionis ſuæ pœnas meritas exoluiſſe. Nec multo poſt captus eſt quidam (inueteratus Lolardus) Wilhelmus Cleydon, qui in tantam dementiam ruerat confidentia ſuæ ſectæ, vt etiam filium proprium ſacerdotem conſtitueret, & miſſam celebrare faceret in domo ſua, die quo coniux eius à puerperio ſurgens, purganda ad Eccleſiam proceſſiſſet. Hic ergo captus examinatus, legitimeque conuictus de hæreſi, Londoniis eſt combuſtus. Rex Angliæ punitis iuſtiſſime (vt præmittitur) proditoribus, aſcenſis nauibus, mare ſulcans, applicuit in Normanniam (in loco vocato Kedecans) nemine reſiſtente. Traxit autem ſecum claſſem mille & quingentarum carinarum, ad negotia Martia ſufficienter inſtructam: vt dum ipſe cum ſuis villam de Hareflu obſideret per aridam, claſſis in pelago coram villa conſtituta villanis omne præſidium victualium præcluderet, & ſolatia quæuis arceret. Nacta vero tellure, feria quarta in vigilia Aſſumptionis Sanctæ Mariæ ſequenti Sabbato obſidionem poſuit circa villam, quam continuauit per quinque ſeptimanas honorifice, vſque ad dominicam proximam ante feſtum Sancti Michaelis, qua die dominica villa fuit reddita tali modo: Feria nempe tertia proxima ante dictam dominicam, domini Gallici, qui fuere cuſtodes ipſius villæ, ſcilicet de Gaucort, dominus de Eſtuteuile, dominus de Hakeuile, & dominus de Clere, non ferentes crebras quaſſationes murorum & ædificiorum infra villam, aliaque pericula perpeſſa per gunnas regias, nam ab ipſis euolantia ſaxa ingenti verberis ictu obuia fregere quæque ruentes, nec tantum corpora preſſa necabant, ſed totos cum ſanguine diſſipant artus, & ſingula ceſſerunt ictibus arma. Conturbati & conterriti coacti ſunt nocte media quendam ſeruum ad arma ad ducem deſtinare Clarentiæ, domini regis fratrem, qui illorum vice precaretur obnixe dictum Ducem, quatenus dignaretur ob honorem Dei, Regi ſupplicare, vt eis concederet facultatem tractandi cum quibuſcunque perſonis, quas Dominus Rex duceret ad iſtum negotium emittendas. Nec mora, Dux exequitur villanorum vota, cuius interuentu, & ob honorem Dei præcipue, Rex inclinatus eorum precibus, miſit Comitem de Dorcet, Dominum filium Hugonis, & Dominum Thomam Erpinham, ad cognoſcenda deſideria obſeſſorum. Qui petiere ſuppliciter, vt rex charitatis intuitu ceſſaret ab eorum debellatione, ab ea hora noctis mediæ vſq; ad dominicam proximam poſt feſtum S. Michaelis, niſi contingeret regem (vel Dolphinum eius primogenitum) per bellum obſidionem diſſoluere. Alias parati forent Regi villam reddere, ſaluis vita & bonis omnibus eorundem: Rex vero remandari iuſſit eiſdem, quod niſi villam in craſtino redderet nulla conditione interpoſita, non

tracta-

tractarent amplius de materia memorata. Inſtabant adhuc Gallicani domini, & regis referendarios deprecabantur, vt apud regem inſiſterent quatenus inducias illis concedere dignaretur, ab illa hora vſque ad horam proximam poſt dominicæ ſubſequẽtis. Qua hora promiſerunt ſe cum propriis militibus & ſcutiferis ad regem acceſſuros cum viris honoratioribus infra dictam villam conſtitutis, quos omnes obſides darent regi vſque ad dominicam ſupradictam, & vlterius prædicti proceres ſpopondere ſe iuraturos ſuper corpus dominicum, coram omni populo, quod ſi Rex Francus, vel filius eius & hæres Dolphinus non accederent ad deliberandum eos infra horam dictæ dominicæ pręnotatam, ipſi ſe redderent ſine conditione aliqua regi Angliæ, ad faciendum de corporibus & bonis eorum iuxta ſuæ beneplacitum voluntatis. Ita duntaxat vt permitteret eos dirigere nuncios regi Franco, & Dolphino, qui eis prętaxata pacta referrent. Cumque rex acceptaſſet hanc oblationem, dedit eorum legatis litteras de ſaluo conductu, quorum principalis fuit dominus de Hakeuyle, quem ſequebantur viri valentes ad numerum.XII. perſonarum. In craſtino, ſcilicet feria quarta mane dicti domini cum.XXII. militibus, & armigeris, ac ciuibus notabilibus exiuere de villa, quibus occurrit proceſſio ſolenniſſima, antecedens Euchariſtia cum multis honorabilibus dominis, militibus, & armigeris, & populi frequentia magna valde, vbi expleto receptoque publice iuſiurando, cuncti Gallici ſunt introducti ad regale tentorium, vbi & comederunt die illo: dominum tamen regem non viderunt. Poſt prandium diſiuncti ſunt & diuerſis dominis commendati, qui eos tractarent honorifice, vſque ad reditum ſuorum legatorum, quos deſtinauerant ad regem Francum, qui fidenter promiſſa complentes rediere ſtatuta dominica, hora pręfixa: ſine quouis ſuffragio per regem Francum ſeu Dolphinum obſeſſis oblato. Quapropter qui intra villam erant cuncti ſe ſine conditione regis gratiæ ſummiſere. Remanſereque captiui regi Angliæ toti domini, cum militibus, & Armigeris atque generoſis qui miſſi ſunt à rege Franco ad cuſtodiam villæ. Rex autem conſtituit illic Capitaneum dominum Thomam comitem Dorcetanum, dans ei manum validam defenſorum. Durante obſidione regali, plures ex eſu fructuum, & algore noctium, fætoreq; cadauerum diuerſarum pecudum (quas mactauere per caſtrorum circuitum, & non operuerant ceſpitibus ſine terra, nec iniecerant in aquis fluuialibus vt earum putridas exalationes tollerent) fluxu ventris vel diſſenteria petiere. Inter quos & in primis vir venerandiſſimus Magiſter Richardus de Cartiniaco Norwicenſis epiſcopus, domino regi fidiſſimus, diem clauſit extremum, cui ſucceſſit in Epiſcopatu dominus Waketinge: comeſque Southfolchiæ dominus Michael Atte poole ſimili ſorte functus eſt, cuius loco ne familia ſua gubernatore careret, creauit dominus rex filium eius comitem Southfolchiæ, ſed & eius filium ſæua nimis Atropos præcidit in bello: de quo inferius dicturi ſumus.

Eodem tempore redierunt in Angliam aduerſa cogente valetudine, dux Clarenciæ, Comes Marchiæ, Comes Arundeliæ, & Comes Mareſcallus cum multis aliis egrotantibus morbo præfato. Sed Arundelienſis (vt fertur) veneno, non multo poſt in fata conceſſit. Rex Angliæ compoſitis rebus apud Hareflue, prout regem decuit, & victorem, terreſtrem viam verſus Caleſiam cum paucis admodum arripere ſtatuit, non amplius (vt fertur) quam octo millibus architeneutium, & armatorum, quarum magna pars infirmitate contracta apud Hareflue, (prout ſupra retulimus) vexabatur. Cum hac tam parua manu mirum eſt quod denſiſſimam auſus ſit aggredi Francorum ſiluam, ſed multo plus mirandum quod eam perforauit tot obicibus præmunitam. Galli nempe per totum tempus obſidionis villæ de Harflue electos quoſque de ſemetipſis & conterminarum regionum fortiſſimos & audaciſſimos viros adunauerunt, & auxiliarios vndique conduxerunt, vt numerus eorum (prout fertur) excreſceret ad centum quadraginta millia pugnatorum. Hii ergo ſe præparauerunt ad diem, tempus, & horam qua regem poſſent inuadere, & puſillum gregem ſuum iam fame, fluxu, ac febribus tenuatum. Cumque pene bis dominus Rex equitaſſet per regnum Franciæ, & hoſtes ſubtraxiſſent victualia, priuſquam accederet ad caſtrametandi loca, defecit panis in exercitu, ſic quod plures loco panis auellanis nucibus, & aſſis carnibus vterentur, potus aqua fuit cunctis inferioris fortunæ viris in exercitu, ſpacio pene decem & octo dierum. His lautitiis, his obſoniis athletæ regis Angliæ nutriti ſunt & paſti, qui cum tot gigantum millibus fuerant cõgreſſuri. Adde, quod ab itinere fatigati, à vigiliis macerati, à frigoribus nocturnis debilitati, mirum quod ſubſiſtere potuere. Sed animauit debiles, inualidis dedit vires, qui voluit for-

tes peſſundare per infirmos. Nempe cum rex non ſine difficultate maxima pertranſiſſet flumina interpoſita, quia Franci pontes deſtruxerant, per quos iter compendii habuiſſe poterat, mox glomerati feſtinauere cum ſuis militibus præcludere viam per quam de neceſſitate debeat tranſire Caleſiam. Et viceſimo quarto die Menſis Octobris, in quadam villa ſubſtitere. Rex tamen impertetritus iter arreptum conſtanter aggreditur: & eo vſque procedit, quo vterque exercitus velut infra ſpacium milliarii ipſa eadem conſedit nocte. Erat tamen facies vtriuſque exercitus varia, diſparque vultus, Gallis refocillatis victualibuſque refertis, Anglis fatigatis, infirmis, inediaque confectis: quibus etiam nec copia aquæ fuit. Certum tamen erat Anglis in craſtino ſe pugnaturos, & cum tota nobilitate Franciæ manus conſerturos. Quapropter ipſam noctem non tantum duxerunt inſomnem corpora confouendo, quantum votis & confeſſionibus animabus propriis conſulendo. Iactitauerant nempe Galli ſe nemini velle parcere, præterquam dominis, & ipſi regi, reliquos immiſericorditer pertempturos, vel membris irreſtaurabiliter mutilaturos. Quade cauſa, noſtri magis concitati, animos erexerunt, & contra caſus omnes ſe mutuo confortarunt. Igitur *Poſtera vix ſummo ſpargebat lumine montes, Orta dies: Cum tuba ſonitum procul are canoro, Increpuit de caſtris regiis*, accelerantque noſtrates peruenire ad ſui ducis præſentiam, parati dupliciter ad prouocandum Martem, ſcilicet audacia & conſcientiæ puritate. Rex cernens ſuos alacriter aduenisse, mox agmina producit in campum tritico recenter ſatum, vbi vix ſtandi pauliſper vel progrediendi facultas fuit propter ſalebras, ſolique mollitiem. Nec ſegnius ſummo mane Galli in eundem campum emittunt primam aciem, viris inſtructam fortibus, armis ornatam fulgentibus, equitibus hinc inde ex vtroque latere præcedentibus in equis generoſis, & nobilibus, (quibus (vt ita dicam) *aurea pectoribus demiſſa monilia pendent*: qui inſuper, *Tecti auro, fuluum mandunt ſub dentibus aurum* Non tamen voluere Franci propter loci lutoſitatem procul in campum procedere, ſed videre cupiebant quid Angli (quorum paucitatem maxime contemnebant) facere proponebant. Inter vtrunque cuneum campus late patuit, ad ſpacium (prout fertur pene) mille paſſuum, ſed non vtrinq; pari procurrunt agmina motu, quia Gallis immobiliter primam ſeruantibus ſtationem, Anglis neceſſe fuit ſi cum hoſte vellent conſerere, ſpacium medium armis onuſtos pedibus emetiri. Rex interea Gallorum perpendens aſtutias, quod ſic perſtabant immobiles in vno loco, ne peditando per campum luroſum fatigarentur,

Congreſſus Anglorum impar cum Gallis.

Sublimi vectus equo volat agmina circum, hortaturq; duces,
Et animos ad prælia firmat.

O fidiſſimi inquiens ſocii, vadimus in campum, ad magnum virtutis opus, ſummoſque labores. En ipſam diem quam flagitauit ſæpius veſtra virtus, totas ergo veſtras effundite vires. Experiamini quid lancea, quid ſecuris, quid gladius, quid ſagitta valeat in manu potentis. Quiſquis ergo cenſus, honores aut præmia cupit, iſtic reperiet,

Hæc nempe medio poſuit Deus omnia campo,

ſic fatus iuſſit conuelli ſigna. Quia (inquiens) hoſtes iniurioſi iter noſtrum præcludere temptant, adeamus illos in nomine Trinitatis, & optima hora totius anni. Et erectis vexillis iuſſit ſuis ordinate procedere, à dextris & ſiniſtris fecit ſagittarios anteire. Qui conſpicientes eos qui pridie coniurauerant in mortes vel mutilationes eorum, accenſi indignatione, iniuria, omnis laſſitudinis, omnis incommodi vel infirmitatis obliti ſunt, & (vt ita fatear) turgeſcit in eis vitria bilis: itaque vires, animumque miniſtrat. Mitumque in modum qui ſero debilem arcum nequiuit tendere, iam fortiſſimum valuit ſine difficultate pro voto trahere. Galli videntes noſtros campum cum ſummo labore emenſos fuiſſe, rati iam tempus arriſiſſe quo fatigatos inuaderent, quos putabant nullo negotio captiuandos, horribiliter in campum ruunt, præmiſſis equitibus qui noſtros architenentes, (pectoribus dextrariorum præferratis) obruerent, & ſuorum caballorum pedibus conculcarent. Sed (Deo volente) ſecus accidit quam ſperabant. Quia ſagittarii hinc inde occurrentes equitibus, tot ſimul emiſere iacula, vt illa procella grandinea primitus equites diſſiparent. Nam regente Deo, nuſquam caſſa manus, nuſquam ſine vulnere fugit miſſile, nullaque fuit requies mittentis dexteræ, ſed & omne ſedet telum quia nulli fuere ſine cædibus ictus. Vt ergo primum ſonipedes ferro transfixi ſunt, ſeſſores conuerſis frænis in ſua agmina præcipites corruere, omneſq; equites qui euaſerant campo ceſſere. Ex hinc vt acies conuenere, ingens noſtratum clamor ad ſidera tollitur, & impletur quodammodo vocibus

Architenentium virtus.

vaſtus

vaſtus aer. Tunc iterato volat vndique telorum nubes, & ferro fere ſonat, dum iacula conſtanter emiſſa, caſſides feriunt, laminas, & loricas. Cadunt proinde de Gallis plurimi ſagittis terebrati: hinc quinquagenii, hinc pariter ſexageni. Rex ipſe non tantum regis, quantum militis exequendo vices, primus in hoſtes aduolat, crudeles ictus infert, & tollerat, exempla ſuis audendi fortia præbens in perſona propria, ſtricto ſecuri oppoſitas acies diſſipando. Nec ſecus militares viri æmulantes acta regia, tons viribus collaborabant oppoſitam illam ſiluam Francorum frementium ferro proſternere, donec tandem via vi facta, Galli non tantum ceſſere, quam mortui cecidere. Et reuera Franci cum proſtratos in acie belli cernerent quos autumabant immobiles, eorum mox obſtupuere animi, gelidusque per ima cucurrit oſſa tremor tantus, vt immobiles, & ſine ſenſu ſtarent. Dum noſtri ſecures ab eorum extorquerent manibus, & eos mactarent velut pecudes cum eiſdem. Perdidit inde modum cædes, & velut nulla ſecuta eſt pugna, ſed iugulis bellum geritur, nec valent Angli tot proſternere. Quot perire poſſunt de aduerſa parte. Sic ergo pene Franciæ periit omne decus, per manus paucorum quos parum ante ſummo deſpectui habuere. *Galliæ decus proſtratum.* Illic interempti ſunt, Duces de Alanſon, de Braban, & de Baar, cum quinque comitibus, & Conſtabulario Franciæ, & aliis nominatis dominis, ad numerum pene centum. De militibus & armigeris quatuor millia ſexaginta nouem feruntur occiſa. Numerus vulgi non fuit ab armorum nunciis computatus. Capti ſunt ibidem duces, Aurelianenſis, & Burbonenſis, comites vero de Ew. & de Wendone & Arthurus frater ducis Britanniæ, qui ſe dicit comitem Richemundiæ, & quidam Burdegaldus miles honoratiſſimus regni Franciæ, & alii vt ferunt ad numerum ſeptingentorum. De parte regis cecidere: dominus Edwardus dux Eboraci, & dominus Michael comes Southfolchiæ, quatuor milites & vnus armiger, dictus Dauid Game, & de communibus viginti octo. Dum rex & ſui bello detinerentur, contra Gallorum multitudinem pugnando cominus, veſpiliones Francorum inuadentes à tergo dimiſſas ſarcinas rapuerunt, & protinus abduxerunt. In quibus cum reperiſſent coronam regiam, inani gaudio lætificauere ſuos, ita tamen vt ſigna ſolemniter pulſari facerent & canticum laudis, *Te Deum laudamus*, cum ſummo tripudio decantari. *Gallorum inane gaudium.* Eméti enim fuerant regem captum, ſine mora venturum. Sed poſt puſillum cum ex triſti nuncio cognouiſſent veritatem rei geſtæ, verſus eſt in luctum chorus eorum, & gaudium in mœrorem. Rex autem omnes hos euentus proſperos aſcribens Deo, gratias infinitas egit ei qui ſibi dedit inopinatam victoriã, & ferociſſimos hoſtes ſubegit. Pernoctauit igitur in eodem loco & in craſtino, ſcilicet die Sabbati verſus Caleſiam iter inceptum continuauit. Deinde. 16. die Nouẽbris applicuit ſero apud Doueriam in maxima niuis intemperie, viceſima vero tertia die dicti menſis venit Londonias ducens ſecum duces & nobiles quos dudum captiuauerat, quorum nomina ſuperius ſunt expreſſa. Quali gaudio, quali tripudio, quali denique triumpho ſit exceptus à Londonienſibus dicere prętermitto. *Reditus regis in Angliam.* Quia reuera curioſitas apparatuum, nimietas expenſarum, varietates ſpectaculorum tractatus exigerent merito ſpeciales. Primo die Menſis Decembris iuſſu regis affuere Londoniis pontifices, & Abbates in magno numero, vt intereſſent ſolemniſſimis exequiis domini Edwardi quondam ducis Eboraci, & aliorum tam Francorum quam Anglorum qui interierãt in partibus tranſmarinis. Ad has etiam exequias venit ab Hareflu capitaneus dictæ villæ, regis auunculus, comes de Dorcet, qui parum ante fecerat equitationem in regionem conterminam & fugauerat octingentos ante ſe captiuos quos infra dictam villam ſtrictæ cuſtodiæ mancipauit. Hoc anno rex Portugaliæ fretus auxilio mercatorum Angliæ quam maxime, & Alemanorum, vicit Agarenos in terra regis Betinarinorum, multis eorum millibus ad generum Cereris deſtinatis. Cepitque ciuitatem eorum ampliſſimam ſupra mare ſitam, vocatam Sunt eorum lingua: cinctam muro viginti millium paſſuum prout ferunt.

Anno domini milleſimo c c c c. x v i. tenuit rex natale iuxta Londonias, apud Lambhetham, quo tempore delati ſunt ſibi rumores de conflictu habito inter Anglos & Gallos iuxta villam de Hareflu, in quo plures Gallici ſunt occiſi. Circa feſtum purificationis ſeptem Delphini luſerunt in tamiſia, quarum quatuor ſunt occiſæ: *Delphini in tameſi.* prænoſticabant vt quidam volunt tempeſtatem maximam ventorum & imbrium continuo ſubſecutã. Feria quarta quatuor temporũ in initio quadrageſimę, comes de Dorcet pugnauit cum comite de Armanak duce Gallorum, in quo conflictu cecidere plurimi de vtraq; parte quia dictus comes gentem noſtram inuaſerat inprouiſo, fuga-

titum

ri rum ſunt Franci,& illo die noſtratibus terga dedere, vno ſolo vſi ſolatio, quod viſpiliones eorum dum cum noſtris manus conſererent, equos Anglorum & ſarcinas rapuerunt. Oporrebat ergo noſtros prout erant in armis, reuerti pedites ad villam de Hareflu per multa miliaria regionis. Itaque peditando iuxta littus maris, vt hoſtes ſuos ſemper ante faciem ſuam non à tergo conſtituros haberent: incedebant armis onuſti per totam quintam feriam, noctemque ſequentem: mane vero ſexta feria noſtrates leuantes oculos, viderunt in montibus Gallos recollectos cum duce eorum comite de Armanak, paratos ad inuadendum eos: miſit ergo comes de Armanak quendam armorum nuncium ad comitem Dorcetanum, qui diceret: Eccc concluſus es inter nos & mare, nec tibi ſupereſt euadendi facultas, quapropter ne pereas ore gladii, redde te mihi, tractaboque te iuxta nobilitatem tuorum natalium, prout decet, rarionabiliter redimendum. Ad hęc ille: renuncia ſibi qui te miſit, nunquam fuiſſe moris Anglorũ hoſti ſe reddere, ante præludia Martis & Bellonæ. Nec me reperiet ita vecordem vt manus illi dem, quem poreſt Deus tradere in manus meas. Hiis auditis, comes de Armanak furibunde cum ſuis equitibus pernici greſſu per decliuum montis deſcendere conabatur. Quos excipientes noſtri ſagittarii, vel præuerterunt iaculis, vel peremerunt. Exinde creuit pugna inter reliquos, & vtrobique gladiis & ſecuribus diu res Martia gerebatur. Tandem (Deo miſerante) gens ieiuna, laſſa, famelica, ſomnique penuria fatigata, vicit Dei virtute manifeſta: nam cum non eſſent plures ex Anglicis in hoc conflictu quam mille quingenti, glorioſe vicerunt, & ad fugam coegerunt quindecim millia Gallicorum, duce illorum prope capto: ferunt (quod non obſtante ſacro quadrageſimali tempore, ipſoque inuiolabili ieiunio quatuor tẽporum) carnes aſſauerant in caſtris ſuis, & meretriculas introduxerant, vt poſt ſuffarcinationem ventris, Venetis ſe ſpurcitiis macularent. Circa præſens tempus, oboli Ianuenſium, quia debito carebant pondere, prohibiti ſunt ab Anglis in mercaturis accipi ſiue dari. Septimo die menſis Maii venit imperator Londonias, deductus in magnificentia & gloria per regem & regni nobiles, & hoſpitatus eſt in palacio regis iuxta Weſtmonaſt. rege recepto apud Lamhetham. Rex autem cupiens deferre omnem humanitatem regi Romanorum, ſuſpendit ad tempus cuncta parliamenti negotia, ducens eum ſecum Windeleshoram ad feſtum ſancti Georgii, honoratus illic eum, & tantæ fraternitatis titulo, & religionis illius nobili veſtimento, ſignumque regale impoſuit collo ſuo, quod imperator expoſt ſemper geſſit in omni conuentu publico vel priuaro. Ante feſtum aſcenſionis dux Holandiæ venit in Angliam, cum apparatu maximo, ad habendum colloquium cum rege noſtro, regeque Romanorum. In feſto Trinitatis, & per ſequens biduum, audita ſunt horrida tonitrua, omnem modum excedentia, & velut ſine interpolatione durantia, quæ pręceſſerunt terrifica fulmina ſine ceſſatione coruſcantia, quę multos ſtrauerunt & occiderunt, arbores ſuccenderunt, & ædificia diruerunt. Per rotum tempus æſtiuale putabatur, quod mediatione Imperatoris fuiſſet pax inter regna firmata, ſed tergiuerſantibus Gallis, ſuſpenſum fuit pacis negotium, eo maxime, quod Galli conduxerant claſſem magnarum nauium Caricarum & Galearum, quæ regnum Angliæ moleſtaret, cõtra quos dominus Iohannes dux Bedfordiæ (frater regis) miſſus fuit cum manu potenti. Qui in die aſſumptionis beatæ virginis, commiſit cum eis, & cepit tres Caricas, & vnam Hulkam, & quatuor Balingarias. Tres vero Caricæ fugere, vna vero de tribus inter ſyrtes confracta ſubmerſa fuit. Alia magna Carica ſubmerſa fuit coram Southhampton, cum qua perierunt octingenti viri, quales light harneys vulgo vocamus. Imperator & rex Angliæ fœdus ad inuicem pepigere, videlicet, quod ipſi, & ſucceſſores ſui, boni & firmi & ſtabiles imperpetuum amici erunt, alligati, obligati, & confederati pro ſe & hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis, contra homines cuiuſcunque gradus, ſtatus, dignitatis aut conditionis exiſtat: & contra omnes homines qui viuere aut mori poſſunt, exceptis ſacroſancta Romana eccleſia, & Romanorum pontifice, &c. Rex Angliæ vt oſtenderet ſe ex corde pacem cupere, perſonaliter transfretauit Caleſiam ne Gallis vllam calumniandi miniſtraret materiam, quia dixerant non ſtare per eos quin ei offerrent largam pacis viam, vbi cum imperatore conſtitutus, cum nihil ab eis audiſſet procurari niſi dolos & fraudem ſolitam commenta ſpreuit eorum, & inter imperatorem ducemque Burgundiæ qui diſſidebant, fecit concordiã atque pacem. Quibus ita geſtis, dux fecit homagium imperatori. Poſthæc dux Glouerniæ frater regis minimus, cum magna regis familia deduxit Imperatorem donec veniſſet ad villam de Doredranth, vbi cunctos Anglos remunerauit imperialiter

à maxi-

à maximo ad minimum. Benedictus Vlleman ciuis Lōdoniarum qui ſperſerat ſchedulas in multis locis errore plenas, captus, tractus, ſuſpenſus & decollatus eſt die Sancti Michaelis. Parliamentum quod diximus intermiſſum propter pręſentiam regis Romanorum, tētum fuit Londoniis circa feſtum ſancti Luciæ. In quo dominus Thomas Beuford comes de Dorcet creatus eſt dux Exoniæ, conceſſis ſibi de fiſco regio annuis mille libris, & xl. libris de villa Exoniæ ſupradicta quas dominus rex de eadem villa percipere conſueuit. In hoc parliamento requiſiti proceres ſi iſta ſibi placerent, reſponderunt quod optime, ſi donum regium tam exile non eſſet, nec correſpondēs meritis & virtutibus tanti viri. Conceſſe fuere duæ decimæ per clerum regi ſub vnius anni ſpacio perſoluendæ.

Anno domini milleſimo. cccc.xvii. rex celebrauit natale apud Kenelwerthā, quo tēpore ſtructæ ſunt illi inſidiæ (prout fertur) per quendam ſcutiferum complicē Iohānis Oldcaſtell dictum. In craſtino Natalis domini ſperſæ ſunt ſchedulæ Lolardorum venenoſæ, impingentes contra cunctos ſtatus eccleſiæ fere, in qualibet magna domo, vel hoſpitio villarum de ſancto Albano, de Northamptona, de Radingia, auctorem nullo ſciente.

Decretum conſilii Conſtancienſis de electione Papæ futuri.

Ad laudem, & gloriam & honorem omnipotentis Dei, ad pacem & vnitatem vniuerſalis eccleſię, ac totius populi Chriſtiani, vt electio futuri Romani & ſummi pontificis, proxime celebranda, firmiori auctoritate & plurium roboretur aſſenſu, & ne attento ſtatu eccleſiæ ſuper dicta electione in poſterum vlla retractio, vlluſue ſcrupulus in mentibus hominum reſideat, ſed ex illa ſequatur vnio certa, vera, pleniſſima & perfecta, ſacroſancta generalis ſinodus Conſtancienſis communi vtilitate pēſata, de ſpeciali & expreſſo conſenſu, ac voluntate concordi, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium in eadem ſinodo perſonaliter exiſtentium, & collegii eorundem, ac omnium nationum præſentis conſilii ordinat, ſtatuit, & decreuit, quod hac vice dantaxat ad eligendum Romanum pontificem ſummum, vna cum Cardinalibus ſex prēlati vel alię honorabiles perſonæ eccleſiaſticæ in ſacris ordinibus conſtitutæ, de qualibet natione in eadem ſinodo pro nnnc exiſtente & nominata, quos ſeu quas quęlibet ipſorum nationum pro ſe adhuc infra dies duxerit eligendos, ſeu eligendas, ipſis cardinalibus adiungantur, quibus omnibus eadem ſancta ſinodus eligendi Romanum pontificem; ſecundum formam hic expreſſam, quatenus opus eſt tribuit poteſtatem: videlicet quod ille abſque vlla exceptione ab vniuerſali eccleſia Romanus pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium in conclaui exiſtentium, & à cuiuſcunque nationis duabus partibus eiſdem cardinalibus adiungendorum & tunc adiunctorum electus fuerit & receptus: quodque non valeat electio nec electus pro ſummo pontifice habeatur, niſi duæ partes Cardinalium in conclaui exiſtentium, & cuiuslibet nationis duæ partes, cum Cardinalibus ad eligendum adiungendorum, & tunc adiunctorum conſentiant & conſenſerunt in Romanum pontificem eligendum. Statuit inſuper & ordinat ac decernit, quod vota quorumcunque in electione huiuſmodi emittenda ſint nulla, niſi vt præmittitur duæ partes cardinalium, & duæ partes cuiuslibet nationis adiungendorum, & tunc adiunctorum prędictorum principaliter aut per acceſſionem in vnum concurrant. Hoc etiam adiecto, quod prēlati, & alii cum ipſis cardinalibus, ad electionem huiuſmodi adiungendi & tunc adiuncti, omnes & ſingulas conſtitutiones etiam penales, circa electionem Romani pontificis æditas, atq; conſuetudines obſeruare conſuetas, quemadmodum ipſi cardinales obſeruare teneantur, & ad illarum obſeruantiam aſtringantur. Teneantur inſuper iurare & iurent dicti electores cardinales & alii, antequam ad electionem procedāt, quod in huiuſmodi electionis negotio attendentes quod eis imminebit cum de citatione agetur vicarii Ieſum Chriſti ſucceſſoris beati Petri vniuerſalis eccleſię rectoris, gregis dominici directoris, puris & ſinceris mentibus, & quam credent publicæ vtilitati vniuerſalis eccleſiæ proficere omni cuiuſcunq; nationis peregrinę, aut alio inordinato affectu, odio, gratia, vel fauore abiectis, procederent vt eorum miniſterio de vtili & idoneo vniuerſali eccleſiæ prouideatur paſtore. Ordinat inſuper, ſtatuit & decernit eadē ſancta ſinodus, q; intra decem dies ex nunc continue numerandos, quos decem dies omnib. & ſingulis ſanctę Romanę eccleſiæ cardinalibus pręſentibus & abſentib⁹, & cęteris electoribus ſupradictis, attenta Romanæ eccleſiæ vacatione notoria, ad intrandū conclaue in hac ciuitate Cōſtancienſi in maiori domo cōmunitatis ciuitatis eiuſdē ad hoc iā ordinata pfigit & aſſignat, q; pręfati electores cardinales & alii ſupradicti intrent ipſum cōclaue ad electionem huiuſmodi celebrandū, cęteraq; faciendum, obſer-

obſeruandum & proſequendum, quemadmodum in cæteris pręter pręmiſſa de cardinalibus & aliis in electione Romani pontificis iura decernunt, quæ omnia præmiſſa obſeruata vult eadem ſancta ſinodus in ſuo robore permanere. Hanc autem formam & hunc modum electionis approbat, ordinat, ſtatuit pro hac vice, & ad omnem ſcrupulum remouendum vel ſummouendum, omnes & ſingulos in eadem ſinodo præſentes & venturos qui eidem ſinodo adhærebunt ac omnes actus legitimos in eadem ſinodo agendis actiue & paſſiue quatenus opus eſt habilitat & habiles eſſe declarat cæteris eiuſdem ſacri conſilii decretis ſemper ſaluis, ſupplens omnes defectus ſi qui forſan interuenerint in præmiſſis apoſtolicis & in generalibus conſiliis æditis conſtitutionibus, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunq. Vltimo die Menſis Octobris, epiſcopus Winton. acceſſit ad conſilium, peregrinaturus Hyeroſolimam, poſt electionem ſummi pontificis celebratam, vbi tantum valuit eius facunda perſuaſio vt & excitaret dominos Cardinales ad concordiam, & ad dilectionem ſummi pontificis ſe ocius prępararent. Quamobrem mox præparata fuit domus, quæ conclaue vocaretur, & eſſent cum lectis ſtratis honorifice pro dominis Cardinalibus, & electoribus adiungendis eiſdem. Ordinatum nempe fuerat decreto conſilii, vt eligerentur ex omni natione quæ conuenerat ſex perſonæ, ad intrandum conclaue cum cardinalibus, prout ſuperius eſt expreſſum, vnde de Anglia ingreſſi ſunt conclaue epiſcopi Londonienſis, Bathon. Norwicenſis, Lichfeldienſis, Abbas Eboracenſ. & magiſter Thomas de Polton, Decanus Eboracenſis. Quælibet autem natio ſcripſit nomina perſonarum ſuarum in ſchedula, & cera inuoluit. Præordinatæ proinde perſonę conclaue ſunt ingreſſæ, die quatuor coronatorum. Quibus intromiſſis, quædam perſona laica, attulit omnes ſchedulas cera circumductas, ad vicecancellarium in conclaue. Qui nudatis brachiis vſque ad cubitum, poſuit omnes ſchedulas ſuper menſam. Exinde decretum factum eſt quomodo recluſi ederent in conclaui, ſtatutumque fuit, vt haberent panem & vinum, & vno die vnicum genus carnium, & altero vnum genus piſcium, & ſingulis diebus vnum genus potagii, prout dies exigebat. Tunc Imperator, & tredecim duces, ac maiores ciuitatis, Conſtantiæ, iurauere ſuper librum, quod fideliter cuſtodirent conclaue ab impeditoribus, & ne alia cibaria intromitterentur quam ſtatuta fuere. Quo facto, Imperator perſonaliter perſcruratus eſt domum totam, & duabus ſeris oſtium poſt ſe clauſit. In oſtio domus illius, factum fuerat foramen quadratum, habens in longitudine & latitudine pedem vnum, per quod immitti deberent cibaria incluſorum, omniquaque die dum in conclaui fuerunt. Abbas ſancti Edmundi de Bury, & prior ſancti Iohannis de Clerkenewelle, fuerunt aſſignati ad prægustandum cibaria Anglicorum. Mox vero vt ſeruitum fuit incluſis, dictum foramen clauſum fuit tribus ſeris. Igitur illis conferentibus de iniuncto negotio, quidam nominauere Wintonienſem, quidam Londonienſem Epiſcopos: nonnulli vero cardinalem Franciæ, nihilque fuit actum primo die vel ſecundo. Die vero S. Martini primo mane epiſcopus Londonienſis venit, & inter omnes cardinales protulit iſta verba. Ego Richardus epiſcopus London. accedo ad dominum meum cardinalem de Columnia. Audito præſenti ſermone, repente cuncti præſentes per Dei gratiam in eandem conſenſere perſonam. Et illico exuerunt eum veſtibus ſuis omnibus, & nouis eum reueſtierunt, ac ſuper altare poſuerunt, & deoſculati ſunt manus eius & pedes. His ita geſtis, confeſtim vnus eorum qui incluſi fuerant, fregit foramen in pariete, & clamauit: *habemus Papam Martinum*, & tunc exiuerunt omnes in magnam eccleſiam cantantes, *Te Deum laudamus.* In craſtino Papa fuit factus presbyter, & die ſequenti fuit ſacratus epiſcopus, & celebrauit miſſam ſuam primam, cui miſſæ interfuerunt centum quadraginta mitrati. Sequenti dominica dominus Papa fecit mane diluculo ſolemnem proceſſionem, trāſiens per auſtralem pártem eccleſiæ verſus occidentalem, vbi conſtitutus fuit quidam clericus habens canabum, & ſtuppam, & combuſſit ea, dicens:

Papa nouus.

Ecce pater ſancte ſic tranſit gloria mundi.

Poſthæc eodem die fuit factum quaſi quoddam ſolarium pro coronatione Papæ, in altitudine habens viginti pedes. Prior ſancti Iohannis de Clerkenwell tenuit diadema Papæ in officio coronationis. Ipſo die poſt prandium Papa equitauit per medium ciuitatis Conſtanciæ, quem ſequebantur in equis omnes epiſcopi mitrati, Abbates. Equus Papæ phaleratus cum rubeo eſcarleto, equi vero cunctorum epiſcoporum phalerati fuere cādido panno biſſino, & imperator in hac equitatione tenuit frenum Papæ. Cum autem perueniſſet Papa ad locum fori, illic obuiauere ſibi omnes

Imperator Papa frenum tenet.

Iudæi

Iudęi ciuitatis, qui porrexerunt ſibi (ſicut mos eſt) ceremonias ac legem ſuam, quas acceptas, Papa proiecit poſt tergum ſuum, dicens: Recedant vetera, noua ſunt omnia. Papa (prout dicunt) prius vocabatur Paulinus, natus de illa nobili & antiqua gente Paulina Romæ.

Hoc anno circa finem menſis Iulii, rex Henricus cum magna claſſe mare ſulcās, decimo nauigationis die ſaluus applicuit in Normannia, ſcilicet in feſto ſancti Petri ad vincula, vocato in loco Tonque, vbi villa fortis eſt, & caſtrum nobile, quod reddere per annum ſolet octo millia coronatum. Quo in loco quingenti equites hoſtiliter occurrerunt ei, tranſitum prohibere volentes, ſed perempto per architenentes eorum capitaneo, & eius collega capto, cæteri meticuloſe fugerunt. Nec multo poſt redditum fuit regi dictum caſtrum, & qui remanere volebant, accepere gratiam remanendi, volentes abire, tulerunt ſecum de gratia regia pecunias & ſuppellectilem, relinquentes arma & inſtrumenta bellica, necnon & victualia dicto caſtro. Conſimili modo reddita fuit regi villa de Aumberes cum caſtello, qua tempeſtate monachus quidam ſoliuagus captus à quodam de familia regis deſpoliatus eſt. Quod vt rex comperit, ſolicite quæſiuit à monacho ſi perſonam recognoſceret quæ tulerat ab eo res ſuas. Qui cum diceret bene ſe perſonam noſcere, ſi videret eam, tandem poſt aliquos in conſpectu ductos, notauit vnum dicens illum bona ſua rapuiſſe. Quem rex illico vehementer redarguit, dicens illum morte dignum, qui cum aliunde ſatisfacere potuiſſet ſuæ neceſſitati, ad res religioſorum manus extenderet, modo tamen gauiſurum perdonationis titulo, ſi nihil tale committat de cætero. Fecitque virum reddere monacho quis tulerat prius ab eo, monacho mandans vt domum repeteret, & conſuetum ſeruitium cum fratribus ſuis intrepidanter Deo rependeret, aſſerens ſe non illuc aduenisſe modo veſpilionis vt res religioſorum raperet, ſed potius more regis, vt eorum bona à direptionibus ſeruaret. Nec mora proclamari fecit per exercitū, ne quis religioſum, clericum vel præsbyterum, nec vllum penitus eccleſiaſticum deſpoliare ſeu quouiſmodo moleſtare pręſumeret, nec ad res eccleſiaſticas animo rapiēdi manus mittere, ſub pœna ſuſpenſionis & laquei. Qua proclamatione per plebanos vulgata, videres ruſticos indumentis clericorū ſumptis vagari per exercitū negotia tractare foralia, impune accedere & recedere, Anglis aſtu pie deceptis. Nec valebant Anglici rei veritatem agnoſcere, ruſtici coronas ſibi radentibus, vt Anglos fallerent efficacius, aſpectu capitum abraſorum. Conſequenter inſuper fecit rex proclamari ne quis fœminam coniugatam, viduam ſiue virginem contra voluntatem auderet opprimere, vel bona diripere plebeiorū, qui ſe regi ſummiſerant ſub pœna pręta-xata. Tertio decimo die menſis Auguſti rex receſſit cum exercitu de villa de Tōque, & pernoctauit apud villam Sancti Saluatoris de Tybe. Craſtino die Sabbati pernoctauit apud villam de Granuile, vbi commoratus eſt die dominica, videlicet in feſto aſſumptionis beatæ Mariæ. Die lunæ pernoctauit apud Abbathiam de Fontenes, & in die Martis peruenit ad villam Deſtuſtcuyle: die vero Mercurii conſedit cum exercitu coram villa de Cane, ex parte auſtrali, prope monaſterium Sancti Stephani, dux Clarentiæ ex parte boreali iuxta Monaſterium monialium Sanctæ Trinitatis, comes Mareſcallus ſedit ex parte ſiniſtra regis, & dominus de Mattreuers iuxta eum. Iuxta quem domini Talbot, & Vmfreuile ſunt locati, & conſequenter domini de Neuile, & Willoughby. Ex parte regis dextera conſedens, Comes de Warwike, & dominus Iohannes Gray, iuxta quos Comites de Huntingdon, & de Sarum, & dominus Iohannis Greconwayle. Dum ſic eſſet diſpoſitus regalis exercitus, & Abbathia ſancti Stephani foret Francis communita, videnteſque in monaſterio pro tutamento fore ſe impares regiis viribus, locum deſerere feſtinabant. Et diripientes tam victualia, quam alia loci iocalia, latenter in villam commigrauerunt, notabiles ſacrilegio manifeſto, vbi conſtituti tractabant inter ſe qualiter dictum monaſterium flammis abſumerent, & turres eccleſiæ complanarent: per quas multa mala fieri poſſe non dubitabant. Audiunt hæc inſuſurrari inter Francos quod quidā monachus eiuſdem loci, qui metuens ſui monaſterii deſtructionem, confidenter dedit ſe periculo, & ſub illius noctis ſilentio, manibus reptās & genibꝰ, & per hoſtes, per ignes, per arma, per gladios tandem peruenit ad locum vbi dux Clarenciæ frater regis obſidionis ſuæ vigilias obſeruabat. Et impetrato aditu, vidit vt recubuerat armatus ad vnguē in horto quodam ſuper herbam, ſuppoſito capiti ſuo ſaxo. Cui confeſtim flexis genibus, flebiliter ſupplicauit, vt loco ſuo ſuccurreret, qui iam diruendus erat niſi maturius ſubueniret. Vobis autem ſpecialius conuenit noſtrum ſeruare monaſterium,

Ruſtici in clericali habitu.

qui de regum linea deſcendiſtis in locum noſtrum quem fundauerunt, extruxerunt, atq; dotauerunt. Quapropter incunctanter vtamini duce præuio, & ego vos inducam, & gaudere faciam loco noſtro. Nec mora fecit dux vt monuit, & arreptis ſcalis, peruenit ad eam partem quam monachus bene nouit immunitam: nam pauci ſed inualidi relicti fuerant, magis ad oſtentationem, quam ad defenſionem loci, quos aduentu ſuo territos, vel captiuauit, vel abire permiſit, reputans eos indignos gladio ſuo propter ruſticitatem & vilitatem perſonarum. Vnum tamen decollari iuſſit, qui confeſſus fuerat ſe res monaſterii, ſcilicet ferramenta feneſtrarum, & huiuſmodi compilaſſe, dicens ei: Si nos & noſtros propter talia ſacrilegia iuſta morte mulctaueris, multo plus tu pænam mœreris qui patriæ propriæ ſacella ſpoliare non times. Dux ergo tali modo potitus loco, introduxit regem in craſtino, gaudentem nimirum quod à telis & turribus monaſterii valebat intueri quæcunque gerebantur in villa, & illic figere vel locare gunnas ſuas, quas Galli canones vocant, quibus validius villam infeſtare poſſet. Poſt hæc denunciatur dies & hora quibus fieri deberet inſultus ad villam. Interea ſonante terrifico lituorum & tubarum claſſico, obſeſſi ſemet cohortantes, ad muros alacriter cucurrere, telis armati, gladiis & miſſilibus, iaculis & petrariis, vt vim vi repellant. De parte regis (vt ita dicam) *Induit aduerſis contraria pectora telis, miles: vt aeternum ſanguine nomen emat.* Inter milites dominus Edmundus Springeus, qui dudum cum aliis militiæ cingulo donatus fuerat, muros Cadomæ armatus aſcendit, *Et vulnera alterna datque, capitque manu. Sicut aper longe ſiluis latratibus actus, Fulmineo celeres diſſipat ore canes, Mox tamen ipſe perit:* ſic & iſte vir egregius dum multos muris deiicit, dum plures enſe perimit, dum Martis acta peragit, lapſus pede corruit in foramen muri, vbi ſedendo pugnans peremptus eſt, quem mox inhumaniter vt erat armatus adhuc ſpirantem, tormentarii (circumiectis ignibus) cremauerunt. Non tamen deſtitere regales inimicis inſiſtere, ſed bili concitata propter infortunium tanti ſocii, fuerat nempe cunctis amabilis: inſurrexerunt acrius, & exarſerunt contra tam improbos pollinitores, fatigantes illos ſic ex parte, quod videbatur ipſis qui tuebantur oppidum ex parte altera neceſſarium, vt ſtatione ſua relicta, ad eam partem accurrerent qua rex oppugnabat villam ſicq; rareſcente in dicta parte defenſore, dux Clarenciæ (factis inſtrumentis in loco qui putabatur tutiſſimus) muros ſcandit, & poſt terga Gallorum deſiliens, eos adeo repente terruit, vt ignorarent vtrum iuuaret potius procedere contra regem, an reuerti & manus erigere contra ducem. Facta eſt igitur ſtrages magna Gallorum, obuiantibus à fronte regalibus, inſtantibus à tergo Clarencianis, omnemq; illis adimentibus ſpem ſalutis. Taliq; modo rex villa potitus eſt, caſtello nōdum rebellibus vacuato. Quapropter rex Gunnarū iactu ſic caſtrū debilitauit, vt impoſſibile videretur incluſis ſe defendere locum poſſe. Proinde impetrato tractatu, obtinuerunt à rege libertatem abeundi, relictis armis, victualibus, auro & argēto atq; iocalib. in caſtello. Sed ne inanes & vacui omnino recederent, rex indulſit eis vt milites quidam certā ſummam fului metalli ſecū ferrent, armigeri quoq; taxatā, & alii limitatā tollerent, & nō amplius, ſub pęna perditionis ſummarū conceſſarū, pariter & vitarū. Fœminas vero ꝑmiſit ornamenta vel quęq; mobilia ſecū ferre & indemnes abire. Quæ magnas auri ſummas (vt fertur) in vtrib. abſtulere. Hiis omnib. ingrati Frāci beneficiis, regiæ munificētię peſſime reſponderunt, & inuidentes eius cōmodis, aurū & argētum, & quicquid in caſtrū ad tuendū deportatū fuerat igne cōbuſſerunt, vt poſt receſſum patuit eorundē. Poſt deditionē caſtri Cane, ꝙ obtinuerat condicionaliter, ſcil. ſi rex Frācus vel Dolphinus aut comes de Armanak bello nō diſſoluerēt obſidionem infra 19. diem Menſis Septembris, reddiderunt ſe pacto cōſilii, ciuitas & eccleſia Baiocenſis, cū aliis multis villis. Cum hæc agerentur in Neuſtria, Lolardi duce (I. Oldcaſtel) inſanire cęperunt in Anglia, qui Scotos cōcitauit tā prece, q̄ repromiſſa pecunia, vt intrarēt hoſtiliter regnū in regis abſentia, leui negotio (vt aſſeruit) ſubiugandū. Ferunt ꝙ Wilhelmū Duglas Scotū, apud Pontē fractum allocutus fuerat, grandē promittens auri ſummā, ſi gentē ſuam ſolicitaret, & eum qui falſo dicebatur apud eos rex Richardus, venire cum eis faceret, & ſe oſtentare tanquam regem. Scotus vero auri ſacra fame coactus, non multo poſt contribules ſuos cum magno ſtrepitu venire fecit ad obſidendum caſtellum cum villa de Rokesburgh. Quo cum veniſſet, ſuffoſſores immiſerunt ad ſubuertendum muros. Contigit eo tempore ducem Exoniæ dominum Thomam Beuford ad Brydelingtoniam veniſſe peregrinandi, gratia, qui confeſtim audito rei nuncio properauit ad partes, eundo colligens armatos & architenentes, hoſtibus occurrere feſtinando. Ex alia parte cuſtos regni dominus I. frater

regis

regis dux Bedfordiæ cum aliis regni nobilibus magnum conflans exercitum, ad eaſdem peruenit partes. Quod Scoti per exploratores comperientes, expectare non audentes diutius, turpia femineæ terga dedere fugę. Nec mirum, quia pluſquam centum millia virorum conueniſſe ferebantur ad repellendum eos. Et ne rurales æſtimarentur, & inexperti qui cũ dictis heroibus venerant, vir valde venerabilis dux Exonię palam aſſeuerauit ſe ſciuiſſe ex illis cohortibus delegiſſe quadraginta millia virorum bellicoſorum qui virtute pręſtarent, & animis, æque cum valentioribus, quaſi regni totius, non obſtante quod maxima multitudo cum rege in Normannia militabat. Eo tempore dux Lolardorum I. Oldcaſtel dum diuerſis in locis requirit latibula, prope ſanctum Albanum in domo cuiuſdam ruſtici habentis ibidem idoneam manſionem, dominio Abbatis delituit multis diebus. Quo audito, familiares Abbatis illuc nocte properantes, illum quidẽ non inuenerunt, ſed quoſdam de ſuis ſpecialibus aſſeclis tenuerunt & ad carcerem adduxerunt. Ipſe vero dux perfidorũ hoc audito rumore, vehementer ingemuit, dicens ſuum grande propoſitũ eneruatum, captis pręcipuis conſociis votorum ſuorũ. In pręfato loco reperti fuerunt libri in Anglicis ſcripti litteris, & nonnulli libri quondã nobiliter & Imaginibus ſanctorum diuerſorũ decorati, quarum Imaginũ capita iuxta formam falſæ doctrinæ ſuæ, nebulones abraſerant, & in letaniis omniũ ſanctorum nomina vnà cum nominibus beatæ virginis aboleuerant vſq; ad hunc verſum. Parce nobis domine. Inuenta ſunt inſuper illic quędã ſcripta plena blaſphemiæ in beatam Mariam, quę propter horrorem ſcribere ſuperſedi. Librũ tali raſura deformatum, miſit domino noſtro regi dictus Abbas S. Albani, cũ quibuſdam aliis deliramentis repertis ibidẽ, & dominus rex eundẽ librum Archiep. Cantuarienſi remiſit, vt in ſermonibus faciendis ad crucẽ S. Pauli Londoniis oſtenderetur, vt vel ſic ciuibus innoteſceret, quanta furia Lolardi vehebantur, qui nõ dico Imagines, ſed nec ipſa ſanctorũ nomina in ſuis membranis inſeri permittebant. Rex Angliæ per idem tẽpus impiger in partibus tranſmarinis, cepit plures ciuitates & villas muratas, cũ caſtris & munitionibus pluſquã centum. Hoc anno quarto die mẽſis Septembris, obiit magiſter Robertus Alin, Epiſc. Sarum, apud Conſtanciã, conſilio nondũ finito. Menſe Decembris rex Henricus obſedit Phaleſiam villã munitiſſimam, refertam defenſoribus, ſuperbam ſuis opibus, inſtauratã machinis, confidentẽ mœniis, vt nec quidẽ portas cõtra regẽ initio claudere dignabãtur, villa tamẽ leui negotio terrore gunnarũ reddita fuit regi. Sed caſtrũ cum magno faſtu detentũ fuit, fere vſq; ad feſtum purificationis, medio tẽpore multis hinc, inde, iactis conuitiis. Tandẽ obſtinatione depoſita, pœnituit obſeſſos tamdiu perſeueraſſe in pertinacia, & humilius ſapiẽdo regis gratiã flagitabant. Non enim ferre valebãt horridos ſaxorũ volatus, quos crebro circa ſe cernebant emiſſos, cuilibet formidãdos, & ꝑinde maluere ſemel vitã ſeruare quoquo pacto, q̃ quotidie quaſi mortem metuẽdo mori. Igitur poſt certas cõditiones aſſecurauerunt regi, ſe propriis ſuis ſumptibus, damna caſtri, villæq; ruinas reparaturos: pręter illas, quas ſoluerẽt redemptionis ſuæ ſummas, quę idcirco illis impoſuit, propter ſuæ faſtuoſæ detentionis diuturnitatem, quæ fuit cauſa ruinæ magnæ dicti caſtelli. Circa pręſens tempus captus fuit in Anglia ille vaniglorius, inueteratus dierum malorum, primicerius Lolardorum, dux & princeps perfidorum I. Oldcaſtel, (quondam dictus dominus de Cobham) in terris domini de Powiſia, non ſine periculo lęſioneq; quorundam qui ceperunt eum, ſed nec ipſe ſine vulnere tentus fuit. Sub eodem tempore vocati fuerant ad parliamentum Londonias, omnes ſtatus regni, vt de pecuniali ſuffragio regi ferendo conſulerent, quo laborabat in partibus vltramarinis. Cumq; domini & perſonæ parliamentales, audiſſent quę captus fuiſſet hoſtis publicus, placuit cũctis parliamentũ non diſſoluẽdum donec interrogatus, & auditus fuiſſet in eodẽ parliamento. Miſſus eſt igitur dominus de Powyſia, qui deduceret eũ manu forti. Qui & adduxit eũ Londonias, in lectica ſaucium vnà cũ clerico omnium ſecretorũ ſuorum conſcio. Nec mora, cum conſtitutus fuiſſet in pręſentia regni rectoris ducis de Bedfordia, & ſtatuum parliamenti, lectum fuit indictamentũ coram eo de hoſtili inſurrectione contra regem in campo ſancti Egidii, & aliis offenſis læſę maieſtatis, qui partim tanguntur ſuperius in locis ſuis. Quæſitum fuit ab eo qualiter ſe voluit excuſare, & oſtendere quare nõ merito ſit adiudicandus morti, qui mox aliunde quęrens diffugia, aſſumpta parabola, cæpit pręedicare de Dei miſericordia, & quicunque mortales Dei imitatores eſſe vellent, deberent ſemper miſericordiam ſuperexaltare iudicio, vindictã fore ſolius Dei qui ab eius cultoribus nõ debuit exerceri ſed ſoli Deo relinqui, & alia plura commemorauit redimendo tempus, donec ſummus regni iuſticiarius regis

vicarium monuit, ne pateretur eum inaniter tempus terere, & aſſiſtentes regni proceres moleſtare. Iuſſit ergo regni rector vt reſponderet conſormiter ad obiecta, qui ſe videns conſtanter vrgeri, tandem poſt breuem meditationem ſoluto ſilentio reſpõdit, dicens: Mihi autem (inquit) pro minimo eſt, vt à vobis iudicer aut ab humano die. Et iterum impertinenter garrulare cæpit donec ſummus iuſticiarius iuſſit vt reſponderet finaliter, & doceret ſi poſſet quare mori non debuit, qui confeſtim cum ſumma ſuperbia & abuſione, reſpondit ſe non habere iudicem inter eos viuente ligeo domino ſuo in regno Scotiæ rege Richardo. Quo reſponſo accepto, quia non opus erat teſtibus, ſine mora iuſſus eſt trahi & ſuſpendi ſuper furcas, atque comburi pendẽs in eiſdem, vbi cum plures perſonæ honorabiles huic ſpectaculo intereſſent, domino Thomæ Erpingham (prout dicunt) nouiſſima verba locutus eſt: adiurans eum, vt ſi cerneret eum reſurgere die tertia, pacem procuraret ſectæ ſuæ. Tanta perditus fuit dementia, vt putaret ſe poſt triduum à mortuis reſurrecturum.

Anno domini M. CCCC. XVIII. tenuit rex natale in Normannia apud Baiocas, circa quod tempus redditum fuit ſibi caſtrum de Phaleſia, & ciuitas de Abruicis, id eſt Auerance ſe ſummiſit. Poſt feſtum Paſchæ miſſi ſunt per regem ad obſidendum monaſterium de Bekke Herlewim, dominus Thomas dux Clarenciæ: ad obſidendum villam de Cherburgh dominus Humfridus dux Glouerniæ: ad obſidendum caſtrum de Daunſront, dominus Richardus comes Warwici: ad obſidendum caſtrum Nullyle Veſque, dominus comes de Kyme. In die ſancti Georgii rex apud Cadomum in caſtello celebrauit ſolemniter idem feſtum. Circa feſtum trinitatis ad iuſſum regis profectus eſt in Normanniam dominus Thomas dux Exoniæ regis auunculus cum quindecim millibus prout dicitur bellatorum. Menſe Iunii Burgundiones nocte Pariſium intrauerunt, & comitem de Armanak morte turpiſſima mutulauerunt. Nam (vt ferunt) eum crudeliter excoriauerunt, expoſt crudeliſſime peremerunt. In illa ferali ſeditione iugulati feruntur plures nobiles, ſcilicet Cardinalis Baat Archiepiſcopus Remẽſis, Epiſcopus Meulx, epiſcopus Conſtancienſis, epiſcopus de Liſeux, Abbas ſancti Dioniſii, Abbas de Iormayle, cancellarius Franciæ, prępoſitus Pariſeorum, & plures alii ad numerum quatuordecim millium perſonarum. Nec ſaciari potuit effrenata furia tanta cæde virorum, quin & in fœminas graſſaretur. Nempe feruntur iugulata quinque millia fœminarum. Sub eodem tempore rex obſedit nobilem villam vocatam Loueres, quam fortiter expugnatam compulit ad deditionem ſub certis condicionibus vtrobique pactis. Reddita eſt ergo regi villa in vigilia ſancti Iohannis Baptiſtæ. Die vero Lunæ ſequente mouit dominus rex exercitum verſus Pount de Laarche. Eodem tempore dux Exoniæ obſedit ciuitatem Ebroicenſem Eueroyſe. Ipſo anno infra octauas aſſumptionis beatæ Mariæ, Ieſus Chriſtus vt putatur ob honorem glorioſæ matris ſuæ quam propenſius veneratur rex Angliæ, dedit ei in locis variis tres miraculoſas victorias in prouincia Normannorum: Prima fuit quod centum de ſuis Anglicis die Martis infrà dictas octauas ceperunt tres magnos dominos apud locum vocatum Kylbeneſ & perſonas alias octoginta, & ter centum fugere compulerunt. Secunda fuit die Iouis, quadringenti nempe de hoſtibus, intrauerunt ſuburbana ciuitatis Ebroicenſis, & vndecim ex Anglis fugauerunt eos, & ceperunt ex eis quatuor, & duodecim peremerunt, captis quadraginta dextratiis eorundem. Tertia fuit die ſabbathi ſequente ſummo mane. Hoſtes reuera voluerunt cepiſſe villam quam rex ceperat in prima equitatione ſua præſentis anni, dictam Loueres, ſed capitaneus dictæ villæ cum centum de noſtris exiuit animoſe contra mille, & Deo volente vicit eos, & tradidit in manus hominum noſtræ partis centum & octoginta perſonas generoſas ex hoſtibus, per omnia benedictus Deus. Pridie Kalendas Auguſti capta fuit inopinato, villa de Pounteyſe, prope Pariſium, probitate capitanei de la Bouche, ſummo mane, qui nocte non procul à villa deliteſcens, inter vineas cum nonnullis de domini regis familia, in vigilia matutina repente ſcalarum ſcanſione muros aſcendit, vbi poſt diutinam dimicationem, occiſis multis de defenſoribus, & pluribus vulneratis, cum ciues cernerent numerum inuictum creſçere inter eos, oppreſſi vecordia, portis apertis fugerunt quo ſors quenque trahebat, fuerunt vtique in ea villa præſortes homines conſtituti pro defenſione mille, qui ferebant lanceas atque ſcuta, & baliſtariorum duo millia, qui omnes ſub feſtinatione verſus Pariſium ſugere contendebant, ſed intercepti ſunt & pręoccupati per comitẽ de Huntingdonia, qui & ipſe deſtinatus fuit ad iſtud negotium, vt ipſe ex vna parte aut altera muros aſcendere moliretur, ſed tamen retardatus fuerat in Mariſco, nõ inueniens

ueniens

ueniens exitum, vſque ad ſolis ortum. Occiſa eſt ergo illa pene multitudo per comitem, villa per noſtros detenta. In qua recondita fuerant omnis generis victualia ad duos annos, de cuius amænitate, diuitiis & vtilitate rex ſcripſit quod inter omnia quæ geſſit in tranſmarinis partibus, opus magis vtile non peregit. Hæc autem geſta ſunt expitantibus treugis, in craſtino poſtquam Franci regem ſuis fallaciis deluſiſſent, & pacis vias quas res obtulerat refutaſſent: ferunt quod dicta villa fuit inſtaurata ſufficienter victualibus pro duobus annis. Die Lunæ proxima poſt feſtum ſancti Matthæi apoſtoli, caſtrum Giſorcii recuperatum fuit per Anglos. Et die Sabbathi proximo poſt idem feſtum recuperatum fuit caſtrum de Galiard per eoſdem. Dux Burgundiæ vocatus ad Dolphini colloquium, & ſuorum perfidorum complicum, proditioſe peremptus eſt, licet perante pariter omnes pari ſacramento ſe conſtrixiſſent, quod nullus alterum læderet cotundem qui ad colloquium conueniſſent, filius ducis Burgundiæ (qui & hęres eiuſdem) patris cupiens vindicare iugulationem, deſtinatis humiliter ad regē noſtrum multis perſonis honorabilibus, pręſtitit ſacramentum per eoſdem de fidelitate ſeruanda ſibi. Epiſcopus Surreyenſis domini Wintonienſis ſuffragane⁹ celebrauit ſolemnes ordines apud S. Hoc anno nouerca regis, Anna regina, per quoſdam infamata de quodam maleficio, quód in læſionem regis commentata fuiſſet (amotis cunctis ſuis famulis) commendata eſt cuſtodiæ Pellam, qui adhibitis ſibi nouem ſeruientibus, introduxit eam in caſttum de Peneneſcye ſub eius prouidentia gubernandam. Circa feſtum omnium ſanctorum duciſſa Clarenciæ cum multis aliis dominabus Angliæ in Neuſtriam transfretauit. Balthazar Coſſa nuper dictus Iohannes Papa 23. decreto conſilii Conſtancienſis degradatus, & incarceratus, propter humilem ſummiſſionem qua ſe ſummiſit Papæ Martino, liberatur à carcere, & ad Cardinalatus reſtituitur dignitatem. Dominus Humfridus dux Glouerniæ, frater regis minimus, factus eſt cuſtos regni Angliæ, loco fratris ſui domini Iohannis ducis Bedfordiæ, qui vocatus à rege, nauigauit in Neuſtriam cum valida bellatorum manu, poſtquam glorioſe reginien regni tenuerat per duos annos. Hoc anno. 16. die Maii noſtri pugnauerunt cum Gallicis, qui venerant ad diſſoluendum obſidionem villæ de Freney, quam comes Sariſburienſis obſedit, & occiderunt ex eis pene quinque millia, captis ſexcentis cum Mareſcallo de Rows, & multis aliis nobilibus & honoratis viris. Ductores ex parte noſtra fuere comites Huntingdoniæ, & Marchiæ: I. Grecotnewayle, & Philippus de Leche. Capti ſunt in hoc conflictu multa ſigna nobilium, inter quæ Wilhelmus Duglas perdidit vexillum ſuum, occiſis de Scotis ſuis pluſquam centum: ſignum Wilhelmi Duglas rex iuſſit extendi in eccleſia ſanctæ Mariæ Rothomagi. Dux Burgundiæ per hoc tempus ſollicitat, vt pax & concordia fiat inter reges, modo & forma ſub certis condicionibus, quarum talis eſt effectus. In primis quod Rex noſter acciperet & habebit in coniugem puellam præclariſſimam dominam Katherinam, regis Francorum Caroli filiam. Et quod per eum modum illuſtriſſimos conſanguineos ſuos, regem Franciæ, & reginam, efficiet ſibi patrem, & matrem, & eoſdem vt patrem & matrem ſuos habebit & pro talibus venerabitur præ cunctis aliis perſonis mundi, & quod non impediet quin conſanguineus ſuus rex Franciæ teneat & poſſideat quoad vixerit coronam & dignitatem regalem Franciæ, & prouentus more ſolito, ad ſuſtentationem ſui ſtatus, & onerum regni, & præfata conſanguinea ſua ſereniſſima regina Franciæ conthoralis eiuſdem regis Franciæ, etiam teneat quamdiu vixerit, ſtatum & dignitatem reginæ, ſecundum morem regni prædicti, &c. Quæ pręmiſſa illuſtriſſimus rex Angliæ ſe obſeruaturum, facturum, & impleturum offert, dummodo per partem regis Franciæ iſta promittantur, concordentur & fiant. Similiter in primis quod immediate poſt obitum eiuſdem conſanguinei ſui, & ex tunc deinceps, corona & regnum Franciæ cum eorum iuribus, & pertinentiis vniuerſis, manebunt & erunt ipſius regis Henrici, & hæredum ſuorum imperpetuum. Item quod pro eo quod pręfatus ſereniſſimus conſanguineus ſuus Franciæ, tenetur vt plurimum aduerſa valetudine, ſic quod non poteſt commode vacare diſponendis regni negotiis, idcirco ad vitam eiuſdem conſanguinei ſui Franciæ, facultas diſponendi rempublicam regni pręd icti, & exercitium (cum conſilio nobilium & prudentum eiuſdem regni, eidem ſereniſſimo conſanguineo obedientium, qui commodum & honorem ipſius regni dilexerint) penes ipſum dominum regem Henricum ſint, & maneant, ita vt ipſam per ſe ipſum, & etiam per alios quos cū conſilio pręfatorum nobilium ad hoc duxerit deputandos, regere poſſit & gubernare ſecundum exigentiā iuſticiæ, & æquitatis. Item quod proceres, magnates, & nobiles,

Iuramentum communarregi Henrico.

ac ſtatus regni prędicti, tam ſpirituales quam temporales, necnon ciuitates, & notabiles cōmunitates, ac ciues, & Burgenſes villarum eiuſdem regni, prefato cōſanguineo ſuo pro tempore obedientes, pręſtabunt iuramenta quæ ſequuntur. In primis quod eidem domino regi Henrico (facultatem & exercitium diſponendi & regendi dictam rempublicam gerenti) ac iuſſionibus ſuis humiliter & obedienter in omnibus (exercitiū regiminis dicti regni concernentibus) & per omnia parebunt & intēdent. Item quod ea quæ inter prefatum conſanguineum, & conſanguineam eiuſdem regis, & ipſum regem, cum conſilio eorum (quod iidem conſanguineus, & conſanguinea, & ipſe dominus rex ad hoc duxerit adhibendos) appunctata fuerunt & concordata, ipſi proceres & magnates, &c. quatenus eos ſimul & ſingulos eorum concernere poterit, in omnibus & per omnia, bene & fideliter obſeruabunt, & pro poſſe ſuo facient ab aliis quibuſcunque obſeruari. Item quod continue ab obitu & poſt obitum dicti conſanguinei ſui Franciæ, erunt ipſi fideles homines & ligei prefati regis H. ac hæredum ſuorum, ac ipſum pro domino ſuo ligeo, ac ſupremo, ac vero rege Francię, abſq; oppoſitione, contradictione, ſeu difficultate recipient & admittent, ac pro tali obedient, & quod (præterquam dicto conſanguineo) nulli vnquam poſthæc tanquam regi & regenti regni Franciæ obedient, niſi eidem regi, Henrico & hæredibus ſuis. Item quod non erunt in conſilio, auxilio, vel aſſenſu, quod præfatus rex Henricus perdat vitam, aut membrum, ſeu capiatur mala captione, aut quod patiatur damnum ſeu diminutionem in perſona, ſtatu, honore, ſeu rebus, verum ſi quid tale contra eum moliri ſeu machinari nouerint, illud pro poſſe ſuo impedient, & eidem regi quam celerius poterint per ſeipſos ſeu nuncios vel litteris intimabunt. Item quod prefatus ſereniſſimus conſanguineus ſuus Franciæ, ſuper pręmiſſis omnibus & ſingulis, ac aliis quibuſcunque inter ipſum conſanguineum, & prefatum regem in hac parte concordandis, eidem regi Henrico, dabit, & faciet, ac dari & fieri faciet, ſuas litteras patentes, ſuo magno ſigillo ſigillatas, nec non litteras patentes approbatorias & confirmatorias, prefatæ ſereniſſimæ principiſſæ conſortis ſuæ, ac illuſtris conſanguinei ſui ducis Burgundiæ, & aliorum procerum & magnatum dicti regni, eidem conſanguineo ſuo Franciæ nunc vel in futurum obedientium (quotum litteras in ea parte ab eodem conſanguineo dictus rex exigere voluerit) ſub ita claris, apertis & ſecuris, modo, forma & verbis, ſicut per conſilia partium poterit aduiſari, necnon omnimodas rationabiles ſecuritates quas in hac parte velit idem rex Henricus. Et offert dominus rex Henricus, quod ſimili modo pro parte ſua, dabit & faciet ſuper eiſdem ſuas litteras patentes, approbatorias & affirmatorias, pręclariſſimorum fratrum ſuorum & aliorum de ſanguine ſuo regali, pro eorumque & magnatum ſibi obedientium, nec non omnimodas ſecuritates rationabiles, quas dictus conſanguineus exigere velit in hac parte. Duce Burgundiæ ſuadente, rex Francus & regina conthoralis eius, necnon & magnates & proceres qui aſtabant eidem regi, grataner admiſerunt pręſcriptos articulos, & eos ſe obſeruaturos fideliter promiſerunt. Ac proinde Rex Angliæ cæpit equitare cum exercitu verſus regem Franciæ, qui perhendinauit apud Troys in Campania de Ponreys, octauo die Menſis Maii, tranſiens per villam ſancti Dionifii, vbi & obtulit & deuotiones fecit. Deinde tranſiit iuxta foſſata Pariſeorum (populo ciuitatis inſpectante, & vt apparuit valde gaudente) peruenitque ad pontem de Charenton, ſuper quem Turris habetur fortiſſima, & ex vtraque parte turris eſt pons eleuabilis & tractabilis, ſic quod nullus accedere poteſt ad Turrim, ſi iſti pontes fuerint eleuati. In hoc loco rex dimiſit dominum Wilhelmum Gaſcoine, cum forti manu ad pontis cuſtodiam donec rediret, ſicque fecit in omnibus locis in quibus tales pontes habebantur. Tandem viceſimo die menſis Maii peruenit ad Troys, vbi cum ſumma reuerentia pontifices qui fuerunt in villa, & Cancellarius Franciæ, cum toto clero & omnes qui aliquem gradum tenebant circa regem Francum, dux Burgundiæ cum multis proceribus & militibus, facti ſunt in obuiam domino noſtro regi ad ſpacium miliarii extra ciuitatem. In craſtino partes conuenerunt ad Eccleſiam ſancti Petri, rex videlicet cum quadraginta perſonis dominorum, militum, & armigerorum (ad iſtud negotium ſpecialiter aſſignatorum) duciſſa quoque Clarenciæ intrauit cum domino noſtro rege: regina vero Franciæ venit illuc cum duce Burgundiæ, & quadraginta perſonis de ſuo conſilio, & cum ea filia ſua domina Katherina duciſſa de Baire, & regina Anglię mox futura. Obuiauerūt igitur rex & regina in medio ipſius eccleſiæ, & aſcenderunt pariter ad maius altare, vbi corā vtriſq; partibus recitabantur omnes articuli & appunctuationes pręmiſſæ concordiæ quæ (partibus

bus conſentientibus) ſigillatæ fuere ſigillis amborum regum, & partes iuratæ de concordia ſine fraude. Quibus ita geſtis, dominus rex & Katherina fecerunt aſſecurationem fide interpoſita per manus eorundem. Poſt hæc dux Burgundiæ iurauit publice, quod eſſet obediens domino noſtro Regi tanquam regenti Franciæ, durante termino vitæ Regis Franci, & quod poſt eius deceſſum deueniret illico ligeus homo Regis noſtri: proinde mox pax proclamata fuit, primo in parte regis Franci in lingua Gallica, & expoſt in parte Regis noſtri in lingua noſtra, vbi tunc recitati fuerunt articuli iſtius concordiæ, & publicati per totam ciuitatem, & exercitum Anglicanum. Tertio die menſis Iunii (ſcilicet in craſtino Trinitatis) rex noſter Henricus duxit in vxorem dominam Katherinam, & aſſignauit ſibi miniſtros domus ſuæ valentes perſonas Anglicanas, nec remanſit in eius obſequio quiſquam Gallicus, exceptis tribus mulierculis generoſis, & duabus ancillis, quæ famularentur magiſtræ ſuæ. Acta ſunt hæc anno gratiæ milleſimo quadringenteſimo viceſimo, & regni regis Franci quadrageſimo, & regis Anglorum octauo. Quartodecimo die menſis Iunii facta fuit London. ſolemnis proceſſio, in qua & ſermo de præmiſſis publice dicebatur apud crucem ſancti Pauli, vbi inſuper diuulgabatur, quod ſigillum regis Angliæ confringeretur, & inſculptio noua fieret in eodem, quæ nomen regis præferret, adiecto titulo, quod Rex noſter in ſuis apicibus rex Angliæ vocaretur, & regens vel rector Franciæ, & heres apparens regni prædicti.

Nuntiis itaque inter dominum regem Angliæ, & dominam Katherinam filiam regis Franciæ (vt præſcribitur) ſolemniter celebratis, & pace reformata, Rex Angliæ (vtpote rector & hæres Franciæ) ſe diſpoſuit ad ciuitates ſibi & coronæ Franciæ rebelles, pro ſuis viribus ſubiugandis, cepit ciuitates de Saunz, & de Botreus per deditionem continuo ſibi redditas: deinde ad ciuitatem fortiſſimam de Melon cum ſuis exercitibus ſe tranſtulit, & eandem per obſidionem fortiſſimam vallauit: fuerunt namque in ipſa obſidione reges Angliæ, & Franciæ, & Scotiæ, duceſque Burgundiæ, Bauariæ, Clarentiæ, Bedfordiæ & Exceſtriæ, Comites vero Marchiæ, Warwici, Huntingdon, de Somerſede, &c. Et alii domini, Barones, milites, & armigeri genere præclari, & armis validi, quorum nomina memoriæ non occurrunt. Durauit ipſa obſidio 14. ebdomadibus, & quatuor diebus, videlicet à feſto ſanctę Mariæ Magdalenæ vſq; ad feſtum omnium ſanctorum proximum ſequens, non ſine quotidiano pene & valido conflictu obſidentium eum obſeſſis, læſione, mutilatione, & interitu plurimorum. Interierunt namque de obſidentibus (vt aſſeritur) plures quam mille & ſeptingenti viri. Fuerat namque dicta obſidio Anglicis omnium obſidionum, quas antea habuerant, magis nociua. Tandem deficientibus & abſumptis cunctis victualibus obſeſſorum, regnum Angliæ & Franciæ ſe gratiæ reddiderunt, de quibus plures quam quadringēti, de valentioribus caſtrorum diuerſorum cuſtodiæ ſunt commiſſi, reliqui vero regis Angliæ pietate ſunt dimiſſi. Habita igitur de ſuis rebellibus tam mortifera, quam glorioſa victoria, reges prædicti cum magna parte eorum exercitus, Pariſius acceſſerunt, ibidem dies natalitios, & maximum Parliamentum ſolemniter celebraturi.

Anno domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo primo, regni vero Henrici quinti regis Angliæ heredis & regentis Franciæ nono, tenuit idem rex natale domini Pariſius, in quodam loco munitiſſimo (caſtrum ſancti Antonii vocitatum) in latere eiuſdem ciuitatis ſitum, vbi in ciuitatem poterat reſpicere, & rebelles eidem (ſi neceſſe fuerit) de facili cohibere, non tamen ſine vigilia ſui exercitus, & cuſtodia ſatis forti. Expletis diebus natalitiis, & ſolenni parliamento ibidem, rex Angliæ Rothomagum tranſiit, ibique cum ſuis Normannis & Anglicis ligeis aliud Parliamentum ſimiliter celebrauit. Diſpoſitis dehinc ſufficienti ſecuritate & cuſtodia (vt ſibi videbatur) tam pro regno Franciæ, quam ducatu Normanniæ, Angliam properauit, & per Picardiam & Caleſiam pertranſiens, in vigilia Purificationis beatæ Mariæ Doueriam, deinde Cantuariam, cum regina ſibi nouiter nupta aduenit, domino Iohanne Cornewayle milite reliquis in partibus tranſmarinis pro tutela perquiſitorum, & patriæ derelicto. Tranſactis quoque Cantuariæ paucis diebus, London. acceſſit, vbi à clero, ciuibus & populo ludicris & vario apparatu (vt decuit) cum maximo gaudio receptus fuit. Dicta quoque regina, (dominica prima quadrageſimæ proximo ſequente) præmiſſa equitationibus, & proceſſionibus congruis, ad Weſtmonaſterium à turri London. conducta, & ibidem miniſterio Cantuarienſis Archiepiſcopi (& aliorum quibus competit) ſolemniter coronata. Coronatione itaque Reginæ cum omni ſo-

 lemni-

lemnitate & lætitia (vt decuit) celebrata, & competenti familia eidem, & eius hoſpitio deputata, rex cum regina per diuerſa loca ſolēnia & celebria ſanctorum pertranſiens, & peregrinationes ſuas & vota adimplens, feſtum Paſchæ apud Leiceſtriam tenuit, feſtum vero ſancti Georgii non ipſo eius die, ſed vſq; ad dominicam poſt aſcenſionem Domini apud caſtrum de Windeſore tenendum more ſolito prorogauit. Quo quidem tempore Parliamentum per ipſum primitus limitatum Londini fuerat inceptum, & infra menſem felicitet expeditum. Nempe præter decimam à clero, & quintam decimam à populo domino Regi (in ſuarum guerrarum ſuſtentationem & ſubſidium) conceditur, multa alia ſunt in clero & populo ad Regis placitum reformata. Et præcipue in ordine nigrorum monachorum, illuc in maximo numero regis edicto inſimul congregato. Fuerant vtique ibidem etiam ſexaginta abbates, & priores conuentuales etiam trecenti, & amplius monachi, doctores, & procuratores. Delatum namque fuerat regiæ Maieſtati, à quibuſdam falſis fratribus, Abbates cum ſociis, multum deuiaſſe, religionem monaſticam à ſuis primæuis inſtitutionibus, & obſeruantiis, fore dilapſam, & neceſſario per eundem & non aliter poſſe reformari. Quæ quidem credibilior fuerat eo, quod maior pars prælatorum ac ſeniorum eiuſdem ordinis defeciſſet, & effrenata iuuentus eius tempore ſucceſſiſſet, vnde idem Rex cum quatuor ſolummodo perſonis valentibus, ad eoſdem in capitulo Weſtmonaſterii inſimul congregatis, ſatis humiliter intrauit, & præmiſſa humili ſalutatione, collationem ad hoc idoneam, per Epiſcopum Exceſtriæ (magiſtrum videlicet Edmundum Lacy ſacræ Theologiæ profeſſorem) auditurus conſedit, poſt cuius terminationem ipſemet eiſdem alloquebatur de priſtina religione monachorum, & ob hoc ſuorum anteceſſorum & aliorum in fundatione & dotatione monaſteriorum deuotione, ac de modernorum negligentiis & indeuotione. Tradiditque eiſdem quoſdam articulos, vt expoſt ſe per eoſdem corrigerent: ſuppliciter exorans, vt ad priſtinam religionem ſe retraherent, pro ipſo & ſtatu regni eius, & Eccleſiæ indeſinenter orarent, ſatis animoſe & corditer affirmans, & ſi talia agerent, ſe ipſos nullum hoſtem penitus verituros, & ſe in eorum orationibus ſpecialiter confidere, quibus quidem articulis, & aliis, per dictum Epiſcopum & alios ex parte regia approbatis per Abbatem ſancti Albani (ſacræ Theologiæ profeſſorem) & alios valentiores, & ſapientiores dictæ congregationis, diligenter diſcuſſis: facere fuerat ſuper eiſdem reformationem, prout tempus, ſtatus, & imbecillitas hominum videretur permittere, per capitulum prouinciale proximum approbandum, & per dominum Apoſtolicum confirmandum. Quam qui voluerit aſpicere in monaſterio ſancti Albani & aliis pluribus locis eiuſdem religionis poterit inuenire. Statutum etiam fuerat in eodem parliamento, ad inſtantiam maximam domini regis (vt aſſeritur) per clerum, vt tertium beneficium collationi ſeu præſentationi prælatorum & monaſteriorum pertinens amodo per ſeptennium vacaturum conferretur alicui clerico vniuerſitatis Oxoniæ, ſeu Cantabrigiæ, ſecundum modum & formam in quodam ſtatuto inde plenius ſpecificato. Ad petitionem inſuper domini regis obtentum fuerat, quod portio hereditaria de comitibus Northamptoniæ, Herfordiæ, & Eſtſexiæ, ipſum concernens, paribus gauderent libertatib. alias per Edwardum tertium regem Angliæ ducatui de Lancaſtria primitus conceſſis. Plura quoque alia fuerant ſtatuta, quæ noſtræ notitiæ non occurrunt, inter parliamentalia ſtatuta plenius annotata. Præterea dominus Thomas frater regis (dux Clarentiæ) cum exercitu Anglicano ſatis valido in Franciam progreditur, Regis & regni rebelles ſubiiciens, & eorum bona ſibi & ſuis diripiens, peruenit ad caſtrum fortiſſimum in partibus de Meyns, (Beuford nominatum) vbi à duobus Scotis per ſuos exploratores ſeu feriarios interceptus, relatus ſibi fuerat exercitus Dolphini, ad numerum quatuor millium pugnatorum per quatuor inde leucas prope ciuitatem nominatam reſidere: vnde ſupra modum exhilaratus, & ſecus quam decuit tantum Principem, feſtinos tranſmiſit nuntios ad capitaneos ſui exercitus per patriam diſperſos, vt ipſum illuc ſequerentur indilate. Ipſe quoq; dux cum paucis vltra numerum non ſupputatum, inde progrediens peruenit ad quendam fluuium & mariſcum, quos (cum maxima difficultate, & non ſine ſuorum tam hominum quam equorum amiſſione) pertranſiens, diuiſim & abſque militari ordine incedens, in manus ſuorum inimicorum ſe iniecit, à quibus ipſe & alii plurimi de ſuis valentioribus fuerant interfecti, plurimi quoque intercepti, grauibus redemptionibus redimendi. Multi quoque plures cecidiſſent, niſi vox eorum conflictum præpediſſet, latebant tamen ſuos aduerſarios quos occiderūt, donec

per duos haroldos (per ipſum ibidem interceptos, & ſuper hoc ſtricto iuramēto oneratos) ſcrutinio facto corporum occiſorum continuo inde certificati plenius extiterunt. Impoſuerunt dictum Ducis corpus in quodam vehiculo ad Dolphinum (qui tunc temporis Turonis aderat) cum ceteris captiuis deducendis, ſed filius dicti Ducis nothus, coadunato reliquo exercitu, illud de eorum manibus viriliter eripuit, & ad ſuam coniugem ducißam in Normanniam tranſmiſit, in Eccleſia Christi Cantuariæ poſtea tumulatum. Cecideruntque ibidem dominus de Ros, & germanus eius, dominus Gilbertus Humfreuile factus Comes de Kyme, & dominus Iohannes Gray factus ſcilicet per eundem Comes de Tankeruile in Normannia. Capti quoque fuerant ibidem comes dominus de Huntingdon, dominus comes de Somerſet, & frater eius dominus Fitzwalter, & dominus Wilhelmus Bower. Ceperunt namque dicti regis aduerſarii in eius abſentia quandam ciuitatem munitam, primitus ſibi redditam: eius capitaneo Anglicano cum omnibus aliis gladio trucidatis, de quibus victoriis elati, tantam conceperunt audaciam, vt timeretur de rebellione & redditu ceterorum ſuperius ſibi redditorum, vnde ſupplicarunt attentius domino regi ſui fideles & ligei, vt ad illas partes cum valida armatorum manu quantocius feſtinaret. Rex igitur omnibus regnum Angliæ, & guerras Scotiæ concernentibus, pro ſuo beneplacito diſpoſitis, cum valida armatorum & architenentium manu (ad mille & amplius ſupputatis) ad partes Gallicanas rediit, mortem ſui fratris & ceterorum pro ſuis viribus vindicaturus, ſed noluit Dolphinus cum eo cōfligere: licet aliter eidem ſuis nuntiis intimaſſet, & maiorem exercitum, vt aſſeritur, habuiſſet, & eidem iuramento aſtrinxerat, ſi daretur oportunitas cum rege noſtro Angliæ voluiſſe confligere: ſed ſe in longinquis tunc partibus tenuit, & patriam vndiq; deuaſtauit: vnde aſſeritur maiorem ſuorum ſtipēdiariorum armatorum partem ab eo receſſiſſe, nec ei diutius militare voluiſſe. Rex itaque poſtquam per terras per ipſum Dolphinum primitus vaſtatas, cum magno detrimento ſui exercitus inaniter perſecutus fuiſſet ciuitatem de Mewz, ſuper fluuium & partibus de Bry, ſuis rebellibus plenam cum ſuis exercitibus obſedit, vbi per conflictum & victualium inediam, magna eius multitudo conſumpta vel infirmata fuit, magna quoque eius pars in Angliam rediit denuo minime reditura. Per idem tempus Dux Burgundiæ ciuitatem ſancti Richardi munitiſſimam ſibi & coronæ Franciæ rebellem adiutorio Anglicorum obſidione vallauit, ſed ad eius dotationem ex cauſis ſubſequentibus non peruenit. Nam Pikardi & Gallici vndique congregati dictam obſidionem diſſoluere nitebantur, maiori armatorum ſuper eum numero irruente. Quorum aduentum paulo prius per ſuos exploratores præſciens, tria propria tentoria combuſſit, & ſe fugere ſimulauit, vnde eius aduerſarii amplius efferati, eum perſequi non deſiſtunt, ſed inter ipſum & inſidias eiuſdem retropoſiti intercepti mille & octingenti de eiſdem occiſi, ac captiuati, ceteris per fugam dilapſis. Sic itaque prædicta obſidione diſſoluta, ipſe Dux pro tanta victoria Deo gratias retulit, & ſuas peregrinationes & vota ob hoc promiſſa indilate perſoluit, non enim poterat cum ſuo exercitu pro tunc amplius obſidere, propter cremationem ſuorum tentoriorum (vt præſcribitur) quia magna pars ſui exercitus ab eo receſſerat ante conflictum, & ſui aduerſarii taliter prouocati ſuper eum accreſcere poterant tota die.

Poſtquam vero Chriſtianiſſimus & excellentiſſimus Hungariæ, Boemię ac Romanorum Rex Sigiſmundus ad Romanum imperium electus, ſua præſentiali ſollicitudine, Eccleſiam Dei cum generali conſilio ſtabiliſſet, & verum domini vicarium & ſucceſſorem Petri Martinum quintum in eadem præfeciſſet, redit ad ſua regna, & dominia propria, pro inimicis fidei debellandis, & hæreſi Lolardorum (qui tepore & manu tenentia ſui fratris ſenioris in regno Boemiæ inualuerat) pro ſuis viribus diſtrahendis. Collecta itaque armatorum maxima multitudine, vniuerſitatem, & ciuitatem de Prage (in qua vltra ceteras dicta hæreſis originem ſumſerat, & ſuas radices fixerat & dilatauerat) etiam ſibi rebellem obſidione fortiſſima circumcinxit. Videntes igitur obſeſſi, tantæ ſe potentiæ non poſſe reſiſtere, ſummiſerunt ſe totaliter eius imperio, fatentes ſe fore eius ligeos, & eius conſilio, ordinationi, & imperio parituros, dummodo maximam partem ſui exercitus (quæ totam eorum patriam deuaſtauerat) remitteret: & cum ſuo ſolo familiari exercitu, cum eiſdem inde amicabiliter pertractaret, eidem victualia & dona in ſignum ſuæ promiſſionis & futuræ fidelitatis emittentes, & ſuos ambaſſiatores honorifice ſuſcipientes, quorum promiſſionibus nimis credulus, & effuſionem ſanguinis Chriſtiani euitare deſiderās, fortiſſimam

Sigiſmūdus Pragam obſidet.

partem

partem ſuorum exercituum remiſit, & reliquo ſuo familiari exercitu (vt optauerant) rei exitum expectauit. Videntes igitur fallaces, & falſidici, tempus ſuis deſideriis arriſiſſe, irruperunt etiam ſubito in eius exercitum, feceruntque inde ſtragem maximam, antequam imperator ceteris poterat ſubuenire. Tandem reſumpto ſpiritu viuaciori, per medium illorum trina vice ſe ingeſſit, plurimos perêmit, & ceteros reintrare coegit. Et cum reliquo exercitu ad propria rediit, fortior denuo rediturus, & ſui iniuriam vindicaturus, coadunato namque ſuorum principum, ducum, & militum, & aliorum armatorum, & architenentium, & baliſtariorum validiſſimo exercitu, cum Archiepiſcopis, Colonienſi, Maguntienſi, & Treuerenſi, & aliis (ob hoc exhortatione & auctoritate Apoſtolica cruce ſignatis) dictos hæreticos perſequi non ceſſauit, & eoſdem aut vnitati fidei & Eccleſiæ reuocauit, aut gladio vel ignibus tradidit deuorandos.

Pragenſes fœdifragi.

Hoc etiam anno domina Katherina regina Angliæ peperit filium ſuum primogenitum, apud caſtrum ſuum de Windeshora, die ſancti Nicholai Epiſcopi & confeſſoris, & vocatum eſt nomen Henricus. Suſceperunt namque eum de ſacro fonte dominus Iohannes dux Bedfordiæ (eius auunculus, & pro tunc cuſtos Angliæ) & dominus Henricus domini regis auunculus, Wintonienſis Epiſcopus, & domina Iakelina ducißa Holandiæ (pro tunc in Anglia moram trahēs) miniſterio domini Henrici Cantuarienſis Archiepiſcopi, cum ea qua decuit ſolemnitate & lætitia (cunctorum præcipue Anglicorum) non ſine maximis donatiuis ad magnum valorem computatis. Hoc inſuper anno primo die menſis Decembris, coadunatum eſt Parliamentum apud Weſtmonaſterium per dominum Regem, domino duce Bedfordiæ (pro tunc cuſtode Angliæ) eidem præſidente. In quo fuerat vna quinta decima à laico populo domino regi in ſuarum guerrarum ſubſidium conceſſa, ad feſtum Purificationis beatæ virginis, & ſancti Martini eidem perſoluēdum, ſed nihil à clero ea vice pro eo quod decima per eundem in vltimo Parliamento conditione tali conceſſa nondum fuerat plene perſoluta, ſub ea etiam conditione, quod prima medietas dictæ quintæ decimæ ſolueretur de pecunia conſeruata & alia tunc currente. Ordinatū etiam fuerat, quod talis moneta cum reliquo vſq; dictum feſtum Purificationis indifferenter curreret, dummodo foret argentum verum vel aurum, nec tonſione vel lotione enormiter diminutum. Hoc etiam anno menſe Aprili transfretauit regina Angliæ in Normanniam, cum manu valida ſub conductu domini Iohannis fratris regis, ducis Bedfordię: & dominus Humfridus frater eiuſdem cuſtos Angliæ ſubrogatur.

Anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſecundo, tenuit dominus rex Angliæ regens & heres regni Francię, natale domini cū ſuo pauco Anglorum exercitu ſibi relicto, in obſidione ciuitatis de Mews, in partibus de Bry, quam obſederat per quoddam ſpatium anni proximi præcedentis. Durauit quoq; eadē obſidio vſq; 5. diem menſis Maii proximo ſubſequentem, quo quidem die reddita fuerat ciuitas memorata, cum omnibus eidem pertinentibus diſpoſitioni & gratiæ domini Regis. Rex vero admiſit ad gratiam omnes incluſos, præter Scotos, Hibernicos, & falſos Anglicos, & alios ſibi antea iuratos, ſed de valentioribus ad Angliam ſunt conducti Comitis Deuoniæ tranſmiſſi, & ibidem diuerſis carceribus mancipati, grauibus (vt creditur) ſummis pecuniæ redimendi: ſaluis etiam domino Regi omnimodis armatura, victualibus, & re pretioſa in eadem ciuitate repertis. Interea Dolphinus cum Comite de Armanak & Scotis, & aliis ſibi adhærentib. & exercitu ſatis valido, quandam ciuitatem muratam ducis Burgundiæ obſedit. Obſeſſi igitur ob inopiam victualium in arcto poſiti, miſerunt eidem Duci ac etiam domino regi Angliæ heredi & regenti Franciæ pro ſuccurſu: alias vrbem prædictam eoſdem eidem Dolphino neceſſario reddituros. Miſit igitur Dominus Rex illuc cum ſuis exercitibus fratrem ſuum Dominum Iohannem Ducem Bedfordiæ, Dominum Thomam Beuford auunculum ſuum Ducem Exceſtriæ, Comitem Marchiæ, Comitem Warwyci, & alios Comites, & Barones, & milites (quorum nomina noſtræ notitiæ non occurrunt) cum dicto Duce Burgundiæ pro dicta obſidione amouenda, & bellis cum ſuis aduerſariis committendis: ſed Dolphinus eorum aduentu per ſuos exploratores recognito, more ſolito fugit, & eius tentoria Anglorum direptioni dereliquit. Rex itaque diutina intemperie (quam ex nimio & diutino labore contraxerat) interim incidit in febrem acutā cū diſſenteria vehementi, quæ in tantum eius vires conſumpſerant, quod medici eidem medicinas aliquas intrinſecas apponere non audebant, ſed de eius vita penitus deſperabant. Cernens igitur Dominus Rex ſibi mortem proximam immi-

nere,

nere, conuocatis ſuis ducib. & aliis qui adeſſe poterant, pro regnis tam Franciæ quam Angliæ, ac ducatu Normanniæ ſapienter diſpoſuit, teſtamentum confecit, & debita ſua de ſuis theſauris & iocalibus ſuperhabundantibus ſoluenda conſtituit, ſumptiſque viuifici corporis dominici & aliis, quæ ad Chriſtianum pertinent, ſacramentis, inveta pœnitentia, fide recta, ſpe certa, & charitate perfecta, & bona memoria, huic ſeculo & ſuis valefaciens, animam ſuam ſuo reddidit creatori penultimo die menſis Auguſti, poſtquam regnaſſet nouem annis, quinque menſibus, & 14. diebus, ſibique ſimilem inter Chriſtianos Reges vel Principes non reliquit, vnde eius mors non ſolum regnicolis Angliæ & Franciæ, verum toti Chriſtianitati non merito eſt deflenda.

Henrici. mors.

Fuit itaque pius in animo, rarus & diſcretus in verbo, prouidus in conſilio, prudens in iudicio, modeſtus in vultu, magnanimus in actu, conſtans in agendis, in peregrinationibus frequens, & eleemoſynis largus, Deo deuotus, & Eccleſiæ prælatos & miniſtros promouens & honorans, belliger quoque inſignis & fortunatus: qui in cunctis congreſſibus bellicis ſemper victoriam reportabat. In ædificiis conſtruendis, & monaſteriis fundandis magnificus, in donis munificus, inimicos fidei & Eccleſiæ ſuper omnia perſequens & impugnans. Hæc & eius geſta notabilia eius ſubditi animo reuoluentes, de tam ſubitanea & terribili mutatione dexteræ excelſi plurimum formidabant, ac indicibiliter condolebant, nec mirum, cum pro tam potentiſſimo rege & domino ſapiente, & omnibus bonis moribus adornato, reciperent pro eorum Rege & domino eius filium nondum annalem, inualidum & improuidum, ad regendum tot & tanta regna, & dominia ſibi hereditarie pertinentia: illud væ Salomonis metuentes, cuius terræ rex puer eſt, &c. Niſi eius bonitatis clementia ſubueniat, qui æque mirabilia operatur in minimis vt in magnis, cuius manus non eſt abbreuiata quin faciat bonũ, dummodo in eius & noſtris oculis ad modũ noſtri regis humiles efficiamur & paruuli, & in noſtris actibus & bonis conſiliis indiuiſi. Rex itaque Franciæ Carolus audita morte ſui generi Angliæ prænotati, poſt ſolennes exequias & miſſas in ſua capella pro eius anima ſolemniter celebratas, accerſito eius edicto ſuorum prælatorum & aliorum dominorum (qui concordiæ nuper pridiũ inter regna Francię & Angliæ conſenſerant) numero copioſo, fecit eandem concordiã coram ipſis perlegi, & tam ſuo quam illorum iuramento ſuper corpus dominicum & ſancti Dei Euangelia denuo confirmari. Deinde dolore & deſolatione contabeſcens, 13. die ſubſequenti & ipſe inſtabili luci ſeculi valeſecit.

Caroli mors.

Sed & omnis pene Francigenæ, qui eiuſdem regis Angliæ æquum & diſcretum regimen poſt tam turbulentam & improbam aliorum tyrannidem experti fuerant, planctu maximo condolebant, præcipue Pariſienſes, & Rotomagenſes, eiuſdem Regis corpus in funeralibus obſequiis, legitime, & oblationibus pro eorum viribus multipliciter honorantes, offerentes auri ſummas maximas pro eius corpore inter eoſdem tumulando, pro eorum honore & ſolamine ſingulari, ſed hoc fieri non poterat pro eo, quod teſtamentatie primitus legauerat ſe apud Weſtmonaſterium tumulandum, quod poſtmodum, vt ſequitur, ſatis honorifice eſt completum. Congregato interea apud Pariſium & Rotomagum magno conſilio vtriuſq; regni, dominoque Iohanne fratre regis duce Bedfordiæ, & cuſtode ducatus Normanniæ, ac domino duce Burgundiæ regente regis & regni Franciæ, prout idem rex Angliæ viuens ordinauerat conſtitutis. Nec non comite Saliſburienſi, Comiteque Southfolchię & aliis pluribus proceribus ad tutelam caſtrorum, & villarum inibi relictarum. Reliqui pene Comites & domini cum regis corpore, & regina ad Caleſiam, deinde in Angliam redierunt, præmiſſis Regis theſauris & iocalibus in Turri Londonienſi conſeruandis. Regiis quoque exequiis apud Cantuariam & ſanctum Paulum Londini, & Weſtmonaſterium (vt tantum Principem decuit) ſolemniter celebratis, inceptum fuerat Parliamentum auctoritate & breuibus Henrici Regis Angliæ ſexti dicti Regis filii, pridem ſummoniti apud Weſtmonaſterium, præſidente eidem eius auunculo domino Humfrido duce Glouceſtriæ, prius cuſtode Angliæ commiſſione dicti Regis. Infra quod Parliamentum ſolennes exequiæ regis ab omnibus ſtatibus (vt prę̨ſcribitur) fuerant celebratę. Cuius Regis mortui apparatus ſi ſcire libeat, talis erat. Superpoſita namq; fuerat ciſtę, in qua corpus eius habebatur quędam imago ſtaturę & faciei Regis mortui ſimilima, clamide purpurea ſatis longa & larga cum furrura de Ermyn indura, ſceptrum in vna manu, & pila rotunda aurea cum cruce infixa in altera, Corona aurea in capite, ſuper capellum regni & ſandalis regiis in pedib. impoſitis. Et taliter eleuatur in curru, vt à ſingulis videri potuiſſet, vt p hoc mœror & dolor accreſceret, & eius amici & ſubditi pro eius anima

domi-

dominum tenerius exorarent. Fertur etiam mille torticios magnos per venerabiles perſonas circa eius corpus delatos, & pannos aureos, & ſericos pro eodem oblatos. Adducti etiam fuerant ad maius altare Weſtmonaſterii tres dextrarii cum eorum ſeſſoribus, vt moris eſt, armis regis Angliæ & Franciæ, optime armatis, & ſeſſores inibi inde expoliati. Arma vero integre ablata, vexilla inſuper circa corpus defuncti ferebantur. Arma ſancti Georgii Angliæ & Franciæ, ac imaginum ſanctæ Trinitatis ſanctæ Matiæ continentur, ſicque corpus dicti Regis vſque ad monaſterium deducitur, & miniſterio prælatorum & procerum regni inter Reges Angliæ, ibidem inter feretrum ſancti Edwardi, & Capellam ſanctæ virginis (loco quo reliquiæ ibidem fuerant reconditæ) honorifice fuerat tumulatum, ac Parliamentum continuatum. In quo quidem Parliamento ex aſſenſu omnium ſtatuum eiuſdem, idem Dux defenſor ſeu protcctor Angliæ in abſentia ſui fratris ſenioris Ducis videlicet Bedfordiæ fuerat ordinatus, ac nominatus, omniaque regni officia & beneficia eius diſpoſitioni ſunt commiſſa.

F I N I S.

YPO-

YPODIGMA NEVSTRIÆ VEL NORMANNIÆ, PER THOMAM *DE VVALSINGHAM: AB IRRVPTIOne Normannorum vſque ad annum ſextum regni Henrici quinti.*

DVCES NORMANNORVM.

ROLLO SIVE ROBERTVS.



GVLIELMVS.



RICHARDVS I.



RICHARDVS II.



RICHARDVS III.



ROBERTVS.



GVLIELMVS CONQVESTOR.



ANNI,

ANNI, IN QVIBVS DE REGIBVS IN HOC Ypodigmate tractatur.

Regum nomina.	An. D.	Pag.	Regum nomina.	An. D.	Pag.	Regum nomina.	An. D.	Pag.
Wilbelm. Con.	1066	436	Henricus II.	1160	446	Henricus III.	1224	464
	1067	438		1163	446		1225	464
	1069	438		1166	446		1226	464
	1070	438		1167	447		1227	464
	1071	438		1168	447		1230	464
	1072	438		1170	447		1231	464
	1073	439		1172	447		1232	464
	1074	439		1173	448		1233	464
	1075	439		1174	449		1234	464
	1076	439		1176	451		1235	465
	1077	439		1177	451		1236	465
	1079	439		1178	451		1237	465
	1080	439		1179	451		1238	465
	1087	439		1180	451		1239	465
Wilbel. Rufus.	1088	440		1181	451		1240	465
	1090	440		1182	451		1241	465
	1091	440		1183	451		1242	465
	1093	440		1185	452		1243	466
	1095	441		1186	452		1244	466
	1096	441		1187	452		1245	466
	1097	441	Richardus I.	1189	452		1246	466
	1098	443		1190	453		1247	466
	1099	443		1191	453		1248	466
Henricus I.	1100	443		1192	454		1249	466
	1101	443		1193	455		1250	466
	1104	443		1194	456		1251	467
	1106	443		1195	456		1252	467
	1110	443		1196	456		1253	467
	1118	443		1197	456		1254	467
	1119	444		1198	457		1255	467
	1120	444	Iohannes.	1199	457		1256	467
	1123	444		1200	458		1257	467
	1125	444		1201	458		1258	467
	1127	444		1202	458		1259	467
	1129	444		1203	459		1260	468
	1133	444		1204	459		1261	468
	1134	444		1205	459		1262	468
Stephanus.	1135	444		1206	459		1263	468
	1136	445		1207	459		1264	469
	1137	445		1208	459		1266	470
	1138	445		1209	460		1267	470
	1139	445		1210	460		1268	471
	1141	445		1211	460		1269	471
	1142	445		1212	460		1270	471
	1143	445		1213	460		1271	472
	1146	445		1214	461	Edvvardus I.	1272	472
	1148	445		1215	461		1273	472
	1150	446	Henricus III.	1216	462		1274	473
	1151	446		1217	463		1275	473
	1152	446		1218	463		1276	473
Henricus II.	1153	446		1220	463		1277	473
	1156	446		1221	464		1278	474
	1158	446		1222	464		1279	474
	1159	446		1223	464		1280	474

Regum nomina.	An.D.	Pag	Regum nomina.	An.D.	Pag.	Regum nomina.	An.D.	Pag.
Edvvardus I.	1281	474		1327	508		1371	528
	1282	475		1328	510		1372	528
	1283	475	*Edwardus III.*	1329	510		1374	529
	1284	476		1330	510		1375	530
	1285	476		1331	511	*Richardus II.*	1376	530
	1286	476		1332	511		1377	531
	1287	476		1333	511		1378	532
	1288	476		1334	511		1379	532
	1289	476		1335	512		1380	533
	1290	477		1336	512		1381	534
	1291	477		1337	512		1382	535
	1292	479		1338	513		1383	535
	1293	480		1339	513		1384	536
	1294	481		1340	514		1385	537
	1295	482		1341	514		1386	538
	1296	483		1342	514		1387	539
	1297	486		1343	515		1388	542
	1298	488		1344	515		1389	544
	1299	489		1345	516		1390	544
	1300	490		1346	516		1391	545
	1301	490		1347	518		1392	546
	1302	496		1348	519		1393	546
	1303	496		1349	519		1394	547
	1304	497		1350	519		1395	547
	1305	497		1351	519		1396	548
	1306	498		1352	519		1397	550
	1307	498		1353	520	*Henricus IIII.*	1398	551
Edwardus II.	1308	499		1354	520		1399	552
	1309	500		1355	520		1400	555.
	1310	500		1356	521		1401	557
	1311	500		1357	522		1402	557
	1312	501		1358	522		1403	559
	1313	501		1359	523		1404	561
	1314	501		1360	523		1405	564
	1315	502		1361	524		1406	566
	1316	502		1362	524		1407	567
	1317	503		1363	524		1408	568
	1318	503		1364	525		1409	569
	1319	504		1365	525		1410	570
	1320	504		1366	525		1411	571
	1321	504		1367	526	*Henricus V.*	1412	572
	1322	505		1368	527		1413	573
	1323	506		1369	527		1414	577
	1324	506		1370	527		1416	585
	1325	507						

YPO-

YPODIGMA NEVSTRIÆ PER TH. DE WALSINGHAM.

MAGNIFICENTISSIMO & Illuſtriſſimo Francorum & Anglorum Regi, Henrico Normanniæ conqueſtori, Principi Walliæ ſereniſſimo, Hyberniæ & Aquitaniæ domino, Dei gratia ſemper & vbique victori. Suorum minimus Orator frater Thomas de Walſingham, Monachus Monaſterii S. Albani Anglorum Protomartyris humilis cum recommendatione. Salutem in eo qui dat ſalutem Regibus. Cogitanti mihi inter ſtudia contemplationis clauſtralis, quantis virtutum dotibus, ac victoriarum titulis Deus omnipotens vos extulerit, quantis ſpecialium gratiarum donis cumulauerit, vt hoſtes etiam veſtram ſapientiam prædicent, diſcretionem mirentur, & vbiq; commendent, iuſtitiam laudum præconiis celebrent, fateor ſpirituali iocunditate, & interiori gaudio ſum repletus atq; refertus, multa ſuauius quam ab epulis exquiſitis. Sed inter hæc oritur in mente mea quoddam nubilum, quod obfuſcat conceptum cordis mei iubilum, dum vereri cogor gentis morem ſolitum, quæ multotiens paruipendit etiam emiſſum votum publicum, & ſolenne præſtitum iuramentum. Dumque memor fui dierum antiquorum, recolens fraudes, facinora, factiones, & ſcelera commiſſa per hoſtes, anxiatus eſt in me ſpiritus meus, & in me turbatum eſt cor meum, & pene defecit in dolore vita mea, ſciens, quod cras poterunt fieri turpia ſicut heri. Et metuens ne forte quouis modo veſtra circumueniretur innocentia, ſcrutatus ſum in mente mea, quid maxime veſtræ ſaluti ſuffragari poſſet conuerſanti inter tot pericula. Tandem occurrit inter plurima ſcribere veſtræ celſitudini, quam præcordialiter diligit anima mea quicquam, per quod tutior ſimul & cautior eſſe poſſit. Teſte nempe Poeta: Omnia vincit amor: Qui id in me efficit, vt non verear licet inculto & impolito ſermone, tam ſapienti, tam glorioſo Principi balbutiendo proferre, quæ mente tractaui, & veſtræ ſerenitati vtcunque pandere, quæ pro ſalute regia corde concepi. Hinc eſt, quod breuem tabulam compilare ſtudui, quæ facit à principio conqueſtus Neuſtriæ per Normannos vſque ad conqueſtum Angliæ per eoſdem. Quam deduxi vſque ad tempus, quo veſtra Maieſtas eandem Normanniam abalienatam contra fas & iuſtitiam à veſtris progenitoribus per annos circiter ducentos & viginti potenter & victorioſe ſub iugum venire compulit, & pro votis regaliter ordinauit. Proinde (domine mi Rex inclyte) vobis in hoc opuſculo conſpicienda porrigo geſta præterita, bella varia, paces pactas mutuo, fœdera violata firmata iuramenta, promiſsiones, ſponſiones, oblationes factas anteceſſoribus veſtris ſub dolo, hoſtium deceptiones & hypocriſim, & quicquid hoſtis adinuenire potuit exquiſita calliditate, per quod ſeducere poſſet nobile genus veſtrum. Igitur quia nullum maius decet plura ſcire, quam Principem, cuius doctrina maxime ſubiectis prodeſſe poteſt, hunc libellum ſi placeat inſpiciendum veſtræ celſitudini, ego pauper & modicus deuotus obtuli, imponens illi nomen Ypodigma Neuſtriæ, eo quod præ demonſtret præcipue caſus vel euentus illius patriæ, à tempore Rollonis primi Ducis, vſque ad annum felicis regni veſtri ſextum: quod Deus omnipotens pro ſua magna pietate vbique pacificet, & in omni proſperitate conſeruet, Amen.

YPODIGMA NEVSTRIÆ PER T. DE WALSINGHAM.

De conſuetudine Danorum antiquitus frequentata.

Lex Danorum de iunioribus exulandis.

OLIM mos erat in Dacia, cum repleta eſſet terra hominibus, vt ſancita lege per reges illius terræ cogerentur iuniores de propriis ſedib. emigrare. Quæ gens idcircò multiplicabatur nimiũ, quoniã luxui exceſſiue dedita multis mulierib. iungebatur. Nã pater adultos filios cunctos à ſe pellebat, præter vnũ, quem heredem ſui iuris relinquebat. Quæ lex per multorũ tẽpora regum manſit inconuulſa, quoad vſq; Lothbrocus rex patri ſucceſſit in regno, quẽ prędicant de ſtirpe Gothorum proceſſiſſe. Ex quorũ progenie iactitant Troianos fuiſſe progreſſos: & Anthenorem ab vrbis exterminio cum duobus millibus & quingentis viris ob proditionem illius ab eo perpetratã euaſiſſe, & per multimodos anfractus ponti Germaniam appuliſſe, ac in Dacia expoſt regnaſſe: eamq; à quodam vocato Danao ſuæ ſtirpis rege, Danemarchiam nuncupaſſe. Igitur rex Lothbrocus excitus patrum legibus, ſorte cogente, cum ingenti iuuenum agmine filium ſuum nomine Bier, coſta ferrea à ſuo abdicat regno, cum pædagogo ſuo Haſtingo nomine: viro per omnia fraudulentiſſimo, vt externa petens regna, alias ſedes ſibi armis acquireret. Qui ideo coſta ferrea vocabatur, quia vehementiſſimis infectus veneficiis ſuæ matris, licet in acie ſtaret inermis, omnem vim armorum illæſus ſperneret. Haſtingus ergo à patria cum ſuo adoleſcente ſic proſcriptus, de finitimis prouinciis milites animo leues, & belli cupidos congregauit: Deo ſuo pro thure humanum ſanguinem delibauit. Cuius cruorem libaminis omnes vnanimiter potaueruut. Et vento flante ſecundo Vermendenſem aggrediuntur portum. Exilienteſq; de nauibus totum Vulcano tradunt illico comitatũ. Sancti quoq; Quintini monaſterium ferali cõburunt rabie, de Chriſtiano populo nepharium ludibrium exercentes. Neuionenſis namq; præſul Emino nomine, cum ſuis Diaconis eorum gladiis obtruncatur, fitq; cædes in plebe proprio viduata paſtore. Dehinc fluuium Sequanam ingrediuntur, & apud Gemeticum obſidionem componunt. Qui locus iure vocatur Gemeticus: quia velut gemma in anulo, ſic rutilat ſitu loci & fructuum vbertate. Hic Clodonei Francorum Regis tempore à beato Philberto, opitulante Beatilda Regina conſtructus, in tanto incremento adoleuit, vt noningentorum monachorum numero eius quantitas suppleretur. Huius loci monachi vel incolę comperientes aduentum paganorum fuga lapſi, quædam ſub terra occulentes, quædam ſecum aſportantes euaſerunt. Pagani locum reperientes vacuum, Monaſterium ſanctæ Mariæ ſanctiq; Petri, & cuncta ædificia igne comburunt in ſolitudinem omnia redigentes. Abhinc denique Sequanæ ſulcantes alueum, Rhotomagum adeunt, igneque comburunt, horrendum de Chriſtiano populo ludibrium exercentes. Franciæ quoq; interiora petentes, omnem fere Neuſtriam, Northmannica ferocitate inuadunt: vrbẽ quoq; Namiaticã incendio cremauere. Epiſcopum ſancto ſabbato Paſchæ Baptiſmũ celebrantem trucidauere, clerũ & populum peremere. Deinde Andegauenſem percurrentes regionem, ipſam quidem ciuitatem concremant: Pictauorumq; caſtella atq; vicos, omnemq; patriam à mari vſq; ad eandem Pictauienſem vrbem populantur & vaſtant, replentes cædibus vniuerſa. Sequenti namq; tempore nauigio Turonum ademit ciuitatem, eamq; de more opplentes ſtragibus: ad poſtremum tradunt ignibus, populata omni circumquaq; regione. Non longe poſt ſuperiora Ligeris fluuii manibus expetentes, Aurenam perueniunt, captamq; vrbem auro diſtrahunt: & ad tempus recedentes ſecundo aduentu comburunt eandem. Et vt concludam tragœdias infinitas breuibus, Hiteciam Pariſiorum nobile caput, quondam reſplendens gloria, abundans opibus, in cineres redegerunt. Betuacus quoq; & Nomonius quondam Galliarum præſtantiſſimæ ciuitates eorum gladio concidere. Aquitannia quoque quondam bellorum nutrix tunc patuit præda gentibus alienis. Nec erat oppidum aut vicus in ea regione, neq; ciuitas: quę non ſtrage ferali horum cõciderit Paganorum. Teſtatur id Pictauis fœcundiſſima vrbs Aquitanniæ, hoc Sanctonum, hoc Engoliſma, hoc Petragoricum, hoc Lamonicas, hoc certẽ Aruernus, ipſumq; Auaricum, caput regni Aquitanici.

Bier dictus coſta ferrea.

Cædes S. Quintini grauis.

Gemeticus Monachorum ſedes.

Paganorum rabies in Franciã.

Aquitannia depredatur.

Hiis calamitatum malis Gallis per 30. fere annorum ſpacium detritis flebiliter: Haſtingus Bier dominum ſuum prouehere cupiens ad altiora, imperiali cum diademate coronare volebat. Proinde deliberauit cum ſuis complicibus, Romam clandeſtina

ſtina irruptione obtinere. Sed nimia exorta tempeſtate ad vrbem Lituis vēto impellente deuoluitur, quæ pro ſui decore hoc nomine vocabatur. Porro ciues attoniti tāta claſſe, ciuitatem muniunt, & ſemetipſos hortantur ad reſiſtendum. Quorum audaciam Haſtingus vt comperit, ratus hanc Romam fore, omni conatu cœpit attemptare, quo pacto poſſet eā dolo inuadere. Deniq; Epiſcopo ciuitatis & cōmunitati miniſtros ſuæ perfidiæ dirigit: aſſerens non ſua ſponte illuc appuliſſe, ſed patriam ſuam repetere voluiſſe, pacificos ſe eſſe, pacem deinceps quærere, & ſe lætali preſſum languore, ab eis Chriſtianum fieri ſupplici prece depoſcere. Hiis auditis Comes & Epiſcopus gaudio exhilerati, pacem cum nephandiſſimo pacis inimico firmant, fitq; communis vtriq; populo vrbis ingreſſus. Tādem ad eccleſiam ſceleratus fertur Haſtingus, ſacroſancto baptiſmate mergitur homo verſutus, & rapaciſſimus exit lupus. Quem ad ſui perniciem à fonte Præſul & Comes excipiunt. Hinc quoque baiulorum manibus refertur ad nauim criſmate delibutus. Poſt hoc intempeſtæ noctis medio loricatus locatur in feretro, innuens cœteris vt ſuas induerent loricas ſub tunicis. Proinde fit luctus intollerabilis per exercitum, Haſtingum obiiſſe neophitum, & reſonat maris littus tanti ducis exceſſu. Dehinc naui effertur, & ad eccleſiā baiulatur, ſacroſancto veſtitur Antiſtes indumento, mactaturus ſacroſanctā hoſtiam pro defuncto, fit commēdatio animæ, vt corpus ſcelerum & perditionis in baratro iam ſepultū, tradatur ſepulturæ. Sed ecce proſilit de feretro, Epiſcopum & Comitem obtruncat gladio: dehinc lupina rabie cum ſuis graſſatur in plebe. Hiis à funeſto perpetratis, Theatrum efficitur domus domini, iugulantur iuuenes, trucidantur ſenes, depopulatur ciuitas, & à fundamentis mœnia diruuntur. Huius itaq; peracta vrbis ſubuerſione, comperientes pagani ſe Romam nullatenus cepiſſe, veriti ne vlterius quicquam proficerent, quippe cum Romanas aures fama volante eorum prophana opera iam occupaſſent, inito conſilio de regreſſu diſponunt. Nam Bier totius excidii ſignifer, & Rex exercituum, dum natiuum ſolum repeteret, naufragium paſſus, vix apud Anglos portum obtinuit, quamplurimis de ſuis nauiculis ſubmerſis tempeſtate. Indeq; petens Friſiam, illic obiit. Haſtingus vero Carolum ſimplicem regem Francorum adiens, pacem petiit, quam adipiſcens, vrbem Carnotenſem ſtipendii munere accepit ab illo. Et ſic Francia à tumultuum fragoribus aliquamdiu reſpirauit.

Haſtingi dolus inſignis.

Emenſis expoſt plurimorum annorum interſtitiis, Francia ab hiis tumultuū fragoribus pauliſper ſopita. Denemarchia ſpargens iterato iure exterminii flāmiuomos Ticiones, plurimos tirones à ſe iuuenili flore vernantes, priſcorum patrum lege ſecernit. Qui profecti cū ſex nauibus plenis armato milite apud Scanzā inſulam applicant. indeq; ſublatis anchoris, ſpirantibus auris ſalubriter Anglicam Britanniā aggrediūtur. Quibus Angli confeſtim obuii, multis ſuorum amiſſis, cum dedecore refugerūt. Quibus compertis illius regni Rex Ethelſtanus miſſa legatione, protinus pacem petit, & adipiſcitur: firmatiſq; fœderibus, amicitia indiſſolubili ad inuicem connectuntur. A quo ſuæ expeditionis poſtulantes auxilium, paruo tempore contraxerunt non minimam armatorum manū. Abinde fluctiuaga ſulcantes æquora, cū magno vitę periculo, ad locum vocatum Walchras deuoluti ſunt. Quibus mortem euadentibus, & de maris diſpendio reſpirantibus Raynerius longi colli, Hamenſis ſiue Haſbanienſis Dux, cum multitudine graui bellum intulit. Sed ſuorum extinctis quamplurimis: ipſe victus capitur, & ad naues ducitur compeditus. In illa pugna duodecim Danorum bellatores à Rainerii militibus capiuntur, & vxori eius pręſentantur. Quæ legatos ad Danos mittens, & ipſa ſuum virum dato pro eo magno auri pondere recepit, & Dani qui ab ipſa tenebantur liberi dimittuntur.

Dani irrumpunt in Angliam.

Octingenteſimo ſexto anno ab incarnatione domini, Dani flantibus ventis ad vota, Gemeticum veniunt: vbi quandam ſacram virginem nomine Gertrudem quam aſportauerant à Britannia in capella S. Vedaſti, quæ trans flumen eſt, ſuper altare ponentes ibidem reliquerunt. Quæ capella nomen virginis hactenus Sanctæ Gertrudis habet. Quorum aduentum Franco Rotomagenſis Archiepiſcopus agnoſcens, & vrbis ſuæ muros ſolo tenus hoſtica immanitate cernens dirutos, ac de iuuamine ad reſiſtendum omnino diffidens: adiudicauit ſalubrius ab eis pacē quærere, q̄ in aliquo illos ad ſui perniciem prouocare. Feſtinus igitur illos adiens pacem petiit: & conſequitur inter ſe fœdere firmo pacto. Quo facto Dani feſtinantes, naues propellunt ad mœnia ciuitatis. Cuius pręſidium ſagaci mente terra mariq; conſiderantes, compendiorum luctis munitum, tutius Comitatus caput illud fore concorditer deputauere. Deinde vnū ex ſemetipſis ſorte eligentes nomine: dominum ſuæ militiæ atq; principem pacta fidelitate præficiunt.

Capella S. Gertrudis.

Rollo prælatione potitus, tractauit ſollicite cum ſuis, de Pariſiaca ſubuerſione. Et ſoluentes claſſem, Sequanæ ſulcant fluuium, ſtationemque nauium apud Haſdaus componunt. Tunc Rainaldus dux totius Franciæ, repentino paganorum aduectu cognito, cū valida exercituum virtute proceſſit eis obuius, præmittens Haſtingum, qui adhuc in Carnotena vrbe morabatur cum aliis legatis, quia & ipſe peritus fuerat Danorū linguæ, qui talibus eos adorſus eſt verbis. Heus inquit robuſtiſſimi milites, quib° ab otis huc aduecti eſtis, vel quid in hac regione quæritis, aut qui veſtrum ſenior cenſetur nomine, edicite nobis: Francorum ſane regis legati ſumus vobis directi. Cui interroganti ſic Rollo: Dani ſumus, æquali dominio fungimur: terræ huius colonos exturbare venimus, noſtræ ditioni patriam ſubdere cupientes. Quis enim es tu qui tam facete nobis loqueris. Ad hæc ille. Audiſtis inquit aliquando de quodam Haſtingo, qui à veſtris partibus exul, cum multitudine nauium huc adueniens, hoc Francorum regnū magna ex parte peſſundedit, & in ſolitudinem redegit. Cui Rollo, audiuimus inquit, Haſtingus inquit bono omine cœpit, & cuncta malo fine compleuit. Haſtingus ad hæc: vultis inquit Carolo Regi ſubdi? Nequaquam, Rollo intulit, alicui ſubiiciemur, ſed quæcunque armis adquiremus, noſtro iure vendicabimus. Regi cuius te legatum gloriaris, audita ſi vis renuncia. Hæc Haſtingus cuncta refert expeditius duci ſuo. Sane Rainaldus citato exercitu ſuo Northmannos inopinato impetu feſtinans inuadere, ſuper eos irruit. Quem Rollo cum ſuis audacter excipiens, proſtrato Rollando eius ſignifero, plurimos Francigenas morti tradidit, alioſque in fugam vertit. Quibus peractis, Rollo nauibus feſtinans municipium Mellende capit. Quo ſubuerſo, omnes incolas enſe necat.

Rainoldus paganis fit obuius.

Igitur Theobaldus comes videns ſe tempus repetiſſe opportunum ad decipiendum Haſtingum, talibus verbis falſo appetit illum. Cur inquit, vir inſigniſſime torpes ignauia? Ignoras regē Carolum te velle perimere, ob Chriſtianorum ſanguinē à te olim fuſum iniuſte? Reminiſcitur enim malorum quę illi tunc improbe intoriſti? & ideo de terra te exterminare decernit. Manus & tua vt ipſe ait cum Rollone pagano ad delendos Frācos ſentit: qua de re in proximo, peſſime deleberis ab eiſdē. Conſule ergo tibi ne inconſultus puniaris. Quibus verbis Haſtingus territus, confeſtim Carnotenā vrbem Theobaldo vendidit, & diſtractis omnibus, peregre profectus diſparuit.

Dux autem Franciæ Reinaldus fugæ non ferens dedecus, iterum maiori exercitu cōgregato, Rollonem aggreditur inopinare. Cuius conatus ipſe præueniens, multos ſuorum obtruncat, multos fugat. Ipſum autem Rainaldum quidam piſcator emiſſo iaculo interfecit. Dehinc ſubductis anchoris, Rollo celeri nauigio Pariſium petit. Cui quidam explotatores nunciant Baiocenſem vrbem carere defenſoribus, & facile poſſe capi. Rollo vero mox auulſis ab obſidione nauibus Baiocenſium veliuolo venit curſu. Quam captam in parte ſubuertit, habitatoribus interfectis. In qua nobiliſſimā puellam Popam nomine: filiam ſcilicet Guidonis Comitis Siluanietenſis capiens, nō multo poſt, more Danico, id eſt, paganico copulauit. Ex qua genuit Gulielmum Longam Spatam filiamq; Gerloc nomine, decoram valde. Et ſic vrbe demolita, Rollo velociter Lutetiam regreſſus eſt. Cumq; ad expugnandum eam diligenter intenderet, pars exercitus ſui vrbem Ebroicam captam exterminauit, ciues extinxit, & cum præda maxima rediit ad ducem ſuum.

Rainoldus caſu interfectus.

Gulıel. Longa Spata.

Interea legati Regis Anglorum Ethelſtani ad Rollonem veniunt, deprecantes vt Regi quantocius auxilium contra quoſdam rebelles auxilium ferat. Cuius anxietati compatiens, & de Pariſiacæ vrbis expugnatione diffidens, ob videlicet aditus difficultatem, & nimiam alimoniæ copiam intra eam: dimiſſa obſidione Anglos aggreditur. Quo cum veniſſet, rebelles expugnans cum auſteritate coercuit: acceptiſque obſidibus Regi ſuo pronos fecit. Ex hinc iterato electa multitudine iuuenum, cum magnis muneribus à Rege ſibi collatis, in Franciam remeauit.

Rollo rebelles Anglie coercet.

Rollo cum rediiſſet Northmanniam, Carnotenam vrbem obſidione vallauit. Quā cum machinis, & tormentis oppugnaret, Richardus Burgundionum Dux cum ſuo Francorumq; exercitu adueniens, irruit ſuper eum. Cū quo cōgreſſus Rollo atrociter reſiſtebat, quouſq; Walterius epiſcopus ex ciuitate cū armatis inopinate prodiens. Supparū beatæ Mariæ q; Carolus Caluus Conſtātinopoli cum aliis reliquiis aduexerat, in modum vexilli contra hoſtes ferens manibus à tergo eos cedendo inuaderet. Illi tamen ignorantes cuius eſſet camiſia virtutis & reuerentiæ, deridendo ſagittauerunt ad eam ſed non impune. Nam ſubita cæcitate percuſſi ſunt. Quod Rollo intelligens, à certamine declinauit, multis prius de eius exercitu interemptis.

Mirabile dictu.

His

Hiis itaque Rollo infortuniis, militumque ſuorum morte furibunde ſuccenſus ad Francorum infeſtationem reliquos exaggerat, & ad perdendam patriam ob ſociorum perniciem totis conatibus eos incitat. Quid plura: vt Lupi veſpertini vehuntur pagani ad ouiculas Chriſti. Succenduntur eccleſiæ, mulieres ducuntur captiuæ, trucidatur populus, fit omnib. in cōmune luctus. Hiis deniq; Franci calamitatibus oppreſſi, queſtuoſis clamoribus Carolum Regē appetunt: vnanimiter cōclamantes Chriſtianum populum ob eius inertiam paganorum incurſibus deperire. Quorum quærimonijs Rex permotus, Aſtitum Franconem Archiepiſcopum Rotomagenſem Rolloni feſtinanter dirigit, mandans ſi Chriſtianus efficeretur, terram maritimam ab Epte flumine vſque ad Britannicos limites cum ſua filia nomine Gisla ſe ei daturum fore. Qua legatione Franco ſuſcepta: pagano Duci per ordinem cuncta pandit. Cuius verba Rollo conſultu ſuorum gratanter ſuſcipiens à vaſtatione paganica, indulget Regi inducias trium menſium, vt in hoc dierum ſpatio, ſtabiliretur fœdere firmo pax inter eos. Venientes igitur ad ſanctum Clerum diſcurrentibus alternatim inter eos nunciis. pax fauente Chriſto ſtabilitur: Rollone iurante Regi fidelitatem, & Rege illi filiam cum terra prætitulata donante, ſuperadditur ad ſupplementa ſumptuum, tota Britannia: iurantibus Rolloni ſuper ſacramenta principibus ipſius terræ Berengerio & Alano. Nam terra maritima quæ nunc vocatur Northmannia ob diuturnos excurſus paganorum, ſiluis vbique adultis, à cultro & vomere torpebat inculta. Quibus nobiliter expletis, rex lætus ad ſua regreditur, & Rollo cum Roberto Duce ad Rotomagenſis vrbis mœnia proficiſcitur. *Rollo Francorum regis filiam ducit*

Anno igitur incarnationis Dominicæ *912.* benedicto fonte in S. Trinitatis nomine Rollo baptizatur à Francone Rotomagenſi Archiepiſcopo. Quem Robertus Dux Francorum à fonte ſuſcipiens, impoſuit ei nomen ſuum. Videntes autem pagani Ducem ſuum Chriſtianum eſſe, relictis Idolis Chriſti nomen ſuſcipiunt, conuolātes vnanimes ad baptiſmum. Dehinc Robertus Francorum Dux, rebus pro quibus venerat competenter geſtis: Franciam cum maxima hilaritate repetiit. Porro dux Northmannorum Robertus preparato rerum nuptialium apparatu magno: ſupranominatam tanti regis filiam, Chriſtiano more in conſorcium ſui thori duxit.

Poſt hæc intra Northmānicos limites legem ſtatuit, vt nullus aſſenſum furi preberet: quod ſi deprehenderetur ambo patibulis appenderentur. Contigit autem non multo poſt in Longapetentis villa quendam agricolam reficiendi cauſa labore ſuſpēſo domum redire, demiſſis loris in campo cum cultro & vomere. Cuius vxor tam infœlix quam veſana hæc cuncta clam ſuſtulit, experiri volens edictum ducis. Ruſticus vero ad campum regreſſus, rebus non inuentis, vxorem an eas haberet inquirit: qua negante ducem aggreditur, petens vt ſua ſibi reddantur vtenſilia. Qui mox pietate motus, damnum viri quinq; ſolidis datis releuare, & populum per circuitum ad examen calibis cunctum iuſſit compellere: Quo domino indicante liberato: vxor ruſtici à miniſtris arctatur, quæ coacta verberibus, reatum profitetur. Dux vero ruſtico ait: Noueras inquit ante hanc furem eſſe? Et ruſticus, noueram ait. Ad hæc Dux intulit, tuum os te condemnauit ſerue nequam. Et continuo iuſſit ambos ſuſpendi patibulo. Hiis & huiuſmodi Robertus Dux populum ſuum frænans terroribus, ducatum ſibi à Domino attributum longo tempore pacifice gubernabat. *Roberti ſeueritas in legibus exequendis.*

Interea morte præuenta vxore ſua Gisla ſine liberis, Dux primam vxorem repudiatam Popam videlicet, ex qua filium Gulielmum iam adultum genuerat, iterum repetens ſibi copulauit. Verum fractis iam viribus laboribus & prælijs in quibus conſumpſerat omne robur iuuentutis ſuæ: deliberare cœpit de ſui ducatus diſpoſitione, cui vel qualiter illum relinqueret. Conuocatiſque totius Northmanniæ proceribus, cum Alano & Berengario Britonibus, Gulielmum filium ſuum pulcherrimæ iuuentutis flore vernantem illis exponit, iubens vt eum ſibi dominum eligerent: militiæq; ſuæ principem præficerent. Meum eſt inquit mihi illum ſubrogare, veſtrum eſt illi fidem ſeruare. Et cunctos ſuaſibilibus demulcens verbis: filio ſuo ſub ſacramento fidei illos ſubegit. Et ex poſt vno viuens luſtro, conſumptus ſenio viuere deſiit, fœlicem finem faciens ſub titulo nominis Chriſtiani. *Roberti mors.*

Duce Roberto ab onere carnis iam libero, filius eius Gulielmus totius monarchiam Ducatus Northmannici ſagaci regens moderamine incōuulſam Chriſto regi fidē ſeruare ſatagebat. Erat quippe ſtatura procerus, vultu decorus, micantib⁹ oculis, beneuolis manſuetus, quaſi leo inimicis terribilis, vt gigas fortis in prelijs, terminos ſui Ducatus per circuitum dilatare non deſiſtens. Quæ res inuaſionis & audaciæ, *Gulielmi mors.*

Fran-

Francorum proceribus odii & inuidię fomitem miniſtrauit. Sub eodem tempore Berengarius & Alanus Britones, à tenore fidei quam cum eo pepigerant diſſidentes: ab eius dominio præſumptiuo auſu conati ſunt recedere, Regi Francorum de cætero diſponentes militare. Quorum temeritatem Dux impetu feſtinato comprimens, Britanniam tam diu vaſtauit hoſtiliter, eorum illic ſubuertens municipia, quo ad vſq; totius nequitiæ incenſorem à regno exturbaret, Angloſque adire compelleret Berengario ſibi conciliato.

Pugna cum Rihulfo.

Sed hiis ita deuictis, quidam nomine Rihulphus ſuccenſus perfidiæ furiis, coadunatis plurimis infectis veneno diſcordiæ, à ducatu eum funditus conabatur extrudere: adeo vt collecta vndequaque multitudine, circa Rotomagenſis ciuitatis ſuburbana, tranſmeato aluo Sequanæ componeret obſidionem, quatenus ducem ab ea propelleret, aut captum nequiter interimeret, Northmannia ſibi vindicata. Videns itaque dux ſe à ſuis ſic obſeſſum, cæpit meditari qualiter ſuæ ſaluti conſuleret, & honori, & milites ſuos à tam audaci conſpirationis motu cohiberet. Tandem cum trecentis Loricatis militibus, irrumpens caſtra temeraria: maximam ſe eorum multitudinē gladiis proſtratam orco tranſmiſit; alioſq; per diuerſa ſiluarum luſtra oculentes in fugam vertit. Rihulphus commilitonum fiducia deſtitutus, inter profugos deliteſcens, fugæ ſubſidio euaſit. Dux ergo profugatis inimicis, ſuorum recenſens numerum reperit ex eis interiiſſe nullum. Locus in quo hic fuit conflictus, Pratum belli hactenus nuncupatur. Regreſſo igitur eo de prelio, à præfecto Fiſtanuenſis caſtri venit nuncius qui ſibi dixit filium natum fore ex puella nomine Sprota, ſibi Danico more iuncta, vnde valde lætus effectus, fecit eum baptizari ab Henrico epiſcopo Baiocenſi, Richardumque vocari.

Gulielmi magnifica liberalitas.

Triumpho conſpicuo de rebellibus dux potitus, atque viribus conualeſcens, cœpit per exteras nationes multimode præclaram virtutum ſuarum famam ſpargere: in tantum vt ex diuerſis mundi partibus regnorum proceres illius curiam fræquentarent, & ab eo nobiliter munerati ſedes ſuas ornantes repeterent. Vnde cognita ducis magnificentia, Gulielmus Pictauienſis Comes ſororem eius nomine Gerloc petiit & accepit in vxorem. Ipſe vero Dux filiam Herberti Comitis, donante patre ductam Rhotomagenſibus intulit arcibus.

Audiens autem Ethelſtanus Rex Anglorum tam magnificam incliti ducis famam cum multis donariis legatos illi mittit, orans vt Ludowicum videlicet nepotem ſuum, Caroli regis filium, qui Laudunenſis præſulis Aſcelini captus decipulis, in cuſtodia diem obierat, ſatageret reſtituere regno paterno, Alanoq; Britoni ſibi infenſo, commiſſa pro ſuo amore ignoſceret. Confugerat enim Lodowicus puer cum matre Ogina ad eum, cum Francorum dolis pater eius caperetur, ne pari modo in eum illorum ſæuitia graſſaretur. Iſte nempe Carolus rex Francorum dictus ſimplex, Robertum ducem Pariſienſium inuadentem regnum Francorum cum multis peremit. Ob quam cauſam dictus Carolus ab Herberto comite captus in cuſtodiam Peroni traditur, & in cuſtodia Herberti moritur. Dux igitur ad preces Anglorum regis Ethelſtani libenti animo, & Alano debita indulſit, & ad ſua redire conceſſit, & Lodowicum à partibus Anglorum reuocatum: Hugone magno fauente, cum epiſcopis cæteriſque Francorum primoribus, apud Landunum ab Artallo Archiepiſcopo coronari procurauit. Sed Franci quietis neſcii, poſt quinquennium iterum aduerſus eum conſpirant, molientes à regno illum pellere. Quorum improbitate coactus, Henrico tranſrenano regi mittit nuncios, mandans quod eum vellet alloqui, & pactū amicitiarum ſtabile firmare cum eo. Quibus rex reſpondit ſe nullo modo ad hoc fœdus ineundum acquieſcere: niſi Gulielmi ducis Normannorum aſtipulatione. Hiis auditis Lodowicus illico ducem adiit, petiturus auxilium contra Francos. Quem dux honorifice prout regem decuit excipiens: in regalibus epulis & vultu ſereniſſimo honorauit. Et non multo poſt, reges ad certum locum conuenire procurauit, additis ad hoc fœdus faciendum principibus Francorum Hugone magno & Herberto. Gulielmus vero tam fideliſſimus quam prudentiſſimus mediator conſilia tam vtilia quam honeſta dictans, amicitiarum tenorem prout diſpoſuit. Ambo reges inter ſe ſacramentis confirmauerunt. Quibus ita geſtis, Rex Lodowicus duci Gulielmo de rebus ſtrenue conſummatis per eum egit gratias: exorans vt nuper natum ſibi filium de ſacro fonte ſuſciperet, & eum Lotharinum nominaret. Quod dux gratanter adimplens apud Landunum, Rhotomagum reuerſus eſt.

Gul. pacem inter reges componit.

Sub eodem tempore dum fuiſſet egreſſus ad venandū, inuenit duos monachos, qui

qui quondam metu paganorum fugerant à Gemetico illuc reuerſos, vaſtam loci heremum manibus ſuis purgantes & complanantes. Quos percunctarus requirit ab eis quibus ab oris aduenilſent illuc, vel quæ tam præcipua ædificia quondam fuiſſent. Cui illi rei ſeriem per ordinem detexere, & charitatem panis hordeacii & aquæ obtulerunt: quam cum ob vilitatem panis & aquæ ſumere contempſiſſet, Saltum ingreſſus immanem aprum reperit, quem feſtine inſequi cœpit, venabuloque percuſſit. Sed mox haſta venabuli fracta: fera impetu præcipiti in ducem irruit, eumque proſtratum vehementer attriuit. Qui poſt paululum ſenſu recepto, ac ſana mente monachos repetiit, & charitatem quam incaute ſpreuerat ab eis recipiens, locum ſe reſtauraturum ſpoſpondit. Immiſſis ergo Ancionarus, à ſpinis purgauit & ſentibus: Sanctiq; Petri Monaſteriũ quod aliquantiſper deciderat reſarciens competenter texit. Clauſtrum quoq; & receptacula cuncta muniens, à ſui magnitudine breuiata reddidit habitabilia. Interea legatos Pictauis ſorori ſuæ quam Gulielmus Comes duxerat deſtinauit, mandans vt monachos illi mitteret, quos præfato loco ſubrogaret. Cuius petitioni ſoror gratanti fauens animo, duodecim Monachos cum ſuo Abbate Martino nomine, à ſancti Cypriani ſublatos cœnobio fratri deſtinauit. Quorum aduentu nimiũ exhilaratus eos Rhotomagi cum ingenti recepit gaudio, & cum magno honore dux ipſe militum ſeptus cuneis duxit Gemeticum. Abbatiq; locum tradidit cum tota villa, q̃ à Lodariis auro redemit, ſe voto obligans inibi monachum fieri. Satiſq; feciſſet votis, niſi idem Abbas eius animoſitati obſtetiſſet. Eo quod filius eius Richardus adhuc puerulus eſſet, verens ne propter illius imbecillitatem, quorundam iniquorum molimine patria turbaretur, veruntamen cucullam & ſtamineam ab illo extorquens, ſecum aſportauit, quæ reponens in ſcrinio, clauem eius argenteam cingulo ſuo appendit. Inde deniq; digreſſus, Rhotomagum repetit Abbatis prohibitum moleſte ferens. Aſcitis quoq; Normannicis atq; Britannicis cunctis principibus enucleati animi ſui conſultum pandit. Cuius verbis vniuerſi vehementer ſtupefacti, hærebant quid reſponderent præ nimio ſtupore elingues effecti: & vix tandem reſumpto ſpiritu, in hãc vocem prorumpunt quæruli. Cur nos ſereniſſime Domine tam repente dimittis, vel cui dominium committes tui ducatus? Quibus dux. Eſt mihi inquit, filius nomine Richardus, vos oro vt ſi quando amoris affectum erga me habuiſtis, mihi nunc æquo animo oſtendatis, quatenus illum vice mei vobis præficiatis: quia quod Deo voui, ineuitabiliter à me complebitur factis. Cuius voluntati non valentes contradicere, omnes ei quamuis mœſti proceres aſſenſum præbuere, in hiis concordes. Miſſis quoq; nunciis puerum à Fiſcamio reductum illis exponit. Cui fidelitatem ſacramentis prono animo cunctis firmantibus, Dux totius Normannici ſeu Britannici ducatus eſt prælatus. Quem confeſtim pater Baiocas mittens, Botoni ſuę militiæ principi nutriẽdum tradidit, vt ibi lingua eruditus Danica, ſuis cæteriſque hominibus ſciret apte dare reſponſa. Hæc de Gemeticenſis loci relatu prætulimus, volentes oſtendere quantam deuotionem, quam pium animi propoſitum dux Gulielmus habuerit circa eum.

Munificentia in monachos.

Guliel. dux voluit monachus eſſe.

Richardus patre viuente ducatui præficitur.

Interea tanti Principis fortitudinem & pietatem audiens Haroldus Rex Danorum, qui à filio ſuo nomine Sweno pulſus fuerat regno ſuo, cum ſexaginta nauibus milite armato plenis, Northmanniam ſupplex adiit. Quem potentiſſimus ac liberaliſſimus Dux, congruo cum honore recipiens, Conſtantinenſem ei ad præſidium cõceſſit comitatum, donec fabricatis nauibus multiplicatoq; exercitu amiſſum regnum repeteret cum militum validiori manu.

Ea tempeſtate Arnulfus Flandrenſis Comes homo verſutus nequiens ſe cohibere intra ſui iuris terminos, illectus cupiditate & faſtu dominandi plurimos in vicino poſitos ſtuduit conturbare. Et inter cætera ſuæ nequitię molimina, cuidam Comiti vocabulo Herlewino grauiſſimum inferens detrimentum, Caſtrum quod vocatur monaſteriolum fraude abſtulit. Qui penitus ab Hugone magno domino ſuo auxilio deſtitutus, cauſa petendi auxilii ducem Normanniæ lugubris adiit. Cuius calamitati Dux compaſſus congregato exercitu municipium vallans obſidione cepit, & alimoniarum ſumptibus inſtauratum reddidit Herlewino. Et ſtrenue rebus geſtis Rhotomagum ouans rediit. Quo tempore Franco Rhotomagenſis Archiepiſcopus moritur: cui ſucceſſit Gunardus.

Arnulfus patriæ turbator.

Interea Comes Arnulfus dolens de ablato municipio, cum multis Francorum principibus de ducis morte corde tenus cępit tractare. Qui inhumani hominis & nephandi homicidæ cauillatione infecti ſubdola, vnanimiter conſpirant in mortem optimi principis, conſtringentes ſe ſacramento ad tantum nephas. Arnulphus autem

tem quod animo conceperat fraudulento opere explere cupiens, miſſis legatis Duci Gulielmo mandat ſe cum eo amicitiam velle habere pacemq; indelebilem confirmare, & Herlewino Comiti pro eius amore infenſa indulgere: & niſi podagrico chiragricoq; detineretur languore, ob hoc ad eius curiam deſideranter ire. Denique toto anniſu rogat vt locum denominare velit quo valeat ei occurrere ad mutuum colloquium. Dux quoq; cupiens ducatum ſuum pacatum reddere, eo quod monachicum toto conatu ſitiret habitum, determinato loco apud Pinchimacum cum innumera manu electiſſimorum militum, ſuper fluuium Sompne ob tanti ſpem negotii proficiſcitur. Vbi Arnulfi ex vna parte fluminis, Gulielmi vero ex altera è regione ſedit exercitus. Erat quippe inſula in medio fluuii, in qua libatis oſculis ambo duces conſederunt, de rebus pro quib. venerant tractaturi. Arnulfo etenim ꝓditoris inde morē imitante, & ambagib. diu telā texente araneæ: nouiſſime poſt iurata amicitiarum ſacramenta, & plurima pacis oſcula, ſole tuente ad occaſum ab inuicē dirimuntur. Sed ecce meante fluuiū duce Gulielmo: quatuor diaboli filii, milites Arnulfi illū clamoribꝰ reuocantes, referunt dominū ſuum melioris conſilio omiſiſſe decretū. Quem nauē ad ripā retorquentē, mox vt terrā tetigit, extractis gladiis proh dolor interimunt innocentē, nullum iuuamen de ſuis valentem habere, ob decurrentis aquæ ꝓfunditatem. Indeq; protinus fugā arripientes corpus ducis potentiſſimi exanime reliquerunt. Berengerius quidē atq; Alanus Brirones, nec nō Normannorū principes dominum ſuū cernentes perimi, clamore & vlulatu implentes littora nullo iuuamine illi valuerunt ſubuenire. Cuius corpus poſt paululum ad ſe relatum, cum diſueſtirent, argenteam clauem in eius ſtrophio reperiunt dependentē, ſatis ditiſſimum theſaurum ſub ſe habentem, ſtamineam ſcil. cucullam monachalem: quę ꝓculdubio ſumpſiſſet apud Gemeticum effectus monachus, ſi comes ei vita fuiſſet. Imponētes autem illum feretro, quantocius cum multiplici luctu Rhotomagum detulerunt, & in eccleſiam S. Mariæ virginis intulerunt, & ibidem ſepelierunt. Illicq; iterato tenorem fidei renouantes vnanimiter puero Richardo fidem fecerunt, tradentes illum in cuſtodiam Bernardi Dani: vt ſub eius tam prouida quam fideli cura tutius cuſtodiretur intra muros ciuitatis. Compleuit autem ſanctiſſimus Dux Gulielmus vitæ ſuæ curſum 16. Kalend. Ianuarii, Rege Lodowico regnum tenente Francorum, anno Chriſti. 944.

Gulielmus dolo interemptus.

Duci filius ſuccedit.

Piiſſimo atq; beatiſſimo Duce, Gulielmo inter electos Dei vt credimus tranſlato, filius eius ſummæ ingenuitatis iuuenis, omni probitati & prudentiæ dabat operā, cuſtodibus ſuis & curatoribus vltro ſubditus in vniuerſis. At Frācorum proceres tam nephandam Arnulfi Flandrenſis proditionem videntes, lugubrem Gulielmi Ducis necem plurimū doluerunt. Complices autem ipſius homicidæ qui antea ſe ficte amiciſſimos fatebantur: detectis archanorū intimis, virus diu abſcōſum in propatulo denudarunt. Nempe Lodowicus Rex æſtimans iam ſibi magni honoris ianuam patuiſſe, immemor beneficiorū & fidei a Duce ſemper illi impenſæ, quaſi conſulturus apud Normannos ſuper illius morte, accelerato itinere venit Rhotomagum feſtinanter. Quē Rodulphus nec non & Bernardus atq; Anslech tutores totius ducatus Normānici ſuſcipientes regaliter, ſe ſubegerunt eius famulatui pro fidelitate, videlicet, ſui tātilli Domini. Videns autē Rex terræ vbertatem, atq; aquarū ſalubritatem, ſiluarumq; plenitudinem: cupiditate captus fraudulenter promittere, quod aliter ſibi diſponebat retorquere. Iuſſit ergo Richardum puerum ſuis aſpectibus præſentari. Quem egregia forma perſpiciens decoratum, cum coetaneis pueris in ſuo palatio decreuit educandum. Interea dirus rumor totam concuſſit vrbem, Richardum ſuæ ſpei depoſitum, ſub captura regis indecenter detineri. Qua de re ciues mixti cum turmis militaribus ſtrictis gladiis per ciuitatem diſcurrentes, curiam Regis irrumpunt: ferinis conatibus illum interimere feſtinantes. Quorum tumultus vt comperit, vehementer territus, arreptum puerum in vlnis, eorum conſpectibus exhibuit, & ſic eorum motus efferos compreſſit. Volens ergo Rex tumultuantes Northmannorum animos omnino ſedare, ſuorum conſultu puero Richardo paternam hęreditatem pacta ſibi inde fidelitate conceſſit. Quem in ſua fide ſuſcipiens ſpoſpondit ſe eis (licet ſubdole) eum redditurum imbutum decenter palatinis diſciplinis.

Richardo patris regnum conceditur.

Hiis ita ſedatis, Rex dedecus q̄ à Normannis accepit ſub occulto ferens ægre, cū Richardo puero Franciā repetit, quaſi vellet patris eiꝰ mortē de Arnulfo Flādrenſi ꝓtinus vindicare. Arnulfus itaq; metuens ne rex hoſtiliter ſup eum irrueret, à crimine traditoris ſe expiare cupiens, miſſis legatis cum decē libris auri, à Gulielmi nece ſe corā rege fatetur immunē eſſe. Perēptores vero illius ſi iubeat, ꝓculdubio ſe exterminaturum

naturum

naturum pollicetur. Ait tamen reminiſci debere contumeliarum & opprobriorum, quæ à Normannis tam lõgo tempore ipſe & pater eius perpeſſi fuiſſent. Et ideo dixit, optimum fore conſilium, vt Richardum puerum adultis poplicib⁹ arctaret graui cuſtodia, & gentem Normannicam grauiſſimis vectigalibus tam diu affligeret, quo adviſq; Danemarcham ex qua eruperat, coacta repeteret. Rex igitur muneribus verſuti proditoris cęcatus & decipulis, ipſum ſuſpendio dignum abſoluit à ſcelere, & iram reflexit in innocentem puerum, exemplum Pilati imitatus, qui virum homicidam dimiſit, & Chriſtum crucis damnauit patibulo. Vnde cum apud Landunum clauatum moraretur, puerum ab aucupio regredientem, acerbiſſimis confutans conuitiis, meretricis filium vltro virum rapientis eum vocauit. Et niſi à talibus reſipiſceret, cauteriatis genibus omni illum honore priuare minatus eſt. Deputatiſq; aliis cuſtodibus: ne elabatur ſub magna cautela ſeruari iubetur. *Arnulfus muneribus regem placat.*

Audiens deniq; Oſmundus eius procurator ſeueriſſimam regis ſententiam, & futuros ei caſus intelligens, conſternatus animo Normannis legatos mittit, mandans Richardũ dominum ſuũ ſub lugubri captiuitatis iugo à rege mancipari. Quib⁹ compertis, confeſtim per totã patriam Normannorũ indicitur triduanum ieiunium, ſitq; continua oratio ab eccleſia ad Deum pro eo. Enimuero Oſmundus inito cõſilio puerum hortabatur vt ſimulata ægritudine lecto decumberet, & ita ægre vt ab omnibus deſperaretur. Cuius monitis puer obtemperans lecto decumbit, velut illico moriturus. Quod cuſtodes videntes neglecta eius cuſtodia, ad propria procuranda negotia huc illucq; diuertunt. Forte in area domus iacebat herbæ faſcicul⁹, in quo Oſmundus puerum colligatum imponens humeris, velut equo laturus pabulum cænante rege, nudatiſq; plateis à ciuibus, mænia vrbis egreditur, veniensq; in domum ſui hoſpitis ſuper equũ feſtinans inſilit, & arrepto puero fugiens quãtocius, Cotidiacum venit. In quo commendato Caſtellanis puero, nocte equitans diluculo Siluanectis venit. Quem Bernardus comes intuens tam mature veniſſe ſtupet: & qualiter erga nepotem ſuum Richardum res ſe habebat diligenter inquirit. Cui cum rei ordinem detexiſſet, & ſolito eum lætiorem feciſſet, Hugonem magnum ſtatim celeri equitatu petiere: à quo detecto cauſæ conſilio, ſumpſerunt ſacræ fidei ſacramenta ad adiuuandum puerum: & mox cum maximo exercitu feſtinanter veniunt Cotidiacum, eumq; inde ſublatum ad Siluanectenſem vrbem deducunt. *Richardus puer ſecreto auferetur.*

Rex autem Lodowicus cernens votum ſuum fore irritum, miſit ad Arnulfum Flandrenſem vt ſibi feſtinus occurreret de hiis omnibus cõſulturus. Cui dixit Arnulfus. Noſtis inquit, Hugonẽ magnum cum Normannis diu ſentire, & ideo vobis expedit illum munerib. excæcare. Concedatis illi Ducatũ Normannicum reſeruando vobis vrbẽ Rhotomagenſem, quatenus eius priuato iuuamine, gens iſta perfida à patria pœnitus cogatur exire. Hugo vero cũ audiſſet regem de hac materia diſputare cupiditate cæcatus: elegit periurus honore ampliari, quã fidem amico ſuo Richardo ſeruare. Quapropter iurantes aduerſus Normannos expeditionẽ, mox rex Caltina, Hugo Baiocaſſina territoria cœperunt rapinis & incendiis oppugnare. Quę cum Bernardus Danus didiciſſet Bernardi Siluanectenſis vſus conſilio, confeſtim legatos dirigit regi Lodowico huiuſmodi verbis inſtructos. Quare inquit, prępotentiſſime princeps tuam patriã demoliris, pręſertim cum ſit tibi quieta & pacifica nemine obſiſtente, deſiſte igitur à tuorũ rapinis, & militum Normannorum vtere militiis. Cur enim eos vexas incendiis? cum tibi patula ſit vrbs Rhotomagenſis, ſuſcipe igitur beneuolo animo eorum ſeruitia, vt queas illorum ſubſidio inimicorum vitare molimina. Hac itaq; legatione Rex exhilaratus, prohibitis à pręda militibus, ire feſtinat quantocius ad vrbẽ. Cui venienti cunctus ciuitatis Clerus & populus ad portam proceſſit obuius clamans: benedictus qui venit in nomine Domini. Inde Rex ad regales accedens dapes, cœpit epulari ſplendide, Bernardo Dano miniſtrante. Cui inter prandendum, vino iam æſtuanti ſic Bernardus ait. Hodie rex ſereniſſime illuxit nobis dies lætitiæ in qua cæpimus eſſe regales: hacten⁹ militauimus Duci, vlterius inuictiſſimo ſeruiemus regi. Teneat ſibi Bernardus Siluanectenſis Richardum nepotem ſuũ: nos vtinam longo tempore habeamus te regem & Dominum. Reuera exitiabiliter conſilium dedit, qui totius Northmannici robur exercitus amittere ſuaſit. Quem vero inimicorum non valuiſſet terrere robuſtiſſima illorum virtute. Sunt enim vt nos tuo ſubiecti dominio, tibi militare volentes corde volenti. Quare ergo viginti millibus bellatorum in nos armaſti inimicum tuum? Nonne ſemper ipſe inſenſus extitit tibi, & contra te rixator aſſiduus? Huiuſmodi rex placatus verbis cum feſtinatione Hugoni magno legatos mittit: *Perfidia Hugonis.* *Normannorum prudentia.*

fit:qui eum compellant exire à Normãnorum terminis,& ei dirigens verba iſta. Stolidum quidem fore aliis tantam donare poteſtatem, quibus ad ſui ſupplementũ quieto iure nullo aduerſante poſſet potiri. Quo audito, Hugo magnus exacerbatus valde celerrime receſſit, omiſſa expeditione milites cohibens à Northmannica vaſtatione. Rex autem aliquamdiu morans apud Rhotomagũ Comitatui præfecit Rodulphum cognomento Tortam, qui vectigalia annuatim à ſubiectis exigeret: & in tota prouincia iura & quælibet negotia decerneret. Qui paganis deterior, cuncta monaſteria ab ipſis exuſta, quæ circa littora fuere Sequanæ à fundamentis diruens, ad reparandam Rhotomagenſem ciuitatem, petras earundem aſportauit. Rex autem ad libitum rebus expletis regreditur Landunum gaudens.

Hugo regis iuſſu Normanniam exit.

Bernardus interea Danus metuens ne in regreſſu Rex Lodowicus cum Hugone duce Northmannos grauioribus preſſuris opprimeret: Haraldo regi Danorũ adhuc degenti apud Cæſaris Burgum, legatos clam mittit: mandans vt ſociatis ſibi Conſtantinenſibus & Baiocaſinis militibus, expeditione terreſtri ipſe à partibus marinis cum hoſtica claſſe direptionibus Normanniam concuteret, quatenus tali occaſione Rex Lodowicus eius colloquium expeteret, & ipſe Haraldus ſatageret de inimicis amici ſui Gulielmi Ducis vindicare. Quod & factis mox Haraldus implere curauit. Fama pinde volans more ſolito, paganos occupaſſe maritima littora Frãcos perterruit. Sed & Bernardus Danus, & Radulphus Torta regi Lodowico per nuncium huius infortunii intimauerunt aduentum: qui validum congregans exercitum quantocius venit Rhotomagum. Hincq; Regi Heraldo mandat vt ſibi apud Lekherlewin occurrat: ſcire cupienti cur infeſtet terminos regni ſui. Quæ res regi Haraldo vehementer complacuit decernenti mortem Ducis toto animo ſuo vlciſci. Vbi cũ reges ambo die præfinito conueniſſent, & de Gulielmi Ducis iniuſta nece inter ſe diutius diſceptarẽt: quidam Danus Herlewinum monaſterioli Comitem, pro quo idem dux occubuerat inter alios proſpiciens, zelo amici ſuccenſus, confeſtim lancea profodit eum, mortuumque ſub monumento ſtrauit. Cuius mortem Lambertus eius frater, cæteriq; Franci amare ferentes: concitatis animis ad dimicandum ſuper Danos repentino impetu proruunt. Quos pagani viriliter excipientes, ſæuiente Marte, decem & octo ſatrapas cum innumeris aliis truncatos gladiis igniuomo tranſmittunt orco, aliis hac illacque nutabundis quærentibus vitæ ſuffugia. Rex vero Lodowicus velocis equi curſu, à regis Haraldi captione lapſus, in cuiuſdam militis manus incidit. Cui cũ multa promitteret ne eius proditione hoſti traderetur, tandem miles victus regis lachrymis, eum clam ſubduxit in quandam Sequanę inſulam. Quod vt Bernardus Danus agnouit, captum militem mox in vincla coniecit. Qui coactus ſuimet neceſſitate inuitus coram protulit, quem pro obtentu muneris eruere diſponebat. Rex igitur ab inſula ſublatus, Bernardi iuſſu apud Rhotomagum arctatur ſub cuſtodia vehementi.

Herlewini cædes belli cauſa.

Lodowicus Rex captus.

Gereberga Francorum Regina audiens regem virum ſuum à Northmannis captum diriguit, & conſternata animo celerrime aggredirur patrẽ ſuum Henricum ſcz. regẽ Tranſrenanũ: orans vt exercitu congregato Rhoromagũ obſideret, & inde virũ ſuum violenter abſtraheret. Cuius infortunium cũ rex Henricus audiſſet: iure hoc illi contigiſſe reſpondit, quia fidem quam Gulielmo Duci olim iurauerat, eius filiũ capiendo nepharie corruperat. Per tuos, inquit, o filia ſtude illũ iuuare, quoniã de proprijs oportet me tractare. Hiis à patre auditis, regina concite Franciã reuertitur, reb^{9} nequaquam proſpere geſtis. Dehinc ſupplex adiens Hugonẽ magnum, poſtulat vt à Normannis extorqueret dominum ſuum. Hugo vero dux miſſo Bernardo Siluanenenſi, Normannos conuocat ad colloquium apud S. Clerum. In quo colloquio eo deductum eſt negotiũ vt Rex Francis redderetur, eo tenore vt Normãni reciproce filiũ regis acciperent obſidẽ cum duobus epiſcopis, Beluacenſi & Sueſſionenſi. Quibus pactis ſtrenue, rex lætus Landunũ regreditur, & Normanni Rhotomagum ſunt regreſſi.

Poſt hęc præfinito tẽpore, reuocato Richardo puero qui fuerat in tutela Bernardi Siluatenenſis, Rex Franciæ cum ſuis magnatib. & magna militari manu venit ſup fluuium Epte, & Hugo magnus cũ eo ad habẽdum colloquium cum Normannis. Ad quem locum occurrere Normanni cum puero Richardo. Diſcurrentibus autem ab vtraq; parte internunciis, Chriſto fauente, pax inter eos firmis fœderibus iuratiſq; ſacramentis ſtabilitur, & obſides redduntur præter regis filium, qui medio tẽpore mortuus eſt apud Rhotomagũ. Hiis rite explicitis rex regreditur Landunũ, & puer Rich. Rhotomagum. Quem Radulphus Torta vrbis præfectus male illico cæpit tractare, & domeſticos eius penuria famis affligere: molẽs plus ſoluere ad quotidianũ victum illis quam

Rex ſub conditionibus liberatur.

quam 12. nummos. Quamobrem dux iuuenis, vehementer furore ſuccenſus, ab vrbe feſtinanter illum pepulit, Pariſiumque ad filium ſuum ciuitatis præſulem ire coegit. Quibus ita peractis Normannica tellus ſiluit à facie ducis. Haraldus vero rex Daciæ non multo poſt in regnum regreditur, reconciliato ſibi filio ſuo Swano.

Richardus Hugonis filiam ducit.

Hugo dux conſiderans puerum Richardũ viribus conualeſcere, cõſilio Bernardi Siluanectenſis filiam ſuam nomine Emmã illi deſpondit: quæ res Lodowicum regem Francorumq; proceres valde perterruit, ſed maxime Arnulfum Flãdrenſem totius fraudis incentorem. Lodowicus ſiquidẽ rex vt didicit hos magnarum virium duces amoris vinculo fore cõſtrictos, conſilio Arnulfi Flandrenſis miſit eundẽ ad tranſrenanum regem Othonem, mandans quoniã ſi Hugonem magnum omnino cõterreret, & terrã Northmannicã ſuo dominio ſubigeret, procul dubio Lotharienſe regnũ illi contraderet. Qui gauiſus nimium audito q diu optauerat, præparatis omnib⁹ quæ ad tantum negotium erant congrua ac neceſſaria, velut tempeſtas valida regno ſuo egreſſus: adiunctis ſibi Lodowici regis Franciæ & Arnulfi Flandrenſis exercitibus, cũ multis militum legionibus, ſup Hugonem magnum irruit, conſumptiſq; omnib. quæ illius erant extra oppida, omne robur belli ſuper Normannos à patria extitpãdos immiſit, præmittens cum multo milite nepotem ſuum ad tentendam Rhotomagenſium vrbẽ. Quam cum aggreſſus fuiſſet, Normannos intra muros deliteſcentes reperiens, ſuſpicatus eſt omnes imbelles fore. Proinde concitatis militib⁹ cæpit expugnare portas vehementiſſime. At Normanni (portis patefactis) impetu repentino animis efferatis proruentes, tanto turbine depopulati ſunt aduerſarios: vt proſtrato ſup pontem nepote regis Othonis, vix vllı à certamine elaberẽtur. Porro rex Otho cum rege Lodowico & Flandrenſi Arnulfo lento gradu ſubſecutus: diſpoſitis militum legionibus, cum acceſſiſſet ad obſidendã vrbem, perſpexiſſetq; eam inexpugnabilẽ: audita morte nepotis ſui, clam cœpit cum ſuis conſultare de diſtrahendo Arnulfo Normãnis intra eccleſiam S. Petri, almiq; Andoeni q ſita eſt in ſuburbio ciuitatis. Sed Arnulfus eo traditionis laqueo deprehenſo, papilionibus tentoriiſq; complicatis, ac ſarcinariis onetatis, in conticinio noctis cum ſuo exercitu feſtinus aufugit. Otho vero atq; Lodowicus conſurgentes diluculo, vt didicerunt Arnulfum fugiſſe: illicò itinere quo venerant greſſus retorquent dimiſſa obſidione. Quos diſcedentes Normanni adeo ſunt perſecuti, gladiis perimentes: vt per diuerſa reperirentur itinera proſtrati quaſi bidẽtes. Plurimi autem illorum dum per ſiluarum deuia oberrarent capti, per patriam Normannorum ſunt diſtracti. Hic extitit euentus Othonis Germanorum imperatoris: hic Lodowici regis finis, non multo poſt hominem exuentis.

Irruptio in Normannos.

Normanni præualent.

Richardus Hugonis filiam ducit.

Hugo deniq; dux feſſus ſenio, cum nouiſſimum ſui exitus diem cerneret imminere, aſcitis principibus ſui ducatus, eorum conſilio Richardo duci Normannorum flore iuuentutis vernãti filiũ ſuum nomine Hugonẽ cõmendare ſtuduit, vt eius patrocinio tutus, in inimicorum fraudibus nõ caperetur. Poſt cuius obitum dux filiã eius Emmam nomine olim ſibi deſponſatam, à paterna domo ſublatam, cum maximo tripudio & honore Rhotomagenſibus intulit mœnibus, eam ſibi iungens iure coniugali.

Carnotenſis interea comes Theobaldus, exortis quibuſdam ſimultatibus, duci Richardo cœpit aduerſari, terram ſuã demoliendo rapinis. Cuius auſus temerarios illico viriliter dux cõpeſſit. Theobaldus autẽ ſuum inceptum ſpe minus valere conſiderans, Getbergę reginæ de Richardo duce maleuola verba cæpit ſuggerere: aſſerens quod eo viuente, Lotharius filius ſuus Francorum rex nunq̃ regnum ſuum pacatum teneret. Qua de re ſumme fore neceſſarium, vt excogitaret qualiter è terra tantum hoſtem extermınaret. Quibus verbis Regina credula cõfeſtim Brunoni Archipræſuli Colonienſi & duci, viz. fratri ſuo Germano legatum mittit, mandans quatenus ſuo nepoti ſubueniat, capere ſatagens Richardum infeſtiſſimum eius regni aduerſarium, ſi qua via poſſit. Continuo quidam epiſcopus à Brunone mittitur, qui ei ſuadeat vt ſibi occurrat apud pagum Ambianenſem ad colloquium cupienti reconciliare ſibi regem, Francorumq; regnum ſubdere ſuæ tuitioni. Quibus verbis dux deceptus ſubdole, iter feſtinus arripuit. Cui eunti obuii fuerunt duo milites Theobaldi: quorum vnus, quorſum (ait) illuſtriſſime virorum greſſum tendis? vis eſſe dux Normannorum? an extra patriam cuſtos ouium? Hiis dictis conticuit: cuius ait milites eſtis? Ad hæc alter, quid tibi (inquit) cuius? nonne tui? Animaduertens igitur dux eorum verba, ſibi ad conſulendum, ac neceſſario prouidendum dirigi, illos quidem digna mercede remunerauit: ſuum vero celerrime greſſum retorquens, venit Rhotomagum. Hoc modo Bruno deluſus, regreſſus eſt detectis ſuæ nequitiæ fraudibus.

Brunonis fraus detecta.

Exinanito itaq; tanto dolo, Lotharius rex ad aliud palliatæ ꝓditionis argumentũ hortante Theobaldo iterato diuoluitur: deſtinando duci legatum huiuſmodi verbis inſtructum. Quouſq; (inquit) dux ſeruitii debitum mihi detrectas exhibere? An ignoras me Regem Francorum eſſe, cui te militiam oportet impendere? cuius edictis atq; conſultis te nequaquam oportet contraire? Nonne de noſtra diſſenrione mei tuique gratulantur inimici? Reſipiſce ergo iam, iamq; ab his obſtinati animi altercationibus, & accelerato itinere, feſtiua mihi occurrere, vt fœderati indiſſolubilibus pacis vinculis, deinceps per mutuam cõcordiam fruamur competentibus commodis, gaudeatq; rex de tanto ſuo duce, & dux de ſuo chariſſimo rege. Quibus ſimulatæ legationis ambagibus dux illectus, illico regi mandat ſe vltroneo libitu affuturum. Super hiis rex vehementer gauiſus, accitis ducis inimicis Baldewino ſcilicet Flandrẽſi, atq; Gorfrido Andegauenſi, nec nõ Theobaldo Carnotenſi, ſuper fluuium Helue venit cõcitus ad placitũ deteſtandum. E contra dux ex altera parte aquę ſedit cũ manu militari. Cupiens autẽ ſcire quæ apud regem gererentur, miſit quoſdam qui renunciarent qui fuerunt contubernales regis. Qui repertis illic dictis comitibus, irruere ſuper ducem diſponentibus, confeſtim pernici curſu regreſſi ducem hortantur vt à loco recedat, ne in manus incidat ſuorum hoſtium publicorum. Qui mox loco recedens & iter cõtinuans, Rhotomagum cum ſuis omnibus eſt regreſſus: ſic detecta in propatulo fraude regis, animoſitatem circa ſe agnouit. Perſpiciens ergo rex propoſitum ſui voti floccipenſum fore, Landunum regreditur furibundus, non multo poſt Normanniam (Theobaldo ſuggerente) hoſtiliter petiturus. Moxq; congregatis Burgundionum & Francorum copiis, ciuitatem Ebroicam aggreſſus, ciuibus incautis dolo capit, & ſtatim tradit Comiti Theobaldo ad circumiacentem patriam expugnandam. Rege vero ab vrbe recedente, dux Richardus è veſtigio eum proſequitur, vaſtans prædis & incendiis totum Dunenſem ſiue Carnotenſem comitatum. Conſumptiſque omnibus quæ Theobaldi erant, cum innumera pręda reuertitur ad propria. Nec mora Theobaldus viciſſitudine reciproca, collecto clam exercitu, ad dedecus ducis papiliones fixit, & magalia apud Vermentrudis villã, & infeſtiſſimorum hoſtiũ ſtationem cõponit ibidem. Vnde dux ꝓuidiſſimus, intempeſtæ noctis ſilentio alueo Sequanæ tranſmeato, diluculo ſup eos irruens illos tanta ſtrage profligauit, vt ſexcentis quadraginta peremptis, reliqui per diuerſa ſyluarum luſtra diffugerẽt vulnerati. Ipſe vero Theobaldus dedecoroſe fugiens cum paucis, latitando per deuia ſaltus Carnotũ venit confuſus. Quo die (Chriſto illi reddẽte vicem) filius eius moritur, & tota Carnotena vrbs incendio conſumitur. Dux vero ad campum belli regreſſus, mortuoſq; reperiens, miſericordia motus ſepeliri eos iuſſit, ac vulneratos leniter Rhotomagum deportari, & à medicis ibi curari, ſanatos quoque Theobaldo remitti.

Lotharii dolus non ſuccedit.

Theobaldus cum dedecore fugit.

Dux itaq; videns tantarum fraudium regis molimina ſuper ſe imminere, Frãcorumq; comites vnanimiter cõtra ſe ſæuire, Haraldo Danorũ regi legatos mittit, orat vt illi ſuccurrat ocius, paganorumq; multitudine Francorũ rabiem ſolo tenus cõprimat. Cuius legatos rex gaudenter recepit, & muneribus ditatos maximis duci remiſit, ſeq; celerrime miſſurum iuuamen ſpoſpondit. Quid plura? Mox ad tãtę expeditionis negotium paganica iuuentus pręparatur, omniq; armorum apparatu innumerabilis exercitus: qui clerici curſu nauiũ permenſo mari ad Sequanica deuoluũtur ora. Quibus mox obuiã gaudenter dux ꝓceſſit: atq; eo præeunte ſulcantes remigio alueum Sequanæ, ad Guinoldi foſſam deuehuntur. Ibiq; fixis anchoris cõſulunt de ſubuerſione Francię. Et ecce repentino tumultu è nauibus proruunt, totamq; in circuitu patriã exitiali flamma comburunt. Dehinc diſtrahuntur viri cum mulieribus cõcatenati, deprędantur vici, deſolantur vrbes, ſubuertuntur caſtra, in ſolitudinẽ redigitur omnis terra, fit luctus omnium in commune per Theobaldi comitatum nullo cane latrante: vbi vero illa deficiunt, regalia iura mox inuadunt: quæ vero Francis ſubtrahunt, Normannis poſſidenda vili pretio conducunt. Manet libera à Paganorum rapinis tellus Normannica, Francia (nullo obſiſtente) diſtrahitur captiua.

Haraldus Dani fert opem.

Cum hæc agerentur, ſinodalis epiſcoporum conuentus apud Landunum celebratur, inueſtigaturus cur Chriſtianus populus his cladib⁹ affligatur. Mittentes denique quendam Carnotenſem pręſulem duci, ſciſcitantur ab eo, cuius rei cauſa tã execranda à Chriſtianiſſimo piiſſimoq; principe ꝓceſſerit ſeueritas. A quo cũ regis fraudes, & Theobaldi vrbis Ebroicæ ſubreptionem pontifex didiciſſet, confeſtim à paganicis irruptionibus inducias petit, & adipiſcitur, in quibus præſules adducant loco oportuno Regem Lothariũ, de omnibus beneuolo animo illi ſatisfacturum. Igitur audiens

dicens

diens Theobaldus abſque ſuo conſultò regem pacem quærere, formidans ne totum ſeditionis pondus ſuper eum incumbat: quendam monachum cum feſtinatione duci mittit, nuncians ſe in quibus illum offenderat valde pœnitere, Ebroicamq; vrbem illi reddere velle. Hiis dux auditis lætus efficitur, & conceſſa ſecuritate, copiam illi indulget ad ſe veniendi. Qui non ſolum illi vrbem reddidit, verumetiam firmatis amicitiis cum multis donariis ab eo receſſit gaudens. Imminente vero die præfiniti colloquii dux apud Guinoldi foſſam in paganorum caſtris tentoria miræ magnitudinis conſtrui iuſſit, in quibus rex Lotharius cum ſuis optimatibus receptus eſt: illicque ſatisfecit duci pactis fœderibus, iuratis ſacramentis. His ita dux expletis ſalubriter, paganorum plurimos ad Chriſti fidem cõuertit ſacris monitis. Alios vero in paganiſmo permanere diſponentibus tranſmiſit ad Hiſpanias, vbi plurima bella perpetrantes decem & octo diruerunt vrbes.

Theobaldus pacem cum Duce init.

Eo tempore Emma ducis vxor, filia magni Hugonis moritur abſq; liberis. Ipſe vero non multo poſt quandam ſpecioſiſſimam virginem nomine Gunnor ex nobiliſſima Danorum proſapia ortam, ſibi matrimonio copulauit Chriſtiano more. Ex qua filios genuit, Richardum viz. & Robertum, atque Malgerium, & duos alios, necnon & tres filias: quarum vna Emma nomine nupſit Egelredo regi Anglorum, de qua idẽ rex Edwardum regem, necnon Aluredum, Godwini Comitis longo poſt tempore dolis interemptum procreauit. Secunda vero Hawiſa vocata Gorffrido Britannorũ iuncta Comiti, Alanum & Endonem duces progenuit. Tertia quidem Comiti Edoni, nomine Matildis, de qua ſermo orietur in poſteris.

Proſapia Gunnor.

Cum igitur dux Richardus multorum operum bonorum polleret incrementis: inter plurima apud Fiſcamium miræ magnitudinis & pulchritudinis in honorem Dei & S. Trinitatis templum conſtruxit, mirificiſque ornamentis multimode adornauit. Quaſdam etiam Abbacias inſtaurauit: vnam ſiquidem in ſuburbio Rothomagenſi in honorem S. Petri, aliamque Andoeni, aliam in monte qui dicitur Tuba, in venerationem Archangeli Michaelis, gregibus monachorum inſigniuit. Tempore ſub eodem mortuo Francorũ rege Lothario: illius loco ab omnibus ſubrogatur Hugonis magni ducis filius adminiculanti ei duce Richardo. Qui cito poſt moriens regnum Franciæ filio ſuo Roberto reliquit, viro piiſſimo & religioſiſſimo. Dux Richardus his beatitudinis prærogatiuis profuſius floruit: vt quos audiebat diſcordes, aut per ſe aut per ſuos legatos concordes redderet (ſcriptura dicente) Beati pedes pacẽ portantes. Erat autem ſtatura procerus, vultu decorus, corpore integer, barba prolixa, cano decoratus capite, prouidus clericorum ſuffragator, ſuperborum contemptor, humilium amator, pauperum ſuſtentator, Orphanorum tutor, viduarum defenſor, captiuorum redemptor.

Richardi deuotio.

Richardi ſtatura.

Hiis & huiuſmodi boni odoris floſculis dux Richardus in Laicali habitu redolens vera gemma Chriſti: corporis ægritudine cœpit vehementer aggrauari, conuocatoq; fratre ſuo vterino Rodulpho comite conſiliũ exigit de patriæ diſpoſitione. Qui nimio turbatus dolore, ac aliquantiſper factus elinguis, nouiſſime reſumpto ſpiritu, hæc reſponſa reddit duci. Quamuis dulciſſime frater atq; ſereniſſime ſenior viribus corporis videaris deſtitui: tamen dum in hac vita te gaudemus amplecti, tuum eſt de totius patriæ ſtatu diſponere. Quo audito dux accitis vndiq; ſuis optimatibꝰ: Richardum ſuũ filium exponit corã, hoc eum commendans & præficiens eloquio. Hactenus cõmilitones optimi militiæ veſtræ præfui: nunc vocante domino morbo crudeſcente compellor à vobis ſeparari. Proinde ſi mei aliquando amatores fuiſtis, oro vos vt hunc meum filium loco mei vobis præficiatis, eiq; fideles ſitis ſicut ſemper mihi fuiſtis. Iam enim me ingrediente viam vniuerſæ carnis vlterius habere non poteſtis. His ab eo lugubre prolatis protinus tota domus concutitur lachrymis & gemitibus. Tandẽ ſopitis fletibus aſſenſum præbent omnes ducis voluntati, Richardum adoleſcentẽ pacta ei fidelitate collaudantes principem. Deinde languore ingraueſcente lecto proſternitur, & libratis ſurſum oculis inter verba orationis, plenus dierum ſpiritum efflauit. Obiit autem apud Fiſcamium *996*. an. ab incarnatione domini Ieſu Chriſti.

Richardi mors.

Richardus, Richardi primi filius fulgoris ſui radios per diuerſos orbis cardines poſt patris deceſſum ſparſit nomine glorioſo, & totam pene Normannicam patriam vnam Chriſti inſigniuit eccleſiam. Qui in armis ſtrenuus, vbiq; armatas legiones militum rexit nobiliter, de inimicis victoriam ſemper accipere conſuetus. Et quamuis ſeculari actui foret deditus, totus tamen fuit fide catholicus, & erga domini cultores beneuolus & deuotus. Sub cuius moderamine plurima monachorum adoleuere ouilia:

Richardi filius catholicus.

lia: qui velut apes ex multis ſanctorum caniſtris actuum erumpentes, lucidiſſima in cæleſtes Theſauros intulerunt mella.

Ruſticorum rebellio.

Cum igitur tantæ probitatis exuberaret copiis, in initio ſuæ iuuentutis contigit intra Ducatum Normannicum quoddam peſtiferi diſſidii oriri ſeminarium. Nã ruſtici vnanimes per diuerſos totius Normannicæ patriæ comitatus agentes conuenticula, iuxta ſuos libitus viuere decernebant. Quatenus tam in ſiluarum compendiis, q̃ in aquarum cõmerciis, nullo obſiſtente obice perante ſtatuti iuris legibus vterentur ſuis. Quæ vt rata manerent ab vnoquoq; cætu furentis vulgi duo eliguntur legati, qui decreta ad mediterraneũ ferrent roboranda conuentum. Quod vt dux agnouit, ꝑrinus fratrem ſuum Rodolphum Comitẽ cum militum multitudine illis deſtinauit, qui & agreſtem comprimeret ferocitatem, & ruſticam dirimeret concionem. Qui non morans iuſſa, cunctos confeſtim legatos cum nonnullis aliis cepit: truncatiſq; manibus & pedibus inutiles ſuis remiſit, qui eos à talibus auſis compeſcerent: & ne deteriora paterentur, euentibus ſuis cautos redderent. His ruſtici expertis, concionibus omiſſis, feſtinato ad ſua aratra ſunt reuerſi.

Gul. obſequium negans incarceratur.

Eadem tempeſtate Gulielmus frater ducis ex parte ꝑgenitus, cui dux Oxunenſem comitatum contulerat: ſpreto illius dominio ab illius ſe cohibuit fidelitatis obſequio. Qui dum per legatos à duce ſępius ob id obiurgaretur, & reſipiſcere nullo modo veller, conſultu & auxilio Rodulphi Comitis in turrim Rhotomagenſis ciuitatis detruditur, temeritatis pœnitudinẽ per quinquẽnium ibi luens. Illos vero qui ſeditionis cauſa fuere vita priuauit, alios conſentientes exules de ſuis finibus exturbauit. Tandẽ poſt quinquennium Gulielmus cuiuſdã ſui militis factione, longiſſimo fune per eminentiorem feneſtram turre lapſus, fugã iniit. Et poſt tempus aliquod cũ penes ſe deliberaſſet ſibi fore ſalubrius cum vitæ diſcrimine fratris clementiã attemptare, quam cuiuſpiam regis aut comitis ſuffragium nil ſibi quandoq; profuturum expetere: contigit vt die quadam ducem reperiret ſe in ſaltu Vernenſi ludis venatuum exercẽtem. Cuius veſtigiis illico ſolo tenus prouolutus, veniam commiſſi ab eo lugubris expetebar. Quem protinus dux miſericordia motus fauente Rodulpho Comite à terra erigens, & euaſionis ſuæ ipſo narrante caſum agnoſcens, non ſolum errata ſibi indulſit, verumetiam beneuolo animo vt fratrem chariſſimum deinceps dilexit. Et comitatum Oxunenſem ipſi donauit, dans inſuper ei quandam puellam ſpecioſam valde Litſelinam nomine, filiam viri nobiliſſimi vocati Turkettilli. Ex qua tres genuit filios: Robertum poſt eius mortem Comitatus illius hæredem, & Gulielmum Sueſſionenſem comitem, & Hugonem Luxonienſem præſulem. Quibus ita ſopitis, terra Normannica ſiluit à facie ducis.

Guliel. pœnitens reſtituitur.

Circa præſens rempus Ethelredus Rex Anglorum Emmam Ducis ſororem habens in coniugio, quibuſdã exortis diſſentionũ incentiuis, Duci nocere ſitiens, maximam nauium multitudinẽ in mare iuſſit impelli. Ac militibus mandauit ex omni regno, vt conſtituto ab eo die ad eas cõuenirent decenter armati. Quibus valida auſteritate regio more pręcepit, vt euntes totam Normanniam rapinis & incendiis exterminarent: ſolummodo Archangeli Michaelis monti parcerent, ne tantę ſanctitatis & religionis locum igne concremarẽt. Sed & Richardum Ducem captum, vinctis poſt tergum manibus, ſubiugata ſibi patria, viuum ſuis conſpectibus pręſentarent. His edictis cum feſtinatione eos ire imperauit. Qui mox veliuolo ſulcantes æquora vento, ad littora Sare deuoluuntur permenſo maris limbo. Hinc prorumpentes de nauibus cõtinuo maritima confinia exitiali Vulcano tradunt. Quod vt Rugellus à ſpeculatoribus comperit, militibus Conſtantinenſibus congregatis, cum multitudine vulgi repentino impetu ſuper eos irruit, tantaq; illos ſtrage deleuit, vt nullus penitus remaneret, qui facta poſteris nunciaret. Nam vnus illorum curſu nimio fatigatus à longe reſederat, qui videns ſociorum inſortunia, timore territus, corporiſq; imbecillitatem oblitus: ad naues concurrit quantocius nuncians cuſtodibus exitia ſociorum. Qui pariter ex omnibus ad tres tutiores naues conferentes, intra ſinum maris remigio ſe contulerunt de vita diffidentes. Panſiſq; velis in ſublime, curſu citiſſimo regem ſuum experierunt, vento ad votum ſpirante. Quos vt vidit, protinus Ducem exigere cœpit ab eis: Cui illi: Nos (aiunt) ſereniſſime Rex Ducẽ non vidimus, ſed cum vnius Comitatus gente ferociſſima, noſtro cum interitu dimicauimus. Vbi non modo ſunt fortiſſimi bellatores: ſed & fœminæ pugnatrices, quoſq; hoſtium vectibus hidriarum ſuarum robuſtiſſimos excerebrantes: à quibus ſcito tuos milites extinctos eſſe omnes. Quibus Rex auditis ſuam agnoſcens inſipientiam triſtis erubuit.

Anglorum ſtrages in Normannia.

Gaufri-

Gaufridus comes Britanniæ cernens ducem Richardũ in omnibus proſperari, & eius magnificentiam toto orbe dilatari, intra ſe deliberare cæpit, quod ſi ſorori Ducis nomine Hadwis iungeretur connubio, inter eos nodus amoris fortior necteretur, eam ſibi dari toto anniſu popoſcit. Cuius voluntati Dux gratanter fauit: Principibus Normannorum aſſenſum præbentibus. Celebratiſque Chriſtiano more cum inæſtimabili honore nuptiis, non multo poſt cum immenſis muneribus eos ouantes abire permiſit. Ex qua dictus Gaufridus expoſt duos filios genuit, Alanum videlicet & Endonem, qui poſt eius exceſſum Britannicam patriam robuſto vigore rexere longo tempore.

Ethelredi in Danos crudelitas.

Cum in ſtatu ſupradicto ſub tam præclaro rectore Normannia polleret feliciter, rex Anglorum Ethelredus, regnum quod ſub magna potentiſſimorum regum gloria diu floruerat, tanto nephariæ proditionis ſcelere polluit, vt etiam pagani nephas tam execrabile horrendum iudicarent. Nam Danos per omne regnum vnanimi concordia ſecũ pacifice cohabitantes, mortis periculũ minime ſuſpicantes, ſubito furore ſub vna die perimi: mulieres quoq; aluo tenus terræ eſſe defoſſas, & ferociſſimis canibus concitatis mamillas ab earum pectoribus crudeliter extorqueri. Lactantes vero pueros ad domorum poſtes alliſos excerebrari iuſſit nullis criminum exiſtentibus culpis. Cum igitur apud Londoniam ſub huius decreti die hæc congeries peremptorum lictorum ſæuitia in immẽſum cumularetur, quidã iuuenes agilitate pernices ad quandam nauem ſe conferentes, fugæ præſidio per Thamiſis alueum celeri remigio petierunt maris ſinum. Permenſo prolixi ponti ſpacio nouiſſime cupitum applicant Danamarchiæ portum, regi Sweno euenta gentis ſuæ exitia nuntiantes. Tunc rex dolore cordis tactus intrinſecus, accitis totius regni ſui principibus, cunctam rei ſeriem illis exponit, quidq; agendum cõſulerent, diligenter inquirit. Qui amicorum & propinquorum ærumnis atq; luctu moti, quaſi ex vno ore omnes eorum ſanguinem decreuerunt totis viribus vlciſci debere. Hiis rex auditis ſub feſtinatione cunctos degentes ſub ſuo regimine præparari miſit, miſſiſq; hac illacq; veredariis, milites cupidos lucri de exteris regnis ad hanc expeditionẽ ſub præfixo ab eo die venire mandauit. Porro termino adueniente ſtatuto, ad naues immenſus illico concurrit exercitus. Dehinc in ſublime eliuantes vexilla regia, librantéſque ventis vela, protenſi maris interuallo velificato ad Eboraca territoria deuehuntur. Ibi quippe Rex dimiſſo exercitu, cum nonnullis nauibus pacis gratia apud Rhotomagum Ducem Richardum aggreditur. Quem cum dux aliquanta mora tractaret regaliter, pacem inter ſe continuam firmauerunt. Ea lege videlicet, vt per ſuccedentia Danorũ regũ, Normannorumq; ducum, ac eorum heredum tempora firma perpetualiter maneret inter eos, & quæ Dani abſtuliſſent inimicis, emenda conferrent Normannis. Si quis vero Danorum inualidus, aut vulneratus, amicorum indigeret iuuamine, apud Normannos quaſi in domo propria, ſub ſecuritate ſanaretur. Quæ lex vt rata maneret ab vtraque parte, ſacramentorum tenore illam ſanxerunt illorum Principes. Quibus rex expletis ad votum, muneratus dignis à duce muneribus, quantocius ad ſuos regreditur, qui remanſerant prope ciuitatem Eboraci. Vt vero iunctus eſt ſuo exercitui, continuo Anglorum regnum vltricibus tradit flammis. Videntes itaq; Eboracenſes ſe à nullo iuuari, datis obſidibus illi ſe ſubdiderunt. Et cum veniſſent Cantium, gens illius patriæ ſimili modo fecere. Dehinc circa Londonias obſidionem componit. Cuius impetum Londonienſes non ferentes, iugo ſeruitutis illius, colla ferina inuiti ſuppoſuere. Ethelredus autem rex apud Wintoniam degens, vt vidit ſe ab Anglis deſtitui, ſublatis à terra theſauris cum vxore & filiis Edwardo ſcilicet & Aluredo, in Normanniam Ducem Richardum expetiit. A quo decenter exceptus, cum magnis opum apparatibus omne ſui incolatus tempus Rhotomagi cum eo exegit.

Svvenus exercitum in Angliam portat.

Ethelredi fuga.

Swenus igitur dũ apud Londoniã de regni tractaret diſpoſitione, mortẽ obiit, interceptus ægritudine. Cuius corpus Dani deponẽtes in naui aromatib. cõditum, cum feſtinatione apud Danemarchiã deuexerunt tumulandum. Quo tumulato filius eius Cnutus nomine arma illius ſumens exercitũ viriliter roborat, & ne ab iterata expeditione reſipiſcant, totis viribus exaggerat. Miſſiſq; legatis duos reges euocat ad ſuum ſuffragium Lacinam Swanorũ, & Alanum Moricorum. Interea dum hæc geruntur, audiens mortem Sweni Ethelredus rex, paratis omnibus ad nauigandum, cum vxore lætus ad ſuum regreditur regnum, dimiſſis cum auunculis duobus ſuis filiis, Edwardo & Aluredo. Rex itaque Cnutus collectis vndequaq; militum legionibus, velut turbo validus à regno ſuo egreſſus procelloſum mare temptat intrepidus; ſubductiſque in

altum nauibus, veliuolo curſu ad Anglos cum ſuis deuehitur. Inde petens Thameſis fluuium, celeriter appulit Londoniæ Comitatum. Cui cum ſuis egredienti de naui-

Cnutus de Anglis triumphat.

bus, occurrentes Angli ex omni regno apud Auxendunum congregati, ad ſuam perniciem cruentiſſimũ illi intulerunt bellum. Cum quibus rex efferatis legionũ ſuarum animis confligens atrociter, tanta eos internecione deleuit, vt nullus hominum queat ſupputare, quot millia die illa gentis Anglicæ corruere. Hinc rex celeri ſe mouens fiducia, Londoniã circumdat obſidione, intra quã vrbem Ethelredus Rex tunc temporis grauiter ægrotabat, & crudeſcente morbo corporis non multo poſt hominem exuit. Rex igitur Cnutus audita morte Regis, ſuorum conſultu fidelium præcauens

Cnutus Emmam reginam ducit.

in futurum, Emmam Reginam abſtractam ab vrbe poſt aliquot dies ſibi iunxit Chriſtiano more: dans pro illa cuncto exercitui in auro & argento penſum illius corporis. Ex qua ſuccedente tempore genuit filium nomine Hardecnutum, poſtmodum Danorum Regem, & filiam vocabulo Gnnnildem, quæ nupſit Henrico Romanorum Imperatori. Diffidentes quoq; Londonii de ſua ſalute, quippe cum diuturna laborarent fame, patefacta vrbe ſe ſuaq; omnia Regi ſponte dedere. Quibus peractis omne robur Anglici regni ſuccubuit dominio Regis Cnuti. Hæc in huius ſerie inteximus, vt Edwardi regis ortum ignorantibus monſtremus. Nunc vero ad propoſitum retorqueatur ſtilus, à quo pauliſper digreſſi ſumus.

Odo Matildam ducit.

Sub eiſdem temporibus Odo Carnotenſis comes ducis Richardi ſororem Matildam nomine duxit in vxorem: cui dux medietatem Dorcaſtrini caſtri dedit dotis nomine, cum terra ſuper Arne fluuium adiacente. Sed illa poſt annos aliquot ſine liberis moriente, comes Odo duci repetenti dictam terram cum caſtri tuitione Dorcaſini, noluit quietam dimittere. Quapropter dux accitis Britonibus cum Normannorum legionibus, ſuper Arne fluuium hoſtiliter veniẽs caſtrum condidit, quod Tegulenſe vocauit: ſumptiſq; ex Odonis comitatu alimoniis eandẽ munitionẽ abundantiſſime inſtaurauit, relinquẽs ibidem cuſtodes, de quorum fidelitate certus fuit. Odo vero comes conuocatis clam ad ſui ſuffragium Hugone ſiquidem Cinomannenſi, ac Wallerando Mellentenſi cum multis copiis militum tota nocte equitans, diluculo ad Tegulenſe caſtrum venit ſigniferis præeuntibus. Quos vt viderunt proceres, quos illic dux dimiſerat, dimiſſis cuſtodibus intra municipiũ, repentino impetu foras erumpentes cum ſuis, cum eis prœlium commiſerunt. Quos ita proſtrauerunt, vt multis

Odo rebellans ſubiugatur.

peremptis, plurimis vulneratis, reliqui per deuia fugientes, opaca ſyluarum latibula quærerent nutabundi. Odo atq; Walerandus vitæ quærentes ſuffragium ſe occuluerunt Dorcaſini caſtri munitione. Hugo nempe equo, cui inſederat extincto, pede fugiens, ad caulas diuertit ouium, loricam, quam indutus erat, ſub ſulco tegens telluris. Dehinc clamide opilionis ſe amiciens, ſeptaq; gregum infatigabiliter humeris de loco ad locum ferens, Normannos hortabatur, vt quantocius perſequerentur hoſtes non longe ante eos turpiter abeuntes. Quibus recedẽtibus præuio paſtore, ſyluarum luſtra carpens, tandem poſt triduum Cinomannis venit, vepribus & ſentibus miſerabiliter pedes ac tibias cruentatus.

Dux igitur videns Odonẽ comitem ad tantã deuolutum eſſe vecordiam, miſſis legatis duos reges cum paganica multitudine ex tranſmarinis partib. euocat in ſuum auxilium: Olanum ſ. Noricorum & Lacinam Suanorum. Qui lætis animis cum ſuis exercitibus pariter cõgregati, curſu celeri ad Britannorũ finitima littora nauigio deuenere. Quorum repentinum Britones agnoſcentes acceſſum, arbitrati ſunt eos ad prædam inhiantes incautos præoccupare. Pagani vero dolos eorum competientes, quadam vſi verſutia, per campi planiciem, quo illos nouerant venturos fore: profundiſſimos foderunt cuniculos in ſuperficie anguſtos, vt ſuperuenientes equites, cruribus eorum confractis indecenter humo præcipitarentur, & ſic facilius gladiis peri-

Britones hoſtium decipulis caſi.

merentur. Venientes ergo Britones atrociter irruunt ſuper hoſtes. Quorum mox proſtrati decipulis, tantam illorum ſæuitiam ſunt perpeſſi, vt vix è prœlio elaberentur perpauci. Inde prolixius pagani progrediẽtes, caſtrum Doli obſident, captumq; igne comburunt, interfectis eius incolis cum Salemone aduocato loci. Deinde ſublatis anchoris repetentes mare, velificante claſſe ad ora Sequanæ deuehuntur, carpenteſque fluminis alueum, pernici remigio applicant Rhotomagum: quós dux vehementer gauiſus, regaliter excepit honore competenti.

Rex autem Francorũ Robertus audiẽs paganos Britannis tanta probra intuliſſe, ducemq; Richardũ ad confutandã comitis Odonis contumaciam eos acceriſſe: verens ne ab eis Francia demoliretur, conuocatis ſatrapis ſui regni, ambós diſcordes

ad ſe

Digitized by Google

Francorum Rex pacem inter vtroſq; reges compoſuit.

ad ſe apud Coldras conuenire mandauit, vbi ſopitis eorum animis protinus illos concordes reddidit. Eo quidem tenore, vt Odo Dorcaſinum caſtrum teneret, & dux præreptam terram reciperet, reciproce Tegulenſi caſtro in ſuo ſtatu perpetualiter perſiſtente, in eius ſ. ſuorumq; heredum poteſtate. Quibus dux ita ad vota peractis ad ſuos Reges regreditur lætus. Muneratiſque congruis donis regaliter, ouanter ad propria redire permiſit, quandoq; ad eius iuuamen reuerti paratis. Rex autem Olanus ſuper Chriſtiana religione oblectatus, ſpreto idolorum cultu, cum nonnullis ſuorum, hortante Archiepiſc. Roberto, ad Chriſti fidẽ conuerſus eſt: atq; ab eo Baptiſmare lotus ſacroq; chriſmate delibutus: de percepta gratia gaudens ad ſuum regnum eſt reuerſus. Qui poſtea à ſuis proditus, & à perfidis iniuſte peremptus, cœleſtem regiam intrauit Rex & Martyr glorioſus, coruſcans nunc apud gentem illam prodigiis & virtutibus.

Olanus Rex fit Chriſtianus & Martyr.

His ita geſtis dux Richardus de ſucceſsione prolis ſollicitus, audiens Goisfridum Britannorum comitem habere quandam ſororem Iudith nomine, corpore elegantem, omniq; morum honeſtate pollentem, hãc in connubium petiit per legatos. Cuius propoſitum Goisfridus vltroneo animo ſatagens accelerare: omnibus quę ad tantum negotium erant congrua præparatis, eam illi deduxit vſque ad limina Michaelis Archangeli, vbi dux illam ſuſcipiens cum honore, eam ſibi iunxit legitimo iure. De qua tres genuit filios, ſ. Richardum, Robertum & Gulielmũ, qui factus eſt monachus apud Fiſcamium: totidemq; filias, quarum vna nomine Adeliz nupſit Rainaldo Burgundionum comiti, altera Baldewino Flandrenſi: tertia iam adulta obiit virgo. Porro Goisfridus comes expoſt orationis obtentu Romam proficiſcens, totam Britanniam cum duobus filiis, Alano videlicet atque Endone, reliquit ſub ducis aduocatu. Qui peragratis ſanctorum locis in repatriando, præuentus morte diem obiit.

Richardi liberi per vxorem Iudith.

Tempore illo cum Burchardus Mildunẽſis caſtri comes moraretur apud curiam regis Francorum Roberti, quidam eius miles nomine Walterius cœcatus muneribus illud ei dolo ſurripuit, Odonique comiti clandeſtina proditione tradidit. Quod vt rex comperit, Odoni mandauit, quatenus caſtrum ſponte deſereret, quod ſibi vſurpauerat minus iuſte. Sed ille loci fiſus munimini ob decurrentis in giro alueum Sequanę, regiis legatis reſpondit, illud vita comite ſe nunquam vlli reddere. His rex oppido exacerbatus verbis, Richardum Normannorum ducem ad colloquium accerſiuit, cui ſui ruboris dedecus depoſuit, orans eius gratiſſimam fidelitatem ſubuenturam ſibi, ne tanto præſumptionum ludibrio premeretur à ſuis. Cuius opprobrium dux non ferens, congregato miræ multitudinis exercitu quantocius, Mildunum venit, illudq; obſedit ex vna parte fluminis, & rex cum ſuis ex altera, die noctuque illud quatientes cum turbine graui, machinis, & tormentis. Videntes itaq; Mildunenſes ſe non poſſe tolerare tantam vim hoſtium, diſtracto duce tumido rebellatore, portas repente aperiunt, eumq; cum ſuis introducunt. Quorum dux parcens multitudini, traditorem protinus regi deſtinauit, mandans vt milites dirigeret, qui caſtrum in ſua fidelitate cuſtodirent. Quo rex exhilaratus nuntio, continuo illud Burchardo reddidit, & proditorem cum vxore propria patibulo ſuſpendi iuſſit, debitam illis reddens talionem pro præſumptione factionis. Poſt hæc dux cum benedictione regali ad propria remeauit. Cuius temporibus ſemper fuerunt aſſueti hoſtes fugare Normanni, terga vertere nulli.

Mildunum rebellans capitur.

Annis abhinc tribus emenſis, Henricus Burgundionum dux moritur abſque liberis: Robertum Francorum regem relinquens ſui ducatus hæredem. Quem ſuſcipere Burgundiones faſtu ſupercilii refutantes, Landricum Niuernenſem Comitem intra Altiſſiodorum tamdiu obſedit: donec Landricum cum vrbe obſidibus ſumptis ſuo dominatui ſubiugaret. Inde vero profectus cum duce Richardo pene totam vaſtauit Burgundiam robore vehementi. Quibus rite peractis, rex per cuncta caſtella cuſtodibus deputatis, Robertum filium ſuum ducatui ſubrogauit. Et ſic arrogantia repugnantium caſſata quieuit. Poſt hæc Rex in Franciam, & dux regreditur cum ſuis in Normanniam.

Burgundiones inuite recipiunt Francorum Regem dominum ſuum.

Cognita quoq; mirandorũ operum ducis opinione, Rainaldus trans Aone fluuium Burgundionum comes miſſis legatis, filiam eius nomine Adeliz ſibi petiit in coniugium. Quam impetratam, à paterna domo auferens, in Burgundiam cum magno duxit honore, ſuoq; thoro Chriſtiana lege ſociauit. Qui longo poſt tẽpore obortis fomentis litium à comite Cabilonenſi, Hugone nomine dolo captus ſub diræ cuſtodiæ ergaſtulo detruditur, compedibuſq; grauiſſimis arctatur. Cuius incompetentem anxieta-

xietatem dux vt agnouit, illico legatos direxit Hugoni, mandans vt pro amore ſuo ſineret generum ſuum abire liberum. Quam legationem Hugo tumide ſpernens, non modo eum reddere contempſit, verumetiam cuſtodibus adhibitis vehementius cuſtodiri iuſſit.

Ducis filius Rainaldum carcere liberat.

Quod cum relatum duci fuiſſet, protinus Richardo filio ſuo imperauit, vt coacto in vnum Normannorum exercitu Burgundiam adiret, ſuamque iniuriam de funeſto totis niſibus vindicaret. Quæ iuſſa adoleſcens libenter exequens, præparatis quæ ad tanti itineris erant neceſſaria, velut tempeſtas procelloſa cuncta coram ſe proturbans, egreſſus à patria confecto calle, Burgundiam inuaſit cum innumerabilium multitudine Normannorum, caſtrumque Menwaldum cinxit obſidione. Quod captum cum viris & mulieribus atque paruulis comburunt terratenus, eo quod incolæ fidentes loci munimini telis & ſagittis hoſtes ad ſui perniciem prouocauerant. Inde retorquentes greſſum patriam igne cremantes iter dirigunt ad vrbem Cabilonenſem. Conſiderans igitur Hugo, ſe nullatenus poſſe reſiſtere contra tantum exercitum, ferens equeſtrem ſellam in humeris, genibus prouolutus adoleſcentis Richardi, prece ſupplici veniam precabatur commiſſi. Qua indulta Rainaldum reddidit, & obſidibus datis, apud Rhotomagum ex hoc ſe fore ſatisfacturum iureiurando duci Richardo ſpopondit. Quibus ad votum peractis, Richardus iuuenis ad patrem eſt regreſſus.

Dux ergo, quamuis præcellentiſſimorum actuum prærogatiuis longe lateque claruerat, tam cultor Chriſti extitit aſſiduus, adeo vt Monachorum & clericorum iure vocaretur piiſſimus, & pauperum ſuſtentator indefeſſus. His & huiuſmodi probitatum vigens titulis ægritudine corporis cæpit vehementer aggrauari. Conuocatoque apud Fiſcamium Roberto Archiepiſcopo, eum cunctis Normannorum Principibus, indicauit ſe iam omnino reſolui. Igitur per cuncta domus triclinia, fit illico luctus omnibus intollerabilis: lugebant & lamentabantur monachi atque clerici, lachrymabantur heroes, flebant egenorum cateruæ pro deſtitutione tanti ducis & patroni. Tandem accitum Richardum filium ſuum conſultu ſapientum, ſuo ducatui præfecit, fratremque ſuum Robertum comitatui Oxunenſi, vt inde illi debitum perſolueret obſequium.

Ducis mors.

Omnibuſque, quæ ad cultum Dei pertinere videbantur ſtrenue diſpoſitis, 1026. anno dominicæ incarnationis hominem exuit, viam ingrediens vniuerſæ carnis.

Richardi laus.

Richardus iuuenis in ducatu ſuperſtes genitoris, licet pauliſper ſuperuixerat, ſicut in vocabulo nominis, ita eius hæres extitit cenſura ſummæ ingenuitatis. Hic in armis bellicis valde idoneus, totus tamẽ fuit fide catholicus, & circa Dei cultores manſuetiſſimus, æquo libramine militares turmas moderãs, pace continua frui gaudens. Sed pacis hoſtis perfidus non paſſus eſt diutius illum lætari, ſed fratrem ſuum Robertum ad rebellionem quorundam maleuolorum verſutia concitauit.

Robertus rebellis fratri ſe dedit.

Hic enim poſt biennium contempto eius dominio intra Faliſe caſtrum cum ſuis ſatellitibus ſe contulit ad reſiſtendum. Quem dux illico cum magna multitudine infra caſtri ambitum vallauit obſidione. Quem cum arietum & baliſtarum crebris ictibus expugnaret, Roberto tandem à perfidia reſipiſcente, datis dextris in priſtinam concordiam redierunt, firmiterque pace compoſita ab inuicem receſſerunt.

Richardi mors.

Porro dux poſt hoc dimiſſo exercitu Rhotomagũ regreſſus, 1028. ab incarnatione domini anno, cum ſuorum nonnullis, vt retulerunt plurimi, veneno mortem obiit, fratrem ſuum Robertum relinquens heredem ſui ducatus.

Robertus igitur frater ducis Richardi totius Monarchiæ ducatus ab omnibus ſubrogatur. Qui quamuis circa rebelles fuerit aliquanto ferocior: beneuolus tamen, lenis & benignus ergaque Dei cultum pius & deuotus extitit. Quamobrem pacis oblectamento diutine frui meruit:

Robertus Archipræſ. obſidetur.

præter id quod prauorum conſilio, Robertum Archipræſulem habens ſuſpectũ, hoſtili obſidione vallauit, intra mœnia ciuitatis Ebroicenſis. Qui tandem nacta diſcedendi libertate, Robertum Francorum regem exul cum ſuis adiit, Normannicam patriam feriens anathemate pontificali. Dux autem Robertus recompenſata improborum aſtutia, & perpendens ſe inconſulte omnia geſſiſſe, Epiſcopum reuocauit è Francia, & priſtinum reſtituit in honorem facti pœnitens, eumque vt tantum virum decebat, ſuis deinceps aſciuit conſiliis, in reliquum perſiſtens ſibi fidelis.

Eliminatis deniq; à ſe totius litis incentoribus, ſapientum cæpit vti tractatibus, & ſoletti induſtria ad ſummi honoris incrementa prouehi. Cuius probos mores boni cæperunt efferre, nonnulli vero improbi ignauiæ aſcribere. Ex quorum contubernio

nio

Digitized by Google

nio Gulielmus Bellemenſis animoſitatem eius audens attemptare, ex caſtro Alencio quod iure beneficii tenebat, à ſeruitii iugo viſus eſt extorquere ſumta rebellione. Ad cuius inſolentiam contetendam Dux veniens cum turmis militaribus, tam diu eum intra munitionem ſuæ præſumptionis adiutricem concluſit: donec eius clementiam expeteret, nudis veſtigiis equeſtrem cellam ad ſatisfaciendum ferẽs in humeris. Cui dux, licet ficta facienti, non modo cuncta indulſit, verumetiam reddito ei oppido feſtinus à loco receſſit. Sed Gulielmus non multo poſt iterum diſſidii inuectus furia: filios ſuos Fulconem atque Robertum cum copia militum dirigit, qui direptionibus Normanniam infeſtarent. Quibus ex domo ducis plurimi audacter occurrentes expediti vernaculi, intra ſaltum Banonis cruentum pœlium commiſerunt. Et ita domino fauentẽ profecerunt, vt iugulato Fulcone præuaricatoris filio, vix frater eius Robertus elaberetur à certamine cunctis pene militibus interfectis. Quorum interitum vt idem Gulielmus grauiter ęgrotans comperit, tactus dolore cordis intrinſecus continuo animam exhalauit. Et ſic profligatis ducis inimicis ſeditio preſſa in partibus illis vltra diſparuit.

Dux rebelles comprimit.

Cum hæc gererentur, perſpiciens Baiocaſinæ vrbis epiſcopus, Hugo Rodulfi comitis filius, ducẽ velle prudentũ ſectari cõſilia, ſuaq; deſtitui, quadã vſus doli verſutia, Ebroicum caſtrum armis clam alimoniiſq; muniuit. Et poſitis cuſtodibus ocius Franciam adiit, vt inde milites conduceret, qui illum ad repugnandũ viriliter adiuuarent. Cuius fraudis molimina dux comperiens, contractis Normannorum copiis idem caſtellum præoccupauit obſidione: clauſa egrediendi ab eo ſiue ingrediendi omnibus facultate. A cuius ingreſſu cum ſe videret Hugo extruſum: ſollicitus de ſuis intra illud concluſis, libertatem abeundi per legatos à duce petiit, & eos idem protinus abiecit. Ipſeq; cum eis quos expetierat diu permanſit extorris. Dux autem caſtellum deditione ſibi redditum cuſtodibus & armis muniuit.

Dux ſapientes conſiliis adhibet.

Sub eodem tempore Baldewinus Flandrenſis Satrapa cupiens ſobolem ſuam innormare regali proſapia, Robertum Francorum regem expetiit, poſcens eius filiam dari ſuo filio Baldewino. Quam adeptam à palatinis ferens tricliniis ad domum propriam in cunis aſportauit, eam nutriens vſq; annos nubiles diligenti cura. Cuius filius mox vt nubilis puellæ frui cæpit amplexibus: fretus affinitate regali patrem à ſolo pepulit, Flandrenſibus ab eius fidelitate auulſis. Qui indecenter à ſuis deſtitutus, Normannorum ducis ſuffragia poſtulauit. Cuius calamitatem dux miſeratus, contractis militum viribus, velut turbo horridus egreſſus à patria, Flandoniam eſt adorſus, illam exterminans flammis exitialibus: progrediẽſque ad caſtrum, quod Cioca vocatur, confeſtim illud ſubuertit, combuſtis omnibus in eo conſiſtentibus. Quod videntes reliqui proceres & ſimilia pati formidantes, relicto filio ad patrem ſunt reuerſi, duci obſides dirigentes. Ante cuius excurſus intollerabiles adoleſcens Baldewinus intuens ſe non poſſe vllo modo ſubſiſtere, cum precibus humilimis illi legatos dirigit, dicens ſe cupere eo mediatore patri reconciliari. Cuius deſiderio vir ſummæ beneuolentiæ fauens affectu gratulanti, vtroſq; libato pacis oſculo in priſtinam concordiam redire perſuaſit. Sic litibus compreſſis, vlterius in pace & amore, quo decuit, perſtiterunt. Ipſe vero dux demolitis rebus rebellium cum incolumi exercitu Normanniam eſt reuerſus. Qua tempeſtate moritur Francorum rex Robertus, cui ſucceſſit filius eius Henricus.

Filius patrem regno pellit.

Rex etenim Henricus patre Roberto viuente Francorum regno potitus: tanto poſtmodum à matre Conſtantia nouercali odio eſt affectus: vt conſpirantibus aduerſus eum comitibus, à regali faſtigio eum deponere conaretur: diſponens Robertum Burgundionum Ducem illius loco ſubrogare. Ob cuius infeſti animi inſecutionem conſilio ſuorum fidelium cum duodecim tantum famulis confugit ad Normannorum ducem, qui tunc morabatur apud Fiſcamium, petens per debitum fidei, quatenus ſibi in hac neceſſitate ſubueniret. Quod dux compleuit efficaciter, plexis rebellium ceruicibus, conſumptis eorum bonis omnibus, & per hoc ſuæ infeliciſſimæ matris conatibus exinanitis.

Robertus opem ducis implorat.

Britannorum comes Alanus elatus faſtu proteruiæ, à ducis ſeruitio ſe ſubtraxit. Aduerſus quem dux innumerabilem mouens exercitum, inuaſit Britanniã, & flammis voracibus totum Doli tradidit comitatum, & cum ingenti præda Normanniam eſt regreſſus. Poſt cuius abſceſſum Alanus illatum ſibi cupiens vlciſci opprobrium, è veſtigio illum proſequitur cum magno exercitu ad demoliendum Abrincatẽſem comitatum. Cui cuſtodes illius caſtri cum ſuis occurrẽtes tanta illico ſtrage depopulati

Britonũ ſtrages.

ſunt

ſunr Britones, vt per camporum plana viderentur proſtrati quaſi bidentes. Ipſe vero ſua triſtis repetens cum dedecore Rodonis venit.

Tempore quippe, quo Ethelredus Anglorum rex à Sweno Dacorum rege regno pulſus, vt ſupra recitauimus, in Normanniam venit profugus, duos filios, Edwardum & Aluredum non longo poſt patriam repetens, Richardo eorũ auunculo reliquit nutriendos. Qui intra Normannici ducis aulam educari tanto honore à duce ſunt habiti, vt nexu amoris ſummi eos ſibi tanquam fratres adoptaret. Quorum diuturno exulatui cõpaſſus miſſis legaris regi Cnutoni mandauit, vt iam iamq; eorũ exterminium illis parceret, & ſua eis vel ſero pro ſui amoris obtentu redderet. Qui ſalubribus eius non adquieſcens monitis, legatos infectis rebus nihil lætum portanres remiſit. Tunc dux ſuccenſus tubore vehementiſſimi furoris, cõuocatis ſui ducatus ptincipibus magnam claſſem nauium ſeſtinato fabricari iuſſit. Quam ex omnibus Normannici maris partib. coactam, infra ſparium parui temporis in anchoris, hominibuſq; robuſtiſſimis diligenrer inſtructam ſtare apud Fiſcamium in littore ponri ſecit. Inde quoq; ſigno dato veliſq; panſis in ſublime nimia tempeſtate acti, ad inſulã, quę vocatur Gernſi cum magno periculo ponti pelagi demum ſunt deuoluti. Quod puto ita factum eſſe domino autore pro Edwardo rege, quem diſponebat in futurum tegnare ſine ſanguinis effuſione. Vbi dum longo detinerẽtur rempore, vento aduerſus flante diutius, dux efferatus animo incredibili cruciabatur mœrore. Nouiſſime videns ſe nullo modo transfretare: giratis proris nauium, apud S. Michaelis montem remeato limbo maris quantocius ſunt appulſi.

Dux iter parat Britanniam vaſtaturus.

Sumens autem dux quandam partem claſſis direxit ad affligendam Britanniam incendiis atq; prędis. Ipſe vero cõtracto equeſtri exercitu parabat ab altera parte eam aggredi. Alanus itaq; videns graue ſibi diſcrimen imminere ab vtriſq; partibus, miſſa legatione Robertũ vtriuſq; auunculum, Normannorũ videlicet archipræſulem ad ſe mandauit ſub feſtinatione venire. Cui cum exirialem Britannię exterminationem & concitati ducis ſuper ſe atrocem enarraſſet expeditionem, ſumens eum præſul fide ſua interpoſita, ad S. Michaelis montem adduxit, ad clementiam ducis illum inuadere diſponentis. Quorum pręcordia nimium rigida propiciante Chriſto illico ad quietem compoſuit, & omni diſſentionum motu ſedato ſerena eos vniuit concordia, Alanum in ſeruitio ducis pacta fidelitate ſupplicem omnino complicans. Poſt hæc miſſis legatis nautas à Britannica vexatione recedere iuſſit.

Cnuto ducem inſtituit heredem regni.

Quibus aliquãdiu ſopitis ecce aſſunt legati à Cnutone rege duci directi nuntiantes illum medietatẽ Anglici regni velle reddere filiis, & heredi regis pace rata in diebus ſuis, eo ꝙ valida grauaretur incommoditate corporali. Sed dux ad tempus differre decreuit naualẽ expeditionẽ, donec rediſſet ab Hieroſolymis, quã peregrinationẽ diu optauerat. Quapropter accerſito Roberto archiepiſcopo Rhotomagenſi cum optimatibus ſui ducatus, illis diu conceptum propoſitũ manifeſtauit. Qui mox omnes vehemẽter attoniti propter eius abſentiam patriam perturbandam multimode formidabant. Exponens autem eis Gulielmum filium ſuum, quem vnicum genuerat, vt hunc ſibi loco ſuo dominum eligerent, militiæq; ſuæ principem præficerent ab eis attentiſſime exigebat. Qui licet ſub tenerrima detineretur ætate, tam de eius conſolatione omnes oppido exhilerati, cum prompta vnanimitate delegerunt principem, paugentes illi fidelitatem inuiolandis ſacramentis. Quibus ad votum expletis Dux ſub rutoribus & actoribus vigentibus ſapienria illum ad vſq; legitimam ætatem ſubegit. Et diſpoſitis competenter rebus ad patriæ moderamina congruentibus, pium vale dicens omnibus, cum ſuo nobiliſſimo comitatu, illam ſanctiſſimam peregrinationem eſt aggreſſus. Quæ vero lingua vel ſermo explicabit eleemoſynarum exhibitiones, egenis quotidie ab eo diſtriburas. Tandem confecto itinere ad illud peruenir ſepulchrum venerabile in quo regis cœleſtis ſanctiſſimum corpus iacuit. Quis ergo hominum enarrauit, quot per octonos dies lachrymarum riuulis illud eluerit? vel quot auri muneribus accumulauerit? Porro inuictus Dux pius, & Deo amabilis adorato Chriſto eum ſuſpiriis inrernorum ſingultuum, & peragratis ſanctorum locis, feliciſſimum conuertens iter ad Niccnam regreſſus eſt vrbem. In qua correptus ægrimonia corporis, 1034. anno ab incarnarione Domini, viam perens vniuerſi generis humani: gaudentibus Anglis diuinæ vocarionis iuſſu occubuit in fine. Cuius beata anima plurimo iam optimorum operum ſplendore, candidata nunc vt credimus cœlo reſider glorificata. Sepultus eſt autem in baſilica S. Mariæ à ſuis inrra mœnia ipſius ciuitatis cum honore.

Dux peregrinatur ad Hieroſolymas.

Roberti mors.

Gulicl-

Gulielmus Roberti ducis filius Roberto ſucceſſit: qui quo ſudore laboris inimicorum laqueos euaſerit, ſuiſq; veſtigiis illorũ colla ferina ſubſtrauerit, quib. victoriarum triumphis in ducatu claruerit, prout ordo rerũ veraciſſime computatarũ dictauerit, notificare libet futuris, ne tegantur ſegnitie, quæ glorioſe micuerunt ſub illius ætatis tẽpore. Is itaq; in puerilibus annis orbatus patre, ſagaci tutorũ prouidẽtia liberalium morum inſtituebatur ad incrementa. Sub cuius ineunte ætate plurimi Normannorum ab eius fidelitate aberrantes per loca plura erectis aggeribus tutiſſimas ſibi conſtruere munitiones.

Subditi in Gul. rebellant.

Hinc diuerſi inter eos exoriuntur motus, concitantur ſeditiones, ac ſæua patriæ perpetiuntur incendia. In tanto quippe diſſenſionum turbine conſumitur non modicus bellatorum cuneus ſæuiente Marte: Hugone montis fortis cum Walchelino confligente, in quo certamine occiſus eſt vterque. Porro eructante in maius quorundam rabie: tutor ipſius pueri, ſcilicet domini, Occenſis ſiquidem comes Giſlebertus non multo poſt perimitur: Deinde diuerſis temporibus Turoldus eius pædagogus, nec non Oſbernus procurator domus, nouiſſime Henricus rex Francorum immemor beneficii à patre ducis quondã ſibi impenſi, dixit ſe ei placabilem nullo modo fore Tegulenſi caſtro in ſtatu priſtino perſiſtente. Cuius fraudes ob ſalutem pueri Normanni in fide ſtantes decreuerũt fieri, quod egiſſe poſtmodum pœnituere. Sed Giſlebertus cognomẽto Criſpinus, cui dux Robertus olim illud caſtrum commiſerat, mox vt moleſtiſſimũ agnouit decretum, ſpretis eorum conatib. cum valida manu armatorum intra ipſum ad reſiſtendũ ſe illico concluſit, quem confeſtim rex obſidione cinxit. Quid plura? Tandem Giſlebertus precibus victus ducis, mœtens caſtrum reddidit, quod ſub oculis omnium cum maximo dolore corporis confeſtim igne concremari perſpexit.

Giſlebertus caſtrum reddit.

Quibus rex ad vota peractis à loco receſſit. Sed non multo poſt Oxunenſem comitatum aggreſſus, Argentonium ducis vicum cremauit, & onuſtus prçda deſeruit partes illas. Regreſſuſq; via qua venerat, ad caſtellum Regulenſe venit, atq; ſacramenta faciens irrita, quæ iurauerat duci: quod à nullo ſuorum reficeretur in quatuor annos, cum feſtinatione illud reſtaurans, militibus & alimoniis abundantiſſime muniuit, hincq; receſſit.

Perſpiciens vero Thurſtinus Oxunenſis prçſes ducẽ puerũ ceſſiſſe regi aliquantulum, & iam quaſi victum regiæ manus oppreſſionem aliquantam vtcunq; perpeti, zelo ſuccenſus infidelitatis, regales milites ſtipendiis conduxit, quos complices ad muniendum Faliſe caſtellum, ne idem ſeruiret duci, ſibi aſciuit. Cuius conatus perfidos vt dux comperit, legionibus Normannorum vnaquaq; coactis feſtinanter illud obſedit. Concitatiſq; militibus tanta mox magnanimitate pugnatum eſt, vt partem muri ſub momento deiicerent, & niſi nox prœlium dirimiſſet, proculdubio rem, quam ſumme volebant, totam confeciſſent.

Thurſtinus rebellans fugit.

Perpendens autem Thurſtinus, ſe tantas hoſtium copias non poſſe tolerare diutius, locum ſecedendi à duce petiit, & ſic profugus à patria extorris aufugit.

Quo tempore moritur Robertus archiepiſcopus Rhotomagenſis, cui ſucceſsit Malgerius frater Roberti ducis. Nam Richardus dux ſecundus mortua Iudith aliam vxorem nomine Papiam duxit, ex qua duos filios genuit, Walgeriũ ſ. archipræſulem, & Gulielmũ Archaſenſem. Hic enim Gulielmus à duce iam adoleſcente, comitatum Tolagi percipit obtentu beneficii, vt idem illi fidelis exiſteret. Qui elatus nobilitate generis, caſtrũ Archarũ in cacumine ipſius montis condidit, quo aſſumpta tyrannide regioq; fretus iuuamine, cõtra eundem ducẽ calcaneũ auſus eſt extollere. Quod dux perſentiens, quantocius frater ad eum venit, & erectis aggeribus ad radicem montis caſtrum ſtabiliunt, quod fortium virorum robore inexpugnabile reddidit. Sicq; inde abiens vallatum alimoniis reliquit. Quod audiens Rex Henricus protinus ſumptis Francorum copiis, cauſa municẽdi ſuperioris oppidi apertiſſime prope aduenit, exercitum iubens apud ſanctũ Albanum caſtrum metari. Cuius aduentum milites ducis comperientes, protraxerunt nõ minimam partem exercitus regis in inſidias, & confligentes cum eis plurimos peremerunt. Inter quos Inglaramus Abbatis villæ comes occiditur, & Hugo cognomento Bardulfus cum multis aliis capitur. Quod vt rex agnouit, intromiſsis alimoniis caſtello, pro quo venerat, mœſtus propter milites amiſſos receſsit cum dedecore. Gulielmus quoq; non multo poſt cum ſuis affectus inedia inuitus caſtellum reddidit, & ipſe à natiuo ſolo in exilium diſceſsit.

Eadem tempeſtate Anglorũ rex Cnutus diem obiit. Cui ſucceſsit Haroldus eius filius ex concubina nomine Elfina natus. Cuius diu cupitam mortem Edwardus rex audiens adhuc cum duce degens, quantocius cum quadraginta nauibus milite plenis

Cnuti mors.

ſuperato mati Hamptoniam appulit. Vbi innumerabilem Anglorum multitudinem ad ſui perniciem ſe operientẽ offendit. Qui protinus cõgreſſus cũ eis, non minimam partem ex illis orco tranſmiſit. Ipſe vero victor exiſtens ad naues eſt regreſſus cũ ſuis. Videns autem non abſq; plurimo numero militum ſe poſſe regnum obtinere Anglorum, regiratis nauium proris Normanniam cum prȩda magna repetiit. Interea frater eius Aluredus non parui numeri bellatoribus portum Whitſandi petiit, & inde tranſfretans venit Doroberniam, & inde regni penetrans interiora obuium habuit comitem Godwinum. Quem idem comes in ſua fide ſuſcipiens, inde traditoris vicem impleuit in illo ſub nocte eadem. Nam libaro pacis oſculo & cum percepto cibo medio intempeſtæ noctis manibus poſt tergum ligatis illum Haraldo regi apud Londoniam cum ſuorum nonnullis deſtinauit. Milites autem ſuos partim per Anglorũ regionem diſtraxit, partim dedecoroſe peremit. Quem Haraldus vt vidit, mox eius ſocios decapitari iuſſit, ipſumq; duci ad Eliẽſem inſulam ibiq; oculis priuari mandauit. Sicq; no-

Aluredus iniuſte peremptus.

biliſſimus vir & optimus Aluredus occubuit iniuſte peremptus, Haraldus nõ diu poſt viuens obiit in mortem. Cui ſucceſſit frater eius Hardecnutus à Dacia regreſſus ex Emma matre Edwardi natus. Qui confirmatus in regni culmine, fratrem ſuum Edwardum à Normannia reuocauit, & ſecum cohabitare fecit. Ipſe vero nõ plenis duobus annis ſubſiſtens, exuit hominem Edwardum totius regni relinquens heredẽ. Sed de hiis hucuſq;, nunc ſtilus figatur in præfixa narrationis ſerie. Igitur dux iam flore vernans gratiſſimæ iuuentutis, cultum Dei cæpit amplecti vltroneo corde, imperitorum contubernia eliminare, & ſapientum conſiliis adhærere, rebus pollere bellicis & vigere prudentia ſæculari. Cum vero his probitatum augmentaretur quotidie commodis, contigit illum quendã crudelem conuiuã experiri ſecum à puerilibus educatum annis, Widonem videlicet, Burgundionem filiũ comitis Rainaldi, cui olim contulerat caſtrũ Brioci quaſi munere firmius aſtringendæ fidelitatis. Is enim faſtu inuectus ſuperbiæ plurimos proceres velut Abſolon ab eius fidelitate cæpit auertere, & in voraginem ſuæ perfidiæ complicare, in tantum, vt Nigellum Conſtantinenſem præſidem in hac conſpiratione annecteret, & à ſeruitio duci ſacramentorũ obligatione debito cum multis aliis funditus exturbaret. Quod videns dux prudentiſſimus, verẽs ne à ducatus faſtigio abiiceretur, & eius æmulus ſuo ſoco ſubrogaretur, neceſſitate coactus, Henricum Francorum regem expetiit pro ſubueniendi obtentu. Tunc tan-

Francorum Rex duci auxiliatur.

dem rex memor beneficii à patre eius quodam ſibi impenſi, coactis ſimul Francorum viribus, Oxunenſem comitatũ aggreſſus Valeſdunas veuit, vbi innumerabiliũ armatorum exercitũ infeſtiſſimo animo ſtrictis gladiis prœlium ſibi attemptantem offendit. Quorum efferos impetus rex cum duce minime perhorreſcẽs, facto alterno concurſu militum bellum commiſit, tantaq; eos ſtrage deleuit, vt quos gladius nõ extinxit, Deo formidinem inferente refugientes abſorberet fluuius Olne. Wido vero lapſus è prælio Briocum expetiit, in quo obſeratis portarum repagulis cupiens ſe liberare aliquandiu obſtruxit. Quem dux (rege Franciam repetẽte) propere intra caſtelli ambitum ſepſit obſidione, ſtabilitis munitionibus in vtraq; parte fluminis, quod vocatur Riſle. Videns profecto Wido, ſe nullo pacto à loco poſſe fugere, aſtrictus famis calamitate, per amicos compulſus eſt ſupplex & commiſſi pœnitens eius clementiam exorare. Cuius dux miſertus miſeriæ illi clementer pepercit, & recepto caſtello Brioci, cum ſuis domeſticis in domo ſua manere iuſſit. Conſpicientes itaq; cuncti optimates, qui à duce deſciuerant, illum omne fugȩ præſidium partim deſtruxiſſe, partim intercluſiſſe, datis obſidibus colla rigida ei vt domino ſubdidere. Sicq; vbiq; caſtellis euerſis, nullus vltra auſus eſt erigere rebellem animum contra eum. Andegauorum quoq; comes Goisfridus, cognomento Martellus, per omnia vir verſutus, vicinas ſibi gentes afflixit frequenter, Comitemque Theobaldum à ſe fraudulenter captum tam diu cuſtodiæ mancipauit, donec vrbem Turonicam ab illo violenter extorque-

Goisfridus Normanniã ſpoliat.

ret cum nonnullis caſtellis aliis. Cæpit inſuper rapinis Normanniam demoliri, immiſſa intra Danifrontis caſtrum cuſtodibus ſeditioſis. Quod dux militari manu vallatus, viſendi obtentn aggreſſus, vt vidit illud ſcopulis aſperrimis & eminentibus in giro circumdatum, & inacceſſibile ad expugnandum, accitis Normannorum viribus illud protinus firmiſſimis caſtellis cinxit, obſtruſis aditibus egrediendi. In cuius præcinctu dum aliquandiu moraretur, ecce aſſunt exploratores, nuntiantes, Aleucium caſtrum eum poſſe capere ſine detrimento ſuorum. Qui confeſtim cuſtodibus intra caſtrum poſitis, tota nocte equitans cum exercitu diluculo venit Aleucium, vbi in quodã municipio trans flumen poſito quoſdã reperit ſe cõuitiis ſubſannantes. Quod

mox

mox cepit,& flammis concremauit. Illuſores vero coram omnibus infra Aleucium conſiſtentibus manibus pedibuſq; priuari iuſſit. Vnde Aleucii pauefacti caſtellũ duci illico reddiderũt. Quib. peractis viriliter militibuſq; ſuis intromiſſis, celerrime Danfrontẽ repetiit. Audientes igitur Danfrontani, qualia dux ſuis ſociis intulerit,& conſiderantes ſe à nullo poſſe iuuari, datis obſidibus, eius ſe cum caſtello dominatui tradiderunt. Inde vero cuſtodibus poſitis egrediens, Abrincas venit ad confutandum comitem Goisfridum: ibiq; ſuper ora fluminis caſtellum condidit, quod alimoniis & militibus ſufficienter muniuit. Quibus geſtis Rhotomagum eſt regreſſus.

Dux Baldvvini filiam ducit.

Iam itaq; duce iuuenili vigente robore cęperunt eius optimates de prolis ſucceſſione cum eo tractare. Quorũ conſultu à Baldwino Flandrenſi comite filiã ſuam Mathildam regali ex progenie deſcendentẽ, corpore elegantem, animo liberalẽ petiit in vxorem. Vnde Baldewinus ſatrapa multum gauiſus, non ſolũ decreuit petitam dare ſibi, verumetiam cum immenſis munerib. eam aduſq; Ocenſe caſtrum adduxit. Vbi dux adueniens, ſtipatus cateruis militum illam ſibi deſponſauit, & cum maximo gaudio & honore Rhotomagenſibus intulit mœnibus. De qua filios filiaſque genuit, ex quib. poſtea in ducatu genitori Robertus ſucceſſit, functus honore paterno. Eo tempore Malgerius archiepiſcopus Rhotomagenſis cæpit deſipere,& inſipientia ductus, duci archipręſulatum reddidit, quem poſtea dux tradidit Maurilio excellenti monacho,& multis virtutibus decorato, ſinodali decreto.

Henricus Normanniã vaſtat.

Enimuero ex quo Normanni arua Neuſtriæ cęperunt incolere, mos fuit Frãcis ſemper eis inuidere, concitantes Reges contra illos inſurgere, aſſerentes eos terras, quas poſſident ſuis maioribus ſurripuiſſe violenter. Quibus rex Henricus vehementer irritatus ſuggeſtionibus, duobus hoſtium agminibus Normanniam eſt aggreſſus, dirigens vnum agmen virorum fortium ad ſubuertendum Caltinum territorium, cui præfecit fratrẽ ſuũ Odonem nomine, alteri vero Goisfrido comiti Andegauorum, vt ipſe demoliretur comitatum Ebroicenſem. Vt ergo dux ſe ſuoſq; taliter vidit opprimi, magno & nobile dolore tactus, ꝓtinus elegit milites, qui ſubuerſores Caltini territorii comprimerẽt. Ipſe autem cum nonnullis ſuorum circa regem ſe contulit, quatenus pœnas lueret, ſi quem ſatellitum à latere regis abſtrahere aliquatenus præualeret. Venientes quoq; Normanni ad Francos, reperiunt eos ad mare mortuum, incendiis & mulierum ludibriis occupatos. Cum quibus illico mane commiſſum bellum in continua cæde occumbentium vſq; ad nonam eſt protractum. Nouiſſime quippe victi Franci terga dedere Normannis, cum eorum ſignifero Odone, videlicet fratre regis. In quo nimirum certamine concidit pars maxima nobilitatis Franciæ, partem vero reliquam oppreſſit captiuitas ea vice. Quorum infortunium vt rex agnouit, à Normannica infeſtatione concito gradu pedem retraxit.

Francorũ cedes.

Dux Cinomannos ſubiugat.

His ita geſtis dux memor opprobrii à comite Goisfrido ſibi illati, ad vrbẽ Cinomanicã poſt annos aliquot arma conuertit. Quis igitur explicare poterit quot militũ incurſibus, quot legionum expeditionibus illam afflixerit? Ad poſtremũ nempe victi Cinomanni iam caſtellis per cunctum comitatum ſubactis, dextras dederunt duci, fidem pangentes illi arctiſſimis ſacramentis. In quorum medio duo ſtabiliuit municipia ad domandam eorum inſolentiam, quę ſuis militibus cuſtodienda commiſit. Reſtiterat adhuc Meduanum caſtellum, quod erat cuiuſdam militis nomine Goisfridi, quod & oppugnauit & combuſſit, & iterum illud reſtaurans cuſtodibus mancipauit. Rex vero Henricus iniuriam ſibi à duce illatam vlciſci cupiens ſumpto Goisfrido comite Andegauenſe copioſiſſimo cum exercitu Normanniam ingreditur, iterata expeditione. Qui comitatũ pertranſiens Oxunẽſem,& penetrans Baiocenſem tandem reflexo calle redeundi vadum Dinę appetiit. Quod rege tranſeunte media pars exercitus ſubſtitit mari eructante, non valens tranſmeare ob redundationẽ fluminis, cum quibus Dux alacriter ſuperueniens, illico vidente Rege congreſſus tanta illos ſtrage proſtrauit, vt quos gladius non extinxit, hos per Normannica compita conſtringeret dirę captiuitatis violentia. Videns autem rex ſuorum interitum, concito greſſu receſſit à Normannia,& vltra ad eos venire non apposuit. Qui tandem poſt aliquot annos moriens, Philippum filium ſuum in Francorum regno reliquit heredem.

Edvvardus ducem ſtatuit heredem.

Edwardus quoq; rex Anglorum diſponẽte domino prolis ſucceſſione carens, olim miſerat duci Robertum archiepiſcopum Cantuar. ſtatuens illum heredem regni à Deo ſibi attributi. Sed & Haraldũ illi poſtmodum deſtinauit, qui fuit maximus Comitum regni ſui in honore, dominatione & diuitiis, vt ei de ſua corona fidelitatem faceret, ac Chriſtiano more ſacramentis cõfirmaret. Qui dum ob hoc negotium venire

contenderet, velificato freto Ponti Pontinum appulit, vbi in manus Widonis Abbatis villæ ſ. Abuile Comitis incidit: quem idem Comes captum cum ſuis confeſtim in cuſtodiam truſit. Quod vt dux comperit miſsis legatis violenter illum extorſit: quem aliquandiu ſecum moratum, facta fidelitate de regno pluribus ſacramentis, cum muneribus multis regi remiſit. Deniq; Rex Edwardus completo termino felicis vitæ, ſub ann. 1065. dominicæ incarnationis migrauit à ſæculo. Cuius regnum Haraldus continuo inuaſit, ex fidelitate peiuratus, quam duci iurauerat. Ad quem legatos direxit protinus, hortans vt ab hac veſania reſipiſceret, & fidem, quam iuramento ſpoponderat, cum digna ſubiectione ſeruaret. Sed ille hoc non ſolum audire contempſit, verum omnem ab illo Anglorum gentem infideliter auertit. In dieb. illis in parte circuli Stella apparuit, quæ tribus radiis longius protenſis maximam partem auſtri per quindecim noctium ſpatium illuſtrauit, mutationem, vt aſſeuerant plurimi, deſignans alicuius regni. Conſiderans itaq; princeps regio diademate iure coronandus Haraldum quotidie viribus roborari, claſſem ad tria millia nauium feſtinanter conſtructam, in Pontino apud ſanctum Walericum in anchoris ſtare fecit, plenam tam valentibus equis quam hominibus robuſtiſsimis cum galeis & loricis. Inde vero flante ſecundo velis in ſublime panſis: trans mare Peneueſſele appulit. Vbi firmiſsimo vallo caſtrum condidit, quod militibus committens, feſtinus Haſtingas venit, ibique cito opere aliud firmauit. Quem Haraldus incautum accelerans præoccupare, contracta Anglorum innumera multitudine, tota nocte equitans, in campo belli apparuit ſummo mane. Dux vero nocturnos præcauens excurſus hoſtis, inchoantibus tenebris, ad gratiſſimam vſq; lucem exercitum in armis eſſe iuſſit, facto autem diluculo, legionibus militum in tribus ordinibus diſpoſitis, horrendo hoſti intrepidus proceſſit obuiam. Cum quo committens bellum ſub hora diei tertia, in cædibus morientium diem protraxit in veſperum. Haraldus autem in primo congreſſu militum cadens occubuit, læthaliter confoſſus vulneribus. Quod comperientes Angli de ſua diffidentes ſalute iam nocte imminente, verſa facie fugæ ſubſidia petiere. Dux ergo fortiſſimus inimicorum ſtrage reuerſus nocte media ad campum belli eſt regreſſus. Mane autem illuceſcente, ſpoliis hoſtium diſtractis à corporibus ſuorum charorum ſepultis, iter arripuit, quod tendit Londoniam. Referuntur enim illo conflictu pugnæ multa millia Anglorum corruiſſe, Chriſto illis vicem reddente ob Aluredi fratris Edwardi regis necem ab eis iniuſte perpetratam. Deniq; feliciſſimus atq; conſilio præcipue munitus belli ductor callem cõciens ad Waringford diuertit vrbem: tranſmeatoq; vado fluuii legiones ibi caſtrametari iuſſit. Inde vero profectus Londoniam eſt aggreſſus, vbi præcurſores milites venientes in platea vrbis plurimos inuenere rebelles. Cum quibus congreſsi protinus non minimum luctum intulerunt vrbi, ob plurima funera ciuium ac filiorum eorundem. Videntes demum Londonii ſe diutius contra ſtare non poſſe, datis obſidibus ſe ſuaq; omnia nobiliſsimo victori ſuo hereditario domino ſuppoſuere. Quo triumpho inter tanta eo ordine confecto pericula dux noſter inclitarum virtutum, & quem noſtri præconia ſtili minime ſufficiunt æquare, in die natalis domini ab omnibus tam Normannorum quam Anglorum proceribus rex electus, ſacro oleo ab epiſcopis regni eſt delibutus, ac regali diademate coronatus ſub 1066. ab incarnatione Chriſti anno.

Haraldus regnũ inuadit.

Haraldus occiditur.

Dux coronatur Angliæ rex.

Paulo poſt hæc rex Gulielmus regreſſus in Normanniam eccleſiã S. Mariæ in Gemetico cum honore magno dedicari iuſsit. Quam dedicationem hii Epiſcopi cum ſpirituali iocũditate 1067. dominicæ incarnationis an. Kal. Iulii compleuerunt, Maurilius ſ. Rhotomagenſis archiepiſcopus, Io. Abrincatenſis, Goisfridus Conſtantinenſis, Hugo Luxonienſis, necnon Baldewinus Ebroicenſis. Rex autem ipſe deuotiſsimo animo, hiis nuptiis præſentialiter ſtuduit intereſſe. Cumque rex in Normannia circa pietatis opera detineretur, Euſtachius Comes Bolonienſis quorundam Anglorum verſutiis deprauatus, Doroberniæ caſtellũ inuolare niſus eſt. Qui in noctis conticinio mare traſfretans, diluculo cum copioſo exercitu illud obſedit, & totis viribus expugnare cæpit. Perſpicientes Odonis Baiocaſinæ vrbis epiſcopi, atq; Hugonis fortis montis milites, quibus cuſtodia illius caſtri fuit credita, abſentibus dominis ſic ſe inopinato obſeſſos, liberalibus animis accenſi, patefactis portis repente vnanimiter foras proruunt, conſertoq; certamine cunctos cum dedecore ab obſidione repellunt. Euſtachius autem ad mare diuertens cum paucis aufugit nauigio indecenter. Ceteri vero ad deuexum montis, qui rupibus ac ſcopulis aſperrimis mari imminet, fugientes omnes ſeſe (Deo terrorem ingerente) inde deiecere deorſum præcipites, iuſtas

Euſtachius Dorobernię caſtrum obſidet.

iuſtas ſui ſceleris pœnas luentes. Sicq; factum eſt, vt quos gladius non proſtrauit, hos diſcorporet horribilis aſperitas prærupti montis, vindiee ſuperna ſententia perfidos ac temerarios conterente. *Hoſtes ſupræcipitati.*

Rex ergo iam pro voluntate rebus diſpoſitis, pro quib. venerat, Roberto filio ſuo iuuenili flore vernāti Normannici ducatus dominium tradidit. Ipſe vero in regnum Anglorum remeans iterato, plurimos eiuſdem gentis reperit, quorum corda leuia ab eius fidelitate auerterat conſpiratio præuaricatrix. Couiurauerant enim latrunculi per totam patriam, vt milites, quos ad tuendum regnum reliquerat, in capite ieiunii, quo ſolet vſu pœnitens Chriſtianorum religio ad eccleſiam feſtinare, nudis veſtigiis incautos vbiq; perimerent, & ſic ipſum à Normannia regredientē è regno facilius proturbarent. Verum detectis eorum perfidiæ machinis repentinum domini ſui magni debellatoris formidantes aduentum, furtim fuga lapſi in quandam cuiuſdam comitatus partem aquis pariter & ſiluis inacceſſibilem ſe contulerunt firmiſſimo vallo erigentes caſtrum, quod propria lingua Dunelmum nuncuparunt. Ex quo diuerſos crebrius agitantes excurſus aliquamdiu inibi delituerunt: præſtolantes Sweni Danorum Regis aduentum vel ſubuentum, quem veredariis ad ſui auxilium conuocauerant. Eboracenſes enim per legatos aſciuerunt ad exerenda ſuæ nequitiæ infauſta commenta. Quibus iuncti armorum ſimul & ſtipendiariorum copia vrbem munierunt, ſemetipſos corroborantes ad reſiſtendum: quendamq; puerum ſibi præficientes regem ex Edwardi Regis nobilitate genus dueentem. Quorum conatus temerarios Rex vt agnouit productis Normannorum copiis ad confutandam eorum contumaciam quantocius ire perrexit. Seditioſi autem audacia & viribus ſiſi ex ciuitate proſilientes, contra regalem exercitum aciem illico direxerunt. A quo protinus ita ſunt profligati, vt quampluribus interemptis reliqui compellerentur refugere intra mœnia ciuitatis. Quos veſtigiis conſecuti Normanni, muri ambitum, quo confugerant, cum ipſis irruperunt, & tam ferro quam igne à pnero vſq; ad ſenem totam pene deleuerunt vrbem. Incentores namq; totius doli per Humbre fluuium nauibus mortis diſpendium effugerunt. *Latronum conſpiratio.* *Latronum cædes & fuga.*

Porro duo Haroldi regis filii ſe ab eorum contubernio ſubducentes cum multis vernaculis patris adierunt regem Hiberniç nomine Dirmetū pro iuuamine obtinendo. De cuius regno ipſo ſuffragante paruo tēpore non minimā militū ſibi contraxere manum, & cum 66. nauibus Anglos oeius repetierunt in regionem, quam maxime opportunam iudicabant rapinis & incendiis, more ſæuiſſimorum piratarum terræ populum exterminantes. Quibus Brienus Endonis ducis Britanniæ minoris filius cum ſuis obuius, protinus cum eis ſub die vna duobus prœliis manum conſeruit. Cæſiſque mille & ſeptingentis bellatoribus cum nonnullis regni proceribus, reliqui è certamine fugientes, nauium prœſidio necis exitium vtrunque euaſerunt, ex charorum amiſſione permaximum Hibernenſibus reportantes luctum. Qui profecto omnes mortis nouacula abraſi fuiſſent, niſi nox prœlium diremiſſet.

Quod rex Gulielmus regnum Angliæ ſit adeptus non euentu ſubito, aut incerto caſu, ſed Dei iudicio prouido ſatis patet. Nam tempore regis Edwardi orta eſt grauis diſſentio inter ipſum regem Edwardum & Godwinum comitem Cantii, patrē ſ. Haraldi, qui regnum tenuit poſt Edwardum. Sed Godwinus tandē cum rege pacificatus dedit Regi obſides filium ſuum Wulnothum, & Hacum filium filii ſui Sweni, quos Rex Edwardus tranſmiſit in Normanniam Gulielmo duci cuſtodiendos. Poſt mortem vero Godwini Haraldus petiuit à rege, quatenus cum licentia eius transfretaret in Normanniam repetiturus fratrem ſuum, & nepotes datos obſides. Cui rex ait: ad detrimentum totius Angliæ transfretabis. Haraldus nihilominus nauem aſcendens, & in Poutinū fluuium nō proſpero curſu perueniēs, à domino illius terræ capriuatur, & ad Guliel. ducem Normannorū tranſmittitur. Poſt dies aliquot dux ait Haraldo. Rex Anglorum Edwardus ſororius tuus, dum adhuc eſſet iuuenis, nutritus mecū hic in Normannia, interpoſita fide pollicitus eſt, q. ſi Angliç rex foret, & ſine prole diſcederet, in me ius hereditariū regni transferret. Tu ergo ſi te in hoc adminiculaturum mihi ſpoponderis, & caſtellum apud Doueram cum puteo aquæ ad opus meū feceris: & ſororem tuam vni de principibus meis dederis in vxorē, filiamq; meā Alam in coniugem te accepturum iuraueris, tunc & modo nepotē tuum, & cum in Angliā regnaturus venero, recipies incolumem fratrem tuum. Prolatis itaq; ſacroſanctis reliquiis, iurauit Haraldus, ſe cuncta quæ Gulielmus dux propoſuerat opere completurū. Et ſic Haraldus accepto nepote ſuo reuerſus in Angliam, cum intra paucos dies rex Edwar-

dus obiiſſet, contempto ſacramento regni diadema ſuſcepit. Ad quem dux Normannorum Gulielmus cum direxiſſet nuntium, ſic reſpondit. Soror mea quam iuxta condictum expetis, mortua eſt. Quod ſi corpus eius quale nunc eſt vult dux habere, mittam, ne iudicet ſacramentum violaſſe. Caſtellum Doueriæ, & in eo puteum aquæ, licet neſciam cui, expleui. Regnum quod necdum fuit meum, quo iure potui dare vel promittere? Si de filia ſua quam debui in vxorem, vt aſſerit, ducere agit, ſuper regnum Angliæ mulierem extraneam inconſultis principibus me nec debere, nec ſine grandi iniuria poſſe adducere nouerit. Reuerſus nuntius domino ſuo retulit hæc reſponſa. Quibus ille auditis, iterum ei amica familiaritate mandauit, quatenus aliis omiſſis ſeruata fidei ſponſione, ſaltem filiam ſuam vxorem duceret, alioquin promiſſionem ſucceſſionis regni armis ſibi proculdubio ſciret ſe vindicaturum. At ipſe nec illud quidem ſe facere velle, nec hoc formidare reſpondit. Vnde factum eſt, vt dictis facta compenſans, Dux Gulielmus intraret Angliam, vt præfertur, & Deo ſibi fauente regnum ſubiugaret.

Haraldi dolus & hypocriſis.

Adueniente Quadrageſima anno domini 1062. rex Gulielmus petiit Normanniam, ducens ſecum Dorobernenſem archiepiſcopum Strigandum, & multos de primatibus Angliæ: conſtituens interim fratrem ſuum Odonem Baiocenſem Epiſcopum, & Gulielmum filium Oſberni, quem Herefordiæ comitem conſtituerat, cuſtodes regni Angliæ, quibus præcepit, vt caſtella per loca firmarent.

Odo abſente rege fit cuſtos regni.

Circa quod tempus fundare cœpit abbathiam de Bello. Rediens autem de Normannia rex Gulielmus importabile tributum Anglis impoſuit. Deinde in Deuoniam profectus hoſtiliter ciuitatem Exceſtriam ſibi rebellem obſedit & infregit.

Matildis vxor regis Gulielmi conſecratur in Reginam Anglorum die Pentecoſtes ab Aldredo Eboracenſi archiepiſcopo, anno gratiæ 1068.

Anno gratiæ 1069. Principes Northanhumbrorum timentes ferocitatem Regis Gulielmi, aſſumpto ſecum Clitone Edgaro, Scotiam adierunt, & incitauerunt Danos qui cum ducentis quadraginta nauibus Angliam infeſtarunt, vnde contigit, vt hinc Normannis, hinc Northanhumbris, hinc Danis Angliam incurſantibus fames præualuit in hac terra.

Anno 1070. Rex Gulielmus monaſteria totius Angliæ perſcrutari, & pecuniam, quam ditiores Angli in eis depoſuerant auferri, & in ærarium ſuum deferri iuſſit. In conſilio magno celebrato Wintoniæ iubente & præſente Gulielmo, Alexandro Papa conſentiente, Stigandus Dorobernenſis archiepiſcopus degradatur tribus ex cauſis. Quia Epiſcopatum Wintoniæ cum Archiepiſcopatu iniuſte poſſidebat. Et quia viuente Archiepiſcopo Roberto non ſolum Archiepiſcoparum ſumpſit, ſed & eius pallio, quod Cantuariæ remanſit, dum iniuſte pulſus eſt ab Anglia, in miſſarum celebratione vſus eſt. Et poſt à Benedicto, quem Romana Eccleſia excommunicauit, eo quod Apoſtolicam ſedem inuaſit, pallium ſuſcepit. Nonnullos tam Epiſcopos quam Abbates, quos nulla euidenti cauſa, nec conſilia, nec leges ſeculi damnabant, honoribus ſuis Rex Gulielmus priuauit, & vſque in finem vitæ detinuit cuſtodiæ mancipatos.

Stigandus cur degradatus.

Anno 1071. Lanfrancus Abbas Cadomenſis genere Longobardus, vir vndecunque doctiſſimus, omnium liberalium artium, diuinarumque ſimul ac ſæcularium literarum ſcientia peritiſſimus, conſiliis quoque ac gubernatione rerum mundanarum æque prudentiſſimus, die aſſumptionis ſanctæ Mariæ Archiepiſcopus Cantuar. conſecratur. Lanfrancus pro pallio Romam iens, peruenit ad præſentiam Alexandri Papæ. Cui Papa ad ſe intranti aſſurgens, eum, vt greſſum figeret, dulciter hortatus eſt. Ac deinde ſubdens, honorem, inquit, exhibuimus tibi, non quem archiepiſcopatui tuo, ſed quem magiſtro, cuius ſtudio ſumus imbuti in illis, quæ ſcimus, debuimus. Hinc quod ad te pertinet ob reuerentiam beati Petri te exequi par eſt. Reſidente igitur Papa, Lanfrancus progreſſus humiliat ſe ad pedes eius, ſed mox ab eo ad oſculum eſt erectus. Reuerſus in Angliam primas totius Angliæ confirmatus eſt. Cuius tempore per totam terram religio quamplurimum aucta eſt in nouis monaſteriorum ædificiis. Quorum ſtructoribus ipſe primum exemplum præbens Eccleſiam Chriſti Cantuar. cum omnibus officinis, quæ infra murum ſunt ipſius curiæ cum ipſo muro ædificauit.

Lanfrancus quomodo exceptus à Papa.

Anno 1072. rex Gulielmus audito, quod comites, Morgarus & Edwardus Barn & Egelwinus Dunelmenſis Epiſcopus latenter in inſulam Elienſem confugerant, in orientali inſulæ plaga omnē illis obſtruxit exitum, & pontē duorū milliariorū in occiden-

dentali fieri iuſſit,& omnes excepto Herewardo viro ſereniſſimo,qui cum paucis per paludes euaſit, ſibi deditionem facere coegit, anno ſ.regni ſui 6. Hoc anno poſt Aſſumptionem S.Mariæ Rex Gulielmus profectus eſt in Scotiã, vt eam ſubiugatet. Cui rex Scotorũ Malcolinus in loco qui dicitur Abrenitici occurrit,&homagiũ ſibi fecit.

Anno 1073. Rex Anglorum Gulielmus ciuitatem quæ dicitur Cinomannus & adiacentem prouinciam maxime Anglorum adiutorio ſibi ſubiugauit. *Scotorum rex homagium facit.*

Anno 1074. Gregorius Papa 7. prius vocatus Hildebrandus celebrata ſynodo Symoniacos anathematizauit,vxoratos ſacerdotes à diuino remouit officio, & laicis miſſam eorum audire interdixit,nouo exemplo & vt multis viſum eſt inconſiderato præiudicio contra ſanctorum patrum ſententiam : qui ſcripſerunt quod ſacramenta quæ fiunt in eccleſia, Baptiſmus, Chriſma , corpus & ſanguis Chriſti ſpiritu ſancto latenter operante eorundem ſacramentorum effectum , ſeu per bonos ſeu per malos intra eccleſiam diſpenſentur, tam quia ſpiritus ſanctus miſtice illa viuificat, nec bonorum meritis amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Ex qua re, tam graue oritur ſcandalum, vt nullius hæreſis tempore, ſancta eccleſia grauiori ſchiſmate diſciſſa ſit, hiis pro iuſtitia, illis contra iuſtitiam agentibus. Porro continentiam paucis tenentibus: aliquibus eam modo cauſa quæſtus, ac iactantiæ ſimulantibus, multis incontinentiam periurio aut multipliciori adulterio cumulantibus, adhæc hac oportunitate laicis inſurgentibus contra ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubiectione excutientibus, laici ſacroſancta myſteria temerant, & de hiis diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & criſmate vtentes in extremo vitæ viaticum dominicum & vſitatum eccleſiæ obſequium ſepulturæ, à presbyteris coniugatis accipere paruipendunt, decimas presbyteris deputatas igni cremant, & vt in vno cætera perpendas, laici corpus dominiã presbyteris coniugatis conſecratum, ſæpe pedibus conculcauerunt, & ſanguinem domini voluntarie effuderunt. *Hildebrandi decreta ſcandalum generabant.*

Herefordenſis Comes Rogerus filius Gulielmi contra præceptum regis Comiti Eſtanglorum Radulpho ſororem ſuam cõiugem tradidit, nuptiaſque cum plurima multitudine optimatum, in Cantebrigienſi prouincia in loco qui dicitur [illegible]ingham, celebrantes magnam coniurationem plurimis aſſentientibus contra regem Gulielmum ibi fecerunt, comitemque Waltheofum ſuis inſidiis præuentum ſecum coniurare compulerunt. Qui mox vt potuit Lanfrancum Archiepiſcopum adiit: pœnitentiamque ab eo pro facto ſacramento licet non ſponte ſuſcepit humiliter , eiuſque conſilio regem Gulielmum in Normannia petiit, eique rem ex ordine geſtam pandens, illius miſericordiæ vltro ſe dedit. Herefordenſi vero Comiti ne trans Sabrinam Rodulpho occurreret reſtitit Wolſtanus Wigornienſis epiſcopus, & Egelwinus Eniſhamenſis cum Vrſone vicecomite Wigorniæ & Waltero de Laceio. Odo vero Baiocenſis epiſcopus frater regis & Gaufridus Conſtantienſis Epiſcopus Radulfum ad minorem Britanniam cum exercitu fugere compulerunt. *Waltheofus conſpirationem Gul. pandit.*

Rex autem Gulielmus reuerſus de Normannia eorum qui in illum coniurauerant quoſdam exlegauit , quoſdam erutis oculis, vel manibus truncatis deturpauit. Comitem vero Waltheophum indigne iuſſit decapitari. Cuius corpus ex poſt è terra leuatum magno cum honore Cruland ſepeliendum deportatur , vbi prodentibus miraculis ſe cum Chriſto regnare manifeſte declarat. Poſt hæc rex Guliel. in Britanniam minorem tranſiens caſtellum Rodulphi Comitis , quod Dol dicitur tam diu obſedit, donec Rex Francorum Philippus illum inde fugaret. Acta, anno Chriſti. 1075. *Gul. pœnam de coniuratis ſumit.*

Robertus Curthoſe Gulielmi Regis primogenitus eo quod Normanniam quã ante cõqueſtum Angliæ, coram rege Francorum dederat, poſſidere non licebat, Frãciam adiit, & auxilio Philippi regis in Normannia magnas frequenter prędas agebat, & patri ſuo non paruam moleſtiam inferebat ſub annis. 1076. & 1077.

Anno 1079. Rex Gulielmus pugnando cum Roberto filio ſuo vulneratus eſt ab ipſo in brachio & deiectus ab emiſſario. Sed Robertus mox vt vocem illius audiuit, feſtinus deſcendit, & illum ſuum caballum iuſſit aſcendere, & ſic abire permiſit. Ille autem multis ſuorum occiſis nonnulliſque captis, ac filio ſuo Gulielmo vulnerato cum multis fugam iniit. Maledixit igitur Rex Roberto filio ſuo, quam maledictionem antequam moreretur euidenter perpeſſus eſt. *Gul. à filio vulneratur.*

Anno 1080. Rex Gulielmus Walliam ſibi ſubdidit, & Odonem epiſcopum Baiocenſem fratrem ſuum in carcere poſuit.

Anno 1087. Rex Gulielmus miſit iuſticiarios ſuos per vnamquamq; Schirã Angliæ,

gliæ,& per iuſiurandum fecit inquirere quot hidæ,id eſt,iugera vni aratro ſufficientia per annum eſſent in vnaquaq; villa,& quot animalia: fecit & inquiri quid vnaquæque vrbs,caſtellum,vicus,villa,flumen,palus,ſilua redderet per annum. Et omnia in chartis ſcripta,delata ſunt ad regem & in Theſauros repoſita vbi vſq; hodie ſeruantur.

Anno 1088. Rex Gulielmus regnum deuaſtans Franciæ, Caſtrum nobile ꝙ vocatur Maante combuſſit,& eccleſias quę ibi erant & plebem multã & duos ſanctos Anachoritas igni tradidit, quibus viſum nõ fuit,& in tãto periculo deſerere cellas ſuas. Sed in ipſo reditu dirus dolor viſcerum apprehendit illũ. Cum autem diẽ ſibi mortis imminere ſenſiſſet, fratrem ſuum Odonem Baioecenſem epiſcopũ, & omnes quos in Anglia vel Normannia tenebat in vinculis relaxabat. Terras vero ſuas ſic diuiſit. Roberto primogenito ſuo Normanniã. Gulielmo ſecundo filio ſuo Angliæ Monarchiã. Hẽrico Theſauri copiam. Pro quo cũ Robertus vendidiſſet ei partẽ Normãniæ, Theſauro habito, ꝙ ei vendiderat abſtulit. Rex igitur Gulielmus poſtq̃ genti Anglorum pręfuiſſet viginti annis decem menſibus & 27. diebus, quinto Idus Septembris die Iouis regnũ cum vita reliquit,& Cadomi in eccleſiam S. Stephani q̃ ipſe à fundamentis conſtruxerat, ſepultus requieſcit. Vxor vero ſua Matildis, Abbaciam Sanctimonialiũ ibidẽ conſtruxit, vbi & ipſe requieſcit. Hæc fuerat filia Baldewini comitis Flãdrenſis.

Gul. moriens ſua diſponit.

Gulielmus dictus Rufus regis Gulielmi filius Angliam adiit feſtinanter ducens ſecũ Wulnotheum & Morcharũ quos laxauerat pater ſuus. Sed mox vt venit Wintoniã eos cuſtodiæ mancipauit. Sexto vero Kalend. Octobris die dominico in Weſtmonaſterio à Lanfranco Archiepiſcopo cõſecratus eſt in regẽ. Hoc anno inter primates Angliæ oritur magna diſcordia. Pars enim nobilior Normannorum fauebat regi Gulielmo, ſed minima: pars vero altera Roberto comiti. Sed maxima cupiens hũc ſibi aſſiſcere in regnũ, fratrem vero aut fratri viuũ tradere, aut regno priuare peremptum. Itaq; res eo pducta eſt vt partes eſſent ad conflictũ paratę. Sed pater reuerendus Wulſtanus, iam quodã modo alter Moiſes, parat ſe viriliter ſtaturus pro populo & ciuitate ſua, pro imminente periculo fundens precamina, exhortans quoſq; ne deſperent de Deo, qui non pugnat gladio neq; haſta. Normanni igitur rogant ſanctum Wulſtanum epiſcopum, vt ab eccleſia ad eos tranſiret in caſtellum: Ipſe vero pro regis fidelitate, petitioni eorum acquieuit. Caſtellani igitur atq; ciues, licẽtia epiſcopi occurrunt hoſtibus trans Sabrinam. Quibus inquit, Ite filii, ite in pace, ite ſecuri cum Dei benedictione & noſtra. Confidens ego in domino ſpondeo, vobis hodie gladius nõ nocebit. Alacres ergo omnes vnanimiter occurrunt hoſtibus. Hoſtes vero cõtumaciter ſpernentes mandata pontificis in terram ipſius poſuerunt incendia. Vnde à circumſtantibus coactus epiſcopus, graui eos percuſſit anathemate. Res miranda & Dei virtus,& viri bonitas. Nam ſtatim hoſtes tanta membrorum percutiuntur debilitate, tãta oculorum attenuantur cęcitate, vt vix arma valerent ferre, nec ſocios, nec hoſtes agnoſcere, ceduntur pedites, capiuntur milites. Cæteris fuga elapſis, regis fideles ſine vlla diminutione ſuorum remeant ad propria, gratias Deo & Epiſcopo referentes.

Wulſtani virtus.

Anno 1090. Rex Gulielmus regni ſui vlciſci paratus iniurias, quas frater ſuus Robertus intulerat muneribus datis, acquiſiuit ſibi Caſtellum ſancti Walerici & Albamarle & On & Fiſcamium. Comes vero Robertus ſuorum infidelitate cognita, regẽ Francorum Philippum in Normanniam venire fecit. Sed à Gulielmo Rege non modica pecuniæ data quantitate in Franciam remeauit.

Concordia regis cum fratre.

Anno 1091. Rex Anglorum Gulielmus cum fratre ſuo Roberto fecit concordiam, eo tamen pacto vt caſtra illa quæ frater ab eo acquiſierat regi remanerent. Hoc enim ſtatuerunt inter ſe, ſi alter ſine hærede moriretur, hæreditas defuncti ſuperſtiti remaneret. Poſt hæc ſimul venientes in Angliam, regem Scotorum Malcolmum cõpulerunt obedire Regi Gulielmo ſicut obedierat patri ſuo, & Rex Gulielmus 12. villas quas in Anglia ſub patre ſuo habuerat, Malcolmo redderet, & 12. marcas auri ſingulis annis daret. Anno ſequenti Rex Gulielmus profectus Northumbriam ciuitatẽ, Caerlel reſtaurauit, quæ à Danis Paganis ante ducentos annos diruta, vſque ad id tempus manſit deſerta.

Anno 1093. Rex Gulielmus decidit in languorem, vt putaret ſe moriturum. Vnde de cætero vitam ſuam corrigere, eccleſiam non amplius vendere, nec ad cenſum ponere, ſed illas regia tueri poteſtate, rectaſq; leges ſtatuere Deo promiſit. Igitur Anſelmo Beccenſi Abbati, ſuadentibus ſibi ſuis Baronibus 4. anno oppreſſionis eccleſiæ Anglicanæ Dorobernenſem Archiepiſcopatum conceſſit. Et Cancellario ſuo Roberto Bloet, dedit Lincolniæ pręſulatum.

Anſelmo datur Archiep. Cant.

Anno

Wulſtani mors.

Anno 1095. vir vitæ venerabilis ſanctus Wulſtanus epiſcopus Wigornienſis migrauit è ſeculo. Anno à primo die ſæculi certa ſcripturæ ratione, 5219. Cuius tranſitus hora apparuit amico ſuo, quem ſpecialiter dilexerat Roberto Herefordenſi epiſcopo in villa quæ Crekelade dicitur, illique ad ſe tumulandum, Wigorniam properare mandauit. Anulum enim ſuum cum quo pontificalem ſuſceperat benedictionem, neminem paſſus eſt digito extrahere, ne poſt mortem ſuam ſuos videretur fallere, quibus prædixerat ſæpiſſime, nec illum ſe vita comite velle perdere, nec etiam ſepulturæ ſuæ die.

Northumbrenſis comes Robertus de Mulbraio & Gulielmus de Auco, cum multis aliis, regem Gulielmum conati ſunt regno vitaq; priuare, & Stephanum de Albamarlum filium amitæ illius regem conſtituere. Sed rex congregato exercitu caſtella eius obſedit, milites illius cepit, & ipſe à Monaſterio S. Oſwini quo fugerat à militibus regis captus eſt & in cuſtodia poſitus. Rex igitur non multo poſt illum ad Bamburgh caſtellum ſ. ipſius Comitis duci iuſſit, & oculos eius erui, niſi vxor eius & propinquus eius Moreal Caſtellum redderent. Qua neceſſitate compulſi Caſtellum reddiderunt. Robertus autem Comes ad Windeleshoram ductus eſt, forti cuſtodiæ mãcipandus. Moreal vero factæ traditionis cauſam regi detexit.

Albamarlus rebellans capitur.

Anno 1096. in octauis Epiphaniæ apud Sariſburiam rex Gulielmus tenuit conſilium, in quo iuſſit Gulielmi de Anco in duello victi oculos eruere, & teſticulos abſcindere, & dapiferum illius Gulielmum de Alderi filium amitę illius ſuſpendi. Comitem Odonem de Campania, prædicti Stephani patrem, & quoſdam alios traditionis participes in cuſtodiam poſuit.

Eo tempore inſtãte magna peregrinatione Ieroſolimitana Robertus Dux Normannorum miſſis in Angliam nunciis, petiit à Gulielmo rege fratre ſuo, vt præſtaret ſibi peregrinaturo 10. millia marcarum argenti, & ab eo Normanniam in vadimoniũ acciperet. Qui mox petitioni eius ſatisfacere cupiens, accommodata à maioribus Angliæ non modica pecunia, menſe Septembri mare tranſiit, & ſex millia ſexcenta ſex illi præſtitit, & ab eo Normanniam vadem accepit.

Anno 1097. Primum bellum chriſtianorum fuit ad pontem Pharphar fluminis 9. Kal. Martii. Secundum apud Niceam, quam & cœperunt 13. Kal. Iulii, cœperunt & Laodiciam. Cum vero eſſent plus quam 300. millia armatorum tanta eis ſuppetebat copia, vt aries vno nummo, bos vix 12. nummis venderetur. Cum igitur poſt. 7. ebdomadas & tres dies, inde Antiochiam tenderent diuiſo exercitu, circumdederunt vnum eorum exercitum, 360. millia equitum, & Arabes quorum non erat numerus. Mittitur ergo ad aliũ exercitum, & bellum geritur horrendum nimis, in quo chriſtiani vehementer attriti ſunt. Quibus iam fugam meditantibus occurrit Robertus Dux Normanniæ, clamans magna voce. Quo milites? quo fugitis? Equi eorum ſunt noſtris velociores, melius eſt enim bené mori quam male euadere, me ſequamini. Dixerat, & in quẽdam paganorum regem lanciæ ſuæ direxit aciem, quæ lignũ, & æs, & corpus æque diffidit. Strauitq; ſecundũ & tertium. Qua occaſione cæteris principibus miniſtrauit animum & audẽdi fortia dedit exemplum. Vnde factũ eſt vt chriſtiani victoria potitẽtur, licet damnoſa, menſis Iulii die 1. Inde progredientes ceperunt plurimas ciuitates. Tandem venerunt ad põtẽ ferreum & Antiochiã quæ caput eſt Syrię 12. Kal. Nouembris obſiderunt. In Februario congregato mirabili paganorũ exercitu ad põtem ferreum apud caſtellum Areth, chriſtiani ſex acies in eos direxerunt. Sed maxima vis paganorum eos inuaſit tã acriter vt paulatim iam cederẽt. At Boamundus bellorum arbiter, Robertus & filius Gerardi ſignifer, velut Leones proruunt in hoſtes. Dux igitur Normannorum gladio caput cuiuſdam magni viri, & dentes, & collum & humeros vſq; in pectora diffidit. Dux Godfridus quendam medium ſecauit. Cum igitur pars terræ cecidiſſet, partẽ aliam domini ſui ferebat equus inter paganos. Quo monſtro perterriti ſimul cuncti fugientes in iram damnationis abierunt.

Chriſtianorum clades.

Chriſtiani victoria potiuntur.

Godfridi fortitudo.

Ortum, vitam & promocionem Beccenſis Abbatis in Archiepiſcopum Cantuariæ ſequentia edocebunt.

ANSELMVS genere Longobardus, Auguſtę ciuitatis indigena, à puero literas edoctus, cum literis bonos imbibit mores, ſtudens in hoc firmare propoſitum, ne ab honeſto reflecteret animum. Tranſcendens iuga Alpium, in Gallia liberalibus diſciplinis ſtuduit per triennium. Inde tranſiens in Normanniam adhæſit Lanfranco Priori Beccenſi, ſcholas publicas regenti tunc temporis, permiſſu vel iuſſu Abbatis Herle-

Herlewini. Sanā cuius doctrinam attēdens, & mundialibus curis ex toto renuncians, habitum Monachalē ſuſcepit, 27. ætatis agens annum. Quos imitari debuerat, bonis operibus iugiter inhærēdo, cura ſolicitiore ꝑuenit. Et cum in clauſtro iam cōtinuum tranſegiſſet triennium, Lanfrancus primo Cadomēſis Abbas effectus, poſt Dorobernenſis Antiſtes cōſecratus, in prioratu Beccenſi ſucceſſorem reliquit Anſelmum, qui

Anſelmi origo.

poſtea vnanimi conſenſu fratrum, electus eſt in Abbatem loci prędicti. Ex poſt vt ſupra retulimus poſt deceſſum Lanfranci, in Archiepiſcopum Cātuariæ ſublimatus eſt, procurante rege Gulielmo, anno ætatis ſuæ 60. Rex Gulielmus conualeſcens corpore de infirmitate, ægrotare cæpit in anima. Nā in propriis facultatibus diſpergendis effuſior, alienas perſcrutari nō deſtitit. Petiit igitur ab Archiepiſc. mille libras argenteorum fiſcalibus cōmodis applicandas, cauſam allegans vt ſibi videbatur iuſtiſſimā, quoniam gratis in promotione ſua promptum ꝓbuiſſet aſſenſum. Archiepiſcopus vero trahens ad indifferentiam, ante ꝓmotionem vel poſt, ob talem cauſam numerare pecuniā pari ſententia feriendum decreuit vtrumq;. Sed quia regis ſaccos implere nō poterat, niſi prius bonā conſcientiam euacuaſſet, elegit potius regis indignationem incurrere, quam diſpendium famæ: quam periculum animæ, quam confuſionem imposterum, quam imprecationem multorum in eccleſia Dei ſubire. Non multo poſt cum maxima difficultate vix obtenta à rege licentia nō licentioſa receſſit à Curia. Nā ſi propoſitis Euangeliis, repromitteret ſe nec Apoſtolorum limina viſitaturum, nec pro quouis negotio Romanæ ſedis audientiam appellaturum, tum poterat & ſuis atq; ſuorum rebus cum omni tranquillitate proſpicere, poterat & regni maioribus in omni dominatione præeſſe. Sin autem poterat transfretare, ſed ſine ſpe reuertendi recedere.

Anſelmus tranſfretat.

Diſcedens Archiepiſcopus venit ad mare. Aſcēſuro nauem apud Doueriam, accurrit Gulielmus Warwaſt irreuerenter, & pecuniam non in ore ſaccorum ſolummodo, ſed in ipſius Archiepiſcopi manicis & clitellis, improbus perſcrutator perquirens: ſed non inuento quod queſierat, ſollicitudinem ſuam deluſam vidit. Sed in hiis iniuriis, nec ſic ab Archiepiſcopo vel verbum amaritudinis, vel ſignum offenſionis potuit extorquere. Transfretationem eius illico apparitores poteſtatis proſequuntur, eccleſiæ bona fiſcalibus ratiociniis per totam regionem addicentes. Limina viſitans apoſtolorum ab Vrbano Papa maximo cum honore receptus eſt Laterani.

Papa Anſelmum humaniter tractat.

Cum quo poſtmodum in Barenſi conſilio, Græcorum à fide catholica diſſidentium confutauit errorem. Habito Romæ conſilio quo rurſus idem Papa reſedit Vrbanus, interfuit, in quo laicos inueſturas eccleſiarum more priſtino conferentes, & eas accipientes à laicis, & taliter poſt adeptum honorem munus conſecrationis impendere præſumentes, à communione fidelium ſynodalis authoritas decreuit extorres. A conſilio rediens Archiepiſcopus, dum exilium æquanimiter Lugduni ſubiret, effluxit triēnium, prope cuius finem, rex Gulielmus vitæ fecit finem. Cui frater ſuus Henricus ſucceſſit in regno. Qui mox reuocauit Archiepiſcopum, & liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habere permiſit. Sed tamen vt debitam libertatem eccleſiis conſeruaret, per duos annos & dimidium grauiſſimis affectus eſt iniuriis. Nam bonis ſuis denuo confiſcatis annus elapſus eſt & dimidius. Ipſe interim Lugduni moram traxit, vbi quaſi in quadam ſchola virtutum præſidens, magiſterio ſanctæ conuerſationis enituit. Poſtmodum Archiepiſcopus à rege rogatus intrauit Normanniam. Cum autē Becci rex & Archiepiſcopus conueniſſent, ſub audientia virorum illuſtrium, tāquam in iure profeſſus eſt rex, ſe nihil iuris vel ſibi vel hæredibus impoſterum in eccleſiarū inueſtituris vendicaturum, nec in electionibus faciendis aliquid aliud quam ſolum aſſenſum, ſicut ſacrorum canonum cenſura pręſcribit. Quibus ſic pacificatis Archiepiſcopus regreſſus eſt in Angliam & in bona quiete conſenuit.

Anſelmus reſtituitur.

Rex Guliel. dum in noua foreſta venaretur, venit ei nuncius à Cenomannia dicens ei familiam ſuam ibi obſideri. Illico rex ad mare veniens, naues introiit. Cui nauclerus & Nautæ. Cur regum fortiſſime intollerabili tempeſtate maris alta laceſſis? & mortis imminens periculum non formidas? Quibus Rex, de Rege ſubmerſo fluctibus ſermonem non audiui: quin potius ſoluite retinacula nauium & videbiris elementa conſpirare ad meum obſequium. Ergo mare tranſiens ſprero periculo, nihil dum viueret egit, vnde rantam famam haberet Cenomanniā veniens Heliam Cōſulem qui cum ſuis vrbem obſederat cepit, fugatis reliquis. Adducto Helia corā ſe ludibundus ait. Habeo te magiſter. At ille: fortuito me cepiſti. Sed ſi poſſem euadere, noui quid facerem. Hoc autem dixit propter paucitatem militum regiorum. Tunc rex iratus: Abi inquit, fuge, concedo vt facias quodcunq; volueris ſiue poteris. Hoc autem dixit vtre-

vt readunaret exercitum. Sed nec ille fuit auſus redire cum exercitu, quamuis plures haberet milites quam rex habebat, nec exercitus manus conſerere cum rege furente. His ita geſtis rex in Angliam eſt reuerſus.

Anno 1098. Chriſtiani obſeſſa Antiochia in tantum attenuati ſunt propter omniũ rerum penuriam, vt in toto exercitu vix centũ boni equi inuenirentur. Et tamẽ quamuis ex deſperatione multi ſeſe ſubtraxerunt, multiq; repatriauerunt 9. tamen menſe obſidionis 3. Nonas Iunii, capta Antiochia, Chriſtiani à paganis verſa vice obſeſſi, tanta fame ſunt afflicti, vt vix aliqui ab humanis carnibus abſtinerent. Sed confortati à Deo per inuentam ipſius lanceam, S. Andrea Apoſtolo reuelante in eccleſia beati Petri, ipſa lancea eos præcedente, occurrunt obſeſſoribus, & Cirbaram principẽ militiæ aliosq; fugantes occiſis multis millibus plenam victoriam reportatunt, 4. Kal. Iulii. Commiſſa Antiochia Duci Boemundo, chriſtiani propter diſcordiam principum in Syriam profecti, expugnata Marra & Barra, ibi rurſum fame afflicti ſunt, vt corpora Saracenorum iam fœtancia comedere ſunt compulſi. *Antiochia à Christianis capitur.*

Anno 1099. exercitus Dei peruenit Ieroſolimam, eamq; obſidentes Chriſtiani, cum laborarent pro victus, & maxime pro aquæ penuria: omnes ex cõmuni decreto nudis pedibus orando quotidie circuibant vrbem. Octauo igitur talis humiliationis die, obſidionis autem 39. capta eſt Ieruſalem Idus Iulii ſexta feria, & in templo Salomonis, & in porticu eius, chriſtiani cum paganis bello conferto, tot incredulos occiderunt, vt in ſanguine occiſorum, pene ad equorum genua equitarent. Ciuitate igitur ordinata: & principibus de reditu iam agentibus, ecce Turcæ occurrunt cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurriſſet exercitus domini, cum non pluribus quam quinq; millibus equitum, & 15. millib. peditum, Saraceni ſolo chriſtianorum impetu territi, omnes proiectis armis fugerunt. Et hoc octauo bello 4. Kal. Auguſti, cæſa ſunt centum millia paganorum. In porta vero Aſcalome vbi bellum commiſſum fuerat ad duo millia ſuffocati ſunt. *Ieruſalem ſanguine Paganorum fluit.*

Rex Anglorum Guliel. anno dom. 1100. dum in noua foreſta venaretur in die S. Petri ad vincula, à Gualtero Tirel, ſagitta percuſſus occubuit, & Wintoniæ ſepultus eſt in eccleſia S. Petri. *Guliel. ſagitta cæſus.*

Henricus frater regis Gulielmi conſecratus eſt rex Anglorum apud Weſtmonaſterium à Mauritio Londinenſi epiſcopo, Nonis Auguſti, cum quo Thomas archiepiſc. Eboracenſis coronam capiti regis impoſuit.

Godfridus princeps Ieroſolimorum & dux Lotharienſium diẽ clauſit extremũ.

Henricus Rex Anglorũ vxorem duxit Matildã filiam Malcolmi regis Scotorũ.

Anno Chriſti 1101. Robertus dux Normanniæ regreſſus de peregrinatione Ieroſolimitana, venit in Angliam, & regis prudentia condonauit regi tria millia marcarum quæ ſibi rex debebat annuatim.

Anno Chriſti 1104. Gulielmus Comes Moritonienſis exhæreditatus ab Anglia cauſa perfidiæ, diſceſſit in Normanniam, & hominibus regis Henrici bellum intulit calamitate refertum.

Anno 1106. rex Henricus tranſiens in Normanniam fere ſubiugauit omnes principes Normannorum, exceptis Roberto de Beleaſmo, Gulielmo de Moritonia & paucis aliis.

Rex Henricus Beccum venit, vbi ipſe & Anſelmus Archiepiſcopus in vnum cõuenerunt, & tandem omnia quæ in diuerſa traxerant, pacem & concordiam inuenerunt, & idem Archiepiſcopus iuſſu & rogatu regis Angliæ rediit in Angliam.

Congregato exercitu rex Anglorũ Henricus quoddã Caſtrum Comitis de Moritonio q. vocatur Tenerchebray perrexit & obſedit. Interim venit dux Robertus frater regis ſuper eum cum exercitu in vigilia S. Michaelis, & cũ eo Robertus de Beleaſmo, & Comes Gulielmus de Moritonia, vbi concito pugnatum eſt, ſed victoria regi fauit. Nam illic captus eſt dux Robertus Normanniæ comes de Moritonia, Robertus de Beleaſmo in fugam verſus eſt, & plures alii capti ſunt. Igitur Normannia ſub regia diſpoſita poteſtate, Duceq; Roberto Normannorum & Comite Moritonii Gulielmo ſub captione præmiſſis in Angliam, ipſe ante Paſcha in regnum reuerſus eſt. *Gulielmi victoria.*

Anno 1110. rex Henricus Abbathiam Elienſem ad Epiſcopalem mutauit ſedem, & Herueum præfecit ibidem. Rex Francorum & auxiliarii ſui hoſtiliter venerunt in Normanniam, vbi cum vna nocte manſiſſent, formidantes regis aduentum propere receſſerunt.

Anno Chriſti 1118. regis Francorum & regis Anglorum longa cõcertatio grauiſſime

ſime regem vexauit vtrumque, donec Baldewinus Comes Flandriæ apud On lęthaliter vulneratus eſt.

Henrici magnanimitas.

Anno Chriſti, 1119. rex Anglorum Henricus pugnauit contra regem Francorum. In quo bello Gulielmus Criſpinus miles magnanimus, regis Henrici caput bis gladio percuſſit, ita vt ſanguis protumperet. Vnde rex commotus percuſſorem ſuum ita repercuſſit vt equitem & equum proſterneret mole ictus, qui mox ante pedes regios captus eſt. Franci vero horrore inſpirato liquefacti: terga dedere. Henticus autem rex perſtitit in campo victor.

Regni Ieroſolimitani principes directis nuntiis Fulconem Andegauenſium comitem ſollicitauerunt, quatenus loca dominicæ paſſionis adiret, accepturus vxorem filiam regis Baldwini, quam vnicam & hæredem reliquerat. Quibus adquieſcens Comes filio ſuo Gaufrido Plantagenet hæreditatem reliquit. Ieroſolimam venit, ſuper ſolium Dauid regis in Ieruſalem collocatus eſt, Chriſti crucis inimicos attriuit. Quod igitur incepit, viriliter ſui ſucceſſores tempore ſuppleuerunt. Quorum ſtrenuitas ordine ſucceſſorio gubernacula regni Ieroſolimitani nanciſcens & Ydumeorum compeſcuit ferocitatem, & Babilonem factam rebellem ſub ditione redegit, & Alexandriam reddidit tributariam: & in nominis ſui celebritate, totius populos orientis effecit attonitos.

Mortua Matilda Regina rex Henricus duxit Adelizam filiam ducis Louanniæ. Quæ à Radulpho Cantuarienſi Archiepiſcopo conſecrata eſt apud Windeliſhoram, anno 1120.

Gul. regis filius ſubmergitur.

Eodem anno, Gulielmus filius regis primogenitus ſubmerſus eſt cũ multis nobilibus. Hic iactitauerat quod ſi dominium ſuper Anglos aliquando acciperet, eos quaſi boues ad aratrum trahere faceret. Sub hoc tempore rex Henricus maritauit Matildam filiam ſuam Henrico 4. Teutonico imperatori.

Templarii deleti.

Circa an. dom. 1123. Ordo Templariorum incepit. Hii nempe congregati ex reliquiis hoſpitaliorum ſedem ſibi ſtatuerunt in porticu templi Ieroſolimitani: qua de re vocati ſunt milites templi. Qui ex reliquiis hoſpitaliorum in cibis & armis ſuſtentati, ad tantam rerum opulentiam deuenerunt, vt filia ditata matrem videretur ſupergredi & ſuffocare. Qui tandem ob ignominioſam Apoſtaſiam in Chriſtum & blaſphemiam, circa annum gratiæ, 1312. ſub papa Clemente 5. deleti ſunt.

Imperatoris mors.

Anno Chriſti, 1125. Henricus 4. obiit Alemanniæ imperator. De quo quidam dicunt quod poſtquam incarcerauit patrem ſuum carnalem, & patrem ſpiritualem Papam cum Cardinalibus, tandem ad cor rediens, vltroneus exul factus eſt, dimiſſa clam vxore ſua Matilde Anglica: heremiticam vitam duxit apud Ceſtriam per decennium. Quo ſic digreſſo latenter, Matildis imperatrix ad patrem ſuum regem Henricum in Normanniam rediit. Vbi cito copulata eſt Galfrido Plantagenet comiti Andegauiæ, de quo ſuſcepit Henricum 2. poſtmodum regem Anglorum. Alii vero dicunt quod præfatus Henricus imperator Alemanniæ ſepultus ſit apud Spiram cum ſuis progenitoribus cum hoc Epitaphio. Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet iſtic. Primates Angliæ iurauerunt imperatrici, & primus inter omnes Stephanus comes Boloniæ.

Anno 1127. Galfridus Plantagenet comes Andegauorum duxit imperatricem Matildem.

Anno 1129. Mortuo Flandrenſi comite Karolo, Henricus rex Angliæ de beneplacito regis Franciæ ſucceſſit iure conſanguinitatis.

Anno 1133. Robertus Curthoſe quondam dux Normãniæ & frater regis obiit apud Kardif.

Anno 1134. natus eſt Cenomanniæ Henricus primogenitus, Galfridi Plantagenet comitis Andegauorum & Matildis imperatricis. Quo audito rex Henricus conuocatis regni ſui principibus, filiam ſuam & hæredes filiæ ſuæ ſibi inſtituit ſucceſſores, ſuper hoc ſibi pręſtito à regni maioribus iuramento. Stephanus filius Ale ſororis ſuæ apud Weſtmonaſterium poſt præſtitit ſacramentum.

Henrici mors.

Anno 1135. Henricus rex Anglorum cum regnaſſet annis 35. & menſibus 4. deceſſit apud S. Dioniſium in ſilua Leonum, & in Anglia ſepultus eſt apud Radingum. Nomina Caſtellorum quæ in Normannia ex integro fecit Henricus Rex in margine ipſius prouinciæ ſunt iſta. Drincurtus nouum mercatum, Vernolium, Nonanticurtis, Bomunlius, Colun mons, Pons Verſoms: fecit & caſtrum S. Dioniſii in ſilua Leonũ

Quæ caſtra ſtruxit.

Vallem Rodullii, Turrim Ebroicarum, Turrim Oſteriarum, Turrim Alene. Turrem

S. Io-

S. Iohannis iuxta montem S. Michaelis Monaſterium Radingarum fecit in Anglia, Monaſterium Canonicorum apud Circeſtre, Monaſterium de Prato apud Rhotomagum, Monaſterium de mortuo mari.

Stephanus comes Boloniæ audita morte regis Henrici auunculi ſui transfretauit in Angliam, & à Gulielmo Cantuarienſi Archiepiſcopo conſecratur in regē apud Londoniam. Hugo nempe Bigod veniens in Angliam qui fuerat ſeneſcallus regis coram Archiepiſcopo Cantuar. ſacramento probauit, quod dum rex Henricus ageret in extremis, ortis quibuſdam inimicitiis inter ipſum & imperatricem, ipſam exhęredauit, & Stephanum Boloniæ Comitem hæredem inſtituit. Gulielmus igitur Cantuar. Archiepiſcopus nimis credulus verbis Seneſcalli, Stephanum Moritonii comitem conſecrauit in regem apud Weſtmonaſterium vt prętertur. *Stephani coronatio.*

Anno 1136. Imperatrix Caſtella quædam in Normannia poſt mortem regis ſ. Argentonum & Danufrunt cepit.

Stephanus rex in Paſchalibus diebus apud Weſtmonaſterium conſilium congregauit, fidelitates exegit, regis Henrici Theſauris non pepercit, in munerum largitione nimis effuſus. Stephanus rex duxit exercitum apud Exceſtriam, quam obſedit & cepit, Baldewinum de Rimeres exhæredauit. *Stephani liberalitas.*

Anno 1137. Stephanus rex tranſiit in Normanniam & fœdus iniit cum rege Frācorum. Galfridus comes Andegauenſis ingreſſus Normanniam Regi Stephano treugas dedit, accipiens ab eo duo millia marcarum argenti ſingulis annis per tres annos.

Anno 1138. Dauid rex Scotorum innumerabilem congregauit exercitum tendens in Angliam, & terram vſq; ad flumen Teyſe cremando, cedendo, grauidas findendo, vaſtauit. Thurſtanus Eboracenſis Archiepiſcopus auxilio Northanhumbrorum ei reſtitit apud Aluerton vbi duodecim millia Scotorum ſunt occiſa.

Anno 1139. Rex Stephanus cepit epiſcopos Sarum & Lyncolniæ, quoniam ipſi caſtella ſua reddere noluerunt. Sequenti anno rex Stephanus obſedit Lyncolniam. Cum autem die Purificationis rex ad miſſam cereum ſuum offerret, confractus eſt pixis & cecidit ſuper altare cum corpore Chriſti. Captuſq; eſt eo die rex & ductus ad imperatricem, quæ dudum ſollicitata fuerat venire in Angliam, à quibuſdam proceribus regni, & poſitus eſt rex in cuſtodia apud Briſtow. *Stephanus capitur.*

Imperatrix à Londonienſibus in dominam eſt recepta. Vbi regina Angliæ coniunx regis Stephani eam interpellauit, vt rex abſolui poſſet ea conditione, vt regno imperatrici reddito, rex alicubi poſſet monachari, ac perpetuo peregrinari. Sed non eſt exaudita. Interpellata eſt enim à ciuibus Londoniarum, vt liceret eis vti legibus S. Edwardi, & non legibus patris ſui Henrici, quia graues erant. Sed illa non adquieuit. Et idcirco à Londonienſibus eſt expulſa. Illa vero, anno 1141. aſſumpto ſecum auunculo ſuo Dauide rege Scotorum, obſedit turrim epiſcopi Winton. vbi frater regis erat. Sed ſuperueniente regina cum Gulielmo Yprenſi, imperatrix tanto timore reſoluta eſt, vt feretro impoſita ac ſi cadauer eſſet, equis deferentibus ad vrbem Glouerniæ delata eſt. Et interim frater eius comes Robertus in exaltatione ſanctæ crucis captus eſt. Habita proinde mutua compenſatione compeditorum, hinc rex, hinc comes à vinculis abſoluti liberi receſſerunt. *Imperatrix fuga.*

Rex Stephanus obſedit imperatricem apud Oxenford à feſto Michaelis vſque ad natale domini. Illa vero obſidionis diutinæ impatiens, occaſionem fugæ ex temporis qualitate nacta, noctis & niuis beneficio, in veſte alba Tameſim fluuium craſſa glacie tranſiit ſuperſtratum.

Anno 1142. Lucius Papa miſit pallium Henrico Wintonienſi Epiſcopo cui propoſuerat aſſignare ſeptem Epiſcopos. Sed morte præuentus ꝙ propoſuerat non perfecit, nempe non amplius quam duodecim menſibus vixit in papatu.

Anno 1143. Godfridus comes Andegauenſis, receptus Rhotomagi, turrim obſedit & cepit, & ex tunc dux Normannorum appellatus eſt.

Anno 1146. Rex Stephanus cepit in curia ſua Ranulphum comitem Ceſtriæ, nec liberari potuit donec caſtrum Lincolniæ reddidiſſet. Et ex poſt rex Stephanus Lincolniæ coronatur.

Anno 1148. Lodowicus rex Frācorum de Ieruſalem eſt regreſſus. Cui cum quidam clericus Papale priuilegium attuliſſet, quod in omni Cathedrali eccleſia regni ſui primam vacaturam haberet, cum fructibus medio tempore prouenientibus: ille confeſtim combuſſit literas, dicens ſe malle tales comburere literas, quam animam ſuam in inferno torqueri. *Litera Papæ combuſta.*

Anno 1150. Euerſo monaſteriolo quod tribus annis obſeſſum fuerat, Galfridus Plantagenet reddidit ducatum Normanniæ Henrico filio ſuo & Matildis imperatricis.

Lodowicus Rex Franciæ accepit homagium Henrici filii Galfridi Plantagenet de ducatu Normanniæ & comitatu Andegauiæ. Dum Galftidus Plantagenet comes Andegauorum rediret Pariſio à curia, conceſſit in fata apud caſtrum Lidii, & ſepultus eſt Cenomannis in eccleſia S. Iuliani.

Anno 1151. celebratum eſt diuortium inter regem Francorum & reginam Alienotam. Quam confeſtim Henricus Dux Normannorum & comes Andegauorum accepit in coniugem. Et ſic factus eſt ratione coniugis dux Aquitānorum. Anno 1152. Henricus dux Normannorum cum manu valida intrauit Angliam. Anno 1153. euenit quod minime credebatur. Siquidem ducem Normannorum Henricum, Rex Stephanus in filium arrogauit, eique & in eum ius tranſtulit, & poteſtatem, ſibi quoad vixerit regiæ dignitatis ſolam imaginem reſeruauit. Et ſi propheticum illud attenderis, iam ſe induit genitore, iam ducem arrogauit in filium. Et vt pax vberior vigeret in Anglia, municiones de nouo fundatæ deſtructæ ſunt ad numerum 1115.

Stephanus ducem Normannorum hæredem inſtituit.

Anno 1153. Rex Stephanus obiit 8. Kalend. Nouembris, & ſepultus eſt apud Fevereſham monaſterium quod ipſe à fundamentis conſtruxit. Quo audito Dux Normanniæ Henricus aſcenſis ratibus apud Barbe fluuium, & inde Angliam veniens, die dominica ante Natale domini apud Weſtmonaſterium electus eſt ab omnibus in regem, inunctus eſt à Theobaldo Archiepiſcopo, præſente Archiepiſcopo Eborum, & aliis epiſcopis Angliæ, Rogerus Eborum Archiepiſcopus manum non apposuit. Hēricus Wintonienſis epiſcopus abſque licentia regis receſſit ab Anglia, ideoque diruta ſunt eius ſex Caſtella. Natus eſt Henricus regis primogenitus.

Henricus coronatur.

Anno 1156. Rex Henricus transfretans apud Douerum, applicuit apud Widſande. Ad quem venit Rhotomagi, Theodoricus comes Flandriæ & Comitiſſa Sibilla regis Amita. Rex Henricus cepit Caſtellum Mirabellum & Chinonem longa obſidione, Loſdunum vero redditum fuit ei. Regina Alienota peperit filiam quam vocauit Matildam. Anno ſequenti Regina Alienora peperit filium quem vocauit Richardum. Henricus rex transfretauit in Angliam, & Malcholinus rex Scotorum reddidit ei ciuitatem Kaerliel, caſtrum Bamburgii, nouum caſtrum ſuper Tynam & comitatum Londonenſem.

Henrici coronatio.

Anno 1158. Henricus rex Anglorum coronatus apud Wigorniam, poſt celebrationem diuinorum coronam ſuper altare poſuit nec vlterius coronatus eſt.

Regina Alienora tertium peperit filium ſ. Gaufridum. Thomas regis Cancellarius in apparatu magno venit Pariſiis, Margaretam filiam regis Francorum accepturus vxorem, Henrico filio regis Anglorum. Gaufrido fratte regis mortuo, rex ſtatim transfretans accepit Raimetem.

Anno 1159. Rex Anglorum Henricus duxit exetcitum verſus Tholoſſam, & cepit caſtella fortia vicina eius, Rege Franciç commorante interim iugiter in Tholoſſa, & ob reuerentiam ipſius præſentiæ, dictus eſt rex Angliæ ipſam ciuitatem Tholoſſam non aſſiluiſſe. Rex enim Franciæ ob gratiam comitis S. Egidii cuius ſororem comes vxorem duxerat, à Tholoſſa non recedebat, vnde duo reges inimici facti ſunt.

Anno 1160. Henricus rex Angliæ Margaretam filiam regis Francorum quam apud ſe habebat in cuſtodia, Henrico filio ſuo diſponſari fecit. Et caſtellum de Giſorz, diu deſideratum, & iam ante ex condicto duorum regum cuſtodiæ militum Templi vſq; ad diem illarum nuptiarum commiſſum obtinuit. Quod quia prępropere vt dicunt factum eſt, Rex Franciæ & Fratres vxoris eius indignati, regi Angliæ inimici facti ſunt, & aduerſari cœperunt. Ad dedecus itaq; regis Angliæ rex Franciæ & comes Theobaldus Caluum montem ſitum inter Bleſim & Ambaſium firmauerunt. Rex autem Angliæ feſtinus cum ſuis adueniens, rege Francorum & comite Theobaldo fugatis, caſtrum obſedit & cepit, captis illic intra caſtrum 55. militibus Theobaldi.

Henricus Calui montem capit.

Anno 1163. Henricus rex Angliæ finibus Normannorum, Britonum, Cenomanenſium, Andegauorum, Turonenſium, & Aquitanorum ad voluntatem ſuam diſpoſitis in Angliam rediit.

Malcolinus rex Scotorum, Reſus princeps Auſtralium Wallenſium, Andoenus Aquilonarium, & quinq; Maiores de Kambria, fecerunt homagium Regi Anglorum & Henrico filio ſuo Kal. Iulii apud Woodſtoke.

Homagium quorundam principum regi Angliæ.

Anno 1166. quidam praui dogmatis diſſeminatores, tracti ſunt in iudicium apud

Oxonias

Digitized by Google

Oxonias præſente rege, pręſentibus & epiſcopis. Quos à fide noſtra deuios, & in examine ſuperatos, facies cauteriata notabiles cunctis expoſuit, expulſos à regno.

Collectam Ieroſolimitanorum vſibus deſtinandam, truncus in ſingulis deputatus eccleſiis adacta ſera concluſit, præſtito per Angliam publice ſacramento, denarios 4. à ſingulis marcatis emungens.

Anno 1167. Rex Anglorum & rex Francorum facti ſunt diſcordes, à Normannis Caluus mons, vicinus Giſors ſuccenſus eſt. Multi milites, multi ciues ſibi capti ſunt. In vltionem huius facti, Rex Francorum villam Campeſtrem Rhotomagenſis Archiepiſcopi ſ. Andeli combuſſit, & ipſa die rediit in Franciam amiſſis in itinere plus quam mille de ſuis. Poſtmodum in Pertico multi milites Francorum capti ſunt à Normannis. Tãdem duo reges pacificati ſunt. Richardus ſiquidem filius regis Anglorum dux Acquitanniæ, filiam regis Francorum accepit in ſponſam. *Lis inter Anglorum & Francorum reges.*

Anno 1168. Ex quo reges in minori Britannia deſierunt præeſſe, duo comites in eiſdem locis principari cæperunt. Sed quoniam omnis poteſtas impatiens ſemper conſortis erit, ſeſe variis ſæpe diſſentionibus afflixerunt. Conanus tandem iure ſucceſſorio nactus vtrumque comitatum, dum in fata concederet, ex ſorore regis Scotorum, filiam reliquit hæredem. Quam rex Anglorum filio ſuo Gaufrido vxorem accipiens, & in pace paſſim ſtatuenda per Britanniam ſtudioſus exiſtens, clerum terræ illius ſibi conciliauit & populum.

Anno 1170. in Natali domini rex tenuit curiam ſuam apud Nannotenſem vrbẽ, præſentibus epiſcopis & Baronibus totius Britanniæ, vbi fidelitatem ſibi & filio ſuo Ganfrido communiter iurauerunt. Sequenti quadrageſima rediens in Angliam, multis ſuorum ſubita maris tempeſtate periclitatis, ipſe magno diuinæ pietatis munere euaſit incolumis.

Annus Millenus Cẽtenus Septuagenus: Primus erat primas quo ruit enſe Thomas. Rex Angliæ morabatur apud Argentonium in Normannia, cum ad eius noticiam rumor infauſtus, de nece Sancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, quibuſdam perferentibus penetrauit, qui ſtatim in primis nephandi ſermonis initiis, ad omnia lamentationum & miſeriarum genera conuerſus, regiam prorſus maieſtatem, quaſi cilicio & cinere commutauit. Octauo Idus Auguſti, Rex pater Regis appulſus eſt in Angliam. Qui viſitauit in tranſitu H[illegible]ricum Wintonienſem epiſcopum iam in extremis agentem, qui eum pro morte g[illegible]rioſi Martyris Thomæ duriſſime increpauit. Ob quam cauſam ipſum multa prædixit aduerſa paſſurum. *Thoma Cant. cæſus.*

Rex pater regis intrauit Hybetniam 15. Kal. Nouembris & Liſmorum epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis legatus, Archiepiſcopi & Epiſcopi receperunt eum in regem & dominum, & fidelitatem ei iurauerunt. Regulus de Limelie, regulus de Chorc. regulus ille qui dicebatur monoculus, homagium fecerunt ei. Rodericus autem regulus de Conmat, quia regio in qua habitabat inacceſſibilis eſt paludibus nimiis interiacentibus, in quibus nec vada commoda nec peruii pontes, nec nauigatio tuta eſt ſuperſedit occurrere. *Rex Hyberniam viſitat.*

Anno 1172. Dum rex moram faceret in Hybernia, Hugo de S. Moore & Radulphus de Faie auunculus reginæ Alienoræ, (conſilio ſicut dicitur eiuſdem reginæ) regis filii regis animum à patre ſuo cœperunt auertere, ſuggerentes incongruum videri quibuslibet regem eſſe, & dominationem regno debitam non exercere.

Recentium eius carnium, & hauſtus aquæ tam incognitus quam ſolitus plures de Regis exercitu panis inedia laborantes afflixit in Hybernia fluxu ventris.

Cum autem intellexiſſent Hybernenſes in quantum circa pacem ſtatuendam & conſeruandam regis Angliæ tota verſaretur intentio, qui nec indulgentiis crimina ſubleuabat, nec in mortem alicuius pręcipitabat ſentẽtiam, cõuenerunt ad ipſum rogantes quæ ad pacem ſunt. Et quoniã inter eos publica poteſtas conſtituta nõ fuerat, quæ metu pœnarum impunitatẽ minime repromitteret, cum partes ſuos mutuo cædibus interfectos ſæpiſſime doluiſſent, vt in virtute regis pax fieret in diebus ſuis, ei & in eum ius ſuum transtulerunt & poteſtatem. Archiepiſcopi & Epiſcopi plebis ſibi cõmiſſę plurimum & in plurimis attendentes errorem, ſed in hiis maxime quę circa matrimonium à maioribus definita noſcuntur, quæ Anglia recipit & obſeruat, ſe firmiter amplexuros & inuiolabiliter executuros promittũt. Et in ſingulis obſeruatio ſimilis regnum colligaret vtrumque, paſſim omnes vnanimi voluntate, communi aſſenſu, pari deſiderio, regis imperio ſe ſubiiciunt. Omnibus igitur hoc ordine conſummatis, in Conſilio habito apud Liſmor: vrbes & caſtella quæ Rex redegerat in ſuam *Hybernenſes ſubduntur regi.*

Pp 2 pore-

poteſtatē,fideli deputauit cuſtodiæ. Et quia ipſum varia trahebāt negotia, die Paſchę nauem aſcendit,& in craſtino appulſus eſt in Walliam prope Sanctū Dauid. Inde progreſſus eſt vſq; ad Poreceſtre, vbi nauem aſcendens Angliam ſalutauit à limine, & fœlici nauigatione intrauit Normanniā. Quod cum ad regis Francorum notitiam perueniſſet, vociferans ait: Rex Angliæ modo in Hibetnia, modo in Anglia, modo in Normannia, volare potius iudicandus eſt, quam vel equum vel nauem conſcendere.

Rex purgat ſe à nece Thomæ.

Poſtquam Rex Anglorum appulſus eſt in Normanniam, vbi cum ſub feſtinatione veniſſet ad Apoſtolicæ ſedis Legatos, iurauit mortē glorioſiſſimi Martyris Thomæ nec voluntate ſua, nec conſcientia perpetratam fuiſſe, nec ſuo artificio requiſitam. In facie igitur Eccleſiæ ſolemniter abſolutus, promiſit quod ab inſtanti feſto Pētecoſtes vſq; in annum, tantam pecuniam daret, vnde poſſent ducenti milites conduci ad defenſionem terræ Ieroſolimitanæ per annum. Et multa alia quę ſcribuntur plenius in vita S. Thomæ.

Anno 1173. Henr. rex Angliæ Iohanni filio ſuo cognomento ſine terra, vix ſeptenni filiam primogenitam Huberti comitis de Moriana, ſponſam accepit, cum quatuor caſtellis datis in dotem, & cuſtodiæ regis deputatis.

Aldeſonſus rex Aragonum, Reymundus comes S. Ægidii, Girardus Comes Viennenſis, Hubertus comes de Moriana, tanquam ex condicto conuenerunt ad curiā regis Angliæ ad montem Ferandum in Aruernia, fuit & ibi Henricus rex filius regis Henrici, procerum, equitum, ciuium quos varia trahebant negotia, non defuit multitudo numeroſa. Prædictis itaque viris illuſtribus partes ſuas interponentibus, Comes S. Ægidii fecit homagium regi Anglorum Henrico, patri regis Henrici, ſalua fide Lodowici regis Francorum, ſibi ſuiſque hęredibus volens in futurum proſpicere. Comitatum Toloſanum ex hoc & deinceps Acquitanico duci in ſetuitio militari, multiſque aliis præſtationibus in ſcripto redactis, ſubnoxium futurum eſſe ſacramento firmauit. Sed quia Richardus dux Acquitanniæ cum facturus erat homagium, comes S. Ægidii tunc temporis præſens non erat, vſque ad Octauas Pentecoſtes, negotii complementum dilatione accepit.

Henricus rex filius regis abiens in conſilio impiorum animum ſuum auertit à patre. Et ab Argentonis noctu recedens, domeſticis patris ſui qui ei neceſſaria miniſtrabant ignorantibus, ad ſocerum ſuum Lodowicum regem Frācorum ſeceſſit. Ipſa nocte pater ſuus dormiens apud Aleucium, cum ſubito expergefactus, transfugium filii cognouiſſet, pauciſſimis ſecum aſſumptis, equum aſcendit, & tranſitum habens per Marchiam ſuam & caſtellorum cuſtodes præmuniens, equis ſæpe mutatis, ſub ipſo diei crepuſculo 10. Kal. Aprilis venit Giſorcium, quod filio ſuo regi, rex Francorum Lodowicus cum filia ſua Margareta nomine dotis contulerat. Richardus dux Acquitaniæ, Gaufridus dux Britanniæ, iuniores filii Regis, conſilio matris ſuæ reginæ ſ. Alienoræ ſicut dicitur fratrem potius elegerunt ſequi quam patrem. Fiunt vndique coniurationes, fiunt rapinæ, fiunt incendia. Et vt à tempore ſumamus auſpicium, eo tempore ſumpſit arma filius contra patrem, quo quibuslibet locis ob reuerentiam dominicæ paſſionis arma chriſtiani deponunt.

Regis filii fuga.

Sepries 20. Flandrenſes irruptione facta prope Paſceium beneficio pontis intrauerunt Normanniam. Quibus obuii facti Normanni quantocius eos cogitare de reditu coegerunt. Sed pons quo tranſitum prius habuerant effractus à quadā muliercula, in ſubſidium aquas oppoſuit profundiſſimas. Quibus inuoluti Flandrenſes vniuerſi ſubmerſi ſunt. Quod audiens rex Francorum ait: Pro Normannis elementa decertant. Nam alio tempore cum intraſſem Normanniam pars exercitus mei quāplurima pro aquæ penuria periit. Nunc nimiam poſſumus abundantiam aquarum cauſari.

Flandrenſium ſubmerſio.

Hugo de Gornai tam pater quam filius & 80. milites cum eis, capti ſunt à rege filio & caſtrum in quo fuerant ſuccenſum eſt, & Burgenſes ad redemptionē compulſi.

Comitis Legioceſtriæ perfidia.

Robertus comes Legioceſtriæ accipiens mutuam vndequaq; pecuniā, & verba pacis habens transfretandi, à iuſticiariis licentiā impetrauit. Gulielmus Camerarius, de Tankeruilla fecit ſimiliter. Vterq; ſacramento corporaliter præſtito, regi patri fidelitatem iurauit. Sed ſubito trans mare currentes, cœlum illico mutauerunt & animum. Nam cum audiſſent quæ fiebāt in terra, cæperunt & ipſi de transfugio cogitare. Plures enim Comites & mediæ manus homines quos ex iuſtis & probabilibus cauſis rex pater exhæredauit, Regis filii ceſſerunt in partem, non quia cauſam eius iuſtiorē attenderent, ſed quia rex pater regiæ titulos dignitatis ampliare procurans, ſuperborum & ſublimium colla calcaret.

Lodo-

Lodovvici calor frigeſcit.

Lodowicus rex Franciæ ad Normanniam penitus deuaſtandā innumerabilem congregauit exercitum, in Octauis S. Iohannis Baptiſtæ. Et primo impetu ſtatuit delere Vernolium. Sed nunciatum eſt ei ab exploratoribus caſtrum inacceſſibile, vtpote foſſatis circundatum, cinctum muris, propugnaculis obfirmatum viris bellicoſis ebulliens, radiantibus armis refertum, victualibus multis abundans, & niſi longa obſidione obſeſſos coarctarent, Franci poterant inani labore conſumi. Ad ſumptus igitur exercitui prouidendos, per totam Galliam fit deſcriptio generalis. Nullus immunitate gaudebat à ſedente in ſolio vſque ad laborantem in mola, vel in proſtibulo dormientem, manum extendere iubebantur regii exactores. Non ſexus, non ordo, non dignitas, à muneribus ſordidis vacationem habebat. Multi vt exercitui neceſſaria miniſtrarent, detrahere patrimonia cogebantur.

Taxatio Franciæ ad bellum in Normanniam.

Rex filius tractis in partem ſuam comitibus Flandrenſi & Bolonienſi, intrauit cum eis Normanniam in ſuperbia magna, vbi cepit caſtellum de Albamarle, non ſine nota prodicionis quorundam cuſtodum dicti Caſtri. Cepit etiam caſtellum de Driuencourt munitiſſimum, & militibus electis commiſſum.

Inde Rex filius cum comitibus Bolonienſi & Flandrenſi progrediens verſus caſtrum Arches, Comes Boloni enſis Matthæus in feſto S. Iacobi vulneratur ad mortem. Hic fidelitatem patri Regi iurauerat, tactis ſacroſanctis reliquiis, inter quas manus S. Iacobi præſentialiter habebatur, & idcirco in vltionem periurii in die feſto S. Iacobi læthaliter vulneratus fuit iuxta multorum opinionem. Comes Flandrenſis Philippus vulnerato fratre ſuo comite Bolonienſi vt præfertur ad propria remeare maturauit. Redtit itaque per comitatum Ancenſem quem iam rex filius totum ſubiecerat poteſtati ſuæ.

Comes Bolonienſis occumbit vulnere.

Rex pater eo tempore morabatur Rhotomagi vt populo videbatur, æquo animo ferens q̄ fiebant in terra. Frequentius ſolito venatui totus indulgens, & venientibus ad ſe vultum hilaritatis prætēdens. Attamē hii quos domeſticos prius habuerat & familiariſſimos, quotidie dilabebātur ab eo, credentes eius deiectionē futurā in breui, & filii dominationē arbitrantes procedebant iuxta regis Franciæ & principum voluntatem: Vt autē audiuit rex, Philippū Flandrenſem comitē à Normannia receſſiſſe, confeſtim congregauit exercitum, vt ſi regem Franciæ intra fines Normanniæ repeperiſſet, prælium iniret cum eo. Venit igitur & fixit tentoria in loco ab exercitu Francorum non procul remoto ſ. apud Conchas. Dirigit ergo nuncios in mandatis habentes verbis pacificis dicere regi Francorum, vt à Normannia cum indemnitate ſuorū recederet, alioquin viſitaret eum ipſa die. Quod audiens rex Francorū cum ſciret regē Angliæ fortiſſimum eſſe, & amaro animo, veluti ſi vrſa raptis catulis ſæuiat in ſaltu, aſcendens illico equum velociſſimum, intra Galliam ſe cum feſtinatione recepit. Sicq; cunctis fugientibus, totus apparatus ad obſidionem comportatus in plauſtris, quadrigis, bigis ſiue ſummariis, Normannis & obſeſſis ceſſit in prædam 5. Idus Auguſti.

Domeſtici à patre rege deficiunt.

Rex Scotorum Guliel. Angliam intrans, & per fines Dunelmenſium tranſitum faciens, cœpit Angliam depopulari, villas ſuccendere, prędas agere, mulierculas captiuas abducere, & à prægnantium vteris infantes ſemeuiuos extrahere. Quod audientes magnates Angliæ, arma cum ea qua fieri potuit acceleratione ſumentes, Regem Scotiæ ſubito fugam arripere coegerunt, & inducias petere vaſtata patria ſua compulerunt, & ſic cum victoria redierunt.

Scotorum regis ſæuitia.

Rege patre moram faciente Rhotomagi, nunciatum eſt electam regis filii militiam apud Dolenſem vrbē à Brabantinis ſuis circumcluſam: qui ſtatim equi dorſum inſiliens, & cum calcaribus vrgens, ſequenti mane venit in Britanniam ſ. ad Dol. vbi militiam filii per dies aliquot repugnantē, inſimul comptehendit. Inimicorum vero ſuorum præmaxima multitudo, priuſquam veniret à Brabantinis fuerat interempta. Ibi captus eſt comes Ceſtrenſis cum aliis proceribus, & cum eis milites fere 24.

Anno 1174. Rex filius regis habens in comitatu ſuo tres comites & 500. milites, Sagienſem vrbem inuaſit. Sed ciuibus & ſine principe, & ſine duce viriliter reſiſtentibus nihil profecit.

Rex pater dubitans ne vel rex filius, vel quilibet alii Marchiæ vicinantes intra ſuos irrumperent, & Normanniam deuaſtarent, eam domeſticis familiaribus cuſtodiendā commiſit. Cupienſq; experiri quo animo ſecum ſtarent Cenomannenſes & Andegauenſes, terras illas ingreditur. Cenomāni parati per omnia ad eius obſequiū, ſi vel bellum ingrueret vel aliud immineret diſcrimen, vel vllum mortis inſtaret periculum ſe promptos fore dicebant. Andegauenſes celerius & celebrius occurrerunt

Reges Angliæ, quos anno præterito capere latitudo regni non poterat, confœderatos ad inuicem, nauis eadem tranſuexit in Angliam.

Anno 1176. vniuerſa caſtella per Angliam & per Marchiam totam ad imperium regis patris deputata ſunt cuſtodiæ.

Gulielmus comes Glouceſtriæ dum filium non haberet, ægre ferens hereditatem inter filias diuidendam, Iohannem filium regis heredem inſtituit apud Windeſhores.

Aldefonſus rex Caſtellę gener regis, Sanctius rex Nauarriæ auunculus Aldefonſi diſcordes ad inuicem, in regem Anglię compromiſerunt, & directis in Angliã nuntiis, ſe ſtaturos regis patris arbitrio iurauerunt. Sub ciſdem diebus nuntium Manuelis Conſtantinopolitani, nuntium Frederici Romani Imperatoris, nuntium Gulielmi Remenſis Archiepiſcopi, nuntium Henrici Ducis Saxonici, nuntium Philippi Flandrenſium comitis, quos varia trahebant negotia, tanquam ex condicto ſimul in curia regis Anglorum conſpiceres apud Weſtmonaſterium. *Nuncii ex variis regnis ad Anglos.*

Anno 1177. amotis ab Eccleſia Walthamenſi canonicis ſæcularibus, ſubinducti ſunt regulares, auctoritate ſummi Pontificis ſub præſentia regis patris, in vigilia Pentecoſtes. Rex vero regno pro voluntate diſpoſito transfretauit in Normanniam 15. Kal. Septembris. Poſt hæc vterq; reges Angliæ & Francię huiuſmodi inter ſe iuſiurandum fecerunt.

Ego Lodowicus rex Francorũ, & ego Henricus rex Angliæ, volumus ad omniũ notitiam peruenire, nos Deo inſpirante promiſiſſe ac iuraſſe, quod ſimul ibimus in ſeruitium Chriſtianitatis, & crucem ſuſcipiemus ituri Ieruſalem. Volumus enim, quod omnes ſciãt, quod ſic ſumus & animo volumus eſſe amici, quod vterq; noſtrum alteri noſtrum conſeruabit vitam, & terrenum honorem contra omnes homines pro poſſe ſuo. Acta apud Nouancurt 7. Kalend. Octobris. *Angliæ & Franciæ reges mutuam iurant.*

Anno 1178. Rex pater Gaufridum filium ſuum ducem Britanniæ, donauit cingulo militari apud Woodſtoke.

Anno 1179. Rogerus à collegio S. Trinitatis ad curam aſſumptus Monaſterii S. Auguſtini, ab Alexandro Papa 5. Kal. Februarii Tuſculani benedictionẽ, & in ſignum emancipationis indultæ, mitram, anulum, & chirothecas ſuſcepit. Cuius prædeceſſores debitam Archiepiſcopo Cantuarienſi obedientiam per annos quingentos perante exoluerunt.

Lodowicus Rex Francorum venit in Angliam peregre viſitaturus S. Thomam Martyrem, quem quondam exulantem intra Galliam Selticam pie fouit.

Anno 1180. Henricus rex filius regis reliquiis præſentibus ſacroſanctis iurauit apud Radingum, quod diſpoſitionem paternam in omnibus ſequeretur.

Lodowicus rex Franciæ naturæ ſoluit debitum 14. Kal. Octobris. Cui ſucceſſit in regno Philippus filius eius. *Lodovvici mors.*

Anno 1181. quatuor reges pacifice ad vnum colloquium conuenerunt, & pacifice receſſerunt. Philippus rex Franciæ, Rex Anglorum Henricus, Rex Henricus filius Regis Anglorum, & Gulielmus Rex Scotorum. *Regũ 4. amicus congreſſus.*

Anno 1182. Rex Anglorum Henricus ætatis annum inchoans 49. neceſſitatibus Ieroſolymitanorum, quadraginta duo millia marcarum argenti, quingentas marcas auri diſtribuit.

An. 1183. Rex filius ad inſtantiam regis patris, Richardo fratri ſuo ducatum conceſſit Aquitaniæ, dummodo Richardus homagio ſibi præſtito & ligantia facta, fidelitatem ſibi tactis ſacroſanctis reliquiis repromitteret. Ad hanc vocẽ Richardus vehementer excanduit, incongruum eſſe dicens cum ex eodem patre, cum eadem ex matre traxiſſet originem, ſi fratrem primogenitũ aliqua ſpecie ſubiectionis ſuperiorem agnoſceret. Rex pater hoc audiens iracundiæ calore ſuccenſus aduerſus Richardum dura propoſuit. Et vt ad edomandam Richardi ſuperbiam rex filius totus inſurgeret, conſtanter indixit. Galfridũ quoq; Britanniæ ducem, vt cum fratre ſuo rege, domino ſuo ligeo fideliter ſtaret, commonuit. Rex pater nempe parum ante iuſſerat filio ſuo regi, vt de ducatu Britanniæ, quem Galfridus frater ſuus poſſidebat, cum Conſtantia filia Conani Ducis vnica ſimul & herede legitima, homagium eius reciperet & ligantiam. Hoc enim vinculo debitæ ſubiectionis, de liberalitate regum Franciæ, ducibus Normannorum ab antiquis temporibus, comites ſiue duces Britãniæ tenentur aſtricti. Quod ergo pater petiit, factũ eſt Andegauis. Sed Richardo detrectante ſubiici fratri ſuo maiori, Rex filius copioſum congregauit exercitum, vt Richardum fratrem

Richardi mors ſubita.

ſuum ad debitæ ſeruitutis coarctaret obſequium. Sed nequicquam. Quia quando cum fratre congredi debuiſſet, præciſa eſt veluti à rexente vita eius, cum compleſſet viginti & octo annos, quatuordecim ſeptimanas & ſex dies. Sepultus eſt Rhotomagi prope maius altare verſus Aquilonem.

Anno 1185. Iohannes filius regis à patre militaribus armis accinctus in Hiberniam eſt tranſmiſſus.

Hibernia deſcriptio.

Hibernia poſt Britanniam omniū inſularū eſt optima. Quæ quamuis Britanniæ diuitiis cedat: latitudine, ſalubritate, ſerenitate præſtat. Quæ ſicut verſus Aquilonem breuior eſt, ita verſus meridiem trans illius fines protenditur. Hęc autem proprie patria Scotorum eſt. Nam ſicut legitur Ægypriis in mari rubro ſubmerſis, illi qui ſuperfuerunt, expulerunt à ſe quēdam nobilem Sciticum, qui degebat apud eos, ne dominium ſuper eos inuaderet. Expulſus ille cum familia peruenit ad Hiſpaniā, vbi & habitauit per annos multos, & progenies ipſius familiæ ſuæ multiplicata eſt nimis. Inde venerunt Hiberniam poſt annos mille, duobus additis à tranſitu filiorum Iſrael per mare rubrum. Et de Hibernia pars eorum egreſſa, tertiam in Britannia Britonibus & Pictis gentem addiderunt. Pars eorum, quæ remanſit in Hibernia, Nauarri vocantur, & adhuc eadem vtuntur lingua. In Hiſpania nempe fluuius eſt Hiberus, à quo didicitur Hibernia, dicuntur enim & Hibernienſes.

Cum Simon comes filius Simonis comitis de Northamptona ſine liberis deceſſiſſet, rex reddidit comitatum Huntingdoniæ cum omnibus pertinentiis ſuis Gulielmo Regi Scotorum, qui fuit filius Henrici comitis, filius Regis Dauid, qui fuit Regis Malcolini, &c. Ab iſto Malcolino reuoluunt genealogiam vſq; ad Noe.

Vnde Scoti dicti.

A regione quadam, quæ dicitur Sicia, dicitur Scita, Sciticus, Scoticus, Scotus, Scotia, ſimiliter à regione quadam, quę dicitur Getia, dicitur Geta, Geticus, Goticus, Gotus, Oſtrogotus, Witſigotus.

Iohannes filius regis Anglorum vocatus Hiberniæ dominus rediit in Angliam.

Galfridi mors.

Anno 1186. Galfridus Dux Britanniæ, filius Regis Anglorum, cum à natiuitate ſua compleuiſſet annos viginti octo, diem clauſit extremum. Sepultus eſt autem Pariſiis in Eccleſia beatæ virginis intra chorum Canonicorum ſ. in ſede maiori. Reliquit autem idem Galfridus ex vxore ſua Conſtantia filia Conani Duce Britanniæ duas filias.

An. 1187. Conſtātia comitiſſa Britanniæ, quā maritus ſuus filius regis Anglorum Galfridus vita decedens reliquerat grauidam, die S. Paſchæ peperit filium, quem Briones vocauerunt Arthurum. Sub eodem anno capta eſt S. crux à Turcis. Quo etiam anno rex Ieruſalem Suido captus eſt, & Chriſtiani multipliciter flagellati in terra ſancta, & pene tota regio eſt amiſſa. Facta eſt proinde cruceſignatio pene per omnia regna Chriſtianitatis. Inter quæ reges Angliæ & Franciæ cruce ſignati ſunt.

Sancta crux capitur à Turcis.

Boamundus proditor amens expirat.

Boamundus comes Tripolitanus elapſis diebus 15. poſtquam capta fuit Ieruſalem proditionis reus, amens factus eſt, & expirauit.

Richardus Pictauorum comes petiit à patre ſuo, quatenus ſororem Regis Franciæ ſibi daret in vxorem in colloquio habito inter reges, & terram ſuam ſibi velut hæredi ſuo faceret iuramēto firmari. Quod etiam peti fecit per regem Francorum. Rex Anglorum reſpondit, ſe nullatenus hoc facturum in tali ſtatu, quin hoc potius videretur coactus facere, quam ſpontaneus.

Rex Francorum dominia Angliæ occupat.

Anno 1189. poſt Paſcha inter reges Francorū & Anglorū, & comitē Pictauorum bis habitum eſt colloquium prope feritatem Bernardi. Sed tandē inimici adinuicem receſſerunt. Rex Francorum & comes copiis vndiq; congregatis, infra paucos dies, feritatem Bernardi, montem fortem, Baalum, Bellum montem, factis irruptionibus occupauerunt. Et à municipalibus circumquaq; comiti Richardo fit deditio caſtellorum. Multiq; proceres & magnates ad eundem comitem transfugerunt.

Rege Anglię Cenomannis reſidente, appropinquabant rex Francorū & comes Pictauiæ cum armatorū multitudine. Rex vero Anglorum quamuis militum copiam maximam haberet paratam ad reſiſtendum hoſtibus, præcauens tamen obſidione vallari, reliquit Cenomanniam ſufficienter refertam victualibus. Quam Rex Francorum & comes Richardus ingreſſi, recepti ſunt in Eccleſia maiori cum proceſſione ſolemni. Poſt diem decimum turris ciuitatis de mandato regis Anglorum regi Francorum reddita fuit. Tandem pax inter tantos principes magnorum cōſilio reformata eſt. Et rex Angliæ munerauit regi Francorum 20. millia marcarum, expenſarum nomine, quas fecerat circa caſtrum Radulphi, vt firmior pax haberetur: facta ſunt hęc

Pax inter Angliæ & Franciæ reges.

in vi-

Digitized by Google

in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli. Poſtmodum Rex Anglorum homagium fecit Regi Francorum. Et quicquid in Armenia vel ipſe vel anteceſſores ſui poſſederant, quietum clamauit Regi Francorum.

Deinde rex Anglorum ad Chinonem venit, & tactus dolore cordis intrinſecus maledixit diei in qua natus fuerat. Et ſic in dolore poſitus & cordis anguſtia infra triduum poſt pacem factam diem clauſit extremum. Sepultus eſt autem apud fontem Ebrandi in monaſterio monialium, quod ipſe fundauerat, & multipliciter ditauerat. Turonenſis & Treuerenſis archiepiſcopi celebrauere diuina, Richardus Comes interfuit. Et quoniam ſępe viuens dixerat, vniuerſum orbem vni non ſufficere pro voto principi, inſcriptio tumuli illius talis fuit. Sufficit hic tumulus, cui non ſuffecerat orbis. Res breuis eſt ampla cui fuit ampla breuis.

Regis mors.

Epitaphium tumuli regis.

Richardus comes Pictauorum diſpoſitis omnibus, quæ tam ad pacem quam ſecuritatem Aquitaniæ vel Andegauiæ, vel Turoniæ ſeu Cenomanniæ ſpectare potius videbantur, intrauit Normanniam, & apud Sagium inueniens archiepiſcopos Cantuarienſem & Rhotomagenſem, quia poſt fidem ſuſceptam arma mouerat contra patrem, à prędictis archiepiſcopis beneficium abſolutionis accepit. Inde Rhotomagum veniens, ab archiepiſcopo Rhotomagenſi tam enſem quam vexillũ de ducatu Normanniæ proceribus multis præſentibus, in Eccleſia beatæ virginis ante maius altare ſuſcepit. & inde tendens in Angliam apud Wintoniam in aſſumptione beatæ virginis, ſolemni proceſſione receptus eſt.

Ad vocationem archiepiſcopi Cant. conuenerunt ſuffraganei eccleſiæ ſupradictæ Londonias ad coronationẽ noui regis. Richardus igitur hereditario iure promouendus in regẽ, inuolutus eſt triplici ſacramẽto, ſ. quod opem impenderet pro viribus, vt eccleſia Dei populuſq; Chriſtianus veram pacẽ obtineret. Quod interdiceret omnibus rapacitatem. Et quod in iudiciis æquitatem præcipiet & miſericordiam. Cantuarienſis archiepiſcopus celebrauit diuina, Radulphus de Diceto, qui ſcripſit hæc, Londonienſis eccleſiæ decanus tam in oleo quam in chriſmate miniſtrauit Archiepiſcopo, quia tunc temporis vacabat eccleſia Londinenſis.

Richardi coronatio.

Rex Scotiæ Gulielmus, Cantuariæ fecit homagium regi Richardo.

A tempore crucis ſuſceptæ per reges Franciç & Angliæ decimatio generalis rerum mobilium facta per Angliam, ad ſubuentionem terræ Ieroſolymitanæ, tam clerum quam populum exactione violenta perterruit, ſub eleemoſynæ titulo vitium rapacitatis includens.

Decimatio grauis ad terrā ſanctā.

Anno 1190. 4. idus Aprilis Rex Richardus cruce ſignatus aſcendit nauem cum exercitu ſuo apud Meſſanam, habens ſecum naues 150. & galeas triginta nouem, aliaque vaſa multa.

Anno 1191. Rex Richardus applicuit in Cipro apud Limezim. Curſac autem dominus terræ, qui ſe vocabat imperatorem, occurrit ei cum manu forti portum prohibiturus, & quamplurimos hominum ſuorum afflictos afflixit, ſpoliauit naufragos, & in carcere incluſit fame perituros. Quem captum rex Richardus & vinctum in caſtello prope Tripolim retrudi præcepit. Inierat autem cum rege pactum prædictus Curſac, ne ferreis detineretur in vinculis. Quod rex obſeruans, eum compedibus arctari fecit argenteis, filiam autem eius vnicam ſecum retinuit cum duabus reginis in thalamo honorifice cuſtoditam.

Curſac compedibus argenteis arctatur.

Situs Cipri talis eſt: Primo venitur ad Paphum, quæ caput eſt regionis verſus meridiem. Secundo venitur ad Limezim. Tertio venitur ad Famaguſt, dictam quaſi ciuitatem Auguſti. Poſtea caput S. Andreæ verſus ſeptentrionem extenditur, & è regione reſpicit Armeniam. Poſtea venitur ad Cheri, quo naues aſcendunt Ieroſolymam viſitaturi. Rex Francorum applicuit apud Acon in Paſchalibus diebus die Sabbati 12. Kal. Aprilis.

Cipri ſitus.

Rex Anglorum Richardus habens in comitatu ſuo 13. magnas naues, quas Buccas vocãt triplici velorũ expanſione notabiles, dum ſulcarent æquora: habens & centum naues onerarias, & 50. galeas triremes, ſe vento cõmiſit apud Ciprum, & inter nauigandum nauem quandam, quam Saphadinus Saladini frater Babyloniæ dominus ſumptibus magnis extruxerat, vt Saracenis apud Acon obſidione vallatis ſuccurſum præſtaret, caſu fortuito velificãtem aſpexit, refertam omni genere victualium, armis bellicis ad quoſlibet ſubeundos congreſſus inſtructam, ignis Gręci, ſerpẽtium ignitorum plena vaſa plurima continentem, ſicut dicebatur hominum mille quingẽtorum ſuffragio roboratam. Instructis igitur in articulo temporis omnibus ad prœliũ nauale neceſſa-

neceſſariis, galearum concurſu circa nauem, acerrimus vndiq; fit inſultus, quæ venti deſtituta ſuffragio ſtabat immobilis. Quidam itaq; remigantiũ, ſubtus aquas acceſſit ad nauem, & eam terebro perforauit. Rediensq; ad galeam incolumis, ſua reſedit in ſede.

Richardus Rex cum magna claſſe nauigat Acon.

Modico tractu temporis aqua ſubintrans, omnia tabulatã trãſcendit, & hominibus, qui prius in propugnaculis confidebant, euadẽdi ſpem omnem prorſus abſcidit, quorum mille trecentos, Richardus rex Anglorũ in mari mergi pręcepit, reſeruando ducentos. Tertio die poſt hæc rex intrauit portum Acon, 6. Idus Iunii. Cum igitur duo reges circa ciuitatem machinas erexiſſent, & magnitudine lapidum muros penitus attriuiſſent, Saraceni verſi ſunt in ſtuporem nullam habentes fiduciam reſiſtendi. Qui communicato cum ſuis conſilio, cæperunt tractare de pace talibus initis pactionibus. Quod Saladinus ſanctam crucem certa die reſtitueret, & Chriſtianos captiuos mille quingentos, quos habebat in vinculis, liberos abire permitteret. Sic ciuitas cum armis & impedimentis Saracenorum, ſaluis tantum corporibus ipſorum regibus duobus fuit reddita 4. Idus Iulii.

Acon recuperatur.

Sed veniente die ſtatuto Saladinus nihil horum quæ promiſerat adimpleuit. In cuius perfidiæ vltionem circa duo millia ſecenti Saraceni decapitati ſunt. Subiugata ciuitate rex Francorum ad propria redire propoſuit, quaſi toto negotio conſummato. Quod audiens rex Anglorũ quicquid in argento vel auro, quicquid in victualium cõgregatione, quicquid in armis vel equis, vel nauibus congregauerat, ſe pro parte dimidia regi Francorum tanquã domino ſuo communicaturum obtulit, & ſub quauis ſecuritate firmiter repromiſit. Sed nequicquam, toto Chriſtianorum exercitu de eius receſſu grauiter cõſternato, cum paucis ſuorum repatriaturus nauem aſcendit. Poſt receſſum Regis Francorum, Rex Anglorum Richardus reparatis ciuitatis Acon ruinis muris foſſatis, verſus Ioppen iter arripuit. Et cum eo dux Burgundiæ cum ſuis Francigenis, & cum eo multi comites & barones, & populus innumerus. Sed antequam Rex veniſſet ad Ioppen, Saladinus impetum fecit ſuper vltimam aciem Chriſtianorum, qui fauente diuinæ miſerationis gratia, in vigilia natiuitatis beatæ Mariæ prope Aſſur tantam ſtragem de nobilioribus Saracenis fecerunt, quantam Saladinus annis 40. tranſactis antea non ſuſtinuit vna die. Deinde domino ducente Rex Anglorum Ioppen peruenit, eandemq; villam foſſatis & muro firmauit.

Saladinus vincitur a chriſtianis.

Francorum regis perfidia.

Ann. 1192. Rex Francorum à finibus Ieroſolymitanis rediens 6. Kal. Ian. Pariſiis ſolemni proceſſione receptus eſt. Qui immemor beneficiorum regis Richar. & iuramenti ſibi præſtiti, quod ſuis aut terrę ſuæ non noceret, quandiu rex Richard. in peregrinatione maneret nec iret poſt reditum ſuum in terram ſuam ante dies 40. exactos, ſtatim tamen in reditu ſuo terras regis Richardi inuaſit.

Rex Richardus cum die quadam ſpatiatum fuiſſet egreſſus iuxta Ioppen cum paucis familiaribus & Falconibus ſuis, fatigatus ex itinere in loco quodã ſub dio dormiuit. Et ecce repente cum impetu irruerunt Turcę, vt ipſum comprehenderent improuiſum.

Richardi periculum de Turcis.

Qui ex aduenientium ſtrepitu expergefactus, equum aſcendit, & extracto gladio cum ſuis Turcis obuiam procedit. Quos fugam ſimulantes inſequitur vſq; ad locum inſidiarum ipſorum. Vbi ſubito erumpentes plurimi, regem cum pauciſſimis de ſuis circumdederunt, quem tunc deſtitutum auxilio comprehẽdiſſent, ſi eius plenam notitiam habuiſſent. Sed ecce confuſo certamine contendentibus vnus ſociorum regis nomine Guliel. de Pratellis exclamauit idiomate Saracenico ſe regem eſſe affirmans.

Amicus verus.

Quod Turcæ credentes, ipſum Guliel. comprehenſum confeſtim ad ſuum exercitum deduxerunt captiuum. Fama facti perueniens ad exercitum ipſos ad arma commouit. Qui dum progrediuntur regem quæſituri reuertenti occurrunt. Abierãt enim Turcæ longius putantes ſe regem abducere, cuius 4. ſocii in bello ceciderant interfecti. Caterua Saracenorum dum à Babilonia tenderet Ieruſalem, armis abundans, & omni genere victualium intercipitur à Chriſtianis. Quod quiſq; Francorum diripuerat, ſuos ceſſit in vſus, quod templares, quod hoſpitalarii, quod exteræ gentes inuaſerant, ceſſit ad arbitrium regis Anglorum.

Saraceni intercepti.

Pridie idus Maii rex Anglorum veniens ante Darum, caſtellum obſedit, & infra 5. diem capto caſtello pluſquam 5 millia hominum captiuauit.

Ioppe capta recuperatur.

Pridie Kal. Auguſti captum fuit oppidum Ioppe à Saracenis. Quod mox Kalen. Auguſti rex Richardus recuperauit.

Rex Richardus pro Gulielmo de Pratellis redimendo, qui ſe capi fecerat pro rege ſuo, decem de nobilioribus Turcis commutauit.

Induciæ Turcæ

Hinc inde datæ ſunt induciæ inter Chriſtianos & Saracenos à Paſcha ſequente per

Digitized by Google

rum cum Chriſtianis.

Rich. capitur.

Litera Richardū inſontem abſoluentis.

per 3.an.per 3.menſes,per 3.ebdomadas,& 3.horas.Die feſto S.Michaelis duę reginę, tam Angliæ q̃ Siciliæ nauē aſcenderunt apud Acon.Rex vero nauem aſcendit die feſto S.Dionyſii,& poſt longā nauigationē infauſto omine terrā ducis Auſtrię ſubintrauit.A quo captus eſt in ciuitate,quæ Wena dicitur 13.Kal.Ian.Habebat autē dux eum exoſum pro morte Marchiſi ducis Tiri,de qua ſuſpectum habebat regē Rich. De hac tamen morte princeps Aſſeſinorom,à quibus interfectus eſt Marchiſus,regem Rich. literaliter excuſauit.Limpoldo duci Auſtriæ vetus de monte ſalutem. Cum plurimi reges & principes vltra mare Richardum regem Anglię & dominum,de morte Marchiſi inculpent,Iuro per dominum,qui regnat in æternum, & per legem, quam tenemus,quod in eius morte nullam culpam habuit.Et ſiquidem cauſa ipſius Marchiſi talis.Vnus ex fratribus noſtris in vnam nauem de Sateleia ad partes noſtras veniebat,& tempus illum forte ad Tirum appulit.Et Marchiſus fecit illum capere & occidere, & magnam pecuniam eius rapuit. Nos vero Marchiſo nuntios noſtros miſimus, mandantes,vt pecuniam fratris noſtri nobis redderet,& de morte fratris noſtri nobiſcum ſe concordaret, & noluit,necnon & nuntios noſtros ſpreuit.Et mortem fratris noſtri ſuper Reginaldum dominum Sidonis poſuit. Et nos tantum fecimus per amicos noſtros,quod in veritate ſcimus,quod is fecit illum occidere,& pecuniam rapere. Et iterum alium nuncium noſtrū nomine Edriſum miſimus ad eum, quem in mari mergere voluit. Sed amici noſtri illum à Tiro feſtinanter fecerunt recedere. Qui ad nos cito peruenit,& iſta nobis nuntiauit. Nos quoq; ex illa hora Marchiſum deſiderauimus occidere. Tuncq; duos fratres miſimus ad Tirum, qui eum aperte & fere coram omni populo Tiri occiderunt.Hæc ergo fuit cauſa mortis Marchiſi, & bene dicimus vobis in veritate,quod dominus Richard.Rex Anglię in hac Marchiſi morte,nullam culpam habuit,& qui propter hoc domino regi Anglię malum fecerunt,iniuſte fecerunt,& ſine cauſa.Sciatis pro certo,quod nullum hominem huius mundi pro mercede aliqua vel pecunia occidimus, niſi prius nobis malum fecerit,& ſciatis , quod literas fecimus in domo noſtra ad caſtellum noſtrum Meſſiat,in dimidio Septembris, an. ab Alexandro 1505.

Ioannis defectio à fratre.

Anno 1193.Iohannes comes Moritonii cum audiſſet fratrem ſuum regem tentum in vinculis , illectus eſt ſpe magna dominatum regendi. Multos itaq; per totum regnum alliciens plurima promittebat, munitionibus ſuis celeriter obfirmandis ſollicitus intendebat. Mare tranſiens fœdus iniit cum Rege Francorum,vt Arthurum ducem Britanniæ nepotem ſuum , ab ea ſpe,quam Britones ſuper eius promotione conceperant,prorſus excluderet.

Richard. in carcerem conijcitur.

Feria tertia poſt ramos Palmarum Dux Auſtriæ regem Angliæ tradidit imperatori Romano ſub pactione pecuniæ perſoluendæ. Poſtmodum vt imperator ad immoderatam pecuniæ quantitatem nomine redemptionis ſoluendam regem Anglorum terroribus & exemplis impelleret,eum retrudi pręcepit in loco qui Triuallis dicitur. A quo carcere nullus ante dies iſtos exiuit , qui vinctus ibidem intrauit. De quo dicit Ariſtoteles libro 5.bonum eſt mactare patrem in Triuallis:de quo loco rurſus metrice ſcriptum eſt.Sunt loca,ſunt gentes,quibus eſt mactare parentes, vel mos, vel pietas,cum ſera ſuperuenit ætas. Hoc enim non fortuito,ſed vltione diuina prouiſum eſt,& ſalubriter ordinatum , vt Richardus rex ad pœnitētiam & ſatisfactionem congruam reuocaretur,ſuper exceſſu,quo patrem ſuum carnalem ſ.Henr. regem decumbentem in lecto,tam auxilio quam conſilio regis Francorum apud vrbem Cenomannicam obſidione vallauit.Et licet eum ferro non mactauerit,cum tamen crebris & ſæuis aſſultibus compulit inde recedere.

Redemptio regis.

Totius Alemanniæ magnates apud Warmaciam conuenerunt, vbi tractatum eſt de redemptione regis Anglorum. Tandem ſubaudientia plurimorum propalatum eſt pretium appretiati,quem appretiauit Henricus imperator Romanus,ab Auſtriæ duce Limpoldo ſ.50. millia marcarum argenti. Sed vt Imperator egregius fenerator legitimarum vſurarum ſumma, quæ per annum æquiperantur ſorti per vnum diem in duplum excederet, 100. millia marcarum ſibi ſuo tempore ſoluendarum extorſit à Rege.

Summa igitur redemptionis regis Anglorum, 100. millia librarum argenti , ad pondus Coloniæ,monetæ publicæ & probatæ.Quæ pecunia certis temporibus & diſtinctis, 50. datis obſidibus perſoluebatur.

Subditorū liberalitas ad regem redimendum.

Cum de redemptione regis agēdum ſit , proferamus in medium,quam deuotionem ei ſui fideles exhibuerunt incipiētes à domo dei.Maiores quidē eccleſiæ theſau-

ros ab antiquis congeſtos temporibus, Eccleſię parochiales argenteos calices promiſerunt. Statutum eſt inſuper aſſenſu communi, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, priores conuentualium eccleſiarum, comites, barones, 4. partem annuorum redditium, monachos Ciſtercienſes, canonicos ordinis albi totam lanam vnius anni, clericos viuentes de decimis decimam partem de redditibus prouenientem perſoluere.

Anno 1194. rex proſpero curſu tendens in Angliam 13. Kal. Aprilis, cum exultatione magna tam cleri quam populi, proceſſione ſolemni receptus eſt, in Eccleſia S. Pauli Londoniis.

Regis cura in eccleſias.

Cum rex Richardus aduertiſſet, nonnullas Eccleſiarum campeſtrium argenteis carere calicib. & didiciſſet eos redemptionis ſuę occaſione ſublatos, hoc ſibi tanquam reo imputans ad culpam, quod diuina minus digne in hac parte celebrarent officia, iuſſit fieri per loca diuerſa calices quamplurimos, & eos eccleſiis indigentibus diſtribui ſine mora.

Richardi magnanimitas.

Cum autem apud Weſtmonaſt. in aula ſua, quæ dicitur parua die quodam pranderet, accepit rumores, quod Philippus Francorum rex ingreſſus Normanniam, Vernolium obſideret, quo audito, iuraſſe fertur, ſe nunquam auerſurum faciem, quouſq; regi Francorum occurreret pugnaturus. Vnde effracto muro è directo per apertam factam, cuius vſq; hodie veſtigium oſtenditur, egreſſus accelerauit ad mare & in Normanniam transfretauit. Vbi obuium habens Ioannem fratrem ſuum, eidem miſericordiam petenti ſuper commiſſis culpam incunctanter indulgendo, hoc dicitur reſpondiſſe: vtinam apud me delictum tuum in obliuionem tranſeat, ita quod apud te permaneat in memoria quod feciſti. Tendens Vernolium audiuit regem Francorum caſtellum obſidione valaſſe, & per dies 8. obſeſſos indicibiliter afflixiſſe. Cumq; Rex Francorum audiſſet, quod rex Anglorum in craſtino ſuperuenturus eſſet, accinctus ad prœlium, timore perterritus potius elegit fugere quam pugnare, & ſub omni feſtinatione, non ſine damno & opprobrio receſſit à caſtris.

Francorum Regis fuga.

Poſtquam rex Francorum receſſit Vernolio, rex Anglorum veniens Turonis, à caſtelli noui Burgenſibus, vbi requieſcit beatus Martinus, duo millia marcatum xeniorum nomine ſuſcepit nulla coactione præmiſſa.

Præda in Francorum regem.

Rex Francorum fines intrans Turoniæ, prope Vindocinum fixit tentoria. Quo cum regem Anglorũ cognoſceret ſuperueniſſe, ſummo mane tentoriis auulſis cum feſtinatione receſſit. Rex autem Anglorum eum ſubſecutus eſt, & quadrigas ipſius, comitum, & baronum & magnatum ſub eo militantiũ, impedimenta rota ſub captione concluſit. Aurum & Argentum in ſcriniis & in aliis locis repoſitum, tentoria quoque, baliſtas, & res innumeras, quarum æſtimatio creſcit in immenſum, ſine damno ſuo cepit, ſecumq; reduxit. A feſto Pentecoſtes, quo rex Francorum Philippus à Vernolio nocte recedens, fuga ſibi conſuluit, elapſi ſunt dies 37. ad illum vſq; diem, quo quieſcens prope Vindocinum exterritus ſummo mane cum graui iactura ſuorum, caſtellum Duni tremefactus receſſit.

Rex Anglorum potitus victoria tranſiit in Pictauiam, & intra paucos dies Taileburgh, & totam terram Gaufridi de Rancina, totam quoq; terrã comitis Engoliſmentium ſua ſub poteſtate recepit, vt à caſtello Vernolii, quouſq; veniatur ad crucem Karoli, nullus ei rebellis extiterat.

Rex pede truncatur.

Anno 1195. Limpoldus Dux Auſtriæ in die S. Stephani, cum apud Gramni dies natalitios celebraret, & iuxta conſuetudinem regionis, ſui corporis agilitatem inter ſuos commilitones oſtenderet, militaribus armis accinctus, flexis in girum frenis, equo cecidit, & pedis attritione ſubita ſauciatus ad necem, arctiſſima tandem neceſſitate compulſus, conſilio medicorum pede truncatus eſt, vt qui Regis Anglorum Richardi Ieroſolyma redeũtis, & crucis adhuc mortificationem in ſuo corpore geſtantis, & animum habentis ad terram ſanctam redire pedes conſtrinxerat, nec licentiam abeundi quo vellet, habere permitteret, in vltionem tanti facinoris pede proprio mulctaretur.

Inundatio aquarum Pariſiis.

Anno 1196. aquarum inundatio ſubita, vehemens, & fluctibus procelloſis inuoluens omnia circa Sequanam adiacentia tam lignea quam lapidea, Philippum Regem Francorum, Mauritium Pariſienſem Epiſcopum commorantes Pariſius, non parum exterruit. Vnde rex relinquens palatium cum domeſtica familia pernoctare decreuit apud S. Geneueſam. Epiſcopus vero vt ſibi prouideret, & ſuis apud S. Victorem quieuit.

An. 1197. Marcadeus miles Soldarius Richardi regis Brabantinorum vallatus cateruis,

teruis, cepit Philippum Beluacenſem epiſcopum, Gulielmum de Merlow, & multos alios iure belli. Qui videlicet Epiſcopus erat in armis vir ſtrenuus, & regis Francorum conſanguineus, homo Marti plus deditus, quam cultor martyrum. Quem in concaptiuis duriſſimis conſtrictum vinculis, tranſmiſit Rhotomagum.

Epiſcopus in armis ſtrenuus.

Richard. rex aduertens villam Andeliaci & quaſdam alias adiacentes ad ius eccleſiæ Rhotomagenſis pertinentes, hoſtium irruptionibus nimium oportunas, commutationem fecit cum archiepiſcopo, & dicta eccleſia, dans pro dictis villis molendina ſua apud Rhotomagum, ita quod archiepiſcopus ſoluat eleemoſynas de eis ab antiquo ſtatutas, villamq; de Deepe, & villam de Buſſeles, ita quod ſoluat eleemoſynam aſſignatam, 372. libras Andegauenſis monetæ. Dedit eis autem manerium de Loueres & foreſtam de Alermound, cum feris & omnibus pertinentiis aliis.

Gualterus Mape (de quo multa referuntur iocunda) ex præcentore Lincolnienſi, Oxonienſis archidiaconus eſt effectus. Richardus rex apud Audeliacum caſtrum conſtruxit inſigne.

An. 1198. Hubertus Cantuar. archiepiſcopus autoritate fultus Apoſtolica, clericos, quos Hugo Ceſtrenſis Epiſcopus eiectis monachis apud Couentriam poſuerat, reintroduxit monachos. Ad quorum ſupplementum ſeptem monachi monaſterii S. Albani illuc deſtinati ſunt, vnde contigit illa duo monaſteria arctiſſima familiaritate coniungi, & indiſſolubili fœdere adiuuari.

Monachi reſtituuntur.

Richardus rex Angliæ intrauit terram Regis Francorum cum magno exercitu, & cepit caſtellum de Curtell, & de Butriz, & caſtrum Sirefontanum. Die craſtina rex Francorum venit de Mantua cum quadringentis militibus, & multis aliis, ad ſuccurrendum dicto caſtro de Curtellis, quod non putauit eſſe captum. Rex igitur Anglorum, ex quo eum venire cognouit, inſecutus eſt eum in fugam conuerſum, & in tanta diſtrictione poſuit in portam Giſortii, quod pons fractus eſt ſub eo, ſubmerſis de ſuis viginti militib. Ipſeq; rex niſi attractus fuiſſet à cuſtodibus Giſortii, fracto ſub eo ponte ſubmerſus fuiſſet. Interim Rex Angliæ propria lancea proſtrauit tres milites, & captos detinuit. Capti ſunt cum eis inſuper vſque ad centum milites, & ſeruientes, quorum non eſt numerus. Ducenti quoque capti ſunt dextrarii, quorum 27. cooperti ſunt ferro.

Regis Franciæ periculum in fugiendo.

Regis Angliæ præda.

An. 1199. Richardus rex cum militem quendam ſuper inuentione theſauri conuenire voluiſſet, ille veritus ſeueritatem regiam ad vicecomitem Lemonicenſem fugit. Qui rogatus à rege vt militem redderet cum parere neglexiſſet, rex terras eius ingreſſus, caſtrum quoddam, quod Caluca dicitur, iuxta Lemonicas obſedit, ac fortiter impugnauit, 17. vero Kal. April. dum caſtrũ conſiderãdo circuiret inermis, ſubito baliſtæ iaculo in humero ſiniſtri læthali cõfoditur vulnere, à quodam milite, qui Petrus Baſilii dicebatur. Sequentibus diebus 11. languens ex vulnere, die 12. octauo videlicet Idus Aprilis ætatis ſuæ anno 42. diem clauſit extremum. Hic propter magnanimitatem cordis cognominatus eſt ab Anglicis & Normannis cor leonis. Sepultus eſt apud fontem Ebrandi in monaſterio monialium ad pedes patris ſui Henrici regis, cum regnaſſet annis 9, menſibus totidem, ſexq; diebus.

Richardus baliſta iaculo perit.

Iohannes filius iunior Henrici 2. regis Anglorum ex Alienora duciſſa Aquitaniæ, non modo iure propinquitatis, ſed in teſtamento fratris ſui Richardi deſignatus ſucceſſor, poſt mortem eiuſdẽ anno dom. 1199. regnum obtinuit Anglicanum. Hic à patre Ioannes ſine terra cognominatus eſt, quia fratrib. eius ad ampliſſ. honores ſublimatis, puta Henrico in Regem Angliæ coronato, Richardo Aquitanorũ, & Galfrido Ducatu Britannico inſignitis, ipſe nihil habebat, quanquam poſtea ditatus fuerat Comitatibus Moritoniæ in Normannia, & Glouerniæ in Anglia, collatis inſuper à patre terris omnibus in Hibernia conquiſitis. Triginta duorum erat annorum, cum in Octauis Paſchæ apud Rhotomagum Ducatus Normannici gladio cingeretur. In Angliam vero veniens infra octauas aſcenſionis apud Weſtmonaſterium coronatus eſt. Porro Philippus Francorum rex defuncto rege Richardo omnia quæ libuit ſibi licere reputans, non deferens induciis, quas iuramento firmauerat, Normãniam ingreſſus cepit vrbem Ebroicam: terraſq; regis Angliæ vſq; Cenomannicam vndiq; deuaſtauit.

Iohannes fratri in regno ſuccedit.

Arthurus autẽ nepos regis Iohannis ex fratre Galfrido duce Britanniæ aſpirans ad regnum Angliæ, regi Francorũ Cenomannis occurrit cum manu valida Andegauenſium, & pro comitatu Andegauiæ eidem fecit homagium. Alienora quoq; regina pro Ducatu Aquitaniæ, quem iure poſſedit hereditario, eidem Regi homagium fe-

cit cum Turonis aduenìſſet. Iohannes rex coadunato exercitu magno in Normanniam transfretauit. Sed cito poſt in Angliam rediens, apud Lyncolniam in conſpectu totius populi Regis Scotorum ſuſcepit homagium, qui ſuper crucem Cantuarienſis archiepiſcopi fidelitatem iurauit eidem.

Rex Scotiæ homagium facit.

Anno 1200. Iohannes rex iterum in Normanniam transfretauit, vbi inter reges in forma ſubſcripta pax & concordia reformatur. Reſtitutis nempe regi Angliæ ciuitate Ebroica cum toto comitatu, caſtellis, pagis & prædiis, quæ rex Francorũ occupauerat violenter, præſtitoq; à rege Angliæ homagio regi Francorum, & eidẽ fidelitate iurata: Lodowicus regis Franciæ primogenitus nobilem puellam Blanchiam nomine, Hildefonſi regis Caſtelli filiam, Regis Angliæ ex ſorore Alienora neptem accepit vxorem. Cui rex Iohannes conceſſit omnes munitiones & poſſeſſiones à rege Francorum ſibi nouiter reſtitutas, annuens etiam eidem omnes terras ſuas, quas in regno Franciæ poſſidebat poſt deceſſum ſuum, ſi abſq; herede de corpore ſuo contingeret eum mori. Firmata inter reges pace & concordia, Arthurus comes Britanniæ patruo ſuo regi Iohanni regi Angliæ fecit homagium pro comitatu Britanniæ, qui ſpectat ad feodum ducatus Normanniæ, & aliis terris ſuis, quas in Anglia vel Aquitaniæ ducatũ habebat.

Pax firmata inter Angliæ & Franciæ reges.

Arthuri homagium.

Eodem anno Ioannes Rex vxorem accepit Iſabellam comitis Engoliſmenſis filiam & heredem, quæ 8. idus Octobris coronata eſt Londoniis in reginam. Hanc ferunt quidam prius vicecomiti Toartenſi Hugoni Brun nupſiſſe, ipſumq; propter vxo- 2 rem violenter ablatam à fidelitate regis Angliæ diſceſſiſſe.

Iohannes rex vxorem ducit.

An. 1201. Iohannes rex Angliç venit Pariſiis, & honorifice à rege Francorum receptus eſt, & donatus variis donis pretioſis. Tenuis tamẽ inter eos erat amicitia, quia rege Anglorum vxorato, euacuata videbatur illa ſponſio, quam de terris ſuis in regno Franciæ fecerat Lodowico. Vnde non multo poſt habito inter reges colloquio inter Vernonam & inſulam Andeliace, rex Francorum occaſiones quærens fidei non ſeruandæ, & initi fœderis infringẽdi, regẽ Angliç ſubmonuiſſe fertur, vt Pariſiis in quindena Paſchæ compareret ſuper hiis, quç aduerſus eum proponeret pro ducatu Aquitaniæ, comitatuq; Andegauiæ reſponſurus.

Rex Francorum occaſiones quærit fœderis infringendi.

Æſtate ſequenti rex Francorum Philippus hoſtiliter ingreſſus eſt Normãniam, 3 vbi munitiones quaſdã cepit, & villas ſubegit. Et vt acriores Regi Angliæ inimicitias concitaret, Arthuro nepoti eius militaribus armis cincto, comitatum Britanniæ tradidit, præcipiens vt Pictauenſium & Andegauenſium ſibi comitatus acquireret, tradens ei 200. in ſubſidium milites, & largiens eidem pecuniæ magnam ſummam. Iohannes rex vndiq; laceſſitus iniuriis, reſumpto animo in Arthurum nepotem, quem domeſticum hoſtem ferebat grauius, & fautores eius, quorum præcipui erant, Hugo Brunus & Galfridus de Ladimano conuertit exercitum. Quos bello victos & obſeſſos ad deditionem coegit. Cepit etiam poſtea vicecomitem Lemonicenſem, alioſque quamplures, qui ab eius fidelitate deſciuerant, Arthuroq; adhærẽtes. Quorum nonnullos tranſmiſit in Angliam per diuerſa caſtra ſeruandos, quoſdam acceptis obſidibus remiſit ad propria. Arthurum vero miſit Rotomagum ſub arctiori cuſtodia detinendum. Ob iſtam victoriam multi putant ſibi conuenire illud Merlini fatidici. Capite Leonis coronabitur: & iterum illud. Linguas taurorum abſcindet, & colla rugientium onerabit cathenis.

Iohannes Arthurum nepotem ſuperat.

Anno 1202. Iohannes Rex Philippum Beluacenſem Epiſcopum, quem captum in prœlio ſupra retulimus, diebus Richardi Regis, à cuſtodia liberauit, & ad propria redire permiſit.

Philippus rex Francorum in exheredationem Regis Angliæ totis viribus laborans, ingreſſus Aquitaniam, cepit munitiones militum Pictauenſium, Britonumque fauore.

Papa Innocentius pro pace inter reges reformanda miſit abbatem de Caſa Marii, qui adiuncto ſibi abbate trium fontium, autoritate apoſtolica præcepit vtriq; regi, vt conuocatis Epiſcopis & principibus regni, ſalua vtriuſq; iuſtitia pacem facerent. Et abbathias ceteraſque eccleſias per eorum bella deſtructas in ſtatum debitum repararent.

Philippus Rex non obſtante apoſtolico mandato Normanniam ingreditur, & Rudipontem obſidens, expugnauit & cepit, caſtrum quoque Gaylardi, quod in excelſa rupe ſuper Sequanam fortiſſimum Richardus Rex firmauerat, ſex menſium obſidione ſubegit.

Philippus Normãniam vaſtat.

Hoc

Hoc anno, vt à pleriſq; traditur, cæpit Tartarorum dominium. Qui ſub montibus Indiæ in regione Tartara conſtituti, Dominum ſuum regem Indiæ Dauid nomine, filium Iohannis præſbyteri occidentes, ad deprædationem proceſſerunt aliarum terrarum. *Tartarorum dominii origo.*

Anno 1203. Arthurus Rhotomagi moritur, de cuius morte Regem Iohannem quidam eius æmuli infamauerunt. *Arthuri mors.*

Rex Iohannes obſides Pictauenſium propter eorum falſitatem ſuſpendi fecit.

Philippus vero rex Francorum à cæptis non deſiſtens, caſtra Normannica & totam fere terrã circumpoſitam vſq; ad montem Michaelis in ſuam ditionem accepit. Normanni à fidelitate regis deſciſcentes, regiſq; Francorum fauorem quærentes, ciuitates & caſtra cõmiſſa ſuæ cuſtodiæ ſine vlla reſiſtentia reddiderunt, videlicet Conſtantiam, Baiocas, Luxonium, Abrincas cum ſuburbanis & pagis. Iamq; nihil regi Angliæ in Normannia fraudibus ſuorum à ſe alienata remanſit, exceptis ciuitate Rhotomagi & duobus caſtris Vernolio atq; Archis. *Normanni ad regem Francorũ deſciſcunt.*

Iohannes rex Alienoram ſororem Arthuri in Angliam tranſtulit, quæ in caſtro Briſtolliæ honorifice exhibita ibidem conſenuit. Mater eius Conſtantia heres Britanniæ poſt mortem viri ſui Galfridi, nupſit Guidoni de Toarro. Qui de ea vnicam filiam generauit. Quam poſtea duxit Petrus Roberti comitis Drocharum filius cognomento Manclerk, accipiens cum eadem Britanniæ comitatum.

Anno 1204. Alienora Duciſſa Aquitanniæ, mater Regis Angliæ ex hac luce migrauit. *Alienora mors.*

Ciuitas Rhotomagenſis à Gallicis obſeſſa, cum iam fere per annũ ſe fortiter defendiſſet, de ſubſidio deſperans regis Angliç, Philippo regi Francorũ ſe reddidit. Qui ſtatim muros eius diruens, ne vnquam reædificaretur inpoſterum, ciuib. interdixit. Redditis etiam duobus caſtellis Archis & Vernolio, totam ex integro Normanniam habuit ſubiugatam. Nec hiis rex Philippus contentus vlterius progreditur, & Cenomanniam, Turoniam atq; Pictauiam ſine difficultate occupat, nemine reſiſtente. Capta eſt etiam doloſe ciuitas Andegauenſis à Guliel. de Rupibus, ducente milites ſuos armatos ſub capis, velut fuiſſent mercatores ad nundinas accedentes. *Rhotomagum capitur.*

Anno 1205. Philippus Francorum rex captis fortiſſimis caſtris, Archis & Chinone à dominio Andegauiæ & Turoniæ excluſit totaliter regem Anglorum.

Anno 1206. Iohannes rex Angliæ in Aquitaniam transfretauit, & innumeras apud Rupellam copias ſecum duxit. Sed adueniente illuc rege Francorum cum exercitu abſq; conflictu munita villa in Angliam remeauit.

Hoc tempore clericus quidam Walo nomine à Conſtantinopoli rediens, faciem S. Iohannis Baptiſtæ ſecum deferens, eam repoſuit Ambianis. *Facies S. Iohannis Baptiſtæ.*

S. Dominicus fere per decennium in continuatione prædicationis perſeuerauit contra hæreticos Albigenſes.

Monachi Cantuarienſes in electione futura Pontificis diſcordes, alii magiſtrum Reinerum ſuperiorem ſuum, alii Iohannem de Graye Norwicenſem Epiſcopum elegerunt. *Contẽtio monachorũ de archiepiſcopi electione.*

Anno 1207. Innocẽtius Papa caſſatis vtriſq; electis, Cantuar. eccleſiç magiſtrum Stephanum de Langton tituli S. Chriſogoni præſbyterum cardinalem, poſtulantibus monachis, eidem eccleſiæ præficiẽs, in archiepiſcopũ cõſecrauit. Super quo indignatus rex Iohannes, qui partem Norwicenſis omni conatu fouebat epiſcopi, per Falconem de Cantilupo, & Petrum de Cornehull monachos de ſuo monaſterio expulit, & Stephano archiepiſcopo ne accedendo ad ſuam Eccleſiam intraret, Angliam interdixit. Quinimo prælatos tam maiores quam minores, clericos quoq; quoſcunque fauentes archiepiſcopo coegit in exilium, rebuſq; eorum omnibus confiſcatis. *Stephanus Langton interdicitur Anglia.*

Per id tempus dux Saxoniæ Otho in regem Romanorum quamuis diſcordia electus, in Angliam ad regem Iohannem auunculum ſuum venit. Pro cuius ſubſidio rex Angliæ & à clericis & laicis 13. partem bonorum extorſit. *Otho fit rex Romanorum.*

Philippus Francorũ rex in exheredationem regis Angliæ non agens ſegniter, vt qui prædatur non prædetur, multas ei in Aquitania munitiones abſtulit.

Eodem anno apud Wintoniam in die S. Remigii natus eſt regi Iohanni filius, quem vocauit Henricum nomine patris ſui. *Regi natus filius.*

An. 1208. Anglia per Papam Innocentem interdicto ſupponitur 11. Kal. Aprilis, exequentibus Papale mandatũ, Gulielmo Londonienſi, Euſtachio Elienſi, & Malgeto Wigornienſi Epiſcopis, quia rex Iohannes archiepiſcopum Stephanũ ad ſuam ec- *Anglia interdicto ſupponitur.*

cleſiam accedere non permiſit. Qui tempore ſui exilii manſit in monaſterio Pontiniacenſi, beati Thomæ martyris veſtigia imitatus.

Otho dux Saxoniæ nepos regis Angliæ ex ſorore regnum Alemanniæ pacifice obtinuit, Philippo Suauiæ, qui cum Othone diu contenderat de imperio, à Landegrauio Turingiæ interfecto.

Anno 1209. Iohanni regi natus eſt filius ſecundus in vigilia Epiphaniæ, quem in fratris ſui memoriam vocauit Richardum.

Iohannes rex audito, quod Gulielmus Scotorum Rex filiam ſuam comiti Boloniæ iunxiſſet connubio, eius aſſenſu non requiſito ægre tulit. Propter quod eum bello aggredi propoſuit. Sed tandem reformata pace acceptis duabus filiabus Regis Scotiæ obſidibus, rediit propoſito immutato.

Crux contra Albigenſes hæreticos ex mandato dn. Papæ in Francia prędicatur, multitudo ergo Gallicorũ contra fidei refugas profecta, adiuncto ſibi comite Tholoſano Viterpin primo adeundo, Carthaſonem obſident & expugnant. Moxq; reuerſuri ad propria toti regioni præficiunt Simonem Comitem montis fortis.

Papa mina in reges.

An. 1210. Innocentius Papa in Othonem imperatorem eccleſię Romanę rebellem excommunicationis ſententiam fulminauit, principesq; Tentoine ab eius fidelitate abſoluit, ac ne quis eum imperatorem appellaret ſub interminatione anathematis interdixit. Excommunicauit Iohannem regem Angliæ, pro eo quod archiepiſcopum Stephanum ad eccleſiam ſuam accedere non permiſit.

Rex Hiberniam ſubiugat.

Iohannes Rex eodem anno profectus in Hiberniam in ſuam ditionem redegit totam terram Catalo rege Conacciæ triumphato. Rediens vero de Hibernia, de abbatiis aliisq; religioſorum domibus, & præcipue Ciſtercienſium, exegit tallagium nimis graue.

Wallenſes ſubacti.

Anno 1211. Iohannes Rex Wallenſes rebelles ſubegit. Qui nihilominus reſumptis viribus in eodem anno Angliam infeſtabant.

Caſtrum de Stotford, quod erat Londonienſis Epiſcopi, à rege euertitur.

Alexander regis Scotorum primogenitus Londonias veniens à Rege Iohanne militaribus armis accingitur.

Papa diſcordiarum motor.

Innocentius Papa videns Regem Iohannem eccleſiaſtica diſciplina nullatenus emolliri, ſcripſit regi Francorum & aliis Principibus conterminis, vt Regem Angliæ inquietarent, quatenus rigorem animi ſui per tales moleſtias remitteret, & ad obedientiam Romanam rediret.

Anno 1212. Philippus rex Francorũ cum ſuis proceribus tractare cæpit de transfretando in Angliam ad debellandum regem Ioannem, quod colorabat ſub ſpecie iuſtitiæ, eo quod eſſet Romanæ Eccleſiæ rebellis.

Rex Iohannes duxit exercitum in Walliam, incurſus Wallenſium repreſſurus, & regreditur cum honore.

Barones à rege deficiunt.

Eodem tempore cæperunt Barones à rege Ioanne deficere, prætendẽtes libertates eis debitas minime obſeruari. De quibus acti ſunt in exiliũ: Robert. filius Gualteri, & Stephanus Ridel. qui in Galliis morabantur. Galfridus etiam de Norwico carceri mancipatur. Hi tres creduntur fuiſſe contra regem capitanei factionis.

S. Franciſcus.

Hoc anno beatus Franciſcus natione Tuſcus, de ciuitate Aſſiſii, poſt laſciuiam iuuenilis ardoris, & negotiorum ſæcularium vanitatem, mente compunctus, abiit, & venditis vniuerſis quæ habuit, pecuniam cuidam ſacerdoti obtulit ad ſuæ eccleſiæ reparationem. Quam cum ſacerdos renueret, Franciſcus monetam abiiciens, Chriſto in paupertate voluntaria ſeruire decreuit, octauo anno ab eo quo cæpit S. Dominicus prædicare.

An. 1213. Philippus Francorum rex coadunato nauigio apud Kaleſiam, perpendens Ferrandum Flandrenſem comitem regi Angliæ Ioanni fauere, diuertit in Flandriam, vt ea prius ſubiugata liberius deinde Angliam occuparet.

Claſſis Angliæ Francos abducit.

Interim rex Angliæ copioſa nauium claſſe parata, & præpoſitis eidem Gulielmo de longa ſpata Sariſburienſi, & Reginaldo de Danmartino Bolonienſi comitibus, ac nobili viro Hugone de noua villa cum viris naualis belli peritis trãſmiſit eam in Flandriam, vt Regis Francorum nauigium deſtruerent, & ipſum ab impugnatione Flandrenſis comitis impedirent. Ingreſſi igitur prædicti nobiles portum Damonis cum claſſe ſua tota, totam fere multitudinem nauium Gallicorum victualibus onuſtarum, & armis in Angliam abduxerunt.

Francorum Rex

Rex Francorum tam ſubito conſternatus euentu pauculas naues relictas, timens

Digitized by Google

Naues ſuas comburit.

ne in vſum cederent aduerſariorum, in ira vehementi præcepit comburi. Et expoſt Pariſiis dirigit iter ſuum.

Stephanus admittitur Archiepiſc.

Iohannes rex Angliæ videns barones ſuos contra ſe inſurgere, vtpote qui cum rege Francorũ per literas ſuas ligeas fecerant, ſpondentes regnum Angliȩ Lodowico filio regis eiuſdem. Videns etiam offenſam domini Papæ ſuper ſe de die in diẽ aggrauari, flexus eſt animo. Et inprimis archiepiſcopũ Stephanũ ad ſuam permiſit ſedẽ accedere, ac libera in omnibus fungi ſibi debita dignitate. Cupiens etiam contra hoſtes tam domeſticos quam extraneos eccleſiaſtica protectione muniri, procurante Pandulpho apoſtolicæ ſedis legato, totum regnum ſuum Angliæ & Hiberniȩ Deo & beato Petro Apoſtolo eiuſq; vicario catholico Innocẽtio Papæ 3. ſucceſſoribuſq; ſuis catholicis, in remiſſionem peccatorum ſuorũ totiuſq; generis ſui in mille marcis, ſ. pro Anglia 700. & pro Hibernia 300. conſtituit cenſuale, vt patet in charta ſuper hiis confecta, & ſigillo regio conſignata. Hiis peractis Iohannes rex à ſententia excommunicationis abſoluitur publice in eccleſia cathedrali Wintonienſi, prȩſtita iuratoria cautione de reſtitutione ablatorum tam clericis quam laicis facienda, & recipiendis omnibus in plenam gratiam & amorem.

Iohannes patem à Papa mercatur.

Franci prohibentur regem Angliæ infeſtare.

Exinde Pandulphus legatus in Galliam tranſiens, Francorum regi Philippo ſub anathematis interminatione prohibuit ne trãſiret in Angliam, ſeu regem Angliȩ reconciliatum eccleſiȩ, quo minus regnum ſuum poſſideret pacifice, aliquatenus per ſe vel per alios infeſtaret. Durauit tamen adhuc interdictum in Anglia, clero illud relaxari nolente, quouſq; de ablatis ſatisfactum eſſet ad plenum.

Iohannes vrbem Andegauum cepit.

Iohannes rex eodem anno transfretans ſuſceptus eſt honorifice in Rupellam. Nec multo poſt recõciliatis ſibi Comite Marchiæ & Galfrido de Landauano cepit vrbem Andegauim, & caſtrum Bellum forte, aliaſq; munitiones quamplures. Turba militum ſuorum miſſa Tranſligeri, ad prædandum Robertum Comitis Drocharum filium, & milites cum eo 14. in armis ſibi occurrentes ceperunt.

Rex interdicto abſoluitur.

Anno 1214. Iohannes rex impetratis à ſede apoſtolica 5. annorum induciis ſuper reſtitutionem ablatorum, ita quod ſingulis annis vſq; ad complementum vna pecuniæ portio ſolueretur, inuito clero relaxationem obtinuit interdicti, quod iam 6. annis, menſibus 3. & diebus 10. & 7. durauerat.

Vrbs Andegauis Regi Iohanni inuida Lodowico primogenito Regis Francorum ſe reddidit. Qui muros eius nouiter à Rege Iohanne conſtructos ad ſolum diruens complanauit.

Attendens autem Iohannes Pictauenſium duplicitatem, & Andegauenſium penes ſe mobilitatem, qui plus fauerent parti Gallicȩ quam ſuæ, in treugas quinquennales à rege Franciæ impetratas per amicos conceſſit.

Otho depoſitus.

Otho ab Imperio iudicio Eccleſiæ depoſitus à rege Francorum bello victus eſt, captis in hoc prœlio Ferrando Flandrenſi, Gulielmo de longa ſpata Sariſburienſi, & Reginaldo de Danmartino Bolonienſi comitibus, multiſq; baronibus, & aliis perſonis ordinis militaris.

Otho moritur.

An. 1215. Otho quondam imperator aduerſante ſibi fortuna poſt bellũ proxime ſupradictũ in Saxoniã reuerſus priuatam vitam toto æuo ſuo duxit in ducatu, qui ſibi iure hereditario competebat. Tandem diſſenteriæ morbo laborans conuocatis Epiſcopis alioq; clero, inſtanter cum lachrymis abſolutionem ſuper ſua rebellione petiit & accepit. Miles quidam Anglicus dictus Philippus de bona villa, qui ſub iſto Othone plurimis annis militauerat, ſæpe de illo cũ magna deuotione referre ſolebat. Cum inſtante morte viaticũ recipere (quia nihil retinere poterat) nõ auderet, tamẽ corpus Chriſti ad inſtantiam eius vt illud videret allatum, humiliter adorauit. Et cum quaſi amplexaturus bracchiis expanſis, nudato corpore approximaret, hoſtia illa in loco, vbi cor latuit facta apertura intrauit, proſiliens de manibus ſacerdotis, & abſq; omni cicatricis veſtigio recluſus eſt locus: ſicq; recumbens ſpiritum reddidit.

Mirabile de hoſtia.

Baronum rebellio.

Iohannes rex Angliæ vna cum comitibus Ceſtriæ, Derbiæ, aliiſq; nobilibus crucem accepit à Gulielmo Londonienſi epiſcopo in Eccleſia S. Pauli. Verum aduerſante ſibi fortuna non licuit ei tam vtili vacare propoſito, inſurgentibus contra eum Baronibus ſuis, eo quod libertates & iura ab eo petita, &, vt dicebant, promiſſa non perſoluit, nec impleuerat in effectu. Vnde & per quendam canonicum regularem ipſum diffidarunt apud Radingiam 3. Nonas Maii.

Iohannes Rex Gulielmum de Longa ſpata Comitem Sarum à Gallicis captum, mutatione Roberti filii Comitis Drocarum redemit.

Londini defectio à rege.

Ciuitas Londoniarum à rege deficiens 16. Kalend. Iulii ſe tranſtulit ad barones.

Barones multi capti.

Rex Iohannes multos de baronibus & militibus in caſtro Roffenſi, quod poſt aliqualem obſidionem redditum fuerat, cepit, & caſtrum de Corf inſigne captiuos tranſmiſit.

Barones Lodowicum regis Francorum filium in ſuum euocant ſubſidium, promittentes ei regnum Angliæ rege Iohanne expulſo.

Britannorum ſubmerſio.

Hoc anno menſe Septemb. multi viri nobiles Britanni & Flandrenſes, regis Iohannis allecti ſtipendiis, volētes in Angliā transfretare naufragio perierunt. Horum dux fuit miles quidam dictus Hugo de Bones, vir vitiis plenus & crudelitate. Qui in partibus tranſmarinis 60. millia armatorum in auxilium Regis collegerat. Sed Deo miſerante hii omnes à pelago ſunt abſorpti. Cadauer Hugonis apud Gernemutam in Norfolcia eſt eiectum, vbi cum maxima multitudine militū metſotum & ſeruiētium eſt repertum. Eiecta ſunt etiam in locis diuerſis ſuper littus maris corpora mulierum & paruulorum in cunis iacentium, quorum omnium multitudo ita maris occupauit littora, quod ex infectione aeris, morbus & peſtis inualuit inter prouinciales. Habuerant autem in propoſito, vt expulſis indigenis à toto regno terram iure perpetuo poſſiderent. Dederat namq; rex Ioannes duci eorum Hugoni de Bones per chartam ſuam prouincias Norfolciæ & Southfolciæ, prout dicebatur. Sed propoſitum eorum annullauit diuina clementia, vt præfertur.

Peſtis ex corporibus ſubmerſis.

Lateranēſe concilium.

Hoc anno menſe Nouembri ſub Papa Innocentio Lateranenſe celebratur concilium, in quo lata eſt ſententia excommunicationis in omnes, qui Iohannem regem Angliæ ſatagebant de regno ſuo modo quolibet exturbare.

Lodowicus Papæ legatum ſpernit.

Anno 1216. Gualo Apoſtolicæ ſedis legatus venit Pariſiis, Philippum regem ſtudioſe exhortans, vt filium ſuum Lodowicum à tranſitu in Angliam prohiberet. Super quo etiam nihilominus auctoritate apoſtolica ipſum monuit Lodowicū, denuntians tam patri quam filio ſentētiam excommunicationis latam in Lateranenſi conſilio in omnes, qui Iohannem regem Angliæ vt à regno deiicerent, expugnabant. Lodowicus ſpreta monitione legati, à cęptis nequaquam deſtitit, ſed apud Kaleſium Flandrię portum claſſem adunati præcepit, pro exercitu in Angliam tranſportando.

Gualo legatus in Angliam tendens, & Lodowicum præueniens ſategit inter barones & regem pacem componere licet fruſtra.

Lodowicus Angliam occupat.

Lodowicus perueniens Sandwicū habuit obuios barones ſuæ parti fauētes, qui deduxerunt eum vſq; Roſam, cuius caſtrum ſtatim eſt redditum eidē. Feria 5. in ebdomada Pentecoſtes veniēs Londonias cum proceſſione ſolemni receptus eſt in Eccleſia S. Pauli. Vbi cum ſuſcepiſſet homagium ciuium, vſq; Weſtmon. tranſiens ſuſcepit homagium procerum adhærentium parti ſuæ. Cum quibus progrediens cepit caſtrum de Reigate, Guilford & Farneham, & multas alias munitiones.

Papa excommunicatio nihili fit.

Gualo legatus Lodowico plurimum conabatur reſiſtere excommunicando & interdicendo. Sed parum proficere potuit, populo fere toto in regis ſui odium prouocato.

Iohannis mors.

Interim Iohannes rex valido collecto exercitu, propoſuit cum Lodowico & eius fautorib. prœlio decertaſſe, ſed in ipſo belli apparatu morbo correptus decubuit. Et poſt paucos dies defungitur apud Newarke 14. Kal. Nouembr. cum regnaſſet annis 17. menſibus 5. decemq; diebus.

Sepultus eſt autem Wigorniæ coram altari magno in medio inter ſactoſancta corpora Oſwaldi & Wulſtani Pontificum bonorum.

Iohannis deuotio in religioſos.

Iſte rex Iohannes abbathiam Ciſtercienſis ordinis in Winton. diœceſ. quæ bellus locus dicitur, & monaſterium virginum apud Godſtow in Lincolnienſi diœceſ. pro anima Roſamundæ, quæ aliquando patris fuerat concubina, fundauit. Propter quod nonnulli putant ad illum Merlini fatidici vaticinium referri, quo dixit. Virginea munera virginibus donabit: Promerebitur inde fauorem tonantis, & inter beatos collocabitur.

Henricus coronatur.

Henricus filius Ioannis regis ex Iſabella filia comitis Engoliſmenſis, annū ætatis agens 10. poſt patrem defunctum, an. dom. 1216. ſublimatur in regem. Et præſentibus Gualone apoſtolicæ ſedis legato cum epiſcopis Iocelino Bathonienſi, Gulielmo Couentrenſi, aliiſq; prælatis pluribus, reginaq; Iſabella cum comitibus Gulielmo Mareſchallo, Gulielmo de Ferrariis, magnaq; aliorum multitudine nobilium, per Petrum Wintonienſem epiſcopum, in die Apoſtolorum Simonis & Iudę in Eccleſia beati Petri monachorum Glouerniæ inunctus in regem, ſolemniter coronatur.

Lodo-

Lodowicus regis Francorum filius cum iam caſtrum Doueriæ obſediſſet diebus 15. nihil proficiens, Londonias reuertitur, vbi in die S. Leonardi redditur ei turris. Progreſſus vero de Londoniis caſtrum de Hertford cepit, in die S. Andreæ apoſtoli, & caſtrum de Berkhamſted, in die ſancti Luciæ. Et exinde acceptæ ſunt treugæ inter regem iuuenem Henricum, & Lodowicum vſque in feſtum Martyrum Fabiani & Sebaſtiani. Quibus firmatis Lodowicus in Gallias transfretauit. Interim vero multitudo magna Baronum & militum rupto fœdere quo ſe Lodowico aſtrixerant, ea mentis leuitate qua à patre deſciuerant, ad filium reuertuntur.

Treuga inter Lodovvicum & Henricum.

Narrant tamen quidam Chronici, quod quidam miles de regno Francorum, qui cum Lodowico venerat ad ſubiugandum Angliam iam fatis vrgentibus ad extrema perductus, cum nouiſſet infallibiliter ſe moriturum, aſciuit ad ſe presbyteros & Barones quoſdam Angliæ qui tunc ob ciuitatis cuſtodiam in vrbe Londoniarũ morabantur, corã omnibus lachrymabiliter iſta dixit. Doleo ſuper miſeria & deſolacione veſtra, quod vos pericula quæ imminent vobis non videtis. Iurauit inquit Lodowicus & 12. comites de regno Franciȩ & Barones ſui, quod ſi contingat eum Angliam ſubiugare, & in regem coronari, ipſe omnes Barones & nobiles Angliæ qui nunc eum ipſo militant, & regem Iohannem perſequuntur, perpetuo damnabit exilio, & ſui domini proditores & omne genus eorum vſque ad vltimam generationem de terra delebit. Et ne hoc vobis vertatur in dubium, ego qui hic decumbo continuo moriturus, vobis affirmo in periculo animæ meæ, me vnum ex illis eſſe qui hoc cum Lodowico iurauerunt. Vnde ſummopere vobis conſulo, vt vobis ſalubriter prouideatis. Quibus dictis continuo ſpiritum exhalauit.

Conſpiratio Gallorum per militem patefacta.

Anno 1217. Lodowicus in Angliam rediens poſt lapſum treugarum obſedit iterum caſtrum Doueriæ, ſed nihil profecit. Simili quoque ſorte, à caſtro de Windeleshore eſt repulſus. Quapropter ordinatis dietis, verſus Lincolniam dirigit cum exercitu iter ſuum. Vbi ſuperueniens exercitus regis iuuenis ei bellum indixit. Grauiſſimo proinde conſerto prælio, fiunt victores Anglici fugiente Lodowico. Quadringẽti milites de parte Lodowici fuerunt occiſi. Inter quos cecidit nobilis ille Thomas Comes de Perticis, tam regis Francorum quam Anglorum conſanguineus, feruntur etiam captiuati 52. milites de complicibus Lodowici. De quorum numero erat Gilbertus de Clare vir inclytus, quem cepit Gulielmus Mareſchalli, & Glouerniam deduci fecit cuſtodiæ mancipandum. Cui poſtea ſedatis rebus bellicis, paceque reflorẽte Iſabellam filiam ſuam matrimonio copulauit.

Lodovvicus fugatur.

Lapſis poſt prælium hoc diebus paucis, cæſus eſt ab Anglicis naualis exercitus Lodowici. Huic præerat Euſtachius vt fertur Monachus, qui vt decebat Apoſtatam oſtendens ſuam inconſtantiam, ſæpe de vno rege tranſiuit ad alium, & tanquam de Monacho factus Demoniacus, dolo & perfidia plenus fuit. Cuius caput abſciſſum, delatum eſt per diuerſa loca Angliæ ſuper palum.

Pœna perfidiæ.

Lodowicus Londoniis receptus, terra mariq; ſibi comperiens detrimenta augeri, & partem inueniens regis indies roborari pacem petiit, neceſſitatis articulo cõpellente. In præſentia igitur domini Walonis Apoſtolici ſedis legati, & prælatorum atque procerum huius regni, præſtitit iuramentum quod mandatis pareret eccleſiæ, & ſic à ſententia excommunicationis eſt abſolutus. Inſuper renuncians regno Angliæ & præſtito iuramento quod adepto regno paterno, omnia per patrem ſuum regibus Angliæ iniuſte ablata, reſtitueret, liber cum ſuis omnibus remeauit.

Lodovvicus abſoluitur.

Anno 1218. multi Francorum & Anglorum deuotione allecti, peregrinationem Ieroſolimitanam ſunt aggreſſi. Iohannes rex Ieruſalem & dux Auſtriȩ coadunato exercitu valido ex multitudine peregrinorum nationum diuerſarum ciuitatem Damiaticam obſederunt, & anno ſequenti ceperunt. Eſt autem Damiata ciuitas Ægypti maritima in terra Goſſen inter Rameſſe, & Campotaneos ſita, antemurale totius Egipti, dicta quondam Eliopoleos.

Damiata capta.

Anno 1220. treugæ quatuor annorum inter Philippum Francorum & Henricũ Anglorum reges pro Pictauia ſunt acceptæ.

Hoc anno inchoatum eſt nouum opus Weſtmonaſterii. Cuius in propria perſona rex primum poſuit lapidem fundamenti. De ſingulis autem carucis Angliæ dati ſunt regi duo ſolidi pro releuamine ſtatus ſui.

Ædificatio Weſtmonaſterii.

Hoc anno clerici qui infra caſtrum regis apud veterem Sarum manebant, vna cũ ſede epiſcopali ad villã epiſcopi quæ nunc noua Sarum dicitur, & priuilegio ciuitatis do-

Sedes Sarum translata.

tis donata eſt, à rege Henrico transferuntur, procurante negotium epiſcopo Sarisburienſi Richardo, & eodem rege deuotius annuente.

Anno 1221. Iſabella mater regis Angliæ irrequiſito filii vel conſilii ſui conſenſu, transfretans in Gallias nupſit Comiti Marchię filio Hugonis Bromz. Qui ſtatim quędam Caſtra Regis in Pictauia in manu expugnans valida occupauit.

Comes de Alba Marlo excommunicatur.

Eodem anno Gulielmus de fortibus, comes de Alba Marlo, in comitatu Lincolniæ multos ad rebellionem commouit. Qui dum ad pacem regis venire contemnit à Pandulpho apoſtolicæ ſedis legato excommunicatur. Fuerunt & alii viri magni qui munitiones, & caſtra poſſeſſioneſque alias regis dominicas iniuſto dominio vſurpabant. Hii tandem coacti ſunt omnia reſignare regiæ voluntati.

Hubertus de Burgo comes Cãtii ob probitatem & fidelitatem eximiam, cuſtos regis iuuenis & totius Angliæ Iuſticiarius factus eſt, aſſenſu omnium maiorum regni.

Damiata occupata à Turcis. Apoſtata ſupplicio afficitur.

Anno 1222. Damiata cum maximo chriſtianorum labore capta, & chriſtianis per annum poſſeſſa Saracenorum dominio iterum eſt ſubiecta.

Stephanus Cantuar. præſul primum conſilium ſuum tenuit Oxoniæ, in quo Diaconus quidam Apoſtata conuictus degradatus eſt, & manu ſæculari traditus, flãmis vltricibus eſt abſumptus.

Ruſticus quidam ſeipſum crucifigens, & ſtigmata vulnerum Chriſti ſuperſtitione quadam circumferens perpetuo immuratur.

Philippi mors.

Anno 1223. Obiit Philippus Francorum Rex, cui ſucceſſit filius eius Lodowicus.

Anno 1224. Lodowicus Francorum rex poſtpoſito iuramento, quod olim in Anglia pręſtiterat, cœpta patris contra regem Angliæ proſequens, villam ſancti Iohãnis Angliaci cepit & caſtrum de Mordum in Pictauia. Obſedit etiam Rupellam & cepit eam traditione Sauarici de Malo leone. Qui timens tantæ proditionis pœnas ſibimet imminere, factus transfuga ad regem Franciæ ſe conuertit.

Falcaſii ruina.

Eodem anno Falcaſius de Brens inſurgens contra regem Angliæ, illico eſt oppreſſus. Et infra annum ad tantam egeſtatem deductus, vt qui paulo ante Angliæ proceres diuitiarum gloria anteire videbatur, iam actus in exilium, tenuem in Galliis quæritando victum, etiam capitis reclinatorium non haberet. Suppreſſis ſibi per Angliam inimicis, cæpit rex pacifice adminiſtrare regnum. Sed nondum ei ad recuperãda perdita in partibus Galliarum ſuppetebat facultas.

Anno 1225. Richardus comes Cornubiæ frater regis & Gulielmus Comes Sarum, auunculus eius, cum multis proceribus proficiſcentes in Waſconiam proſpere res geſſerunt.

Lodovvici mors.

Anno 1226. moritur Lodowicus Francorum rex, & ſuccedit eidem filius eius S. Lodowicus, coronatus in regem cum eſſet annorum 14.

Diſcordia inter regem & Barones.

Diſcordia orta eſt inter regem & Barones propter Hubertum de Burgo, quem Barones ab officio deiicere rege contradicente volebant.

Rex Henricus Richardo fratri ſuo moranti in Waſconia 500. transmiſit Wallenſes & pecuniæ magnam ſummam.

Anno 1227. Lodowicus Francorum rex de conſilio Blanchiæ matris ſuæ Epiſcopos & milites in terram Albigenſium miſit, per quos vrbem Toloſam cum toto obtinuit comitatu.

Henrici humilitas.

Anno 1230. Henricus Anglorum rex transfretauit in Britanniam ſuadente Petro duce Britanniæ, vt à rege Francorum terras per patrem eius & auum ſibi & progenitoribus ſuis iniuſte ablatas repeteret. Qui die quo naues aſcenſurus erat pauperes & infirmos humiliter viſitans, leproſoſq; deoſculans largas eis eleemoſynas erogauit.

Anno 1231. Henricus rex Angliæ intento ſuo fruſtratus de Britannia in Angliam remeauit.

Hubertus incarceratur.

Anno 1232. Hubertus de Burgo comes Cantii quibuſdam grauibus contra eum propoſitis carceri mancipatur.

Anno 1233. Richardus Mareſchalli contra regem inſurgens, Walliam commouit ad guerram. Qui etiam Hubertum de Burgo qui de caſtro de Dimſis euaſerat ad eccleſiam, vi captum in Walliam ſecum duxit. Hic etiam in Hybernia contra regem conſurgens, ibidem deceptus occiditur. Cui ſucceſſit in comitatu Germanus eius Gilbertus.

Edmundus fit Archiep. Cant.

Anno 1234. Magiſter Edmundus de Abendonia in Cantuar. Archiepiſcopum ſublimatur.

Anno

Anno 1235. Imperator Fredericus ſororem Henrici regis nomine Iſabellam vxorem accepit.

Fames in Gallia.

Fames admodum magna inualuit in Gallia maxime in partibus Acquitaniæ ita vt homines herbas campeſtres ſicut animalia bruta comederent.

Henricus rex Angliæ Alienoram filiam ſecundam comitis prouinciæ apud Cantuariam deſponſauit.

Anno 1236. Richardus frater regis Cornubiæ comes, & comes Mareſchalli Gilbertus cum multis alijs crucis caracterem ſuſceperunt.

Anno 1237. Iohannes Scotus vltimus comes Ceſtriæ moritur, & deficiente hærede, deuolutus eſt in poſſeſſionem regiam comitatus. Otho Legatus venit in Angliã. Data eſt regi hoc anno à clero & populo, 30. pars bonorum.

Otho ab Oxonienſibus male tractatur.

Anno 1238. Otho apoſtolicæ ſedis legatus, cum ad Abbathiam de Oſney iuxta Oxoniam receptus fuiſſet, inſultum paſſus à ſcholaribus ad campanile transfugit. Qui poſtea Londoniis in ſcholares Oxoniæ ſententiam excommunicationis fulminauit, ſtudiumq; diſperſit. Vnde factum eſt, vt quidam villam Northamptoniæ, quidam nouam ciuitatem Sarum ad ſtudium elegerunt.

Anno 1239. Corona domini ſpinea allata eſt in Franciam.

Henrico regi natus eſt filius & vocatus Edwardus.

Richardi compaſſio.

Richardus regis Anglorum Germanus, Comes Pictauiæ & Cornubiæ vna cum Gulielmo de longa ſpata profectus in terram ſanctam, exercitum Francorum inuenit ſub rege Nauarriæ Theobaldo plurimum deſolatum. Quibus compatiens cum Saracenis treugas iniit, omnibus Chriſtianis qui captiui tenebantur liberatis.

Comes Cantii Hubertus de burgo, iudicio contra eum procedente 4. caſtra dominationi regiæ cogitur reſignare.

Simon recipitur in gratiam.

Simon de monte forti filius Simonis de monte forti, qui an. dom. 1209. cruce ſignatus eſt contra Albigenſes, reginam Blanchiam regis Francorum matrem ſibi timens offenſam, aufugit in Angliam, vbi gratioſe acceptus à rege, Leiceſtriæ obtinuit comitatum, cum Seneſchallia Angliæ, & regis ſororem, quæ prius caſtitatem, publice vouerat in manu epiſcopi vxorem accepit. Qui etiam poſtea Seneſcallus Waſconiæ factus: regem Angliæ vt terram Baſclorum, cui caput eſt ciuitas Baiona, & olim regnum fuerat, recognoſceret de feodo Franciæ regis: vt ſic regis Caſtellæ actionem excluderet: qui terram illam ad feodum regni Hiſpaniæ aſſeruit pertinere.

Otho capitur.

Anno 1240. Fredericus imperator Romipetis ponens inſidias, Iacobum Preneſtinum Epiſcopum de Francia, & Othonem diaconum Cardinalem de Anglia ad curiam reuertentes capi fecit, & in cuſtodia detineri.

Gregorius Papa cum conſilium teneri voluiſſet, captis per diuerſas partes prælatis ab Imperatoris fautoribus à ſuo propoſito impeditur. Inter quæ mala ad extremá horam veniens in domino obdormiuit.

Edmundi mors.

Beatus Edmundus Cãtuarienſis Archiepiſcopus in Galliis apud villam de Soyſi præſentem miſeram vitam exuens: ad æternæ viriditatis paſcua introiuit.

Anno 1241. rex Angliæ capſam auream pro reponendis exuuiis ſanctiſſimi regis & confeſſoris Edwardi in eccleſia Weſtmon. fecit parari.

Soror Arthuri moritur.

Alphonſus frater regis Franciæ Comes Pictauienſis efficitur. Soror Arthuri apud Briſtollum obiit: vbi cum annis multis duxiſſet vitam cœlibem, randem moriturа corpus ſuum inter Sanctimoniales Ambreſtberiæ ſepeliendum legauit. Quibus annuente rege manerium de Molkesham cum pertinentiis ſuis dedit.

Anno 1242. Richardus frater regis Angliæ cum comite Wilhelmo de longa ſpata reuertitur de terra ſancta.

Prælium inter reges Angliæ & Franciæ.

Lodowicus Francorum Rex Hugonem Brouñ Comitem Marchiç qui matrẽ regis Angliç duxerat in vxorem, infeſtauit propter homagium Alphonſo Pictauienſi Comiti denegatum. In cuius ſubſidium transfretans rex Angliæ vna cum Richardo fratre ſuo Cornubienſi comite, Comitatumque Pictauiæ ex donatione patris vendicante iuxta Sanctonas cum rege Franciæ pugnam commiſit. Videns vero Pictauenſes à ſe deficere, quorum fiduciis ad illas partes acceſſerat, prçlio ſe ſubtrahens in quoddam caſtrum ſe recepit. Vrbem namque Sanctonas ſibi infidam præſentiens, vtpote quæ ſtatim poſt pugnam regi Francorum ſe reddidit, ingredi recuſauit. Cecidit in hoc tumultu miles illuſtris Gilbertus de Clare aliique nonnulli. Exercitus etiam Francorum rege ſuo infirmato, ingraueſcenteque penuria victualium, ad propria remeauit.

Anno

Anno 1243. Henricus rex Angliæ munitiones quaſdam in Waſconia rebellantes ſubegit. Inter quas erat caſtrum de Viterna.

Templarii in Acon hoſpitalarios etiam perſequentes crudeliter, treugas cum Soldano Babiloniæ per Richardum fratrem regis Angliæ initas, in eorum infregerunt odium cum Soldanis aliis vt dicitur fœdere ſociati.

Anno 1244. Dauid princeps Walliæ ex ſorore nepos, Innocentio Papæ ſuggeſſit principatum Walliæ ad eccleſiæ Romanæ ſcodum pertinere, ſeque de rege Angliȩ tenere compulſum iniuſte. Propter quod ſcripſit ſummus Pontifex Abbati de Albertoun ſuper hoc negotio. De quo plenius informatus, ſub diſſimulatione rtanſiuit.

Saraceni Chriſtianos cædunt. Soldanus Babiloniȩ ſuper treuga interrupta grauiter indignatus, conductis Coraſinis qui inter Saracenos pugnatiores putantur chriſtianos bello aggreditur, ac de eis multitudinem magnam cruentiſſima cæde ſtrauit. In quo prælio, tam Prior hoſpitalis quam magiſter militiæ Templi, ab hoſtibus captiuantur, Saracenique ciuitatem Ieruſalem ſepulchrumque dominicum deſtruxerunt.

Natus eſt regi filius 2. & dictus eſt Edmundus.

Lugdunenſe concilium. Anno 1245. Innocentius Papa celebrauit conſilium apud Lugdunum. Ad quod miſſi ſunt per regem Angliæ de conſilio prælatorum, comitum & Baronum viri nobiles 4. dato eis aduocato magiſtro Gulielmo de Powyke, vt conceſſioni regis Iohannis de cenſu annuo pro Anglia & Hybernia contradicerent, eo quod de regni aſſenſu nõ proceſſerat. Sed & per Cantuarienſem Archiepiſcopum fuerat reclamatum vice totius regni. Sed Papa hoc indigere moroſa deliberatione reſpondens, negotium poſuit in ſuſpenſo.

Itali eccleſiæ opima occupant. Prælati Angliæ hoc anno, conqueſti ſunt regi de oppreſſione eccleſiæ Anglicanæ, cuius prouentus omnes & redditus Italici occupabant. Propter quod magiſtro Martino domini Papæ conſanguineo, qui maior inter cæteros, aliorumque tutor in huiuſmodi negotiis videbatur & defenſor, vt regnum indilate euacuet, regio mandatur edicto.

Richardus frater regis Angliæ (defuncta priore vxore, Iſabella relicta quondam Gilberti de Clara, de qua filium genuerat Henricum nomine) tertiam filiam comitis Prouinciæ nomine Seuchiam accepit vxorem.

Edmūdus Cant. canonizatur. Anno 1246. Beatus Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ab Innocentio canonizatur Lugduni. Carolus frater regis Franciæ Andegauenſium obtinet ciuitatem.

Papa deglubet clerum Anglicanum. Anno 1247. Eccleſia Anglicana pro releuamine ſtatus ſui, 11. millia marcarum domino Papæ ſoluit.

Anno 1248. Rex Franciæ in terram ſanctam proficiſcens, & per Lugdunum tranſiens à domino Papa literas prohibitorias ad regem Angliȩ, ne terras ſuas inquietaret peregrinationis tempore impetrauit.

Paſſus dominicus colitur. Anno 1249. paſſus dominicus per quendam fratrem de ordine prædicatorum allatus in Angliam, repoſitus eſt in conuentu ordinis eiuſdem apud Briſtoll. Quem rex Henricus à fratribus præſentatum contulit eccleſiæ Weſtmon. vbi vſque in præſens veneratione habetur.

Damiata recuperatur. Rex Francorum cepit Damiatam & in ea æſtatem peregit, menſe vero Nouembri procedens ad ciuitatem Maſſoram eam obſedit, vbi de exercitu chriſtiano per Saracenos plurimi occiduntur.

Rex Francorum capitur à Saracenis. Anno 1250. Rex Francorum exercitu ſuo in obſidione Maſſoræ peſte laborante & fame, dum Damiatam reuertitur, ſuperueniente Saracenorum exercitu in itinere captus eſt, cum duobus fratribus ſuis Alphonſo Pictauenſi, & Carolo Andegauenſi comitibus, multiſque aliis viris nobilibus. Robertus vero Attrabatenſis comes, tertius frater regis ſubmergitur fugiendo. Multi etiam prælio decertando occiduntur, de quorum numero erat Gulielmus de longa ſpata, Comes Sariſburienſis qui viriliter dimicando cecidit, aggrauata manu hoſtium ſuper eum.

Abbatiſſæ ſomnium. Abbatiſſa de Lacok fœmina magnæ ſanctitatis, quæ mater erat Gulielmi de longa ſpata nocte pręcedente diem quo filius eius interfectus eſt, vidit cœlos apertos, & filium ſuum armatum ab Angelis eleuatum cum gaudio introire. Huius Gulielmi filiam vnicam & hæredem duxit Henricus de Lacy comes Lincolniæ, Sariſburienſem cum eadem accipiens comitatum.

Rex Francorum liberatur. Rex Francorum procurante regina Blanca matre eius, cui cuſtodiam reliquerat, dato pretio & reſtituta Damiata Saracenis, liberatur, vna cum fratribus & aliis concapti-

concaptiuis. Qui remiſſis in Franciam fratribus transfretauit in Acon, cuius muros ac ciuitatum Ioppe & Sidonis reparans in terra illa per quinquennium moram fecit.

Anno 1251. Paſtores in Francia coadunata multitudine, dicebant ſe Anglica viſione monitos, vt proficiſcerentur in terram ſanctam contra Saracenos & incredulos pugnaturi. Tranſeuntes vero Pariſiis, venerunt Bituricas, vbi ſuborta diſcordia cũ ciuibus fit conflictus, & multis occiſis reliqui diſperguntur.

Paſtorum viſio in Francia.

An. 1252. Papa Innocentius ſtatuit vt Cardinales capellis rubeis vterentur.

Magiſter Albericus domini Papæ Notarius mittitur ab eodem ad Richardum fratrem regis Angliæ offerens ei regnum Apuleæ, quo priuauerat Fredericum vnà cum imperio. Sed Richardo comite negotium differente, ſuperuenienteq; cito poſt morte Papæ, non eſt res ſortita effectum.

Papa offert regnum.

A primo die Martii vſque ad aſſumptionem beatæ Mariæ, in Anglia nulla cecidit pluuia ſuper terram.

Pluuia defectus.

Anno 1253. Henricus rex Angliæ ad inſtantiam prælatorum, comitum & Baronum chartas duas, vnam de libertatibus quæ magna, & aliam quæ dicitur de foreſta conceſſit.

Henrici charta.

In partibus Angliæ quæ dicitur Hollande & Holderneſſe aluuione maris inſolita, magna terræ portio cum domibus & earũ habitatoribus eſt deleta. Moritur Robertus Epiſcopus Lincolnienſis, qui cognominatus eſt à pluribus groſſum caput.

Damnum ex inundatione maris.
Roberti Groſſed mors.

Anno 1254. Henricus Rex Angliæ cum regina Alienora transfretans in Waſconiam, Edwardum filium ſuum primogenitum cum iam eſſet annorum quindecim, tranſmiſit ad Aldefonſum regem Caſtellæ, vt cum nobili puella Alienora eiuſdem regis ſorore iniret connubiũ. Quem Aldefonſus rex (ad ciuitatẽ Hiſpaniæ, quæ vulgo Bures dicitur) venientem, cum gaudio & honore ſuſcipiens militaribus armis cinxit. Et nuptiarum celebratis ſolemniis, valde honoratum cum vxore ad patrem remiſit.

Edvvardus Alienoram ducit.

Anno 1255. Comites & Barones Angliæ, aſſentientibus prælatis, denuntiari fecerunt per ſingulos comitatus, vt chartæ de libertatibus & de foreſta inuiolabiliter obſeruentur. Ad quorum inſtantiam Archiepiſcopus Bonifacius de Sabaudia reginæ Angliæ conſanguineus, ſententiam excommunicationis tulit in omnes earum ſpontaneos tranſgreſſores.

Chartæ Henrici executio.

Lewlinus princeps Walliæ cum manu valida intrauit comitatum Ceſtriæ, quem rex nuper Edwardo filio contulerat, & omnia cæde atque incendio vſque ad portas vrbis Ceſtriæ deuaſtauit, & fecit hominum magnam ſtragem. Hoc anno puer quidã chriſtianus nomine Hugo à Iudæis Lincolniæ captus eſt, & in opprobrium Chriſti nominis crudeliter eſt crucifixus.

Levvlinus Ceſtriam vaſtat.
Iudæorum ſcelus.

Anno 1256. Alexander Papa magiſtrum Gulielmum de ſancto Amore canonicũ Beluacenſem ſuumq; capellanum propter perſecutionem iniuſte commotam cõtra religioſos mendicantes, & præcipue prædicatores, Anagninæ condemnauit, priuans eum capellanatu ſuo, & omni beneficio eccleſiaſtico habito & habendo. Libellum etiam de mundi periculis intitulauit, in quo contra ordines pauperum multipliciter inuehit reprobans, in Eccleſia Cathedrali comburi fecit, excommunicans omnes qui retinent librum illum. Cæteros etiam magiſtros per dictum Gulielmum cõcitatos coegit fratres ad pacem recipere, & ſecundum legem charitatis tractare.

Papa ſeueritas in Capellanum ſuum.

Anno 1257. Richardus frater regis Angliæ Comes Cornubiæ in Alemanniam tranſiens, Aquiſgrani in regem Romanorum ſolemniter eſt coronatus.

Richardus rex Romanorum coronatur.

Rex Angliæ filio ſuo Edwardo, Waſconiam, Hyberniam, villamque Briſtolli dedit.

Anno 1258. Rex Angliæ parliamentum Oxoniam cõuocat, ad quod conueniẽtibus Prælatis, comitibus & Baronibus, facta ſunt ſtatuta, quæ vſque in præſens prouiſiones Oxoniæ appellantur. Ad quas inuiolabiliter obſeruandas rex coactus eſt corporale præſtare ſacramentum, cum omnibus fere poſt iurantibus illud idem. Aymerus autem Wintonienſis electus, Gulielmus de Valenciis, Guido & Galfridus de Lizenim fratres regis vterini nolentes iurare cum aliis diſcedunt, inſequentibus eos aliquibus Baronibus, ſed illi cum equis & armis mare verſus Gallias tranſeunt indilate.

Prouiſiones Oxonia.

Anno 1259. Rex Anglorum transfretans in Gallias, à rege Francorum petiit reſtitutionẽ terrarũ ſibi ac patri ſuo iniuſte ablatarum per auum eius Philippũ, & patrẽ Lodowicum, & ab ipſo iniurioſe hactenus detentarum. Sed Gallicis multa contra regem Anglorum allegantibus, & ſpecialiter donationem Normanniæ antiquam

non

non fuiſſe ſpontaneam:ſed per primum ducem Rollonem à rege Francorum vi extortam,nec regi Anglorum tutum videbatur iam prælio decertare,cum ſui in procinctu eſſent inſurgendi contra eum,pacem ſubſcriptam quodammodo compulſus admiſit.Solutis namque ſibi à rege Francorum 300.millibus librarum paruorum Turonenſium , promiſſaq; reſtitutione terrarum ad valorem 20. millium librarum annui cenſus,omnibus terris in manu regis Francorum exiſtentibus reſignauit plene & pure.Exinde vero literarum ſuarum abbreuiauit titulum , vt nec ducem Normanniæ, nec Comitem Andegauiæ deinceps ſe vocaret.

Rex Normanniam reſignat.

Iuſticiarii Angliæ repulſi.

Anno 1260.Iuſticiarii regis Angliæ qui dicuntur itineris, miſſi Herefordiã pro ſuo exequendo officio repelluntur , allegantibus hiis qui regi aduerſabantur , ipſos contra formam promiſſionum nuper Oxoniæ factarum veniſſe.

Anno 1261. Alexandro Papæ ſuccedit Vrbanus natione Gallicus de ciuitate Trecenſi.

Oxonii promiſſiones reuocata.

Rex Angliæ impetrata à domino Papa abſolutione iuramenti, quod pro obſeruandis promiſſionibus Oxoniæ inuitus præſtiterat, multos earum articulos publice reuocauit.

Anno 1262.Princeps Walliæ regis Angliæ aduerſarius, cæpit in terris Edwardi filii regis cædes & incendia exercere.

Anno 1263.Edwardus filius regis Angliæ,cum collegiſſet exercitum copioſum contra principem Walliæ,& ille ad nemorosa & paluſtria fugiens copiam pugnæ non faceret,à patre ſuo in Angliam reuocatur.

Simonis prædatio cum Baronibus.

Simon Leiceſtriæ Comes capitaneus Baronum contra regem inſurgentium factus,prædari cæpit bona regi adhærentium,& præcipue eorum qui reginæ attinentes, per eam introducti fuerant in Angliam,quos alienigenas appellabant.

Quidam Baronum de parte Herefordenſem epiſcopum Petrum natione Burgundum in eccleſia ſua cathedrali captum duxerunt ad caſtrum de Erdéſleya, Theſaurum ſuum inter ſe pariliter diuidentes. Deinde duce Simone comite, progreditur exercitus Glouerniam,cuius caſtri cuſtodia , fideliſſimo Militi Matthiæ de Beſſilles fuerat per regem commiſſa.Occupata villa,cum caſtro dantes inſultum Barones portam primam verſus vrbem confregiſſent,Matthias vt ſibi eſſent auxilio , incarceratos diſſoluit. Quorum proditione cum ex altera parte caſtri ingreſſus eſſet patefactus, Matthias in turrim confugit,vbi & captus eſt,& abductus quo volebant.

Glouernia capta.

Exinde comes Wigorniam accedens illam cepit,inde Brugiam obſedit & cepit, deinde proficiſcitur comes ad partes regni auſtrales.

Regina male tractatur à plebe.

Rex interim & regina Londoniis morabantur,quæ cum ſe transferre volens ad Caſtrum de Windeleshores per flumen Thamiſis in ſcapham aſcenderet, multitudo ciuitatis plebeia , ad pontem ſub quo tranſitura erat congregata, conuitia & maledicta confuſo clamore congeſſit , & iactu luti & lapidum ad turrim reuerti coegit.

Igitur ſub iſtis conditionibus inter regem & comitem pax formatur. Vt inprimis Henricus regis Alemanniæ filius,qui tunc parti comitis contra regem adhærens captus fuerat & in cuſtodia detentus,liberetur. Deinde vt Caſtra regis omnia per totam Angliam Baronum cuſtodiæ traderentur. Item vt prouiſiones Oxoniæ inuiolabiliter obſeruentur.Item quod omnes alienigenæ,infra certum tempus regnum euacuarent,exceptis hiis,quorum morã fideles de regno vnanimi aſſenſu acceptarent. Poſtremo vt indigenæ regno fideles,& vtiles negotiis regni:de cætero ſub rege diſponerent.Sed hiis non obſtantibus: milites quidam de parte regis caſtrum de Windeleshore victualibus & armis muniernnt.

Pax inter regem & comitem.

Edwardus filius regis ad Caſtrum Briſtolli venit:vbi inter milites ſuos & villanos ſuborta diſcordia,auertitur ab eo villa,iam parans obſidionem ponere circa caſtrum. Quod aduertens Edwardus, Walterum Wigornienſem Epiſcopum qui partem baronum fouit,accerſiri fecit,vt in eius conductu,patris adiret curiam , ſpondens ſe patri & eius conſilio ea quæ pacis erant efficaciter ſuadere.Profectus igitur cum epiſcopo,cum appropinquaret Caſtro de Windeleshores, ingreſſus eſt illud. Quod ſuſpectum habens Epiſcopus male tulit. Comiti autem Simoni cum ſibi adhærentibus volenti Caſtrum obſidere, Edwardus accurrit quaſi media via citra villã de Kyngeſtone, pacis offerens tractatum eidẽ. Sed Comes fretus cõſilio præfati epiſcopi Walteri, Edwardum propoſito fruſtratum redire volẽtem detinuit. Redditumq; eſt Caſtrum de Windeleshores Comiti,conceſſa cuſtodibus eius ad recedendum cum ſuis omnibus,

quo

quo volebant libera poteſtate. Alienigenis etiam volentibus tranſito mare redire ad propria, ſaluus datur conductus.

Leolinus vaſtat Ceſtriam.

Leolinus Princeps Walliæ Comiti Simoni confœderatus, Comitatum Ceſtriæ & Marchiam eius interim deuaſtauit, & duo caſtra Edwardi, Diſſard & Gannok ſolo tenus complanauit.

Poſt hoc Parliamentum Londini conuocatur, in quo multi, qui hactenus Comiti adhæſerant, ad partem Regis ſe transferunt. Inter quos præcipuus erat, Henricus de Almannia, Richardi Regis Romanorum de prima vxore filius. Et tunc poteſtas regia cœpit aliquantulum reſpirare.

Leiceſtria Comes oblatam pacem reſpuit.

Anno 1264. S. Lodowicus Francorum Rex Anglicani regni deſolationi compatiens procurante Archiep. Bonifacio, qui Regis Angliæ & Comitis Leiceſtriæ proceſſus & geſta declarauit coram Rege & omni populo, in concordatorem amicabilem paciſq; arbitrium ſe venire promiſit. Sed Comes Leiceſtriæ ſe ſubtrahens, pacis negotium conquaſſauit. Ex tunc ergo cœpit Rogerus de mortuo mari, in rebus bellicis miles expertus Comitis Leiceſtriæ dominica deprædari. Contra quem Comes adiuncto ſibi Principe Walliæ progreſſus, caſtrum de Radnor obſedit & cepit.

Edvv. filius Regis Angliæ de Pariſijs regreſſus, quo transfretauerat ad parendum arbitrationi Regis Franciæ ſi Comes adfuiſſet, caſtra Comitis Hereſordiæ, Hay & Huntendon cepit. Caſtrum vero Breconiæ ſibi redditum, Rogero de mortuo mari cuſtodiendum tradidit cum territorio adiacente, multaque mala facta ſunt vtrobique.

Henrici deuotio.

Henr. Rex de Francia rediit, & perſonaliter adiuit Oxoniam, orationis gratia ad S. Fredeſvvidam. Armatus nempe fide recta, non veritus eſt ſuperſtitioſam opinionem illorum qui putant illicitum Regibus villam intrare, vltionem in eos virgine exercente. Ad quem cum veniſſet Edvvardus filius eius, coadunato exercitu, diſpoſuit hoſtes in manu valida propulſare. Interim Londonienſes Iuſticiarios Regis ac Barones de Scaccario capientes, carceri manciparunt.

Northamptona capitur.

Rex vero habens ſecum illuſtres Principes Rich. germanum ſuum regem Alemanniæ & filium ſuum Edvv. Gulielmumq; de Valentijs fratrem vterinum, clariſſimoſq; milites Ioh. Comyn de Scotia cum multitudine Scotorum, Ioh. de Baliolo dominum Galvvide, Rob. de Brus dominum de valle Anandiæ, Rog. de Clifford, Phil. Marmiomy, Ioh. de vallibus, Rog. de Leiborne, Henr. Percey, Phil. Baſſet, Rog. de mortuo mari, cum exercitu progrediens, villam Northamptoniæ obſedit & cepit, & in illa milites vexilliferos 15. ſ. Simonem minorem, Gul. de Ferrarijs, Petr. de Monte forti, Baldevvinum VVake, Adam de nouo Mercato, Rog. Bertrandi, Simonem filium Simonis qui primo vexillum contra Regem erexerat, Beringarium de VVateruile, Hugonem Gubins, Tho. Manſell, Rog. Burtuileyus, Nich. VVake, Rob. Nevvinton, Phil. de Dryby, Grimbaldum Pauoſuont. De quibus Simonem minorem ad caſtrum de VVindeleshores, reliquos ad alia caſtra tranſmiſit captiuos. Capti ſunt & milites minoris gradus circiter 40. ſcutiferiq; pauci. Perrexit inde Rex verſus Nottingham, Maneria Baronum cæde vaſtans & incendijs. Vbi auctus eſt ſuus numerus vehementer. Tandem illatis hinc inde multis malis, peruenit ad Levvys, vbi Rex ipſe receptus eſt in Prioratu, & filius eius in caſtro.

Bellum ciuile.

Appropinquantes Comites & Barones ad villam de Levvys in manu armata regios ſatellites, qui pro quæritando equorum pabulo egreſſi fuerant inuadentes plurimos peremerunt. Præmonitus ergo Rex de aduentu repentino Comitum & Baronum, obuiam pergit cum exercitu in 3. partes deuiſo. Quarum primę præerat Edvvardus Regis primogenitus, cum Gulielmo de Valentijs Penbrochiæ, & Iohanne de Warenna, Sutrey & Southſex. Comitibus. Secundæ, Rex Alemanniæ cum filio ſuo Henrico. Tertiæ vero, Rex ipſe Henricus. Baronum vero acies in 4. diuiſa erat acies. Quarum primæ Henricus de monte ſorti, cum Comite Hereſordiæ. Secundæ Gilbertus de Clare, cum Iohanne filio Iohannis, & Gul. de monte Camiſij. Tertiæ in qua erant Londinenſes Rich. de Segraue. Quartæ ipſe Comes Simon cum Tho. de Pelucſton præfuerunt. Edvvardus igitur & acies ſua cum tanto impetu in hoſtes irruit, vt eos retrocedere cogeret. Quorum multi ſubmerſi ſunt, vſque ad numerum 60 militum, vt quidam dicunt. Londonienſes etiam in fugam verſi ſunt. Quos dum Edvv. inſequitur ad ſpatium 4. miliarium grauiſſimam cædem inferendo, à reliquo exercitu ſeparatus, diminuit robur eius. Interim de acie Regis occiſi ſunt plurimi. Captiq; Rex Alemanniæ, Rober. de Brus, & Ioh. Comyn qui Scotos adduxerant. Rex etiam Henr. dextrario eius occiſo captus, & in Prioratu adhibita cuſtodia eſt recluſus. Reuerſus Edvv. graui prælio excipitur, fugeruntq; Comes de VVarenna, Gul. de Valentijs, Guido de Lizniaco fratres Regis vterini, Hugo Bigod cum militia quæ ad 40. loricatos

Henricus rex capitur.

Rr ascen-

Digitized by Google

aſcendit, omnes ad caſtrum de Peueneſey tendentes. Cum autem & hinc & inde multi corruiſſent, Edw. villam circumiens, cum patrem non inueniſſet in caſtro, prioratum ingreſſus peruenit ad eum. Interim dato inſultu ad caſtrum, cum incluſi viriliter ſe defenderent, ſubtrahunt ſe Barones. Edwardus audacia Caſtrenſium animatus, recollectis ſuis voluit iterum præliari. Quo cognito miſerunt Barones mediatores pacis, promittentes ſe in craſtino velle de pace tractare cum effectu. In craſtino diſcurrentibus inter partes fratribus prædicatoribus & minoribus, ſic actum eſt, vt feria ſexta ſequente Edw. & Henricus pro patribus ſuis Regis Angliæ & Alemanniæ ſe Comiti Simoni traderent, ſub ſpe pacis & quietis. Ita vt cum deliberatione tractaretur, quæ prouiſionum & ſtatutorum eſſent, pro vtilitate regni tenenda, & quæ delenda. Et quod interim hinc inde captiui abſque vllo pretio redderentur. Sequenti Sabbato Rex omnes qui ſibi adhæſerant, licentiauit ad propria. Scripſitque de voluntate Comitis Simonis his, qui erant de munitione de Tunbrigge, quod redeuntes ad ſua Barones nullatenus moleſtarent. Sed illi hoc non obſtante, armati procedentes, Londonienſes qui de bello fugerunt, receptos apud Croydon, illuc properantes, multis peremptis, eorum ſpolia abſtulerunt. Exinde tendebant vſque Briſtollium, vbi ad liberationem Edwardi in præſidio remanſerunt.

Caſtrum Doueriæ redditum.

Anno 1266. caſtrum Doueriæ redditum eſt Edw. in quod Guidonem de monte forti tranſtulit, ſub cuſtodia detinendum. Cuius cuſtos corruptus ipſum poſt Paſcha liberum dimiſit mare tranſiens cum eodem. Guido vero partes Tuſciæ adiens, adhæſit Ruſo Comiti. Cuius fauorem propter militiæ probitatem in tantum adeptus eſt, vt filiam ſuam & hæredem ſibi daret in coniugem. Simon vero frater eius ſenior, paulo ante tempore quadrageſimali euadens è carcere, transfugit in Gallias.

Rex in ſingulis ciuitatibus capitaneum vnum conſtituit, qui vna cum vicecomite, prædonum (qui plurimum abundabant) violentias coerceret.

In vigilia Pentecoſtes Rob. de Ferrarijs Comes de Derby, captus eſt per milites regios, ſocijs quos ad prædandum acciuerat per fugam diſperſis.

Exhæredatorum quidam, inſulam de Axiholm occupantes per dominum Edmundum fratrem Regis ad deditionem coguntur.

Miles quidam in partibus Windon. Adam dictus cognomento Gurdonn exhæredatus cum cæteris qui Simoni Comiti adhæſerant, ad pacem Regis venire renuens, iuxta viam inter villam de Aulton, & caſtrum de Farnham, locum ſcilicet prædonibus opportunum, cum ſuis reſedit patriam rapinis infeſtans, & terras illorum qui parti regiæ adhærebant. Cuius vires & probitatem ex fama cognitas Edwardus regis filius experiri cupiens, cum manu forti ſuperueniſſet eidem ſe ad pugnam præparanti, præcepit Edwardus, ne quis inter eos impediret ſingulare certamen. Congreſſi itaque mutuos ictus ingeminant, pariq; ſorte neutro cedente alteri, diutius dimicant. Delectatus tandem Edwardus virtute militis, inter pugnandum conſuluit vt ſe redderet, vitam pollicens & fortunam. Cui miles adquieſcens, abiectis armis ſe illico reddidit, quem eadem nocte Guildfordiam Edwardus tranſmiſit regiæ Maieſtati cum recommendatione ſupplici præſentandum. Quem ex poſt hæreditati reſtitutum, Edwardus ſemper charum habuit atque fidum.

Eodem anno multi de exhæredatis caſtrum de Kenelvvorth ingreſſi victualibus munierunt & armis, diſponentes defendere illud contra Regem. Rex illuc properans in craſtino S. Iohannis Baptiſtæ obſidionem poſuit circa caſtrum. Qua durante Rex duodecim perſonas fecit eligi, quibus commiſit vt prouidendo paci Regis & regni, in exhæredatos ſententiam moderarent, iureiurando ſpondens, ſe eorum ordinationem per omnia ſeruaturum. Conuenientes igitur perſonæ electæ apud Couentreiam, vnanimi decreuerunt aſſenſu, vt exhæredati pœna pecuniaria ſuas hæreditates redimerent, ab his qui eas occupauerant dono Regis. Ita tamen quod hæc redemptio, prouentus hæreditatum in ſeptennium non excederent, nec vnius anni prouentibus minor eſſet. Sed inter hos taxaretur terminos, ſecundum quantitatem delicti. Ab hac tamen redemptione filij Simonis Comitis, & Robertus Comes Derby, quorum exhæredationem cenſuerunt fore perpetuam, excluduntur. Qui autem modo prætaxato mulctandi, pecuniam ſic taxatam, id eſt, redemptionem ſoluere nequirent, terras ſuas in manu poſſeſſorum relinquerent, quouſque de earum fructibus redemptio leuaretur.

Exhæredatorum redemptio.

Kenelvvorth caſtrum redditum.

Caſtrum de Kenelworth ante natale Regi Angliæ redditum eſt, penuria victualium compellente, vita & membris & ſuppellectili neceſſaria his qui tenuerant illud ſaluis.

Rebellio exhæredatorum.

Anno 1267. quidam exhæredatorum in Anglia, non ferentes ordinationem de redēptione hæreditatum apud Kenelworth factam, quorum Princeps & Capitaneus erat Ioh. de Ciuile, cum cepiſſent ciuitatem Lincoln. & ſpoliaſſent Iudaiſmum, Mediam pene inſulam

lam Elienſem occupant contra regem. Quorum egreſſum & impetum cum rex plurimum impendiſſet, Edwardus filius regis factis ex cratibus, & tabulis pontibus in locis opportunis, prout eum incolæ regionis illius inſtruxerant, inſulam cum ſuis militibus eſt ingreſſus. Cui quidam ſe dediderunt, alijs fugiendo diſperſis.

Dum hæc aguntur comes Glouerniæ infidus regi, collecto exercitu in Wallia in fauorem exhæredatorum Londonias adijt, & occurrente ſibi Ioh. de Ciuile cum magna manu complicum ſuorum, ciuitatem fauentibus ciuibus occupauit. Moxque legato qui turrim pro hoſpitio habuit, mandauit comes per nuncios, vt eam ſibi redderet indilate. Et vt hoc maturaret facere, interdixit ne quis ei victualia venderet quouis modo. Legatus diſſimulato negotio à turri diſcedens, prædicaturus crucem procedit ad eccleſiã S. Pauli. *Glouerniæ comes turrim occupat.*

Poſt paucos dies comes regi reconciliatur, per mediationem Rich. regis Romanorum, ac illuſtris militis Philippi Baſſet, poſita pœna 10. millium marcarum, ſi comes in poſterum aliquem tumultum commoueret.

Circa feſtum S. Michaelis Rex cum magno exercitu venit Salopiam contra Principem Lewlinum, qui partem comitis fouerat contra regem. At ille miſſa legatione rogauit ea quæ pacis ſunt, concedens regi 32. millia librarum ſterlingorum pro pace habenda. Sicq; interueniente legato Octobono, reſtituta eſt Principi terra 4. Cantredorum, quam rex ei abſtulerat iure belli. *Pax inter Lewlinum & regem.*

Anno 1268. Octobonus Legatus London conuocans conſilium, multa ſtatuit ad reformationem eccleſiæ Anglicanæ. Non multo poſt cruce ſignatis apud Northamptonam filijs regis, Edwardo, & Edmundo, ac comite Glouerniæ, cum multis nobilibus ad curiam eſt reuerſus.

Edwardus S. Lodowico Francorum regi impignorat Waſconiam, accipiens ab eo pecuniam neceſſariam pro itinere terræ ſanctæ.

Corpus beati Edwardi regis & confeſſoris inſtante rege Angliæ in feretrum aureum quod ei parauerat, eſt tranſlatum. *Tranſlatio corporis Edwardi.*

Iohannes de Warenna comes Surrey, Alanum la Sonche regis Iuſticiarium in Aula Weſtmon. ſubortis inter eos verbis manu propria interfecit. *Iuſticiarius in Aula Weſtm. caſus.*

Hoc anno rex Angliç in Octauis S. Martini Parliamentum tenuit apud Marleberge, in quo de aſſenſu Comitum & Baronum, edita ſunt ſtatuta, quæ de Marleberge vocantur.

Anno 1269. S. Lodowicus rex Francorum, non territus præteritis laboribus & expenſis, quas fecerat vltra mare magnum, iterato cum filijs duobus, adiuncto ſibi rege Nauarriæ & quamplurimis eccleſiarum Prælatis & Baronibus, pro recuperatione terræ ſanctæ iter Ieroſolymitanum capere maturauit. Verum ad hoc vt terra ſancta facilius recuperaretur, incidit illis conſilium, vt Tunicium regnum, quod in medio conſiſtens, non paruum dabat transfretantibus impedimentum, primitus Chriſtianorum ſubijcerent poteſtati. Applicantes igitur in regno Tunicij portum, & Chartaginem ad paruum redactam oppidum iuxta Tunicium de facili occuparunt. *Lodowvici expeditio ad terram ſanctam.*

Hoc anno 6. Idus Aprilis Edmundus filius Regis duxit vxorem filiam Gulielmi de alba Marla, comitis de Holderneſſe nomine Auelinam, quæ hæres erat hæreditatis, & etiam materna ratione comitatum Deuoniæ & vectæ inſulæ dominium fuerat habiturus. Sed cum tota prole mortem parentum præuenit.

Anno 1270. Edwardus filius Regis Angliæ cum Edmundo germano ſuo, alijſq; nobilibus pluribus, iter peregrinationis in terram ſanctam arripuit, menſe Maio.

Menſe vero Auguſto inualeſcente peſte in exercitu Chriſtiano, multi mortis debitum perſoluerunt. Inter quos beatus Lodowicus Francorum rex Chriſtianiſſimus in craſtino S. Bartholomæi Apoſtoli, de regno temporali tranſiuit ad æternum. *Lodowvicus moritur in terra ſancta.*

Edwardus filius Regis Angliæ cum ſua comitiua ſaluus peruenit Tunicium, vbi licentiato conſanguineo ſuo Henrico de Almannia volente redire in Angliam, vela ſua direxit in Acon, illucq; poſt quindenam Paſchæ deuenit. Quo niſi aduenisſet, infra 4. diem ab aduentu ſuo, fuiſſet vt dicebatur, vrbs reddita Saracenis. *Edwardus nauigat Acon.*

Quidam Mercatores Veneti apud Edwardum accuſati, quod Saracenis arma & victualia detuliſſent, comperta veritate ſecundum ſua merita puniuntur. Soldanus vero Babyloniæ qui ciuitatem Acon ceperat oppugnare, cum exercitu reuertitur ad propria, ſpe fraudatus. *Mercatorum Venetorum executio.*

Henricus filius Regis Romanorum tranſiens per Tuſciam, cum apud Viterbium miſſarum ſolemnijs intereſſet in eccleſia S. Laurentij, à Guidone de mõte forti occiditur. *Henr. occiditur.*

Richardus Rex Romanorum frater regis Anglorum 5. Nonas Aprilis apud caſtrum de Berkhamſted viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Cuius cor in eccleſia fratrum Mino-

rum Oxoniæ, corpus vero in eccleſia monachorum Ciſtercienſium de Hayles quam ipſe conſtruxit, impenſis proprijs ſepelitur.

Edvvardus vlam caſus.

Anno 1271. Edwardo filio regis in Acon commorante, Laſſatinus quidam qui ſæpius ad eum nuncius admiralli loppenſis venire conſueuerat, fingens ſe velle ei ſecreta quędam referre, omnibus à camera excluſis, ipſum ad feneſtram quandam appodiantem, ex improuiſo cultello occidit. In extractione vero cultelli violenta ſemetipſum in manu vulnerat, & in fronte. Vulnera vero eius graſſante veneno, mulris varijs adhibitis remedijs vix curantur.

Norvvicenſium ſcelus punitum.

Anno 1272. Menſe Auguſti, ciues Norwicenſes Prioratum monachorum inuadentes, combuſſerunt eccleſiam cathedralem. Super qua re indignatus admodum rex Henricus, ad vindictam malefactorum miſit illuc Iuſticiarium militem quendam dictum Thomam Triuet, qui & Iuſticiarius itineris fuit de corona. Vnde factum eſt vt vrgente mandato regio & horrore facinoris, magna multitudo conuicta de ſcelere tanto, ad caudas equorum tracta ſuſpendio iudicatur.

Henrici mors.

Henricus Anglorum Rex menſe Nouembri infirmitate correptus, in die S. Edmundi confeſſoris obdormiuit in domino, & apud Weſtmon. honorifice tumulatus eſt. Iſte Rex quantum in actibus ſæculi videbatur minus prudens, tanto apud dominum maiori

Henrici deuotio.

deuotione pollebat. Singulis namque diebus 3. miſſas cum nota ſolebat audire, & priuatim plures audire cupiens, aſſidue aſſiſtebat celebrantibus. Contigit autem aliquando S. Lodowicum Francorum Regem, cum eo ſuper hoc conferente dicere, quod non ſemper miſſis, ſed frequentius ſermonibus audiendis eſſet vacandum. Qui faceta vrbanitate reſpondens, ait ſe malle amicum ſuum ſæpius videre, quam de eo loquentem licet bona dicentem audire.

Henrici ſtatura.

Erat autem ſtaturæ mediocris, compacti corporis, alterius oculi palpebra dimiſſiore, ita vt partem nigredinis pupilli celaret, robuſtus viribus, ſed præceps in factis, in quibus tamen quia fortunatos & fœlices exitus habuit, putant eum multi apud Merlinum fatidicum per lincem deſignatum omnia penetrantem.

Edvvardus abſens, à ſuis proceribus ordinatur rex.

Cuſtodes regni rege abſente.

Comes Lancaſtriæ rediyt in Angliam.

Edwardus Regis Anglorum Henrici 3. ex Alienora filia Comitis prouinciæ primogenitus, ætatis ſuæ 33. annos & 5. menſes impleuerat die, quo patri ſuo defuncto, an. dom. 1272. in regno fuerat ſucceſſurus. Qui tempore quo pater defunctus eſt in terra ſancta commorans, obſequio crucis inſiſtebat. Propter quod, die proximo poſt patris ſepulturam, frater Rober. de Kilwardby, Cantuar. Archiepiſcopus, & Gilbertus Glouernienſis Comes cum alijs Prælatis ac regni proceribus, Londini apud nouum templum conuenientes, Edvvardum abſentem dominum ſuum ligeum recognouerunt, paterniq; ſucceſſorem honoris ordinauerunt, atq; de aſſenſu reginæ matris cuſtodes regni, miniſtroſq; fideles, qui regio fiſco præeſſent, & prouentus regni ad opus Regis noui ex integro reſeruarent, cuius pacem facerent per Angliam vbique proclamari. Eodem anno Edmundus frater Regis, Comes Lancaſtriæ, de terra ſancta venit in Angliam.

Edvvardus rex Siciliam venit.

Reſponſio regis ad Carolum, de morte patris ſui, & filij.

Anno 1273. Edvvardus in Acon, Chriſtianorum & Tartarorum auxilio diutius fruſtra expectato, relictis ad terræ defenſionem ſtipendiarijs nonnullis, naues repatriaturus ingrediens, curſu veliuolo Siciliam vſque peruenit, vbi à Rege Carolo ſuſceptus honorifice, primo rumores audiuit de morte filij ſui Henrici, ac poſtmodum de morte patris ſui. Qui dum mortem patris anxius quam filij ſui plangeret, à Rege Carolo vice conſolatoris aſſiſtente: plurimumq; mirante, ſuper hoc requiſitus, dicitur reſpondiſſe. Iacturam filiorum facilem, cum quotidie multiplicentur: parentum vero mortem fore irremediabilem, quia nequeunt reſtaurari. Denique Carolus diſcedentem Edvvardum conduci fecit per Carolum filium ſuum vſque ad vltimos terminos regni ſui. Cum autem ad veterem vrbem, vbi Papa cum ſua curia reſidebat, adueniſſet, occurrentibus ei Cardinalibus omnibus cum honore maximo ad domini Papæ præſentiam eſt deductus. Hic primo dictus Theobaldus Placentius Leodienſis Archidiaconus, deuotionis cauſa tranſierat cum domino Edvvardo in Acon, abſenſq; electus eſt in Papam, & Gregorius 10. appellatus.

Gregorius 10 electus.

Huic ſuper morte conſanguinei ſui Henrici de Alemannia anxiam depoſuit querimoniam, quem non modo in offenſam iuris humani conſtabat interfectum à Guidone de monte forti, dum miſſarum ſolemnijs aſſiſteret, ſed in contemptum eccleſiæ, & ſcandalum nominis Chriſtiani. Papa igitur his commotus, Guidonem excommunicauit, omneſque eum receptantes, & quouſque eccleſiæ ſatisfieret terras eorum ſuppoſuit interdicto.

Guido excommunicatus.

Rex venit Sabaudiam Torneamentum.

Ingreſſuro Sabaudiam occurrerunt ei prælati & proceres Anglicani, qua pertranſita, ad ludum militarem qui vulgo torneamentū dicitur per Kabilonenſem Comitē inuitatur. In quo cum ſuis ſe geſſit tam ſtrenue vt Comitem ſupradictum dedere ſe ſibi cogeret. Deinde venit Edvvardus in Franciam, & à Philippo Francorū Rege ſuſceptus magnifice, homa-

homagium fecit ei pro terris ſuis quas de eo tenebat, ſub conditione reſtitutionis terrarum patri ſuo in venditione Normanniæ promiſſarum. Poſt hæc in Waſconiam proficiſcitur ad compeſcendum nouos motus quorundam, quos Gaſco de Bierna concitauerat ad rebellionem. Cuius terras Edwardus cum exercitu potenter ingreſſus, ipſum in fugam coegit, & quodam forti caſtro receptum obſedit.

Rex Angliæ facit homagium regi Franciæ.
Gaſco de Bierna rebellis.

Anno 1274. Henricus Nauarorum Rex moritur, cuius vxor regina, poſtea nupſit Edmundo germano regis Angliæ, qui de ea tres procreauit filios, Primogenitum Thomam comitem Lancaſtriæ. Secundum Henricum de Lancaſtria Dominum Monumutæ. Tertium Iohannem, qui cum ſorore in Gallijs morabatur.

Mors regis Nauari.

Gaſco de Bierna à rege Anglorum obſeſſus, cum omnis iam via euadendi ſibi præcluderetur, & attenderet rem eſſe in foribus, vt ad deditionem cogeretur, ſuper negotio quod inter regem Edwardum & ipſum vertebatur, appellationem interponit ad Curiam regis Francorum. Cui deferens rex Edwardus nolens regem Francorum, quem nuper dominum ſuum pro terris ſuis in Francia recognouerat, contra ſe partem facere, diſſentientibus multis de ſuis, obſidionem amoueri iuſſit, miniſtris ſuis committens, vt in curia regis Francorum cauſam proſequerentur contra Gaſconem. In qua tandem iniurioſæ rebellionis conuictus per regem Francorum regis Angliæ adducitur voluntati.

Rex obſidet Gaſconem.
Appellatio Gaſconis ad regem Franciæ.
Gaſco rebellionis conuictus.

Edwardus rex poſtquam obſidionem dimiſerat, ordinatis pro articulo temporis rebus Waſconiæ in Angliam properauit, vbi à clero & populo cum gaudio receptus eſt & maximo cum honore.

Rex venit in Angliam.

Dominica infra octauas aſſumptionis virginis glorioſæ in eccleſia Weſtmonaſterienſi, vna cum Alienora conſorte ſua à fratre Roberto Cantuarienſi Archiepiſcopo inungitur in regem & ſolemniter coronatur. In craſtino coronationis ſuæ recepto à rege Scotorum Alexandro homagio, ipſum dimiſit ad propria plurimum honoratum.

Coronatio regis Edwardi 1.
Homagium regis Scotiæ.

Anno 1275. Gaſco de Bierna in Angliam veniens cum reſti circa collum, ad regis præſentiam eſt deductus, quem ad ſuam Rex miſericordiam recipiens, morte condonata in caſtro Wintoniæ per annos aliquot cuſtodiæ mancipauit. Qui tandem per regis gratiam liber dimiſſus ad propria, regi Angliæ ſemper in poſterum gratus extitit & fidelis.

Gaſco, condonatur de vita, & carceri mancipatur.

Rex Principem Walliæ, qui coronationi ſuæ licet inuitatus noluit intereſſe, vocari fecit pro homagio ſibi debito faciendo. Qui fingens ſe non auſum Angliam intrare, quibuſdam maioribus ſibi inſidiantibus pro ſecuritate ſua, filium regis, & Gilbertum Glouerniæ comitem Robertumque Burnell regis Cancellarium obſides poſtulauit. Quod Rex indigne ferens diſſimulato negotio Londonias acceſſit parliamentumque tenuit, vbi contra manum mortuam ſtatuta edidit, quæ vocantur ſtatuta Weſtmonaſterij prima.

Rex petit homagium à Principe VValliæ.
Statuta de mortua manu.

Poſt parliamentum Rex vt Principi Walliæ liberior ad ſe pateret acceſſus, Ceſtriam vſque progreditur, quæ in confinio Walliæ ſita eſt. Mittitque nuncios qui ab eo homagium exigant iterato. Quo mandatis regijs parere detrectante, Rex exercitum conuocat diſponens Principem expugnare.

Princeps VValliæ negat homagium.

Hoc anno populus ſoluit Regi quintam decimam partem bonorum quæ patri ſuo dicebatur conceſſa.

Quinta decima pars bonorum regi.

Anno 1276. comitiſſa Leiceſtriæ quæ marito occiſo cum ſuis in Galliam fugerat, & in domo ſororum de ordine prædicatorum apud Mountargys à ſorore viri ſui fundata morabatur, filiam ſuam tranſmiſit in Walliam Principi, ſicut patre puellæ viuente ſub certis pactis conuentum fuerat maritandam. Ducem vero itineris ac procuratorem negotij Aymericum filium ſuum germanum puellæ conſtituit, aſſignata eidem comitiua honeſta. Qui ſuſpectum habentes iter per Angliam, à littore gallico nauigantes ad inſulas Siluias, quæ terminos Cornubiæ è vicino reſpiciunt, deuehuntur, vbi à quatuor nauibus Briſtollienſibus ex inſperato ſuperuenientibus comprehenſi ad regis præſentiam deducuntur. Qui retenta puella honorifice in comitiua reginæ, Aymericum fratrem ſuum ſub cuſtodia libera detinuit, ſed ſecura.

Comitiſſa Leyceſtria mittit filiam ad Principem VValliæ.
Filia comitiſſa capitur.

Rex Angliæ de Ceſtria in Walliam progrediens cepit caſtrum quod dicitur Rodolanum, miſitque in Walliam occidentalem militem nobilem Paganum de Amirſiis, qui cuncta cæde incendioque vaſtauit.

Anno 1277. Wallenſes occidentales ad pacem regis Angliæ venientes Pagano militiæ regis in partibus illis capitaneo caſtrum de Stredewy cum adiacenti patria reddiderunt. Princeps etiam Walliæ videns ſe regi Angliæ non poſſe reſiſtere pacem petijt, & obtinuit ſub hac forma. Videlicet quod omnes captiui quos hactenus ratione regis Angliæ detinuit vinculis ſine calumnia liberarentur. Item pro pace beneuolentia regis habenda daret 50000. librarum ſterlingorum, quorum tamen ſolutio in voluntate & gratia regis

VVallenſes petunt pacem.
Conditiones pacis.

foret. Item quod terra quatuor Cantredorum ſine omni contradictione Regi Angliæ & ſuis hæredibus cum omnibus terris conquiſitis per Regem hominesq; regios, excepta inſula Angleſeia in perpetuum remaneret. Inſula enim Angleſeia conceſſa eſt Principi, ita quod ſolueret pro ea ſingulis annis Regi mille marcas, & pro ingreſſu quinq; millia marcarum daret. Et ſi Princeps ſine hærede de corpore ſuo moreretur, inſula illa in Regis Angliæ poſſeſſionem rediret. Item quod Princeps veniret in Natali Domini in Angliam ad Regem pro homagio faciendo. Item quod omnia homagia Walliæ remanerent regi præterquam quinq; baronum qui in confinio Snowdoniæ morabantur, ſe enim Principem conuenienter vocare non poſſet, niſi ſub ſe aliquos barones haberet. Item quod nomen Principis tantum haberet ad vitam ſuam, & poſt mortem eius quinq; prædictorum baronum homagia Regi Angliæ fierent, & ſuis hæredibus in æternum. Pro aſſecutatione iſtorum, tradidit Princeps decem obſides de melioribus Walliæ, & viginti meliores iurabunt, quod quandocunq; Princeps aliquem prædictorum articulorum infregerit, niſi admonitus ſe correxerit abalienabunt ſe ab eo, & eidem in omnibus quæ poterint hoſtes fient. Item præter hęc Princeps fratres ſuos quos læſit placabit: habuit enim tres fratres, quorum Owenum & Rodernum incarcerauerat, ſed tertius videlicet Dauid fuga lapſus multis annis in Anglia ſtetit. Cui Rex contulit in Wallia caſtrum de Denby cum terris ad valorem mille librarum annui redditus, inſuper & vxorem dedit filiam comitis Derby, quæ nuper alio viro fuerat viduata. Owenus ergo fauore regio liberatur à carcere, quem paulo ante fregerat. Rodericus fratrem fugiens in Anglia morabatur. Rex autem in occidentali Wallia apud Lampadernaur ad cohibendum irruptiones Wallenſes caſtrum ædificauit

Subſidium.

inſigne. In ſubſidium huius werræ conceſſa eſt Regi à populo viceſima pars bonorum.

Nuptiæ Principis Walliæ.

Anno 1278. Rex Angliæ filiam comitis Leiceſtriæ apud inſulas Siluias captam, Principi Walliæ vxorem dedit, nuptiarum ſolemnitatem impenſis proprijs agens, ſuaque ac Reginæ præſentia illas honorans.

Robertus Cant. factus Cardinalis.

Frater Robertus Cant. Archiepiſc. ad Cardinalatum aſſumptus, factus eſt Epiſcopus Portuenſis.

Iudæi pro tonſura monetæ in magna multitudine vbique per Angliam ſuſpenduntur.

Parliamentum.

Rex Parliamentum tenuit Glouerniæ in octauis S. Ioh. Baptiſtæ, in quo edita ſunt ſtatuta, quæ Glouerniæ appellantur. Rex in Galliam tranſiens reſtitutionem aliquarum terrarum obtinuit, non tamen omnes quæ in venditione Normanniæ promiſſæ fuerant

Obitus reginæ Caſtellæ.

patri ſuo. Obijt hoc anno Regina Caſtellæ mater Reginæ Angliæ, ad quam iure hæreditario poſt matris mortem deuolutus eſt comitatus Pontini.

Rex Scotiæ conſulit regem.

Rex Scotorum Alexander antequam Rex Angliæ tranſiret in Gallias, in Angliam veniens regem conſuluit de negotijs arduis terræ ſuæ. Putant eum quidam tunc ſuum feciſſe homagium, quod alij verius in craſtino coronationis Regis Angliæ aſſerunt eſſe factum. Impetrauit autem à Rege literas teſtificantes auxilium in werra Walliæ præſtitum, non nomine ſeruitij factum eſſe. Frater Iohan. Peckham fit Archiep. Cantuar. prouiſione domini Papæ.

Ioh. Peckham Archiep. Cant.

Anno 1279. frater Iohannes Peckham de ordine Minorum conſecratus à domino Papa in Archiepiſcopum Cantuarienſem venit in Angliam. Moneta Angliæ per tonſu-

Renouatio monetæ.

ram nimis deteriorata ex mandato regio renouatur. Obolus qui prius formam habebat ſemicirculi tanquam pars denarij in medio diuiſi, fit rotundus iuxta vaticinium Merlini dicentis: findetur forma commercij, dimidium rotundum erit. Illuſtris miles Rogerus

Ludus militaris.

de mortuo mari apud Kenelworth ludum militarem, quem vocant rotundam tabulam, 100. militum & tot dominarum conſtituit, ad quam pro armorum exercitio de diuerſis regnis confluxit militia multa nimis.

Anno 1280. Edwardus rex Angliæ de lapidibus pretioſis Iaſpidum quos ſecum attulerat de partibus gallicanis, patris ſui ſepulchrum apud Weſtmonaſterium fecit nobiliter honorari.

Dauidis rebellio.

Anno 1281. Dauid Germanus Lewelini Principis Walliæ, immemor beneficiorum Regis Angliæ qui eum promouerat, & contra fratrem perſequentem protexerat, concitauit pene totam Walliam ad rebellandum contra Regem, cepitq; proditioſe Rogerum de Clifford militem nobilem & famoſum, quem Rex fecerat Iuſticiarium totius Walliæ in caſtro ſuo de Hawardyn, dominica in ramis palmarum, & quoſdam milites eius volentes reſiſtere inermes occidit. Exinde reuerſus ad fratrem ſuum Principem collecto exercitu, vna cum eo Rodolanum venit, obſidionemq; poſuit circa caſtrum. His auditis rumoribus Rex in manu forti Walliam eſt ingreſſus, cuius aduentu cognito princeps Walliæ obſi-

obſidione ſoluta, longius ſe ſubtraxit. Interim captum eſt Caſtrum de Lampadernaur, & alia plura caſtra in illis partibus per nobiles Wallenſium hiis diebus. Eodem tempore precurante fratre Iohanne de Peckham Cantuarienſi Archiep. Aymericus de monte forti, quem rex in cuſtodia detinuerat liberatur, ſed cito poſtea defunctus eſt. Sub eodem tempore Cantuarienſis Archiepiſc. profectus in Snowdoniam principem Walliæ & germanum ſuum ſategit ad pacem reducere. Quibus monita ſua ſpernentibus regreſſus in Angliam, in eos excommunicationis ſententiam fulminauit. Hoc anno menſe Februario, apparuerunt octo ſemicirculi circa ſolem dorſatim coniuncti.

Aymericus liberatur è carcere.

An. 1282. Rex Edwardus cum exercitu valido, de Rodolano per Angleſciam, quā per nautas portuum capi fecerat, verſus Snowdoniam progrediens vt viam pararet exercitui, vltra maris brachium, quod inſulam diuidit à continente, iuxta Langoriam conſtituit pontem fieri ex nauibus inuicem colligatis. Eo tempore Gilbertus comes Glouerniæ magnas prædas Wallenſium cum militia ſua faciens iuxta Lantilowhir facta copia apertæ pugnæ cum eiſdem duro prælio dimicauit. In quo peremptis multis de parte Wallenſium ipſemet comes quinque milites amiſit, de quorum numero erat Guliel. de Valentiis iunior conſanguineus regis Angliæ. Diſcedente autem comite Glouerniæ princeps Walliæ intrauit terras de Cardigan & Stredewy, deuaſtauitque terras Reſi filij Mereduci qui cum rege contra principem tenuit in hoc bello. Progreſſus deinde verſus terram de Bueld ſecum paucis ab exercitu reliquo ſeperauit, cui cum ſua militia ſuperuenientes viri nobiles Iohannes Giffarde & Edmundus de mortuo mari inopinate ipſum cum ſociis pugna aggredientes occiderunt. Cuius caput abſciſum poſitum eſt ſuper turrim Londoniarum hedera coronatum.

Induſtria regis in ponte faciendo.

Gilbertus Wallenſes deprædatur.

Lewlinus interficitur.

Hoc anno rex de conſilio Baronum intrauit Walliam, vbi amiſit per irruptionem Wallenſium vexilla 14. Non multo poſt rex ſuperior effectus, pene totam Walliam ſubiugauit cum Inſula de Angleſeia, villas & terras quæ erant in meditullio Walliæ ſuis proceribus diſtribuit, ſed retinuit maritima caſtra ſibi, vnde magna tranquillitas tempore ſequenti peruenit. Hiis diebus clerus & populus primo quintam decimam, & poſtmodum tricesſimam bonorum ſuorum regi Angliæ in ſubſidium conceſſerunt.

Wallia ſubacta.

Subſidium cleri & populi.

An. 1283. Rex Angliæ ponte iam perfecto cum exercitu in Snowdoniam tranſiit, caſtra eius omnia cepit & combuſſit. Comes vero Pembrochiæ Caſtrum de Bere quod erat quondam Lewlini principis cepit. Et cito poſt tota Wallia cum omnibus caſtris ſuis ſubacta eſt regiæ voluntati. Ante feſtum S. Iohannis Baptiſtæ Dauid frater principis Walliæ captus eſt, per exploratores regios, & Rodolanum adductus, quem rex ad ſui conſpectum admittere renuit, licet ipſe Dauid hoc inſtantius flagitaſſet. Rex igitur tranſmiſit eum Salopiam carceri mancipandum.

Dauid capitur.

Eo tempore per quendam ſecretarium principis allata eſt regi crux dicta Neoti, magnam de ligno crucis Chriſti continens porcionem, quæ ideo Neoti dicitur, quod per quendam ſacerdotem ſic vocatum, antiquitus de terra ſancta fuit in Walliam deportata.

Neoti crux.

Poſt feſtum S. Michaelis in Parliamento tento Salopiæ, Dauid quondā frater Lewlini principis VValliæ iudicialiter condemnatus, tractus & ſuſpenſus eſt, viſceribuſque combuſtis, corpus capite truncatum, & in quatuor partes eſt diuiſum, quibus in ciuitatibus Angliæ nobilioribus ſuſpenſis, caput Londoniis ſuper palum fixum eſt ad terrorem conſimilium proditorum. Reſus autem Vazham VVallenſium nobiliſſimus comiti Herefordiæ ſe dedit, regique redditus ad turrim Londonarum miſſus carceri mancipatur. Abbathia de Aberton tranſlata eſt per regem ad locum alium, & constructum eſt in eo loco quo Abbathia fuerat caſtrum valde forte, ad irruptiones VVallenſium compeſcendas. Et rex in comitatu Ceſtriæ fecit conſtrui aliam Abbathiam Monachorum Ciſtercienſium, quam multis ditatam prædiis, vallem regalem voluit appellari.

Dauid condemnatur.

Reſus carceri mācipatur.

Ciſtercienſium Abbathia.

Hoc anno regi conceditur à populo in ſubſidium werræ ſuæ triceſima, & à Clero viceſima pars bonorum.

Subſidium.

Eo tempore Papa Martinus Guidonem de monte forti à carcere liberans in quo per Gregorium 10. Papam poſitus fuerat, propter homicidium in Eccleſia commiſſum in Henricum regis Alemanniæ filium cognatum regis Angliæ, miſit in Romaniolam, quam pene totam obtinuit eo anno. Cito poſt de licentia Papæ Tuſciam rediit vt vt hæreditatem vxoris ſuæ patre eius comite Rufo mortuo occuparet. Rex Angliæ apud Acton burnell tenuit parliamentum poſt feſtum S. Michaelis, in quo æditum eſt ſtatutum quod à loco cognominatum eſt. Natus eſt regi filius apud Carnetuan in VVallia die S. Marci &

Parliamentum.

Digitized by Google

Edvvardus apud Carneruan natus eſt. *Corona Arthuri.*

vocatus eſt Edwardus. Et rex Edwardus fecit leges Anglicanas per Walliam obſeruari, vicecomites ponens in ea. Sub eodem tempore apud Carneruan inuentum eſt corpus patris Conſtantini imperatoris, ſ. Conſtantij ſenatoris, & rege iubente honorifice in eccleſia collocatum. Corona etiam quondam famoſi regis Britonum Arthuri Regi Angliæ cum alijs iocalibus reddebatur, & ſic ad Anglos gloria Wallenſium Dei prouidentia eſt tranſlata.

Alfonſus filius regis moritur.

Anno 1284. Rex de Snowdonia in Walliam occidentalem progrediens intrauit Glamorgantiam, quæ ditioni comitis Glouerniæ ſubiecta fuit, deinde venit Briſtolliam, vbi feſtum dominicæ natiuitatis tenuit eo anno. Alfonſus filius regis Angliæ moritur apud Kideleshores, & apud Weſtm. ſæpelitur.

Parliamentum Londini.

Anno 1285. tenuit rex parliamentū Londonijs in quo ædita ſunt ſtatuta quæ Weſtmonaſterij ſecunda dicuntur. Et quia prius ſtatuerat ne religioſæ perſonæ in ſecularibus poſſeſſionibus creſcerent, nunc ſtatuit vt priùs habita non minorarent.

Rex facit homagium Gallo.

An. 1286. Rex Angliæ in Gallias tranſiens, Ambianis cum honorifica turba peruenit, cui occurrit ibidem honoris gratia rex Francorum, & rex Angliæ fecit homagium regi Franciæ pro terris quas de eo in regno Franciæ tenere debebat Pariſius, & interfuit Parliamento quod rex Francorum, tunc tenuit Pariſius, in quo multa quæ pro libertate terrarum ſuarum iniuſte oppreſſarum petiuit & obtinuit, licet ipſa conceſſio regis Francorum & parium diu in ſuo robore non maneret. Expectauit autem Pariſius rex Edwardus feſtum Pentecoſtes. & poſt feſtum Waſconiam eſt profectus.

Mater regis monacha facta.

Eo tempore Alienora regina mater regis Angliæ, ſpreta pompa ſæculi, apud Ambreſburiam induit habitum monacharum, dote ſua per papam & regem ſibi in perpetuum confirmata.

Duo domicelli fulmine icti caſi.

Anno 1287. cum die quadam rex & regina conueniſſent in vnam Cameram, & ſuper lectum ſedendo pariter confabularentur, ictus fulminis per feneſtram quæ eis erat à dorſo ingreſſus, inter eos tranſiens, ipſis penitus illæſis, duos domicellos qui in eorum ſtabant præſentia interfecit. Stupefacti cæteri qui affuerunt, ex euidenti quod contigerat perpendebant miraculo, diuini protectionem numinis ſaluti regiæ non deeſſe. Eo anno rex Angliæ profectus eſt in Arragoniam, vt conſanguineum ſuum Carolum filium Caroli, quondam regis Siciliæ ab Alfonſo rege Arragoniæ detentum in carcere liberaret. Alfonſus rex Arragoniæ miſſis ad Curiam Romanam nuntijs, reconciliari petiuit eccleſiæ de his quæ per patrem ſuum facta fuerant ſe excuſans. Thomas de Cantilupo quondam epiſcopus Herefordenſis, qui nuper verſus Romanam Curiam contra fratrem Iohannem Peckham Cantuar. Archiepiſcopum cauſam eccleſiæ ſuæ proſecuturus proficiſcens obiit, & in Angliam per ſuos relatus, ac in eccleſia ſua traditus fuerat ſepulturæ, cæpit multis & inauditis miraculis coruſcare.

Mors epiſcopi Hereford.

Refus rebellis. *Frumenti copia.*

An. 1288. Carolus filius regis Caroli quondam Siciliæ, Princeps Achaiæ, procurante rege Angliæ liberatur à carcere. Quo facto rex Angliæ reuertitur in Waſconiam, & apud Blankeford crucis ſuſcepit caracterem. Et mox Iudæos omnes tanquam crucis hoſtes expulit de Waſconia, & aliis terris ſuis omnibus quas in regno Franciæ habebat. Interim Reſus filius Mereduci Walliam conturbauit, impugnareque cæpit aliqua regis caſtra, contra quem Edmundus Comes Cornubiæ, cui Rex Angliæ in ſua abſentia commiſerat regni cuſtodiam, magnum ducit exercitum. Et cum quoddam caſtrum Reſi dictum Druſſelan obſideret, & muros eius ſuffodi faceret, caſu murorum ſubito vir nobilis de monte Caniſij & alij milites plurimi & ſcutiferi opprimuntur. Tanta fuit hoc anno in Anglia frugum abundantia vt quarterium frumenti alicubi pro viginti, alicubi pro ſexdecim, alicubi pro 12. denarijs venderetur.

Iudæi ab Anglia expulſi.

An. 1289. Rex Angliæ reuerſus de Waſconia Londoniis ſolemniter recipitur à clero & omni plebe. Qui Iudæos omnes eodē anno expellēs de Anglia, datis expenſis in Gallias bona eorum reliqua confiſcauit. Eo tempore rex auditis multorum querimoniis, fere iuſticiarios omnes de falſitate deprehenſos, à ſuo officio depoſuit, puniens eos iuxta demerita graui mulcta Hoc anno tenuit rex Parliamentum Londoniis, in quo ædita ſunt ſtatuta quæ dicuntur Weſtm. tertia, in quo etiam Parliamento pro expulſione Iudæorum conceſſa fuit regi à populo quintadecima pars bonorum.

Rex Scotiæ obijt.

Cum rex Scotorum Alexander vxorem ſuam filiam comitis Flandriæ, quam poſt Margaretam filiam regis Angliæ duxerat, nocte quadam obſcura viſitare voluiſſet, equo ceſpitante lapſus, & colliſus grauiter expirauit. Hic de ſecunda vxore, nullam de prima vero prolem geminam, filium ſcilicet Alexandrum, & filiam genuit nomine Margaretam. Alexander abſque prole, patrem immatura morte præuenit. Filia vero Margareta regi

Nor-

Margareta ſola hæris Scotiæ defuncta.

Norwagiæ deſponſata, filiam vnicam peperit nomine Margaretam quæ matri mortuæ ſuperuixit. Hanc conſulto rege Angliæ, magnates Scotiæ recognouerunt hæredem. Quæ accerſita per nuncios regis Angliæ, cum per nauigium tenderet in Scotiam, infirmata in mari apud Orchades inſulas eſt defuncta. Nocte S. Margaretæ deſcendit tempeſtas ymbrium, tonitrui, & fulguris, à retro ſæculis vix audita, ſata concutiens & demergens, vnde factum eſt, vt Londoniis modius tritici qui prius ad tres denarios vendebatur ex tunc paulatim ad duos ſolidos excreſceret, ſicque per quadraginta ferme annos vſque ad obitum regis Edwardi poſt conqueſtum ſecundi dicti de Carneruan, extitit bladorum cariſtia, & præcipue frumentorum. Ita vt aliquoties Londoniis modius frumenti ad decem ſolidos venderetur.

Caritas frumenti.

Dubitatio de hæredibus Scotiæ.

An. 1290. mortua Margareta filia regis Scotorum Alexandri ad quam iure hæreditario, defunctis auo, patruo, & matre regnum Scotiæ deuolui debebat, quis foret iuſtus hæres Scotiæ, apud omnes in dubium vertebatur. Propter quod rex Edwardus verſus Scotiam diiudicaturus de iuſto hærede, tanquam ſuperior dominus dirigit iter ſuum, ſed dum finibus Scotiæ appropinquaret, regina conſors defungitur in villa de Herdeley iuxta Lincolniam, propter quod rex dimiſſo itinere cæpto verſus Scotiam, Londonias funus deducendo reuertitur cum mærore. Conditum eſt ergo corpus cum aromaribus in eccleſia Weſtmonaſterij cum honore, cor vero in choro fratrum prædicatorum, Londoniis eſt humatum. In omni loco & villa quibus corpus pauſauerat, iuſſit rex crucem miro tabulatu erigi ad reginæ memoriam, vt à tranſeuntibus pro eius anima deprecetur, in qua cruce fecit reginæ imaginem depingi, fuerat hæc regina dicta Alienora ſoror Aldefonſi regis Caſtelli nobilis genere, ſed multo nobilior morum grauitate.

Regina moritur.

Cruces erectæ in memoriam reginæ.

Declaratio iuris regij de regno Scotiæ.

* Ann. 1291. Ciuitas Acon capitur à Soldano Babilone, qui muros eius deſtruxit cum turribus & euertit eccleſias cum domibus ciuitatis. Eo anno poſt Paſcha rex Angliæ appropinquans Scotiæ, Parliamentũ tenuit apud Northũb. vbi conſultis prælatis ac vtriuſq; iuris peritis, reuolutis priorum temporum annalibus, vocari fecit prælatos ac maiores regni Scotiæ & coram eis in eccleſia parochiali de Northumb. ius ſuum in ſuperius dominium regni Scotiæ fideliter declarauit. Petiuitque vt hoc recognoſcerent, proteſtando ſe ius coronæ ſuæ vſque ad effuſionem ſanguinis defenſurum. Ob quam cauſam rex fecerat omnia monaſteria Angliæ, Scotiæ, & Walliæ perſcrutari, ad dignoſcendum quale ius poſſet ſibi competere in hac parte. Et repertum eſt in chronicis Mariani Scoti, Gulielm. Malmeſburienſis, Rogeri de Houeden, Henrici de Huntingdone, Radulphi de Diceto, quod anno dom. 910. Rex Edwardus ſenior ſubegit ſibi reges Scotorum & Cambrorum. Item ibid. quod ann. dom. 921. prædictæ gentes elegerunt ſibi Edwardum prædictum in dominum ac patronum. Item ibid. anno dom. 926. rex Angliæ Adelſtanus deuicit regem Scotiæ Conſtantium, & iterum ſub ſe permiſit regnare. Item Edredus frater Adelſtani rex Angliæ deuicit Scotos & Northamhumbros, qui ſe ſubmiſerunt ei & fidelitatem iurauerunt. Item ibidem Edgarus rex Angliç ſuperauit Kinadum filium Alpini regem Scotorum, qui iurauit ei fidelitatem. Item ibidem rex Angliæ & Daciæ Canutus, anno regni ſui 16. perdomuit Malcolinum regem Scotorum, & ex tunc factus eſt rex quatuor regnorum, ſcilicet Angliæ, Scotiæ, Daciæ, & Norwagiæ. Item ibidem S. Edwardus regnum Scotiæ dedit Malcolino filio regis Cambrorum de ſe tenendum. Item Gulielmus Baſtard, anno regni ſui 6. vicit Malcolinum regem Scotiæ, & accepit ab eo ſacramentum fidelitatis. Item Guliel. Rufus fecit ſimiliter erga Malcolinum regem Scotiç, & duos filios Malcolini ſucceſſiue regnantes. Item Alexander ſucceſſit fratri ſuo Edgaro in regnũ Scotiç de conſenſu regis Henrici 1. Item Dauid rex Scotiç fecit homagium regi Steph. Item Gul. rex Scotiç fecit homagium Henric. 3. filio regis Henric. 2. in coronatione ſua, & iterum Henrico patri anno regni ſui 20. ſicut patet in conuentione inter eos facta inde. Item dicit Rogerus Houedẽ quod Gul. rex Scotiç venit ad dominum ſuum regem Henricum in Normanniam, & ſimiliter fecit regi Rich. & etiam Iohanni regi apud Lincolniam. Item in chronicis S. Albani reperitur quod Alexander rex Scotiç apud Eboracum deſponſauit Margaretam filiam regis Henrici, an. regni ſui 35. & fecit ei homagium. Item reperitur in chartis regum Scotiç. Item repertum eſt in bullis papalibus Scotiç directis, reges Scotorum excommunicatos fuiſſe quia noluerunt obedire dominis ſuis Anglorum regibus. Conuenientibus igitur apud Northumb. in finibus Anglorum verſus Scotiam rege Anglorum cum ſuis peritis, ac Scotorum valentioribus cum ſuis prudentioribus petiuit in primis rex Angliæ, vt Scoti pacifice aſſentirent ſuæ ordinationi ſuper rege Scotiæ, præſertim cum ſibi competeret ratione ſui dominij capitalis. Scoti reſpondebant ſe ignorare quod talis ſuperioritas regi Angliç competeret, nec poſſe ſine capite regi ad talia reſpondere,

Teſtimonia chronicarum de iure regis Angliæ in regnum Scotiæ.

cui

cui incumberet talem denunciationem audire. Nec aliud reſponſum ad præſens debere reddere teſtabantur propter iuramentum excommunicatione vallatum, quod poſt mortem regis Alexandri ſibi inuicem fecerunt, vnde deliberatione habita fecit rex Edwardus Scotis literas ſuas patentes, quibus recognouit aduentum Scotorum in Angliam circa aquam Twede non debere alias illis vertere in præiudicium iterum veniendi in Angliam.

Competitores iuris in regnum Scotiæ, ſubdunt ſe voluntati regis Angliæ.

Poſt hæc maiores Scotiæ & Angliæ qui vendicabant ius ſucceſſionis in regnum Scotiæ per literas ſuas patentes recognouerunt ſe velle ſponte recipere iuſtitiam coram dicto rege Edwardo, tanquam coram capitali domino, & firmum tenere quicquid ipſe decreuerit in præmiſſis. Tenor autem literarum dominorum vtriuſque regni qui ius ſucceſſionis vendicabant in Scotorum dominium erat talis.

Omnibus præſentes literas viſuris vel audituris Florentius Comes Hollandiæ, Robertus le Brus dominus Vallis Anandiæ, Iohan. de Balliolo dominus Galwidiæ, Iohannes de Haſtinges dominus Abergauenniæ, Iohannes Comyn dominus de Badenaw, Patricius de Dunbar comes Marchiæ, Iohannes de Veſci vice patris ſui, Nicholaus de Sules, Gulielmus de Ros ſalutem in domino. Cum nos in regno Scotiæ ius habere credamus, & ius illud coram illo, qui potiorem habet poteſtatem, iuriſdictionem & rationem examinandi ius noſtrum decertare, vendicare ac probare intendamus: nobiliſque princeps dominus Edwardus dei gratia rex Angliæ per bonas ſufficienteſque rationes nos informauerit, quod ad eum ſpectat & habere debet ſuperius dominium regni Scotiæ, & cognitionem in audiendo, examinando & definiendo ius noſtrum, nos de propria noſtra voluntate ſine omni violentia & coactione, volumus, annuimus & concedimus, vt recipiamus ius coram eo tanquam ſuperiori domino terræ. Volumus inſuper ac promittimus quod habebimus & tenebimus firmum & ſtabile factum ſuum, & quod ille habebit regnum, cui coram eo ius potius illud dabit. In teſtimonium iſtorum, nos literis iſtis appoſuimus ſigilla noſtra, data apud Northumb. feria tertia poſt Aſcenſionem, &c. Facta itaque recognitione ſuperioris dominij, & ſubmiſſione recipiendi quod coram rege Angliæ fuerit definitum, petiuit rex caſtra & terram totam ſibi reddi, vt per ſeiſinam pacificam ius ſuperioris dominij, quod iam per ſuas literas recognouerant clareſceret vniuerſis.

Litera ſeiſina data regi Angliæ de regno Scotiæ.

Annuerunt ſtatim regiæ petitioni confectis ſuper hoc literis habentibus hunc tenorem. Omnibus præſentes literas viſuris vel audituris Florentius comes Hollandiæ, &c. ſalutem in domino. Quia de bona voluntate noſtra & communi aſſenſu annuimus, & conceſſimus nobili principi domino Edward. dei gratia regi Angliæ, quod ipſe tanquam ſuperior dominus terræ Scotiæ, poſſit audire, examinare, & definire vendicationes noſtras & petitiones quas intendimus oſtendere & probare pro iure noſtro recipiendo corã eo, tanquam ſuperiore domino terræ, promittentes inſuper quod factum ſuum habebimus firmum & ſtabile, & quod ille obtinebit regnum Scotiæ, cuius ius potius declaratur coram eo. Cum autem non poſſit præfatus rex Angliæ iſto modo cognitionem facere, nec complere ſine iudicio, nec iudicium debeat eſſe ſine executione, nec executionem poſſit debito modo facere ſine poſſeſſione & ſeiſina eiuſdem terræ & caſtrorum eius: volumus & annuimus, & concedimus quod ipſe tanquam dominus ſuperior ad perficiendum prædicta, habeat ſeiſinam totius terræ Scotiæ & caſtrorum eius, quouſq; ius in regnum petentibus fuerit ſatisfactum. Ita tamen quod antequam habeat ſeiſinam, bonam & ſufficientem ſecuritatem faciat petitoribus, & cuſtodibus & communitati regni Scotiæ, reſtituendi idem regnum cum tota regalitate, dignitate, dominio, libertatibus, conſuetudinibus, iuſticiis, legibus, vſibus, poſſeſſionibus, & quibuſcunque pertinentiis in eodem ſtatu in quo erant ante ſeiſinam ſibi traditam, & liberabit illam cui iure debebitur ſecundum iudicium regalitatis, ſaluo regi Angliæ homagio illius qui rex erit. Et debet hæc reſtitutio fieri infra duos menſes à die quo fuerit hoc ius diſcuſſum atque firmatum. Exitus terræ prædictæ medio tẽpore recipiantur & in ſaluo depoſito reponantur, & bene cuſtodiantur per manum Camerarij regni Scotiæ qui nunc eſt, & illius quem aſſignabit ad hoc rex Angliæ, & hoc ſub ſigillo eorum, ſalua rationabili ſuſtentatione terræ & caſtrorum miniſtrorumque regni. In teſtimonium iſtorum omnium prædictorum appoſuimus ſigilla noſtra, &c. Data apud Northumb. die Mercurij, &c. Has duas literas miſit rex Angliæ ad diuerſa monaſteria ad facti memoriam ſeruandas.

Rex aſſecurat Scotia regnum vero hæredi red derat.

Igitur ex parte regis Angliæ facta ſecuritate de reſtituendo prout præfertur regno Scotiæ, infra duos menſes illi cui de iure hoc competeret ſub pena 100. millium librarum ſterlingorum Romæ in ſubſidium terræ ſanctæ ſoluendarum, ac etiam ſub pena excommunicationis & interdicti in regis perſonam & regnum Angliæ, ſi non reſtitueret fulminandum. Scoti per chartas ſuas tradiderunt regi Edwardo regnum Scotiæ cum caſtellis,

iuti-

Digitized by Google

iuribus & conſuetudinibus, poſueruntque cuſtodes qui medio tempore, exitus & appromamenta terræ ad opus illorum quorum intererat cuſtodirent, quouſque viz. debita diſcuſſione habita de legitimo conſtaret hærede. Quo facto rex Angliæ poſt longas diſceptationes vendicantium illud regnum diſcuſſis iuribus, prætulit Iohannem de Baliol qui recognouit regem Angliæ fore capitalem dominum Scotiæ, fecitque ei homagium & fidelitatem iurauit, prout in geſtis anni ſequentis plenius declaratur.

Iohan. Baliol rex Scotiæ.

Circa feſtum S. Iohannis Baptiſtæ Alienora mater regis Ambreſbyriæ eſt defuncta propter quod rex de Scotia rediit in Angliam, & funus maternum debito cum honore curaret.

Poſt feſtũ S. Michaelis Rex iterum tendens in Scotiã cum Eboracum veniſſet, Reſus filius Mereduci captus illucque deductus iudicialiter condemnatur. Deinde rex profectus in Scotiam, omnibus in regnum Scotiæ ius vendicantibus impoſuit, vt in feſto S. Iohannis Baptiſtæ proximo futuro coram ſe comparerent, & quo iure regnum illud vendicabant, plenius declararent.

Anno 1292. ſuborta eſt diſcordia inter Anglicos & Francos huiuſcemodi occaſione. Duo nautæ quorum vnus erat Anglicus, alter Normannus conuenerunt apud Gartimam ad quendam fontem vt haurirent aquam, vbi dum quiſque nititur prius haurire, facta eſt contentio inter vtroſque. Poſt multa iactata conuitia, Normannus educto gladio ferire nitebatur Anglicum, qui vitato periculo, pugnam Normanni tenuit, volens eripere de manu ſua pugionem, quibus colluctantibus Normannus corruens ſuper mucronem ſuum caſu proprio confoſſus fuit. Quo cognito Normanni perſecuti ſunt Anglicum, vt in eum necem ſocij vendicarent. Sed nautæ Anglici conſortes contuentur ſocium & Normannos repellunt. Normanni vero de caſu prædicto coram Philippo rege Franciæ grauem depoſuere querimoniam. Quibus rex iuſſit vt vbicunque obuiarent Anglicis de nece conſocij ſumerent vltionem, vnde factum eſt vt dum Normanni ſollicitius maris obſeruarent ſemitas, nauigium Anglicanum conſpiciunt à remotis. Cum quo mox congredientes quandam nauem Anglicam vncis attrahentes, Anglicum quendam rapientes de naui ſua in ſummitate mali cuiuſdã puppis Normannicæ ſuſpenderunt, quibus cauſis creuit tumor & inuidia populis vtriſque regni.

Lis inter Anglos & Francos.

Rex Angliæ poſt feſtum Sancti Iohannis Baptiſtæ in Scotiam veniens, receptis eorum qui regnum Scotiæ vendicabant allegationibus, pro iure ſuo eligi fecit 40. perſonas, viz 20. de Anglia, & 20. de Scotia, qui iſtas allegationes deliberata diligentia diſcuterent, ſententiam finalem vſque in feſtum Sancti Michaelis proximo venturum differens proferendam.

Eo tempore Ericus Rex Norwagiæ venit coram conſilio domini regis Angliæ per atturnatos ſuos, & protulit quoddam ſcriptum in hæc verba.

Omnibus præſentes literas inſpecturis vel audituris pateat euidenter quod nos Ericus dei gratia rex Norwagiæ tenore præſentium fecimus, conſtituimus & ordinauimus prout de iure & facto melius facere potuimus, noſtros veros ac legitimos atturnatos & procuratores, & nuncios ſpeciales, nobilem virum Adneum de Hagt. & magiſtrum Henricum Plebanum plebis de Caſtellione arretino domini Papæ Capellanum, & magiſtrũ P. Algor ad comparendũ pro nobis & vice noſtra coram excellenti principe domino dei gratia Edwardo rege Angliæ illuſtri, & ſuperiori domino regni Scotiæ ad petendum nomine noſtro tanquam per ſuperiorem dominum regni Scotiæ nobis adiudicari regnum Scotiæ ſupradictum, cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis, cum ipſum regnum per mortem dominæ Margretæ filiæ noſtræ olim dominæ & reginæ regni Scotiæ ſit ad nos pleno iure deuolutum hæreditarie, legitime.

Erici ſcriptum.

Item ad petendum nomine noſtro adiudicari nobis, & præfatis atturnatis & procuratoribus noſtris aſſignari pro nobis fructus redditus regni Scotiæ quatuor annorum, qui fluxerũt à tempore mortis domini Alexandri bonę memoriæ quondam regis Scotiæ, vſq; ad diem mortis dominæ Margaretæ filiæ noſtræ olim Dominę reginę Scotorum, qui percepti vel percipi potuerunt de dicto regno, cum ad nos dicti fructus ſeu redditus pleno iure pertineant: tum quia fuimus legitimus adminiſtrator reginæ præfatæ cum viueret: tum etiam quia grauia expenſarum & ſumptuum onera ſuſtinuimus propter eam, dum in regno Norwagiæ moram traxit, & poſtmodum mittendo eam ad regnum Scotiæ ſupradictum. Item ad petendum nomine noſtro condemnari vniuerſitatem regni Scotiæ, & ipſum regnum ad ſoluendum nobis ſeu dictis atturnatis & procuratoribus noſtris recipientibus vice noſtra pœnam centum millium librarum ſterlingorum, in quam inciderunt vniuerſitas præfata & regnum ſupradictum, non recipiendo libere

Domi-

Digitized by Google

Dominam præfatam Margaretam filiam noſtram in dominam & reginam Regni Scotiæ, nec ei obediendo in aliquo. Et ad petendam ſupplementum ſeptingentarum marcarum quas habere debemus à regno Scotiæ, occaſione dotis Dominæ Margaretæ olim filiæ noſtræ, & vxoris regis Scotiæ prædicti, cum fructus & redditus prædicti nobis aſſignati pro ſeptingentis marcis annuis ad quingentarum marcarum ſummam non aſcendant. Item ad agendum & defendendum, lucrandum & perdendum coram præfato principe domino Edwardo rege Angliæ ſuperiore domino regni Scotiæ debita quomodocunque & qualitercunque, etiam ex quacunque cauſa vel cauſis nobis debeantur, & ea quibuſcunque perſonis loco vel vniuerſitate, & quocunq; nomine illa iura cenſeantur, & ad omnia alia & ſingula faciendum, quæ veri ac legitimi atturnati ſeu procuratores & nuncij facere poſſent in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum ſi mandatum etiam exigerent ſpeciale, quæ noſmet facere poſſemus, ſi præſentes eſſemus, promittentes ſub ypotheca & obligatione omnium bonorum, ratum, firmum, & gratum habere & tenere perpetuo, ac non contrauenire aliquo ingenio vel modo, quicquid per prædictos atturnatos ſeu procuratores noſtros, vel duos ſaltem ex eis actum vel procuratum fuerit in præmiſſis vel quolibet præmiſſorum. Dat. Tonſborg. anno regni noſtri decimotertio. In cuius rei teſtimonium has literas fieri fecimus, & noſtri ſigilli munimine roborari.

Requiſitum fuit de eiſdem atturnatis quid volunt addere, minuere, vel mutare, & quod in petitione ſua danda declararent. Qui dicunt quod nolunt declarare, antequam habuerunt colloquium cum dicto domino rege Angliæ ſuperiore domino regni Scotiæ, nec aliquid aliud proponere vel dicere ea vice. Et hæc requiſitio fuit facta, quia alias in petitione ſua quæ coram ipſis fuit ibidem lecta, reſeruarunt ſibi beneficium addendi, minuendi & mutandi prout plenius ex tenore ipſius petitionis apparet. Et datus eſt eis dies vſque ad diem Mercurij proximum ſequentem ad audiendum Domini regis Angliæ voluntatem.

Dies datus regi Norvvagiæ.

Poſtea die Mercurij proximo poſt feſtum beati Martini venerunt prædicti atturnati regis Norvvagiæ coram conſilio prædicti Domini regis Angliæ & ſuperioris domini Scotiæ, & dictum fuit eis per conſilium dicti domini regis quod declararent manifeſte actionem domini regis Norwagiæ, per quam intendunt recuperare regnum Scotiæ tanquam ius domini ſui. Qui reſponderunt & dixerunt quod voluerunt prius habere colloquium cum domino ſuo rege Norwagiæ, & ipſum ſuper actione & petitione prædictis conſulere, antequam vlterius proſequerentur. Et multotiens requiſiti quod petitionem præfati domini ſui manifeſtius declararent, tandem dixerunt præciſe quod petitionem ſupradicti domini ſui noluerunt declarare, nec vlterius ſuper hoc aliud dicere, antequam eundem dominum ſuum conſuli fuerint in præmiſſis. Ideo datus eſt eis dies de die in diem coram prædicto domino rege Angliæ ſuperiore domino dicti regni Scotiæ, ad audiendum iudicium ſuum de eo quod noluerunt vlterius proſequi petitionem domini ſui prædicti, &c.

Iudicium contra regem Norvvagiæ.

Igitur poſt diligentem huius negotij diſcuſſionem inter cæteros, de aſſenſu communi Ioh. de Baliolo, qui de filia Dauid regis Scotorum deſcenderat ſeniore, adiudicauit rex ex integro regnum ipſum. Robertus nempe de Brus, inter quem & ipſum Iohan. de Baliolo excluſis cæteris quæſtio vertebatur, licet vno gradu eſſet propinquior, tamen deſcendit à filia regis Dauid ſecunda.

Iohan. de Baliolo in feſto Sancti Andreæ ſequenti collocatus ſuper lapidem regalem in eccleſia canonicorum de Scone regularium ſolemniter coronatur, moxque venit ad nouum caſtrum ſuper Tynam, & fecit homagium regi Angliæ ſub hiis verbis. Domine Edwarde rex Angliæ ſuperior domine regni Scotiæ. Ego Iohannes de Baliolo Rex Scotiæ recognoſco me hominem veſtrum ligeum de toto regno Scotiæ & omnibus pertinentiis & hiis quæ ad hoc ſpectant, quod regnum meum teneo & de iure debeo, & clamito tenere hæreditarie de vobis & hæredibus veſtris regibus Angliæ, de vita & membris, & terreno honore contra omnes homines, qui poſſunt viuere & mori. Et Rex Angliæ recepit homagium in forma prædicta ſuo & alterius iure ſaluo. Quo facto rex Angliæ idem regnum Scotiæ integraliter cum omnibus pertinentiis reſtituit indilate.

Homagium regis Scotiæ.

An. 1293. Rex Angliæ tenuit natale apud nouum caſtrum ſuper Tynam vbi ſuſcepit homagium Iohannis de Baliolo regis Scotorum.

Per idem tempus mercatores Angliæ laceſſiti per Francos ſuper mercium ſuarum amiſſione regi Angliæ conqueruntur. Quapropter rex comitem Lincolniæ Henricum de

de Lacy tranſmiſit ad regem Franciæ, petens humiliter vt per vtriuſque regis conſilium de aſſenſu communi contra huiuſmodi diſpendia prouideretur de remedio competenti: ſed dum comes reſponſum expectat, claſſis ducentarum Normannicarum onuſta vino viriſque bellatoribus à ſexaginta nauibus Anglicanis capitur, in portu Sancti Matthæi in minori Britannia & in Angliam adducitur, in quo conflictu feruntur occiſa quindecem millia Gallicorum. Rumor ſacti regem Franciæ, non tam admiratione quam indignatione vehementi commouit. Qui miſſis nuntiis petiit à rege Angliç vt abſque mora naues cum mercibus, & homines ſuos capras & in regno ſuo receptatas reſtitueret, ſi vellet ſua negotia pro terra Waſconiæ in curia regis Franciæ ſauorabiliter expediri. Rex igitur habito cum ſuis conſilio, Richardum Londonienſem epiſcopum cum aliis viris prudentibus direxit ad regem Franciæ cum hoc reſponſo, videlicet, quod rex Angliæ curiam ſuam habet nulli ſubiectam, ideo ſi qui de regno Franciæ læſos ſe ſenſerint, & iniurias ſuas declarauerint, Rex eis celerem fieri iuſticiam ordinabit, & eiſdem eundo per terram ſuam & redeundo ſaluum dabit conductum, vel ſi hoc regi Francorum non placeat, eligantur hinc inde arbitri qui penſatis damnis vtriuſuis partis, prouideant quomodo quærelantibus ſatisfiat, & rex Anglorum dicto eorum & laudo ſub certa obligatione ſe ſubmittet, dum tamen rex Franciæ ſe ſubmittat & obliget pari modo. Si vero aliquod occurrat tam arduum, quod pro arbitrio deſcidi nequeat, definiendum regibus reſeruetur. Et rex Angliæ habito conductu ad regem Franciç accedentem ad aliquam villam maritimam veniet, & aſſenſu mutuo finis negotio imponetur. Quod ſi nec iſtud rex Francorum acceptauerit, in ſummum pontificem negotium transferatur, vel quia tunc ſedes vacabat apoſtolica, ad Cardinales omnes vel aliquos committatur. Spreuit hæc omnia conſillum Franciæ, nec nuntiis inſtanter flagitantibus dignatum eſt aliquid reſpondere. Miſit denique rex Francorum ad ciuitatem Agennum quç pertinet ducatui Acquitaniæ & ibi nominatim citari fecit regem Angliæ, vt die certa Pariſius compareret, de iniuriis & rebellionibus factis in terra Waſconiæ reſponſurus. Quem ad diem præfixum non comparentem, Rex Francorum in propria perſona pro tribunali ſedens ſententiam protulit, regem iudicans in defectu. Moxque præcepit Conſtabulario Franciæ, vt in manu armata ducatum Acquitaniæ regis Francorum nomine occuparet, caperetque vel expelleret quoſcunque per regem Angliæ illius cuſtodiæ deputatos. Siquidem paulo ante miſerat illuc rex Angliæ Iohannem de S. Iohanne militem in armis ſtrenuum & diſeretum, qui ciuitates & caſtra per totum ducatum muniuit armis & victualibus & viris ſtrenuis ad bellandum.

Claſſis Gallicana ab Anglis capta.

Rex Angliæ citatur.

Anno 1394. Cum Edmundus frater regis Angliç diu, ſed inaniter tractaſſet de pace cum conſilio regis Franciæ manifeſte ſeductus fuiſſet Francorum falſitate ad maximum damnum fratris ſui regis Angliæ, regreſſus eſt in Angliam referens regi totique conſilio totam rerum geſtarum ſeriem. Quapropter rex conuocato Londoniis parlamento, cui Iohannes rex Scotorum interfuit, de conſilio prælatorũ & procerum cenſentium terram ſub dolo ſibi ablatam recuperandam gladio, rex Angliæ miſit nuncios ad regem Franciæ mandans ei per eoſdem, quod cum pacta inter progenitores eorum habita & ipſos, necnon & ſecretos tractatus quos mediãte Germano ſuo cum eo habuit, violaſſet, non videbatur ſibi quod ipſum regem Angliæ ducemque Acquitaniæ hominem ſuum reputabant, nec ipſe homagio ſuo aſtringi vlterius intendebat.

Parliamentum Londini.

Rex Angliæ renunciat homagio pro Acquitania.

Eodem tempore rex Angliæ miſſo in Teutoniam Antonio Dunelmenſi Epiſcopo confœderauit ſibi Adulphum regem Romanorum. Et in Waſconiam tranſmiſit exercitum, cui præfecit milites prudentes & in bellicis rebus expertes, & nauigium ad maris cuſtodiam forte ſatis ordinauit.

Hoc anno conceſſa fuit regi in ſubſidium werræ ſuæ medietas à clero, ſexta à ciuibus, & reliquo populo decima pars bonorum, non obſtante quod fames in terra præualuerat annonæ cariſtia, & pauperes paſſim afflicti lienteria morerentur. Naualis exercitus regis Angliæ cepit tres villas in Waſconia muratas, cepit ſ. Burgum ſuper mare ac Blanium atque Riſmeium. Sub eiſdem diebus Wallenſes inſurgentes contra regem in diuerſis partibus, diuerſos ſibi principes præfecerunt. Aquilonares quendam Madocum nomine, de genere Lewlini principis vltimi qui villam & caſtrum de Carneruan combuſſerunt magna Anglorum multitudine quæ ad nundinas venerat interfecta. Occidentales Wallenſes, quendam Maylgonem nomine ſequebantur, mala plurima perpetrantes.

Subſidium regi datum.

Wallenſium inſurrectio.

Tertius Marganus dictus Wallenſes auſtrales concitans, comitem Glouerniæ Gilbertum qui progenitores ſuos exhæredauerat, de terra ſua quæ Glamorgan dicitur expulit

Edvvardus à Wallenſibus repulſus.

& fugauit. Rex Angliæ auditis hiis rumoribus Walliam cum exercitu eſt ingreſſus, ſed mox occurrentibus ſibi Wallenſibus exceptus graui prælio repulſus eſt. Robertus de Winchelſey doctor ſacræ paginæ Archiepiſcopus Cantuatenſis à Celeſtino Papa confirmatur, & in Angliam veniens, Iohanni de Monemutha magiſtro Theologiæ contulit e-

Celeſtinus papatus renunciat.

piſcopatum Landafenſem authoritate papali qui iam vacauerat multis annis. Celeſtinus papa prius dictus Petrus de Murrone de ordine S. Benedicti monachus & anachorita, ſe ſentiens minus ſufficientem ad tantum onus ſufferendum, de conſilio Benedicti Caietani ceſſit papatui, ædita prius conſtitutione ſuper ceſſione pontificum Romanorum. Huic ſucceſſit idem Benedictus, de quo ex poſt propheranit, eo quod eum ad cedendum ſubdole induxiſſet idem Celeſtinus, ita: Aſcendiſti vt Vulpes, regnabis vt Leo, morie-

Prophetia de Benedicto.

ris vt Canis, contigitque prout vir ſanctus prophetanit. Quia rigide Cardinales de Columna tractauit & quoſdam depoſuit, regique Francorum in multis obſtitit, & eum totis viribus elaborauit deponere, idem rex Franciæ confœderatis fratribus de Columna miſſo Seneſchallo Franciæ, Gulielmus de Longareto comprehendit eum, & in equum effrenem verſa facie ad caudam poſuit. Quem ſic diſcurrere vſque ad nouiſſimum halitum compulit ac tandem ad hæc omnia cardinalibus prædictis conſentientibus fame necauit, ſed hæc in ſequentibus, cum tempus occurrerit rei geſtæ. Ipſe vero conſtitutionem de ceſſione Romanorum pontificum æditam per prædeceſſorem ſuum, factus papa reuocauit.

Acta in Waſconia.

Anno 1295. in die Circumciſionis domini reddita eſt domino Iohanni de ſancto Iohanne ciuitas Bayonenſis, quam die præcedenti ceperant nautę fortiter expugnatam. Obſidionem vero poſuit circa caſtrum quod poſt dies octo cepit, multæque munitiones & caſtra ſe reddiderunt Anglis cognita fraude Gallorum, ita quod exercitus Anglicorum excreuit ad quatuor millia peditum & equitum ducentorum. Rex Anglię tranſito flumine de Conwey, cum parte exercitus, infortunate capris bigis & curribus onuſtis

Edvv. victualia.

Comitis Warvvici fortitudo.

victualibus penuria coarctatur, ita vt donec veniret ad eum reliqua pars exercitus aquam melle mixtam biberet, panemque cum ſalſis carnibus veſceretur. Comes Warwici cognito quod Wallenſes in maxima multitudine inter duo nemora in quadam planitie ſe adunaſſent, aſſumpta ſecum electa multitudine cum baliſtariis & ſagittariis de nocte ſuperueniens, eos vndique circumcinxit, qui fixis in terra lanceis cuſpides in oppoſitum irruentium dirigunt, vt ſic ſe ab impetu equitum tuerentur. Sed comes inter duos equites poſito vno baliſtario ac iaculis baliſtarum magna parte eorum qui lanceas tenebāt proſtrata, cum turma equitum in reliquos irruens, tantam ſtragem intulit quanta eis, vna vice illata non creditur temporibus retroactis.

Bellum mariſcū.

Interim rex Angliæ caſtrum conſtruxit in inſula Angleſey quod bellum mariſcum voluit appellari. Succiſa ſunt etiam nemora in Wallia quæ belli tempore indigenis parabant latibula, & firmata ſunt caſtra maritima circa loca. Et cito poſt hæc captus eſt Madocus prædictus capitaneus Wallicorum. A quo tempore werræ quieuerunt in Wallia, &

Wallenſes ſubacti poſtea non rebellarunt.

Wallenſes more Anglicorum pene cæperunt viuere, theſauros congregantes, & rerum damna temporalium metuentes.

Carolus Germanus regis Franciæ Waſconiam ingreſſus Riſuncium obſedit & cepit.

Eo tempore reddita eſt Anglis villa S. Seueri.

Riſuncium à Gallis captum recuperatur.

Carolus germanus regis Franciæ euerſis villa & caſtro Riſuncij quæ Hugo de Veer capitaneus 13. ſeptimanis tenuit in magnum Gallorum diſpendium, ea tandem reddidit, ſaluis omnibus, ſua ſuppellectili, & dato conductu vſque ad duas dietas ab exercitu. Carolus poſitis in villa cuſtodibus cum exercitu reuerſus eſt in Franciam. Poſt cuius diſceſſum

Cardinales de pace tractaturi veniunt.

mox capta eſt villa ab Anglicis iterato. Duo Cardinales miſſi à Papa Bonifacio pro pace reformanda inter reges, primo venerunt ad regem Franciæ, deinde ad regem Angliæ petentes treugas biennales. Quibus reſpondit rex Angliæ, quod non potuit treugas inire propter fœdus initum & iuramento firmatum inter ipſum & regem Romanorum, ſine conſenſu eiuſdem. Quapropter regem rogauerunt, vt regis Romanorum conſenſum in inducias impetraret. Quod rex ob reuerentiam curiæ Romanæ fecit. Cardinales vero in

Galli Doueriam ſpoliant.

Gallias ſunt reuerſi. Circa præſens tempus claſſis Gallicana Doueriam veniens ſpoliauit prioratum, & ibidem perempto vno monacho veterano, magnam partem oppidi incenderunt. Quorum aliqui priuſquam potuerunt naues repetere ſunt occiſi, captaque eſt vna galea plurimis interfectis de parte Gallorum.

Nautę Gernemuthenſes Ceſaris burgum, id eſt, Cherburgh in Normannia incendio vaſtauerunt, ſpoliataque Abbathia canonicorum regularium canonicum quendam

ſenem

Digitized by Google

ſenem in Angliam adduxerunt. Porteſmouthenſes ceperunt quindecem naues Hiſpanicas onuſtas vino.

Scotorum rex fidem violat. Iohannes rex Scotię fidelitas immemor, deſtinatis ad regem Francorum nuntiis iniit cum eo fœdus contra regem Angliæ, petens in affirmationem negotij matrimonium contrahi inter filium ſuum Edward. & puellam nobilem Iohan. filiam Caroli germani regis Francorum, ſpondens ſe velle regem Angliæ totis viribus impugnare, ſicut in ſcriptis inter vtroſque regis confectis plenius continetur. *Scoti eligunt 12. pares.* Scoti per idem tempus elegerunt ſibi 12. pares quorum conſilio rex regnum ſuum gubernare debebat, per quos etiam vt in præmiſſam conſentiret proditionem fuit inductus. Nempe horum conſilio & præcipue abbatis de Menros, cum ad parliamentum veniſſet regis Angliæ, illicentiatus clam diſceſſit tanquam fugitiuus, ad magnum dedecus perſonæ ſuæ: ob quam cauſam Rex Angliæ iuſſit omnia bona ſua mobilia & immobilia quæ habebat in Anglia confiſcari, qui eo tempore plures villas & prædia pinguia poſſidebat.

Ruberuile ſuſpenſus. Thomas Turberuile miles captus in Waſconia, & Pariſius inter alios captiuos detentus, liber dimittitur ſponſione iuramento firmata, quod contra regem Angliæ Walliam commoueret. Qui cum veniſſet in Angliam proditionis conuictus tractus & ſuſpenſus eſt.

Gilbertus Comes Glouerniæ dies ſuos clauſit, relictis ex vxore ſua Iohanna filiabus tribus & vnico filio minoris ætatis, nomine Gilberto.

Gulielmus de Valentiis comes Penbrochiæ conceſſit in fata, cui ſucceſſit filius ſuus Aymerus.

Expeditio regis in Scotiam. Rex Angliæ Scotorum comperta proditione, diſpoſuit regnum Scotiæ vi ſubiicere niſi poſſent ab hiis quæ referebantur ſe legitime excuſare.

Expeditio in Waſconiam. Anno 1296 Edmundus Germanus regis Angliæ & Henricus comes Lincolniæ cum exercitu valido in Waſconiam transfretarunt, vbi reddita ſunt eis caſtra plura, cumque veniſſent prope Burdegaliam ad duo milliaria, exercitus Gallorum egreſſus de Burdegalia velut inopinato eis occurrit commiſſoque graui prælio Galli retrocedentes ad vrbem fugiunt, quosdum inſequuntur tres milites & duo vexilliferi Iohannis de Britannia & Alani Souche Galli portis clauſis ceperunt. Comites vero magna in partem ſuburbij combuſſerunt.

Et non multo poſt Edmundus comes vitæ finem fecit, fuerat autem comes Leiceſtriæ & Lancaſtriæ. Poſt cuius mortem exercitus Anglicanus obſedit vrbem Aquenſem, ſed penuria victualium compellente negotium eſt infectum. Eo tempore comes Attrabatēſis per regem Francorum miſſus in Waſconiam muniriones aliquas de manibus Anglorum extorſit. Per id tempus rex Angliæ immenſo coadunato exercitu venit ad nouum caſtrum ſuper Tynam. *Scotorum rex citatur.* Ad quem locum fecerat Iohannem Scotorum citari per edictum publicum, vt de his quæ ſibi debebant obiici reſponderet. Quo ad diem præfixum nec per ſe comparente, nec per nuncium ſe excuſante, rex de conſilio ſuorum decreuit vlterius procedendum. Interim quidam miles Robertus de Ros dominus Caſtelli de Werk non obſtante fidelitate quam Regi Angliæ iurauerat ad Scotos tranſfugit. Cuius germanus Gulielmus de Ros regem præmonens de fratris perfidia petiuit ſibi mitti ſubſidium, quo poſſet caſtrum defendere contra Scotos. Rex vero miſit illuc mille viros, qui recepti in villa quadam dicta Preſtſen, omnes eadem nocte à Scotis quorum capitaneus erat præfatus tranſfuga Robertus de Ros interfecti ſunt, exceptis paucis qui dilapſi ſunt fuga. Quo audito mox Rex cum exercitu ad caſtum illud properat, gauiſus in hoc vt fertur, quod Scoti primo cęperunt hoſtilia exercere. Rex itaq; ad prędictum caſtrum de Werk Paſchalem ſolemnitatem peregit. *Scoti Angliam vaſtant.* Quo tempore ſeptem comites Scotiæ videlicet, de Bowhan, de Menteth, de Stratuerne, de Lewenes, de Ros, de Athel, de Mar cum exercitu grandi feria ſecunda paſchæ Angliam ſunt ingreſſi, vaſtantes omnia cęde & incendio, non parcentes ſexui vel ętati, venienteſque Carleolum vrbem ipſam obſidione cinxerunt. Viri vero ciuitatis & fœminę lapidibus & telis Scotos à muris propulſabant, vrbem viriliter defendentes.

Videntes autem Scoti nil ſe proficere, feria quarta omiſſa obſidione in Scotiam redierunt. Eadem die ſ. feria quarta paſchalis hebdomadę rex cum exercitu tranſito flumine Tw. de peruenit prope Berwicum. Die vero veneris cum videret ciues ad pacem redire nolle, factis inſultibus tam per aquam quam per aridam, villam occupat, vnico tantum de ſuis militibus interfecto. Nocte ſequente dorminit rex in caſtro, iuſſitque rex fodi foſſam profundiſſimam inter Scotos & Berwicum quæ eſſet terrori hoſtibus, & eoſdem arctaret ab incurſibus repentinis. *Berwicum foſſa munitur.* Cūq; rex villam Berwici nouo foſſato muniret, venerunt

 ad

ad cum duo fratres minores de villa de Rokeſburgh deferentes literas Iohan. regis Scotiæ, tenorem huiuſcemodi continentes.

Scotorum regis litera.

Magnifico principi domino Edwardo dei gratia regi Angliæ, Iohannes eadem gratia Scotię rex. Cum vos ac illi de regno veſtro non ignorantibus vobis vel ignorare non debentibus, per violentiam, potentiam, nobis ac regni noſtri incolis graues immo intolletabiles iniurias, contemptus, grauamina, nec non enormia damna, contra noſtros ac regni noſtri libertates, ac contra deum & iuſticiam nototie & frequenter intuleritis, nos extra regnum ad leuem ſuggeſtionem pro libitu veſtræ voluntatis citando & indebite vexando, caſtra noſtra ac terras, poſſeſſioneſque noſtras & noſtrorum infra regnum veſtrum ſine noſtris demeritis occupando, bona noſtra ac ſubditorum noſtrorum tam per terram quam per mare rapiendo, & infra regnum veſtrum receptando, mercatores & alios regni noſtri incolas occidendo, homineſque noſtros de regno noſtro violenter abducendo ipſoſque ibidem detinendo & incarcerando, ſuper quibus reformandis nuncios noſtros ſępe tranſmiſimus, quæ non adhuc ſolum remanent incorrecta, verum etiam de die in diem per vos & veſtros prioribus deteriota cumulantur. Vos namque iam cum innumerabili multitudine armatorum veſtro exercitu publice conuocato ad exhæredandum nos, & regni noſtri incolas ad fines regni noſtri hoſtiliter acceſſiſtis, & vltra progredientes in regno noſtro ſtrages & incendia, nec non inſultus & inuaſiones violentas tam per terram quam per mare commiſiſtis inhumane. Nos dictas iniurias & grauamina & damna, nec non & hoſtiles impugnationes vlterius ſuſtinere non valentes, nec in fidelitate & homagio veſtro (licet per violentam impreſſionem impreſſam extortis) manendo contra nos, etiam ad defenſionem noſtram & regni noſtri, cuius defenſioni & tuitioni vinculo iuramenti ſumus aſtricti: nos volentes exigere fidelitatem & homagium tam à nobis quam ab aliis quibuſcunque regni noſtri incolis fidelibus noſtris ratione terrarum, quas in veſtro regno tenebant, & etiam ratione menagij ſeu retentionis veſtræ, nomine noſtro ac nomine eorundem omnium & ſingulorum, vobis reddimus per præſentes.

Rex Angliæ audita præſenti litera reſignationem homagij ſui admiſit, & Cancellario ſuo præcepit hanc literam regiſtrari ad perpetuam memoriam rei geſtæ.

Scoti Angliam vaſtant.

Septem Comites Scotiæ prænominati ſuperius cum eorum comitiua profecti ſunt in Angliam, vaſtantes omnia cæde & incendio, inter quę prioratum, cum tota villa de Hexam incendio deſtruxerunt, progreſſique ad domum monialiũ de Rameſay, domos quaſdam incenderunt, & cum ingenti præda in Scotiam ſunt reuerſi.

Patricius de Dunbar ſe regi Angliæ cum tota ſua poteſtate ſubmiſit. Caſtrũ de Dunbar cito poſt obſeſſum à Scotis fraude quorundam in eo exiſtentium redditum eſt eiſdem ad quod recuperandum comes Surrey & Southſexiæ Iohannes, & Guliel. comes Warwici à rege mittuntur cum manu forti. Quibus ſuperueniens Scotorum exercitus vt obſeſſis ferrẽt auxilium, excipitur dira pugna, in qua dicuntur occiſa Scotorum 10. millia. Sabbato ſequenti regi aduenienti redditum eſt caſtrum, in quo capti ſunt tres comites, ſex barones, cũ militibus 29 ſcutiferis octoginta tribus. Quos rex ad diuerſa caſtra Angliæ tranſmiſit arctius detinendos. Poſt captionem caſtri de Dunbar reddita ſunt ei caſtra de Rokeſburgh, & Edinburgh, caſtellum vero de Striuelin inuenit vacuum, cuſtodibus in fugam dilapſis. Trangreſſus vero mare Scoticum venit ad villam S. Iohannis in feſto S. Iohannis Baptiſtæ, vbi per aliquot dies manſit.

Dunbar à Scotis captum recuperatur.

Scotorum rex pacem petit.

Rex Scotorum Iohannes videns ſe regi Edwardo non poſſe reſiſtere, pacem ſupplex & miſericordiam implorauit, venitque ad mandatum regis Anglię cum ſuis magnatibus ad caſtrum de Brithni. Qui poſt multos varioſque tractatus, nude & pure ſubiecerunt ſe & regnum Scotiæ regiæ voluntati. In cuius ſubiectionis firmamentum rex Scotiæ filium ſuum obſidem tradidit, literaſque confecit continentes in Gallico hunc tenorem.

Subiectio Scotorum.

Iohannes dei gratia rex Scotorum omnibus præſentes literas viſuris vel audituris ſalutem. Quia nos per malum conſilium falſumque, ſimplicitatemque noſtram, grauiter offendimus dominum noſtrum Edward. dei gratia regem Angliæ dominum Hiberniæ, ducem Acquitaniæ in multis, viz. in eo quod exiſtentes & manentes in fide ſua & ſuo homagio, alligauimus nos regi Franciæ, qui tunc hoſtis eius erat, & adhuc eſt, matrimonium procurantes fieri cum filia domini Caroli fratris eius, & dominum noſtrum grauaremus, regemque Franciæ iuuaremus cum omni poteſtate noſtra per werram, modiſque aliis. Deinde per noſtrum peruerſum conſilium antedictum, diffidauimus dominum noſtrum regem Angliæ, & poſuimus nos extra fidem & homagium ſuum, reddendo

dendo ei homagium ſuum, & miſimus gentes noſtras in terram Angliæ ad incendia facienda & prædas abducendas, homicidia & alia damna plurima perpetranda, & terram Scotiæ quæ eſt de feodo ſuo contra eum muniendo, ponentes & ſtabilientes gentes armatas, in villis, caſtris, & alibi ad defendendum terram contra eum de fœdo ſuo pro quibus tranſgreſſionibus dominus noſter rex Angliæ antedictus ingreſſus terram Scotię in fortitudine ſua eam conquiſiuit & cepit, non obſtante omni eo quod facere potuimus contra eum, ſicut poteſt de iure facere tanquam dominus de fęodo ſuo, quia nos homagium noſtrum reddidimus & fecimus rebellionem antedictam. Nos igitur exiſtentes adhuc in plena poteſtate noſtra & libera voluntate, reddimus ei terram Scotiæ & gentem noſtram cum homagijs. In cuius rei teſtimonium, &c. Conſignata litera, fractoque ſigillo communi regni Scotię, proceſſit rex vt videret montana Scotiæ, præcedente eum ſemper per vnam dietam epiſcopo Dunelmenſi. In redeundo autem tranſiuit per Abbathiam de Scone, vbi ſublato lapide quo reges Scotorum tempore coronationis ſolebant vti pro throno, tranſtulit illum vſque Weſtmonaſterium, iubens idem fieri celebrantium cathedram ſacerdotum. *Thronus Scotorum regis in Angliam tranſlatus.*

Eo tempore Rex apud Berwicum facto parliamento, omnium magnatum Scotiæ fidelitates recepit & homagia, qui ad rei geſtæ memoriam perpetuam, confecerunt ſuper hoc literas patentes, eorum ſigillis munitas, continentes in Gallico hunc tenorem.

Omnibus præſentes literas viſuris vel audituris Iohannes Comyn de Badenau, &c. Quia ad fidem & voluntatem illuſtriſſimi principis ac chariſſimi domini noſtri domini Edward. dei gratia regis Angliæ, domini Hiberniæ, ac ducis Aquitaniæ venimus, promittimus pro nobis & hæredibus noſtris, ſub pœna corporũ noſtrorum & catellarum ac omnium quæ habere poſſumus, quod nos ſeruiemus ei bene & fideliter contra omnes gentes, quæ viuere & mori poſſunt, omnibus vicibus quibus requiremur & pręmuniemur per antedictum dominum noſtrum regem Angliæ, vel hæredes ſuos, & quod nos non ſciemus damnum eorum, quin illud impediemus omnibus viribus noſtris, & eos præmuniemus, & ad iſta tenenda & ſeruanda, obligamus nos & hæredes noſtros, & omnia bona noſtra. Inſuper & iurauimus tactis ſacroſanctis Euangelijs, & poſtea nos omnes & quilibet noſtrum per ſe fecit homagium domino noſtro regi Angliæ in hæc verba. Ego veſter homo ligeus efficior de vita & membris, & terreno honore contra omnes homines qui poſſunt viuere & mori. Et idem Dominus recepit hoc homagium ſub hiis verbis: Nos illud recipimus pro terris quibus eſtis nunc ſeiſiti, ſaluo iure noſtro aut alterius, & exceptis terris quas Iohannes de Baliolo quondam rex Scotiæ nobis contulit, poſtquam & regnum Scotiæ liberauimus, ſi forte aliquas terras dedit. Inſuper nos omnes & ſinguli noſtrum, per ſe fecimus fidelitatem domino noſtro regi prædicto in his verbis. Ero fidelis & legalis, fidemque & legalitatem ſeruabo Edw. regi Angliæ & hæredibus ſuis, de vita & membris & terreno honore, contra omnes homines qui poſſunt viuere & mori, & nu[illegible]am pro aliquo portabo arma, nec ero in conſilio vel auxilio contra eum, & hęredes ſuos in aliquo caſu qui poſſit contingere, ſed fideliter recognoſcam, & fideliter faciã ſeruitia quæ pertinent ad tenementum, quod de eo tenere clamito, ſicut me deus adiuuet & omnes ſancti eius. In harum rerum teſtimonium factę ſunt iſtę literę patentes, & ſigillis noſtris ſignatæ. Dat. apud Berwicum, anno regni regis Anglię Edwardi domini noſtri, viceſimo quinto. *Sesti fidelitatem iurant regi Angliæ.* *Forma homagij Scotorum.* *Iuramentum Scotorum.*

Hiis ita geſtis ordinauit rex cuſtodem Scotiæ, Ioh. de Karenna Surrey & Southſexiæ comitem, theſaurarium Hugonem de Creſſingham, iuſticiatium Gulde Ormeſby. Cui mandauit rex vt omnes tenentes de rege terras aliquas vocaret, & eorum homagia fidelitateſque reciperet. Iohann. vero Scotiæ quondam regem miſit ad turrim Londoniarum, aſſignata ſibi decenti familia, liberumque conceſſit exitum ad 20. milliaria circa vrbem. Iohan. vero Comyn de Badenhan & alium de Bowhan, cæteroſque terrę illius magnates tranſtulit in Angliam vltra Trentam, interdicens reditum in Scotiam ſub pœna capitali, quouſque guerra ſua cum rege Franciæ finiretur. *Iohannes turri commiſſus.*

Poſt hæc Rex Edward. veniens in Angliam, apud S. Edmundum parliamentum tenuit in craſtino animarum. In quo à ciuitatibus & Burgis conceſſa eſt regi octaua, à populo vero reliquo duodecima pars bonorum. Clerus ob conſtitutionem Bonifacij papæ hoc anno æditam, quæ prohibet ſub pœna excommunicationis, ne talliæ vel exactiones à clero per ſeculares principes quocunq; modo exigãtur, vel eis ſoluantur de rebus eccleſiæ, regi pro guerra ſua petenti ſubſidium denegauit. Rex autem, vt de meliori reſponſo deliberarent, negotium in aliud parliamentum tenendum Londoniis in craſtino S. Hillarij diſtulit. *Parliamentum apud S. Edmundum.*

Celeſtini mors.

Hoc anno frater Petrus de Murrone, quondam papa Celeſtinus per Bonifacium papam captus, & in arcta detentus cuſtodia, ſoluto præſentis vitæ ergaſtulo ad cæleſtia regna migrauit.

Clerus regia protectione excluditur.

An. 1297. Parliamentum coactum eſt Londonijs poſt feſtum S. Hillarij, in quo clero perſiſtente in denegatione ſubſidij, rex ipſum à ſua protectione excluſit. Pro qua tamen redimenda multi per ſe, multi per mediatores regi bonorũ ſuorum dederunt poſtea 5. partem. Rex Archiepiſcopum in hac parte rigidiorem comperiens, terras eius omnes ſeiſiuit, & de bonis eiuſdem debita in rotulis ſcaccarij inuẽta præcepit cum celeritate leuari. Nam idem Archiepiſcopus de conſenſu cleri procurauerat à papa inhibitionem, ne quis clericorum regem reſpiceret de bonis eccleſiæ.

Per idem tempus Comes Atrabatenſis in Waſconia in quodam conflictu vicit Iohannem de S. Iohanne cuſtodem illarum partium, & captiuum miſit Pariſius cum aliis 8. militibus, & ſcutiferis nonnullis in pompa triumphi.

Tributum lanæ auctum.

Hoc anno auxit rex tributum de lanis, accipiens de quolibet ſacco 40. ſol. cum prius vltra dimidiam marcam non daretur.

Citatio regis ſeruientium.

Rex congregatis ad conſilium Sarum quibuſdam regni magnatibus, rogauit vt eorum aliqui in Waſconiam tranſfretarent. Quibus renuentibus inter vtroſque diſcordia pullulauit. Rex proinde citari fecit omnes, qui debebant ſibi ſeruitium, cęteroſque omnes qui 20. libratas terræ & amplius tenebãt, vt parati eſſent Londoniis in feſto S. Petri ad vincula, cum equis & armis transfretaturi cum eo, & regiis ſtipendiis militaturi.

Per hoc tempus cardinales de Columna per papam Bonifacium depoſiti, ad vrbem ſe conferunt Nepeſinam, contra quos damnatos tanquam ſchiſmaticos & excommunicatos, papa viros bellatores in Italia cruce ſignauit.

Flandrẽſium afflictio.

Philippus Francorum rex ingreſſus Flandriam partem patriæ deuaſtauit. Comes vero Atrabatenſis reuerſus de Waſconia, & ingreſſus Flandriam commiſſo bello iuxta Furnas, factus eſt ſuperior, & villam de Furnas cepit.

Guliel. Walleys Scotos ad rebellionem incitat.

Guliel. Walleys latro publicus Scotos ad rebellionem concitauit. Qui factus dux Scotorum, aſſociato ſibi Gul. Douglas, Gul. de Ormeſby Iuſticiarium apud Scone opprimere cogitabat. Sed ille licet tarde præmonitus, ſuis omnibus pene relictis ad ſpolia hoſtium, eorum inſidias vix euaſit. Gul. ergo Walleys cum ſuis palam debacchando in Anglicos, quoſcunque inuenire potuit trucidauit, de quibus viros religiſos ligatis ad dorſum manibus, coegit ſaltare in fluuium, eorum ſubmerſionem in ludibrium conuertendo. Medio tempore rex audiens afflictionem Flandrenſium doluit vehementer. Habenſque maxime cordi iter in Flandriam ad iuuandum amicum ſuum comitem ſibi nuper confœderatum, totam militiam vltra fluuium de Trent aſſignauit comiti de VVarenna, vt Scotorum audaciam reprimeret, conatuſque faſtuoſos. Scripſit etiam Ioh. Comyn de Badenam, & comiti de Bowhan, vt memores fidelitatis ſuæ reuerterentur in Sco[illegible]um, & populi ſui ſuſcitatum iam tumultum ſedarent. Qui iuxta regis mandatum reuer[illegible]s in Scotiam, quæ pacis erant ſegniter executi ſunt.

Comes de Warenna profectus in Scotiam, nepotem ſuum Henr. de Percy cum militia Carleoli ante ſe præmiſit, viditq; vltra quendam lacum conſedentem Scotorum exercitum. Quorum capitanei erant epiſcopus Glaſcuenſis, Andreas de Morima Seneſchallus Scotiæ, & Gul. Walleys. Miles autem quidam Rich. de Lundi, qui regi Anglię nũquam hom[illegible]gium fecerat, relictis Scotis factus tranſfuga, ſe ſtatim Anglicis ſociauit.

Scoti quidem ſe reddunt.

Reliqui pacem petentes dediderunt ſe, ſaluis eis vita & membris, catallis, & terris, ita vt omnia vſque in hanc diem eſſent ſimpliciter condonata. Quam pacem promiſſis obſidibus, & idem ſcripto confecto admiſit Henr. Percy, ſi tamen hoc regi placeret. Rex ſuper hoc conſultus, ne à certo impediretur itinere annuit poſtulatis. Epiſc. Glaſcuenſis in caſtro de Rokeſburgh, Gul. vero Duglas in caſtro Berwici cuſtodiæ mancipantur.

Parliamentum factum eſt Londoniis in feſto S. Petri ad vincula, in quo Rex recepit Archiepiſcopum in gratiam ſuam, omnibus quę eius erant reſtitutis eidem, & de exactionibus in regno factis per neceſſitates guerrarum, ſe erga populum excuſauit. Magnatibus vero, qui tunc aderant, præcepit, vt fidelitatem filio ſuo facerent, ipſumque regni hæredem recognoſcerent.

Edvvardus primus parat iter in Flandriam.

Comes Mareſcallus & Herefordenſis cum vocarentur vt ſua officia tranſfretando in Flandriam exercerent, ſe ſubtraxerunt, & ſuper hoc ſe per nuncios excuſabant. Rex Radulphum de Moynhermer militem, quem filia ſua Iohanna Comitiſſa Glouerniæ clam maritum acceperat, in grauem patris offenſam, de caſtro Briſtolliæ fecit educi & vxori ſuę reddi, reſtituendo ei omnes terras ſpectantes ad comitatum Glouerniæ, imponens eiſdem ſeruicium quinquaginta militum in terram

ram

ram Flandriæ. Liberauit etiam de carcere Comites de Aſceles, & de Menteth & Iohan. Comyn cum quibuſdam alijs militibus de Scotia, qui in caſtro de Dunbar capti fuerunt, vt ſecum in Flandria militarent. Collecto denique exercitu, Thoma de Berkley Conſtabulatio & Galfrido de Monibilza Mareſcallo factis, in Flandriam profecturus iter ſuum dirigit, atque iuxta Winchelſeiam vbi portum elegerat conſedit, illic viros bellatores aduenturos ad ſe de diuerſis partibus per dies aliquot expectando. Regi adhuc moram facienti apud Winchelſey, venerunt ad eum nuncij ex parte Comitum regni, petitiones in ſcriptis huiuſmodi proponentes.

Hæc ſunt nocumenta, quæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Priores, Comites & Barones, & tota terræ communitas monſtrant domino noſtro Regi, & humiliter rogant eum, vt ea ad honorem ſuum & ſaluationem populi ſui, velit corrigere & emendare. Inprimis videtur toti communitati terræ, quod præmunitio facta eis per breue domini noſtri Regis non erat ſatis ſufficiens, quia non exprimebatur certus locus, quo debebant ire, quia ſecundum locum oportebat facere prouidentiam & pecunias habere. Et ſiue deberent ſeruitium facere, ſiue non, quia dictum eſt communiter, quod dominus noſter vult transfretare in Flandriam, videtur toti communitati, quod ibi non debent aliquod ſeruitium facere, quia nec ipſi, nec prædeceſſores ſui, ſeu progenitores, vnquam fecerunt ſeruitium in terra illa. Et quamuis ita eſſet, quod deberent ibi ſeruitium facere vel alibi, tamen non habent facultatem faciendi, quia nimis afflicti ſunt per diuerſa tallagia, auxilia, priſas, viz. de frumento, auenis, braſeo, lanis, corijs, bobus, vaccis, carnibus ſalſis ſine ſolutione alicuius denarij, de quibus debuerant ſe ſuſtentaſſe. *Petitiones Comitum regni.*

Præter hæc dicunt, quod auxilium non poſſunt facere propter paupertatem in qua ſunt, propter tallagia & priſas antedictas, quia vix habent vnde ſe ſuſtentent, & multi ſunt, qui nullam ſuſtentationem habent, nec terras ſuas colere poſſunt. Præter hæc tota communitas ſenſit ſe valde grauatam, quia non tractantur ſecundum leges & conſuetudines terræ, ſecundum quas anteceſſores ſui tractari ſolebant, nec habent libertates quas ſolebant habere, ſed voluntarie excluduntur. Præter hæc communitas terræ ſe ſentit nimis grauatam de vectigali Lanarum, quod nimis eſt onerosum, viz. de quolibet ſacco 40. ſol. & de lana fracta de quolibet ſacco ſeptem marcas. Nam lana Angliæ aſcendit fere ad valorem medietatis totius terræ, & vectigal quod eidem ſoluitur, aſcendit ad quintam partem valoris totius terræ. Quia vero communitas optat honorem & ſalutem domino noſtro Regi, ſicut tenetur velle, non videtur eis quod ſit ad bonum Regis, quod tranſeat in Flandriam, niſi plus eſſet aſſecuratus de Flandrenſibus pro ſe & pro gente ſua, & ſimul cum hoc propter terram Scotiæ, quæ rebellare incipit, ipſo exiſtente in terra, & æſtimant quod peius facient, cum certificati fuerint, quod Rex mare tranſierit, nec ſolum pro terra Scotiæ, ſed etiam pro terris alijs, quæ non ſunt adhuc modo debito ſtabilitæ. Rex ad præmiſſa reſpondit, ſe talibus non poſſe ſine ſuo conſilio reſpondere, cuius pars aliqua iam tranſiuit in Flandriam, pars aliqua Londonijs eſt relicta. Rogauit ergo per eoſdem nuncios præfatos Comites, quod ſi ſecum tranſire nollent, ſaltem regno ſuo in ſua abſentia non nocerent, ſperabat autem Deo fauente reuerti, & regnum ſuum modo debito obtinere. Duodecimo Kalendas Septembris Rex naues ingreſſus velificauit vſque Flandriam, & ſexto die ſequente applicuit iuxta Seluſam, vbi facta diſſenſione inter Porteſmuthenſes, & Gernemuthenſes ventum eſt ad pugnam. Succumbentibus Gernemuthenſibus de nauibus eorum viginti quinque incendio conſumuntur. Rex vero vt venit ad Brugiam comperit Brugenſes plus inclinatos Gallicis, quam ſibi vel ſuo domino naturali. Quapropter verſus Gandauum dirigit iter ſuum, vbi dum moraretur orta eſt diſcordia apud villam Samonem, inter villanos & Anglicos, qui armati villam ipſam multis interfectis deprædati ſunt ad magnam diſplicentiam Regis noſtri.

Rex Francorum audito aduentu Regis Anglorum in Flandriam vehementer conſternatus, ad vnius dietæ ſpacium ſe ſubtraxit.

Papa Bonifacius ſcripſit interim Principibus Alemanniæ, vt Regem Romanorum Adulphum qui nuper confœderatus fuerat Regi Angliæ, ne tranſiret in Flandriam in auxilium Regis Angliæ, bellis quibus poſſent inquietarent, & ab inuaſione Gallorum modis omnibus impedirent.

Comites Herefordiæ & Mareſcalli cum ſuis complicibus inhibuerunt theſaurario & baronibus de Scaccario, ne leuari facerent 8. denarium à populo, qui Regi conceſſus fuerat apud S. Edmundum. Induxerunt inſuper ciues Londoniarum, vt pro recuperandis ſuis libertatibus ſecum ſtarent.

Rege Angliæ in Flandria commorante, locum eius in Anglia tenuit filius ſuus Edwardus, adhibitis ſibi tutoribus viris prouidis & diſcretis.

Adulphus interficitur.

Eodem anno Adulphus Rex Alemanniæ, qui pactum quod pepigit cum Rege Angliæ præuaricauerat, orta diſſenſione inter ipſum & Albertum filium Rodulphi ducis Auſtriæ, belloque indicto iuxta Maguntiam corruit ſauciatus. Et regnauit idem Albertus pro eo.

Bellum inter Scotos & Anglos.

Exeunte menſe Auguſto, cum Comes Warennæ fruſtratam vidiſſet Scotorum promiſſionem, miſit nuncios ad Gulie. Walleys, & Scotos qui cum eo erant, qui inuitarent eos ad pacem, & pro retroactis ſponderent impunitatem. Qui reſponderunt ſe ad pugnam, non ad pacem veniſſe. Commiſſum eſt ergo bellum iuxta pontem de Striuelin ſatis inconſulte, in quo plures ex Anglicis ſunt perempti. Comes Warennæ cuſtos Scotiæ fugiens ad Berwicum, commiſit cuſtodiam caſtri de Striuelin, Marmeduco de Twenge, qui inter paucos qui euaſerant ſe ſaluauit. Seneſcallus Scotiæ & Comes de Lewnes videntes Anglorum ſtragem transfugerunt ad Scotos. Cecidit autem in hoc conflictu Hugo de Creſſingham Theſaurarius Scotiæ, quem Scoti ob odium ſpeciale excoriantes, pellem eius in particulas diuiſerunt. Comes Warennæ de Berwico fugit in Angliam ad filium Regis Edwardum, poſt quem fugerunt & cæteri, qui in Berwico fuerant, villam Scotis relinquentes vacuam. Cuſtodes autem caſtri illud tenentes viriliter defenderunt. Cum hæc agerentur à Scotis, ſuaſum eſt filio Regis à conſilio ſuo, vt Comites Herefordiæ & Mareſcalli vocaret, & ſi quo modo poſſet ad pacem alliceret. Qui hanc formam pacis & nullam aliam admittere voluerunt.

Articuli pacis inter regem & proceres.

Viz. quod dominus Rex magnam chartam, cum cæteris articulis adiectis, & chartam de foreſta annuat & confirmet: & quod nullum auxilium vel vexationem exigat à clero vel populo in poſterum, abſque conſilio & aſſenſu: & quod omnem offenſam Comitibus & eorum confœderatis dimittat. Articuli adiecti ad magnam chartam ſunt iſti. Nullum tallagium vel auxilium per nos vel hæredes noſtros de cætero in regno noſtro imponatur, ſeu leuetur ſine voluntate & aſſenſu communi, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum, Comitum, Baronum, Militum, Burgenſium & aliorum liberorum hominum. Nullus miniſter noſter, vel hæredum noſtrorum in regno noſtro capiat Blada, Lanas, Coria, aut aliqua alia bona cuiuſcunque ſine voluntate & aſſenſu illius cuius fuerint. Nihil capiatur de cætero nomine vectigalis de ſacco Lanæ. Volumus etiam & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris, quod omnes clerici & laici de regno noſtro habeant omnes leges, libertates, & omnes conſuetudines, ita libere & integre, ſicut eas aliquo tempore conſueuerunt melius pleniuſque habere. Et ſi contra illas, vel quemcunque articulum in præſenti charta contentum, ſtatuta fuerint edita per nos vel anteceſſores noſtros, vel conſuetudines introductæ, volumus & concedimus, quod huiuſmodi ſtatuta vacua ſunt & nulla in perpetuum. Remiſimus etiam Humfrido de Boun Comiti Hereſordiæ & Eſtſexiæ, Conſtabulario Angliæ, Roberto Bigod Comiti Northſolciæ, Mareſcallo Angliæ, & alijs Comitibus, Baronibus, militibus, armigeris, Iohanni de Ferrarijs ac omnibus alijs de eorum ſocietate, confœderatione & concordia exiſtentibus, nec non omnibus viginti libratas terrarum tenentibus in regno noſtro ſiue de nobis, ſiue de aliquo quocunque in capite, qui ad transfretandum nobiſcum in Flandriam certo die notato vocati fuerunt, & non venerunt, rancorem noſtrum & malam voluntatem, quam ex cauſis prædictis erga eos habuimus, & tranſgreſſiones ſi quas nobis vel noſtris fecerint vſque ad præſentis chartæ confectionem. Et ad maiorem ſecuritatem huius rei, volumus & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris, quod omnes Archiepiſcopi Angliæ & Epiſcopi in perpetuum in ſuis cathedralibus eccleſijs, habita præſenti charta & lecta excommunicent publice, & in ſingulis eccleſijs ſuarum diœceſium excommunicari faciant, ſe excommunicatos denunciare bis in anno omnes, qui contra tenorem præſentis chartæ vim & effectum in quocunque articulo ſcienter fecerint, aut fieri procurauerint quouis modo.

Subſidium.

Miſſis ergo in Flandriam nuncijs ad ipſum Regem, confirmationem omnium iſtorum ſub ſigillo ſuo tanquam ab illo qui in arcto poſitus erat, & cedendum malitiæ temporis obtinuerunt. Pro confirmatione harum rerum omnium dedit populus Anglicanus Regi denarium nonum bonorum ſuorum. Clerus vero Cantuarienſis decimum, & clerus Eboracenſis quintum, quia propior damno fuit.

Anno 1298. tenuit Rex Edwardus feſtum natalis in Flandria apud Gandanum. Ad quem venerunt ex parte Papæ nuncij rogantes eum ſub eadem forma, qua ante ex parte Papæ rogauerant Regem Franciæ, vt nuncios ſolemnes ad Curiam Romanam, conceſſa eis plena poteſtate tractandi, ordinandi, & perficiendi omnia, quæ pacis reformationem tange-

Digitized by Google

tangerent, deſtinaret, & ipſe apoſtolicus non tanquam iudex, ſed vt bonus pacis mediator in nullius præiudicium ſatageret ad pacem & tranquillitatem regnorum, Regum amicitiam in ſtatum priſtinum reformare. Et quia hoc abſque treugis fieri non poſſe indicauit ſummus Pontifex, ideo per hos nuncios biennales inducias, quas per Cardinales implorauerat, indixit de nouo ſub pœna excommunicationis, & interdicti terrarum ſuarum.

Papa mediator inter reges.

Rex Angliæ perpendens ſe in Flandria periculoſe commorantem, illucque per informationem Comitis Flandriæ minus prudenter attractum, regnumque proprium inteſtina ſeditione turbatum, fiduciamque ſuam de Rege Romanorum per Papam ſibi minus beneuolum regnum Teutoniæ turbantem fruſtratam, conſenſit in treugas indictas. Tranſmittunt ergo Reges vtrique ſolemnes nuncios cum plena poteſtate ad Romanam curiam, vt per mediationem apoſtolici, non tanquam iudicis ſed amicabilis compoſitoris diſcuſſis negotijs, pax inter Reges & concordia reformaretur.

Nuncij ad Papam de pace.

Poſt hæc apud Gandauum ſuſcitata eſt ſeditio per filios Comitis Flandriæ & villanos contra Anglicos, quorum villa per Wallenſes incenſa fuiſſet, niſi Rex accurrente ad eum Comite, concitatum impetum impediſſet.

Eo tempore Comes Warennæ cuſtos Scotiæ, ac Comites alij iuxta mandatum regium apud Eboracum conuenientes, publicata confirmatione chartarum articulorumque adictorum verſus Scotiam proceſſerunt. Maiores Scotorum Eboracum non venientes ſecundum vocationem regiam ſe intra terræ ſuæ terminos tenuerunt.

Gulielmus Walleys Caſtrum de Rokesburia iam multis diebus obſederat, ſed audito aduentu Anglorum diffugit. Comites vero regni peruenientes Rokesburgiam muniro caſtro, & conſolatis obſeſſis, audierunt de treugis acceptis inter Reges, & literas acceperunt à Rege de reditu ſuo, iubentes ne ante aduentum ſuum aliquid in Scotia attemptarent, per quod poſſent diſcrimen incurrere quouis modo.

Rex Angliæ reuerſurus ad propria, cum veniſſet ad villam vocatam Ardeburgia, Scoti fere cuncti quos ſecum in Flandriam duxerat, ab ipſo decedentes Pariſius abierunt. Cumque Rex veniſſet in Angliam, miſit ad Regem Francorum pro liberatione captiuorum iuxta formam condictam. Conuenerat nempe inter eos, vt captiui interim taxata eorum redemptione liberentur, hincinde ea conditione, vt ſi pax non fuerit, redirent ad ſuas cuſtodias, vel redemptionem ſoluerent iam taxatam. Rex vero Francorum exigit à nuncijs liberationem Iohannis quondam Regis Scotiæ, qui de ſuis fuerat, vt aſſeruit, alligatis. Rex Angliæ reſpondit, conuentionem tantum de illis captiuis factam, qui in werra Waſconiæ capti fuerant, hinc & inde, quapropter dilata eſt in annum ſequentem liberatio captiuorum.

Rex Edwardus ad reprimendum Scotorum rebelliones parliamentum tenuit Eboraci, vocatiſque Scotorum maioribus cum non venirent, indixit ſuis vt cum equis & armis parati eſſent Rokesburgiæ in feſto S. Iohannis Baptiſtæ. Tempore præfixo affuit rex paratus ad proficiſcendum, profectuſque eſt cum exercitu ad quandam villam vocatam Temple hiſtorie, vbi dum moraretur, Scotorum exercitus putans Anglos confectos inedia venit prope locum. Quod rex prænoſcens, proceſſit Scotis obuiam, & nocte iam cæca in quadam campi planicie cum armato conſedit exercitu. In aurora clamor factus eſt horribilis, tanquam Scoti caſtra regia occupaſſent. Regis dextrarius tumultuoſo actus clamore, regem iam aſcendentem recalcitrando deiecit, eiuſque lateri calces poſteriores allidens, duas ei coſtas confregit. Qui nihilominus aſcendens equum, alium exercitum progredientem ad bellum comitari non omiſit. In die beatæ Mariæ Magdalenæ commiſſo inter Anglos & Scotos cruentiſſimo bello, Scoti terga dedere, occiſis ex eis 60. millibus ea die.

Parliamentum Eboraci.

Regis duæ coſtæ fractæ.

Scotorum cædes.

Gulielmus Walleys & maiores Scotiæ ab iſto diſcrimine ad nemora confugerunt. Poſt hæc vaſtata eſt villa S. Andreæ per Anglos, & captum caſtrum de Loughmaban. Cum autem veniſſet rex Carleolum, Comites Herefordiæ, & Mareſcalli, licentia accepta ad propria redierunt. Rex vero reuertendo peruenit ad Coldingham, vbi feſtum natalis Domini expectauit.

Hoc anno Albertus dux Auſtriæ contra Adulphum regem Romanorum dimicans ipſum interfecit in campo, & ſibi ſucceſſit in regem ſolemniter coronatus.

Petrus & Iacobus de Columna quondam Cardinales ab exercitu Papæ Preneſte obſeſſi, tandem ſe humiliant, & venientes ad Papam, veniam poſtulant de commiſſis.

Cardinales humiliant ſe.

Anno 1299. Papa Bonifacius receptis regum ſubmiſſionibus, pacem & concordiam inter reges ordinauit, ita vt rex Angliæ ſororem, & filius eius, filiam regis Franco-

rum

Pax inter Reges per Papam facta.

rum ducerent,certis pro vtriuſque dotibus definitis. Et ducatus Aquitaniæ in manus domini Papæ traderetur, quouſque diſcuſſa vtriuſque iuſtitia iuſto domino redderetur. Et quod Rex Angliæ naues ſuperſtites cum mercibus de illis quæ raptæ fuerant, reſtitueret. Sed ſuper his duobus articulis intercidit magna dilatio, Rege Francorum partem quam in Waſconia occupauerat,tradere renuente.

Petrus & Iacobus de Columna timentes iterum fugiunt, & toto tempore Bonifacij Papæ ſe occultant.

In principio quadrageſimæ Rex Edvv.tenuit parliamentum Londonijs. In quo rogatus à Comitibus ſæpe dictis,vt chartarum confirmationem renouaret,ſecundum quod in Scotia promiſerat, poſt aliquas dilationes, annuit eorum petitioni, hac conditione, ſaluo iure coronæ noſtræ in fine adiecta. Quam cum audiſſent Comites cum diſplicentia ad propria receſſerunt. Sed reuocatis ipſis ad quindenam Paſchæ, ad vota eorum abſolute omnia ſunt conceſſa.

Iohannes Papa mittitur.

Nuncij papales venere Cantuariam Regem rogantes, vt Iohannem quondam Regem Scotiæ ſuæ liberaret cuſtodiæ, ſpondentes quod Regem & regnum, ab omni quod per hanc poſſet contingere liberationem periculo præſeruarent. Quorum petitioni Rex condeſcendens reſpondit,ſe ipſum Iohannem tanquam ſeductorem, falſum & periurum ad Papam miſſurum. Ad quæ nuncij reſponderunt: Et nos eum pro tali ſuſcipimus ſummo Pontifici præſentandum. Cumq; dictus Iohannes cum præfatis nuncijs veniſſet Douerniam, & ciſtæ ſuæ in nauem inferrentur, quidam regales qui eos ad mare deduxerant,

Scotorum Regis cyſta aperiuntur.

clitellas dicti Iohannis aperiri fecerunt, in quibus inuenta eſt vna corona regia regni Scotorum aurea, & multa vaſa aurea & argentea & pecuniæ non parua ſumma, quæ vniuerſa Regi Angliæ ſunt allata. Rex illico coronam auream offerri iuſſit beato Thomæ martyri, & ſigillum commune Scotiæ quod repertum eſt ibidem inter cætera, iuſſit ſibimet reſeruari pecuniam vero totam remiſit dicto Iohanni ad expenſas itineris. Quod factum nuncij plurimum commendarunt. Iohannem vero in terram Balioli quam habuit in regno Franciæ tranſtulerunt,& ibidem ſub certa prælatorum cuſtodia reliquerunt.Poſt hæc & alij captiui à Regibus detenti hinc inde, ſecundum conditiones in treugarum poſſeſſione poſitas liberantur.

Rex Edvvardus ducit vxorem.

Rex Angliæ ſororem Regis Franciæ Margaretham Cantuariæ duxit vxorem. His nuptijs interfuere,Dux Burgundiæ,Comes Britanniæ,& cuncti fere Principes nominati, qui citra Hiſpaniam morabantur. Cantuarienſis Archiepiſcopus ſolemnitatem matrimonij conſummauit.

Edmundi mors.

Rex venit ad S. Albanum petens humiliter orationes & ſuffragia fratrum illius loci. Poſt eius receſſum acceſſit Regina ad monaſterium, & obtulit duos pannos aureos beato Albano, vbi etiam perhendinauit per tres hebdomadas cum familia magna nimis. Ante receſſum ſuum ingreſſa capitulum, ſuſcepit beneficium ſororitatis cum magna deuotione.

Anno 1300. obijt ſine prole Edmundus Comes Cornubiæ, filius Richardi quondam Comitis Cornubiæ & Regis Alemanniæ. Qua de cauſa redijt comitatus ille ad coronam. Corpus Edmundi Comitis apud Aſſehetugge,locum quem fundauerat eſt humatũ.

Scotis Papa procurante treuga data.

Rex Angliæ direxit ad Papam nuncios, qui declararent iniurias ſibi irrogatas per Scotos, & eorum falſitatem manifeſtarent, inſuper & eundem deprecarentur, ne Scotis mendacij fabricatoribus, proditoribus, & homicidis de cætero ſinum aperiret protectionis, quorum fraudulenta perſuaſio papalem ſolicitudinem circumuenerat. Sed Papa cuius ſtomachus à corruptione Scotorum nondum digeſtus fuerat, Regi ſupplicat, necnon & mandat, vt ſui contemplatione, Scotis treugas indulgeat à die omnium ſanctorum vſque ad feſtum Pentecoſtes, & factum eſt ita.

Anno 1301. natus eſt Regi filius ex Margaretha Regina, quem vocauit Edmundum.

Papa nuncius cedere Francia iubetur.

Appamienſis Epiſcopus de conſpiratione contra Regem Franciæ accuſatus, & ad curiam Regis vocatus in cuſtodia detinetur. Menſe vero Februario ad mandatum Papæ liberatus, iubetur vna cum nuncio domini Papæ, regnum euacuare infra certum terminum à Rege præfixum. Quo facto Papa ſic exaſperatus eſt, vt omnes gratias à ſe vel ſuis prædeceſſoribus conceſſas Francorum Regibus reuocaret, & in eundem Regem excommunicationis ſententiam fulminaret. Quam tamen Regi nemo auſus eſt nunciare, vel in regno Franciæ publicare. Fecit etiam Papa citari cunctos Prælatos de regno Franciæ, necnon & omnes magiſtros in Theologia, & in iure tam canonico quam ciuili Doctores, vt coram eo Romæ in Kalendis Nouembris comparerent. Rex vero Franciæ publico prohibuit edicto, ne quis aurum vel argentum, ſeu merces quaſcunque aſportaret de regno ſuo, ſub forisfactione omnium bonorum, adiecta nihilominus pœna graui. Miſitque domino Papæ nun-

nuncium dictum Petrum de Flote, qui mandata regis conſtantiſſime coram Papa proſequebatur, de cuius audacia Papa exaſperatus dicto Petro reſpondit: Nos habemus, inquit, vtramque poteſtatem. Et illico Petrus pro ſuo domino reſpondit. Vtique domine, ſed veſtra eſt verbalis, noſtra autem realis. Quo reſponſo tantum excanduit ira Papæ, vt diceret ſe mouere contra eum cœlum & terram.

Papa gladium verbalis.

Rex Angliæ tenuit parliamentum Staunfordiæ, ad quod conuenerunt Comites & Barones cum equis & armis, eo propoſito, prout dicebatur, vt executionem chartæ de foreſta, dilatam hactenus extorquerent. Rex vero eorum voluntati in omnibus condeſcendit.

Eodem anno Papa direxit literas regi Angliæ, quibus aſſeruit regnum Scotiæ ad ius Romanæ eccleſiæ pertinere, regemque Angliæ ſubiectionem eius contra Deum & iuſtitiam, & in præiudicium ſedis Apoſtolicæ vendicare, allegans ſubſcriptas ratiunculas. Primo, quia cum rex Henricus pater iſtius obtinuiſſet auxilium in werra ſua contra Simonem de monte forti à rege Scotorum Alexandro, ne hoc auxilium iure ſubiectionis cuiuſlibet aut debiti petitum, aut præſtitum putaretur, idem Henricus per literas ſuas patentes recognouit non ex debito recepiſſe, ſed ex gratia ſpeciali. Item ad coronationem huius regis vocatus per literas, vt ei præſentiam amicabilem in tantis ſolemnijs amicus exhiberet, non venit ex debito ſed ex gratia ſpeciali. Inſuper pro terris de Tyndale & Penreth in regno Angliæ poſitis, cum rex Scotiæ ad præſentiam regis Angliæ ſe perſonaliter contuliſſet, eidem fidelitatem impenſurus pro eiſdem terris tantum in Anglia ſitis, non vt rex Scotiæ, nec pro regno Scotiæ fidelitatem eandem exhibuit, quia palam coram populo proteſtatum eſt, quod pro regno Scotiæ fidelitatem aliquam regi Angliæ facere non debebat. Item quod prædictus rex Alexander reliquit puellam hæredem nomine Margaretham neptem regis Angliæ tunc minoris ætatis, cuius cuſtodia non ad regem Angliæ velut dominum ſupremum peruenit: ſed ad cæteros eiuſdem regni Scotiæ proceres ad hoc electos. Redarguebat etiam Papa regem, eo quod poſt mortem dicti Alexandri regis, Scotos tanquam Acephalos & ducis ſuffragium non habentes, ipſos per vim ſibi ſubiugauit & metum, in præiudicium & grauamen non modicum Romanæ eccleſiæ, adijciens, quod cum dominus Papa officium legationis alicui committit exequendum in regno Angliæ, cauſa ſolutionis decimæ, vel etiam quauis alia cauſa rationabili, & huiuſmodi legatio literis & priuilegio ſpeciali dictæ ſedis apoſtolicæ ad dictum regnum Scotiæ ſe non extendat, reſiſtendum eſt & obſtandum huiuſmodi legationi, prout tempore fœlicis recordationis contigit euidenter. Nam legatus iſte ad prædictum regnum Scotiæ aliquatenus admiſſus non fuit, donec per literas apoſtolicas ſpeciales, ſibi legationis officium fuit in eodem commiſſum. Item addidit, quod regnum per beati Petri Apoſtoli venerandas reliquias, non ſine superni dono muneris conuerſum extitit ad fidei Catholicæ vnitatem. Et qualiter etiam antiquis temporibus Eboracenſis Archiepiſcopus qui tunc erat, mota per eum ſuper iure metropolitano aduerſus Prælatos Scotiæ quæſtione, pro ſe nequiuit ſententiam obtinere.

Rationes Papæ, cur Scotia non ſpectet ad regem Angliæ.

His propoſitis monuit Papa Regem per literas ſuas, quod Epiſcopos, Abbates, Electos, & omnes alios regni Scotiæ, quos detinebat captiuos in carcere, libere abire permitteret. Et quod officiales ſuos de regno Scotiæ memorato reuocaret, quos in præiudicium & iniuriam, & graue ſcandalum fidelium populorum, & oppreſſionem iuſtorum, in dicto regno ſtatuerat, & ordinauerat, ita quod acceptior & gratior fieret Deo, & fauorem apoſtolicæ ſedis in hoc ſibi acquireret plenius. Et ſi in eodem regno Scotiæ vel aliqua eius parte, ius aliquod habere ſe aſſereret, per procuratores & nuncios ſuos ad hoc ſpecialiter conſtitutos, cum omnibus iuribus & munimentis huiuſmodi negotium tangentibus, ad ſedem apoſtolicam deſtinaret, ſuper præmiſſis plene complementum iuſtitiæ recepturus.

Rex Angliæ literis Apoſtolicis ex deliberato apud Lincolniam conuocato conſilio, pro iure ſuo declarando, literam hujus tenoris reſcripſit centum ſigillis ſignatam. Sanctiſſimo in Chriſto patri domino B. diuina prouidentia S. Romanæ eccleſiæ ſummo Pontifici, Edw. Dei gratia rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Acquitaniæ, ſalutem & deuota pedum oſcula beatorum. Infraſcripta non in forma, nec in figura iudicij, ſed omnino extra iudicium proferenda, ſanctæ paternitatis veſtræ conſcientiæ vobis tranſmiſimus exhibenda.

Litera regis ad Papam de iure ſuo in Scotiam.

Altiſſimus inſpector cordium veſtræ ſcrinio memoriæ indelebili ſtylo nouit inſcribi, quod anteceſſores & progenitores noſtri reges Angliæ, iuris ſuperioris & directi dominij ab antiquiſſimis retro temporibus regno Scotiæ, & omnibus ipſius regibus in

tem-

Digitized by Google

temporalibus, & annexis eiſdem pro regno Scotiæ, & eiuſdem proceribus à quibus habere volebant, legalia homagia receperunt, & omnibus ipſius Regibus in temporalibus & annexis eiſdem præfuerunt, & ab eiſdem pro regno Scotiæ & eiuſdem proceribus à quibus habere volebant, legalia homagia receperunt, & fidelitatis debita iuramenta. Nos iuris & dominij poſſeſſionem continuantes pro tempore noſtro, eadem tam à Rege recipimus, quam à proceribus ipſius regni. Quinimo tanta iuris & dominij prærogatiua ſuper regnum & eiuſdem Regem gaudebant, quod regnum ipſum ſuis fidelibus conferebant. Reges etiam ex iuſtis cauſis amouebant, & conſtituebant ſub ſe loco ipſorum alios regnaturos, quæ proculdubio notoria fuiſſe, & eſſe creduntur apud omnes, licet aliud forſan paternis veſtris auribus per pacis æmulos, & rebellionis filios fuerit falſa inſinuatione ſuggeſtum. A quorum machinoſis & imaginatijs figmentis, vt veſtræ ſanctitatis oculus auertatur ſupplieiter quæſumus, & paternam clementiam & excellentiam deuotis affectibus exoramus. Sub temporibus Hely & Samuelis Prophetæ vir quidam ſtrenuus & inſignis *Brutus rex.* Brutus nomine, de genere Troianorum poſt excidium vrbis Troiæ cum multis nobilibus Troianorum applicuit in quandam inſulam tunc Albion appellatam, quæ tunc temporis ſolos gigantes habitatores habuit. Quibus deuictis & occiſis eam de nomine ſuo Britanniam, ſocioſque ſuos Britones appellauit. Qui moriturus regnum ſuum tribus filijs ſuis delegauit. *Locrinus.* Locrino primogenito, dedit illam partem, quæ quondam Loegria, nunc vero *Albanactus.* Anglia nominatur. Albanacto filio natu ſecundo, dedit Albaniam, quæ nunc Scotia vo- *Camber.* citatur, Cambro vero tertio filio dedit Cambriam, quæ modo Wallia nomen habet, reſeruata Locrino ſeniori regia dignitate. Biennio poſt mortem Bruti applicuit in Albania Rex Hunnorum Humber nomine, qui Albanactum fratrem Locrini peremit. Quem mox Locrinus fugere compulit ad fluuium, in quo ſubmerſus eſt, qui ab eius prænomine *Dunwallus.* nunc vſque Humber dicitur. Et ſic Albania deuoluitur ad Locrinum. Ex poſt Dunwallus Rex Britonum, Staterium Regem Scotiæ ſibi rebellem occidit, & terram in deditionem *Belinus.* accepit. Item duo filij Dunwallonis ſiue Dunwalli, ſ. Belinus & Brennius inter ſe regnum *Arthurus.* patris ſui diuiſerunt, ita quod Belinus ſenior, diadema inſulæ cum Britannia, Wallia & Cornubia poſſedit. Brennius vero accepit Scotiam ſub eo regnaturus. Item Arthurus Rex Britonum famoſiſſimus, Scotiam ſibi rebellem ſubiecit, & fere totam gentem deleuit. Et ex poſt quendam nomine Anguſelum præfecit in Regem Scotiæ, qui in famoſo ſuo conuiuio apud vrbem legionum celebrato, ſeruitium pro regno ſuo exhibens debitum, gladium Arthuri detulit coram eo, & ſucceſſiue omnes Reges Scotiæ Regibus Britonum ſubiecti fuere. Succedentes autem Reges Angliæ in eadem inſula, ipſius monarchiam & *Edwardus.* dominium poſſedere. Edwardus dictus ſenior, filius Alfredi Regis Angliæ, Scotorum, Cumbrorum & Stregwallorum Reges tanquam ſuperiori domino ſubiectos habuit & *Ethelſtanus.* ſubmiſſos. Edelſtanus Rex Angliæ Conſtantinum Regem Scotorum ſub ſe regnaturum conſtituit, dicens, glorioſius eſſe Regem facere, quam Regem eſſe. Et eſt dignum memoria, quod idem Adelſtanus interdicente S. Iohanne de Beuerlaco quondam Archiepiſcopo Eborum, Scotos rebellantes ei deuicit. Qui gratias agens Deo beatoque Iohanni deprecatus eſt, vt interueniente beato Iohanne præfato ei aliquod ſignum euidens oſtenderetur, per quod tam ſuccedentes quam præſentes cognoſcere poſſent, Scotos Anglorum *Ioh. de Beuerlaco miraculum.* regno iure debere ſubijci. Et videns quoſdam ſcopulos prope Dunbar in Scotia, extracto gladio percuſſit prominentiorem ſcopulum. Et mox ſilex ictu mucronis, virtute Dei ita cauata fuit, vt menſuram vlnæ in longitudine contineret. Quod miraculum velut omni hebdomada per totum annum in legenda S. Iohannis, in rei geſtæ memoriam recitatur, quando ſeruitium fit de S. Iohanne in Beuerlacenſi eccleſia.

Item Conſtantinus Rex Scotorum, & Eugenius Rex Cumbrorum ad prædictum Regem Angliæ Ethelſtanum, poſt aliquam diſſentionem inter eos habitam venientes, ſe cum ſuis regnis Ethelſtano dedidere, cuius facti gratia filium Conſtantini ipſe Ethelſtanus de ſacro fonte ſuſcepit.

Edredus. Item Edredo Regi Angliæ, Scoti ſine bello ſe ſubdiderunt, & eidem Regi Edredo tanquam domino fidelitatem iurauerunt, quodam Iricio Rege ſuper eos conſtituto. Item *Edgarus.* cum Edgarus Rex Angliæ Regem Scotorum Kinadium & Cumbrorum Malcolinum, Regem Inſularum Malkerium, & alios quinque ſubregulos, ſ. Dunenaldum, Syfoth, Huewaldum, Iacob & Inchillum ſubiugaſſet, & remigando per fluuium Dee iuxta Ceſtriam in quadam die prope proram ſediſſet, & nauim ipſemet gubernaſſet, fertur ipſum dixiſſe, ſucceſſores ſuos poſſe gloriari ſe Reges Anglorum eſſe, cum tanta honoris prærogatiua fruerentur, quod ſubiectam haberent tot Regum potentiam. Poſt dictum Edgarum *S. Edwardus rex & martyr. Egelredus.* regnauerunt ſucceſſiue Reges Angliæ. S. Edwardus martyr, Egelredus frater eius, Edmun-

mundus dictus Yrenſide filius Egelredi, & Cnutus, qui eorum temporibus regnum Scotiæ in ſua ſubiectione pacifice tenuerunt. *Edmundus. Cnutus.* Hoc duntaxat excepto, quod decimoquinto anno Cnuti prædicti, idem Cnutus Scotiam rebellantem expeditione illuc ducta regem Scotiæ Malcolinum paruo ſubegit negotio, ſubdituſque eſt eidem præfatus Malcolinus. Cui Haraldus filius eiuſdem Cnuti, & Hardecnutus frater eius, vnus poſt alium reges Angliæ ſucceſſerunt, quibus ſic regnantibus ſubiectionem pacificam regni Scotiæ habuerunt. *Haraldus. Hardecnutus.* Item S. Edwardus rex Angliæ regnum Scotiæ Malcolino filio regis Cumbrorum dedit de ſe tenendum. *S. Edmundus confeſſor.* Item Gul. Baſtardus rex Angliæ à Malcolino rege Scotiæ tanquam à ſuo homine ſibi ſubdito recepit homagium. *Gul. Conqueſtor.* Item Guliel. Ruſo regi Angliæ Malcolinus rex Scotorum iuramento fidelitatis ſubiectus fuit. *Gul. Rufus.* Item prædictus Gul. Dunwaldum de regno Scotiæ, ex iuſtis cauſis amouit, & Duncanum filium Malcolini regno Scotiæ præfecit, & recepit ab eo fidelitatem & iuramentum. Dictoque Duncano doloſe perempto, dictus rex præfatum Dunwaldum, qui iterum regnum Scotiæ inuaſerat, amouit ab eodem, & Edgarum filium dicti Malcolini regem Scotiæ conſtituit, & regnum illud donauit eidem. Cui ſucceſſit Alexander frater Edgari conſenſu regis Angliæ Henr. I. fratris dicti regis Gul. Rufi. *Henricus I.* Item Matildi Imperatrici, filiæ & hæredi regis Henrici prædicti, Dauid rex Scotiæ fecit homagium. *Matildis Imp.* Item regi Angliæ Stephano, Henr. filius dicti regis Dauid homagium fecit. *Stephanus.* Item Rex Scotorum Gul. pro regno Scotiæ, & Dauid frater eius, & Comites & Barones regni Scotiæ, deuenerunt homines regis Henr. filij regis Angliæ Henr. 2. in craſtino coronationis prædicti Henrici, filij regis Angliæ Henrici 2. patre viuente, etiam fidelitatem ei iurauerunt contra omnes homines, ſalua fidelitate patri viuenti. *Henricus 2.* Anno vero 20. regni regis Henrici prædicti 2. prædictus Guliel. rex Scotiæ rebellare incipiens, venit in Northumbriam cum exercitu magno, & exercuit in populo ſtragem magnam. Cui occurrentes milites Comitatus Ebor. ipſum ceperunt, & dicto Henrico regi Angliæ reddiderunt. Anno ſequenti 15. Kalend. Martij. idem rex Guliel. permiſſus eſt libere abire. Et eodem anno 17. Kalend. Septembris, idem Gul. Rex Scotorum, de conſenſu Prælatorum, Comitum & Baronum, procerum, & aliorum magnatum regni Scotiæ domino ſuo Henrico Regi Angliæ filio Matildis Imperatricis ſuis literis patentibus caniſſe noſcitur, quod ipſe, & hæredes & ſucceſſores ſui reges Scotiæ, Epiſcopi & Abbates, Priores, Comites, & Barones, & alij homines regni Scotiæ, de quibus dominus Rex Henricus habere voluerit, facient domino Regi homagium, fidelitatem, & ligeamentum, & vt ligeo domino ſuo contra omnem hominem obedient. Et in ſignum ſubiectionis capellum ſuum, & Sellam atque lanceam, ſuper altare beati Petri Eborum obtulit. *Signum ſubiectionis regis Scotiæ.* Quæ in eadem eccleſia vſque in hodiernum diem remanent & ſeruantur. Item Epiſcopi, Comites, & Barones regni Scotiæ conuencionauerunt, vt verbis vtamur huiuſmodi conuentionis, domino regi Angliæ, & Henrico filio eius prædictis, quod ſi rex Scotiæ aliquo caſu à fidelitate regis Angliæ & conuentione prædicta recederet, ipſi cum rege Angliæ tenebunt, ſicut cum ligeo domino ſuo contra regem Scotiæ, quouſque ad fidelitatem regis Angliæ redeat. Quam quidem compoſitionem, fœlicis recordationis Gregorius Papa Quintus in diuerſis reſcriptis, regibus Angliæ & Scotiæ directis, mandauit firmiter obſeruari, continentibus etiam quod Gulielmus & Alexander reges Scotiæ, regibus Angliæ Henrico, & Henrico, ligeum homagium & fidelitatem facerent, quæ tenentur ſucceſſoribus eorum, Comitibus & Baronibus regni ipſius, ſibi & ſucceſſoribus ſuis exhibere. *Gregor. Papa 5.* Et item, quod cum idem rex Scotiæ homo ligeus ſit ipſius Henrici regis Angliæ, & eidem præſtiterit fidelitatis iuramentum, ad quod ſe principaliter aſtringit, in ipſius regis & regni Angliæ detrimentum, nihil debeat penitus attemptare. Et Papa Clemens ſcribens regi Angliæ pro Iohanne Epiſcopo S. Andreæ expulſo ab Epiſcopatu ſuo per regem Scotiæ, inter cætera rogabat, quod Gul. Regem Scotiæ moneret & induceret, & ſi neceſſe foret diſtrictione regali, qua ei præminebat, & de conceſſa ſuæ regiæ celſitudini poteſtate compelleret, vt dicto Epiſcopo omnem rancorem remitteret, & Epiſcopatum ſuum in pace habere permitteret. Et præter conuentionem prædictam in eccleſia beati Petri Eborum, coram prædictis Regibus Angliæ & Scotiæ, Dauide fratre ſuo & vniuerſo populo, Comitibus, & Baronibus, milites de terra Regis Scotiæ, iurauerunt Regi Angliæ Henrico, & Henrico filio ſuo, & hæredibus eorum fidelitatem contra omnem hominem, ſicut Ligeis dominis ſuis. Et idem Guliel. Rex Scotiæ ad mandatum Regis prædicti venit apud Northamptonam, ad parliamentum domini ſui, adducens ſecum omnes Epiſcopos, Abbates & Priores totius regni ſui. Venit etiam ad eiuſdem Regis mandatum in Normanniam. Et idem Guliel. Rex poſt deceſſum Regis Henrici veniens Cantuariam, Regi Angliæ Richardo filio & hæredi dicti Henrici fecit homagium. Quo Richardo defuncto ſæpedictus Guliel. Iohanni Regi Angliæ fratri

& hæredi dicti Richardi, extra ciuitatem Lincolniæ ſuper quendam montem in conſpectu omnis populi fecit homagium, & iuramentum fidelitatis ſuper crucem Cantuarienſis Archiepiſcopi Huberti, & eidem domino ſuo per chartam ſuam conceſſit, quod Alexandrum filium ſuum, ſicut hominem ligeum ſuum maritaret, promittendo firmiter in charta eadem, quod idem Gulielmus Rex Scotiæ, & Alexander filius ſuus Henrico filio Iohannis regis Angliæ tanquam ligeo domino ſuo contra omnes homines mortales fidem & fidelitatem tenerent. A quo quidem Guliel. rege Scotiæ poſtmodum, pro eo quod deſponſauerat Comiti Boloniæ præter regis Iohannis domini ſui aſſenſum, pro tranſgreſſione & temeraria præſumptione huiuſmodi debitam ſatisfactionem ſuſcepit. Item Alexander Rex Scotiæ ſororius noſter Regi Angliæ patri noſtro, pro regno Scotiæ, & poſtea nobis fecit homagium. Vacante deinde regno Scotiæ per mortem Alexandri regis illius, & ſubſequenter per mortem Margarethæ eiuſdem Scotiæ reginæ & dominæ, proneptis noſtræ, Epiſcopi, Abbates, Priores, Comites & Barones, & cæteri nobiles, & communitates totius regni Scotiæ ad nos tanquam ad defenſionem, ducem, autigam, capitaneum, & dominum capitalem eiuſdem regni ſic vacantis, gratis & ſpontanea voluntate accedentes, prout tenebantur de iure, ius noſtrum pregenitorum & anteceſſorum noſtrorum, ac poſſeſſionem ſuperioris ac directi dominij in regno eodem, & ipſius regni ſubiectionem, ex certa ſcientia pure, & ſimpliciter, & abſolute recognouerunt, & præſtitis ab eis nobis tanquam ſuperiori & directo domino Scotiæ debitis & conſuetis fidelitatis iuramentis, ac ciuitatibus, burgis, villis, caſtris & cæteris manſionibus eiuſdem regni in manu noſtra traditis, ad cuſtodiam eiuſdem regni, certos de iure noſtro regio officiales & miniſtros deputauimus, quibus ipſi tempore vacationis huius fuerant concorditer obedientes, & intendentes regijs noſtris præceptis & mandatis. Poſtmodum autem diuerſæ perſonæ ſuper ſucceſſione in dictum regnum Scotiæ iure hæreditario inter ſe contendentes, ad nos tanquam ad ſuperiorem dominum regni Scotiæ acceſſerunt, petentes, ſuper ſucceſſione regni prædicti ſibi per nos exhiberi iuſtitiæ complementum. Volentes & expreſſe conſentientes coram nobis tanquam ſuperiore & directo domino, in omnibus ordinandis ſtare & obtemperare. Ac demum ſententialiter propoſitis & ſufficienter auditis, rimatis, examinatis ac diligenter intellectis partium iuribus, finaliter in præſentia omnium prælatorum & nobilium, quaſi totius regni Scotiæ, & de voluntate & aſſenſu expreſſo eorundem procedentes, Ioh. de Baliolo debite præfecimus in regem Scotorum, quem tunc in ſucceſſione eiuſdem regni hęredis iura inuenimus habere potiora. Qui quidem Pręlati, Comites & Barones, communitates ac cęteri regni ipſius incolę, ſententiam noſtram acceptauerunt, approbauerunt, & ipſum Iohan. de mandato noſtro, virtute huius iudicij in regem ſuum admiſerunt. Ac idem Ioh. Rex Scotię pro regno ſuo prędicto, nobis homagium debitum & conſuetum fecit, & fidelitatis iuramentum præſtitit, & ex tunc, tam in parliamentis quam conſilijs noſtris tanquam ſubditus noſter alius de regno interfuit, & noſtri tanquam domini ſui ſuperioris beneplacitis & mandatis in omnibus obediens & intendens extitit, quouſque idem Iohannes Rex Scotiæ, & Prælati, Comites & Barones, nobiles, communitates & cæteri incolæ, maiores eiuſdem regni ex præconcepta malitia, & prælocuta, ac præordinata proditione, communicato conſilio cum tunc inimicis noſtris capitalibus & notorijs amicitias copularunt, ac pactiones, conſpirationes & coniurationes in exhæredationem noſtram, & hæredum noſtrorum, ac regni noſtri contra debitum homagium in crimen læſæ maieſtatis nequiter incidendo, fidelitatis iuramentum inierunt cum eiſdem. Verum cum præmiſſa relatio & fama publica ad aures noſtras deueniſſent, volentes futuris periculis præcauere, quæ ex his & alijs poſſent nobis, regno noſtro, & regni noſtri incolis veriſimiliter prouenire, pro aſſecuratione regni noſtri acceſſimus ad confinium regni vtriuſque pluries mandantes eidem Ioh. tunc Regi Scotiæ, vt ad certa loca in confinio prædicto ad nos accederet, ſuper præmiſſis & alijs aſſecurationis, ſtatum, tranquillitatem & pacem regni vtriuſque contingentibus tractaturus. Qui ſpretis mandatis noſtris, in ſua perſiſtens perfidia ad bellicos apparatus, cum Epiſcopis & Prælatis, Comitibus & Baronibus regni Scotiæ, ac etiam alijs exteris conductitijs, contra nos, regnum noſtrum, & regni noſtri incolas hoſtiliter ſe conuertens, accinxit, & ad hoſtiles aggreſſus & incurſus procedens regnum noſtrum inuaſit, & quaſdam villas regni noſtri Angliæ, per ſe & ſuos deprædatus eſt, eaſque vaſtauit incendio, homines noſtros interfecit, & nonnullis nautis noſtris per eos peremptis, naues hominum noſtrorum regni Angliæ comburi fecit, è veſtigio aggredi, redditiſque nobis homagio & fidelitate tam pro ſe, quam alijs quibuſcunque regni ſui incolis per literas eiuſdem Regis, verba offenſionum exprimentes, & inter alia verba diffidationis continentes. Comita-

tus

tus noſtros Northumbriæ, Cumbriæ, & Weſtmerlandiæ regni noſtri Angliæ, congregato exercitu ingenti, hoſtiliter per ſe & ſuos inuaſit, ſtragem innumeram hominum noſtrorum, incendia monaſteriorum, eccleſiarum & villarum inhumane perpetrando, & patriam vndique depopulando, infantes in cunabulis, mulieres in puerperio decubantes gladio trucidarunt, & quod auditu horrendum eſt, à nonnullis mulieribus mamillas atrociter abſciderunt, paruos clericulos primam tonſuram habentes, & Grammaticam addiſcentes, ad numerum circiter ducentorum in ſcholis exiſtentes obſtructis oſtijs ſcholarum igne ſuppoſito cremauerunt. Nos quoque cernentes tot damna, opprobria, facinora & iniurias, in exhæredationem noſtram, & deſtructionem populi noſtri proditionaliter irrogari, nec valentes ratione iuramenti, quoad conſeruationem iurium coronæ regni noſtri ſumus aſtricti, præmiſſa facinora vlterius concelare, nec noſtra relinquere indefenſa, cum per leges ipſum Iohannem tunc regem Scotiæ, gentemque ſuam nobis ſubditam iuſtificare non poſſemus, nec ipſum regnum Scotiæ, quod à longiſſimis temporibus, ſicut ſuperius exprimitur, nobis & progenitoribus noſtris fæodale extitit in cauſis præmiſſis, contra dictum Iohannem & gentem Scotorum vires potentiæ noſtræ extendimus, prout de iure nobis licuit, & proceſſimus contra ipſos tanquam hoſtes noſtros & proditores. Subiecto itaque regno Scotiæ, & iure proprietatis noſtræ ditioni ſubacto, præfatus Iohannes quondam rex Scotiæ, ipſum regnum Scotiæ quatenus de facto tenuit, ſponte, pure, & abſolute reddidit in manum noſtram, proditiones & ſcelera memorata coram nobis & proceribus noſtris publice recognoſcens. Quo peracto, præfati Comites & Barones, nobiles & communitates regni Scotiæ, quos ad pacem noſtram regiam ſuſcepimus, ſubſequenter homagia & fidelitates nobis tanquam immediato domino, ac proprio eiuſdem regni Scotiæ nobis fecerunt & præſtiterunt, ac etiam redditis nobis eiuſdem regni ciuitatibus, villis, caſtris, munitionibus ac cæteris locis omnibus, ad dictum regnum ſpectantibus, officiales noſtros & miniſtros ad regimen eiuſdem regni Scotiæ præfecimus iure noſtro. Cumque iure pleni dominij in poſſeſſione eiuſdem regni exiſtere dinoſcamur, non poſſumus nec debemus, inſolentiam ſubditorum noſtrorum rebellium, ſi quos inuenerimus, præminentia regia prout expedire viderimus reprimamus. Quia vero ex præmiſſis & alijs conſtat euidenter, & notorium exiſtit, quod prælibatum regnum Scotiæ, tam rationе poſſeſſionis, quam proprietatis ad nos pertinet pleno iure, nec quicquam fecerimus vel cauerimus ſcripto vel facto ſicuti nec poſſumus, per quæ iuri ac poſſeſſioni prædictis debeat aliqualiter derogari: Sanctitati veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus præmiſſa prouida meditatione penſantes, ex illis veſtrum motum animi dignemini informare, ſuggeſtionibus contrarijs æmulorum in hac parte nequaquam fidem adhibendo, quinimo ſtatum noſtrum, & iura noſtra regia ſupradicta, habere velitis ſi placeat promptis affectionibus commendata.

Quantum vero ad hoc quod Papa petiuit, quod ſi rex Angliæ ius haberet in regno Scotiæ, vel in aliqua eius parte, procuratores & inſtructos mitteret, & fieret eis iuſtitiæ complementum, rex per ſe noluit reſpondere. Sed hoc commiſit Comitibus alijſque terræ proceribus, qui ſuper hoc domino Papæ huius tenoris literas reſcripſerunt.

Litera Comitum ad Papam.

Sancta Romana iure eccleſia, per cuius miniſterium fides Catholica in ſuis actibus cum ea vt firmiter credimus & tenemus maturitate procedit, quod nulli præiudicare, ſed ſingulorum iura conſeruari velit illæſa. Sane conuocato nuper per ſereniſſimum dominum noſtrum Edwardum, Dei gratia regem Angliæ illuſtrem, parliamento apud Lincolniam generali, idem dominus noſter quaſdam literas apoſtolicas, quas ſuper certis negotijs conditionem & ſtatum regni ex veſtra parte receperat in medio exhiberi, ac ſerioſe nobis fecit exponi. Quibus auditis & diligentius intellectis, ita ſenſibus admiranda quam hactenus inaudita in eis audiuimus contineri. Scimus enim pater ſanctiſſime, & noto-
ium in partibus noſtris, ac nonnullis alijs non ignotum, quod à prima inſtitutione
gni Angliæ, Reges eiuſdem regni tam temporibus Britonum, quam Anglorum,
perius & directum dominium regni Scotiæ habuerunt in poſſeſſione, vel capitanei ſu-
ioritatis & recti dominij ipſius Scotiæ ſucceſſiuis temporibus extiterunt, nec vllis tem-
ibus ipſum regnum in temporalibus pertinuit, vel pertinet quouis modo ad eccle-
ı ſupradictam. Quinimmo idem regnum Scotiæ progenitoribus dicti regni noſtri re-
Angliæ, atque ſibi fæodale extitit ab antiquo. Nec etiam Reges Scotorum & re-
ı, alijs quam Regibus Angliæ ſubfuerunt, vel ſubijci conſueuerunt, neque Reges
e ſuper iuribus ſuis in regno prædicto, aut alijs ſuis temporalibus coram aliquo iu-
lcſiaſtico, vel ſæculari, ex præeminentia ſtatus ſuæ regiæ dignitatis & conſuetudi-
tis temporibus irrefragabiliter obſeruatæ, reſponderunt, aut reſpondere debe-

bant. Vnde habito tractatu & deliberatione diligenti ſuper contentis in literis veſtris memoratis, communis, concors, & vnanimis omnium noſtrum & ſingulorum conſenſus fuit, & erit inconcuſſe Deo propitio in futurum, quod præfatus dominus noſter Rex ſuper iuribus regni Scotiæ, aut alijs ſuis temporalibus nullatenus reſpondeat iudicialiter coram vobis, nec iudicium ſubeat quoquo modo, aut iura ſua prædicta in dubium quæſtionis deducat, nec ad præſentiam veſtram procuratores aut nuncios ad hoc mittat, præcipue cum præmiſſa cederent manifeſte in exhæredationem iuris coronæ regni Angliæ, & regiæ dignitatis, ac ſubuerſionem ſtatus eiuſdem regni notoriam, necnon & præiudicium libertatis, conſuetudinum & legum paternarum, ad quarum obſeruationem & defenſionem debito præſtiti iuramenti aſtringimur, & quæ manu tenebimus toto poſſe, totiſque viribus cum Dei auxilio defendemus. Nec etiam permittimus, nec aliqualiter permittemus ſicut non poſſumus, præmiſſa tam inſolita, tam indebita, præiudicialia, & alias inaudita, prælibatum dominum noſtrum Regem etiam ſi vellet facere ſeu modo quolibet attemptare. Quocirca ſanctitati veſtræ reuerenter & humiliter ſupplicamus, quatenus eundem dominum noſtrum Regem, qui inter alios Principes orbis terræ catholicum ſe exhibet, & Romanæ eccleſiæ deuotum, iura ſua, libertates, & conſuetudines & leges prædictas abſque diminutione & inquietudine pacifice poſſidere, ac illibata perſiſtere benignius permittatis.

Edvvardi profectio in Scotos.

In feſto Pentecoſtes finitis treugis, quæ cum Scotis initæ fuerant, rex circa feſtum S. Iohannis Baptiſtæ in Scotiam cum exercitu profectus eſt. Qui dum in Scotia hyemaret, ſui multos equos nobiles amiſerunt pabulo deficiente.

Anno 1302. Rex ad inſtantiam Regis Francorum cuius ſororem duxerat, Scotis treugas vſque ad feſtum omnium ſanctorum conceſſit. Et idcirco ordinatis rebus Scotiæ reuerſus eſt in Angliam.

Papa regem Anglorum in Gallos concitat.

Eo tempore Papa Bonifacius per literas ſuas Regem Anglorum interpellauit, vt Regi Francorum guerram commoueret, pollicens ſibi ingens ſubſidium. Sed Rex Angliæ alias domini Papæ affectus expertus, rem diſtulit, malens recuperare ſua per viam aliam, ſi quo modo poſſet.

Poſt feſtum omnium ſanctorum elapſis treugis conceſſis Scotis, rex Angliæ Iohannem de Segraue militem nobilem cum armata manu miſit in Scotiam, committens ei eiuſdem terræ cuſtodiam.

Burdegallia ſe in libertatem vendicat.

His diebus ciues Burdegalenſes non ferentes Gallicorum dominium, illos de ciuitate ſua contra natale domini expulerunt.

Scotia ſubacta.

Anno 1303. Scoti duce Gul. Walleys cœperunt rebellare contra Regem Angliæ, propter quod Rex cum exercitu ingreſſus Scotiam totam terram peruagatur, nemine apertæ pugnæ ſibi copiam faciente.

VVaſconia regi Angliæ reſtituta.

Eodem anno rex Francorum ob detenſionem Waſconiæ iniuſtam, timens ſibi à rege Angliæ per dominum Papam ad hoc inſtigato guerram parari, vt eius ſibi amicitiam compararet, quicquid Waſconiæ tenebat in manu ſua eidem ſponte reſtituit, prout videbatur ignorantibus veritatem. Tunc etiam & Burdegallia regi Angliæ ſponte ſe ſubiecit.

Io. Segraue à Scotis vulneratus.

Hoc anno Scoti latentes in inſidijs Iohannem de Segraue cum paucis armatis equitantem ſubito inuaſerunt, & ipſum Iohannem ab eis grauiter vulneratum, cum nonnullis alijs militibus, commiſſo cruento conflictu ceperunt. Sed inopinato ſuperuenientes milites alij de Anglorum cohortibus, ipſum Iohan. à ſuis ereptum cuſtodibus abduxerunt. Dum hæc omnia fierent, miles quidam nobilis dictus Robertus de Neuill ſolemnia miſſarum audiens (erat enim dominica prima quadrageſimæ) quæ geſta fuerant penitus ignorabat. Poſt miſſam vero egreſſus, cum audiſſet à redeuntibus Scotos in Anglos præualuiſſe, mox illuc cum ſuis properans, multos peremit multoſque fugauit, & captiuos aliquos ſecum reduxit. Nec de his qui miſſæ eum co interfuerant, quiſquam captus fuit aut grauiter vulneratus, ſed neque corruit vnus ſolus. Comes Mareſcalli offenſus fratri ſuo Iohanni, captans Regis beneuolentiam omnes terras ſuas Regi donauit, ita vt ei adiectis mille libratis terrarum redonarentur ad vitam.

Miſſa ſalutiſera in bello.

Rex Angliæ audita rebellione Scotorum ex edicto publico exercitum adunauit, & à Rokesburgia progrediens paruis dietis, totam terram vſque Catenesiam, quæ eſt in finibus Scotiæ perluſtrauit nemine reſiſtente. Videntes itaque Scoti, ſe non poſſe reſiſtere, pacem Regis humiliter petierunt. Et vt permitteret, quod poſſent dato pretio redimere terras ſuas ab his quibus Rex eas contulerat, quorum precibus Rex acquieuit, & rediens caſtrum de Striueline, quod quidam de Scotis tenuerunt, per ſuos obſedit, ipſe vero apud Dunfermelyn hyemauit.

Scoti pacem petunt.

Circa

Circa feſtum S. Iohannis Baptiſtæ milites quidam in præſentia cleri & populi Pariſius congregati, Papæ Bonifacio impoſuerunt plura enormia, puta hæreſim, ſimoniam & homicidia. Propter quæ per regem Franciæ appellatum eſt contra eum ad illum cuius intereſt, donec conuocato conſilio, ſe à criminibus purgaret obiectis.

Papa Bonifacius accuſatus.

Bonifacius Papa ſibi timens, Anagniam originis ſuæ vrbem venit, & tutelæ ciuium ſe commiſit. Quo peruenientes regis familiares Franciæ, vna cum fautoribus Cardinalium Columpnenſium comprehenderunt Papam, & in equum effrenem poſuerunt, ad caudam verſa facie, & ſic diſcurrere fere ad nouiſſimum halitum coegerunt, & tandem pene fame necauerunt, donec eum populus Anagn. liberaſſet. Reuera cum perſecutores eum in quodam palatio recluſiſſent, ad decem millia populi ciuitatis concurrerunt, & palatium infregerunt, & expulſis atque peremptis cuſtodibus liberauerunt, & Romam cum armatorum multitudine perduxerunt. Cumq; perueniſſet ad S. Petrum, ex timore quem conceperat quando captus fuit, & mœrore rerum inæſtimabilium perditarum cito deficit. Et ſic completa eſt in eo prophetia prædeceſſoris ſui, qui dixit: Aſcendiſti vt Vulpes, regnabis vt Leo, morieris vt Canis. Cui ſucceſſit Benedictus 11. natione Lumbardus. Columpnienſes de ſuis latibulis emergentes, venerunt ad Papam Benedictum miſericordiam implorantes, quos ille benigne ſuſcipiens clementer abſoluit, atque bonorum ſuorum tribuit facultatem.

Bonifacius male tractatus.

Anno 1304. tenuit rex Natale apud Dunfermelyn in Scotia, cui interfuit exercitus Anglicanus. Tranſacta hyeme rex ad obſidionem caſtri de Striuelyn accedens perſonaliter, diuerſis præparatis machinis, illud ſolito fortius impugnauit. Obſeſſi vero caſtrum fortiter defendentes cum machinis plurimos occiderunt. Quadam die cum rex conſiderando obequitaret, & infra iactum baliſtarum incaute veniſſet, iaculum quoddam de caſtro emiſſum ſuperiori eius armaturæ affixum eſt, ſine vlla ſui corporis læſione. In quod extractum rex expuens, conuerſa ad caſtrum facie, celſa voce ei qui iaculum illud emiſerat, oſtenſo telo ſuſpendium minabatur. Tandem in die beatæ Margarethæ, obſeſſi pure & ſimpliciter ſe dedidere regiæ voluntati. Quorum capitaneum Gul. Oliſordi militem miſit ad turrim Londoniarum. Reliquos ad alia caſtra diuerſa.

Strynelin caſtrum obſeſſum.

Rex Edw. ſubacta Scotia, commiſſaque eius cuſtodia Iohanni de Segraue, in Angliam eſt reuerſus. Cumque veniſſet Eboracum, iuſſit ſeſſionem Iuſtitiariorum qui dicuntur de banco, & Scaccarium quæ iam ſeptennio manſerant Eboraci, transferri Londonias ad antiquum locum.

Papa Benedictus conſiderans pium eſſe, ouem errantem etiam licet inuitam ad ouile reducere, regem Francorum non petentem à ſententia excommunicationis per prædeceſſorem ſuum lata in eum, abſoluit.

Francorum rex abſolutus.

Nonis Iulij obijt Papa Benedictus Peruſij. poſt cuius obitum cum Cardinales in electione ſummi Pontificis diſſiderent, à ciuibus ſecundum conſtitutionem Gregorij 10. includuntur.

Rex Edw. fecit Petrum de Gaucrſton abiurare regnum Angliæ, quia dedit filio ſuo malum conſilium.

Anno 1305. Gul. Walleys qui Scotiam commouerat frequenter ad rebellionem per milites regis captus eſt, & Londonias vſque deductus, vbi iudicialiter condemnatus, trahitur, ſuſpenditur, & vltimo decollatur. Cuius caput Londonijs in loco eminenti figitur ſuper palum, corpus in Scotiam reportatum, diuiſum eſt in quartas, quæ in diuerſis vrbibus ſuſpenduntur.

Circa dies iſtos, Bertrandus Burdegalenſis Archiepiſcopus natione Vaſco, in Papam electus, Clemens 5. dictus eſt. Qui menſe Octobri in Lugduno, conuenientibus illuc Cardinalibus, regeque Francorum Philippo ſuam exhibente præſentiam, papali diademate coronatur.

Clemens 5 fit Papa.

Rex autem Angliæ miſit domino Papæ omnia vtenſilia, quibus miniſtrabantur in [...]*mera, & in menſa ex auro puro per Epiſcopos Lichfeldenſem & Wigornienſem & Co*[...]*tem Lincolniæ. Porro dominus Papa Epiſcopum Dunelmenſem, dominum Antoni*[...] *Bek propter dapſilitatem & cordis magnificentiam, quas in eo reperit, fecit Patriar*[...] *Ieroſolomitanum, & electos Eborum & London. remiſit ad propria confirmatos.* [...]*o tempore Papa conceſſit regi Angliæ decimas eccleſiaſticas per biennium pro ne*[...] *terræ ſanctæ, ſed tamen in vſus alios expendebantur. Dominus vero Papa, attendens* [...]*charitas incipit à ſe ipſa, primo fructus ſibi per totam Angliam reſeruauit, inductus* [...]*itiam Epiſcoporum regni Angliæ poſtulantium, primas vacationes per annum* [...]*ceſſibus ſibi concedi. Nempe ſummus Pontifex aduertens, quia quod petit in-*

ferior, poſtulare poteſt & ſuperior, appropriauit ſibi ipſi per triennium omnes prouentus de primo vacantibus eccleſijs per totam Angliam, videlicet de primo anno primos fructus tam de Epiſcopatibus, Abbathijs, prioratibus & præbendis, perſonatibus, vicarijs, quam de cæteris minutis beneficijs. Hoc anno miſit rex Franciæ ad regem Angliæ, rogans vt Flandrenſes ab Anglia expelleret, ſicut & ipſe ad ſuam inſtantiam Scotos de Francia eiecerat paulo ante. Cuius Rex precibus acquieſcens, Flandrenſes omnes de Anglia exbanniuit.

Flandrenſes Angliæ pulſi.

Anno 1306. Robertus le Brus aſpirans ad regnum Scotiæ, nobilem virum Iohannem Comyn, quia ſuæ proditioſæ factioni aſſentire noluit apud villam de Dunfrez, in cuius caſtro iuſtitiarij regis Angliæ tunc ſedebant, in eccleſia fratrum minorum ſacrilegus interfecit 4. Kalend. Februarij. In feſto vero Annunciationis beatæ virginis in abbathia canonicorum regularium de Scone ſe fecit in regem ſolemniter coronari. Vxor Comitis de Bonhan, à marito ſuo tunc furtiue diſceſſit, omnes equos eius magnos ſecum abducens, & properans vſque Scone, vt diadema imponeret capiti noui regis, quia frater eius Comes de Fyf, ad quem iure hęreditario ſpectabat hoc officium, tunc in Anglia fuit abſens. Hanc autem viraginem eodem anno captam ab Anglicis, cum quidam perimere voluiſſent, non permiſit rex, ſed in domuncula quadam lignea ſuper murum caſtri Berwici poſita eſt, vt poſſent eam conſpicere tranſeuntes.

Ioh. Comyn cæſus.

In feſto Pentecoſtes Edw. filius regis Anglię à patre cum multis alijs nobilibus militaribus armis accinctus eſt. Ob quam cauſam datus eſt regi 30. denarius à populo & clero, & à mercatoribus 20. denarius datus fuit. Dedit autem Rex filio ſuo principatum Wallię, & Ceſtrię Comitatum, vnde Wallici maxime ſunt gauiſi. Edwardus proinde regis filius cum nouellorum tyronum multitudine profectus eſt Scotiam, ad reprimendum conatus Roberti le Brus inuaſoris regię dignitatis. Pręceſſerat ante eum Aymerus de Valencijs Comes Penbrochię, Robertus de Clifford, & Henricus Percy miſſi à rége cum manu armata ad nouis motibus reſiſtendum. Ipſe vero rex lento gradu ſequutus eſt verſus Carleolum. Edwardus filius regis cum veniſſet Carleolum ante patris aduentum, ſumptis ſecum nouis tyronibus, qui omnes deuouerant ſe mortem Ioh. Comyn vindicaturos, præceſſit patrem ſuum in Scotiam ſemper vnam dietam, & tantam fecit vindictam, vt nec ſexui parceret nec ætati, villas etiam & caſalia vbicunque peruenit, incendit, quod multum dicitur diſplicuiſſe patri ſuo. Eo maxime, quod diuitibus fuga lapſis vulgus miſerum luit pœnas maiorum, vnde & filium ſuum increpans, iuſſit vt miſericors ſemper eſſet pauperibus & communibus, quia nihil pene moliuntur aut faciunt ſine ſuorum Principum iuſſione.

Expeditio in Scotiam.

Interim Robertus le Brus circuiens terram, & homagia multorum recipiens, coadunato exercitu copioſo appropinquauit villæ S. Iohannis, in cuius præſidium nuper aduenerat Aymerus de Valencijs ſupradictus. Equites autem Scotorum omnes lineis operimentis ſuper arma ſua ne diſcernerentur, de præcepto noui ſui Principis erant induti. Miſit ergo Robertus le Brus, inuitans Aymerum ad congreſſum, qui reſpondit, quod cum eo non illo die, ſed in craſtino dimicaret. Igitur ſubtrahente ſe Roberto cum ſuis armatis egreditur & ſubito ſuperueniens, multos è Scotis occidit inermes. Robertus hæc videns, cum ſuis fugit ad inſulam dictam Kenlyr. Aymerus vero putans Robertum ſe recepiſſe in caſtro illius inſulæ, illud obſedit, ſed expugnato caſtro non inuenit eum, ſed vxorem & fratrem ſuum Nigellum cepit ibidem cum quibuſdam alijs, qui omnes cito poſt tracti ſunt & ſuſpenſi, ac vltimo decollati præter vxorem Roberti le Brus, quam rex iuſſit iuxta ſtatum ſuum tractari decenter. Comes vero de Athel, iam ſecundo contra fidelitatem ſuam regi rebellans, tandem proditionis ſuæ meritas pœnas luit. Inſuper Simon Friſtell, in quo pendebat Scotorum tota fiducia, tractus, ſuſpenſus, decapitatus & combuſtus eſt. Epiſcopi Glaſcuenſis & S. Andreæ capti, cum Abbate de Scone miſſi ſunt in Angliam ad diuerſa caſtra.

Aymerus pœnas de Roberto ſumit.

Rex Angliæ obtinuit à domino Papa abſolutionem à iuramento, quod inuitus præſtiterat ſuper obſeruantia libertatum, alias à Comitibus & Baronibus exactarum. Per idem tempus Clemens Papa tranſtulit curiam à Lugduno vſque Burdegaliam, vbi Epiſcopum Pictauenſem, qui ſibi dum Archiepiſcopus fuerat aduerſabatur, à pontificali depoſuit dignitate. Primatum etiam Acquitaniæ de Bituriensi tranſtulit ad eccleſiam Burdegalenſem.

Rex iuramento Baronibus præſtito abſolutus.

Anno 1307. qui eſt annus regni regis Edw. à conqueſtu primi triceſimus, tenuit rex Parliamentum Carleoli. Ad quod acceſſit quidam Cardinalis dictus Petrus Hiſpanus, tranſmiſſus à Papa pro matrimonio conſummando inter filium regis Angliæ & filiam

regis

regis Franciæ,ſecundum quod à papa Bouifacio tanquam mediatore pacis olim fuerat ordinatum. Cui per regem reſponſum eſt paratum ſe fore,quæ ordinata ſunt implere, dummodo rex Francorum velit ex parte ſua,quæ ad ipſum pertinent adimplere. Dederat nempe rex Franciæ,dum adhuc detineret Waſconiam,cuidam militi caſtrum quod Mali leonis dicitur,qui illud nec ad mandatum regis Franciæ curabat reſtituere. Ob quam cauſam fertur illud matrimonium hactenus fuiſſe dilatum.

Cauſa matrimonij dilati.

Robertus le Brus interea peruagatus patriam plures ſibi rebelles peremit. Miſitque cum parte exercitus duos fratres ſuos Thomam militem, & Alexandrum clericum ad aliam terræ partem*, qui illarum partium habitatores allicerent ad ſe blanditiis atque minis. Qui Anglicis de nocte ſuperuenientibus capti ſunt,& ad Iuſticiarios regis ducti,ac cōdemnati,tracti ſunt & ſuſpenſi.

Poſt Paſcha Robertus le Brus congreſſus cum Aymero de Valentiis ipſum in fugam compulit,& infra triduum ſequens comitem Glouerniæ Gilbertum fugauit.

Tunc rex Angliæ miſſis nuntiis præcepit ſub graui pœna,vt omnes qui ſibi debebāt ſeruitium parati eſſent apud Carleolum in tres ſeptimanas poſt feſtum S. Iohannis Baptiſtæ,filium vero ſuum remiſit in Angliam , vt ſecundum ea quæ de rege Franciæ audiret, proficiſceretur ad connubium cum filia eiuſdem contrahendum. Poſt cuius deceſſum cœpit rex vexari diſſenteria. Mouit de Carleolo nihilominus 5. nonas Iulij,paruis dietis verſus Scotiam proficiſcens.

Rex diſſenteria laborat.

Pridie vero nonas Iulij venit vſque Burgum ſuper Sandes, vbi inualeſcente infirmitate die craſtina ſ. ſexta feria diem clauſit vltimum, dies ſuos in bono,& annos ſuos in gloria conſummauit.

Edvv. 1. mori.

Regnauit autem annis 34. menſibus 7. diebus 21. compleuitque ætatis ſuæ annos 68. & dies 20. Duxerat autem duas vxores , Alienoram viz. ſororem regis Hiſpaniæ, de qua ſuſcepit filios Iohann. Henricum , Alfonſum, & Edward. qui ſibi ſucceſſit,alij tres moriebantur ante patrem: filias vero genuit ex eadem Alienora , ſ. Alienoram quam dominus Gulielm. de Bares cepit in vxorem , & Iohannam de Acres , quæ nupſit Gilberto de Clare Comiti Glouceſtriæ , & poſt mortem comitis , elegit inconſulto patre, Radulphum de Mounhermer in maritum. Tertia filia dicta Margareta copulata fuit domino Iohan. duci Brabantiæ. Quarta vero Maria apud Ameſbury ſuſcepit habitum monialem. Quintam regis filiam nominatam Elizabeth, comes Hollandiæ accepit vxorem. Quo defuncto dominus Humfredus de Boun , comes Therfordiæ duxit eandem. De ſecunda ſua Margareta ſorore Philippi regis Franciæ genuit duos filios, Thom. dictum de Brotherton, & Edmundum , & filiam nomine Margaretam. Fuerat autem Rex Edward. armis ſtrenuus , bellicoſus & victorioſus. Totam Angliam de manu Simonis de monte forti, & eidem adhærentium comitum & Baronum acquiſiuit. Walliam de manu Lewlini recepit in vſus ſuos proprios. Acquitaniam de manu regis Franciæ ſapienter extorſit , Scotiam ſæpius ſubiugauit , ſed ea capta per Robertum le Brus ipſe in lecto fatali decumbens ex cordis magnanimitate , iuſſit corpus ſuum ibi remanere inhumatum , & deferri in exercitu, donec tota Scotia eſſet finaliter ſubiugata.

Vxores & liberi ex eis.

Rex geſta Edvvardi.

Edvvardus Secundus.

POst mortem toti mundo deflendam Edwardi regis inuicti , ſuſcepit regnum pro eo filius ſuus Edwardus cognomento de Carneruan, qui mox reuocauit ab exilio Petrum de Gauerſton , contra vetitum patris ſui , qui dudum aſſenſu communi procerum fuerat exilio perpetuo condemnatus. Iſte Petrus filius fuit cuiuſdam militis generoſi , ſed alienigenæ , qui in obſequio militauerat laudabiliter regis patris. Cuius obſequij gratia , rex hunc Petrum puerulum in ſuam ſuſcepit Curiam , adiungens eum filij ſui Curiæ , cum quo à pueritia adoleuit. Quorum lapſu temporis in tantum creuit amor , vt nunquam diſiungi poſſent. Reuocato (prout diximus) ab exilio præfato Petro contra voluntatem procerum , contulit illi comitatum Cornubiæ , & inſulam Guboniæ quæ vulgariter Mannia nominatur.

Edvvardus de Carneruan.

Anno 1308. tenuit rex natale apud Wye manerium Abbatis de bello, non dum tamen ſuſceperat regni coronam. Paucis poſt natale diebus tranſactis transfretauit , vt regis Francorum filiam nomine Iſabellam duceret in vxorem , quæ paulo plus annis duodecim habuit in ætate. Regni vero cuſtodiam commiſit prædicto Petro , ob quam cauſam proceres indignati ſunt.

Nuptiis in Francia celebratis ſolemniter apud Boloniam, quibus quatuor reges interfuere, ſ. rex Franciæ & rex Nauarræ filius regis Franciæ, rex Alemanniæ, & rex Siciliæ, reuerſus eſt in regnum Angliæ cum vxore. Quibus occurrunt regni proceres, certantes quis propenſiorem poſſit illis honorem impendere. Sed Petrus antedictus in omni apparatu cæteros tranſcendebat. Quem rex etiam in amplexus ſpecialius admittebat, & familiarius reſpiciebat. Inuidebant proinde proceres, & vindictam in tempus illud differebant.

Coronatio regis. Sexto Kal. Martij die viz. S. Matthiæ rex & regina apud Weſtmonaſterium ſolemniter coronatur.

Templarij capti. Hoc anno capti fuerunt omnes templarij per totam Angliam præcepto regio vno die propter plurima inhoneſta & enormia, fideique catholicæ aduerſantia de eis dicta & probata, & in diuerſis regni caſtellis carcerali cuſtodiæ deputati.

Anno 1309. regni proceres & nobiliores videntes ſe contemni, & Petrum de Gauerſton cunctis anteferri, acceſſerunt ad regem humiliter rogantes, vt baronum ſuorum vellet conſiliis tractare regni negotia, quibus à periculis ſibi imminentibus, non ſolum cautior, ſed tutior eſſe poſſet. Quorum votis facie tenus rex annuit, & parliamentum Londoniis inſtituit fieri, ad quod omnes qui intereſſe debebant venire mandauit.

Robertus Archiepiſcopus Cantuarienſis iubente rege reuocatur ab exilio, qui iam per biennium exulauerat propter offenſam regis Edwardi patris regis præſentis.

Petrus exulat. Anno 1310. decreto parliamenti tenti Londoniis ad baronum inſtantiam, Petrus de Gauerſton in Hyberniam exilio relegatur. Soluto parliamento cunctis gaudenter ad ſua diſcedentibus, rex remanſit triſtis, cogitans & diſquirens cum priuato ſuo conſilio, qualiter poſſet ipſum ab exilio reuocare. Suggeſtumque fuit ei quod ſi ſororem comitis Glouerniæ, qui pro tunc erat iuuenis toti regno dilectus, & ſub tutela regis, præfato Petro daret in coniugem, poſſet ipſum intrepide reuocare. Rex hiis auditis cum omni feſtinatione miſſis nunciis accerſiuit eum, & inter ipſum & ſororem comitis fecit celebrari nuptias, licet multum comiti diſplicerent. Exinde Petrus ſuperbiens plus ſolito, regni nobiles vilipendit, ſubſannabat proceres mediocreſque deſpexit. Et quia rex permiſerat ſibi facultatem pene faciendi quæ vellet, quantum ad ea quæ reſpiciebant perſonam regiam, cæpit ſicut prius theſaurum regis colligere, & negotiatoribus vltramarinis accommodare, non ad vſus quidem regios, ſed ſuos proprios. Qui in tantum expilauit regem, vt non haberet vnde ſolueret expenſas ſolitas domus ſuæ. Regina vero tantum rebus neceſſariis arctabatur, vt regi Fránciæ patri ſuo lachrymabiliter quereretur, honore debito ſe priuatam. Barones igitur conſiderantes, quod eorum tolerantia Petro malignandi præſtabat audaciam domino regi denuntiauerunt aſſenſu communi, vt vel dictum Petrum à ſua propelleret comitiua, articuloſque prouiſos effectui manciparet, vel ipſi certe in eum tanquam periurum inſurgerent.

Petrus exulat. Durus videbatur hic ſermo regi quia Petro carere neſciuit, ſed plus periculi cernebat emergere, ſi petitionibus procerum non obtemperaret. Petrus igitur abiurat regnum, regis plus permiſſione quam beneplacito, addita à baronibus conditione, quod ſi de cætero poſſet inueniri in Anglia, vel aliqua terra regi ſubiecta, caperetur, & velut hoſtis publicus damnaretur.

Igitur ſub præmiſſa conditione dato ſibi conductu, Angliæ regnum ingens deſeruit & Franciam eſt ingreſſus. Quo audito rex Francorum juſſit ſuis vt eum caperent, ſi quo modo poſſent, & diligenter cuſtodirent, ne rediret in Angliam, & proceres ſicut prius turbaret, & filiam. Petrus de hiis præmonitus fugit in Flandriam, ibi quæſiturus requiem nec inuenit. Tandem cum ſuis conſortibus alienigenis rediuit in Angliam, de amicitia confiſus comitis Glouerniæ cuius ſororem duxerat in vxorem. Parum ante feſtum natalis domini, regis ſe præſentauit obtutibus, qui præ gaudio ſui aduentus, iuramenta, pacta, promiſſa negligens, tanquam cœleſte munus hilariter ſuſcepit eum, & ſecum detinuit cum familia ſua tota.

Anno 1311. poſt natale rumore vulgato de Petri reuerſione regni magnates & plebei conturbati ſunt. Qui neceſſitate ducti, elegerunt ſibi Thomam de Lancaſtria in ducem & defenſorem, vt periculis conſulerent & malis futuris. Nobiliores vero regni de communis decreti ſententia, miſerunt honorabiles domino regi nuncios exorantes, vt vel dictum Petrum eis traderet, vel vt ordinatum fuerat ipſum regnum euacare iuberet. Rex vero ſiniſtro ductus conſilio baronum ſupplicationes paruipendens, ab Eboraco receſſit ad nouum caſtrum.

Magna-

Magnates proinde ſub omni celeritate ad nouum caſtrum iter arripuere. Quod cum rex audiſſet, quaſi proſcriptus aut exul fugit cum dicto Petro Tynemutham, & inde Scadeburgiam vbi habebatur caſtrum regale, vbi præcepit Caſtellanis, vt cuſtodiam Petri ſuſciperent & caſtellum victualibus inſtaurarent, rege ſe alias transferente, nec opem ferre valente, quin caperetur & reduceretur vſque ad villam de Dadington. Vbi comes Warwici, Guido de bello campo fecit eum decollati tanquam legum regni ſubuerſorem & publicum proditorem. Cadauer eius humatum eſt apud Langley regale prędium, vbi rex de regio fiſco conſtruxit fratribus Iacobitis habitaculum pro anima dicti Petri. Die S. Bricij Iſabella regina peperit regi filium apud Windeleshores, cui nomen patris fuit impoſitum, licet magnates Franciæ qui tunc aderant, puſiolo nomen regis Franciæ imponere voluiſſent.

Petrus decollatur.

Anno 1312. obiit magiſter Rob. de Winchelſey quondam Cantuar. Archiep. qui nobiliter toto ſuo tempore rexerat eccleſiam Anglicanam, & firmus exactor fuerat regni libertatum.

Winchelſey moritur.

Hoc anno dominus Guido de bello campo comes Warwici fato ferali ſuccubuit, impocionatus vt fertur. Rex & regina transfretauere Pariſius cum multis regni nobilibus, vt intereſſent coronationi domini Philippi filij regis Franciæ in regem Nauarriæ coronandi die Pentecoſtes.

Anno 1313. Scoti intrantes Northumbriam deprædati ſunt patriam trucidantes incolas, & villas plurimas incendentes.

Clemens papa diem clauſit vltimum, & vacauit ſedes per biennium. Cui tandem ſucceſſit Iacobus epiſcop. Auoniæ, & vocatus eſt Iohann. 22. Poſt paſcha rex accinxit ſe verſus Scotiam cum exercitu, peruenitque Berwicum. Cunctiſque illuc properantibus qui ſibi debebant ſeruitiū, præter Thomam comitem de Lancaſtria, & Comites Warwicæ & Arundeliæ qui ſuperſedere venire, eo quod quoſdam articulos petitos & conceſſos, rex detractabat ad effectum perducere, diſpoſuit militiæ ſuæ turmas, ad diſſoluendum obſidionem caſtri de Striuelyn. Cumque fixiſſet prope locum tentoria, quidam de regis exercitu facientes equitationem, Scotos atrociter prouocabant. Quibus illi viriliter occurrentes, multos Anglorum nobiles in vigilia S. Ioh. Baptiſtę peremerunt. Quo caſu Anglici nimis exacerbati, in craſtino vindicari firmiter proponebant. Craſtino vero circa horam diei 3. Robertus le Brus qui ſe regem nominauit, pręceſſit pedes Scotorum exercitum, dans illis exemplum, vt nemo de fuga cogitaret. Cumque ventum fuiſſet ad actum vt manus conſererent, diſcrimini patuit pars Anglorum. Ibi nempe corruit nobilis ille miles Gilbertus comes Glouerniæ, ante mortem ſuam crudelem ſumens de Scotis ſuis manibus vltionem. Nobilis etiam baro Robertus de Cliſforde cum multis viris aliis nobilibus in hoc funeſto conflictu peremptus eſt. Ibi ceciderunt milites & ſcutiferi ad numerum ſeptingentorum.

Regis in Scotiam expeditio.

Anglorū cædes.

Rex in hoſtes deſæuiens, & ſui ipſius oblitus, per ſuos educitur à loco diſcriminis, & ad ſe ſubtrahendum compellitur. Comes Herefordiæ fugiendo capitur, cum baronibus 22. & militibus 68. Dominus Radulphus Mounhermer qui deſponſauerat ſororem regis Angliæ & comitiſſam Glouerniæ, & captus fuerat in ferali certamine, inuenit gratiam in oculis regis Scotorum ratione familiaritatis eum eodem præhabitæ, ita quod redemptio ſua ſibi fuit perdonata per eundem. Qui rediens in Angliam reportauit ſceum domini regis targiam captam à Scotis, vſu tamen ipſius primitus interdicto.

Gilbertus conſul Glouerniæ infauſta pugna vita priuatus, tres filias ſuperſtites dereliquit. Quarum primam duxit dominus Hugo de Spencer. Secundam dominus Hugo de Audeley, quam prius habuerat dominus Petrus de Gaueſton quondam comes Cornubię. Tertiam duxit dominus Rog. de Tamary quam prius deſponſauerat dominus Ioh. de Burgo, filius & hæres comitis Vltoniæ de Hybernia. Et ſic diuiſus eſt comitatus nobiliſſimus in tres baronias.

Gilberti filiæ.

Poſt bellū de Striuelinæ Robertus le Brus interfectorum ſpolia ſuis diſtribuit larga manu, captiuos tractauit ciuiliter, corpora comitis Glouerniæ. & baronis de Cliſford trāſmiſit regi Anglię apud Berwicum commoranti, ſine pretio pro ſuę voluntatis beneplacito ſepelienda. Quibus ex cauſis corda multorum in ſui amorem allexit. Comitem vero Herefordiæ facta cōmutatione pro ſua coniuge quæ iam diu in cuſtodia regis Angliæ, detenta fuerat, liberum abire permiſit. Quibus geſtis rex ſe tranſtulit ad partes auſtrales. Eo tempore plures ex Anglicis facti transfugæ, ſe Scotis confæderauerunt, reuerſiq; cum Scotis, plurima damna Northumbrenſibus irrogauerunt.

Scotorum regi comutat.

Anno 1314. Rex conuocatis Cantuarienſi Archiepiſcopo & aliis quatuor pontificibus

ficibus

ficibus cum multis prælatis aliis, corpus Petri de Gauerſton transferri fecit Langleiam, & inter fratres predicatores honorifice tumulari.

Incraſtino Purificationis conuenerunt Londoniis ad parliamentum prælati pene regni omnes cum proceribus, vt quia vix potuit viuere plebs communis præ cariſtia rerum venalium, prouiderent tantæ neceſſitati remedium. *Victualium pretium.* Statutum eſt igitur, vt melior bos viuus venalis craſſus non paſtus de grano pro 16. ſol. venderetur, de grano vero paſtus 24. ſol. vacca melior viua craſſa 12. ſol. venderetur, porcus duorum annorum pinguis pro 3. ſol. & 4. denariis, multo tonſus craſſus 14. denariis, lanatus vero craſſus 20. denar. auca craſſa 2. denar. & obolo. Capo bonus 2. denar. Gallina bona pro vno denario venderetur, duo pulcini pro vno denario, Columbellæ quatuor pro vno denario, Ouaque 24. pro vno denario venderentur. Et ſi vendentes aliter facerent, res venales regi forisfactæ remanerent.

Parliamentum ſine effectu. In quindena Paſchæ per regis breuia citatæ ſunt generaliter omnes parliamentales perſonæ pro parliamento tenendo Londoniis. Sed multis proceribus prætendentibus impedimenti cauſas, nihil hac vice factum fuit. Scoti per hoc tempus crudeles & inhumani, flamma, rapinis & cædibus, partes occidentales Northumbriæ à Lugubalia vſque ad Eboracum ſine reſiſtentia deuaſtatunt, *Angliæ pars Scotis tributaria.* factaque fuit patria longo tempore Scotis tributaria, donec miſeri patriotę nil haberent vnde tributa penderent. Eodem ann. Robertus le Brus in Hiberniam tranſmiſit exercitū, cui ducem conſtituit Edward. fratrem ſuum vterinum, vt terras regis Angliæ in illis partibus occuparet, & Anglos ibidem pro viribus infeſtaret. Hoc in tempore velut deo diſplicerent ſtatuta præcedentis parliamenti omnia venalia plus ſolito facta ſunt cara, animalia craſſa mactabilia, capones & ancæ vel oua rariſſime videbantur. Oues peſte peribant, porci nutriri nequibant, quatterium frumenti fabarum & piſarum 20. ſol. vendebatur. Quarterium Bracij vna marca, ſalis quarterium vendebatur 35 ſolidis.

Lewelini captio. Lewlinus Bren Wallicorum capitaneus qui multas villas combuſſerat, & Anglos interfecerat, captus eſt cum duobus filiis, per quoſdam aulicos, & regi London. præſentatus.

Anno 1315. In parliamento tento Lincolniæ de conſenſu baronum, ſtatuta de venditione victualium reuocantur. Permiſſumque fuit, vt quiſque ſua victualia meliori foro quo poſſet venderet in futurum.

Ferculorum diminutio præ fame. Hoc anno præualente fame, magnates & diuites ſuas minuere familias, & fercula ſuperflua ſubtraxere. Qui fuerunt expulſi à Curiis, effecti ſunt veſpiliones & in tantam ſuccreuere multitudinem, vt vix fuit aliquis tutus à deſpoliatoribus in hac terra.

Circa feſtum Paſchæ factum fuit Parliamentum Londoniis ante feſtum Aſſumptionis beatæ virginis, & quatterium frumenti 40. ſol. vendebatur. *Famem ſequuta mortalitas.* Famem totam terram inuadentem, mortalitas eſt ſequuta pauperum, & pecora eſu herbarum putrefactarum cadebant, vnde contigit, vt eſus carnium cunctis eſſet ſuſpectus. Nec valuit contra peſtem hominum ſolertia Phyſicorum, quia medicinales herbæ, propter elementorum inæqualitatem effectæ degeneres, virus pro virtute reddebant.

In feſto aſſumptionis natus eſt regi filius apud Eltham qui vocatus eſt Iohannes. Londonienſes quia frumentum inbraſiatum multum adauxit cariſtiam ſtatuerunt ne frumentum de cætero in ceruiſiam verteretur.

Rex etiam idem proclamari iuſſit per totum regnum.

Beneficiorum fructus per papam reſeruantur. Iohannes papa 22. reſeruauit ſibi primos fructus beneficiorum vacantium in Anglia per triennium.

Northumbri ſuos ſpoliant. Anno 1316. videntes quidam Northumbrenſes impune Scotos debacchari, nec quemquam obuiare volentem eorum inſolentiis, velut in defectu regis & procerum ſumunt arma, & reſiſtere Scotis parant. Et cum per tempus aliquod id probe feciſſent, tum deficientibus tam victualibus quam pecunia, de tyronibus facti ſunt tyranni, de defenſoribus deſtructores, de propugnatoribus proditores. Deſpoliabant domi ruriculas, in campis accolas, eorum boues rapientes, & ad cibaria ſua mactantes. Multiplicatuſque eſt in tantum eorum numerus, vt neminem in illa regione timerent, continuauerūtque ſua ſcelera In illa prouincia per quatuor fere annos. Sub iſtis diebus applicuerunt in Anglia Cardinales rogatu regis, directi nuncij domini papæ Iohannis 22. vt pacem inter regna Angliæ reformarent & Scotiæ, & vt comitem Lancaſtriæ Thom. regi pacificarent. Attulerunt etiam ſecum bullas, quibus dominus papa Scotos excommunicauit, eo quod deſciuiſſent à domino ſuo rege Anglię, niſi redirent ad pacem eius. Qui prout moris eſt Romanorum in exteras regiones venientium, ſemet oſtentare volentes

con-

contulerunt ſe ſub omni feſtinatione in partes boreales, vt dominum Lodowicum de Bello monte, cui dominus papa ad regis inſtantiam Dunelmenſem contulerat Epiſcopatum, electo eiuſdem loci caſſato, cum pompa Romana intronizarent, quamuis præmoniti fuiſſent, vt in comitatu Eboraci ſe continerent & vltra progredi non præſumerent, niſi regia manu fulti. Cumque veniſſent prope villam de Derlingtone, ſubito de valle quadam erumpentes dicti graſſatores, ducibus Gilberto de Middletone, & Gualtero de Selbye inopinato irruerunt in familiam Cardinaliũ & Lodowici futuri epiſcopi Dunelmenſis. Et nulla reuerentia habita ad tantas perſonas, eos de theſauris & equis ſuis ſpoliarunt. Lodowicum vero epiſcopum Dunelmenſem ducentes ad villam de Morpath ad redemptionem grauiſſimam compulerunt. Henricus de Bello monte, qui cum illis venerat, captus cum equis & theſauris plurimis ductus eſt ad caſtrum de Mitforde, ibique detentus, donec magnam ſummam pecuniæ perſoluiſſet. Cardinales autem cum ſua familia Dunelmiam peruenerunt, vbi per dies aliquot perhendinantes & Scotorum arbitrium præſtolantes, infecto negotio pro quo venerant, reuerſi ſunt ſub conductu regio Eboracum. Ibique horribilem tulere ſententiam in malefactores Northumbriæ, & omnibus eis quomodolibet adhærentes.

Cardinales ſpoliantur.

Quam ſententiam publicari fecerunt per totam Angliam. Redeuntes vero Londonias, petierunt à clero octo denarios de marca ſibi dari, pro damnis ſuis & expenſis, non habentes reſpectum ad 4. denarios ſibi de marca prius conceſſos. Sed clerus huic petitioni noluit obedire.

Gilbertus de Middleton poſt plura damna illata prioratui de Tynmuthe, & prioratum deprædationes captus eſt & vinculis arctatus, vna cum fratre ſuo tranſmiſſus Londonias, vbi iudicialiter condemnatus in oculis Cardinalium quos ſpoliauerat, tractus & ſuſpenſus eſt. Qui ſibi famulatum præbuerant, audientes eum captum, ad Walterum de Selby conſortem ſuæ malitiæ, qui vicinis ſimilem inferebat iniuriam ſe contulerunt. Cardinales per id temporis fecerunt pacem ſub certis conditionibus inter regem & comitem Lancaſtriæ Thomam, quas cito poſtea rex infregit, vt dicebatur, iniuſte.

Middleton ſuſpenſus.

Anno 1317. Scoti ad Eboracum, & Lancaſtriam comburendo, prædando, vaſtando peruenerunt. Quapropter prælati regni, accitis ſibi cardinalibus regem deprecantur, vt tantis malis velit remedium prouidere. Quod confeſtim poſſet effici, ſi baronum ſuorum petitionibus acquieſceret, vt dicebant. Quorum ſupplicationibus rex inclinatus diem præfixit, quo apud Leiceſtriam petitiones baronum & articuli confirmarentur. Quibus conceſſis per regem, Cardinales quaſi grande quid patraſſent in regno ad curiam redierunt, quæ tunc extitit Ambianis. Poſt lapſum temporis regis conceſſio friuola videbatur & inanis. Circa feſtum Sancti Michaelis in Parliamento tento Londoniis fuit ordinatum, vt rex haberet contra Scotos auxilium de qualibet ciuitate, vel villa regni, quæ homines exhibere poſſet. Qui congregati magnum conflauerunt exercitum. Cumque peruenißent Eboracum, ſuborta diſcordia, redire iuſſi ſunt ad propria infecto negotio.

Scotorum prædatio.

Edwardus le Brus frater regis Scotorum, qui iam per triennium Hyberniam infeſtauerat, & nullo iure ſe ibidem in regem coronauerat, captus eſt ab Anglicis & regis fidelibus, & apud Dundalk decollatus, occiſis in conflictu quo captus fuit 29. Baronettis de Scotia, & 5. millibus, & 80. aliis, Primate de Armakh pro rege Anglorum capitaneo exiſtente.

Edwardus Brus captus.

Robertus le Brus inuaſor regni Scotiæ, authoritate Romanæ Curiæ excommunicatus eſt ſolemniter & publice in toto regno Scotiæ, & omnibus terris adiacẽtibus, eo quod venit contra fidelitatem regi Anglorum ab antiquo debitam, regnumque Scotiæ generali ſupponitur interdicto.

Regnum Scotiæ excommunicatum.

Anno 1318. quidam proditor dictus Petrus de Spalding, qui fuit cuſtos Berwici accepta pecunia, Scotos intrare permittebat ipſam villam, vnde rex eſt grauiter contriſtatus. Mox ergo properauit illuc pergere, villamque cingere obſidione. Et cum id feciſſet, Scoti adunati ad numerum 20. millium per partes obliquas intrauerunt Angliam, proponentes reginam capere quæ in illis partibus moram traxit, ſibi venditam per quoſdam Angliæ proditores. Attamen Deo volente fraudati ſunt à deſiderio ſuo, perdita tam pecunia quam ipſa præda. Quapropter verſi in omnem rabiem, inæſtimabilia damna in illis partibus perpetrauerunt.

Scotorum irruptio.

Eboracenſes collectis 10. millibus patriotarum Scotos obuiãt apud villam de Mytone, Et facto congreſſu ſuperantur à Scotis, de noſtris ad tria millia hominum interemptis.

Cuius

Cuius facti rumor cum perueniſſet ad aures regis, illico dimiſſa obſidione Berwici feſtinauit Scotis occurrere, priuſquam proprios limites reintrarent. Sed tamen illi præmoniti per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

Treugæ biennales acceptæ ſunt inter Anglos & Scotos.

Boum peſtis.

Hoc anno fuit peſtis boum, qui tam lætifere fuerunt infecti, vt canes de cadaueribus eorum comedentes & corui, quaſi toxicati veneno intumeſcerent & mortui caderẽt. Quamobrem nemo fuit auſus comedere carnes bouinas aut vaccinas. Regina peperit filiam ſuam primogenitam Alienoram apud Woodſtocke.

Scotorum irruptio.

Anno 1319. rege exiſtente Eboraci, Scoti intrauerunt Angliam, & illuc vſque penetrauerunt, & ſuburbana ciuitatis cremauerunt, & captiuos ceperunt dominum Iohannem de Bretayne comitem Richmondiæ & plures alios. Quos omnes ad grauiſſimam redemptionem compulerunt.

Leproſorum executio.

Leproſi per totam chriſtianitatem diffamati fuere, quod iniiſſent fœdus cum Saracenis, ad toxicandum chriſtianos vbique terrarum, ponentes venenum in fontibus, puteis & ciſternis. Super quo multi de Francia, & Prouincia conuicti combuſti ſunt, & Iudæi detenti & incarcerati propter auxilium eis præſtitum & conſenſum.

Terra de Gowers.

Anno 1320. Quidam miles dictus Gulielm. de Brewes quandam portionem terræ ipſum contingentem iure hæreditario in Marchia Walliæ, diuerſis dominis obtulit ad emendum. Quæ terræ portio terra de Gowers antiquitus vocabatur. Comes Herefordiæ quia dicta terra contigua fuit terris ſuis, conuentione facta cum dicto Gulielm. diſpoſuit cum regis licentia dictam terram ingredi, tanquam propriam poſſeſſionem. Rogerus de mortuo mari f. auunculus, & Rogerus nepos, neſcientes de pacto prælocuto, ad dictum Gulielm. de Brews accedentes, cum eo conuenerunt de dicta terra, ſibi & ſuis habenda, & quaſi ſecuritatem bonam de præfato Guliel. reportarunt. Dominus Iohan. de Moumbray, qui filiam dicti Gulielm. duxerat in vxorem, quæ fuit vnica hæres de tota terra præfata, tanquam vxori ſuæ hæreditario iure debita ſecurior exiſtebat. Nouiſſime ad omnem malorum cumulum, Hugo de Spencer iunior terram illam excluſis omnibus aliis comparauit. Quo cognito præfati proceres irati ſunt valde. Comes vero Herefordiæ Humfridus de Boun conqueſtus eſt ſuper iniuria ſibi illata Thomæ comiti de Lancaſtria. Qui allicientes cæteros pene cunctos comites, & barones in partem ſuam, duce Thoma de Lancaſtria venere Shireburniam.

Baronum inſurrectio.

Indeque barones vexillis explicatis venerunt ad villam de S. Albano, ibi per triduum cum ſuis armatis exercitibus perhendinantes, miſerunt ad regem Londoniis commorantem ſolemnes nuncios, Sariſburienſem, Elienſem, Herefordenſem, & Ciceſtrenſem præſules, qui tunc ad S. Albanum conuenerant pro pace reformanda, mandantes, vt dominus rex Hugonem, & Hugonem le Spencer regni proditores per communitatem regni in multis condemnatos articulis, exilium meritum ſubire permitteret, & baronibus ac omnibus qui in eorũ comitiua arma ſumpſerant indemnitatis patentes literas concederet. Quibus petitionibus cum rex nollet condeſcendere, barones cum faſtu nimio Londonias adierunt. Tandem rex ad inſtantiam reginæ, & præfatorum pontificum eorum petitionibus acquieuit.

Spẽſeri exulant.

Edictoque ſuper hiis per comitem Herefordiæ in aula Weſtmonaſterij publicato, Hugo ſenior in exilium actus eſt, ſed iunior Hugo in diuerſis locis latitauit, nunc in terra, nunc in mari, nec potuit apprehendi.

Hugo Spenſer redit.

Circa feſtum omnium ſanctorum Hugo de Spencer iunior filius Hugonis ſenioris aſcendit è mari, & peruenit ad regem, cuius conſilio & quorundam aliorum, rex mandauit breuia ſua ad omnes regni vicecomites ad congregandum exercitum contra barones, cupiens vindicari de deſpectu & rebellione nuper ſibi factis Londoniis. Barones hæc audientes ad ſe defendendum protinus parauerunt.

Anno 1321. tenuit rex natale apud Circeceſtriam cum magna militum, ſcutiferorum & architenentium numeroſitate, proponens aut mori viriliter, aut velut rex ſuperbos ſubiectos imperialiter dominari. Quidam baronum hiis cognitis animo conciderunt, & neglecto iuramento quod in commune præſtiterant, regis gratiæ ſe ſubmiſere.

Regis præt araue in carcere.

Inter quos erant præcipui duo Rogeri de mortuo mari, qui contra ſuam opinionem miſſi ſunt ad Turrim Londoniarum ibidem detinendi, donec prçuidiſſet quid de eis fieri decreuiſſet. Eo tempore dominus Hugo de Audelee ſenior, & dominus Mauricius de Berklee in manus regis incidentes, miſſi ſunt ad caſtrum Walingford conſeruandi. Nulla fuit interim requies, donec vterque exercitus regis & baronum iuxta villam de Burton ſuper Trent conueniſſet. Sed Thomas conſpecto regis exercitu ſuis præſtare & numero & virtute, dedecoroſe fugit. Rex autem fugientes perſequitur donec veniſſet ad Burbrige,

brige,

brige, vbi boreales aduenerāt ad ſupplementum regis exercitus. Cumque dominus Humfredus de Boun comes Herefordiæ pontem ibidem tranſire voluiſſet à quodam ſub ponte, lancea transfixus eſt & peremptus ibidem. Thomas de Lancaſtria non valens ſuſtinere pondus prælij imminētis, nec de loco fugere, captus eſt ab Andrea de Herkle, cuſtode Carleoli, milite mediocris fortunæ cum multis alijs, & ductus ad regis præſentiam, qui tunc fuit apud Pontem fractum, cum vtroque Hugone de Spencer ſeniore & iuniore. Tertio vero die à captione ſua ſederunt principes, & aduerſus eum dictauere ſententiam, adiudicantes eum tractioni, ſuſpenſioni & decollationi. Sed indulgentia regis ſolummodo decollatus eſt. Sectatores tamen dicti Thomæ qui capti fuere tracti ſunt & ſuſpenſi. *Thomas de Lancaſtria captus.*

Rex elatus de tanta victoria collegit exercitum, quantus non fuerat per ante viſus, vt Scotos ſuos aduerſarios debellaret, & cum magna pompa tranſiit ad partes boreales. Cuius aduentu Scotis præcognito, ſe cum ſuis victualibus ad notas latebras tranſtulerunt, ſicque factum eſt, vt rex nec reſiſtentiam nec victualia reperiret. Periit ergo fame magna pars exercitus, & rex redire coactus eſt inglorius. Commorante rege minus caute in loco qui dicitur regalis vallis, Scoti latenter ingreſſi regnum Angliæ, regem incautum capere meditati ſunt, ſed deo volente rex præmonitus receſſit à loco, quem velut fugientem Scoti inſecuti ſunt vſque ad Abbathiam de Byland, ſed cum nec ibi tute perhendinare poſſet propter Scotorum violentiam, rex arreptis armis fugit celeriter Eboracum theſauro ſuo, victualibus, & vtenſilibus direptioni derelictis. Scoti vero in hac peruagatione proſperantes patriam incenderunt, obuios occiderunt, captiuos abduxerunt. Inter quos virum nominatiſſimum Iohann. de Bretayne, comitem Richmundiæ captiuum traxerunt, & cum multis ſpolijs domum proſpere redierunt. *Regis bona à Scotis direpta.*

Hoc anno dominus Hugo de Spencer pater, factus eſt Comes Wintoniæ, datis ſibi dono regis caſtro & honore de Donington, quod fuit de comitatu Lincolniæ.

Philippus rex Franciæ moritur, cui ſuccedit in regno Carolus frater eius, qui prius fuerat comes Marchiæ. *Philippi mors.*

Anno 1322. venerunt ad regem Angliæ nuncij noui regis Francorum Caroli, ad citandum eum, vt infra certum tempus accederet ad regem Franciæ, & homagium ſibi faceret pro ducatu Acquitaniæ, quos cum Hugo de Spenſer iunior & Robertus de Baldok Cancellarius conueniſſent, ne regi notificarent aduentus ſui cauſam, ipſi tamen in receſſu ſuo monuerunt eum quaſi conſulendo, vt veniret infra certum tempus ad homagium faciendum. Super qua monitione ſiue citatione ſubdola, fecit quidam notarius, qui fuit vnus ex nunciis publicum inſtrumētum, virtute cuius rex Franciæ fecit progreſſum contra regem, & terras plures Waſconiæ ſeyſiri fecit, in pœnam contumaciæ regis Angliæ, qui fuit informatus per malos conſiliarios, quod ipſum præfata citatio vel monitio iactabat. *Rex Angliæ citatus pro homagio.*

Eodem anno epiſcopus Glaſcuenſis, & Tho. Rondolf comes Moraniæ miſſi ſunt per Robertum le Brus & totum regnum Scotiæ ad Romanam curiam, pro habenda relaxatione excommunicationum & interdicti ſententiæ, in regnum & regnicolas Scotiæ per Cardinales authoritate papæ latarum. Contra quos rex Angliæ miſit quendam clericum qui obtulit coram papa ſe probaturum Scotorum manifeſtam & notoriam offenſam, nō ſolum contra regem & regnum Angliæ, ſed etiam contra ſedem Apoſtolicam fore contractam, ita quod ſine ſatisfactione non poſſent à dicta cenſura relaxari de iure, euenitque clerici ſupradicti ſolertia, quod Scoti infecto negotio redierunt. Per idem tempus Andreas de Hercle ob notam probitatis, accinctus regis manibus gladio militari, & donatus conſulatu Carleoli, deſciuit à fidelitate quod domino ſuo iurauerat regi, & Scotis regis hoſtibus ſe coniunxit. Et in tantum ſibi Scotos allexit, vt de communi conſilio vellent illi ſororem regis Scotiæ coniugio copulare. *Scoti non relaxantur interdicto.*

Rex iſta non ignorans doluit ſe tam ingrato, nec non perfido tot beneficia contuliſſe. Erat eo tempore in partibus borealibus miles quidam ſtrenuus, dictus Anton. de Lucy, qui captans fauorem regium, Andræam per inſidias inopinate captum, miſit ad regem Londonias catenatum, vbi quadrifario iudicio condemnatus eſt. Nempe primo degradatus eſt, amputatis ſecuri calcaribus ad talos ſuos, ex poſt diſcinctus eſt baltheo militari, exinde detracti ſunt ei calcei, & chirothecæ, nouiſſime tractus, ſuſpenſus, decapitatus, & in quartas diuiſus eſt, & partes quatuor principalioribus ciuitatibus Angliæ ſunt tranſmiſſæ, caput eius ſuper pontem Londoniarum fixum eſt, verſus partes reſpiciens Scotianas. *Andræas Hercla proditor.* *Andreas executio.*

Robert. le Brus petit treugas à rege Angliæ per ſolemnes nuncios, & conceſſæ ſunt ei treugæ per annos 13. duraturæ.

Digitized by Google

Circa feſtum Michaelis Rex circuiuit Comitatus Eboraci,& Lancaſtriæ, Marchiam Walliæ,faciens inquiſitiones de pacis perturbatoribus, de vulgi communis oppreſſorib. de prouinciarum prolocutoribus,& ductoribus,qui per nundinas,ſiue fora, ſoliti fuerant concitare ſeditiones,fouere partes contra partes,manutenere malefactores, & omnes tales captos & conuictos,puniuit iuxta ſuæ demerita prauitatis.

Imperator excommunicatus.

Eodem anno papa citauit ducem Bauariæ electum in imperatorem, vt veniret ad curiam,& de electione & iure ſuo doceret. Et quia nō venit in termino limitato,excōmunicauit eum,& pronunciauit eum nullum ius habere in imperio, vel ad aliud, & ſi quod habuit priuauit eundem.

Ann. 1323.in parliamento tento Londoniis quæſitum eſt,quid foret reſpondendum regi Franciæ, qui regem Angliæ iam pluries vocauerat ad faciendum homagium ſibi pro Waſconia,& cæteris terris quas tenebat in dominio regis Francorum. Super quo conſultum eſt per regni proceres,ne rex tranſiret in perſona propria,ſed prius mitteret ſolemnes nuncios,ſi forte vel hac vice de non comparendo poſſet obtinere dilationem, vel omnimodam excuſationem. Præterea Rex petiit in præfato Parliamento pecuniare ſubſidium, pro redemptione nobilis viri Ioh. de Britannia,comitis Richmondiæ nuper capti per Scotos,apud Abbathiam de Ryland,ſed non obtinuit.

Templariorum bona ablegata.

In eodem Parliamento,terræ,poſſeſſiones,& dominia,quondam templariorum,aſſenſu communi, totius cleri, & populi hoſpitalariis concedentibus iure perpetuo, per omnes regni prouincias poſſidenda.

In eodem Parliamento electi ſunt viri nobiles, comes videlicet Cantij Germanus regis,Edmundus de Hodeſtoke,& Archiep. Dublinenſis, ad excuſandum Regem Angliæ, penes regem Franciæ vt ſuperius dictum eſt. Qui cum diu inutiliter tractaſſent cum rege Franciæ,eiuſque conſilio,demum ſine ſuæ legationis fructu reuerſi ſunt.

Rex Franciæ per idem tempus,miſit dominum Carolum de Valoys patruum ſuum in Waſconiam cum magno exercitu, ad inuadendum poſſeſſionem totius ducatus Aequitaniæ,quia rex Angliæ non venit ad faciendum homagium ſuum regi Franciæ pro ducatu & comitatu Pontiui,quem ſcyſiuit, ad quod faciendum fuit vocatus, vt ſuperius eſt expreſſum.

Carolus ergo perequitauit totam Agennam,& illas partes ſeiſiuit,vſque ad villam de Regula, in qua tunc fuit dictus Edmundus frater regis Angliæ, Comes Cantij tenens eam. Finaliter, treuga inita inter eos, vſque ad tempus quo poſſent de pace tractare, reddita eſt illa nobilis villa de Regula Carolo ſupradicto, & vtraque pars ad propria remeauit.

Rog. de mortuo mari fuga.

Rog. de mortuo mari, dominus de Higemor,qui cū Rogero auunculo ſuo in guerra baronum regis gratiæ ſe ſubmiſerat,& in turri Londoniarum clauſus fuerat, data ſuis cuſtodibus ſoporifera potione,euaſit per omnes turris cuſtodias,& peruenit ad flumen, vbi quandam cimbam repetiens, à quodam coadiutore ſibi paratam, ill[illegible] intrauit, & cum ſumma fœlicitate mare tranſiit & in regnum Franciæ, ſine quouis impedimento peruenit,vbi diu degens,gratiam reconciliationis expectauit.

Rogerus auunculus huius Rogeri, fere per quinquennium, ſqualore carcerali detentus ibidem ſatis inhumaniter,tandem diem clauſit extremum, cuius corpus delatum Briſtoliam ſepelitur.

Circa tempus iſtud, miſſus eſt ad regem Franciæ dominus Aymarus, comes Penbrochiæ ad tractandum de pace prælocuta. Sed cum perueniſſet ad villam de Sancto Richerio inopinato languore correptus, inter brachia domeſticorum expirauit. Miſſi ſunt & alij pro cauſa præfata, ſcilicet dominus Iohannes de Suliaco, & magiſter Iohannes Schordich. Sed Iohannes de Suliaco, ibi de quadam tranſgreſſione accuſatus, vix interuentu reginæ Franciæ, mortem euaſit, collega ſuo, ſine fructu ſui itineris domum reuerſo.

Alieni Anglia pulſi.

Interim commeatus interdicuntur inter regna,ſicq; quod neque Francis in Anglia, nec Anglis in Francia,negotiari licebat. Familiares reginæ quotquot erant,oriundi de Frācia,ſine ſpe reuerſionis,regnū exire coguntur,terræ prætereà,& caſtella reginæ, ſeiſita ſunt in manum regis,datis reginæ ſtatis ſtipendiis de burſa regis. Religioſi etiam,& beneficiati de gente Francorum,in maxima miſeria vitam tranſigere compelluntur, eorum beneficiis confiſcatis,& exiliſſimo victu,eis de rebus propriis deputato.

Anno 1324. in octauis Sancti Hillarij,in Parliamento tento Londoniis,tractabatur de ſaluatione ducatus Britanniæ, quæ iam per Gallos fuit multipliciter lacerata. Pro qua cauſa miſſi ſunt ſolemnes nuncij, ad regem Franciæ, Wintonienſis, & Norwicenſis, epiſco-

epiſcopi & vir illuſtris dominus Iohan. de Britannia comes de Richmund. Qui poſt multas diſceptationes tandem quandam pacis formam, à rege Franciæ receperunt. *Pacis forma inter reges.* Wintonienſis epiſcopus, collegis in Gallia remanentibus, remiſſus eſt in Angliã nuntiaturus regi, quæ facta ſunt. Regale conſilium decreuit reginam mittendam ad regem Franciæ fratrem ſuum, pro pacis negotio confirmando. Quæ cum transfretaſſet cum parua familia, ſcilicet, Ioh. de Cromwelle, & tribus aut quatuor militibus, effecta mediatrix præſentis negotij, tali fuit pacto finaliter concordatũ. Videlicet, vt rex Angliæ daret filio ſuo primogenito ſcilicet Edwardo ducatum Aequitaniæ, & comitatum Pontini, & rex Francię reciperet homagium ab eodem.

Rex Angliæ fecit chartam ſuam, filio ſuo prædicto, de dictis ducatu & comitatu, habendis & tenendis, ſibi & hæredibus ſuis, regibus Angliæ, & ſi contingat ipſum mori in vita patris ſui, terræ redirent ad ipſum patrem, ita quod rex Francię non poſſit, dictum filium maritare nec tutorem, aut curatorem ſibi dare. Quibus ita peractis, Edwardus filius regis mare tranſiit cum familia competenti. Et circa feſtum Sancti Matthæi fecit homagium auunculo ſuo Regi Franciæ ſub quibuſdam proteſtationibus. Et etiam ex parte Francorum proteſtatum eſt. Acta ſunt hæc in Francia, apud prædium regis Franciæ quod dicitur Boydenicens.

Eodem anno moram faciente regina in partibus Franciæ cum filio, vltra regis placitum nec volente redire, ſine domino Rogero de mortuo mari, & aliis nobilibus ex Anglia præfugatis, & quam maxime propter odium duorum diſpenſatorum, Hugonis, & Hugonis, qui procurauerant anno præcedente, ab ipſa remoueri familiam ſuam, banniuit tam reginam quam filium proprium, cum omnibus qui illis adhæſerant de *Regina exulat.* regno ſuo.

Eodem tempore Robertus de Balbeſare miles vir virſutus, & magnus diſſidij ſuſcitator, ſed tamen manu fortis, euaſit de caſtro de Corf, interfecto conſtabulario, & ad reginam tunc exulem ſe contulit vltra mare, vbi multipliciter indies fugitiuorum numerus augebatur.

Hoc anno dominus Oliuerus de Ingham miles iuuenis factus cuſtos Aequitaniæ, per iuuenem ducem Edward. de conſenſu patris ſui, collecto grandi exercitu, de ſtipendiariis militibus, Hiſpanis, Arragonicis, & Gaſconenſibus, prouinciam Agennenſium occupatam per regem Franciæ contra pacem inuaſit, & dominio regis Angliæ integraliter reſtituit.

Sub eiſdem diebus, nauigium regis Angliæ 100. naues Normannicas cepit, & in Angliam ſecum traxit. Qua de cauſa ſuecreuit odium inter reges, & regna, & damna vtrobiq; *Odium inter Normannos & Anglos.* pro viribus inferebantur.

In fine anni præſentis, percipiens regina magnates Franciæ fore corruptos, Anglorũ *Regina fuga.* muneribus, & nuſquam tutam fidem, feſtinauit egredi de calore domus recab, & Francos latenter fugere, contulitque ſe cum filio ad comitem Hanoniæ, ab eo auxilium petitura A quo cum filio, & ſuis omnibus magnifice eſt ſuſcepta, & prout tantam reginam decuit, honorifice exhibita pro tempore perbendinationis ſuæ.

Anno 1325. Iſabella regina Angliæ contractis ſponſalibus inter filium ſuum primogenitum Edwardum & filiam comitis Hanonię Philippam nomine, aſſumptis ſecum filio ſuo, 14. ætatis annos habente, & domino Edmundo de Hoodeſtock comite Cantij, Germano regis Angliæ, dominoque Rogero de mortuo mari, & aliis multis viris illuſtribus de regno Angliæ profligatis, duce domino Iohan. viro ſtrenuo, fratre comitis Hanoniæ, quem ſequebantur milites ſtipendiarij de Cemania, & Hanonia plures valde. Proinde parata claſſe, per comitem Hanoniæ, regina peruenit ad mare, cum ſuis auxiliariis, qui fuere duo mille, ſeptingenti, quinquaginta ſeptem viri ſufficienter armati. Regina *Regina in Angliã appulſus.* transfretando peruenit ad portum de Herewich. Confeſtim occurrere comites, Mareſcalli, & Leyceſtriæ, cum Lincolnienſi, Herefordenſi, Dublinenſi, & Elienſi epiſcopis, qui iuncti reginæ, magnum exercitum confecere. Alij quidam epiſcopi, & præcipue Cantuarienſis, ſibi pecunias miniſtrauere.. Recreato exercitu apud Sanctũ Edmundum, proceſſit regina, ſuos regnique aduerſarios quæſitura, neminem lædens in bonis, aut catallis, niſi ſolum aduerſarios quos quærebat, quorum bona reperta ſuis vſibus applicabat, & prædia deſtruebat. Rex cum hæc audiſſet, petiit Londonienſes, vt ſibi præberent auxilium. Qui reſponderunt quod ipſum dominum regem, reginam, & filium eorundem hæredem regni legitimum, honorare vellent obſequio debito, & extraneis, regnique proditoribus, portas clauderent, & reſiſterent iuxta vires, exire vero ciuitatem ſuam ſe nolle fatebantur ad pugnam, niſi poſſent iuxta libertatem eis conceſſam, ipſo eodem die

Digitized by Google

teneri ante ſolis occaſum. Quo audito, communiuit Turrim Londoniarum armis, & victualibus, relinquens ibi filium ſuum iuniorem, ſcilicet Ioh. de Eltham, fecitque proclamari Londoniis, vt vnuſquiſque ſub forisfactura reſiſteret applicatis & eos inuaderet, & occideret, ſi quo modo poſſet, exceptis ſolummodo regina & filio ſuo Edwardo, comiteque Cantij Germano ſuo.

Regis proclamatio.

Item quicunque caput Rogeri de mortuo mari regi deferret, mille libras reciperet pro mercede. E contra de parte reginæ fuit proclamatum, vt omnes de pace bonam ſpem haberent, exceptis regni perturbatoribus, ſcilicet de Spencers patre, & filio, & Roberto de Baldock regis Cancellario, & fautoribus eorundem.

Reginæ proclamatio.

Item proclamatum eſt vt nullus caperet inuito poſſeſſore, valorem trium denariorum, ſub pœna mutilationis digiti, nec valorem ſex denar. ſub pœna manus amputandæ, nec valorem 12. ſterlingorum ſub pœna decapitationis. Et quicunque caput Hugonis de Spencer reginæ deferret, reciperet duo millia librarum de regina.

Londonienſes per idem tempus fecerunt, coniurationem, vt aduerſantes reginam, ſine delectu captos, ſententia plecterent capitali. Comprehendenteſq; vnum de ſuis ciuibus, dictum Iohanem Marshal decapitauerunt, & eius bona rapuerunt, quia nimis familiaris fuerat domino Hugoni de Spencer iuniori. Apprehenſum inſuper magiſtrum Gualterum de Stapleton epiſcopum Exonienſem decollauerunt, cum duobus de ſua familia, ſcutifero, & valecto, pro eo, vt dicebant, quod collegerat multitudinem exercitus ad reſiſtendum reginæ. Claues etiam turris Londoniarum extorſerunt de manibus conſtabularij dictæ Turris, & omnes incarceratos deliberauerunt.

Regina interim obſedit villam & Caſtrum de Briſtolia, quod fuit cito ſibi redditum, cum dicta villa. Et in craſtino aduentus eius, ad clamorem vulgi, fuit Hugo de Spencer pater tractus & ſuſpenſus ibidem in armis propriis, ſuper communi furca latronum.

Hugo de Spencer ſuſpenſus.

Edw. vagatur.

Dum hæc ita geruntur, Rex vagabundus, nunc hic, nunc ibi, pro varietate locorum, in ſpem erectus, & de ſpe deiectus, in magna ſolicitudine verſabatur. Seneſcallus domus regiæ dominus Thomas Blount, cum tota ſua familia aſſumptis ſecũ victualibus & armis, cum dextrariis multis valde, ſe contulit ad reginam.

Rex vero cum Hugone de Spencer iuniore, & Rob. de Baldock, diſpoſuit confugiſſe in Hyberniam. Sed inter pelagi conſtitutus pericula, miſerabiliter per vnam ebdomadam vacillauit. Tandem applicuit in Wallia cum ſuis familiaribus, & fraude Wallenſium captus eſt in die Sancti Edmundi Archiep. iuxta caſtrum de Lantruſſan. Capti ſunt etiam, Hugo de Spencer iunior, Robertus de Baldock & Simon de Radingia. Et rex quidem domino Henrico Comiti Lancaſtriæ, conſanguineo ſuo conſeruandus committitur, & ductus per eundem ad caſtrum de Kenelworth; dominus Hugo de Spencer, Robertus de Baldock, & Simon de Radingia, ad reginæ præſentiam, quæ tunc fuit Herfordiæ, ſunt ducti, comes de Arundell, Iohannes Daniel, & Thomas de Mucheldeuere, procurante Rogero de mortuo mari, ſine quo nihil pene regina geſſit, ante eorum aduentum fuerunt decollati.

Rex captus.

Poſt hæc dominus Hugo prædictus apud Herefordiam mortis accepit ſententiam, ſine reſponſo. Vbi tractus, & ſuſpenſus eſt in furca habente quinquaginta pedes in altitudine, & ex poſt decapitatus & quartetizatus eſt.

Eodem die Simon de Radingis tractus fuit, & ſuſpenſus in eadem furca, ſed inferius per decem pedes, hic de familia regis fuit, & multa conuitia irrogauerat ſæpe reginæ. Rob. de Baldock obiit in carcere, & tormentis.

Regina præmiſſis expeditis, ſe tranſtulit cum filio ſuo, duce Aquitaniæ, dominoque Rogero de mortuo mari, & aliis ad caſtrum de Wallingforde ante feſtum natalis.

Anno 1327. & regni regis Edwardi à conqueſtu ſecundi 20. & vltimo, tenuit regina natale cum filio, Walingfordiæ, cui feſto præſentes fuere, duo regni Archiepiſcopi ſexque epiſcopi, cum prælatis multis, regnique proceribus, & nobilibus, viriſque famoſis.

Rex deiectus regno.

Exacto natali, venit regina cum filio ſuo Londonias ante feſtum Epiphaniæ vbi cum magno gaudio ſuſcepta fuit. Conuenerunt illic etiam tota regni nobilitas citata prius ad parliamentum tenendum ibidem in craſtino dicti feſti. Vbi communi decreto cenſuerunt regem indignum diademate, & propter plures articulos deponendum, & Edwardum filium eius primogenitum in regem vnanimiter eligendum. Quod etiam conſequenter factum fuit, & electio in magna aula publice diuulgata. Miſſi ſunt igitur de parte totius Parliamenti tres epiſcopi, duo comites, & duo Abbates, quatuor baro-

barones,& de quolibet comitatu tres milites, & etiam de ciuitatibus, & magnis villis, atque de portibus, ad certum numerum virorum honorabilium, ad regem degentem apud Kenelworth,qui nunciarent electionem filij ſui,& requirerent ab eo, vt renunciaret dignitati regiæ,&coronę,atque permitteret filium ſuum regnare proeo,alioquin ipſi redderent ſibi homagia in prætactis. Rex hiis auditis, reſpondet cum lachrymis ſe multum dolere, quod ſic demeruit erga populum regni ſui. Sed ex quo res iſta fuit impreuertibilis, ab omnibus veniam precabatur, & gratias agebat ex corde quod filium ſuum primogenitum elegiſſent,nuncij vero redeuntes ad Parliamentum eum regis reſponſo, & inſigniis, plebem lætam fecere. mox tota regni communitas Edwardum iuuenem,quartordecim annos ætatis habentem In regem promptiſſime admiſerunt, & 27. diem Ianuarij, diem primum regni ſui eſſe decreuerunt, & in omnibus regni communitaris pacem eius proclamari fecerunt,ſub hac forma.

Edvv.3. coron.

Edwardus dei gratia Rex Angliæ dominus Hyberniæ, & dux Aquitaniæ, vicecomiti N.ſalutem. Quia dominus Edwardus nuper Rex Angliæ,pater noſter de communi conſilio,& aſſenſu prælatorum, & comitum, & baronum, & aliorum magnatum,nec non & comitatuum totius regni prædicti,ſpontanea voluntate ſe amouit à regimine dicti regni, volens & concedens,quod nos tanquã ipſius primogenitus & hæres,ipſius regni gubernationẽ & regimen aſſumamus,noſque ipſius patris noſtri beneplacito in hac parte de conſilio,& auiſamento prælatorum,comitum,& baronum,magnatum,& comitatuum prædictorum annuentes, gubernacula ſuſcepimus dicti regni, & fidelitates & homagia, ipſorum prælatorum, & magnatum recepimus, vt eſt moris, deſiderantes igitur, pacem noſtram,pro quiete & tranquillitate populi noſtri inuiolabiliter obſeruari, tibi præcipimus, quod ſtatim viſis præſentibus per totam baliuam tuam, pacem noſtram facias publice proclamari, vniuerſis & ſingulis ex parte noſtra inhibendo, ſub pœna & periculo exhæredationis, & amiſſionis vitæ & membrorum, ne quis dictam pacem noſtram infringere ſeu violare præſumat. Sed quilibet actiones & querelas ſuas abſque violentia quacunque proſequatur ſecundum leges & conſuetudines regni noſtri,nos enim parati ſumus,& ſemper erimus, omnibus & ſingulis conquerentibus, tam diuitibus quam pauperibus,in curiis noſtris plenam iuſtitiam exhibere.

Kalend. Febr. die dominica, in vigilia purificationis, Edwardus iuuenis ſuſcepit arma militaria,cum multis aliis adoleſcentibus generoſis, per dominum Henric. comitem Lancaſtriæ,& eodem die coronatus eſt apud Weſtmonaſt. per Gualterum Archiepiſcop. Cantuar.

Reginæ matri regis aſſignata fuit dos talis ac tanta, quod regi filio ſuo pars regni tertia vix remanſit.

Regi depoſito,per ſingulos menſes aſſignatæ fuerunt per conſilium 100.marcæ, ſed non permiſſus eſt per vnius anni ſpatium gaudere tantilla remuneratione, nam nequiter atque crudeliter à ſuis cuſtodibus interfectus,prout dicitur,viuere deſiit ante finem anni, nempe ſi vulgo credendum eſt, tortores immites eum deiectum obruerunt, quodam oſtio ponderoſo detinentes eum ne ſurgeret,donec tortores impoſuiſſent cornu, in ſecreto egeſtionis ſuæ loco,& per foramen immiſiſſent ignitum veru in viſcera ſua,ne videlicet veſtigia aduſtionis in cute ſua aliqualiter apparerent,de cuius meritis,an inter ſanctos connumerandus ſit, fræquens eſt in vulgo diſceptatio, ſicut & de Thoma comite Lancaſtriæ quondam fuit.

Rex nequiter occiſus.

Eodem anno iuuenis rex Angliæ,cum matre ſua, & ſtipendiatiis ſuis alienigenis, & aliis multis regnicolis verſus Scotiam properauit, perueniτque ad Strannopark, vbi exercitus Scotorum fuit. Et quia fuit ei exercitus multo maior, & fortior, quam ipſis Scotis, obſedit eos in eodem loco, ſcilicet in herdale, diebus 15. ſed mediante proditione quorundam magnorum Angliæ,ſine læſione fugerunt. Vnde rex cum dolore maximo reuerſus eſt, remittens ad partes proprias Hannonienſes, & ſtipendiarios quos conduxerat.

Expeditio in Scotiam.

Iacobus autem Douglas,dum rex vt præfertur Scotos circumſederet nocte quadam cum paucis latenter penitrauit ad regis tentoria vt eum caperet, vel occideret, ſi fortuna faueret. Sed Capelianus regis,vir cordatus & fortis regem defendit cum quibuſdam aliis, donec idem præſbiter caderet interemptus. Iacobus vero dux Scotorum, præuidens ſibi imminere periculum,fugam cepit,& vix ad ſuos illęſus euaſit.

Edvvardi periculum.

Dominus Iohan. Mantrauers,& Tho. Gurnay, metuentes pœnas ſoluere pro morte regis, repente fugerunt. Sed dictus Thomas poſt 3. annos, notus & captus, apud Marſiliam remiſſus eſt verſus Angliam, pœnam pro demeritis recepturus. Qui tamen illuc

non peruenit, ſed in mari decapitatus fuit, ſub quodam colore, ne forte magnas quaſdam perſonas regni de conſenſu regię necis, vel conneuentia accuſaret.

Dominus Iohann. Mantrauers, ſe tranſtulit in Alemanniam, & ibi manſit per plures annos.

Hoc anno obiit Carolus de Valoys patruus regis Franciæ.

Eodem anno obiit Robertus le Brus rex Scotorum, relicto paruulo filio ſuo 8. annorum, quem Scoti receperunt pro rege ſuo.

Obiit etiam rex Francorum Carolus 3. frater, qui fuit germanus ſereniſſimæ dominæ Iſabellæ Anglorū reginæ, matris Edwardi regis pręſentis. Per cuius mortem deuolutum fuit regnum Franciæ iure ſucceſſorio, ad Edwardum regem, Angliæ qui nunc regnat, ſed per dominum Philippum de Valoys filium patrui dicti domini Caroli per vim & potentiam ſe intrudentem, contra iuſtitiam occupatum.

Philippus de Valoys, occupat Francorum regnum, iuuenis rex Angliæ duxit Philippam filiam comitis Hannonię in vxorem, quæ fuit filia ſororis Philippi de Valoys nunc occupantis Franciam, licet illa affinitas, aut vlla alia cum Francis contracta, Anglię nunquam profeciſſet.

Turpis pax inter Anglos & Scotos. Parliamentum tentum apud Northamptonā, in quo facta fuit turpis pax inter Anglos & Scotos, ita quod Dauid filius Roberti le Bruſe, duxit ſororem regis Angliæ in vxorem, & rex Angliæ cum matre licet infra ætatem exiſtens, fecit Scotis chartas, quarum tenor ab Anglicis ignoratur. Sed hæc omnia facta ſunt per ordinationem reginæ, & Rogerum de mortuo mari, & Iacobum Douglas Scotum.

Ann. 1328. magiſter Simon Archiep. Cantuar. tenuit concilium prouinciale Londoniis, in quo ordinauit quod in die Paraſceues & in die commemorationis animarum, ab omni opere ceſſaretur. Item ſtatuit de conſenſu concilij, quod feſtum conceptionis beatæ Mariæ principaliter celebraretur. Item ipſe, & omnes Prælati tunc præſentes, excommunicarunt, & excommunicatos denunciarunt omnes illos qui Gualterum de Stapleton epiſcopum Oxonię interfecerunt, ſeu in eū manus violentas quomodolibet iniecerunt, & omnes qui eis opem, aſſenſum, & conſilium præbuerunt. *Concilium Archiep. Cant.*

Circa feſtum Aſcenſionis dominicæ, Rex Angliæ tranſiuit mare, & fecit homagium regi Franciæ, pro toto ducatu Aequitanię & comitatu de Ponty ſub quibuſdam proteſtationibus, quod homagium ſuſcepit rex Franciæ ſub aliis conditionibus, videlicet quod nō admiſit homagium, pro terris quas pater ſuus Carolus equitauit, quouſque eſſet ſibi ſatiſfactum pro damnis & expenſis.

Regis Angliæ homagium. Circa feſtum Michaelis in Parliamento tento Sariſburiæ, fecit rex 3. Comites, dominum Iohan. de Eltham fratrem ſuum comitem Cornubiæ, & dominum Rog. de mortuo mari comitem Marchiæ Walliæ, & Pincernam Hyberniæ comitem de Ormund.

An. 1329. Dauid filius Roberti le Brus, Iohannam ſororem regis Angliæ duxit vxorē.

Edmundus de Hoodſtock decapitatus. Hoc anno, procurante regina, & Rogero de mortuo mari, dominus Edmundus de Hoodſtocke Patruus regis comes Cantij decollatus fuit, propter quaſdam confeſſiones, & literas apud ſe repertas, licet nullæ confeſſionum vel literarum earundem, etſi veræ fuiſſent, deberent cauſam tribuere morti eius. Qui cum triſtem accepiſſet ſententiam, hora diei prima, in Parliamento tento Wintoniæ, extra portas tamen ſtetit vſque ad veſperas condemnatus, nullo in eum volente manum mittere, donec miſer aliquis de Mariſcalſia eum iuſſus eſt decapitare. Qui eo minus deploratus fuit, quod familiam malam habuit, quæ ſupra modum afflixerat populares.

Sub hiis diebus Papa fecit graues proceſſus iterato contra ducem Bauariæ, electum in imperatorem, & adhærentes ſibi. Et pro ſuſtinenda guerra contra eum, omnes fructus beneficiorum vacantium per quadriennium reſeruauit.

Scotorum rex lepra moritur. An. 1330. Robertus le Brus, qui ſe regem Scotorum fecerat, lepra percuſſus obiit.

Ipſo anno, natus regi Edwardo filius primogenitus, Edwardus vocatus de nomine patris ſui.

Hoc anno dum Parliamentum teneretur apud Notingham, captus fuit de nocte, in camera reginæ matris regis dominus Rogerus de mortuo mari Comes Marchiæ, per dominum Gul. de monte acuto, & alios, ipſo rege præſente, & mox Londonias miſſus fuit, vbi mortis excepit ſententiam ſuſpenſus apud Elmes, ſuper communi furca latronū. Cauſæ quæ imponebantur eidem prout accepimus, iſtæ fuere.

Prima cauſa, quod fuit conſentiens morti regis Edw. in caſtro de Barkley.

Secundario, impoſitum ei fuit quod ipſe impediuit honorem regis, & regni apud Stannoppark vbi Scoti fugerunt, qui capi & interfici potuerunt.

Ter-

Digitized by Google

Tertio, quod ipſe recepit viginti millia librarum à Scotis, & illos tunc permiſit euadere, & turpem pacem poſtmodum inter Scotos, & Regem iuuenem fieri procurauit. Et ſuper hoc chartam Regis fieri fecit eiſdem. Et etiam illud vile matrimonium contractum inter ſororem Regis, & Dauid filium Rob. le Brus conſummari conſuluit, & procurauit.

Quarto, quod male conſumpſit totam pecuniam in theſauris patris huius Regis, & domini Hugonis de Spencer inuentam. Et omnia bona regni, poſtquam Angliam regina intrauit, ſuæ diſpoſitioni ſubiecit, ita quod ipſe & regina abundabant, & dominus Rex egebat.

Quinto, quod appropriauit ſibi cuſtodias & maritagia nobiliora per totam Angliam. Et quod fuit malus conciliarius Regis & reginæ matris, & nimis ſecretus cum ea, vt de alijs taceamus.

Rex Edwardus de conſenſu procerum recepit in manu ſua, omnes terras prius matri ſuæ conceſſas, & ordinauit vt ſingulis annis perciperet mille libras. *Rex matri mille libras aſſignat.*

Papa conceſſit Regi Angliæ decimas omnium bonorum eccleſiaſticorum per quadriennium, medietate ſibi retenta.

Anno 1331. fuit Parliamentum tentum Londonijs, in quo conceſſa fuit à populo quintadecima, & à Burgenſibus decima per vnum annum.

Circa feſtum S. Laurentij venit in Angliam dominus Edwardus de Baliol dicens ſe ius habere in regnum Scotiæ, cui adhæſerunt, dominus Henricus de Bello monte, Dauid Comes de Atheles, Gilbertus Vmfreuile, Rich. Talbot, & alij multi nobiles, aſſerentes ſe ius habere, ad terras & poſſeſſiones in dicto regno, vel ratione ſuarum coniugum, volentes ingredi Scotiam per regnum Angliæ, quod Rex noluit permittere contemplatione ſororis ſuæ, nuptæ Dauid filio Roberti le Brus. Quapropter ipſi intrauerunt per mare Scotiam iuxta Dunfermelyn, vbi mox in littore maris reſiſtentiam inuenerunt. Ac tam Scotos reſiſtentes fugauerunt Anglici pedites, & plurimos occiderunt, priuſquam gentes de armis, naues egredi potuerunt. Ex poſt infra dies paucos, commiſerunt prælium iuxta Gledeſmore, vbi duo millia Anglicorum vicerunt 40. millia Scotorum præ multitudine ſemet opprimentium & preſſura. Ibi interempti ſunt de parte Scotorum, 5. Comites, & multi alij interfecti. *Scotorum clades.*

Anno 1332. continuata fuit guerra in Scotia, per dominum Edw. Baliol, & nobiles ante dictos, ad quos acceſſerunt plures alij viri nobiles de regno Angliæ, voluntarie, proprijs ſumptibus militaturi, qui villam & caſtrum de Berwik obſederunt. Rex Angliæ conſiderans multa vituperia ſibi, & anteceſſoribus ſuis per Scotos illata, & quod concordia facta inter ipſum & Scotos fuit irrita per proditionem, ipſo in minori ætate notorie conſtituto, & in cuſtodia matris ſuæ exiſtente, iam contra conſilium matris ſuæ, collecta multitudine armatorum, ad Berwyk potenter acceſſit, vbi tenentes caſtrum & villam, multos doloſos tractatus habuere cum eo, vt ab extra adiutorium expectarent. Sed hæc de Regis Angliæ profectione geſta ſunt, anno ſequenti. *Profectio regis in Scotiam.*

Eodem anno quo ſupra, Edwar. filius Iohan. de Baliolo, apud Scone, in regem Scotiæ coronatur.

Anno 1333. in feſto S. Margarethæ virginis, venerunt Scoti in magna multitudine volentes diſſoluere obſidionem Berwici. Quibus cum ſuis occurrit Rex Angliæ vultu alacri, & commiſſo bello, occidit ex eis octo Comites, 1500. equites, & de popularibus triginta quinque millia. Hos ad diſcrimen appulerat quidam miles vocatus Guliel. Kenth, ad locum iuxta Berwicum, qui dicitur Boothule iuxta Hellidon. *Scotorum ſtrages.*

Miſerant interea doloſe Scoti quoſdam de ſuis in Angliam, qui obſiderent caſtrum de Bamburgh, in quo tunc temporis regina fuit. Sed auditis rumoribus de præfacta victoria, obſidione de Hamburgh dimiſſa, Scoti fugerunt ad nota latibula, & eſt dictu mirabile, quod in dicto bello, vbi corruerunt tot Scotorum millia, non ceciderunt ex Anglicis niſi miles vnus, armiger vnus, & 12. pedites. Quibus viſis, oppidani de Barwico, villam cum Caſtro Regi Angliæ reddiderunt.

Rex relictis cuſtodibus in villa, caſtroque Barwick, quæ ſua fore dixit iure hæreditario, & etiam ex conqueſtu anteceſſorum ſuorum, dimiſit Edw. le Baylol, cum alijs nobilibus qui ſecum erant, ad cuſtodiam regni Scotiæ.

Hoc anno dominus Edw. le Baliol rex Scotiæ tenuit Parliamentum poſt feſtum Michaelis, ad quod venerunt nobiles regni Angliæ, terras & poſſeſſiones ibidem habentes. Et finito Parliamento in pace reuerſi ſunt.

Anno 1334. in feſto ſanctorum Geruaſij & Prothaſij Edw. le Baliol, verus Rex Scotiæ, ſe-

Homagium Scotiæ regis.

tiæ,fecit homagium Edw. Regi Angliæ apud nouum caſtrum ſuper Tynam, in præſentia trium Epiſcoporum,Comitum,& Baronum,ac copioſæ plebis.

Eodem fere tempore, Rex Angliæ cepit homagium ducis Britanniæ,pro Comitatu Richmundiæ.

Poſt feſtum exaltationis ſanctæ crucis, dum fieret Parliamentum Londonijs nunciatum fuit quod Scoti omnes inſurrexerunt, & ceperunt dominum Rich. Talbot. & ſex alios milites,& multos perimerunt. Vnde Rex commotus promiſit ſe iturum in Scotiam, pro Scotorum malitia refrenanda. Ob quam cauſam populus conceſſit ei, 15.denarium, & ciues atque Burgenſes decimum denar. prouiderunt.

Scotia deuaſtatio.

Poſt feſtum Michaelis Rex tranſtulit ſe verſus Scotiam, & ſub hyeme gelida intrauit Galwediam,& deuaſtauit vſque mare Scoticum totam patriam. Audito quod Comes de Adhælis, transfugit ad Scotos, iratus eſt valde. Et cum didiciſſet quod dictus Henricus de bello monte in quodam caſtro fuit obſeſſus per Scotos, obſidionem fecit celeriter amoueri.

Hoc anno Rex Angliæ Edwardus,& Henricus filius Henrici Comitis Lancaſtriæ,vltra montes Scotiæ proceſſit cum exercitu,deprædantes, & incendentes plurima milliaria, amplius quam vnquam fecerat Rex Edwardus,annis Regis Edwardi.

Anno 1335.fuit Rex ad feſtum natalis,apud Rokesburgh cum manu potenti.

Scotis conceſſæ ſunt treugæ,vſque ad natale S. Iohannis Baptiſtæ, proxime futurum duraturæ. Quo tempore fuit totum Parliamentum apud Eboracum ſuper illis treugis, & alijs concernentibus ſtatum regni. In quo fuit ordinatum, quod Rex cum exercitu tranſiret mare Scoticum, quod cito poſtea factum eſt, Scoti proinde finxerunt ſe pacem habere velle. Et circa feſtum Michaelis,quidam ad pacem venerunt, inter quos Comes de Athole, pacem perijt, & impetrauit. Comes de Moryf, qui pacem petierat, & ad pacem venire contempſerat,captus eſt,poſt carceri mancipatur.

Eodem tempore, dominus Richardus Talbot, pro duobus millibus marcarum redemptus fuit.

Comes de Aſſelis, volens ſe oſtendere vere reuerſum ad Anglicos, fecit equitationem contra Scotos,& ſubito diſſipata comitiua ſua,à multitudine Scotorum,cum 13.perſonis mediocribus eſt occiſus.

Anno 1336. Domina Philippa regina peperit filium ſuum 2. dictum Guliel. apud Hatfeld.Qui cito moriens ſepultus eſt apud Eboracum.

Circa feſtum S. Gregorij in Parliamento tento Londonijs Rex Edwardus de Comitatu Cornubiæ fecit ducatum, quem contulit primogenito ſuo Edwardo tanto donatiuo Comitatum Ceſtriæ ſuperaddens. Dominus nempe Iohan. de Eltham, frater regis qui fuit Comes Cornubiæ,obierat per ante.

Comitum creatio.

In eodem Parliamento, fecit ſex Comites, videlicet Henr. de Lancaſter iuniorem, Comitem de Derby, Guliel. de monte Acuto, Comitem Sarum, Hugonem de Audele, Comitem Glouerniæ,Guliel.de Clinton, Comitem Huntingdoniæ,Rob.de Vfford,Comitem Southfolciæ. Statutum eſt hoc anno quod nullus vteretur panno, extra Angliam operato, exceptis Rege, Regina, & liberis eorundem, neque pellura tranſmarina, niſi valentes 100. libras reddituum annuarim.

Hoc anno Edw. Rex Angliæ, fœdus inijt infructuoſum cum Lodowico de Bauaria, ſe Imperatorem appellante.

Nuncij decreti ſunt ad Regem Franciæ,ex parte Regis Angliæ,ad tractandum de pace inter regna, & conueniendum Regem Franciæ, eo quod iniuſte fouit partem Scotorum, contra Regem Angliæ dominum eorundem. Adhuc dictis nuncijs in Francia moram trahentibus, directa eſt per Regem Franciæ magna claſſis, armatis onuſta, ad auxiliandum Scotis.

Dominus Guliel. de monte acuto, Comes Sarum obſedit caſtrum de Dunbar in Scotia, cum alijs magnatibus regni Angliæ, quos Rex ibidem dimiſerat pro cuſtodia illius terræ, dum interim ipſe rediſſet in Angliam, pro regni ſui negotijs exequendis. Sed cum cognouiſſet, quod Scoti dictum caſtrum obſidione vallaſſent, illuc celeriter properauit. At quia cuncta male miniſtrarat, impeditus in itinere quoſdam de ſuis amiſit.

Southampton combuſta.

Anno 1337. villa de Southamptonæ per galeas Regis Franciæ totaliter eſt combuſta. Grandis diſcordia orta eſt, inter Reges Angliæ & Franciæ, propter terras quas Rex Franciæ, ſatis iniuſte in Waſconia vſurpauerat. Qua de cauſa Rex Angliæ, plures oblationes humiles Francorum regi porrexerat, ſi ſaltem ſic poſſet recuperare terras ſuas, ſed nil profecit.

fecit. Ob quod negotium in Parliamento apud Notingham, exegit 15. denarium de communi plebe, decimamque de burgis. In hoc parliamento, ſtatutum fuit, vt omnes lanifici Flandriæ, aliarumque terrarum volentes inhabitare Angliam, pacifice aduenirent. Re vera per annos elapſos, interdictum fuit paſſagium de lanis, vt ſic retunderetur ſuperbia Flandritarum, qui plus ſaccos quam Anglos venerabantur.

Hoc anno propter inſtantem guerram, Rex Angliæ confiſcari fecit, bona Longobardorum, & monachorum Cluniacenſium atque Ciſtercien. per totum regnum. Circa Kalend. Auguſti Cometa apparuit.

Monachorum bona direpta.

Hoc anno conceſſa fuit decima eccleſiæ Anglicanæ per 3. annos ſequentes.

Anno 1338. Cardinales, ſcilicet, dominus Petrus Hiſpanus, & dominus Bernardus de monte Fauenciæ, qui pro pace venerant reformanda inter reges Angliæ & Franciæ, plus fauerunt regi Franciæ quam regi Angliæ, vt patebat in ſermone vnius Cardinalis, ad clerum habito. Quapropter continuo ſurrexit Cantuar. Archiep. & prædicauit publice aſſertiones Cardinalis fore ſtiuolas atque vanas. Et poſt modicum tempus manifeſte dicebatur per totam Angliam, quod rex Angliæ habuit ius in regnum Franciæ, quod proſequi intendebat.

Expeditio regis in Galliam.

Circa feſtum tranſlationis S. Thomæ Rex Edwardus, cum Philippa regina prægnante & duabus filiabus ſuis, & exercitu copioſo, mare tranſijt, ad tractandum cum duce Brabantiæ & alijs alligatis ſuis, de aggrediendo regnum Franciæ ſibi iure ſucceſſorio, per mortem celebris memoriæ, domini Caroli regis vltimi, fratris germani dominæ Iſabellæ, matris dicti domini Regis Edwardi deuolutum, & per dominum Philippum de Valeſio filium Patrui dicti domini Caroli, iniuſte hactenus occupatum. Cumque perueniſſet ad portum de Swine, Flandrenſes occurrunt ei vnanimiter, offerentes ſe paci eius, & fidelitati. Indeque tranſiuit in Brabantiam, vbi dux Brabantiæ ſuſcepit eum in gloria & honore. De Brabantia peruenit prope Coloniam, & loquutus eſt cum duce Bauariæ, qui ſe vocauit Imperatorem. Qui conſtituit eum vicarium ſuum de toto imperio citra Coloniam, & omnibus imperium ſuum tangentibus. Quibus expletis rex Brabantiam eſt ingreſſus, vbi per annum iugiter moram traxit. Et per hanc moram, conſilio Brabantinorum, & Flandrenſium, arma Franciæ ſuis armis immiſcuit, & boreales partes Franciæ, vſque ad Tornacum incendit, & vaſtauit.

Eo tempore natus eſt Regi filius tertius apud Andwerp, & vocatus eſt Lionellus.

Hoc anno Rex Edwardus, ſe Regem Franciæ & Angliæ conſtituit appellari. Et domino Papæ ac Cardinalibus, ſcripſit epiſtolam, ius quod habebat in regnum Franciæ declarantem. Quæ ſic incipit: Amabilium domino patrum. Cui Papa reſcripſit epiſtolam, cuius initium tale eſt: Dudum te fili clara imitari veſtigia, &c.

Anno 1339. Rex Edwardus, tenuit natale in Selandia apud Andvverp cum Regina Philippa, & multis proceribus illarum partium, & exercitu Anglicano.

Circa feſtum Purificationis Rex Edvvardus rediuit in Angliam, dimittens vxorem ſuam cum liberis in Selandia, quaſi in ſui redditus aſſecurationem. Peruenitque ad Turrim Londoniarum nocte ſubito, & non inuenit in ea, cum eſſet media nox, niſi pueros ſuos, & 3. ſeruientes. Quapropter Conſtabularium & plures alios incarcerari mandauit.

Rex ſubito redit.

In Parliamento celebrato Londonijs indixit rex Anglicis tributum 5. partis bonorum ſuorum, & lanæ 9. vellus, nonamque garbam de omni gleba regni, ſuis expeditionibus deputauit, de quarum prouentu dominos vicinarum villarum reſpondere fecit.

Eo tempore Octon dux Auſtriæ petijt magnis precibus à Rege Angliæ, filiam eius filio ſuo deſponſandam.

Per id temporis ciuitas Burdegaliæ, per militiam Regis Franciæ fuit obſeſſa. Ciues vero tanquam inualidi ad reſiſtendum, cauteloſe finxerunt ſe velle reddere dictis Francis. Et apertis ianuis, intromiſerunt multos de Gallicis, & arma Regis Franciæ in Turribus erexerunt. Quod videntes Franci, tam qui intrauerant, quam qui foris erant depoſuerunt arma ſua, ciuitatem captam & eis redditam exiſtimantes. Dominus vero Oliuerus Ingham miles nobilis, ac cuſtos dictæ ciuitatis, & terræ, repente cum manu potenti irruit ſuper Gallos inermes, & cum ciuium adiutorio magnam eorum multitudinem interemit.

Burdegalia dolus in Gallos.

Conceſſum nempe fuit Regi per biennium nonum vellus, nona garba, ab omnibus qui baronias tenebant, & ad Parliamentum venire de conſuetudine, vel de iure venire tenebantur. Qui vero religioſi, vel clerici non conſueuerunt ad Parliamentum accedere, ſolum decimas per ante regi conceſſas ſoluerunt. Pro præmiſſa conceſſione, remiſit rex & condonauit omnia catalla felonum & fugitiuorum, euaſiones incarceratorum, fines,

Regis indulta pro ſubſidio.

exitus

exitus & foriſfactiones, & amerciamenta, murdrorum, & omnia delicta de viridi, de venatione, de vaſta, & quæcunque alia delicta infra foreſtas facta, adiudicata vel adiudicanda, Releuia, Scutagia vſque ad paſſagium ſuum vſque Brabantiam, viz. octauo die Iulij, anno regni ſui duodecimo, & inſuper faciendi filium ſuum militem, & filiam ſuam maritandi, pro tempore ſuo. Confirmauit etiam magnam chartam de foreſta, & alia multa condonauit.

Comes Sarum Guliel. de monte acuto, & Comes Southſolciæ Rob. de Vfford poſt receſſum Regis Angliæ, continuantes moram in tranſmarinis partibus, dum minus conſulte martem laceſcere tentauerunt, à nimia Gallorum multitudine ſunt oppreſſi, capti, & ad Regem Franciæ in ramis palmarum deſtinati, & eius iuſſu carcerali cuſtodiæ deſtinati.

Hoc anno naſcitur Regi filius 4. apud Gandauum, qui vocatus eſt Iohannes.

Anno 1340. cum Rex Edwardus firmiter ſtatuiſſet in animo iterum transfretare, Comes de Gilers per nuncios certificauit eum de conſpiratione Francorum & Normannorum, qui iam cum ducentis nauibus & multis galeis, necnon & viginti millibus electorum pugnatorum portum de Selus occupauerunt, & parati erant ad eum capiendum, & Philippo Franciæ, iuxta tenorem iuramenti quod ſibi præſtiterant, viuum vel mortuum præſentandum. Rex de imminenti periculo præmonitus, naues congregat & ipſe ducentas ſiue plures, & in vigilia S. Iohannis Baptiſtæ ingreſſus mare, velificare cœpit verſus Flandriam, vbi ſub breui tempore conſpexit claſſem Gallicam terribiliter inſtructam

Victoria naualis.

contra eum. Qua de cauſa per totum diem illum cum ſuis deliberans, in craſtino mane, ſuperueniente nobili milite Roberto de Murleya cum boreali claſſe Angliæ, commiſit bellum nauale cum ſuis hoſtibus cruentiſſimum. In quo Galli cum Normannis ſagittis terrebrati, ſecuribus deiecti & proſtrati, gladijs biſacutis vulnerati, Anglorum Regi victoriam conceſſere. Ceciderunt ergo die illa de aduerſarijs, 30. millia hominum armatorum, quorum multi ſaltu præcipiti in pelago perierunt. Captæ ſunt autem in dicto conflictu naues ducentæ, reliquis in fugam verſis.

Rex Angliæ menſibus Iulij, Auguſti, & Septembris, aſſiſtentibus ſibi duce Brabantiæ, & comite Hannoniæ, & auxiliaribus ſibi datis de villa de Brugis, de Gaunt, & de Ypers, boreales Franciæ ingreditur iterato, ciuitatemque Tornacenſem obſidione vallat.

Interea Comes Hannoniæ, & domini Gualterus Manny, & Reginaldus de Cobham amplius quam 300. villas maiores, & minores, captis prædis & ſpolijs, hominibuſque armorum pluſquam mille peremptis, ignibus cremauerunt.

Rex Francorum interim, cum magno exercitu ſe tenuit à remotis. Qua tempeſtate Galli plurimi, de regis Francorum cuneis fame, ſitique perierunt. Quapropter per duos Cardinales, treugas ſibi dari petijt, quas & accepit, in eccleſia de Eſpletelyn die Lunæ, 25. die Septembris, an. dom. ſupradicto. Rex autem Anglorum ob defectum pecuniæ, quam ſui ſegnes pecuniatores in Anglia miſiſſent, obſidione dimiſſa, citius in treugas conceſſit, & ſic vterque ad propria remeauit.

Flandria ſub interdicto.

Sub iſtis diebus cum Papa vidiſſet Regem Angliæ in ſuis actibus proſperari, Flandriam ſuppoſuit interdicto, eo quod deſciuiſſent à domino ſuo capitali, & Anglorum Regi auxilia præſtitiſſent. Quam ſententiam Flandri paruipendentes, reſponderunt quod quamuis Philippo de Valoys, eo quod ſe Regem eſſe prætendebat, homagium fecerant, tamen non Regi, cum ipſe iniuſte coronam detineret, & regni dominationem indebite vendicaret.

Hoc anno peperit regina Philippa, poſtquam in Angliam eſt reuerſa, filiam, in turri Londoniarum Blanchiam appellatam, quæ cito defuncta apud Weſtmonaſterium eſt ſepulta.

Anno 1341. Rex Edwardus transfretauit in minorem Britanniam, vbi per cibos, & potus incongruos, plures de ſuis amiſit.

Hoc tempore miſſi ſunt ad eum duo Cardinales ex parte Papæ, qui treugas triennales indixerunt inter Reges, ſub quo ſpacio, de iure quod Rex Angliæ vendicauit in regnum Franciæ diſcuti poſſet ad plenum. In redeundo vero de Britannia perpeſſus eſt maxima, per marinam tempeſtatem incommoda. Quæ vtique dicebantur per Nigromanticos regis Franciæ ſuſcitata.

Hoc anno regina peperit 5. filium apud Langele, quem baptiſauit dominus Michael Abbas, de S. Albano, & nominatus eſt Edmundus.

Imperatoris inconſtantia.

Anno 1342. Lodowicus de Bauaria, qui ſe Imperatorem appellauit, fœdifragus atque inconſtans vicariatum citra Coloniam, ſuſceptum à Rege Angliæ, per ſuas literas reuoca-

Digitized by Google

nocanit. Et ſpretis fœderibus Regi Angliæ ſacramento firmatis amicitias contraxit cum Rege Francorum.

Rex Edw. ſuſcepto homagio, pro Ducatu Britanniæ, de Iohanne de Monte ſorti. germano quondam Iohannis Ducis Britanniæ, ſine hærede legitimo, de corpore ſuo defuncti, ipſum vaſallum ſuum iunare cupiens, contra Carolum de Bloys qui deſponſauit filiam alterius fratris germani, qui dicto Iohanne Duce veniente deceſſit menſe Octobri, tranſfretauit in Britanniam, vbi multos magnates ſibi conciliauit, plures villas, & munitiones, atque caſtra rebellantia manu potenti cepit, villam de Vanes obſedit, quamuis Rex Franciæ illuc cum multo milite occurriſſet. Ibi mediantibus duobus Cardinalibus captæ ſunt treugæ in prioratu de Maleſtreyt 30. die Ianuarij. Sed tamen treugis non obſtantibus remanſit villa de Vanes Regi Angliæ ſubiugata.

Anno 1343. Clemens Papa, quondam Rhotomagenſis Archiep. ſucceſſit Benedicto 12. vir inſignis literaturæ, ſed prodigalitatis profuſiſſimæ. Adeo vt dignitates eccleſiaſticas vacantes in Anglia, ſuis conferret Cardinalibus, nouoſque pro eis in Anglia titulos imponere moliretur, vnde nimis offenſus Rex Angliæ, prouiſiones per eum factas caſſauit. Et ne quis de cætero tales prouiſiones afferret, ſub pœna carceris atque capitis interdixit. *Papa prouiſiones caſſatæ.*

Iſto anno per totum regnum Angliæ decimæ tam temporalium, quam ſpiritualium Regi ſolutæ ſunt.

Eodem anno Papa Clemens iterum fecit in Anglia pronisiones duobus Cardinalibus de beneficijs proximo vacantibus, præter Epiſcopatus & Abbathias, ad extentam duorum millium marcarum, quod Rex & nobiles noluerunt pati. Sed procuratores dictorum Cardinalium, ſub pœna carceris, Angliam exire iuſſere, nec multo poſt Rex direxit Papæ, illam famoſam epiſtolam pro libertate Anglicanæ eccleſiæ contuenda, quæ ſic incipit: Penſata ſedis Apoſtolicæ Clementia, &c. Cuius tenor, dominum Papam, & omnes Cardinales, pro ſui elegantia, non ſolum vertit in admirationem, ſed etiam in ſtuporem.

Per idem tempus Rex Angliæ miſit procuratores ad Romanam curiam dominum Hent. de Lancaſtria Comitem de Derby, cum multis alijs viris nobilibus, tam eccleſiaſticis quam temporalibus, ad tractandum coram ſummo Pontifice de iure ſuo in regnum Angliæ, non vt iudice, ſed priuata perſona, & amico communi, non in forma, nec in figura iudicij, &c.

Hoc anno apud Turrim Londoniæ, iuſſit Rex aureos florenos fieri, ſcilicet denarium, obolum, & quadrantem.

Anno 1344. Rex Edwardus fecit connocari plures artifices, ad Caſtrum de Wyndeleshores, & cœpit ædificare domum, quæ rotunda tabula vocaretur, habuit autem eius area, à centro ad circumferentiam per ſemidiametrum, 100. pedes. Et ſic diameter ducentorum pedum erat. Expenſæ per hebdomadam, erant primo centum libræ, ſed ex poſt propter guerras inchoandas fuerunt ſubtractæ & imminutæ vſque ad viginti libras ebdomadatim. *Rotunda tabula.*

Eodem tempore Philippus de Valoys Rex Franciæ prouocatus facto Regis Angliæ, cœpit & ipſe conſtruere rotundam tabulam in terra ſua, vt ſic alliceret militiam Alemanniæ, & Italiæ, & impediret ne ad Regis Angliæ tabulam properarent.

In diebus illis idem Rex Franciæ conceſſit ſuis hominibus licentiam conſternandi arbores pro nauibus faciendis, in omnibus boſcis ſuis, factumque eſt vt infra breue tempus maxima nauium copia fabricaretur, quæ cito poſtea Anglicis multa intulit damna. *Galli naues ſtruunt.*

Obijt dominus Gul. de monte acuto Comes Sarum, Rex Mannæ, & Mariſcallus Angliæ, de cuius virtuoſis geſtis digne ſcribere, opus foret commendabile.

Clerus Anglicanus conceſſit regi decimas triennales, cui rex reconceſſit per chartam ſuam tale priuilegium, quod nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus ſit arreynatus coram iuſtitiarijs noſtris, cauſa cuiuſcunque criminis, ſi non ſpecialiter non præceperimus, quouſque aliud remedium ordinetur. Item quod nullus clericus ſit arreynatus coram iuſtitiarijs noſtris, ſiue ad ſectam noſtram, ſiue partis, ſi clericus ſuæ clerimoniæ ſe ſubmittat, dicens ſe membrum eſſe eccleſiæ, & non debere ipſis iuſtitiarijs reſpondere. Et ſi ſibi imponatur, quod duas vxores duxerit, ſiue vnam viduam, quod ſuper hoc iuſtitiarij non habeant commiſſionem, nec poteſtatem ad triandum per inquiſitionem vel alio modo bigamiam, ſed mittatur Curiæ chriſtianæ. *Cleri indulta.*

In illo tempore venit Saracenus quidam, arte Medicus, ad Comitem de Warenna, petens

Saraceni incantatio de ſerpente.

petens licentiam capiendi quendam ſerpentem in dominio quod habebat in partibus Walliæ, loco qui Bronsfeld appellatur, qui cum per incantationes cepiſſet ſerpentem, dixit eſſe in loco vicino cauernæ vbi ſerpens habitauerat, magnam ſummam theſauri. Quo audito viri de Hereford, conſilio cuiuſdam Lumbardi, qui vocabatur Petrus Pykard, illuc fodiendo penitrarunt ſæpius. Et comperientes verum fore Saraceni vaticinium, noctanter opus facturi ſæpius conuenerunt, donec per famulos Comitis deprehenſi, capti ſunt, & carceri mancipati. Comes vt fertur ex hoc facto, lucrum non modicum nundinatus eſt.

Regina Philippa peperit filiam Mariam nomine, quæ fuit ex poſt copulata Duci Britanniæ, ſed de medio ſublata eſt præmature.

Anno 1345. Dominus Henricus de Lancaſtria Comes de Derby transfretauit in Waſconiam cum ſexcentis hominibus de armis, & totidem ſagittarijs, qui primo inſultu villam munitiſſimam de Brigerak cepit, & vndecim nobiles in ea protinus exiſtentes, & plurimis de plebeis captiuauit, vrbes inſignes & villas numero quinquaginta ſex Regis Angliæ ditioni ſubiecit. Exercitum regis Francorum contra ſe venientem contriuit, captis 23. viris illuſtribus, cum alijs viris armorum velut innumeris, cæteris mucrone peremptis, aut turpiter actis in fugam. Huius liberalitas, & munificentia remotarum partium tyrones allexit, in amorem iuuenis, vt quiſque dulce reputaret militare ſub eo, nempe cum villam aliquam vi & armis occupaſſet, parum aut nil ſibi retinuit, ſed exercitui vniuerſa permiſit.

Aſinum Papa ad mitteret ad Epiſcopatum.

Hoc anno obijt Richardus de Bury, Epiſcopus Dunelmenſis, cui ſucceſſit Tho. de Hatfeld Regis Secretarius, mediantibus Regis literis apud Papam, in magnum ipſius Regis opprobrium. Reuera cum ant Rex & nobilitas inſtetiſſent, pro electionibus libere faciendis, & confirmandis, iam Rex directe contra tenorem ſuarum literarum, & vota procerum, hunc Pontificem fieri flagitauit. Papa vero non inuitus hanc petitionem Regi conceſſit. Sed à Cardinalibus quibuſdam calumniantibus dictum Tho fore leuem, & laicum, ſic reſpondit, vere ait, ſi Rex hac vice ſupplicaſſet pro aſino obtinuiſſet.

Eodem anno obijt dominus Henricus Comes Lancaſtriæ, pater Henrici Comitis de Derby, & ſepultus eſt Leyceſtriæ in monaſterio canonicorum cum honore. Cuius filius vt præfertur, eo tempore actus martios in Waſconia ſtrenue exercebat.

Scotorum ſtrages.

Scoti ſub his diebus, collecto exercitu quaſi triginta millium, duce Gul. Douglas apud Weſtmerland, hoſtiliter Angliam ſunt ingreſſi, Carleolumque & Penreth & multas villas alias combuſſerunt. Quapropter Epiſcopus Lugubalienſis, & Thomas de Lucy miles nobilis, & Robertus Oggill ſcutifer valentiſſimus, cum parua manu ex omni parte Scotorum exercitum girauerunt in noctibus, & lituis, ac cornibus, atque nocturnis clamoribus ſic hoſtes inquietauerunt, vt nec auderent exire pro victualibus, nec membra dare ſopori. Sed tandem cum Scotos omnino perurgeret neceſſitas, Alexander Stragan, audacioribus ſuæ gentis adunatis, pabulatum exire diſpoſuit. Cui mox Epiſcopus Carleolenſis, fit obuiam cum Roberto Oggil, qui cogens dextrarium, cum lancea præacuta ipſius Alexandri corpus perforauit, victi ſunt proinde Scoti, multis occiſis, & plurimis captiuatis. Reliqui vero cognito aduentu dominorum de Percy, & de Neuile ex vna parte, & domini de Lucy ex alia, & virorum bellicoſorum de Comitatu Lancaſtriæ ex tertia, meticuloſe fugerunt.

Anno 1346. Rex Edwardus miſſis ad curiam Romanam literis, in quibus aſſeruit per Regem Franciæ, & eius complices, certis rationibus aſſignatis, treugas fore violatas, menſe Iulij naues ingreſſus, apud Hogges in Normannia ſaluus applicuit, vbi diebus ſex moram traxit.

Fortitudo Tho. de Bello campo.

In ſcandendo terram apud Hogges, mira patuit probitas domini Tho. de Bello campo Comitis Warwicenſis, qui ante cunctos nauim ingreſſus cum vno armigero, & ſex Architenentibus, equo vectus debili, quem tunc negotij feſtinantia ſibi miniſtrauit, contra centum homines de armis audacter manus erexit, & hoſtili haſtiludio obuium quemque proſtrauit, & vno ſolo impetu, cum ſuis ſeptem ſeruientibus, ſexaginta Normannos interemit, & toto exercitui facultatem fecit naues ingredi, omni impedimento remoto.

Ibi Rex Angliæ fecit Principem militem, & alios plures nobiles accinxit baltheo militari.

Normannorum cædes.

Viceſimo ſexto die Iulij, in Cadomo, apud pontem Feretti, munitum cum Normannis, fortem conflictum habuit, adeo quod in vicis, hortis, & domibus, illic Normanni, quaſi ſine numero perierunt, Comes de Warwicke, & dominus de Tankeruile, centumque

Digitized by Google

tumque milites, & quamplures homines de armis capti ſunt, & villa vſque ad ipſos nudos parietes, fuit omnibus portatilibus ſpoliata.

Quibus ita geſtis, Rex vltra progrediens totam patriam per 20. milliaria in latitudine vaſtauit incendio, captis ſpolijs & præda magna.

Rex interim Francorum cum magno exercitu conſtitutus in Rhotomago, ad duo milliaria iuxta eum, & hæc omnia non ignorans, non audebat pertranſire flumen Sequanæ, nec ſibi occurrere quouis pacto, ſed omnes pontes conſtructos ſuper Sequanam à Rhotomago, vſque Patiſius confringi fecit, nec quieuit donec Pariſius perueniſſet.

Rex vero Edwardus perueniens Puſiacum pontem ibidem fractum infra triduum reparauit. Interea Comes de Northamptonia Sequanæ flumen tranſiens interfecit de Gallis nitentibus impedire refectionem pontis quingentos. Et Rex Edwardus in craſtino aſſumptionis beatæ Mariæ tranſiuit Sequanam, iter arripiens verſus Creſſy, villas deuaſtando & habitatores earum.

In feſto vero beati Bartholomæi, totus exercitus Anglieanus tranſiuit illæſus aquam de Summe, vbi nunquam per ante fuit tranſitus, ibique peremit duo millia Gallicorum, qui conabantur eius tranſitum impedire.

Eodem die capta fuit villa de Crotoy per dominum Hugonem le Spencer, & interfecti fuere per eundem, de Gallis, homines armorum quadringenti.

Hoc anno, 26. die menſis Auguſti, rex Edw. habens tres acies gentis Anglicæ, commiſit bellum cum præfato Philippo, Francorum rege, ſibi occurrente cum quatuor aciebus, quarum minima Anglorum numerum excedebat. In quo bello cecidere, duo reges, Bohemiæ, & Maioricarum, Duces Vtharing, & de Burbon, Comites de Alanſon de Harecourt, de Aumarle, de Sauoy, de Bloys, de Mountbyllard, de Nyueres, & de Flandria, & ſummus Prior hoſpitalis Franciæ, cum multis dominis & Baronibus, & duobus fere millibus hominum nominatorum de armis, de communibus vero numerus ignoratur.

Franci fugantur.

Philippus Francorum Rex, dum ſuos animare ſatagit, vt fertur in gutture vulneratur & femore, & bina vice, per Regem Angliæ, equo ſuo deiectus eſt eo die. Quapropter cum reſiduo ſui exercitus exceſſiui, pulcherrime prout dicunt Galli, ſe retraxit. Quæ fuga vocatur à Gallis vulgariter beuteter vſque in hodiernum diem, mane autem facto Franci redierunt, cum vna acie valde magna circa Solis ortum, quibus occurrerunt Comites de Northamptonia, de Warwick, & de Southfolcia, & præliando ſatis acriter peremerunt plus quam duo millia de eiſdem, captiuos trahentes multos milites & armigeros, ac fugientes per tria milliaria proſequentes.

Philippi fuga.

Tertia die poſt bellum, Rex Edwardus arripuit iter verſus Kaleſiam, ſupponendo totam patriam vaſtitati. Et nono die poſt bellum, cinxit obſidione villam Kaleſiæ, ab olim ſibi, regnoque ſuo ſemper infeſtiſſimæ. Quam obſidionem per annum & amplius protelauit.

Kaleſia obſeſſa.

Anno quo ſupra, obſidione durante Kaleſiæ, Dauid rex Scotorum, ſolicitatus per literas Philippi Regis Francorum venit in partes Nourhumbriæ cum exercitu ſexaginta millium, reſeditque iuxta Dunelmiam, in Parco vocato Beurepeyr, vbi fixit tentoria ſumptuoſa, qualia per antea in hijs partibus non ſunt viſa. Quibus cognitis Archiepiſcopus Eboracenſis dominus Gul. la Zouche, Comes de Angos, domini de Percy, Mountbray, Neuile, Deyncurt, Maule, Leyburne, Scrope, Muſgraue, vicecomites de Euerwik, dominus Rob. de Bertram vicecomes Northumbriæ, & alij nobiles Baronetti, coadunauerunt ſe, apud Richmond, & 17. die menſis Octobris, Dunelmiam peruenerunt. Commiſſoq; graui prælio, cum Rege ſuperbo, & gente ſua, victi ſunt hoſtes, & interempti pro maiori parte, capto Dauide Rege, per Iohan. Coupelond, & tribus Comitibus de parte Scotorum. Ex parte Anglorum recenſebatur ſumma virorum bellatorum, cum architenentibus, & communibus, triginta duo millia, de parte vero Scotorum ſumma totalis excreuit ad ſexaginta duo millia.

Scotorum clades.

Eodem anno regina peperit filiam nomine Margaretham.

Anno quo ſupra Carolus de Bloys, qui ſe dixit Ducem Britanniæ per medium ius vxoris ſuæ, cum mille ducentis hominibus armatorum, & ſexcentis hominibus armatis, & duobus millibus baliſtariorum & ſex millibus brigantinorum, ac triginta millibus peditum Britonum & aliorum, veniens ad obſedendum caſtrum, ſiue villas munitas, quas Anglici tuebantur, habuit repente obuiam nobilem militem dominum Tho. Dagworth, qui non habuit ſecum plures, quam octoginta homines de armis & 100. ſagittarios, proponens adire villas, quæ pertinebant Regi Angliæ, & in eis eſcas ponere, & arma, contra inſultus dicti Caroli, ſi forſan aliquid moliretur contra eas, vt autem vidit dictus Thomas

Digitized by Google

ſe non poſſe tranſire quo propoſuerat, cepit locum pugnæ. Quo facto ſuperuenit dictus Carolus, cum prædictis cohortibus nono die Iunij, hora prima diei, & circumdedit dictum Thomam, ex omni parte viris armatis & baliſtarijs. Cum quibus dictus Tho. commiſit acriter præliando, ab hora diei prima, vſque ad horam nonam, & factum eſt Dei virtute, qui vincere facit in paucis, æque vt in multis, vt hoſtes non ferentes Anglorum conſtantiam, relinquerent domino Thomæ campum. In hoc conflictu capti ſunt dominus Galeys de le Huſce, & dominus Paganus de Fontaneto, qui fuere grauiter vulnerati. Illic occiſi fuere dominus Guido de Rocheford, & plures alij milites generoſi, de alijs vero quaſi ſine numero corruere, reliqui ſe ſubtrahentes ad magnum vexillum, ſiue ſtandardum ſe contulere. Perſeuerauit autem dominus Tho. cum ſuis in loco belli vſque ad horam veſpertinam. Qua quidem hora Carolus recollectis ſuis hominibus venit vt leena catulis ſuis orbata contra dictum Thomam, cum tribus magnis aciebus, quarum vna venit contra eum, & vna retro, & tertia ad ſiniſtram eius, omnes pariter peditando. In ante fuit Vicecomes de Roan, dominus de Leyacer, dom. Rollandus de Tynaule, & dom. de Muntaban. A Latere venit Tho. Carolus de Boys, dom. de Rochford, dom. de Quintium & Vicecomes de Goymes. Poſt tergum vero venit D. de Rotheren, D. de Bewmanners & plures alij, qui intulerunt ei tam grande bellum ex omni parte, quod ipſe ſuique quorſum ſe verterent ignorabant, durauit igitur iſte conflictus diutiſſime, donec omnipotenti Deo miſerante non ſine euidenti miraculo, tota poteſtas illa victa fuit, & campus glorioſe remanſit noſtris.

In hoc poſtremo conflictu, plures domini, Barones & milites capti fuere, qui omnes tam grauiter erant vulnerati, vt de vita eorum deſperaretur. Et cum tot cecidiſſent de exercitu Caroli, quod præ tædio numerari nequirent, tamen laudes Deo, nullus miles vel generoſus ex Anglicis fuit occiſus in hijs diris conflictibus, licet omnes pene fuiſſent grauiter vulnerati, ſed non ad mortem.

Dagvvurthi victoria.

Eodem anno idem dominus Tho. Dagwurth cum 300. armatis, & quadringentis architenentibus, & non pluribus, Carolum de Bloys in obſidione rupis Tyrianæ laborantem 12. Kalend. Iulij, in aurora diei, ſuperueniens aggreſſus eſt, proſtrauitque multitudinem ad prælium præparatam, & eius aduentum præſtolantem, captiuauitque cum multis nobilibus dictum Carolum de Bloys, qui vendicauit totam Britanniam per medium Ducatum, quod fuit vxoris ſuæ vt dicebat. Fuere autem in exercitu Caroli milites, & armigeri mille ducenti, & de alijs armatis hominibus ſexcenti, baliſtariorum duo millia, peditum vero numerus ignoratur.

Sub hoc tempore, cum dominus Henr. de Lancaſtria, Comes de Derby, tuncque Seneſcallus Waſconiæ, teneret conſilium cum magnatibus illarum partium, apud Brigerak, & D. Iohan. primogenitus Regis Francorum, obſideret villam de Aquilon, & peteret treugas à dicto Comite de Derby, Comes ad concedendas treugas noluit conſentire, vnde conſternatus & valde confuſus dictus Iohan. eo quod per ante iurauerat ſe non receſſurum priuſquam villam intraſſet, relictis ſarcinolis, & tentorijs, nocte receſſit.

Derbeia Comitis clara facinora.

Poſt cuius fugam Comes de Derby dictam villam de Aquilon, villamque de Reas, & alias multas villas, cum caſtellis de Ageneys & de Touingges, fidelitatem Regi Angliæ iurare fecit. Deinde pregrediens per Sanctoniam cum mille viris armatis, pernoctauit in villa de Saluterre, quæ ſe ſibi reddiderat, 12. die menſis Septemb. Poſt hæc villas S. Ioh. de Angeleyn, & de Iſyngham inſultibus magnis cepit, cum caſtro ipſius villæ de Iſyngham, venienſque ad ciuitatem Pictauenſem, obſedit eam. Cuius capitaneus vilipendens paucitatem obſidentium, egreſſus eſt audaciter ad inferendum eis in campo bellum, cumque per tempus aliquod manus conſeruiſſent, victi Pictauenſes fugerunt, quos Anglici ſequentes è veſtigio mixti ciuibus, portas intrauerunt, donec totus exercitus introijſſet. Perempti ſunt ergo, de ciuibus, & auxiliarijs indiſcrete venientibus illic perplurimi, & multi captiuati. Epiſcopus quidam & Barones quatuor, cum plurimis alijs euaſerunt, fugientes ex alia parte ciuitatis. Comes vero de Derby, ſe ſuoſque refocillauit ibidem per dies octo, & captis ſpolijs infinitis, rediit Burdegalam cum triumpho.

Anno 1348. cum Rex Angliæ Edwardus arctius obſideret Kaleſiam, Rex Francorum iuxta promiſſionem quam fecerat, venit prope Kaleſiam, ad diſſoluendam obſidionem ſi quo modo poſſet XXVII. die Iulij. Sed cum vidiſſet ſe non poſſe votis ſuis ſatisfacere in hac parte, vltimo die dicti menſis Iulij hora veſperarum fecit offerri Regi Angliæ, quod quandocunque ſibi placeret extra locum obſidionis venire ad bellum, ex tunc vſque ad horam veſperarum tertiæ diei ſequentis, bellum contra ſe proculdubio inueniret.

Quum

Digitized by Google

Quam oblationem Rex Edwardus gratanter acceptauit, quod vt audiuit à referendarijs Regis Francorum, euentum belli noluit expectare, ſed omni feſtinatione, noctanter immiſſo igne in tentorijs ſuis combuſſit ea, vecorditerque receſſit. *Francorum regis fuga.* Quo comperto Kaleſienſes tertio die ſequenti, videlicet die tertio menſis Auguſti villam cum caſtro reddiderunt, ſe & ſua voluntati regiæ ſubmittentes. Rex vero paucis de maioribus captiuatis, totam communitatem cum ſuis portabilibus, ſiue mobilibus, libere permiſit abire, dictamque villam cum caſtello, retinuit ſuo imperio ſubiugatam. Quibus geſtis per mediationem dominorum Cardinalium, ibidem captæ ſunt treugæ XXVIII. die menſis Septembris, anno quo ſupra, & Rex cum triumpho redijt glorioſe.

Anno 1348. compoſita pace per totam Angliam, videbatur incolis, quaſi nouus ſol oriri ſuper illos, propter pacis abundantiam, & cunctarum rerum copiam, ac tantarum vbique quæſitarum victoriarum gloriam, nam pene nullius nominis erat mulier, quæ non aliquid de manubijs, Cadomi, Kaleſiæ, & aliarum vrbium tranſmarinarum, veſtes, furruras, culcitras, & vtenſilia poſſidebat, mappæ menſales, linthea, & liutheamina, ſparſim per Angliam in ſingulorum domibus viſebantur. *Gallia ſpoliata.* Tunc cœperunt matronæ ſuperbire in apparatibus matronarum Galliæ, & velut illæ dolebant de rerum ſuarum amiſſione, ſic iſtæ gaudebant, de dictarum rerum acquiſitione.

Hoc anno fuit magna pluuiæ redundatio, quæ durauit à feſto S. Iohan. Baptiſtæ, vſque ad natale domini, quam ſequuta eſt mox mortalitas tam ſæua, vt vix viui poſſent ſuos mortuos ſepelire.

Anno 1349. fuit tanta mortalitas hominum vt multi periti putarent, 10. partem humani generis relictam fuiſſe ſuperſtitem, hanc quoque peſtilentiam, mox lues animalium eſt ſequuta. *Mortalitas.*

Sæuiente, vt præfertur in Anglia tanta peſte hominum, dominus Clemens Papa conceſſit plenam remiſſionem, omnibus vere confeſſis & contritis morientibus in hac epidemia per totum regnum. *Clementis bulla.*

Eodem anno quidam miles, nomine Galfridus Charneys, vnus de ſecretarijs Regis Franciæ corrupto fului metalli ingenti pondere, quodam Ianuenſe cuſtode caſtri Waleſiæ, miſit armatos plurimos, qui iuxta pactum, in caſtrum admitteretur, ipſo foris villam cum grandi exercitu præſtolante. Quibus dictum caſtrum arroganter ingreſſis, pons ligneus ante fores, ex præordinata cautela ſubtiliter eleuatus, ingreſſos detinebat incluſos.

Rex Edw. per idem tempus aduenerat ad illas partes, Francis id ignorantibus, & mox egreſſus foras pugnauit cum Gallicis, pluſquam ducentos electiſſimos viros armatos perimens, & omnes alios ad fugam cogens. In quo conflictu captus eſt, cum multis alijs, dictus Galfridus Charneys. *Gallorum ſtrages & fuga.* Sicque dolus dolo deluſus eſt, doloſuſque cecidit in foueam quam ipſe fecit.

Anno 1350. commiſſum eſt bellum nauale inter Anglicos, & Hiſpanos, in feſto decollationis S. Ioh. Baptiſtæ, iuxta villam de Winchelſe. Qui anno præcedenti, quamplures Anglicos venientes de Waſconia, cum vinis & alijs mercimonijs, crudeliter interfecerant, raptis ſpolijs eorundem. *Hiſpanorum clades.* Quorum ſanguinem Rex Edwardus vindicare cupiens perſonaliter ipſe obuiauit Hiſpanis. Et commiſſa pugna peremit omnes Hiſpanos, qui fuerunt in 24. magnis nauibus, licet fuiſſent armati peroptime, & omni genere defenſionis inſtructi. Maluerunt nempe, præ cordis duritia, mori quam ſubijci. Capti ſunt igitur naues viginti ſex magnæ, reliquis ſubmerſis, vel in fugam verſis.

Annus iſte fuit Iubilens, quo plures vtriuſque ſexus pro ſuorum peccaminum remiſſione, Romam profecti ſunt. *Annus Iubileus.*

Anno 1351. Guliel. de Edingdon Wintonienſis Epiſcopus, regni theſaurarius, vir magnæ prudentiæ, ſed qui plus Regis dilexit commodum quam communitatis, excogitauit, & fecit inſculpi nouam monetam, ſcilicet, groſſum, & dimidium groſſi, ſed hæc erant minoris ponderis quam correſpondens ſummæ ſterlingorum. *Moneta noua.* Cuius rei cauſa, ex poſt, victualia, cæteraque mercimonia, fuere magis cara per totum regnum. Seruientes, operarij, & artifices, callidiores, victu dulciores ſolito ſunt facti. Contra quorum aſtutiam, nequitiam & auaritiam ordinata ſunt ſtatuta per parliamentum tentum apud Weſtmon. anno regni Regis Edwardi 3. poſt conqueſtum 28 & 35. ſed parum aut nihil communibus profuerunt.

Anno 1352. in vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ, dominus Gualterus Bentewe miles egregius, & cuſtos Britanniæ armoricæ iuxta Mauron, inter villas de Reymes, & Plumeræ cum trecentis hominibus armorum, totidemque ſagittarijs debellauit, & vicit Ma-

Gallorum clades.

reſcallum Franciæ, venientem hoſtiliter contra ſe in numero exceſſiuo, nempe de parte Francorum cæſi ſunt ibidem viri nobiles & domini 13. milites vero 140. ſcutiferi quoque inn. tot autem pedites, quod eorum numerus non poterat facile deprehendi. Capti ſunt inſuper ibidem 9. domini, milites & armigeri 140. Quo euentu, Gallici atque Britones conſternati ſunt.

Guliel. Dux Zelandiæ duxit in vxorem filiam Henrici Comitis Lancaſtriæ.

Annona caritas.

Anno 1353. tanta fuit ſiccitas à menſe Martij vſque ad menſem Iulij, vt vix per totum tempus illud plueret ſuper terram, vnde contigit ſata perire, & annonam in regno rareſcere. Cui penuriæ condolens Gulielmus Dux Zelandiæ, miſit Londonias naues plures onuſtas ſiligine, quæ non parum profuit incolis regionis.

Hoc anno Henricus Comes Darbiæ, & Lancaſtriæ apud Weſtmon. Dux Lancaſtriæ eſt creatus, & Radulphus de Stafford, Comes Staffordiæ factus fuit.

Statuta edita non executa.

Parliamentum tentum fuit Londonijs, in quo edita ſunt ſtatuta de ſtipendijs operariorum, de longitudine, & latitudine pannorum vænalium, de molendinis & impedimentis nauium, & cimbarum, per riuos aquarum omnium per totum regnum. Sed quia non ſunt executioni mandata, plus inde quicquam ſcribere ſuperſedeo.

Anno 1354. facta eſt concordia iuramento firmata inter Reges Angliæ & Franciæ excepto, quod ſigilla eorum, ac ſcripta indentata non ſunt appoſita. In quibus continebatur, quod Rex Angliæ haberet omnes terras ſuas Ducatus Acquitaniæ, quas ſibi Rex Franciæ iniuſte vſurpauerat, ſi Rex Angliæ totum ius & clameum, quibus regnum Franciæ vendicabat, Regi Francorum remitteret ac in perpetuum renunciaret eiſdem. Super quo negotio, ex parte Regis Angliæ miſſi ſunt ſolemnes nuncij, ad Romanam curiam, viz. dominus Henricus Dux Lancaſtriæ, Richardus Comes Arundeliæ, Gul. Norwicen. Epiſcopus & Guido de Brian miles, vt dominus Papa dictam concordiam confirmaret. Sed dolo fraudeque Gallorum, quibus iugiter adhærebant vna cum Legato domini Papæ, à concordia eſt diſceſſum, vnde Rex Edwardus non modicum exaſperatus, copioſo exercitu congregato regnum Franciæ intrauit hoſtiliter, ac illud vaſtare cœpit.

Oxonia interdicta.

Eo anno propter ſeditionem quam laici Oxonijs concitauerant, & damna quæ ſcholaribus illic irrogauerant, villa ſuppoſita fuit interdicto, & regimen totius villæ conceſſum eſt Cancellario, ita quod nullus alius ſaltem laicus illud obtineret.

Eodem tempore per conſilium Regis Angliæ Stapulum de lanis reuocatur à Flandria, cum omnibus ad eam pertinentibus, & ſtabilitur in Anglia, per diuerſa loca Lincolniæ, & Hull, in omnibus libertatibus, conſuetudinibus, & iuribus eiſdem conceſſis in perpetuum.

Peridem tempus transfretauerat Dominus Henricus Dux Lancaſtriæ, cum magnificentia & honore, ad ineundum ſingulare certamen Pariſijs cum Duce de Brunſwike, qui res ſuas deprædatus eſt, cum rediret de Romana Curia. Sed interuenientibus dominis, & amicis, ſine duello diſceſſere.

Anno 1355. nunciatum eſt Regi Angliæ, Philippum Regem Francorum diem clauſiſſe vltimum, & Ioh. eius filium, in Regem Franciæ coronatum, eundemque Ioh. Carolo filio ſuo ſeniori, qui dictus eſt Dolphinus de Vienna, Ducatum Aequitanniæ contuliſſe, vnde Rex indignatus aduocato coram regni proceribus domino Edwardo ſuo primogenito, aſſignauit illi Ducatum Aequitaniæ, qui ſibi iure hæreditario pertinebat, præcipiens vt ſe contra ſuos aduerſarios tueretur. Princeps vero Edwardus, iuſſis paternis obediens, comitantibus eum Comitibus de Warwick, Sarum, & Southfolke, & Oxoniæ, & mille hominibus armorum, totidemque ſagittarijs, in natiuitate beatæ virginis, velificare cœpit proſperoque curſu peruenit Aequitaniam, & à nobilibus regionis honorifice ſuſceptus eſt. Quibus aduentus ſui cauſam notificans, optima deliberatione habita, decimo die Octobris equitare cœpit, tranſiens per patriam de Iuliak ſibi ſubiectam, deinde per patrias de Armanack, de la Ryuer, Cuningg, Slee, Toulouſe, Karkaſon & Nerbon iuxta mare Græcum, per octo ſeptimanas, villas multas valde, quaſdamque muro clauſas, eundo, & redeundo, cepit & ſpoliauit, & deuaſtauit per incendia, nulla reſiſtentia ſibi facta. Quibus geſtis in Waſconia hyemauit. Exercitus tamen eius interea non vacauit otio ſed plures bonas villas muratas, & caſtra fortia ſibi ſubiugauit, multique magnates illarum partium, ſe cum ſuis villis & caſtris, domino Principi ſubmiſere & fidelitatem iurauere.

Edwar. Principis geſta.

Hoc anno circa principium menſis Nouembris rex Edwardus transfretauit, aſſumptis ſecum duobus filijs ſuis, ſcilicet Lionello Comite Vltoniæ & Ioh. Comite Richmundiæ, domino Henrico duce Lancaſtriæ, comitibuſq; Northamptoniç, Marchiç, & Staffor-

diæ,

diæ, alijſque magnatibus, & hominibus armorum, ad numerum duorum millium. Secundo die menſis Nouembris, egreſſus Kaleſiam profectus eſt verſus Audomarum, vbi putabat Regem Franciæ eius aduentum cum ingenti exercitu expectare, paratum ad dandum ſibi bellum, prout ſibi antea fuerat nunciatum. Sed appropinquante Rege Angliæ, Rex Francorum euentum belli noluit expectare, ſed illico retroceſſit, deſtruendo victualia, ne noſtrates fruerentur eiſdem. Quem meticuloſe fugientem, Rex Angliæ proſecutus eſt, vſque Heden. Sed pro penuria victualium reuerſus eſt per 10. dies deſtruendo patriam, eundo videlicet, & redeundo.

Dum Rex Edwardus ageret in tranſmarinis partibus, Scoti fraudulenter, & ſubdole, ceperunt villam de Berwick, caſtrum tamen capere nequiuerunt. Ob quam cauſam Rex in Angliam cum feſtinatione reuerſus eſt. *Bervvicum capitur.*

Eodem anno in Parliamento apud Weſtm. conceſſum fuit Regi, vt haberent de quolibet Sacco lanæ, per 6. annos proxime ſequentes 40. ſol.

Septimo Idus Ianuarij, natus eſt Edwardo noniſſimus filius apud Woodeſtock, & vocatus eſt Thomas.

Anno 1356. Rex Edvvardus adiuit partes boreales, cum grandi exercitu, vt villam ſuam de Scotorum manibus recuperaret, quam Scoti 13. die Ianuarij ſibi ſine vlla reſiſtentia præuia reddiderunt.

Die 25. Ianuarij, dominus Edvv. de Baliol, Rex Scotiæ, apud villam de Rokesburgh, regnum & coronam eiuſdem tranſtulit in Edvv. regem Angliæ, literis ſuis patentibus, & autenticis inde confectis. *Scotorum regis ſubiectio.*

Eodem anno dominus Edvvardus, primogenitus regis Angliæ, & Princeps Angliæ exiſtens, in Waſconia, conſuluit Burdegalenſes, & proceres illius patriæ, de aggrediendo regno Franciæ. Cuius propoſitum Comes de Armenak, domini ſui proditor, confeſtim Regi Franciæ nunciauit, & quæ mala regno Franciæ imminebant. Quæ cum audiſſet Rex Franciæ, ſtatim iuſſit deſtrui pontes conſtructos ſuper fluuium de Leyre, quas veteres, non ſine magnis expenſis extruxerant. Princeps hæc audiens, exercitu congregato ſexto die Iulij, cœpit proficiſci de Burdegalia, tranſiens per patrias de Ageneys, Peregor, Limoſin, Berry, & de Saloygne. In quo tranſitu plures villas ſibi rebelles incendit, & multas cum caſtris & munitionibus ſibi redditas, obtinuit ſub tributo. In hac equitatione plus quam ſex millia hominum armorum captiuauit. In patria vero de Saloygne, capta villa de Remorantyn, caſtrum eiuſdem villæ, ſex diebus obſedit, & cepit, captis ibidem domino de Cron, & Bruſigundo, alijſque militibus, & armorum hominibus 80. Deinde progreſſus eſt per Toreigne, & Peyton, & ibi prope Chaueny proceres ſui 17. die Septembris conflixere cum Gallicis, in quo certamine 100. homines armorum ex Gallicis peremerunt. Ceperuntque Comites de Amiſer, & de Iuny, cum Seneſcallo regis Franciæ, & hominibus armorum 100.

Eodem anno 19. die Septembris, vel vt quidam volunt 21. die menſis eiuſdem, Princeps Walliæ, quaſi in fine anni aduentus ſui in Waſconiam, occurrit regi Franciæ iuxta Peyteis, non amplius quam mille nongentis hominibus armorum, totidemque ſagittarijs, venienti contra ſe cum 7. millibus electis armorum hominibus alijſque armatis, paniſatijs, ac baliſtarijs in numero exceſſiuo. Aderant tunc ibidem duo Cardinales, miſſi per dominum Papam, pacem facere inter partes, qui à domini Papæ præſentia receſſuri, promiſerunt eidem dicentes, vere ſancte pater, aut habebimus pacem, aut lapides clamabunt. Euenitque iuxta vaticinium eorundem, neſcientium quod dicebant. Reuera cum ſagittarij Principis omnes ſagittas ſuas expendiſſent in Gallicos, & iam ſtare viderentur crioſi, quia campus belli lapidoſus extitit, moniti ſunt per Comitem Southfolciæ lapides tollere, & in Francos mittere, vnde contigit quod magna multitudo Gallorum, ictibus ſaxorum proſtrata perijt, attonita nimirum colliſione lapidum in Galeas & caſſides impactorum, & ſic quodammodo lapides clamauerunt. Igitur cum Cardinales inter vtrumque populum diligentiſſime diſcurriſſent, nec pacem perſuadere potuiſſent, indignantes receſſerunt. Tunc confeſtim acies conuenerunt, vbi primo fractis lanceis, cum gladijs, ſecuribus & bipennibus, rem egerunt. Ibi claruit virtus & probitas, domini Iacobi de Andelee generoſi militis, qui potenter, & audacter confregit & perforauit Francorum aciem, & fuit occaſio necis plurimorum hoſtium ea die. *Cardinalium promiſſum.*

Ibi patebat fides & conſtantia Comitum de Warvvicke & de Southfolke, & cæterorum procerum, qui tam animoſe, tam acriter, tam atrociter, tam perſeueranter pugnauerunt, donec manus eorum gladijs & ſecuribus obrigeſcerent. Nec minus laudabilis erat ipſe Dux belli Princeps ſereniſſimus, qui non ſolum ſe Ducem exhibuit in hoc bello, ſed

probatum militem & expertum, vniuerſa temprans, audens, & faciens, quæ miles faceret animoſus. Nec momentanea ſeu breuis fuit iſta pugna, ſed tribus vicibus eodie præ multitudine ſupetuenientium hoſtium oportebat Anglicos prælium inſtaurare.

Anglorum victoria in Gallos.

Tandem omnipotenti Deo noſtris tribuente longanimitatem & Gallis immittente formidoloſitatem inſiſtentibus Anglicis Galli fugerunr, occiſis ibidem prius Duce de Burbon, & Athenis, Epiſcopo de Chaluz & alijs dominis & nobilibus ad numerum viginti duorum, militibuſque peremptis, & hominibus armaturæ electis duobus millibus, & de communibus octingentis. Rex inſuper Franciæ captus eſt ibidem, & Philippus filius eius iunior, capti ſunt etiam domini Iacobus de Burbon, de ſanguine regio, & Archiepiſcopus Seuonenſis, ac Comites 11. domini nobiles 22. milites & homines armorum pluſquam duo millia. Expedito finitoque præfato bello, Princeps redijt Burdegaliam cum glorioſo nobilique triumpho, Ioh. Regem Franciæ ſecum ducens. Dominus Henticus Dux Lancaſtriæ dum hæc agerentur, obſedit in Britannia ciuitatem Ranenſem, quam & cepit.

Anno 1357. Dominus Edw. Princeps Walliæ redijt in Angliam cum Ioh. Rege Franciæ & filio ſuo Philippo 5. die menſis Maij applicans in portu de Plimmouth cum præda nobili captiuorum. Et cum perueniſſet Londonias cum prædictis captiuis circa horam diei tertiam, tanta ruit, ad tanrum ſpectaculum populi multitudo, vt vix valeret poſt meridiem præ compreſſione plebis ad Weſtmonaſt. peruenire.

Cito poſt hæc miſſi ſunt per Papam in Angliam duo Cardinales, pro pace reformanda inter regna, tertius vero Cardinalis venit gratia viſitandi Regem Francorum. Qui frequenter colloquentes cum Regibus & eorum conſilijs, ſed nil proficientes, poſt moram in Anglia biennalem tandem infecto pacis negotio receſſerunt.

Gens ſine capite.

Sub hijs diebus ſuccreuit in Francia illa famoſa magnaque comitiua, quæ gens ſine capite vocabatur. Hæc in initio parua temptans, & mox aggreſſa maiora magnam Franciæ partem occupans, expulſis vel ſubactis locorum dominis, ſuis legibus ſubiugauit. Erat autem non tantum de vna gente vel natione, ſed de pluribus regionibus congregata.

Conceſſum fuit etiam domino Iohanni Regi Franciæ pro redemptione ſua ſoluere ſexcenta millia florenorum citra feſtum S. Martini. Et ad habendam maiorem ſecuritatem iſtius ſummæ ſoluendæ, petijt Rex Angliæ obſides de valentioribus perſonis regni Francorum, ſed huic petitioni noluerunt Gallici conſentire. Quamobrem 20. die Nouembris reſponſum eſt Francis vt ſe defendant, & præparent ad bellandum.

Eodem anno relaxatum fuit interdictum Oxoniæ quod authoritate domini Iohan. epiſcopi Lincolniæ propter clericidium, & ſacrilegia anno proximo præterito fuit illatum.

Haſtiludia facta ſunt Londonijs præſentibus regibus Angliæ, Franciæ & Scotiæ, & plebe multa.

Anno 1358. tentum fuit Parliamentum Londonijs, vbi de pace reformanda inter duo regna perſæpe tractabatur, ſed nullus effectus de tot tractatibus ſequebatur. Armachanus facit proceſſum contra 4. ordines mendicantium coram Papa, demonſtrans eos multis rationibus manifeſte à ſuis regulis deuiaſſe. Frater Iohan. Lyle Elienſis Epiſcopus, vt dicitur iniuſte fatigatus per dominam Blanchiam de Wake transfretauit ad Romanam curiam contra voluntatem Regis. Dominus vero Papa auditis eius querelis fecit excommunicari publice omnes aduerſarios dicti Epiſcopi, mandauitque per literas ſuas Lincolnienſi Epiſcopo, & alijs quibuſdam Prælatis Angliæ, vt ſi quos nouerint dictorum excommunicatorum, mortuos & ſepultos, à ſepulturis extraherent, quod & factum eſt, vnde Rex indignatus, quia dictorum excommunicatorum quidam erant de conſilio ſuo, dictos Prælatos grauiter infeſtabat. Qua de cauſa venerunt quidam de Curia Romana miſſi, ex parte dicti Epiſcopi Elienſis, obuiantes domino I. Roffenſi Epiſcopo regnique Theſaurario armati, tradentes literas Apoſtolicas violenter dicto Theſaurario, quarum tenor hactenus ignoratur, & illico diſparuerunt. Quos regales inſequentes quoſdam captos incarcerabant, & coram Regis Iuſtitiarijs condemnatos in carcere & furca necabant.

Proceſſus contra mendicantes.

Eodem anno, Neuſtria, & Britannia Armorica graui clade vaſtantur per Philippum fratrem Regis Nauarriæ dominum Iacobum de la Pype, & Robertum Knollis, alioſque quamplures Anglicos, qui ductores fuere magnæ comitiuæ, & in hijs regionibus per tres annos & amplius hoſtiliter debacchati ſunt contra regis Angliæ voluntatem. Ex quibus Robertus Knollis ex vulgari valecto fortuna fauente ditatus, mox factus ductor militum multa miranda geſſit in terra, cuius geſta tractatus exigunt ſpeciales.

Eodem

Eodem tempore quidam natione Waſco, vulgariter nuncupatus Archipræſbiter, duxit aliam comitiuam per diuerſas partes Franciæ,ipſas deuaſtando hoſtiliter,ſed potiſſime prouinciæ regionem.

An.1359.14.Kalend.Iunij,dominus Iohannes de Gaunt filius regis Edwardi Comes Richemond, Blanchiam filiam domini Henrici Ducis Lancaſtriæ conſanguineam ſuam de diſpenſatione Curiæ,apud Radingum duxit vxorem.

Sub eodem tempore D.Iohan.rex Franciæ ſub vmbra pacis doloſe contulit regi Angliæ Flandriam,Pykardiam,Acquitaniam aliaſque terras quas equitauerat & vaſtarat, pro quibus omnibus ratificandis idem rex Edw. in Franciam nuncios ſuos direxit, quibus omnibus Franci contradixerunt. Vnde rex Edw. indignatus cum claſſe 1100. nauiũ mare tranſiit,habens ſecum paulo minus quam mille currus, peruenitq́; Kaleſiã 24. die menſis Octobris,& 4.die menſis Nouembris,diuiſo exercitu ſuo in 3.turmas commiſit vnam fortem valde domino Henrico duci Lancaſtriæ.Edw.vero principi turmam deputauit aliam fortiorem,ſibi ipſi turmam fortiſſimam reſeruauit.Qui profecti peruenerunt ante ciuitatem Remenſium in feſto S.Luciæ vbi moram traxerunt inutilem, vſque in diem S. Hillarij,nihil proficientes ibidem. *Expeditio in Galliam.*

Eodem die ſigna conuertit verſus Burgundiam. Cui occurrit dux Burgundiæ, promittens 70000.florenorum ſoluendorum ſibi fideliter,ſi toti Burgundiæ parceret, & cõtineret ab incendiis & rapinis. Quod rex conceſſit eidem, manſitque iuxta ciuitatem Remenſem vſque in 5.diem poſt feſtum S.Gregorij Papæ.

Interim Normanni cum modica claſſe nauium apud Winchelſey applicuerunt, ipſamque villam Idibus Martij inuaſerunt, & in parte combuſſerunt, ac reſiſtentes interfecerunt, ſexui, ætati, vel ordini non parcentes. Quapropter prælati in Anglia vndique confluxerunt ad arma cum clericis & laicis, vt dictis reſiſterent inimicis. Sed cum ſe & ſuos præparauiſſent ad pugnam, nihil actum eſt, hoſtibus valefacientibus illis cum cachinno. *Normãni aufugiunt.*

Anno 1360.tenuit rex Angliæ natale iuxta Remenſium ciuitatem,manſitq; ibidem vt præfertur vſque ad feſtum S. Gregorij,& 12.die Aprilis Pariſius ſe conuertit. Et cum appropinquaſſet Pariſius exercitum in nouem diſpoſuit aciebus,& creauit ibidem milites quadringẽtos.Deinde mittitur dominus Henricus dux Lancaſtriæ ad portas ciuitatis proferens hiis qui intus erant bellum campeſtre,ſub hac conditione,vt ſi rex Angliæ deuictus foret ibidem,nunquam ex poſt regnum Franciæ vendicaret. Sed Galli bellum committere detrectabant,quapropter tirones nouelli, militeſque veterani armati cum aliis dederunt inſultum ciuitati,& confeſtim eius ſuburbana deſtruxerunt. *Conditiones pugnæ Gall.*

Londonienſes per idem tempus, cum cæteris regni incolis affectantes vindicare dedecus nuper acceptum per Francos apud Winchelſey cum claſſe octoginta nauium & 14.millibus hominum cum ſagittariis perſcrutando aduerſarios quæſierunt. Et tandem applicantes in terra hoſtili,ceperunt inſulam quæ Caus vulgariter appellatur. Franci præuenire cupientes hos rumores præordinauerunt dominum Abbatem Cluniacenſem comitem, de Tankeruile, Seneſcallum Franciæ, Bruſigaldum conſtabularium, & nonnullos alios viros venerabiles de conſenſu domini Caroli regentis Franciam, pacem finalem & firmam oſtenſis conditionibus, in ſcriptis à domino rege Angliæ humiliter poſtularent, ſed conditiones inſcriptæ & excogitatæ per Francos, nec regi nec ſuo conſilio placuere.Quapropter rex commotus,prohibuit ne ſollicitarent eum amplius, niſi habita ad eius beneplacitum prolatione præmiſſorum.

In craſtino octauarum Paſchæ, conuertit ſigna verſus Aurelianum, prædando, vaſtando,conflagrando quæq; ſors obtulit tunc eidem. Quo tempore fuit tanta frigoris immanitas,vt plura millia hominum & equorum in exercitu regis exanimaret.

Circa feſtum inuentionis S.Crucis nuncij memorati venientes ad regem iuxta Carnotum,obtulerũt ei optimam formam pacis ordinatam circumſpectiſſime, de communi conſenſu regentis, ac maiorum Franciæ, ſub data apud Carnotum 15. die menſis Maij, requirentes humillime benignam donationem ſuam atque beneuolentiam conſenſumque gratioſum,vt eam dignaretur admittere & ratam & gratam tenere, pro ſe & hæredibus ſuis in perpetuum,qua forma cum deliberatione perſpecta, dominus rex annuit votis eorum, ita duntaxat, vt iuratis in corpore dominico partibus, tactiſque ſacroſanctis Euangeliis pacta ſtabilirentur. Proinde celebrata Pariſius miſſa ſolemniter, Carolus primogenitus regis Franciæ in præſentia nunciorum regis Angliæ atque procerum regni Franciæ, dicto ter agnus Dei & adiecto, dona nobis pacem, aſcendit ad altare, & dextram ſuper patenam poſuit, in qua locatum fuerat corpus dominicum, leuamque ſuper *Pacis forma.*

Iuramenti forma.

miſſale, ſicque iurauit. Nos Carolus iuramus, ad ſacroſancta corpus domini & Euangelia, firmiter ſeruare penes nos pacem & concordiam formatas inter reges, & nullo modo in contrarium venire. Poſthæc datis militibus reliquiis de corona Chriſti in teſtimonium valefecit eiſdem. Simile iuramentum præſtitit apud Luneros, dominus Edwardus princeps Walliæ proxima feria ſexta ſequente. Ambo igitur reges, & eorum filij, maioresque vtriuſque regni, idem corporale ſacramentum præſtiterunt. Ad corroboranda quoque complendaque prædicta, rex Angliæ petiit & accepit maiores Franciæ in obſidatum, viz. 5. duces, 8. comites, & 30. dominos nominatos, aſſignataque ſunt dies & tempus, quibus ambo reges conuenirent prædicta conſummaturi cum ſuis conſiliis apud Caleys.

Scriptis igitur ſigillatis & indentatis, confeſtim Rex Angliæ tranſiuit ad Hounflet, vbi naues aſcendit & fœlici curſu peruenit in Angliam. Et confeſtim tranſiuit ad turrim, gratia viſitandi regem Franciæ, vbi limitata ſumma redemptionis ſuæ, quæ ſtetit in tribus millionibus florenorum, quorum duo valerent 6. ſol. & 8. denar. eum ab omni carcere liberauit. Quibus ita geſtis Rex Angliæ regem Franciæ cum ſumma veneratione deduxit ad mare, qui nono die Iulij transfretauit, atque peruenit in regnum ſuum, tractaturus effectualiter de pactionibus ſupradictis.

Rex Franciæ liberatus.

Eodem ipſo paruo tempore conuenerunt apud Caleſiam ambo reges, cum ſuis conſiliariis, tractaturi finaliter de pace & concordia præformatis apud Carnotum, iuraueruntque firmiter pacta ſeruare penes ſe. Quorum articuli in chronicis noſtris maioribus latius deſcribuntur.

Hiis ita geſtis confeſtim mittuntur nuncij ſummo pontifici, pro pace pactiſque mutuis confirmandis.

Anno 1361. In parliamento Londoniis proponebatur cunctis regni ſtatibus concordia inter reges ſtabilita, placuitque cunctis dictam concordiam recipere & tenere. Quamobrem celebrata miſſa de ſancta Trinitate, à domino Cantuarienſi cum magna ſolemnitate, aſtante rege cum filiis ſuis, & accenſis luminaribus, & erectis crucibus ſinguli qui non prius iurauerant, ſuper corpus dominicum, & miſſale, iſtud ſacramentum in ſcriptis præſtiterunt, domino Cantuarienſi inchoante. Nos N. Cantuarienſis Archiepiſc. iuramus ad ſacroſancta corpus dominicum & Euangelia firmiter ſeruare penes nos pacem & concordiam firmatas inter reges, & nullo modo in contrarium venire. Quibus expeditis, ſinguli ſuas ſchedulas regiis notariis tradiderunt.

Comitiua magna.

Eodem anno illa magna & famoſa comitiua de diuerſis nationibus adunata, cuius duces pro maiore parte fuerunt Anglici, partes Franciæ verſus Auinoniam inuaſerunt, villam S. Spiritus ceperunt, cum villis & caſtellis multis in Francis, quos nulla virtute vel arte expellere potuit rex Franciæ de terra ſua.

Eodē tempore ſurrepſit & alia comitiua, quæ vulgariter vocabatur Alba, quæ tranſiit in Lumbardiam, cuius etiam duces fuerunt Anglici, & quandoque militabant alienis ſtipendiis, aliquando vero commotu proprio diſcurrebant, accipientes redemptionem de diuerſis villis, caſtellis ac ciuitatibus, nec pene deguit ſecurus aliquis in illis regionibus, qui non iſtorum beneuolentia fruebatur. Sub hoc tempore dominus princeps Walliæ deſponſauit dominam Iohannam Cantij comitiſſam.

Anno 1362. dominus Edw. princeps Walliæ accepit à patre coram regni magnatib. principatum Acquitaniæ, fidelitate prius & homagio regi patri factis. Non tamen reliquit principatum Walliæ, ducatum Cornubiæ neque Ceſtriæ neque Cantiæ comitatus. Qui circa feſtū purificationis beatæ Mariæ prox. ſequens cum vxore & tota ſua familia in Waſconiam transfretauit.

Hoc anno expletis annis quinquaginta à natiuitate domini Edw. regis Angliæ, idem rex volens reddere Iubileum ſuum memorabilem, celebrato parliamento populo ſuo ſe exhibuit gratioſum, reis maieſtatis ſuę offenſas indulgendo, vinctos à carceribus liberādo, & exules reuocando. Ad petitionem etiam communitatis placita in lingua materna, & non in Gallica verſari iuſſit. Leonellum quoque filium ſuum fecit ducem Clarenciæ, & Edmundum comitem Cantebrigiæ. Ordinatum fuit inſuper in hoc parliamento, quod nullus in regno præter regem & reginam atque duces haberet prouiſores victualium, nec aliquid caperet, niſi denariis perſolutis, & vt tranſgredientes ſtricto iudicio punirentur.

In hoc parliamento conceſſum fuit regi recipere per tres annos ſequentes 26. ſol. 8. denar. de quolibet Sacco lanæ.

Anno 1363. in parliamento tento Londoniis, omne ornamentum aureum, & argenteum

tenm fuit damnatum, ſ. in cultellis, cingulis, monilibus, annlis & cæteris corporum ornamentis, niſi in talibus qui poſſent per annum expendere decem libras. Ordinatum *Statuta de veſtibus.* inſuper fuit ibidem, ne mercatores Angliæ cum ſuis mercimoniis, vel ad vina quærenda de cætero transfretarent, & vt ſinguli, artes ſingulas exercerent, & vt nulli pannis pretioſis aut pellura vterentur, niſi qui poſſent per annum expendere 100. libras, & ne plebeij operarij & agricultores veſcerentur cibis delicatis. Sed hæc omnia nullum effectum cepere.

Per hoc tempus venerunt tres reges, ſcilicet, Franciæ, Cipriæ & Scotiæ, gratia videndi & alloquendi regem Angliæ, à quo plurimum honorari, doniſque, donari, reges Cipriæ & Scotiæ ad ſua reuerſi ſunt, ſed rex Franciæ morbo correptus, Londoniis apud Suuoy diē clauſit extremū, ſed hoc contigit anno ſequenti. Exequias eius rex Angliæ in diuerſis locis fecit ſolemniter celebrari, ac vſq; Doncriam ſuis ſumptibus per viros honorabiles corpus eius more regio conduci fecit. Qui tandem ſepultus eſt iuxta Pariſium apud S. Dioniſij monaſterium in ſepulchro regum.

Eodem anno 7. Idus Decembris cæpit gelare, perdurauitque gelu fortiſſimum vſque *Gelu.* 14. Kalend Aprilis.

Eo tempore rex Cipri itinerando per Angliam plura perdidit per latrones. Ob quam cauſam rex Edward. conceſſit Londonienſibus poteſtatem iuſtificandi malefactores, & incarceratos infra ciuitatem liberandi, iuſticiariis regiis vt prius ſolebant minime requiſitis.

Hoc anno fuit tanta frumenti penuria, vt ſumma tritici ad quindecim ſolidos venderetur. *Cariſtia.*

Anno 1364. Carolus de Bloys cum tribus millibus ſexcentis viris bellatoribus irruit ſubito ſuper Ioh. de monte forti, & dominum Gul. Larimer, dum eſſent in obſidione villæ & caſtelli de Aueroy, qui vix habebant ſecum mille ſexcentos de Anglis & Britonibus. Et facto congreſſu ſine deliberatione, ceciderunt ex parte ducis tantum 7. viri, & ex parte Caroli intruſoris corruit ipſe Carolus, cum domino de Rocheford, & Gul. Vango, & ex militibus atque armigeris pene mille, captique ſunt de parte Caroli, duo comites, 27. domini, & armati viri ſtrenui mille quingenti.

Quinto Idus Aprilis obiit dominus Ioh. rex Francorum.

Longobardi mercatores per ſocios ſuos accuſantur de magna infidelitate in ſuis mercimoniis factis regi. Quapropter ex illis multi recluduntur in turri donec finem feciſſent ad regis beneplacitum.

Eodem tempore Edmundus de Langley regis filius, deſponſaſſet filiam & hæredem comitis Flandriæ, niſi propinquitas conſanguinitatis prohibuiſſet, vnde pro habenda diſpenſatione, miſſum eſt ad papam. Sed rex Franciæ Carolus, ne matrimonium iſtud procederet, callide impediuit. Quæ mulier ex poſt copulata fuit Philippo fratri regis Franciæ duci Burgundiæ, qui quondam patri ſuo in Anglia fuerat concaptiuus.

Anno 1365. natus eſt domino Edward. principi Walliæ & Acquitaniæ apud Angoliſmum filius, & vocatus eſt nomine patris ſui Edward. Hic anno ætatis ſuæ 7. diem clauſit, non tamen præmature, vt plurimi aſſerebant.

Eodem anno Ingelramus dominus de Councy apud Windeleshoram deſponſauit Iſabellam filiam regis Edwardi.

Hoc etiam anno rex Cipri cepit Alexandriæ magnæ partem tertiam, & deſpoliatam dimiſit incredulis, quia non habuit qui poſſent cuſtodire eam. Interfuerunt autem huic captioni cum rege Cipri plures Anglici & Acquitanici, referentes tam in Angliam quam Acquitaniam pannos aureos & holoſericos, ſplendoreſque gemmarum exoticos in ſuæ teſtimonium probitatis.

Anno 1366. natus eſt domino Edw. principi apud Burdegaliam ſecundus filius dictus Richardus, quem Richardus Rex Maioricarum de ſacro fonte ſuſcepit.

Hoc in tempore Rex Franciæ & maiores illius regni implorabant auxilium regis Angliæ, contra magnas comitiuas quæ bacchabantur in Francia, quarum ductores erant *Comitiua dicta.* Anglici pro maiori parte vel ſaltem de dominio regis Anglorum. Qui mandauit eis per ſuas literas vt regnum Franciæ euacuarent, & illud deſinerent moleſtare. Qui primo tergiuerſantes, nec ſuas quas ceperant munitiones deſerere meditantes, breui ridiculoſoque reſponſo regem Angliæ exacerbauerunt. Quapropter rex Angliæ ad humiliandum eorum ſuperbiam conduxit exercitum, nauigium præparauit. Quod cum audiſſet rex Franciæ per nuncios rogauit regem Angliæ vt à ceptis deſiſteret & domi ſe contineret, vnde contriſtatus rex Angliæ iurauit per ſanctam Mariam, ſe non laturum au-

xilium

xilium regi Franciæ in æternum, licet eum dictę comitiuę niterentur expellere regno ſuo. Nibilominus ex poſt ad iuſſum regis Angliæ redditis regi Franciæ villis & Caſtellis, per dictas comitiuas diu poſſeſſis regno Franciæ valefecerunt.

Inſultus in Petronem.

Bertrandus Cleykyn inſignis & belliger habens collegam Hugonem de Caluerlee, militem toti Europæ famoſum, cum parte magnæ comitiuæ proceſſit contra Petronem regem Hiſpaniæ vt Petronem regno priuaret, & Henricum faceret coronari, ad quod etiam exequendum acceſſit auxilium & fauor Papæ. Petro rex Hiſpaniæ cum audiſſet aduentum illius terribilis comitiuæ fugit ad principem Walliæ, ab eo contra tam ſæuos hoſtes ſuffragia petiturus. Quo fugato Henricus frater eius notbus, aſſenſu multorum procerum & auxilio comitiuæ prædictæ rex Hiſpaniæ factus eſt. Numerus iſtius comitiuæ ſtetit in 60. millibus bellatorum.

Anno 1367. dominus Edw. princeps condolens calamitatibus domini Petronis regis eiecti, profectus eſt in Hiſpaniam, cum nobili multitudine pugnatorum Anglię, Scotiæ, Nauarriæ, Acquitanię, Britanniæ, Armoricæ, & aliarum gentium plurimarum. Ad quem (cum attigiſſet partes Hiſpaniæ) cum multis acceſſit dominus Hugo de Caluerlee, deſerto Henrico baſtardo, qui noluit in bello ſtare contra principem primogenitum regis ſui, venit inſuper ad eum dominus Robertus Knolles cum parte prædictæ Comitiuæ, quæ cum eo remanſerat. Poſt abſceſſum Bertrandi Cleykyn & Hugonis de Caluerlee, cuius numerus fuit decem millia virorum ſcientium bellum, & ad opus martium promptiſſimorum, de Anglia venit ad eum dominus Iohannes dux Lancaſtriæ cum multis valentibus militibus & armigeris, architenentibus, aliiſque armatis, eratque cum eo Rex Nauarriæ cum pluribus probatis hominibus de gente ſua. Ex aduerſa parte venit ipſe Henricus Baſtardus, & cum eo Bertrandus Cleykyn cum maiori parte illius ſæpedictæ magnæ comitiuæ quæ ſequebatur eum, non illius amore tantummodo, ſed opimioris ſpe prædæ. Venerunt & omnes domini potentiores prouinciarum Hiſpaniæ, & de Gallis infiniti, partim miſſi per regem Franciæ, partim lucri contemplatione. Saraceni prætetea, & vlteriores Hiſpani, cum incredulis confluxerunt, cum intruſore prænominato qui præ multitudine dinumerari nequibant. Princeps perpendens omnium horum multitudinem, quantum res patiebatur, die noctuque laborabat, ad opus martium conſummandum. Vnde contigit vt contra opinionem hoſtium, qui nullo modo putabant eum tam ſubito aduenturū, tertio die Aprilis oriente ſole, irrueret ſuper eos. Bertrandus Cleykyn more ducis prouidi bellum differre quoquo modo geſtiens donec ſui ſe poſſent armare, qui nondum ſtratu ſe excuſſerat, cum quinque vel ſex ſociis intrauit campi medium, in quo bellum gerendum fuit, Inter vtrumque exercitum conſtitutum. Cui cum pari occurrens numero miles nobilis dominus Thom. Vfford, equites quidem omnes contra ſe venientes, hoſtili haſtiludio de ſuis deiecit equis. Et cæteris interemptis de parte Bertrandi ipſe quidem captus eſt viuus. Interea anteriores acies, ſibi inuicem obuiarunt, vbi ſagittariis Anglicanis laudabiliter rem gerentibus Hiſpanos multipliciter terruerunt. Dominus Iohan. dux Lancaſtriæ, & dominus Iohan. Chaundos miles famoſiſſimus, & qui de magna comitiua adhæſerant principi, in acie prima conſtituti ſunt. Super hos pondus belli ſtetit, ſuper hos Sarazenica phallanx incubuit, ſuper hos innumera Hiſpanorum multitudo diu ſæuit, ſed tandem ſuperueniente domino Roberto Knoll cum electiſſima gente quæ eum ſecuta fuerat, & velut fulminea tempeſtas irruens ſuper hoſtes, & pars aduerſa terretur, & debilitatur. Terga proinde vertunt Hiſpani, & per centenos corruūt ad inferna pagani. Ipſe campi ductor partis aduerſæ, panefactus hiis viſis, & de grandine ſagittarum caput eius circumuolantium tremefactus, reliquit ſonipedem quem inſedit, & equum velociorem inſiliens fugam cepit, non tamen illæſus vt fertur, fuit in inguine ſagittatus. Cognita vero fuga ſui ducis Hiſpani terga dedere, peremptis in bello ſine fuga 7. millibus armatorum. Captus eſt in bello comes de Dena, cum multis nobilibus Hiſpanorum. Bertrandus Cleykyn captus fuerat, ante bellum vt præfertur, qui principalis extitit Baſtardi conſiliarius, & dux primæ cohortis. In fluuio vero de Nazar ſuffocati ſunt plurimi, qui dum pertranſire vellent, vada neſcientes, rapaci gurgite ſunt abſorpti. Rubuitque fluuius per multa millia de ſanguine vulneratorum pereuntium in eodem. Commiſſum fuit hoc prælium tertio die Aprilis, vel vt quidam volunt in vigilia dominicæ Annunciationis. Igitur ſereniſſimus princeps obtenta victoria dominum Petronem reſtituit regno ſuo. Et rediens in Acquitaniam, compulſus eſt confringere vaſa ſua aurea & argentea & ſculpere in monetam, quam ſtipendiariis ſuis irrogaret, quia Petro pro tunc non inuenit in theſauris ſuis, vnde principi ſatisfaceret iuxta pacta. Ob quam cauſam Princeps cum rediſſet in Acquitaniam coactus eſt manus mittere ad bona ſubiectorum ſuorum & exigere nouas taxas Waſ-

Hiſpanorum clades

conce-

Digitized by Google

conenſibus inſuetas. Quamobrem cito poſtea, defecerunt ab eo, & rebellare cæperunt, vt in ſequentibus elucebit.

Per idem tempus Bertrandus Cleykyn, ſoluta redemptione à captiuitate liberatur. Et pergens in Hiſpaniam regi Petroni reconciliatur. Cui perſuaſit, vt reciperet Henricum Baſtardum fratrem ſuū in gratiam, quem promiſit fidelem ſibi futurum. Cuius aſſertioni Petro fidem dans, iuſſit vt eum adduceret, ſpondens ſe ſibi rancorem omnē, & forisfacturas corditer remiſſurum. Bertrandus cuncta doloſe faciens, procurauit vt præfatus Henricus adueniret cum armata manu, tempore quo rex ſedebat in menſa & ſubito, præoccupatum lancea perforaret. Quo facto Baſtardus inuaſit regnum nactus proditione, quod non potuit aperto morte. Edwardus princeps intoxicatus ſanitate corporis vſq; ad finem vitæ fuit priuatus.

Anno 1368. Leonellus dux Clarentiæ regis Edwardi filius Mediolanum abiit, ducere in vxorem filiam Galeas, domini Mediolanenſi, cum qua medietatem eiuſdem dominij fuerat accepturus, vbi celebrato cum gloria maxima matrimonio, vix quinq; menſibus ſuperuixit.

Franci fœdifragi.

Eodem anno pacis pacta fregerunt Franci, capientes in Pontino caſtella, villas, oppida, & munitiones ſpectantia iuri regis Angliæ, & homines einſdem perimentes, & plurimos captiuantes, rege hæc omnia ignorante. Et vt efficacius regis Angliæ circumuenirent innocentiam, rex Franciæ literaliter denunciauit regi Angliæ, ſe fore paratum ſoluere quod reſiduum fuerat de redemptione patris ſui Iohannis quondam regis Franciæ, & omnes pacis condiriones editas Caleſiæ obſeruate. Et vt plenius circumueniret regem Angliæ miſit ei vina de Boemia & alia donatiua, inditia bonæ fidei & dilectionis. Et factum eſt, adhuc nunciis cum rege exiſtentibus, rumores flebiles deferuntur ad regem de equitatione Francorum hoſtili in pago Pontini, & de exceſſibus factis ibidem. Quibus auditis rex iuſſit nunciis vt cum donis ſuis fallacibus redirent ad dominum ſuum fraude plenum, cuius nugas & dolos non diu tolleraret inultos. Quibus domum remeantibus occurrere Caleſienſes, & vina direpta Caleſiam adduxerunt.

Francorū dolus.

Hoc anno dominus Simon de Langham Archiepiſc. Cantuar. aſſumptus eſt ad Cardinalatum, vocante eum Vrbano 5.

Rex Franciam vendicat.

Anno 1369. rex Edward. 3. in parliamento tento Londoniis, tractauit de concordia violata, paciſque pactionibus inter ipſum & regem Franciæ. Quapropter ſicut olim, totum regnum Franciæ vendicauit. Miſitque circa feſtum natiuitatis beatæ virginis, filium ſuum Ioh. ducem Lancaſtriæ, & Humfridum de Boun Comitem Herefordiæ cum valida manu militum & architenenſium, ad ius ſuum ex integro repetendum. Qui cum transfretaſſent, & ſuper montem qui dicitur le Chalkhull caſtra metati fuiſſent contra Francos qui illuc illis occurrerant, tam diu iacuerunt ibidem donec conſumptis victualibus pars Anglica fame deficiebat. Erant tunc ibi multi valentes barones & milites qui cenſuerunt cum Gallis fore pugnādum priuſquam gens Anglica fame periſſet. Sed duces cauſabantur ſibi non eſſe manum ſufficientem ad obuiandum Gallis.

Magnanimitas Thomæ Beuchāpe.

Interea dominus Tho. Beuchampe comes Warwici audiens Francos paratos ad pugnam, aſcenſis nauibus cum electis militibus verſus Caleſiam nauigauit, de cuius aduentu Franci ſtupefacti, relinquentes tentoria cum victualibus clam fugerunt. Comes vero cum applicuiſſet, ducum deteſtatus ignauiam conſulentium ne progrederetur, ego inquit progredi & pugnare volo, dum adhuc panis patriæ in virorum meorum ventribus remanet indigeſtus. Nec mora, progreditur, & inſulam de Kaus ferro flammaque vaſtat nemine reſiſtente: ſed heu redeundo verſus Caleſiam morbo correptus de medio ſublatus eſt. Cæteri duces aduerſante fortuna, inglorij redierunt.

Per id tempus papa fouebat guerram contra dominos Mediolanēſes, militante pro eo domino de Spencer qui laudabiliter bella geſſit papalia poſt mortem Leonelli ducis Clarentiæ cum quo peruenerat ad partes illas.

Eodē tempore floruit ille miles egregius & toti mundo nominatus Ioh Hawkwood natione Anglicus, qui duxit comitiuam albam ſuperius nominatā, & nunc contra papam, nunc contra præfatos dominos Mediolanenſes arma gerebat, ſemper inuictus. Cuius admiranda geſta prædicat vſque nunc Italia & Lumbardia.

Ducissa Lancaſtriæ animam efflat.

Hoc anno modius frumenti tribus ſolidis vendebatur. Domina Blanchia duciſſa Lancaſtriæ viam vniuerſæ carnis ingreſſa eſt, & in eccleſia S. Pauli Londoniis ſepelitur.

Parliamentum London. in quo conceſſæ ſunt regi decimæ triennales, in tribus annis ſequentibus perſoluendæ, & à laicis quintadecima triennalis.

Anno 1370. Rex Edward. prauo ductus conſilio petiit & accepit mutuo de prælatis,

domi-

dominiſque temporalibus, ac mercatoribus magnas ſummas pecuniæ, dicens quod illas expenderet in defenſione regni & eccleſię, ſed ſecus accedit quam putabant.

Circa feſtum natiuitatis Sancti Iohannis Baptiſtæ, rex congregari fecit exercitũ forte valde in quo nobiliores fuere, dominus de Grauuform, & dominus filius Walteri. Quibus præfectus eſt D. Rob. Knolles, vir qui tranſmarina bella per ante fortunate tractauerat, cuius diſcretione Rex vniuerſos cenſuit gubernari. Qui tranſeuntes in Franciam, quam diu Roberti paruere conſiliis, Gallos indicibiliter terruerunt. Sed tandem ingruente hyeme, orta inter adoleſcentes dominos, & dictum Robert. diſſentione, factione Iohan. Menſtreworth militis, qui & ipſe partem ducebat exercitus, dicentis dictos dominos non debere ſubiici ducatui Veſpilionis veterani, qui ſatis erant idonei quiſq; pro parte ſua ad perficiendum iniunctum negotium, in diuerſas turmas ſe pueriliter diuiſerunt. Quorum incorrigibilem animum cum perſentiſſet Robertus, receſſit in Britanniam, ad propria caſtra ſua, quæ quondam conquiſierat enſe ſuo. Franci vero duce Bertrando Cleykyn in cæteros dominos ſic diuiſos, & nondum in locis refugij conſtitutos hoſtiliter irruerunt, & quos voluerunt captiuos duxerunt, & reliquos occiderunt. Iohan. Menſtreworth conſultor peſſimus, amiſſis de ſuis plurimis vix euadens venit in Angliam, imponens domino Roberto Knoll. huius infortunij totam cauſam. Sed antiqua viri probitas cunctis nota id effecit, vt idem Iohan. mendax reputaretur, & non ſolum ingratus, ſed in fidus dicto Roberto prædicaretur.

Robertus tamen non audebat in Angliam remeare, donec gratiam regis magna ſumma pecuniæ comparaſſet. Igitur præfatus Iohan. Menſtreworth cernens ſuas fraudes pro votis non poſſe procedere transfugit ad regem Franciæ, domini ſui effectus proditor manifeſtus.

Hoc anno magna pars Waſconiæ deſciuit à principe propter inſolitas exactiones, & maxime ciuitas Lemonicenſis rebellare cæpit. Quam princeps poſt diram obſidionem arte fodientium captam deſtruxit ſolo tenus rebelles iuſte puniendo. Poſthæc infirmitate graſſante, & pecunia deficiente, Angliam reuiſere ſibi neceſſarium videbatur. Cum coniuge proinde & Richardo filio ſuo. (nam Edward. ſenior filius tunc obierat) ad portum de Plimmouth applicuit, relictis in Waſconia duobus ſuis fratribus, Ioh. duce Lancaſtriæ, & Edmundo comite Cantebrigiæ, ad defenſionem patriæ cum aliis viris ſtrenuis & bellicoſis. Cumque peruenitſſet ad patris præſentiam, in manus eius totum dominium Waſconiæ reſignauit.

Princeps reſignat Waſconiam.

Eodem anno dominus Iohan. Chaundos miles probatiſſimus, dum ſuperatis hoſtibus in Waſconia caput incaute diſcooperuiſſet, ictu ſpiculi peremptus eſt. Cuius audito rex Francorum infortunio, ſleuiſſe fertur, propter viri modeſtiam, nobilitatem, multipliceſque virtutes.

Anno 1371. in parliamento tento Londoniis tempore quadrageſimali, petiit rex à clero & populo ſubſidium 50000. librarum. Ad quam ſummam leuandam taxati fuere, ſacerdotes ſtipendiarij iuxta ſummam quam receperunt à conductoribus annuatim. Minuta etiam beneficia per ante non taxata, ad complementum huius ſummæ ſimiliter taxabantur.

Epiſcopi amouentur ab officijs ſecularibus.

In hoc parliamento petentibus dominis temporalibus, ammoti ſunt epiſcopi de officiis Cancellarij & Theſaurarij, & clericus de priuato ſigillo, & ſeculares ſiue laicales perſonæ eorum locis ſubrogati ſunt, & hoc quidem totum factum eſt in odium clericorum. Eo tempore miſſi ſunt ſolemnes per papam nuncij pro pace reformanda inter reges, ſed nullo expedito negotio receſſerunt.

Anno 1372. 9. die menſis Iunij, rex fecit ſubmoneri ad parliamentum tenendum Wintoniæ de clero 4. tantum epiſcopos, & abbates totidem, quia dicebatur quod mercatores Londonienſes & aliorum locorum rebellare volebant. Iohan. dux Lancaſtriæ, & frater eius Edm. comes Cantebrigiæ, de Waſconia redierunt in Angliam, ducentes ſecum duas filias Petronis, quondam regis Hiſpaniæ, quas ex poſt in coniuges acceperunt, dux quidem ſeniorem & comes iuniorem. Et ab eo tempore dux ſe regem caſtellæ nominauit & ſcripſit.

Papa per hoc tempus miſit duos Cardinales in Angliã pro pace reformanda, cardinalem. viz. Anglicum, & cardinalem Pariſienſem, qui parum profecerunt, niſi quod vberes procurationes de ſuis prouinciis reportauerunt. Anglici Flandrenſium concitati inſolentia, commiſſo nauali bello vicerunt eos, captis, 25. nauibus onuſtis ſale, & vniuerſis hominibus interemptis.

Flandrenſes ab Anglis profligati.

Eodem anno Franci obſederunt villam de Rupella, ad quos remouendos miſſus eſt domi-

Digitized by Google

dominus Iohan. Haſtings comes Penbrochiæ, iuuenis 25. agens annum cum electiſſima multitudine armatorum. Super quos in portu de Rochella ruit repente claſſis Hiſpanica, quæ victis Anglis & occiſis & cunctis cæteris pene captis claſſem anglicanam concremarunt. Ibique captus eſt dictus comes cum multis valentibus, & ductus in Hiſpaniam cum ſtipendiali pecunia à rege recepta, pro guerra ibidem continuanda. Iſtud infortunium cõtigit in vigilia natiuitatis S. Ioh. Baptiſtæ, nonnullis aſtruentibus cauſas huius infortunij fuiſſe, vel quia fœdere coniugali rupto, peccatum adulterij paruipendit, vel quia deliberauerat libertates eccleſiaſticas annullaſſe, vel quia regi malitioſe perſuaſerat, vt eccleſiaſtici grauius mulctarentur quam alij ſeculares. Quod conſilium indicibiliter dominis illius temporis dicitur placuiſſe.

Eodem anno rex Edw. collecto nauigio & exercitu validiſſimo intrauit mare, vt obſeſſis in Rupella ſubueniret. Sed continue flantibus ventis contrariis ad terram triſtis rediit, expenſis in hoc apparatu nonies 100000. librarum, prout fertur. In hoc apparatu fuit cum eo filius ſuus princeps & regni nobilitas pene tota.

Hoc anno cum præualida manu bellica transfretauit Ioh. dux Lancaſtriæ, & equitauit per Pariſium & Burgundiam, redemptiones pro ſuę voluntatis arbitrio de villis accipiens & munitionibus nemine reſiſtente. Tandem relicta Francia progreſſus eſt per deſerta montium regionis Alnerinæ, vbi deficientibus victualibus multi de exercitu perierunt. Ex hinc profectus in Acquitaniam peruenit Burdegaliam, vix 40. caballos ſecum viuos ducens, nempe ſi vulgo credi debet, 30000. equorum in hac infauſta profectione dicitur amiſiſſe.

Eodem anno rex Edw. miſit ambaſſiatores ad dominum papam rogans vt ſuper reſeruationes beneficiorum Anglicorum in curia ſua factas de cætero ſuperſederet. Et vt clerici ad epiſcopales dignitates electi ſuis electionibus pleno iure gauderent, & à ſuis metropolitanis confirmarentur prout antiquitus fieri conſueuit. Super quibus articulis & nonnullis aliis, quibus tam rex quam regni communitas ſenſit ſe grauari, nuncij à papa certa recepere reſponſa, de quibus cum rediſſent in Angliam deberet papæ reſcribi per regem de voluntate ſua & procerum, antequam aliquid determinaretur de præmiſſis. *Regis ad papam petitio.*

In Parliamento tento Londoniis decretum fuit vt eccleſiæ cathedrales ſuis gauderent electionibus, & quod de cætero rex contra electos non ſcriberet, ſed per ſuas literas ad eorum confirmationes iuuaret. Sed tamen nil profuit hoc ſtatutum. In eodem parliamento conceſſa fuit per clerum regi decima, & per laicos quintadecima.

Hoc an. caſtellum de Liziniaco Francis reddebatur pro redemptione D. Tho. Percy.

An. 1374. Dominus Iohan. dux Lancaſtriæ rediit in Angliam de Waſconia, poſt cuius receſſum tota pene Acquitania deſciuit à fide facta regi Angliæ præter Burdegaliam & Bayonem. *Acquitania deficit.*

Quinto die Iulij obiit M. Gul. Wittleſey Cant. Archiep. Monachi vero illius eccleſiæ ad electionem procedentes cardinalem Angliæ in Archiep. poſtularunt, quod tantum offendit regem, vt eos proponeret exlegare. Vnde compulſi ſunt pro recuperanda regis gratia prouidere fuluo metallo remedia.

Hoc anno tractatum fuit in Flandria apud Bruges ſuper articulis inter papã & regem pendentibus: & concordatũ eſt quod papa non vteretur de cætero reſeruationibus beneficiorum, & quod rex per breue, Quare impedit, beneficia non conferret. Sed de electionibus tactis ſuperius, pro quibus anno præterito directi fuerunt ad papam nuncij, nihil in hoc tractatu tactum fuit. Credebatur nempe quod quidam ex aulicis, qui ſe ſciebant potius per Romanam curiam promouendos, quam per electiones legales, iſtum articulum ſupprimi procurarunt.

Eodem anno conuenerunt apud Bruges electi nobiliores Angliæ, I. dux Lancaſtriæ, Gulielm. comes Sarum, Reginaldus dominus de Cobham, & alij plures ſæculares ad tractandum de pace inter regna. De eccleſiaſticis vero, D. Simon de Sudbiria Cantuar. Archiep. cum aliis clericis regni famoſis illuc directi ſunt. Quibus occurrerunt de parte Francorum pro dicto negotio dux Andegauiæ cum multis regni proceribus & epiſcopis. Durauitque tractatus iſte fere continuis duobus annis non ſine partium magnis ſumptibus & labore. Franci per totum tempus iſtud domi non de pace, ſed prælio cogitabant reſarcientes arma vetera, nouaque fabricantes omnem apparatum belli in promptu habere certantes. Sicque factum eſt vt Angli circumuenirentur incauti vt in ſequentibus apparebit. Nam diſceſſum eſt vtrinque ſine pacis effectu, Captæ ſunt tamen treugæ inter duo regna vix per annum duraturæ. Nuncij papæ qui pro pace tractanda venerant, vberes procurationes à clero Angliæ receperunt. *Conſilium apud Bruges.*

Anno 1375. dux Britanniæ Ioh. Mountforr habens in comitiua ſua filium regis Edmund. comitem Cantebrigiæ, comiteſque Marchiæ, Warwici & Staffordiæ, D. le Spencer pluresque alios bellicoſos & nobiles in partes Britanniæ transfretauit, quibus reddita ſunt illico villa S. Matthæi ſupra mare & caſtella de Orrey, & de Breſt, villam de Kemple obſederunt, in qua concluſi fuerunt omnes maiores Britanniæ, eamque cepiſſent, niſi quidam nuncius ſuperueniſſet, & treugas inter regna captas indicaſſet, & ex parte regis Angliæ præcepiſſet, vt obſidione dimiſſa ad Angliam remearent. Hoc in tempore poſt longam obſidionem reddita fuit Francis inſula de Conſtantine cũ caſtello S. Saluatoris quod ſituatur in ea per quendam ſcutiferum dictum Tho. Katingron. Ob quam cauſam dominus Ioh. de Anneſle miles ex poſt eundem Thom. de proditione appellatum in duello deuicit & occidit.

Hoc anno ſæuiente peſte nimis in Anglia dominus papa Gregorius conceſſit decedentibus vere pænitentibus plenam remiſſionem, 6. menſibus duraturam. Comes de Pembroke qui captus fuerat ab Hiſpanis datus eſt Bertrando Cleykyn per Henr. Nothum regem Hiſpaniæ, pro certa ſumma pecuniç quam idem Henricus debuit dicto Bertrando. Qui cum perductus fuiſſet Pariſius & redemptionis ſuæ ſumma fuiſſet limitata, cæpit grauiter infirmari. Metuentes igitur Gallici ne in eorum manibus moreretur, priuſquam ſua ſolueretur redemptio, aduehere eum Caleſiam feſtinabant. Mortuus tamen eſt antequam perueniret Caleſiam, & Franci ſuo deſiderio ſunt fraudati.

Parliamentum bonum.

Anno 1376. Parliamentum tentum fuit Londoniis, quod bonum à vulgaribus dicebatur. In quo cum peteretur parari regi ſubſidium more ſolito, reſponſum fuit per dominum Petrum de la mare prolocutorem parliamenti regem non indigere pauperum ſuorum ſubſtantia, ſi foret prudenter & fideliter gubernatus. Et hoc ſe dixit effectualiter probaturum. Promiſitque nihilominus quod ſi poſt declarationem huius promiſſi compertum foret regẽ ſuntum indigere ſubſidiis, omnes paratos exiſtere, iuxta facultates ipſum libentiſſime adiuuare.

In progreſſu vero petierunt Parliamentales milites vt amouerentur quidam regis officiarij, & præcipuus dominus de Latimer, qui vt dicebant non ſano conſilio regem rexit. Amotis ergo regis conſuetis familiaribus ad petitionem communium, ordinati ſunt certi prælati, & comites aliique ſapientes, qui gubernarent regem iam vetulum, & vice ſua cunctis aduenientibus reſponſa darent, ſed hoc ſtatutum, vix tribus menſibus perdurauit.

Alicia Peeres.

Item communitas regni petiit amoueri de domo regiſque conſortio, quandam Aliciam Peerys fœminam procaciſſimam, quæ confiſa nimia regis familiaritate multorum malorum in regno cauſa fuit. Quæ modum mulierum ſupergreſſa, auſa eſt nunc iuxta regis Iuſticiarios, nunc in conſiſtoriis iuxta doctores conſidere, & pro defenſione cauſarum ſuadere vel diſſuadere, ac contra iura ſine verecundia poſtulare, ad regis manifeſtum ſcandalum non ſolum in hoc regno, ſed in regionibus procul poſitis & remotis.

Item quidam Richar. Honnes & Adam Bury ciues Londoniarum per communes ſunt accuſati de variis fraudibus factis regi. Quorum primus mediante pecunia vindictam debitam prudenter euaſit. Secundus ſtupefactus ad impoſita, latenter fugit in Flandriam vt ſe ſaluaret ibidem. Sed ille veritatis aſſertorum dominus Petrus de la mare horũ omnium peroratorum, ad Inſtantiam dictæ Aliciæ peeris, & aliorum quos iuſte ſatis offenderat apud Notingham perpetuo carceri adiudicatur. A quo tamen eſt poſt biennium liberatus.

Princeps Walliæ moritur.

Eo tempote non dum finito Parliamento dominus Edw. Princeps Walliæ 8. die Iulij, i. in die S. Trinitatis defungitur. Quo obeunte omnis obiit ſpes Anglorum. Quo ſuperſtite nullius hoſtis incurſum, nullius belli congreſſum timuerunt Angli. Ipſe nempe nullã gentem adiit, quam non vicit, nullam ciuitatem obſedit, quam non cepit. Quo extincto, extinctus eſt Parliamenti præſentis effectus.

Dominus Richardus de Burdegalia filius domini Edward. principis in hoc parliamento factus eſt comes Ceſtriæ, & non multo poſt dux Cornubiæ, & princeps Walliæ eſt creatus.

Eodem anno familiares comitis de Warwico intulere damna grauia Abbati & conuentui de Eniſhã cuncta perpetrantes, quæ crudelitas pro tempore ſuadebat, & niſi terruiſſet eos regia prohibitio, dictam Abbathiam irreſtaurabiliter deuaſtaſſent.

Regis ergo timore pax inter partes fuit reformata, ſed plena ſatisfactio parti læſæ non eſt facta, quia profecto maius erat damnum quod irrogauerant quam poſſibilitas damna refarciendi. Fertur quod propter iſtam præſumptionem rex comitem ſupra-

prædictum de conſilio ſuo amouerit, & noluerit gubernari per dominos ad ſuum conſilium ordinatos per parliamentum ſupradictum, ſed ducem Lancaſtriæ reuocauerit ad regimen regni ſui. Qua occaſione redierunt ad curiam cuncti qui fuerant ante banniti, cum domino de Latimer à ſupradicta meretricula Alicia peeris, quæ (proh pudor) permanſit cum eo vſque ad finem vitæ.

Taxa inaudita.

An. 1387. in Parliamēto tento Lond. conceſſa fuit regi petēti taxa hactenus inaudita, vt perciperet à qualibet perſona laica vtriuſque ſexus, annos excedente 14. vnum groſſum. Et de religioſis vtriuſque ſexus, & qualibet eccleſiaſtica perſona promota 12. denar. & aliis non promotis vnum groſſum exceptis fratribus 4. ordinum mendicantium, qui cum hominibus non flagellabantur.

In hoc parliamento abrogata ſunt ſtatuta parliamenti ſuperioris, quod bonum parliamentum à populo vocabatur & perſonæ abiudicatæ ſunt ſtatui priſtino reſtitutæ.

Ortus Ioh. Wicliff.

Per idem tempus ſurrexit Oxoniis quidam dictus Ioh. Wickliff doctor in Theologia tenens opiniones à tota damnatas eccleſia, viz. quod Euchariſtia in altari poſt ſacramentum non eſt verum corpus Chriſti, ſed eius figura.

Item quod eccleſia Romana non eſt caput omnium eccleſiarum pluſquam vna alia eccleſia, nec maior poteſtas data fuit Petro quam cuilibet alteri apoſtolo.

Item quod Papa Romanus non habet maiorem poteſtatem in clauibus eccleſiæ quam quicunque alius in ordine ſacerdotij conſtitutus.

Item ſi Deus eſt, domini temporales poſſunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab eccleſia delinquente.

Item ſi dominus temporalis nouerit eccleſiam delinquentem, tenetur ſub pœna damnationis eius, ab ea temporalia auferre.

Item quod euangelium ſufficit ad regulandum in vita iſta quemlibet chriſtianum. Et quod omnes aliæ ſanctorum regulæ, ſub quarum obſeruantiis degunt diuerſi religioſi, non plus perfectionis addunt Euangelio quam albedo parieti.

Item quod papa nec aliquis alius prælatus eccleſiæ deberet habere carceres ad puniendum delinquentes. Sed quilibet delinquens poſſet libere quocunque vellet tranſire, & facere quæ ſibi placeret.

Hæc & plura alia ipſe & eius ſequaces docuerunt, habentes dominos temporales fautores & aſſentatores ſuo nequam dogmati, quia tantam illis tribuerant poteſtatem in eccleſiaſticos debacchandi.

Dominus Papa cum hæc audiſſet damnauit has opiniones hæreticas & alias ad numerum 23. dirigens bullas Archiep. Cant. & epiſcopo Londonienſi vt ipſarum authoritate dictum Ioh. facerent arreſtari, & eum ſuper dictis concluſionibus diligenter examinarēt. Quo facto præſente domino duce Lancaſtriæ Archiep. ſuper hiis dicto Ioh. Wicliff indixit ſilentium, prohibens ne de cætero tangeret iſtam materiam, aut per ſuos diſcipulos tractari permitteret. Qui paruo tempore ſiluerunt. Sed tandem contemplatione dominorum temporalium eaſdem opiniones & alias multo peiores reaſſumpſerunt, & latius quam prius diſſeminauerunt. Hij vocabantur à vulgo Lollardi incedentes nudis pedibus, veſtiti pannis vilibus ſ. de ruſſeto, vt per vitam pœnalem facilius incautos traherent ad ſectam ſuam.

Eodie quo præmiſſa geſta ſunt, Londonienſes furia concitati, ducem Lancaſtriæ perimere quæſierunt, propter quoddam verbum inſolens emiſſum contra eorum epiſcopum, & manerium ſuum de Sauoy combuſſiſſent, niſi antedictus epiſcopus eorum motibus occurriſſet.

Londinenſium furor.

Dux ergo fugit ad Keningtone vbi tunc Richardus filius principis morabatur, cui de illatis opprobriis flebiliter eſt conqueſtus. Hiis & aliis cauſis Londonienſes effecti ſunt duci odibiles, in tantum vt Maiorem aliaſque perſonas publicas ſuis dignitatibus vel officiis priuari faceret, & eorum locis alios ſubrogari. Eodem anno captus eſt Ioh. Menſtreworth miles proditioſus & transfuga, & accepta ſententia tractus eſt, ſuſpenſus, decollatus & in quartas diuiſus.

Rex Edwardus in feſto S. Georgij apud Windeleshores contulit Richardo de Burdegal hæredi ſuo ordinem militarem.

Rex Edwardus apud prædium ſuum de Schene diem clauſit extremum menſis Iunij 21. die cum regnaſſet annis 50. menſibus quatuor, 28. diebus. Cuius corpus apud Weſtmonaſterium tumulatur, qui dum vixit, omnes reges orbis gloria & magnificentia ſuperauit.

Richardus Secundus.

RICHARDVS de Burdegalia filius Edwardi principis filij regis Edwardi nuper defuncti Londoniis apud Weſtmon. 16. die menſis Iulij magnifice coronatur, 11. ætatis ſuæ anno. Qui ante coronationem ſuam laudabili vſus conſilio pacem fecit inter dominum ducem Lancaſtriæ & ciues Londonienſes, & dominum Petrum de la Mare militem quem diximus miſſum in carcerem inſtigatione Aliciæ Perres cum honore maximo liberauit.

In feſto apoſtolorum Petri & Pauli Gallici cum 50. nauibus applicantes villam de Rya deſpoliauerunt & incenderunt. Rex Richardus in coronatione ſua creauit 4. nouos comites D. Thom. de Woodſtock filium regis Edw. iuniorem fecit comitem Buckinghamiæ, Tho. Moubray Noringhamiæ, Gychardum de Angoliſmo Huntingdoniæ, & Henr. Percy Northanhumbriæ. Per idem tempus Scoti combuſſerunt villam de Rokſburgh. Kal. menſis Septembris, Gallici galeis aduecti ceperunt inſulam de Werta præter caſtellū quod D. Hugo Tyrel ſtrenue cuſtodiuit. Franci vero deſpoliata patria, ceperunt ab incolis mille marcas, vt ſaluarent ab incendiis domos ſuas. Non multo poſt Gallici fecerunt inſultum ad villam de Winchelſee, ſed per homines patriæ ſunt repulſi. Combuſſerunt tamen eo tempore villam de Haſtingo.

Comitum creatio.

Gallorum invaſio.

Eodem anno Gallici aſcenderunt in Southſexia iuxta villam de Rotingdene. Quib. occurrit armatus Prior de Lewys cum paucis & captus eſt ab eis, vna cum duobus militibus ſ. Ioh. Falliſlee & Thoma Cheyne, & quodam armigero dicto Ioh. Brokas. Peremptiq; ſunt ex Anglicis pene centum, ſed ex Gallicis multo plures. Gallici cum ſuis captiuis ad nauigium redierunt, ſed valde contentam victoriam reportauerunt.

Hoc anno Gallici ceperunt villam de Arde mediante proditione domini de Gaumeny Alemannia, qui fuerat illic capitaneus conſtitutus.

In diebus illis obiit Gregorius papa 11. cui ſucceſſit Vrbanus 6. Contra quem aduerſarius cardinalis Iubenenſis qui per diſſentionem factam in collegio electus eſt in Antipapam à quibuſdam Cardinalibus ſibi cohærentibus, poſtquam idem Iubenenſis, & cardinales ſui complices eidem Vrbano feciſſent obedientiam debitam & conſuetam. Qui vocauit ſe Clementem, & ſeceſſit Auinoniam cum ſuis complicibus Cardinalibus antedictis, vbi & nouos creauit ſibimet Cardinales.

Anno 1378. Iohan. Philpot ciuis Londonienſ. claſſem exhibuit ſuis ſumptibus quæ defenderet tam mare quam terram ab incurſibus piratarum. Quæ poſt paucos dies reuerſa eſt captis 15. nauibus Hiſpanorum omiſſis multis mercimoniis quæ ceperat iure belli.

Eo anno rex Nauarriæ locauit villam de Cherburgh in Normannia regi Angliæ pro certa pecunia annua eidem regi Nauarriæ perſoluenda, vbi & applicare poſſet cum vellet, & habere præſidium contra Francos.

Hugo Caluerlee capitaneus Caleſiæ cepit caſtellum de Merk, eo tēpore & deſtruxit.

Hoc anno Robertus Haule ſcutifer fuit occiſus in eccleſia Weſtm. tempore maioris miſſę per quoſdam regis ſatellites, quorum ductor extitit Alanus de Buxilie miles per ante non ignobil. ſed hoc facto poſtea ſemper infamis.

Eodem anno Scoti ductore quodam Thoma Hog ceperunt caſtellum de Berwico, ſed nono die ſequēte comes Northumbriæ qui illud obſederat recuperauit, Scotis qui illud ceperant gladiis interemptis.

Rex Franciæ petitā à magnatibus minoris Britanniæ munitiones & caſtella, villaſque muratas eorundem ſibi reddi, quibus hoc facere recuſantibus, cepit ex eis plurimos & occidit. Quidam mortis pericula deuitantes fugerunt. Hæc igitur fuit cauſa quare deſiderabant dominum ſuum naturalem, Iohannem Mountfort ducem Britanniæ reuocare.

Anno 1379 Dominus Iohan. de Harleſton miles, cuſtos villæ de Cherburgh cum domino Wurſelee gratioſe deuicit Gallicos, occiſis 120. viris, & captis ad numerum ſupradictum.

Eo tempore dominus Hugo Caluerlee, & dominus Thomas Percy facti maris Admiralij, poſt captas plures naues hoſtium, & res martias bene geſtas, toti Angliæ læta noua reportarunt deſiderio Britonum reuocare cupientium ducem ſuum, & odio quod contra regem Franciæ ſatis iuſte conceperant, eos tractare nitentem, non vt dominus, ſed potius vt Tirannus.

Eccleſia Weſtm. recuperauit quædam priuilegia quibus rex eam priuauerat parum

ante

ante in parliamento factoLondoniis iſto anno. In quo parliamento decretum eſt, vt communibus parceretur, & diuites onus ſubſidij regij ſupportarent: viz. duces ſoluerent 10. marcas, & Archiepiſcopi eandem ſummam penderent, comites, epiſcopi & Abbates mitrati tantum darent non obſtante quod idem Abbates tenerentur ſoluere 40. denarios pro ſingulis capitibus monachorum ſibimet ſubiectorum. *Diuites ſubſidiū ſoluunt.*

Denique nulla religioſa perſona vir nec fœmina, nullus Iuſticiarius, vicecomes, miles, vel armiger, rector nec vicarius, nec ſimplex Capellanus ſubterfugit hanc taxam, quin ſecundum valorem penſionis annuę taxabatur.

Per hoc tempus falſi Flandrenſes violatis treugis ceperunt bargiam de Foway quæ eſt in Cornubia, occidentes Anglicos qui fuerunt in ea, & bargiam demergentes. Quo perpettato facinore, applicuerunt in Anglia, & mercimonia ſua expoſuere venditioni, quidam Garcio qui in nauem Flandriæ dum pugnauerūt aſcenderat, & in ſentina ſe occoluerat, audiens Anglos colloquentes Flandris repente proſiliens exclamauit, fidem patriotarum flagitans. Qui mox per Anglos eductus detexit facinus, referens ſeriem rei geſtæ. Capti ſunt proinde Flandrenſes, & carceribus mancipati. *Flandrenſium facinus detectū.*

Eodem anno D. Iohan. Mountfort dux Britanniæ rogatus à ſuis Baronibus rediit ad patriam ſub ducatu nobilium militum, D. Hugo de Caluerlee, & domini Thom. Percy, vbi cum honore maximo ſuſceptus eſt.

Eo tempore Londonienſes occiderunt nequiter quēdam Ianuenſem mercatorem, eo quod promiſerat ſe ſpecioſa aromata aducturum, & meliori foro quam Londoniēſes incolis venditurum. *Mercator Ianuēſis ab Anglicis interfectus.*

Æſtiuali tempore in partibus borealibus fuit maxima peſtilentia, quantum vix antea vllus vidit. Scoti vero crudeles vt afflictos affligerent ingredientes patriam ſuper dolorem vulnerum eorum addiderunt, adeo debacchantes, vt pene patriam accolis vacuarent.

Ioh. Schakel ſcutifer quondam ſocius Roberti Hawlee nuper occiſi in choro inter monachos Weſtm. rege promittente quod daret eidem, pro habendo obſide comitis de Dena quem ceperant in bello Hiſpanico, terras ad valorem 100. marcatū annuarum, & in pecunia quingentas marcas, & de bonis regijs fundaret cantariam pro animabus eorum quos miniſtri eius in eccleſia ſupradicta peremerant, de quinque ſacerdotibus perpetuo duraturam, exhibuit obſidem, qui fuerat filius naturalis dicti comitis de Dena, & iam palam more valecti ſeruierat cunctis incognitus præterquam dicto Iohanni, & ſponte latuerat ſeruans eidem fidem. Quamobrem eius fidelitas ab omnibus eſt admirata & Ioh. prudens aſtutia multipliciter commendata.

Hoc anno dum comes Flandriæ conſuetudines à ſuis communibus nouas exigit, dum contra libertates gentis ſuæ molitur, cum omni domo ſua, totaque familia & ſuo cōſilio vniuerſo pellitur terra ſua. *Comes Flandriæ pellitur terra ſua.*

Circa feſtum S. Nicholai dominus Iohann. de Arundelia frater comitis Arundeliæ miſſus in ſubſidium ducis Britanniæ, cum multis nobilibus militibus & armigeris eſt ſubmerſus. Ferunt familiam dicti Iohan. priuſquam naues aſcenderet pauperes illius patriæ nimium moleſtaſſę, tollentes raptorum more eorum victualia, & violantes eorum filias & vxores. Propter quæ communes eos inſecuti ſunt diris imprecationibus quando naues fuerant ingreſſuri. *Dom. Arundelia ſubmerſus.*

Anno 1380. in Parliamento facto Londoniis conceſſa fuit regi ab eccleſiaſticis vna decima & à laicis vna quintadecima conditione adiecta, quod à Kalend. Martij vſque ad feſtum S. Michaelis anno reuoluto aliud parliamentum non fieret. Sed iſta conditio obſeruata non fuit.

In octauis Paſchæ Walerandus comes S. Pauli apud Windeleshores duxit vxorem dominam Iohannam de Cortnay. Quibus rex contulit dominium de Byflet.

Eo tempore Thom. Abbas S. Albani in placito contra Henr. epiſcop. Norwicenſem obtinuit ne priores cellarum S. Albani in ſua diœc. exiſtentium per epiſcopum fierent collectores decimarum vel cuiuſlibet taxæ leuandæ in poſterum ad opus regis. Duellum commiſſum eſt præſente rege inter D. Ioh. Anueſlee militem & Thom. Kathton ſcutiferum: milite cum appellante de proditioſa venditione caſtri S. Saluatoris, quod conſtruxit olim recolendæ memoriæ D. Ioh. Shandos in Gallia iuxta inſulam de Conſtantyn, & miles armigerum ſuperauit. *Duellum commiſſum coram rege.*

Hac æſtate D. Thom. de Woodſtock Comes Buckinghamiæ, Hugo Caluerlee, Rob. Knollis, Thom. Percy, Guliel. de Windeleshores milites probatiſſimi in auxilium ducis Britanniæ miſſi ſunt cum manu forti. Qui cum recto curſu propter galeas regis Franciæ

Britanniam nauigare nequirent, Caleſiam ſunt traiecti. A quo loca equitauerunt per girum Franciæ, patrias deprædantes & ſuccendentes ac populum trucidantes, donec ad confinia Britanniæ perueniſſent, quæ tandem deo laudes intrauerunt ſaluis hominibus & iumentis.

Per idem tempus rex Carolus qui Francorum regno incubuerat conceſſit in ſata, delegata regni & pupilli cuſtodia minori fratri ſuo Burgundionũ duci. Ob quam cauſam indignatus frater maior Caroli, ſ. dux Andegauiæ, mouit guerram contra iuniorem fratrem, noſtris qui erant in Britannia ſatis accommodam & votiuam.

Scoti deprædantur nundinas de Penrath.

Eo tempore Scoti ingreſſi ſunt hoſtiliter Cumbriam & Weſtmerlandiam & foreſtã de Inglewood & interfectis incolis plura animalia abegerunt, & nundinas villæ de Penreth deprædati ſunt, multis interfectis & captis plurimis, reliquiſque fugatis. Comes vero Norrhanhumbriæ dum parat Scotis vices rependere per literas regias prohibitorias impeditur.

Quo tempore Galeæ regis Franciæ villam cepere de Winchelſee, fugato Abbate de Bello, & quodam eius capro commonacho, qui ad defenſionem villæ concurrerant infauſta hora, villas quoque quaſdam maritimas, Franci impune eo tempore ſuccenderunt.

Orta de nouo ſimultate inter comitem Flandriæ & populares, occidit idem comes proditioſe 8000. hominum de villa de Ypres, qui ad tractandum de pace conuenerant, & mox Gandauum licet infructuoſa cinxit obſidione, vbi dum comes perſediſſet diu, inutiliter diſſoluit obſidionem, pacem faciens cum eiſdem breui tempore duraturam.

Coronatio regis Franciæ.

Hoc anno menſe Nouemb Carolus filius Caroli regis Franciæ coronatur, paruulus admodum 11. vel 10. annorum. In cuius regni principio grandis vulgi creuit tumultuatio pro taxis extortis ſæpius ab eiſdem, vnde communes moti, Pariſius proceres & regis conſiliarios fugere coegerunt ad tutiora loca ciuitatis. Ianuenſes vero quos reperire poterant trucidauerunt, quia prout aſſerebant, ipſi exhauſerant inutiliter totam pecuniam regionis. Et reuera grandis erat ſumma, quę eis quotidie pendebatur. Nempe cum 25. forent galeæ, receperunt quotidie 750. libras. Et quidem longo tempore, i. ab initio menſis Maij, vſque ad finem menſis Auguſti.

Circa feſtum S. Martini tempore parliamenti tenti Northamptonæ ſuſpenſus fuit R. Kirkeby interfector nobilis illius Ianuenſis mercatoris de quo ſuperius fecimus mentionem.

Taxa grauis.

In hoc parliamento exigitur grauis taxa, quæ fuit ex poſt cauſa magnæ turbationis in terra. Quilibet nempe ſacerdos religioſus compulſus eſt ſoluere dimidiam marc. & tantum quælibet fœmina religioſa, ſacerdotes vero ſeculares tantum, ac quilibet tam coniugatus quam ſolutus vtriuſque ſexus pro capite ſuo 12. denarios ſoluere cogebatur.

Anno 1381. Circa feſtum natalis D. magiſter Tho. de Brantingham Exonienſis epiſcopus depoſitus eſt ab officio theſaurarij. Et dominus Rob. Hales magiſter hoſpital. S. Iohannis oneratur officio ſupradicto.

Aſſertiones Ioh. Wicleffe.

Eo tempore ille damnatiſſimus Antechriſti præambulus Iohannes Wickliff hæreticus reaſſumpſit anathematizatas opiniones Berengarij, nitens aſtruere quod poſt conſecrationem in miſſa à ſacerdote factam, remaneret ibidem verus panis & vinum ſicut fuere per prius. Docuitque Chriſtum ibidem aſſiſtere, ſicut & vbique, ſed tamen ſpecialius: nec plus valere panem illum, quam alium, niſi ſolum propter benedictionem à ſacerdote datam, quinimo ſi ibi eſſet corpus Chriſti aſſeuerauit in fractione ſe poſſe frangere collum Dei ſui. Affirmauitq; Chriſtianos errare in veneratione illius ſacramenti, quod panem eſſe dicebat, & rem inanimatam & potius venerandum eſſe buſonem vel quodlibet animatum, quam illud, quia multo præſtantiorẽ eſſe fatebatur rem animatam, quam quæ carebat anima.

Cardinalis per id temporis venit in Angliã S. Pileus præſbiter tituli Sanctæ Praxedis, cum duce Taſiliæ miſſus à rege Bohemiæ qui ſe vocauit Imperatorem, pro matrimonio inter ſororem eius & regem Angliæ contrahendo. Hic ſub prætextu poteſtatis quam ſedixit à domino papa ſuſcepiſſe, multam collegit pecuniã, fecit enim mirabilia in terra iſta. Et tandem recedens tantam ſummam ſecum abſtulit, quantam vt putabatur nunquam Anglia in vno tallagio pendere conſueuit.

Per idem tempus miſſus eſt copioſus exercitus in auxilium regis Portingaliæ contra Hiſpanos qui eum multipliciter infeſtabant. Huius exercitus fuere ductores dominus

Edmun-

Edmundus Comes Cantebrigiæ Regis avunculus, Gulielmus Beauchampe, Matthæus Gurnay, & Gulielmus Butrewus milites in rebus Martijs ſatis experti. Qui à Rege Portingaliæ cum honore maximo ſunt ſuſcepti. Et ibidem commorati per biennium fines Portingaliæ ab Hiſpanorum incurſibus viriliter defenderunt. Tandem Reges Hiſpaniæ & Portingaliæ ad concordiam redeuntes, Anglis nauigia cum expenſis dedere communiter, eorum reditum auidiſſime cupientes. Nam & Hiſpanis ſemper ſuſpecta fuit eorum audacia, & Portingalenſibus onerosa præſentia, quia quos tutandos contra hoſtes venerant, viliori ſeruitio deprimebant, non tantum eorum diripientes ſubſtantias, ſed & vxores & filias opprimentes. Rediit ergo cum ſuis Comes Cantebrigiæ, reducens ſecum ſuam coniugem quondam Petri Regis Caſtillæ filiam iuniorem, & Edw. filium ex ea genitum per annos aliquot, antequam Angliam exiuiſſet. Quem quidem tempore moræ quam traxit in Portingalia filiæ Regis Portingaliæ matrimonio copulauit.

Angli Portingalienſibus onerosi fiunt.

Menſe Iunio ruſtici & communes homines manus infimæ inſurrexerunt contra Regem & proceres, & peremerunt plurimos furioſe. Inter quos magiſtrum Simonem de Sudbyria Metropolitanum totius Angliæ, regnique Cancellarium, & D. Rob. Hales qui fuit Prior S. Iohannis & regni Theſaurarius, extractos de Turri Londoniarum crudeliter decollarunt, ſub Duce quodam Waltero Tylere ſuperbo prorſus & ignobili ganeone. Sed dicto Waltero Tylere interempto per manus Gulielmi Walwoorthe tunc Maioris Ciuitatis Londoniarum & corruente ad pedes equi Regis, faſtus vulgarium fuit ſubito imminutus.

Plebis inſurrectio.

Cæterum quis nebulonum debacchationes, in alijs locis explicare poſſet ad plenum. Certe nullum poſſe referre puto plenarie malitias & nequitias, homicidia & ſacrilegia, crudelitates & ſcelera quæ geſſerunt. Quæ quia tractatum expetunt ſpecialem, præſenti compendio non impono, remittens ad noſtra maiora chronica videre cupientes tragœdiam ruſticorum.

Anno 1382. & Regis Richardi 5. peractis diebus natalitijs rex duxit vxorem ſororem Regis Bohemiæ Annam nomine. Quæ etiam per manus Cantuarienſis Archiepiſcopi magiſtri Gulielmi de Courtnay, qui nuper de Epiſcopatu Londonienſi tranſlatus fuerat ad Archiepiſcopatum Cantuar. cum magna gloria coronatur.

Rex ducit vxorem.

In parliamento tento London. editum eſt ſtatutum contra inſurrectores, viz. quod non expectato breui reg. fideles regni vbicunque viderent ruſticos, vel quoſcunque communes actitare ſuſpecta conciliabula, per ſenos pariter aut ſeptenos, eos caperent, & in cuſtodia detinerent. Conceſſæ ſunt Regi per mercatores in hoc parliamento lanarum conſuetudines, quas vulgus vocat, Le maltot, per quadriennium.

In hoc etiam parliamento Richardus Scroupe miles fit regni cancellarius, & Hugo de Segraue miles, regni Theſaurarius eſt effectus.

Circa feſtum S. Iohan. ante portam Latinam in parliamento facto London. Ioh. Wraw preſbyter & author inſurgentium apud Myldenhale & Bury trahitur, & ſuſpenditur, communibus id petentibus magna voce.

Duodecimo Kalend. Iunij hora nona factus eſt terræmotus magnus in Anglia, quem ſequutus eſt mox & alius terræmotus 9. Kalendas eiuſdem ſummo mane.

Hoc in tempore Rex iuuenis iuuenum conſilijs acquieſcens, priuauit capitoſe dominum Rich. Scroupe officio Cancellarij, præficiens loco ſuo magiſtrum Rob. Braybroke Epiſc. Londonienſem.

In Parliamento facto Londonijs circa feſtum Sancti Michaelis conceſſa fuit Regi per clerum vna decima & à laicis quintadecima, conditionaliter tamen ex parte cleri, vt viz. rex manus apponat defenſioni Eccleſiæ & præſtet auxilium ad compreſſionem hæreticorum Wickleuenſium, qui iam ſua praua doctrina pene infecerant totum regnum.

Hoc anno ordinauit Vrbanus Papa, vt vigilia natiuitatis S. Mariæ, pro vigilia de cætero in omnibus habeatur, & in eadem ieiunetur.

Anno 1383. menſe Martio in Parliamento facto London. dominus Henr. le Spencer Epiſcopus Norwicenſis, crucesignatur contra Schiſmaticos & Flandrenſes, accepta inaudita poteſtate à Papa Vrbano 6. diſpenſandi in caſibus curiæ reſeruatis. Qui circa medium menſis Maij profectus in Flandriam cum magna turba cruceſignatorum, mox per inſultum cepit villam de Granenngge & per deditionem villas de Dunkirke, de Newport, de Burburgh, & de Poperingge. Octauo Kalend. Iulij cum 5000. cruceſignatorum, vicit 30000. ſchiſmaticorum iuxta villam de Dunkirke, occiſis 7000. Flandrentium, Gallorũ & Britonum venientium contra eum, ſeptem de cruceſignatis tantummodo interemptis.

Epiſcopus armis Flandriam inuadit.

Dehinc obſedit villam de Ypres aſſiſtentibus ſibi Gandanenſibus, ſed nil profecit fruſtrato propoſito proditione ſuorum.

Rex Francus per idem tempus congregat 100000. hominum ſtatuens cruce ſignatos perſequi, obſedit quoſdam in villa de Burburgh ſ. dominum Beumund, Tho. Triuet, Gul. Elinham, & Guliel. Faringdone milites, qui deſeruerunt Epiſcopum parum ante volentem ingredi regnum Franciæ & cum rege Franco dimicare. Cumque Rex Francus cum Gallis & Britonibus plures inutiliter dediſſet inſultus ad villam præfatam, & ſemper recepiſſet ſuos vel mutilatos vel mortuos, tractare cœpit cum eis vt villam redderent, & ipſi cum equis, & armis, & cunctis ſeruientibus, ac bonis omnibus quæ de villa aſportare placeret indempnes exirent, & libere pergerent quocunque vellent ſub conductu Regis Francij, ita duntaxat vt verſus Angliam properarent. Quibus conditionibus conſentientes noſtrates per omnia ſic fecerunt. Conſequenter Rex Francus componit cum Epiſcopo, qui villam tenebat de Granennig, vna cum D. Hug. Caluerlee vt deſerat villam illam. *Reuertitur fruſtrato propoſito.* Epiſcopus vero cum vidiſſet, nec Regem Angliæ, nec quenquam alium repromiſſum ferre ſubſidium, iuxta pactum inter eum & Regem Francum initum, recedendo funditus illam euertit, & in Angliam eſt reuerſus.

Circa tempus illud hoſtes armauerunt 5. vaſa bellica, quæ balingariæ appellantur, ad impediendum noſtratum tranſitum verſus Epiſcopum Norwicenſem in Flandriam, & manus militaris quæ mittenda fuit in Aequitaniam ſub Duce Britrigaldo de la Bret. Quibus obuiauerunt homines de Porteſmutha, & Dortſmutha, & conflictu habito peremerunt omnes Gallicos, qui in dictis fuere bargijs præter nouem viros. *Caſtellum de Werck capitur à Scotis.* Scoti per hoc tempus ceperunt caſtellum de Werck ſuper Twedam fluuium & deprædatum ignibus ſuccenderunt. Quamobrem miſſus eſt regalis exercitus ad illas partes, qui humiliaret ſuperbiam eorundem.

Eodem anno Vrbanus Papa cernens Romanorum fidem dubiam, fugit Neapolim ad natale ſolum. Nauigium Anglicanum per idem tempus reduxit octo naues maximas, quas ceperat iure belli, in quibus fuiſſe dicuntur mille & quingenta dolia boni vini.

Circa feſtum omnium Sanctorum in parliamento facto London. conceſſa fuit Regi per clerum medietas vnius decimæ, & per laicos medietas quintædecimæ pro guerra fouenda contra Scotos & Piratas. Et Rex cepit in manu ſua temporalia Norwicen. Epiſcopi, eo quod non obediuit ſuis literis reuocantibus eum, cum paratus omnino fuiſſet quaſi cum ſuis omnibus ad transfretandum.

Milites vero qui cum eo fuerunt in Flandria, quia inobedientes fuerant, prout dictum eſt, Epiſcopo, capti ſunt & carceribus mancipati. Sed manu capti ſunt per amicos fuluo metallo prægrandi, vt fama fuit.

Anno 1384. poſt feſtum natalis domini Dux Lancaſtriæ transfretauit in Franciam, & exinde treugas reportauit, ab hoc inſtanti feſto natalis vſque ad feſtum Sancti Iohannis Baptiſtæ continue duraturas. Inſtante quadrageſimali tempore dominus Iohan. Dux Lancaſtriæ cum domino Thoma Comite Buckinghamiæ fratre ſuo & turba velut innumerabili bellatorum profectus eſt in Scotiam. Sed Scoti ſe prudenter ſubtraxere, donec magna pars noſtratum hyemali frigore & inedia deperiſſet. Reuerſi ſunt ergo dicti domini fruſtrato propoſito poſt interitum hominum & equorum.

Dux arguitur læſa maieſtate.

Poſt quindena Paſchæ in parliamento Saliſbury quidam frater Carmelita accuſauit Ducem Lancaſtriæ de imaginatione mortis Regis. Qui poſitus eſt in cuſtodia domini Iohan. Holland vſque ad diem, quo de dictis ſuis fidem facere debuiſſet. Sed nocte diem illum præcedente turpiſſima morte mulctatus eſt multis ſupplicijs & crudelibus interfectus.

Dominus Gul. la Zouche per prædictum fratrem delatus eſt tanquam huius accuſationis adinuentor. Qui diſtinctus & diſcooperto capite compulſus eſt ad hæc publice reſpondere. Negauit igitur obiecta viriliter, ſacramento firmans ſe nunquam vel audiſſe talia vel cogitaſſe. Dimiſſus eſt igitur, factus non ſolum illius ordinis ſed cunctorum ordinum fratribus inimicus.

In hoc parliamento clerus conceſſit Regi medietatem vnius decimæ & laici medietatem quintædecimæ.

Sanguis fluit de ligno miraculoſe.

Viceſimo die menſis Auguſti, id eſt, in feſto paſſionis Sancti Oſwini Regis & martyris, dum apud nouum caſtrum ſuper Tynam quidam nauta lignum dolaret ad opus ſuæ nauiculæ, repente vidit de dicto ligno vbertim ſanguinem emanare, recordatuſque dicti feſti continuit manus ab opere. Sed eius ſocius paruipendens miraculum, accedit, & lignum ferit, ebullitque ſanguis illico quacunque parte percutitur velut cum pecus ferro tranſ-

tranſfigitur. Res defertur in cœtum clericorum, qui omnes cum laicis miraculum approbant. Lignum defertur Tynemutham, vbi prędicti ſancti corpus quieſcit in teſtimonium miraculi præmonſtrati.

Per idem tempus Scoti ceperunt caſtrum de Berwico commiſſum cuſtodiæ domini Henrici Percy Comitis Northumbrorum. Qui in parliamento tunc tento damnatus eſt publice pro amiſſione dicti caſtri, quanquam ad idem parliamentum vocatus per breue regium, remanſiſſe ad tutelam ſuæ patriæ maluiſſet. Comes vero cito poſt Regis indulgentia eſt honori priſtino reſtitutus, & omnibus bonis ſuis. Qui mox huius facti infamiam repellere cupiens, obſedit dictum caſtellum, & illud de Scotorum manibus pactione 2000. marcarum illis ſoluendarum extorſit. *Scoti capiunt castrum de Warwick.*

Anno 1385. in feſto paſſionis S. Thomæ Cantuar. Archiep. organum diabolicum, hoſtis eccleſiæ, vulgi confuſio, hæreticorum idolum, hypocritarum ſimulachrum, ſchiſmatis inſtaurator, mendacij promptuarium, adulationis ſentina Ioh. Wycliff, percuſſus Dei iudicio horribili tactus eſt paralyſi in corpore ſuo toto, protelauit inuiſam vitam vſque ad diem S. Silueſtri. Quo die malitioſum efflauit ſpiritum ad ſedes luce carentes, & quidem ſatis iuſte die S. Thomæ percuſſus eſt, quem multotiens lingua blaſphemauerat venenata, & die S. Silueſtri temporali morte damnatus eſt, quem crebris inuectionibus exaſperauerat in dictis ſuis. *Ioh. Wickliff moritur.*

Eodem anno dominus Edw. Bourſer factus eſt capitaneus Gandauenſium ipſis petentibus à Rege Angliæ Ducem aliquem Anglicanum. Qui ſecum traxit illuc armatam manum ex Anglia fortem valde.

Sub hoc tempore grauis diſſentio inter Regem & Ducem Lancaſtriæ, inſtinctu quorundam iuuenum, qui cum Rege nutriti fuerant, eſt exorta.

Dux vero præmonitus de præſtructa malitia contra eum, ſe ſubtraxit, & caſtellum ſuum de Pontefracto ſubijt, quod armis & victualibus affatim communiuit. Tandem laudabili interuentu dominæ Iohan. Principiſſæ matris Regis, pro tunc diſcordia eſt ſopita.

Hoc anno terræmotus factus eſt ante medium noctis inuentionis S. Crucis. Et coniunctio Planetarum Iouis & Saturni fuit menſe Maio, quam mox commotio regnorum maxima eſt ſequuta.

Gallici Duce quodam milite Iohanne de Vienna, venerunt in Scotiam, vt ſimul iuncti Scotis regnum Angliæ facilius infeſtarent.

Eo tempore Rex Francus apud le Sclus contraxit exercitum velut innumerabilem ad ingrediendum Angliam, dum noſtri in Scotia bello contra Scotos & Gallicos tenerentur.

Rex Angliæ per idem tempus cum 300000. hominum, & equorum totidem, Scotiam eſt ingreſſus, ſed hoſtibus non facientibus pugnæ copiam, nec apparere volentibus reuerſus eſt concremata patria, & illo nobili monaſterio Mayroſenſi flammis dato.

In progreſſu verſus Scotiam dominus Ioh. Holland frater Regis occidit nequiter filium Comitis Staffordiæ & hæredem, non procul ab Eboraco, ob quam cauſam perdidit idem Ioh. terras ſuas. Ipſe tamen mortem metuens Beuerlacenſe cepit aſylum. Mater vero Regis & eiuſdem Ioha. dum preces in caſſum multiplicat pro Iohanne contriſtata decumbit & poſt quatuor aut quinque dies ſeculo valefacit. Quintodecimo Kalend. Auguſti fuit alius terræmotus circa vigiliam ſecundam noctis. *Hæres Comitis Staffordiæ interimitur.*

Rex Francus cum iam paratus fuiſſet ad inuadendum regnum Angliæ, Gandauenſes in Flandria ceperunt villam de la Dam, in qua repererunt prædam maximam & victualia, ſed præcipue vini copiam, ſcilicet mille dolia & octingenta. Quod audiens Rex Francus ſuſpenſo ſuo tranſitu in Angliam, cuncta quæ ſuæ profectioni præparauerat, contraxit ad obſidendum villam de la Dam. Qui villam ceperant cernentes ſe impares virtuti regiæ, nocte quadam relicta villæ cuſtodia ſenibus & mulieribus, confringentes dolia, & vaſtantes victualia latenter receſſerunt, & ſalui Gandauum peruenerunt. Tandem Rex Francus mane villam intrat, quam vt inuenit vacuam, doluit ſe fore deluſum.

Eo tempore Rex Portingaliæ adiutorio Anglicorum vicit Hiſpanos, & miſit Regi Angliæ ſex galeas, vt eſſent illi ſolatio contra hoſtes.

Circa feſtum exaltationis S. Crucis, dum claſſis Regis Franci reuerteretur è Flandria, diſperſa fuit tempeſtate grauiſſima, & partim alliſa, partim confracta, pars vero magna Caleſiam, & in terras Regis Angliæ eſt appulſa. Sicque contigit, vt caperentur de *Claſſis Gallica tempeſtate diſperſa.*

nau-

nautis ſtipendiarijs per Caleſienſes ducenti & viginti ſex, præter naufragos quingentos & amplius ex Gallicis & Normannis, qui demerſis ratibus in manus Caleſienſium deuenerunt.

Rex Portugaliæ expirat.

Eodem tempore Rex Portugaliæ intoxicatus hauſtu lethifero, dolo reginæ vitam finiuit. Et frater eius magiſter hoſpitalis miles egregius leuatur in Regem licet inuitus, & multa cum Anglorum adiutorio contra Hiſpanos proſpera bella gerit.

Circa feſtum S. Martini in parliamento Londonijs, clerus conceſſit Regi decimam, & quintamdecimam populus laicalis.

Creatio Ducum.

In hoc parliamento Robertus de Veer infauſta hora Comes Oxonij, creatus eſt Marchio Dubliniæ in Hybernia, & Tho. de Woodſtock creatus eſt Dux Glouerniæ, & frater eius Edmundus Comes Cantebrigiæ, factus eſt Dux Eboraci. Michael Attepol vir plus aptus commercijs, quam geſtis Martijs, pro tunc regni Cancellarius, factus eſt Comes Southfolciæ, conceſſis ſibi pro tanto nomine de burſa regia annuis mille marcis.

In hoc Parliamento Rex reſtituit ſua temporalia Epiſcopo Norwicenſi.

Rex Armeniæ pacis mediator.

Anno 1386. Rex Armeniæ venit in Angliam tractaturus de pace inter regna Franciæ & Angliæ, ſed ſine commodo vtriuſque. Nihilominus ſibimet ceſſit proſpere, quia præter mille libras quibus honoratus fuit à Rege in naui aurea, literas patentes accepit à Rege, de mille libris annuatim ſibi perſoluendis. Fuerat nempe vt aſſeruit expulſus regno ſuo per Tartaros, qua occaſione à Regibus Chriſtianis extorſit plura donaria, vt fœlicior foret illi fuga ſua in aliena patria, quam pacificum dominium in propria. Gandauenſes leues & varij non expectato ſuffragio, quod Rex Angliæ non ſine magnis ſumptibus illis præparauerat, Regi Franciæ manus dederunt, manifeſte monſtrantes ſe neſcire vni amico vel domino fidem diu reſeruare.

Sub hijs diebus audientes Hiſpani quod Iohan. Dux Lancaſtriæ proponeret regnum Caſtellæ vendicare, & ad hoc negotium neceſſaria præparaſſet, miſſis legatis Regi Franco ſuum deprecantur auxilium. Qui mox miſit armatos illuc, ex Gallicis & Britonibus ad numerum ſexcentorum. Qui illuc quidem peruenientes fœliciter, ſed infœliciter ſe gerentes, dum nimis confidunt in virtute propria, prædas inſolenter agentes & incendia in regno Portingaliæ, obuios habent Anglos inopinato cum Portingalenſibus. Cum quibus congredientes, diſſipati, proſtrati, capti ſunt vel occiſi. Quo facto luctus & deſperatio creuit Hiſpanis, ira & indignatio Gallis & Britonibus, qui poſthæc domi infortunia cognouerunt.

Dux Lancaſtriæ regnum Hiſpaniæ vendicat.

Eodem anno D. Iohannes Dux Lancaſtriæ circa feſtum Paſchæ profectus eſt cum exercitu in Hiſpaniam, quæ ſibi iure ſuæ coniugis dominæ Conſtantiæ, ſenioris filiæ & hęredis domini Petronis nuper Regis Caſtillæ & Legionis debebatur. Cuius profectioni quia Hiſpani fuere ſchiſmatici, fauor Papalis acceſſit, indulgens peccatorum veniam ſecum proficiſcentibus, & eius profectioni quicquam conferentibus de bonis ſuis.

Igitur dum nauigat verſus Hiſpaniam, caſtellum de Breſt in Britannia obſidione Gallorum liberat non ſine ſuorum maximo detrimento, quia multos valentes amiſit ibidem. Deinde flante vento ſecundo appulſus eſt in portum Geromiæ, qui eſt primus introitus in Hiſpaniam ſalua claſſe ſua.

Hac æſtate rumores increbuere de propoſito Regis Franci volentis Caleſiam obſidere. Quapropter miſſus eſt ad loci tuitionem D. Henricus Percy iunior, electis bellatoribus, quem Scoti Ironice hotſput cognominauerunt, id eſt, calcar calidum ſiue feruens, propter eius animoſitatem. Qui mox vt peruenit Caleſiam ſuper Morinos & Pikardos fecit expeditiones, prædas egit, & actus exercuit laudabiliter militares. Sed cum nunciatum fuiſſet ei, Regem Francum nolle Caleſiam obſidere, ſed vel potius transferre bellum in Angliam, reuertitur feſtinanter gaudens ſibi occurrere quod volebat, bellum ſ. Gallicorum.

Londinēſium timiditas.

Londonienſes eo tempore Regis Franci metuentes aduentum, cuncta meticuloſe faciunt, ac ſi mox foret capienda ciuitas. Currunt ad muros Haueli, contiguas domos dilacerant, deponunt, deſtruunt, diuortiaque requirunt, ſicque turbantur, ſic ſolicitantur, velut ſi ipſos hoſtes aſpicerent ante fores, dantes ignauiæ ſuæ manifeſtum omnibus experimentum.

Interea familiares Regis Angliæ ceperunt 5. naues magnas, & ſex tarritas refertas Ianuenſium multis bonis. Sed Ianuenſes peroptime ſcientes vbi ſibi ſuccurri deberet Michaelem Attepool adeunt regni cancellarium, qui & ipſe mercator erat, & mercatoris filius, & ob hoc multis notus inſtitoribus, & eius ſuffragia petierunt. Qui confeſtim iuſſit de

theſau-

theſauro Regi eorum damna reſarciri, hoſteſque ſæuiſſimos cum pace pecuniaque dimitti. Qui mox vt ſoluerunt naues à littore, curſum in Flandriam direxerunt. Quo cum peruenisſent quoſdam ex Anglicis peregrinis qui verſus Romanam curiam properabant interemerunt, licet eos in vaſa ſua pacifice admiſiſſent pacto naulo.

Sub eiſdem diebus noſtrates ceperunt duas magnas naues Regis Franci, in quibus & pars muri lignei quam idem Rex parari fecerat ad erigendum in Anglia, & magiſter totius fabricæ qui fuit Anglicus natione interceptus eſt, cum machinis ad petras iaciendas & gunnis & multo puluere pro eiſdem.

Erecta eſt proinde illa pars muri lignei apud Sandwich, & factum eſt vt quem contra nos erexiſſe hoſtes parauerant, nos ereximus contra hoſtes.

Preparatio ad reſiſtendum Francis.

Circa feſtum S. Michaelis conuenerunt armati & architenentes de toto regno ad parliamentum tenendum London. vt parati forent ad reſiſtendum Regi Francorum, qui dicebatur venturus cum 15. Ducibus, 26. Comitibus, ac ducentis proceribus, & bellatoribus innumeris, necnon & mille nauibus ad regnum Angliæ deſtruendum. Sed obſiſtente vento, imo fruſtrante conatus eius Deo, totus ille apparatus confuſus, turbatus, & caſſatus fuit. Nempe per totum tempus quod fluxit inter Kalend. Auguſti & vigiliam omnium ſanctorum, aura nunquam flauit illis accommoda.

In ipſa vero vigilia ſurgente vento prout putabatur opportuno, diſſoluere rates, & cœperunt vſque Angliam nauigare. Sed mox illis maris alta tenentibus facti ſunt obuij venti contrarij, qui naues omnes compulerunt retrocedere, & eas tanta violentia impulerunt, & alliſerunt, vt plures ex illis in introitu portus de Scluſa confringerentur. Hac occaſione & Anglia metu liberata eſt, & Rex Francus regreſſus ad ſua.

Rob. de Veer creatur Dux Hyberniæ.

In hoc parliamento D. Rob. de Veer olim Comes Oxoniæ, ſed in vltimo parliamento Marchio factus Dubliniæ, Regis munere creatur Dux Hyberniæ, ſubmurmurantibus cæteris regni nobilibus, & indigne ferentibus tantæ promotionis appetitum in Veero dudum tam mediocri, quem non plus alijs commendabant virtutum dotes.

Cancellarius regni Michael Attepool per milites parliamentales conuictus eſt de quibuſdam proditionis articulis tam contra Regem quam regnum perpetratis. Ob quas cauſas licet Regi multum diſpliceret, ab officio Cancellarij deijcitur, & dignus morte iudicio parliamenti decernitur.

Rex tamen non multo poſt eius amoris intinctu annullauit quicquid in parliamento ſtatutum fuerat contra ipſum. Ipſe vero Michael ſuos accuſatores meditatus eſt inuitatos ad cœnam Londini clam vna cum Duce Glouerniæ trucidaſſe. Cui facinori non ſolum fautor fuerat Nicolaus Brambre vt dicebatur, ſed author maximus miles mercenarius, & qui fuerat anno tranſacto Maior Londoniarum. Sed laudabili conſtantia Nicholai Exton Maioris anni præſentis, qui libere fatebatur ſe non conſenſurum tanto ſceleri, facinus eſt omiſſum. Et palam factum eſt verbum iſtud omnibus habitantibus in regione vicina.

In fine parliamenti clerus conceſſit Regi mediam partem vnius decimæ, & mediam partem quintædecimæ populus laicalis, conditionaliter tamen, vt procerum iudicio dicta pecunia pro regni commodo expenderetur. Quam pecuniam recepit Comes Arundeliæ profecturus ad mare.

Duci Hyberniæ prouiſum fuit ad Regis inſtantiam, vt hæredes Caroli de Bloys qui quondam vendicauit Ducatum Britanniæ, pro 30000. marcarum venderentur Gallicis, vt hac ſuffultus pecunia dominium quod Rex ſibi donauerat in Hybernia poſſet conquirere, adiecta conditione, vt eltra Paſcha proximum in Hyberniam transfretaret.

Finito parliamento & proceribus regreſſis ad propria, Rex reuocauit Michaelem Attepool iam dudum damnatum per proceres, & ſecum detinuit cum Duce Hyberniæ, & Archiepiſcopo Ebor. domino Alexandro Neuile. Qui Regis animum pro poſſe concitauerunt contra proceres, & præcipue dominos Tho. Ducem Glouerniæ, & R. Comitem Arundeliæ, & vt acta parliamenti ante omnia annullaret. Hic primo ſuccreuit odium Regi contra proceres, & ex tunc nunquam eos vt fertur coluit niſi ficte. Nihilominus deiecto Michaele Attepool de officio Cancellarij, ſubrogatus eſt dominus Tho. Arundel Epiſcopus Elienſis. Depoſitus eſt inſuper dominus Iohan. Fordam Epiſcopus Dunelmenſis de officio Theſaurarij, & frater Ioh. Gilbert de ordine prædicatorum fit Theſaurarius, qui tunc fuit Epiſc. Herefordenſis.

Anno 1387. Circa principium menſis Martij Rich. Comes Arundeliæ, & Thomas Comes Notinghamiæ profecti ſunt ad mare, vt Oceanum Britannicum cuſtodirent ab incurſibus hoſtium. Et factum eſt vt in vigilia annunciationis dominicæ committerent

Bellum nauale.

rent bellum cum magna claſſe Franciæ, Flandriæ, Normanniæ & Hiſpaniæ. Ceſſitque noſtriš victoria, captis centum nauibus vel eo amplius, in quibus continebantur vini 19000. doliorum, quæ dinerſis regni deſtinata prouincijs inæſtimabiliter incolis profuerunt.

Comites hijs ita geſtis, caſtellum de Breſt in Britan. adierunt, vbi duas munitiones ligneas erectas & refertas bellatoribus prælectis è Francia & Britannia cum difficultate magna ceperunt. Quarum alteram incenderunt, alteram impoſitis caſtellanis de Breſt munierunt, quia illis neceſſaria videbatur. Et ſic hoſtes in eodem loco ſub temporis parui ſpatio, geminata damna ſenſere, primo per Dncem Lancaſtriæ petentem Hiſpanias, ſecundo per Comites memoratos, qui ibidem compoſitis bene tebus in Angliam proſpere ſunt reuerſi.

Robertus de Veer Dux Hyberniæ, Michael Attepool Comes Sonthfolciæ, Simon de Burle, & Richardus Stury deprauantes apud Regem acta Comitnm, dixerunt eos nihil dignum laude geſſiſſe, quippe qni non niſi mercatores diſpoliauerunt, quorum fructuoſius multo fuiſſet amorem ſeruaſſe patriæ, quam odium inexorabile concitaſſe. Sed hij nimirum milites potius erant Veneris quam Bellonæ, plus potentes in thalamo qnam in campo, plus valentes lingua quam lancea, vtpote, qui ad dicendum vigiles, ad agendnm acta Martia ſomnolenti. Hij circa Regem conuerſantes nihil quod deceret tantum Principem informare curabant, non dicimus tantum armorum vſum, ſed nec ea quidem, quæ maxime decent Heroes, viz. venationem, aucupationem aut hijs ſimilia, quibus in pace regius honor creſcit.

Priuilegia à Papa conceſſa.

Eo tempore quidam frater de ordine Carmelitarum dictus Gualterus Diſſe, nnper confeſſor Ducis Lancaſtriæ accepit à Papa plnra priuilegia illis impertienda præcipue, qui Duci profecto in Hiſpanias quicquam de bonis ſuis conferrent. Inter qnæ poteſtatem accepit creandi capellanos Papæ. Er inter cæteros qui ſatis care comparauerunt hanc libertatem, quidam fratet de ſecta Auguſtinenſium comparauit eam. Qui exinde ſnmens cornna, Lollardis adhæſit, hortatu quorum plura prædicauit enormia contra fratres ſuos. Milites capuciati qui defendebant vbique pro viribus Wielefenſes, hnnc in ſuis prædicationibus animauerunt, extulcrunt, & indicibiliter laudauerunt. Qui ideo capnciati vocabantut quia nulli, nec ad ſacramentum altaris quidem caputia deponebant. Horum præcipui fuere Guliel. Nenile, Lodowicus Clifford, Ioh. Clanbow, Rich. Stury, Gul. Latimer, & veſaniot omnium Iohannes de monte acuto, qui tantam incurrit amentiam vt imagines, quas apud prædium ſuum de Schenelee habebat in capella ſua, deponi faceret & abſcondi. Fuerunt & alij multi milites de fide male ſentientes, ſed infamia maiori famoſior Laurentius de Sancto Martino, de Comitatu Sarum, qni in vigilia Paſchę corpus dominicum in ore acceptum euomuit, & manu tenens illud ad propriam domum detulit, ſacerdote ſequente & obſecrante ne tantam ininriam faceret ſacramento, ſed illud teſtitueret, vel more tractaret & ſumeret Chriſtiano. Sed ille exclnſo preſbytero, adhibitis oſtreis, diniſit hoſtiam, cuius partem cum oſtreis, partem cum cepis, partem cum vino deglutiuit, aſſerens quem libet panem domus ſuæ tanti fore valoris, quanti fuit ille, qnem ſic cum oſtreis abſumpſiſſet.

Bigamia Ducis ſatis impia.

Robertus de Veer Dux Hyberniæ repudiauit vxorem nobilem, genitam de illuſtris Regis Edwardi filia Iſabella, & cepit aliam quæ cum regina venerat de Bohemia, vt fertur cuiuſdam ſellatij filiam ſat ignobilem, nomine Lancecronam. Ipſe autem Rex faucbat ſibi in omnibus, nolens eum in aliquo contriſtati. Proceres tamen indignabantut, & præcipue Dux Glouerniæ, mulieris auunculns, qui quandoque ſtatuit vlciſci neptis iniurias, quod Dncem Hybetniæ non latebat. Quamobrem & ſibi cauit prout potuit, & Ducem Glouetniæ petimere cogitauit.

Iam Paſcha tranſietat, iam tempus omne prætererat, quo Dux Hyberniæ illuc transfretaſſet inxta condictum, & adhuc in Anglia moram traxit. Sed ne propter hanc cauſam tumnltus fieret inter proceres, Rex ipſe, velut deducturus eum ad nauem, cum eo in Walliam eſt profectns. Non tamen dimiſſurus eum, ſed detenturus ibidem, vt illic ſemoti prout fertur quietius delibcrate poſſent, qualiter proceres eorum votis obuiantes, dolo tenerent & occiderent. Inſtigabant ad hæc Regem iugiter Mich. Attepool, Rob. Treſilian Iuſtitiarius, Alexander Neuile Ebor. Atchiepiſcopus, & plures alij, qui ſuæ pelli timentes, non minus quam Dux Hyberniæ in necem procerum conſpirabant. Igitur emenſo in Wallia longi tempotis ſpatio, Rex velut profectio Ducis in Hyberniam data fuiſſet obliuioni cunctis in Anglia, redit cum Duce & ſuis traditoribus ad caſtellum de Notingham, tractaturus ibi finaliter de morte procerum prædictorum. Illuc igitur venite fecit

cit multos de Londonienſibus, quos nouit contingentes ad vtrumlibet, & regni Vicecomites & Iuſtitiarios vninerſos. Londonienſes accerſiuit, quia plures eorũ nuper de proditione in Regem conuicti, ſed tamen eius gratiam conſequuti, vt ipſi gratiam Regi pro gratia gratis rependerent, & dominns indictarent de criminibus, quæ contra eos dicti proditnres imaginati fuerant, dum cum Rege egerant in temntis: Vicecomites conuenire fecit, vt ſciret quantam potentiam manus bellicæ contrahere poſſent contra proceres, & vt ipſi nullum militem de pago vel Schyra eligi ad parliamentum permitterent, niſi quem Rex & eius cnnſilinm delegiſſet. Sed ad hæc Vicecomites reſponderunt, quod communes fauebant dominis, nec eſſe in poteſtate illnrum ad hanc cauſam exercitum contrahendi. Et de militibus ad parliamentum eligendis dixerunt, cnmmunes velle tenere conſuetudines vſitatas, quæ vnlunt vt à communibus milites eligantur. Iuſtitiarij ſunt vocati, vt ipſi decernerent, indictamenta fnre legalia, & eiſdem apponerent ſigilla ſua. Quod & tnnc completum eſt Rnberto Treſilian Iuſtitiario, & Iohanne Blake iuris apprenticio facinus introducentibus prælocutum.

Rex cogit ſinaſtum in proceres.

25. die menſis Augnſti, conuenientibus apud caſtellum de Nntyngham Rob. Treſilian capitali Inſtitiarin: & Robertn Belknap capitali Inſtitiarin de communi banco, & Inh. de Hnlt, Rogern de Stilthorp, Gul. de Bnrgh militibus, Inſtitiarijs & ſocijs Roberti Belknap ſupradicti, requiſiuit ab eis Rex in fide & ligeantia, vt ad iſtas quæſtiones fideliter reſponderent.

Primn, an illa nnua, ſtatutum & ntdinatin atque commiſſio, facta & edita in parliamento vltimo, derogant regali prærogatinæ dicti Regis? Dederat nempe Rex Duci Glonetniæ, & Comiti Arundeliæ, & quibuſdam alijs commiſſinnem licet inuitus, ad inquirendum, audiendnm & iudicandum de quntundam defectibus, & præcipue Michael. Attepool. Ad quam reſpondetunt quod derngant, eo quod fuerant contra volnntatem Regis.

Ficta accuſationes contra proceres.

Secundo, illi qui ſtatutum, &c. fieri procutarunt, qualiter ſunt puniendi? Reſponderunt quod pœna capitali, niſi Rex eis voluerit indulgere.

Tertio, qualiter ſunt puniendi, qui Regem excitauernnt ad conſentiendum præmiſſis? Reſpondernnt, quod niſi Rex eis gratiam fecerit ſunt pœna capitali merito pnniendi.

Quartn, qualem pœnam metentur, qui compulernnt Regem ad conſentiendnm confectioni dictorum ſtatuti, &c. Reſponderunt, quod ſnnt vt proditnres merito puniendi. Qninto, qnomodo ſunt illi etiam puniendi, qui impediuetunt Regem, quo minns poterat exercere, quæ ad regaliam ſuam pertinuerunt, remittendn pœnas, ſiue debita quæuis? Reſponderunt, quod ſunt vt proditores merito puniendi. Sexto quæſitum fuit, an poſtquam parliamentn congregato, negotia regni, & cauſa congregatinnis parliamenti de mandato Regis expnſita & declatata, & communes articuli limitati per Regem, ſuper qnibus dnmini & communes in eodem patliamento procedere debeant, ſi dnmini & communes ſuper alijs articulis velint omninn procedere, & nullatenus ſuper articulis limitatis per Regem, donec ſuper articulis per eoſdem exptesſis fuerit per ipſum Regem primo reſponſum, non obſtante quod eis fuetat per Regem iniunctum in conttarium, nunquid Rex in ea parte debeat habere regimen parliamenti, & de facto regere effectum, quod ſuper limitatis articulis pet Regem primo debeant procedere, vel domini, & communes primo debeant habere reſponſum à Rege ſuper articulis per eoſdem expreſſis, antequam vlterius prnecedatur? Reſponderunr, quod ſi quis huiuſmodi tegimen Regis impediri fecerit, tanqnam proditor eſt puniendus. Septimo, nunquid Rex quandocunque ſibi placuerit, poteſt diſſolnete parliamentum, & ſuis dominis & communibus præcipere, quod abinde recedant an non? Reſponderunt quod poteſt, & ſi quis ex tunc contra voluntatem Regis proeedat, vt in parliamento tanquam proditnr eſt puniendus. Octano, ex quo Rex poteſt quandocunque ſibi placuetit remouere quoſcunque Officiarios & Iuſtitiarios ſuos, & ipſos pro delictis iuſtitiare & punire, nunquid domini & commnnes poſſunt abſque voluntate Regis, Officiarios & Iuſtitiarins ipſos impetete ſuper delictis eorum in Parliamento an non? Reſpondetunt quod non poſſunt, & ſi quis contrarium feeerit, eſt vt proditor metito puniendus. Nono, qualiter ille eſt puniendus, qni in Parliamento monebat, qnod mitteretur pro ſtatnto, per quod Rex Edwardus Carnaruan erat abindicatus in Parliamento, per eiius ſtatuti inſpectinnem noua ſtatutum, ordinatio & commiſſio ſupradicta, fuerunt in parliamento concepta? Reſponderunt, quod tam ille qui ſic monebat, quam alius qui prætextu huins monitionis ſtatutum illud portauit ad parliamentum, ſunt vt proditores criminoſi merito puniendi.

Decimo, an iudicium illud in vltimo parliamento celebrato apud Weſtm. redditum contra Comitem Southfolciæ Mich. Attepool, fuit erroneum & reuocabile, an non? Reſponderunt vnanimiter, quod ſi illud iudicium fuiſſet modo reddendum, illi Iuſtitiarij modo reddere nollent, quia videtur eis quod iudicium illud reuocabile eſt tanquam erroneum in omni ſui parte.

In quorum omnium teſtimonium Iuſtitiarij prædicti & Iohannes Lekton ſeruiens domini Regis ad legem ſigilla ſua præſentibus apposuerunt, &c. Expeditis ad vota indictamentis in dictos proceres, & plures alios nobiles, Rex & Dux Hyberniæ miſſis nuntijs conduxerunt multos qui cum illis ſtarent, ſi oporteret, contra dominos in die belli. Interea rumor huius facti peruenit ad proceres, & eos magna repleuit mœſtitia, eo quod nullius culpæ conſcij, tanto Regis odio ſtringerentur. Vnde inprimis Regis patruus Dux Glouerniæ, vt Regis animum mitigaret, coram Epiſcopo Londonienſi & multis alijs regni nobilibus iuramentum tactis ſacroſanctis edidit, ſe nunquam aliquid in Regis læſionem machinatum fuiſſe, excepto quod Ducem Hyberniæ, quem Rex dilexit, lætis oculis non reſpexit, qui non ſolum ſuam, ſed Regis conſanguineam dehoneſtaſſet: Cum audiſſet iſta rex, & iam pacificatum ſe monſtraſſet, Michael Attepool timens ſi rex & dux concordarentur ſua affutura diſpendia, cœpit duci detrahere, & commouere regem ad priſtinam indignationem. Cui London. Epiſc. qui tunc ſe mediatorem exhibuerat inter regem & ducem, dixit: Sileas, ait, ô Michael, non enim decet te, qui damnatus es, os de cætero aperire. Eſt enim niſi indulgentia regia quod tu viuis. Ad hæc rex illico tantum offendebatur, vt Epiſc. iuberet abſcedere cum rancore, qui recedens retulit quæ audierat. Hic exreuit odium & indignatio ex vtraque parte, & dux comitibus Arundeliæ, Warwici & Derby, quorſum res tenderet palam facit conſilium, prædicit periculum, quod omnes in communi tangebat. Qui mox collectis exercitibus ſtatuerunt regem conuenire ſuper præmiſſis. Econtra rex agentibus proditoribus excogitat, qualiter dominos præfatos tolleret, antequam iunctis viribus conuenirent. Et primo miſit ad caſtellum de Reygate Comitem Northumbriæ, vt Comitem Arundeliæ arreſtaret, ſed ipſe cernens Comitem valde commotum & circa eum manum armatam validam, infecto negotio reuerſus eſt. Comes autem poſt eius regreſſum noctanter equitauit cum exercitu, donec peruenit ad ſyluam de Haringey, vbi reperit ducem Glouerniæ, comitem Warwici cum magna vi militiæ congregatos. Sed tandem intercurrentibus pacis mediatoribus, ad id deductum eſt negotium vt domini apud Weſtm. coram rege venirent expoſituri ſua grauamina, & iuſtum iudicium percepturi. Petierunt ergo, vt proditores ſuos & totius regni, quos rex ſecum detinebat, iugiter amoueret. Proditores appellabant, Rob. de Veer ducem Hyberniæ, Alexandrum Neuile Archiep. Ebor. Mich. Attepool comitem Southfolcię, Rob. Treſilian falſum Iuſtitiarium, & Nich. Brambre falſum militem Londonienſem. Ad firmandum hanc appellationem proiecerunt chirothecas ſuas, iurantes ſe eam duello probaturos ſi regi placeret. Rex autem reſpondit, hoc modo non debere fieri, ſed omnia differri ad parliamentum proximum, in quo fieret iuſtitia vtrique parti. Et recepit vtriuſque partis perſonas in protectionem ſuam, vt nulla pars interea noceret alteri, nec exercitum medio tempore congregaret. Recedentibus dominis cum hoc reſponſo, non eſt viſum eis iam tunc diſiungi, quod eis ex poſt magnæ ſapientiæ loco fuit. Nam de conniuentia regis interim dux Hyberniæ in partibus Ceſtriæ & Walliæ magnam turbam conflauerat, quod cognoſcentes domini eius motibus feſtinanter occurrunt, & de Ceſtrenſibus quoſdam perimunt, quoſdam captiuant, nonnullos deſpoliant armis & equis, & vacuos domum remittunt. Dux Hyberniæ cernens imminere ſibi periculum fuga ſibi conſuluit. Et dominorum æmuli his auditis fecere ſimiliter. Proceres proinde reuerſi properauere Londonias, vbi rex celebraturus fuit in turri dies natalitios. Quã & victualibus inſtaurauerat, ſi oporteret pro reſiſtentia facienda. Habebant autem proceres exercitum valde fortem 40000. bellatorũ.

Procerum exercitus.

Anno 1388. In craſtino natalis domini proceres conuenere Londonijs cum exercitu, & in campis vbi à turri videri poterant conſederunt. Rex autem hæc ſciens diſſimulabat quaſi multitudinem paruipendens, dixitque ſuis: Sinantur, inquit, hic iacere cum turba donec expenderint bona ſua, & tunc demum vacui reuertentur, & ego poſtea loquar iudicium cum eiſdem. Cum verbum iſtud fuiſſet nunciatum proceribus, iurauerunt, ſe non receſſuros, donec cum eo ore ad os colloquium obtinerent. Tandem poſt altercationes varias, in turri cum eo colloquium habuerunt, vbi coram eo de conſpiratione contra eos facta conqueſti ſunt. Cumque rex inficiari nequiret obiecta, præ confuſione lachrymatus eſt. Sicque confuſum proceres ea vice reliquerunt, condicentes vt veniret in craſtino ad Weſtm. auditurus plura, & de regni negotijs tractaturus. Quod ea vice conceſſit, ſed nocte ſequen-

ſequente inſtinctu ſuſurronum propoſitum mutare decreuit, quod proceres non latebat. Renunciari fecerunt ergo ſibi, vt pacta teneret veniens ad Weſtm. aut pro certo ſciret eos electuros alium ſibi Regem, qui vellet obtemperare conſilijs dominorum. Quo telo Rex percuſſus mane ad Weſtm. remigauit. Cumque tractare cœpiſſent proceres, inter cætera dixerunt Regi, quod pro honore ſuo, regnique commodo oporteret proditores, ſuſurrones, adulatores & maleficos, detractores, & inutiles de ſuo palatio eliminari. Cenſuerunt igitur arcendos à curia Alexandrum Archiep. Eborac. & alios plures tam ſpirituales quam temporales dominos, vna cum nonnullis clericis de capella ſua, militibuſque multis cum dominabus plurimis, quæ non tantum fuerunt inutiles, ſed infames. Arreſtati ſunt autem Simon Burlee, Gulielmus Elmesham, Iohannes Beauchampe de Holte Regis Seneſchallus, Iohannes Saliſbury, Thomas Triuet, Iacobus Berneres, Nicholaus Dagwoorth & Nicholaus Brambre milites, clerici vero Richardus Cliffordе, Iohannes Lincolne, Richardus Mitforde, & Nicholaus Clake, Decanus Capellæ Regis, cum quibus Iohannes Blake iuris apprenticius arreſtatus eſt, & omnes tam milites quam clerici diuerſis carceribus ſunt tranſmiſſi.

Poſt feſtum purificationis conuenit ad parliamentum Londonijs vniuerſa regni nobilitas, ad quod proceres cum exercitu conuenerunt. Captus eſt tum infauſto ſydere Rob. Treſilian quondam Iuſtitiarius, qui mox tractus ad furcas ſuſpenſus eſt iudicio dominorum, quibus Rex commiſſionem dederat malefactores puniendi. Conſequenter proceſſum eſt contra Nich. Brambre, qui conſimili damnationi ſubiacuit. Deinde Ioh. de Saliſbury, & Iacobus Berneres de proditione notati, tracti ſunt & ſuſpenſi. Poſt quos Iohan. Beauchamp de Holt Regis Seneſcallus de infidelitate conuictus, eiuſdem Parliamenti decreto, tractus eſt & ſuſpenſus. Suſpenſus eſt & Ioh. Blake iuris apprenticius, qui in conſilio apud Notingham contra dominos multa machinatus eſt. Nouiſſime decollatus eſt D. Simon Burlee homo intolerabiliter arrogans, oppreſſor pauperum, oſor eccleſiæ, mœchus & adulter, quia conſenſerat caſtellum Doueriæ cuius cuſtos erat Gallicis vendidiſſe, & quia peſſimus conſultor fuit ſemper Regi. Damnati ſunt præterea exilio dicti parliamenti decreto, Iuſtitiarij Rob. Belknap, Ioh. Holt, Rogerus Fulthorp, & Guliel. de Burgo. Hijs ita geſtis, Rex præſtitit iuramentum de ſtando & parendo regimini procerum. Et conſimile iuramentum exactum eſt à tota regni communitate.

Malefactores morte plectuntur.

Poſt feſtum Pentecoſtes Comes Arundeliæ Rich. factus Admiralius, ingreſſus mare octoginta naues hoſtium vel cepit, vel incendit, vel certe demerſit victis hoſtibus in eiſdem.

Inſulam de Baas deprædatam dat ignibus, inſulas inſuper de Vs, & de Ree de Lemuſtre & de Rochele, de Olum & de Olorum, à quibus leges marinæ nomen habent, inuadit, capit, & diſpoliat, de quibuſdam redemptiones accipiens quaſdam vero flamma deuaſtans. Gallos cum Britonibus qui reſiſtentiam parauerunt deuincens, conuertit in fugam. Peractoque cum fœlicitate negotio ad Angliam remeauit. Per idem tempus Gallici de pace faſtidioſi ingrediuntur hoſtiliter terras Ducis de Gelre, pro eo maxime, quod Anglis erat amicus. Qui mox occurrens illis proſtrauit magnam multitudinem eorundem, docuitque Gallos experimento præſenti, quam periculoſum ſit excitare canem dormientem.

Franci profligati.

Eodem anno Scoti quietis neſcij, agebant in Anglia cædes & rapinas, fixeruntque tentoria prope nouum caſtellum ſuper Tynam. Quibus occurrit D. Henricus Percy iunior cum fratre ſuo Radulpho. Contigitque Henricum in primo congreſſu perimere Guliel. Douglas Ducem Scotorum: ſed mox vertente faciem fallaci fortuna, idem Henricus cum fratre captus eſt à Comite de Dunbarre, multis ex Anglis interemptis. Scoti tamen etſi illis ceſſit victoria, damnum tamen acceperunt irrecuperabile de ſuorum valentiſſimorum ſtrage facta per Henricum. Qui nimirum poſt hanc pugnam humiliati fugerunt, non audentes aduentum aliorum procerum expectare. Et ſic vnius, id eſt, Henrici probitate licet captus eſſet, regnum Angliæ tam metu bellico quam Scotis extitit vacuatum.

Poſt feſtum natiuitatis beatæ Mariæ factum eſt Parliamentum Cantebrigiæ, in quo fuerunt edita plura ſtatuta, quæ in maioribus chronicis videri poſſunt.

Parliamentum Canteb.

In hoc Parliamento clerus conceſſit Regi decimam & laici quintamdecimam. Et D. Iohan. Holland frater Regis ex parte matris, creatus eſt Comes Huntingdoniæ, & D. Thomas Triuet equo lapſus mortem incurrit. Papa tranſtulit D. Tho. Arundel Epiſcopum Elienſem ad Archiepiſcopatum Ebor. Alexandro Neuile proditore tranſlato ad Epiſcopatum Sancti Andreæ in Scotia, Iohanne Fordeham de Dunelmenſi in Elienſem, Ma-

giſtro Gualteto Skitlow de Bathonienſi in Dunelmenſ. Magiſtro Radulpho Ergon de Saniſburienſi in Barhonienſem, & Iohan. Waltham clerico de priuato Sigillo prouidit de Epiſcopatu Sarum.

Anno 1389. Rex inopinate collectis optimatibus in domo conſilij, inquiſiuit quot annos ætatis habebat. Reſponſumque fuit quod viginti iam plene peregiſſet. Ergo inquit plenæ ſum ætatis ad gubernandum domum & familiam, necnon & regnum meum. Iniuſtum eſt vt mea conditio ſit deterior quam conditio minimi in regno meo. Cur mihi negatur quod cuilibet alteri gradus inferioris conceditur de conſuetudine & regni iure? Cumque Barones attoniti reſponderent, nihil iuris ſibi debere ſubtrahi, ita ait: Noſtis quod diu regulatus fuerim per tutores, nec mihi licuit ſine illorum arbitrio quicquam facere. Et ideo nunc illos ammoueo, & vt hæres ætatis legitimæ regni regimen apprehendo. Iuſſitque ſtatim Cancellario reſignare ſigillum, quod mox dominus Eboracenſis Regi dedit in manus. Qui poſt puſillum illud commiſit Epiſcopo Winton. Gul. Wickham. Deinde conſtituit nouos Officiarios, vtens in omnibus proprijs arbitrio & voluntate. Ducemque Glouerniæ & Comitem Warwici dimouit à conſilio, adhibitis alijs qui ſuis oculis placuerunt. Interea detractores tantum Regem dementauerunt, vt crederet Ducem Glouerniæ collegiſſe militiam contra eum. Tunc Rex repente accerſito Duce huius turbationis ignaro, ſcrutatus rei veritatem, comperit famam mendacem & erubuit. Aderant tunc præſentes qui mendacium iſtud finxerant, contra quos cum Dux loqui paraſſet, & eorum perfidiam voluiſſet publice declaraſſe, rogauit Rex ſub obteſtatione ſuæ dilectionis, ne procederet in materia ſupradicta. Acquieuit ergo Dux roganti, eo facilius, quo bene nouit iam Regi ſuam innocentiam declaratam.

Rex nouos eligit Officiarios.

Circa feſtum Sancti Iohannis Baptiſtæ firmatæ ſunt treugæ inter regna Angliæ & Franciæ triennales, ad quas ſeruandas (quod mirum eſt) Reges præſtitere perſonalia iuramenta.

Eo tempore Scoti combuſſerunt villam de Tynemutha. Poſt paucos autem dies Francis pro Scotis ſpondentibus, Scoti incluſi fuere in treugis captis inter Anglos & Francos, nulla reſtitutione facta pro damnis & iniurijs illatis noſtratibus per eoſdem.

Dominus Papa Vrbanus 6. conſiderans vires hominum & ætates imminutas, conſtituit annum gratiæ, id eſt, Iubileum fieri anno ſequenti, qui inciperet à natali inſequente, & ex poſt in æternum ſemper reuolutis triginta tribus annis cunctis chriſticolis nouaretur. Iudicans annos plenitudinis ætatis Chriſti miſticos idoneos ad renouandum ſeculis Iubileum.

Annus Iubileus.

Michael Attepool diem ſuptemum clauſit Pariſijs hac æſtate.

Lollardi ſequaces Ioh. Wickliff in tantam ſunt euecti temeritatem, vt eorum preſbyteri more Pontificum nouos crearent preſbyteros, aſſerentes, quemlibet ſacerdotem tantam habere poteſtatem conferendi ſacramenta eccleſiaſtica, quantam Papa. Hanc autem perfidiam in Sarum diœceſi practizarunt. Qui vero taliter ordinati ſunt, ſibi cuncta licere putantes, miſſas celebrare, & ſacramenta conferre minime timuerunt. Audierunt & cognouerunt hæc regni Pontifices, ſed abierunt alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam, ſolus Norwicenſis temporibus malis auſus eſt eſſe bonus.

Papa mors.

Hoc anno menſe Octob. Papa Vrbanus 6. valefecit ſeculo. Cui ſucceſſit Cardinalis Neapolitanus, qui Bonifacius 9 dictus eſt.

Menſe Nouemb. redijt in Angliam D. Iohan. Dux Lancaſtriæ, qui in tranſmarinis partibus moram traxerat triennalem. Qui in Hiſpania primo paſſus infortunia, poſtremo ad ſummam vſque fœlicitatem Deo miſerante peruenit. Nam ſuus aduerſarius Rex Caſtellæ, non viribus humanis territus, nullius niſi Dei ſolius timore coactus (quippe qui inter ſuos ſecurus habitans, & vidit noſtratum miſerias, atque cognouit penurias) obtulit ſe primo de forma pacis cum Duce tractaturum. Sicque factum eſt domino diſponente pro Duce miraculoſe negotium, vt affinitas inter eos ſucceſſoria firmaretur & Dux acciperet pro tunc in arram multa millia librarum à Rege Caſtillæ, & obſides pro ſoluendis annuatim ad vitam Duci & Duciſſæ 10000. librarum.

Comes Penbr. in torneamento.

Anno 1390. dum iuuenis Comes Penbrochiæ Ioh. de Haſtinggo exercet haſtiludia in domini Regis curia, percuſſus eſt inguine à quodam milite ſibi occurrente vocato Ioh. de S. Iohanne. Qua læſione obijt præmature penultimo die menſis Decembris.

Poſt feſtum ſancti Hilarij in parliamento tento Londonijs ſtatutum fuit, vt nullus transfretaret ad impetrandum prouiſiones à Papa, ſub pœna carceris. Item conceſſi fuere domino Regi 40. ſol. de quolibet ſacco lanæ, & de libra 6. denarij.

In hoc parliamēto dominus Ioh. Dux Lancaſtriæ factus eſt Dux Acquitaniæ, per vir-

gam

gam & pileum ſibi præbitas manu Regis. Et Edwardus filius Ducis Eboraci factus eſt Comes de Ruthland.

Eo tempore dominus Adam Cardinalis Anglicus qui dedecoroſe depoſitus fuerat per Vrbanum Papam reſtituitur ſuo gradui, per Bonifacium ſucceſſorem. Ferunt quod cum Vrbanus tyrannizare meditaretur, hunc maxime propter profunditatem ſenſus pertimuerit. Et ideo ne conatus ſui impedirentur per eum, hunc ſat iniuſte comprehendit, & torſit, & recluſit in carcere quam diu vixit. Quod factum in morte ſua fertur ſatis doluiſſe, publice pœnitendo & proteſtando, hunc reum nullius criminis extitiſſe. *Cardinalis reſtitutus.*

Huius Cardinalis petitione declaratum fuit per Papam Bonifacium, quod bullæ de indulgentijs plenarijs conceſſæ quibuſlibet in extremis, tantum valent obtinentibus, in ea confeſſione quæ mortem immediate præcedit. Qui licet multotiens propter diuerſa pericula confiteantur, ſi conualuerint, non tamen vſque ad extremum articulum ſortiuntur effectum. *Bullarum virtus.*

Hoc anno dominus Henricus Comes de Derby profectus in le Pruys in regno de Lettow bella gerit, ciuitatem dictam Willis, ad cuius caſtellum Rex de Lettow dictus Skyrgalle confugerat, primus occupauit vexillo ſuo ſuper muros erecto. In ea ciuitate perempta ſunt ad 4000. plebanorum vel ſaltem in captiuitatem ducta, fratre Regis de Poleyn ibi perempto, qui fuit grauis aduerſarius Chriſtianis. Mareſcallus Pruſiæ, & quidam Rex vocatus Wytot delectati probitate tanti iuuenis & animoſitate multum honoris impenderunt illi.

Anno 1391. Rex Franciæ miſſis in Angliam nuntijs, obtulit pacem Regi deſiderabilem diutiſſime concupitam. Et vt pax ſtabilior, conditio firmior, tractatus honoratior haberetur, petijt Regis noſtri colloquium perſonale, quod prope Kaleſiam fieri poſtulauit.

Rex autem Angliæ, quia ſublimis & honorabilis ibi apparere voluit, miſit per ſingulas regni Abbathias pro equis nobilibus, quales Regem decuit inſidere. Miſit etiam ad eadem loca pro magnis ſummis pecuniæ ſibi mutuo concedendis, ne pacis negotium per religioſos impediri videretur, ſi quod Rex ab eis petijt negaretur. Nec minus pepercit ciuitatibus & burgis regni, quin à ſingulis peteret in hoc negotium magnas ſummas.

Sub eiſdem diebus de conſenſu Regis & conſilij fuit proclamatio facta Londonijs, vt omnes beneficiati exiſtentes in Romana curia redirent in Angliam citra feſtum S. Nicholai, ſub pœna priuationis omnium beneficiorum ſuorum, & non dum beneficiati cederent per idem tempus. Anglici autem audito tanto tonitruo in remotis, metuentes ictum deſerta curia confugiunt ad natale ſolum. Ipſe vero Papa, tanto fragore turbatus, mittit feſtinanter nuntium, qui cauſas exploret harum rerum omnium, ſimul & ſtatuti Parliamentalis de prouiſoribus nuper editi, vt præfertur. Qui cum veniſſet, hortatus eſt Regem rogans & requirens ex parte Papæ, quod ſtatuta illa tolli & de capitularibus faciat aboleri & maxime ſtatuta Quare impedit, & Præmunire facias, & hijs ſimilia, & ſi ſtatuentes non tollant, &c. ſaluo honore eccleſiæ, & animarum ſalute non poteſt illa diſſimulare. Rex Angliæ vt filius obedientiæ, petitionibus Papæ parere decreuit, hijs præcipue quæ expediebant vel licebant. Iuſſitque papali nuntio, vt expectaret Parliamentum futurum, in quo de communi conſilio ſibi reſponſa darentur. *Papalis nuntius.*

Eo anno dominus Thomas Dux Glouerniæ dum in le Pruys vellet curſum dirigere cum armata manu, agitatus aduerſa fortuna, & procelloſis Neptuni turbinibus à propoſito impeditur. Nempe poſt Daciam, poſt Norwagiam, poſt Scoticam barbariem non ſine mortis metu tranſcurſam, tandem eiectus eſt in Northumbriam prouenitque Tynemuthan.

Circa feſtum omnium ſanctorum in Parliamento facto Londonijs tractatum fuit de papali negotio, quo ad ſtatutum nuper editum contra prouiſores. Et quamuis Rex & Dux Lancaſtriæ viderentur Papæ deferre, milites tamen parliamentales nullo modo conſentire voluerunt, vt liceret Romipetis impune ibi acquirere beneficia ſicut prius. Sed ne viderentur nullum honorem Papæ vel Regi detuliſſe, hoc tolerauerunt, vt per Regis gratiam liceret talibus impetrare beneficia vſque ad parliamentum futurum. Clerus conceſſit Regi dimidiam decimam, & laici quintamdecimam. Quam ſummam percepturus erat dux Lancaſtriç profecturus in Franciam, & cum Rege Franco perſonaliter de pacis negotio tractaturus. Item per clerum & laicos conceduntur Regi vna plena decima, & plena quintadecima ſub conditione, viz. quod ipſo anno ſuper Scotos hoſtiliter equitaret.

Eodem anno dominus Henricus Percy reuocatur à Caleſia & cuſtos Marchiæ Scotiæ conſtituitur. Et dominus Tho. Mounbray Comes de Notingham fit cuſtos Caleſiæ.

Anno 1392. in die natali Domini, Delphinus de mari veniens luſit Londonijs in Thamiſia, perueniens vſque ad pontem, præſagiens fortaſſe tempeſtates, quæ mox infra hebdomadam ſequebantur, vt certe perturbationem ciuium, quam cito poſtea per iram regiam incurrerunt.

Conſilium apud Stamford.

Hoc anno Dux Lancaſtriæ transfretauit cum Epiſcopo Dunelmenſi, habuitque Ambianis cum Rege Franco colloquium perſonale. Quem Rex ſuſceptum magnifice, vltra quam credi potuit, honorauit. Tandem finito tractatu, reportauit Dux vnius anni treugas, vt per idem tempus deliberaret regni communitas, vtrum expediret paci finali manus dare, potius quam negotia dubia belli tractare. Ob hanc cauſam conuenerunt ad conſilium apud Stamford omnes regni proceres, & de cunctis ciuitatibus & burgis nobiliores, ad audiendum & diſcernendum de tractatu Ducis habito Ambianis. Sed tamen nil profuit ea vice tanta collectio, præterquam quod ſuſceperunt treugas per vnius anni circulum duraturas. Ad quas ſeruandas vterque Rex corporale præſtitit iuramentum.

Ira Regis in Londonen.

Eo tempore cum Londonienſes Regi petenti mutuo 1000. libras procaciter petita negaſſent, Rex offenſus fecit citari Maiorem & Vicecomites cum Aldermannis ad conſilium Notinghamiæ & ditioribus ciuitatis. Et Maiorem quidem cum potentioribus arreſtatum, propter diuerſos defectus illis impoſitos, varijs cuſtodijs deſtinauit. Reuocauitque priuilegia, libertates eorum annihilauit, & leges quas condiderant abrogauit. Decreuitque de conſenſu conſilij, vt de cætero Londonienſes Maiorem non eligerent vel haberent, ſed Rex de ſuis militibus prouideret aliquem, qui rector eorum foret, & Gardianus Londoniæ vocaretur. Conſtituitque dominum Edw. Daluirigg Gardianum. Qui quia dicebatur nimis fauere ciuibus illico ſubmouetur, & D. Baldewinus de Radingtona conſtituitur lòco ſuo.

Londonien. Regi reconciliati.

Igitur cum Londonienſes humiliati fuiſſent in iniquitatibus ſuis, vidit dominus Rex tribulationem eorum, & propitius fuit peccatis eorum mediante Duce Glouerniæ, venitque Londonias ad conſolandum eos. A quibus tunc cum tanta glória, tanta pompa, tanta varietate diuerſorum apparatuum eſt ſuſceptus, quanta decuiſſet Cæſarem triumphantem, tantis donis honoratus eſt ab eis, quod eorum pretium nequiuit faciliter æſtimari. Sicque recuperare meruerunt libertates veteres, quæ ſaltem ciuitati poſſent eſſe fulcimento, non extraneis detrimento. Indultumque fuit eiſdem vt liceret eis Maiorem eligere ſicut prius.

Hoc anno Rex Franciæ maleficatus incurrit amentiam, & phreneticus eſt effectus, nec vnquam poſtea potuit vllis artibus plene reſtitui ſanitati.

Mors Rob. de Veere

Robertus de Veer quondam Dux Hyberniæ in Louania diem clauſit extremum in mentis angaria, rerumque penuria. Qui equidem iuuenis aptus fuerat ad cuncta probitatis officia, ſi non defuiſſet ei in pueritia diſciplina.

Anno 1393. in Parliamento facto Wintoniæ poſt natale conceſſa fuere Regi per clerum dimidia decima, & medietas quintædecimæ per communes, pro ſumptibus Ducum Lancaſtriæ & Glouerniæ, qui fuerunt profecturi in Franciam ad tractandum de pacis negotio inter regna.

Hoc anno Bancus regius & Cancellaria tranſlata ſunt de Londonijs Eboracum. Sed non longo tempore durauit hęc nouitas, quia qua facilitate tranſportabantur Eboracum, eadem lenitate Londonias reportabantur. Iſto quoque anno D. Aldredus de Veer, Comes Oxonij factus eſt.

Dominus Tho. Percy frater Comitis Northumbriæ factus eſt Seneſcallus Regis, & dominus Guliel. Scroope Subcamerarius Regis efficitur, vir quo de facili nemo poſſet nequior aut crudelior inueniri. Sub hoc tempore dictus Guliel. Scroope emit de domino Guliel. de monte acuto Comite Sarum Inſulam Euboniæ cum corona. Nempe dominus huius inſulæ Rex vocatur, cui etiam fas eſt corona aurea coronari.

Inſula de Man.

Hæc inſula vocatur in vulgari, Inſula de Man, quæ inter Angliam & Hyberniam ſituatur.

Duces Lancaſtriæ, & Glouerniæ transfretauerunt in Franciam, pro fine faciendo treugarum præloquutarum, vel pacis finalis inter regna. Sed tamen non dum finis, quia Rege Franco iterum infirmato non potuit finis eſſe.

Aquarum inundatio.

Dominus Henric. Percy iunior conſtitutus eſt cuſtos Burdegaliæ. Aquarum inundatio apud Bury tanta ruit, vt aream adimpleret eccleſiæ, & apud Nouum Forum parie-

tes do-

Digitized by Google

tes domotum dirueret, & viris illic ac mulieribus pene periculum dimerſionis inferret in Octobrio.

Iſto anno dominium villæ de Sherburgh reuolutum eſt ad priſtinum poſſeſſorem regem Nauarriæ, quod inuadiatum fuerat regi Angliæ certis annis, pro 22000. marc. de rege Angliæ mutuo ſuſceptarum.

Anno 1394. Morettus de Turkia vallauit obſidione ciuitatem Conſtantinopolitanam, ſed probitate ciuium eſt repulſus.

In oct. S. Hillarij factum fuit parliamentum London. in quo petitum fuit regi ſubſidium volenti in Hyberniam proficiſci. Cui Clerus conceſſit plenam decimam ſi transfretaret, ſi vero non laboraret, medietatem tantum decimæ conceſſit eidem.

Circa feſtum S. Iohan. Baptiſtæ venerunt à Francia dux Lancaſtriæ, reportans 4. annorum treugas. In quibus & Scoti comprehendi debebant, ſi vellent ſubiici regi Anglorum vt de iure ſolebant.

Agente duce in Galliis, obiit in Anglia coniux ſua domina Conſtantia domini Petri quondam regis Caſtillæ filia, mulier ſuper fœminas innocens & deuota. Obiit etiam Comitiſſa de Derby vxor domini Henrici comitis de Derby, filij ducis Lancaſtriæ ſupradicti. Anna quoque regina diem clauſit, quæ apud Weſtm. eſt ſepulta. Cuius exequię quanto celebriores fuerunt in expenſis, tanto notabiliores infamiis, quia rex ipſe polluit locum ſanguine comitis Arūdeliæ in principio officij funeralis. Cauſa iræ regiæ fuit, quia comes non interfuit proceſſioni & deportationi corporis reginæ ab eccleſia S. Pauli vſque Weſtm. deportati, & quia cum tardius aduenisſet, primus omnium petiit à rege licentiam recedendi propter certas cauſas quæ eum vrgebant. *Comes Arundel. interfectus.*

Eodem anno obiit domina Iſabella Duciſſa de Euerwike ſoror duciſſæ Lancaſtriæ mulier mollis & delicata, ſed in fine (prout fertur) ſatis pænitens & conuerſa.

Hæc humata eſt iuſſu regis apud Langlee prædium ſuum inter fratres.

Circa gulam Auguſti iuſſi ſunt omnes Hybernici per totum regnum euacuare citra feſtum natiuitatis S. Mariæ, præſtolaturi in Hybernia regis aduentum, ſub pœna capitali. Dicebatur quod in Angliam lucri gratia tanta multitudo Hybernicorum venerat, vt illa regio viris & mulieribus vacuaretur. Vnde contigit quod mere Hybernici, Anglicorum Hybernicorum æmuli, partem inſulæ quæ paruerat regi Angliæ vaſtauerunt nemine reſiſtente. *Hybern. relegati ad natale ſolum.*

Cui vero cum quondam rex Angliæ illuſtris Edw. 3. à conqueſtu illic poſuiſſet Bankum ſuum atq; iudices cum Scaccario, percepit inde ad regalem fiſcū annuatim 30000. librarum. Modo propter abſentiam perſonarum & hoſtium potentiam irrefrenatam, nihil inde venit, ſed rex per annos ſingulos de ſuo marſupio terræ defenſorib. ſoluit 30000. marc. ad ſui dedecus, & fiſci grauiſſimum detrimentum.

Circa feſtum natiuitatis beatæ Mariæ rex Angliæ transfretauit in Hyberniam, quem ſequebantur dux Glouerniæ, comites Marchiæ, Nottinghamiæ, & de Ruthland. Hybernienſes nimirum de tanto apparatu territi, palam non audentes occurrere, clandeſtinis irruptionibus frequenter regis exercitum fatigarunt. Coacti tamen ſunt ſe regi ſubmittere plures magnates, quos reges vocat plebs ruſtica regionis, quorum quoſdam rex ſecum detinuit, ne noua aliqua molirentur. Morabatur autem rex in Hybernia vſque ad Paſcha. Per id temporis acceſſerunt ad eum ab Anglia Archiepiſcopus Eborac. & Epiſcopus London. cum aliis nuntiis miſſis per clerum rogantes vt quantocius repatriare dignaretur ad ſuccurrendum fidei & eccleſiæ, quæ iam per Lollardos & eorum fautores incredibiliter affligebatur. Nam ad hoc vacabant ſolummodo vt imaginarentur qualiter totius Eccleſiæ poſſeſſiones tollerent, & quod peius fuit, cunctas canonicas deſtruerent ſanctiones. Hiis auditis rex impiger reuerſus eſt in Angliam, arbitrans magis neceſſarium fidei periclitanti ſuccurrere, quam circa regna temporaria acquirenda decertare. Sed hæc in ſequentibus diffuſius ſunt tractanda.

Anno 1395. Tenuit Rex natale in ciuitate Dubliniæ, & poſt natale fecit parliamentum ibidem, ad quod conuenerunt tam ligei ſui, quam illi qui dudum ſubmiſerant ſe eidem. Eo tempore poſt Octauas Epiphaniæ, vocante cuſtode regni Angliæ domino Edmundo regis patruo duce Eboraci factum eſt parliamentum Londoniis. Ad quod acceſſit dux Glouerniæ miſſus de Hybernia, qui coram cunctis expoſuit regis neceſſitatem, qui iam exhauſerat theſauri ſui in Hybernicos facultatem. Cuius legatio tantum valuit, vt clerus vnam decimam regi concederet, & quintam decimam plebs communis facta prius proteſtatione, quod ad hoc concedendum regi non tenebantur stricto iure, ſed ſui regis affectione. *Parliamentum Dubliniæ.*

Eo tempore Lollardi cum ſuis fautoribus in omnem malitiam efferati, fixerunt publice ſuper oſtia ſancti Pauli London. & Weſtmon. abhominabiles cleri accuſationes, & hactenus inauditas concluſiones, quibus nitebantur deſtruere perſonas omnes eccleſiaſticas & eccleſiæ ſacramenta, animati vt fertur fauore quorundam procerum & militum Aulicorum.

Inter quos campi ductores fuere Richardus Stury, Lodowicus de Clifford, Thomas Latimer, Iohannes de monte acuto, qui inſtigabant & confortabant hæreticos ad confundendum & delendum ſi poſſe daretur præcipue religioſos.

Rex igitur vt præfertur conceptis tantis malitiis Lollardorum feſtinanter venit in Angliam vt ſuo diſſiparet intuitu omne malum. Quo cum perueniſſet lætis auibus, quoſdam de proceribus obiurgauit acriter, comminans eis terribiliter, ſi de cætero Lollardis fauerent, vel eos aliqualiter confortarent. De Richardo vero Stury accepit iuramentum tacto libro Euangeliorum, quod de cætero opiniones huiuſmodi non teneret. Quo facto dixit rex: Et ego iuro tibi, ſi tu vnquã violaueris iuramentum morte peſſima morieris. Audientes cæteri tantum rugitum contraxere cornua & hactenus dilituerunt.

Eo anno ſenſit Anglia damna grauia per piratas reginæ Danemarchiæ, qui nautas & mercenarios deprædabatur, præcipue tamen eos qui erant de Northfolchia. Qui tandem auſi ſunt collecta multitudine congredi cum eiſdem. Sed hoſtibus præualentibus, multi noſtratum ſunt perempti, plurimi ad redemptionem grauiſſimam ſunt ſeruati, direpta pecunia, quam ad nundinandum comportauerant, ad ſummam viginti millium librarum.

Oppreſſio Eccleſiaſticorum.

Eodem anno dominus Wilhelmus Cantuar. Archiepiſcopus non conſiderata depreſſione eccleſiaſtica qua iugiter premebatur ſingulis annis per tallagia regia, plus proſpiciens ſuo priuato commodo, quam communitatis incommodo, impetrauit ab Apoſtolico, vt leuare poſſet per totam ſuam prouinciam quatuor denarios de libra, omnium bonorum eccleſiaſticorum tam exemptorum, quam non exemptorum, nulla prætenſa legitima neque vera cauſa.

Multi metuentes ſupercilium executorum præſentis negotij Sancti Archiepiſcopi Eborum, & Epiſcopi Londonienſis ſoluere conſenſerunt, alij autem ad ſedem apoſtolicam appellauerunt, ſed tantis motibus finem impoſuit ſummus pontifex dominus Ieſus Chriſtus, conſulens honori, famæ, corpori & ſpiritui tanti viri, dum eum celeri fato ſubtraxit.

Hoc anno obiit Ioh. Waltham Epiſcopus Sarum, regni theſaurarius. Qui tãtum regi complacuerat vt rege iubente apud Weſtm. inter reges habuerit ſepulturam. Huic ſucceſſit in officio Theſaurarij, D. Rogerus Walden, in epiſcopatu vero D. Ioh. de Mitford epiſc. Ciceſtrenſis, ad cuius epiſcopatum Dublinenſis Archiep. eſt tranſlatus. Quia maior Præſulatus in ſeculari ſubſtantia minor erat.

Obiit etiam Exonienſis epiſcopus, cui ſucceſſit regis inſtantia magiſter Edmundus de Stafford portitor priuati Sigilli, obiit quoque D. Heur. de Wakefeld epiſc. Wigorn. Cui ſucceſſit ad preces regis quidam monachus Ciſtercienſis regis Phyſicus dictus Tydeman, caſſata magiſtri Ioh. Grene electione legitima.

Menſe Nouembrio Rex Angliæ apportato de Louania corpore dilecti ſui Roberti de Veer, fecit illud apud prioratum de Coolne in Eſtſexia ſolemniter tumulari, exhibens ſuam præſentiam officio funerali. Multitudo Præſulum & prælatorum contemplatione regis affuit hiis exequiis: ſed perpauci de proceribus, quia nondum digeſtum fuerat apud eos odium inueteratum.

Dux Lancaſt. reuocatur de Aquitania.

Anno 1396. Iohannes dux Lancaſtriæ cui rex donauerat ducatum Acquitaniæ, cum iam incredibilem ſummam theſauri in illis partibus expendiſſet, pro adipiſcenda patriotarum beneuolentia, conſequutuſque fuiſſet propoſitum, ſubito per mandatum regium reuocatur. Qui nihilominus reuocanti paruit, & in Angliam rediit, & acceſſit Langleyam vbi rex natale domini celebrauit. Suſceptuſque eſt à rege debito cum honore, ſed vt quidam aſſerunt, non amore. Licentiatus proinde à rege, curiaque receſſit, & properauit Lincolniam vbi Katherina de Swinford eo tempore morabatur. Quam poſt Oct. Epiphaniæ deſponſauit, cunctis admirantibus facti miraculum, & maxime ipſo rege.

Hoc tempore papa ſcripſit regi Angliæ orans vt aſſiſteret prælatis eccleſiæ in cauſa dei, & ipſius regis, & regni contra Lollardos, quos declarauit non ſolum proditores eccleſiæ, ſed ipſius regis. Rogauitque obnixius vt quos prælati declaraſſent hæreticos condemnaret.

Eo tempore iuxta pacta inter reges Angliæ & Franciæ prius firmata, conuenerunt

dicti reges ad locum vltra Caleſiam eorum colloquio deſignatum, vbi amborum regum tentoria magnifice fixa ſuere. Qui ante tractatum pro pacis ſecuritate, corporale præſtiterunt coram omnibus iuramentum. Et quidem iuramentum regis Franciæ tale fuit.

Iuſiurandum regis Franciæ.

Nos Carolus rex Franciæ iuramus in verbo regali ſuper Euangelia pro nobis & omnibus nobis ſubiectis, amicis & affinitate nobis iunctis, & beneuolentibus, quod non faciemus, nec patiemur fieri per nos, nec per ſupra nominatos, damnum, impetitionem moleſtiam, arreſtationem, nec diſturbationem vllo modo per tempus noſtræ conuentionis, nec per 8. dies ante conuentionem, & 7. dies ſequentes noſtro dilecto filio regi Angliæ, nec alicui de ſuis ſubiectis, amicis, affinibus, nec beneuolis, ante dictum tempus. Et ſi caſu aliquo inſolentia vel litigium per aliquem de noſtris ſupradictis, quod abſit, emerſerit, nos promittimus in verbo regali, & per ſecuritatem prædictam, quod faciemus hoc debite emendari, & ſine dilatione reformari.

Et iuramus vlterius ſuper ſecuritate prædicta, quod ſi aliquis vel aliqui de qualicunque ſtatu vel conditione extiterint, voluerit, vel voluerint contraire dictæ noſtræ ſecuritati, nos erimus in auxilium noſtri prædicti filij pro noſtro poſſe ad reſiſtendum malitiæ malefactorum prædictorum, & conſeruandum dictum noſtrum filium & ſuos, per modum quem nos & noſtri ſcimus. Et ad tenendum omnia, & perſequendum ſine fraude, vel malo ingenio, & ad hoc iuramus & promittimus ſicut ſupra.

Die 26. menſis Octob. rex Angliæ equitauit de Caleſia verſus caſtellum de Gynes, & cum eo dux de Berry qui miſſus fuerat ad recipiendum ſacramentum regis noſtri.

Regum colloquium.

In craſtino obuiauerunt reges, ducentibus regem Angliæ dominis Franciæ 4. ducibus de Berry, & Burgundiæ, Aurelianenſi, & Burboniæ, Comite Sancer, Vicecomite de Meleyn, Epiſcopo de Vilames, dominoq; de Buſſy. E contra de parte noſtrati miſſi ſunt ad conducendum regem Franciæ ad ſuam papilionem duo duces, ſcilicet Lancaſtriæ, & Glouerniæ, 4. Comes ſcilicet de Derby, & de Ruthland, Notinghamiæ, & Northanhumbriæ. Habueruntq; colloquium duo reges, in quo aſſenſu mutuo fuerat ordinatum, vt cōſtrueretur in eodem loco vna capella ſumptibus amborum in æternam memoriam, quæ capella dominæ noſtræ de pace vocaretur.

Die Sabbati in feſto apoſtolorum Simonis & Iudæ reges colloquuti ſunt de certis articulis tractatus ſui, iurauerunt que ſuper Euangelia de pactis ſeruandis. Et tunc rex Angliæ rogauit regem Franciæ vt pranderet cum eo die Lunæ ſequente. Die Lunæ venit rex Franciæ ad tentorium regis Angliæ. Et eadem hora, regina fuit adducta ad tētoria regis noſtri, quam rex Franciæ donauit regi noſtro. Qui tenens manum puellæ, oſculatus eſt eam, multum regratiando patri ſuo de dono tam honorabili & gratioſo, aſſerens ſe eam ſub conditionibus accipere factis inter eos. Commendata eſt proinde regina duciſſis Lancaſtriæ & Glouerniæ & comitiſſis Huntingdoniæ, & Staffordiæ, aliiſque dominabus quæ conduxerunt eam Caleſiam in apparatu maximo hominum & equorum. Habuit nempe ſecum 12. currus plenos dominabus & domicellis.

Hiis ita geſtis reges acceſſerunt ad prandium in tentorio regis Anglorum. Conſeditque rex Franciæ in dextera parte Aulæ, cui ſeruitum fuit more patriæ ſuæ regaliter, id eſt, de omnibus cibariis primi curſus ſimul in magna paropſide, & de ſecundo curſu eodē modo Regi vero noſtro, modo patriæ ſeruiebatur, id eſt, Anglico. Poſt prandium reges oſculati pariter aſcenderunt equos, duxitq; rex Angliæ in viam ſuam, & tandem iunctis manibus ſuper equos ab inuicem diſceſſerunt. Rex Franciæ equitauit ad Arde, & rex verſus Caleſiam ſe conuertit, vbi filiam regis Franciæ duxit vxorem puſiolam ſeptennem vel octennem. Fuerat autem iſte regum apparatus grandis & ſumptuoſus in donariis & expenſis. Nam præter dona quæ rex Angliæ dedit regi Franciæ, aliiſque proceribus illius regni, quæ ſuperauerunt ſummam 10000. marcarum, rex expendit vt aiunt 30000. marcarum & amplius ea vice. Rediit autem cito poſtea ſaluus in Angliam, & vxor ſua, ſed aduerſa tempeſtate tentoria ſua perdidit, & magnam partem ſuppellectilis domus ſuæ.

Archiep. Cant. mors.

Hoc anno valefecit ſeculi vanitatibus Magiſter Guliel. de Cortiniaco Archiepiſcop. Cantuarienſ. Cui ſucceſſit poſtulatione capituli D. Thom. frater comitis Arundeliæ regni Cancellarius. Qui mox Cancellarij renunciauit officio, & illius ſolicitudinem Magiſtro Edmundo Stafford epiſcopo Exonienſi aſſenſu regio commendauit. Succeſſitque prædicto Thom. in Archiep. Eborac. quidam frater, prouiſione papali contra vota totius cleri Eboracenſis.

Eodem anno deceſſit totius monaſticæ religionis ſpeculum, curruſq; & auriga eius,

D. Tho.

D. Thom. Abbas Monaſterij Sancti Albani, cui ſucceſſit per electionem D. Iohan. Moot Prior eiuſdem loci. Qui iuxta noua priuilegia à curia impetrata, vt viz. eo ipſo quo rite foret electus, eſſet & confirmatus, primus omnium eo priuilegio vſus eſt. Suſcepitque munus benedictionis ab Archiepiſcopo Cantuarienſi domino Thoma de Arundell, non quia ſic oportuit, ſed quia per manus eius benedici prælegit. Qui benedixit eum in manerio ſuo de Saltewoode inhibens omnibus miniſtris domus ſuæ, ne vlla feoda ſuſciperent ab eodem.

Anno 1397. In parliamento celebrato London. D. Iohan. dux Lancaſtriæ legitimari fecit prolem quam ſuſceperat de Katherina de Swinford.

Et in eodem parliamento Thom. Beufort filius ducis eiuſdem Katherinæ creatus eſt Comes Somerſet. Cognominauit autem dux prolem illam de bello forti, id eſt, de Beu fort. Rex contra iuramentum quod præſtiterat reuocauit de Hybernia Iuſticiarios, quos olim de conſenſu ſuo regni proceres propter defectus eorum notabiles conſtituerant exulare.

Eo tempore increbuere rumores, licet inanes, quod rex Anglię fuiſſet electus in Imperatorem, vnde rex elatus vt fertur, ab eo tempore cæpit altius ſapere quam ſolebat: vulgus exinanire, grandes ſummas pecuniæ mutuari, in tantum vt nullus prælatus, nulla ciuitas, nullus ciuis notatus locuplex in toto regno ſe potuit occultare, quin de ſua pecunia mutuum regi daret.

Hoc anno cum iam ſibi regnum Angliæ ſumma videretur pace gauiſurum propter regales nuptias & opes accumulatas per eaſdem, & treugas annorum 30. firmatas, & præſentiam tot nobilium procerum, quot & quales nulla externa regio poterat exhibere, repente regis aſtutia cuncta turbantur. Dum inopinate capit auunculum ſuum ducem Glouerniæ vi & armis nihil tale verentem apud Pleſchi in Eſtſexia, & Caleſiam deduci facit carceri mancipandum. Comitem vero Warwici ipſo die quo eum inuitauerat ad prandendum ſecum, fecit arreſtari, & protinus incarcerari, quamuis ei peroptimum vultum monſtraſſet eodem die, & inſuper ſibi futurum bonum dominum promiſiſſet.

Dux Glouerniæ in carcerem coniectus.

Comitem præterea Arundeliæ deceptum blandis perſuaſionibus, qui ſatis potens erat & ſe ſaluaſſe vt dicitur, & ſuos amicos liberaſſe, ſcilicet ducem Glouerniæ & Warwici comitem, ſe reddentem pacifice miſit ad Wectam Inſulam pari modo in carcere detinendum vſq; ad parliamentum, quo definierat eos omnes morte plectendos. Et ne fieret cõmunis vulgi commotio pro captione dictorum procerũ, quam maxime verebatur, proclamari fecit per regnum quod iſta dominorum captio non erat facta pro quibuſlibet antiquis tranſgreſſionibus, ſed pro nouis commiſſis contra regem, quę propalarentur in parliamento futuro, ſed hæc proclamatio ficta fuit, prout rei exitus comprobauit.

Rex vero neſcitur quid metuens, per idem tempus vetuit ne pontifices aliiue prælati facerent proceſſiones ſiue deuotiones pro cauſa prę miſſa, vel procerum ereptione, detentorum. Paulo poſt apud Notingham fecit indictari dictos dominos de proditione. Subornauitq; appellantes, qui eos appellarent in parliamẽto futuro, Edw. comitẽ Ruthlandiæ, Tho. Mounbray comitem Mareſchallum, Tho. Holland comitem Cantij, Ioh. Holland comitem Huntingdoniæ, Tho. Beufort comitem de Somerſet, ioh. Mountague comitem Sarum, Tho. dominum de Spencer, & Guliel. le Scroupe regis Camberlanum. Quibus ſic geſtis, fecit rex proclamari per totum regnum quod domini arreſtati proditores erant & pro proditione detenti. Interea rex ſibi metuens, conuocauit ad tutelam ſui ſopotis multos malefactores de comitatu Ceſtriæ, qui noctium vigilias dierumque ſeruarent, & diuiderent circa illum.

Proclamatio in proceres.

Circa oct. Natiuitatis ſanctæ Mariæ factum eſt Parliamentum Lond. ad quod venerunt omnes regni proceres armati cum ſuis retinentiis, ducti nimirum metu regis. Prolocutores præſentis parliamenti milites extitere, in quibus nec virtus aliqua, nec fides vlla poſſet inueniri. Sed innata cupiditas, ambitio inexplebilis, faſtus intollerabilis, odium veritatis. Tæderet eorum commemorare vocabula, niſi quia Pilatum & Herodem & ſacrilegos ſacerdotes nomine notatos in Agiographia ſciremus. Fuerunt ergo iſtorum nomina, Ioh. Buſſy, Gul. Bagot, & Thom. Grene. Hij importunis clamoribus petierunt vt chartæ perdonationum in primis annullarentur. De quibus requiſiti prælati de facili iudicarunt, chartas tales fore reuocabiles, non attendentes quod huiuſmodi gratiæ reuocatio perſonæ regiæ maxime repugnabat, cum miſericordia ſit ſolij regalis confirmatio, & qui tollit à rege miſericordiam, tollit regalis ſolij firmamentum.

Conſequenter domini temporales videntes imperfectum cleri poſt ipſum abierunt magis metu regis moniti, quam mentis ratione. Iuſticiarij, legiſque periti, cenſuerunt

iſtud

iſtud nullatenus faciendum aſſerentes inter ſe cunctos fore regis proditores, qui ad hoc eum quomodolibet inſtigarent. Nihilominus exactum fuit à Prælatis vt conſtituerent laicum procuratorem pro eiſdem, vt quia illi non poterant intereſſe iudicio ſanguinis, procurator eorum ſi neceſſe foret huiuſmodi negotio conſentiret. Altera autem die cum Archiepiſcopus Cantuarienſis de regis mandato (quem credebat ſibi amiciſſimum) ſe abſentaſſet de Parliamento (qui etiam ſibi iurauerat quod nihil attemptaretur in eius præiudicium abſente ipſo) contra omnem iuſtitiam, adiudicatus fuit exilio, cum adiecto, quod non remaneret in regno vltra ſex hebdomadas ab illo die proxime computandas. Quo taliter condemnato miſit rex clam ad Romanam curiam pro tranſlatione eiuſdem, effecitque vt Rogerus de Walden regni pro tunc Theſaurarius pro eo Archiepiſcopus ordinaretur. Qui quia præſumpſit aſcendere cubile viuentis patris ſui, poſt triennium deiectus eſt authoritate Papæ præfari.

Die vero S. Matthæi, Richardus Comes Arundeliæ triſtem mortis accepit ſententiam, deducentibus eum cum turba Ceſtrenſium ad mortis metam comitibus Mareſcallo & de Cantio, & I. comite Huntingdon fratre regis. Intuens Comes Arundeliæ Comitem Mareſcallum & comitem Cantij ſuos affines & neceſſarios, (nam alter gener eius erat, alter nepos ex filia) perurgere negotium decollationis ſuæ, vere inquit, decuiſſet vos præcipue abſentes fuiſſe, & ab iſto negotio ſubtraxiſſe. Sed tempus adueniet, quando tot mirabuntur de veſtris infortuniis, quot de meis caſibus nunc mirantur. Sicque flexo poplite vultu conſtantiſſimo decapitari ſuſtinuit, nec plus expalluit, quam ſi fuiſſet ad epulas inuitatus. Cuius corpus cum capite inter fratres Auguſtinenſes Londoniis eſt humatum.

Comes Arundelia capite plectitur.

Poſt cuius mortem, rex diris imaginibus in ſomnis eſt turbatus. Videbatur nempe vmbra comitis mox vt dormire cæpiſſet ante ſuos oculos volitare, minarique ſibi, & eum indicibiliter deterrere, quaſi diceret hoc quod Naſo:

Nunc quoque factorum venio memor vmbra tuorum,
Inſequor & vultus oſſea forma tuos.

Quibus rex pauefactus imaginibus, cum meticuloſus medios ſomnos interrumperet, maledixit diei in quo nouiſſet comitem memoratum. Auxit quoque ſibi mentis inſaniam quod audiuit commune vulgus Comitem reputare pro martyre, peregrinationeſq; fieri circa corpus eius. Quapropter iuſſit vt fratres ſigna deponerent fixa vel erecta circa cadauer eius, & locum ſepulturæ ſub pauimento altius occultarent.

Poſt mortem comitis Arundeliæ productus fuit Comes Warwici ad aſtandum iudicio parliamenti. Qui mortis metu ductus, ſimul & pollicitationibus blandis ſeductus, ſe reum fatebatur criminis læſæ maieſtatis. Data eſt ergo mortis ſententia contra eum, quam mox temperauit regis gratia, condonans ſibi veniam atque vitam, ſed tamen miſſus eſt in exilium ad inſulam Euboniæ, vbi ſub cuſtodia carcerali reſiduum tranſigeret vitæ ſuæ. Interea quia non videbatur tutum regi vt dux Glouerniæ reſponſis aſtaret publice propter fauorem populi qui ſibi nimis afficiebatur, iuſſit Comiti Mareſchallo vt eum latenter occideret. Qui miſſis iniquitatis miniſtris, ſuffocari fecit eum ſuperiectis culcitris & lectis pluma refertis ſuper os eius. Sicque mortuus eſt ille vir optimus regis filius, & regis patruus, in quo repoſita fuere ſpes & ſolatium totius regni communitatis. Ex poſt Rex fecit aſtute iſtud parliamentum differri vſque poſt feſtum natalis domini, quod reinciperetur vel potius continuaretur apud Salopiam in confiniis Walliarum.

Comes Warvvici exilio afficitur.

Dux Glouernia ſuffocatur.

Anno 1398. in parliamento continuato Salopiæ procurauit Rex ſubtiliter, fecitque concedi de conſenſu omnium regni ſtatuũ vt poteſtas parliamenti remaneret penes certas perſonas 7. vel 8. quib. liceret determinare diſſoluto parliamẽto, certas petitiones in eodem parliamento porrectas, pro tunc minime expeditas. Cuius conceſſionis colore, perſonæ ſic deputatæ proceſſerunt ex poſt ad alia generaliter parliamentum illud tangentia, & hoc de voluntate regis in derogationem ſtatus parliamenti & incommodum totius regni, & pernicioſum exemplum.

Rex autem vt ſuper hoc facto videretur habere colorem & authoritatem fecit rotulos parliamenti mutari & deleri contra effectum conceſſionis prædictæ.

Hiis ita perpetratis rex aſſumpſit ſibi nomen principatus Ceſtriæ, & comitẽ de Derby creauit ducem Herefordiæ, comitem Mareſcallum ducem Northfolciæ, comitem de Ruthland ducem Albemarle, comitem Cantiæ ducem Surrey, comitem Huntingdoniæ ducem Exceſtriæ, comitiſſam de Northfolke duciſſam Norfolciæ, comitem de Somerſet Marchionem ibidem, D. de Spenſer, comitem Glocceſtriæ, D. de Neuile comitem Weſt-

mer-

merlandiæ, D. Gul. le Scroupe comitem de Wilſhire, D. Tho. Percy Seneſchallum regis comitem Wigorniæ.

Proinde rex mutauit arma ſua, addiditque ſcuto ſuo arma S. Edwardi regis & conſeſſoris.

Eo tempore rex contulit nouis creatis ſuis ducibus & comitibus magnam partem terrarum ducis Glouerniæ, comitis Arundeliæ, & comitis de Warwico.

D. de Cobhā exilio mulctatur.

In hoc parliamento continuato apud Salopiam D. de Cobham vir grandænus, ſimplex & rectus, ob nullam cauſam aliam eſt damnatus, niſi quia fuerat vnus ex deputatis regi pro ſuis conſilio & tutela, per dominos 11. anno ſuo, & parliamentum tentum eodem anno annullatur. Rex tamen conceſſa ſeni, quam non optauit venia, ſiue vita, miſit eum ad inſulam de Gerneſeya in exilium.

Vt autem robur perpetuæ firmitatis obtinerent ordinationes & iudicia facta & lata in præmiſſo parliamento, impetrauit Rex literas apoſtolicas in quibus graues cenſuræ intentabantur contra quoſcunque dictis ſtatutis quomodolibet contrauenientes. Quas promulgari fecit Londoniis ad crucem S. Pauli & aliis celeberrimis regni locis.

Circa præſens tempus appellauit dux Hereford ducem Northfolciæ de quibuſdam verbis per eum dictis, quæ in regis dedecus redundabant. Ob quam cauſam indictum fuit eis duellum apud Couentre. Tandem cum intraſſent liſtas ibidem tam animoſe quam magnifice, rex in manu ſua cauſam ſuſcepit, & fecit proclamari quod dux Herefordiæ debitum ſuum honorifice adimpleſſet. Sed tamen velut immediate poſtea, rex ſine cauſa quacunque legitima dictum ducem Herefordiæ relegauit ad decennium, contra iuſtitiā & iura militaria & conſuetudines huius regni, ducem vero Northfolciæ perpetuo damnauit exilio. Acta feruntur hæc eo die ad annum, quo idem dux Norfolciæ ducem Glouerniæ fecerat ſuffocari.

Dux Northfolc. patria pellitur.

Hoc anno papa Iohan. Lincolnienſem epiſcopum tranſtulit ad epiſcopatum Ceſtriæ tunc vacantem, & dedit epiſcopatum Lincolniæ H. Beufort vni de filiis D. Iohann. ducis Lancaſtriæ & dominæ K de Swinford ob ducis reuerentiam & amorem. Epiſcopus vero Lincolniæ veteranus noluit hanc admittere tranſlationem, ſed ea ſpreta contulit ſe Cantuariam & in eccleſia Chriſti inter Monachos finem vitæ fecit. Confeſſor regis quidam frater de ordine prædicatorum de Epiſcopatu Landaffenſi traſlatus eſt ad epiſcop. Ceſtrenſem.

Rex eo tempore conuocato clero iuſſit vt determinaret ſi liceret papæ tales facere tranſlationes pro ſuæ arbitrio voluntatis. Ad quod reſponſum fuit non directe, ſed modo ſupplicationis porrectæ regi ex parte Cleri, vt dignaretur papæ ſcribere, vt à talibus tranſlationibus temperaret pro commodo totius eccleſiæ Anglicanæ. Rex vero cum audiſſet hoc reſponſum, velut offenſus tantæ licentiæ papæ, iurauit quod ſi clerus conſtanter reſtitiſſet papæ in præſenti negotio ipſe manus appoſuiſſet in auxilium eorundem.

Eo tempore venit in Angliam domini papæ nuntius Petrus de Boſco Aquenſis epiſcopus, ad commouendū regē, vt permitteret ligeos ſuos prouiſiones acquirere de manu Papæ, & reuocaret ſtatutum æditum contra prouiſores, & illud breue, Quare impedit, multaque ſimilia. Sed quod minus obtinuit de ſuo negotio, Rex accumulauit ſuo marſupio, donans ei iocalia de magno pretio.

Ann. 1399. per totum regnum Angliæ lauri veteres aruerunt, & ex poſt contra multorum opinionem reuiruerunt.

Portentum de aqua diuiſa.

In die Circumciſionis domini, prope Bedfordiam, aqua profundiſſima quæ decurrit inter villas de Snedliſtorie & Harleſwood repente reſtitit, & ſe diuiſit, ſic quod per tria milliaria alueus ſiccus permanſit præbens quibuſlibet ingreſſum ſiccū. Quod prodigium viſum eſt pluribus ſignificare populi diuiſionem & à rege defectionem, quæ contigit eo anno.

Eo tempore Rogerus Comes Marchiæ dum nimis confidit in virtute propria, ab Hibernicis peremptus eſt in Hibernia: cuius mortem Rex ſtatuit vindicare perſonaliter, Hibernicoſque domare. Fecitque præparationem maximam, extorquens pecunias, exigens equos & quadrigas, victualia pro profectione ſua rapiens, nilque ſoluens: vnde ſuis ligeis factus eſt odibilis & inuiſus.

Per idem tempus venit in Angliam Epiſcopus Calcidonenſis cum literis Apoſtolicis commonitoriis, vt regni fideles de bonis ſuis conferrent Imperatori Conſtantinopolitano, qui nimis infeſtabatur per Tartaros & eorum Ducem vocatum Moretrum. Vt autem promiores efficerentur Regnicolæ ad offerendum huic negotio, conceſſit Papa be-

by Google

pa beneſactoribus vere contritis & confeſſis, plenam remiſſionem, attendens quod ſi ipſe ab Incredulis opprimeretur, imminebat toti Chriſtianitati ruina: recolens illud in mente Poeticum:

Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet.

Circa feſtum Purificationis obiit Dominus Ioh. Dux Lancaſtriæ, cuius corpus in Eccleſia Sancti Pauli Londoniis eſt humatum. Poſt cuius deceſſum Rex Dominum H. filium eius quem relegauerat ad decennium, exulare decreuit in perpetuum, reuocans ſuas patentes literas generales quas ſibi prius conceſſerat: quod durante relegationis tempore, generales Attornati ſui poſſent proſequi pro liberatione ſibi facienda de quibuſcunque hæreditatibus ſiue ſucceſſionibus ipſum ex tunc contingentibus, & quod homagium ſuum reſpectuari poſſet pro fine rationabili faciendo. Quo facto conſtabat regem non relegaſſe ducem pro diſſentionibus quæ potuiſſent oriri inter familias ſuas & ducis Northfolciæ vt prætenſum fuerat, ſed occaſione bona Ducis occupandi, vt multi dicebant. *[illegible]*

Interea rex cepit mutuo grandes pecuniarum ſummas de quamplutibus dominis tam temporalibus quam ſpiritualibus, aliiſque perſonis regni: promittens eis bona fide ſub patentibus literis, quod pecunias illas ſic mutuatas reſolueret termino limitato, quas nunquam poſtea reddidit creditoribus ſupradictis. *Grandes pecuniæ mutuo exactæ.*

Eodem anno grandiores ſummas pecuniarum exegit à 17. regni comitatibus metu mortis, imponens eis quod contra eum fecerant cum duce Glouerniæ, comitibus Arundell & Warwici &c. Quare paratus erat ſuper eos equitare tanquam ſuper hoſtes publicos. Quamobrem recepit à dictis comitatibus nouam ſecuritatem ſuper iuriſiurandi firmamento. Quo facto miſit certos epiſcopos cum aliis viris honorabilibus ad dictos comitatus, qui inducerent tam dominos ſpirituales quam temporales vt ſe regi ſubmitterent, & ſemet recognoſcerent proditores per literas eorundem ſigillis ſignatas. Hac occaſione coacti ſunt regi concedere Clerus & commune vulgus, dominique temporales dictorum comitatuum importabiles ſummas pecuniæ pro beneuolentia ſua recuperanda, & iſta redemptio *Le pleaſunze* vocabatur.

Item cupiens vt fertur populum regni ſui ſuppeditare, direxit patentes literas ad omnes regni comitatus, & per terrores induxit, vt omnes ligei ſui quicunque tam ſpirituales quam temporales iuramenta inſueta præſtarent in genere, quæ veriſimiliter cauere poſſent deſtructionem plebis ſuæ finalem vt dicebatur. Coegitque ligeos ſuos ipſa iuramenta ſub literis eorum & ſigillis roborare. Ad chattas albas inſuper eoſdem ligeos apponere ſigilla compulit, vt quoties graſſari vellet in eos, facultatem haberet eos ſigillatim vel inſimul opprimendi. Fecit præterea vt vicecomites per totum regnum noua iuramenta præſtarent vltra ſollta, quod viz. obedirent omnibus mandatis regis quotieſcunque directa fuiſſent eiſdem ſub magno priuatoue ſigillis, ac etiam literis illis directis ſub ſignetoſuo. Et in caſu quo idem vicecomites ſcire poſſent aliquos de balliuis ſuis cuiuſcunque conditionis eſſent, aliquod malum dicere ſiue loqui publice vel occulte, quod cedere poſſet in dedecus aut ſcandalum perſonæ regis, ipſos impriſonarent, donec aliud de rege ſuſciperent in mandatis. Vnde contigit quod quamplures ligeorum ſuorum malitioſe accuſati, capti fuerunt & impriſonati, non excuſandi aliter niſi commiſſa monomachia perſonali ſe iuſtificarent, non obſtante quod accuſatores & appellantes eorum eſſent iuuenes, fortes, & ſani, & illi ſic accuſati pro magna parte ſenes, impotentes, mutilati, vel infirmi.

Circa feſtum Pentecoſtes rex relinquens regnum vt præfertur turbatum multipliciter, nauigauit in Hyberniam cum ſuis Ceſtrenſibus, ducibuſque de Albamarla & de Exceſtria, aliis quoque multis, habens ſecum nobiles pueros filios ducum Glouerniæ & Herefordiæ, quorum affines præcipue verebatur, Epiſcopos etiam ſecum traxit multos cum Abbate Weſtmon. qui quoties vellet Parliamenta facere, prout prius conſtituerat, cum conſenſu octo perſonarum præſto forent, ad confirmandum pro parte ſua quæ fuerant ſtatuenda. *Rex nauigat in Hyberniam.*

Theſaurum præterea & reliquas aliaque iocalia regnique diuitias ab antiquis dimiſſas ſecum abſtulit in Hyberniam, ſine conſenſu ſtatuum regni ſui.

Cumque veniſſet in Hyberniam, videbatur primo quidem proſperari & ſuper inimicos ſuos confortari. Non tamen exinde multum lætabantur regnicolæ, qui ſemper de eo ſentiebant deterius, & per eum grauius opprimi metuebant.

Interea dux Henricus olim Herefordiæ, ſed nunc Lancaſtriæ paterno iure, grauiter ferens relegationem ſuam, ſed multo grauius exilium & exhæredationem ſuam, nacta *Dux Herefordiæ in Angliam redit.*

ſibi prout videbatur temporis opportunitate de regis abſentia, quem ſciuit inuiſum populo regni ſui, in Angliam redire diſpoſuit, ad petendum hæreditatem ſibi de iure debitã. Occurrerunt ſibi ſub eodem tempore T. quondam Archiep. & nepos eius filius comitis Arundell ſimul & hæres, qui mare cum eo ſunt ingreſſi. Qui inter omnes non amplius (vt vſu vulgari loquar) quam quindecim lanceas habuere: tantum fidebat dux de ſua iuſtitia, populique fauore. Noluit tamen recto curſu terram ingredi, nec repente, ſed nunc apparuit patriotis in vna parte regni, nunc in alia, vt videret ſi contra eum iuxta littora reſiſtentia pararetur. Audiens dominus Edm. dux Eboraci rector regni, quod dux Lancaſtriæ iam mare teneret, accitis regis conſultoribus, & regni Cancellario, conſilium tenuit apud S. Albanum, quærens ſuper iſto negotio quid agendum.

Senatus conuocatus apud S. Albanum.

Qui conſuluerunt illuc manum bellicam aduocandam quæ poſſet reſiſtere venienti: ſed quam inane fuit conſilium eorũ in hac parte, rei exitus declarauit. Nam aduenientes illuc de cunctis prouinciis proteſtabantur ſe duci nolle nocere, quem nouerant iniurioſe tractatum fuiſſe. Dicti vero nequã Conſiliarij hæc audientes, mox relicto regni cuſtode, necnon & Cancellario, ad caſtrum Briſtoll confugerunt.

At dux Lanc. circa feſtum tranſlationis ſ. Martini applicuit prope locum vbi quondã fuerat villa de Rauenſere nemine reſiſtente, cui occurrit Comes Northumbriæ D. Henr. Percy, & H. eiuſdem filius, & Comes Weſtmerlandiæ D. Radulphus Neuile, aliique domini, qui timebant regis tyrannidem, plures valide: ſic quod factus eſt exercitus 60000. pugnatorum qui omnes vno voto ſtatuerunt inprimis proſequi regis peſſimos conſultores veneruntque Briſtoldum & obſederunt caſtrum: vbi tandem ceperunt Theſaurariũ Gul. le Scroope, Ioh. Buſſy, & Tho. Grene, qui mox ad clamorẽ communiũ ſunt decollati. Gul. Bagot & Ioh. Auſſell hanc tempeſtatem declinando fugerunt.

Rich. rex cum audiſſet in Hybernia de ducis aduentu, mox curauit filium ducis Glouerniæ & filium ducis Lancaſtriæ in caſtro de Trym recludere, quod eſt in Hybernia ſatis forte. Et confeſtim ad nauigium conuolauit, cum perſonis quas ſecum traxerat in Hyberniam, ducibus & epiſcopis, aliis quoque multis. Sed cum attigiſſet fines Angliæ & cognouiſſet apparatum ducis, pugnandi dimiſit animum, pro certo tenens quod populus contra eum congregatus citius vellet mori quã cedere tam propter eius odium quam timorem. Dimiſit ergo familiam, monens per Seneſchallũ D. Tho. Percy vt ſe reſeruaret ad tempora meliora. Ipſe vero rex quærens diuorcia huc illucque ſe contulit multis diebus, ſemper eũ duce Lanc. cum exercitu inſequente.

Rex in magnas anguſtias adductus.

Tandem apud caſtellum de Cunnewey conſtitutus, petiit habere colloquium cum domino T. Arundell quem expulerat de Archiepiſcopatu Cant. & comite Northumbriæ, cum nulla ſpes eſſet vlterius fugiendi: quibus indicauit ſe velle regno cedere, ſi ſibi victus honorificus, vitæque ſecuritas & octo perſonis quas nominare vellet fide interpoſita donaretur. Qua petitione conceſſa atque firmata, venit ad caſtrum de Flynt, vbi habito breui colloquio cum duce Lancaſtriæ mox aſcenſis equis venerunt ad caſtellum Ceſtriæ ea nocte. Et ab eo loco productus eſt Londonias conſeruandus in Turri vſque ad parliamentum proxime celebrandum.

Rich. deponit imperium.

Interim directa ſunt breuia ad perſonas regni qui de iure debebant intereſſe parliamento, vt conuenirent ad Weſtm. in craſtino S. Michaelis. Quo die rex Richardus in Turri coram regni magnatibus gratanter vt apparuit & vultu hillari perlegit diſtincte formam ceſſationis ſuæ, & abſoluit ligeos ſuos à iuramento fidelitatis & homagij, & relaxauit ab omnibus aliis iuramentis quibuſcunque, & ſuis dominiis renunciauit, iurauit, & alia dixit & protulit in legendo & manu ſua ſe ſubſcripſit, prout in forma ceſſationis plenius continetur. Et mox adiunxit quod deſiderauit vt dux Lancaſt. ſuccederet ſibi in regno. Sed quia hoc in poteſtate ſua non erat, Archiep. Ebor. & epiſc. Herefordenſem conſtituit ſuos procuratores ad hæc omnia declarandum, & intimandum ceſſationem & renuntiationem ſtatibus dicti regni. Et in ſignũ ſuæ intentionis & voluntatis huiuſmodi annulũ de ſigneto ſuo aureum extractum de digito ſuo, digito ducis appoſuit: deſiderans hoc ipſum vt aſſeruit, omnibus regni ſtatibus innoteſci.

In craſtino lectis regis renunciatione & ceſſione coram ſtatibus regni in magna aula Weſtm. conſequenter proceſſum eſt ad articulos pro quibus videbatur merito deponendus. Qui etiam lecti omnes violationem iuramenti regalis finaliter concludebant. Proinde ſententia depoſitionis regis lecta, conſtabat regnum Angliæ cum pertinentiis ſuis vacare.

Dux Lancaſtriæ regnum Ang. vendicat.

Quapropter dux Lancaſtriæ de loco ſuo ſurgens, & ſtans erectus vt poſſet à populo toto videri, muniens ſe ſigno crucis in fronte & in pectore, & inuocato Chriſti nomine, dictum regnum Angliæ ſic vacans, vt præmittitur, cum corona ac omnibus pertinentiis vẽdicauit, in lingua materna ſub hac forma verborum. In dei nomine Amen.

Ego

Ego Henrieus de Lancaſtria vendico regnum iſtud eum corona, & omnibus membris illi pertinentibus, tanquam per regum ſanguinem venientem de rege Henrico, & per iuſtitiam quam deus de ſua gratia mihi miſit cum adiutorio conſanguineorum meorum & amieorum ad recuperandum illud, quod regnum fuit in puncto perditionis propter defectum gubernationis & legum violationem.

Huic vendicationi omnes ſtatus regni manus dederunt, & Archiepiſcopi eum in regali ſolio poſuerunt, vniuerſo populo applaudente, factoque ſermone per Archiepiſcop. Cantuar. cuius thema fuit: *Vir dominabitur populo.* Mox de mandato noui regis proclamatum fuit, quod die Lunæ proxima poſt feſtum S. Michaelis parliamentum ibidem celebrari debebat. Et die Lunæ ex tune proximo ſequente viz. in feſto S. Edward. coronatio regis fieret apud Weſtmonaſterium. Quibus ita peractis, rex dē ſede ſua ſurgens, & populum vultu benigno reſpiciens, receſſit ad albam aulam, vbi eodem die magnum conuiuium celebrauit.

Poſt hæc procuratores per parliamentum deputati, acceſſerunt ad præſentiam nuper regis Richardi infra Turrim exiſtentis, & per os domini Gul. Thetningge admiſſionē renunciationis, ac modum & cauſam & formam ſententiæ depoſitionis eius eidem notificauerunt, & vice omnium regni ſtatuum homagium & fidelitatem eidem Richardo nuper regi facta vt præmittitur reddiderunt & reſignarunt, ita quod nullus dictorum ſtatuum ſiue populi, ab hoc tempore & deinceps ſibi portaret fidem nec obedientiam tanquam regi ſuo. Ad quæ ſolum reſpondit iſtud, quod non reſpexit poſt talia. Sed poſt hæc omnia inquit: Spero quod cognatus meus vult eſſe mihi bonus Dominus & amicus.

In hoc parliamento rex Henricus fecit ſecundum filium ſuum dictum Tho. Angliæ Seneſchallum, procreauerat ſiquidem maſculini ſexus ex filia D. Humfredi comitis Boun comitis Herefordiæ iuniore 4. liberos, duaſque fœminas. Primogenitus vocabatur Henr. 2. Tho. 3. Ioh. 4. Humfridus.

Henrici regis coronatio.

Die tranſlationis S. Edwardi regis & Confeſſoris coronatus eſt Rex Henricus apud Weſtm. per manus domini T. Cantuar. Archiep. viz. ipſo die quo fuerat relegatus anno reuoluto, non ſine manifeſto diuinitatis miraculo vt putatur. Vt ſcilicet ille dies ſibi deſeruiret ad gloriam, qui tranſacto anno fuerat deputatus ad pœnam. Et in auſpicium vberioris gratiæ ſibi futuræ delibutus eſt illo cœleſti vnguento, quod olim beata Maria mater dei cōmiſit beato Tho. Martyri & Archipræſuli Cant dum eſſet in exilio conſeruandum, prædicens eidem quod reges Anglorum qui vngerentur hoc vnguento, pugiles eccleſiæ futuri forent. Hoc vnguentum in aquila aurea & olla lapidea conſeruatum latuit per multa tempora vſque ad 21. annum Rich. regis prædeceſſoris regis præſentis. Qui dum curioſe perſcrutaretur res relictas in turri à ſuis anteceſſoribus, inopinate reperit aquilam auream cum ampulla, & ſcripturam ſiue prophetiam beati Tho. repoſitam cum eiſdem. Hanc Aquilam rex Rich. portauit ſuper ſe profecturus in Hyberniam, & inde rediens tradidit Archiepiſcopo eam petenti licet inuitus.

Durante parliamento fecit rex filium ſuum primogenitum Henr. principem Walliæ addens ducatum Cornubiæ & Ceſtriæ comitatum. Et cito poſt in eodem parliamento ducem creauit Acquitaniæ.

Scoti per tempus parliamenti caſtrum de Werke ceperunt, deſpoliauerunt, & deſtruxerunt, & plura mala fecerunt.

Norfolciæ ducis mors.

Tho. de Moubray, quondam dux Northfolciæ diem clauſit extremum in terra peregrina dum rediret ab ieroſolymis: cuius mors fuiſſet toti regno deflenda, ſi nec in ducis Glouerniæ necem conſenſiſſet, nec eum inhumaniter iugulaſſet, fœlixque fuiſſet fama ſua per ſecula, ſi declinato ſcelere vel cum dicto duce fugiſſet, vel eum ad ſua reſponſa perduxiſſet.

Item hoc anno conceſſit in fata Alienora duciſſa Glouerniæ, quæ parum ante infauſto ſidere filium ſuum & hæredem amiſerat Humfridum vocabulo, ſubtractum ſibi peſtilentia, cum fuiſſet de Hybernia reuocatus.

Comitū rebellio.

Anno gratiæ 1300. Comites Cantij, Sarum & Huntingdoniæ ingrati regis beneficiis qui vitas eorum ſaluauerat, contra vota cunctorū regni communium ac multorum procerum, congregantes iniquitatem ſibi per conuenticula facta & coniurationes locis variis ſtatuerunt ſuper regem irruiſſe repente in caſtello de Windeleshores ſub ſimulatione Ludorum natalitiorum, & eum cum filiis ſuis crudeliter peremiſſe. Quorum dolos rex gratioſe prænoſcens, confeſtim Londonias ſe contulit. Qui eum cognouiſſent regem eorum inſidias declinaſſe, conturbati valde diuortia requirebant, perueneruntq́; Cicestriā

iam circa noctē. Viri vero dictæ villæ ſuſpectum habentes tantum apparatum, præſtruxerunt omnes aditus & exitus hoſpitij eorundem. Cumque nocte media tentaſſent latenter diſcedere, ciues eos arcubus & ſagittis armati egredi non ſinebant. Pugnatum eſt igitur hic & ibi à noctis medio vſque ad horam diei tertiam: tandem fatigati manus dederunt communibus obnixe precantes vt ſaluarentur à morte, donec cum rege colloquium habuiſſent. Quod & factum fuiſſet, ſi non quidam præſbyter de eorum familia ignem miſiſſet in quaſdam domos villæ, hac intentione vt occupatis communibus circa extinctionem ignis, comites poſſent euadendi occaſionem capere. Sed fruſtra. nam villani neglectis domibus in conflagrationis periculo maiori concitantur furia, ad vindicandum in dominos incendij damna prædicti.

Comites decollātur per populum.

Populus ergo villæ produci fecit dominos de Abbathia in qua ſtatuerant ſeruaſſe eos iuxta condictum, & in ipſo diei crepuſculo decollauerunt eos. Comes Sarum I. de monte acuto qui Lollardorum fautor ſemper fuerat, & imaginum vilipenſor, contemptor canonum, ſacramentorumque deriſor, expers omnium ſacramentorum vitam finiuit ibidem vt fertur.

Comes Huntingdoniæ dominus I. Holland non erat cum prædictis dominis apud caſtellum de Windleſhores, ſed expectauit Londoniis rei finem. Qui cum nouiſſet rem verſam contra vota fugere nitebatur in ſcapha, ſed vento flante contrario repulſus eſt. Quamobrem equo vectus peruenit Eſtſexiam cum quodam milite dicto I. Scheuele. Tentauit igitur per mare fugiſſe ab illis partibus, ſed quoties cymbam volebat aſcendere, toties eſt reiectus vi ventorum donec omnino deſperans de Neptuni ſuffragiis, deſtitit ab inceptis. Tandem reuerſus in terram, dum cænaret captus eſt cum ſupradicto milite per communes patriæ, & ductus ad fortalitium de Pleſchi cuſtodiendus ibidem velut in loco ſecuriori.

Comes Northūb. decollatus.

Quo confluentibus illius pagi communibus, die S. Mauri circa ſolis occaſum productus eſt, & in loco quo dominus eorum dux Glouerniæ quondam fuerat arreſtatus per regem Rich. decapitatus eſt. Per idem tempus dominus Thom. le Spencer qui dicebatur nuper Comes Glouceſtriæ captus & ductus Briſtoldum decapitatus eſt. Multique alij in locis variis tam milites quam clerici tunc temporis acceperunt ſimilem mortis ſortem. Epiſcopus Carleolenſis impetitus de coniuratione damnatus eſt, ſed regis miſericordia vitæ ſeruatus.

Rich. depoſitus expirat.

Richardus quondam Rex Angliæ cum audiſſet hæc infortunia mente conſternatus, voluntaria ſemet extinxit inedia prout fertur: clauſitque diem vltimum apud caſtrum de Pontefracto die S. Valentini, cuius corpus apud Langleyam in eccleſia fratrum prædicatorum (ſuprem ū perficientibus offertorium Ceſtrenſi epiſcopo & Abbatibus de S. Albano & de Walthain) tumulatum eſt ſine magnatum præſentia, ſine populari turba, nec erat qui eos inuitaret ad prandia poſt laborem.

Rex collecto exercitu profectus eſt in Scotiam, ſed Scotis detrectantibus belli copiā, rex vaſtata patria reuerſus eſt in Angliam.

Wallici nacta occaſione de regis abſentia duce quodam Howeno de Gleyndor rebellare cæperunt: quem Rex perſequi confeſtim ſtatuit tanquam pacis patriæ turbatorē, & cum armata manu Walliam eſt ingreſſus. Sed Cambri cum duce ſuo montes Cnowdoniæ occupantes, intentaræ vindictæ ſe protinus ſubtraxere. Rex vero combuſta regione, & quibuſdam peremptis quos ſors pro tunc gladiis euaginatis obtulit, cum præda iumentorum & animalium remeauit.

Imperator Conſtantinopolitanus venit in Angliam, poſtulaturus ſubſidium contra Turcos, cui Rex occurrit cum apparatu nobili ad le Blackheth die Sācti Thomæ Apoſtoli, duxitque Londonias, & per multos dies exhibuit glorioſe, ſoluens pro expēſis hoſpitij ſui, & cum reſpiciens dignis tanto faſtigio donatiuis.

Edictum in Lollardos.

Anno 1401 in Parliamento tento Londoniis, æditum eſt ſtatutum vt vbicunq; Lollardi deprehenderentur ſuam prauam dogmatizare doctrinam, caperentur, & epiſcopo diœceſano traderentur. Qui ſi præſumerent pertinaciter opiniones ſuas defendere, degradarentur, & iudicio ſæculari committerentur. Practizataque fuit hæc lex eodem tempore in quodam pſeudopræſbytero, qui apud Smithfield multis aſpectantibus eſt combuſtus.

Rex de Lecto peremit in bello Laſſack, filium Balthaſar Dan illuſtris, quem admiratum vocant, deſtruxitque Ieruſalem & in circuitu regionem. Et quia grarioſe vicit eum & inopinabiliter, conuerſus eſt ad chriſtianitatis ritum, cum 60000. hominum ſectæ ſuæ. His auditis rumoribus Imperator effectus lætior, receſſit ab Anglia, honoratus à rege donatis pretioſis.

Sub hoc tempore conditionibus iam inter Francos & Anglos firmatis, & omnibus pro-

Digitized by Google

profectioni reginæ neceſſariis præparatis, reuecta eſt Iſabella quondam regina Angliæ ad patrem patriamque ſuam Franciam, nondum annorum duodecim.

Howenus Gleyndor cum ſuis Wallenſibus ſub his diebus, damna grauia infert Anglis.

Cum nocte quadam Rex iturus eſſet cubitum, deo protegente euaſit lætale periculum. Siquidem in ſtramento lecti ſui cuiuſdam proditoris ingenio poſitum fuerat quoddam ferrum fabrefactum ad modum tricuſpidis, habens tres longos aculeos ſubtiles & teretes, punctuum aculeis acutiſſimis ſurſum erectis, tali ingenio, vt cum rex decubuiſſet & mole corporis ſtramēta preſſiſſet per eoſdem aculeos vulneratus fuiſſet, vel forſitan interfectus. Sed deo volente Rex inopinate perſenſit inſtrumentum mortiferum, & deuitauit periculum. *Rex extremo capitis periculo liberatus.*

Hoc anno, dom. I. Moot Abbas S. Albani rebus humanis exemptus eſt. Cui ſucceſſit per viam ſcrutinij D. Gul. de Henworth Cellerarius dicti loci, quanquam capitulum fuiſſet eo dieturbatum per minas nuntiorum ex parte regis venientium, vt regis intuitu alium elegiſſent.

Anno 1402. Cometa apparuit menſe Martio primo inter chorum & ſeptentrionem, viz. in circo flammas emittens, poſtremo comas in boream transferens, præſignans fortaſſis effuſionem humani ſanguinis circa partes Walliæ & Northumbriæ poſt futuram. *Cometa apparet.*

Eo tempore Howenus Gleyndor cum ſuis Wallicis vaſtauit terras D. Reginaldi Grey, cui occurrens idem dominus malis auibus captus eſt ab eo, & de ſuis plurimi trucidati.

Circa feſtum Pentecoſtes coniurauerunt quidam in mortem regis dicentes regem Rich. viuere, & quantotius in palam venturum, & ſuos fideles regaliter remuneraturum. Sed huius conſpirationis in parte tam ſpes quam metus euanuit, capto quodam præſbytero apud Ware, qui ſcripſerat nomina multorum in matricula, qui futuræ turbationis authores fuiſſent. Iſte iuxta conceptum proprium nomina plurimorū ſcripſerat, qui nulla tenus conſcij fuerant huius facti prout ex poſt patuit in ſua cōfeſſione. Nempe cū requiſit' fuiſſet de certis perſonis coram eo conſtitutis quarum nomina ipſemet irrotulauerat ſi nouiſſet eas, reſpondit quod non: & cum interrogatus fuiſſet, cur ergo tales irrotulaſſet, dixit quia opinabar eos voluiſſe feciſſe contra regem ſi complices inueniſſent, quia per regem Rich. ditati quondam fuerant & promoti. Hac occaſione liberati ſunt plurimi qui fuere ſuſpecti, & ſacerdos tractus & ſuſpenſus eſt. Non multo poſt prior de Laune ſortem ſimilem expertus, non quia deprehenſus eſt aliquid actitaſſe, ſed quia confeſſus eſt ſe maligni conſilij fuiſſe conſcium, & hoc vtique concelaſſe. Hic fuerat quondam Canonicus apud Dunſtaphiam dictus Gualterus de Baldock, qui malo omine relicto clauſtro, peruenit ad regis Rich. curiam, & ibidem luctatus diutiſſime cum fortuna, tandem dono regis, de Laune obtinuit prioratum. *Conſpiratio in regem.*

Eo tempore fatis infauſto ſydere quidam de ordine minorum penſantes de proditione priuſquam procedere potuiſſent, capti ſunt. Quorum vnus interrogatus quid feciſſe voluiſſet, ſi rex Rich. affuiſſet, reſpondit cōſtanter ſe pro illo voluiſſe decertaſſe contra quēlibet vſq; ad mortem. Data proinde contra eum ſententia tractus & ſuſpenſus eſt in habitu ſuę religionis. Sed confratres eius non ferentes hoc dedecus, obtinuerunt vt corpus defuncti ſupremis exequiis curaretur.

Diabolica ſpecies apparuit in Eſſexia apud Dambyria in feſto corporis Chriſti hora veſperarum, in ſimilitudine fratris minoris intrantis eccleſiam & inſolentiſſime debacchantis: vnde parochiani territi, quid agerent ignorabant.

Eadem hora cum tempeſtatis turbine & tonitrui perhorrendi fragore, fulgurumque & coruſcationum globis collucentibus, ſummitas tota ipſius eccleſiæ conſtacta eſt, & medietas cancelli quaſſata & diſſipata.

Poſt paucos dies capti ſunt octo fratres de ordine minorum, & ad iudicium publicum dedecoroſe tracti, vbi examinati & conuicti quod contra regem feciſſent, Londonus tracti, ſuſpenſi, & decapitati ſunt.

Eo tempore Howenus Gleyndor aſſuetis intendens irruptionibus, pene totam militiam Herefordenſis prouinciæ prouocauit ad arma, cui ducatum præbuit Edmundus de Mortuo mari. Sed cum peruentum fuiſſet ad actum Martium, proditione mediante & Edmundus captus & cæteri victi ſunt, occiſis de noſtratibus, ampliusquam mille viris. Quorum genitalia mulieres Wallenſium poſt conflictum abſciderunt, & membrum pudendum in ore cuiuſlibet interempti poſuerunt, teſticuloſque à mento dependere *Barbara fœminarū crudelitas.*

feecrunt, naſoſque præciſos in culis eorundem preſſerunt, & ſepulturam mortuis cadaueribus prohibuerunt.

Hoc anno miſit rex filiam ſuam cum grandi appatatu ad Coloniam Agrippinam, vbi nupſit adoleſcentulo filio Imperatoris.

Circa feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ profectus eſt rex eum manu potenti in Walliam ad perſequendum Howennm Gleyndor: ſed nil profuit regia ſolicitudo, in nota latibula ſe recipiente Wallico. Quin potius vt putatur, arte magica regem pene perdidit enm exercitu quem ducebat, per pluuias, niues, & grandines vt creditur arte diabolica concitatas. Quapropter Rex neceſſitate cogente rediuit in Angliam incenſa patria & prædata.

Eo tempore obiit dominus Edmundus de Langley dux Eboraci, filius quondam nobilis regis Edwardi à conqueſtu tertij, cuius corpus apud Langley ſepultum eſt inter frattes.

Dux Ebor. extremum halitum efflat.

Eo tempore Scoti venientes hoſtiliter in hanc terram per Architenentes comitis Northumbriæ & Henrici filij ſui victi ſunt, capto comite de Douglas & multis aliis: ſed & plurimi rapacitate Twedæ fluminis ſubmerſi fuere, dum vada neſcirent, ad numerum vt aſſeritur 500. Murdak de Fyf, cum comitibus de Murrif, de Angos, ac de Orkney, & Baronibus, domino de Montegomerico, dominoque de Erskyn, & domino de Grauie, in hoc prælio captus eſt cum militibus octoginta, & aliis ſcutiferis & valettis, quotum numerus ignoratur. Interfecti ſunt barones ibidem, D. de Guerdon, & D. Ioh. de Swinton. in feſto exaltationis S. Crucis.

Aſſertiones Lollardorum.

Eo tempore Lollardi docuerunt concluſiones exectabiles, in occulto tamen propter metum iudiciorum, quæ ſunt iſtæ.

Quod ſeptem ſacramenta non ſunt niſi ſigna mortua, nec valent in forma qua eiſdem vtitur eccleſia.

Item quod virginitas & præſbyteratus non ſunt ſtatus approbati à deo, ſed ſtatus cōiugij optimus eſt & ordinatus à deo: quapropter virgines & præſbyteri, religioſique populi ſi ſaluari deſiderant debent coniugari, vel eſſe in voluntate & propoſito coniugandi. Alias ſunt homicidæ & deſtruunt ſanctum ſemen vnde conſurgeret ſecunda ciuitas, & ſic impediunt numerum ſaluandorum pariter & damnandorum.

Item ſi vir & fœmina conuenirent in vna voluntate nubendi, ipſa voluntas ſufficiēs eſt coniugium ſine maiori obedientia eccleſiæ facienda. Et ſic ſunt cōiuncti plures quam nos cognoſcimus prout dicunt.

Item quod eccleſia nihil eſt aliud quam ſynagoga Sathanæ, & ideo nolunt adire illam ad honorandum deum, neque percipiendum ſacramentum aliquod, & præcipue ſacramentum altaris, quia vt aſſerunt non eſt niſi buccella panis mortui, & turris ſiue pinnacula Antechriſti.

Item ſi haberent puerum modo natum, non baptizaretur per manus præſbyterorū apud eccleſiam, eſt enim ſancta trinitas non contaminata peccato & peior eſſet ſi deueniret in manus eorundem.

Item quod non habemus aliquem diē ſanctificatum vel ſanctum, ſed nec diem dominicum, ſed quilibet dies eſt eiuſdem libertatis ad operandū, comedendum, & bibendū.

Item quod non eſt purgatorium poſt hanc vitam, neque quod oportet agere maiorem pœnitentiam pro vllo peccato quanquam viliſſimo: ſed tantum vt committentes illud deſerant, & apud ſe pœniteant. Quia vt dicunt: In fide ſtat quicquid eſt, ſicut Mariæ Magdalenæ dixit Ieſus: Fides tua te ſaluam fecit.

Has concluſiones Lodowicus de Clifford miles, qui iam dudum Lollardis fautor extiterat, diu ſub terminorum inuolucris pallilatas, ſed iam denudatas Archiep. Cant. patefecit. Vt viz. ſe oſtenderet non ex pertinaci malitia, ſed ſimplicitate cordis & ignorantia communicaſſe cum impiis. Dedit etiam nomina Cantuarienſi dictas dogmatizantium prauitates.

Eo tempore Edmundus de mortuo mari iuuenis quem retulimus ante captum ab Howeno Gleudor, vel tædio diræ captiuitatis, vel metu mortis, vel ex alia qua neſcitur cauſa, conuerſus retrorſum cum Howeno contra regem Angliæ ſe ſentire profeſſus eſt, dum nuptias nimis humiles & ſuæ generoſitati impares contrahit cum filia dicti Haweni. Huius vt fertur natiuitatis exordia, dira comitata ſunt prodigia: quia nocte qua in lucem effuſus eſt, in ypodromo paterno omnes equi patris ſui reperti ſunt in alto cruore ſtetiſſe vſque ad tibiarum demerſionem. Quod tunc interpretati ſunt plurimi ſiniſtrorſum.

Prodigia natalitium comitis concomitantia.

In

In parliamento facto London. clerus conceſſit Regi decimam & dimidiam, & à burgis decima, & à communitate vero regni quintadecima conceſſa fuit.

Anno 1403. poſt feſtum Purificationis regina venit in Angliam, de minori Britannia ad maiorem, de ducatu ad regnum, de gente feroci ad populum pacificum, & vtinam fauſto pede. Hæc fuerat prius coniugata nobili viro domino Philippo de monte forti Duci Britanniæ, de quo tulit vtriuſque ſexus liberos: ſed de Rege Angliæ Henrico cui iam nupſit omnino nullos. Viceſima vero ſexta die menſis Ianuarij, Londonijs apud Weſtm. fuit magnifice coronata.

Æſtate ſequuta iuxta villas de Bedford & de Bikkeliſshade, frequenter viſa ſunt monſtra mane & meridie de ſyluis emergentia ſub colore vario, in ſimilitudinem hominum bellatorum, quæ ſibimet occurrentia, videbantur inire dira bella. Quæ ſi conſpici poterant à remotis ab propinquantibus inueniri minime potuerunt. Sicque dicta phantaſtica vel fatalis apparitio ſæpius deluſit plurimos accedere cupientes. *Oſtenta inaudita.*

Eodem tempore dominus H. Percy iunior, cui fortuna ſemper hactenus blandita fuerat, & in quo ſpes erat repoſita totius pene populi, repente hoſtis Regis apparuit. Cui contra cunctorum opinionem iunxit ſe Dominus Thomas Percy Comes Wygorniæ, Patruus Henrici prædicti. Hic repente deſerens domum Principis Regis primogeniti, cuius Rex curam ſibi commiſerat in ſpeciali, receſſit ad nepotem, augens eidem vires & animum rebellandi. Quorum vt excuſabilis eſſet conatatio, ſcripſerunt prouincialibus vbilibet conſtitutis, propoſitum quod aſſumpſerant non eſſe contra ſuam ligeanciam vel fidelitatem quam Regi fecerant, nec ad aliud exercitum congregaſſe, niſi ſolummodo pro ſaluatione perſonarum ſuarum & Reipublicæ meliori gubernatione. Quia cenſus & tallagia Regi conceſſa pro ſalua regni cuſtodia, conuertebantur vt dixerunt in vſus indebitos, & inutiliter conſumebantur. Præterea querebantur quod propter æmulorum delationes peſſimas Rex eis inſenſus fuerat, vt non auderent perſonaliter ad eius venire præſentiam, donec Prælati regnique Barones Regi ſupplicaſſent pro eiſdem, vt coram Rege permitterentur declarare ſuam innocentiam, & per pares ſuos legaliter iuſtificari. Plures igitur viſis hijs literis, collaudabant tantam virorum ſolertiam, & extollebant fidem, quam erga Rempublicam prætendebant. Sed Rex vt fraudem comperit, turbatus nimirum cogitabat, quibus medijs communitati poſſet ſatisfacere, & eorum ficta commenta peſſundare. Scripſit ergo perſonis quibus ipſi ſcripſerant, dicens ſe mirari quam maxime, quod cum Comes Northumbriæ & H. eius filius percepiſſent partem maximam ſummarum ſibi conceſſarum per clerum ſeu communitatem Angliæ pro tuitione Marchiæ Scotiæ, vt poſſet euidenter oſtendere, vnde conc epiſſent materiam tantæ non ſolum querimoniæ, ſed detractionis manifeſtæ. Scripſit inſuper quod intellexerat Comitem Northumbriæ, filium quoque ſuum, necnon & Comitem Wygorniæ certificaſſe multis, ſe non audere propter æmulorum delationes ad Regis venire præſentiam, ſine mediatione præuia prælatorum & procerum: quare ſupplicabant vt partes interponerent, vt de Regis gratia venire poſſent ad allegandum pro ſe & ſua innocentia declaranda. Quamobrem ſcripſit eidem Comiti, &c. ſub ſigillo regio quod poſſent accedere ſine damno, ſaluique recedere ſine periculo, ſine dolo. Sed effrenata temeritas, ſpreto lenimento regali, rigorem rebellionis induit, & Salopiam properauit, ſperans vt putatur in auxilio Howeni Gleyndor, & Edm. de mortuo mari quorundamque Ceſtrenſium & Wallicorum. At rex vt perſenſit induratam iuuenilem malitiam (nam pater eius non exceſſerat limites patriæ ſuæ) decreuit occurrendum fore feſtinanter Henrico, patruo quoq; ſuo D. Tho. Percy, priuſquam conflaſſent exercitum fortiorem. Nempe hij & eorum complices publicari fecere per patrias regem Rich. viuere, & apud eos eſſe, cuius nomine ſue cauſa bella ſumpſerant contra Regem. Quem ſi videre vellent, incunctanter accederent armis inſtructi & in caſtro Ceſtriæ viderent infallibiliter dictum Regem. Quæ quidem, quamuis doloſa denuntiatio, varios in multorum mentibus motus effecit, & fluctuare coegit plurimos, vt ignorarent, cui parti foret tutius adhærendum. Multi reuera afficiebantur Regi Richardo, & præcipue qui familiares eius quondam fuerant, & ab eo donati fœodis vel alijs donatiuis. *Querela proditorum.*

Rex Henricus præmiſſa prudenter attendens cum eſſet manufortis & audax congregauit quos potuit, inſtigante eum Comite de Dunbarre Scoto maxime, qui monuit omnino ne moras flecteret, commemorans illud Lucani,

Tolle moras, nocuit ſemper differre paratis,
Dum trepidant nullo firmatæ robore partes.

Fecit Rex vt Scotus monuit, & inopinate peruenit ad partes vbi rebelles bacchantur.

Digitized by Google

Magnanimitas D. Henr. Percy.

Henricus autem ſubito conſpecto vexillo regio, cum iam inſtaret effringere villam Salopiæ, mox deſtitit ab infeſtatione villanorum, dicens ſuis: Deſiſtere nos, inquit, oporter ab inceptis, & arma vertere in eos qui contra nos veniunt, videtis certe ſignum regium, nec vacat quærere licet vellemus diuortium: ſtate proinde corditer, quia dies hic aut nos omnes promouebit ſi vincimus, aut de faſtu regali liberabit, ſi victi ſimus. Nam pulchrius eſt in bello cadere pro Republica, quam poſt bellum mori hoſtis noſtri ſententia. Conuenerunt in hunc votum ſubito qui ſequebantur Henricum ad numerum 40000. lectiſſimorum hominum, qui ſe perſtituros ad flatum vltimum cum Henrico promittunt. Præoccupauerant autem campum illis magis accommodum, Rex vero conſtitit cum ſuis tenens campum ad eorum oppoſitum. Cumque partis vtriuſque pugnatores ſignum belli præſtolarentur, Abbas Salopiæ & clericus de priuato ſigillo pro parte Regis legatione fungebantur, vt offerrent Henrico pacem & perdonationem ſi deſiſteret ab inceptis. Quorum perſuaſionibus Henricus effectus manſuetior, cum ille direxit ad Regem patruum ſuum D. Tho. Percy, qui ſibi tantæ turbationis cauſas exprimeret, & emendas exigeret cum effectu. Ferunt autem, quod cum Rex omni rationi condeſcendiſſet, & humiliaſſet ſe ſecus quam perſonam regiam decuiſſet, idem D. Tho. Percy cum rediſſet ad nepotem, contraria referens reſponſis regijs, exacerbauit mentem iuuenis, & ad bellum impulit etiam non volentem.

Duo exercitus prælium ineunt.

Igitur Achirenentes Henrici prælium inchoarunt, nec erat locus ad terram iaculis, ſed in corpora ferrum omne ruit, caduntque de parte Regis ad inſtar foliorum decidentium brumali tempore poſt pruinam. Nec minus regij ſagittarij ſuum peregere negotium, ſed imbrem aſperrimum ſpiculorum in aduerſarios emiſere. Cadunt proinde vtrinque plurimi velut cum poma ruunt in Autumno cum mouentur ab Affrico, multaque ſimul millia de loco belli fugiunt, putantes Regem ſagittis occiſum.

Ipſe vero campiductor Henricus partis aduerſæ, Comeſque Douglas Scotus, quibus animoſiores nullus vnquam reperiſſet, ſpretis iaculis emiſſis de parte Regis, ſpretis armatorum conſertis cuneis, contra ſolam perſonam regiam vires excitant, arma vertunt, ipſum pro 10000. computantes ſtratis requirunt, obuios infeſtis lanceis & gladijs perſternantes. Comes de Dunbarre cum comperiſſet iſtorum propoſitum, Regem ſubtraxit à ſtatione ſua, quod factum ſalutare fuit Regi ea vice: quia & ſignifer regius à furentibus eſt proſtratus, vexillumque deiectum & circumſtantes occiſi: inter quos Comes Staffordiæ & D. Gualterus Blount miles regius cecidere. Princepſque Regis primogenitus, pertentans prælandi primitias, ictu ſagittæ vulneratur in facie.

D. Henr. Percy interimitur.

Interea D. Henricus Percy, dum præcedit ſuos, inopinato cecidit interemptus, dubium cuius manu. Quo cognito, fugerunt partis aduerſæ defenſores quibus fugiendi copia eſt permiſſa. Sed Comes de Dowglas captus eſt: hic bina vice hoc anno pugnans aduerſus Anglicos, aduerſam ſemper expertus eſt fortunam: nam in primo bello traiectus caput, amiſit oculum, in ſecundo verenda transfixus perdidit paulo minus loculum, & ſub iugum venit captiuitatis ſecundæ. Captus eſt etiam Comes Wigorniæ Dominus Thomas Percy, inceptor vt dicitur totius mali & cauſa præſentis infortunij, cum D. Rich. Vernoun & Baron. de Kynderton cum multis alijs. De parte Regis ceciderunt decem milites, multi ſcutiferi, plures valetti, & ad numerum trium millium ſunt grauiter vulnerati. Ex parte rebellium corruit maior pars militum & ſcutiferorum Comitatus Ceſtriæ ad numerum ducentorum præter domicellos & pedites quorum numerum non tenemus. Commiſſum fuit hoc prælium in vigilia ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quo nunquam vt putatur vllum acrius geſtum fuit.

Proditores capite plectuntur.

Die Lunæ ſequente, nam Sabbato commiſſum fuit ante dictum bellum, iudiciali ſententia decollati ſunt apud Salopiam: Comes Wigorniæ, Baro de Kynderton, & Dominus Rich. de Vernona.

Die etiam Lunæ ſequuta proxima, dum Comes Northumbriæ in manu robuſta & brachio extento verſus filium ſuum properat, vel certe verſus Regem, vt putatur pro red integrando pacis negotio, Comitem Weſtmerlandiæ & Robertum Watertone ne progrederetur habuit impedimento. Hij nempe exercitu grandi collecto, obuiare ſibi ſubito diſponebant: qui neutrum horum putans ſibi beneuolum, frena reflexit, rediens ad caſtellum proprium de Werkwurtha.

Eo tempore nuntij miſſi in Franciam reportarunt inducias bellique vacationem, vſque ad diem primum menſ. Martij, videbanturque magnam rem feciſſe, in tanta rerum turbatione.

Compoſitis rebus Salopiæ, Rex progreditur Eboracum, vbi conſtitutus mandauit literaliter Comiti Northumbriæ, vt ſibi occurreret dimiſſa turba. Venit Comes ad Regis

moni-

monita in caſtro ſancti Laurentij cum parua familia, non tamen ſuſceptus eſt familiaritate ſolita, ſed potius more ſupplicis gratiam requirentis: cui Rex vitam condonauit, & victui neceſſaria, decernens conſeruandum ſecura cuſtodia.

Reuerſus Rex de partibus borealibus diſpoſuit adire Walliam ad compeſcendum Inſolentiam Wallicorum, qui multa damna irrogauerant patriæ poſt receſſum ſuum: ſed tamen retinuit eum rei familiaris inopia, eo quod deſtitutus eſſet pecunia, pro exercitu conducendo. *Regis inopia.* Aſtitere ſibi tunc milites & ſcutiferi magis Dionei quam Martij, Lauernæ quam Palladis, qui cenſuerunt Epiſcopos qui tunc illic forte conuenerunt, equis & auro ſpoliandos, domumque pedites remittendos: vt familiarium Regis egeſtas, ipſorum abundantia leuaretur. Affuit tum gratioſe dominus Cant. qui reſpondiſſe fertur, vnus pro omnibus ſatis alacriter milites improbos non ſpoliaturos de ſuis aliquem, niſi prius auſus temerarios luerent duris ictibus, & ſpolia verberibus nundinarent. Rex interea ſe gerens moderatius, aucupabatur quodammodo beneuolentiam Prælatorum: vnde contigit quod D. Cantuarienſis conuocato clero, ſibi de vna decima cum conſenſu præſulum prouideret.

Britones Armorici, Duce Domino de caſtellis villam de Plumouthe inuadunt, impune diripiunt & ſuccendunt. Mox claſſis occidua ſub ducatu Willielmi de Wilford ſcutiferi, in partibus prædictæ Britanniæ, cepit naues quadraginta refertas ferro, oleo, ſepo, & vino de Rupella ad numerum mille doliorum: redeundo vero cremauit naues quadraginta: & apud penarch. applicans idem W. cum ſuis combuſſit villas & prædia ad ſpacium ſex leukarum. Villam quoque ſancti Matthæi vltricibus flammis dedit, & tria millia in girum dictæ villæ.

Paucis diebus ante natale Domini, Galli ſtipati bellatorum turba aſcenderunt terram in Vecta inſula, iactantes ſe celebraturos natalis feſta illic etiam inuito Rege. Cumque mille de Gallis intraſſent inſulam, & greges ac armenta fugaſſent, vt ad mare reuerterentur cum præda non modica, ſuperueniente ſubito auxiliatorum copia coacti ſunt prædas dimittere, & ad nauigia cum dedecore feſtinare non ſine damno ſuorum. *Galli profligati.* Sicque contigit, vt qui prius inſtanter ab incolis petierant rerum redemptionem, vix euadere potuerunt publicam internecionem.

Anno 1404. In parliamento tento London. poſt oct. Epiphaniæ, Comes Northumbriæ reſtitutus eſt ſuæ dignitati priſtinæ, boniſque mobilibus & immobilibus integraliter & hæredes ſui.

In hoc Parliamento conceſſa fuit Regi taxa inſolita, & incolis tricabilis & valde grauis. *Taxa grauis.* Cuius modum præſentibus inſeruiſſem, niſi conceſſores ipſi & authores dicti tallagij in perpetuum latere poſteros maluiſſent: nempe ſub ea tantum conditione concedebatur, ne traheretur poſterius in exemplum, nec ſeruarentur eius euidentiæ in theſauraria regia, nec in ſcaccario, ſed ſcripturæ vel recordationes eiuſdem protinus poſt datum compotum cremarentur, nec emitterentur breuia ſeu Commiſſiones contra collectores vel inquiſitores huius negotij, de melius inquirendo.

Gallici circa tempus illud venerunt ante Vectam inſulam cum magna claſſe: miſeruntque de ſuis quoſdam, qui peterent nomine Regis Richardi & Iſabellæ reginæ tributum, vel pecuniale ſubſidium ab Inſulanis. *Gallorum iactatio diſſipatur.* Qui reſponderunt Regem Rich. fore defunctum & reginam quondam ſuam coniugem remiſſam pacifice ad parentes & patriam ſine conditione tributi: quapropter finaliter reſponderunt, ſe ſubſidium non daturos, ſed ſi belli voluntas tenebat Gallos, iuſſerunt vt ſcanderent ſine cuiuſuis impedimento, & daretur illis ſpacium refocillationis poſt ingreſſum inſulæ ſex horarum. Et expleto tempore ſupradicto, daretur infallibiliter illis bellum. Quo audito, Galli nullo perfecto negotio receſſerunt.

Per idem tempus dominus de caſtellis Britannicis ſatis ſe trahentibus, cum multitudine Gallorum & Britonum apud Dortmouth, cum intolerabili faſtu terram ſcandit: putans fortunam ſequuturam ſicut prius apud Plimmouth, ſed ſecus accidit quam ſperabat. Nam ab hijs quos maxime habebat contemptui ſcilicet ruralibus eſt peremptus: & qui poſt ipſum terram ſcanderant mox oppreſſi à ruſticis, capti ſunt protinus vel occiſi. Fœminæ quoque fraudari non debent huius facti præconio, quæ fundarum miſſilibus hoſtes diris ſtrauerunt ictibus. Vnde contigit plures à fœminis, plures à ruſticis ſterni vel captiuati. A ruſticis vero occidebantur multi, quia neſcierunt eorum linguam, quamuis grandes pro ſua redemptione ſummas obtuliſſent. *Ruſticorum magnanimitas.* Sed rurales rudes, alia pro alijs interpretantes, putabant eos comminari, quando pro vita ſolicite ſupplicabant. Capti tamen ſunt eo die tres domini, & milites nominati viginti. Peſſundeditque Deus eo die arrogantiam

super-

ſuperborum, & eſſe fecit victoriam ruſticorum. Proſequuti ſunt igitur captiuos ſuos ruſtici ad Regis vſque præſentiam, poſtulantes aliquod commodum prædæ ſuæ. Cum quibus Rex ipſe libenter conuenit, & crumenis eorum ſuffarcinatis fuluo metallo abire permiſit ad propria, detinens captiuos penes ſe grauiori cenſu in poſterum redimendos.

Decima cleri.

Menſe Aprili conceſſa fuit Regi per Clerum vna decima conditionaliter, ſcilicet, ne quis prouiſorum de cætero capiat bona vel cariagia de Eccleſiaſticis contra voluntatem eorum. Sed tamen appenſa pecunia, neglecta mox fuit conditio interpoſita.

Anno præſenti quinto Idus Maij, clareſcentibus miraculis circa corpus S. Iohannis quondam prioris canonicorum de Bridelington de mandato domini Papæ, tranſlatum fuit corpus eiuſdem ſancti Iohannis per manus honorabilium virorum, ſcilicet Eborum Archiepiſcopi, & Dunelmenſis atque Carleolenſis Epiſcoporum.

Prædatio Gleyndor.

Per omne tempus æſtatis præſentis Howenus Gleyndor cum ſuis Wallicis, prædatur, incendit & deſtruit regiones ſibi contiguas, & nunc dolis & inſidijs, nunc aperto Marte multos captiuat, plurimos perimit Anglicorum, caſtellaque nonnulla capta complanat, quædam ſibi conſeruat integra pro tutela.

Ioh. Treuor Epiſcopus Aſſaphenſis cernens rem proſperari in manu Wallici, conuerſus eſt in animum prauum, factus transfuga ad Howenum.

Eo tempore Flandrenſes & Britones ceperunt quaſdam naues noſtratum onuſtas mercibus, & nautas gladio vel ſuſpendio peremerunt.

Commentum Comitiſſæ Oxon.

Per idem tempus Comitiſſa vetula quondam Oxoniæ, mater Rob. de Veer Ducis Hyberniæ, quem exulatum diximus, & mortuum fuiſſe Louaniæ, fecit per ſe ſuoſque familiares diuulgari per omnes fines Eſtſexiæ Regem Rich. viuere, & in proximo fore venturum, & honorem priſtinum vendicaturum. Fecitque fabricari ceruos argenteos & auratos plurimos, ſigna viz. quæ Rex Rich. conferre ſolebat ſuis militibus, ſcutiferis, & amicis, vt his vice Regis diſtributis, facilius allicerentur in vota ſua milites illius patriæ, cæterique valentes. Vrgebat nempe plurimos ad putandum quod Rich. viueret, fama quæ quotidie ferebatur è Scotia Regem Rich. inibi conſtitutum, expectare ſolummodo tempus accommodum, quo cum forti brachio Francorum atque Scotorum poſſet recuperare regnum. Auxit errorem iſtum cuiuſdam Serlonis quondam cubicularij Regis Richardi commentum, qui falſo finxerat priuatum ſigillum nomine dicti Richardi, & deſtinauerat literas conſolatorias, ſimul & commonitorias multis in regno de dicti Richardi quondam familiaribus, in quibus & continebatur eius incolumitas, & ipſius in breui cernenda proſperitas. Hac occaſione multi dederunt fidem dictis & ſcriptis ipſius dominæ Comitiſſæ, in tantum vt crederent eius mendacijs, & religioſi quidam Abbates illius patriæ, qui ex poſt eo quod cum Comitiſſa ſenſiſſe videbantur, de mandato regio tenti ſunt & carceribus mancipati. Comitiſſa vero confiſcatis ſuis omnibus, arctæ cuſtodiæ commendatur. Clericus vero qui præmiſſa fallaciter auribus multorum inſtillauerat, tractione & ſuſpendio muneratur. Nam & ipſe diligenter eundo per patrias, præeminentes perſonas nitebatur ad credendum allicere, Regem Rich. non ſolum viuere, ſed in proxime palam cunctis fore, adijciens ſe dictum Regem nuper allocutum fuiſſe loco tali, talique denique apparatu.

In feſto ſancti Iohannis Baptiſtę vocante Rege, Comes Northumbriæ venit ad pontem fractum, nepotes ſuos & filiorum ſuorum filios ſecum ducens, quo facto mitigauit corda complurium, qui putabant eum rebellionis iuuenibus præbuiſſe conſilium. Venit & cum Comite Gulielmo de Clifford miles trahens ſecum Serlonem inuiſum toti regno, de quo ſupra fit ſermo, quem parum ante ceperat cauteloſe: quo facto penes Regem meruit excuſari, quod vltra placitum tenuiſſet Berwici caſtrum, propter quod reus læſæ maieſtatis extiterat. Viſo Serlone feruebat omnis ætas in domo regia ſciſcitari, ſcire, vel audire quibus modis, quibus medijs, quibuſve ſocijs illum inclytum Regis filium, Regis auunculum, Ducem Glouerniæ iugularit. Ille vero iam actum de ſe non ignorans, hoc ſolummodo fatebatur, quod dignus fuit mille mortibus propter hoc ſcelus. Qua confeſſione ſimul & pœnitudine, multorum ita demulſit animos, vt gratis promitterent ſe pro eius anima presbyteros conducturos, qui ſuffragia ſpiritualia aliquot diebus ferrent. Requiſitus cur dementare voluerat multos vt putarent Regem Rich. viuere, reſpondit ſe hoc odio Regis feciſſe, vt alienaret ab ipſo corda ſuorum, retulitque ſe beatum fuiſſe potuiſſe tam in aula Regis Franciæ, quam in aula Regis Scotiæ, ſi non defuiſſet gratia, ſed cum bene ſibi fuiſſet in domo Regis Franciæ, audito quod Rex Rich. viueret, In Scotiam ſe tranſtulit, vt probaret ſi vendica fama foret. Quo cum perueniſſet & inueniſſet quidem

Serlo rumorum author captus

per-

Digitized by Google

perſonam ſimilem, ſed non ipſum quem quærebat, nihilominus tamen vt illuderet tam Scotis quam Anglis, affirmauit hunc eſſe Rich. Regem, proculdubio præſeruatum ab æmulis diuino miraculo. Sed ex poſt cum comperiſſet commentatam fallaciam patefaciendam, & ipſe iam incurriſſet rei familiaris inopiam, peruenit Berwicum ad dictum Guliel. Clifford putans ſe per ipſum pecuniali ſubſidio ſuſtentandum, quo redire in Franciam potuiſſet, ſed in hac parte ſua ſpe fruſtratus eſt. Nam Gulielmus ipſum captum detinuit, vſus conſilio ſatis callido, vt Regis gratiam nundinaret, huiuſce mercimonio.

Igitur Serlo finali iudicio tractus eſt in qualibet villa præcipua, inter pontemfractum & Londonias, inchoans pœnas meritas in ipſa villa regia de pontefracto.

Eo tempore Rex indigens vt fertur pecunia, conuocauit regni proceres ad parliamentum tenendum Couentreiæ circa feſtum S. Fidei Virginis, non conſiderato quod ipſo anno tempore Quadrageſimali parliamentum celebrauerat apud Weſtm. quod inutiliter vt multis videbatur per duodecim hebdomadas fuerat protelatum. Direxit ergo breuia Vicecomitibus, ne quoſquam pro Comitatibus eligerent quouis modo milites, qui in iure regni vel docti fuiſſent, vel apprenticij, ſed tales omnino mitterentur ad hoc negotium, quos conſtaret ignorare cuiuſque iuris Methodum. Factumque eſt ita. Qui conuenientes in vnum, & ſapientes in id ipſum, cum propoſitum fuiſſet pro parte Regis, quo premebatur rei familiaris incommodo, inſtantibus prope Scotis & Wallicis, procul Britonibus, Flandricis, & Gallicis: ſelecti milites parliamentales pro releuando Rege, non aliud inuenire potuere remedium, quam confiſcandi Chriſti per totum regnum patrimonium, ſcilicet vt eccleſia generaliter de bonis temporalibus priuaretur. Hinc orta eſt inter clericos & laicos grandis altercatio, militibus regijs aſſerentibus ſe pro rege, atque cum Rege profectos ſæpius contra rebelles & hoſtes, non ſolum ſua expendiſſe profuſius, ſed corpora quoque multis periculis expoſuiſſe, ſiue laboribus, clericis interim otioſe domi ſedentibus, & in nullo Regi ſuffragantibus. Contra quæ dominus Cantuarienſis reſpondit, clerum tantum ſemper contuliſſe Regi, quantum laici, dum decimas ipſi frequentius darent Regi, quam ipſi quintas decimas, & inſuper tenentes ſui non minori numero Regem ſequebantur ad bella vel pericula, quam tenentes fœodi laicalis. Et ſuper hęc omnia nocte dieque, miſſas & orationes facerent pro eodem, & omnium ſibi famulantium proſperitate. Et cum ad hæc prolocutor militum, vultu voceque prætendiſſet publice ſe preces eccleſiæ paruipendere: iam inquit dominus Cantuarienſis, video manifeſte quorſum tendit regni fortuna, excluſis vilipenſiſque ſuffragijs quibus diuinitas placari ſolet. Certe nunquam fuit diu regnum ſtabile, quod vacauit à precibus & deuotione. Attamen tu qui vilipendis cleri religionem, ne te putes impune direpturum eccleſiæ poſſeſſionem, quia ſi viuit Cantuarienſis, malo tuo rapies quicquam de ſuis. Erat autem prolocutor miles dictus Iohan. Cheyne, qui vt fertur militiam ſortemque Chriſti deſerens, in ſortem Martis apoſtatando tranſierat: nam prout dicunt, Diaconus fuerat ordinatus, nulla tamen vt reſiliret diſpenſatione licentiatus. Archiepiſcopus inter hæc Regem nutantem conſiderans, ſurrexit, genuque flexo coram Rege rogauit vt attenderet quam gratioſe regnum conſequutus ſit, attenderet primitiuum propoſitum ſuum, quod cuilibet ſeruaret iura propria pro poſſe ſuo, attenderet & iuramentum quod non inuitus præſtiterat, viz. quod eccleſiam & miniſtros eius honoraret, foueret, & manuteneret, attenderet & periculum iuramenti, ſiue dedecus violati, & eccleſiam gaudere permitteret ſuis priuilegijs & libertatibus quibus gauiſa eſt anteceſſorum ſuorum temporibus, vereretur offendere Regem per quem Reges regnant, vereretur & cenſuras quas incurrunt, qui res eccleſiaſticas deprædantur, quos omnes conſtat excommunicationis ſententia innodari. Hijs à Cantuarienſi prolatis, Rex præcepit ei repetere ſedem ſuam, aſſerens voluntatis ſuæ fore eccleſiam in adeo bono ſtatu dimittere, ſicuti eam inuenerat, vel potius meliori. Archiepiſcopus concionatus militibus dixit: Vos inquit & veſtri ſimiles conſilium dediſtis domino noſtro Regi moderno, & anteceſſoribus ſuis, vt confiſcarent bona cellarum, quæ Gallici vel Normanni poſſederunt in Anglia, dicentes eis per hæc diuitias accumulandas in magna copia, & quidem, prout valent multa fului metalli millia, ſed tamen conſtat hodie Regem non eſſe ditiorem dimidia quidem marca, vobis extorquentibus, vel emendicantibus de manu ſua, & vobiſmet appropriantibus dicta bona: vnde poteſt conijci, vos non pro Regis vtilitate, ſed pro veſtra cupiditate temporalia noſtra petere. Quia proculdubio ſi Rex quod abſit, veſtro ſatisfeciſſet execrando propoſito, non eſſet opulentior vno quadrante ſequenti anno. Et certe prius hoc caput exponam gladio, quam eccleſia deſtituatur minimo iure ſuo. Milites hac ſententia, ſimul & Metropolitani repercuſſi

Parliamentum Indoctorum.

Cant. Archiep. fortitudo in clero defendendo.

con-

Digitized by Google

conſtantia, conticuere. Archiep. vero vt Argus ſibimet ex omni parte proſpiciens, cum comperiſſet milites perſtituros in petitione temporalium, dominos temporales quoſdam allexit in partem ſuam: qui conſtanter affirmauerunt, S. eccleſiam nunquam ſua voluntate ſuis temporibus ſpoliandam, & in hac parte reddentes Archiep. & Prælatis gratiam pro gratia, quam ſibi prius præſtiterant, quando milites petierunt ad opus Regis reſtitui quæcunque dicti domini de corona tenebant, vel dono Regis nunc, vel anteceſſorum ſuorum Regum Edw. & Rich. Cui ſcilicet petitioni dominus Cant. obnixius reſtitit & Prælati. Sicque factum eſt, vt de exactione temporalium nulla fieret mentio in poſterum, ſed & milites ipſi, qui importune perſtiterant in hoc errore, domino Cant. vt illis ignoſceret fatentibus malitiam & reatum ſuum, & gratias agentibus quod animoſitate ſua ſub hac tempeſtate reſpiraſſet eccleſia, commemorantes illud Ethnici ita dicentis:

Tu ſub Principe duro,
temporibuſque malis, auſus es eſſe bonus.

Præter multa quæ conceſſa fuerunt regi in hoc parliamento, laici conceſſerunt duas quintas decimas, ea conditione vt D. de Furniuall, &c. reciperet omnem cenſum illum, & expenderet in Werris regis. Reuocatæ ſunt etiam patentes regis præconceſſæ perſonis varijs de ſuſtentatione ſua annua per reges Edw. & Rich. militibus parliamentalibus ita cenſentibus, licet id in regis dedecus redundaret. Clerus conceſſit regi vnam decimam & dimidiam, non obſtante quod medietas vnius decimæ vltimo præconceſſæ, in feſto S. Martini fuerat perſoluta.

Aquarum inundatio in Cantio. Eo tempore tanta repente ruptis limitibus irrupit aquarum influentia in terra D. Cant. & aliorum in Cantio, quanta nunquam fuerat illic ante viſa, qua ſubmerſa ſunt animalia numero & pretio exceſſiuo. Nec ſolummodo defleuit Anglia damna talia, ſed vt fertur Selandia, Flandria, & Hollandia, per vndarum excrementa innumerabilia ſenſit diſpendia eo anno. *Wickhami mors.* Hoc in tempore, vir grandæuus D. Gul. Wickham Winton. Epiſc. viuere mundo deſijt, cuius ſumptibus & induſtria quotidie clerus Anglicanus augmentatur & creſcit. Nam in Wintonia conſtituit collegium nouellis Grammaticis, & in Oxonia ſubtilioris ſcientiæ clericis fundauit domum. Exhibentur autem in vtroque loco centum perſonæ de ſumptibus prouiſis per eundem. Menſe Octobris, primo die menſis obijt Romæ Papa Bonifacius 9. cui ſucceſſit Epiſcopus Bononienſis, & vocatus eſt Innocentius 7. alias dictus Coſmatus gentilis, vir per omnia dignus nomine & gradu tanto.

Anno 1405. circa feſtum S. Valentini capti ſunt filij Comitis Marchiæ & abducti, ſed cito poſt recepti de caſtro de Wyndeleshores. Faber ferrarius qui claues finxerat, per quas patebat ingreſſus ad eos, truncatione manuum atque capitis eſt mulctatus. Domina de Spencer relicta domini Tho. de Spencer nuper occiſi Briſtolliæ, dum fugit vt fertur ad Howenum Gleyndor cum filio octenni capta eſt, & cunctis theſauris ſpoliata, perque regios ad regem reducta, cuſtodiæ arctioris ſubijt nocumenta.

Poſt feſtum Purificationis Rex accerſitis Londonias regni Baronibus, tractabat cum eiſdem de regni regimine, deque pecuniali ſubuentione ſibi ferenda, ſed proceres regijs votis tunc minime paruere. *Subſidium regi negatum.* In quadrageſima vero ſequente, Rex conuenire fecit apud Sanctum Albanum, clerum, regnique Barones pro præmiſſo negotio, ſed proceribus renitentibus nil actum fuit. Diſceſſeruntque cuncti velut in concordi diſcordia penes Regem in vigilia palmarum.

Sub hijs diebus Comes Mareſchallus Thomas Moubray, armis inſtructus acceſſit ad Archiepiſcopum Eborum magiſtrum Richardum le Scroope, dubium an voluntate motus propria, an à Pontifice ſolicitatus vt veniret. Eoque tempore dominus de Bardolfe Thomas, adiuit Comitem Northumbriæ dominum Henricum Percy, eo animo vt moleſtarent Regem, vt ex poſt apparuit manifeſte. Sed Archiepiſcopus atque Comes Mareſchallus, non diu celauere propoſitum, quin mox palam facerent intentum ſuum. De Comitis nempe Northumbriæ, dominique de Bardolf vt fertur confiſi ſolatio, ciues Eboraci cum multis alijs euocauerunt in magno numero, vt ſtarent cum ipſis pro regni commodo, communiumque ſalute. Et vt promptiores redderentur ad præſens negotium fixerunt articulos, in oſtiis monaſteriorum & eccleſiarum vrbis ſcriptos in Anglicis, pro quibus oportuit eos voluntarie in armis eſſe.

Lectis igitur articulis, milites, armigeri, plebs vrbana & ruſtica, intellecto pio propoſito, in magno valde numero, Pontificem conſtipauere, quem cunctis commendabant & ætatis grauitas, & vitæ præcedentis ſanctitas, & incomparabilis literaturæ ſcientia, & cunctis amabilis ipſa perſona.

Comes

Comes Weſtmerlandiæ, qui cum filio Regis Iohanne tunc prope fuit, audito rumore præcedentium, congregatis copijs feſtinat occurrere pontificali turbæ, priuſquam multiplicata facile vinci non poſſet. Sed fruſtra. Nam manus Archiepiſcopalium, multo fortior erat gente ſua. Miſit ergo qui peterent cauſam tantæ conglobationis, & cur contra pacem regiam adeſſent armati. Archiepiſcopus reſpondit, ſe nil moliri contra pacem regiam, quinimo cuncta pro pace tranquillitateque facere, armari vero ſiue vallari hominibus tantum ob metum regium, ad quem alloquendum tutum non haberet acceſſum, ſine multitudine aſſentatorum. Propoſitum vero ſuum, Regis & regni fore commodum, ſi forte noſcere vellent illud. Demonſtrauitque ſchedulam, qua articuli continebantur. Quam cum legiſſet Comes Weſtmerlandiæ, verbo vultuque laudauit palam præſulis pium ſanctumque propoſitum, ſpondetque ſe velle proſequi cum ſuis propoſitum Archipræſulis, vnde petit vt accedat cum paucis in medium, ſecum habiturus colloquium, & ipſe cum paucis obuiaret ſibi adæquatus numero perſonarum. Antiſtes gauiſus, credit verbis conſulis, perſuadetque Comiti Mareſchallo etiam nolenti ſecum procedere ad locum colloquio deputatum. Ad quem cum pari numero conueniſſent, cum perlecta fuiſſet charta de articulis, mox Comes & qui cum eo erant præbuerunt aſſenſum dictis articulis & fauorem. Tunc Comes aſtutior cæteris, ecce inquit finis optatus aſſumpti laboris, iam diu eſt quo populus perſeuerauit in armis, renunciet ex veſtris aliquis genti veſtræ, vt domum redeant, arma deponant, & ſolitis occupationibus operam dent conſuetam. Nos interim in ſignum concordiæ bibamus pariter, cernente populo partis vtriuſque. Nec mora datis dextris, miles emittitur de parte præſulis, qui renunciet pacem populo, iubeat vnumquemque depoſitis armis ſua reuiſere, quoniam iam partes in vnam ſententiam conuenere. Illi vero videntes ſigna pacifica, proceresque combibentes, feſſi ex inſueta militia læti lora vertere. Sicque factum eſt, vt illis recedentibus creſceret ex condicto paulatim aduerſorum numerus, nec prius intellexit Archiepiſcopus ſe ſeductum, quam per manus fuit Comitis arreſtatus. Comes etiam Mareſchallus eſt arreſtatus cum multis alijs per eundem. Quibus omnibus indemnitas eſt promiſſa, ſed nullatenus obſeruata, quia tam Præſul quam Comes decollatus fuit poſtea veniente Rege ad Eboracum in craſtino Pentecoſtes. Quo facto patuit illud febricitantis Bridelington vaticinium fore verum, prædicentis ſatis obſcure præſens factum, ſub hijs verbis:

Archiep. Ebor. inſurrectio.

Archiep. decollatus.

Pacem tractabunt, ſed fraudem ſubter arabunt,
Pro nulla marca ſaluabitur ille Hierarcha.

Archiepiſcopo decapitato qui ſatis conſtanter necem tulit, martyrio pulchro finitus vt vulgares opinabantur, qui etiam aſſeuerabant miracula quædam facta fuiſſe tam in campo quo decollatus eſt, quam in loco quo ſepultus eſt, illico vulgus promiſcuum cœpit obnixe colere cineres antiſtitis iam defuncti, quem dilexerant per ante viuentem, donec per quoſdam regales prohibiti, præſulis monumentum reuiſere metuebant.

Corpus vero domini Tho. Moubray Comitis Mareſchalli permiſſione Regis ſepultum eſt in eccleſia cathedrali, multis dolentibus vicem eius: ſed caput eius fixum in ſtipite ſtetit ſupra muros vrbis longo tempore, expoſitum feruori atque pluuiæ. Quod tandem cum Rex annuiſſet vt conſepeliretur corpori, ferunt inuentum fuiſſe, in nullo fluxum, in nullo marcidum, in nullo penitus decoloratum, ſed eundem prætuliſſe decorem, quem viuens obtinuerat.

Rex poſt hæc ciuibus Eboracenſibus mulctatis ad libitum qui cum Archiepiſcopo ſenſerant, promouit exercitum ad perſequendum Comitem Northumbriæ & D. Tho. Bardolf omne præparamentum belli ſecum contrahens, & exercitum 37000. pugnatorum. Comes Northumbriæ comperto Regis propoſito, Berwicum ſe tranſtulit.

Eo tempore nuntij Regis Daciæ, Norwegiæ & Suauiæ venientes in Angliam, petiere Regis filiam in coniugium domino ſuo. Horum præcipuus fuit Epiſcopus Soluienſis, qui cum ſcriptore præſenti Chronicæ de vita S. Albani, cuius peroptime nouit & communicauit hiſtoriam, eo quod in Danemarchia martyr noſter celebris habeatur.

Interea Rex firmans faciem contra Comitem Northanhumbriæ, venit Berwicum. Comes vero à facie formidinis eius fugit in Scotiam, & dominus de Bardolf cum eo: quos D. Dauid Flemming Scotus in fide ſua ſuſcepit. Rex autem cum cognouiſſet fugam Comitis, mandauit hijs qui erant in caſtello, vt illud ſibi redderent, quod cum illi præciſe negarent, incendit gunnam magnam, cuius vnico iactu deiecit partem vnius turris, & incluſos tantum terruit, vt mallent obijcere ſe ſponte gladijs, quam expectare ſecundum iactum. Redditum eſt ergo caſtrum Regi, & de defendentibus partim fuere decollati, partim carceribus mancipati. Quo recepto & pro votis diſpoſito caſtrum de Alnewik & cætera

Berwicum redditum.

Digitized by Google

tera caſtra Comitis reddita ſunt faciliter in manus Regis. Quibus ſucceſſibus Rex elatus rediuit incunctanter Walliam, vbi è contrario nil ſibi ceſſit proſperum, ſed velut infortunate omnia gerebantur. Quapropter nullo perfecto negotio reuerſus eſt, currus, carectas, & plauſtra perdens numero quinquaginta, prout fertur cum theſauro maximo, & coronis ſuis per aquarum inundationes ſuperuenientes improuiſo. Venit ergo Wigorniam, & accerſitis Archiepiſcopo & alijs Epiſcopis, pateſecit eis infortunium quod acciderat, petens ſibi ſuccurri per eoſdem, cui reſpondit Archiepiſcopus, ſe cum clero ſuper iſto negotio tractaturum.

Medio tempore Gallici venientes in ſuccurſum Wallici, id eſt, Howeni Gleyndor cum 140. nauibus applicuerunt in portu de Milforde, amiſſis primo pro penuria recentis aquæ pene omnibus equis ſuis.

Dominus de Berklee & Henricus Pay combuſſerunt ex eiſdem nauibus 15. in eodem portu. Dicti vero Gallici obſederunt vrbem Carmardin & ceperunt, conceſſis prius defenſoribus omnibus bonis mobilibus cum licentia ſe transferendi quocunque vellent.

Sub eodem tempore captæ ſunt naues 14. per ſupradictos D. de Berklee, & dominum T. de Swinbourne, ac Henr. Pay dum velificarent verſus Walliam ad auxiliandum Howeno. In quibus Seneſchallus Franciæ, & alij ſeptem capitanei capti fuere.

Villa de Royſton conflagrauit in die tranſlationis beati Martini.

Comes Arundeliæ duxit Londonijs in vxorem filiam Regis Portingaliæ Notham, ſatis magnifice, præſentibus Rege Angliæ & regina, in craſtino Katherinæ.

In feſto conceptionis S. Mariæ eadem domina Regis filia, præconis voce proclamata eſt regina Daciæ, Norwagiæ, & Suauiæ ſiue Sueſſiæ in præſentia nuntiorum, qui eam venerant petituri.

Anno 1406. Dominus Rogerus de Waldene debitum naturæ ſoluit, qui varia fortuna vectus, expertus eſt ſub breui tempore, quam ſit inconſtans, incerta, volubilis ipſa, errans, inſtabilis, vaga, quæ dum ſtare putatur, occidit, & falſo mentitur gaudia vultu. Nempe per hanc ex pauperculo, ſactus eſt regni theſaurarius, & mox Cant. Archiep. quo iure mundus nouit, viuente D. Tho. de Arundelia. Et illico deiectus & priuatus per longa tempora, tandem leuatur iterum in Londoniarum thronum per annum, quo tamen non eſt permiſſus gaudere per annum, huic ſucceſſit D. Nich. Hobwith.

Rogeri Walden fortuna.

Hoc in tempore dominus Papa, peremptores Rich. Scroope quondam Eborum Archiep. publice excommunicauit.

Eo tempore inchoatum eſt parliamentum, quod protelabatur inutiliter fere per annum. Quia poſtquam parliamentales milites diſtuliſſent diu concedere Regi ſubſidium, in fine tamen fracti, conceſſere taxam petitam, grandi communitatis damno. Nam propter hanc dilationem, expenſæ militum æquiparabant pene ſubſidium poſtulatum. Per clerum autem noua taxa Regi conceditur leuanda de preſbyteris ſtipendiarijs, & fratribus mendicantibus, ac alijs religioſis qui annalia celebrabant, vt horum quilibet dimidiam marcam Regi daret in releuationem Cleri videlicet, qui ſemper onus portauerat pro eiſdem.

Taxa cleri & populi.

Per idem tempus Comes Northumbriæ & D. de Bardolfe monitu Dauid Flemming fugerunt in Walliam, pateſecerat nempe illis conſpirationes Scotorum, qui conſpirauerant illos tradere Regi ſuo, pro quorundam captiuorum commutatione. Ob quam cauſam Dauid à Scotis occiditur, & Scoti prouocantur ad inteſtina bella, in tantum vt inualeſcente diſcordia, treugas annales petere cogerentur. Quibus firmatis in terra, Scoti miſere per æquora filium Regis ſui & hæredem, vt coaleſceret & informaretur in Francia de facetia, linguaque Gallica. Quem quidam nautæ de Cley cepere fortuito, & quendam Epiſcopum, Comitemque de Orkeney, quibus commiſſus fuerat à patre ſuo, & ad Angliam deduxerunt Regique dederunt. Rex vero reſolutus in iocos, dixit: Certe ſi grati fuiſſent Scoti, hunc miſiſſent mihi iuuenem inſtruendum, nam & Ydioma Franciæ ego noui. Miſſique ſunt ad Turrim Londoniarum dictus Iuuenis, & Comes Orkeney, Epiſcopo per fugam lapſo.

Eo tempore dum Galli in ſuccurſum properant Howeni Gleyndor, cum ratibus 28. captæ ſunt ex eis octo naues armatis refertæ, reliquis in Walliam euadentibus nocticuloſe. Non multo poſt captæ ſunt naues 15. portantes vinum & ceram, per mercatores noſtros ad maris cuſtodiam deputatos.

Papa contradicitur à Rege.

Papa contulit Archiepiſcopatum Eborum magiſtro Roberto Alum Cancellario Oxonienſi tunc in curia exiſtenti. Sed Rex Angliæ indignatur & contradicit.

Hac

Hac æſtate rex & regina perduxerunt puellam virginem regis filiam ex priore coniuge procreatam ad villam de Lenna, vt inde transfretaret in Daciam ad ſponſum ſuum regem. Hanc comitabantur nobiles, inter quos Epiſcopus Bathonienſis erat, & D. Rich. frater Ducis Eboraci: qui redeuntes expleto negotio, parum vel nihil boni de patria retulerunt.

Circa finem Autumni D. Henricus le Spenſer Epiſcopus Norwicenſis ingreditur viam patrum, vir qui & militis ſuo tempore conſummauit officium, & pontificale non neglexit debitum. Cuius loco Monachi Norwicenſes elegerunt Alexandrum commonachum & priorem ſuum.

Adhuc durante parliamento, reſtitutus eſt Dux Eboraci dignitati priſtinæ, qui putabatur à multis obijſſe in carcere.

Comes Cantij duxit in vxorem filiam domini de Mediolano.

Hoc anno die S. Clementis Apoſtolica ſede vacante per obitum nuper Innocentij Papæ 7. Cardinales conſiderantes Chriſtianæ religionis infamiam contractam ex peſtifero ſchiſmate, quod tantis proh dolor temporibus perdurauit, conuenerunt, vouerunt *Cardinalium votum de Papatu.* Deo ac eius matri Mariæ, & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, totique cœleſti Curiæ iurauerunt, & ad inuicem vnus alteri & è conuerſo ſe obligando ſolemniter promiſerunt, quod ſi quis eorum aſſumptus foret ad apicem ſummi Apoſtolatus, renunciaret effectualiter iuri ſuo, & papatui, ſi & quando Antipapa, qui eſt & pro tempore fuerit, conſimiliter renunciaret ac cederet, & Anticardinales ſic conuenire ac concorditer vellent cum eiſdem dominis & ſacro collegio, ſic quod ex ipſis duobus collegijs inæquaretur iuſte canonica electio vnius Romani Pontificis, ac etiam promitterent ſe facturos & curaturos, quod ſi quis ex dominis abſentibus vel extra Collegium per eos aſſumerentur in Papam, eandem faceret obligationem. Quodque nullus eorum à prædictis promiſſione, voto, & obligatione, abſolutionem peteret vel impetraret. Et ad maiorem præmiſſorum firmitatem, quilibet ex dominis de collegio ſupradicto, manu ſua ſubſcripſit. Elegerunt itaque dominum Angl. tituli S. Marci presbyterum Cardinalem Conſtantinopolitanum, & vocauerunt Gregor. 12. Qui eodem die poſt electionem, votum, ſacramentum, & promiſſionem, prout ſuperius continetur, in præſentia dictorum Cardinalium & teſtium ſic manu propria ſubſcripſit: *Ego Gregorius hodie die vltimo menſis Nouembris*, An. 1406. *aſſumptus in Romanum Pontificem, iuro, voueo, promitto, ac confirmo omnia ſupradicta, &c.* Coronatus eſt autem die S. Andreæ Apoſtoli, vir annorum circiter octoginta.

Circa feſtum S. Martini cum rates Anglicæ verſus Burdegalim curſum tenderent, & infrequentatum mare noſtris hactenus attemptarent, quatuor naues de villa de Lenna nauigantes incautius, inciderunt ſubito in caribdim, quæ dicitur eſſe in mare Hiſpanico, & cernentibus ſocijs abſorptæ ſunt. Nam illic dicitur eſſe mare vertiginoſum, quod occul- *Naues ſubmerſæ* tis gurgitibus naues ſorbet. Ter enim in die ſtringit fluctus, & ter vomit. Aquas itaque accipit vt vomat, vomit vt accipiat, vnde Naſo:

Euomit epotas dira caribdis aquas.

Doctæ ſunt ergo reliquæ priorum periculo, vela reflectere de tam pernicioſo pelago, venereque ſaluæ Burdegalim, ſed numero diminuto.

Appropinquante natali dominico, exactum eſt inſtantius vt Regi prouideretur de pecuniali ſubſidio, ſicque tandem conceſſa fuit ei quinta decima de communi populo. *Quinta decima.*

Anno 1407. ſoluta eſt obſidio villarum de Burgh, & de Bloy in Waſconia facta per Ducem Aurelianenſem, qui cum 50000. venerat ad ſubuertendum illas. Sed Deo diſpenſante qui ſuperbos humiliat, nulla dies per octo hebdomadas illuxit ei ſine tempeſtate pluuiarum, niuis, & grandinis mixtæ cum ventis & fulmine, quę tam homines ad mortem compulit quam iumenta. Quibus infortunijs fertur 6000. hominum perdidiſſe. Et qui in aduentu ſuo ſuper fortunam ſuam nimis ambitioſus fecerat deportari ſupra caput ſuum à quatuor militibus pannum aureum, iam reuertens inglorius, gaudebat ab imbribus ceſſare cœlum.

Per idem tempus Henricus Pay & quidam de 5. portubus cum nauibus 15. in mari Britannico, 120. naues anchorantes onuſtas ferro, ſale, vinoque de Rupella ceperunt.

Epiſcopus Sarum Rich. de Mithforde ſeculo valefecit.

Eo tempore fixæ ſunt ſchedulæ multis in locis Londonijs, quibus continebatur, *Rumores Rich. veniſſe.* quod Rex Richardus viueret, & in proximo venturus eſſet, in magnificentia & gloria accipere ſibi regnum. Sed non multo poſt captus & punitus, auſus tam temeratij ſtultus commentor, ex mendacio multorum conceptam lætitiam temperauit.

Hac æſtate ex aeris corruptione tanta peſtis humanis eſt infuſa corporibus, quanta *Peſtis Londini.*

non eſt viſa per annos plurimos in hac terra. Ita vt dicam, lætiferis calidi ſpirarunt æſtibus auſtri. Peſtis etiam in magnæ dominatur mœnibus vrbis, nam & Londonijs conſumpſit infra breue tempus, ad triginta milia ſexus vtriuſque. In villis vero ruralibus, peruenit ad miſeros damno grauiore colonos, vt multæ domus quondam frequentibus lætæ familijs, penitus vacuarentur.

Eodem tempore prout videbatur in vnam conuenire ſententiam, Papa Romanus & Antipapa per literas directas ad inuicem, attamen non dum finis.

Sub hoc tempore Gallici ceperunt munitionem de Aye, & deſtruxerunt, ac bona inibi reperta rapuerunt, vnde dolentes ſtipendiarij Caleſiæ, ceperunt & ipſi caſtrum de Pomle, & ibidem bona reperta copioſa valde, Caleſiam comportarunt.

Prope medium menſis Iunij cum Papa Gregorius ſe paraſſet ad proficiſcendum Sauonam iuxta condictum inter ipſum & Antipapam, gratia vnionis faciendæ in Eccleſia Dei, repente Dæmonis inſtinctu ſuperuenit Rex Neapolis & ante portam ſancti Laurentij conſedit cum exercitu, vnde dominus Papa confugit cum Cardinalibus in caſtellum ſancti Angeli, & accerſito nobili viro Paulo Vrſino, iuſſit vt eum manu militari valida opem ferret. Qui commiſſa pugna, peremit 70000. de hoſtibus Eccleſiæ, nobilibus multis captis.

Rex vero mœrore plenus aufugit & inglorius Neapolim repedauit. Hac occaſione retardatum eſt negotium vnionis & pacis in eccleſia ſancta Dei.

Knolles moritur. Circa feſtum aſſumptionis beatæ virginis, D. Rob. Knolles, diem clauſit extremum. Cuius arma regnum Franciæ ſenſit, & expauit infeſta Ducatus Britanniæ, verebatur Armoricæ, atque pertimuit gens citerioris Hiſpaniæ. Qui præter laudem quam ſibi peperit in geſtis Martijs, conſtruxit pontem, vltra flumen de Medewey iuxta Roffam, prouexitque domum fratrum Carmelitarum Londonijs, fundauitque collegium ſecularium clericorum apud Pontem fractum, & alia multa laudabilia conſummauit.

Eodem anno Guido de Mone Meneuenſis Epiſcopus præſentis lucis ſenſit eclipſim, qui dum vixit magnorum malorum cauſa fuit.

Sub eodem tempore M. Henricus Bowet ad inſtantiam Regis tranſlatus eſt, ab Epiſcopatu Bathoniæ ad Archipræſulatum Ebor. Et M. Rob. Aluco cui Papa prouiderat de Archiep. Ebor. thronum conſcendit Sariſb. vacantem per mortem M. Clickhole de Chichley. Magiſter vero Rich. de Clifford, de Pontificatu Wigorn. tranſijt ad ſedem Londoniæ, Tho. vero Peuerell ab Epiſcopatu Landaphenſi, transfertur ad cathedram Wigorn.

Hac æſtate D. Henricus Princeps Walliæ cepit per obſidionem caſtrum de Aberuſtwith, ſed non multo poſt Howenus Gleyndor fraudulenter illud intrauit, & nouos cuſtodes impoſuit.

Menſe Nouembris, facto parliamento Londonijs facta fuit leuatio pecuniæ de toto regno.

Hyems dura. Anno 1408. fuit hyems aſperrima ex niuium abundantia durans, per menſes Decembris, Iannarij, Februarij, atque Martij, vnde contigit pene cunctas volucres, de genere inaniſcorum vel merularum fame frigoreque perire.

Eo tempore Rege tenente conſilium grande Londonijs cum regni magnatibus, Comes Northumbriæ, dominuſque Tho. de Bardolf, fatis iniquis vrgentibus in Angliam *Inſurrectio.* rediere. Qui poſt longam equitationem cum perueniſſent ad villam de Thrisk, proclamari feeerunt, vt quiſquis libertatem cuperet, arreptis armis eos alacriter ſequeretur. Igitur ſecuti ſunt eos plurimi, putantes ſibi cuncta pro votis accidere.

Vicecomes vero de Euerwike cum militibus patriæ illis occurrentes iuxta Heſelwood commiſſo graui prælio Comitem interemit. Cuius caput illico præciſum eſt. D. de Bardolf ex vulneribus acceptis ſaucius captus eſt viuus, ſed cito poſtea defecit in mortem. Facta ſunt hæc quantum ad bellum 11. Kalend. Martij, completaque putabatur prophetia, quæ præmiſſa prænunciauerat ſub hoc inuolucro: *Stirps Percitina periet confuſa ruina.* Nempe dominus iſte ſtirps fuit cunctorum de nomine Percy ſuperſtitum, & aliorum plurimorum varijs cladibus finitorum. De cuius infortunio vulgus non parum doluit, recolens viri magnificentiam, famam & gloriam, applicans ſibi Lucani carmen lugubre ſic dicentis: Sed nos nec ſanguis, nec tantum vulnera noſtri, affecere ſenis, quantum geſtata per vrbem, ora ducis. Quæ transfixo deformia pilo vidimus. Nam caput eius veneranda decoratum canitie, pilo ſuppoſitum, per vrbem Londoniarum publice deportatum, ſuper pontem confuſibiliter eſt locatum.

Pontifex Bangorienſis captus cum prædictis dominis donari vita meruit, eo quod inermis captus fuit.

Poſt

Poſt mortem prædictorum procerum, vires aſſumpſit inuidia, ſucreuitque delatorum turba in boreali patria, quæ patriotas accuſare ſtuduit de impenſo fauore dictis dominis. Quorum clamore Rex excitus perrexit Ebor. ad faciendum iudicium tranſgreſſorum. Vbi cum multos damnaſſet, plurima confiſcaſſet, patriam pacificaſſet, ſuſpenſo Abbate de Hayles, qui cum præfatis dominis armatus ſteterat, redijt ad partes auſtrales.

In craſtino Sanctæ Mariæ Magdalenæ in concilio cleri celebrato Londonijs, aſſiſtentibus Doctoribus vniuerſitatum Cantebrigiæ & Oxoniæ, tractatum eſt de cenſu, & obedientia Papæ ſubtrahendis vel non ſubtrahendis, qui contra votum & iuramentum præſtitum ſe ſubtraxit à loco, vbi iuxta pacta de ceſſione pro parte ſua, procedendum fuerat, ad vnionem in eccleſia facienda m.

Eo tempore Dux Aurelianorum dum ſcortis, ſtupris, inceſtibus vacat & adulterijs in regno Franciæ, peremptus eſt à quodam milite, cuius coniugem adulterare conſueuit. Dux Burgundiæ quia præſumpſit factum defendere militis proſcriptus, & multis affectus incommodis, Franciam dereliquit, ſed ex poſt captus & incarceratus, ſolurus eſt ſub pacto Caleſiæ capiendæ. *Dux Aurel. in ſtupris captus.*

In vigilia natiuitatis beatæ Mariæ, tanta fuit inundatio pluuiæ, quantam ſenes & veterani antea non viderunt.

Dominus Edmundus Comes Cantiæ dum obſidet caſtrum de Briaunt in Britannia, ſpiculo baliſtæ vulneratur in capite. Cepit tamen caſtrum & deſtruxit funditus. Nec multo poſt putreſacto cerebro mortem incurrit.

Circa feſtum omnium ſanctorum venit in Angliam Cardinalis Burdegalenſis vir potens in opere & ſermone, miſſus à collegio Cardinalium ad informandum Regem regnique clerum, de inconſtantia Papæ Gregorij, prout prius edocuerat Regem Franciæ & incolas regni eius, quatenus hij duo Reges, qui cenſebantur in orbe præſtantiſſimi, manus apponerent adiutrices ad inducendum dictum Gregorium, ad ſeruandum iuramentum præſtitum, vt ipſorum duorum Regum authoritate magnifica, vnio fieri poſſet in eccleſia. Cui negotio Rex Franciæ libens annuerat, & ſolemnes Gregorio nuntios deſtinauerat, licet tergiuerſanti & indurato. Quamobrem Rex Franciæ ſecurus conſilia Doctorum vniuerſitatum Pariſiorum & Louanienſium, Aurelianorum, Tholoſanorum, & montis Peſulani, ad euitandum pœnas fautoris ſchiſmatis, neutri de Papatu contendenti decreuit obedire, donec pax haberetur in eccleſia Dei.

Rex Angliæ cum intellexiſſet propoſitionem Cardinalis, exhiberi ſibi iuſſit omnem humanitatem offerens ſumptus ſibi largiſſuos quam diu cuperet in Anglia perhendinare.

Anno 1409. poſt Epiphaniam conuocauit dominus Cantuar. regni clerum Londonijs ad eligendum perſonas idoneas, quæ proficiſcerentur Piſas ad concilium generale, inter quas eliguntur Magiſter Robertus Alum Sariſburienſis Epiſcopus cum alijs viris doctis & prudentibus. *Generale concilium Piſis.*

Præmiſerat autem Rex Angliæ ambaſſiatores ad Papam Gregorium, & Cardinales, dominum Ioh. Coluile militem, & Magiſtrum Richar. Rixton Clericum cum literis exhibendis eiſdem. Et quidem in litera Papæ directa, inter cætera ſcribitur ita: Beatiſſime pater, ſi ſedis Apoſtolicæ dignaretur attendere prouidentia, quanta quaſi per vniuerſum orbem pericula prætextu ſchiſmatis emerſere, & potiſſime de ſtrage populi Chriſtiani, quæ vltra ducenta millia perſonarum vt aſſeritur ex guerrarum fremitibus in diuerſarum mundi partibus exortarum, & iam pridem ad numerum 30000. ratione diſſentionis habitæ ſuper Epiſcopatu Leodienſi inter duos, vnum ſcilicet authoritate domini veri Pontificis, & alium authoritate Antipapæ titulo contendentes, in bello campeſtri (quod dolenter referimus) fuerant interfecti. *Literæ Regis ad Papam.*

Profecto iam dicta ſedes anxiaretur in ſpiritu, & iuſto dolore torqueretur in mente, dictanteque bona conſcientia, potius Apoſtolicæ ſedis honorem relinqueret quam huiuſmodi deteſtanda conniſi de cætero, ſub diſſimulationis clamide tolleraret, exemplum ſumens de vera matre, quæ coram Rege Salomone contendens ceſſionem potius elegerat quam filij ſectionem. Et quamuis ex illa noua creatione nouem Cardinalium, contra iuramentum veſtrum, vt aliorum verbis vtamur, vltimo per vos factum, de qua vehemens admirationis cauſa conſurgit, poſſit aliquatenus præſertim prout veriſimile eſt cenſendum, intentionem veſtram ad finem ſchiſmatis non intendere, abſit tamen à ſeculo ſemper, quod ſedes veſtra circumſpecta de tanta mentis inconſtantia notaretur ab aliquo, vnde nouiſſimus error priore deterior haberetur. Hæc decerpſimus de epiſtola,

quam Rex direxit Papæ, vt cunctis liqueat, quam ſobrie, quam modeſte, tentauit Papam inducere ad votum iuramentumque ſoluendum, ne per eum ſtare videretur, quo minus in Eccleſia vnitas reformaretur. In epiſtola vero directa Cardinalibus inter cætera ſcripſit ſic: Cupientes oſtendere quantum zelum habuimus, & habemus vt pax detur Eccleſiæ de conſenſu ſtatuum regni noſtri, domino ſummo Pontifici literas noſtras tranſmiſimus, iuxta ſeriem copiæ præſentibus interclusæ effectualiter exequendas. Veſtrum itaque venerabilem cœtum affectuoſe precamur, quatenus ſi contingat eundem Gregor. interreſſendo generali concilio apud Piſas & cedendo Papatui, iuxta votum & iuramentum per ipſum vicibus iteratis emiſſum acquieſcere votis veſtris & noſtris, prout cupimus & tenemus ipſum facturum, pro ſtatu ſuo taliter ordinare velitis, vt præcipue Deus exinde placetur, & tam ipſe Gregorius quam nos, qui non immerito ſuum honorem & commodum ex affectu diligimus, vobis & ſingulis veſtrum merito teneamur ad gratiarum vberes actiones.

Anno 1410. iuxta condictum conuenere Piſas domini Cardinales vtriuſque Collegij viz. Gregorij & Benedicti, vt ſuper reformatione vnionis tractarent tam effectualiter quam finaliter, occurrentibus ad eundem locum pene totius orbis latini prælatis & viris venerabilibus electis ad ſuffragandum Cardinalibus in hac cauſa, ſic quod factus eſt ibidem numerus maximus mitratorum. Qui inuocata ſpiritus ſancti gratia conſenſerunt in vnam perſonam, ac elegerunt vnum qui caput eſſet totius Eccleſiæ duobus alijs abdicatis, vocaruntque nomen eius Alexandrum 5. licet Gregorius & Benedictus, qui ſe de concilio prædicto ſponte ſubtraxerant, procaciter obgrunnirent.

Alexander 5. electus.

Hic Alexander in primordio ſuæ creationis conceſſit omnibus vere confeſſis & contritis, qui manus adiutrices apponerent Eccleſiæ ſiue prioratui Sancti Bartholomæi Canonicorum de Smithfeld Londonijs, ſcz. die cœnæ Domini, die Paraſceues, ſiue ſancto Sabbato Paſchæ, ac etiam in feſto Annunciationis beatæ virginis, à primis veſperis vſque ad ſecundas veſperas, & quolibet iſtorum dierum plenam remiſſionem omnium peccatorum.

Creati ſunt hoc anno D. Tho. Beufort in regni Cancellarium, & D. Henricus Scroope in theſaurarium.

Facto parliamento Londonijs ſub diebus quadrageſimæ, quidam laicus, arte faber, dum pertinaciter defendit hanc hæreſim, quod videlicet non eſt corpus Chriſti, quod ſacramentaliter tractatur in Eccleſia, ſed res quædam inanimata peior buſone vel aranea, quæ ſunt animalia animata, nec vellet opinionem iſtam deſerere, traditus eſt iudicio ſeculari. Cumque damnatus eſſet, & in Smithfeld includendus dolio, dominus Princeps, Henrici Regis primogenitus, qui tunc affuit, ad eum acceſſit, conſuluit, monuit vt reſipiſceret. Sed neglexit perditus nebulo tanti Principis monita, & elegit potius comburi quam ſacramento viuifico deferre reuerentiam. Quapropter dolio includitur, affligitur à deuorante flamma, mugitque miſerabiliter inter incendia. Clamore cuius horribili dominus Princeps motus, iuſſit ignis materiam ab eo ſubtrahi, ardorem longius amoueri. Conſolatur pene mortuum, promittens nunc etiam ſe victurum & conſequuturum veniam, ac ſingulis diebus vitæ ſuæ ſi reſipiſceret de fiſco regio tres denarios perceptutum. Sed miſer refocillato ſpiritu, reſpuit tantæ dignationis oblationem, non dubium quin maligno ſpiritu induratus. Quamobrem iuſſit dominus Princeps eum iterum recludi dolio, gratiam nullam conſequuturum de reliquo. Vnde contigit, quod illic ad fauillas arſit ardelio miſerabiliter mortuus in peccato ſuo.

Hereticus combuſtus.

In hoc parliamento milites parliamentales, vel vt dicamus verius, ſatellites pilatales in maligno poſiti, nulli commoditati regni ſtudentes, ad vnum ſolummodo ſcelus vacant, vt eccleſiam Dei per Angliam ſpoliarent, huiuſcemodi ſchedulam Regi dantes: Excellentiſſimo domino noſtro Regi, & omnibus proceribus in præſenti parliamento conſtitutis, omnes communes fideles demonſtrant humiliter, dicentes veraciter, quod dominus noſter Rex poteſt habere de bonis temporalibus per Epiſcopos, Abbates ac Priores occupatis ac ſuperbe vaſtatis in regno, quindecem Comites, mille quingentos milites, ſex mille ducentos armigeros, & centum xenodochia plura quam nunc ſunt, bene & fideliter ſuſtentata de terris & tenementis nunc inutiliter vaſtatis. Sed cum niterentur oſtendere, de quibus locis tam grandes ſummæ leuari poſſent, vnde præmiſſi dotarentur, ſiue ditarentur, defecerunt, ſcrutantes ſcrutinio, & dum diligunt vanitatem, quæſiuere mendacium. Sereniſſimus autem Princeps, abhominatus tantam Lollardorum malitiam prohibuit ne de cætero præſumerent talia commentari. Cumque cœtus execrabilis Lollardorum militum videret ſe non poſſe progredi in præmeditata malitia petierunt

Lollardorum petitio.

cum

Digitized by Google

cum inſtantia, vt clerici conuicti de cætero non traderentur ergaſtulis epiſcoporum, ſed carceribus regiis & temporalium dominorum, ſed nec hoc quidem conſecuti ſunt. Petierunt etiam vt ſtatutum factum de Lollardis in quo cauetur, vt vbicunque forent deprehenſi dogmatizare doctrinas erroneas, caperentur ſine breui regio, & proximo regis carceri manciparentur, vel mutaretur, vel modificaretur. Et accepere reſponſum, ſe non habituros huius petitionis propoſitum, quin potius ſtatutum ſuper huiuſmodi negotio aggrauandum. Rex vero in præſenti parliamento petiit vt quotannis dum viueret ſine parliamento tenendo, decerneretur ſibi de clero vna decima, & de laicis vna quinta decima, ſed non obtinuit.

Prorelatum eſt ergo parliamentum ab octauis S. Hillarij, fere in medium menſis Maij. Tandem de laicis conceſſa fuit illi vna quinta decima non ſine grandi murmure cõmunitatis.

Hoc tempore dominus Thomas Beufort comes Surrey conceſſit in fata.

Circa nonum diem menſis Aprilis incenſa eſt villa de S. Andamaro, cum abbatia vbi reconditus fuit apparatus execrabilis per ducem Burgundiæ, qui pactus fuerat villam Caleſiæ vel deſtruere, vel Gallorum arbitrio ſubiugare. Ibi machinarum hactenus nullibi conſpectarum multitudo maxima, ibi vaſorum venena continentium quæ proiicienda præordinauerat in dictam villam magna nimis abundantia ſeruabatur. Collegerat ſiquidem ſerpentes, ſcorpiones, bufones, & alia venenorum genera, & incluſerat in paruis cadis, vt dum computruiſſent illic noxiorum carnes animãtium, & in tabem reſolutæ fuiſſent, facta obſidione circa Caleſiam, cados emiſſos è machinis in villam proiiceret. Qui dum confracti fuiſſent iactus violentia fætore peſtifero ſtrangularent incluſos, armatos contactu inficerent, vbique vicos venena ſparſa fædarent. Interea iuuenis quidam ductus auri cupiditate, vel affectu villæ regiæ petiit à rectoribus quid mercedis mereretur, qui villam tanto metu vacuaret, & omnem apparatum quem formidabant incenderet. At illi ſummam fului metalli taxant, qua contentus, digreditur adoleſcens & immiſſo igne, non ſolum combuſſit dictam materiam, ſed pene cum monaſterio totam villam. *Ducis Burgundiæ machina in Caleſiam.*

Alexander Papa 5. electus in concilio Piſis celebrato diem clauſit extremum, cui ſucceſſit Balthazar Bononienſis Archiep. conſenſu vtriuſque partis Cardinaliũ, qui vocatus eſt Ioh. viceſimus tertius. *Alexandri 5. mors.*

Anno 1411. hoſtis humani generis inuidens crementis orbis Chriſtiani, non ſolum graue ſcandalum ſed & magnum diſpendium intulit chriſtianis. Siquidem rex de Crakon tactus affectu chriſtianæ profeſſionis baptizatus eſt in nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis. Qua de cauſa, cuncti noti & amici ſui qui remanſerant in perfidia Sarazenica, ſe elongauerunt ab eo, & conſpirauerunt, vt vel ipſum peruerterent, aut certe bello delerent. Quorum vt comperit molitiones tanquam Chriſticola à vicinis chriſtianis contra hoſtes ſuæ fidei ſubſidium expetiuit. Erant autem ſibi contermini proceres & rectores de le Pruns, qui priuſquam chriſtianus effectus eſſet, conſueuere terras ſuas inuadere & exinde prædas opimas Martio iure referre. Sed iam ratione religionis ceſſare neceſſe fuit. Nihilominus Pruſienſes Heroes comperto quod affines ſui perſequerentur eum, vt afflictum magis affligerent non verentes deum vindicem, bellum ſibi crudele indicunt, quamuis ipſe ab eis ſuffragia contra Sarazenos primitus implorasſet. Itaque conſtitutus inter eudem & malleum, quo ſe verteret ignorabat. Sed tandem animatus vt creditur, & indutus virtute ex alto quo maius imminebat periculum, ſe conuertit. Et licet hoſtes præſtarent & numero & apparatu, inuocato rex Neophitus Chriſti nomine, commiſit cum Pruſienſibus & fecit ſtragem magnam, quo ſucceſſu non ſolum ſibi ſubegit hoſtes, ſed & omnem regionem eorundem. *Rex de Crakon chriſtianus.*

In hoc tamen pie conſulens ſubiugatis vt permitteret eos ſuis auitis gaudere priuilegiis, & mercimonia prout ſoliti fuerant exercere.

Hoc anno Burdegaliæ ex diſſenteria pene 1400. hominum periere, tantumque peſtis inualuit in Acquitania & Waſconia quod vindemiatores & vuarum calcatores in patria defecerunt. *Peſtis.*

Ioh. Predergeſt miles & Gul. Long pelagus præſeruãtes à piratis, mare pacatum reddidere. Sed non tollerauit hoc maleuolorum ſupercilium, quin viros accuſarẽt de furtis, de rapinis, de deprędationibus rerum inconceſſarũ. Quapropter miles Weſtm petiuit aſylum. Non domum vel tigurium vbi caput reclinare poſſet obtinere potuit, metu regis id vetantis ſed in veſtibulo S. Petri, explicatis tentoriis ſibi neceſſe fuerat repauſare, adhibitis lateri ſuo cuſtodibus propter timores nocturnos, qui ſibi ab æmulis parabantur.

Remanſit interim Gul. collega ſuus in pelago, donec Admiralius qui pro tunc fuit naues armaſſet, & ad eum perſonaliter acceſſit, & impunitatem ſib fide inter, oſita ſpopondiſſet. Qua conditione, relictis nauibus ſecurus eſt cum, ſed tamen non obſtantibus promiſſis polliciratiónibus recluſus eſt in Turri Londoniarum.

Cant. repulſus viſitare Oxoniam. Dominus Cantuarienſis dum nititur viſitare vniuerſitatem Oxoniarum, repulſam paſſus eſt.

Guerra mota eſt inter ducem Burgundiæ & ducem Aurelianẽſem filium ducis Aurelianenſis nuper occiſi factione ducis Burgundiæ ſupradicti, ſuffragantibus duci Aurelianenſi, regibus Nauarriæ, & Arragoniæ, ducibus Bituriæ, & Britanniæ, cum Waſconibus & Acquitannis, nec non comitibus de Huys, & de Armanack & multis aliis.

Dux Burgundiæ cui fauit Rex Franciæ & eius primogenitus dictus rector Franciæ cum multis aliis, videns partem contrariam robore fortem, populoſitate numeroſam, diffidens ſuis viribus, miſit ambaſſiatores in Angliam petens per eos regis ſuffragia contra ducẽ Aurelianenſem, offerens plurima, pluraque promittens, inter quæ nuptias filiæ ſuæ promiſit principi, ſimul cum maxima ſumma fului metalli.

Cui rex fertur tale dediſſe reſponſum. Conſiluimus ne cum hoſte veſtro præſumatis in hac cauſa congredi, qui iuſte vos infeſtare videtur, pro nece per vos procurata parentis ſui, ſed quantũ in vobis eſt animum iuuenis exaſperati mitigare ſtudete, ſatisfactionem rationabilẽ iuxta conſilium partis vtriuſque promittẽs. Quod ſi nec ſic à perſecutione ceſſare decreuerit, ſecedite in partes tutiores veſtri dominij, & illic vires aggregate quæ ſufficiãt ad repellendum ſuam violentiam. Si vero poſt hæc bellum contra vos mouerit, ad congrediendum cum eo iuſtius mouebimini. Et in tali cauſa fauorem vobis, quem petitis exhibebimus.

Tranſmiſſi ſunt ergo comes de Arundell, atque comes de Kyme D. de Cobham Iohan. Oldcaſtle & quidam alij cum armata manu, & architenentibus in numero copioſo. Qui cum ſumma gratulatione recepti ſunt per ducem Burgundiæ, ſufficienterque conducti. Sed cum moram Pariſius diutinam protraxiſſent & iam macellarij carius ſolito carnes venderent, ſtatuerunt noſtrates egredi, & ſi fortuna faueret ab hoſte quærere victum ſibi.

Iacuit tunc non procul Aurelianenſis in loco quodam forti cum priuata familia prope villam de Seynclo, in qua magna pars exercitus ſui conſtituta fuit, quaſi media via inter vtroſque. Profecti ſunt ergo Anglici pabulatum proque ſua neceſſitate prouidendum. Dumque villam de Seynclo proponunt inuadere, comperiunt pontem fractum ab hoſte. Cui tabulas licet ſtrictas, longas tamen, hoſtes ſuperſtrauerant, vt egredientes ab ingreſſu villæ noſtros arcerent, & ſi neceſſe foret iuxta qualitatem negotij reuerti poſſent. Pugnatum eſt igitur, & Franci fugati, qui dum meticuloſe fugiunt, per arctitudinem tabularum cadentes in flumen demerguntur. Occiſi feruntur ibidem mille trecenti, cæteris qui in villa fuerunt ad ducem fugientibus, caſumque ſecum ferentibus *Seynclo capitur.* cum ploratu. Qui confeſtim fugiens è diuerſa parte ſaluti ſuæ conſuluit. Noſtri proinde villam de Seynclo deprædantur, captiuos multos ſecum trahunt, Pariſius reuertuntur. Regales & nobiles cum vidiſſent manum magnam quam exercuerat dominus ſuper hoſtes per manum noſtratum, deum pro ſucceſſu nouo laudauere, noſtriſque gratias retulere. Sed quia captiuos ſecum traxerant, qui rei læſæ maieſtatis extiterant, eoſdem captiuos Galli mox iudicialiter punire temptabant. Contradicunt noſtrates, eo quod pacta redemptione ſaluaſſent eos iuxta leges armorum, & timebant perdere ſummas pactas. Quapropter bile repleti dum nituntur ſaluare quos tueri ceperãt, de Pariſiẽſibus plures morte plectunt. Sed tandem recepta pecunia pacta pro redemptione captiuorum de fiſco regis & ciuibus, permiſere Francos gaudere ſuorum proditoribus. Quorum quidam decapitãtur, quidam tormentis variis iuxta morem patriæ mori coguntur. Parliamentum celebratur Londoniis in craſtino animarum.

Ann. 1412. dux Aurelianenſis qui ſe putabat inſuperabilẽ, accepta plaga per Anglos inflicta, mox diſperquiſiuit media, per quæ regem Angliæ, imo & proceres & commune vulgus in affectum ſui poſſet allicere. Introque conſilio ſuper iſto negotio, ſcripſit procuratorium ſub his verbis. Ioh. regis Francorum filius dux Bituriæ & Aluerniæ, Comes Pictauiæ Boloniæ & Aluerniæ, &c. Carolus dux Aurelianenſis & Valeſij, Comes Bleſenſis & belli montis, & dominus Conciati. Ioh. dux Burboun, comes clari montis & foreſtarum, & dominus belli ioci. Et Iohannes Alenkoniæ, id eſt, de Armanacke, & de Pertica, & dominus Filgeriarum.

Notum facimus vniuerſis, quod noſtrum quilibet de probitate & fidelitate, circumſpe-

ſpectione & prudentitia Falconeti,&c.ad plenum confiſi, ipſos & eorum quemlibet præſentium tenore noſtros procuratores fecimus certos,indubitatos,& irreuocabiles, ac nūcios & legatos ſpeciales ad tractandum,& concordandum, & concludendum cum sereniſſimo principe D.Henrico dei gratia rege Angliæ,& illuſtriſſimis eius natis &c.ſuper reſtitutione & traditione reali ducatus Acquitaniæ cum ſuis iuribus & pertinentiis vniuerſis,quæ ad sereniſſimum dominum regem Angliæ hæreditario iure vt aſſeritur pertinent per nos eidem fienda,&c. Poſtquam legati ſuum procuratorium exhibuiſſent,obtulerūt quæ in ſubſcriptis articulis denotantur. *Procuratorium ducis Aurelian.*

Primo, obtulerunt ſua corpora exponenda pro ſeruitio domini regis Angliæ in omnibus ſuis cauſis & exactionibus,ſalua ſemper eorum fidelitate.Scientes quod aliter requirere nollet. *Articuli eorum.*

Secundo, obtulerūt filios ſuos,filias,neptes,nepotes,& vniuerſaliter omnes conſanguineos ſuos pro coniugiis faciendis, ad complendum iuxta diſpoſitionem regis Angliæ.

Tertio, obtulerunt caſtra, villas, theſauros, & alia bona in obſequium præfati domini regis.

Quarto,obtulerunt amicos fere omnes nobiles Franciæ clericos famoſos, ciues honeſtos, qui eis aſſiſtunt,vt de facto patebit.

Quinto, obtulerunt ducatum Acquitaniæ integræ, eodem modo, quo eius prædeceſſores obtinuerunt,nihil excipiendo de pertinentibus ad præfatum ducatum.

Ita quod parati ſunt recognoſcere terras quas tenent à præfato domino rege, & tradere in manu ſua quas poſſunt & reſiduas pro viribus conqueſtant. Ipſi vero petunt reciproce,quod dominus rex Angliæ & ſucceſſores eius,eiſdem dominis aſſiſtant,vſque ad iuſtitiæ complementum contra ducem Burgundiæ, ſcilicet de crimine commiſſo in perſonam ducis Aurelianenſis.

Secundo, petunt quod dominus Rex Angliæ eis aſſiſtat contra ducem Burgundiæ & ſuos fautores,vſque ad reparationem omnium bonorum quę habuerunt illius & ſuorū occaſione cauſæ.

Tertio petunt quod aſſiſtat contra ducem Burgundiæ pro reſtitutione damnorum, & reparatione offenſarum amicorum, vaſſallorum & ſubditorum ſuorum.

Quarto petunt quod eis aſſiſtat pro pace regnorum quantum poterit,&c.

Hoc anno libra piperis 4.ſolidis vendebatur.

Circa feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ cum rex decreto ſui conſilij ſtatuiſſet opem parare partibus ducis Aurelianenſis,miſit filium natu ſecundum D. Thom. ducem Clarentiæ:necnon Edw.ducem Eboraci,dominumque Thom.comitem Dorcetanum, plurimoſque valentes cum valida manu, vt duci præfato ferrent auxilium contra ducem Burgundiæ,nondum reuerſis in Angliam cunctis qui iamdudum cum comite Arundeliæ transfretauerant, ad roborandum partes Burgundionis. Vnde ſuccreuit multis admiratio,qualiter tam repentina facta ſit mutatio,vt ſub temporis tantilli ſpatio cōtingeret Anglos,velut duo contraria conſonare.Profecti ſunt tamē prænotati proceres,& in Nenſtria applicuere. Vbi cum dux Aurelianenſis iuxta condictum, tempore ſtatuto non occurriſſet incenderunt villas ſuas,prædati ſunt vicos,& municipia multa cepere. Tandē licet ſero conuenerunt ad colloquium duces Clarenſis & Aurelianenſis. Habituſque eſt contractus inter eos,vt noſtrates deſiſterent ab hoſtili equitatione, & à prædationibus tēperarent. Quo conceſſo,receſſerunt duces noſtri in Acquitaniam illic hyematuri. Aurelianenſis ad propria ſe conuertit. *Subita mutatio.*

Medio tempore dominus de Heyle Mareſchallus Franciæ,cum multis magnatibus, hominibuſque de armis ad numerum 4000. pugnatorum, obſedit quoddam municipium in Acquitania,quod erat in cuſtodia D. Ioh.de Nouut militis. Qui cum treſcentis auxiliariis fugauit & fudit totum exercitum Gallicorum,captis de nominatis viris 12.& aliis generoſis ad numerum 120.

Anno dom.1413.Rex Henricus tenuit natale apud Elthā,valitudine graui preſſus, ſic quod quandoque mortuus videbatur.Reſumpſit tamen vires, deo volente & dies natalitios iocunditate qua potuit celebrauit.

Poſt natale conuocauit regni proceres ad parliamentum tenendum Londoniis in craſtino purificationis beatæ Mariæ. Sed tamen finem parliamenti non expectauit fato præuentus,die 20. menſis Martij,cum glorioſe regnaſſet annis tredecim & dimidio, præter quinque dies.Sepultuſque eſt,in eccleſia Chriſti Cantuariæ. *Mors Henr.4.*

Eodem anno coronatus eſt Londoniis Henr. primogenitus regis Henric. nuper defuncti,5. Idus Aprilis dominica in paſſione domini.Quo die fuit tempeſtas niuis maxima, cunctis *Coronatio Henricis.*

Digitized by Google

cunctis admirantibus de temporis aſperitate, quibuſdam nouelli regis ſatis impingentibus aeris turbulentiam, velut ipſe futurus eſſet in agendis frigidus, in regimine regnoque ſeuerus. Aliis mitius de perſona regis ſapientibus & hanc aeris intemperiem interpretantibus, omen optimum, quod ipſe viz. niues & frigora vitiorum faceret in regno cadere, & ſerenos virtutum fructus emergere, vt poſſet effectualiter à ſuis dici ſubditis. Iam enim hyems tranſiit, ymber abiit & receſſit. Qui reuera mox vt initiatus eſt regnum inſulis, repente mutatus eſt in virum alterum, honeſtati, modeſtiæ, ac grauitati ſtudens, nullum virtutum genus omittens quod non cuperet exercere.

Cuius mores & geſtus omni conditioni tam religioſorum quam Laicorum in exempla fuere.

Poſt feſtum Paſchæ, tenuit rex parliamentum ſolemne Londoniis, in quo ſubſidium petiit & accepit.

Circa præſens tempus rediit D. Thom. dux Clarentiæ frater regis de partibus Acquitaniæ quem directum diximus in auxilium ducis Aurelianenſis contra ducem Burgundiæ.

Sub hiis diebus, magna pars ciuitatis Norwicenſis repentinis ignibus conflagrauit.

In feſto S. Trinitatis celebratæ ſunt ſolemnes exequiæ regis Henrici & conqueſti 4. Cantuariæ, præſente rege Henrico filio ſuo & hærede.

Schedula Londini affixa.

Eo tempore decretum fuit per cleri conſilium Londini apud Sanctum Paulum celebratum, ad inſtantiam maxime regis nunc, vt feſtiuitas Sancti Georgij Martyris vt duplex feſtum de cætero celebretur. Quod etiam de feſto S. Dunſtani, D. Cantuar. cenſuit faciendum.

Alexander epiſc. Norwicenſis, qui de veterano priore loci prædicti, pontifex factus fuerat, curis ſeculi valefecit. Cui ſucceſſit per electionem Magiſter Rich. de Cortiniaco, dignus qui genere, moribus & ſcientia, conquadraret hunc gradum.

Querela in Ioh. Oldcaſtle.

Eo tempore Lollardi qui doctrinam Euangelicam & Apoſtolicam, atque propheticam deprauabant, fixerunt ſchedulas in valuis eccleſiarum Londoniis, quæ continebant 10000. paratos, ad inſurgendum contra cunctos qui non ſaperent ſectam ſuam. Innitebantur nempe viribus & ingenio cuiuſdam militis qui dicebatur Iohann. Oldcaſtle, qui ob reuerentiam nuptiarum quas contraxerat cum affine nobilis viri D. de Cobham, cognomen dicti dominij eſt ſortitus. Sed tamen propter hæreticam prauitatem valde ſuſpectus.

Eo tempore facta Londoniis cleri conuocatione per D. Cantuar. maxime cauſa prædicti Iohãnis, repertum fuit quod idem Ioh. fuit & eſt principalis receptator & fautor, protector & defenſor Lollardorum, & quod præſertim in diœceſibus Londonienſi, Roffenſi & Herefordenſi, ipſos Lollardos ab ordinariis ſiue diœceſanis locorum minime licenciatos contra conſtitutionem prouincialem inde factam, ad prædicandum tranſmiſit, eorũque prædicationibus nefariis interfuit, & contradictores ſi quos repererat, minis & terroribus ac brachij ſecularis poteſtate compeſcuit, aſſerens inter cætera, quod Cantuariæ Archiep. & eius ſuffraganei non habuerunt nec habent poteſtatem aliquam huiuſmodi cõſtitutionem faciendi, aliterque ſentiit, & ſentit ac dogmatizat & docet de ſacramentis altaris & pœnitentiæ, peregrinationibus & adorationibus imaginum ac clauibus quam Romana eccleſia docet & affirmat.

Quare ex parte totius cleri D. Cantuar. fuerat requiſitus, vt de & ſuper præmiſſis contra eundem Iohan. procedere dignaretur. Qui tamen ob reuerentiam domini regis cuius ad tunc idem Iohann. familiaris extiterat, & ob honorem ordinis militaris vna cum omnibus ſuffraganeis tunc præſentibus, & magna parte cleri, acceſſit ad præſentiam domini regis tunc in prædio ſuo de Kenyngton exiſtentis, declaraturus ei defectus eiuſdem. Ad inſtantiam tamen domini regis cupientis eum ſine dedecore reuocare, ſuſpẽſum fuit negotium magno tempore. Sed cum dominus rex circa reductionem eius longum tempus triuiſſet inaniter, ſignificauit domino Cantuar. ſe circa eum inutiliter laboraſſe. Dominus igitur Cantuar. dictum Iohann. de & ſuper præmiſſis perſonaliter reſponſurum coram eo ad certum terminum decreuit euocandum, ac nuntium ſuum cum literis citatoriis ad dictum Ioh. tranſmiſit tunc in caſtro ſuo de Couling degentem, mandans dicto nuntio, vt dictum caſtrum dicti Iohann. nullo modo ingrederetur niſi licentiatus. Sed per mediationem cuiuſdam Ioh. Buttiler hoſtiarij cameræ domini noſtri regis, ipſum dominum Iohan. requireret quatenus aut daret dicto nuntio licentiam ingrediendi vt citaret eũdem, ſeu ſaltem extra caſtrum ſuum prædictum, faceret ſui copiam, vt ſic citatione

Ioh. Oldcaſtle citatur.

poſſet

poſſet apprehendi. Qui tamen Ioh. Oldecaſtle, dicto Ioh. Buttiler ex parte domini regis ſibi præmiſſa exponenti, publice reſpondit quod nullo modo citari voluit, nec citationem ipſius aliqualiter tollerare.

Hiis auditis dominus Cantuar. decreuit eum citandum per edictum in valuis Roffenſis eccleſiæ ſibi vicinæ publice affigendum, vt compareret coram eo 11. die menſis Septembris, ſuper præmiſſis & aliis hæreticam prauitatem concernentibus perſonaliter reſponſurus. Quo die adueniēte D. Cantuar. in Capella maiori infra caſtrum de Ledis, quod tunc inhabitabat, ſedens pro tribunali, audita & recepta relatione, quod idem Iohann. ſe incaſtellauit & fortificauit in caſtro ſuo prædicto, ac opiniones ſuas defendit, claues eccleſiæ & poteſtatem Archiepiſcopalem multipliciter contemnendo, fecit eum citari publice ac præconizari. Qui cum diu expectatus nullo modo compareret, prout erat merito, contumacem excommunicauit in ſcriptis. Et quia dictus Ioh. in defenſionem erroris ſui contra claues eccleſiæ ſe incaſtellauit & fortificauit, D. Cantuar. decreuit iterato citare dictum Iohan. ſi poſſet apprehendi, vel alias per edictum ſicut prius, vt compareret coram eo die Sabbati proximo poſt feſtum S. Matthæi apoſtoli & Euangeliſtæ proximo futuro, cauſam rationabilem ſi quam habeat, quare contra eundem ad grauiora procedi non debeat, tanquam publicum hæreticum, ſchiſmaticum & hoſtem, & aduerſarium vniuerſalis eccleſiæ, quare etiam pronunciari non debeat, ac auxiliū bracchij ſecularis contra eum ſolemniter inuocari perſonaliter reſponſurus, facturus & recepturus, circa omnia & ſingula præmiſſa quod iuſtitia ſuadebit. Adueniente termino præfixo, D. Cantuar. ſedente pro tribunali in capello S. Pauli Londoniis, aſſidentibus ſibi D. Richardo London. & Henr. Winton. epiſcopis, D. Rob. Murley miles Cuſtos Turris Londoniarum ſecum præfatum D. Ioh. adduxit (nam parum ante per regios miniſtros comprehenſus fuerat & in Turri clauſus.) Cui D. Cantuar. recitauit proceſſum memoratum, quomodo viz. in cōuocatione cleri detectus & delatus extiterat, quomodoque citatus & propter ſuam contumaciam excommunicatus. Vnde D. Cant. gratioſe obtulit & paratū fore promiſit ad abſoluendū eundem. Sed ille abſolutionem D. Cant. petere noluit. Sed diuertēs ad alia, dixit quod libenter recitaret coram D. Cantuar. fidem quam tenet. Extraxitque de ſinu ſuo quandam ſchedulam indentatam, quam tradidit D. Cantuar. poſtquam legiſſet. Qua ſchedula perlecta D. Cantuar. dixit. Ecce domine Ioh. in hac ſchedula veſtra plura bona continentur, ac ſatis catholica. Sed habetis terminum iſtum ad reſpondendum ſuper aliis, errores & hæreſes ſapientibus, quibus per contenta in hac ſchedula non eſt plene reſponſum. Et propterea vos oportet ad eadem reſpondere qualiter ſentitis, & fidem veſtram plenius declarare. Viz. an teneatis, credatis & affirmetis, quod in ſacramento altaris poſt conſecrationem rite factam remaneat panis materialis vel non? Item an teneatis, credatis & affirmetis, quod in ſacramento penitentiæ neceſſarium fuerit, quod habens copiam ſacerdotis confiteatur de peccatis ſuis præsbytero per eccleſiam ordinato. Qui reſpondit expreſſe, ſe nolle aliter prædicta declarare, quam in dicta ſchedula continetur. Cui cōpatiens D. Cantuar. dixit. Caueatis D. Ioh. quia ſi ad hæc vobis obiecta, clare non reſpondeatis in termino legitimo vobis iam dato, poterimus vos denunciare & declarare hæreticum. Sed dictus Ioh. aliter reſpondere contempſit. Tunc D. Cantuar. declarauit ei, quid ſancta Romana eccleſia ſequens dicta bonorum Auguſtini, Hieronimi & Ambroſij & aliorum ſanctorum determinauit, quas determinationes oportet quoſcunque catholicos obſeruare. Ad quæ dictus Ioh. reſpondit, quod voluit credere & obſeruare, quicquid eccleſia ſancta determinauit, ac quicquid voluit ſe credere & obſeruare. Sed quod domin⁹ papa & cardinales, Archiepiſcopi epiſcopi, cæterique prælati eccleſiæ haberent poteſtatem talia determinandi, noluit ad tunc aliqualiter affirmare. Vnde D. Cant. ſibi compatiens, ſub ſpe melioris deliberationis, datis ſibi in Anglicis certis articulis, rogauit, vt in die Lunæ proximo ſequente plene & clare ſuum daret reſponſum ſuper eiſdem. Quo die Lunæ viz. 25. die menſis Septembris, coram D. Cantuar. & antedictis epiſcopis, adiuncto illis Bangorenſi epiſcopo domino Benedicto, comparuit D. Rob. Murley Cuſtos Turris London. ac præfatum D. Iohan. ſecum duxit, ac coram D. Cantuar. & toto clero pro tunc congregato, ſtatuit. Cui Archiepiſc. affabiliter & ſuauiter recitauit acta prioris diei, & quomodo excommunicatus fuerat & eſt, ac rogauit & requiſiuit eundem vt peteret ac admitteret in forma debita eccleſiæ abſolutionem. Quod ſe dictus Ioh. facturum negauit, ſed à ſolo deo abſolutionem petiturum. Conſequenter D. Cantuar. ſuaui & modeſto modo rogauit, & requiſiuit eundē quatenus de & ſuper contentis in dicta ſchedula determinationem eccleſiæ eidem trāſmiſſam de ſibi oppoſitis clarum daret reſponſum. Et primū ſuper ſacramentum Euchariſtiæ, ad quem articulū inter cætera reſpōdit, quod ſicut Chriſtus hic Examin. Ioh. Oldcaſtl.

in

in terra degens habuit in ſe diuinitatem & humanitatem, diuinitatem tamen velatam & inuiſibilem ſub humanitate quæ in eo aperta & viſibilis fuerat: ſic in ſacramento Altaris eſt verum corpus, & verus panis, videlicet, quem videmus, & corpus Chriſti ſub eadem velatum, quod non videmus. Ad fidem circa ſacramentum huiuſmodi in ſchedula prædicta per dominum Cantuar. tranſmiſſa ſibi, perque ſanctam Romanam eccleſiam, & doctores ſanctos determinatam expreſſe negauit, dicens quod determinatio eccleſiæ facta eſt contra ſacram ſcripturam, & poſtquam eccleſia dotata eſt, & venenum infuſum in eccleſia, & non ante. Quod etiam ad ſacramentum pœnitentiæ, & confeſſionis dixit & aſſeruit, quod ſi quis eſſet in aliquo graui peccato conſtitutus, à quo ipſe ſurgere neſciret, expediret, & bonum eſſet ſibi adire aliquem Sanctum & diſcretum ſacerdotem pro conſilio ab eo habendo: ſed quod confiteatur peccatum ſuum proprio curato, ſeu aliter præsbytero, etſi haberet copiam eiuſdem, non eſt neceſſarium ad ſalutem, quia ſola contritio peccatum huiuſmodi delere poſſet, & ipſe peccator purgari.

Circa adorationem Sanctæ Crucis, dixit & aſſeruit, quod ſolum corpus Chriſti, quod pendebat in cruce, debuit adorari, quia illud corpus ſolum fuit & eſt adorandum. Et interrogatus quem honorem faceret imagini ipſius crucis, reſpondit verbis expreſſis quod illum honorem ſolum faceret ſibi, quod bene mundaret eam, & poneret in bona cuſtodia. Quod autem ad poteſtatem clauium, dominum noſtrũ Papam & Archiepiſcopos & alios prælatos dixit, quod dominus noſter Papa eſt verus Antichriſtus, hoc eſt caput eiuſdem, Archiepiſcopi & Epiſcopi, nec non alij prælati ſunt membra, & fratres cauda eiuſdem.

Quib. Papæ, Archiepiſcopis & Prælatis, non eſt obediendum niſi quatenus fuerint imitatores Chriſti, & Petri, in vita, moribus & conuerſatione. Et quod ipſe eſt ſucceſſor, qui eſt vita melior, moribus purior, & nullus alius. Vlterius dixit idem Iohannes alta voce, manibus expanſis, alloquendo circumſtantes. Iſti qui iudicant & volunt damnare me, ſeducunt vos omnes & ſeipſos, & vos ducent ad infernum, & ideo caueatis ab eis. Quibus omnibus per eum ſic dictis, dominus Cant. iterum ac ſæpius flebili vultu dictum dominũ Iohannem alloquebatur verbis quibus potuit, exhortando vt ad vnitatem rediret eccleſiæ, crederet & teneret, quod eccleſia Romana credit & tenet. Qui reſpondit expreſſe, ſe aliter non credere, quã ſuperius expreſſit. Videns igitur dominus Cantuarienſis ſe in nullo poſſe proficere, cum magna cordis amaritudine proceſſit ad prolationem ſententiæ diffinitiuæ in hunc modum.

Sententia in D. Oldcaſtle.

In dei nomine Amen. Nos Tho. permiſſione diuina &c. in quadã cauſa ſiue negotio hæreticæ prauitatis, de & ſuper diuerſis articulis, ſuper quibus dominus Iohannes Oldcaſtle miles, dominus de Cobham, coram nobis in vltima Conuocatione cleri noſtræ Cantuarienſis prouinciæ, in eccleſia S. Pauli celebrata, poſt inquiſitionem diligentem ibidem inde captam, reperimus eum Iohan. fore & eſſe hæreticum, hæreticis credentem, ac in fide & obſeruantiis ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ errantem, & præſertim circa ſacramenta Euchariſtiæ & pœnitentiæ. Ad quod tanquam iniquitatis tenebrarum filius in tantum obdurauit cor ſuum, vt non intelligat vocem paſtoris ſui, nec velit monitionibus allici, nec reduci blanditiis. Videlicet, penſatis ipſius delictis & culpis per ipſius damnabilem pertinaciam aggrauatis. Nolentes quod is qui nequam eſt, fiat nequior, & alios inficiat ſua labe, de conſilio & aſſenſu magnæ diſcretionis & ſapientium virorum venerabilium nobis aſſiſtentium, præfatum D. Ioh. Oldecaſtle militem, D. de Cobham, de & ſuper huiuſmodi deteſtabili reatu conuictum, & ad eccleſiæ vnitatem, pænitentialiter redire nolentem, hæreticum, ac in hiis quæ tenet, docet, determinat & prædicat ſacroſancta Romana & vniuerſalis eccleſia, & præſertim in articulis ſuſcriptis erranté, iudicamus, declaramus & condemnamus ſententialiter & definitiue in hiis ſcriptis, relinquentes eundem ex nunc, tanquam hæreticum iudicio ſeculari. Ipſumque nihilominus hæreticum omneſque alios & ſingulos, qui eundem de cætero in ſui fauorem erroris receptauerunt, defenſauerunt, ſeu ſibi conſilium, fauorem vel auxilium in hac parte præbuerint tanquã fautores, receptatores & defenſores hæreticorum excommunicamus & excommunicatos denunciamus in hiis ſcriptis.

Hiis ita peractis, dominus Cantuar. regem certificauit ſuper præmiſſis viuæ vocis oraculo, poſtulans vt dominus rex dignaretur dicto Iohanni damnato iudicio, gratioſe cõcedere 40. dies ad inducias.

Nam tam Rex quam Pontifex, non eius interitum, ſed vitam cupiebant affectualiter, & pro ſalute ſuá laborauere non ſegniter. Vnde factum eſt vt ad Turrim reduceretur.

Vbi

Digitized by Google

Vbi ſub induciarum ſpatio ſibi conceſſatum poſſet reſipiſcere, & gratiam tam eccleſiaſticam quam regiam promereri. Oldcaſtle fuga elabitur. Sed iſta ſpecialis Indulgentia facta fuit ſibi malignandi copia, dum citra præfixum terminum elapſus è cuſtodia, congregauit iniquitatem ſibi, nil aliud cogitans quam de vindicta. Renera deſtinatis literis ad ſequaces ſuos tam milites quam armigeros qui non pauci fuere, hortabatur vt & ipſi ſeriberent ad amicos ſuos, vt & ipſi ſe ad vindictam mutuo concitarent. Igitur per omne tempus illud quod fluxit ab euaſione eius, vſque ad circumciſionem domini vel Epiphaniam, diſcurrebant vndique Lollardorum nuntij, qui tales & quoſcunque poterant promiſſis amplis ſtipendiis allectarent, quatenus in certum diem eis denunciandum parati forent ad ſtandum viriliter & actus martios peragendum. Multis ignaris quærentibus cauſam pro qua vel in qua certare deberent, reſponſum fuit non eſſe curandum dummodo ſtipendia larga reciperent, & pro rebus bene geſtis affluenter remunerandos proculdubio ſe ſperarent. Sed de hiis omnibus in ordine præſentis hiſtoriæ, poſt hæc plenius referemus.

Hoc anno plures Angli peſte percuſſi vel epidemia, viuere deſiere.

Item hoc anno leuatum fuit corpus quondam Richardi regis Angliæ, quod humatum fuerat intra eccleſiam fratrum prædicatorum de Langley, & deportatum Londonias, ac apud Weſtmonaſterium, regaliter tumulatum, non ſine maximis expenſis regis nunc, qui fatebatur ſe ſibi tantum venerationis debere, quantum patri ſuo carnali.

Anno 1414. Rex tenuit natale ſolemniter apud Eltham. Vbi Lollardi facta coniuratione, regem inopinate cum fratribus ſuis & amicis cepiſſe vel occidiſſe ſtatuerant. Sed deus omnipotens noluit innocentem nocentum perire manibus, neque periclitari: ſed immiſit timorem ſuum in corda quorundam conſpiratorum, qui regem monuere vitare periculum, & iam ſtructas inſidias declinare. Vnde factum eſt, vt ſine ſtrepitu Rex modeſte ſe transferret ad palatium ſuum prope Weſtmonaſterium, vbi locus tutior, & frequentia populi maior fuit.

Lollardi vero cum iam completa eſſet eorum malitia, parabant quæ mente conceperant, geſtientes experiri fortunam quam ſuis votis fore propitiam putauere. Lollardorum inſurrectio. Veneruntque ſub ipſo noctis conticinio in campum qui dicebatur ſancti Egidij prope Londonias, vbi ferebatur eorum campiductor, Iohannes Oldecaſtle, dominus de Cobham ſuos ſatellites operiri. Videres per ſemitas, perque vicos, per compita concurrentium turbas pene de cunctis regni comitatibus ſollicitatas magnis promiſſis confluere ad diem & horam iam inſtantem. Qui requiſiti quamobrem ſic feſtinabant, & velut anheli currebant, reſponderunt ſe properare ad D. de Cobham qui eos conductos ſuis ſtipendiis acciuiſſet. Rex vero non ignarus omnium præmiſſorum ſub eiuſdem noctis articulo, iuſſit ſuos in armis eſſe paratos, tunc primum ſuis intimans quid facere decreuiſſet. Fuerunt tunc plures cum rege qui laudauerunt in diem clarum protelandum negotium, quo decernere poſſent, qui cum rege vel contra dominum ſtarent. Alij vero conſuluere regem debere præſtolari donec ad eum multitudo conueniſſet exercitus, ne cum paucis hoſtes aggrediens, peiorem (quod abſit) reportaret calculum. Sed neutris acquieuit Rex eo maxime, quod audiſſet Lollardorum fore propoſitum ſi prçualuiſſent, primitus deſtruendi monaſteria de Weſtmonaſterio, de Sancto Albano, de Sancto Paulo, & cunctorũ fratrum Londoniis conſtituta.

Quamobrem Rex tantis malis ſe obiiciens, ingeſſit periculo, contra vota ſuorum in campum progrediens pauliſper tranſacta nocte media, vbi & conſtitit præſtolaturus quid ventura pariat dies proxima. Vbi contigit, vt multi de remotis partibus ad caſtra hoſtilia, prius intrarent per errorem caſtra regia, vbi requiſiti quem quærerent, reſponderunt dominum ſuum de Cobham. Quapropter contra ſpem capti ſunt & carceribus mancipati. Peruenit rumor iſte ad duces partis aduerſæ, ſcilicet, quod rex cum valida manu occupaſſet arua contermina, & de ſuis plurimos captiuaſſet. Conſternatique ſunt peramplius, quod neminem viderunt de Londoniis aduentare. Vnde putabant millia tuituta in auxilium eorundem. Præceperat autem Rex vt ciuitatis portæ clauderentur, & per armatos ſeruarentur arctius, vt nullis pateret egreſſus niſi hiis quos ſcirent ad ſigna regia properare. Et reuera niſi rex vſus fuiſſet hac calliditate nocte illa, prout fertur exiuiſſent de ſeruis & apprenticiis ſimul cum quibuſdam de ciuibus eorundem magiſtris ad quinquaginta millia contra regem. Qui vero de Lollardis adunati fuere, vt audiuere regem iam in eodem campo ſuas acies ſtatuiſſe, non habentes vltra ſpiritum, fugæ præſidia petiere.

Quos regales inſequentes, quoſdam cepere, quoſdam peremere. Quo vero diuer- Fuga rebellium.

Digitized by Google

terit dux eorum, minime ſcire potuit. Licet dominus Rex ſpopondiſſet publica voce præconis cuicunque prodenti eum de ſuo marſupio mille marcas & ciuitatibus ſiue pagis qui illum detegerent, maximas libertates. Vnde poteſt coniici pene totam patriam eius dementiam amplexatam fuiſſe, cum nullus inueniretur qui reſpectu tanti lucri, eum voluerit publicare. Capti ſunt tamen de ſuis Aſſeclis plurimi qui dicebantur conſpiraſſe, generaliter in deſtructionem regis, & procerum, prælatorum, religioſorum, poſſeſſionatorum, fratrum mendicantium atque ciuium, qui ſuper his conuicti, non ſolum tractioni & furcarum ſuſpenſioni ſunt addicti, ſed poſt infœlicia fata cremati. Inter quos quidam de Dunſtaplia, negotio braciator, diues admodum, dictus Gulielmus Murlee, qui arctius ſecutus opiniones Iohannis Oldcaſtle, orthodoxorum plurimos ſupra cunctos ſectæ ſuæ perfidæ moleſtauerat. Hic cum in campo fuiſſet, & regis præſentiam cognouiſſet, meticuloſe ciuitatem repetiit, latebraſque quæſiuit. Præordinauerat vtique prout fertur eo die ſuſcepiſſe de manu Iohannis Oldcaſtle ordinem militarem. Cuius rei argumenta fuere dextrarij duo ſeſe quærentes auro phalerati, & deaurata calcaria, quæ ſinu ſuo recondiderat, exinde detracta quando captus fuerat.

Quod & euenit paruo peracto ſpatio, poſt fugam ſuam. Tractus igitur ſuſpenſus & combuſtus, finem quem meruit eſt ſortitus. Repertus eſt autem rotulis præcentoris ſancti Albani, continens cuncta monachorum nomina dicti loci in manica ſua, quem vel ipſe, vel ſui furtim ſuſtulerant, quos vt fertur eliminaſſe propoſuerat, & eorum locum velut dominus & Comes Hereſordenſis pagi dono ducis ſui Iohannis Oldcaſtle obtinuiſſe. Fuerunt & plures alij, tam ſacerdotes quam laici, qui capti, conuicti ſunt & damnati, exituque functi conſimili, quorum plurimi, nec quidem pœnitere curabant. De hiis prophetatum fuit apud Anglos per longa tempora antequam iſta contingerent, ſub hiis verbis.

Inter petroſum fontem, montemque nodoſum.
Corruet Anglorum gens perfida fraude ſuorum.

Conſtat veraciter inter hæc duo loca gentem perfidam contra regem veniſſe, fraudeque ſuorum illic corruiſſe, quia quidem de ſuis regi renunciauerant eorum conſpirationes.

Thom. Arundel mors.

Hoc anno cecidit eminentiſſima turris eccleſiæ Anglicanæ & pugil inuictus D. Tho. de Arundelia, morti ſoluens debita decimo Calendas Martij. Cui ſucceſſit Henricus Chicheley.

Confeſſor Regis Magiſter Stephanus de Patrington, frater de ordine Carmelitarū vir eruditus in triuio & quadriuio, factus eſt Epiſcopus Meneuenſis.

Rex compatiens Henrico Percy adoleſcentulo qui per auum ſuum Henr. Percy comitem Northumbriæ, ductus fuit in Scotiam, poſt mortem patris ſui perempti in bello apud Salopiam cum adhuc eſſet paruulus, iuſſit ſuis neceſſariis vt pro eius euocatione ſollicitarentur, eum non ſolum honorare ſtatuens eius reuocatione, ſed vt ſublimaret Comitis Northumbrorum nomine & dignitate.

Eo anno parliamentum tentum Leyceſtriæ, venere nuncij regis Franciæ duciſque Burgundiæ, licet non pari voto. Nam Dux Burgundiæ contra ducem Aurelianenſem fortificari petiit, promittens vt fertur plura quam parare potuit.

Miſſi ſunt igitur per regem Angliæ ſolemnes nuncij ad vtrumque. Inter quos duo pontifices ſcilicet Dunelmenſis & Norwicenſis legationis Principes extitere. Frequenter enim & hij in Franciam, & Francorum legati directi ſunt in Angliam, ſumptuſque maximi conſumpti ſunt vtrobique, ſpe pacis omnino ſopita.

Henr. 5 fundat monaſteria 3.

Hoc anno cæpit Rex Henricus fundare tria monaſteria religioſorum iuxta prædium ſuum, quod Schene vulgariter appellatur, vnum de ordine monachorum Chartuſienſium. Aliud monachorum qui Celeſtini vocarentur, qui profitentes regulam S. Benedicti, quam ſeruare ſe dicunt ad literam, & vlterius ſe aſtringunt ad recluſionem perpetuam.

Brigittinorum ordo.

Tertium Brigittinorum qui S. Auguſtini profitentur regulam, quæ cum aliis adiectis cerimoniis vocatur ab eis regula ſaluatoris. His non licet habere proprium, non quidem obolum, nec pecuniam tangere quouiſmodo.

In hoc Monaſterio iuxta regulam, debent eſſe ſorores 60. ſacerdotes 13 Diaconi 4. octo fratres laici. Quibus omnibus computatis tantus erat numerus perſonarum quantus erat 13. apoſtolorum, & 72. diſcipulorum Chriſti. Hij non lineis, ſed laneis ſemper vtentur. Qui duo conuentus habebunt, vnam eccleſiam in communi.

Moniales habebunt ſub tecto fratres inferius ad terram. Et ſunt vtrique conuentus

ſepa-

ſeparatim incluſi. Quibus poſt profeſſionem non licebit egredi niſi de domini Papæ licentia ſpeciali. Iſti duo conuentus debent habere ex regula ſufficientem dotationem, ad ſuſtentationem perſonarum & ſeruientium, ac ſupportationem onerum tanti monaſterij ita quod abſque indigentia & mendicitate, tam in anno ſterili quam fertili poſſint ſufficienter quieteque ſubſiſtere. Poſtea vero ſi totus mundus poſſeſſiones & prædia eis offerret, quicquam omnino recipere non liceret. Ante feſtum omnium ſanctorum annuatim cõputari debent, & præſciri victualia & neceſſaria anni ſubſequentis. Et quæcunque tunc remanent de victualibus ſeu pecunia anni tunc inſtãtis, in craſtino omnium ſanctorum debeat pauperibus erogari. Si vero aliquando victualia ſequentis anni videntur non ſufficere, tunc de pecunia aut victualibus imminentis anni addatur ſequenti anno quantum neceſſe eſt, & non plus, ſi abbatiſſa & generalis eiuſdem loci periculum animæ ſuæ voluerint euitare. Et ex poſt quicquid remanſerit, egenis dari debet. Abbatiſſa cum conſenſu ſororum & fratrum, eligere debent vnum de 13. ſacerdotibus in confeſſorem generalem monaſterij, cui omnes fratres obedire debent, & contra præceptum eius nihil omnino facere. Nullus ſecularium virorum ſeu religioſorum ingredietur caſtra monaſterij monialiũ. Hos ritus & plures obſeruant huius nouellæ religionis profeſſores, quos ad præſens omittimus ad alia feſtinantes.

Ordines religioſorum de Schene.

Ambaſſiatores noſtri Dunelmenſis & Norwici epiſc. iam ſecundo de Francia redeuntes, Gallicos dolis hactenus inſeruiſſe declarãt. Quamobrem Rex irritatus, cachinnos eorum temperare decreuit, & in deriſores animaduertere belli iure, & quantæ ſit dementiæ ſuſcitaſſe canem dormientem factis oſtendere.

Circa feſtum Michaelis iuſſit rex venire London. ad conſilium cunctos regni prælatos & proceres conſultaturus de negotiis arduis tangentibus regnum ſuum. Quo quidem tempore Cantuar. celebrauit ibidem grande conſilium. In quo tractatum eſt de priuilegiis exemptorum per Romanos pontifices indultorum, quibus gauiſi ſunt hactenus annullandis, hoc initium ſignorum fecit nouus metropolitanus vt manifeſtaret bilem ſuam.

Conſilium Cant. Archiep.

In hoc conſilio ſunt electi, qui pro parte cleri Angliæ proficiſcerentur ad generale concilium celebrandum apud Conſtantiam Germaniæ ciuitatem. Quo pene per laudabilem ſollicitudinem regis Romanorum & Hungariæ viri chriſtianiſſimi, qui electus in imperatorem Alemanniæ, recuſauit coronam ſuſcipere, donec ſibi conſtaret indubitanter quis eſſet præficiendus in Papam, totius chriſtianitatis prudentiſſimi pontifices & prælati cum aliis clericis velut innumeris confluxere. Vtque de aliis taceamus, de regno Angliæ miſſi ſunt, ad concilium viri valde venerabiles, Sariſburienſis, Bathonienſis, Herefordenſis epiſcopi, & cum hiis Abbas Weſtmon. Prior Wigorniæ, & plures alij pollentes ingenio, religione famoſi. Horum cætum honorauit multipliciter præſentia comitis Warwicenſis.

Concilium Conſtantia.

Hiis igitur & collegiis cardinalium, quondam Gregorij & Petri de Luna, cum aliis prælatis & doctoribus præcipuis chriſtianitatis adunatis apud Conſtantiam, Gregorius ſponte renunciauit papatui, ita duntaxat vt idem faceret Petrus de Luna qui in Arragonia, & Ioh. qui in Roma nomen ſibi Papatus aſſumpſerat. Sed Ioh. noſter aliquamdiu tergiuerſauit, donec monitus & inductus per Imperatorem ſe renunciaturum, ſicut & cæteri aliquando conſenſit.

Papa 3. papatui renunciant.

Quo facto, factum eſt indicibile gaudium inter omnes qui aderant putantes iam finem diſſidij imponendum. Sed proh dolor, vbi ſperabatur perfectionis & pacis initium, iam nouæ diſſentionis ſurrepſit exordium. Nam papa Iohannes infirmitate ſimulata, noctu repente receſſit cum duce Auſtriæ ad quandam ciuitatem dicti ducis. Se tamen excuſauit literaliter penes imperatorem, quod propter aerem nociuum reliquiſſet Conſtantiam. Sed nihilominus quandocunque Imperator duceret eum accerendum, paratus foret ad concilium ſine mora regredi, ad conſummandum & implendum quæcunque promiſerat. Cum vero poſt dies aliquot viſum fuiſſet Imperatori & concilio vt ſuam exhiberet inter eos præſentiam, per nuntios rogauerunt vt venire non differret ad concilium prout promiſerat ſe facturum. Quod plane negauit ſe facere, & occulte disfiguratus fugit cum duce Auſtriæ in terram ſuam. Miſit igitur Imperator ad ducem mandans vt eum reduceret, vel ſaltem reduci permitteret ad concilium memoratum.

Quod cum dux ſuperſediſſet facere, Imperator terras eius ingreſſus eſt, coegitque ducem ſe ſubmittere, papamque reducere in eodem habitu quo eum abduxerat fugitiuum. Reductus eſt igitur coramque concilio demonſtratus, non indumentis religioſitatis redimitus, ſed Brigantinorum more ſemiueſtitus, geſtans ad latus ſagittas breues, qua-

Ioh. papa veſtitum mutat.

libus vtuntur equites illarum partium qui malendtini dicuntur. Deriſus igiturà toto cætu tam religioſo quam ſeculari, miſſus eſt in carcerem, ſub arcta cuſtodia conſeruandus, moxque cuncta bona ſua mobilia direptioni patuere. Fertur enim quod deſpoliatus ſit de 75000. librarum auri & argenti. Quibus auditis in Anglia pecunia collecta ad opus eius, ei apud ſanctum Paulum in ciſta repoſita diſruptis ſeris extracta eſt, melioribus vſibus deſtinata.

Depoſitio Ioh. 22.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis patriſque & filij & ſpiritus ſancti. Amen. Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis in ſpiritu ſancto congregata legitime inuocato Chriſti nomine, ſolum deum præ oculis habens viſis articulis in hac cauſa contra D. Iohan. Papam 23. formatis, habita matura deliberatione ſuper eiſdem, per ſententiam diffinitiuam quam proferimus in his ſcriptis pronunciat, decernit & declarat receſſum per præfatum Iohan. 23. ab hac ciuitate Conſtantienſi in dicto ſacro concilio generali clandeſtine & de nocte hora ſuſpecta, in habitu diſſimulato & indecenti, factum fuiſſe & eſſe illicitum, eccleſiæ domini & dicto concilio ſcandaloſum, vacationis & vnionis ipſius eccleſiæ turbatiuum & impeditiuum, ſchiſmatis inueterati nutritiuum, à voto, promiſſione & iuramento per D. Iohan. papam, deo & eccleſiæ & huic ſacro concilio præſtitis deuiatiuum, ipſumque D. Ioh. papam ſimoniacum notorium, bonorumq; & iutium, nedum Romanæ, ſed aliarum eccleſiarum, & plurium aliorum piorum dilapidatorem notorium, malumque ſpiritualium & temporalium eccleſiæ adminiſtratorem & diſpenſatorem fuiſſe & eſſe, ſuis deteſtabilibus inhoneſtiſque moribus & vita, eccleſiam dei & populum chriſtianum notorie ſcandalizantem ante eius aſſumptionem ad papatum, & poſt vſque ad iſta tempora, ipſumque per præmiſſa eccleſiam dei & populum chriſtianum notorie ſcandalizaſſe & ſcandalizare, poſtque monitiones debitas & charitatiuas iteratis & crebris vicibus eidem factas, in præmiſſis malis pertinaciter perſeueraſſe, ſeque ex hoc notorie incorrigibilem reddidiſſe, ipſumque propter præmiſſa & alia crimina in proceſſu dictæ cauſæ contra eum deducta & contenta, tanquam indignum, inutilem & damnoſum à papatu & omni adminiſtratione ſpirituali & temporali amouendum, priuandum, & deponendum fore, & dicta ſancta Synodus amouet, priuat, vniuerſos & ſingulos chriſticolas cuiuſcunque ſtatus, dignitatis vel conditionis exiſtant, ab eius obedientia, fidelitate & iuramento abſolutos declarando, inhibendo inſuper vniuerſis Chriſti fidelibus, ne eundem de cætero papam nominent, nec illi tanquam Papæ adhæreant, ſeu quoquo modo obediant. Et nihilominus ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis ſupplet dicta ſancta Synodus omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſitan in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum interuenerint, &c.

Item decernit, ſtatuit & ordinat dicta Sancta Synodus pro bono vnius eccleſiæ dei, quod nullo vnquam tempore reeligantur in Papam, dominus Balthazar Coſſa nuper Iohann. papa 23. nec Petrus de Luna Clemens 13. in ſuis obedientiis ſic nominati, & ſi contrarium fieret, id ſit ipſo facto irritum & inane, nulluſque cuiuſcunque dignitatis & præeminentiæ, etſi Imperiali, regali, cardinalatus vel pontificali dignitate præfulgeat, eis vel eorum alicui, contra hoc decretum vllo vnquam tempore obediat ſeu adhæreat, ſub pæna fautoriæ dicti ſchiſmatis & maledictionis æternæ, ad quas contra præſumptiones ſi qui impoſterum fuerint, & cum inuocatione brachij ſecularis procedatur rigide.

Sub hoc tempore cum iam rex Angliæ comperiſſet Francos fallaciis & fraude, fictiſque promiſſionibus eum inaniter ſollicitaſſe, naues conduxit, Architenentes & armatos elegit, machinas & miſſilia, ac omnem apparatum bellicum præparauit, quibus poſſet hoſtes efficacius infeſtare. Iuſſitque vt omnes ſecum profecturi parati forent in feſto natiuitatis S. Ioh. Baptiſtæ apud Hampton. Quo tempore acceſſerunt ad eum noui recenteſque

Legati Francorum ſpreti.

legati Francorum, inter quos præcipuus fuit Archiepiſc. Senonenſis vir verboſus & arrogans, ſed parum diſciplinatus, prout oſtendit ex poſt, nimis petulanter ſe gerens in præſentia Regis & procerum in peroratione ſuæ legationis. Finaliter tamen Rex legatorum ſpreuit oblationes & promiſſa, quæ nec rationi fuere conſona, nec ſibi honorifica, & Londonias remiſit eos.

Dum rex ſuorum procerum qui cum eo transfretare debebant apud Southhamptonam præſtolaretur aduentum, tres viri potentes, in quibus præ cæteris confidebat, in eius necem coniurauerunt. Quorum nomina ſi vellem ſupprimere, fama flagitij diuulgaret etiam me tacente. Dicam igitur quod me dicturum doleo, paricidarumque no-

Proditio Henr. le Scroope.

mina non celabo. Primus & præcipuus D. Henricus le Scroope, in cuius fide ſiue conſtantia totus animus regius requieuit. Qui ſub hypocriſi cuncta gerenda foris ſuppallians, & aſtu-

& aſtutam vapido geſtans ſub pectore vulpem, in cunctis agendis agninam ſimplicitatem publice præferebat.

Edidicit (nempe) ſimulare fidem, vultuſque minaces
protegere, & blando fraudem prætexere viſu:
Plenus ſeuitiæ lucrique cupidine feruens,
ductus & vnanimes odio turbare ſodales.

Hic tantæ fuit æſtimationis penes regem, vt ſi quando conſilia priuata vel publica tractabātur, huius definitione terminabantur. Prætendebat namque tantam grauitatem in vultu, tantam in geſtu modeſtiam, tantam in affatu religionem, vt quicquid ipſe dictaſſet, velut oraculum è cœlo lapſum, Rex oportere fieri iudicaret. Si legatio ſolemnis emittenda foret in Franciam, ingenio vel perſona Henr. le Scrope exequi neceſſe putabat. Ille proinde tractabat cum hoſtibus, ipſe domino ſuo regi hoſtis occultus, mulcebatque regem vanis ſponſionibus, deluſit conſilium promiſſis inanibus referens vtriſque alia pro aliis, fronte fauens ſuis, mente vero Gallis. Cumque rex innocens propter magnam confidentiam huius ſe arbitrio in pluribus commiſiſſet, & ei multa donaria ſpecialia tribuiſſet, ille tantis beneficiis retributor iniquus, dominum ſuum cum iam in procinctu foret profectionis ſuæ parata claſſe, & aggregatis militum copiis, repente vita priuare moliebatur. Spoponderat iſta Francis vt fertur, pacta ſibi pro proditione pecunia, qui iam ad ſua regreſſi lætificauere ſuos, aſſerentes regem Angliæ mutato propoſito, vel ad ſua regreſſum, vel certe quod verius putauere peremptum. Habuit conſortes proditionis Rich. comitem Cantebrigiæ, fratrem ſcilicet ducis Eboraci, & Thom. Grey militem borealem. Quem quidem Rich. comitem rex creauerat, & multis bonis ditauerat, & præ cæteris honorauerat ratione generis & parentelæ. Sed nulla impenſa beneuolentia, nullum collatum beneficium proditores præuertere poterant, quin in necem tanti benefactoris mutuo ſe armarent. Attamen priuſquam conceptum facinus poſſent ad effectum producere, deo volente detecti ſunt, & iudicio parium ſuorum condemnati decapitationis ſentētiam ſubiere, rege alias pœnas de iure debitas perdonante, præterquam Henrico Scroope, qui dicitur fuiſſe tractus. Qui etiam defleniſſe vices eorum fertur. Quamobrem nonnulli propter regis modeſtiam, compaſſionem & pietatem, laudes Auguſti in eum transferunt quondam æditas à Naſone, eo quod:

Henrici Scroope executio.

Sit piger ad pœnas princeps ad præmia velox,
quique dolet quoties cogitur eſſe ferox.

Eodem tempore velut ex condicto, & tanquam proditionis præfatæ conſciētia Lollardi ſtimulati è latebris emerſere, & in regem blaſphemias euomuere, loquentes grandia, minaſque ſpargentes in ſcriptis, quæ fixerunt in valuis eccleſiarum Londoniis in multis locis, talibus ſe cohortantes. Iam inquiunt princeps præsbiterorum abiit, iam hoſtis noſter abceſſit, iam nobis arriſit tempus accommodum quo noſtras impune licebit iniurias vindicare. Sicque ſe mutuo conſortantes, ſcripſerunt ad inuicem multa millia in ſua vota veniſſe. Interea campiductor & caput eorum Iohan. Oldcaſtle cum latuiſſet prope Maluerniam, & accepiſſet à falſo nuntio regem Angliæ transfretaſſe, ex eius abſentia concepta audacia, verba comminatoria miſit ad dominum de Bergeny, dicens in capite eius vlciſci velle ſibi & ſuis illatas iniurias ab eodem. Qui prudenter ſibi præcauens cum circa noctis medium hæc audiſſet, illico ſecretiis egit nuntiis vt mane diluculo occurrerēt armati ſibi apud Caſtrum ſuum de Hanley, ex Wigornia, Perſora & Teukesbyria, prope 5000. Architenentium & armatorum. Quo comperto dictus Ioh. Oldcaſtle more ſolito latebras requiſiuit. Cepit tamen idem heros quendam præsbyterum dicti Ioh. Oldcaſtle & quoſdam alios ex ſuis complicibus, quos ſic arctatos quæſtionibus examinauit, vt patefacerent locum quo dictus Ioh. arma ſua cum pecuniis occultaſſet. Quæ cuncta congeſta ſunt in quadam domo inter duos parietes ſic erectos, vt nullus ſine indice dictæ ſtructuræ fallaciam percepiſſet. Illic inuenta ſunt ſigna ſua cum vexillo, in quibus depingi ſumptuoſe fecerat, calicem & hoſtiam in forma panis.

Armatura Oldcaſtle inuenta.

Ibi etiam conſpicienda fuere crux Chriſti cum flagris, lancea cum clauis, quæ depinxerat in vexillo ad ſeducendum ſimplices, ſi quādo contigiſſet erigere ſigna, ſuffultum populari dementia. Sed cognito apparatu diſpoſito contra ſe dimiſit cornua quæ arroganter erexerat, ſuppreſſit minas faſtuoſas, & eo celerius atque meticuloſius, latebras vt prius repetiit eo quod audiuit Henr. Scroope & ſuos complices apud Hampton proditionis ſuæ penas meritas exſoluiſſe.

Nec multo poſt captus eſt quidam inueteratus Lollardus Gulielm. Cleydon, qui in tantam dementiam ruerat confidentia ſuæ ſectæ, vt etiam filium proprium ſacerdotem

conſtitueret, & miſſam celebrare faceret in domo ſua die quo coniux eius à puerperio ſurgens purganda ad eccleſiam proceſſiſſet. Hic ergo captus, examinatus legitimeque conuictus de hæreſi, Londoniis eſt combuſtus.

Hareflu obſidetur.

Rex Angliæ punitis iuſtiſſime vt præmittitur proditoribus, aſcenſis nauibus mare ſulcans, applicuit in Normannia, in loco vocato Kydecaus, nemine reſiſtente. Traxit autem ſecum claſſem mille & quingentarum carinarum, ad negotia Martia ſufficienter inſtructam, vt dum ipſe cum ſuis villam de Hareflu obſideret per aridam, claſſis in pelago coram villa conſtructa, villanis omne præſidium victualium præcluderet, & ſolatia quæuis arceret. Nacta vero tellure, feria quarta in vigilia Aſſumptionis Sanctæ Mariæ, ſequenti Sabbato obſidionem poſuit circa villam. Quam continuauit per quinque ſeptimanas honorifice, vſque ad dominicam proximam ante feſtum Sancti Michaelis. Qua die dominica villa fuit reddita, tali modo. Feria nempe tertia proxima ante dictam dominicam, domini Gallici qui fuere cuſtodes ipſius villæ, ſcilicet D. de Gācourt, D. de Eſcuteuile, D. de Hakeuile, & D. de Clere, non ferentes crebras quaſſationes murorum & ædificiorum infra villam, aliaque pericula perpeſſa per gunnas regias, nam ab ipſis euolantia ſaxa, ingenti verberis ictu, obuia fregere quæque ruentes, nec tantum corpora preſſa necabant, ſed totos cum ſanguine diſſipant artus, & ſingula ceſſerunt ictibus arma, conturbati & conterriti coacti ſunt nocte media quendam ſeruum ad arma ad ducem deſtinare Clarentiæ domini regis fratrem, qui illorum vice precaretur obnixe dictum ducem, quatenus dignaretur ob honorem dei regi ſupplicare, vt eis concederet facultatem tractandi cum quibuſcunque perſonis, quas dominus rex duceret ad iſtud negotium emittendas.

Nec mora dux exequitur villanorum vota, cuius interuentu, & ob honorem dei præcipue rex inclinatus eorum precibus, miſit comitem de Dorcet, dominum filium Hugonis, & D. Tho. Erpingham, ad cognoſcenda deſideria obſeſſorum. Qui petiere ſuppliciter vt rex charitatis intuitu ceſſaret ab eorum debellatione ab ea hora noctis mediæ, vſque ad dominicam proximam poſt feſtum S. Michaelis, niſi contingerent regem Francum vel Dolphinum eius primogenitum per bellum obſidionem diſſoluere.

Alias, parati forent regi villam reddere, ſaluis vita & bonis omnibus eorundem. Rex vero remandari iuſſit eiſdem. Quod niſi villam in craſtino redderent nulla conditione interpoſita, non tractarent amplius de materia memorata. Inſtabant adhuc gallicani domini, & regis referendarios deprecabantur, vt apud regem inſiſterent, quatenus inducias illis concedere dignaretur, ab illa hora vſque ad horam proximam poſt nonam dominicæ ſubſequentis. Qua hora promiſerunt ſe cum 22. militibus & ſcutiferis ad regem acceſſuros cum viris honoratioribus infra dictam villam conſtitutis, quos omnes obſides darent regi vſque ad dominicam ſupradictam. Et vlterius prædicti proceres ſpopondere ſe iuraturos ſuper corpus dominicum coram omni populo, quod ſi rex Francus, vel filius eius & hæres Dolphinus non accederet ad deliberandum eos infra horam dictæ dominicæ prænotatam, ipſi ſe redderent ſine conditione aliqua regi Angliæ ad faciēdum de corporibus & bonis eorum iuxta ſuæ beneplacitum voluntatis. Ita duntaxat, vt permitteret eos dirigere nuncios regi Franco & Dolphino, qui eis prætaxata pacta referrent. Cumque rex acceptaſſet hanc oblationem, dedit eorum legatis literas de ſaluo conductu, quorum principalis fuit D. de Hakeuile, quem ſequebantur viri valentes ad numerum 22. perſonarum.

In craſtino ſcilicet feria quarta mane, dicti domini cum 22. militibus & armigeris, ac ciuibus notabilibus exiuere de villa. Quibus occurrit proceſſio ſolemniſſima antecedens Euchariſtiam, cum multis honorabilibus dominis, militibus & armigeris & populi frequentia magna valde. Vbi expleto reciproque publice iuſiurando, cuncti gallici ſunt introducti ad regale tentorium, vbi & conſederunt die illo, dominum tamen regem non viderunt. Poſt prandium diſiuncti ſunt, & diuerſis dominis commendati, qui eos tractarent honorifice vſq; ad reditum ſuorum legatorum quos deſtinauerant ad regem Francum. Qui fideliter promiſſa complentes, rediere ſtatuta dominica, hora præfixa, ſine quouis ſuffragio per regem Francum ſeu Dolphinum obſeſſis oblato. Quapropter qui intra villam erant, cuncti ſe ſine conditione regis gratię ſubmiſere. Remanſere quæ captiui regi Angliæ toti domini cum militibus & armigeris atque generoſis qui miſſi ſunt à rege Franco ad cuſtodiam dictæ villæ. Rex autem conſtituit illic capitaneum D. Thom. comitem Dorcetanum, dans ei manum validam defenſorum. Durante obſidione regali, plures ex eſu fructuum, & algore noctium, fœtoreq; cadauerum diuerſarum pecudum quas mactauere per caſtrorum circuitum, & non operuerant ceſpitibus, ſiue terra nec iniecerant

cerant in aquis fluuialibus vt earum putridas exhalationes tollerent, fluxu ventris vel diſſenteria periere. Inter quos, & in primis, vir venerandiſſimus M. Rich. de Cortiniaco Norwicenſis Epiſcopus domino Regi fidiſſimus diem clauſit, cui ſucceſſit in Epiſcopatu D. Rob. Wakering, Comeſque Southfolciæ, D. Michael Attepool, ſimili ſorte functus eſt. Cuius loco ne familia ſua gubernatore careret, creauit dominus Rex filium eius Comitem Southfolciæ, ſed & eius filium ſæua nimis Atropos præcidit in bello, de quo inferius dicturi ſumus.

Eodem tempore redierunt aduerſa cogente valetudine, Dux Clarentiæ, Comes Marchiæ, Comes Arundeliæ & Comes Mareſcallus, cum multis alijs ægrotantibus morbo præfato. Sed Arundelienſis (vt fertur) impotionatus non multo poſt in fata conceſſit.

Rex Angliæ compoſitis rebus apud Hareflu prout Regem decuit & victorem, terreſtrem viam verſus Caleſiam cum paucis admodum arripere ſtatuit, non amplius vt fertur quam 8000. architenentium & armatorum, quorum magna pars infirmitate contracta apud Hareflu prout ſupra retulimus vexabatur. Cum hac tam parua manu mirum eſt quod denſiſſimam auſus ſit aggredi Francorum ſyluam. Sed multo plus mirandum quod eam perforauerit tot obicibus præmunitam. Galli nempe per totum tempus obſidionis villæ de Hareflu, electos quoſque de ſemetipſis & conterminarum regionum fortiſſimos, & audaciſſimos viros adunauerunt, & auxiliares vndique conduxerunt, vt numerus eorum prout fertur excreſceret ad 140000. pugnatorum. Hij igitur præparauerunt ad diem, tempus & horam, qua Regem poſſent inuadere & puſillum gregem ſuum, iam fame, fluxu, ac febribus tenuatum. Cumque pene bis denis diebus Rex equitaſſet per regnum Franciæ & hoſtes vbique ſubtraxiſſent victualia, priuſquam accederet ad caſtrametandi loca, defecit panis in exercitu. Sic quod plures loco panis auellanis nucibus, & aſſis carnibus vterentur. Potus aqua fuit cunctis inferioris fortunæ viris in exercitu ſpatio pœnæ 10. & 8. dierum. Hijs lauticijs, hijs obſonijs: Athletæ Regis Angliæ nutriti ſunt & paſti, qui cum tot gigantum millibus fuerant congreſſuri. Adde, quod ab itinere fatigati à vigilijs macerati à frigoribus nocturnis debilitati, mirum quod ſubſiſtere potuere. Sed animauit debiles, inualidis dedit vires, qui voluit fortes peſſundare per infirmos. Nempe cum Rex non ſine difficultate maxima pertranſiſſet flumina interpoſita, quia Franci pontes deſtruxerant, per quos iter compendij habuiſſe potuerat, mox glomerati feſtinauere cum ſuis millibus præcludere viam, per quam de neceſſitate debebat tranſire Caleſiam, & 24. die menſis Octobris in quadam villula ſubſtitere.

Cibus Anglorum in Gallia.

Rex tamen imperterritus iter arreptum conſtanter aggreditur, & eo vſque procedit, quo vterque exercitus velut infra ſpatium milliarij ipſa eadem nocte conſedit. Erat tum facies vtriuſque exercitus varia, diſparque vultus, Gallis refocillatis victualibuſque refertis, Anglis fatigatis, infirmis, inediaque confectis, quibus etiam nec copia aquæ fuit. Certum tamen erat Anglis in craſtino ſe pugnaturos, & cum tota nobilitate Franciæ manus conſerturos. Quapropter ipſam noctem non tantum duxerunt inſomnem corpora confouendo, quantum votis & confeſſionibus animabus proprijs conſulendo. Iactitauerant nempe Galli, ſe nemini velle parcere, præterquam dominis & ipſi Regi, reliquos immiſericorditer peremturos, vel membris irreſtaurabilibus mutilaturos. Qua de cauſa noſtri magis concitati animos erexerunt, & contra caſus omnes ſe mutuo confortauerunt. Igitur poſtea vix ſummo ſpargebat lumine montes orta dies, cum tuba ſonitum procul ærecanoro incepuit de caſtris regijs, accelerantque peruenire noſtrates ad ſui Ducis præſentiam, parati dupliciter ad prouocandum Martem, ſcilicet audacia, & conſcientiæ puritate.

Rex cernens ſuos alacriter adueniſſe, mox agmina producit in campum tritico recenter ſatum, vbi vix ſtandi pauliſper vel progrediendi facultas fuit propter ſalebras, ſoliq; mollitiem. Nec ſegnius ſummo mane Galli in eundem campum emittunt primam aciem, viris inſtructam fortibus, armis ornatam fulgentibus, equitibus hinc inde ex vtroq; latere præcedentibus in equis generoſis & nobilibus, quibus vt ita dicam, aurea pectoribus demiſſa monilia pendent, qui inſuper tecti auro, fuluum mandunt ſub dentibus aurum. Non tamen voluere Franci propter loci lutoſitatem procul in campum procedere. Sed videre cupiebant quid Angli quorum paucitatem maxime cõtemnebant facere proponebant. Inter vtrumq; cuneum campus late patuit ad ſpatium prout fertur pene mille paſſuum. Sed non vtrique pari procurrunt agmina motu, quia Gallis immobiliter primã ſeruantibus ſtationem, Anglis neceſſe fuit, ſi cum hoſte vellent conſerere, ſpatium medium armis onuſtis pedibus emetiri. Rex interea, Gallorum perpendens aſtutias, quod ſic perſtabant immobiles in vno loco, ne peditando per campum lutoſum fatigarentur,

rentur, ſublimi vectus eqno volat agmina circum, hortaturqne Duces & animos ad prælia firmat. O fidiſſimi inquiens ſocij, vadimus in campum, ad magnnm virtutis opus ſummoſque labores. En ipſam diem quam flagitauit ſæpius veſtra virtus. Totas igitur veſtras effundite vires, experiamini quid lancea, quid ſecuris, quid gladins, quid ſagitta valeat in mann potentis. Quiſquis igitur cenſus, honores ant præmia cupit, iſtic reperiet. Hæc nempe medio poſuit Deus omnia campo. Sic fatus iuſſit conuelli ſigna. Quia inquiens hoſtes iniurioſi iter noſtrum præclndere tentant, adeamus illos in nomine Trinitatis & optima hora totins anni. Et erecto vexillo iuſſit ſuis ordinate procedere. A dextris vero & ſiniſtris fecit ſagittarios anteire. Qui conſpicientes eos qni pridie coniurauerant in mortes vel mutilationes eorum, accenſi indignatione nimia, omnis laſſitudinis, omnis incommodi vel infirmitatis, obliti ſunt. Et vt ita fatear, turgeſcit in eis vitria bilis, itaq; vires, animumque miniſtrant. Mirumq; in modum qui ſero debilem arcum nequiuit tendere, iam fortiſſimum valuit ſine difficultate pro voto trahere. Galli videntes noſtros campum cum ſummo labore emenſos fuiſſe, rati iam tempus arriſiſſe quo fatigatos inuaderent, quos putabant nullo negotio captiuandos, horribiliter in campum ruunt, præmiſſis equitibus qui noſtros architenentes pectoribus dextrariorum præferratis obruerent, & ſuorum caballorum pedibus conculcarent. Sed Deo volente ſecus accidit quam ſperabant. Quia ſagittarij hinc inde occurrentes equitibus tot ſimnl emiſere iacula, vt illa procella grandinea primitus equites diſſiparent. Nam regente Deo, nuſquam caſſa manus, nuſquam ſine vulnere fugit miſſile, nullaque fuit requies mittentis dextere, ſed & omne ſedet telum, quia nulli fuere ſine cædibus ictus. Vt ergo primnm ſonipedes ferro transfixi ſunt, ſeſſores connerſis frenis in ſua agmina præcipites corruere, omneſque equites, qui euaſerant campo ceſſere. Ex hinc vt acies connenere, ingens noſtratum clamor ad ſydera tollitur, & impletur quodammodo vocibus vaſtus aer. Tunc iterato volat vndique relorum nubes, & ferrum ferro ſonat, dum iacula conſtanter emiſſa, caſſides ferinnt, laminas & loncas. Cadunt proinde de Gallis plurimi ſagittis terebrati, hinc 500. hic pariter 600. Rex ipſe non tantum Regis, quantum militis exequendo vices, primus in hoſtes aduolat, crudeles ictus infert & tolerat, exempla ſuis audendi fortia præbens in perſona propria, ſtricto ſecuri oppoſitas acies diſſipando. Nec ſecus militares viri æmulantes acta regia, totis viribus collaborabant compoſitam illam ſyluam Francorum frementium ferro proſternere, donec tandem via vi facta, Galli non tantum ceſſere, quantum mortui cecidere. Et reuera Franci cum proſtratos in acie belli cernerent quos autumabant indomabiles, eorum mox obſtupuere animi, geliduſque per ima cucurrit oſſa tremor, tantus vt immobiles & ſine ſenſu ſtarent. Dum noſtri ſecures ab eorum extorquerent manibus, & eos mactarent velut pecudes cnm eiſdem. Perdidit inde modum cædes, & velut nulla ſecuta eſt pugna, ſed iugulis bellum geritur. Nec valent Angli tot proſternere quot perire poſſunt de aduerſa parte. Sic ergo pene Franciæ perijt omne decus per manus paucorum quos parum ante ſummo deſpectui habuere. Illic interempti ſunt Duces de Alanſoun, de Brabau, & de Baar, cum 5. Comitibus, & Conſtabulario Franciæ, & alijs nominatis dominis, ad nnmerum pene 100. De militibus & armigeris quatnor millia ſexaginta nouem feruntur occiſa. Numerus vulgi non fuit ab armorum nuntijs computatns. Capti ſunt ibidem Duces Aurelianenſis & Burbonenſis, Comites vero de Ew. & de Vendone, & Atthurus frater Ducis Britanniæ, qui ſe dicit Comitem Richmundiæ, & quidam Brucegaldus miles honoratiſſimus regni Franciæ, & alij vt ferunt ad numerum 700. De parte Regis cecidere D. Edw. Dux Eboraci, & D. Michael Comes Southſo[illegible]e, 4. milites, & vnus armiger dictus Dauid Gamme, & de communibus 28. Dum Rex & ſui bello detinerentnr contra Gallorum multitudinem pugnando cominus, veſpilliones Francorum inuadentes à tergo dimiſſas ſarcinas rapuerunt, & protinus abduxerunt. In quibns cum reperiſſent coronam regiam, iam gaudio lætificare ſuos, in tantum vt ſigna ſolemniter pulſari facerent, & canticum laudis: Te Deum laudamus, cum ſummo tripudio decantari. Ementiti enim fuerant Regem captum, ſine mora venturum. Sed poſt puſillum eum ex triſti nunrio cognouiſſent veritatem rei geſtæ verſus eſt in luctum chorus eorum, & gaudium in mœrorem.

Gallorum cum Anglis congreſſus.

Gallorum ſtrages magna.

Rex etiam omnes hos euentus proſperos aſſcribens Deo, gratias infinitas egit ei qui ſibi dedit inopinatam victoriam, & ferociſſimos hoſtes ſubegit. Pernoctauit igitur in eodem loco, & in craſtino ſcilicet die Sabbati verſus Caleſiam iter inceptum continuauit. Deinde 10. die Nouembris applicuit ſero apnd Doueriam in maxima niuis intemperie, viceſima vero tertia die dicti menſis venit Londonias, ducens ſecum Duces & nobiles, quos dudum captiuarat, quorum nomina ſuperius ſunt expreſſa. Quali gaudio, quali tripudio, qnali denique triumpho ſit exceptus à Londonienſibus dicere prætermitto, quia reuera

Regis à bello reditus.

curio-

cutioſitas apparatuum, exceſſus expenſarum, varietates ſpectaculorum, tractatus exigerent merito ſpeciales. Primo die menſis Decemb. iuſſu Regis affuere Londonijs Pontifices & Abbates in magno numero, vt intereſſent ſolennibus exequijs D. Edw. quondam Ducis Eboraci & aliorum tam Francorum quam Anglorum, qui interierant in partibus tranſmarinis. Ad has etiam venit ab Harflu capitaneus dictæ villæ Regis auunculus Comes de Dorcet, qui parum ante fecerat equitationem in regionem conterminam, & fugauerat 800. ante ſe captiuos quos infra dictam villam ſtrictæ cuſtodiæ mancipauit. Hoc anno Rex Portingaliæ fretus auxilio mercatorum Angliæ quam maxime & Alemannorum vicit Agarenos in terra Regis Belmarinorum, multis eorum millibus ad generum Cereris deſtinatis. Cepitque ciuitatem eorum ampliſſimam ſupra mare ſitam vocatam Snut eorum lingua, cinctam muro 20000. paſſuum prout ferunt.

Anno 1416. Tenuit Rex natale iuxta Londonias apud Lamhitham. Quo tempore delati ſunt ſibi rumores de conflictu habito inter Anglos & Gallos iuxta villam de Hareflu, in quo plures Gallici ſunt occiſi.

Circa feſtum purificationis 7. Delphini luſerunt in Tamiſi, quorum 4. ſunt occiſi. Prænoſticabant vt quidam volunt tempeſtatem maximam ventorum & imbrium continuo ſubſecutam.

Feria quarta quatuor temporum in initio quadrageſimæ Comes de Dorcet pugnauit cum Comite de Armanak Duce Gallorum, in quo conflictu cecidere plurimi de vtraque parte, quia dictus Comes gentem noſtram inuaſerat improuiſo, fugati tamen ſunt Franci & illo die noſtratibus terga dedere, vno ſolo vſi ſolatio, quod veſpilliones eorum dum cum noſtris manus conſererent, equos Anglorum & ſarcinas rapuerunt. Oportebat ergo noſtros prout erant in armis reuerti pedites ad villam de Harflu per multa milliaria regionis. Itaque peditando iuxta littus maris, vt hoſtes ſuos ſemper ante faciem ſuam non à tergo conſtitutos haberent, incedebant armis onuſti per totam quintam feriam noctemque ſequentem. Mane vero ſexta feria noſtrates leuantes oculos viderunt in montibus Gallos recollectos cum Duce eorum Comite de Armanak, paratos ad inuadendum eos. Miſit igitur Comes de Armanak quendam armorum nuntium ad Comitem Dorcetanum, qui diceret: Ecce concluſus es inter nos & mare, nec ſupereſt tibi euadendi facultas. Quapropter ne pereas in ore gladij, redde te mihi, tractaboque te iuxta nobilitatem tuorum natalium, prout decet rationabiliter redimendum. Ad hæc ille: Renuncia ſibi qui te miſit, nunquam fuiſſe moris Anglorum hoſti ſe reddere ante præludia martis & bellonæ. Nec me reperiet ita vecordem, vt manus illi dem, quem poteſt Deus tradere in manus meas. Hijs auditis Comes de Armanack furibunde cum ſuis equitibus pernici greſſu per decliuium montis deſcendere conabatur. Quos excipientes noſtri ſagittarij vel præuerterunt iaculis vel peremerunt. Exinde creuit pugna inter reliquos, ex vtrobique gladijs & ſecuribus diu res martia gerebatur. Tandem Deo miſerante gens ieiuna, laſſa, famelica, ſomni, cibique penuria fatigata vicit, Dei virtute manifeſta. Nam cum non eſſent plures ex Anglicis in hoc conflictu quam 1500.glorioſe vicerunt, & ad fugam coegerunt 15000. Gallorum Duce illorum prope capto. Ferunt quod non obſtante ſacro quadrageſimali tempore ipſoque inuiolabili ieiunio quatuor temporum, carnes aſſauerant in caſtris ſuis, & meretriculas introduxerant, vt poſt ſuffarcinationem ventris, veneris ſe ſpurcitijs macularent.

Circa præſens tempus oboli Ianuenſium quia debito carebant pondere, prohibiti ſunt ab Anglis in mercaturis accipi ſiue dari.

Septimo die menſis Maij venit Imperator Londonias deductus in magnificentia & gloria per Regem, & regni nobiles, & hoſpitatus eſt in palatio Regis iuxta Weſtm. Rege recepto apud Lamhitham.

Rex autem cupiens deferre omnem humanitatem Regi Romanorum, ſuſpendit ad tempus cuncta parliamenti negotia, ducens eum ſecum Wyndeleſhoram ad feſtum S. Georgij honorans illic eum, & tantæ fraternitatis titulo & religionis illius nobili veſtimento, ſignumque regale impoſuit collo ſuo, quod Imperator ex poſt ſemper congeſſit in omni conuentu publico vel priuato.

Ante feſtum aſcenſionis Dux Hollandiæ venit in Angliam cum apparatu maximo, ad habendum colloquium cum Rege noſtro, Regeque Romanorum.

In feſto Trinitatis & per ſequens bidnum nocte dieque audita ſunt horrida tonitrua omnem modum excedentia, & velut ſine interpolatione durantia quæ præceſſerunt terrifica fulmina ſine ceſſatione chorufcantia, quæ multos ſtrauerunt & occiderunt, arbores ſuccenderunt, & ædificia diruerunt.

Per totum tempus æſtiuale putabatur quod mediatione Imperatoris fuiſſet pax inter regna firmata, ſed tergiuerſantibus gallis, ſuſpenſum fuit pacis negotium, eo maxime, quod galli conduxerant claſſem magnarum nauium Caricarum & galearum, quæ regnum Angliæ moleſtaret. Contra quos dominus Ioh. Dux Bedfordiæ miſſus fuit frater Regis cum manu potenti. Qui in die aſſumptionis beatæ virginis commiſit cum eis, & cepit tres Caricas & vnam Hulkam, & quatuor Balingarias. Tres vero Caricæ fugere, vna vero de tribus inter ſittes confracta ſubmerſa fuit. Alia magna Carica ſubmerſa fuit coram Southhamptona. cum qua perierunt octingenti viri, quales Legharneys vulgo vocamus. Imperator & Rex Angliæ fœdus ad inuicem pepigere, viz. quod ipſi & ſucceſſores ſui boni, firmi & ſtabiles in perpetuum amici erunt, alligati, obligati, & confœderati pro ſe & hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis, contra homines cuiuſcunque gradus, ſtatus, dignitatis, aut conditionis exiſtant, & contra omnes homines qui viuere aut mori poſſunt, exceptis ſacroſancta Romana Eccleſia & Romano Pontifice, &c.

Rex Angliæ vt oſtenderet ſe ex corde pacem cupere, perſonaliter transfretauit Caleſiam, ne Gallis vllam calumniandi miniſtraret materiam, quia dixerant non ſtare per eos, quin ei offerrent largam pacis viam. Vbi cum Imperatore conſtitutus, cum nihil ab eis audiſſet procurari niſi dolos, & fraudem ſolitam, commenta ſpreuit eorum, & inter Imperatorem Ducemque Burgundiæ qui diffidebant, fecit concordiam atque pacem. Quibus ita geſtis, Dux fecit homagium Imperatori.

Poſt hæc Dux Glouerniæ frater Regis minimus cum magna Regis familia deduxit Imperatorem donec veniſſet ad villam de Doredrauht, vbi cunctos Anglos remunerauit imperialiter à maximo ad minorem.

Benedictus Wulleman ciuis Londoniarum qui ſparſerat ſchedulas in multis locis errore plenas, captus, tractus, ſuſpenſus & decollatus eſt die Sancti Michaelis.

Parliamentum quod diximus intermiſſum propter præſentiam Regis Romanorum tentum fuit Londonijs circa feſtum Sancti Lucæ. In quo dominus Tho. Beufort Comes de Dorcet creatus eſt Dux Exoniæ, conceſſis ſibi de fiſco regio annuis mille libris, & 40. libris de villa Exoniæ ſupradicta, quas dominus Rex de eadem villa percipere conſueuit.

In hoc Parliamento requiſiti proceres ſi iſta ſibi placerent, reſponderunt quod optime. Si donum regium tam exile non eſſet, nec correſpondens meritis & virtutibus tanti viri. Conceſſæ fuere duæ decimæ per clerum Regi ſub vnius anni ſpatio perſoluendæ.

Anno 1414. Rex celebrauit natale apud Kenewourtham, quo tempore ſtructæ ſunt illi inſidiæ prout fertur per quendam ſcutiferum complicem Ioh. Oldcaſtle dictum.

In craſtino natalis Domini ſparſæ ſunt ſchedulæ Lollardorum venenoſæ, impingentes contra cunctos ſtatus Eccleſiæ fere in qualibet magna domo vel hoſpitio villarum de ſancto Albano, de Northamptona, de Radingia, authorem nullo ſciente.

DECRETVM CONCILII CONSTANTIENSIS DE ELECtione Papæ futuri.

AD laudem & gloriam & honorem omnipotentis Dei, ad pacem & vnitatem vniuerſalis Eccleſiæ, ac totius populi Chriſtiani, vt electio futuri Romani & ſummi Pontificis proxime celebranda, firmiori authoritate & plurium roboretur aſſenſu, & ne attento ſtatu Eccleſiæ dicta electione in poſterum vlla retractatio, vlluſve ſcrupulus in mentibus hominum reſideat, ſed ex illa ſequatur vnio certa, vera, pleniſſima, & perfecta, ſacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis communi vtilitate penſata, de ſpeciali & expreſſo conſenſu, ac voluntate concordi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in eadem Synodo perſonaliter exiſtentium, & collegij eorundem, ac omnium nationum præſentis concilij, ordinauit, ſtatuit & decreuit, quod hac vice duntaxat ad eligendum Romanum ſummum Pontificem, vna cum Cardinalibus, ſex Prælati, vel aliæ honorabiles perſonæ eccleſiaſticæ in ſacris ordinibus conſtitutæ, de qualibet natione in eadem ſynodo pro nunc exiſtente, & nominata, quos ſeu quas quælibet ipſarum nationum pro ſe adhuc infra dies duxerit eligendos ſeu eligendas, ipſis Cardinalibus adiungantur, quibus omnibus eadem ſancta Synodus eligendi Romanum Pontificem ſecundum formam hic expreſſam quatenus opus eſt, tribuit poteſtatem, viz. quod ille abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium in conclaui exiſtentium, & à cuiuſcunque nationis duabus partibus eiſdem Cardinalibus adiungendorum & tunc adiunctorum, electus fuerit, & receptus. Quodque non valeat electio nec electus pro ſummo Pontifice habeatur, niſi duæ partes Cardinalium

lium in conclaui exiſtentium, & cuiuſlibet nationis duæ partes, cum Cardinalibus ad eligendum adiungendorum, & tunc adiunctorum conſentiant & conſenſerint in Romanum Pontificem eligendum. Statuit inſuper & ordinat ac decernit, quod vota quorumcunque in electione huiuſmodi emittenda, ſint nulla, niſi vt præmittitur duæ partes cuiuſlibet nationis adiungendorum, & tunc adiunctorum prædictorum principaliter, aut per acceſſionem in vnum concurrant. Hoc etiam adiecto, quod Prælati & alij cum ipſis Cardinalibus ad electionem huiuſmodi adiungendi, & tunc adiuncti omnes & ſingulas conſtitutiones, etiam pœnales circa electionem Romani Pontificis editas, atque conſuetudines obſeruari conſuetas, quemadmodum ipſi Cardinales obſeruare teneantur, & ad illarum obſeruantiam aſtringantur.

Teneantur inſuper iurare, & iurent dicti electores Cardinales, & alij antequam ad electionem procedant, quod in huiuſmodi electionis negotio attendentes quid eis imminebit cum de citatione agetur, vicarij Ieſu Chriſti ſucceſſoris beati Petri vniuerſalis Eccleſiæ Rectoris, gregis dominici directoris, puris & ſynceris mentibus, & quantum credent publicæ vtilitati vniuerſalis Eccleſiæ proficere omnes cuiuſque nationis perſonæ aut alio inordinato affectu, odio, gratia, vel fauore abiectis procedent, vt eorum miniſterio de vtili & idoneo vniuerſalis Eccleſiæ prouideatur paſtore. Ordinat inſuper, ſtatuit & decernit eadem ſancta Synodus, quod infra decem dies ex nunc continue numerandos, quos 10. dies omnibus & ſingulis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, præſentibus & abſentibus & cæteris electoribus ſupradictis, attenta ratione Eccleſiæ vacatione notaria, ad intrandum conclaue in hac ciuitate Conſtantienſi, in maiori domo, communitatis ciuitatis eiuſdem ad hoc iam ordinata præfigit & aſſignat.

Præfati electores Cardinales & alij ſupradicti intrent ipſum conclaue ad electionem huiuſmodi celebrandum, cæteraque faciendum, obſeruandum & proſequendum, quemadmadmodum in cæteris, præter præmiſſa de Cardinalibus, & alijs in electione Romani Pontificis iure decernunt. Quæ omnia præmiſſa obſeruata vult eadem ſancta Synodus in ſuo robore permanere. Hanc autem formam & hunc modum electionis approbat, ordinat, & ſtatuit pro hac vice. Et ad omnem ſcrupulum remouendum vel ſubmouendum, omnes & ſingulos in eadem ſynodo præſentes, & venturos qui eidem ſynodo adhærebunt, ac omnes actus legitimos in eadem ſynodo agendos, actiue & paſſiue, quatenus opus eſt habilitat, & habiles eſſe declarat. Cæteris eiuſdem ſacri Concilij decretis ſemper ſaluis, ſupplens omnes defectus, ſi qui forſan interuenerint in præmiſſis, apoſtolicis etiam in generalibus conſilijs editis conſtitutionibus, & alijs in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque.

Vltimo die menſis Octobris Epiſc. Winton. acceſſit ad concilium peregrinaturus Hieroſolymam, poſt electionem ſummi Pontificis celebratam, vbi tantum valuit eius facunda perſuaſio, vt & excitaret dominos Cardinales ad concordiam, & ad electionem ſummi Pontificis ſeotius præpararent. Quamobrem mox præparata fuit domus, quæ conclaue vocaretur & eſſet, cum lectis ſtratis honorifice pro dominis Cardinalibus & electoribus adiungendis eiſdem. Ordinatum nempe fuerat decreto concilij, vt eligerentur ex omni natione quæ conuenerant, ſex perſonæ ad intrandum conclaue cum Cardinalibus, prout ſuperius eſt expreſſum. Vnde de Anglia ingreſſi ſunt conclaue Epiſcopi London. Bathon. Norwic. Lichfeld. Abbas Eborum, & Magiſter Tho. de Polton, Decanus Eborum. Quælibet autem natio ſcripſit nomina perſonarum ſuarum in ſchedula & cera inuoluit. Præordinatæ proinde perſonæ conclaue ſunt ingreſſæ die 4. coronatorum. Quibus intromiſſis quædam perſona laica, attulit omnes ſchedulas cera circumductas ad Vicecancellarium in conclaue. Qui nudatis brachijs vſque ad cubitum poſuit omnes ſchedulas ſuper menſam. Exinde decretum factum eſt quod recluſi ederent in conclaui. Statutumque fuit, vt haberent panem & vinum, & vno die vnicum genus carnium, & altero, vnum genus piſcium, & ſingulis diebus vnum genus potagij, prout dies exigebat. Tunc Imperator, & 13. Duces, ac maiores ciuitatis Conſtantiæ iurauere ſuper librum, quod fideliter cuſtodirent conclaue ab impeditoribus, & ne alia cibaria intromitterentur, quam ſtatuta fuere. Quo facto, Imperator perſonaliter perſcrutatus eſt domum totam, & duabus ſeris oſtium poſt ſe clauſit. In oſtio domus illius, factum fuerat foramen quadratum, per quod immitti debebant cibaria incluſorum. Omni quoque die dum in conclaui fuerunt, Abbas S. Edmundi de Bury, & prior S. Iohan. de Clerkenwell fuerunt aſſignati ad præguſtandum cibaria Anglicorum. Mox vero vt ſeruitum fuit incluſis dictum foramen clauſum fuit tribus ſeris. Igitur illis conferentibus de iniuncto negotio, quidam nominauere Winton. quidam London. Epiſcopos, nonnulli vero Cardinalem Franciæ,

nihil-

Digitized by Google

nihilque fuit actum primo die, vel ſecundo. Die vero S. Martini ptimo mane, Epiſc. London. venit, & inter omnes Cardinales protulit iſta verba:

Electio Papæ.

Ego Richardus Epiſc. London. accedo ad dominum meum Cardinalem de Columpna. Audito præſenti ſermone, repente cuncti præſentes per Dei gratiam in eandem conſenſere perſonam. Et illico exuerunt eum veſtibus ſuis omnibus, & nouis eum reueſtierunt, ac ſuper altare poſuerunt, & deoſculati ſunt manus eius & pedes. Hijs ita geſtis, confeſtim vnus eorum qui incluſi fuerant fregit foramen in pariete, & clamauit: Habemus Papam Martinum. Et tunc exiuerunt omnes in magnam Eccleſiam cantantes: Te Deum laudamus.

In craſtino Papa fuit factus preſbyter. Et die ſequenti fuit ſacratus Epiſcopus, & celebrauit miſſam ſuam primam, cui miſſę interfuerunt 140. mitrati. Sequenti dominica Dominus Papa fecit mane diluculo ſolennem proceſſionem, tranſiens per auſtralem partem Eccleſiæ, verſus occidentalem, vbi conſtitutus fuit Clericus habens canabum & ſtuppam & combuſſit ea, dicens: Ecce pater ſancte, Sic tranſit gloria mundi. Poſt hæc eodem die fuit factum quaſi quoddam ſolarium pro coronatione Papæ altitudine habens 20. pedes. Prior S. Iohan. de Clerkenwell tenuit diadema Papæ in officio Coronationis. Ipſo die poſt prandium Papa equitauit per medium ciuitatis Conſtantiæ, quem ſequebantur in equis, omnes Epiſcopi mitrati, & Abbates. Equus Papæ fuit phaleratus cum rubeo eskarleto, equi vero cunctorum Epiſcoporum phalerati fuere candido panno biſſino, & Imperator in hac equitatione tenuit frenum Papæ. Cum autem perueniſſet Papa ad locum fori, illic obuiauere ſibi omnes Iudæi ciuitatis, qui porrexerunt ſibi ſicut mos eſt ceremonias ac legem ſuam. Quas acceptas Papa proiecit poſt tergum ſuum dicendo: Recedant vetera, noua ſunt omnia. Papa prout dicunt prius vocabatur Paulinus, natus de illa nobili & antiqua gente Paulina Romæ.

Imperator frenum tenet.

Hoc anno circa finem menſis Iulij Rex Henricus cum magna claſſe mare ſulcans 10. nauigationis die ſaluus applicuit in Normannia, ſcilicet in feſto ſancti Petri ad vincula in loco vocato Tonque, vbi villa fortis eſt & caſtellum nobile, quod reddere per annum ſolet 8000. coronarum. Quo in loco quingenti equites hoſtiliter occurrerunt ei tranſitum prohibere volentes. Sed perempto per architenentes eorum capitaneo, & eius collega capto, cæteri meticuloſe fugerunt. Nec multo poſt redditum fuit Regi dictum caſtellum, & qui remanere volebant accepere gratiam remanendi. Volentes abire tulerunt ſecum de gratia regia pecunias & ſuppellectilia, relinquentes arma, & inſtrumenta bellica, necnon & victualia dicto caſtello. Conſimili modo reddita fuit Regi villa de Aumbetes cum caſtello.

Qua tempeſtate monachus quidam ſoliuagus captus à quodam de familia Regis, deſpoliatus eſt. Quod vt Rex comperit, ſolicite quæſiuit à Monacho ſi perſonam recognoſceret, quæ tulerat ab eo reſtellas ſuas. Qui cum diceret bene ſe perſonam noſcere ſi videat eam, tandem poſt aliquos in conſpectu ductos, notauit vnum dicens illum bona ſua rapuiſſe. Quem Rex illico vehementer redarguit, dicens illum morte dignum, qui cum aliunde ſatisfacere potuiſſet ſuæ neceſſitati, ad res religioſorum manus extenderet, modo tamen gauiſurum perdonationis titulo, ſi nihil tale committat de cætero.

Henrici in Normannia geſta.

Fecitque virum reddere monacho, quæ tulerat prius ab eo, monacho mandans vt domum repeteret, & conſuetum ſeruitium cum fratribus ſuis intrepidanter Deo rependeret, aſſerens ſe non illuc aduenisſe modo veſpillionis vt res religioſorum raperet: ſed potius more Regis, vt eorum bona ex direptione ſeruaret. Nec mora proclamari fecit per exercitum, ne quis religioſum, clericum, vel preſbyterum, nec vllum penitus eccleſiaſticum deſpoliare, ſeu quouis modo moleſtare præſumeret, nec ad res eccleſiaſticas animo rapiendi manus mittere, ſub pœna ſuſpenſionis & laquei. Qua proclamatione per plebanos vulgata, videres ruſticos indumentis clericorum ſumptis, vagari per exercitum, negotia tractare foralia, impune accedere & recedere, Anglis aſtu pie deceptis. Nec valebant Anglici rei veritatem agnoſcere, ruſticos coronas ſibi radentibus vt Anglos fallerent efficacius, aſpectu capitum albatorum. Conſequenter inſuper fecit Rex proclamari, ne quis fœminam coniugatam, viduam ſiue virginem contra voluntatem auderet opprimere, vel bona diripere plebeiorum, qui ſe Regi ſubmiſerant ſub pœna prædicta.

Ruſtici in clericali habitu.

Tertiodecimo die menſis Aug Rex receſſit cum exercitu de villa de Tonque, & pernoctauit apud villam S. Saluatoris de Tybe. Craſtino die Sabbati pernoctauit apud villam de Gramuile, vbi commoratus eſt die dominica, viz. in feſto aſſumptionis beatæ Mariæ.

Die

Die Lunæ pernoctauit apud Abbathiam de Fontenes, & in die Martis peruenit ad villam de Sciteuile. Die vero Mercurii, conſedit cum exercitu coram villa de Caen ex parte Auſtrali prope monaſterium S. Stephani: Dux Clarentiæ ex parte Boreali, iuxta monaſterium Monialium ſanctæ Trinitatis: Comes Mareſcallus ſedit ex parte ſiniſtra regis & Dominus de Mantrauers iuxta eum. Iuxta quem D. de Talbot & Vmfreuile ſunt locati, & conſequenter D. de Neuile & de Wulluby. Ex parte regis dextera conſedere comes de Warwike, & D. Ioh. Gray, iuxta quos comites de Hũtingdon & de Sarum, & D. Ioh. Gernecornewayle. Dum ſic eſſet diſpoſitus regalis exercitus, & Abbatia S. Stephani foret Francis communita, videntes qui in Monaſterio pro tutamento fuere ſe impares Regis viribus, locum deſerere feſtinabant. Et diripientes tam victualia quam alia loci iocalia, latenter in villam commigrauerunt notabiles ſacrilegio manifeſto, vbi conſtituti tractabant inter ſe qualiter dictum monaſterium flammis abſumerent, & turres eccleſiæ complanarent, per quas multa mala fieri poſſe non dubitabant. Audiuit hæc inſuſurrari inter Françós quidam monachus eiuſdẽ loci, qui metuens ſui monaſterii deſtructionem, confidenter dedit ſe periculo, & ſub illius noctis conticinio manibus reptans & genibus, per hoſtes, per ignes, per arma per gladios, tandem peruenit ad locum vbi dux Clarentiæ frater regis obſidionis ſuæ vigilias obſeruabat. Et impetrato aditu, vidit vbi recubuerat armatus ad vnguem in horto quodam ſuper herbam ſuppoſito capiti ſuo ſaxo. Cui confeſtim flexis genibus flebiliter ſupplicauit vt loci ſui ruinæ ſuccurreret, qui iam diruendus erat niſi maturius ſubueniret. Vobis autem ſpecialius conuenit noſtrum ſeruare monaſterium qui de regum linea deſcendiſtis, qui locum noſtrum fundauerunt, extruxerunt atque dotauerunt. Quapropter incunctanter vtamini me duce præuio, & ego vos inducam & gaudere faciam loco noſtro. Nec mora, fecit dux vt monuit, & arreptis ſcalis peruenit ad eam partem, quam monachus bene nouit immunitam. Nam pauci ſed inualidi relicti fuerant, magis ad oſtentationem quam ad defenſionem loci. Quos aduentu ſuo territos, vel captiuauit, vel abire permiſit, reputãs eos indignos gladio ſuo propter ruſticitatem & vilitatem perſonarum. Vnum tamen decollari iuſſit, qui confeſſus fuerat ſe res monaſterii, ſcz. ferramenta feneſtrarum & huiuſmodi compilaſſe, dicens ei: ſi nos, ait, noſtros propter talia ſacrilegia iuſte morte mulctamus, multo plus tu pœnam mereris, qui patriæ propriæ ſacella ſpoliare non times? Dux ergo tali modo potitus loco, introduxit regem in craſtino, gaudentem nimirum, quod à turribus monaſterii valebat intueri quæcunque gerebantur in villa, illic figere vel locare gunnas ſuas, (quas Galli canones vocant) quibus validius villam infeſtare poſſet.

Poſt hæc denunciabatur dies & hora, quibus fieri inſultus deberet ad villam. Interea ſonante terrifico lituorum & tubarum claſſico, obſeſſi ſemet cohortantes, ad muros alacriter cucurrere, telis armati, gladiis & miſſilibus, iaculis & petrariis, vt vim vi repellerent. De parte regis, vt ita dicam: Induit aduerſis contraria pectora telis miles, vt æternum ſanguine nomen eruat. Inter milites D. Edm. Springeus, qui dudum cum aliis militiæ cingulo donatus fuerat, muros Cadomi armatus aſcendit, & vulnera alterna datque capitque manu.

Sicut aper longe ſiluis latratibus actus,
Fulmineo celeres diſſipat ore canes:
mox tamen ipſe perit.

Sic & iſte vir egregius dum multos muris deiicit, dum plures enſe perimit, dum Martis acta peragit, lapſus pede corruit in foramen muri, vbi ſedẽdo pugnans peremptus eſt. Quem mox inhumaniter vt erat armatus adhuc ſpirantem, ganeones circumiectis ignibus cremauerunt. Non tamen deſtitere regales inimicis inſiſtere, ſed bili cõcitata propter infortunium tanti ſocii (fuerat nempe cunctis amabilis) inſurrexerunt acrius, & exarſerunt contra tam improbos pollinctores, fatigantes illos ſic ex parte illa, quod videbatur ipſis qui tuebantur oppidum, ex parte altera neceſſarium, vt ſtatione ſua relicta, ad eam partem accurrerent, qua rex oppugnabat villam. Sicque rareſcente in dicta parte defenſore, dux Clarentiæ factis inſtrumentis in loco qui putabatur tutiſſimus muros ſcandit, & poſt terga Gallorum deſiliens, eos adeo repẽte terruit vt ignorarent, vtrum iuuaret potius procedere contra regem, an reuerti & manus erigere contra ducem. Facta eſt igitur ſtrages magna Gallorum, obuiantibus à fronte regalibus, inſtantibus à tergo Clarentianis, omnemq; illis adimentibus ſpem ſalutis. Talique modo rex villa potitus eſt, caſtello nondum rebellibus vacuato. Quapropter rex gunnarum iactu ſic caſtrum debilitauit, vt impoſſibile videretur incluſis

Digitized by Google

ſedefendere locum poſſe. Proinde impetrato tractatu, impetrarunt à rege libertatem abeundi relictis armis & victualibus, auro & argento atque iocalibus in caſtello. Sed ne inanes omnino & vacui recederent, rex indulſit eis, vt milites quidam certã ſummam fului metalli ſecum ferrent, armigeri quoque taxatam, & alii limitatam tollerent, & non amplius ſub pœna perditionis ſummarum conceſſarum pariter & vitarũ. Fœminas vero permiſit ornamenta vel quæq; mobilia ſecum ferre, & indemnes abire. Quæ magnas auri ſummas (vt fertur) in vtribus abſtulere. Hiis omnibus ingrati Franci beneficiis, regiæ munificentiæ peſſime reſponderunt, & inuidentes eius commodis, aurum & argentum & qnicquid in caſtrum ad tuendum deportatum fuit, igne combuſſerunt, vt poſt receſſum patuit eorundem. Poſt deditionem caſtri de Caen, q obtinuerunt condicionaliter, ſi rex Francus vel Dolphinus, aut comes de Armanak bello non diſſoluerent obſidionem infra 29. diem menſis Septemb. reddiderunt ſe pacto conſimili ciuitas, & eeclesia Baiocenſis cum multis aliis villis. Dum hæc agerentur in Neuſtria, Lollardi duce Oldcaſtle inſanire cæperunt in Anglia, qui Scotos cõcitauit tam prece, quam repromiſſa pecunia, vt intrarent hoſtiliter regnum in regis abſentia, leui negotio, vt aſſeruit, ſubiugandum. Ferunt quod Gul. Douglas Scotum ad Pontem fractum allocutus fuerit, grandem promittens auri ſummam, ſi gentem ſuam ſollieitaret, & eum, qui falſo dicebatur apud eos rex Rich. venire cum eis faceret, & ſe oſtentare tanquam regem. Scotus vero auri ſacra fame coactus non multo poſt contribulos ſuos cum magno ſtrepitu venire fecit ad obſidendum caſtellum, cum villa de Rokesburgh, quo quum veniſſent, ſuffoſſores immiſerunt ad ſubuertendum muros. Contigit eo tempore ducem Exoniæ Tho. Beufort ad Brydelingtonam veniſſe perigrinandi gratia, qui confeſtim audito rei nũcio properauit ad partes, eundo colligens armatos & architenentes, hoſtibus occurrere feſtinando. Ex alia parte cuſtos regni D. Iohan. frater regis dux Bedfordiæ cum aliis regni nobilibus magnum conflans exercitum ad eaſdem peruenit partes, quod Scoti per exploratores comperientes, expectare non audentes diutius: *Turpia fœminea terga dedêre fuga.* Nec mirum, quia pluſquam 100000. virorum conueniſſe ferebantur ad repellendum eos: & ne rurales eſtimarentur & inexperti qui cum heroibus venerant, vir valde venerabilis dux Exoniæ palam aſſeuerauit ſe ſciuiſſe ex illis cohortibus delegiſſe 40000. virorum bellicoſorum, qui virtute præſtarent & animis, æque cum valentioribus quaſi regni totius, non obſtante quod maxima multitudo eum rege in Normannia militabat.

Eo tempore dux Lollardorũ Ioh. Oldcaſtle dum diuerſis in locis requireret latibula prope S. Albanum in dominio Abbatis delituit multis dieb. in domo cuiuſdam ruſtici, habentis ibidẽ idoneã manſionem. Quo audito familiares Abbatis illuc nocte ꝓperantes illum quidẽ non inuenerunt, ſed quoſdã de ſuis ſpecialib. aſſeclis tenuerũt & ad carcerem adduxerũt. Ipſe vero dux perfidorũ hoc audito rumore vehemẽter ingemuit, dicens ſuum grande ꝓpoſitum eneruatum captis p̃cipuis conſciis votorũ ſuorum. In p̃fato loco reperti fuerunt libri in Anglicis ſcripti literis, & nõnulli libri quõdam picti nobiliter & imaginibus decorati, quarũ imaginum capita iuxta formã falſæ doctrinæ ſuæ nebulones abraſerant & in Letaniis omnia ſanctorum nomina vna cum nominib. beatæ virginis aboleuerant vſq; ad hũc verſum: Parce nobis domine. Inuẽta ſunt inſuper illic quædã ſcripta plena blaſphemiæ in beatã Mariã quæ propter horrorem prætereo. Librum tali raſura deformatũ, miſit domino noſtro regi dictus Abbas S. Albani, cũ quibuſdã aliis deliramentis receptis ibidem, & D. rex eundẽ librum Archiep. Cant. remiſit, vt in ſermonibus faciendis ad crucem. S. Pauli Lond. oſtenderetur, vt vel ſic ciuib. innoteſceret quanta furia Lollardi vehebantur, qui non dico imagines ſed nec ipſa ſanctorũ nomina in ſuis membranis inſeri ꝑmittebant. Rex Angliæ per idẽ tempus impiger in partib. tranſmarinis, cepit plures eiuitates & villas muratas, eum caſtris & munitionibus plus q̃ 100. Hoc an. 4. die menſis Septemb. obiit M. Rob. Alum epiſc. Sarum, apud Conſtantiam concilio non dum finito. Menſe Decemb. rex Henr. obſedit Faleſiam villam munitiſſimã, refertam defenſoribus, ſuperbam ſuis opibus, inſtauratã machinis, cõfidentem mæniis vt ne quidem portas cõtra regẽ in initio claudere dignabantur. Villa tamẽ leui negotio terrore gunnarum reddita fuit regi. Sed caſtrum cum magno faſtu detẽtum fuit fere vſq; ad feſtũ Purificationis medio tempore multis hinc inde iactis conuitiis. Tandẽ obſtinatione depoſita pœnituit obſeſſos tã diu ꝑſeueraſſe in pertinacia, & humilius ſapiendo regis gratiam flagitabant. Nõ enim ferre valebãt horridos ſaxorum volatus quos crebro circa ſe cernebãt emiſſos cuilibet formidandos. Et proinde maluere ſemel vitã ſeruare quoquo pacto quam

quo-

quotidie quaſi mortẽ metuendo mori. Igitur poſt certas conditiones, aſſecurauerunt regem ſe propriis ſuis ſumptibus damna caſtri villæq; ruinas reparaturos, præter illas quas ſoluerent redemptionis ſuæ ſummas, quod idcirco rex illis impoſuit propter ſuæ faſtuoſæ detentionis diuturnitatem, quæ fuit cauſa ruinæ magnæ dicti caſtelli. Circa præſens tempus captus fuit in Anglia ille vaniglorius, inueteratus dictum malorum, primicerius Lollardorum, dux & princeps perfidorum Ioh. Oldcaſtle, quondam dictus D. de Cobham in terris dominii de Howiſia non ſine periculo, leſioneq; quorundam qui ceperunt eum, ſed nec ipſe ſine vulnere tentus fuit. Sub eodem tempore vocati fuerant ad parliamentum Londonias omnes ſtatus regni, vt de pecuniali ſuffragio regi ferendo conſulerent, qui laborabant in partibus vltramarinis. Cumq; domini & perſonæ parliamentales audiſſent quod captus fuiſſet hoſtis publicus, placuit cunctis parliamentum non diſſoluendum, donec interrogatus & auditus fuiſſet in eodem parliamento. Miſſus eſt igitur D. de Powiſia qui deduceret eum manu forti. Qui & adduxit eum Londonias in lectica ſaucium vna cum clerico omnium ſecretorum ſuorum conſcio. Nec mora, cum conſtitutus fuiſſet in præſentia rectoris ducis de Bedfordia, & ſtatuum parliamenti, lectum fuit indictamentum coram eo de hoſtili inſurrectione contra regem in campo S. Egidii, & aliis offenſis læſæ maieſtatis, quæ partim tãguntur ſuperius locis ſuis. Quæſitumq; fuit ab eo, qualiter ſevoluit excuſare, & oſtendere quare non merito ſit abiudicatus morti. Qui mox aliunde quærens diffugia, aſſumpta parabola cæpit prædicare de Dei miſericordia, & quicunque mortales Dei imitatores eſſe vellent, deberent ſemper miſericordiam ſuperexaltare iudicio, vindictam fore ſolius Dei, quæ ab eius cultoribus non debuit exerceri, ſed ſoli Deo relinqui. Et alia plura commemorauit, redimendo tempus, donec ſummus regni Iuſticiarius regis vicarium monuit, ne pateretur eum inaniter tempus terere, & aſſiſtentes regni proceres moleſtare. Iuſſit ergo regni rector vt reſponderet conformiter ad obiecta. Qui ſe videns conſtanter vrgeri, tandem poſt breuem meditationẽ ſoluto ſilentio reſpondit dicens. Mihi autem (inquit) pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et iterum impertinenter garrulare cæpit, donec ſummus Iuſticiarius iuſſit vt reſponderet finaliter, & doceret ſi poſſet, quare mori non debuit. Qui confeſtim eum ſumma ſuperbia & abuſione reſpondit, ſe non habere Iudicem inter eos, viuente ligeo domino ſuo in regno Scotiæ rege Rich. Quo reſponſo accepto, quia non opus erat teſtibus, ſine mora iuſſus eſt trahi & ſuſpendi ſuper furcas, atq; comburi pendens in eiſdem. Vbi cum plures perſonæ honorabiles huic ſpectaculo intereſſent, D. Tho. de Erpinghum (prout dicunt) nouiſſima verba locutus eſt, adiurans eum, vt ſi cerneret eum reſurgere die 3. pacem procuraret ſectæ ſuæ. Tanta perditi fuit dementia, vt putaret ſe poſt triduum à mortuis ſurrecturum.

An. 1418. tenuit rex natale in Normannia apud Baiocas, circa quod tempus redditum fuit ſibi caſtrum de Faleſia, & ciuitas de Aueraunce ſe ſubmiſit. Poſt feſtum paſchæ miſſi ſunt per regem ad obſidendum monaſterium de Bekke Herlewini, D. Tho. dux Clarentiæ, ad obſidendum villam de Sherburg, D. Humfridus dux Glouerniæ, ad obſidendum caſtrum de Danufrounr D. Rich. comes Warwici, ad obſidendum caſtrum Nully le veſque comes de Kyme. In die S. Georgii rex apud Wonium in caſtello celebrauit ſolemniter idem feſtum. Circa feſto Trinitatis ad iuſſum regis profectus eſt in Normanniam D. Tho. dux Exoniæ regis auunculus, cum 15000. (prout dicitur) bellatorum. Menſe Iunii Burgundiones nocte Pariſium intrauerunt & comitem de Armanak morte turpiſſima mulctauerunt. Nam (vt ferunt) eum crudeliter excoriauerunt, & ex poſt crudeliſſime peremerunt. In illa ferali ſeditione iugulati feruntur plures nobiles ſcz. Cardinalis de Baar, Archiep. Remenſis, epiſc. de Mentz, epiſc. Conſtantienſis, epiſc. de Liſeux, Abbas S. Dionyſii, abbas de Pormayle, Cancellarius Franciæ, præpoſitus Pariſiorum, & plures alii ad numerum quatuordecem millium perſonarum. Nec ſatiari potuit effrænata furia tanta cæde virorum, quin & in fœminas graſſaretur: nempe feruntur iugulata 5000. fœminarum. Sub eodem tempore rex obſedit villam nobilem vocatam Loueres: quam fortiter expugnatam compulit ad deditionem ſub certis conditionibus vtrobique pactis. Reddita eſt ergo regi in vigilia S. Ioh. Baptiſtæ. Die vero Lunæ ſequenti mouit dominus rex exercitum verſus Pount de la Arche cueroiſe.

Eodem tempore dux Exoniæ obſedit ciuitatem Ebroicenſem. Ipſo anno infra octauas aſſumptionis beatæ Mariæ, D. Ieſus (vt putatur) ob honorem glorioſæ matris ſuæ, quam propenſius veneratur rex Angliæ, dedit ei in locis variis 3. miraculoſas vi- *Victoria 5. Henrici in Normannia.*

ctorias in prouincia Normannorum. Prima fuit, quod 100. de ſuis Anglicis, die Martis infra dictas octauas ceperunt 3. magnos dominos apud locum vocatum Kulnef, & perſonas alias 80. & 300. fugere compulerunt. Secunda fuit die Iouis, 400. nempe de hoſtibus intrauerunt ſuburbana ciuitatis Ebroicenſis, & 11. ex Anglis fugauerunt eos, & ceperunt ex his 4. & 12. peremerunt, captis 40. dextrariis eorundem. Tertia fuit die Sabbati ſequente, ſummo mane: hoſtes reuera voluiſſent cepiſſe villam quam rex ceperat in prima equitatione ſua præſentis anni dictam Loueres, ſed capitaneus dictæ villæ cum 100. de noſtris exiuit animoſe contra mille, & Deo volente vicit eos, & tradidit in manus hominum noſtræ partis 180. perſonas generoſas ex hoſtibus, per omnia benedictus Deus.

Pridie Calendas Augusti capta fuit inopinato villa de Pountoyſe prope Pariſium, probitate Capitanei de la Bouche ſummo mane. Qui nocte non procul à villa deliteſcens inter vineas cum nonnullis de regis familia, in vigilia matutina repente ſcalarum ſcanſione muros aſcendit, vbi poſt diutinam dimicationem, occiſis multis defenſoribus, & pluribus vulneratis, cum ciues cernerent numerum noſtratum creſcere inter eos, oppreſſi vecordia, apertis portis fugerunt quo ſors quemque trahebat. Fuerunt vtique in ea villa præfortes homines conſtituti pro defenſione mille, qui ferebant lanceas atque ſcuta, & baliſtariorum duo millia. Qui omnes ſub feſtinatione verſus Pariſium fugere contendebant: ſed intercepti ſunt & præoccupati per Comites de Huntingdonia, qui & ipſe deſtinatus fuit ad hoc negotium vt ipſe ex vna parte villæ ciues occuparet, dum alii ex parte altera muros aſcendere molirentur, ſed tamen retardatus fuerat in mariſco, non inueniens exitum vſque ad Solis ortum. Occiſa eſt igitur illa pene multitudo per comitem, villa per noſtros detenta, in qua recondita fuerunt omnis generis victualia ad duos annos. De cuius amœnitate, diuitiis & vtilitate rex ſcripſit, quod inter omnia quæ geſſit in tranſmarinis partibus opus magis vtile non peregit. Hæc autem geſta ſunt expirantibus treugis, in craſtino poſtquam Franci Regem ſuis fallaciis deluſiſſent, & pacis vias quas rex obtulerat recuſaſſent. Ferunt quod dicta villa fuit inſtaurata ſufficienter victualibus pro duobus annis.

VITA

VITA ET MORS EDVVARDI SECVNDI, REGIS ANGLIÆ CONSCRIPTA A THOMA DE LA MOOR, EQVITE AVRATO, ET eiuſdem Regis famulo.

ANNO Domini 1307. Edwardo de *Winchester* rege Angliæ mortuo ſucceſſit filius Edwardus de *Carnaruan*. Qui ſtatim in Galliam traiecit, vt ſibi conciliaret animũ regis Philippi *le bel*: cuius filiam Iſabellam in vxorem duxit Boloniæ: 5. K. Febr. mira cum celebritate. Deinde Rege quinto Febr. in Angliã reuerſo. 7. Kal. Martii Iſabella coronata eſt Weſtmonaſterii. Cum Rex in Gallia eſſet, acceſſit ad eũ Petrus de Gaueſton, ei antiqua familiaritate notus, & ea gratia à patre ſuo exul factus, quem is ſecum in Angliã reduxit, atq; ei dedit Comitatum Cornubiæ vna cum ſororis ſuæ filia videli. Iohanna de *Acres* Commitiſſa Glouerniæ in vxorem. Erat hic Petrus * Italus natione, corpore elegans, ingenio acer, moribus curioſus, in re militari ſatis exercitatus. Cuius argumentum, cum is in Scotia militiæ præſideret Scotos valde terruit, & à p̄dis & aliis veſaniis repreſſit. Quo (per inuidiã eorum, qui felices eius pergreſſus haud libenter viderunt) reuocato inualuit iterum Scotorum verſutia. Reginæ coronationi interfuerunt Carolus de *Valois* frater regis Frãciæ, & pater Philippi primi intruſoris, & Dux Britãniæ, H. Comes Lucenburghe, poſtea Imperator. Sed cultu facile omnes excelluit & ornamẽtis Petrus. Quare plurimũ auxit in ſe magnatũ inuidiã.

* *Alibi Aquitanus.*

Anno 1309. Rex, quo detineret animos nobilium in Petrum, cum in Hiberniam transmiſit cũ ſatis magna manu aduerſus Hibernos rebelles. ſtipendiũ ex ærario ſuo aſſignauit ſoluendum. Is ꝓſpere primo pergreſſus eſt, ſed fortuna ſtatim mutata, nondum tranſacto anno in Angliã rediit ad Regis contubernium. Iam exarſerunt in eum manifeſta odia variis ſignis expreſſa nonnullorum, qui putarunt ſe gratum opus Deo facturos, ſi Petrũ è medio tollerent atq; vita priuarent. Rex igitur vt eum à magnatum inſidiis ſeruaret, eum Caſtro Bamburgi incluſit: ſe id feciſſe aſſerens, vt eorum animos placaret. At hoc ſatis non eſt illis viſum, quin etiam Rex piiſſimus eius cauſa non paucas contumelias paſſus eſt. Anno igitur 1311. circa feſtũ natiuitatis S. Iohannis Baptiſtę à Bamburgo reuocatum, cuſtodiæ commiſit Audomari de *Valentia* Comitis Penbrochiæ, quẽ prius ſacroſanctum ſacramentum (aſtantem in p̄ſentia) iurare coegit, quod ipſum indemnem (quoad poſſet) cõtra omnes hoſtes ſuos tueretur ad certum vſq; tẽpus, quo eum reliquis ꝓceribus reconſiliare ꝓpoſuerit. At vero Audomari ſuperauit inuidia fidem, & voluntas placendi reliquis ſui ordinis: Duxit eum ad Manerium Dathington, q; eſt inter Oxoniam & Warwik locum neq; tutum, nec munitum, nec ſecretum, quo eum tueri poſſet aduerſus Comitẽ Warwicĩ. Nocte ſequenti receſſit Audomarus, atq; poſtridie mane acceſſit Comes Warwici Guido cum hominũ mediocri manu, & eũ cepit, ſecum ad caſtrũ Warwici abduxit. Habita itaq; deliberatione inter ſe Thomas Lancaſtriæ, Warwici & Herefordiæ Comites, in eorũ conſpectu in loco q̧ dicitur *Blaklavve* 19. Ianuarii capite truncari curarunt. Corpus aũt in Eccleſia fratrum p̄dicatorum de *Langley* Rex honorifice ſepeliri iuſſit. Hoc anno ꝓpterea Clemẽs conſilium tenuit Vicennæ q; durauit à primo Octobris vſq; ad Pẽtecoſtem. In quo (p̄ſente Philippo Bello Rege Francorũ) condemnati ſunt Templarii procurante hoc ipſo rege, quia is Magiſtrum ordinis exoſum habuit, propter importunã pecunię exactionem q̃ in nuptias filiæ ſuæ Iſabellæ ei mutuo dederat. Inhiabat pręterea p̄diis militum & poſſeſſionibus vnde Magiſtrũ ordinis cum aliis multis Pariſiis cõburendum curauit. At vero q; propoſuerat nõ obtinuit, nã Papa eiectorum terras & poſſeſſiones Hoſpitalariis aſſignauit, pro quib. in eorum manus tradẽdis miſit in Angliã ꝓpter Cardinalem quendã comitatũ Epiſcopo Albanenſi. At vero magnates Angliæ, quorũ maiores templarios prædiis ditauerant Papæ in hoc reſtiterunt atq; ordine iam condemnatę maiorum ſuorum donatas poſſeſſiones, ipſi repetitas occupauerunt. Papę itaq; nuntii infecto negotio reuerſi ſunt. Anno 1312. die ſancti Briſſii Windeſoriæ natus eſt Regi Edwardus tertius, poſtea vocatus magnificus Gallorũ triumphator, Scotorum

Dominator,&c.Rex mortem Petri fideliſſimi quondam amici deplorare nõ ceſſauit. Cuius interitꝰ eũ in multos infeſtũ reddidit quos ad ſe conſiliaq; ſua vocare dedignabatur. Cum igitur internis ſolatiis intenderet Robertus de Brus omnia fere in Scotia amiſſa recuperauit. Caſtra & munitiones (eiectis Anglicis p̄ſidiis) in ſuã poteſtatẽ recepit. Anno igitur ſequenti prelatorum conſenſu & aliorũ quorundã Hugo *deſpenſer* filius conſtitutus eſt regis Camerarius loco Petri de *Gaueſton*. Quem eo libentius in hunc locum ꝓmouerunt quia eum Regi exoſum cognorunt. At vero is prudentia & obſequio haud multo poſt dirempto regis animo eũ in ſui amorem facile cõmutauit, vnde & illi odio cum vel maximo ꝓſequuti ſunt. Huius Hugonis pater ſenex, adhuc ſuperſtes erat magnæ probitatis miles, conſilio prouidus, armis ſtrenuus, cuius confuſionẽ & ignominioſum finem accumulauit amor naturalis ſed diſordinatus erga filium ſuum corpore formoſiſſimum, ſpiritu ſuperbiſſimum, actu flagitioſiſſimum, quẽ ſpiritus ambitionis & cupiditatis à viduarum & orphanorum exheredatione, in necem nobilium Regis precipitium, & ſui atq; patris interitum præcipitauit. Anno 1313. Rex iniuriis regis Bruſii inſtigatus vires ꝓpe *Strinelin* adunauit, nunq̃ magis ſplendidus, nobilis, aut ſuperbus exercitus Anglorũ viſus vt affirmat pauꝑ ille Carmelita, frater R. Baſton in ſuis heroicis de illo bello q̄ ipſe p̄ſens à Scotis captus deplanxit, vidiſſes prima nocte Anglos haud Anglico more vino madentes, crapulam eructantes, *Waſſaile & Drinkchaile* plus ſolito intonantes. E contra Scotos ſilentes ſanctã vigiliam (erat enim vigilia natiuitatis S. Iohannis Baptiſtæ) ieiunio celebrantes, amore patriȩ & libertatis eſtuantes. In craſtino Scoti cãpi locũ nacti victorib. opportunũ ſuffodiebant ad menſurã trium pedum in ꝓfundum & in eandẽ latitudinẽ foſſas longas à dextra in ſiniſtrã, operientes illas plexis fragilib. ex virgultis & viminibus *hordelles* ceſpitæ & herbis ſuperſtratis (peditibus quidẽ prius conſciis cautelȩ) ſufficientes, ſed equitum pondera nõ valẽtes ſufferre. Exercitus Scotorum nõ longe ab hac foſſa cõſtitit in turmas diuiſus, in acies ſolidiſſimas diſtributus. Ab occidẽte vero è contra Anglus refulſit, ſol oriens in ſcuta aurea & galeas ſplendentes radios emiſit, oportuit autẽ vt expectaſſent potius meridiẽ ad cõfligendum cum ſolem habuiſſent dextrũ. In prima acie fuerunt equites, in ſecunda pedites & ſagittarii, in tertia, Rex ipſe cũ Epiſcopis & aliis religioſis, & inter ipſos vecors miluus H. *Le Spenſer*. Equites in hoſtes moti, p̄cipites in foſſam ceciderunt, quib. adfuerant hoſtes mactantes, capientes diuitibuſq; ſolis magno pretio redimendis parcẽtes. Ibi occubuit Gilbertus comes Gloceſtriæ, quẽ Scoti libenter ad redemptionẽ ſeruaſſent ſi cognouiſſent, at vero is togã propriæ armaturæ eo die induere neglexerat. Ceciderunt cũ eo Edmundus *Mauler*, Robertus de *Clifford*, Paganus *Tiptoſt*, Egidius *D'Argentinæ* & multi alii ordinis militaris. Capti ſunt & redẽptioni ſeruati Humfridus de *Bohun* Comes Herefordiæ, Iohannes de *Segraue*, Iohannes de *Clauering*, Gulielmus *le Latimer*, & fere trecenti viri militares, multos autẽ occiderunt noſtri ſagittarii qui cũ Scotos in foſſas directos irruere aſpexiſſent, ſagittis in eos directis nõ Scotos à pectore armatos, ſed noſtros à tergore nudos traiecerũt. Rex cum Epiſcopis & Hugone fugã capeſſiuit: Hic nõ equi velocitas, non hominum induſtria Regem ab inimicis liberauit ſed mater Dei q̄ Rex inuocauit. Cui Rex & filio ſuo vouit, ſi ſaluus euaſiſſet ſe erecturũ pauperibus eius Carmelitis manſionem in matris Dei titulo inſignitam pro 24. fratribus theologiæ ſtudio deputatis quod & poſtea fecit Oxonii, & expenſis ditauit diſſuadente Spenſero.

Anno 1315. Scoti ſub ducatu Edwardi *de Brus* qui ſe Regem Hiberniæ nominari iuſſit Hiberniam inuaſerant Domino Iohanne *Brningham* tunc ibi iuſticiario. Cuius virtute fuſi fugatique ſunt & plurimi interfecti. Incruduit eodem tempore in Anglia ſeuiſſima peſtis & fames. Quarterium frumenti vendebatur pro quadraginta ſolidis ſterlingorum.

Anno 1316. venerunt in Angliam duo Cardinales vt inter Angliam & Scotiam pacem componerent, qui in itinere verſus Scotiam in agro Dunelmenſi deprȩdati ſunt à Gilberto de *Midelton* milite qui poſtea ea de gratia ſuſpenſus eſt, & in quarterium deuiſus. Robertus de Brus nuntios ſpirituales Scotiam ingredi noluit permittere, quamobrem Cardinales eum excommunicauerunt, & Regem Scotiæ interdicto ſuppoſuerunt. Reuerſi autem Cardinales ad Curiam pro ablatis à prædonibus duplicia receperant à rege & proceribus ſponte collata.

Anno 1317. Robertus *de Brus* Caſtrum & villam Berwicke viriliter acquiſiuit, neminem occidendo, qui voluit obedire. In Auguſto Rex & Comes Lancaſtriæ in quadã planitie ꝓpe Leiceſtriã ſunt cõcordati, & ſe mutuo amplexati & oſculati ſunt.

Anno

Anno 1318. In autumno Rege tranſequitante magno cum exercitu partem Scotiæ, & ad obſidionem Berwici ſe diſponente, Scoti ex alia parte Angliam inuaſerunt vſq; ad Eboracum prædiis & incendiis omnia vaſtantes, Regemq; infauſtis nuntiis ad ſui regni defenſionem reuocauerunt, & per aliam viam ipſi in Scotiam reuerſi ſunt.

Ann. 1319. in Iunio rex profectus eſt in Galliam vbi Ambianis occurrit regi Philippo, à quo recepit comitatum Pontini, quem princeps Gallorum in ſua nouitate propter non factum homagium occupauerat.

An. 1320. oritur inter regem & barones, ſcil. comites Lancaſtriæ & Herefordiæ diſſidiũ, quod origo & cauſa fuit interitus baronũ, calamitatis regis, & regii ſanguinis fere excidii. Exarſit enim odium & inuidia baronum in Hugonem le Spenſer: Fuerũt enim, qui dixerunt eum eſſe alterum regem, & potius ſolum: regiſque animum eum incantaſſe, non ſecus atque olim feciſſet Petrus de Gaueſton: & de regis familiaritate ita præſumpſiſſe, quod nonnullos nobiles frequenter à regis colloquio arceret, at cum regem ipſi de ſuis negotiis alloqui cuperent, eum (præoccupata Regis benignitate) reſponſionem in ſe ſuſcipere, regiſq; commoditatem præ ſe ferens reſponſa dare aduerſa & ingrata. Talia de Hugone fateor mala, ſed non adeo, quin vulgus garrulus peiora ſtuduit fingendo demonſtrare, & malefacta deteriora reddere. Hiis & ſimilibus (quæ miniſtri regii oſtendere ſolent) proceres accenſi & furibundi, in odium filii patris Hugonis poſſeſſiones in Wallia & Marchia occuparunt, nemora vaſtarunt, & mobilia deprædarunt, in vtriuſque præterea necem patris, & filii, & cuiuſlibet præterea amicorum (regio ſanguine excepto) ſub ſacramento coniurarunt. Quorum præcipui fuerunt Comes Herefordiæ, R. de Mortimer: Mauritius de Barkley: B. de Badelſmere, R. Damorum. His occulte Comes Penbrochiæ conſenſit, & comes Lancaſtriæ ardenter & manifeſte. Hugo furorem eorum temporis tractu mitigari arbitratus, ſe in tempus clam tenuit aliquando in tranſmarinis partibus, quandoq; in mari ipſo regis ipſius voluntate nauigio latitauit. Igitur comitiis Weſtmonaſterii habitis vterq; Hugo regia maieſtate aſſentiente, ſed potius refragari non audente in exilium mittitur.

Anno 1321. venit Iſabella regina ad caſtrum de Leedes circa feſtum Michaelis, atque ibi pernoctare voluit, At vero non eſt permiſſa ingredi. Hac re Regis animo offenſo, vt in ſuum contemptũ acta, conuocatis vicinis ex Eſtſexia & Londino nonnullis caſtrum iuſſit obſideri. Caſtrum tenuit B. de Badelſmore, in quo relicta vxore & filiis, ipſe cum reliquis baronibus ad res Hugonum euertendas profectus fuerat. (Interim incluſis de ſalute deſperantibus) Barones cũ ſuis Kingſton vſque venerunt in vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ, rogantes per intermiſſos Epiſcopos Cantuarienſem & Londinenſem, & Comitem Penbrochiæ, quod obſidionem rex ſolueret, polliciti ſe poſt proximum Parliamentum caſtrum regi in manus tradituros. Rex vero perpendens, non poſſe diu obſeſſos reſiſtere, & exaſperatus eorum contumacia Baronum petitiones audire noluit: quibus in alias partes conuerſis, poſtea non modico labore caſtro potitur, reliquis in eo repertis ſuſpenſis, vxorem cum filiis ad turrim Londinenſem miſit. In ſequenti natali Cirenceſtræ feſtum celebrauit, profectus cum exercitu in Marchiã Walliæ Glouerniã reliquit, à quibuſdã baronib. præoccupatam rebellibus, atque Wigorniam pertranſiens ad Bridgenorth iter direxit, vbi caſtro in tempus defenſo tandem potitus, Caſtellani partim occiſi, partim fugati, & in exilium acti ſunt, eorumque bona vbique confiſcata. In Salopiam perueniens, vtrumque de Mortuomari ad eius gratiam confugientes, ad turrim Londinenſem miſit, Mauritium vero de Barkley, & Henricum de Audeley ſeſe ei ſubmittentes ad caſtrum Wallingfordiæ miſit. Comes Herefordiæ Gilbertus Talbot, R. D'amory, & omnes alii eorum adhærentes in boream ad Comitem Lancaſtriæ, qui eos expectauit, profecti ſunt. Iſtis peractis archiepiſcopo præſidente in conſilio Londini fuit per prelatos prouinciç Cant. allegatum, quod exilium * Diſpenſatorum fuit erroneum, & de iure reuocandum. Vnde directum eſt eos eſſe reuocandos & reſtituendos. * Spenſer.

An. 1321. oblatæ ſunt conditiones pacis à baronib. Verũ rex eorum pertinacia offenſus collecto exercitu circa finem Februarii in boreã contendit, rebelleſq; adortus apud Burton ſuper Trentam in fugam vertit. Deinde paulo poſt regio exercitu aucto copiis Northumbriæ ab Andrea de Harcklay adductis, valde animo conſternati ſunt Barones. Ineunt igitur conſilium de ſe ſubmittendo Regiæ clementiæ, quod quidem Thomam Lancaſtrenſem reliquis valde exoſum reddidit:

vt qui colligerent Thomam (cum eſſet regio ſanguine creatus) ſibi facile poſſe ſecuritatem obtinere, illis non item, præcipue, cum is affirmaret, ſe non contra regem ſed Hugonem arma ſuſcepiſſe regis corruptorem, ac regni peſtem. Humfridum vero de Bohun comitem Hereſordiæ, virum bellicoſum, ſtrenuum & prouidum compulit periculi timor in ſententia deſiſtere communi, cum ſibi, cum reliquis militibus, quos non ſine maximo ſuarum rerum detrimento, vel etiam vitæ diſpendio regi & Hugonibus reconciliari poſſe animaduerterit. Vnde veluti pietate quadam commotus generoſus Comes, vitæ periculum ſubire, quam ſe & ſuos manifeſte calamitati bonorum amiſſionis, carceris & interitus exponere. Tandem 7. die Martii iterum congrediuntur acies apud Burrenbrig, vbi piiſſimus Comes Humfridus à quodam Wallo, qui ſub ponte conſtitit, lancea per ſoramina pontis emiſſa per inguina traiectus interiit. Quo in loco milites armari non ſolent: quippe cum ſub pedibus hoſtes ſe inuenturos minime credant. Capitur in campo Comes Lancaſtriæ, Barones & Baronetti, commilitones eius & milites circa 95. reliquis fuga ſeruatis. Hii in exemplum aliorum grauiter puniuntur, ſententia Andreæ de Harckeley, & iuſtitiariorum regis. Inprimis Thomas Lancaſtriæ Comes, cuius nobilitas, potentia, & diuitiarum ſplendor reliquos animauerat, ſexto poſt die ſuſpendio condemnatus eſt: tametſi regia clementia grauitatem pœnæ, & turpitudinem, præſertim conſanguineo, mitigauit. Capite itaque truncari iuſſit, & circa octodecim reliquorum in diuerſis Angliæ partib. ſuſpenſi & tracti ſunt: 5. in exilium acti, reliqui carceris ſquallori mancipati tandem pretio redimuntur.

Anno 1322. Eboraci Parliamentum poſt Paſcha celebratur, vbi Hugone patre Comite Winton. conſtituto, Rex collecto exercitu ad feſtum ſancti Iacobi Scotiam inuaſit. Scoti vero regiam potentiam veriti cum ſuis omnibus vltra mare Scoticum ſe conferunt, regione citramarina victualibus prius euacuata, quoad poterant. Rex breui exercitum fame preſſum in Angliam reduxit. Scoti igitur mari tranſmiſſo nocturnis & clandeſtinis itineribus Regem inſecuti, apud ſoreſtam de Blackamore noctu ex improuiſo caſtro Regis adoriuntur, in Regis ipſius hoſpitium obſeſſum inſultum faciunt. Rex vero vix eorum inſidias elapſus, fuga cum paucis aliis ſe ſeruauit, captis ex eius Comitibus Comite Richmondiæ, & domino de Siliaco Regis Franciæ nuntio, multiſque aliis. Scoti deinde totam Marchiam Eboracum vſq; rapinis & igne deuaſtant. Ripenſe oppidum incendunt, Beuerlacum quadringentis libris ſterlingorum redemptam indemnem relinquunt, & ad propria ſpoliis onuſti reuertuntur. Anno ſequenti Iunio menſe captæ ſunt induciæ in 13. annos.

Anno 1322. Philippus Rex Franciæ moritur. Succedit Carolus frater, qui ſtatim in Angliam miſit Andream de Florentia, ad citandum regem, vt ad ſe veniret homagium præſtaturus de Ducatu Aquitaniæ, & aliis terris, quas à ſe tenuit. Et licet Hugo de Spencer, & R. Baldocke precibus & monitis nuntiorum informaſſent ſatis (vt ipſi putabant) quod cauſam ſui aduentus non notificarent Regi, tamen in ſuo receſſu monuerunt ipſum, & ſuaſerunt, vt homagium facturus ſe Regi præſentaret. Super qua monitione Andreas, qui Carolo fuit notarius, conſilio Regis Angliæ hoc ignorante fecit publicum edictum. Cuius virtute Rex Franciæ contra Regem ſacto proceſſu, terras nonnullas de Ducatu Glaſconiæ, & Comitatum Pontini in ſuum emolumentum ſciſire curauit. Edwardo putante (ſicut fuit informatus) prædictam citationem non valuiſſe ſeiſinam fecit patruus Caroli Regis, Carolus de Valois vir Anglis infeſtiſſimus, qui magno cum exercitu fingens legationem, prętendens Edwardi inobedientiam de homagio minime præſtito, Comitatum Pontini, & totam Agenam in manus ſui nepotis ſeiſiuit. Tandem ad Regulum oppidum progreſſus munitum inuenit, Duce Edmundo de Woodſtocke, Edwardi fratre, & Comite Cantiæ, qui inter ſe colloquuti inducias faciunt, dum inter Reges de pace agi poſſet.

Anno 1323. Rogerus de Mortuomari è turri Londinenſi (corruptis cuſtodibus) euaſit, & in Franciam elapſus, Carolo de Valois ſe adiunxit, in nouum diſſidium, & bellum inteſtinum miſerrimum à diabolo reſeruatus. Proxima quadrageſima in Parliamento Londini facta, & inquiſito contra Adamum Epiſcopum Hereſordenſem per legales viros eiuſdem Comitatus ſuper eo, quod prædictus Adam adhæſit quondam illis de Mortuomari Regis hoſtibus, eoſque equis & armis accommodatis adiuuerat ad dicti Regis euerſionem. Volente vero Epiſcopo accuſato reſpondere, eius omnia temporalia (ſicut proditoris) regia auctoritate confiſcantur. Vnde inexorabile odium concipiens Epiſcopus in Regem & amicos eius, vir ingenio callidiſſimus, &

pruden-

prudentia mundana ſummus, facinoroſus & audax, & factioſus ad Regis degradationem, & multorum nobilium ruinam iræ conceptæ venenum propinauit, reſuſcitando procerum odium in Hugones, iam fere poſt Regis victoriam ad Burrowebrig ſopitum, aut certe terrore regiæ potentiæ coopertum. Quod tandem vires reſumens ſeſe conſpiciendum obtulit. Multi autem nobilium, qui ſub Comite Lancaſtriæ arma geſſiſſent aduerſus Regem non alia via ſalutem ſperantes, quam Hugonum interceſſu, eorum animos & fauorem, terrarum & prædarum donatione coemerunt, quæ res eos omnibus valde exoſos reddidit, non ſolum quod Regi omnibus reliquis poſthabitis ſoli illi maximi habebantur, verum quod ſua ambitione & cupiditate plurimos nobiles depauperaſſent, hiis modis. Atque videbantur pro vno tres iam eſſe Angliæ Reges. Sed eos præcipue odio habebat Adam Herefordenſis iam temporalibus ſuis priuatus, & Henricus de Burwaſche, & iſtorum amici, qui ſolum regiæ maieſtatis reuerentia manus continebant. Ad hoc ipſum Reginæ ipſius animum incendebant, in maius nefas iram muliebrem rapidiſſimam concitantes, eo quod Hugonũ conſilio reginæ familia eſſet diminuta, & certorũ redditiũ præciſione & annonæ magis parca ſubminiſtratione. Inde vel auaritia inſatiabilis (fœmina fruſtrata) vel certe ꝓdigalitas affectata, quorũ alteri ſolẽt ſemper muliebres ſexus indulgere) in cauſa fuit, ꝙ non ſolũ in Diſpenſatores, ſed etiam in maritum mortale odium conceperit. Luget Francorum regis filiam, imo vnicam ſucceſſorẽ auaro maritatã, ſe promiſſam fore reginam, ſed ancillam factam eſſe diſpenſatoribus ſtipendiariã. Cum fratre regis colloqui cupit, vt ei de miſeriis ſuis cõquereretur, & de vindicta in diſpenſatores cõſuleret. Epiſcopus Herefor. non ceſſat clam cum ea hiis de rebus conferre, de præſenti calamitate conqueri, & reginam omnibus horis & modis incitare, & eius indignationem augere. Idipſum agit etiã Lincol. Epiſcopus: vterq; reginã admonet, vt captet occaſionẽ fratrẽ & patrẽ in Francia viſitandi, vt eorũ conſiliũ contra diſpenſatores imploret, ꝙ ſi fecerit, omnia facile pro voto ſucceſſura eſſe. Erat illis dieb. inter reges (vt ꝑdictum eſt) de pace agendum: ad quod cõficiendum voluit rex ipſe mare tranſire. Illud vero ſibi timentes * comites Winton. & Glouceſtriæ diſſuadebãt, ne interim illi in hoſtium manus inciderint, ſi vel domi manerent ſine rege, vel eum comitarentur ad Francum hoſtem. Interim regina blandimentis regem inducit, vt ipſa fungatur hac legatione, omnia promittens ſe effectura. Stipulantur Epiſcopi duo, & aliquot procerum reliquorum, adeo vt tãdem perſuaſo rege ea mittitur in Franciam.

* *Hugo de Spicer pater fuit comes Wintoniæ, & Hugo filius comes Gloceſtriæ.*

Anno milleſimo treceteſimo vigeſimo quarto regina à fratre Franco & patruo libentiſſime ſuſcepta, dum cauſam mariti agit. Is interim per totam quadrageſimam, & æſtatem in littore commoratus eſt, vt facilius nuntios & literas ab vxore recipere poſſet. Ea interim ſuas res agit. Conſenſit Francorum Parliamentum, quod ſi Rex Edwardus filio ius ſuum in Ducatu Aquitaniæ & Comitatu Pontini reſignaret, Rex Francus ei traderet in manus eorum plenam ſeiſinam, & contentus foret homagio, quod ille ſibi faceret. Hiis concluſis Carolus Rex literas ſuas patentes, & alias de ſaluo conducto pro primogenito Angliæ ad Edwardum mittit. Super hiis habentur conſilia Langedone & Douoriæ ſæpius. Atqui ſuadebant, vt Rex in propria perſona tranſiret: nec ſecurum poſſe eſſe Regis filium paterna ope deſtitutum inter Francos aſtutos, & facinoroſos, ne Rex Francorum paruulum, cui vellet diſpari matrimonio copularet, aut ſibi tutorem aſſignaret. Comites vero Winton. & Glouceſtriæ alterius erant ſententiæ, eo quod cum rege transfretare timerent, vel eo tranſgreſſo in Anglia manere. Quibus in eorum damnum aſſenſit Epiſcopus Lincol. ea, quæ propoſuerat, ad finem deduci poſſe ſperans. Præterea Rex timens, ne eo abſente barones in Comites Diſpenſatores deſæuirent, & bellum inteſtinum iam ſopitum reſuſcitarent, facile aſſentit illis, qui ſuum filium eſſe mittendum ſuadebant. Vnde chartam de prædictis terris habendis & tenendis ſibi & heredibus ſuis Regibus Anglorum filio ſuo fecit: Addens, quod ſi patre ſuo ſuperſtite filius moreretur, prædicta ad patrem redirent, & præterea quaſdam conditiones, quibus non liceret Regi Franciæ eum maritare, nec tutori ſine ſua voluntate ſubmittere. Hæc ordinatio ſancta fuit ex conſilio prælatorum & nobilium aliorum regni Douoriæ poſtridie natiuitatis beatæ Mariæ anno Regis 18. Et die Iouis ſequenti Edwardus filius nauem aſcendit, comitatus Gulielmo Epiſcopo Exoniæ, & aliis nobilibus aliquot. Exinde circa feſtum Sancti Matthæi fecit homagium auunculo ſuo Regi Franciæ, ſub proteſtationibus factis ex vtraque parte completis negotiis, pro quibus Regina miſſa fuerat in Franciam. Statim poſt feſtum Sancti Michaelis ſcripſit ad eam

Rex

Rex maritus, præcepitq; vt filium ſuum in Angliam reduceret confeſtim. Reſcripſit ipſa quod dominus Rex Franciæ frater nimia charitate foueret illos, & ſecum iunctos detineret, vnde remiſſa magna parte vtriuſque familiæ reſiduum illius anni, circa negotia, pro quibus ex intentione proficiſcebatur, ipſa tranſegit. Gulielmus Epiſcopus Exon. non in Angliam iuſſus redire, à communione tamen ſecreti conſilii reginæ videns ſe ſequeſtratum: P. & R. de Mortuomari, & alios profugos Regis Domini ſui inimicos locum ſuum, quoad Reginæ familiaritatem vſurpaſſe, clam repatriauit. Rex commotus eſt hac Reginæ mora filium ſuum detinentis extra regnum, quibuſdam aſſerentibus, eos inuitos detineri, aliis coniicientibus, eam illicitis complexibus Rogeri de Mortuomari deuinctam cum eo & reliquis Anglorum profugis, quas in Francia reperit, nolle redire. Aliis autem alia vane coniicientibus, Epiſcopi Lincoln. & Herefordiæ conſcii negotii finem expectantes, ſecreta animorum diſſimularunt. Regina vero muliebri ira, & vindictæ cupiditate æſtuans, in fine anni in Hannoniæ partes profecta eſt, toti mundo filium ſuum amabilem, & formidabilem ſine conſilio procerum Angliæ matrimonio copulauit Philippæ Ducis Hannoniæ filiæ: tametſi inconſulto, tamen felici pulchræ prolis ſucceſſu, deinde colligit exercitum armatorum ex Hannonia & ex Germania, ſtipendiarios vocatos ex dote nouarum nuptiarum ſoluendos. Huic exercitui proerant viri militares, Iohannes Comitis Hannoniæ frater, Rogerus de Mortuomari ſecretiſſimus & principalis de priuato conſilio Reginæ.

Claſſis proſpero flatu in Anglia ad portum Orwell appulit die Veneris proximo ante feſtum ſancti Michaelis. Cui obuii Comes Mareſchallus, & Henricus Comes Leiceſtriæ, & cum eis Baronum atque militum proterua multitudo ſe coniunxit, nec defuerunt prælati, qui hiis contra patriam & Dominum ſuum ſe coniunxerunt, ſed & illi tanti facinoris auctores, ſceleratiſſimæ ſuæ diſciplinæ antedicti ſceleris ſe ad reliquos contulerunt ad diem expectatum, nõ quidem lanigerarum ouium, ſed armigerorum luporum crudelium paſtores, horum phalanigis præcipue ducatum præbuere. Hi duo ſeniores, à quibus egreſſa eſt iniquitas Babylonica contra Suſannam, ſed pro Iſabella. Hi, inquam, Baal ſacerdotes, alumni Iſabellæ, id eſt, Lincolniæ & Herefordiæ Epiſcopi, cumque hiis quoque Dublinenſis & Holmenſis cum eadem Regina magnum congregauerunt exercitum: proditori facundo verba committuntur Herefordenſi, qui pleno conſpirantium parliamento perorauit, expediens fore regno, quod tantæ nobilitatis congregatæ conſilio regendus, Rex coarctaretur. Regina quoque offenſa inexorabilis per voluntatem ſuam factam de Comitibus Winton. & Glouceſtr. placaretur. Sed quia pro conſtanti fuit apud omnes, quod Rex amicitiæ cultor fideliſſimus, ſuos amicos Comites prædictos (in quorum necem fuerat Regina debacchata) non ſine ſecuritate ſua Comitia dimitteret, & omnibus modis ab inuidorum tyrannide tueretur: cenſuerunt finali præcipuorum iuratorum cautione, quod manu armata Regis præſentia per eos peteretur, mittuntur ab exercitu epiſtolæ epiſcopales ad ſuos coepiſcopos, & alios amicos, tot Duces, Comites, totque Barones Francigenas cum eorum copiis per Regem Francorum pro tuitione iuris ſororis ſuæ mitti, quod vix eorum victui Anglia ſufficeret. Conſternitur pauore grex indigena ſine paſtore, expectans triumphum partis vnius parata ſe dare virtuti potiori. Præterea proſiluit mendacium ab exercitu in omnes regni plagas diuulgatũ, quod ſummus Pontifex Romanus omnes Anglos abſoluit à fidelitate iurata ſuo Regi, fulminaretque ſententia excommunicationis in omnes contra Reginam arma deferentes. Ad huius mendacii confirmationem finguntur duo Cardinales eſſe exercitui Reginæ adhærentes nuntii præmiſſorum.

Anno 1326. & Regis 20. & vltimo, bellum inteſtinum Anglis conſuetum progreditur, quod perinde non poterat diu durare, qui Rex & Comites (quos expetiuit manus proditioſa) inualidos ad reſiſtendum ſe putantes, fugæ ſe mandant. Rex enim per exploratores perſpectum habens, quod vxori ſuę tota fere regni communitas (falſis territa rumoribus) adhæſit cum duobus Comitibus, & R. de Baldocke, & paucis de ſua ſecreta familia in Walliam ſe contulit, dimiſſo Comite Winton. ad tuitionem oppidi & caſtri Briſtolliæ. Deinde ipſe vſq; ad Chepſtrow progreſſus cum Comite Glouceſtriæ & R. de Baldocke, aliiſque valde paucis, ſe commiſit nauigio, intendens ad inſulam de Conday proficiſci. Conday eſt inſula in Sabrinæ oſtio duobus milliaribus vndique longa abundans paſcuis amœnis, cuniculos producit copioſe, columbas, & ſtruconas (quos vocat Alexander Nechriſtum Ganimedis aues) indies habet prægnan-

gnantes: aquas inſuper recentes de fontibus ſcaturientes incolis miniſtrat, ipſa licet vndique mari ſit circumcincta vnum duntaxat aditum habet, quo vix duo viri poterint coniuncti pedites incedere: ex omni alia parte rupis horrendæ alta proeminentia prohibens egreſſum.

Ad hanc inſulam, vt dictum eſt, victualibus vniuerſaliter abundantem, tamen abundanti vino, oleo, melle, frumento, braſio, piſcibus ſalſis, carnibus & terreſtri carbone inſtuffatum, Regem volentem adnauigare, ventus contrarius prohibuit omnino, vnde ſæuas tempeſtates maris vix declinans applicuit in Glamorgam, & ſe tranſtulit ad Abbathiam de Nethe, vbi Wallorum (qui promittebant, ſe ſecum velle mortem & vitam commutare, falſæ promiſſioni minimum confiſus latitaut. Regina iam potentiſſima ſub vexillo filii non animo malitioſo, ſed maleducto patrem proſequentis iuſſit exercitum in regis perſequutionem promouere.

Peruentum igitur eſt Oxoniam, vbi coram Vniuerſitate, præſentibus Regina, & paruo Duce Aquitaniæ, ſed & Rogero de Mortuomari, & aliis, ſatellibuſque principalis machinator tantæ cladis. Adamus Hereford vocatus Epiſcopus de aduentu Reginæ, & cauſa exercitus publice prædicauit, aſſumens pro themate: *Caput meum doleo.* quam auctoritatem ad talem duxit quæſtionem, quod auferendum foret neceſſario caput languidum de regno, nec vllis Hippocratis vinculum alligandum ſalutiferis. Dein exercitum Glouernia motum auxerunt multi Boreales Reginæ ſeruientes.

His ita ſe habentibus, vulgus Londini Reginæ & Rogero de Mortuomari volens complacere bonæ memoriæ Dominum Walterum Epiſcopum Exon. decimo quinto Octobris in medio ciuitatis furioſæ captum decapitauit, & quoſdam etiam alios ea ſola cauſa, quod Regis miniſterio fideliter adhæſerunt, atrociter necuere. Caput vero Epiſcopi Reginæ apud Glouerniam ſuo exercitui incumbenti, vt ſacrificium Deo & beneplacitum obtulerunt. Ingreſſi præterea turrim Londini omnes incarceratos liberarunt, & etiam per edictum publicum Reginæ omnes incarcerati per totam Angliam dabantur libertati. Banniti quoque & fugati fuerunt reuocati, vt & prætenſa generali pietate & miſericordia in noui Regis coronationem populi cupiditas excandeſceret. Tunc omnes facinoroſi, & læſæ Maieſtatis rei apud Reginam cunctis impetrantem, ſummæ gratiæ ſubleuamen facile ſunt conſequuti. Tunc regii miniſtri per totam Angliam diffiſi ſunt Regem aduocare, aut ſe Regis familiares nuncupare, tantus pauor gregem perterruit, Rege paſtore perſequuto. Omnes regii miniſtri in turri Londinenſi à Londinenſibus amoti ſunt, & noui conſtituti ſub nomine Domini Iohannis de Eltham, pueri nouem annorum filii Regis, quos cuſtodes turris & ciuitatis nominaret. Fuit enim apud omnes Regis aduerſarios cautela generalis, quod non niſi nomine alicuius filiorum ſuorum vllum facinus læſiuum Regiæ Maieſtati ederetur, vt ſi forſitan iuſtitia regalis ad libere faciendum (quod vellent in regno, & poſſent de iure) foret aliquando reſuſcitata in filios ſuos proprios, tanquam detrimentorum principales auctores deſæuiret.

Sic confuſione fas & nefas ſunt colliſa, vt omnes rapaces & homicidas, & ſub indifferentia quoſcunque facinoroſos ſceleris impunitos retinerent, & veniæ facilitate in ſua flagitia prouocarent. Sic creuit ſubita rapacitas impunita, & vbicunque reperiretur regius amicus, profuit ſub iſta confuſione cuilibet facinoroſo ſuis flagitiis edicere proditionem.

Glouceſtria relicta, Briſtollium (quod, vt prædictum eſt, occupauerat Hugo Diſpenſator pater) Regina cum exercitu properauit, obſeſſura tam oppidum quam caſtrum. Sed loca munitiſſima ſolita reſerare, deſperatio compulit generoſum in ita tæ fœminæ miſericordia ſe & ſua cuncta commendare.

Reddebatur igitur Caſtrum cum oppido, quod ingreſſa virago iuſſit Comitem ſine quæſtione., ſeu reſponſione finali ſupplicio torqueri alligatum. Confeſtim ſtrenuiſſimus miles brachiis, & tibiis in longum protenſis, & in ipſius viuentis conſpectu viſcera propria de ventre crudeliter & nimium inhumaniter extracta ignibus traduntur, reſiduum quoque corporis & in furca latronum ſuſpenſum.

His confectis ad partes Marchiæ Regina conuerſa apud Hereford per menſem commorata exercitum ſuum diuidit, & cum eius vna parte miſit Henricum Comitem Lancaſtriæ, & dominum magiſtrum Rheſum ap Poroel clericum natione Wal-

Digitized by Google

ne Wallum ad comprehendendum Regem, & ſibi adhærentes. Prædictus Comes etiam germanus & heres ſæpe nominati Comitis Lancaſtriæ, Thomæ, & iſte Rheſus ſecum miſſus, qui iuſtitia regali in turri London. incarceratus erat, ſed per Reginæ potentiam ſuæ libertati reſtitutus, tam Comes prædictus, qnam Rheſus habuerunt poſſeſſiones & ampla dominia iuxta locum, in quo Rex latitabat. Fuitque Rheſo tota regio valde nota. Denique Comes & clericus (non ſine pecuniæ interuentu Wallis cottuptis) Regem in monaſterio de Nethe Hugonem de Spenſer filium deſertum, profugæ præſidium capeſcentem per exploratores Wallos inuenerunt. Captis igitur Rege, Hugone, & R. de Baldocke, & Simone de Redingis, aliis ſine cura dimiſſis, cuſtodiæ Comitis Leiceſtriæ Rex authoritate conſilii Epiſcopi Herefordenſis commendatus, ad caſtrum Kenelworth adductus eſt, vbi per totam hyemem in ſatis honeſte tractatus non aliter quam oportuit Regem captiuum cuſtoditum. Regina apud Herefotdiam cum magiſtro totius ſuæ militię Epiſcopo ciuitatis ſcilicet exetcitui præſidente. Edmundus Comes de Arundel, Iohannes Daniel, & Thoma Micheldeſne ad inſtantiam Rogeri de Mortuomari, qui perfecto odio, ſed non prophetico oderat illos, fuerunt decollati. Poſtea Comes Glouceſtrię, Hugo de Spenſer filius in vinculis oblatus, oculis terribilibus indignate non expectata ratiocinatione cuiuſcunq; iudicis, fuit ab eadem ciuitate tractus, ſuſpenſus, decollatus, & in qnarterias diuiſus; cuius capur fuit miſſum apud pontem London. & quatuot quarterię ad quatuor regni partes fuetunt diſtributę. Simon etiam de Redingis fuit ibidem ttactus & ſuſpenſus. Sed magiſter Robertus de Baldocke poſt multas contumelias carceri Epiſcopi Herefotdenſis fuit mancipatus, vbi nimis vitam doleroſam vſque ad proximum ſequens feſtum Purificationis duxit. Tunc ſiquidem Epiſcopus Hereford omnis huius mali architectus fecit ipſum ad ſe Londinum adduci. Quo deductū Londinenſes non ſine conſenſu Epiſcopi rapuerunt, & apud Newgate incarcerarunt, quærentes occaſionem contra eum tanquam proditorem tractum, ſuſpenſum mortuis adnumerare. Sed tamen poſt multas inquiſitiones in ipſo nō inuenientes maculam proditionis, nec alicuius feloniæ, ita inhumaniter ipſum tractarunt, quod eodem anno cito poſt Paſcha obiit. In totmentis tanti ſceleris, ſcilicet rapinæ & iugulationis clerici, atque ſacerdotis Dei non improbabiliter aliquis putabitur auctor manifeſtus vel occultus, qui de medio luporum miſit in ouile ſui tutiſſimum carcerem, videlicet Epiſcopalem: pro oue ſibi & lupis tradito rutelæ, quam portendit, quod ab Herefordia ipſum Londinum fecerat traduci à ſuo Epiſcopatu in dioceſim alienam: i. loco munitiſſimo in montes Pardiorum, qui inſuper fingit, quod clerici ſibi traditi rapinam, atque iugulationem ſacerdotis ipſe potētiſſimus pręlatus prouincię ſalua dignitate archiepiſcopatus debita diligentia non curauit pręmunire. Credo, quod in tali caſu verum eſt illud Quintiliani: *Torquentem vincit, quiſquis occiditur.* & ideo ſub ſilentio palliato querelam omitto, quam etiam ſub altare Dei audiui per voces occiſorum innocentium. His ſcriptis & aliis non paucis per Reginam, Herefordenſem, & R. de Mortuomari, vt cuilibet eorum placuit, confectis, ipſi ſimul Londinum ſe contulerunt, vbi ciro poſt Epiphaniam in Parliamenro per ipſos conuocato, in quo nullus auſus eſt reſiſtere, fuit ordinatum & conſtitutum, quod ex parte totius regni tres Epiſcopi, duo Comites, duo Abbates, quatuor Barones, & de quolibet Comitatu Angliæ duo milites, de qualibet ciuitate & villa capitali cuiuſlibet Comitatus, & ſimiliter de Portubus duo Burgenſes mitruntur ad Regem (apud Kenelworth cuſtoditum) facturi infra ſcripta. Iohannes de Stratford Epiſcopus Winton. Adam de Torleton Epiſcopus Hereford, & Henricus Epiſcopus Lincoln. collegæ principales negotii tractandi, erant miſit. Præceſſerunt (ceteros itinetando) Epiſcopi Winton. & Lincoln. ſecretius alloquentes Regem vna cum cuſtodiæ ſuo comite Leiceſtriæ, ipſum inducunt, vt ſuo primogenito deſignaret coronam, aſtute ſatis hi tres circumuenerunt Regem, promittentes ei non parciorem honorem poſt honoris depoſitionem, quam antea ſolebat ab omnibus habere regia celſitudo. Adiiciebant quoque (adulterantes verbum veritatis) quanti foret meriti, apud Deum pro ſubditorum pace (quam ea ſola via ſpondebant affuturam) regnum reſpuere temporale, in hoc non indubitanter cum Caipha Pontifice Pontifices prophetantes. Ex alia parte ſibi comminabantur, quod niſi reſignaret, populus ſibi abdicato homagio, & fidelitate, filiis quoque ſuis repudiatis, alium in Regem exaltatent, quam de ſanguine regali. Iſtis & aliis importunis promiſſis, atque minis inflexum piiſſimum cor regale (non ſine ſingultibus, lachrymis & ſuſpiriis) monitis Epiſcoporum condeſcendit, paratior pro Chriſto vitam finire, quam

re, quam ſuorum filiorum exheredationem, aut regni diuturnam perturbationem; oculis viuentis corporis videre, ſciens quod bonus paſtor animam ſuam poneret pro ouibus ſuis.

Finaliter ad caſtrum, vbi Rex incluſus, Epiſcopus Herefordiæ inimicos ceteros adduxit, quos in Regis camera ſecundum ſuas dignitates ordine collocauit, à multis temporibus affectata ex omnium permiſſione ſibi ipſi reſeruans. Tandem regia maieſtas togam nigram induta de ſecretiori camera progrediens, ſuis ſeruis ſe repræſentans, conſcius negotii, pro quo venerat, pro dolore ſui impos effectus corruit expanſus. Cui accurrentes Comes Leiceſtriæ, & Epiſcopus Wintonienſis, vix Regem ſemiuiuum erexerunt, quem ad mentem & vires priſtinas vterque reuocatum alloquebatur Adam Hereford, exponens cauſam aduentus nuntiorum, mira impudentia non conſuſus Regis animum attrectare, cui ſe putauit præ ceteris mortalibus exoſum fuiſſe. Adiecir ſuis dictis ille Herefordenſis, quod oporteret Regem regni diadema ſuo primogenito reſignare, aut poſt ſui repudium viuere aut pati, quod eligerent in Regem quemcunque viſum ipſis aptiorem pro regni tutela. Hiis auditis Rex cum fletu & eiulatu reſpondit, quod multum doluit pro eo, quod populus regni taliter exaſperatus foret contra ipſum, quod ſuam dominationem faſtidiret, finaliter quoque ſubiunxit ſuo beneplacito valde conueniſſe, quo filius ſuus populo ſic fuerit acceptatus, vt ipſum in Regem affectaret. In caſtro iidem nuntii homagia & legeamenta Domino Edwardo de Carnaruam (nuper Regi) per manus Gulielmi Truſſell militis ex parte totius regni, renuerunt, & Thomas Blunt miles regalis hoſpitii Seneſchallus fractione virgæ ſuum officium reſignauit, & regiam familiam nuntiauit eſſe licentiatam. Poſt hoc ad Parliamentum Londinum reuerſi reſponſum Regis plene (immo plenius quam factum fuit) retulerunt, ad factam reſignationem. Communitas regni veterum faſtidiatrix, nouorum appetitrix gratanter admittens ſuum primogenitum dominum Edwardum bonæ indolis vndecim annorum promptiſſime erexit, vt infra plenius dicetur, cuius pueritia cuiq; eo plus ceſſit ad votum, quomodo ſub tam molli paſtore ſperabant gregem regni ſuis libitis victurum. Reginæ quoq; Iſabellæ de Carnaruam fuit talis & tanta dos aſſignata, quod Regi filio ſuo, & Reginæ Philippæ vix remanſit tertia pars regiæ coronæ. Domino vero Edwardo de Carnaruam Comitis Leiceſtriæ deputato cuſtodiæ, centum marcas pro menſe expendendas ordinauerunt Regina & Simon Hereſordenſis, & Rogerus de Mortuomari, de fiſco regali tribuendas. Itaq; gratioſus dominus Edwardus quondam rex regiæ coronæ & libertatis priuationem pro amore Ieſu Chriſti pauperis crucifixi patienter admittens, cum ſuo conſanguineo Comite Leiceſtriæ Henrico manſit nullo egens, quo recluſus & monaſticus indigebat, nullum infortunium in ima depreſſus deplanxit, niſi quod vxor ſua (quam non potuit non amare) nolebat ipſum videre, cuius amplexibus plus quam per annum vixit viduatus, & quod nec illa permiſit filium ſuum nouum Regem, aut aliquem ſuorum liberorum ſibi præſentiale ſolatium præbere. Quot amoroſa delectamenta voce ſubmiſſa tanquam alter Orpheus concinuit, ſed in caſſum, ha, quoties defleuit querulus, quod tam gratioſa & prædita dotibus, tam ſpecioſa, potuit proditionis amaricari felle. Auſcultantibus quoque non ſiluit ſub iuramento, quod, ex quo primum eam vidit, nunquam aliam mulierem potuit amare. Amoris languor, in ceteris aduerſis patientia, Comitem cuſtodem, & omnes reliquos familiares ad tantam miſerationem prouocarunt, quod glorioſi militis amorem languidũ vxoris ſuæ (corde duriori incude adamantino) non dimiſerunt. Vnde non amore mota, ſed furore commota ferrea virago, ſecreto cogitatu cepit expaueſcere, ne vnquam per eccleſiam miſerorum conſuetam miſereri foret compulſa viro repudiato iterum impartiri thorum. Excogitauit enim quod à fortiori homines indifferẽtes, & pietatis alumnos in ſui miſcrationem prouocaret contra ſuos inimicos, cum quos ipſa miniſtros ſuos ordinauit per aduerſitatum tolerantiam, & omnium virtutum vberem fragrantiam ad pietatem ſui inclinauit.

Talibus & aliis cogitationibus anguſtiata, truculenta, ſæua recurrens ad conſilium ſui ſacerdotis Baal Epiſcopi Herefordiæ, ab ipſo recepit rurſum, quod certe ſanguinem tetigit. Quando Comes Edwardo conſanguineo ſuo compatiebatur, conſtituit fœmina crudelis ex ordinatione magiſtri ſui ſubdoli, Epiſcopi prædicti, quod Thomas de Gorney & Iohannes Maltrauers duo milites ipſum Edwardum de cuſtodia Comitis Leiceſtriæ receptum ducerent, quo vellent: ita quod nullus ſui beneuolus ſeu indifferens perſona ipſum libere adiret vel ſcirer, vbi diu perendinaret, hiis

duobus proditoribus nequiſſimis fuerat commiſſum auctoritate principali, & in quamcunque regni plagam declinarent, omnes fortalitii, caſtri, ſeu villæ, quamdiu ipſis placeret, & quandocunque vſum haberent, quomodolibet de regno ſub pœna confiſcationis cenſus, & vitæ prohibito contrauenire huius rei mandato, educitur de nocte è Kenelworth inter inimicos ſecurus de vita plena doloris, poſt ad caſtrum de Corffe, deinde ad Briſtoliam, recluſus per tempus aliquod in caſtro, quouſque id foret quibuſcunque Burgenſibus in villam notum, qui ad ipſius liberationem, & abductionem in partes tranſmarinas (quam optabat) ſe diſponebant. Quorum conſilium vt primum innotuit cuſtodibus Edwardi, ſub noctis eiuſdem opaco ſilentio ipſum de loco ipſo Berkeleyam adduxerunt. Immanitate maiore quam ferina Edwardum ſui tortores tractauere, ſed nec ab vllo videri ſibi amicabili. Equitare compulerunt exiliter indutum, caput habere diſcoopertum, volentem dormire non permiſerunt, non quos volebat, ſed quos cibos ipſi præparauere, verbo ſuo cuilibet contradixere, veſanum eſſe calumniati ſunt. Et, vt breuiter concludam, in omnibus eius voluntati ſe contrarios exhibuere, vt frigore, & vigiliis, & cibis intemperatis, aut faſtiditis, vt ſaltem melancholia aut infirmitate correptus expiraret. Sed econtra vir in neceſſitate optime diſpoſitus, fortis ad labores, & ad vniuerſos (gratia Dei patientiæ) languores, omnes verſutias malignantium natura & gratia ſuperauit: venenum, quod pluries propinauerunt, ſuo Domino miniſtri Belial, aut fortitudine naturali euacuauit (ſicut ſolent viri temperatæ complexionis ſecundum Galenum in tertio ſimplicis medicinæ) aut, quod verius credo, manifeſtiori martyrio ſuum confeſſorem altiſſimus reſeruauit.

Atteſtamur & ſcribimus, quæ luce clariora innotuerunt mundo, ſi non timor æmulorum Regis deuotiſſimi adhuc ſuperſtitis clarere prohiberet, quæ non poterint ſemper occultare. Tum abducitur Edwardus (vt præſcriptum eſt) verſus Berkleyam à ſatrapis Sathanæ equitans ſtipatus, duxerunt etiam exemplar patientiæ per grangias caſtri Briſtollii, vbi de fœno factam coronam capiti iamdudum oleo ſancto conſecrato impoſuit nefarius ille de Gorney, auſus contingere Chriſtum Dei, cui illudentes ironia nimis acerba milites dixerunt, *Fare forth ſyr Kynge*. Metuentes maligni, ne pariter directe incedentibus obuiaret aliquis amicus Edwardi, & manus miſericors ipſum liberatura, declinauerunt ad Smiſcham per mariſcum ad flumen Sabrinæ terminatum. Excogitarunt inimici Dei, quomodo Edwardum deformarent, ne foret facile notus. Vnde cæſariē & barbā radendas cōſtituerunt. Veniētes proinde in itinere ad foſſam, iuſſerunt ipſum radendū deſcēdere. Cui aſſidēti ſuper cuiuſdam talpæ monticulum peluim aqua frigida de foſſa recepta attulit barbitonſor. Cui & aliis aſſerentibus, quod aqua talis pro tunc deberet ſufficere, ait Edwardus: *Velitis, nolitis, habebimus pro barba aquas calidas*, & vt promiſſum conſequeretur veritas, cepit profuſe lachrymare. Ita mihi retulit viuens poſt magnam peſtilentiam Gulielmus Biſſchop, qui ductoribus Edwardi ſodalis, vnde confeſſus & contritus pœnituit, ſub ſpe miſericordiæ diuinæ.

Tandem aduenerunt ad caſtrum Barkley, vbi patientiæ exercens virtutem recluſus, vt anchorita nobilis Edwardus: vbi cum beato Iob, regno ſpirituali nondum per alienigenas, ſed per vxorem, ſeruos & ancillas honorum & vtilitatis dominio priuatus, expectauit regnum æternum pro terreno. Vxor interim Iſabella impatienter ferens, quod vita mariti, quem nimium oderat, tamdiu produceretur, conqueritur magiſtro ſuo Herefordenſi, fingens ſibi ſomnia peſſima interpretatu, vnde dixit ſe timere, ne vir dignitati priſtinæ reſtitutus, ipſam tanquam proditricem igni aut ſeruituti perpetuæ damnaret. Epiſcopus igitur læſæ Maieſtatis ſibi conſcius timuit hoc idem: aliorum non minus ob eandem cauſam, intendebatur metus, quos aduerſus Dominum & Chriſtum eius Diabolus confœderauit. Placuit igitur non paucis vtriuſque ſexus magnę dignitatis, tam eccleſiaſticę quam ſecularis, quod cauſa tanti metus foret cum Edwardo cōſopita, quem vt quiſq; metuebat, perire concupiuit. Mittuntur igitur literæ increpatoriæ cuſtodibus Edwardi, calumniant fallaciſſime, quod remiſſius quā deberēt, ipſum cuſtodirent, & nimis delicate confouerent. Intimatur etiam eiſdem, ſed ſemiplene, quod interitus Edwardi aut naturalis aut violenta indifferenter complaceret. Hic vigebat ſophiſtarum fallacia accenſa per Epiſcopum, qui ſcripſit: *Edwardum occidere nolite timere, bonum eſt.* Quod illi in peruerſam partem interpretati ſunt. Sciens autem callidus ſophiſta, quod ſine ſuo inſcripto conſenſu non audebant executores crudelis mandati eum occidere,

dere,

Digitized by Google

dere, nec ſine conſenſu maiorum de regno aliquando forent accuſati. Hoc fecit Epiſcopus, quia in necem Edwardi determinatus, & perinde (ſibi ipſi forſitan accuſando) de conſenſu prouidit cauteloſe, vt eadem auctoritas ſui mandati affectionem contrariam expreſſura, vno modo expoſita, & punctuata animaret ſtultos in mortem innocentis, ſed ſub alio ſenſu facinoris tanti ipſum immunem faceret putari: quod vt fuit cogitatũ, contigit. Deniq; Edwardi interfectores, pinde amicitiã Iſabellæ & Epiſcopi ſophiſtici deceptoris erga ſe fuiſſe confirmatam: inuenerunt illam & Epiſcopum ſeruientes exactores, pignoris hominis traditi, ſcilicet Domini Edwardi, & ſtipendium proditorum, ſcilicet mortem viliſſimam pro demeritis ipſis comminantes. Vnde ſtulti confuſi quid facerent ignorauerunt, niſi quod epiſtolam Iſabellæ & Epiſcopi aliorumque cõſpiratorum ſigillis munitam, in teſtimonium de ipſorum conſenſu eis oſtenderent. Epiſtolam Epiſcopus non recuſauit, ſed ſuam eſſe alicui confitebatur, ſed interpretatur illam ad ſenſum innocentiæ, & fidelitate impregnata, ſed ipſos tanquam falſos ſuarum literarum expoſitores minis terribilibus in fugam coacturis affligere non ceſſauit. Ad caſtrum ductus Edwardus per dominum feodi Thomam Berckley fuit humaniter & benigne receptus & tractatus, ſed poſt receptionem epiſtolæ, exercuerunt tortores commiſſam poteſtatem de tutela caſtri. Iubent protinus Thomam Berkley nullam cum Edwardo habere familiaritatem. Qui non ſolum pœnitens, ſed verecundus, quod ſibi fuit denegatum facere quod vellet, & Chriſtiano de iure liceret (Domino Edwardo finaliter & ſuſpiriis ſalutato) ad alia ſua loca tranſmigrauit. Tunc incepit Edwardi conſummata perſecutio aduerſus ſuam mortem concinnata. Poſt reclusum in camera tutiſſima per exaltationem cadauerum in ſubſolario poſitorum ipſum transferunt per multos dies pene vſq; ad ſuffocationem: vnde fœtorem illum intolerabilem fuiſſe pœnã maximam, quam vnquam ſuſtinuit, ad feneſtram vna dierum carpentariis à dextra laborantibus ſeruus Dei deplanxit. Videntes Tyranni, quod aduerſus virum ſtrenuiſſimum nõ poſſet per fœtorem mors præualere, nocte 10. Kalen. Octobris in lecto cubantem, ſubito præoccupatum, cum puluinaribus magnis atque grauitate amplius quam quindecim robuſtorum, ipſum oppreſſum & ſuffocatum cum ferro plumbarii intenſe ignito trans tubam ductilem ad egeſtionis partes ſecretas applicatum membra ſpiritalia poſt inteſtinas combuſſerunt, cauentes ne vulnere in regio corpore, vbi ſolent vulnera requiri, per aliquem iuſtitię amicum reperto, ſui tortores de læſione manifeſta reſpondere, & pœnam ſubire forent coacti. Taliter obruitur miles ſtrenuiſſimus emiſſo clamore (audientibus & intra caſtrum & extra) ſatis nota, qualis eſſet violentia in mortẽ patientis. Clamor ille expirantis multos de Berkleya, & quoſdam de caſtro (vt ipſi aſſeruerunt) ad compaſſionem & orationes pro ſancta anima migrante monebat: Sic hunc mundus odio habuit, ſicut ſuum magiſtrum, ſcilicet Chriſtum prius odio habuit, quo præceptorem de regno Iudeorum reprobatum, deinde diſcipulum regno Angliæ ſpoliatum recepit celſitudo regni Angelorum. Proditorios miniſtros, ſcilicet Thomam de Gorney & Iohannem de Maltrauers, perſecutio Iſabellæ & Epiſcopi Herefordenſis (vt proinde viderentur manus innoxias & mentes habuiſſe) vt legauit, & in exilium egit. Thomas de Gorney Maſſiliam fugitiuus clanculo poſt triennium cognitus, captus, & verſus Angliam reductus, pœnam pro demeritis recepturus in mari fuit decapitatus, ne forte magiſtros & magnos prælatos, & quamplures alios de regno ſibi ſuum nefas monuiſſe, & in illud ſibi aſſenſum præbuiſſe accuſaſſet. Alter vero Maltrauers partibus Teutonicorum agens pœnitentiam, diu latuit.

VVILHELMVS GEMITICENSIS DE DVCVM NORMANNORVM GESTIS.

INCIPIT EPISTOLA WILHELMI GEMITICENSIS ad Wilhelmum Orthodoxum Anglorum Regem de Normannorum Ducum geſtis.

PIO, Victorioſo, atque Orthodoxo ſummi Regis nutu Anglorum Regi Wilhelmo, Gemiticenſis cœnobita omnium cœnobitarum indigniſſimus Wilhelmus, ad conterendos hoſtes Samſonis fortitudinem, & ad diſcernendum iudicium Salamonis abyſſum. Opus hoc prudentiſſime Rex, & ſereniſſime in Normannorum Ducum geſtis de diuerſis excerptum codicibus iuxta mea exiguitatem induſtria contexui, veſtræque dicans idem celſitudini, ob recolenda priſcorum patrum inter præcipuas laicarum dignitatum adminiſtrationes piiſſimorum actuum exempla chronicorum bibliotheca delegãdum decreui. Quod non rhetorum venuſta exornatum grauitate, non politi ſermonis venali lepore ſeu nitore, ſed incliminato ſtilo, tenui oratione per plana deductum, cuilibet lectori ad liquidum elaboraui. Veſtræ quidem maieſtatis latera ambiunt præclari viri, literarum peritia admodum eruditi, qui ſtrictis gladiis ciuitatem circumeuntes, eliminatis prauorum inſidiis tectum Salomonis diuinæ legis peruigili munimine ſatagunt tueri. Subtiliſſimi quoque ingenii vigorem cœleſtis diſpenſatoris prærogatiua vobis collati, qualiter in armorum regimine, ſic in cunctis quibus intendere, quæ perpendere proponitis, mira valere efficacia, multi multimode probauerunt. Munuſculum igitur tantilli noſtri laboris placida manu ſumite, nobiliſſima geſta celebri memoria digniſſima, veſtra & antiqua per has paginas recolite. Principium namque narrationis vſque ad Richardum ſecundum à Dudonis periti viri hiſtoria collegi, qui quod poſteris propagandum charta cõmendauit, à Rudolpho Comite primi Richardi fratre diligenter exquiſiuit: reliqua vero, quæ partim relatu plurimorum ad corroborandum fidem æque idoneorum annis & rerum experimentis, certiſſimo indice proprio viſu didici: prauatim mea dono. Verum qui ſacris mancipatum ſcholis forte præſumptionis aut alia qualibet culpa tali pro ſtudio notauerit, hanc huius opuſculi nouerit cauſam, quam non ſuperuacaneam arbitror, vt virtutes optimorum virorum tum in ſecularibus, tum in diuinis excellẽtiſſima, quæ feliciter in oculis Dei viuunt, vtiliter & in hominum notitia viuant. Non enim populari aura leni, ſed pernitioſo arriſu blandiente delectari, eaq; illecebra mundo implicari condecet, quem anguſtia maceriarum pro ſuperna Ieruſalem amplitudine deuotiſſimo corde amplectenda includunt: quem tam habitus reuerentia quam vita profeſſio à mundo ſecludunt. En habetis veſtram, ſapientiſſime regnorum domitor, & pacem & bella ſimul, piiſſimi genitoris veſtri glorioſiſſimi Ducis Roberti, ſuperiorumq; parentum, qui terrena militia nominatiſſimi principes, ſinceriſſima tamen fide, alacerrima ſpe, feruentiſſima caritate ad cœleſtia tendentes, Chriſti maxime ſtrenui milites ac ſtudioſiſſimi cultores extiterunt. Imperator æterno præſidens imperio, in quo confidens plurima ſæuiſſimorum periculorum obſtacula admirandis prouentibus ouantiſſime triumphando protriuiſtis: ipſe potentiſſimus tutor in cunctis gerendis vos tuetur: prudentia veſtra, quam contulit gubernando patrocinetur: quoadusq; feliciſſimo curſu ſub mundano diademate conſummato in aulam veræ ſummæque beatitudinis patriam aſſumamini, perennis gloriæ annulo ac ſtola adornatus, pie Rex, victorioſe, atq; orthodoxe.

Explicit epiſtola Wilhelmi Cœnobitæ ad Wilhelmum Regem Anglorum & Ducem Normannorum.

QVO-

QVOMODO HASTINGVS OPPRESSIT NEVSTRIAM ANTE ADVENTVM ROLLONIS.

QVOMODO FORTITVDO FRANCORVM, QVAE DIV viguerat, imminuta ſit, vnde & ipſi feracitati Paganorum minus reſiſtere valuerunt.

CAPVT I.

EX quo Francorum gens reſumptis viribus Romanæ feritatis iugum à ceruice propria pepulit, ferinaque colla ſub Regum domino flexit, Chriſti eccleſia vehemẽter adulta odotiferos fructus ferens, aduſq; occiduos limites floruit. Qua denique tempeſtate ipſi Reges rebus bellicis ſtrenui, ac Chriſtianæ fidei vigore fulti, circumquaq; de inimicis validiſſimos ſemper reportabant triumphos. Sub quorum moderamine Chriſti vinea ſuccreſcẽs innumeros fidelium protulit ramos. Ex hac quippe quamplurima monachorum proruperũt ouilia, quę velut apes ex ſuis aluearijs multimodis ex diuerſis mundi violis, in cœleſtibus ſedibus intulerunt fauos. De hiis etenim perennis Ieruſalẽ fabrica erecta, coram regis æterni obtutibus vt ſtellę lucidę fulgẽt in perpetuas æternitates. Quæ videlicet eccleſia multis Francorum tẽporibus ſub diuerſis regib. valida virtute pollens viguit, donec à pace quatuor Lodouici Imperatoris filiis diſſidentibus ex magna gloria regnum Francorum quati cæpit: in tantum vt cœleſtis vndequaque viribus in territorio Autiſiodorenſi apud Fontanetium vicum duo aduerſus duos diabolo inſtigante confligentes, cruentiſſima Chriſtianorum inter ſe cæde infeliciſſimo ſatisfacerent odio. Qui patriam pene omni munimine militum frequentia prœliorum deſtituentes, inualidam barbarorum ſeu cuiuſlibet hoſtis inuaſioni opportunam eam reliquerunt. Quo tẽpore Pagani cum Lothbroci regis filio nomine Bier coſtæ quidẽ ferreæ procurante eius expeditionem Haſtingo omnium Paganorum nequiſſimo à Noricis ſeu Danicis finibus eructuantes, maritima littora incolentes continuis cladibus vexauerunt, ciuitates diruentes, atq; abbathias concremantes. Quis vero iſte Lothbrocus, vel ex cuius ſtirpe oriundus extiterit, infra dicemus. Sed modo prius de ſitu Daciæ pauca dicemus.

De tribus partibus orbis terra, & in qua earum ſit Dacia, & de ſitu ipſius.

CAPVT II.

TOTIVS namq; molis orbe deſcripto, ambituq; & ſupficie terrę ſagaciter permenſo, omnem terram perpetuo oceani limbo vndiq; ſecus circumſeptam, æthereo quadripartiti cœli cardine intellectu Coſmographi dimenſi in tres partes diuiſerunt, ASIAM, EVROPAM, AFFRICAMQVE reputantes. Sed quia hic mentionem de partibus terræ fecimus, non inutile videtur, ſi breuiter commemoremus, quid de illis beatus Auguſtinus in 16. libro de ciuitate Dei dicat. Aſia, inquit, à meridie per orientem vſque ad Septentrionem peruenit. Europa vero à ſeptentrione vſque ad occidentem. Atque inde Africa ab occidente vſque ad meridiem. Vnde videntur orbem dimidium duæ tenere, Europa & Africa, aliud vero dimidium ſola Aſia. Sed ideo illæ duæ partes factæ ſunt, quia inter vtramque intrat ab Oceano, quicquid aquarum terras interluit, & hoc mare magnum nobis facit.

Quapropter ſi in duas partes orbem diuidas, Orientis & Occidentis, Aſia erit in vna, in altera vero Europa & Africa. His ſuccinctè intimatis, ad propoſitũ redeamus. Europa quamplurimis fluminum alueis interriuata, variiſque prouinciis denominata, termino diremptionis limitatur patriis. Harum quædam ſpacioſiſſima multiplici innumerabilium hominum frequentia ceterarum copioſiſſima, nuncupatur Germania. In qua Hiſter fluuius de cacumine montis Athnoe ortus, in ſexaginta amnibus augmentatus profuſius, & à meridie ad Orientẽ means procelloſus, Germaniamq; & Scithiam vſq; eo quo ponte Scithico recipitur diſcriminatus, vocitatur Danubius. In copioſa igitur intercapedine à Danubio ad Scithici ponti vſq; confinium diffuſæ commorantur feræ gentes & barbaræ, quæ ex Scanza inſula Oceano hinc inde circumſepta, vel examen apum ex caniſtro, ſeu gladius è vagina diuerſitate

multimoda dicuntur proſiluiſſe conſuetudine barbarica. Eſt namque ibi tractus quamplurimus Alaniæ, ſituſque nimium copioſus Daciæ, atque meatus multum protenſus Getiæ. Quarum Dacia extat medioxima, in modum coronæ, inſtarque ciuitatis præ magnis alpibus emunita. Quos protentæ anfractus amplitudinis furentes incolunt populi, præmonente Marte bellicoſi, ſcilicet Getæ, qui & Gothi, Sarmatæ, & Amaxobii, Tragoditæ, & Alani, quamplurimæque gentes Meotidibus paludibus excolendo commorantes.

De origine Gothorum, & vbi primum habitauerunt.

CAP. III.

TRES etenim Noe filios habuiſſe ſacræ ad liquidum teſtantur paginæ. Quorum iunior nomine Iaphed fillum genuit, quem prin.... vocabulo Magog nominauit. Cuius Gothica ſoboles de ſimilitudine vltimæ ſyllabæ paterni nominis vocabulum trahens, adeo pullulauit, vt per diuerſa terrarum interſtitia multimode ſe dilataret, prædictamque inſulam Scanzam intra maris fretum ſibi vindicaret. In qua per ſuccedentia temporum curricula admodum multiplicata, duos ex ſe in armis robuſtiſſimos perduxit Gothorum populos. Ex quibus vnus cum ſuo Rege Thanauſe de vagina ſua egreſſus, vlteriorem Scythiam inuaſit, ſibique vſurpauit multo poſt: aduerſum Veſoem Ægyptiorum Regem contra ſe bella attemptantem, diutiſſime ſe armis & prœliis extendens.

Quorum vxores poſtmodum vocatæ Amazones, diuturnam eorum moram moleſte ferentes, repudiata virorum copula arma capeſſunt: duas Reginas, Lampeto ſcilicet, & Marpeſſam ceteris audaciores principatui ſubrogantes. Quæ dextris mammillis ob telorum iactus aduſtis, totam Aſiam aggreſſæ, per centum fere annorum volumina grauiſſimæ dominationis iugo eam domuerunt. Sed de his hucuſque. Qui vero ſcite cuncta deſiderat, Gothorum geſta percutiat, & noſter ſtilus vertatur ad propoſita.

Quod Dani de Gothorum progenie deſcendant, & quare dicantur Dani vel Northmanni, & cur eadem gens ſic multiplicetur.

CAP. IIII.

IGITVR alter Gothorum cuneus ex Scanza inſula, quæ erat quaſi officina gentium, aut velut vagina nationum, cum Rege ſuo nomine Berig egreſſus, mox vt è nauibus exeuntes terras attigerunt, nomen loco dederunt, Scanzamque ob illius memoriam, de quo eruperant, illum vocauerunt. Inde denique prolixius tendentes, intra Germanicos ſinus Meotidas occupauerunt paludes, plurimas regiones diffuſe metantes. Quarum in ſecunda ſede Dacia, quæ & Danamarcha ſiſtens, Reges habuit multos, miræ Philoſophiæ eruditione vehementer imbutos, Zeutan ſcilicet atque Dicineum, necnon Zalmorem, alioſque plures. Vnde & pene omnibus barbaris Gothi ſemper extiterunt ſapientiores, Græciſque ferme conſimiles. Nam Martem apud ſe autumant fuiſſe exortum, quem humani placabant effuſione ſanguinis. Iactant enim Troianos ex ſua ſtirpe proceſſiſſe, Antenoremque ab vrbis exterminio cum duobus millibus militum, & quingentis viris ob proditionem illius ab eo perpetratam euaſiſſe, ac per multimodos ponti anfractus Germaniam appuliſſe, atque poſtmodum in Dacia regnaſſe, eamque à quodam Danao ſuæ ſtirpis Rege Danamarcam nuncupaſſe.

Hac igitur de cauſa Dani nuncupantur à ſuis Danai vel Dani. Normanni autem dicuntur, quia lingua eorum Boreas North vocatur, homo vero Man, inde Northmanni, id eſt, homines boreales per denominationem nuncupantur. Sed ſiue hoc, ſiue illud extiterit, originem tamen à Gothis noſcuntur ducere Dani. Qui tantis poſt hoc adoleuerunt incrementis, vt dum repletæ eſſent hominibus inſulæ, quamplures ſancita à Regibus lege cogerentur de propriis ſedibus migrare. Quæ gens idcirco ſic multiplicabatur, quoniam nimio dedita luxui mulieribus iungebatur multis. Nam pater adultos filios cunctos à ſe pellebat, præter vnum, quem heredem ſui iuris relinquebat.

Qua-

Digitized by Google

Quomodo Bier filius Lothroci Regis Daciæ expulſus eſt de patria more ſolito cum Haſtingo pedagogo ſuo.

CAP. V.

QVÆ denique lex per multorum tempora Regum inconuulſa manſit quoadusque Lothrocus Rex de quo ſupra prælibauimus patri in regno ſucceſſit. Is etiam Rex patrum legibus excitus, cum ingenti iuuenum agmine ſorte cogente filium nomine Bier coſtæ ferreæ à ſuo abdicat regno, cum eius pedagogo Haſtingo per omnia fraudulentiſſimo vt peregrina regna petens exteras ſibi armis adquireret ſedes. Qui ideo coſta ferrea vocabatur, quia non clipeus ei obiceretur, ſed inermis in acie ſtans armorum vim quamcunque ſperneret illæſus, vehementiſſimis matris eius veneficiis infectus.

Haſtingus vero à patria cum ſuo adoleſcente exul proſcriptus, miſſa legatione milites de finitimis prouinciis animo leues, bellique cupidos, ad hanc expeditionem inuitans, innumerabilem pugnantium tyronum congregauit exercitum. Quid plura? fabricantur naues, innouantur ſcuta, reſarciuntur thoraces, poliuntur loricæ, & galeæ, acuuntur enſes, & lanceæ, omnique telorum apparatu accurate munitur exercitus. Inde vero ſtatuto die pelago impelluntur naues, ad eas propere feſtinant milites, eleuantur vexilla, librant ventis carbaſa, vehuntur lupi pernices ad lacerandas dominicas oues Deo ſuo Thur humanum ſanguinem libantes.

Quomodo venerunt in regnum Francorum & Vermmendenſem pagum prius depopulati ſunt.

CAP. VI.

CVIVS cruore libaminis vnanimiter potati, vento flante ſecundo, Vermmendenſem aggrediuntur portum, Anno ab incarnatione Domini, octingenteſimo quinquageſimo primo, Exilienteſque è nauibus totum illico Vulcano tradunt Comitatum, Sanctique Quinrini ferali monaſterium rabie comburunt de Chriſtiano populo nefarium exercentes ludibrium.

Nouiomenſis namque Emmo epiſcopus cum ſuis diaconis eorum gladio obtruncatur fitque cædes in populo proprio orbato paſtore, Dehinc Sequanica ora aggrediuntur, & apud Gemmeticum claſſica ſtatione obſidionem componunt. Qui locus iure Gemmeticus vocatur, quia pro ſuis offenſis illuc gemunt qui in flammis vltricibus gemituri non erunt. Quidam vero à gemma illum vocatum arbitrantur, quia vt gemma in anulo rutilat ſitu & vbertate fructuum, Hic nempe Clodouei Francorum Regis tempore à beato Philiberto opitulante regina Baltilde conſtructus in tanto incremento adoleuit vt in nongentorum Monachorum numero eius quantitas ſuppleretur. In quo quamplurima multitudo epiſcoporum ſeu clericorum vel nobilium laicorum ſpretis ſecularibus pompis collecta Chriſto Regi militatura propria colla ſaluberrimo iugo ſubegit. Cuius loci monachi ſiue incolæ paganorum aduentum comperientes, fuga lapſi quædam ſuarum rerum ſub terra oculentes, quædam ſecum aſportantes Deo iuuante euaſerunt, Pagani locum vacuum reperientes, monaſterium Sanctæ Mariæ, ſanctique Petri & cuncta ædificia igne iniecto adurunt, in ſolitudinem omnia redigentes.

Hac itaque patrata euerſione, locus qui tanto honoris ſplendore diu viguerat, exturbatis omnibus & ſubuerſis domibus cæpit eſſe cubile ferarum & volucrum: maceriis in ſua ſoliditate in ſublime porrectis: arbuſtiſque denſiſſimis & arborum virgultis per 30. ferme annorum curricula vbique è terra productis.

De excidio Neuſtriæ, quæ ab Aurelianenſi vrbe per tranſuerſum Luteciam vſque Pariſiorum pertingit.

CAP. VII.

ABHINC denique Sequanæ ſulcantes Alueum, Rotomagum adeunt igneque comburunt, horrendum de Chriſtiano populo exercentes ludibrium. Enimuero Franciæ interiora petentes, prolixius omnem fere Neuſtriam quæ à Genabenſi vrbe per tranſuerſum Luteriam vſque Pariſiorum pertingit oppidum,

Normannica feritate inuadunt. Irruptionibus namque crebertimis cuncta vaſtando circumeuntes, primo quidem pedites, eo quod equitandi peritia deeſſet. Deinde equis more noſtratum, per omnia peruaguntur, Interea ſtationem nauium ſuarum ac ſi aſylum omnium periculorum, in inſula quadam cœnobio Sancti Florentii ſuppoſita componentes magalia inſtar exædificauere burgi, quo captiuorum greges catenis aſtrictos aſſeruarent, ipſique pro tempore corpora à labore reficerent, expeditioni illico ſeruitura, Ex qua inopinatos diſcurſus agitantes, modo nauibus, modo equis delati, totam circumcirca deleuere prouinciam, Et primo quidem aduentu vrbem Nanneticam incendio cremauere, dein Andegauenſem percurrentes regionem, ipſam quidem ciuitatem concremant: Pictauorum vero caſtella atque vicos, omnemque patriam à mari vſque ad eandem, Pictauenſem vrbem populantur, vaſtant cędibus replentes omnia. Sequenti namque tempore nauigio Turonum adeunt ciuitatem, eamque de more ſtragibus opplentes ad proſternium ignibus tradunt, populata omni circumquaque regione. Haud longo poſt ſuperiora Ligeris amnis nauibus expetentes, Aurelianis perueniunt, captamque vrbem auro diſtrahunt, ſicque ad tempus recedentes, ſecundo aduentu eandem combuſtione diſſipant. Quid denique ſolius Neuſtriæ clades memorando ſtilum protraham aut ſolæ quinque ſupra memoratæ vrbes excidii damna ſenſere?

Quomodo deſtructa ſit vrbs Pariſius & Belnacus nec non Pictauis & alia contigua vrbes ab ipſo Oceano litore Orientem verſus vſque Aruernum.

Cap. VIII.

QVID Lutetia Pariſiorum nobile caput, reſplendens quondam gloria, abundans opibus, firtilitate ſoli, incolarum quietiſſima pace quam non immerito emporium dixero populorum; Potro quid Beluacus, quid Nouiomagum, & ipſe quondam Galliarum pręſtantiſſimæ vrbes? Num & ipſę eorundem barbarorum irruptionibus atque hoſtili gladio concidere; Piget referre nobiliſſimorum cœnobiorum tam virorum quam fæminarum, Deo deuote ſeruientium excidia, ſtrageſque non ignobilium plebeiorum captiuitates matronarum virginum ludibria, ac cuncta quæ victis victores inferre valent. infanda tormentorum genera. Quid Aquitannicæ gentis ingentem referam afflictionem, quæ olim bellorum nutrix tunc frigidam bello prætendebat dextram. Etenim ipſa optimos quoſque genitalis ſoli in ſeſe elidens, tunc patuit præda gentibus alienis. Ab ipſo quippe vt ita loquar, Oceani litore verſus orientem vſque Aruernam clariſſimum vereti tempore Aquitaniæ vrbem, nullam libertatem retinere valuit regio, non oppidum aut vicus, non denique ciuitas, quæ non ſtrage fetali conciderit horum Paganorum. Teſtatur id Pictauis fęcundiſſima vrbs Aquitaniæ hoc Sanctonum, hoc Engoliſma, hoc Petragoricum, hoc Lemouicas, hoc cette Aruernus, ipſumque Auaricum caput regni Aquitammici.

Quod poſtquam Francia Paganorum oppreßione afflicta eſt, fere 30 annis, Haſtingus nauigans Romam vt eam ſubderet Bier domino ſuo tempeſtate compulſus appulit Lunis vrbem Italia.

Cap. IX.

HIS atque huiuſcemodi calamitatum malis vt prelibauimus Galliis non abſque piaculo quorumlibet per 30. fere annorum ſpacium lugubre detritis, Haſtingus dominum ſuum ad altiora cupiens prouehere, de imperiali diademate cum agmine complicum cæpit attentius tractare; Poſtremo inito conſilio veliuolum permeantes mare, Romam deliberant clandeſtina irruptione obtinero, Sed nimia exorta tempeſtate ad vrbem Lunis deuoluuntur, vento impellente, quæ pro ſui decore hoc vocabatur nomine. Porro ciues tanta attoniti claſſe, ciuitatis repagula portis inducunt, propugnacula clipeis, & iaculis muniunt, atque ſemetipſos hortantur ad reſiſtendum. Quorum audaciam Haſtingus vt comperit, ratus hanc Romam fore, omni conatu cæpit attemptare quo pacto poſſit eam dolo inuadere. Denique epiſcopo & Comiti quæ perfidiæ miniſtros dirigit, mandans non ſua ſponte illuc appuliſſe ſed ſuam repetere patriam voluiſſe, pacificos ſe eſſe, pacem deinceps quærere, & ſe lætali preſſum languore, ab eis Chriſtianum fieri ſupplici voce depoſcere. His epiſcopus & Comes auditis, gaudio exhilarati, pacem eum nefandiſſimo pacis inimico firmant, fitque communis vtrique populo vrbis ingreſſus.

Quo-

Quomodo Haſtingus reputans Lunis eſſe Romam, quia vi non poterat, dolo eam cepit & deſtruxit.

CAP. XI.

TANDEM ſceleſtus ad eccleſiam fertur Haſtingus ſacro baptiſmo mergitur homo verſutus, & exit rapacıſſimus lupus. Quem ad ſui perniciem, à fonte excipiunt epiſcopus & Comes, hincque baiulorum manibus refertur ad nauim, criſmate delibutus. Poſt hoc intempeſto noctis medio, loricatus locatur in feretro, innuens cæteris vt ſuas induerint loricas ſub tunicis. Proinde fit intollerabilis luctus per exercitum, Haſtinghum obiiſſe neophitum, reſonat maris litus tanti ducis exceſſu. Dehinc naui effertur, ad eccleſiam baiulatur. Sacra veſtitur antiſtes indumenta, ſacroſanctam pro defuncto mactaturus hoſtiam. Fit commendatio animæ, vt corpus ſcelerum & perditionis in baratro iam ſepultum, tradatur ſepulturæ. Sed ecce proſilit de feretro, epiſcopumque & Comitem obtruncat gladio. Dehinc lupina rabie cum ſuis graſſatur in plebe. His à funeſto perpetratis, theatrum efficitur Dei domus, iugulantur iuuenes, trucidantur ſenes, depopulatur ciuitas, diruuntur à fundamentis mænia.

Quod pagani comperientes illam vrbem non eſſe Romam, diuiſi ſunt, & Bier volens redire Danamarcam apud Friſiam obiit, Haſtingus vero pacificatus cum Carolo rege, accepit ab eo loco ſtipendii vrbem Cartis in qua & habitauit.

CAP. XII.

HVIVS itaque peracta vrbis ſubuerſione, comperientes Pagani ſe Romam nullatenus cæpiſſe, veriti ne vlterius quicquam proficerent, quippe cum Romanas aures fama volante eorum prophana opera iam occupaſſent, inito conſilio de regreſſu diſponunt. Nam Bier totius excidii ſignifer, exercituumque Rex, dum natiuum ſolum repeteret, naufragium paſſus, vix apud Anglos portum obtinuit, quampluribus de ſuis nauibus ſubmerſis. Indeque Friſiam repetens, ibidem obiit mortem. Haſtingus vero Carolum Francorum Regem adiens, pacem petiit, quam adipiſcens, vrbem Carnotenſem ſtipendii munere ab ipſo accepit: Et ſic Francia à tumultuum fragoribus aliquandiu reſpirauit, ſententia vltionis ob enormitatem ſcelerum debitæ ſuſpēſa, propiciata piiſſimi Chriſti clementia, cum patre & ſpiritu ſancto mundum ineffabiliter regentis per ſęcula.

INCIPIT LIBER SECVNDVS CONTINENS GESTA ROLLONIS PRIMI DVCIS NORMANNORVM.

De nobilitate & virtute patris Rollonis, & quomodo iuuenes Daciæ, qui deſcripti erant iuſſu Regis vt expellerentur, venerunt ad Rollonem & Gurim fratrem ſuum vt ferrent illis auxilium contra Regem.

CAP. I.

POST emenſis plurimorum annorum interſticiis Francia ab his tumultuum fragoribus pauliſper ſopita, iterum Danamarcha flammiuomos exterminii iure titiones ſpargens, plurimos tirones à ſe iuuenili flore vernantes, priſcorum patrum lege, à genitali ſolo eliminandos decernit. Illis vero in diebus ſenex quidam erat in partibus Daciæ, omnium rerum affluentia locupletiſſimus, innumerabiliumque militum frequentia vndique ſecus conſtipatus, qui nunquam colla ſua ccruiciſe cuipiam Regis ſubieeit, nec cuiuslibet manibus gratiam ſeruitii manus ſuas commendando commiſit, Qui Daciç regnum pene vniuerſum poſſidens, affines Daciæ & Alaniæ terras ſibi vindicauit, populoſque ſibi pręliis quamplurimis vi & poteſtate ſubiugauit. Erat enim omnium, Orientalium præſtantior, virtute præpotentiſſimus, cunctorumque exaggerato omnium virtutum cumulo præcellentiſſimus, Defuncto vero illo ſuperſtiterunt duo filii eius, armis

Digitized by Google

armis ſtrenui, bellis edocti, corpore pulcherrimi, animoſitate robuſtiſſimi. Quorum maior natu Rollo, alter vero Gurim iunior nuncupatur. Quos regali iuſſione deſcripti iuuenes ad exterminationem aggredientes genuque flexo, vultuque ſubmiſſo, atque humili voce, obnixe precantes, inquiunt vnamines, ferte nobis auxiliũ, ſubuenite nobis in adiutorium, ſub tutela veſtræ protectionis morabimur, veſtrumque ſeruitium inceſſanter faciemus. Rex autem noſter vult à Dacia exterminare fundiſque noſtris atque beneficiis nos per omnia priuare, Tunc duo illi fratres ſupplicitet precantibus reſponderunt, dicentes: Auxiliabimur optime vobis, voſque regalium minarum ſecuros morari in Dacia, atque res veſtrę proprietatis faciemus quiete tenere. Illi autem hæc audientes, Rollonis & Gurim oſculo expetiuerunt pedes, atque ilico ſuper dictis principum remearunt gratulantes. Interea veridicæ opinionis promulgatur fama Regis Daciæ aures pulſans, quod dux prępotentiſſimus pater ſcilicet Rollonis & Gurim ſorte frueretur ſuprema. Tunc Rex ante malorum quæ ſibi ille Dux intulit reminiſcens, cunctis ſui imperii accerſitis principibus, inquit: Vos non latet patrem Rollonis & Gurim eſſe defunctum. Aggrediar ergo fines illorum, & capiam vrbes & caſtra, atque munitiſſima loca, vlciſcarque facta patris in filios, eoſque conterendo ſatiabor ſuper malis illorum. Vos veſtroſque præcor pręparate ad talia negotia adimplenda. Denominatiuo igitur termino profectionis, vndecunque venerant repedarunt cum ſuis. Mox effera Daciæ iuuentus nimio curarum inhians æſtui, quæ commoda ſunt præparat in illo profectu. Hi leues clipeos, lucidaque ſpicula fabrili adiuti arte componunt, Hi tela enſeſque atque ſecures cote exacuunt. Huius rei inopinata fama Rollonis & Gurim aures perlabitur, & talis relationis ſermone perturbantur. Qui conuocata copioſa manu congruentique pubertate florentium, congregataque multitudine mediæ ætatis, ſenum, atque ad exterminandum deſcriptorum elatis dextris mandant ſilentium.

Quomodo Rollone rebellante contra Regem per quinquennium, Rex ab eo pacem expetiit doloſe.

Cap. II.

TVMVLTVANTES populi murmure penitus ſudato, ſediſque decentis ſuggeſtu ſublimiter Rollone ſuffecto, infit ore mellifluo. Vos quibus incaleſcit iuuenilis ardor, quique flore præſtantioris eſtis virtutis alloquor. Solerti propoſito reuerendos patres auoſque & proauos imitaminor, conualleſcite viriliter, & confortaminor, & ne æquiperis vicibus illis valeatis congruenter conuenire dedignaminor, Rex ſiquidem huius regni molitur nos ſupergredi, noſtræque monarchiam ditionis inuadere noſque & vos omnes perdere, & antequam hæreditariam noſtræ dominationis terram mancipet, ſui regiminis terram anticipando præoccupemus, hoſtiliter reſiſtendo aduentui eius. Ilico omnes his dictis hilares regiam terram conglobatis exercitibus inuaſerunt, totamque ſæuiente vulcano depopularunt. Hæc autem Rex audiens, contra Rollonem & fratrem eius Gurim pergit ad pręlium, diuque dimicando terga vertit fugiens ad præſidia vrbium. Tunc Rollo ſui exercitus mortuos ſepeliuit, Regis autem inhumatos reliquit. Vnius vero luſtri ſpatio perſeuerante inter Regem & Rollonem duello, miſit Rex pacificis verbis ad eum huiuſcemodi in dolo. Nihil mihi & tibi, niſi gratia propinquitatis. Vt requieſcat reſpublica precor permitte, vt quod mei iuris eſt, ineuſque pater tenuit liceat me patienter poſſidere, tibi autem quod tui iuris, quodque tuum. Sitque inter me & te pax & concordia, inextricabili fœdere compacta. Tunc Rollo & Gurim illorumque milites atque deſcripti ad exterminandum, pacem collaudauerunt. Determinato igitur coniurandæ amicitiæ tempore, vterque venit ad placitum, mutuiſque muneribus ditati fœderati ſunt.

Quomodo Rex aggreſſus eſt noctu ciuitates Rollonis, & de morte Gurim fratris eius, & de aduentu Rollonis in Scanzam inſulam cum 6. nauibus.

Cap. III.

DENIQVE perfidus Rex doloſitatem conceptæ fraudis infeſto corde ruminans, conuocato quodam exercitu ſuo, noctu pergens contra illos, inuadenſque fines illorum, abſcondens inſidias prope mœnia ciuitatis, oppugnare cæpit. Tunc Rollo & Gurim frater eius & qui cum eo erant exilientes de ciuitate, perſequebantur Regem terga vertentem, fugamque ſimulantem. Tranſgreſſo igitur locum inſidiarum Rollone, pars quædam illarum de latibulis egreſſa petit vrbem. Quam armigeris va-

cuam

Digitized by Google

cuam inueniens, incendit omniumque ſuppellectilium ſpolia ſibi detulit. Quædam vero ſequebatur Rollonem, Regem hoſtili immanitate fugantem. Cernens autem Rex incenſam vrbem inſidiaſq; prævalere, retrogreſſus præliabatur contra illum. Cæſis vero ex parte Rollonis quampluribus, cecidit Gurim frater eius in prælio. Videns autem Rollo ſe inter vtrunque exercitum, vnum fugam ſimulantem, alterum latebris egreſſum, fratremque mortuum, vulneribus plurimis laceratus, cum paucis diuertit ab eis. Tunc rex obſidens & capiens vrbes, populum contra ſe obiurgantem ſibi ſubiugauit. Rollo vero morari non valens in Dacia, propter Regem diffidens ſui, Scanzam inſulam cum ſex nauibus aggreſſus eſt. Tunc Dacia pio Duce patricioque atque robuſtiſſimo aduocato priuata, magno eiulatu concuſſa cæpit nimium flere.

De admonitione facta in ſomnis Rolloni vt Angliam peteret, & de victoria eius de Anglis.

CAP. IV.

CVMQVE diu Scanza inſula mæſtus moraretur, ſollicitaque contorquentis animoſitatis cogitatione eſtuans, moliretur vt vindicaret ſe de inimicis ſuis: plurimique quos fugarat de Dacia regalis immanitas ad eum reuerterentur, feſſis labore artubus ſopore oppreſſis, vox diuina illi ſonuit dicens: Rollo velociter ſurge pontum feſtinanter nauigio tranſmeans ad Anglos perge, ibi audies quod ad patriam ſoſpes reuerteris perpetuaque pace in ea ſine detrimento frueris. Hoc ſomnium cum cuidam ſapienti viro & chriſticolæ retuliſſet, huiuſmodi ſermone interpretatus eſt. Tu vergente venturi temporis curſu, ſacroſancto baptiſmate purificaberis prædignuſque chriſticola efficieris, & ab errore fluctuantis ſeculi ad Anglos, angelos ſcilicet vſque olim peruenies, pacemq; perhennis gloriæ cum illis habebis. Ilico vela nauibus aptãs, remiſque eas exornans, atque frumento vino tergiſque ſuum eas onerans, veliuolum mare celeriter permeans Anglos aggreditur, ibique morari quiete diu ſuſpicatur. Audientes autem illius territorii pagenſes quod Rollo Dacus adueniret, aciem magnam contra illum conſtruxerunt, eumque ab illis finibus fugare conati ſunt. Qui more ſolito ad prælium indubitanter illis occurrit, plurimoſque illorum proſtrauit, atque cæterorum fuga vertentium dorſa haſta fatigauit. Denique pagenſes prioribus plures coaceruantes, contra Rollonem iterum aciem dirigunt, eumque occidere aut fuga labi conantur. Ille vero ſtudiis belli edoctus, certaminiſque neceſſitate aſperrimus galea auro mirifice compta, triplicique lorica indutus, contra obiurgantium & proficiſcentium in ſe turmas armigeras, velociter atque indubitanter perrexit, milliaque illorum immaniter proſtrauit, victrice manu celerique curſu profugos perſequens, multoſque principum capiens, Inde ad locum prælii reuertens, occiſorum corpora terra condit, cæteroſque plagis infectos deportauit, captoſque nauibus connexuit. Tunc trimodo errore eſtuans, ſi Daciam repeteret, an Franciam pergeret, aut Anglicam terram præliis affligeret, & ſibi vendicaret, cæpit anxiari nimiumq; triſtari.

De ſomnio eius, & de expoſitione ipſius ſomnii à quodam Chriſtiano facta.

CAP. V.

CVM autem huiuſmodi perturbationibus ſollicitus hæreret, hominesq; regionis illius ditioni ſuæ fidelitatis gratia vinculoque ſeſe ſubiugarent, quadam nocte ſoporifera læthex molis quiete per membra leniter ſerpente, videre videbatur præcellentiſſimus quõdam præcelſiore Franciæ habitationis monte ſe poſitum, eiuſque montis in cacumine fontem liquidum & odoriferum, ſeque in eo ablui, & ab eo expiati contagione lepræ & prurigine contaminatum. Deniq; illius montis cacumine adhuc ſuperſtes, circa baſim illius hinc inde & altrinſecus multa millia auium diuerſorum generum varii coloris, ſiniſtras alas quinetiam rubicundas habentium, quarum diffuſæ longe lateque multitudinis inexhauſtam extremitatem perſpicaci & anguſtato obtuitu non poterat comprehendere. Cæterum congruenti inceſſu atque volatu eas ſibi alternis vicibus inuicem cedentes fontem montis petere, eaſque ſe conuenienti natatione ſicuti ſolent tempore futuræ pluuiæ abluere. Omnibuſque mira infuſione delibutis, congrua eas ſtatione ſine diſcretione generum & ſpecierum, ſine vllo contentionis iurgio, mutuo viciſſim paſtu quaſi amicabiliter commedere, eaſq; deportatis ramuſculis feſtinanti labore nidificare. Quinetiã ſuæ iuſſionis imperio voluntarie ſuccumbere Mox expergefactus, & viſionis quam viderat reminiſcens, accerſitis maioribus principum, captiſque prælio principibus ſimul

ſimul aſcitis, omnem huius viſionis ſeriem incunctanter diſſeruit, & quid huius viſionis myſticum ſentirent ab eis inquirit. Tunc cunctis conticentibus captorum vnus Chriſtianæ religioſitatis fide imbutus, præſagio diuinæ inſpirationis aſperſus myſticum illius viſionis intellectum explanauit dicens. Mons Franciæ quo ſtare videbaris, eccleſia illius deſignatur. Fons qui in ſummitatis montis erat, Baptiſmus regenerationis interpretatur. Per lepram & pruriginem quo infectus eras, cõmiſſionis tuæ ſcelera & peccata animaduertes. Te in eo ablui, & ab eo lepræ pruriginiſque morbo expurgari, te lauacro ſacri baptiſmatis regenerari, & ab omnibus peccatis emundari. Per volucres diuerſorum generum leuas alas habentes puniceas, quarum infinitiſſimam extremitatem exhaurire viſu non poteras, homines diuerſarum prouinciarum ſcutulata brachia habentes, tuique effecti fideles quorum innumeram multitudinẽ coadunatam videbis, animo deprehendas. Per alites fonte infuſas, & in eo alternatim ablutas, communique comeſtione edentes populum antiquæ fraudis contagio pollutum, typico baptiſmate abluendum, ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti alimonia ſaginandum. Per nidos quos circa fontem faciebant, vaſtatarum vrbium mœnia reædificanda intellige. Tibi aues diuerſarum ſpecierum obtemperabant, tibi homines diuerſorum regnorum ſeruiendo accubitati obedient. His igitur mirabilium interpretationum ſermonibus Rollo exhilaratus, viſionis ſuæ interpretem cæteroſque quos bello cæpit vinculis ſoluit, variis muneribus & donis diuerſis ditatos ad ſua lætos remiſit.

De Adelſtano Rege Anglorum Chriſtianiſſimo cum quo iniit Rollo fœdus indiſſolubilis amicitiæ.

CAP. VI.

EO namque tempore Rex Anglorum Chriſtianiſſimus nomine Adelſtanus omnium bonorum titulis exornatus, ſacroſanctæ eccleſiæ prædignus aduocatus, habenas regni Anglorum moderabat piiſſimus. Cui continuo Rollo legatos ſuos miſit, & quid dicerent auribus illorum intimauit. Qui venientes ad eum, pio vocis affectu ſubmiſſis vultibus dixerunt. Omnium præpotentiſſimus patricius Duxque Dacorum præcellentiſſimus Rollo noſter ſenior & aduocatus, tibi fidele ſeruitium, tuiſque amicitiæ munus inconuulſum. Magnum domine Rex Daciæ regno infortunium perpeſſos & ab eo heu dolor fraudulenter exterminatos, curis obnoxios nobis penitus intumeſcentiumque procellarum elationibus afflictos, veſtris finibus appulit, omni ſpei & ſalutis pręſidio priuatos. Cum autem conaremur Daciam repetere, & nos de inimicis noſtris vindicare, obſtitit & interclusit nos glacialis hiems, geluque cruſtante terram, & affligente flexibiles herbarum & arborum comas, denſa glacialium mole refrenata cruſtarum, ſtruxerunt nobis murum flumina, nec præbuit nobis proſperum iter vnda. Audientes quidam milites in confinio noſtri aduentus commorantes, præmaximam aciem contra nos ſtruxerunt, noſque laceſſentes inuaſerunt. Nos vero nec ſub glacie nec ſupra nauigare valentes, illorum audaciæ reſtitimus, multoſque illorum prælio exarmatos cœpimus. Non autem regnum tuum depopulabimus, nec prædas vſquam raptas ad naues vertemus. Vendendi atque emendi ſequeſtram pacem petimus, quia imminentis veris tempore ad Franciam proficiſcemur. Rex autem hilarem vultum ſummiſſus his auditis, prófatur. Nulla tellus effert viros magis quam Dacia præcipuos armiſque ſtrenue edoctos. Parentelam diffuſe generoſitatis veſtri ſenioris, caſuque & labores veſtros, quinetiam fraudulentam perfidiam Daciæ regis nobis retulerunt plurimi. Nemo ſeniore in factis iuſtior veſtro, nemo maior in armis. Huius negotii curas ſecludite, armorum ſecuri, præliorum impatientes, atque omnium malorum immunes eſtote, liceat vobis vbicunque terrarum noſtræ ditionis vendere & emere, veſtrum ſeniorem precamur cogite vt noſtræ fidei integritate dignetur ad nos venire, quia eum deſidero intueri, ſuperque malis ſuis ſolari: Abeuntes autem miſſi quæcunque audierant renunciauerunt Rolloni. Extemplo Rollo audaciter & incunctanter perrexit ad Regem contra ſe venientem. Qui mutuo amplexati & oſcula libati, cedentibus vtriuſque exercitus turmis ſederunt ſepoſiti. Tunc Rex Adelſtanus prior eſt allocutus.

Proſapia pollens, geſtorum lumine fulgens,
Moribus & meritis præcelſior omnibus, atque
Fœdere complacito fidei nectamur in vno,
Sis peto pars animæ ſemperque mea comes, atque
Finibus in noſtris temet depoſco morari,

Sicque ſalutifero baptiſmate ſorde piari.
En quid geſtis habe noſtra ditionis in orbe.
Sis memor ipſe mei fuero ceu ſemper in omni,
Et ſi velle alias eſt nunc proficiſcier oras.
Si gens torua, ferox, iam iam feritauerit in me,
Improba non ſeruans fidei retinenſq; tenorem,
Vt potis es fer opem ſtabili conamine ſaluans,
Et tibi ſuccurram ſimili ratione iuuando,
Te teget atque meum mutuo certamine ſcutum.

De tempeſtate quam paſſus eſt Rollo cum in Regnum Francorum de Anglia nauigaret, & quomodo littoribus Walgrorum appulit.

CAP. VII.

TVNC Rollo ſuper dictis Regis lætus, dixiſſe fertur: Grates tibi omnium Regum præſtantiſſime ſuper voluntatiis beneficiis rependo, & quicquid inter me & te agenda retuliſti, fac vt opto. Diutiſſime in regno tuo non morabor, ſed celerius quam potero Franciam adibo. Vbicunque terrarum fuero, tuus amicus inſolubili dilectionis coniunctus fœdere permanebo. His dictis admodum inextricabiliter fœderati, alternatumque rerum competentiis mirabiliter ditati, rediit quiſq; cum ſuis ad ſua. Toto namq; hiemantis anni tempore, naues ſumptuſq; qui neceſſarii erant itineri præparare Rollo dux ſollertis curæ fecit, Angloſq; florentis iuuentutis milites qui erant ſui affecti, & ſecum ituri erant aſciuit. Cum autem primæ æſtatis tempore rutilantium molliter florum arrideret copia, purpureiſq; blattis lactea, & odorifera albe-rent lilia, memor ſemper viſionis monentis ad Franciam proficiſci claſſibus velis datis, nauim conſcendit. Cum vero lenibus ventis congreſſus nauigii factus eſſet, vſq; ad medium æquoris, nihilq; viderent niſi cœlum complexum ſuper faciem maris, inuidi ſpiritus ſcientes illos baptiſmate Chriſti nomine abluendos, gloriamq; quam perdiderunt adepturos ingemiſcentes occurrerunt excitantes pericula illis, venti quinetiam à ſedibus ſuis ruunt, & hiante ponte à ſedibus imis in præcipitium fluctus nimios & ad ſidera tollunt. Cœlum crebeſcentibus fulguribus intonuit, dēſarumq; tenebrarum nox atra illis incubuit. Remis confractis vētorum rabiem vela ferre non poſſunt, itaq; viribus exhauſti, omnia ventis permittunt. Huc illucq; naues quaſi per montes & valles fluctuant, mortemque repentinam omnibus intentant. Tunc Rollo protenſis manibus proſtratus incubuit naui, humilique voce talia profudit:

O Deus omnipotens cœleſtia lumine complens,
Qui cœlum terramq; tenes, per ſecula cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Infectum vitiis peccati & face repletum,
Qui me chriſticolam fieri vis munere viſi
Temporis exiguo curſu voluente futuri,
Suſcipe vota libens, precibuſq; faueto benignus.
Fluctus ſedatiſque feros compeſce ruinis
Caſibus eripiens iſtis nos atq; labore,
Comprime demulcens, miteſcent atque ſerena,
Vndantem nimium violento turbine pontum.

Harum vero orationum precibus finitis, mox mare quieſcit ſerenatis procellis immenſoſque æquoris tractus optato flamine breuiter explicuerunt; naueſque tempeſtate diruptas littoribus Walgrorum applicuerunt.

Quomodo Rollo diuiſit Walgrenſes rebellantes & Rainerium Hainaucenſem Ducem, & Radeboldum principem Friſiæ, & de 12. nauibus onuſtis victu & totidem armato miliſte plenis, quas Adelſtanus Rex Anglorum ſibi miſit dum ibi moraretur.

CAP. VIII.

AVDIENTES autem Walgrenſes quod gens barbara tempeſtate maris ferociter quaſſata, ſuis littoribus eſſet aduecta, congregata multitudine pagenſium, Rollonem Ducem tempeſtuoſo mari vix ereptum aſſilierunt. Qui ſolito more concitus contra illos debellando perrexit, atq; plures illorum nece proſtratos orco tranſmiſit; reſiduoſq; illorum aut fugauit, aut cæpit. Cumq; diutiſſime morulans Walgras depo-

Walcheren fortaſſe inter Zelandiæ inſulas in qua Fluſhinga.

pularet reminiſcens Adelſtanus Rex Anglorum chriſtianiſſimus, omnium Regum probitate præcellentiſſimus, amicitiæ qua ſe & Rollonem colligarat in fœdera ſempiterna, duodecim naues frumento vino atq; lardo oneratus, quinetiam totidem armato milite repletas, Duci præcelſo tranſmiſit, in Walgras. his Rollo donis lætus, legatos muneribus præmaximis ditatos cum gratiarum actione ad regem remiſit, ſeq; per eos famulaturum Regi mandauit. Eſtimantes autem Walgrenſes propter deportati frumenti copiam omni tempore Rollonem Walgris moraturum, conuocarunt Reinerium longi colli Hasbacenſem & Hainaucenſem Ducem, & Radeboldũ Friſię regionis principé, & conglobato exercitu aliorum pagorum, inuaſerunt Rollonem. Qui ſic ſępius ad bellum indubitanter perrexit, & multa millia illorum occidit, atque Rainerium longicolli & Radebodum Friſionem ad ſua caſtra fugauit: Deinde totam terram Walgrorum deuaſtauit, atque incendio concremauit. Poſt hinc huius rei cauſa indignatus, Friſones celeriter expetiuit terramque illorum deuaſtare cæpit tunc Friſones multorum congeriem populorum concite coaceruantes, ſibiq; multitudinẽ plebium in confinio Friſiæ commorantium accumulantes, fluuio Almeræ commorante in agminibus multis pręparatis, accelerata incurſione conantur inuidere Rollonem. Rollo vero & qui cum eo erant genu flexo, armorumque ingruente horrore, ſcutorum tegmine cooperti ſtrictęque aciei mucronibus coruſcis complicati, expectabant initium certaminis. Friſiones ergo paruiſſimam eſſe putantes multitudinem illorum inierunt bellum ſibi non profuturum. Daci vero exilientes & in illos irruentes vſq; ad internecionem proſtrauerunt, pluresque principes cæperunt innumerabilemque manum ad naues duxerunt. Friſiones igitur reſidui diffidentes ſui, ex hinc tributarii effecti ſunt, Rollonis pręceptis per omnia obedientes. Congeſto & exaggerato atq; dato Friſiæ tributo, ilico librat in altum carbaſa nauibus data, vertitq; ptoras ad Raineri prolixi iuguli terras, vleiſci ſe cupiens de ipſo, qui affuit Walgris cum Friſonibus iam proſtratis in prælio. Pererrato ponto intrat Scaldi alueum & cis citraque terram depopulans ſuper longicolli Rainerium, venit ad quandam abbatiam dictam nomine Condatum. Rainerius vero multa prælia contra eum fecit, ſed ex omnibus Rollo victor potens extitit. Deuaſtabatur terra, vtriuſque exercitus mala perpeſſa. Præualida fames exoritur, quia terra aratro non ſcinditur. Vulgus penuria affligitur, fame belliſque atteritur, diffidunt viuere cuncti, ſalute victus priuati. Quadam igitur die Rainerio loco inſidiarum commorante, clam ſuper Dacos cupiente irruere, Daci eum hinc inde congeſti vallauerunt, eumque nimium debellantem mancipparunt, vinctumque ad Rollonem duxerunt. Ipſa namq; die Raineridæ Dacorum vt caperẽt aliquos latebris commorantes inuaſerunt 12. milites præcipuos Rollonis, & conſtanti virtute cæperunt, tunc vxor Raineri flens & eiulans ſuper eo, conuocatis principibus ſuis miſit ad Rollonem vt pro 12. comitibus captis redderet ſibi ſuum ſeniorem ilico Rollo ſuſcepta legatione, remiſit ad eam dicens: Non reddetur Rainerius tibi ſed decollabitur, niſi reddideris prius meos comites mihi inſuper dederis quicquid auri eſt & argenti ſui Ducaminis cum iuramento chriſtianæ religionis, quinetiã tributum iſtius regionis. Mox cum iuxta Rainerii lugubri legatione afflicta, Comites captos Rolloni remiſit, aurumq; & argentum quod vſq; inuenire potuit, Quinetiam illud quod erat ſacris altaribus conceſſum, pariterque vectigal illius Ducaminis cũm iureiurando quod plus metalli non haberet nec exigere poſſet, ſupplicibus verbis & deprecatiuis miſit ad Rollonem vt redderet ſibi ſuum virum. Ipſe autem motus pietate vocibuſque ſuppliciter petentium, ad ſe fecit venire longi colli Rainerium verbis pacificis affatur eum, Rainere Dux mileſque aſperrime Regumque & Ducum atque comitum ſuperbo ſatus ſanguine, quid tibi feceram olim iniuriæ, propter quid præliatus es cum Walgris & Friſionibus contra me? Si ſæuire modo voles, armorum ſpicula deſunt & ſatellites. Si velis à nobis fuga labi, compedibus intricatus nunc captus non potes euadere. Talionem ſicut Friſonibus tibi reddidi pro malis quæ mihi ſine re intuliſti. Vxor tua & principes tui, quicquid auri & argenti recuperare potuerunt pro te miſerunt mihi. Dimidium exaggerati muneris reddam tibi, teque tuæ vxori remittam. Hinc manſueſcens requieſce, & nullatenus ſit diſcordia, ſed ſempiterna inter me & te pax & amicitia. His dictis, Rainerii crura ſoluuntur compedibus.

Statimque Rollo ſibi fœderatum muneribuſque & donis præmaximis ditatum, quinetiam reddita medietate legatorum munerum, ad vxorem ſuam remiſit Rainerium.

Quo

Quomodo anno incarnati verbi 876. Gemetias venit, deinde Rothomagum, & de pace quam Franco Archiepiſcopus ab eo accepit.

CAP. IX.

HIs ita ſedatis, Dani cum ſuo duce Rollone vela ventis librant, Scaldi alueum deſerentes, atque permenſo ponto octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto ab incarnatione domini anno, Sequanica penetrãtes ora, flante ad votum vento Gemmeticum veniunt, corpus ſacræ virginis nomine Hameltrudę quod à Britannia aſportauerant, in capella S. Vedaſti quæ trans flumen eſt, ſuper altare ponentes. Quæ capella, hactenus illius virginis nomen retinet. Quorum aduentum Franco Rothomagenſis archiepiſcopus agnoſcens, & vrbis muros ſolo tenus hoſtica immanitate dirutos perſpiciens, ac de iuuamine ad reſiſtendum omnino diffidens adiudicabat ſalubrius ab iis pacem quærere, q̃ in aliquoad ſui pernitiem, ꝓuocare. Qui feſtinus illos adiens pacem petit, & conſequitur optatam, pacto inter ſe fædere firmo. Poſt hoc vero Daci feſtinantes, ad vrbis mænia quantocius propellunt naues portæque cui adnexa eſt eccleſia Sancti Martini plurimo milite plenas adiungunt. Cuius vrbis præſidium ſagaci mente terra marique conſiderantes compendiorum lucris munitum, totius Comitatus caput illud fore concorditer deputant.

Quomodo Rollo cum ſuis per alueum Sequanæ veniens Archas quæ Haſdans dicitur vbi compoſuit quoddam caſtrum, vbi & pugnauit contra Francos & plurimis occiſis Rainaldum, ducem illorum in fugam vertit, & de ſubuerſione Mellenti caſtri.

CAP. X.

ROLLO igitur Rothomago potitus, de Pariſiaca euerſione corde verſuto cum ſuis tractans, chriſtianorum ſanguinem paganico inſtinctu lupino more ſitiebat. Qui claſſem ſoluentes, Sequanæ fluuium ſulcant, ſtationemq; nauium apud Haſdans quæ Archas dicitur componunt. Tũc Rainaldus totius Franciæ Dux agnito paganorum repentino aduentu, cum valida exercituum virtute ſuper Authuræ fluuium eis obuius proceſſit, Haſtingum qui adhuc in Carnotena vrbe morabatur, ob peritiã linguę cum aliis legatis pręmittens. Veniens itaq; Haſtingus iuxta aquæ decurſum, talibus illos adorſus eſt verbis: heus inquit robuſtiſſimi milites, quib. ab oris huc aduecti eſtis, vel quid in hac regione quęritis, aut quo veſter ſenior cenſetur nomine edicite nobis, Francorum ſane regis ſummus legati vobis directi. Cui interroganti, ſic Rollo: Dani ait ſumus, æquali dominio fungimur, terræ huius colonos exturbare venimus, noſtræ ditioni patriã ſubdere cupiẽtes. Tu vero quis es, qui tam facete nobis loqueris? Ad hęc ille; Audiſtis inquit aliquando de quodã Haſtingo, qui à veſtris partib. exul cum multitudine nauium huc aduenienѕ hoc Francorũ regnum magna ex parte peſſundabat, & in ſolitudinẽ redegit? Cui Rollo: Audiuimus inquit: Haſtingus enim bono omine cæpit, & cuncta malo fine compleuit. Haſtingus ad hæc: vultis inquit Carolo regi ſubdi? Nequaquã Rollo intulit alicui ſubiiciemur: ſed quæcunq; armis adquiremus noſtro iuri vendicabimus. Regi cuius te legatũ gloriaris, audita ſi vis renuntia. Hæc Haſtingus cuncta expedite ſuo refert Duci. Interim Rollo & qui cum eo erant fecerunt ſibi munimen & obſtaculum in modum caſtri, munientes ſe per girum auulſæ terræ aggere, locoq; portæ relinquentes ſpacium prolixæ amplitudinis, q̃ apparet ad tempus vſq; iſtius diei. Franci vero diluculo venerunt ad eccleſiam S. Germani, ibiq; miſſam audientes participabant corpore & ſanguine Chriſti. Abhinc equitantes, in ripa fluminis naues Dacoſq; in munimine auulſæ terræ videntes amplum portæ aditum ſolum inuaſerunt. Daci vero intrinſecus hinc & inde per planiciem caſtri accubitarunt, atque ſcutis ſe cooperuerunt, vt paruiſſima putaretur ſumma eorum. Rotlandus ſignifer Rainaldi, cum acie quæ pręibat exercitum violenter per aditum miræ prolixitatis amplum ſuper eos irruit & debellare eos cæpit. Daci vero exurgentes, Rotlandum in momento interemerunt & eius ſequaces Rainaldus & Haſtingus cæteriq; comites illic cunctos mortuos conſiderantes, terga vertentes fugam expetiuerunt hilares. Quibus peractis, Rollo nauibus feſtine Mellenti municipium occupat. Quo ſubuerſo, omnes incolas gladio necat.

Qua fallacia Tetboldus Comes Carnotenam vrbem ab Haſtingo emit, & quomodo ipſe Haſtingus omnibus diſtractis peregre profectus diſparuit.

CAP. XI.

CONSIDERANS ergo * Tetboldus comes ſe reperiſſe tempus oportunum ad decipiendum Haſtingum, talibus verbis falſo appetit illum. Cur inquit inſigniſſime

* Theobaldus.

 vir

vir ignauia torpes? Ignoras regem Carolum te velle morte oppetere,ob Chriſtianorum ſanguinem à te olim fuſum iniuſte. Reminiſcitur enim malorum quæ illi tunc improbe intorſiſti,& ideo de terra te exterminare decernit. Manus etiam tua vt ipſe ait,cum Rollone pagano ad delendos Francos ſentit. Qua de re in proximo peſſime deleberis ab eis.Conſule autem tibi ne inconſultus puniaris. Quibus verbis Haſtingus territus,confeſtim Carnotenam vrbem Tetboldo vendidit & diſtractis omnibus peregre profectus diſparuit.

Bellum iterum Regnoldi principis Franciæ cum Rollone & de morte ipſius, & de annua obſidione vrbis Pariſius,& de deſtructione vrbis Baiocas, in qua cæpit quandam virginem nomine Popam,ex qua genuit Wilhelmum & Gerloc ſororem eius,& quomodo exercitus eius trucidauit ciues Ebroicæ ciuitatis, ipſo tamen cum quibuſdam Pariſius obſidente.

CAP. XII.

RAINALDVS ergo fugæ dedecus non ferens,iterum congregato exercitu maiore Rollonem aggreditur repente, Cuius conatus ipſe pręueniens,quoſdam ſuorum gladiis obtruncat, alios indecenter fugientes fugat. Ipſum autem Rainaldum quidam piſcator Sequanæ Rolloni attributus, iaculo transfixum mortuum ſternit. De hinc Rollo anchoris ſubductis,& celeri remigio Pariſium petit obſidioneque cingit pręda vndequaque illo adducta. Quo illic moranti exploratores ſuperueniunt nunciantes Baiocenſem vrbem à defenſoribus vacuam eſſe, & abſque detrimento cuiuslibet victoris facilime capi. Ilico auulſis ab obſidione nauibus Baiocaſium veliuolo venit curſu. Quam captam aliquatenus ſubuertit, habitatoribus eius interfectis,In qua quandam nobiliſſimam puellam nomine Popam, filiam ſcilicet Berengarii illuſtris viri capiens,non multo poſt more Danico ſibi copulauit ex qua Wilhelmum genuit filiamq; nomine Gerloc valde decoram ea ſic vrbe demolita, Rollo concite Luteciam regreditur.Cumque in expugnatione eius arietibus & baliſtis intenderet,miſit exercitum militum ad Ebroicam vrbem vt eam exterminarent, epiſcopumq; nomine Sibar cum ſuo populo trucidarent.Quo cum veniſſent,epiſcopum fuga lapſum non reperientes omnes ciues perimunt, & cum maxima pręda Ducem ſuum repetunt. Talibus itaque exterritæ plurimæ gentes Franciæ, tributa ſoluebant Rolloni, plurimæ vero reſiſtebant ei.

De Adelſtano Rege Anglorum qui per legatos petiit auxilium eius contra rebelles & accepit, & quod Rollo inde rediens ſubiugatis Anglis ad votum Regis maximis ditatus donis & auxiliis, diuidens Comites exercitus ſui, alios alueo Sequanæ, alios Ligeris,alios Gerundæ, interiacentes prouincias prædaturos, celeri nauigatione direxit.

CAP. XIII.

DVM hæc geruntur, Regis Anglorum Adelſtani legati adueniunt deprecatoria verba Rolloni deferentes,vt illi quantotius auxilium ferat. Cōſpirauerunt enim aduerſus eum quidam rebelles, arma mouentes. Cuius anxietati compatiens, & de vrbis Pariſiacæ expugnatione diffidens,ob videlicet aditus difficultatem & nimiam alimoniæ intra eam capiam,dimiſſa obſidione Anglos aggreditur. Quo cum veniſſet rebelles expugnans cum auſteritate coercuit, acceptiſq; obſidibus regi ſuo pronos effecit: Ex hinc iterato electa iuuenum multitudine cum magnis muneribus à rege ſibi collatis,in Franciam remeat ſtatim comites exercitus ſui diuidens,alios alueo Sequanæ alios Ligeris fluento,alios amne * Gerundæ interiacentes prouincias prædaturos, celeri nauigatione miſit.Ipſe autem Pariſius iterum veniens, cæpit vrbem oppugnare,& terram ſuper inimicos ſuos deuaſtare.

* Garumna.

Quod Carolus audiens reditum Rollonis pacem ab eo trium menſium petens,accepit:quo termino finito Rollo ſuos vſq; Burgundiam prædaturos circumquaq; miſit.

CAP. XIV.

AVDIENS autem Carolus Rex ab Anglorum partibus rebus proſpere geſtis Rollonem rediiſſe,miſit ad eum Franconem Rotomagenſem archiepiſcopum mandans vt à vexatione Francorum cederet,& ei inducias trium menſium daret. Quibus impetratis,pauliſper quieuit terra à Paganorum rapinis. Expletis autem tribus menſibus ilico Rollo putans ſe propter ſecuritatem quam dedit à Francis ſe vilem æſtimatum,ferociter & crudeliter deuaſtando prouincias, cæpit laniare & affligere atq; de-

lere

lere populum. Sui autem in Burgundiam pergentes, perque Ionam in Sigonam nauigantes, terraſque omnibus affines vſque Clarum montem vndique ſecus deuaſtantes, Senonis prouinciam inuaſerunt, atque cuncta depopulantes, ad ſanctum Benedictum contra Rollonem reuenerunt. Videns autem Rollo monaſterium ſancti Benedicti, illud contaminare noluit, nec p̃dari illam prouinciã ꝓpter S. Benedictum permiſit. Stampas equidem adiens, totam terram adiacentem perdidit, quãplurimos captiuauit. Inde ad Vilemelt veniens finitimas terras prędauit, hincque Pariſius remeate accelerauit.

Quomodo dum obſideret vrbem Cartis, Ricardus Dux Burgundionum cum ſuo & Francorum exercitu in eum irruit, quo fortiter reſiſtente & Gaultelmus epiſcopus ex vrbe cum armatis inopinate proſiliens S. Dei genitricis tunicam ferens, à tergo eum inuaſit, ceſſit itaque Rollo non Burgundionibus ſed diuinæ virtuti.

Cap. XV.

POSTREMO Carnotenam vrbem obſidione circumdat quam cum machinis & tormentis impugnaret, Ricardus Burgundionum Dux cum ſuo Francorumque exercitu adueniens ſuper eum irruit: cum quo congreſſus cum ſuis, atrociter reſiſtebat, quouſque Antelmus epiſcopus ex ciuitate cum armis inopinato proſiliens, ſanctæque Dei gonitricis Mariæ ſupparum præferens, à tergo eum inuaſit cedendo. Hic tandem videns Rollo ſe ſuoſque in extremo mortis, decreuit ad hotam hoſtibus cedere, quam cum ſuorum detrimento pugnare & prouido conſilio non tamen ignauia, declinauit à certamine.

De parte exercitus quæ in quendam montem ſubiit, & de Ebulo Pictauenſi comite, qualiter in domo Fullonis latuit propter Normannos.

Cap. XVI.

QVÆDAM autem exercitus ſui pars Francis perſequentibus recedens: Leugas venit, ac in cuiuſdam montis ſubiit cacumen. Ebulus vero Pictauenſis Comes, tarde ad prælium veniens, comperit paganos montis excelſa occupaſſe, quos ilico perſequens, eius ardua militibus ne effugerent cinxit, Sed noctis medio Normanni per Francorum caſtra violenter erumpentes, vitæ diſpendium euaſerunt. Enimuero Ebulus Rollonem ſuper eos irruiſſe ſuſpicatus, domum cuiuſdam Fullonis ſubintrauit, ibiq; tota nocte tremebundus delituit. Porro Franci facto diluculo paganos euaſiſſe agnoſcentes, citatis equis calcaribus, eos inſequi cæperunt. Quos repertos expugnare non audentes eo quod animalium cadaueribus ſanguine cruentatis, in modum caſtri ſe muniſſent, nulla re proſpere acta citius refugerunt, Normannis ita ſe liberantibus, ducemque ſuum gaudenter repetentibus.

Quod Rollone furiis ſuccenſo & acriori oppreſſione Franciam demoliente Carolus Rex filiam ſuam dedit ei, & maritimam terram ab Eptæ flumine vſq; ad Britanicos limites, & ipſam Britanniam vnde viueret, quia terra prædicta erat deſerta ea tamen conditione vt Chriſtianus fieret & quod Rex & Rodbertus Dux Franciæ, & ceteri proceres & epiſcopi iurauerunt eandem terram Rolloni & heredibus eius in perpetuum poſſidendam, & quod Rollo volens oſculari pedem Regis iuſſit cuidam militi ſuo vt eum oſcularetur.

Cap. XVII.

HIs itaque Rollo infortuniis, militumque ſuorum morte furibunde ſuccenſus, ad Francorum infeſtationem reliquos exaggerat, & ad demoliendam ſiue exterminandam patriam ob ſociorum perniciem eos totis conatibus incitat, Quid plura? Vt lupi veſpertini vehuntur pagani ad caulas Chriſti, ſuccenduntur eccleſiæ, mulieres ducuntur captiuę, trucidatur populus, fit omnibus in cõmune luctus. His denique Franci calamitatibus oppreſſi, querulis clamoribus Carolum Regem appetunt, vnanimiter conclamantes, Chriſtianum populũ ob eius inertiam paganorum incurſibus deperire. Quorum quærimoniis Rex vehementer permotus, aſcitum Franconem archiepiſcopum Rolloni feſtinanter dirigit, mandans ſi Chriſtianus efficeretur, terram maritimam ab Eptæ flumine vſque ad Britannicos limites cũ ſua filia nomine Giſla ſe ei daturum fore. Qua legatione Franco ſuſcepta, peracto itinere, pagano Duci cuncta per ordinem pandit. Cuius verba conſulto ſuorum gratanter ſuſcipiens, à vaſtatione paganica inducias trium menſium Regi indulget, & in hoc dierum ſpacium pax inter eos ſtabiliretur fœdere firmo. Staturo ſane tempore veniunt ad denominatiuum locũ qui dicitur ad S. Clerum, Rex cum Roberto Francorum Duce trans Eptæ fluuium, Rollo vero citra, vallatus cuneis militum. Diſcurrentibus alternatim nunciis, pax fa-

uente Chriſto ſtabilitur inter eos, Rollone regi fidelitatem ſacramentis iurante & rege illi filiam cum terra prętitulata donante, ſuperaddita etiam ad ſumptuum ſupplementa tota Britannia, ipſius prouinciæ principibus Alano atq; Berengario ſacramenta iurantibus Rolloni. Nam terra maritima quæ nunc vocatur Normannica ob diuturnos paganorum excurſus ſiluis vbique adultis, à cultro & vomere torpebat inculta. Flandrenſem vero prouinciam vt ex ea viueret voluit Rex ei primum dare, ſed ille noluit præ paludum impeditione recipere. Rolloni autem pedem regis cum ab eo Ducatum Normanniæ ſuſciperet nolenti oſculari, dixerunt epiſcopi, qui tale donum recipit, oſculo debet expetere pedem Regis, Et ille: nunquam curabo genua mea alicuius genibus, nec oſculabor cuiuſpiam pedem. Francorum igitur precibus compulſus, iuſſit cuidam militi pedem regis oſculari. Qui ſtatim pedē regis arripiens, deportauit ad os ſuum, ſtandoque defixit oſculum regemque fecit ſupinum. Itaque magnus excitatur riſus, magnuſque in plebe tumultus. Cæterum Carolus Rex duxq; Francorum Robertus, Comiteſq; & proceres, præſules & Abbates iurauerunt ſacramento catholicæ fidei patricio Rolloni vitam ſuam & membra & honorem totius regni, inſuper terram denominatam, quatenus ipſam teneret & poſſideret, hæredibus & traderet & per curricula cunctorum annorum, ſucceſſio nepotum, in progenies progenierum haberet & excoleret. Quibus nobiliter expletis, Rex lætus ad ſua regreditur, & Rollo cum Roberto Duce ad Rothomagenſis vrbis mænia proficiſcitur.

Quod anno incarnati verbi 912. baptizatus eſt Rollo & exercitus eius, & quod venerabilioribus eccleſiis ſuæ prouinciæ dedit partem terræ antequam ſuis eam diuideret ſatrapis, & de Brenneual quam dedit Sancto Dionyſio Areopagitæ.

Cap. XVIII.

Anno Domini. 912.

ANno igitur incarnationis Dominicæ nongenteſimo duodecimo benedicto fonte in nomine S. Trinitatis, Rollo à Francone archiepiſcopo baptizatur: quem Robertus Dux à fonte accipiens, ei ſuum nomen impoſuit. Rollo autem poſtquam baptiſatus eſt, per ſeptem dies quibus in albis manſit, Deum & Sanctam eccleſiam deuote datis muneribus honorauit, nam primo die, dedit terram pręmaximam Sanctæ Mariæ Rothomagenſi eccleſiæ. Secundo, S. Mariæ Baiocenſi eccleſiæ. Tertio, Sanctę Mariæ Ebroicenſi eccleſiæ. Quarto, S. Michael archangeli eccleſiæ in periculo maris ſupra montem poſitæ. Quinto. S. Petri & S. Audoeni in ſuburbio Rotomagenſi eccleſiæ. Sexto, S. Petri & S. Aichadri Gemmeticenſi eccleſiæ. Septimo, Brenneual cum omnibus appendiciis S. Dioniſio dedit.

Quomodo diuiſit terram ſuis hominibus, & eccleſias deſtructas & muros ciuitatum reædificauit & de Britonibus quos ſibi rebellantes ſubiugauit.

Cap. XIX.

OCtavo die expiationis eius, veſtimentis criſmalibus exutus, verbis cæpit adquiſitam terram metiri, Comitibuſque ſuis & cæteris fidelibus ſuis largiri. Videntes autem pagani Ducem ſuum Chriſtianum eſſe relictis idolis Chriſti nomen ſuſcipiunt ac vnanimes ad Baptiſmum conuolant. Dehinc Robertus Frācorum. Dux rebus pro quibus venerat competenter geſtis, Franciam repetit hilaris. Porro Robertus Normannorum Dux pręparato nuptialium rerum magno apparatu ſupranominatam tanti regis filiam, in conſortium ſui Thori Chriſtiano more duxit ſecuritatem omnibus gentibus in ſua terra manere cupientibus fecit illam terram ſuis fidelibus funiculo diuiſit vniuerſamq; diu deſertam reædificauit: atq; de ſuis militibus aduenuſque gentibus refertam reſtruxit, iura & leges ſempiternas, voluntate principum ſancitas & decretas, plebi indixit: atq; pacifica conuerſatione morari ſimul coegit, eccleſias funditus fuſas ſtatuit, templa frequentia paganorum deſtructa reſtaurauit: muros ciuitatum & propugnacula refecit & augmentauit: Britannos rebelles ſibi ſubiugauit, atque de cibariis Britonum totum regnum ſibi conceſſum ſufficienter pauit.

De lege quam ſtatuit vt nullus aſſenſum præberet furi, & de ruſtico & vxore eius quos affigi patibulo propter cultrum & vomerem furatum præcepit.

Cap. XX.

POſt hæc intra Normannicos limites legem ſtatuit, vt nullus aſſenſum furi præberet. Quod ſi deprehenderetur, ambo patibulis appenderentur. Contigit autem

non

non multo poſt in longa petentis villa quendam agricolam reficiendi cauſa, labore ſuſpenſo domum redire, dimiſſis loris in campo cum cultro & vomere. Quæ tam infelix quam veſana vxor ipſius clam cuncta ſuſtulit, experiri volēs edictum Ducis. Ruſticus vero ad campum regreſſus, rebus non inuentis vxorem an eas haberet inquirit. Qua negante Ducem aggreditur, petens vt ſua ſibi vtenſilia reddantur. Qui motus illico pietate, damnum viri datis quinq; ſolidis releuare, & populum per circuitum ad examen calibis cunctum iuſſit compellere. Quo Deo iudicante liberato, vxor ruſtici à miniſtris arctatur. Quæ coacta verberibus reatum profitetur. Dux autem ruſtico ait: Noueras antea hanc furem eſſe? Et ruſticus ait: Noueram. Ad hæc Dux intulit: Tuum os te condemnat ſerue nequam. Et continuo ambos iubet ſuſpendi patibulo. Dicuntur etiam alia multa digna relata vulgo de illo: quorum vnum breuiter hic intimabo. Dum poſt venationem in ſyluam, quæ imminet alueo Sequanæ iuxta Rotomagum, ſtipatis obſequentium turbis comederet ſedens ſuper lacum, quem vſu quotidiano loquendi Maram vocamus, armillas aureas in quercu pependit. Quæ per tres annos ob timorem ipſius intactæ ibidem fuerunt. Et quia iuxta Maram illud factum memorabile fecit: ideo ipſa ſylua vſque in hodiernum diem Rollonis Mara vocatur. His & huiuſmodi Rollo Dux terroribus populum frenans, tum ob amorem iuſtitiæ, quem diuinis debuit legibus, tum pro ſubditorum concordi & quieta vita, tum pro ſui honoris tranquillo ſtatu, Ducatum ſibi à Deo attributum tempore longæuo pacifice gubernabat.

De duobus militibus Caroli Regis, quos fecit puniri.

CAP. XXI.

CAROLVS Simplex filius Lodouici, cognomento *Nihilfecit*, qui erat ſocer Rollonis, quodam tempore miſit duos milites Gillæ filiæ ſuæ. Quos illa apud ſe occulte diu morari fecit, nolens eos manifeſtare Rolloni. Quod cum ille cognouiſſet, iratus & reputans eos exploratores, iuſſit illos educi, & eductos in foro rerum venalium iugulari. Audiens autem Robertus Dux Francorum patruus Rollonis, quod pro nece duorum militum colligatæ pacis inter Regem & Robertum Ducem Normannorum vincula ſoluta diruptaq; eſſent, contra eum rebellauit, & regnum Franciæ inuadens, in Regem 3. Kalendas Iulii vnctus eſt. Carolus vero, antequam annus compleretur, contra regni inuaſorem Sueſſionis pugnauit, ipſumq; Deo adiuuante vincens peremit. Sed ei, dum à bello victor reuerteretur, nequiſſimus Comes Herbertus occurrit, & ſub fictæ pacis ſimulatione ad Parronam caſtrum hoſpitandi gratia diuertere compulit, & ibi cum dolo captum vſque ad mortem retinuit. Robertus enim Dux ſororem Herberti in coniugio habuit, ex qua Hugonem Magnum genuit. Carolus autem vbi captus eſt, Rodulphum filium nobilem Richardi Burgundionum Ducis, quem de ſacro fonte ſuſceperat, conſilio procerum Francorum in regnum ſublimauit. Ogiua vero coniux Caroli filia Adelſtani Regis Anglorum, infortuniis mariti ſui territa, ad patrem ſuum cum Ludouico filio ſuo in Angliam fugit, animoſitatem Herberti & Hugonis magni nimium metuens.

Quod mortua vxore eius abſque liberis iterum Popam, quam ante baptiſmum habuerat, ſibi copulauit: & de fidelitate, quam fecit Normannos & Britones iurare VVilhelmo filio ſuo: & de morte eius.

CAP. XXII.

ROLLO autem Dux, qui & Robertus, poſtquam vxor eius morte præuenta abſque liberis mortua eſt, repudiatam Popam, ex qua filium nomine Wilhelmum iam adultum genuerat, iterum repetens ſibi copulauit. Verum fractus iam viribus, laboribus & prœliis, in quibus omne iuuentutis robur conſumpſerat, de Ducatus ſui diſpoſitione apud ſe toto conamine, cui vel qualiter illū relinqueret deliberabat. Conuocatiſq; totius Normanniæ proceribus, cum Alano & Berengerio Britonibus Wilhelmum filium ſuum pulcherrimæ iuuentutis flore vernantem illis exponit: iubens, vt eum ſibi dominum eligerent, ſuæq; militiæ principem præficerent. Meum eſt, inquit, mihi illum ſubrogare, veſtrum eſt illi fidem ſeruare. De cetero cunctos ſuaſibilibus demulcens verbis ſub ſacramento fidei filio illos ſubegit. Poſt hæc vno viuens luſtro, conſumptus ſenio hominem exuit in Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Explicit liber ſecundus.

LIBER TERTIVS DE VVILHELMO DVCE FILIO ROLLONIS.

DE HONESTATE MORVM WILHELMI DVCIS, ET QVOD FRANCI inuidebant ei, quod in circuitu dilataret terminos ducatus ſui, & quomodo Berengerium & Alanum Britannum Comites ſibi rebellantes deuicit.

CAP. I.

IGITVR Duce Rodberto carnis ab onere iam liberato Wilhelmus filius eius totius Monarchiam Normannici Ducatus ſagaci moderamine regens, inconuulſam Chriſto Regi fidem ſeruare corde vltroneo ſatagebar. Erat quippe ſtatura procerus, vultu decorus, micantibus oculis, manſuetus beniuolis, quaſi leo inimicis terribilis, & vt gigas fortis in prœliis, terminos ſui Ducatus per circuitum dilatare non deſiſtens. Quæ res inuaſionis & audaciæ, Francorum procetibus odii & inuidiæ fomitem miniſtrauit. Sub eadem ſane tempeſtate Berengetius, & Alannus Britones à tenore fidei, quã cum eo pepigerant, diſſidentes, ab eius dominio præſumptiuo auſu conati ſunt recedere, Regi Francorum vlterius diſponentes militare. Quorum temeritatem Dux feſtinato impetu comprimens, Britanniam tamdiu hoſtili expeditione vaſtauit, plurimaque eorum municipia ſubuertit, quoadque Alannum totius nequitiæ incentorem à regno exturbaret, & Anglos adire compelleret, Berengerio ſibi clementer reconciliato.

Quomodo quidam Normannorum duce Ribulfo quodam perfido volentes eum funditus à regno extrudere, dum obſiderent ſuburbana Rhotomagenſis vrbis ab eo cum parua manu militum ſunt deuicti in loco, qui hactenus dicitur Pratum belli: & quod dum à bello victor rediret, cognouit ſibi ex Sprota nobiliſſima puella filium natum apud Fiſcannum, quem Richardum iuſſit baptiſmate vocari.

CAP. II.

HIs ita deuictis, diabolo agitante iniquorum, quamplures iterum inteſtina aduerſus eum inſurgunt, molimina. Nam quidam Rihulfus perfidiæ ſuccenſus furiis, plurimis veneno diſcordiæ infectis, arma arripiens, à regno adorſus eſt eum funditus extrudere: adeo vt vndequaq; collecta virorum multitudine circa Rotomagenſis ciuitatis ſuburbana tranſmeato Sequanę alueo obſidionem componeret, quatenus ducem ab ea propelleret, aut captum nequiter perimeret, Normannica ſibi vendicata. Videns itaque Dux, ſe à ſuis ſic obſeſſum multimode meditari cæpit, qua via ſuæ conſuleret ſaluti atque honori, & milites ſuos à tam audaci conſpirationis motu adhiberet. Ad extremum à quodam Bothone procuratore ſuo indecenter laceſſitus conuitiis arma ſumit, & cum trecentis loricatis militib. temeraria caſtra irrumpens maximam eorum multitudinem gladiis proſtratam orco tranſmiſit: alioſq; per diuerſa ſyluarum luſtra ſe occultantes in fugam vertit. Rihulfus autem commilitonum fiducia deſtitutus, inter profugos delitеſcens, fugæ ſubſidio euaſit. Dux ergo profligatis inimicis, ſuorum recenſens numerum, reperit ex eis interiiſſe nullum. Locus, in quo fuit hic conflictus, hactenus Pratum belli nuncupatur. Degreſſo eo igitur de prœlio, à pręfecto Fiſcannenſis caſtri legatus dirigitur, deferens ex quadam nobiliſſima puella Danico more ſibi iuncta nomine Sprota filium eſſe natum. Qui lętus valde effectus ſub feſtinatione Baiocas illum Epiſcopo Henrico mandauit dirigere, vt per ipſius manus ſacro lotum fonte, proprio nomine vocaret eum Richardum. Cuius iuſſa præſul grataner complens, puerum Chriſmate delibutum, Fiſcannum remittit nutriendum.

Quod multi Comites & Duces exterarum regionum exciti fama bonitatis & virtutis, eius frequentabant curiam eius: & maxime Hugo magnus Dux Francorum, & Wilhelmus Comes Pictauorum, & Herbertus Giromandorum: quorum Wilhelmus ſororem eius Gelloc ſibi coniugem petiit & accepit. Herbertus vero filiam ſuam hortatu Hugonis Magni ipſi per coniugium ſociauit.

CAP. III.

TRIVMPHO de rebellibus conſpicuo potitus dux, atque viribus conualeſcens, per exteras nationes multimode cæpit præclaram ſuarum virtutum ſpargere famam,

mam, in tantum vt ex diuerſis mundi partibus Comites & proceres regnorum illius curiã frequentantes, multis munerati donis, ſedes ſuas ouanter repeterent. Quibus ſummæ ingenuitatis rumorib. Hugo dux Francorũ, & Wilhel. comes Pictauenſis, ac Herbertus excitati, cum apud Leonis ſiluam petulantiũ ceruorũ in venatu exercitiorum ludis inſudaret, ad eũ veniunt eius cõmodis congratulantes. Quos ille cũ magno ſumptuũ apparatu ſuſcipiens de complurib. ſecularium rerũ diſpoſitionib. frequenter cum eis diſputabat. Inter quos ſecretorũ tractatus, Wilhel. Pictauẽſis comes ſororem eius nomine Gerloc petiit, quatinus maritali lege illius connubio iungeretur. Cuius perorantis gratanter fauens votis, conſultu Hugonis magni deſcriptis ſponſalibus, & celebratis nuptiis, cum multis xeniis gaudẽtem illum ad propria remiſit. Oblectatus deniq; Herbertus ſuper hac feſtiua nuptiarum & magnifica hilaritate, cupiens & ipſe magni ac liberalis viri affinitate ſuum & nomen & poſteritatẽ propagare, adhortante Hugone magno filiam ſuam ei donauit. Quam à paterna domo ſublatam, cum innumera militum manu idem Normannorum dux Rotomagenſibus intulit arcibus.

Quomodo rogatu Elpſtanni Regis Anglorum reſtituit paterno regno Ludouicum, eique fauente Hugone magno cum Epiſcopis & ceteris Francorum primoribus, ſancto inunctum oleo diademate regio inſigniuit: & quod Franci poſt quinquennium iterum in ipſum conſpirantes moliti ſunt eum à regno expellere.

Cap. IIII.

AVDIENS autem Elpſtanus Rex Anglorum tam magnificam incliti ducis famam, cum donariis multis legatos illi mittit, orans vt Ludouicum ſuum videlicet nepotem Caroli Regis filium paterno reſtituere regno ſatageret, atque Alanno Britoni ſibi infenſo commiſſa pro ſuo amore ignõſceret. Cuius precibus dux libenti animo annuens, Alanno debita indulſit, atq; ad ſua redire iuſſu conceſſit: & Ludouicum tranſmarinis partibus reuocatum Hugone magno fauente cum Epiſcopis ceteriſq; Francorum primorib. ſancto inunctum oleo regno ſublimauit. Quod cum luſtro vno ſub quiete diſponeret, iterum Franci aduerſus eum conſpirant, molientes à regno illum pellere.

Quomodo Ludouicus neceſſitate compulſus volens inire fœdus amicitiæ cum Henrico tranſrenano rege, noluit idem rex adquieſcere, niſi mediante Wilhelmo Normannorum Marchione, vnde Ludouicus ducem ſuppliciter expetens, per ipſum quod quærebat fœdus & auxilium apud Henricum regem obtinuit.

Cap. V.

QVI coactus eorum improbitate, Henrico tranſrenano regi nuntios mittit, mandans in colloquio cum eo quædam conferre velle: pactumq; amicitiarum ſtabile firmare. Quibus rex reſpondit, ſe nullo modo ad hoc fœdus ineundum acquieſcere, niſi Wilhelmi ducis aſtipulatione. His Ludouicus per internuntios auditis, illico ducem aggreditur, aduerſum Francorum conatus auxilium petiturus. Quem dux honorifice vt regem decet excipiens, ſpopondit ſe per omnia iuuamen ei præbiturũ fore. Inſuper in regalibus epulis aliquandiu iucundum tempus pariter exegerunt. Præmiſſo quoq; Tedgerio milite ad regem Henricum, illi ambo cum magno exercitu è veſtigio expedite poſt eum proficiſcũtur ad colloquium, aditis etiam pro eodem negotio Hugone magno & Herberto principibus Francorum. Itaq; accelerato itinere ſuper Moſæ fluuium loco qui Neuſedus vocatur, ambo reges conuenerunt, Henrici ex vna fluminis parte, Ludouici vero ex altera è regione exercitu tabernacula figente. Inter quos Wilhelmus tam fideliſſimus quam prudentiſſimus conſilia, & vtilia, & honeſta dictans amicitiarum tenorem prout diſpoſuit, ambo reges inter ſe ſacramentis confirmarunt. Abhinc Ludouicus cum ſuis iter conuertens Franciam repetit, & maximas de rebus ſtrenue geſtis Duci gratias egit.

Quomodo Dux Wilhelmus, dum à colloquio Regum rediret, rogatu Ludouici filium eius ex ſacro fonte apud Laudunum ſuſcepit, cui nomen impoſitum eſt Lotharius.

Cap. VI.

REGREDIENTI igitur à colloquio regi legatus ſuperuenit, & ex Gerberga cõiuge illi natum eſſe filium nuntiauit. Qui nimiò exhileratus gaudio Wilhelmũ ducem exorat continuo, vt ex ſacro fonte ſuſcipiens illum proprio nomine vocaret illum Lotha-

Lotharium. Quibus verbis Dux congratulanter affectu obtemperans, Laudanum proficiſcitur poſtulata factis expleturus. Quibus regaliter paratis, feſtinato regreſſu cum ſuis Normannicos limites appetit. Cuius aduentum cunctus prænoſcens clerus Rotomagenſis, ad portas vrbis cum laudibus proceſſit obuiam illi, ciuibus vtriuſque ſexus acclamantibus in propugnaculis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Sic inter conſonas clericorum ſeu populorum voces, intra Dei genitricis Mariæ Eccleſiam à cunctis inducitur, fuſiſque Deo precibus ad domum propriam epulaturus properat, multo comitatu ſtipatus.

Qua occaſione Dux Wilhelmus reſtaurauit cœnobium Gemeticenſe, à Paganis ante deſtructum.

Cap. VII.

Svb eodem tempore duos à Camberacenſi territorio ex villa, quæ Haſpera vocatur, Monachos, Balduinum videlicet atque Gunduinum contigit Gemeticum repetere, qui vaſtam loci heremum ingreſſi, cum maximo labore terram, prout poſſe erat, extirpatis arboribus cæperunt complanare, ac ſuarum laboribus manuum inibi inſudare. Dux vero Wilhelmus dum venatus gratia ſuperueniens illic eos reperiſſet, percunctari cæpit ab eis, quibus ab oris illuc aduenisſent, vel quæ tam præcipua ædificia forent. Mox ſerui Dei ſeriem rei per ordinem ei detexerunt, & charitatem panis ordeacei & aquę obtulerunt. Quam cum pro vtilitate panis & aquæ ſumere contempſiſſet, ſaltum ingreſſus, immanem aprum reperit, quem feſtiue inſequi cæpit. Porro aper moloſſis poſt eum admiſſis curſum retorquens, haſta venabuli fracta prępeti impetu in Ducem irruit, eum proſtratum vehementer attriuit. Qui poſt paululum ſenſu recepto, ac ſana mente monachos repetiit, & charitatem, quam incaute ſpreuerat, ab eis recepit, & locum ſe reſtauraturum ſpopondit. Immiſſis ergo auctionatiis eum à ramis & ſentibus purgauit, ſancti Petri, quod aliquantiſper deciderat monaſterium reſarciens competenter texit. Clauſtrum vero & omnia receptacula muniuit, ac à ſui magnitudine breuiata habitabilia reddidit.

De duodecim monachis cum ſuo Abbate Martino à cœnobio Sancti Cipriani ſumptis, quos Comitiſſa Pictauenſis ſoror ipſius Ducis ei miſit ſecundum petitionem ſuam, vt eos ſupradicto loco ſubrogaret: & quomodo ibidem Dux monachus fieri volens prohibitus eſt ab ipſo Abbate: & de fidelitate, quam fecit iurare Normannos & Britones Richardo filio ſuo.

Cap. VIII.

Interea legatos Pictauis ſorori ſuæ, quam Wilhelmus Comes ſibi in matrimonio iunxerat, dirigit, mandans, vt monachos illi mitteret, quos præfato loco ſubrogaret. Soror autem eius petitioni gratanti animo fauens, itineris ſumptus ordinauit, & 12. monachos cum Abbate ſuo nomine Martino à ſancti Cipriani cœnobio ſublatos fratri deſtinauit. Dux vero aduentu eorum nimis exhileratus, eos Rothomagi cum maximo gaudio recepit, & cum omni honore militum cuneis ſeptus Gemeticum duxit, Abbatique locum cum tota villa tradidit, quam ab Alodariis auro redemit, & ſe inibi monachum fieri voto obligauit. Votis quoque ſatisfecit, niſi iiſdem Abbas eius animoſitati obſtitiſſet, eo quod filius eius Richardus adhuc puerilis eſſet, verens ne propter illius imbecillitatem quorundam iniquorum molimine patria turbaretur. Veruntamen cucullam & ſtaminiam ab eo extorquens ſecum aſportauit, quæ in ſcrinio repoſuit, & clauim eius argenteam cingulo ſuo appendit. Inde denique digreſſus Rotomagum repetit, Abbatis prohibitum moleſte ferens. Cunctos quoq; Normannicos & Britannicos principes aſciuit, animique ſui conſultum enucleatim pandit. Cuius verbis vehementer ſtupefacti, hærebant, quid reſponderent, præ nimio ſtupore elingues effecti. Nam ſpiritu vix tandem reſumpto in hanc vocem queruli prorũpunt: Cur nos ſereniſſime domine tam repẽte remittis? vel cui dominũ ducatus tui committis? Quibus Dux ait: Eſt mihi filius nomine Richardus. Vos autem oro, vt ſi quando amoris affectum erga me habuiſtis, mihi nunc æquo animo oſtendatis, quatenus illum vice mei vobis præficiatis, quia quod Deo voui, ineuitabiliter à me complebitur factis. Cuius voluntati obſiſtere non valentes, ei quamuis mœſti aſſenſum præbuerunt in his cõcordes. Miſſis quoq; nuntiis, puerum Richardum à Fiſcanno reductum illis exponit. Cui fidelitatem ſacramẽtis prono animo cunctis firmantibus, Dux totius Normannici ſeu Britannici ducatus eſt prælatus. Quem confeſtim

pater Baiocas mittens Botoni militiæ ſuæ principi nutriendum tradidit, vt ibi lingua eruditus Danica, ſuis exteriſq; hominibus ſciret aperte dare reſponſa. Hæc de Gemmeticenſis loci prætitulauimus relatu, oſtendere volentes, quantam deuotionem, quam pium animi propoſitum Dux Wilhelmus circa eum habuerit.

Quomodo Heroldus Rex Danorum à filio ſuo Sueno de regno pulſus cum 60 nauibus Normanniam petens, à Duce Wilhelmo cum honore congruo ſuſceptus eſt, Conſtantienſi comitatu ad præſidium ei ab ipſo Duce conceſſo.

CAP. IX.

INTEREA tanti principis fortitudinem & pietatem fama promulgante, Aigroldus rex Danorum à filio ſuo nomine Sueno de regno pulſus, cum ſexaginta nauibus armato milite plenis Normanniam ſupplex adiit. Quem potens & liberalis Dux cum honore congruo recipiens, Conſtantienſem Comitatum ei ad præſidium conceſſit, donec fabricatis nauibus exercitum multiplicaret, & amiſſum cum validiore militum manu regnum repeteret.

Quomodo Dux Wilhelmus compaſſus calamitati Herluini Comitis, caſtrum Monaſterioli ab Arnulfo Flandrenſi ſibi ablatum obſidione cingens capit, illudque Herluino reddidit.

CAP. X.

EA tempeſtate Arnulfus Flandrenſis Comes homo verſutus intra ſui iuris terminos cupiditate illectus non ſe valens cohibere, plurimos in vicino poſitos faſtu dominandi ſtuduit conturbare, vnde inter cetera ſuæ nequitiæ molimina cuidam Comiti nomine Herluino grauiſſimum inferens detrimentum, caſtrum quod Monaſteriolum vocatur, fraude abſtulit. Qui ab Hugone magno ſuo videlicet Domino ſubuentu penitus deſtitutus, petendi auxilii cauſa Normanniæ dominum lugubris aggreditur. Cuius calamitati princeps tam bonitate quam amplitudine præditus beniuolo compaſſus congregato exercitu ad expugnãdum municipium feſtinato proficiſcitur. Quod mox obſidione occupauit, & concitatis militibus per vim cæpit, iterumq; alimoniarum ſumptibus vallatum Herluino reddidit. A quo regreſſus, Rotomagum rebus ſtrenue geſtis ouans redit. Quo tempore Franco Rotomagenſis Archiepiſcopus moritur, cui dominus Gunardus ſucceſſit.

Quomodo Arnulfus de ablato municipio triſtis, mandauit verbis pacificis in dolo Gulielmo Duci, vt Pinchiniacum veniret, cum ipſo de fœdere amicitiæ tractaturus.

CAP. XI.

INTEREA Arnulfus Flandrenſis dirum perfido ſub pectore virus efflans, & de ablato muncipio efferatis animis condolens, cum multis Francorum principibus de ducis morte corde tenus cæpit tractare. Qui inhumani hominis & nefandi homicidæ cauillatione ſubdola infecti, vnanimiter conſpirant in mortem optimi principis, tantum ad nefas ſacramento ſeſe conſtringentes. Porro Arnulfus, quod fraudulento animo conceperat, opere explere cupiens, miſſis legatis Duci Wilhelmo mandat, ſe amicitiam cum eo velle habere, pacemq; indelebilem firmare, & Herluino comiti pro eius amore infenſa indulgere, & miſer podagricioq; ciragricioq; detineretur languore, ob hoc ad eius curiã deſiderantur ire. Deniq; toto anniſu rogat vt locũ denominare ſatagat, quo ei occurrere ad mutuũ colloquium valeat, cupiens quoq; Dux ſuũ ducatum reddere pacatum, eo quod monaſtichum toto conatu ſitiret habitum, determinato loco apud Pinchiniacunt cum innumera manu electiſſimorum militum ſuper Somne fluuium tanti ob negotii ſpem proficiſcitur, vbi Arnulfi ex vna parte fluminis, Wilhelmi vero ex altera è regione ſedit exercitus.

Quomodo quatuor traditores, ſcilicet Henricus Balzo, Robertus & Ridulfus in quadam inſula Somnæ fluuii ipſum Ducem iuſſu Arnulfi interemerunt: & de claue argentea inuenta in ſtrophio eius, ſub qua ſeruabat in ſcrinio cucullam & ſtammeam monachilem, & quomodo corpus eius relatum eſt Rotomagum.

CAP. XII.

ERAT quippe inſula in medio aluei, in qua libatis oſculis ambo duces conſederũt, de rebus, pro quibus venerant tractaturi, Arnulfo etenim proditores Iudæ morem

morem imitato, neniis & ambagibus diutius telam araneæ texente, nouiſſime poſt iurata amicitiarum ſactamenta & plurima pacis oſcula, ſole ruenre ad occaſum ab inuicem dirimuntur. Sed ecce meante Wilhelmo fluuium Henricus, nec non Balzo, Robertus quoque atque Ridulphus quatuor diaboli filii, clamoribus illum reuocantes, referunt dominum ſuum melioris conſilii omiſiſſe ſecretum. Quem nauim ad ripam retorquentem, mox vt tertam tetigit, extractis gladiis, proh dolor, interimunt innocentem, nullum iuuamen de ſuis habere valentem, ob decurrentis aquæ profunditatem. Inde protinus petentes ſubſidium fugæ, corpus piiſſimi viri reliquerunr exanime. Berengerius atque Alannus, Britones, nec non Normannorum Principes, dominũ ſuũ cernentes perimi, clamore & vlulatu littora implentes, nullo iuuamine valuerunt illi ſubuenire. Cuius corpus poſt paululum ad ſe relatum cum deueſtirent, argenteam clauim in eius ſtrophio reperiunt dependentem, ſatis ditiſſimum theſaurum ſub ſe habentem, ſtammeam ſcilicet & cucullam monachilem. Quæ ſi Comes ei vita fuiſſet, ab hoc cõuentu rediens apud Gemmeticũ factus monachus proculdubio ſumpſiſſet. Imponenres autem illum feretro quanrotius eum multiplici luctu detulerunt Rotomagum. Cui obuiam procedens clerus & populus vtriuſque ſexus ad portam vrbis, cum mœſtis ſingultibus intulerunt eum in Eccleſiã S. Mariæ perpetuæ virginis. Mittentes itaque ad Baiocaſinam vrbem, puerum Ricard. aſciſcunt ad patris tumulationem. Ibique ei iterato renouantes vnanimiter tenorem fidei, tradiderunt illum ſub tutela Bernardi Dani, vt ſub eius tam prouida quam fideli cura tutius cuſtodiretur intra muros ciuitatis. Compleuit autem ſacratiſſimus Dux Wilhelmus vitæ ſuæ curſum 16. Calendas Ianuarii, Rege Ludouico regnum Francorum tenente, anno dominicæ incarnationis nongenteſimo quadrageſimo tertio, regnante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER TERTIVS DE PRIMO RICHARDO FILIO VVILHELMI DVCIS.

Quod Richardus adhuc puer VVilhelmo patri ſucceſſit.

Cap. I.

PIISSIMO atque beatiſſimo Duce Wilhelmo inter electos Dei, vt credimus, tranſlato, filius eius Richardus ſummę ingenuitatis titulo velut ſurculus ex dulciflua abſciſſus arbore, in primæuo flore radicem figens, cæpit odoriferos gratiſſimos puerilię floſculos emittere, & liberales ſub pędagogi diſciplinis animos innormare. Ab illicitis vero teneri pectoris motus nobili reprimens continentia, ſpretis imbecillis ætatulæ diſcurſibus, ſapientum tractatibus vltroneo corde inhęrebat. Si quid probitatis vel prudentię aure captabat, prout tempus dictabat, ſagaci memoriæ protinus committebat. Audientes quoque Francorum optimates tam nefariam Flandrenſis Arnulfi proditionem, & lugubrem Wilhelmi Ducis necem, plurimi condoluerunt.

Quod Lodouicus Rex Francorum Rotomagum venit, & Richardum puerum ſecum fraudulenter in Franciam ducens, Ducatum Normanniæ iuri proprio quaſi tutor pueri ſubdidit.

Cap. II.

ALIQVANTI tum complices ipſius homicidæ, qui ſe amiciſſimos ficte antea fatebantur, detectis archanorum intimis virus diu abſconſum in propatulo denudarunt. Ludouicus etenim Rex æſtimans ſibi magni honoris ianuam patuiſſe, immemor beneficiorum & fidei à Duce ſemper illi impenſæ, quaſi conſulturus apud Normannos ſuper illius morte accelerato itinere Rotomagum venit concite. Quem Radulphus & Bernardus atque Anſlech totius Normanniei ducatus tutores, cum regali honore ſuſcipientes, vt tanto Regi congruit, eius ſe famulatui ſubegerunt, pro fidelitate videlicet ſui tantilli domini. Videns autem Rex terræ vbertatem, & aquarum ſalubritatem, ac ſiluarum plenitudinem, cupiditate irretitus, fraudulenter cæpit eis

pro-

promittere, quod aliter diſponebat tibi retorquere. Mittēs enim Ricardum puerum ſuis iuſſit aſpectibus præſentari, quē egregia forma perſpiciens decoratū, cum coætaneis pueris in ſuo palatio decreuit educandum. Interea durus rumor totam vrbem concuſſit, Richardum ſuæ ſpei depoſitum ſub captura regis indecenter detineri. Qua de re ciues mixti cum militaribus turmis ſtrictis gladiis per ciuitatem diſcurrentes, curiam Regis irrumpunt, ferinis conatibus illum interimere feſtinantes. Quorum tumultus vt comperit, vehementer territus, conſilio Bernardi Dacigenæ puerum in vlnis atripuit, eumque furentium conſpectibus exhibuit, & ſic efferos eorum motus compreſſit. Volens ergo Rex tumultuantes Normannorum animos omnino ſedare, cõſultu ſuorum puero Ricardo paternam hereditatem pacta ſibi inde fidelitate conceſſit. Quem in ſua fide ſuſcipiens, ſpopondit ſe eis licet ſubdole eum redditurum, palatinis diſciplinis decenter imbutum.

Quod Ludouicus muneribus Arnulfi cæcatus, Richardo puero Duci Normannorum adurere poplites minatus eſt.

CAP. III.

HIs ita ſedatis, Rex dedecus, quod à Normannis perceperat, ſub occulto pectoris ira feruente ægre ferens cum Richardo puero quaſi patris eius mortem de Arnulfo Flanderenſi hoſtiliter vlturus Franciam repetit. Arnulfus itaque metuens, ne rex Ludouicus cum hoſtica manu ſuper eum irrueret, & à crimine traditoris ſe expiare cupiens, miſſis legatis cum decem libris auri à Wilhelmi nece ſe coram Rege fatetur immunem eſſe. Peremptores vero illius ſi iubeat proculdubio à patria ſe exterminaturum pollicetur. Attamen reminiſci debere contumeliarum & opprobriorum, quæ tam longæuo tempore à Normannis ipſe & pater eius perpeſſi fuiſſent. Et ne diuturna ægrimonia langueret, optimum fore conſilium, vt Richardum puerum aduſtis poplitibus graui cuſtodia arctaret, & gentem Normannicam grauiſſimis vectigalibus tam diu affligeret, quoaduſque Danamarchiam, ex qua eripuerat, coacta repeteret. Rex igitur muneribus verſutiſque proditoris decipulis cæcatus ipſum ſuſpendio dignum à ſcelere abſoluit, & iram in innocentem puerum reflexit, exemplum Pilati imitatus, qui virum homicidium dimiſit, & Chriſtum crucis ſupplicio dampnauit. Vnde cum apud Laudunum clauatum moraretur, puerum ab aucupio regredientem acerbiſſimis confutatus conuitiis, meretricis filium vltro virum alienum rapientis eum vocauit, & niſi à talibus reſipiſceret, cauteriatis genibus omni illum honore priuari minatus eſt. Deputatis autem aliis cuſtodibus, ne elaberetur, ſub magna cautela ſeruari iubetur.

Qua cautela Oſmundus procurator ipſius pueri, eum ab arcta cuſtodia liberauit, & à Lauduno clauato exemptum Siluanectis vſque ad Bernardum Comitem auunculum ipſius perduxit.

CAP. IIII.

AVDIENS denique Oſmundus procurator eius ſeueriſſimam Regis ſententiam & intelligens futuros rei caſus animo conſternatus Normannis legatum mittit, mandans Dominum ſuum Richardum ſub lugubri captiuitatis iugo à Rege mancipari. Quibus compertis confeſtim per totam patriam Normannorum indicitur triduanum ieiunium, & fit continua oratio ab Eccleſia pro eo ad Dominum. Enimuero Oſmundus inito conſilio cum Iunone patre Wilhelmum de Beliſmo puerum hortebatur, vt ſimulata ægritudine lecto decumberet, & ita ægre, vt ab omnibus deſperaretur. Cuius monitis puer haud ſegniter obtemperans quaſi in extremo mortis poſitus continuo ſtratu proſternitur. Quod cuſtodes videntes, neglecta eius cuſtodia, de ſuis procurandis rebus huc illucque diuertuntur. Forte in aria domus iacebat herbæ faſciculus, in quo Oſmundus puerum colligatum humeris imponens, velut pabulum equo laturus, cœnante rege, nudatiſque plateis à ciuibus mœnia vrbis tranſgreditur. Veniens autem in domum ſui hoſpitis, ſuper equum feſtinus inſilit, & arrepto puero fugiens quantotius Codiciacum appulit. In quo caſtellanis puerum commendauit, & ipſe nocte equitans diluculo Siluanectis venit. Bernardus vero Comes eum intuens tam mature veniſſe ſtupet, & qualiter erga nepotem ſuum Ricardum ſe res habeant, diligenter inquirit. Cui cum rei ordinem detexiſſet, & ſolito lætiorem eum feciſſet, Hugonem magnum ſtatim celeri equitatu petunt. A quo detecto cauſæ conſilio, ſacræ fidei ad iuuandum puerum ſumentes ſacramentum, cum maximo

exercitu feſtinanter veniunt Codiciacum, eumque inde ſublatum ad Siluanectenſem vrbem gaudentes deducunt.

Quomodo Bernardus Danus conſilium Hugonis magni, quod Ludouico contra Normannos dederat, ſapienter adnihilauit.

Cap. V.

CONSIDERANS autem Ludouicus Rex votum ſuum irritum fore, ab Hugone magno per legatos ſuos tenore fidei cæpit eum exigere. Cui cum renuntiaſſent nequaquam ſub manu quam ſuſpicatus eſt eum teneri, ſed ſub Bernardi Siluanectenſis Comitis præſidio de redditione eius diffidens miſit ad Arnulfum Flandrenſem, mandans, quod ſibi occurreret feſtinus, de his conſulturus apud vicum, qui dicitur Reſtibulus. Vbi dum ambo pariter diuerſe diſceptarent, ſuper huius rei caſu, nouiſſime ſubintulit Arnulfus, Nouimus, ait, Hugonem magnum cum Normannis diu ſentire, & ideo expedit tibi muneribus illum excæcare. Concede ergo ei à Sequana vſque ad mare Normannicum Ducatum, tibi reſeruans vrbem Rotomagenſem. Quatinus eius priuata iuuamine penitus cogatur hæc gens perfida à patria exire.

Quibus verbis rex perſuaſus, continuo per ſuum legatum conuocat Hugonem magnum ad colloquium, ad villam, quæ dicitur Crux iuxta compendium. Quo cum veniſſet, & de vrbium ſeu comitatuum diſtributione audiſſet Regem diſputare, maluit periurus honore ampliati cæcatus cupiditate, quam ſuo amico Ricardo fidem inconuulſam conſeruare. Quapropter à loco recedentes, iurata aduerſum Normannos expeditione, & ab vtriſque partibus congregatis exercitibus Rex Calciua, Hugo Baiocaſina cæperunt rapinis & incendiis oppugnare territoria. Quæ cum Bernardus Danus didiciſſet, Bernardi Siluanectenſis vſus conſilio, confeſtim legatos dirigit Regi Ludouico huiuſmodi verbis eruditos: Quare, inquiunt, præpotentiſſime Rex tuam demolitis patriam, præſertim cum ſit tibi nullo abſiſtente pacifica & quieta? Deſiſte ergo à tuorum rapinis, & vtere Normannorum militum militiis. Cur enim eos vexatis incendiis, cum tibi patula ſit vrbs Rotomagenſis? Suſcipe igitur beneuolo animo eorum ſeruitia, vt queas illorum ſubſidio vitare inimicorum molimina.

Quod Ludouicus Rotomagum veniens, ſuſceptus eſt à Bernardo Dano & ceteris ciuibus, & quod eius iuſſione Hugo magnus ceſſauit à deuaſtatione Normanniæ.

Cap. VI.

HAc itaque Rex legatione oppido exhilaratus, prohibitis à præda militibus feſtinat ire ad vrbem quantotius. Cui venienti cum multimodis laudibus cunctus ciuitatis clerus ad portam proceſſit obuius, clamãs cum populorum turbis, Benedictus qui venit in nomine domini. Inde rex ad regales accedens dapes, cæpit epulari ſplendide Bernardo Dano miniſtrante. Cui inter prandendum vino iam æſtuanti ſic Bernardus ait: hodie ſereniſſime Rex lætiſsimus illuxit nobis dies, quam cæpimus eſſe tegales. Hactenus militauimus Duci, vlterius ſeruiemus inuictiſsimo Regi. Teneat ſibi Bernardus Siluanectenſis Ricardum ſuum nepotem, nos vtinam tempore longo habeamus te Dominum & Regem. Reuera exitiabile tibi conſilium dedit, qui totius Normannici exercitus robur amittere ſuaſit. Quam vero inimicorum non voluiſſes terrere, robuſtiſsima illorum virtute, ſunt enim vt nos tuo dominio ſubiecti, tibi militare cupientes corde volenti. Quare ergo viginti millibus bellatorum in nos armaſti Hugonem tuum inimicum? Nonne tibi ſemper ipſe infenſus extitit, & contra te eſſe aſsidue rixatur? His & huiuſmodi Rex placatus verbis, cum feſtinatione Hugoni magno legatos mittit, qui eum compellant exire à Normannorum terminis, ei dirigens & hęc, ſtolidum quidem fore tanta in alius poteſtatem donare, quibus ad ſui ſupplementum quieto iure nullo aduerſante poſſe potiri. Quo relato, Hugo magnus valde exacerbatus celerrime receſſit, omiſſa expeditione, milites cohibens à Normannica vaſtatione. Rex etenim aliquandiu apud Rotomagũ motãs præfectum comitatui præfecit Rodolphũ agnomento Tortũ, qui vectigalia annuatim à ſubditis exigeret, & tota hac prouincia iura ac quælibet negotia decerneret. Qui paganis deterior, cuncta monaſteria ab ipſis exuſta, q̃ circa Sequanæ littora erant diruens à fundamentis ad reparandã Rotomagẽſem ciuitatẽ Petram aſportauit. Ad Gemmeticum

vero

vero cum acceſſiſſet, ſanctę Marię monaſterium inuaſit, illudq; euertit, quod à fundamentis funditus diruiſſet, niſi quidam clericus nomine Clemens ab operariis duas turres pretio redemiſſet, quæ vſq; ad tempus Roberti archiepiſcopi, qui illam reſtaurauit eccleſiam, permanſerunt ſtabiles. Igitur Rex ad libitum expletis rebus gaudens regreditur Landinum.

Quomodo induſtria Bernardi Dani, agente Haigroldo Rege Danorum, Ludouicus Rex Francorum captus eſt, & Rothomagenſi vrbe ſub arcta cuſtodia retentus.

Cap. VII.

INTEREA Bernardus Danus metuens, ne in regreſſu Ludouicus Rex cum Hugone Duce Normannos preſſuris grauioribus opprimeret, Haigroldo Danorum Regi adhuc apud Chieriſburch degenti legatos mittit clam, mandans, vt ſociatis ſibi Conſtantinienſibus atque Baiocaſinis militibus expeditione terreſtri, ipſe cum hoſtica claſſe direptionibus Normanniam concuteret à partibus marinis, quatinus huius rei gratia Ludouico Rege ad colloquium contra eum veniente, de inimicis ſatageret Wilhelmum amici ſui ſanguinem vindicare. Cuius monitis Rex celerrime fauens, propulſis ad mare nauibus, ſubductiſque in altum velis, Circio flante Carbonis Salinæ littora appulit, qua rapido meatu ſe procelloſo mari diua infundit: enimuero fama ſolido more volans Francorum aures illico percelluit, paganos maritima littora occupaſſe cum nauium multitudine graui. Barnardus etiam Danus, & Rodolphus Torta Regi Ludouico legatum miſerunt, & huius infortunii euentum intimarunt. Qui validum congregans exercitum quantotius venit Rotomagum. Hinc Haigroldo Regi Danorum mandat, vt apud vadum, qui Herluini vocatur, ſibi occurrat, inſinuaturus ſcire cupienti, cur infeſtet terminos regni ſui. Quæ res Regi Haigroldo vehementer complacuit mortem Ducis decernenti toto annifu vlciſci. Vbi cum ambo Reges præfinito die conueniſſent, & de Wilhelmi Ducis iniuſta nece diutius inter ſe diſceptarent, quidam Danus Herluinum Monaſterioli caſtri Comitem, pro quo idem Dux occubuerat, inter alios proſpiciens, zelo amici ſucenſus, confeſtim illum lancea perfodit, mortuumque ſub momento ſternit. Cuius mortem Lambertus frater eius, ceteriq; Franci amare ferentes, concitatis animis ad dimicandum ſuper Danos repentino impetu proruunt. Quos Pagani viriliter excipientes, ſæuiente Marte ſatrapas decem, & octo cum innumeris aliis gladiis truncatos igniuomo tranſmittunt orco. Alii vero ſe occulere feſtinantes, per diuerſa latibula hac illacque nutabundi vitæ quærebant ſuffugi. Rex quoque Ludouicus pernicis equi curſu à Regis Heigroldi captione lapſus, in cuiuſdam militis incidit manus. Cui cum multa promitteret, ne eius proditione hoſti traderetur, tandem miles victus Regis lachrymis in quandam Sequanæ inſulam clanculum eum ſubduxit. Quod vt Bernardus Danus à relatoribus agnouit, exactoribus directis militem ſtatim in vincula coniecit. Qui coactus ſuimet neceſſitate, inuitus coram protulit, quem diſponebat eruere pro obtentu muneris. Rex vero ab inſula ſublatus Bernardi iuſſu apud Rotomagum ſub vehementi cuſtodia arctatur.

Quod Gerberga Regina auxilium petens ab Henrico patre ſuo transRhenano Rege contra Normannos non impetrauit: quapropter filium ſuum, & duos Epiſcopo. obſides pro Ludouico Rege coniuge ſuo dedit.

Cap. VIII.

GERBERGA denique Regina virum ſuum à Normannis audiens eſſe captum diriguit, & conſternata animo Henricum transRhenanum regem ſuum equidem patrem celeriter aggreditur, orans, vt plurimo ordinato exercitu, Rotomagum obſideret, virumque ſuum violenter inde abſtraheret. Cuius infortunium cum Rex Henricus audiſſet, iuſte illi hoc contigiſſe reſpondit, quia fidem, quam Wilhelmo Duci olim iurauerat, filium eius capiendo nefarie corruperat. Per tuos, inquit, ô filia ſtude illum iuuare, quoniam de propriis oportet me ad præſens tractare. His Regina à patre auditis, concite reuertitur ad Franciam, rebus nequaquam proſpere actis. Dehinc ſupplex appetens Hugonem magnum, poſtulat, vt à Normannis extorqueret Dominum ſuum. Hugo vero Dux miſſo Bernardo Siluanectenſi Normannos conuocat ad colloquium feſtinato ad ſanctum Clerum. Cumque illuc congregati

fuiſſent, & de Regis exhibitione diutius altercarentur, Hugo magnus nouiſſime ſubintulit. Reddite nobis Regem noſtrum, & pro eo reciproce ſuſcipite eius filium eo tenore, vt opportuno huc reuertentes tempore, firmemus pacem inter nos ſtabili fœdere. Hoc cum Normannis placuiſſet, pro eo ſuſceperunt obſides, eius ſiquidem filium, & duos præſules, Hildierium Beluacenſem, atq; Widonem Sueſſionenſem. His itaq; ſtrenue peractis, Rex de euaſione ſua lætus, regreditur Laudunum, & Normanni repetunt Rotomagum.

Quomodo Normanni reduxerunt Ricardum dominum ſuum de Francia, & quod obſides redditi ſunt, & de reditu Haigroldi Danamarcam.

CAP. IX.

POST hoc autem Normanni mittentes ad Siluanectenſem Bernardum, reuocauerunt inde cum exercitu magno Ricardum ſeniorem ſuum. Tempore vero præfinito aſcita militari manu cum præſulibus Franciæ venit Rex ſuper fluuium Eptæ cum magno Hugone, Normannis occurrentibus in altera parte fluminis cum puero Ricardo. Diſcurrentibus autem ab vtraq; parte internuntiis Chriſto fauente pax inter eos ſtabilitur fœderibus firmis, iuratiſq; ſacramentis obſides redduntur: mortuo filio Regis apud Rotomagum. His autem rite expletis Rex Ludouicus Laudunum, & puer Ricardus Rotomagum. Quem Rodulfus Torta vrbis præfectus male ilico cæpit tractare, & domeſticos eos penuria famis affligere, nolens ad quotidianum victum illis præter 12. nummos præbere. Quamobrem Dux vehementer furore ſuccenſus, ab vrbe illum feſtinanter pepulit, Pariſiumq; ad filium ſuum vrbis præſulem ire coegit. Quibus ita peractis Normannica tellus ſiluit à facie Ducis. Haigroldus vero Rex non multo poſt regreditur in Danamarcham, & Sueno filio ſuo reconciliatur.

Quod Hugo magnus filiam ſuam Emmam Ricardo Duci deſpondit, vnde Lodouicus Rex & Arnulfus Comes Flandrenſis perterriti auxilium Othonis Regis petierunt contra Hugonem magnum & Ricardum Ducem, & quod Otho depopulata terra Hugonis magni Rotomagum aggreſſus eſt expugnare.

CAP. X.

POST hæc Hugo Dux conſiderans puerum Ricardum viribus conualeſcere, conſenſu Bernardi Siluanectenſis ſacramentis ab vtraque parte iuratis, filiam ſuam nomine Emmam illi deſpondit, vt pubeſcẽs flore iuuentutis iungeret eam ſibi lege coniugali. Quæ res Ludouicum Regem plurimoſq; Francorũ proceres valde perterruit, ſed maxime Arnulfum Flandrenſem totius fraudis incẽtorem. Ludouicus ſiquidem vt hos magnarum virium Duces amoris vinculo connexos eſſe didicit, timens ne eorum conatu deponeretur à culmine regni, miſit Arnulfum Flandrenſem conſultu eiuſdem, ad Othonem trans Renanum Regem, mandans, quoniam ſi Hugonem magnum omnino contereret, & Normannicam terram ſuo domino ſubigeret, procul dubio Lotharienſe regnum illi contraderet, quod patri ſuo Henrico Regi videlicet trans Renano fuerat promiſſum, propter prœlium Sueſſonio campo ipſius adiutorio à Carolo patre ipſius Ludouici contra Robertum proſpere geſtum. Qui gauiſus audito quod diu optauerat, præparatis omnibus quę tantum ad negotiũ congrua erant ac neceſſaria, velut tempeſtas valida à regno ſuo egreſſus, adiunctis ſibi Ludouici Regis & Arnulfi Flandrenſis exercitibus, cum legionibus militum multis ſuper Hugonem magnum irruit. Conſumptiſq; omnibus, quæ illius erant extra oppida, omne robur belli ſuper Normannos à patria exturbandos immiſit: præmittens cum milite multo quendam ſuũ nepotem ad terrendã Rotomagenſem vrbẽ. Quam cum aggreſſus fuiſſet, Normannos intra muros reperiens deliteſcentes, ſuſpicatus eſt omnes fore imbelles. Itaq; militibus concitatis vehementer portas expugnare cæpit. Normanni vero portis repentino impetu patefactis, proruentes animis efferatis, tanto aduerſarios turbine depopulati ſunt, vt proſtrato ſuper pontem nepote Regis, vix elaberentur è certamine perpauci.

Quam turpiter Otho Imperator, & Ludouicus Rex, & Arnulfus Flandrenſis ab obſidione Rotomagi fugerunt, & de morte ipſius Ludouici, cui ſucceſſit Lotharius filius eius.

CAP. XI.

PORRO Rex Otho cum Rege Ludouico atque Flandrenſi Arnulfo lento gradu ſubſecutus, diſpoſitis militum legionibus, cum acceſſiſſet ad obſidẽdam vrbem, eam-

Digitized by Google

eamq; perſpexiſſet inexpugnabilẽ, audita morte ſui nepotis, de diſtrahendo Arnulfo Notmannis, cũ ſuis clam cæpit concultare, intra Eccleſiam S. Petri almiq; Audoeni, quæ in ſuburbio ſita eſt ciuitatis. De regreſſu quoq; in craſtino pauido inibi diſponit conſilio. Verum Arnulfus eo traditionis laqueo deprehenſo, papilionibus tentoriiſq; complicitis, & ſagınariis oneratis, in conticinio noctis cum ſuo exercitu feſtinus aufugit, in maximo tremore perſiſtentibus aliis, equorum ſtrepitu abeuntium territis. Otho vero atq; Ludouicus diluculo conſurgentes, vt didicerunt Arnulſum fugiſſe, ilico quo venerant itinere, greſſus retorquent dimiſſa obſidione. Quos maturius diſcedentes, Normanni adeo ſunt perſecuti gladiis, perimentes, vt per diuerſa itinera reperirẽtur proſtrati quaſi bidentes. Plurimi autem illorum dum per deuia ſiluarum diuortia oberrarent capti per Normannorum patriam ſunt diſtracti. Hic extit euentus Othonis Germanorum ſiue Romanorum Imperatoris. Hic Ludouici Regis finis, non multo poſt hominem poſt multos mœrores exeuntes. Quo tempore defuncto Gunardo Rotomagenſi Archiepiſcopo ſucceſſit Hugo.

Quod Hugo magnus ad extrema veniens, filium ſuum Hugonem patrocinio Ducis Ricardi commendauit, & quod idem Dux filiam prædicti Hugonis Emmam poſt mortem patris vxorem accepit.

Cap. XII.

HVGO deniq; dux ſenio feſſus cum nouiſſimum ſui exitus diem cerneret imminere, aſcitis principibus ſui ducatus, eorum conſulto flore iuuentutis vernanti Ricardo Duci filium ſuum nomine Hugonem commendare ſtuduit, vt eius patrocinio tutus inimicorum fraudibus non caperetur. Poſt cuius obitum filiã eius nomine Emmam à paterna domo ſublatam, idem dux vt olim deſpõderat, cum maximo tripudio & honore Rotomagenſibus intulit mœnibus ſibi eam iungens iure coniugali.

Quod conſilium Thebaldus Comes Carnotenſis dedit Gerbergæ Reginæ contra Ricardum Ducem, & quomodo eadem fraus à duobus militibus ipſius Thebaldi Duci detectum eſt.

Cap. XIII.

INTEREA Thebaldus Carnotenſis comes quibuſdam ſimultatib. exortis, duci Ricardo cępit aduerſari, eius terras demoliẽdo rapinis, cuius temerarios auſus vt comperit, fortitudine tanto digna viro ſtrenue compreſſit. Tetbaldus autem ſuum inceptum ſpe minus valere conſiderans, Gerbergæ Reginæ de Ricardo Duce maliuola verba cæpit ſuggerere, ſuadens eo viuente Lotharium regem filium equidem ſuum, Francorũ regnũ nunquã pacatum tenere. Qua de re ſumme neceſſariũ fore. Quibus verbis regina credula confeſtim Brunoni archipræſuli Colonienſi & duci, ſuo videlicet fratri, legatum mittit, mandans quatinus nepoti ſuo ſubueniat, Richardum infeſtiſſimum regni eius aduerſariũ capere, ſi qua via ſuccedat annitens. Continuo à Brunone quidam epiſcopus duci deſtinatur, qui ei ſuadeat, quo apud Ambianenſem pagum ſibi ad colloquium occurrat, regem reconciliari illi, Francorumq; regnum ſuæ tuitioni ſubdere cupiẽti. Quibus verbis dux ſubdole deceptus, quo lætiſſima ſpes vocauit, iter inſtituit feſtinus, cui eunti obuii fuerunt duo milites Tedbaldi. Quorum vnus ait: Quorſum illuſtriſſime virorum greſſum tendis? Viſne eſſe dux Normannorum, an extra tuam patriam cuſtos ouium? His dictis conticuit. Cui Dux ait: Cuius milites eſtis? Ad hæc alter infit: Quid tibi cuius? Nonne tui? Animaduertens ilico Dux verba delatorum ſibi ad conſulendum ac neceſſario prouidendum dirigi, illis quidem honorifice valedixit, & vni enſem ex auro quatuor librarum in capulo fulgidum dedit. Alterum vero armilla totidem librarum puriſſimi auri remunerauit. Deinde ſuum celerrime greſſum retorſit, ſaluuſque Rotomagum venit. Hoc modo Bruno deluſus, regreſſus eſt detectis nequitiæ ſuæ fraudibus.

Quomodo Rex Lotharius congregatis inimicis Ricardi Ducis, videlicet Balduino Comiti Flandrenſi, Gaufrido Andegauenſi, Thebaldo Carnotenſi, illum voluit decipere, ſed non potuit.

Cap. XIIII.

EXINANITO itaq; tanto dolo, Lotharius rex ad aliud palliatæ proditionis argumentum hortante Tedbaldo iterato deuoluitur, duciq; legatum huiuſmodi verbis inſtructum deſtinat. Quouſq; inquit dux ſeruitii debitũ mihi detrectas exhibere?

An ignoras me Francorum Regem eſſe, cui te militiam oportet impendere: cuius edictis atq; conſultis te nequaquam oportet contraire? Nonne de noſtra diſſenſione mei tuique gratulantur inimici? Riſipiſce ergo iam iamq; ab his obſtinati animi altercationibus, & accelerato itinere feſtina mihi occurrere, vt indiſſolubilibus pacis fœderati vinculis, deinceps per mutuam cōcordiam fruamur competentibus cōmodis. Gaudeatq; Rex de tanto ſuo Duce, & Dux de ſuo chariſſimo Rege. Quibus ſimulatæ legationis ambagibus Dux illectus, illico Regi mandat, ſe vltroneo libitu affuturum. Super his vehementer Rex gauiſus, aſcitis Ducis inimicis, Balduino ſcilicet Flandrenſi, atque Goisfredo Andegauenſi, necnon Tedbaldo Carnotenſi, ſuper Helnæ fluuium ad deteſtandum placitum concitus venit. Econtra quoque Dux ex altera aquæ parte ſedit cum militari manu. Cupiens autem ſcire, quę apud Regem gererentur, miſit de ſuis renuntiaturos, qui agerent cum eo de eius contubernalibus amicis. Legati prænominatis illic repertis Comitibus ſuper Ducem irruere diſponentibus, confeſtim pernici curſu regreſſi Ducem hortantur, vt à loco recedat, nedum regia præoccupatur proditione inimici eius aduerſum ſe congredientes, gaudeant de illius morte. Continuo Dux compellentibus ſuis fluuium Deppæ tranſiens aliquandiu ſubſtitit, & à vado aquæ inſequentes hoſtes prohibuit, donec regiam vim declinans, Rotomagum repeteret celeriter cum ſuis. Sic detecta in propatulo fraude Regis, animoſitatem eius circa ſe agnouit.

Quod Rex Lotharius vrbem Ebroicam capiens Thebaldo tradidit: & quomodo Dux Ricardus Carnotenſem Comitatum, & Dunenſem vaſtauerit: & quod Thebaldus ad Ermentrudis villam cum exercitu veniens, ignominioſe inde agente Duce cum magno damno aufugit.

Cap. XV.

PERSPICIENS ergo Rex propoſitũ ſui voti flocci penſum fore, Laudanum regreditur furibundus, non multo poſt Tedbaldo ſuggerente Normanniam hoſtiliter petiturus. Vix enim ad conſilium contrahendum reſpirans, congregatis Burgundionum Francorumq; militum copiis ciuitatē Ebroicam aggreſſus, ciuibus incautis eam obſidione cingit, doliſq; Giſleberti agnomēto Machel capit, ac ad expugnandam patriam Tedbaldo Comiti ſtatim tradit, Rege vero ab vrbe recedente Ricardus Dux è veſtigio eum proſequitur, & cunctum Dunenſem ſeu Carnotenſem comitatum prœliis & incendiis depopulatur. Conſumptis omnibus, quæ Tedbaldi erant, cum innumera præda reuertitur ad propria. Haud mora Tedbaldus reciproca viciſſitudine clam exercituum agmen collegit, ac ad dedecus Ducis apud Hermentrudis villam papiliones & magalia fixit, ſtationemque infeſtiſſimorum hoſtium compoſuit. Verum prouidiſſimus ac fortiſſimus Dux intempeſtæ noctis ſilentio alueum Sequanæ tranſmeauit, & diluculo ſuper eos irruens tanta illos ſtrage profligauit, vt ex eis ſexcenti quadraginta perirent, & reliqui per diuerſa ſiluarum luſtra vulnerati diffugerent. Ipſe vero Tedbaldus turpiter fugiens cum paucis, latitando per deuia ſaltus, Carnotum venit cōfuſus. Ad eius fugæ ſuffragium, Chriſto illi reddente vicem, filius eius ipſa die moritur, totaque Carnotena vrbs incēdio conſumitur. Dux autem Normanniæ ad campum belli regreſſus, mortuos reperit, & miſericordia motus ſepeliri eos iuſſit. Vulneratos vero imperat Rotomagum leniter deferri, ibique à medicis curari, ſanatos quoque Tedbaldo remitti.

Quod Ricardus Dux auxilium Heroldi Regis Danorum contra Francos petiit, & efficaciter impetrauit.

Cap. XVI.

VIDENS itaque Dux tantarum fraudium Regis molimina ſuper ſe imminere, Comiteſq; Francorum contra ſe vnanimiter ſpuire, Heraldo Danorum regi legatos dirigit, & mandat, vt otius illi ſuccurrat, & paganorum multitudine, Francorum rabiem ſolotenus comprimat. Cuius legatos Rex non modo gaudenter recepit, verumetiam maximis muneribus ditatos Duci remiſit, ſeque miſſurum celerrime illi iuuamen ſpopondit. Quid plura? Iuſſum regio naues ad mare propelluntur. Ad tantæ expeditionis negotium paganica iuuentus præparatur, clipeis, & loricis, ac galeis, omnique armorum apparatu innumerabilis exercitus munitur. Inde ſtatuto die eleuantur vexilla, ventis ſalubriter ſpirantibus librant vela, celerique

nauium

nautum curſu permenſo mari ad Sequanica deuoluuntur ora. Quorum aduētu Dux cognito vehementer gauiſus, illis obuiam proceſſit, atque eo præunte ſulcantes remigio alueum Sequanæ, ad Giuoldi foſſam deuehuntur expedite, ibique fixis anchoris de ſubuerſione conſulunt Franciæ. Et ecce repentino tumultu è nauibus proruunt, totamque in circuitu patriam exitialiter comburunt, Dehinc viri cum mulieribus concatenati diſtrahuntur, vici deprædantur, vrbes deſolantur, caſtella ſubuertuntur & terra in ſolitudinem redigitur. Fit luctus omnium in commune, nullo cane per comitatum Tedbaldi latrante. Vbi vero illa deficiunt, regalia iura continuo inuadunt. Quæ autem Francis ſubtrahunt, Normannis poſſidenda vili precio conducunt. Libera manet à paganorum rapinis tellus Normannica, Francia vero nullo obſiſtente diſtrahitur captiua.

Quod neceſſitate compulſi Rex Lotharius & Thelbaldus omnia quæ Duci Richardo diripuerant integre reſtituerunt, & de conuerſione paganorum ipſius hortatu.

Cap. XVII.

DVM hæc geruntur, Sinodalis epiſcoporum conuentus apud Laudunum congregatur, inueſtigaturus cur Chriſtianus populus his cladibus affligatur. Mittentes denique Carnotenſem præſulem Duci, ſciſcitantur ab eo, cuius rei cauſa tam execrāda à Chriſtianiſſimo piiſſimoque viro proceſſerit ſeueritas. A quo cum Regis fraudes, & Tedbaldi vrbis Ebroicæ ſurreptionem pontifex didiciſſet, confeſtim à paganicis irruptionibus inducias petit ac adipiſcitur, in quibus præſules adducant loco opportuno Regem Lotharium, de omnibus beniuolo animo illi ſatisfacturum. Igitur audiens Tedbaldus Regem abſque ſuo conſilio pacem quærere, formidans ne totum ſeditionis pondus ſuper eum incumbat, quendam monachum Duci cum feſtinatione mittit, mandans ſe in quibus illum offenderat toto conamine penitere, ac ad curiā eius ire, Eboricamque vrbem illi reddere velle. Dux autem his auditis letus efficitur, & conceſſa ſecuritate, copiam illi indulget ad ſe veniendi. Qui cum familiaribus ad eum veniens, non ſolum vrbem illi reddidit, verum etiam firmatis amicitiis donariis ab eo gaudens diſceſſit. Imminente vero die præfiniti colloquii, Dux apud Ginoldi foſſam in paganorum caſtris ſcænam miræ magnitudinis conſtrui iuſſit, in qua Rex Lotharius cum ſuis optimatibus diuertens, illi ſatisfecit, fæderibus pactis iuratiſque Sacramentis. His itaq. Dux ſalubriter expletis, paganorum plurimos ad fidem Chriſti ſacris monitis conuertit, alios in paganiſmo permanere diſponentes ad Hiſpanias tranſmiſit. Vbi plurima bella perpetrantes, decem & octo diruerunt vrbes.

Quod mortua vxore ſua Emma abſque liberis idem Dux duxit Gunnorem & de progenia ipſius ducis.

Cap. XVIII.

QVA tempeſtate Emma vxor eius filia Hugonis magni, abſque liberis moritur. Ipſe vero non multo poſt quandam ſpecioſiſſimam virginem nomine Gunnor, ex nobiliſſima Danorum proſapia ortam ſibi in matrimonium Chriſtiano more deſponſauit. Ex qua filios genuit Ricardum videlicet & Robertum atque Malgerium, alioſque duos, atque filias tres. Quarum vna nomine Emma Edelredo Regi Anglorum nupſit, de qua idem Rex Edwardum & Aluredum, Godwini Comitis longo poſt dolis interemptum procreauit. Secunda vero Haduis vocata, Goisfredo Britannorum Comiti iuncta Alannum & Eudonem Duces progenuit. Tertia quidem Mathildis Odoni Comiti, de qua ſermo impoſteris orietur. Genuit etiam duos filios & totidem filias ex concubinis. Quorum vnus Godefridus, alter vero dicebatur Willelmus. Horum prior, Comes fuit Aucenſis. Quo defuncto accepit frater eius eundem Comitatum, quem adhuc hæredes eius iure ſucceſſionis poſſident, licet Comes Giſlebertus filius Godefridi Comitis, ipſum Comitatum parumper tenuerit, antequam occideretur. Hic Giſlebertus genuit Ricardum ſtrenuiſſimum militem, qui tam ipſe quam filii eius Giſlebertus, Rogerius, Walterius, Rodbertus, eccleſiam Beccenſem magno affectu dilexerunt, & magnis poſſeſſionibus ditauerunt, imitantes Comitem Giſlebertum auum ſuum, qui in fundanda prædicta eccleſia venerabilem Herluinum primum Abbatem & conſtructorem ipſius, & conſilio & rebus iuuit. De qua eccleſia, & prędicto eius Abbate procedenti tractatu, loco competenti pro vt decet mentionem faciemus. Hic vero iſta per anticipationem breuiter dixiſſe ſufficiat.

Digitized by Google

Quomodo Dux Ricardus apud Fiſcannum eccleſiam in honorem Sanctæ Trinitatis conſtruens, diuerſis ornamentis decorauit: & de Abbatiis S. Michaelis de Monte & S. Audoeni quas reſtaurauit: & quod mortuo Lothario Hugo Capet Rex eleuatur, cui etiam poſt aliquantum temporis defuncto ſucceſſit Robertus filius eius.

CAP. XIX.

CVM igitur Dux Ricardus multorum operum bonorum polleret incrementis, inter plurima commercia ſummæ opinionis apud Fiſcanum miræ magnitudinis & pulchritudinis in honore Deificæ Trinitatis templum conſtruxit, mirificiſq; ornatibus multimode adornauit. Abbatias quoque quaſdam reſtaurauit. Vnam ſiquidem in ſuburbio Rothomagenſi in honore Sancti Petri Sanctique Audoeni, aliam in Mõte qui dicitur Tumba in veneratione Archangeli Michaelis, gregibuſque monachorum inſignauit. Tempore ſub eodem diem obiit Hugo Rotomagenſis archiepiſcop⁹, cui ſucceſſit Rodbertus eiuſdem Ducis filius. Porro mortuo Francorum rege Lothario, in illius loco ab omnibus ſubrogatur Hugonis magni Ducis filius Hugo Capeth, adminiculante ei Duce Ricardo. Hic aduerſum Flandrenſem Arnulfum ſibi militare renuentem, arma mouens cum valida manu hoſtifica, Atrabatum illi abſtulit, & cuncta municipia quæ citra flumen quod vocatur Lis tenebat. Huius infortunii dolore mæſtus Arnulfus, petiit Ricardum Ducẽ ſupplex & deuotus, vt pacificaret eum cum rege & Francorum principibus. Hoc itaque pro negotio Dux contra regem Hugonem ad placitum pergens, non modo eum pacificauit, ſed & cuncta illi ablata ſuis precibus reſtituit. Quo tempore moritur iſdem Rex Hugo, ſuccedente eius filio Rodberto rege priſtino. Huius igitur beatitudinis prærogatiuis iſte Dux profuſius floruit, quia quos audiebat diſcordes, aut per ſe aut per ſuos legatos reddebat concordes, ſcriptura dicente: Beati pedes pacem portantes. Erat autem ſtatura procerus, vultu decorus, integer corpore, barba prolixa, cano decoratus capite, piiſſimus monachorum altor prouidus clericorum ſuffragator, ſuperborum contemptor, humilium amator pauperum ſuſtentator, orphanorum tutor, viduarum pius defenſor, & captiuorum liberalis redemptor.

Quod dux Ricardus ad extrema veniens, Ricardum filium ſuum Normannis præfecit & de morte eius apud Fiſcannum.

CAP. XX.

HIs & huiuſmodi boni odoris floſculis in laicali habitu redolens gemma Chriſti, ægritudine corporis cæpit vehementer aggrauari. Conuocatoque Rodulfo Comite ſuo equidem vterino fratre, conſilium exigit de patriæ diſpoſitione. Qui nimio turbatus dolore, ac aliquantiſper factus elinguis, nouiſſime reſumpto ſpiritu hæc Duci reſponſa reddit. Quamuis dulciſſime frater atque ſereniſſime Senior viribus corporis videaris deſtitui, tamen dum in hac vita te gaudemus amplecti, tuum eſt de totius patriæ ſtatu diſponere. Quo audito Dux ſuis vndiq; optimatibus aſcitis, Ricardum filium ſuum eoram exponit, hoc eum eloquio commendans & præficiens. Hactenus commilitones optimi veſtræ militiæ præfui, nunc vocante Deo morbo crudeſcente compellor à vobis ſeparari. Proinde ſi aliquando mei amatores fuiſtis, oro vos vt hunc filium meum loco mei vobis præferatis, eique fideles ſitis, ſicut mihi ſemper fuiſtis. Iam enim me ſito onere vitæ corruptibilis. His ab eo lugubre prolatis, protinus tota domus concutitur gemitibus & lachrimis. Tandem fletibus ſopitis, aſſenſum præbent voluntati ducis, Ricardum adoleſcentem pacta ei fidelitate, æquanimiter collaudantes principem. Dehinc languore ingraueſcente lecto proſternitur, & libratis ſurſum oculis, inter verba orationis plenus dierum ſpiritum efflauit. Huiuſque digeſta prout à Rodulfo Comite huius Ducis fratre magno & honeſto viro narrata ſunt, collegi: quæ ſcholaſtico dictamine ſcripta relinquo poſteris. Obiit autem apud Fiſcannum Ricardus Dux primus, flentibus populis, gaudentibus angelis, nongenteſimo nonageſimo ſexto anno ab incarnatione Domini. Regnante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Anno Domini 996.

Explicit liber tertius.

INCI-

INCIPIT LIBER QVARTVS DE SECVNDO RICARDO DVCE FILIO RICARDI SVPERIORIS.

De honeſta conuerſatione ſecundi Ricardi tam in ſecularibus quam in diuinis negotiis.

CAP. I.

QVONIAM quidẽ dignis preconiorũ titulis in præcedentibus precioſiſſimam Chriſti gemmam, Ricardum ſcilicet Normannorũ Ducem extulimus, & æterni Regis anulo decẽter inſeruimus, operepretiũ videtur, vt carbũculus ab ipſo exoriens ſecundam ſicuti in nomine ita in præclariſſime ingenuitatis eulogio abſidam teneat Ricardus eius ſiquidem filius, militaribus triumphis oppido conſpicuus, & non minori laudum tripudio excolendus. Qui ſui fulgoris radios per diuerſos orbis cardines glorioſo nomine ſpargens, intra ſui Ducatus limites plurimis bonorum operum incrementis, Normannicam pene patriam vnam Chriſti inſigniuit eccleſiam. Hic in armis admodum ſtrenuus, vbique armatas militum legiones nobiliter rexit, de inimicis victoriam ſemper capere aſſuetus. Et quamuis ſeculari actui foret deditus, totus tamen fuit fide catholicus, & erga Dei cultores beniuolus ac deuotus. Sub cuius moderamine plurima monachorum adoleuere ouilia, qui velut apes ex multis ſanctorum actuum caniſtris erumpentes, lucidiſſima in cæleſtes theſauros intulerunt mella.

Quam ſapienter repreſſit vnanimem coniurationem Ruſticorum quam contra pacem patriæ moliebantur.

CAP. II.

DVM igitur tantæ probitatis exuberaret copiis, in initio ſuæ iuuentutis intra Normannicum Ducatum contigit quoddam peſtiferi oriri ſeminarium diſſidii. Nam ruſtici vnanimes per diuerſos totius Normannicæ patriæ Comitatus plurima agentes conuenticula iuxta ſuos libitus viuere decernebant. Quatenus tam in ſiluarum compendiis quam in aquarum commerciis, nullo obſiſtente ante ſtatuti iuris obire, legibus vterentur ſuis. Quæ vt rata manerent, ab vnoquoque cætu furentis vulgi duo eleguntur legati, qui decreta ad mediterraneum roboranda ferrent conuentum. Quod vt Dux agnouit, protinus Rodulfum Comitem cum militum multitudine illis deſtinauit, qui agreſtem comprimeret ferocitatem & ruſticam dirimeret concionem. Qui non morans iuſſa, cunctos confeſtim legatos, cum nonnullis aliis cæpit, truncatiſque manibus ac pedibus, inutiles ſuis remiſit, qui eos à talibus compeſcerent & ne deteriora paterentur, ſuis eueuentibus cautos redderent. His ruſtici expertis, feſtinato concionibus omiſſis ad ſua aratra ſunt reuerſi.

De rebellione Willelmi naturalis fratris ipſius Ducis cui dederat Oximenſem Comitatum: & quomodo idem Willelmus captus & fratri poſtea reconciliatus Ocenſem Comitatum ab ipſo Duce dono accepit cum Lezſcenina, & de filiis eiuſdem Willelmi.

CAP. III.

EADEM tempeſtate quendam ducis vno ex patre fratrem progenitum nomine Willelmum, quorundam proteruia improborum fecit tumidum & rebellem. Is enim fraterno contubernio Oximenſem ab ipſo accipiens in munere Comitatum, vt inde exhiberet ei militiæ ſtatuta, prauorum illectus calliditate, dominium eius ſpreuit, & ab illius fidelitatis obſequio ſe cohibuit. Qui dum per legatos à Duce ſæpius obiurgaretur, & ab auſu obſtinati animi reſipiſcere nollet, conſultu & auxilio Rodulfi Comitis captus, in Rothomagenſis vrbis turre detruditur, temeritatis penitudinem ibi per quinquennium luens. Nonnullo quoque ſuorum Satellitum in ſeditionis propoſito perſiſtentium crebris certaminum tumultibus deuincens, vita priuauit, alios exules de ſuis finibus exturbauit. Willelmus tandem poſt quinquennium cuiuſdam ſui militis factione longiſſimo fine per eminentiorem feneſtram à turre lapſus, fugam iniit.

Qui diebus ne à perquirentibus reperiretur deliteſcens, & noctibus iter carpens, nouiſſi-

nouiſſime deliberauit apud ſe æquius illi fore cum vitæ diſcrimine clementiam fratris attemptare, quam cuiuſpiam Regis aut Comitis ſuffragium nil ſibi quandoque profuturum expetere. Sub hac quippe deliberatione animi callem conficiens, quadam die ducem repperit, ſe in ſaltu vernenſi exercentem Venatuum ludis. Mox eius veſtigiis ſolotenus prouolutus, veniam commiſſi ab eo expetebat lugubres. Protinus cum Dux miſericordia motus fauente Rodulfo comite à terra erexit, ac vt euaſionis ſuæ ipſo narrante caſum agnouit, non ſolum errata illi indulſit, verumetiam beneuolo animo vt fratrem chariſſimum deinceps dilexit. Cui non multo poſt Ocenſem comitatum tradidit, eique quandam puellam valde ſpecioſam vocabulo Lezſcelinam dedit, filiam ſiquidem cuiuſdam nobiliſſimi viri nomine Turchetilli. Ex ea tres genuit filios Rodbertum ſcilicet poſt eius mortem Comitatus illius hæredem, & Wilhelmum Sueſſionenſem comitem, atque Hugonem Luxouienſem prçſulem. Quibus ita ſopitis, Normannica tellus ſiluit à facie Ducis.

Quod Edelredus Rex Angliæ qui Emmam ſororem ducis duxerat, miſit exercitum ad ſubiugandam ſibi Normanniam, & quomodo Nigellus Conſtantinenſis eos vſque ad internecionem deuicit.

Cap. IV.

Maxima nauiū multitudo.

CIRCA hæc tempora Edelredus Rex Anglorum Emmam Ducis ſororem in coniugio habens, quibuſdam exortis diſſenſionum incentiuis Duci nocere & dedecora ingerere ſitiens, maximam nauium multitudinem in mare iuſſit impelli, ac militibus ex omni regno mandauit, vt conſtituto ab eo die ad eas conuenirent, loricis & galeis decenter armati. Cuius iuſſis gratanter Angli obtemperantes vnanimes adſunt ad naues. Rex igitur proſpecta multa & optime inſtructa exercitus copia, aſcitis militiæ ſuæ ſatrapis, animi ſui propoſitum exponens, valida auſteritate Regio more præcepit, vt euntes totam Normanniam rapinis & incendiis exterminarent, ſolummodo Archangeli Michaelis Monti parcerent, ne tantæ ſanctitatis & religionis locum, igne concremarent. Iuſſit etiam vt Ricardum Ducem caperent, poſt tergum manus vincirent, & viuum patria ſibi ſubiugata conſpectibus ſuis adducerent. His vero edictis, eos ire cum feſtinatione imperauit. Qui ſubductis in altum nauibus, veliuolo ſulcantes æquora vento, ad littora Saræ deuoluuntur permenſo maris limbo, Hinc prorumpentes è nauibus, continuo maritima confinia exitiali Vulcano tradunt. Quod vt Nigellus à ſpeculatoribus comperit, milites Conſtantinienſes cum multitudine vulgi congregauit, impetuque repentino ſuper eo irruit, tantaque illos ſtrage deleuit, vt nullus penitus remaneret, qui facta poſteris nuntiaret. Nam vnus illorum curſu nimio fatigatus à longe reſederat, qui videns ſociorum infortunia, timore territus corporiſque imbecillitatem oblitus, ad naues concurrit quantotius, cæterorum exitia nuncians cuſtodibus. Qui pariter ex omnibus ad tres tutiores ſe conferentes intra ſinum maris remigio ſe contulerunt de vita diffidentes. Panſiſque velis in ſublime, curſu citiſſimo Regem ſuum expetunt, vento ad votum ſpirante. Quos vt vidit, protinus Ducem ab eis exigere cæpit. At illi reſpondent: Nos sereniſſime rex Ducem minime vidimus, ſed cum vnius Comitatus gente ferociſſima noſtro cum interitu dimicauimus, Vbi non modo ſunt viri fortiſſimi bellatores, ſed & feminæ pugnatrices robuſtiſſimos quoſque hoſtium vectibus hydriarum ſuarum excerebrantes. à quibus omnes ſcito tuos extinctos eſſe milites. Quibus rex auditis, inſipientiam ſuam agnoſcens triſtis erubuit.

Remigium.

Quod Gaufridus Britannorum Comes ſororem Ducis Ricardi nomine Haducis petiit vxorem & accepit, de qua genuit Alannum & Eudonem.

Cap. V.

CONSIDERANS etiam Gaufridus Britannorum Comes Ducem Ricardum in omnibus proſperari, viribus & diuitiis quotidie ampliari, arbitratus eſt ſua tutius vallari, ſeque amplius roborari, ſi eius frueretur amicitia & auxilio. Quamobrem cōſultu ſuorum fultus Britannicos limites penetrans, cum maxima militum ambitione illius appetiit curiam. Quem Dux vt tantum decebat virum honorifice ſuſcipiens, aliquantiſper cum copioſo affluentium opum apparatu cum ſecum detinuit vt potentiæ ſuæ magnitudinem prout libuit illi oſtendit Gausfridus autem vt ſe à Duce tam excellenter tractari vidit, intra ſe deliberare cæpit, quia ſi eius iungeretur connubio ſororis nomine Haduis fortior inter eos necteretur nodus amoris. Erat enim hæc

puella

Digitized by Google

puella corpore valde decora morum honeſtate gratiſſima. Vnde poſt pactas amicitias eam ſibi dari toto anniſu popoſcit. Cuius voluntati Dux gratanti animo fauens aſſencientibus Normannorum principibus petitam Chriſtiano more tradidit. Celebratis vero cum inæſtimabili honore nuptiis non multo poſt cum immenſis muneribus eos ouantes abire permiſit Gausfridus ex ea poſtmodum duos filios genuit, Alãnum videlicet & Eudo nem qui poſt eius exceſſum Britannicam patriam robuſtiſſimo vigore diutius rexerunt.

De crudelitate Edelredi Regis Anglorum in Danos qui pacifice ſecum in Anglia commanebant: & de quibuſdam iuuentibus eiuſdẽ gentis qui euadentes Regi Danamarchæ Sueno mortem propinquorum nunciauerunt.

CAP. VI.

DVM in ſtatu ſupra intellecto ſub tam præclaro rectore Normanniæ fælicitas polleret. Ædelredus Anglorum Rex regnum quod ſub magna potentiſſimorum Regum gloria diu floruerat, tanto nefarie proditionis ſcelere regiminis ſui tempore polluit, vt & pagani tam execrabile nefas horrendum iudicarent, Nam Danos per omne regnum vnanimi concordia ſecum cohabitantes, mortis periculum minime ſuſpicantes, ſubito furore ſub vna die perimi, mulieres quoque aluotenus terræ eſſe defoſſas & ferociſſimis canibus concitatis mamillas ab earum pectoribus crudeliter extorqueri, lactentes vero pueros ad domorum poſtes alliſos excerebrari iuſſit, nullis criminum exiſtentibus culpis. Dum igitur apud Lundoniam ſub huius decreti die hæc congeries peremptorum lictorum ſæuitia in immenſum cumularetur, quidam iuuenes agilitate pernices ad quandam nauium ſe contulerunt, & fuge præſidium per Thamiſæ alueum celeri remigio maris ſinum petierunt. Permenſo autem prolixi põti ſpacio nouiſſime capitum, Danamarchæ portum applicant, Regique Sueno cruenta gentis ſuæ exitia nuntiant. Tunc Rex nimio dolore tactus intrinſecus, totius regni ſui aſcitis principibus cunctam ei ſeriem illis deponit quidq; agendum conſulerunt, diligenter inquirit. Qui amicorum & propinquorum erumnis, & luctu moti, quaſi ex vno ore omnes eorum ſanguinem decreuerunt debere totis viribus vlciſci.

Quod Suenus Rex congregato exercitu ad Eboracum Comitatum appellens, inde dimiſſo exercitu ad Ricardum Ducem Normanniæ petendæ pacis gratia cum nonnullis nauibus Rotomagum venit & de pacto quod inter Normannos & Danos firmatum eſt, & quod Eboracenſes & Cantuarii & Londonienſis eidem Regi ſe tradiderunt, & de fuga, Edelredi Regis cum vxore & filiis ad Ricardum Ducem Normannorum.

CAP. VII.

HIs autem Rex auditis, cum feſtinatione cunctos ſub ſuo regimine degentes præparari iuſſit. Hac illacque veredarios miſit. diemque pręfixit, quando milites lucri cupidos de exteris regnis ad hanc expeditionem venire mandauit, Porro termino adueniente ſtatuto, ad naues immenſus illico cucurrit exercitus. De hinc Regalia in ſublime eleuantur vexilla & librantes ventiş vela, velificato protenſi maris interuallo ad Eboraca deueliuntur territoria, Ibi quippe Rex dimiſſo exercitu cum nonnullis nauibus petendæ pacis gratia apud Rotomagum, Ducem Ricardum aggreditur. Quem cum Dux aliquanta mora regaliter tractaret, dum & ipſe & milites poſt tantum nauigii laborem recrearentur, pacem continuam inter ſe firmauerunt. Ea videlicet lege vt per ſuccedentia Danorum Regem Normannorumque Ducum aceorum hæredum tempora, firma perpetualiter inter eos maneret, & quæ Dani abſtuliſſent inimicis, emenda conferrent Normannis. Si quis vero Danorum inualidus aut vulneratus amicorum indigeret iuuamine, apud Normannos quaſi in domo propria ſub ſecuritate ſanaretur. Quæ lex vt rata maneret, ab vtraque parte ſacramentorum tenore principes eorum illam ſanxerunt. Quibus Rex ad votum expletis, condignis à Duce muneribus muneratus, quantotius ad ſuos regreditur letus. Qui vt ſuo iunctus eſt exercitui, continuo Anglorum regnum tradit vltricibus flammis. Videntes itaq; Eboraci ſe à nullo iuuari, datis obſidibus ſe ſubigũt illius dominatui. Inde vero egreſſus, ad Tamiſe ora prouehitur. Vbi venientes Cantuarii, ſimili modo eius ſe ſudunt poteſtati. Deinde auulſis nauium anchoris, alueum ſulcans fluminis apud Lõdoniam obſidionẽ cõponit. Cuius impetum Lundonii nõ valentes ferre illius ſeruitutis iugo colla ferina inuiti ſuppoſuere. Ædelredus vero Rex apud Wintoniã degẽs,

Digitized by Google

vt ab Anglis ſe vidit funditus deſtitui, ſublatis à terra theſauris, cum vxore & filiis Edwardo ſcilicet & Aluredo in Normannia Ducem Ricardum expetiit. A quo decenter acceptus, cum magnis opum apparatibus omne ſui incolatus Rotomagi cum eo exegit tempus.

De morte Sueni Regis apud Londoniam, & quod Chunutus filius eius patri ſuccedens, iterum exercitum contra Angulos mouit, & de reditu Edelredi in Angliam, & de victoria Danorum apud Auxendunum.

CAP. VIII.

IGITVR Suenus dum apud Lundoniam de regni tractaret diſpoſitione, mortem obiit interceptus ægritudine. Cuius corpus Dani aromatibus condierunt, & in naui diſpoſuerunt, & cum feſtinatione apud Danamarcham tumulandum deuexerunt. Quo tumulato, filius eius nomine Chunutus arma illius ſumens exercitum viriliter roborat, & ne ab iterata expeditione reſipiſcant totis niſibus exaggerat. Denique miſſis legatis duos Reges ad ſuum euocat ſuffragium, Lacimam equidem Suauorum & Olauum Noricorum. Hi ad eius auxilium aduenientes cum ſuis copiis militum, totius robur militiæ ſua corroborauerunt virtute. Interea dum hæc geruntur Edelredus Rex mortem Sueni audiens, præparatis ad nauigandum omnibus, cum vxore lętus ad regnum ſuum regreditur: ſed filios ſuos Edwardum & Aluredum cum auunculo dimittit. Rex itaque Chuntus collectis vndequaque militum legionibus, velut turbo validus à regno ſuo egreſſus, procelloſum mare intemptat intrepidus. Subductis autem in altum nauibus veliuolo curſu ad Anglos deuehitur. Inde petens Tamiſe fluuium, celeriter appulit Lundoniæ comitatum. Cui cum ſuis egredienti de nauibus occurrentes Angli ex omni regno apud Auxendunum congregati, ad ſuam perniciem cruentiſſimum illi bellum intulerunt. Cum quibus Rex efferatis legionum ſuarum animis atrociter confligens, tanta eos internecione deleuit, vt nullus hominum queat ſuppetare, quot millia in die illa corruerint Anglicæ gentis.

Quod mortuo Edelredo Rege Anglorum Chunetus Rex Danorum Emmam vxorem eius duxit, & ex ea genuit Hardechunutum qui poſtmodum ei ſucceſſit.

CAP. IX.

REx vero victor effectus, ad naues ſuas cum ſuis eſt reuerſus. Hinc celeri ſe mouens fiducia, Lundoniam circundat obſidione. Quam intra vrbem. Ædelredus rex grauiter ægrotauit, & crudeſcente morbo corporis non multo poſt hominem exiuit. Rex igitur Chunutus audita morte Regis, conſultu fidelium ſuorum præueniens futurum Emmam reginam abſtractam ab vrbe poſt aliquot dies ſibi iuxit Chriſtiano more, dans pro illa cuncto exercitui in auro & argento penſum illius corporis. Ex ea ſuccedente tempore, genuit filium nomine Hardechuntum poſtmodum regem Danorum, & filiam vocabulo Ginildem quæ nupſit Henrico Romanorum Imperatori. Diffidentes quoque Lundonii de ſua ſalute quippe cum diuturna laborarent fame, patefacta vrbe ſe ſuaque omnia Regi ſponte dedere. Quibus peractis, omne robur Anglici regni incubuit ſub domino Regis Chunuti. Hæc in huius operis ſerio intexuimus, vt Edwardi Regis ortum ignorantibus monſtraremus. Nunc vero ad propoſitum retorqueatur ſtilus, à quo pauliſper digreſſi ſumus.

De diſcordia inter Ricardum Ducem & Odonem Comitem Carnotenſem propter caſtrum Dorcaſinum: & quod idem Dux caſtrum Tegularias ſuper Arua fluuium firmauit: & quomodo Normanni Odonem & duos Comites adiutores eius vicerunt.

CAP. X.

TEMPORIBVS denique ſub eiſdem Oddo Carnotenſis Comes quandam Ducis ſororem nomine Mathildem cum multimodis muneribus à fraterna domo auferens, ſibi in matrimonio legitimæ copulauit. Cui Dux medietatem Dorcaſini caſtri dedit dotis nomine, cum terra ſuper Aruæ fluuium adiacente. Nonnullis hinc elabentibus annis, hæc eadem Mathildis iudicio diſponente Dei moritur abſq; liberis. Poſt cuius obitum Duci terram pretitulatam repetenti, Comes Oddo nimiis verſutiis cæpit contraire, nolens illi quietam dimittere Dorcaſini caſtri tuitionem. Quapropter Dux aſcitis Brutonibus cum Normãnorum legionibus, ſuper Aruæ fluuium hoſtiliter veniens, caſtrum condidit quod Tegulenſe vocauit. Sumptis autem ex Odonis Comitatu alimoniis eandem munitionem abundantiſſime repleuit. Nigellum Conſtan-

Digitized by Google

Conſtatinienſem atque Rodulfum Toeimenſem & Rorerium filium eiuſdem, cum eorum militibus cuſtodes in ea reliquit. Quibus patratis proſpere receſſit inde vnuſquenque iubens ad ſua redire. Oddo vero Comes conuocatis clam ad ſui ſuffragium Comitibus Hugone ſiquidem Cinomannenſi ac Walleranno Mellendenſi cum eorum militum copiis, tota nocte equitans, diluculo ad Tegulenſe caſtrum venir, præeuntibus ſigniferis. Quos vt viderunt proceres prætitulati cuſtodibus intra municipium demiſſis repentino impetu foras erumpentes cum ſuis, commiſerunt prælium cum eis. Illico partes Ducis Deo iuuante ita eos proſtrauerunt, vt multis peremptis, plurimis vulneratis per deuia reliqui fugerent, & nutabundi opaca Siluarum latibula quærerent. Oddo vero atque Wallerannus quærentes ſuffragium vitæ, occulerunt ſe Dorcaniſi caſtri munitione. Hugo nempe equo cui inſederat extincto pede fugiens ad caulas ouium diuertit, & loricam quam indutus erat ſub telluris ſulco texit. Dehinc clamyde opilionis ſe amiciens, ſeptaque gregum infatigabilitet humeris de loco ad locum ferens Normannos hortabatur, vt quantotius perſequerentur hoſtes, non longe ante illos turpiter abeuntes. Illis itaque recedentibus præuio paſtore ſiluarum luſtra carpens, tandem poſt triduum. Cinomannis venit vepribus & ſentibus miſerabiliter pedes ac tibias cruentatus.

Quod duo Reges Pagani ex transmariis partibus venerunt ad auxilium Ricardi ducis contra Francos.

CAP. XI.

VIDENS igitur Dux comitem Oddonem ad tantam deuolutum eſſe vecordiam, miſſis legatis duos Reges cum paganica multitudine ex tranſmarinis partibus ſui euocat in auxilium, Olauum ſcilicet Noricorum, & Lacum Suauorum. Cuius legatos Reges competenter ſuſceperunt, cum multis donariis ei remiſerunt, & non multo poſt ſe venturos eſſe nuntiauerunt. Deinde cum ſuis exercitibus pariter congregati paucíſque nauium velis ſpumia ſulcantes æquora ponti, curſu celeri ad Britannorum finitima littora ſunt deuoluti. Britones autem eorum repentinum agnoſcentes acceſſum à cunctis regni partibus congregati, eos ad prædam inhiantes cautos præoccupare ſunt arbitrati. Pagani vero eorum dolos comperientes, quadam vſi verſutia per campi planitiem quo illos nouerant venturos fore profundiſſimos foderunt cuniculos in ſuperficie anguſtus, vt cipitarentur, ſicque gladiis facilius perimerentur. Britones autem veniunt & continuo ſuper hoſtes atrociter irruunt. Sed paganorum dicipulis proſtrati, tantam ſæuitiam ilico ſunt perpeſſi vt viri è prælio elaberentur perpauci. Inde Barbati prolixius progredientes, caſtrum Doli obſident, & captum igne comburunt ac incolas eius cum Salomone aduocato loci interficiunt. Deinde ſublatis anchoris repetunt mare & veliſicante claſſe ad ora deuehuntur Sequanæ. Carpentes vero fluminis alueum pernici temigio applicant Rotomagum, eoſque Ricardus Dux valde gauiſus competenti honore regaliter accepit.

Quod Robertus Rex Francorum timore prædictorum Regum concordiam fecit inter Ducem Ricardum & Odonem.

CAP. XII.

RODBERTVS autem Rex Francorum audiens paganos tant Britannis propra intuliſſe Ducemque Ricardum ad confutandam Oddonis Comitis contumaciam eos accerſiſſe, verens ne ab eis Francia demoliretur, Satrapas regiminis ſui conuocabat amboſq; diſcordes ad ſe apud Coldras conuenire mandauit. Vbi dum cauſas diſſenſionum vtraq; in parte audiſſet ſopitis eorum animis, protinus illos cõcordes reddidit. Eo quidem tenore, vt Oddo Dorcaſinum caſtrum teneret, & Dux præreptam terram reciperet, reciproce Tegulenſi caſtro in ſtatu ſuo perpetualiter conſiſtente, in eius ſcilicet ſuorumque hæredum poteſtate. Quibus Dux ad votum peractis, ad Reges ſuos regreditur lætus. Muneratos autem congtuis donis tegaliter, ad propria ouanter redire permiſit quandoque ad eius iuuamen paratos reuerti. Rex autem Olauus ſuper Chriſtiana religione oblectatus ſpreto Idolorum cultu, cum nonnullis ſuorum hortante, Rodberto Archiepiſcopo ad Chriſti fidem conuerſus eſt, atque ab eo baptiſmate lotus & ſacro chriſmate delibutus, de petcepta gratia gaudens, ad regnum ſuum regreſſus eſt. Poſtea vero à ſuis proditus, & à perfidis iniuſte peremptus, cæleſtem regiam intrauit. Rex & Martir glorioſus, & nunc apud gentem illam choruſcat prodigiis & virtutibus.

Quod Richardus Dux vxorem duxit Iudith ſororem Goiſfridi Comitis Britannorum, & de prole quam ex ea genuit.

CAP. XIII.

PORRO Dux Richardus de ſucceſſione prolis ſollicitus, Goiſfrædum Britannorum comitem, quandam habere ſororem nomine Iudith audiens, corpore admodum elegantem, omniq; morum honeſtate pollentem hanc per legatos petiit in connubium. Goiſfredus autem propoſitum eius vltroneo animo ſattagens accelerare, omnibus quæ ad tantum negotium erant congrua preparatis, eam illi deduxit vſq; ad limina Archangeli Michaelis. Ibi dux illam competenti honore ſuſcipit, ſibiq; legitimo iure iunxit. De qua profluentibus annis, tres filios genuit. Richardum ſiquidem atq; Robertum, & Willelmum apud Fiſcanum monachili vellere in adoleſcentia functum. Totidemq; filias, quarum vna nomine Adeliz Rainaldo Burgundionum Comiti nupſit, ex qua Willelmum & Widonem procreauit. Altera Balduino Flandrenſi. Tertia iam adulta obiit virgo. Porro Goiſfredus Comes longo poſt orationis pro obtentu Romam proficiſcens, totam Britanniam cum duobus filiis Alanno videlicet ac Eudone reliquit ſub Ducis aduocatu. Qui peragratis ſanctorum locis, in repatriando præuentus morte diem obiit.

Quomodo Robertus Rex Francorum auxilio Richardi Ducis reddidit Burchardo caſtrum Milidunum.

CAP. XIV.

TEMPORE illo cum Burchardus Milidunenſis caſtri Comes apud Regis Francorum curiam moraretur, quidam eius miles nomine Walterius muneribus cæcatus; illud ei dolo ſurripuit & Oddoni Comiti clandeſtina proditione tradidit. Rex autem vt hoc comperit, Oddoni feſtinato mandauit, quatenus caſtrum deſereret ſponte, quod ſibi vſurparet iniuſte. Sed ille loci fiſus munimine ob decurrētis in gyro alueum Sequanæ, referentibus legatis Regi reſpondit, illud vita Comite ſe nulli vnquam reddere. His Rex oppido exacerbatus verbis Richardum Normannorum Ducem ad colloquium accerſiuit, eique ruboris ſui dedecus depoſuit, orans gratiſſimam eius fidelitatem ſubuenturam ſibi, ne tanto præſumptionum ludibrio premeretur à ſuis. Dux autem opprobrium pii regis non ferens, congregatio mire multitudinis exercitu quantocius Milidunum venit, & illud ex vna fluminis parte obſedit. Et Rex in altera parte conſtitit. Sic ab vtriſque partibus caſtrum diu noctuq; cum turbine graui tormentis & machinis quatiunt. Videntes itaque milites tantam vim hoſtium ſe non poſſe tolerare, diſtracto * ducti tumido rebellatore portas repente aperiunt eumque cum ſuis introducunt. Dux autem parcens multitudini, traditorem protinus Regi deſtinauit mandans vt milites dirigeret, qui caſtrum in ſua fidelitate cuſtodirent. Rex vero hoc exhilaratus nuntio, continuo caſtrum reddidit Burchardo & proditorem cum vxore propria patibulo iuſſit ſuſpendi, debitam illis talionem reddens ſuæ factionis. Poſt hæc Richardus Dux rebus decenter expletis, cum benedictione Regali ad propria remeauit: Cuius ætatis tempore ſemper aſſueti fuerunt hoſtes fugare Normanni ſed terga vertere nulli.

* Ducto

Quod auxilio Ricardi Ducis Robertus Rex Francorum Ducatum Burgundiæ quod Henricus Dux eiuſdem ſibi moriens reliquerat inuitis Burgundionibus adeptus eſt.

CAP. XV.

ANNIS abhinc tribus emenſis Henricus Burgundionum Dux moritur abſque liberis, Rodbertum Francorum Regem ſui Ducatus relinquens hæredem. Burgundiones eum factu ſupercilii ſuſcipere refutauerunt. Sed Landricum Niuernenſem Comitem intra Autiſiodorum ad rebellandum ſummiſerunt. Quorum tumidos præſumptiuæ temeritatis conatus, Robertus Rex comprimere feſtinans accerſito Duce Ricardo cum exercitu Normannorum copioſo Antiſiodorum tam diu obſedit, donec Landricum cum vrbe obſidibus ſumptis ſuo ſubiungaret dominatui. Inde vero profectus apud Aualonum caſtrum ad obſidionem eſt caſtra metatus. Quod cum tribus menſibus expugnaret robore vehementi, tandem Burgundia vaſtata, oppidani coacti penuria ſtipendiorum, conſilio & auxilio Ducis illud reddiderunt Regi Francorum. His ad votum rite peractis, Rex per cuncta caſtella cuſtodes deputauit, & Rodbertum filium ſuum Ducatui ſubrogauit, ſicque arrogantia repugnātium caſſata quieuit. Deinde Rex in Franciam, & Dux cum ſuis redit in Normanniam.

Quod

Quod Rainaldus trans Saonæ fluuium Comes Burgundionum duxit filiam Richardi Ducis Adeliz.

CAP. XVI.

COGNITA quoque mirandorum operum Ducis opinione Rainaldus trans Saonæ fluuium Burgundionum Comes miſſis legatis filiam eius nomine Adeliz in coniugium ſibi expetiuit. Quam impetratam à paterna domo auferens, in Burgundiam cum magno honore induxit ſuoque thoro Chriſtiana lege ſociauit. Sed longo poſt obortis litium fomentis ipſe à quodam Cabilonenſi Comite nomine Hugone dolo capitur, & ſub diræ cuſtodiæ ergaſtulo detruditur, compedibuſque grauiſſimis areẽtatur. Cuius incompetentem anxietatem Dux vt agnouit, illico Hugoni expedite legatos direxit, mandans vt abſq; difficultate dilationis generum ſuum pro amore ſuo ſineret liberum abire. Legationem vero Ducis Hugo paruipẽdit, nec modo Rainaldum reddere contempſit, verum etiam cuſtodibus adhibitis vehementius cuſtodiri tumide iuſſit. Quod cum relatum Duci fuiſſet, protinus Richardo filio adiret, ſuamq; iniuriam de funeſto totis niſibus vindicaret. Adoleſcens iuſſa patris libenter exequitur, & omnia quæ ad tanti itineris expeditionem oportuna erant præparat. Deinde velut tempeſtas procelloſa coram ſe cuncta proturbans à patria egreditur, confecto calle cum innumerabilibus Normannis Burgundiam inuadit, & Milinandum caſtrum obſidione cingit. Incolæ vero loci tuto fidentes munimine, telis ac ſagittis hoſtes cæperunt confeſtim ad ſui perniciem prouocare. Normanni ſeuiſſimo furore concitati, caſtrum cum magno impetu per girum oppugnant, repente capiunt, & cum viris ac mulieribus atque paruulis igne terra tenus comburunt. Inde ad Cabilonenſem vrbem iter dirigunt, eiuſque patriam igne conſumunt. Conſiderans igitur Hugo contra tantum exercitus robur, ſe nullo pacto poſſe reſiſtere, equeſtrem ſellam ferens humeris prouolutus genibus Richardi adoleſcentis prece ſupplici veniam precabatur commiſſæ temeritatis. Qua indulta Rainaldum reddidit, & obſidibus datis apud Rotomagum ex hoc ſe fore ſatisfacturum, iureiurando Duci Richardo ſpoſpondit. Quibus ad votum peractis, Richardus iuuenis ad patrem rediit cum ſuis.

Quod Dux Richardus ad extrema veniens Richardum filium ſeniorem præfecit ſuo Ducatui.

CAP. XVII.

RICARDVS Dux quamuis præcellentiſſimorum actuum prærogatiuis longe lateque claruerit perſpicuus, tamen Chriſti cultor extitit aſſiduus, adeo vt monachorum atque clericorum iure vocetur pater piiſſimus, & pauperum ſuſtentator indefeſſus. His & huiuſmodi probitatum vigens titulis, cæpit vehementer aggrauari ægritudine corporis. Rodbertum ergo archiepiſcopum & cunctos Normannorum principes apud Fiſcannum conuocat, eiſque ſe iam omnino reſolui indicat. Ilico per cuncta triclinia domus, fit omnibus intolerabilis luctus. Lugubre quippe lamentabantur monachi & clerici, pro tanta orbitate patris chariſſimi. Heroum ora vndebant lachrimis pro amiſſione inuictiſſimi Ducis. Lugebant quoque cateruæ egenorum per compita oppidi, pro deſtitutione ſui conſolatoris & patroni. Nouiſſime autem aſcitum Richardum filium ſuum conſultu ſapientũ præfecit ſuo Ducatui & Rodbertũ fratrem eius Comitatui Oximenſi, vt inde illi perſolueret debitũ obſequii. Denique omnibus quæ ad Dei cultum pertinere videbantur ſtrenue diſpoſitis, Milleſimo viceſimo ſexto anno ab incarnatione Domini hominem exiuit viam ingrediens vniuerſæ carnis, Regnante eodem Ieſu Chriſto in Deitate paternæ Maieſtatis, & in vnitate Spiritus Sancti per omnia ſecula ſeculorum. Amen. *Anno 1026.*

Explicit liber quartus.

INCIPIT LIBER QVINTVS DE TERTIO RICARDO ET ROBERTO FRATRE, EIVS FILIIS VIDELICET SECVNDI RICHARDI.

Quod Richardus tertius licet pauliſper in regimine Ducatus fuerit, bonitatem tamen patris imitatus eſt.

CAP. I.

HACTENVS clariſſimis præcedentium Normannorum Ducum geſtis inelimato ſtili nitore in propatulum expreſſis, cõſequens videtur, vt qui floruerunt ætate noſtri temporis in huius ſtadio gymnaſii opportunum obtineant locum ſtationis. Quorum actus partim intuitu parum veracium comperimus relatu, quos plurimorum notitiæ prout tenuitas dictaminis ſuppeditauerit, propalare decreuimus. Igitur Ricardus iuuenis in Ducatu ſuperſtes genitoris, licet pauliſper ſuperuixerit, ſicut in vocabulo nominis, ita hæres extitit cenſura ſummæ ingenuitatis. Hic in armis bellicis valde idoneus, totus tamen fide fuit Catholicus, & circa Dei cultores benignus ac manſuetus, æquo libramine militares turmas moderans pace gaudens continua.

De diſcordia inter ipſum & Robertum fratrem ſuum, & de morte ipſius Ricardi poſt factam concordiam.

CAP. II.

VERVM huius optandæ pacis incremento perfidus hoſtis non diutius paſſus eſt illum lætari, quorundam verſutia maleuolorum fratrem ſuum Rodbertum aduerſus eum concitans ad rebellandum. Is enim poſt biennium contempto eius dominio, intra Faliſiæ caſtrum cum ſuis ſatellitibus ſe contulit ad reſiſtendum. Ricardus autem Dux furentis fratris temerarios conatus feſtiue cupiens refrenare, ac ad obtemperandum debitæ ſubiectioni reuocare, cum hoſtium multitudine infra caſtri ambitum vallauit eum obſidione. Quod cum crebris ictibus arietum & baliſtarum aliquandiu expugnaret, tandem à perfidia reſipiſcente Roberto, datis dextris in priſtinam concordiam redierunt, & firmiter pace compoſita ab inuicem receſſerunt. Porro dux Ricardus dimiſſo exercitu Rotomagum rediit, & cum ſuorum nonnullis vt

Anno 1028. plurimi retulerunt veneno mortem obiit. Hoc Milleſimo viceſimo octauo ab incarnatione Domini anno contigit. Paruulus Ricardo filius Nicholaus extitit, qui terrenæ hæreditatis ſorte vt ipſe Deus hic & in æuum ſua pars eſſet caruit. Nam ab infantia litteris traditus, & in cœnobio Sancti Audoeni in ſuburbio Rotomagenſi nutritus, monachile iugum diutiſſime portauit. Defuncto autem Abbate Herfaſto in regimine præfati monaſterii ſucceſſit, quod fere 50. annis tempore Willelmi Ducis Normanniæ, & magni Regis Angliæ tenuit. Denique Anno milleſimo nonageſimo ſecundo ab incarnatione Domini; menſe Februario obiit tempore Roberti ſecundi Ducis, & Willelmi Rotomagenſis archiepiſcopi. Nunc vero ad propoſitum reuertamur.

Quod Robertus fratri ſuo Ricardo ſucceſſit, & de moribus eius, & de diſcordia inter ipſum & Robertum Archiepiſcopum.

CAP. III.

DECEDENTE igitur Duce Richardo à mundani principatus culmine, & regna vt credimus Vranica ſcandente, Rodbertus frater eius totius monarchiæ comitatus ab omnibus ſubrogatur. Qui quamuis circa rebelles fuerit ferotior moribus, beneuolis tamen extitit lenis & benignus, & erga Dei cultum pius ac deuotus. Quamobrem diutine pacis oblectamento ſemper meruit frui, præter id quod prauorum conſultu ſponte ſibi delegit. Vnde in primordiis ſuorum actuum ſuſpectum habens Robertum archipræſulem, hoſtili obſidione Ebroicam girauit vrbem. Eius igitur efferos impetus archipræſul cupiens declinare, intra vrbis mænia cum militari manu obſtruxit ſe. Nouiſſime vero datis dextris ab ea ſecedendi, Rodbertum regem Francorum cum ſuis exul adiit, & Normanniam pontificali anathemate percuſſit. Robertus ergo Dux recompenſata improborum aſtutia, & perpendens ſe inconſulte egiſſe omnia, archiepiſcopum à Francia reuocauit, & in priſtinum honorem reſtituit. Poſtea mali penitens facti, ſuis vt tantum virum decebat aſciuit conſiliis, in reliquum illi perſiſtens fidelis.

Quod

Quod idem Dux Robertus Willelmum de Beleſmo obſedit intra Alentium caſtrum, & ad deditionem coegit.

CAP. IV.

ELIMINATIS denique à ſe totius litis incentoribus & ſubactis paci animis liberalibus ſapientum cæpit tractatibus vti, & ſollerti induſtria ad ſummi honoris incrementa pollentiſſime prouehi. Iam probos eius mores & pacificos actus laudum fauoribus bonorum plurimi ceperunt efferre improborum vero nonnulli ignauiæ aſcribere. Ex quorum contubernio Willelmus Beleſmenſis Iuonis filius animoſitatem eius audens attemptare, ex caſtro Alentio quod beneficii tenebat iure à Seruiminis iugo pertinacem ceruicem temere ſumpta rebellione niſus eſt extorquere. Ad cuius atrocem inſolentiam propere conterendam adueniens Dux cum militaribus turmis, tam diu eum intra munitionem tantæ præſumptionis adiutricem concluſit, donec eius clementiam expeteret, & nudis veſtigiis equeſtrem ſellam ad ſatisfaciendum humeris ferret. Dux autem ei licet ficte ſatisfacienti non modo cuncta indulſit verum etiam reddito ei oppido feſtinus à loco ceceſſet. Willelmus enim dirum anguſto ſub pectore virus efflans, pauliſper à manifeſto perfidiæ motu ſe ſuſpendit, ſed non multo poſt ad idem periurii ſcelus palam rediit. Multum quippe crudelis & cupiditas erat, & quatuor filios Watinum, & Fulconem, Rodbertum & Willelmum ſui ſimiles habebat. Watinus igitur poſtquam Gunherium & Beliſmo militem bonum & amabilem, qui nihil mali ſuſpicabatur. Sed potius ei tidens vt amico congratulabatur, ſiue cauſa capite crudeliter primauerat mox à demonio arreptus eſt, & videntibus ſociis qui aderant ſtrangulatus eſt. Iterum Willelmus ad tantam controuerſiam contra Ducem peieratus incanduit, vt intrepida cum audacia filios ſuos Fulconem atque Rodbertum cum militum copia dirigeret, qui directionibus Normanniam vexarent. Verum plurimi ex domo Ducis expediti vernaculi audacter eis occurrerunt, & intra ſaltum Blauonis cruentum cum eis prælium commiſerunt, ac ſuffragante Deo grauiter illos protriuerunt. Ibi Fulco præuaricatoris filius iugulatus eſt, & omnes pene milites abraſi ſunt. Robertus autem frater eius vulneratus vix è certamine cum paucis elapſus eſt. Willelmus vero pater eorum iam grauiter ægrotatus vt eos ſic interiiſſe comperit, intrinſecus dolore cordis tactus, continuo animam efflauit. Sic Ducis hoſtibus profligatis ſeditio preſſa in partibus illis vltra diſparuit.

Quod Hugo Baiocenſis epiſcopus filius Rodulfi Comitis Ebrilium tenere voluit ſed non potuit.

CAP. V.

INTEREA dum hæc geruntur, Hugo Rodulfi Comitis filius Baiocaſinæ vrbis præſul perſpexit, quod Rodbertus Dux vellet prudentium conſilia ſectari, & ſua deſtituere, quadam vſus doli verſutia Ibrilicum caſtrum clam armis & alimoniis ſufficienter muniuit. Deinde cuſtodes poſuit, & Franciam ocius adiit, vt inde milites conduceret, qui viriliter illum ad repugnandum iuuarent. Dux verò fraudis eius molimina accelerans anticipare, contractis Normannorum copiis idem caſtellum præoccupauit obſidione clauſa egrediendi ab eo ſiue ingrediendi omnibus facultate. A cuius ingreſſu cum ſe Hugo videret extruſum, Sollicitus de ſuis intra illud concluſis libertatem abeundi per legatos à Duce petiit, & eos inde permanſit. Dux vero cuſtodibus à caſtello amotis, idem in deditione munitum ſuſcepit.

Quod Balduinus Comes Flandrenſis filio ſuo Balduino filiam Roberti Regis Francorum quæſiuit & accepit, malo ſuo niſi Robertus Dux Normanniæ ſibi ferret auxilium: & de morte Roberti Regis Francorum, cui ſucceſſit Henricus filius eius.

CAP. VI.

SVB eodem tempore Balduinus Satrapa Flandrenſis ſobolem ſuam cupiens innormare proſapia regali. Rodbertum Regem Francorum expetiit, & filiam eius Balduino filio ſuo dari popoſcit. A palatinis vero triclinus adeptam tulit, ac domum propriam in cunis aſportauit eamque vſque ad annos nubiles diligenti cura nutriuit. Filius autem eius mox vt nobilis puellæ amplexibus cæpit frui, affinitate fretus regali, patrem à proprio ſolo pepulit, Flandrenſibus ab eius fidelitate auulſis. Qui indecenter à ſuis deſtitutus, Normannorum Ducem feſtinanter aggreditur ſuffragium aduerſus filium poſtulaturus. Dux ergò nobilis viri calamitatem miſeratus, con-

 tractis

tractis militum viribus velut horridus turbo à patria egreſſus. Tlandoniam eſt adorſus, illam exterminans flammis exitialibus. Progrediens itaque ad caſtrum quod Cioca vocabatur, confeſtim illud ſubuertit, & omnia quæ in eo conſiſtebant combuſſit. Videntes autem reliqui proceres & ſimilia pati formidantes, relicto filio ad patrem reuerſi obſides dirigunt Duci. Adoleſcens vero Balduinus intuens ſe non poſſe vllo modo ſubſiſtere, ante Ducis intolerabiles excurſus, legatos illi cum precibus humillimis dirigit, patri ſe cupere eo mediatore reconciliari. Deſiderio eius ac petitioni vir ſummæ beneuolentiæ congratulanti affectu fauit, & vtroſque libato pacis oſculo in priſtinam concordiam continuò redire perſuaſit. Sic litibus compreſſis, vlterius in pace & amore quo decuit perſtiterunt. Ipſe vero Dux demolitis rebellium rebus cum incolumi exercitu in Normanniam regreditur. Qua tempeſtate Rodbertus Rex Francorum moritur cui ſucceſſit Henricus filius eius.

Quomodo idem Dux iuuit Henricum Regem Francorum, contra Conſtantiam matrem ſuam.

Cap. VII.

Rex etenim Henricus patre Rodberto viuente Francorum regno potitus, tanto poſtmodum à matre Conſtancia nouercali odio eſt affectus, vt conſpirantibus aduerſus eum Comitibus à Regali faſtigio eum deponere ſatageret, & Robertum, fratrem eius Burgundionum Ducem illius loco ſubrogare diſponeret. Conſultu itaque ſuorum ad Rodbertum Normannorum Ducem cum 12. clientulis confugium fecit, ac apud Fiſcannum per fidei debitum ſibi ab eo ſubuenire petiit Dux enim honorifice recepit, multis donis honorauit, & non multo poſt decenter equis & armis inſtructum, patruo ſuo Malgerio comiti Corbulienſi deſtinauit mandans vt ſuis in partibus omnes incendiis ac tormentis affligeret, quos ab eius fidelitate deſipere videret. Ipſe vero per cuncta ſuæ ditionis caſtella Franciæ contermina militum validiſſimam manum poſuit, & conflictibus crebris tam diu rebelles violenter oppugnauit, donec ceruicibus plexis & ſuis omnibus conſumptis coacti ſuo Regi reconciliarentur & infeliciſſimæ matris conatus omnino exinanirentur. Tunc Rodbertus Willelmum Beleſmenſis poteſtatis hæres & crudelitatis per aliquot annos infeſtus erat vicinis ſibi Cenomannenſibus & Normannis. Expeditionem itaque vltra Sartam agens, à Cenomannenſibus capitur ac apud Balaum caſtrum duobus annis in carcere cuſtoditur. Poſt biennium vero Willelmus Geroii filius aliique Rodberti proceres exercitum congregant & Cenomannis Comitem ad pugnam prouocant, & viriliter pręliantes è bello effugant, ibi Walterium de Sordenia egregium militem cum duobus filiis militibus eximiis comprehendunt, inter quos contradicente Willelmo nequiter eum in patibulo ſuſpendunt. Alii vero tres filii Walterio apud Balaum erant. Qui vt atrocē patris & fratrum mortem cognouerunt vehementer irati carcerem vehementer irrumpunt, & Rodbertum de Beleſmo ſecuribus capite eius ibidem contrito miſerabiliter occidunt. Quo defuncto Willelmus Taluatius frater eius ſucceſſit in honore paterno. Ipſe cunctis fratribus ſuis in omnibus flagitiis deterior fuit, & in eius ſeminis hæredibus immoderata nequitia vſque hodie viguit.

Quod Dux Robertus contra Alannum Comitem Britannorum pergens, non longe à flumine Coiſum Caſtrum Carrucas condidit.

Cap. VIII.

Alannus Britannorum Comes proteruiæ faſtu elatus à Roberto Ducis ſenitio ſe ſurripere pertinaciter eſt aggreſſus. Dux igitur aduerſus eum innumerabilem exercitum mouit, & non longe à fluuio Coiſnon caſtrum quod vocatur Carrūel ſtabiliuit, ad munimen videlicet Normannici limitis ac domandam tumidi arrogantiam præſumptoris. Inde Britanniam inuaſit, totumque Doli Comitatum voracibus flammis tradidit. Quibus luculenter peractis, cum præda ingenti Normanniam repetiit. Alannus autem poſt eius abſceſſum cupiens vlciſci illatum ſibi improperium ad demoliendum Abrincatenſem Comitatum, cum magno exercitu è veſtigio perſequitur illum. Nigellus vero & Alur̄edus cognomento Gigas prætitulati caſtelli cuſtodes cum ſuis ei occurrunt & cum eo certantes ilico tanta ſtrage. Britones depopulati ſunt vt per camporum plana Sini prædicti fluminis littora proſtrati viderentur quaſi bidentes. Alannus itaque ſua triſtis repetens, cum dedecore Redonis venit.

De Ab-

De Abbatia Becci, & primo Abbate & fundatore ipſius venerabili Herluino, & de ſucceſſore eius Anſelmo.

CAP. IX.

CIrca hæc tempora, anno videlicet ab incarnatione Domini milleſimo trigeſimo quarto, Dominus Abbas Herluinus quadrageſimo ætatis ſuæ anno deſerens ſecularem vitam ſacræ religionis habitum ſuſcepit ab Epiſcopo Lexonienſi Herberto, & poſtea ab eodem præſule ſacerdos ordinatus, atque Abbas conſtitutus eſt. Inde Beccenſe Cœnobium cæpit habere initium. Sed quia tanti patris fecimus mentionem, libet ad memoriam poſteritatis his annalium paginis aliqua de eo & Eccleſia ab eo conſtructa paulo latius inſerere. A Danis igitur, qui Normanniam primi obtinuere, pater eius originem duxit, mater proximam ducum Morinorum, quos moderni Flandros cognominant, conſanguinitatem attigit. Anſgodus ille iſta Helois nomen habebat. Giſlebertus Brionnenſis Comes primi Ricardi Normanniæ Ducis nepos ex filio conſule Godefrido illum enutritum penes ſe inter omnes curiæ ſuæ primates habuit acceptiſſime. Habilis ille ad arma plurimum erat, nec minori ea animoſitate geſtabat. Omnes omnium totius Normanniæ maiorum familiæ in electis illum habebant in armis, omniq; rei militaris vſu & cultu corporis ſui attollebant. Ab inhoneſtis auertebat animum, honeſtis, quæ curiæ magnifaciunt, impendebat omne ſtudium, domi ac militiæ commilitonum ſuorum præſtantiſſimus, non eſſe impatiens etat. Quibus de rebus non ſolum ſingularem domini ſui obtinuerat fauorem, verum & apud Robertum totius patriæ Ducem, & apud exterarum dominos regionum pepererat ſibi nomen plurimum, acceſſumq; familiarem.

Vitæ huius iocundiſſimo ſtatu annos ille iam exceſſerat triginta ſeptem, cum tandem diuino metu ſuccendi amore mens illius cæpit, & ab amore mundi tepeſcere, ſenſimq; indies frigeſcere. A b exterioribus oculum cordis conuertens ad ſeipſum ibat frequentius ad Eccleſiam, orabat deuote, ac ſæpe prorumpebatur in lachrymas. Ludicra re omni omiſſa, iam minus frequens erat in curia. Qui hoc ſolo retinebatur, quod prædia ſua Deo ſecum lucrari ſatagebat, quod & obtinuit extorquens ea ſibi à Domino ſuo multa inſtantia ſeruitii. Ditioni illius ac ſeruitio ipſo Domino tradente quicquid paterni iuris habebant fratres ſui, qui eadem dignitate geniti pares extiterant ſibi. Quia dignior & vera nobilitate generoſior germanis efficiebatur. Protinus in villa, quę dicitur Burnen villa, extruendum ſeruitio Dei opus arripuit non paruum breui peractum.

Ipſe non ſolum operi præſidebat, ſed opus ipſum efficiebat terram fodiens, foſſam referens, lapides, ſabulum, calcemque humeris comportans, ac ea in parietem, ipſemet componens. Quibus alii horis aberant, ipſe congerebat, quæ ad opus exigebantur, excludens otium ab omni parte diei, quanto vanitate timida olim delicatior tanto vera humilitate nunc ad omne laboris tolerantiam propter Deum patientior.

Cibum præter quibus non licet diebus ſemel accipiebat, nec exquiſitum & parce ſatis expleto cum die opere ſuo. Prima literarum elementa didicit, cum iam exiſteret annorum prope quadraginta, & diuina opitulante gratia eo vſq; proceſſit, vt etiam ipſis apprime eruditis Grammatica in exponendis ac intelligendis diuinarum ſcripturarum ſententiis merito haberetur admirabilis. Quod vt ſolius diuinæ gratiæ efficaciæ actum credatur, nocturnis tãtum horis huic ſtudio vacabat, quippe propter lectionem nunquam diurni operis intermiſit executionem. Auulſit ilico paternas domos, vnde ſeruorum Dei habitacula conſtruxit. Sacrata vero quam conſtruxit Eccleſia ab epiſcopo Lexonienſi Herberto, comam totondit, ac ſecularem habitum deponens ab eodem Pontifice ſacræ habitum religionis accepit, mille Chriſti per tot pericula fortis ante expertus. Eiuſdem ordinis cum eo iugum ſubierunt duo ſui. Poſtmodum à præfato præſule ſacerdos conſecratus, pluribus Ducatu illius iam additis fratribus Abbas præficitur. Quos ergo regendos acceperat, arctiſſime, ſed more patrum præcedentium regebat. Videres peracto in Eccleſia officio, Abbatem collo ſementem, manu raſtrum, vel ſarculum geſtantem ad agriculturam præire, monachos omnes ruris operi ſub diei terminum inſiſtere. Sentibus & ſpinis alii agrum emundabant, alii fimum ſcapulis comportantes ſpargebant. Hi ſariebant, illi ſerebant, nemo panem abſumebat in otio. Ad horam agendi officii in Eccleſia omnes vnamquamque conueniebant.

fuiſſent, & de Regis exhibitione diutius altercarentur, Hugo magnus nouiſſime ſubintulit. Reddite nobis Regem noſtrum, & pro eo reciproce ſuſcipite eius filium eo tenore, vt opportuno huc reuertentes tempore, firmemus pacem inter nos ſtabili fœdere. Hoc cum Normannis placuiſſet, pro eo ſuſceperunt obſides, eius ſiquidem filium, & duos præſules, Hildierium Beluacenſem, atq; Widonem Sueſſionenſem. His itaq; ſtrenue peractis, Rex de euaſione ſua lætus, regreditur Laudunum, & Normanni repetunt Rotomagum.

Quomodo Normanni reduxerunt Ricardum dominum ſuum de Francia, & quod obſides redditi ſunt, & de reditu Haigroldi Danamarcam.

Cap. IX.

POST hoc autem Normanni mittentes ad Siluanectenſem Bernardum, reuocauerunt inde cum exercitu magno Ricardum ſeniorem ſuum. Tempore vero præfinito aſcita militari manu cum præſulibus Franciæ venit Rex ſuper fluuium Eptæ cum magno Hugone, Normannis occurrentibus in altera parte fluminis cum puero Ricardo. Diſcurrentibus autem ab vtraq; parte internuntiis Chriſto fauente pax inter eos ſtabilitur fœderibus firmis, iuratiſq; ſacramentis obſides redduntur: mortuo filio Regis apud Rotomagum. His autem rite expletis Rex Ludouicus Laudunum, & puer Ricardus Rotomagum. Quem Rodulfus Torta vrbis præfectus male ilico cœpit tractare, & domeſticos eos penuria famis affligere, nolens ad quotidianum victum illis præter 12. nummos præbere. Quamobrem Dux vehementer furore ſuccenſus, ab vrbe illum feſtinanter pepulit, Pariſiumq; ad filium ſuum vrbis præſulem ire coegit. Quibus ita peractis Normannica tellus ſiluit à facie Ducis. Haigroldus vero Rex non multo poſt regreditur in Danamarcham, & Sueno filio ſuo reconciliatur.

Quod Hugo magnus filiam ſuam Emmam Ricardo Duci deſpondit, vnde Lodouicus Rex & Arnulfus Comes Flandrenſis perterriti auxilium Othonis Regis petierunt contra Hugonem magnum & Ricardum Ducem, & quod Otho depopulata terra Hugonis magni Rotomagum aggreſſus eſt expugnare.

Cap. X.

POST hæc Hugo Dux conſiderans puerum Ricardnm viribus conualeſcere, conſenſu Bernardi Siluanectenſis ſacramentis ab vtraque parte iuratis, filiam ſuam nomine Emmam illi deſpondit, vt pubeſcēs flore iuuentutis iungeret eam ſibi lege coniugali. Quæ res Ludouicum Regem plurimoſq; Francorū proceres valde perterruit, ſed maxime Arnulfum Flandrenſem totius fraudis incētorem. Ludouicus ſiquidem vt hos magnarum virium Duces amoris vinculo connexos eſſe didicit, timens ne eorum conatu deponeretur à culmine regni, miſit Arnulfum Flandrenſem conſultu eiuſdem, ad Othonem trans Renanum Regem, mandans, quoniam ſi Hugonem magnum omnino contereret, & Normannicam terram ſuo domino ſubigeret, procul dubio Lotharienſe regnum illi contraderet, quod patri ſuo Henrico Regi videlicet trans Renano fuerat promiſſum, propter prœlium Sueſſonio campo ipſius adiutorio à Carolo patre ipſius Ludouici contra Robertum proſpere geſtum. Qui gauiſus audiro quod diu optauerat, præparatis omnibus quę tantum ad negotiū congrua erant ac neceſſaria, velut tempeſtas valida à regno ſuo egreſſus, adiunctis ſibi Ludouici Regis & Arnulfi Flandrenſis exercitibus, cum legionibus militum multis ſuper Hugonem magnnm irruit. Conſumptiſq; omnibus, quæ illius erant extra oppida, omne robur belli ſuper Normannos à patria exturbandos immiſit: præmittens cum milite multo quendam ſuū nepotem ad terrendā Rotomagenſem vrbē. Quam cum aggreſſus fuiſſet, Normannos intra muros reperiens deliteſcentes, ſuſpicatus eſt omnes fore imbelles. Itaq; militibus concitatis vehementer portas expugnare cœpit. Normanni vero portis repentino impetu patefactis, prouentes animis efferatis, tanto aduerſarios turbine depopulati ſunt, vt proſtrato ſuper pontem nepote Regis, vix elaberentur è certamine perpauci.

Quam turpiter Otho Imperator, & Ludouicus Rex, & Arnulfus Flandrenſis ab obſidione Rotomagi fugerunt, & de morte ipſius Ludouici, cui ſucceſſit Lotharius filius eius.

Cap. XI.

PORRO Rex Otho cum Rege Ludouico atque Flandrenſi Arnulfo lento gradu ſubſecutus, diſpoſitis militum legionibus, cum acceſſiſſet ad obſidēdam vrbem, eam-

eamq; perſpexiſſet inexpugnabilẽ, audita morte ſui nepotis, de diſtrahendo Arnulfo Normannis, cũ ſuis clam cæpit conſultare, intra Eccleſiam S. Petri almiq; Audoeni, quæ in ſuburbio ſita eſt ciuitatis. De regreſſu quoq; in craſtino pauido inibi diſponit conſilio. Verum Arnulfus eo traditionis laqueo deprehenſo, papilionibus tentoriiſq; complicitis, & ſaginariis oneratis, in conticinio noctis cum ſuo exercitu feſtinus aufugit, in maximo tremore perſiſtentibus aliis, equorum ſtrepitu abeuntium territis. Otho vero atq; Ludouicus diluculo conſurgentes, vt didicerunt Arnulfum fugiſſe, ilico quo venerant itinere, greſſus retorquent dimiſſa obſidione. Quos maturius diſcedentes, Normanni adeo ſunt perſecuti gladiis, perimentes, vt per diuerſa itinera reperirẽtur proſtrati quaſi bidentes. Plurimi autem illorum dum per deuia ſiluarum diuortia oberrarent capti per Normannorum patriam ſunt diſtracti. Hic extit euentus Othonis Germanorum ſiue Romanorum Imperatoris. Hic Ludouici Regis finis, non multo poſt hominem poſt multos mœrores exeuntes. Quo tempore defuncto Gunardo Rotomagenſi Archiepiſcopo ſucceſſit Hugo.

Quod Hugo magnus ad extrema veniens, filium ſuum Hugonem patrocinio Ducis Ricardi commendauit, & quod idem Dux filiam prædicti Hugonis Emmam poſt mortem patris vxorem accepit.

Cap. XII.

HVGO deniq; dux ſenio feſſus cum nouiſſimum ſui exitus diem cerneret imminere, aſcitis principibus ſui ducatus, eorum conſulto flore iuuentutis vernanti Ricardo Duci filium ſuum nomine Hugonem commendare ſtuduit, vt eius patrocinio tutus inimicorum fraudibus non caperetur. Poſt cuius obitum filiã eius nomine Emmam à paterna domo ſublatam, idem dux vt olim deſpõderat, cum maximo tripudio & honore Rotomagenſibus intulit mœnibus ſibi eam iungens iure coniugali.

Quod conſilium Thebaldus Comes Carnotenſis dedit Gerbergæ Reginæ contra Ricardum Ducem, & quomodo eadem fraus à duobus militibus ipſius Thebaldi Duci detectum eſt.

Cap. XIII.

INTEREA Thebaldus Carnotenſis comes quibuſdam ſimultatib. exortis, duci Ricardo cępit aduerſari, eius terras demoliẽdo rapinis, cuius temerarios auſus vt comperit, fortitudine tanto digna viro ſtrenue compreſſit. Tetbaldus autem ſuum inceptum ſpe minus valere conſiderans, Gerbergæ Reginæ de Ricardo Duce maliuola verba cæpit ſuggerere, ſuadens eo viuente Lotharium regem filium equidem ſuum, Francorũ regnũ nunquã pacatum tenere. Qua de re ſumme neceſſariũ fore. Quibus verbis regina credula confeſtim Brunoni archipræſuli Colonienſi & duci, ſuo videlicet fratri, legatum mittit, mandans quatinus nepoti ſuo ſubueniat, Richardum infeſtiſſimum regni eius aduerſariũ capere, ſi qua via ſuccedat annitens. Continuo à Brunone quidam epiſcopus duci deſtinatur, qui ei ſuadeat, quo apud Ambianenſem pagum ſibi ad colloquium occurrat, regem reconciliari illi, Francorumq; regnum ſuæ tuitioni ſubdere cupiẽti. Quibus verbis dux ſubdole deceptus, quo lætiſſima ſpes vocauit, iter inſtituit feſtinus, cui eunti obuii fuerunt duo milites Tedbaldi. Quorum vnus ait: Quorſum illuſtriſſime virorum greſſum tendis? Viſne eſſe dux Normannorum, an extra tuam patriam cuſtos ouium? His dictis conticuit. Cui Dux ait: Cuius milites eſtis? Ad hæc alter infit: Quid tibi cuius? Nonne tui? Animaduertens ilico Dux verba delatorum ſibi ad conſulendum ac neceſſario prouidendum dirigi, illis quidem honorifice valedixit, & vni enſem ex auro quatuor librarum in capulo fulgidum dedit. Alterum vero armilla totidem librarum puriſſimi auri remunerauit. Deinde ſuum celerrime greſſum retorſit, ſaluuſque Rotomagum venit. Hoc modo Bruno deluſus, regreſſus eſt detectis nequitiæ ſuæ fraudibus.

Quomodo Rex Lotharius congregatis inimicis Ricardi Ducis, videlicet Balduino Comiti Flandrenſi, Gaufrido Andegauenſi, Thebaldo Carnotenſi, illum voluit decipere, ſed non potuit.

Cap. XIIII.

EXINANITO itaq; tanto dolo, Lotharius rex ad aliud palliatæ proditionis argumentum hortante Tedbaldo iteraro deuoluitur, duciq; legatum huiuſmodi verbis inſtructum deſtinat. Quouſq; inquit dux ſeruitii debitũ mihi detrectas exhibere?

An ignoras me Francorum Regem eſſe, cui te militiam oportet impendere: cuius edictis atq; conſultis te nequaquam oportet contraire? Nonne de noſtra diſſenſione mei tuique gratulantur inimici? Riſipiſce ergo iam iamq; ab his obſtinati animi altercationibus, & accelerato itinere feſtina mihi occurrere, vt indiſſolubilibus pacis fœderati vinculis, deinceps per mutuam cõcordiam fruamur competentibus cõmodis. Gaudeatq; Rex de tanto ſuo Duce, & Dux de ſuo chariſſimo Rege. Quibus ſimulatæ legationis ambagibus Dux illectus, illico Regi mandat, ſe vltroneo libitu affuturum. Super his vehementer Rex gauiſus, aſcitis Ducis inimicis, Balduino ſcilicet Flandrenſi, atque Goisfredo Andegauenſi, nec non Tedbaldo Carnotenſi, ſuper Helnæ fluuium ad deteſtandum placitum cõcitus venit. Econtra quoque Dux ex altera aquæ parte ſedit cum militari manu. Cupiens autem ſcire, quę apud Regem gererentur, miſit de ſuis renuntiaturos, qui agerent cum eo de eius contubernalibus amicis. Legati prænominatis illic repertis Comitibus ſuper Ducem irruere diſponentibus, confeſtim pernici curſu regreſſi Ducem hortantur, vt à loco recedat, ne dum regia præoccupatur proditione inimici eius aduerſum ſe congredientes, gaudeant de illius morte. Continuo Dux compellentibus ſuis fluuium Deppæ tranſiens aliquandiu ſubſtitit, & à vado aquæ inſequentes hoſtes prohibuit, donec regiam vim declinans, Rotomagum repeteret celeriter cum ſuis. Sic detecta in propatulo fraude Regis, animoſitatem eius circa ſe agnouit.

Quod Rex Lotharius vrbem Ebroicam capiens Thebaldo tradidit: & quomodo Dux Ricardus Carnotenſem Comitatum, & Dunenſem vaſtauerit: & quod Thebaldus ad Ermentrudis villam cum exercitu veniens, ignominioſe inde agente Duce cum magno damno aufugit.

Cap. XV.

PErspiciens ergo Rex propoſitũ ſui voti flocci penſum fore, Laudanum regreditur furibundus, non multo poſt Tedbaldo ſuggerente Normanniam hoſtiliter petiturus. Vix enim ad conſilium contrahendum reſpirans, congregatis Burgundionum Francorumq; militum copiis ciuitatẽ Ebroicam aggreſſus, ciuibus incautis eam obſidione cingit, doliſq; Giſleberti agnomẽto Machel capit, ac ad expugnandam patriam Tedbaldo Comiti ſtatim tradit, Rege vero ab vrbe recedente Ricardus Dux è veſtigio eum proſequitur, & cunctum Dunenſem ſeu Carnotenſem comitatum prœliis & incendiis depopulatur. Conſumptis omnibus, quæ Tedbaldi erant, cum innumera præda reuertitur ad propria. Haud mora Tedbaldus reciproca viciſſitudine clam exercituum agmen collegit, ac ad dedecus Ducis apud Hermentrudis villam papiliones & magalia fixit, ſtationemque infeſtiſſimorum hoſtium compoſuit. Verum prouidiſſimus ac fortiſſimus Dux intempeſtæ noctis ſilentio alueum Sequanæ tranſmeauit, & diluculo ſuper eos irruens tanta illos ſtrage profligauit, vt ex eis ſexcenti quadraginta perirent, & reliqui per diuerſa ſiluarum luſtra vulnerati diffugerent. Ipſe vero Tedbaldus turpiter fugiens cum paucis, latitando per deuia ſaltus, Carnotum venit cõfuſus. Ad eius fugæ ſuffragium, Chriſto illi reddente vicem, filius eius ipſa die moritur, totaque Carnotena vrbs incẽdio conſumitur. Dux autem Normanniæ ad campum belli regreſſus, mortuos reperit, & miſericordia motus ſepeliri eos iuſſit. Vulneratos vero imperat Rotomagum leniter deferri, ibique à medicis curari, ſanatos quoque Tedbaldo remitti.

Quod Ricardus Dux auxilium Heraldi Regis Danorum contra Francos petiit, & efficaciter impetrauit.

Cap. XVI.

VIdens itaque Dux tantarum fraudium Regis molimina ſuper ſe imminere, Comiteſq; Francorum contra ſe vnanimiter ſpuire, Heraldo Danorum regi legatos dirigit, & mandat, vt otius illi ſuccurrat, & paganorum multitudine, Francorum rabiem ſolotenus comprimat. Cuius legatos Rex non modo gaudenter recepit, verumetiam maximis muneribus ditatos Duci remiſit, ſeque miſſurum celerrime illi iuuamen ſpopondit. Quid plura? Iuſſum regio naues ad mare propelluntur. Ad tantæ expeditionis negotium paganica iuuentus præparatur, clipeis, & loricis, ac galeis, omnique armorum apparatu innumerabilis exercitus munitur. Inde ſtatuto die eleuantur vexilla, ventis ſalubriter ſpirantibus librant vela, celerique

nauium

nauium curſu permenſo mari ad Sequanica deuoluuntur ora. Quorum aduētu Dux cognito vehementer gauiſus, illis obuiam proceſſit, atque eo præeunte ſulcantes remigio alueum Sequanæ, ad Giuoldi foſſam deuehuntur expedite, ibique fixis anchoris de ſubuerſione conſulunt Franciæ. Et ecce repentino tumultu è nauibus proruunt, totamque in circuitu patriam exitialiter comburunt. Dehinc viri cum mulieribus concatenati diſtrahuntur, vici deprædantur, vrbes deſolantur, caſtella ſubuertuntur & terra in ſolitudinem redigitur. Fit luctus omnium in commune, nullo cane per comitatum Tedbaldi latrante. Vbi vero illa deficiunt, regalia iura continuo inuadunt. Quæ autem Francis ſubtrahunt, Normannis poſſidenda vili precio conducunt. Libera manet à paganorum rapinis tellus Normannica, Francia vero nullo obſiſtente diſtrahitur captiua.

Quod neceſſitate compulſi Rex Lotharius & Thelbaldus omnia quæ Duci Richardo diripuerant integre reſtituerunt, & de conuerſione paganorum ipſius hortatu.

CAP. XVII.

DVM hæc geruntur, Sinodalis epiſcoporum conuentus apud Laudunum congregatur, inueſtigaturus cur Chriſtianus populus his cladibus affligatur. Mittentes denique Carnotenſem præſulem Duci, ſciſcitantur ab eo, cuius rei cauſa tam execrāda à Chriſtianiſſimo piiſſimoque viro proceſſerit ſeueritas. A quo cum Regis fraudes, & Tedbaldi vrbis Ebroicæ ſurreptionem pontifex didiciſſet, confeſtim à paganicis irruptionibus inducias petit ac adipiſcitur, in quibus præſules adducant loco opportuno Regem Lotharium, de omnibus beniuolo animo illi ſatisfacturum. Igitur audiens Tedbaldus Regem abſque ſuo conſilio pacem quærere, formidans ne totum ſeditionis pondus ſuper eum incumbat, quendam monachum Duci cum feſtinatione mittit, mandans ſe in quibus illum offenderat toto conamine penitere, ac ad curiā eius ire, Eboricamque vrbem illi reddere velle. Dux autem his auditis letus efficitur, & conceſſa ſecuritate, copiam illi indulget ad ſe veniendi. Qui cum familiaribus ad eum veniens, non ſolum vrbem illi reddidit, verum etiam firmatis amicitiis donariis ab eo gaudens diſceſſit. Imminente vero die præfiniti colloquii, Dux apud Ginoldi foſſam in paganorum caſtris ſcænam miræ magnitudinis conſtrui iuſſit, in qua Rex Lotharius cum ſuis optimatibus diuertens, illi ſatisfecit, fœderibus pactis iuratiſque Sacramentis. His itaq. Dux ſalubriter expletis, paganorum plurimos ad fidem Chriſti ſacris monitis conuertit, alios in paganiſmo permanere diſponentes ad Hiſpanias tranſmiſit. Vbi plurima bella perpetrantes, decem & octo diruerunt vrbes.

Quod mortua vxore ſua Emma abſque liberis idem Dux duxit Gunnorem & de progenie ipſius ducis.

CAP. XVIII.

QVA tempeſtate Emma vxor eius filia Hugonis magni, abſque liberis moritur. Ipſe vero non multo poſt quandam ſpecioſiſſimam virginem nomine Gunnor, ex nobiliſſima Danorum proſapia ortam ſibi in matrimonium Chriſtiano more deſponſauit. Ex qua filios genuit Ricardum videlicet & Robertum atque Malgerium, alioſque duos, atque filias tres. Quarum vna nomine Emma Edelredo Regi Anglorum nupſit, de qua idem Rex Edwardum & Aluredum, Godwini Comitis longo poſt dolis interemptum procreauit. Secunda vero Haduis vocata, Goisfredo Britannorum Comiti iuncta Alannum & Eudonem Duces progenuit. Tertia quidem Mathildis Odoni Comiti, de qua ſermo imposteris orietur. Genuit etiam duos filios & totidem filias ex concubinis. Quorum vnus Godefridus, alter vero dicebatur Willelmus. Horum prior, Comes fuit Aucenſis. Quo defuncto accepit frater eius eundem Comitatum, quem adhuc hæredes eius iure ſucceſſionis poſſident, licet Comes Giſlebertus filius Godefridi Comitis, ipſum Comitatum parumper tenuerit, antequam occideretur. Hic Giſlebertus genuit Ricardum ſtrenuiſſimum militem, qui tam ipſe quam filii eius Giſlebertus, Rogerius, Walterius, Rodbertus, eccleſiam Beccenſem magno affectu dilexerunt, & magnis poſſeſſionibus ditauerunt, imitantes Comitem Giſlebertum auum ſuum, qui in fundanda prædicta eccleſia venerabilem Herluinum primum Abbatem & conſtructorem ipſius, & conſilio & rebus iuuit. De qua eccleſia, & prędicto eius Abbate procedenti tractatu, loco competenti pro vt decet mentionem faciemus. Hic vero iſta per anticipationem breuiter dixiſſe ſufficiat.

Quomodo Dux Ricardus apud Fiſcannum eccleſiam in honorem Sanctæ Trinitatis conſtruens, diuerſis ornamentis decorauit: & de Abbatiis S. Michaelis de Monte & S. Audoeni quas reſtaurauit: & quod mortuo Lothario Hugo Capet Rex eleuatur, cui etiam poſt aliquantum temporis defuncto ſucceſſit Robertus filius eius.

Cap. XIX.

CVM igitur Dux Ricardus multorum operum bonorum polleret incrementis, inter plurima commercia ſummæ opinionis apud Fiſcanum mire magnitudinis & pulchritudinis in honore Deificæ Trinitatis templum conſtruxit, mirificiſq; ornatibus multimode adornauit. Abbatias quoque quaſdam reſtaurauit. Vnam ſiquidem in ſuburbio Rothomagenſi in honore Sancti Petri Sanctique Audoeni, aliam in Mõte qui dicitur Tumba in veneratione Archangeli Michaelis, gregibuſque monachorum inſignauit. Tempore ſub eodem diem obiit Hugo Rotomagenſis archiepiſcop⁹, cui ſucceſſit Rodbertus eiuſdem Ducis filius. Porro mortuo Francorum rege Lothario, in illius loco ab omnibus ſubrogatur Hugonis magni Ducis filius Hugo Capeth, adminiculante ei Duce Ricardo. Hic aduerſum Flandrenſem Arnulfum ſibi militare renuentem, arma mouens cum valida manu hoſtifica, Atrabatum illi abſtulit, & cuncta municipia quæ citra flumen quod vocatur Lis tenebat. Huius infortunii dolore mæſtus Arnulfus, petiit Ricardum Ducẽ ſupplex & deuotus, vt pacificaret eum cum rege & Francorum principibus. Hoc itaque pro negotio Dux contra regem Hugonem ad placitum pergens, non modo eum pacificauit, ſed & cuncta illi ablata ſuis precibus reſtituit. Quo tempore moritur iſdem Rex Hugo, ſuccedente eius filio Rodberto rege priſtino. Huius igitur beatitudinis prærogatiuis iſte Dux profuſius floruit, quia quos audiebat diſcordes, aut per ſe aut per ſuos legatos reddebat concordes, ſcriptura dicente: Beati pedes pacem portantes. Erat autem ſtatura procerus, vultu decorus, integer corpore, barba prolixa, cano decoratus capite, piiſſimus monachorum altor prouidus clericorum ſuffragator, ſuperborum contemptor, humilium amator pauperum ſuſtentator, orphanorum tutor, viduarum pius defenſor, & captiuorum liberalis redemptor.

Quod dux Ricardus ad extrema veniens, Ricardum filium ſuum Normannis præfecit & de morte eius apud Fiſcannum.

Cap. XX.

HIs & huiuſmodi boni odoris floſculis in laicali habitu redolens gemma Chriſti, ægritudine corporis cæpit vehementer aggrauari. Conuocatoque Rodulfo Comite ſuo equidem vterino fratre, conſilium exigit de patriæ diſpoſitione. Qui nimio turbatus dolore, ac aliquantiſper factus elinguis, nouiſſime reſumpto ſpiritu hæc Duci reſponſa reddit. Quamuis dulciſſime frater atque ſereniſſime Senior viribus corporis videaris deſtitui, tamen dum in hac vita te gaudemus amplecti, tuum eſt de totius patriæ ſtatu diſponere. Quo audito Dux ſuis vndiq; optimatibus aſcitus, Ricardum filium ſuum coram exponit, hoc eum eloquio commendans & pręficiens. Hactenus commilitones optimi veſtræ militię pręfui, nunc vocante Deo morbo crudeſcente compellor à vobis ſeparari. Proinde ſi aliquando mei amatores fuiſtis, oro vos vt hunc filium meum loco mei vobis pręferatis, eique fideles ſitis, ſicut mihi ſemper fuiſtis. Iam enim me ſito onere vitæ corruptibilis. His ab eo lugubre prolatis, protinus tota domus concutitur gemitibus & lachrimis. Tandem fletibus ſopitis, aſſenſum præbent voluntati ducis, Ricardum adoleſcentem pacta ei fidelitate, æquanimiter collaudantes principem. Dehinc languore ingraueſcente lecto proſternitur, & libratis ſurſum oculis, inter verba orationis plenus dierum ſpiritum efflauit. Huiuſque digeſta prout à Rodulfo Comite huius Ducis fratre magno & honeſto viro narrata ſunt, collegi: quæ ſcholaſtico dictamine ſcripta relinquo poſteris. Obiit autem apud Fiſcannum Ricardus Dux primus, flentibus populis, gaudentibus angelis, nongenteſimo nonageſimo ſexto anno ab incarnatione Domini. Regnante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Anno Domini 996.

Explicit liber tertius.

INCI-

INCIPIT LIBER QVARTVS DE SECVNDO RICARDO DVCE FILIO RICARDI SVPERIORIS.

De honeſta conuerſatione ſecundi Ricardi tam in ſecularibus quam in diuinis negotiis.

Cap. I.

QVONIAM quidẽ dignis preconiorũ titulis in præcedentibus precioſiſſimam Chriſti gemmam, Ricardum ſcilicet Normannorũ Ducem extulimus, & æterni Regis anulo decẽter inſeruimus, operepretiũ videtur, vt carbũculus ab ipſo exoriens ſecundam ſicuti in nomine ita in præclariſſime ingenuitatis eulogio abſidam teneat Ricardus eius ſiquidem filius, militaribus triumphis oppido conſpicuus, & non minori laudum tripudio excolendus. Qui ſui fulgoris radios per diuerſos orbis cardines glorioſo nomine ſpargens, intra ſui Ducatus limites plurimis bonorum operum incrementis, Normannicam pene patriam vnam Chriſti inſigniuit eccleſiam. Hic in armis admodum ſtrenuus, vbique armatas militum legiones nobiliter rexit, de inimicis victoriam ſemper capere aſſuetus. Et quamuis ſeculari actui foret deditus, totus tamen fuit fide catholicus, & erga Dei cultores beniuolus ac deuotus. Sub cuius modetamine plurima monachorum adoleuere ouilia, qui velut apes ex multis ſanctorum actuum caniſtris erumpentes, luci diſſima in cæleſtes theſauros intulerunt mella.

Quam ſapienter repreſſit vnanimem coniurationem Ruſticorum quam contra pacem patria moliebantur.

Cap. II.

DVM igitur tantæ probitatis exuberaret copiis, in initio ſuæ iuuentutis intra Normannicum Ducatum contigit quoddam peſtiferi oriri ſeminarium diſſidii. Nam ruſtici vnanimes per diuerſos totius Normannicæ patriæ Comitatus plurima agentes conuenticula iuxta ſuos libitus viuere decernebant. Quatenus tam in ſiluarum compendiis quam in aquarum commerciis, nullo obſiſtente ante ſtatuti iuris obire, legibus vterentur ſuis. Quæ vt rata manerent, ab vnoquoque cætu furentis vulgi duo eleganturlegati, qui decreta ad mediterraneum roboranda ferrent conuentum. Quod vt Dux agnouit, protinus Rodulfum Comitem cum militum multitudine illis deſtinauit, qui agreſtem comprimeret ferocitatem & ruſticam dirimeret concionem. Qui non morans iuſſa, cunctos confeſtim legatos, cum nonnullis aliis cæpit, truncatiſque manibus ac pedibus, inutiles ſuis remiſit, qui eos à talibus compeſcerent & ne deteriora paterentur, ſuis eueuentibus cautos redderent. His ruſtici expertis, feſtinato concionibus omiſſis ad ſua aratra ſunt reuerſi.

De rebellione Willelmi naturalis fratris ipſius Ducis cui dederat Oximenſem Comitatum: & quomodo idem Willelmus captus & fratri poſtea reconciliatus Ocenſem Comitatum ab ipſo Duce dono accepit cum Lezſcentna, & de filiis eiuſdem Willelmi.

Cap. III.

EADEM tempeſtate quendam ducis vno ex patre frattem progenitum nomine Willelmum, quorundam proteruia improborum fecit tumidum & rebellem. Is enim fraterno contubernio Oximenſem ab ipſo accipiens in munere Comitatum, vt inde exhiberer ei militiæ ſtatuta, prauorum illectus calliditate, dominium eius ſpreuit, & ab illius fidelitatis obſequio ſe cohibuit. Qui dum per legatos à Duce ſæpius obiurgaretur, & ab auſu obſtinati animi reſipiſcere nollet, conſultu & auxilio Rodulfi Comitis captus, in Rothomagenſis vrbis turre detruditur, temeritatis penitudinem ibi per quinquennium luens. Nonnullo quoque ſuorum Satellitum in ſeditionis propoſito perſiſtentium crebris certaminum tumultibus deuincens, vita priuauit, alios exules de ſuis finibus exturbauit. Willelmus tandem poſt quinquennium cuiuſdam ſui militis factione longiſſimo fine per eminentiorem feneſtram à turre lapſus, fugam iniit.

Qui diebus ne à perquirentibus reperiretur deliteſcens, & noctibus iter carpens, nouiſſi-

nouiſſime deliberauit apud ſe æquius illi fore cum vitæ diſcrimine clementiam fratris attemptare, quam cuiuſpiam Regis aut Comitis ſuffragium nil ſibi quandoque profuturum expetere. Sub hac quippe deliberatione animi callem conficiens, quadam die ducem repperit, ſe in ſaltu vernenſi exercentem Venatuum ludis. Mox eius veſtigiis ſolotenus prouolutus, veniam commiſſi ab eo expetebat lugubres. Protinus eum Dux miſericordia motus fauente Rodulfo comite à terra erexit, ac vt euaſionis ſuæ ipſo narrante caſum agnouit, non ſolum errata illi indulſit, verumetiam beneuolo animo vt fratrem chariſſimum deinceps dilexit. Cui non multo poſt Ocenſem comitatum tradidit, eique quandam puellam valde ſpecioſam vocabulo Lezſcelinam dedit, filiam ſiquidem cuiuſdam nobiliſſimi viri nomine Turchetilli. Ex ea tres genuit filios Rodbertum ſcilicet poſt eius mortem Comitatus illius hæredem, & Wilielmum Sueſſionenſem comitem, atque Hugonem Luxouienſem præſulem. Quibus ita ſopitis, Normannica tellus ſiluit à facie Ducis.

Quod Edelredus Rex Angliæ qui Emmam ſororem ducis duxerat, miſit exercitum ad ſubiugandam ſibi Normanniam, & quomodo Nigellus Conſtantinenſis eos vſque ad internecionem deuicit.

Cap. IV.

CIRCA hæc tempora Edelredus Rex Anglorum Emmam Ducis ſororem in coniugio habens, quibuſdam exortis diſſenſionum incentiuis Duci nocere & dedecora ingerere ſitiens, maximam nauium multitudinem in mare iuſſit impelli, ac militibus ex omni regno mandauit, vt conſtituto ab eo die ad eas conuenirent, loricis & galeis decenter armati. Cuius iuſſis gratanter Angli obtemperantes vnanimes adſunt ad naues. Rex igitur proſpecta multa & optime inſtructa exercitus copia, aſcitis militiæ ſuæ ſatrapis, animi ſui propoſitum exponens, valida auſteritate Regio more præcepit, vt euntes totam Normanniam rapinis & incendiis exterminarent, ſolummodo Archangeli Michaelis Monti parcerent, ne tantæ ſanctitatis & religionis locum, igne concremarent. Iuſſit etiam vt Ricardum Ducem caperent, poſt tergum manus vincirent, & viuum patria ſibi ſubiugata conſpectibus ſuis adducerent. His vero edictis, eos ire cum feſtinatione imperauit. Qui ſubductis in altum nauibus, veliuolo ſulcantes æquora vento, ad littora Saræ deuoluuntur permenſo maris limbo, Hinc prorumpentes è nauibus, continuo maritima confinia exitiali Vulcano tradunt. Quod vt Nigellus à ſpeculatoribus comperit, milites Conſtantinienſes cum multitudine vulgi congregauit, impetuque repentino ſuper eo irruit, tantaque illos ſtrage deleuit, vt nullus penitus remaneret, qui facta poſteris nuntiaret. Nam vnus illorum curſu nimio fatigatus à longe reſederat, qui videns ſociorum infortunia, timore territus corporiſque imbecillitatem oblitus, ad naues concurrit quantotius, cæterorum exitia nuncians cuſtodibus. Qui pariter ex omnibus ad tres tutiores ſe conferentes intra ſinum maris remigio ſe contulerunt de vita diffidentes. Panſiſque velis in ſublime, curſu citiſſimo Regem ſuum expetunt, vento ad votum ſpirante. Quos vt vidit, protinus Ducem ab eis exigere cœpit. At illi reſpondent: Nos sereniſſime rex Ducem minime vidimus, ſed cum vnius Comitatus gente feroeiſſima noſtro cum interitu dimicauimus, Vbi non modo ſunt viri fortiſſimi bellatores, ſed & feminæ pugnatrices robuſtiſſimos quoſque hoſtium vectibus hydriarum ſuarum excerebrantes. à quibus omnes ſcito tuos extinctos eſſe milites. Quibus rex auditis, inſipientiam ſuam agnoſcens triſtis erubuit.

Maxima nauiū multitudo.

Remigium.

Quod Gaufridus Britannorum Comes ſororem Ducis Ricardi nomine Haducis petiit vxorem & accepit, de qua genuit Alannum & Eudonem.

Cap. V.

CONSIDERANS etiam Gaufridus Britannorum Comes Ducem Ricardum in omnibus proſperari, viribus & diuitiis quotidie ampliari, arbitratus eſt ſua tutius vallari, ſeque amplius roborari, ſi eius frueretur amicitia & auxilio. Quamobrem cōſultu ſuorum fultus Britannicos limites penetrans, cum maxima militum ambitione illius appetiit curiam. Quem Dux vt tantum decebat virum honorifice ſuſcipiens, aliquantiſper eum copioſo affluentium opum apparatu eum ſecum detinuit vt potentiæ ſuæ magnitudinem prout libuit illi oſtendit Gausfridus autem vt ſe à Duce tam excellenter tractari vidit, intra ſe deliberare cœpit, quia ſi eius iungeretur connubio ſororis nomine Haduis fortior inter eos necteretur nodus amoris. Erat enim hæc

puella

puella corpore valde decora morum honeſtate gratiſſima. Vnde poſt pactas amicitias eam ſibi dari toto anniſu popoſcit. Cuius voluntati Dux gratanti animo fauens aſſencientibus Normannorum principibus petitam Chriſtiano more tradidit. Celebratis vero cum inæſtimabili honore nuptiis non multo poſt cum immenſis muneribus eos ouantes abire permiſit Gausfridus ex ea poſtmodum duos filios genuit, Alanum videlicet & Eudonem qui poſt eius exceſſum Britannicam patriam robuſtiſſimo vigore diutius rexerunt.

De crudelitate Edelredi Regis Anglorum in Danos qui pacifice ſecum in Anglia commanebant: & de quibuſdam iuuentibus eiuſdē gentis qui euadentes Regi Danamarchæ Sueno mortem propinquorum nunciauerunt.

CAP. VI.

DVM in ſtatu ſupra intellecto ſub tam præclaro rectore Normanniæ fælicitas polleret. Ædelredus Anglorum Rex regnum quod ſub magna potentiſſimorum Regum gloria diu floruerat, tanto nefarie proditionis ſcelere regiminis ſui tempore polluit, vt & pagani tam execrabile nefas horrendum iudicarent, Nam Danos per omne regnum vnanimi concordia ſecum cohabitantes, mortis periculum minime ſuſpicantes, ſubito furore ſub vna die perimi, mulieres quoque aluotenus terræ eſſe defoſſas & ferociſſimis canibus concitatis mamillas ab earum pectoribus crudeliter extorqueri, lactentes vero pueros ad domorum poſtes alliſos excerebrari iuſſit, nullis criminum exiſtentibus culpis. Dum igitur apud Lundoniam ſub huius decreti die hæc congeries peremptorum lictorum ſeuitia in immenſum cumularetur, quidam iuuenes agilitate pernices ad quandam nauium ſe contulerunt, & fuge præſidium per Thamiſæ alueum celeri remigio maris ſinum petierunt. Permenſo autem prolixi pōti ſpacio nouiſſime capitum, Danamarchæ portum applicant, Regique Sueno cruenta gentis ſuæ exitia nuntiant. Tunc Rex nimio dolore tactus intrinſecus, totius regni ſui aſcitis principibus cunctam ei ſeriem illis deponit quidq; agendum conſulerunt, diligenter inquirit. Qui amicorum & propinquorum erumnis, & luctu mori, quaſi ex vno ore omnes eorum ſanguinem decreuerunt debete totis viribus vlciſci.

Quod Suenus Rex congregato exercitu ad Eboracum Comitatum appellens, inde dimiſſo exercitu ad Ricardum Ducem Normanniæ petendæ pacis gratia cum nonnullis nauibus Rotomagum venit & de pacto quod inter Normannos & Danos firmatum eſt, & quod Eboracenſes & Cantuarii & Londonienſis eidem Regi ſe tradiderunt, & de fuga, Edelredi Regis cum vxore & filiis ad Ricardum Ducem Normannorum.

CAP. VII.

HIs autem Rex auditis, cum feſtinatione cunctos ſub ſuo regimine degentes præparari iuſſit. Hac illacque veredarios miſit, diemque præfixit, quando milites lucri cupidos de exteris regnis ad hanc expeditionem venire mandauit, Porro termino adueniente ſtatuto, ad naues immenſus illico cucurrit exercitus. De hinc Regalia in ſublime eleuantur vexilla & librantes ventis vela, velificato protenſi maris interuallo ad Eboraca deuehuntur territoria, Ibi quippe Rex dimiſſo exercitu cum nonnullis nauibus petendæ pacis gratia apud Rotomagum, Ducem Ricardum aggreditur. Quem cum Dux aliquanta mora regaliter tractaret, dum & ipſe & milites poſt tantum nauigii laborem recrearentur, pacem continuam inter ſe firmauerunt. Ea videlicet lege vt per ſuccedentia Danorum Regem Normannorumque Ducum ac eorum hæredum tempora, firma perpetualiter inter eos maneret, & quæ Dani abſtuliſſent inimicis, emenda conferrent Normannis. Si quis vero Danorum inualidus aut vulneratus amicorum indigeret iuuamine, apud Normannos quaſi in domo propria ſub ſecuritate ſanaretur. Quæ lex vt rata maneret, ab vtraque parte ſacramentorum tenore principes eorum illam ſanxerunt. Quibus Rex ad votum expletis, condignis à Duce muneribus muneratus, quantotius ad ſuos regreditur letus. Qui vt ſuo iunctus eſt exercitui, continuo Anglorum regnum tradit vltricibus flammis. Videntes itaq; Eboraci ſe à nullo iuuari, datis obſidibus ſe ſubigūt illius dominatui. Inde vero egreſſus, ad Tamiſe ora prouehitur. Vbi venientes Cantuarii, ſimili modo eius ſe ſudunt poteſtati. Deinde auulſis nauium anchoris, alueum ſulcans fluminis apud Lōdoniam obſidionē cōponit. Cuius impetum Lundonii nō valentes ferre illius ſeruitutis iugo colla ferina inuiti ſuppoſuere. Ædelredus vero Rex apud Wintoniā degēs,

vt ab

Digitized by Google

vt ab Anglis ſe vidit funditus deſtitui, ſublatis à terra theſauris, cum vxore & filiis Edwardo ſcilicet & Aluredo in Normannia Ducem Ricardum expetiit. A quo decenter acceptus, cum magnis opum apparatibus omne ſui incolatus Rotomagi cum eo exegit tempus.

De morte Sueni Regis apud Londoniam, & quod Chunutus filius eius patri ſuccedens, iterum exercitum contra Angulos mouit, & de reditu Edelredi in Angliam, & de victoria Danorum apud Auxendunum.

Cap. VIII.

IGITVR Suenus dum apud Lundoniam de regni tractaret diſpoſitione, mortem obiit interceptus ægritudine. Cuius corpus Dani aromatibus condierunt, & in naui diſpoſuerunt, & cum feſtinatione apud Danamarcham tumulandum deuexerunt. Quo tumulato, filius eius nomine Chunutus arma illius ſumens exercitum viriliter roborat, & ne ab iterata expeditione reſipiſcant totis niſibus exaggerat. Denique miſſis legatis duos Reges ad ſuum euocat ſuffragium. Lacimam equidem Suauorum & Olauum Noricorum. Hi ad eius auxilium aduenientes cum ſuis copiis militum, totius robur militiæ ſua corroborauerunt virtute. Interea dum hæc geruntur Edelredus Rex mortem Sueni audiens, præparatis ad nauigandum omnibus, cum vxore lætus ad regnum ſuum regreditur: ſed filios ſuos Edwardum & Aluredum cum auunculo dimittit. Rex itaque Chuntus collectis vndequaque militum legionibus, velut turbo validus à regno ſuo egreſſus, procelloſum mare intemptat intrepidus. Subductis autem in altum nauibus veliuolo curſu ad Anglos deuehitur. Inde petens Tamiſe fluuium, celeriter appulit Lundoniæ comitatum. Cui cum ſuis egredienti de nauibus occurrentes Angli ex omni regno apud Auxendunum congregati, ad ſuam perniciem cruentiſſimum illi bellum intulerunt. Cum quibus Rex efferatis legionum ſuarum animis atrociter confligens, tanta eos internecione deleuit, vt nullus hominum queat ſuppetare, quot millia in die illa corruerint Anglicæ gentis.

Quod mortuo Edelredo Rege Anglorum Chunetus Rex Danorum Emmam vxorem eius duxit, & ex ea genuit Hardechunutum qui poſtmodum ei ſucceſſit.

Cap. IX.

REx vero victor effectus, ad naues ſuas cum ſuis eſt reuerſus. Hinc celeri ſe mouens fiducia, Lundoniam circundat obſidione. Quam intra vrbem. Ædelredus rex grauiter ægrotauit, & crudeſcente morbo corporis non multo poſt hominem exiuit. Rex igitur Chunutus audita morte Regis, conſultu fidelium ſuorum præueniens futurum Emmam reginam abſtractam ab vrbe poſt aliquot dies ſibi iuxit Chriſtiano more, dans pro illa cuncto exercitui in auro & argento penſum illius corporis. Ex ea ſuccedente tempore, genuit filium nomine Hardechuntum poſtmodum regem Danorum, & filiam vocabulo Gimildem quæ nupſit Henrico Romanorum Imperatori. Diffidentes quoque Lundonii de ſua ſalute quippe cum diuturna laborarent fame, patefacta vrbe ſe ſuaque omnia Regi ſponte dedere. Quibus peractis, omne robur Anglici regni incubuit ſub domino Regis Chunuti. Hæc in huius operis ſerio intexuimus, vt Edwardi Regis ortum ignorantibus monſtraremus. Nunc vero ad propoſitum retorqueatur ſtilus, à quo pauliſper digreſſi ſumus.

De diſcordia inter Ricardum Ducem & Odonem Comitem Carnotenſem propter caſtrum Dorcaſinum: & quod idem Dux caſtrum Tegularias ſuper Arua fluuium firmauit: & quomodo Normanni Odonem & duos Comites adiutores eius vicerunt.

Cap. X.

TEMPORIBVS denique ſub eiſdem Oddo Carnotenſis Comes quandam Ducis ſororem nomine Mathildem cum multimodis muneribus à fraterna domo auferens, ſibi in matrimonio legitimæ compulauit. Cui Dux medietatem Dorcaſini caſtri dedit dotis nomine, cum terra ſuper Aruæ fluuium adiacente. Nonnullis hinc elabentibus annis, hæc eadem Mathildis iudicio diſponente Dei moritur abſq; liberis. Poſt cuius obitum Duci terram prętitulatam repetenti, Comes Oddo nimiis verſutiis cæpit contraire, nolens illi quietam dimittere Dorcaſini caſtri tuitionem. Quapropter Dux aſcitis Brutonibus cum Normãnorum legionibus, ſuper Aruæ fluuium hoſtiliter veniens, caſtrum condidit quod Tegulenſe vocauit. Sumptis autem ex Oddonis Comitatu alimoniis eandem munitionem abundantiſſime repleuit. Nigellum Conſtan-

Conſtatinienſem atque Rodulfum Toeimenſem & Roterium filium eiuſdem, cum eorum militibus cuſtodes in ea reliquit. Quibus patratis proſpere receſſit inde vnquenque iubens ad ſua tedire. Oddo vero Comes conuocatis clam ad ſui ſuffragium Comitibus Hugone ſiquidem Cinomannenſi ac Walleranno Mellendenſi cum eorum militum copiis, tota nocte equitans, diluculo ad Tegulenſe caſtrum venit, præeuntibus ſigniferis. Quos vt videtunt proceres prætitulati cuſtodibus intra municipium demiſſis repentino impetu foras erumpentes cum ſuis, commiſerunt prælium cum eis. Illico pattes Ducis Deo iuuante ita eos proſtrauerunt, vt multis peremptis, plurimis vulnetatis per deuia reliqui fugerent, & nutabundi opaca Siluarum latibula quærerent. Oddo vero atque Wallerannus quærentes ſuffragium vitæ, occulerunt ſe Dorcaniſi caſtri munitione. Hugo nempe equo cui inſederat extincto pede fugiens ad caulas ouium diuertit, & loricam quam indutus erat ſub telluris ſulco texit. Dehinc clamyde opilionis ſe amiciens, ſeptaque gregum infatigabiliter humeris de loco ad locum ferens Normannos hortabatur, vt quantotius perſequerentur hoſtes, non longe ante illos turpiter abeuntes. Illis itaque recedentibus præuio paſtore ſiluarum luſtra carpens, tandem poſt triduum. Cinomannis venit vepribus & ſentibus miſerabiliter pedes ac tibias cruentatus.

Quod duo Reges Pagani ex tranſmariis partibus venerunt ad auxilium Ricardi ducis contra Francos.

CAP. XI.

VIDENS igitur Dux comitem Oddonem ad tantam deuolutum eſſe vecordiam, miſſis legatis duos Reges cum paganica multitudine ex tranſmarinis partibus ſui euocat in auxilium, Olauum ſcilicet Noricorum, & Lacum Suauorum. Cuius legatos Reges competenter ſuſceperunt, cum multis donariis ei remiſerunt, & non multo poſt ſe venturos eſſe nuntiauerunt. Deinde cum ſuis exercitibus pariter congregati paucisque nauium velis ſpumia ſulcantes æquora ponti, curſu celeri ad Britannorum finitima littora ſunt deuoluti. Britones autem eorum repentinum agnoſcentes acceſſum à cunctis regni partibus congregati, eos ad prædam inhiantes cautos præoccupare ſunt arbitrati. Pagani vero eorum dolos comperientes, quadam vſi verſutia per campi planitiem quo illos nouerant venturos fore profundiſſimos foderunt cuniculos in ſuperficie anguſtus, vt cipitarentur, ſicque gladiis facilius perimerentur. Britones autem veniunt & continuo ſuper hoſtes atrociter irruunt. Sed paganorum dicipulis proſtrati, tantam ſæuitiam ilico ſunt perpeſſi vt viri è prçlio elaberentur perpauci. Inde Barbati prolixius progredientes, caſtrum Doli obſident, & captum igne comburunt ac incolas eius cum Salomone aduocato loci interficiunt. Deinde ſublatis anchoris repetunt mare & veliſicante claſſe ad ora deuehuntur Sequanæ. Carpentes vero fluminis alueum petnici remigio applicant Rotomagum, eoſque Ricardus Dux valde gauiſus competenti honore regaliter accepit.

Quod Robertus Rex Francorum timore prædictorum Regum concordiam fecit inter Ducem Ricardum & Odonem.

CAP. XII.

RODBERTVS autem Rex Francorum audiens paganos tant Britannis propra intuliſſe Ducemque Ricardum ad confutandam Oddonis Comitis contumaciam eos accerſiſſe, verens ne ab eis Francia demolitetur, Sattapas regiminis ſui conuocabat amboſq; diſcordes ad ſe apud Coldras conuenire mandauit. Vbi dum cauſas diſſenſionum vtraq; in parte audiſſet ſopitis eorum animis, protinus illos cócordes reddidit. Eo quidem tenore, vt Oddo Dorcaſinum caſtrum teneret, & Dux præteptam terram reciperet, reciproce Tegulenſi caſtro in ſtatu ſuo perpetualiter conſiſtente, in eius ſcilicet ſuorumque hætedum poteſtate. Quibus Dux ad votum peractis, ad Reges ſuos regreditur lætus. Muneratos autem congruis donis regaliter, ad propria ouanter redire permiſit quandoque ad eius iuuamen patatos reuerti. Rex autem Olauus ſuper Chriſtiana religione oblectatus ſpreto Idolorum cultu, cum nonnullis ſuorum hortante, Rodberto Archiepiſcopo ad Chriſti fidem conuerſus eſt, atque ab eo baptiſmate lotus & ſacro chriſmate delibutus, de percepta gratia gaudens, ad regnum ſuum regreſſus eſt. Poſtea vero à ſuis proditus, & à perfidis iniuſte peremptus, cæleſtem regiam intrauit. Rex & Martir glorioſus, & nunc apud gentem illam choruſcat prodigiis & virtutibus.

Quod Richardus Dux vxorem duxit Iudith ſororem Goiſfridi Comitis Britannorum, & de prole quam ex ea genuit.

CAP. XIII.

PORRO Dux Richardus de ſucceſſione prolis ſollicitus, Goiſfrædum Britannorum comitem, quandam habere ſororem nomine Iudith audiens, corpore admodum elegantem, omniq; morum honeſtate pollentem hanc per legatos petiit in connubium. Goiſfredus autem propoſitum eius vltroneo animo ſattagens accelerare, omnibus quæ ad tantum negotium erant congrua pręparatis, eam illi deduxit vſq; ad limina Archangeli Michaelis. Ibi dux illam competenti honore ſuſcipit, ſibiq; legitimo iure iunxit. De qua profluentibus annis, tres filios genuit. Richardum ſiquidem atq; Robertum, & Willelmum apud Fiſcanum monachili vellere in adoleſcentia functum. Totidemq; filias, quarum vna nomine Adeliz Rainaldo Burgundionum Comiti nupſit, ex qua Willelmum & Widonem procreauit. Altera Balduino Flandrenſi. Tertia iam adulta obiit virgo. Porro Goiſfredus Comes longo poſt orationis pro obtentu Romam proficiſcens, totam Britanniam cum duobus filiis Alanno videlicet ac Eudone reliquit ſub Ducis aduocatu. Qui peragratis ſanctorum locis, in repatriando præuentus morte diem obiit.

Quomodo Robertus Rex Francornm auxilio Richardi Ducis reddidit Burchardo caſtrum Milidunum.

CAP. XIV.

TEMPORE illo cum Burchardus Milidunenſis caſtri Comes apud Regis Francorum curiam moraretur, quidam eius miles nomine Walterius muneribus cæcatus; illud ei dolo ſurripuit & Oddoni Comiti clandeſtina proditione tradidit. Rex autem vt hoc comperit, Oddoni feſtinato mandauit, quatenus caſtrum deſereret ſponte, quod ſibi vſurparet iniuſte. Sed ille loci fiſus munimine ob decurrētis in gyro alueum Sequanæ, referentibus legatis Regi reſpondit, illud vita Comite ſe nulli vnquam reddere. His Rex oppido exacerbatus verbis Richardum Normannorum Ducem ad colloquium accerſiuit, eique ruboris ſui dedecus depoſuit, orans gratiſſimam eius fidelitatem ſubuenturam ſibi, ne tanto præſumptionum ludibrio premeretur à ſuis. Dux autem opprobrium pii regis non ferens, congregatio mire multitudinis exercitu quantocius Milidunum venit, & illud ex vna fluminis parte obſedit. Et Rex in altera parte conſtitit. Sic ab vtriſque partibus caſtrum diu noctuq; cum turbine graui tormentis & machinis quatiunt. Videntes itaque milites tantam vim hoſtium ſe non poſſe tolerare, diſtracto *ducti tumido rebellatore portas repente aperiunt cumque eum ſuis introducunt. Dux autem parcens multitudini, traditorem protinus Regi deſtinauit mandans vt milites dirigeret, qui caſtrum in ſua fidelitate cuſtodirent. Rex vero hoc exhilaratus nuntio, continuo caſtrum reddidit Burchardo & proditorem cum vxore propria patibulo iuſſit ſuſpendi, debitam illis talionem reddens ſuæ factionis. Poſt hæc Richardus Dux rebus decenter expletis, cum benedictione Regali ad propria remeauit: Cuius ætatis tempore ſemper aſſueti fuerunt hoſtes fugare Normanni ſed terga vertere nulli.

* Daci.

Quod auxilio Ricardi Ducis Robertus Rex Francorum Ducatum Burgundiæ quod Henricus Dux eiuſdem ſibi moriens reliquerat inuitis Burgundionibus adeptus eſt.

CAP. XV.

ANNIS abhinc tribus emenſis Henricus Burgundionum Dux moritur abſque liberis, Rodbertum Francorum Regem ſui Ducatus relinquens hæredem. Burgundiones eum factu ſupercilii ſuſcipere refutauerunt. Sed Landricum Niuernenſem Comitem intra Autiſiodorum ad rebellandum ſummiſerunt. Quorum tumidos præſumptiuæ temeritatis conatus, Robertus Rex comprimere feſtinans accerſito Duce Ricardo cum exercitu Normannorum copioſo Antiſiodorum tam diu obſedit, donec Landricum cum vrbe obſidibus ſumptis ſuo ſubiungaret dominatui. Inde vero profectus apud Aualonum caſtrum ad obſidionem eſt caſtra metatus. Quod cum tribus menſibus expugnaret robore vehementi, tandem Burgundia vaſtata, oppidani coacti penuria ſtipendiorum, conſilio & auxilio Ducis illud reddiderunt Regi Francorum. His ad votum rite peractis, Rex per cuncta caſtella cuſtodes deputauit, & Rodbertum filium ſuum Ducatui ſubrogauit, ſicque arrogantia repugnātium caſſata quieuit. Deinde Rex in Franciam, & Dux cum ſuis redit in Normanniam.

Quod Rainaldus trans Saonæ fluuium Comes Burgundionum duxit filiam Richardi Ducis Adeliz.

CAP. XVI.

COGNITA quoque mirandorum operum Ducis opinione Rainaldus trans Saonæ fluuium Burgundionum Comes miſſis legatis filiam eius nomine Adeliz in coniugium ſibi expetiuit. Quam impetratam à paterna domo auferens, in Burgundiam cum magno honore induxit ſuoque thoro Chriſtiana lege ſociauit. Sed longo poſt obortis litium fomentis ipſe à quodam Cabilonenſi Comite nomine Hugone dolo capitur, & ſub diræ cuſtodiæ ergaſtulo detruditur, compedibuſque grauiſſimis arectatur. Cuius incompetentem anxietatem Dux vt agnouit, illico Hugoni expedite legatos direxit, mandans vt abſq; difficultate dilationis generum ſuum pro amore ſuo ſineret liberum abire. Legationem vero Ducis Hugo paruipẽdit, nec modo Rainaldum reddere contempſit, verum etiam cuſtodibus adhibitis vehementius cuſtodiri tumide iuſſit. Quod eum relatum Duci fuiſſet, protinus Richardo filio adiret, ſuamq; iniuriam de funeſto totis niſibus vindicaret. Adoleſcens iuſſa patris libenter exequitur, & omnia quæ ad tanti itineris expeditionem oportuna erant præparat. Deinde velut tempeſtas procelloſa coram ſe cuncta proturbans à patria egreditur, confecto calle cum innumerabilibus Normannis Burgundiam inuadit, & Milinandum caſtrum obſidione cingit. Incolæ vero loci tuto fidentes munimine, telis ac ſagittis hoſtes cæperunt confeſtim ad ſui perniciem prouocare. Normanni ſeuiſſimo furore concitati, caſtrum eum magno impetu per girum oppugnant, repente capiunt, & cum viris ac mulieribus atque paruulis igne terra tenus comburunt. Inde ad Cabilonenſem vrbem iter dirigunt, eiuſque patriam igne conſumunt. Conſiderans igitur Hugo contra tantum exercitus robur, ſe nullo pacto poſſe reſiſtere, equeſtrem ſellam ferens humeris prouolutus genibus Richardi adoleſcentis prece ſupplici veniam precabatur commiſſæ temeritatis. Qua indulta Rainaldum reddidit, & obſidibus datis apud Rotomagum ex hoc ſe fore ſatisfacturum, iureiurando Duci Richardo ſpoſpondit. Quibus ad votum peractis, Richardus iuuenis ad patrem redit cum ſuis.

Quod Dux Richardus ad extrema veniens Richardum filium ſeniorem præfecit ſuo Ducatui.

CAP. XVII.

RICARDVS Dux quamuis præcellentiſſimorum actuum prærogatiuis longe lateque claruerit perſpicuus, tamen Chriſti cultor extitit aſſiduus, adeo vt monachorum atque clericorum iure vocetur pater piiſſimus, & pauperum ſuſtentator indefeſſus. His & huiuſmodi probitatum vigens titulis, cæpit vehementer aggrauari ægritudine corporis. Rodbertum ergo archiepiſcopum & cunctos Normannorum principes apud Fiſcannum conuocat, eiſque ſe iam omnino reſolui indicat. Ilico per cuncta triclinia domus, fit omnibus intolerabilis luctus. Lugubre quippe lamentabantur monachi & clerici, pro tanta orbitate patris chariſſimi. Heroum ora vndebant lachrimis pro amiſſione inuictiſſimi Ducis. Lugebant quoque cateruę egenorum per compita oppidi, pro deſtitutione ſui conſolatoris & patroni. Nouiſſime autem aſcitum Richardum filium ſuum conſultu ſapientũ præfecit ſuo Ducatui & Rodbertũ fratrem eius Comitatui Oximenſi, vt inde illi perſolueret debitũ obſequii. *Anno 1026.* Denique omnibus quæ ad Dei cultum pertinere videbantur ſtrenue diſpoſitis, Milleſimo viceſimo ſexto anno ab incarnatione Domini hominem exiuit viam ingrediens vniuerſæ carnis, Regnante eodem Ieſu Chriſto in Deitate paternæ Maieſtatis, & in vnitate Spiritus Sancti per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Explicit liber quartus.

Digitized by Google

Quod idem Dux Robertus Willelmum de Beleſmo obſedit intra Alentium caſtrum, & ad deditionem coegit.

C a p. IV.

ELIMINATIS denique à ſe totius litis incentoribus & ſubactis paci animis liberalibus ſapientum cœpit tractatibus vti, & ſollerti induſtria ad ſummi honoris incrementa pollentiſſime prouehi. Iam probos eius mores & pacificos actus laudum fauoribus bonorum plurimi ceperunt efferre improborum vero nonnulli ignauiæ aſcribere. Ex quorum contubernio Willelmus Beleſmenſis Iuonis filius animoſitatem eius audens attemptare, ex caſtro Alentio quod beneficii tenebat iure à Seruiminis iugo pertinacem ceruicem temere ſumpta rebellione niſus eſt extorquere. Ad cuius atrocem inſolentiam propere conterendam adueniens Dux cum militaribus turmis, tam diu eum intra munitionem tantæ præſumptionis adiutricem concluſit, donec eius clementiam expeteret, & nudis veſtigiis equeſtrem ſellam ad ſatisfaciendum humeris ferret. Dux autem ei licet ficte ſatisfacienti non modo cuncta indulſit verum etiam reddito ei oppido feſtinus à loco receſſet. Willelmus enim dirum anguſto ſub pectore virus efflans, paulisper à manifeſto perfidiæ motu ſe ſuſpendit, ſed non multo poſt ad idem periurii ſcelus palam rediit. Multum quippe crudelis & cupiditas erat, & quatuor filios Warinum, & Fulconem, Rodbertum & Willelmum ſui ſimiles habebat. Warinus igitur poſtquam Gunherium & Beliſmo militem bonum & amabilem, qui nihil mali ſuſpicabatur. Sed potius ei ridens vt amico congratulabatur, ſiue cauſa capite crudeliter priuauerat mox à demonio arreptus eſt, & videntibus ſociis qui aderant ſtrangulatus eſt. Iterum Willelmus ad tantam controuerſiam contra Ducem peieratus incanduit, vt intrepida cum audacia filios ſuos Fulconem atque Rodbertum cum militum copia dirigeret, qui directionibus Normanniam vexarent. Verum plurimi ex domo Ducis expediti vernaculi audacter eis occurrerunt, & intra ſaltum Blauonis cruentum cum eis prælium commiſerunt, ac ſuffragante Deo grauiter illos protriuerunt. Ibi Fulco præuaricatoris filius iugulatus eſt, & omnes pene milites abraſi ſunt. Robertus autem frater eius vulneratus vix è certamine cum paucis elapſus eſt. Willelmus vero pater eorum iam grauiter ægrotatus vt eos ſic interiiſſe comperit, intrinſecus dolore cordis tactus, continuo animam efflauit. Sic Ducis hoſtibus profligatis ſeditio preſſa in partibus illis vltra diſparuit.

Quod Hugo Baiocenſis epiſcopus filius Rodulfi Comitis Ebrilium tenere voluit ſed non potuit.

C a p. V.

INTEREA dum hæc geruntur, Hugo Rodulfi Comitis filius Baiocaſinæ vrbis præſul perſpexit, quod Rodbertus Dux vellet prudentium conſilia ſectari, & ſua deſtituere, quadam vſus doli verſutia Ibrilicum caſtrum clam armis & alimoniis ſufficienter muniuit. Deinde cuſtodes poſuit, & Franciam ocius adiit, vt inde milites conduceeret, qui viriliter illum ad repugnandum iuuarent. Dux verò fraudis eius molimina accelerans anticipare, contractis Normannorum copiis idem caſtellum præoccupauit obſidione clauſa egrediendi ab eo ſiue ingrediendi omnibus facultate. A cuius ingreſſu cum ſe Hugo videret extruſum, Sollicitus de ſuis intra illud concluſis libertatem abeundi per legatos à Duce petiit, & eos inde permanſit. Dux vero cuſtodibus à caſtello amotis, idem in deditione munitum ſuſcepit.

Quod Balduinus Comes Flandrenſis filio ſuo Balduino filiam Roberti Regis Francorum quæſiuit & accepit, malo ſuo niſi Robertus Dux Normanniæ ſibi ferret auxilium: & de morte Roberti Regis Francorum, cui ſucceſſit Henricus filius eius.

C a p. VI.

SVB eodem tempore Balduinus Satrapa Flandrenſis ſobolem ſuam cupiens innormare proſapia regali. Rodbertum Regem Francorum expetiit, & filiam eius Balduino filio ſuo dari popoſcit. A palatinis vero tricliniis adeptam tulit, ac domum propriam in cunis aſportauit eamque vſque ad annos nubiles diligenti cura nutriuit. Filius autem eius mox vt nobilis puellæ amplexibus cœpit frui, affinitate fretus regali, patrem à proprio ſolo pepulit, Flandrenſibus ab eius fidelitate auulſis. Qui indecenter à ſuis deſtitutus, Normannorum Ducem feſtinanter aggreditur ſuffragium aduerſus filium poſtulaturus. Dux ergo nobilis viri calamitatem miſeratus, con-

Digitized by Google

tractis militum viribus velut horridus turbo à patria egreſſus. Tlandoniam eſt adorſus, illam exterminans flammis exitialibus. Progrediens itaque ad caſtrum quod Cioca vocabatur, confeſtim illud ſubuertit, & omnia quæ in eo conſiſtebant combuſſit. Videntes autem reliqui proceres & ſimilia pati formidantes, relicto filio ad patrem reuerſi obſides dirigunt Duci. Adoleſcens vero Balduinus intuens ſe non poſſe vllo modo ſubſiſtere, ante Ducis intolerabiles excurſus, legatos illi cum precibus humillimis dirigit, patri ſe cupere eo mediatore reconciliari. Deſiderio eius ac petitioni vir ſummæ beneuolentiæ congratulanti affectu fauit, & vtroſque libato pacis oſculo in priſtinam concordiam continuo redire perſuaſit. Sic litibus compreſſis, vlterius in pace & amore quo decuit perſtiterunt. Ipſe vero Dux demolitis rebellium rebus cum incolumi exercitu in Normanniam regreditur. Qua tempeſtate Rodbertus Rex Francorum moritur cui ſucceſſit Henricus filius eius.

Quomodo idem Dux iuuit Henricum Regem Francorum, contra Conſtantiam matrem ſuam.

CAP. VII.

REx etenim Henricus patre Rodberto viuente Francorum regno potitus, tanto poſtmodum à matre Conſtancia nouercali odio eſt affectus, vt conſpirantibus aduerſus eum Comitibus à Regali faſtigio eum deponere satageret, & Robertum, fratrem eius Burgundionum Ducem illius loco ſubrogare diſponeret. Conſultu itaque ſuorum ad Rodbertum Normannorum Ducem cum 12. clientulis confugium fecit, ac apud Fiſcannum per fidei debitum ſibi ab eo ſubuenire petiit Dux enim honorifice recepit, multis donis honorauit, & non multo poſt decenter equis & armis inſtructum, patruo ſuo Malgerio comiti Corbulienſi deſtinauit mandans vt ſuis in partibus omnes incendiis ac tormentis affligeret, quos ab eius fidelitate deſipere videret. Ipſe vero per cuncta ſuæ ditionis caſtella Franciæ contermina militum validiſſimam manum poſuit, & conflictibus crebris tam diu rebelles violenter oppugnauit, donec ceruicibus plexis & ſuis omnibus conſumptis coacti ſuo Regi reconciliarentur & infeliciſſimæ matris conatus omnino exinanirentur. Tunc Rodbertus Willelmum Beleſmenſis poteſtatis hæres & crudeliratis per aliquot annos infeſtus erat vicinis ſibi Cenomannenſibus & Normannis. Expeditionem itaque vltra Sartam agens, à Cenomannenſibus capitur ac apud Balaum caſtrum duobus annis in carcere cuſtoditur. Poſt biennium vero Willelmus Geroii filius aliique Rodberti proceres exercitum congregant & Cenomannis Comitem ad pugnam prouocant, & viriliter prĳliantes è bello effugant, ibi Walterium de Sordenia egregium militem cum duobus filiis militibus eximiis comprehendunt, inter quos contradicente Willelmo nequiter eum in patibulo ſuſpendunt. Alii vero tres filii Walterio apud Balaum erant. Qui vt atrocẽ patris & fratrum mortem cognouerunt vehementer irati carcerem vehementer irrumpunt, & Rodbertum de Beleſmo ſecuribus capite eius ibidem contrito miſerabiliter occidunt. Quo defuncto Willelmus Taluatius frater eius ſucceſſit in honore paterno. Ipſe cunctis fratribus ſuis in omnibus flagitiis deterior fuit, & in eius ſeminis hæredibus immoderata nequitia vſque hodie viguit.

Quod Dux Robertus contra Alannum Comitem Britannorum pergens, non longe à flumine Coiſum Caſtrum Carrucas condidit.

CAP. VIII.

ALANNVS Britannorum Comes proteruiæ faſtu elatus à Roberto Ducis ſeruitio ſe ſurripere pertinaciter eſt aggreſſus. Dux igitur aduerſus eum innumerabilem exercitum mouit, & non longe à fluuio Coiſnon caſtrum quod vocatur Cartiel ſtabiliuit, ad munimen videlicet Normannici limitis ac domandam tumidi arrogantiam præſumptoris. Inde Britanniam inuaſit, totumque Doli Comitatum voracibus flammis tradidit. Quibus luculenter peractis, cum præda ingenti Normanniam repetiit. Alannus autem poſt eius abſceſſum cupiens vlciſci illatum ſibi improperium ad demoliendum Abrincatenſem Comitatum, cum magno exercitu è veſtigio perſequitur illum. Nigellus vero & Alu̅redus cognomento Gigas prætitulati caſtelli cuſtodes eum ſuis ei occurrunt & cum eo certantes ilico tanta ſtrage. Britones depopulati ſunt vt per camporum plana Sini prædicti fluminis littora proſtrati viderentur quaſi bidentes. Alannus itaque ſua triſtis repetens, cum dedecore Redonis venit.

De Ab-

De Abbatia Becci, & primo Abbate & fundatore ipſius venerabili Herluino, & de ſucceſſore eius Anſelmo.

CAP. IX.

CIRCA hæc tempora, anno videlicet ab incarnatione Domini milleſimo trigeſimo quarto, Dominus Abbas Herluinus quadrageſimo ætatis ſuæ anno deſerens ſecularem vitam ſacræ religionis habitum ſuſcepit ab Epiſcopo Lexonienſi Herberto, & poſtea ab eodem præſule ſacerdos ordinatus, atque Abbas conſtitutus eſt. Inde Beccenſe Cœnobium cæpit habere initium. Sed quia tanti patris fecimus mentionem, libet ad memoriam poſteritatis his annalium paginis aliqua de eo & Eccleſia ab eo conſtructa paulo latius inſerere. A Danis igitur, qui Normanniam primi obtinuere, pater eius originem duxit, mater proximam ducum Morinorum, quos moderi Flandros cognominant, conſanguinitatem attigit. Anſgodus ille iſta Helois nomen habebat. Giſlebertus Brionnenſis Comes primi Ricardi Normanniæ Ducis nepos ex filio conſule Godefrido illum enutritum penes ſe inter omnes curiæ ſuæ primates habuit acceptiſſimè. Habilis ille ad arma plurimum erat, nec minori ea animoſitate geſtabat. Omnes omnium totius Normanniæ maiorum familiæ in electis illum habebant in armis, omniq; rei militaris vſu & cultu corporis ſui attollebant. Ab inhoneſtis auertebat animum, honeſtis, quæ curiæ magnifaciunt, impendebat omne ſtudium, domi ac militiæ commilitonum ſuorum præſtantiſſimus, non eſſe impatiens erat. Quibus de rebus non ſolum ſingularem domini ſui obtinuerat fauorem, verum & apud Robertum totius patriæ Ducem, & apud exterarum dominos regionum pepererat ſibi nomen plurimum, acceſſumq; familiarem.

Vitæ huius iocundiſſimo ſtatu annos ille iam exceſſerat triginta ſeptem, cum tandem diuino metu ſuccendi amore mens illius cæpit, & ab amore mundi tepeſcere, ſenſimq; indies frigeſcere. Ab exterioribus oculum cordis conuertens ad ſeipſum ibat frequentius ad Eccleſiam, orabat deuote, ac ſæpe prorumpebatur in lachrymas. Ludicra re omni omiſſa, iam minus frequens erat in curia. Qui hoc ſolo retinebatur, quod prædia ſua Deo ſecum lucrari ſatagebat, quod & obtinuit extorquens ea ſibi à Domino ſuo multa inſtantia ſeruitii. Ditioni illius ac ſeruitio ipſo Domino tradente quicquid paterni iuris habebant fratres ſui, qui eadem dignitate geniti pares extiterant ſibi. Quia dignior & vera nobilitate generoſior germanis efficiebatur. Protinus in villa, quę dicitur Burnen villa, extruendum ſeruitio Dei opus arripuit non paruum breui peractum.

Ipſe non ſolum operi præſidebat, ſed opus ipſum efficiebat terram fodiens, foſſam referens, lapides, ſabulum, calcemque humeris comportans, ac ea in parietem, ipſemet componens. Quibus alii horis aberant, ipſe congerebat, quæ ad opus exigebantur, excludens otium ab omni parte diei, quanto vanitate timida olim delicatior tanto vera humilitate nunc ad omne laboris tolerantiam propter Deum patientior.

Cibum præter quibus non licet diebus ſemel accipiebat, nec exquiſitum & parce ſatis expleto cum die opere ſuo. Prima literarum elementa didicit, cum iam exiſteret annorum prope quadraginta, & diuina opitulante gratia eo vſq; proceſſit, vt etiam ipſis apprime eruditis Grammatica in exponendis ac intelligendis diuinarum ſcripturarum ſententiis merito haberetur admirabilis. Quod vt ſolius diuinæ gratiæ efficaciæ actum credatur, nocturnis tãtum horis huic ſtudio vacabat, quippe propter lectionem nunquam diurni operis intermiſit executionem. Auulſit ilico paternas domos, vnde ſeruorum Dei habitacula conſtruxit. Sacrata vero quam conſtruxit Eccleſia ab epiſcopo Lexonienſi Herberto, comam totondit, ac ſecularem habitum deponens ab eodem Pontifice ſacræ habitum religionis accepit, mille Chriſti per tot pericula fortis ante expertus. Eiuſdem ordinis cum eo iugum ſubierunt duo ſui. Poſtmodum à præfato præſule ſacerdos conſecratus, pluribus Ducatu illius iam additis fratribus Abbas præficitur. Quos ergo regendos acceperat, arctiſſime, ſed more patrum præcedentium regebat. Videres peracto in Eccleſia officio, Abbatem collo ſementem, manu raſtrum, vel ſarculum geſtantem ad agriculturam præire, monachos omnes ruris operi ſub diei terminum inſiſtere. Sentibus & ſpinis alii agrum emundabant, alii fimum ſcapulis comportantes ſpargebant. Hi ſariebant, illi ſerebant, nemo panem abſumebat in otio. Ad horam agendi officii in Eccleſia omnes vnamquamque conueniebant.

Victus quotidianus, panis ſiligineus & herbæ cum aqua & ſale. Aqua non niſi lurulenta, quia fons nuſquam ad duo miliaria habebatur. Simili ſe inibi propter Deum ſeruituti nobilis mater eius addixit, & conceſſis Deo prædiis, quæ habebat ancillæ fungebatur officio, ſeruorum Dei pannos abluens, & quicquid iniungebatur extremi operis accuratiſſime agens. Dein poſt aliquantum temporis per viſum commonitus eſt, vt dimiſſa ſolitudine campeſtri, quæ competenti oportunitate omnino carebat, eum ad locum ſui iuris manſionem transferret, qui à riuo illic mananti Beccus appellatur, ad miliarium à caſtro, quod vocatur Brionnium. Eſt hic locus in ipſo ſaltu Brionnenſe valle ima montibus ſaltuoſis hinc inde concluſa, omni oportunitate humano vſui commodus. Propter denſitatem ac riui recreationem ferarum illic multus erat accurſus. Trium tantum molendinorum tres domus illic erant, & ſolum habitabile permodicum. Conſecrata paucis extructa annis non parua Eccleſia, columnis ex ligneis clauſtrum conſtruxit, in quo ad morem patriæ fratres iam nuſquam progreſſuros conſidere inſtituit.

Variis ergo ſimultatibus, quæ ſæpe introrſus oriebantur, cæpit dolere multum & anxiari. Ad ea enim componenda, qui in clauſtro præſideret, minime erat, ſumptuum congerendorum neceſſitas illum immorari extra compellebat. Hac de re cum iam Deum multoties exoraſſet, diuina ſibi miſeratio accommodauit auxilium ſufficiens ad vniuerſa, quæ agenda forent, ſuffragium. Ortus Italia quidam vir erat, quem latinitas in antiquum ab eo reſtitura ſcientiæ ſtatum, tota ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit nomine Lanfrancus. Ipſa quoque in liberalibus ſtudiis gentium magiſtra Græcia, diſcipulos illis libenter audiebat & admirabatur. Is patria egreſſus, quamplures multi nomini ſcolaris ſecum habet in Normanniam deuenit. Beccum itaque adiit, quo nullum vſquam pauperius æſtimabatur vel abiectius cœnobium. Forte tunc Abbas extruendæ fornaci occupatus, ipſe operabatur manibus ſuis. Cuius humilitatem animi ſermoniſq; dignitatem ille plurimum veneratus & amans, monachus ibi efficitur. Sic per tres annos vixit ſolitarius in frequentia hominum, gaudens quod ibi neſciebatur, præter pauciſſimos, quibus aliquando loquebatur omnibus ignotus. Rumor vt hoc factum prodiit, longe lateq; protulit, & fama viri præclariſſima Beccum & Abbatem Herluinum breui per orbem terrarum extulit. Accurrunt clerici, Ducum filii, nominatiſſimi ſcholarum latinitatis magiſtri, laici potentes, alta nobilitate viri multi pro ipſius amore multas eidem Eccleſiæ terras contulere. Ditatur illico Beccenſis locus ornamentis, poſſeſſionibus, perſonis nobilibus & honeſtis. Interius religio atque eruditio multum accreſcere, exterius rerum omnium neceſſariarum ſumminiſtratio cepit ad plenum abũdare. Qui ergo in ipſius Monaſterii inchoatione domibus neceſſariis ſolum ſufficiens non habuit, eius paucos infra annos ad miliaria protenditur dominum. Non multo poſt propter inhabitantium multitudinem contigit in ea illud à Domino per Yſaiam prophetam: Anguſtus mihi eſt locus, fac ſpacium mihi vt inhabitem. Adunatam etenim illic fratrum multitudinem, quia domorum ſpacioſitas iam capere non valebat, & quia ſitus loci degentium incolumitati contrarius exiſtebat, venerabilis Lanfrancus abbatem Herluinum de maioris monaſterii & officinarum ædificatione compellare cæpit. Tanti operis ſolam commonitionem ille extimuit ætatis iam deficientis viribus plurimum diffidens. Nolẽte illo aliquatenus adquieſcere, diuino nutu monaſterii preſbiterium corruit. Tandem victes ſpem in Deo certiſſimam gerens, & plurimum in conſiliatri ſui ope confidens, cuius opera ſibi bona omnia proueniebant, & in ſalubriori multum ſitu noua inchoauit, monaſterium & officinas, opus pergrande dignum, cuius dignitati ditiores multæ non accedunt Abbatiæ. Ad initiandum opus hoc tantum, non res ſuæ quæ permodicæ erant, ſed maxima in Deum fides animum firmauit, quæ vniuerſa conferendo ſic accumulauit, quod à die, qua primo fundamenta poſita ſunt, vſque ad externi lapidis impoſitionem, nec materia defuit, nec ſumptus. Poſt triennii vero completionem ſola necdum completa baſilica, venerabilis Lanfrancus cepti operis inſtitutor, tam dominum, quam Normanniæ priuatum ſupplicatione coactus, Eccleſiæ Cadomenſi Abbas præficitur. Interea ſæpe dictus Normannorum Dux Wilhelmus hæreditarium ſibi Angliæ regnum peruadens, imperium rebelle armis ad quæ voluit iura compoſuit. Denique ad meliorandos Eccleſiarum ſtatus animum intendit. Totius igitur Chriſtianitatis ſummi Pontificis Alexandri, viri vita & ſcientia excellentiſſimi, conſultu & rogatu, omnium quoque Anglici regni & Normandi imperii magnatum libentiſſimo aſſenſu Rex Wilhelmus quod potiſſimum ſolumq; ac-

ceptabat conſilium, doctorem ſupra memoratum ad hoc elegit negotium. Victus multiplici ratione in Angliam traducitur, & quæ inſularum tranſmarinarum primatum obtinet Cantuarienſis Eccleſiæ ſuſcepit præſulatum. Qui multarum ditatus amplitudine terrarum, auro argentoque locupletatus, executus mandatum, quod in Exodo mandatur: Honora pattem tuum & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram: omnibus modis benignus extitit circa patrem ſuum ſpiritualem & matrem Eccleſiam. Cuius in Anglia quantus poſtea extiterit fructus, latiſſime atteſtatur renouatus vſquequaque inſtitutionis Eccleſiaſticæ ſtatus. Cœnobialis ordo, qui omnino ad laicalem prolapſus fuerat diſſolutionem ad probatiſſimam teformatur diſciplinam monaſteriorum, clerici ſub canonicali coercentur regula, populus rituum barbarorum interdicta vanitate ad rectam credendi, atque viuendi formam eruditur. Nobiliſſimorum atque optimorum tam clericorum quam laicorum ex multis partibus orbis illic adunatus numerus ad centenariam pertingebat ſummam. Noua necdum ſactata erat Eccleſia, quoniam ab ipſo, cuius eam conſilium inchoauit, & auxilium conſummauit, expectabat conſectari inſtanter hoc à Deo expoſcens. Cuius petitioni qui ad cetera ſibi benignus extiterat, optatum Deus conceſſit effectum, adimplens per omnia ſuper hac re illius affectum. Multo enim ampliori quam præſumere poterat honorificentia conſecrata eſt à quo exoptabat. Igitur decimo Calendas Nouembris, Anno ab incarnatione domini milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, ſanctæ omnium Eccleſię reuerendus gentium tranſmarinarum ſummus Pontifex Lanfrancus aduenit conſecrando conſummaturus Eccleſiam, quam inſpirante Deo inchoauit, & in cuius extruendis fundamentis lapidem ſecundum ipſe manu ſua impoſuit. Conuenerunt vniuerſi Normanniæ Epiſcopi, Abbates, & alii quique religioſi viri, affuerunt proceres regni. Rex aliis intentus negotiis adeſſe non potuit Regina Mathildis libens affuiſſet, niſi regiis detenta occupationibus fuiſſet. Affuit tamen per condecentem beneficentiæ ſuæ largitionem. Noluit Rex ſupernus operi gratiæ ſuæ Regem terrenum ſupremam manum imponere, ſibi totum reſeruans operis conſummati gaudium, quod infra ſedecim annos ſolis pauperum expenſis compleuit, monaſterium cum omnib. officinis opus pulchrum & maximum. Affuerunt & regni Franciæ clariſſimi conſules, & ex aliis tegni eiuſdem primatibus complures, clerici, monachi, ex vniuerſis adiacentibus prouinciis, aliquanto vero temporis poſt dedicationem exacto, venerandus pater Herluinus omni membrorum officio deſtitui penitus cæpit, & longe ante diei ipſius annuam reuolutionem quod optauerat obtinuit. Nam proximo ſubſecuto menſe Auguſto, tertio decimo Calendas Septembris die Dominico ex toto lecto decubuit. Veſpertina à fratribus peracta Synaxi, cum diei ac diurni officii fine, vitæ humanæ ſtadium felici curſu peregit, nocte iam proxima, quæ in dominicam illucescebat ſeptimo Calendas Septembtis. Actum eſt in Capitulo illi monumentum bonorum actuum æternum filiis monumentum. Iure quo de ſpiritualibus loquuturi ſtudiis conueniunt, illius præſentatur memoria, qui ex tyranno religioſus, ex multum ſeculari omnino ſpiritualis, loci illius atque ordinis primus extitit fundatot & Abbas.

EPITAPHIVM.

Hac tegitur petra, qui quas circumſpicis ædes,
Cunctas ediderat, Monachus ex laico.
Ter poſt vndenos ac tres & quatuor annos,
Grammata neſcierat, poſtq; peritus obit.
Quatuor vndecies tranſegit cœnobialis
Annos rite ſuos, dimidiando dies.
Cum Phœbus nouum ſub Virgine protulit ortum,
Commigrando diem clauſit & hebdomadem.
Herluinus erat, ſi quis de nomine quærat,
Cui cum ſanctis det quicquid eis Deus eſt.

ALIVD EPITAPHIVM HERLVINI ABBATIS.

Hunc ſpectans tumulum titulo cognoſce ſepultum,
Eſt via virtutis noſce quis ipſe fuit.
Dum quater hic denos aus veniſſet ad annos,
Quæ fuerant ſecli ſpreuit amore Dei.

Mutans

Mutans ergo vices, de mundi milite miles
Fit Chriſti ſubito, monachus ex laico.
Hinc ſibi more patrum ſocians collegia fratrum,
Cura qua decuit rexit eos, aluit.
Quod quantaſque vides hic ſolus condidit ædes,
Non tam diuitiis, quam fidei meritis.
Quas puer haud didicit ſcripturas poſtea ſciuit,
Doctus vt indoctum vix ſequeretur eum.
Flentibus hunc nobis tulit inclementia mortis,
Sextilis quina biſq; die decima.
Herluine pater ſic cælica ſcandis ouanter,
Credere namq; tuis hoc licet ex meritis.

Deceſſit autem idem venerabilis pater 7. Calendas Septembris, 84. ætatis ſuæ anno, Monachatus vero 44. pauciſque interpoſitis diebus electus eſt Abbas Anſelmus pro eo qui tunc erat prior eiuſdem loci. Qui quantæ fuerit religionis, quantæue ſapientiæ, in libro, qui de vita ipſius ſcribitur, facile, qui eundem librum legerit, reperiet. Scripſit vero idem vir reuerendus nonnulla digna memoriæ, quæ ſubter annectere curauimus. Dum adhuc Prior eſſet in Beccenſi cœnobio ſcripſit tractatus tres: Primum de veritate: ſecundum de libertate arbitrii: tertium de caſu Diaboli: Scripſit & quartum, quem titulauit de Grammatico, in quo diſcipulo, quem ſecum diſputantem introducit, reſpondit, & multas Dialecticas quæſtiones proponit & ſoluit, Fecit quoque libellum quintum, quem Monologion appellauit: Solus enim in eo & ſecum loquitur, ac tacita omni ratione quærit & inuenit, & quod vera fides de Deo ſentit inuincibili ratione, ſic nec aliter eſſe poſſe probat & aſtruit: compoſuit etiam librum ſextum licet paruulum, ſed ſententiarum ac ſubtiliſſimæ contemplationis pondere, magnum quem Proſlogion nominauit. Alloquitur enim in eo opere aut ſeipſum, aut Deum. Scripſit & ſeptimum librum Epiſtolarũ ad diuerſos diuerſis eorum negotiis reſpondens, vel ea quæ ſua procurare nitere: aut mandans: Fecit & octauum de incarnatione verbi. Quod opus epiſtolari ſtilo conſcriptum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Vrbano dicauit, deſtinauit. Nonum librum edidit, quem, Cur Deus homo, appellauit. Decimum de conceptu virginali. Vndecimum de orationibus ad diuerſos ſanctos, quas plurimi Meditationes vocant. In quibus legentibus facile apparet, quanta dulcedo ſupernorum mentem eius repleuerat. Duodecimus, qui & vltimus illi tractatus fuit de proceſſione ſpiritus ſancti: confutauerat enim Græcos in Barenſi concilio, negantes ſpiritum ſanctum à filio procedere. Vnde ſumpta materia rogatu Ideberti Cinomannorum Epiſcopi hunc librum compoſuit. Et quia de hoc venerabili viro aliqua diximus, libet compendioſe ſpacium vitæ eius comprehendere.

Ortus igitur ex generoſis parentibus in ciuitate Auguſta, quæ contigua eſt Burgundiæ & Italiæ, per diuerſa loca ſtudiis literarum operam dando peruenit Normanniam, & in Monaſterio Becci, vbi tunc temporis magnus ille ſupradictus Lanfrancus Prioris fungebatur officio, cum aliis conſcholaſticis ab eodem tam diuinis quam ſecularibus literis inſtructis, ipſius hortatu & conſilio factus eſt monachus Becci anno ætatis ſuæ 27. vbi vixit clauſtralis ſine prælatione tribus annis 15. Prior poſt bonæ memoriæ prædictum Lanfrancum Cantuarienſem Archiepiſcopum. Deinde 15. annis Abbas extitit poſt piæ recordationis venerabilem Herluinum primum Abbatem ipſius loci. Inde aſſumptus eſt ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem poſt venerandum Lanfrancum, quem rexit 16. annis. Septimo decimo autem Archiepiſcopatus anno, Monachatus vero 49. porro ætatis 76. tranſiit è mundo 11. Calendas Maii, feria quarta ante cœnam Domini. Ipſo anno fuit vltimum Paſcha, hoc eſt, ſeptimo Calendas Maii.

His per anticipationem dictis de fundatore Beccenſis Cœnobii cum reuerentia nominando venerabili Herluino & ſucceſſore eius viro clariſſimo in diuinis rebus Anſelmo, ad ordinem geſtorum Ducum Normanniæ, quibus paululum digreſſi fueramus, reuertamur.

De claſſe, quam Dux Robertus diſpoſuit mittere in Angliam in adiutorium cognatorum ſuorum Edwardi & Alfredi filiorum Regis Edelredi.

Cap. X.

TEMPORE quo Edelredus Rex Anglorum, vt ſupra recitauimus, à Sueno Danorum Rege regno pulſus, & Normanniam profugus venit, duos filios, Edwardum & Aluredum non longo poſt patriam repetens, Richardo eorum auunculo nutriendos reliquit. Hi enim intra Normannorum Ducum aulam educati tanto honore à Duce ſunt habiti, vt ſummi nexu amoris tanquam fratres eos adoptaret ſibi. Quorum diuturno compaſſus exulatui miſſis legatis mandauit Chnuto Regi, vt iam iamque ſaciatus eorum exterminio illis parceret, & ſua eis vel ſero pro ſui amoris obtemptu redderet. At ille ſalubribus monitis eius non adquieuit, ſed legatos infactis rebus nihil lætum portantes remiſit.

Tunc Dux vehementiſſimi furoris rubore ſuccenſus conuocatis Ducatus ſui principibus, iuſſit magnam nauium claſſem feſtinato fabricari. Quam ex omnibus Normannici maris partibus coactam, & infra exigui temporis ſpacium in anchoris, armis, hominibuſque robuſtiſſimis diligenter inſtructam, ſtare apud Fiſcannum in littore ponti fecit. Inde quoque ſigno dato, & velis in ſublime panſis nimia tempeſtate acti ad inſulam, quæ Greſſui vocatur, cum magno periculo pelagi domum ſunt deuoluti. Quod puto ita factum eſſe, Deo auctore, pro Edwardo Rege, quem diſponebat in futuro regnare ſine ſanguinis effuſione. Vbi dum longo detinerentur tempore vento aduerſo diutius flante, Dux efferatis animis incredibili cruciabatur mœrore. Nouiſſime autem videns, ſe nullo modo poſſe tranſfretare, giratis nauium proris apud ſancti Michaelis montem remeato limbo maris quantotius ſunt appulſi.

Quod partem eiuſdem claſſis miſit ad affligendam Britanniam, & de pace redintegrata inter ipſum & Alaneum Comitem Britanniæ.

Cap. XI.

DVX autem Rodbertus quandam partem claſſis Rabello fortiſſimo militi tradidit, ac ad affligendam incendiis & prædis Britanniam direxit. Ipſe vero contracto exercitu equeſtri, parabat ex altera parte eam aggredi.

Alannus itaque conſiderans graue ſibi ab vtriſque partibus diſcrimen imminere, miſſa legatione Rodbertum vtriuſque auunculum Normannorum videlicet Archipræſulem ad ſe mandauit feſtinanter venire. Cui cum exitialem Britanniæ exterminationem, & concitati Ducis atrocem ſuper ſe enarraſſet expeditionem, præſul ſua interpoſita fide eum ſumpſit, ac ad Montem tumbam ſancti Michaelis domum adduxit, ad clementiam ſiquidem Ducis illum inuadere diſponentis. Mox nimium rigida eorum præcordia propiciante Chriſto eam ad quietem compoſuit, vt omni diſſentionum motu ſedato ſerena concordia eos vniret, & Alannum in ſeruitio Ducis pacta fidelitate ſupplicem omnino complicaret. Poſt hæc legatos Dux miſit, & nautas à Britannica vexatione recedere iuſſit.

Quod Chnutus Rex Anglorum obtulit per legatos ſuos Edwardo & Aluredo medietatem Anglici regni pro timore Roberti Ducis Normannorum: & quod idem Dux pergens Ieruſalem Wilhelmum filium ſuum quinquennem Ducatui Normanniæ præfecit.

Cap. XII.

QVIBVS ad liquidum ſopitis en adſunt legati Rodberto Duci à Chnuto Rege directi nuntiantes, illum medietatem Anglici regni velle reddere filiis Edelredi Regis, pace tata in diebus ſuis, eo quod valida grauaretur incommoditate corporali. Idcirco Dux intermiſſa nauali expeditione diſtulit incæptum, prius cupiens ab Ieroſolymis redire, quod diu optauerit deuotiſſimo animo. Nam perpendens hanc vitam prodigam fore & labilem, verbaque dominica pio atque felici corde volutans diuitibus loquentia: Væ vobis qui habetis veſtram conſolationem: elegit magis pauper Chriſti fieri, quam gehennalibus ignibus aduri.

Rodbertum ergo archiepiſcopum cum optimatib. ſui ducatus accerſiuit, & illis velle

velle ſe appetere Ieroſolymitanam peregrinationem manifeſtauit. Quibus verbis omnes vehementer attoniti, propter eius abſentiam formidabant patriam multimode perturbari. Exponens autem eis Wilhelmum filium ſuum, quem vnicum apud Faleſiam genuerat, ab eis attentiſſime exigebat, vt hunc ſibi loco ſui Dominum eligerent, & militiæ ſuæ principem præficerent. Qui licet ſub tenerrima detineretur ætate puerili, tamen de eius conſolatione omnes oppido exhilerati, iuxta decretum Ducis protinus eum prompta viuacitate ſuum collaudauere Principem ac Dominum, pangentes illi fidelitatem non violandis ſacramentis. Dux itaque Rodbertus poſtquam hæc ad votum expleuit, filium ſuum fidelibus & ſenſatis tutoribus & auctoribus vſq; ad legitimam ætatem ſubegit, & diſpoſitis competenter rebus ad patriæ moderamina congruentibus, pium valedicens omnibus, cum ſuo nobiliſſimo comitatu illam ſanctiſſimam peregrinationem eſt aggreſſus. Quæ vero lingua vel ſermo explicabit elemoſynarum exhibitiones egenis ab eo quotidie diſtributas? Aut quæ vidua vel orphanus egenuſque extitit, qui non eius expenſis ſubleuaretur? Tandem profecto itinere ad illud venerabile ſepulchrum peruenit, in quo Regis cœleſtis ſanctiſſimum corpus iaçuit. Quis ergo hominum enarrabit, quot per octauos dies lachrymarum riuulis illud eluerit, vel quot auri muneribus accumulauerit.

Quod idem Dux Rodbertus rediens ab Ieroſolymis apud vrbem Nicenam obiit in Christo.

CAP. XIII.

Anno 1035.

PORRO inuictus Dux pius & Deo amabilis, adorato Chriſto cum internorum ſingultuum ſuſpiriis, & peragratis Sanctorum locis feliciſſimum conuertens iter ad Nicenam regreſſus eſt vrbem. In qua correptus ægrimonia corporis, Milleſimo triceſimo quinto ab incarnatione Domini anno viam petens vniuerſi generis humani gaudentibus angelis diuinæ vocationis iuſſu in fine occubuit, 6. Nonas Iulii. Nonenim indignum æſtimo credere, & pennæ officio ſignare, quod æterno cœleſtis Ieruſalem moderatori, cuius & ſepulturæ locum in terra veneratus eſt, in huius vitæ medio labore ad perennis gloriæ conſortium eum aſſumere placuerit. Ne beata anima plurimo iam optimorum operum ſplendore candidata, poſt mundanis actibus implicata maculas colligeret. Sepultus eſt etiam in baſilica ſanctę Marię à ſuis intra mœnia Nicenæ ciuitatis, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in paternæ maieſtatis deitate, cum coæqualitate ſpiritus ſancti per omnia ſecula, Amen.

Explicit liber quintus.

INCIPIT LIBER SEXTVS DE VVILHELMO DVCE, QVI ANGLIAM ARMIS SVBEGIT.

Quos labores Wilhelmus puer perpeſſus eſt in initio ſui principatus peruerſitate quorundam.

CAP. I.

RECENSITIS ſeriatim Rodberti magni Ducis actibus, & multorum ſolerti indagine intimatis auribus competens videtur, vt ad Wilhelmum filium eius articulus vertatur, ſubſcribendo futuris; quo ſudore laboris inimicorum laqueos euaſerit, & ſuis eorum ferina colla veſtigiis viriliter ſubſtrauerit. Pleriſque etenim ſcripturæ reperitur in paginis, nequitia patris iniqui domum filii ſubuerti, è diuerſo vero merito boni ſolidius roborari. Denique Chriſtus Rodberto Duci ſpretis ab eo ſecularib. pompis domum ſtabiliuit, dum perenni eum palma remunerauit, & Wilhelmum filium illius profligatis inimicis throno regali poſtmodum prouexit.

Veruntamen quibus victoriarum triumphis in Ducatu claruerit, prout ordo rerum veraciſſime compertarum dictauerit, libet venturis notificare, ne tegantur inani ſegnitie, quæ glorioſe micuerunt ætatis noſtræ tempore. Is itaq; Dux in puerilibus annis patre orbatus ſagaci tutorum prouidentia, liberalium morum inſtituebatur ad incrementa. Sub eius ineunte ætate Normannorum plurimi aberrantes ab eius fide-

litate

Digitized by Google

litate plura per loca aggeres erexerunt, & tutiſſimas ſibi munitiones conſtruxerunt. Quarum dum auderent ſiſi munimine, protinus inter eos diuerſi motus exoriuntur, ſeditiones concitantur, ac ſæua patriæ incendia vbiq; perpetrantur. In tanto quippe diſſenſionum turbine Mars atrociter graſſatur, & non modicus bellatorum cuneus fruſtra conſumitur.

De bello inter Turſtinum de Baſtenbore, & Walchelinum de Ferrariis, & de morte Osberni filii Herfaſti.

CAP. II.

NAM Hugo de Monteforti filius Turſtini cum Walchelino de Ferrariis certauit, & in eo conflictu vterque occiſus occubuit. Porro immanis quorundam rabies eructuat, ac ad patriæ detrimentum nimis regnat. Siquidem Giſlebertus Comes Ocenſis filius Godefridi Comitis, callidus & fortis tutor Wilhelmi pueri ſcilicet domini, quodam mane dum equitans loqueretur cum compatre ſuo Waſcelino de Ponte Erchenfredi nil mali ſuſpicans occiditur cum Fulcoio filio Geroii. Hoc vero malum doloſis hortatibus Rodulphi de Waceio filii Rodberti Archiepiſcopi factum eſt per manus crudeles Odonis Groſſi, & audacis Rodberti filii Geroii. Deinde Turoldus teneri Ducis pædagogus perimitur à perfidis patriæ deſertoribus. Oſbernus quoque procurator principalis domus, Herfaſti Gunnoris Comitiſſæ fratris filius, quadam nocte, dum in cubiculo Ducis cum ipſo in valle Rodoili ſecurus ſoporatur, repente in ſtatu ſuo à Wilhelmo Rogerii de Monte Gumerii filio iugulatur. Rogerius enim pro perfidia ſua tunc exulabat apud Pariſios, & quinque filii eius Hugo & Rodbertus, Rogerius & Wilhelmus, atque Giſlebertus, in Normannia ſummopere inſeruiebant diris facinoribus. Sed Wilhelmus pro ſcelere præſcripto, quod operatus eſt, non multo poſt condignam mercedem retribuente Deo nactus eſt. Barno quippe de Glotis præpoſitus Oſberni iniuſtam necem Domini ſui cupiens vlciſci, nocte quadam expeditos pugiles congregauit, & domum, vbi Wilhelmus & complices ſui dormiebant, abiit, ac omnes ſimul, ſicut meruerant, ſtatim trucidauit.

Quomodo Rogerius de Bellomonte filius Hunfridi de Vetulis patris iuſſione Rogerium de Toeneio ſuperauit.

CAP. III.

ROGERIVS Toenites de ſtirpe Malahulcii, qui Rollonis Ducis patricius fuerat, & cum eo Francos atterens Normanniam fortiter adquiſierat, vir potens & ſuperbus, ac totius Normanniæ ſignifer erat. Hic vero dum Rodbertus Dux peregre perrexerat in Hiſpaniam, vbi per eum multæ probitates ſuper paganos factæ ſunt, profectus fuerat. Sed poſt aliquantum temporis in ſua regreſſus eſt. Compertus autem, quod Wilhelmus puer in Ducatum patri ſucceſſerit, vehementer indignatus eſt, & tumide deſpexit illi ſeruire, dicens, quod nothus non deberet ſibi aliiſque Normannis imperare. Wilhelmus enim ex concubina Rodberti Ducis nomine * Herleua Fulberti Cubularii Ducis filia natus, nobilibus indigenis, ex Ricardorum proſapia natis deſpectui erat, vtpote nothus. * Herlotta

Verum poſtquam Ieroſolymitanus Dux obiit, Herluinus quidam probus miles Herleuam vxorem duxit, ex qua duos filios, Odonem & Robertum, qui poſtmodum præclaræ ſublimitatis fuerunt, procreauit.

Rogerius itaque fretus auxiliatorum multitudine contra tenerum Ducem auſus eſt rebellare. Omnes vicinos ſuos palam deſpiciebat, & terras eorum, maxime Vnfridi de Vetulis, rapinis & incendiis deuaſtabat. At ille diutius hoc ferre nolens, Rogerium de Bellomonte filium ſuum cum familia ſua contra eum miſit. Quem Roger. Tornięſis temere ſpreuit, & nil metuens cũ eo audacter conflixit: ſed ibidem cum duobus filiis ſuis Helberto & Elinantio peremptus victoriam hoſtibus reliquit. Ibi Rodbertus de Grentemaiſnil læthale vulnus accepit, quo poſt tres hebdomadas decimoquarto Calendas Iulii obiit. Porro ante mortem ſuam duobus filiis ſuis Hugoni & Rodberto terram ſuam æqualiter diſtribuit: eiſque Ernaldum minimum filium ſuum vt ipſum dum ad ætatem veniret, ſicut fratrem bene tractarent, commendauit.

Quod idem Rogerius Abbatiam Pratellis ædificauit, & Adelinam filiam Walleranni Comitis Mellenti duxit.

CAP. IIII.

ROGERIVS vero de Bellomonte ſuperatis aduerſariis victori Deo gratiam retulit: & in omni vita ſua bonis operibus inſudare ſtuduit. Inter quæ Monachile Cœnobium in fundo ſuo Pratellis conſtruxit, & Wilhelmo Duci contra omnes fidelis ſemper extitit.

Quapropter omnibus auis proauiſque ſuis ſublimior effectus eſt. Nam Adelinam Waleranni Comitis Mellenti filiam vxorem duxit, ex qua duos filios, Rodbertum & Henricum magnæ potentiæ poſtea Comites procreauit. Rodbertus quippe poſt Hugonē auunculū ſuū Comes Mellentis pluſquam viginti ſeptem annis viguit: & Henricus dono Wilhelmi Regis in Anglia Comitatum Warwik promeruit. Poſt præfatam cædem, in qua Rogerius & Robertus de Grentemaiſnil, & alii quamplures ceciderunt, Ricardus Ebroicenſis Comes filius Rodberti Archiepiſcopi, vxorem Rogerii de Toenia ſibi in matrimonio aſſumpſit, ex qua Wilhelmum, qui nunc Ebroicenſibus principatur, genuit. Rodolph. vero frater eius Haduiſam filiā Geroii relictam Rodberti de Grentemaiſnil ſibi iunxit. Interea Wilhelmus Dux fauente Deo creſcit ætate & viribus, ac ſenſu morumque valentia proficit. Animaduertens itaque, quanta ſuorum rabies Normanniam proculcauerit, in pueri pectore virile robur colligit, proceresque patris ſui aſcitos ad amorem ſui trahere ſatagit, & ne quid indiſciplinate agant precibus & iuſſis erudit. Rodulfum de Waceio ex conſultu maiorum ſibi tutorem eligit, & principem militiæ Normannorum conſtituit. Quidam optimatum, qui Dominum & iuſtitiam amant, libenter Duci vt Domino obtemperant, fidemque ſeruant, & rebelles ei ſubdere fideliter anhelant. Porro filii diſcordiæ, qui diſſentionibus gaudent, & innocenter viuere volentes, affligere ſtudent, dum per ſe tantum nocere ſimplicibus, quantum vellent, ſe non poſſe vident, commentantur, qualiter improba fronte ſubuerſionem patriæ procurent. Henricum igitur Regem Francorum adeunt, & titiones eius per Normannicos limites hac illacque ſpargunt. Quos nominatim literis exprimerem, ſi inexorabilia eorum odia declinare nollem. Attamen non alii extiterunt, vobis in aure loquor circumſtantibus, quam hi, qui fideliores ſe profitentur, & quos nunc maioribus Dux cumulauit honoribus.

Quod Henricus Rex Francorum caſtrum Tegularias à Normannis pro pàce ſibi traditum combuſſit, nec non & Argentonium.

CAP. V.

VESANA igitur proditorum prouocatione Rex Heinricus vehementer permotus, & beneficii à Roberto Duce ſibi quondam impenſi immemor effectus, dixit ſe placabilem ei nullo modo fore, quamdiu Tegulenſe caſtrum videret in priſtino ſtatu perſiſtere. Cuius fraudes animi ob ſalutem pueri vitare cupientes in fide ſtantes Normanni, decreuerunt fieri quod egiſſe poſtmodum pœnituit.

Giſlebertus autem cognomento Criſpinus, cui illud commiſerat olim Dux Rodbertus, mox vt moleſtiſſimum agnouit decretum, conatus eorum ſpreuit, & cum valida manu armatorum ad reſiſtendum ilico ſe intra ipſum concluſit. Rex quoque munitionis aditum ſibi denegari conſiderans, exercitibus tam Francorum, quam Normannorum contractis feſtinus eam obſidione cinxit. Quid plura? Giſlebertus tandem precibus Ducis victus, mœrens caſtrum reddidit, quod ſub oculis omnium cum maximo dolore cordis confeſtim igne concremari perſpexit. Quibus Rex ad votum peractis, à loco ſeceſſit. Sed non multo poſt Oximenſem Comitem adiuit, & Argentonium Ducis vicum flammis voracibus combuſſit: Sicque onuſtus præda partes illas deſeruit. Deinde itinere, quod venerat, regreſſus, ad caſtellum Tegulenſe venit, atque ſacramenta, quæ Duci iurauerat, ne à quoquam ſuo in quatuor annis reficeretur, irrita fecit. Nam illud cum feſtinatione reſtaurauit, militibus & alimoniis abundantiſſime muniuit, & hinc quia votis ſuis iam ſatisfecerat, lætus receſſit.

Quomo-

Quomodo Turſtinus Goz caſtrum Faleſiæ contra Wilhelmum Ducem tenere volens, ſed non potuit, & de Richardo filio eiuſdem.

CAP. VI.

TVRSTENVS cognomento Guz Anſfridi Dani filius, qui tunc præſes Oximenſis erat, perſpiciens Ducem puerum Regi aliquantum ceſſiſſe, & quaſi victum regiæ manus oppreſſionem iam aliquantam vtcunque perpeti, zelo ſuccenſus infidelitatis, regales milites ſtipendiis conduxit, quos complices ad muniendum Faleſiæ caſtellum, ne inde Duci ſeruiret, ſibi aſciuit. Cuius maliuoli animi conatus Dux vt comperit, legionibus Normannorum vndequaque coactis feſtinanter illud obſedit. Tunc Rodulfus Waceienſis magiſter militum erat, Ducemque ſuum totis niſibus adiuuabat.

Concitatis autem militibus tanta ilico magnanimitate pugnatum eſt, vt partem muri ſub momento deiecerunt. Et niſi nox prœlium diremiſſet, proculdubio rem, quam ſumme volebant, totam confeciſſent. Perpendens Turſtinus, ſe tantas hoſtium copias non poſſe diutius tolerare, locum ſecedendi à Duce petiit, & ſic profugus à patria extorris aufugit. Poſt hæc Ricardus Turſtini filius optime Duci ſeruiuit, & ſi patrem ſuum Duci reconciliauit, & ipſe multa maiora, quam pater perdiderat, adquiſiuit.

Quod Roberto Archiepiſcopo ſucceſſit Malgerius filius ſecundi Ricardi ex ſecunda coniuge Papia, & de Willelmo Archacenſi.

CAP. VII.

MORTVO Rodberto Rotomagenſi Archiepiſcopo ſucceſſit Malgerius frater Rodberti Ducis. Nam Ricardus Gunnorides mortua Iudith, aliam vxorem nomine Papiam duxit, ex qua duos filios genuit, Malgerium ſcilicet archipræſulem, & Wilhelmum Archacenſem. Hic enim Wilhelmus à Duce iam in adoleſcentia pollente, Comitatum Talogi percepit, obtentu beneficii, vt inde illi exiſteret fidelis. Nobilitate vero generis elatus caſtrum Archarum in cacumine ipſius montis condidit. Deinde aſſumpta tyrannide, regioque fultus iuuamine, contra Ducem auſus eſt calcaneum extollere. Quem Dux à ſua veſania nitens auellere, ad exhibendum ſibi obſequium per legatos iuſſit eum venire. Sed ille huiuſmodi legationem habens contemptui, magna cum fiducia ad reſiſtendum ſe muniuit & armauit. Dux vero viribus Normannorum aſcitis eius ſupercilium domiturus quantotius ſuper eum venit, & erectis aggeribus ad radicem montis caſtrum ſtabiliuit, quod fortium virorum robore inexpugnabile reddit, & ſic inde abiens vallatum alimoniis reliquit. Quod factum protinus Henricum Regem minime latuit. Rex ergo Francorum copias ſumpſit, & ſuperioris oppidi cauſa muniendi properatiſſime aduenit, & exercitum caſtra metari apud Sanctum Albinum iuſſit. Cuius aduentum milites Ducis comperientes, de ſuis miſerunt, ſi quos forte hoſtium à regio cœtu abtraherent, quos illi in latibulis degentes incautos exciperent. Quo dum veniſſent, non minimam exercitus partem inde protraxerunt, & fugientes in inſidias induxerunt. Statim vero qui videbantur fugere, verſa facie cæperunt eos acriter cædere: adeo vt in hoc conflictu cum pluribus Ingelrannus Abbatiſuillæ Comes confoſſus perimeretur, ac Hugo cognomento Bardulfus cum multis aliis caperetur. Quod vt Rex agnouit, alimoniam caſtello, pro quo venerat intromiſit, vt mœſtus propter milites amiſſos cum dedecore receſſit. Wilhelmus quoque non longo poſt inedia affectus cum ſuis inuitus caſtellum reddidit, & ipſe à natiuo ſolo in exilium diſceſſit. Denique cum vxore ſua ſorore, ſcilicet Widonis Comitis Pontini Euſtachium Boloniæ Comitem expetiit, & in eius familia victum & veſtitum percipiens vſque ad mortem ſuam extorris remanſit.

Quod mortuo Chnuto Rege Anglorum ſucceſſit Heroldus filius eius, & de Edwardo adhuc exule.

CAP. VIII.

EADEM tẽpeſtate Anglorũ rex * Chnutus obiit, cui ſucceſſit Heraldus filius eius, ex concubina nomine Elfſgiua natus. Cuius diu cupitam mortem Edwardus audiens adhuc cum Duce degens, quantotius cum quadraginta nauibus milite plenis * *Canutus.*

ſuperato mari Hantunam appulit, vbi innumerabilem Anglorum multitudinem ad ſui pernitiem ſe operientem offendit. Qui protinus congreſſus cum eis, non minimam partem ex illis otius orco tranſmiſit. Ipſe vero victor exiſtens, ad naues regreſſus eſt cum ſuis. Videns autem non abſque plurimo militum numero ſe poſſe regnum obtinere Anglorum, regyratis nauium proris Normanniam cum maxima præda repetiit.

De traditione Aluredi fratris Edwardi per Goduinum Comitem, & quod Hardechnutus filius Emmæ matris Edwardi ſucceſſit Heraldo fratri ſuo, & Hardochnuto Edwardus, qui duxit Editham filiam Goduini.

CAP. IX.

INTEREA frater eius Alfredus milites non parui numeri aſſumpſit, portumque Widſand periit, & hac transfretans Doroborniam venit. Inde ſiquidem interiora penetrans regni, Goduinum Comitem obuium habuit. Quem idem Comes in ſua fide ſuſcepit, ſed in illo ſub eadem nocte traditoris inde vicem impleuit. Nam libato pacis oſculo, & cum eo percepto cibo medio intempeſtæ noctis manibus poſt tergum ligatis, illum Heraldo Regi apud Londoniam cum ſuorum nonnullis deſtinauit. Milites autem ſuos partim per Anglorum regionem diſtraxit, partim cum dedecore peremit. Heraldus vt Aluredum vidit, ſtatim eius ſocios truncari capitibus iuſſit, & ipſum ad Hely duci, ibique oculis priuari. Sic nobiliſſimus & optimus vir Alured⁹ occubuit iniuſte peremptus. Heraldus vero nō multo poſt ſuperſtes obiit mortem: cui ſucceſſit frater eius Hardechnutus à Dacia egreſſus, ex Emma Edwardi matre natus. Qui poſt paululum confirmatus in culmine regni fratrem ſuum Edwardum à Normannia reuocauit, ac ſecum cohabitare fecit. Ipſe autem non plenis duobus annis exiſtens, exuit hominem, & Edwardum totius regni reliquit hæredem.

Ferox dolique commentor Goduinus eo tempore Comes in Anglia potentiſſimus erat, & magnam regni Anglorum partem fortiter tenebat, quam ex parentum nobilitate, ſeu vi vel fraudulentia vendicauerat. Edwardus itaque metuens tanti viri potentia lædi, doloue ſolito, Normannorum conſultu, quorum fido vigebat ſolatio, indignam Aluredi fratris ſui pernitiem ei benigniter indulſit. Ac vt inter eos firmus amor iugiter maneret, Editham filiam eius vxorem nominetenus duxit.

Nam reuera, vt dicunt, ambo perpetuam virginitatem conſeruauerunt. Edwardus nempe Rex vir bonus erat, mitis, & humilis, iocundus, & longanimis, clemens pauperum tutor, & Anglicarum legum legitimus reſtitutor. Multotiens diuina miſteria vidit, & vaticinia, quæ rerum euentu poſtmodum comprobata ſunt, deprompſit, regnumque Anglorum fere viginti quatuor annos feliciter rexit.

De crudelitate Wilhelmi Taluatii, & de Wilhelmo filio Geroii, qui Monachus Becci factus eſt.

CAP. X.

VVILHELMVS cognomento Taluatius poſtquam Rodberti fratris ſui caput in carcere ſecuribus comminutum eſt auxilio ſuorum & maxime Wilhelmi filii Geroii omnem patris ſui fundum adeptus eſt. Hic vero à parentum ſuorum perfidia nequaquam ſua retorſit veſtigia.

Hildeburgem quippe filiam Arnulfi cuiuſdam nobiliſſimi viri in coniugio habuit, ex qua Arnulfum & Mabiliam crudeliſſimæ ſobolis poſtea matrem genuit. Sed quum mulier prædicta bene morigerata erat, & Deum feruenter amabat, diris mariti factionibus non conſentiebat. Quapropter ipſe eam abominatus eſt vehementer. Deinde filiam Rodulfi Vicecomitis de Bellomonte ſibi deſponſauit, & plures ſibi vicinos optimates ad nuptias inuitauit, inter quos Willelmum Gorii filium eximię ſtrenuitatis virum acceſſiuit.

Rodulfus autem frater eius Clericus copioſe litteratus erat, & cognomento Mala Corona. quia militaribus exercitiis inſeruiens clericatus grauitatem male ſeruabat, ex augurio graue infortunium ſibi imminere prænoſcens, fratri ſuo prohibet, ne fœdas feralis bigami nuptias vllatenus adiret. Wilhelmus autem ſpretis Rodulfi diſſuaſionibus, inermis Alentium venit cum duodecim militibus.

Porro Talauatius eum illic nil mali ſuſpicantem, ſed potius, vt moris eſt, ad nuptias

Digitized by Google

ptias amici ſui gaudentem ſine reatu quaſi nequam proditorem mox comprehendit, & caute cuſtodiri ſuis clientibus præcepit. Poſtea cum conuiuis ſuis venatum perrexit. Satellites vero eius, quibus clam iuſſerat hoc Wilhelmum foras eduxerunt, & cunctis qui hoc videbant lugentibus, heu proh dolor, oculis priuarunt, nariumque ſummitatibus & aurium abſciſſis deturparunt.

Hoc audito ſcelere multi doluerunt, & contra Taluatium in ira exarſerunt, & tale nefas vlciſci conati ſunt. Geroianus autem Wilhelmus poſt tres annos venerabilem Herluinum Abbatem adiit, & in Beccenſi cœnobio, quod in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ tunc à præfato patre conſtruebatur, Monachus factus eſt.

Quod Dux Ricardus dedit duo municipia Monaſteriorum & Eſchalſoum Geroio, qui duxit Giſlam filiam Turſtini de Monteforti.

CAP. XI.

GEROIVS iſte, de cuius prole loquimur, ex nobili Francorum & Britonum proſapia originem traxiſſe dicitur. Hic autem cum Beleſmenſi Wilhelmo ad curiam Ricardi ducis venit, cuius dono in Normannia duo municipia, Monaſteriolū & Eſcalſoum obtinuit. Hoſpitium vero dum Ducem expeteret in domo Turſtini de Monteforti habuit, cuius filiam nomine Giſlam ad prandium forte videns adamauit, & à præclaris parentibus eam requirens impetrauit. Quæ ſuccedenti tempore ſeptem filios & quatuor filias ei peperit: quorum nomina hæc ſunt: Ernaldus, & Fulcoius, qui cum Giſleberto Comite periit, Wilhelmus & Rodulfus Mala corona, Rodbertus, Hugo, & Geroius. Herenburgis, & Emma, Adelais, & Haduiſa.

Ex his filiorum & nepotum militaris turma propagata eſt, quæ Barbaris in Anglia vel Apulia ſeu Turcia vel Syria nimio terrori viſa eſt. Igitur poſtquam Wilhelmus Taluatius Wilhelmum, qui ætate & ſenſu in Geroiana progenie ſublimior erat, ex inuidia, vt ſupra diximus, tam truculenter dehoneſtauerat, Rodbertus & Rodulfus egregii milites cum fratribus & cognatis viriliter inſurgunt, & damnoſam fratris ſui iniuriam vindicare moliti ſunt.

Omnem itaque terram Taluatii prædis & incendiis deuaſtabant, vſque ad portas munitionum eius nullo reſiſtente armati veniebant, ipſumque vt exiret, & comminus certaret audacter prouocabant. At ille & timidus, & in militia nullarum virium erat, cum laceſſentibus inimicis in campo confligere non audebat. Sic à Geroicis ſæpe deludebatur.

De Arnulfo filio Wilhelmi Taluacii & Oliuero fratre eius Monacho Beccenſi.

CAP. XII.

ARNVLFVS tandem filius eius vt hęc animaduertit, optimatum ſuorum conſenſu contra patrem, qui omnib. odibilis erat, rebellauit, & eum de munitionibus ſuis turpiter eiecit, & vſque ad mortem miſerabiliter exulare compulit. Paternam quidem poſſeſſionem inuaſit, ſed nequitiam non deuitauit, vnde triſti fine perieremeruit.

Nam quadam die cum clientibus ſuis prædari perrexit, & inter reliqua porcum cuiuſdam ſanctimonialis rapuit. At illa gemens eum inſecuta eſt, ac vt porcellus, quem nutriebat, ſibi pro Deo redderetur, obnixe deprecata eſt. Arnulfus autem preces eius ſpreuit, porcum mactari, & ad eſum præparari coco iuſſit, ventrique ſuo fruſtra ſeruiens inde ſero nimis comedit. Sed non impune. Nam eadem nocte in lecto ſuo ſtrangulatus eſt.

Porro quorundam relatio aſſerit, quod ab Oliuario germano ſuo peremptus ſit. Nos vero de tali viro tantum nefas non ſolum non aſtruimus, verum etiam credere penitus recuſamus.

Præfatus ſiquidem Oliuarus longo poſt tempore in militia honorifice deguit, ſenexque factus Dei nutu ſeculum dereliquit. Deinde ſub Domino Anſelmo tunc Abbate, nunc vero Cantuariorum Archiepiſcopo Monachile ſcema in Beccenſi Cœnobio pie ſuſcepit, quod ibidem ſub Domino Wilhelmo Abbate multis annis laudabiliter portauit.

Digitized by Google

Quod mortuo Arnulfo Iuo patruus eius Epiſcopus Sagienſis terram eius hereditario iure poſſedit.

CAP. XIII.

DENIQVE Arnulfo nequiter perempto, ſicut ſupra retulimus, venerabilis Iuo patruus eius Sagienſis Epiſcopus Beleſmiæ caſtrum, & quæque ad ipſum iure pertinebant, accepit, & legitime quamdiu vixit, pace cum Geroianis aliiſque vicinis facta, tenuit. Sagax enim idem erat, ac decorus, & affabilis multumque iocoſus, ac ſerenæ pacis cupidus. Sed perfidia malorum non ceſſat perturbare quietem bonorum. Itaque temporibus Iuonis Epiſcopi Richardus atque Rodbertus, & Aneſgotus filii Wilhelmi cognomine Sorengi cuneum ſceleratorum ſibi aſciuerunt, & omnem circa Sagium patriam ſine reuerentia depopulati ſunt. Poſtremo Eccleſiam Sancti Geruaſii inuaſerunt, ibique turbam prædonum poſuerunt. Sic de domo orationis ſpeluncam latronum, ſtabulumque fecerunt equorum. Religioſus Azo vetulus præſul eiuſdem vrbis muros deſtruxerat, & ex lapidibus deiecti muri Eccleſiam Sancto Geruaſio Martiri conſtruxerat, vbi ſedes Epiſcopalis longo poſt tempore fuerat. Venerandus autem Iuo dum vidit Sorengos in diebus ſuis ita inſanire, vt in templo Dei non dubitarent foueam furum & lupanar meretricum facere, nobili tactus ira vehementer doluit, ac ad liberationem Eccleſiæ Dei toto niſu animum conuertit. Quadam igitur die de curia Wilhelmi Ducis rediret, ac per Oxinenſem pagum tranſiret, Hugonem de Grentemaiſnil alioſqe barones cum turmis ſuis ſecum adduxit, & Sorengos in turre Monaſterii fortiter expugnari fecit. At illi audacter reſtiterunt, vt pro ſe pugnantes proiectis telis plures læſerunt. Quod pontifex dum perſpexit, vicinis domibus ignem imponi iuſſit. Mox parrochiani iuſſis parent Epiſcopi. Ignis vero immiſſus flante vento ad Eccleſiam currit, ipſamque inuadens conſumit, & impios in ea furentes acriter angit. Sorengi tandem dum ſe vident flammæ ſæuitiem pati non poſſe, arreptis armis inde fugiunt cum dedecore.

De filiis Wilhelmi Sorengi Ricardo, Rodberto, & Aneſgoto, quomodo digna morte interierunt.

CAP. XIIII.

IVSTVS & miſericors Deus ægre tulit Eccleſiæ ſuæ prophanationem, debitamque violatoribus non diſtulit inferre mulctationem. Nam tres germani, qui principes extiterant prædictæ inuaſionis, non multo poſt, dum latrocinii iuſto Dei iudicio perempti ſunt, ſine confeſſione & viatico ſalutis. Ricardus nempe qui primogenitus erat, noctu in vili caſa iuxta quoddam ſtagnum ſecurus dormiebat. Protinus quidam miles potens nomine Ricardus de Sancta Scholaſtica, cuius terram deuaſtauerat, domunculam circumdedit cum ſua familia. Sorengus vero expergefactus de Bordello exiit, & fugiens in viuarium exilire voluit. Verum quidam ruſticus, quem ipſe pridem in vinculis cruciauerat, eum præuenit, & ſecuri caput eius conterens, mox eum ibidem exanimauit. Deinde Rodbertus frater eius cum ſuis quadam die circa Seucerum prædam rapuit, & dum rediret, à perſequentibus villanis vulneratus ſtatim interiit.

Ad vltimum Aneſgotus Cambeiam ſuper Albertum Girardi Flatelli filium intrauit, ibique militari rabie debacchari cæpit, ſed pilo deſuper emiſſo in capite ictus mox periit. Ecce in his vere completum vidimus, quod audiuimus: Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Raptores ergo & fractores eccleſiarum ſui ſimilium interitu comperto caueant, nedum ſimilia perpetrant, ſimili punitione tandem pereant. Et ſi mundana proſperitas paulu lum eos comitatur, non inde ſecuri glorientur. Illis nimirū ſcire conuenit, quod mundi gaudiū quaſi fumus ad modicum tranſit, ac permanſurum mœrorem adquirit, ceu quidam egregius in poemate ſuo impios arguens verſificator ait:

Vos male gaudetis, quia tandem ſuſcipietis
Nequitiæ fructum, tenebras, incendia, luctum.
Nam pius indultor iuſtuſq; tamen Deus vltor,
Quæ ſua ſunt munit, quæ ſunt hoſtilia punit.

Proſtratis, vt ſupra dictum eſt, filiis diſcordiæ, ſimplicibus in pace circa Sagium licuit aliquantulum reſpirare. Nobilis Iuo præſul Eccleſiā cooperire ſatagit. Et quarto nonas Ianuarii iterum dedicauit. Sed quia maceriæ flammarum virtute læſæ fuerant, ipſo anno ante quadrageſimam corruerunt.

De

De conſilio quod Remis tenuit Leo Papa & de increpatione ipſius in Iuonem epiſcopum Sagienſem propter eccleſiam Sancti Geruaſii combuſtam.

CAP. XV.

IN illo tempore Sanctus Leo Papa Gallias expetiit, eccleſiam Sancti Remigii Remenſis archiepiſcopi conſecrauit, eiuſque corpus in eccleſiam nuper dedicatam tranſtulit. Tunc Remis idem Papa grande conſilium tenuit, & deſides epiſcopos vel Abbates acriter redarguit, inter quos vt dicunt propter combuſtionem eccleſiæ Iuoni dixit: Quid feciſti perfide? Qua lege damnari debes, qui matrem tuam cremare auſus es? Eloquens Iuo palam confeſſus eſt ſe quidem malum feciſſe, ne deteriora fierent à ſceleroſis ſuper filios eccleſiæ.

Denique pœnitentiam ſecundum Sagacis Papæ iuſſum accepit, ac de reſtituenda Sancti Geruaſii eccleſia operam adhibuit. Igitur Apuliam & inde Conſtantinopolim perrexit, & à diuitibus cognatis & amicis ſuis ſimul multum pecuniæ congeſſit, donoque Imperatoris de ligno dominicæ crucis charum munus deportauit. Reuerſus autem Sagium eccleſiam cœpit tam magnam ædificare, vt ſucceſſores eius Rodbertus Girardus ac Serlo nequiuerunt eam per XL. annos conſummare.

Quod Willelmus Talauatius frater Montis epiſcopi filiam ſuam Mabiliam Rogerio de Monte Gumerii cum terra ſua dedit.

CAP. XVI.

INTEREA Willelmus Talauatius poſtquam à filio ſuo vt ſupra retulimus de terra ſua expulſus eſt, miſer & deſpicabilis omnibus per aliorum domos diu peruagatus eſt. Ad extremum Rogerum de Monte Gumeri expetiit, eique filiam ſuam nomine Mabiliam ſponte obtulit, & omnem quem ipſe pro nequitia ſegnitiaque ſua perdiderat honorem conceſſit. At ille qui fortis erat & probus conſilioque maturus, hoc placitum ſibi profuturum cernens, ei adquieuit in omnibus. Ipſum namque errabundum in domo ſua ſuſcepit, eiuſque natam ſibi legitime copulauit. Præfata vero mulier erat corpore parua multumque loquax, ad malum ſatis prompta, & ſagax, atque faceta, nimiumque crudelis & audax. Quæ ſuccedenti tempore quinque filios & quatuor filias peperit, quorum nomina hæc ſunt. Rodbertus & Hugo, Rogerius Pictauinus, Philippus & Arnulfus. Emma Mathildis, Mabilia, & Sibilla. Hæ ſiquidem fratres ſuos moribus præceſſerunt. Nam dapſiles & honeſtæ ac affabiles pauperibus & monachis aliiſque ſeruis Dei fuerunt. Illi vero ferales & cupidi ac inopum rabidi oppreſſores extiterunt. Quam callidi vel militares ſeu perfidi fuerunt, aut quantum ſuper vicinos pareſque ſuos excreuerint, iterumque ſub eis pro facinoribus ſuis deciderint, non eſt noſtrum in hoc loco enarrare, qui decreuimus Willelmi Ducis magni geſta propalare. Quapropter illis relictis nunc ſtylus figatur in pręfixa ſerie narrationis.

Quod mortuo Hugone Epiſcopo Baiocenſi Dux Willelmus Odonem fratrem ſuum Vterinum ſubrogauit, & de bello apud Valedunas.

CAP. XVII.

IGITVR Dux iam flore vernans gratiſſimæ iuuentutis, cultum Dei cœpit vltroneo corde amplecti, imperitorum quoq; contubernia à ſe eliminare & ſapientum conſiliis vti, bellicis rebus pollere, & prudentia ſeculari vigere. Circa hæc tempora Hugo filius Rodulfi Comitis Baiocenſis epiſcopus obiit, & Dux prædictum epiſcopatum Odoni fratri ſuo commendauit. Præfatus autem Odo vt præſul conſecratus fuit, pontificalem eccleſiam in honorem Sanctæ Dei genitricis Mariæ nouam auxit: auctoque clericorum numero peritorum & multis ornamentis mirabiliter ditauit. Ipſe vero fere quinquaginta annis in epiſcopatu vixit. Dux autem dũ multis probitatum commodis quotidie augmentaretur, quendam crudelem cõuiuam expertus eſt, Widonẽ ſcil. filium Rainaldi Burgundionum Comitis, qui cum eo à puerilibus annis educatus fuerat, & cui olim contulerat caſtrum Brioci quaſi munere firmius aſtringendę fidelitatis. Is etenim faſtu inuectus ſuperbiæ, plurimos proceres velut Abſolon ab eius fidelitate cœpit auertere, & in ſuæ perfidiæ voragine complicare, in tantum vt Nigellum Conſtantinienſem præſidem, in hac conſpiratione annecteret & à ſeruitio quod electiſſimo principi ſacramẽtum obligatione debebat, cum multis aliis

funditus exturbaret. Conſiderans itaque prudentiſſimus Dux ſe tantopere à ſuis deſtituti, & eos ſuorum municipiorum præſidiis iugiter robuſtius vallari, verens ne à comitatus faſtigio abiiceretur, locoque ſuo æmulus eius ſubrogaretur, neceſſitate coactus Heinricum Francorum regem expetiit pro ſubueniendi optentu. Tunc tandem rex memor beneficii quod à patre eius ſibi quondam impenſum fuerat, vires Francorum ſimul coegit, & Oximenſem Comitatum aggreſſus, Valedunas venit, vbi innumerabilium infeſtiſſimo armatorum animo exercitum, ſtrictis gladiis prælium ſibi intentantem offendit. Quorum efferos impetus Rex cum duce minime perhorreſcens, facto alternatim militum concurſu, bellum commiſit, tantaque eos illico ſtrage deleuit, vt quos gladius non extinxit, Deo formidinem inferente fugientes fluuius Olnæ abſorberet. Fœlix namque pugna, in qua die ſub vna corruerunt proteruorum caſtella, & facinoroſorum domicilia. Wido autem è prælio lapſus Briocum expetiit, in quo obſeratis portarum repagulis cupiens liberari ſe aliquandiu obſtruxit. Quem Dux, Rege Franciam repetente, propere inſecutus, intra ambitum ſepſit obſidione, ſtabilitis munitionibus in vtraque parte fluminis vocabulo Risle. Videns profecto Wido ſe nullo pacto à loco effugere poſſe, aſtrictus famis calamitate, per amicos compulſus eſt ſupplex & commiſſi pœnitens, eius clementiam expetere. Cuius Dux ſuorum conſultu miſeriæ miſertus, clementer illi pepercit, & recepto caſtello Brioci cum ſuis domeſticis eum manere in domo ſua iuſſit. Conſpicientes itaq; cuncti optimates qui deuiarant à Ducis fidelitate, illum omne præſidium fugæ partim deſtruxiſſe, partim intercluſiſſe, datis obſidibus rigida colla ei vt domino ſuo ſubdidere. Sic caſtellis vbiq; euerſis nullus vltra auſus eſt contra eum rebellem animum

Anno 1047. detegere. Prædictum itaque bellum anno ab incarnatione domini M. XLVII. factum eſt.

Quomodo dux Willelmus caſtella Alentium & Damfrontem, quæ Goisfredus Comes Andegauenſis inuaſerat, recepit.

CAP. XVIII.

ANDEGAVORVM quoq; Comes Goisfredus agnomine Martellus, vir per omnia verſutus, quoſdam cladibus diuerſis & intolerabilibus preſſuris in vicino degentes frequenter afflixit.

Ex quibus Comitem Tedbaldum à ſe fraudulenter captum tamdiu cuſtodiæ mancipauit, donec vrbem Turonicam ab illo violenter extorqueret cum nonnullis caſtellis. Hic ergo obortis litium quibuſdam fomitis, contra Willelmum Ducem cæpit atrociter moueri, Normanniamq; rapinis vehementer demoliri, intra Danfrontis caſtrum ſeditioſis cuſtodibus immiſſis. Quod Dux militari vallatus manu, viſendi optentu aggreſſus, vt ipſum vidit ſcopulis aſperrimis & eminentibus in gyro circundatum, & inacceſſibile ad oppugnandum, vires Normannorum acciuit, & firmiſſimis caſtellis illud ſtrinxit, ac aditus egrediendi obſtruxit. In cuius procinctu dum aliquandiu moraretur, ecce adſunt exploratores Alentium caſtrum abſq; ſuorum detrimento eum capere poſſe nunciantes. Qui confeſtim cuſtodes intra caſtra diſpoſuit, & cum exercitu tota nocte equitans diluculo Alenſium venit, vbi in quodam municipio transflumen poſito quoſdam ſe conuitiis ſubſannantes reppetit. Quod acerrime, concitatis militum animis, expugnans, feſtinanter cæpit, igneq; iniecto exitialibus flammis cremauit. Illuſores vero coram omnibus infra Alenſium conſiſtentibus, manibus priuari iuſſit, & pedibus. Nec mora ſicut iuſſerat, triginta duo debilitati ſunt. Pelles enim & renones ad iniuriam Ducis verberauerant, ipſumque Pelliciarium deſpectiue vocitauerant, eo quod parentes matris eius Pelliciarii extiterant. Cuſtodes autem caſtelli tam ſeueram auſteritatem Ducis cognoſcentes timuerunt, & ne ſimilia paterentur ilico portas aperuerunt Ducique caſtellum reddiderunt: malentes illud reddere, q̃ cum ſuorum periculo membrorum tam grauia tormenta tolerare. Dux autem viriliter his peractis, militibuſq; ſuis intromiſſis, celerrime Danfrontem repetiit. Audientes itaque Danfrontani qualia Dux ſuis commilitonibus intulerit, & conſiderantes ſe à nullo poſſe iuuari, ſe & caſtellum eius tradiderunt dominatui. Inde vero cuſtodibus poſitis egrediens, & prolixius tendens ad confutandum Comitem Goisfredum Ambreras venit, ibiq; ſuper ora fluminis caſtellum condidit, quod alimoniis & militibus ſufficienter muniuit. Quibus decenter expetis rebus, Rotomagum Metropolim Normanniæ regreſſus eſt.

Quod

Quod depoſito Willelmo Werlenco de Comitatu Moritalii, Rolcrtum vterinum fratrem ſuum ſubrogauit.

Cap. XIX.

EADEM tempeſtate Willelmus cognomento Warlencus de ſtirpe Richardi magni, Comes erat Moritolii. Ad eum aliquando quidam tiro de familia ſua, nomine Rodbertus Bigot accedens ait. Paupertate premor domine mi, & in hac patria nequeo queſtum mihi neceſſarium lucrari. Quapropter ibo nunc in Apuliam, vt ibidem honorabilius viuam. Cui Willelmus ait: Quis hoc tibi perſuaſit? At ille reſpondit. Penuria quam patior. Comes vero dixit. Si mihi credere vis, hic nobiſcum remanebis. Nam tale tempus ante octoginta dies in Normannia habebis, vt quæquæ tibi neceſſaria oculis videris, impune manibus rapere poteris. Ille vero domini monitis adquieſcens remoratus eſt, & non multo poſt per Richardum Abrincatenſem cognatum ſuum familiaritatem Ducis conſecutus eſt. Qui dum quadam die priuatim loqueretur cum Duce, inter alia perſcriptum Willelmi Comitis verbum ei retulit. Dux autem Willelmum ad ſe vocauit, & cur eiuſmodi ſermonem protuliſſet, interrogauit. At ille nec negare potuit, neque intentionem dicti declarare præſumpſit. Ob hoc iratus Dux ait. Seditioſis tumultibus Normanniam perturbare decreuiſti, & contra me rebellans me nequiter exhæredare diſpoſuiſti, ideoque rapacitatis egeno militi promiſiſti. Sed nobiſcum dono creatoris vt indigemus maneat pax perhennis. Tu autem è Normannia diſcede quantotius, & huc dum vixero ne redeas vlterius. Willelmo itaque expulſo, & Apuliam miſerabiliter petente cum vno tantum armigero. Dux confeſtim Rodbertum fratrem ſuum ſublimauit, eique Moritonienſem Comitatum tribuit. Sic tumidos ſui patris parentes aſpere proſtrauit, humileſque matris ſuæ propinquos honorabiliter exaltauit. Cæterum ſicut in vulgari prouerbio dicitur. Stultus non verbis non exemplis, ſed plagis vix corrigitur, nec pertimeſcit, donec diros ictus accipit: quod in ſubſequenti luce clarius apparebit exemplo.

De rebellione Willelmi Buſatii comitis Aucenſis, & quod idem exul ab Henrico Rege Francorum Comitatum Sueſſionicum dono accepit.

Cap. XX.

SIQVIDEM vt in ſuperioribus manifeſtauimus Dux Normannorum Ricardus filius primi Ricardi, cuidam fratri vterino nomine Willelmo dedit comitatum Aucenſem. Hic ex Leſcelina Comitiſſa habuit tres filios, Rodbertum, Willelmum, Hugonem poſtea epiſcopum Lunouienſem. Horum medius Willelmus cognomento Buſatius Ducatum ſibi volens vendicare, cæpit contra Ducem minis & infeſtationibus ceruicem erigere. Verum fortis princeps nolens ei cedere exercitum congregauit, & caſtrum Oucis donec illud caperet, obſedit, atque Willelmum rebellem cognatum ſuum exulare coegit. At ille Henricum Regem Francorum expetiit, cui quid ſibi contigiſſet flebiliter retexit.

Rex vero ipſum vtpote nobilem genere & forma militem benigne ſuſcepit, & infortunio eius condolens Comitatum Sueſſionis ei cum quadam nobili coniuge tribuit. Ex qua poſtmodum egregiam prolem iam felix exul ſuſcepit. Quæ patris honorem vſq; hodie nobiliter regit. Tandem eiectis vel proſtratis diſſenſionum famulis, omnis Normannia quieuit ſub alis commodæ pacis.

Quod Dux Willelmus duxit Mathildem filiam Balduini Flandrenſis neptem Henrici Regis.

Cap. XXI.

IAM Duce iuuenili robore vigente tranſcenſis animis adoleſcentiæ, cæperunt optimates eius de ſucceſſione prolis cum eo attentius tractare. Audiens autem Balduinum Flandriæ Comitem quandam habere filiam. Regali ex genere deſcendentem nomine Mathildem, corpore valde elegantem, animoque liberalem hanc ſuorum conſultam miſſis legatis à patre petiit vxorem. Ex cuius propoſito animi Balduinus Satrapa admodum gauiſus nō modo petitam dari decreuit, verum etiam cū muneribus innumeris eam aduſque Oucenſe caſtrum adduxit. Vbi Dux militum ſtipatus cateruis aduenit, illamque ſibi iure coniugali deſpondit, & cum maximo tripudio ac honore Rotomagi mœnibus intulit. Genuit autem ex ea procedenti tempore

filios

filios quatuor, Rodbertum qui poſt eum Ducatum Normanniæ aliquandiu tenuit, & Willelmum qui regno Angliæ tredecim annis præfuit, & Ricatdum qui iuuenis deceſſit, & Henricum qui fratribus tam Regi quam Duci ſucceſſit: & filias quattuot, de quibus omnibus tam viris quam fœminis liber ſubſequens qui de geſtis nobiliſſimi Regis Henrici inſcriberur, pro modulo noſtro Deo iuuante pertractabit.

De Monaſteriis quæ ædificata ſunt in Normannia tempore Willelmi Ducis.

Cap. XXII.

IN diebus illis maxima pacis tranquillitas fouebat habitantes in Normannia, & ſerui Dei à cunctis habebantut in ſumma reuerentia. Vnuſquiſque optimatum certabat in prædio ſuo eccleſias fabricare, & monachos qui pro ſe Deum rogarent tebus ſuis locupletate. Et quia diximus nobiles quoſque Normannorum tunc temporis in fundis ſuis in ædificatione Monaſteriorum ptomptiſſimos, libet nominatim exprimere eos qui eo tempote Monaſteria in eadem prouincia conſtruxetunt. Primum igitur ponam ipſum Ducem Willelmum patrem patriæ qui Monaſterium Sancti Vigoris Ceracii à Duce Rodbetto patte ſuo antequam Ieruſalem petgeret incæptum cæpit & propagatur, vſque quo ipſe Monaſterium Sanctæ Trinitatis ædificauerunt Cadoni. Willelmus vero filius Osbetni propinquus Ducis Willelmi vir potens & virtute tam animi quam corporis laudabilis, duo Monaſtetia in honorem beatæ Dei genitricis Matiæ, vnum apud Liram, in quo Adelizam filiam Rogerii de Toenio vxorem ſuam poſtmodum ſepeliuit, alterum apud Cornelias, in quo ipſe mortuus conditus eſt fecit. Rogerius etiam de Bellomonte filius Humfridi de Vetulis in fundo ſuo Ptatellis duo cænobia ædificauit, vnum Monachorum, alterum Sanctimonialium.

Rogerius de Montegomerii pater Rodberti de Beleſmo indignans videri in aliquo inferior ſuis compatibus, in honorem Sancti Martini eccleſias duas vnam in Sagienſis vrbis ſuburbio, alteram in Vico ſuo Troatno nobiliter conſtruens, greges monachorum ibidem Deo militaturos poſuit, tetriam etiam fecit apud Almanachias ad opus Sanctimonialium. Leſcetina vero Comitiſſa Aucenſis adiuta à filiis ſuis Rodberto Comire Auci & Hugone epiſcopo Lexouienſi cænobium Monachorum Sancti Petri ſuper Diuam, & Monaſterium Sanctimonialium ante vtbem Lexouienſem vitili animo conſtruxir. Filius vero illius prædictus Comes Aucenſis.

In alio exemplari. Monaſterium S. Michaelis vlteris partes ædificauit. Ar Rogetius de Mortuomari filius Walteri de Sancto Martino frater primi Willelmi de Watenna Monaſterium S. Victoris in proptio ſolo fundauit. Ricardus vero Comes Ebroicenſis in eadē vrbe Monaſterium Sancti Saluatoris ad opus Sanctimonialium fabricauit. Itidem vicecomes apud Rotomagum in monte vrbi imminenti cœnobium Summæ Trinitati ex ſumptu proptio conſummans Monachos ibidem Deo ſeruituros conſtituit. Monaſterium Greſteni Rodbertus Comes Moritolii fecit. Hugo vero poſtea Comes Ceſtrenſis Abbatiam Sancti Seueri: At eccleſiam Sanctæ Trinitatis Exaquei Eudo cum Capello fecit. Balduinus etiam de Reuers aliam apud Montisburgum. Nigellus vicecomes Conſtantinienſis Cœnobium S. Saluatotis.

Monaſterium vero Sanctæ Mariæ Lonleii Willelmus Talauatius primus, qui exciſo nemore in monte quodam caſtrum nomine Danfrontem conſtruxetat, à fundamentis ædificauit? Eccleſiam Sancti Stephani Fontaneti Rodulphus Taiſon & Erneiſus ftater eius conſtruxerunt. Monaſterium autem Sancti Petri Caſtellionis Rodulfus de Toeneio.

Quædam vero Cœnobia eiuſdem prouinciæ antiquiora, quæ à Normannis adhuc paganis fuerant deſtructa, ſtudio bonorum principum reædificata ſunt. Rollo ſiquidem primus Normannorum Dux in primotdio ſuæ conuerſionis plurimas poſſeſſiones dedit eccleſiæ S. Mariæ Rotomagenſis, & Sanctæ Mariæ Baiocenſis, & Sanctæ Mariæ Ebroicenſis, & cœnobiis Sancti Petri Sanctique Audoeni, & Gemetricenſi, & Sancto Michaeli de periculo maris. Willelmus vero filius eius ex integro monaſterium Gemmeticenſe reſtautauit. Richardus autem filius eius & ſucceſſor, Fiſcanni cœnobium, & Sancti Michaelis de Monte, & Sancti Audoeni Rotomagi. Ricardus vero ſecundus Monaſterium Sancti Wandregiſili, & alia Monaſteria ab anteceſſotibus eius reædificata mirabiliter auxit. Iudith vero vxor eius eccleſiam Sanctæ Mariæ Bernai fundauit. Ricardus vero tertius morte immatura præuentus, nullum monaſterium vel inſtituit vel renouauit. At Rodbertus frater eius antequam Ieruſalem perge-

pergeret Monaſterium Sancti Vigoris Ceratii ædificare incepit. Eodem etiam tempore venerabilis Abbas Herluinus Monaſterium Beccenſe in honorem Sanctæ Mariæ cœpit ædificare, de quo in libro ſuperiori pauca perſtrinximus. Si quis vero conuerſionem & conuerſationem ipſius plenius noſce deſiderat, librum qui de vita eiuſdem patris venerandi eleganti ſermone conſcriptus eſt à viro religioſo Giſleberto Criſpino poſtea Abbate Weſtmonaſterii & tam nubilitate generis quam ſcientia ſeculari & diuina pollenti perquirens relegat, in quo ſufficienter repperiet vnde ſuo deſiderio ſatisfaciat. Monaſterium vero ſancti Taurini & Sancti Leufredi, & villare Monaſterium, & cœnobium Sancti Amandi intra vrbem Rotomagenſem intra antiquiora computanda ſunt. Vnde conſtat illa prius fuiſſe deſtructa & iterum reædificata.

De reſtauratione Monaſterii Sancti Ebrulfi apud Vticum per Willelmum Geroianum, & Robertum & Hugonem de Grentemaiſnilio nepotes ſuos.

CAP. XXIII.

IN illo tempore Rodbertus de Grentemaiſnil cernens mundi felicitatem in momento petire, cum fratre ſuo Hugone diſpoſuit Abbatiam Monachorum conſtruere. Hic vero in infantia literarum ſcientiam perceperat, ſed poſtea litteris aliquantum intermiſſis, quinque annis Armiger Ducis fuerat, à quo poſtmodum militari enſe accinctus ingentia dona receperat. Sed non multo poſt vrdictum eſt inſtinctu Dei omnia ſpreuit, cœnobiumque facere monachuſque fieri firmiter decreuit. Quod audiens Willelmus Geroii filius valde lętatus eſt, ac ad Rodbertum & Hugonem accedens, ſic loquutus eſt. Audio vos o chariſſimi mei nepotes erga Dei cultum feruere, quin etiam Monachile monaſterium velle erigere. Vnde vehementer gaudeo, & me vos in hoc opere adiuturum gratanter ſpondeo. Sed tamen ad hanc fabricam quem locum elegiſtis, & quid ibidem Chriſto militantibus collaturi eſtis? At illi reſponderunt, apud Nuceretum iuuante Deo caſtrum ei ſtabilire cupimus, & eccleſias decimaſq; noſtras & alia quæ poterimus pro poſſe paupertatis noſtræ dabimus. Willelmus dixit. Sanctus Benedictus Monachorum magiſter iubet Monaſterium ita conſtitui, vt omnia neceſſaria, id eſt, aqua, molendinum, piſtrinum, hortus, vel artes diuerſæ infra monaſteriũ exerceantur, ne ſit Monachis neceſſitas vagandi foras quia omnino nõ expedit animabus eorum. Nuceretι vero rura quidem ſatis fertilia ſunt, ſed copia ſiluæ ac habilis limpha quibus monachi maxime indigent procul abſunt. Cumq; ipſum rogarent, vt quid ſibi viſum fuerit, ſuper hac re proferret, dixit. Tempore Clotharii Regis Francorum filii Clodouei qui primus in Regibus Gallorum baptizatus eſt, à beatu Remigio Archiepiſcopo Remorum, S. Ebrulfus Baiocis natus inter proceres Regios fulſit ſtemmate nobilitatis & cenſus. Hic pro amore Dei ſeculi pompam contemnens, monachus factus eſt, & poſt aliquantum temporis cum tribus monachis in heremum profectus eſt. Ibi quippe putabat ſe poſſe homines latere, & cum diabolo per auxilium Dei fortius pugnare. Qui dum flexis genibus Deum deuote obſecraret, vt aptum manſionis locum ſibi mouſtraret, angelus à Deo miſſus eis affuit, eoſque Vticum perduxit. Præfatus autem ſeruus Dei regnantibus Hilperico & Sigiberto Clotharii filiis illic cœnobium condidit, & latrones ſiluam qui incolebant vtilibus minis & exhortationibus terruit, euſque relictis latrociniis aut monachos aut agricolas fecit. Ibi pro amore Dei magnam paupertatem patienter tolerauit, & inſignem fidelium monachorum multitudinem aggregauit. Ibi duos mortuos in nomine domini reſuſcitauit, & multa alia quę enumerare perlongum eſt miracula perpetrauit. Denique anno ab incarnatione Domini D. XCVI. ætatis vero ſuæ octogeſimo reſidente in ſede Apoſtolica Gregorio ſummo doctore & Anglorũ Apoſtolo, beatus Ebrulfus quarto Kt. Ianuarii ex hoc mundo migrauit, & mercedem laborum ſuorum in cœleſtibus à Domino recepit. Deinde poſt annos fere trecentos, tempore Caroli ſimplicis filii Ludouici cognomine, nihil fecit, cõditor noſter multiplicata plebis ſuæ in his partibus conſiſtentis crimina punire voluit. Eius igitur permiſſu Haſtingus perditionis filius in Neuſtriam venit, & Rotomagum ac Beluacum aliaſque ciuitates igne combuſſit. Plura quoque deſtruxit cænobia Sãctorum patrum, ſcil. Filiberti apud Gemmeticum, Wandregeſili apud Fontinellam. Ebrulfi apud Vticum, & Sancti Martini Turonis, q; dicitur maius monaſterium, & alia multa monachorum, clericorum atq; Sanctimonialium. Quædã corã à bonis principibus poſt-

poſtmodum reſtaurata ſunt, nonnulla vero adhuc in ſolitudine degunt. Fortaſſe vobis faſtidio eſt hæc noſtra tam prolixa locutio, quam ſi ſuſcipitis benigno animo, commodam vobis fore o chari nepotes æſtimo. Nunc autem quod mente reuoluo, expectationi veſtræ breuiter propalabo. Apud Vticum Sancti Ebrulfi cœnobium iuuante Deo reſtauremus, & fideles monachos contra Zabulum dimicaturos illic aggregemus. Omnes eccleſias decimaſque noſtras illis tradamus, & nos cum fratribus & filiis & nepotibus noſtris vſque ad mortem illis ſeruiamus. Non enim debemus illis dominari, ſed famulari, vt eorum precibus meteamur adiuuari, & in amœnitate Paradiſi quandoque beari. Cumque Rodbertus & Hugo gratanter hæc ſuſcepiſſent, & qualitatem loci ſolerter inquirerent, magnanimus heros Willelmus adiecit, Vticenſis locus ad quem Deus venerabilem Ebrulfum per Angelum ſuum direxit, pauperibus Spiritu quibus regnum cœlorum promittitur ſatis congruit. Nam vetuſta Sancti Petri baſilica ibidem adhuc permanet, & amplus ager vbi hortus & viridaria fieri poſſunt circumiacet.

Terra quippe inculta & ſterilis eſt, ſed Dominus ſeruis ſuis parare menſam in deſerto potens eſt. Piſcoſa quidem flumina & vberes vineæ deſunt. Sed denſum nemus & habiles ad bibendum fontes præſto ſunt. Multorum quoque Sanctorum corpora ibidem requieſcunt, quæ cum ingenti gloria in extremo die reſurrectura ſunt. Iam quod ſummopere cupio audiſtis, nunc conſiderate quid agere velitis. Illis autem conſilium eius approbantibus & ſe in omnibus ipſi obſecundare pollicentibus, Iterum intulit ſagax Willelmus: ſi placet Monachi cito requirantur, & Vtico tam libere conſtituantur, vt exinde à nobis vel hæredibus noſtris nulli redditus exigantur, niſi vnus ſolummodo ſcilicet vt ſerui Dei nobis orationibus ſuis ſuffragentur. Et ne aliquando inſtinctu demonis eos aliquo modo infeſtare poſſimus, præfatum Cœnobium totius Normanniæ Duci ad tutãdum contra nos & poſteros noſtros omneſque mortales vltro commendemus. Vt videlicet ſi præter ſpirituale beneficium aliquid ſeruitii ſeu muneris violenter exegerimus, principali ſeueritate ſalubriter coherciti tirones Dei moleſtare vel inuiti ceſſemus. Poſt hæc pariter Ducem adierunt, eique ſuum velle luculenter inſinuauerunt. At ille votis eorum benigniter fauit, & inde chyrographum auctoritatis ſuæ in Saltu leonis ſanxit, & epiſcopis ac Baronibus Normannicis ad confirmandum tradidit. Malgerius itaque Archiepiſcopus Rotomagenſis primus ſubſcripſit. Deinde præſules ſubſcripſerunt. Hugo Luxouienſis, & Odo Baiocenſis. Willelmus Ebroicenſis atque Giſlebertus Abbas Caſtellionis. Tunc dominus Teodericus Gemmeticenſis Monachus electus eſt, eique Vticenſis Abbatiæ cura commiſſa eſt.

Anno igitur Dominicæ incarnationis milleſimo quinquageſimo, indictione quarta, Leone Papa in ſede Apoſtolica reſidente, nec non Henrico ſecundo Chriſtianiſſimo Auguſto Conradi Saxonum Ducis filio imperante, Monaſterium Sancti Ebrulfi à ſæpedictis optimatibus Willelmo Geroiano & nepotibus ſuis Rodberto & Hugone de Grentemaiſnilio apud Vticum reſtauratum eſt. Ibi venerabilis Theodericus magnæ religionis monachus Non. Octobris, die Dominico à Domino Hugone Luxouii pontifice ante altare Sancti Petri ſolemniter conſecratus eſt. Sequenti quoque anno nobilis Rodbertus cœnobii fundator, ibidem monachus factus eſt, multoſque labores poſtea in procuratione ſeruorum Dei perpeſſus eſt. Non multo poſt Geroianus Willelmus pro quibuſdam rationabilibus cauſis in Apuliam miſſus eſt, ibique dum redire cæpetat, apud Caietam Non. Februarii defunctus eſt. Willelmus de Monaſteriolo filius eius in Apulia magnæ ſublimitatis eques erat, Græcos & Longobardos armis premebat, & viario Sancti Petri Apoſtoli ſubdebat.

Quod Malgerius Archiepiſcopus Archiepiſcopatum Duci reddidit, & ille Maurilium monachum ſubrogauit.

CAP. XXIV.

EO tempore Malgerius Archipræſul Rotomagenſis deſipere cæpit, & inſipientia ductus, Archipræſulatum Duci reddidit. Dux autem Malgerium inſula quæ dicitur * Gherneruia retruſit, & Synodi decreto Metropolitanam ſedem Maurilio Fiſcannenſi monacho multis virtutibus excellenti tradidit. Tunc etiam Normannos diſcordia turbauit, eoſque vicinorum qui bella paci præponebant cruores effundere compulit. Enimuero ex quo Normanni arua cæperent incolere, mos fuit Francis ſemper eis inuidere. Concitabant ergo Reges aduerſus illos inſurgere, aſſerentes terras

* Gournay.

ras quas poſſident ſuis maioribus violenter eos ſurripuiſſe. Quibus Rex Henricus, vehementer irritatus, ambagibus immo maligniſſimis æmulorum ſuggeſtionibus ob Ducis imperium, duobus hoſtium agminibus Normanniam eſt aggreſſus. Vnum quidem electæ nobilitatis virorum fortium ad Calciuum ſubuertendum territorium direxit, cui fratrem ſuum nomine Hodonem præfecit, alteri vero cum Goiſfrido Martello ad demoliendum Comitatum Ebroicenſem ipſe præfuit. Dux ergo vt ſe ſuoſque taliter opprimi vidit magno & nobili tactus dolore milites potius elegit quos ad comprimendos Calceii ſubuerſores celerrime direxit. Ipſe autem cum ſuorum nonnullis circa Regem ſe contulit, quatenus pœnas lueret, ſi quem ſatellitum latere abſtrahere aliquatenus valeret. Venientes vero Normanni ad Francos, repperetunt eos apud Mortuum mare in incendiis & mulierũ ludibriis occupatos. Cũ quibus ilico mane commiſſum bellum, in continua cæde occubentium aduſq; nonam ab vtriſq; eſt protractũ. Nouiſſime autẽ Francigenæ victi fugerunt, & Normanni certaminis euentum Duci mox per nuncios intimauetunt. At ille nimis lætus ſuper hac re, Henricum Regem volens effugare, terruit eum legatione. Nuncius Ducis regalibus caſtris appropriauit & in quodam proximo monte noctu ſtans fortiter clamare cæpit. Cumque Regii vigiles ſciſcitarentur quis eſſet vel quare tali hora ſic vociferaretur, reſpondiſſe fertur, Rodulfus de Toenia nominatus ſum, vobiſque deſero lugubre nuntium. Ad Mortuum mare currus veſtros cum carris ducite, & inde cadauera charorum veſtrorum reportate. Franci quippe Normannorum militiam experiri ſuper hos venerunt, eamque multo maiorem quam voluiſſent inuenerunt. Odo ſignifer eorum turpiter fugatus eſt, & Wido Pontini Comes captus eſt. Reliqui omnes captiaut perempti ſunt. Aut obnixe fugientes vix euaſerunt. Hoc ex parte Ducis Normannorum, confeſtim renuntiate Regi Francorum. Rex igitur vt infortunium ſuorum agnouit, à Normannica infeſtione concito gradu quantocius valuit, mæſtus de interitu Gallorum retro pedem retraxit. Hæc pugna anno Dominicæ incarnationis M.L.IIII. facta eſt.

Quod dux Willelmus Caſtrum Bretolium conſtruens, Willelmo filio Osberni commiſit, & de vxore eiuſdem.

CAP. XXV.

POSTEA Dux contra Tegulenſe caſtrum quod Rex illi dudum abſtulerat, aliud oppidum non vlterius quod Bretolium vſque hodie vocatur inſtaurat, & Willelmo Osberni filio ad cuſtodiendum contra cunctos ſibi aduerſantes commẽdat. Hic legimus & liberalis vir Adelizam Rogerii Toenitæ filiam in coniugio habuit, ex qua duos filios Willelmum & Rogerium contumacem procreauit, & vnam filiam, quæ poſtea Rodulfo Comiti genere Britoni nupſit, atque cum eodem in diebus Vrbani Papæ Ieruſalem perrexit. Præfatus hæros duo cænobia monachorum Sanctæ Mariæ cœli reginæ condidit. Vnum apud Liram vbi coniugem ſuam Adelizam ſepeliuit, & alterum apud Cormelias, vbi ipſe quieſcit, & Rodulfus filius eius à pueritia monachus Deo diu militauit. Ipſe quoque cum Willelmo Duce Anglos maxime perdomuit, & Comitatum Herfordiæ cum magna parte regni ſenſu & viribus obtinuit. Denique anno ab incarnatione Domini M. LXX. cum Philippo rege Francorum Flandriam perrexit, volens Balduino Mathildis Reginæ nepoti ſubuenire. Rodbertus autem Friſio cum exercitu Henrici Imperatoris ſociato cuneis ſuis 10. Cal. Martii dominico ſeptuageſimæ imparatos mane præoccupauit, & Philippo cum Francis fugiente, Balduinum nepotem ſuum, & Willelmum Comitem telis ſuorum occidit. Poſtea Flandriæ Ducatum diu tenuit, morienſque filiis ſuis Rodberto Ieroſolymitano & Philippo dereliquit. Nunc ad ordinem hiſtoriæ redeamus.

Quæ fuit cauſa vt duo cænobia Cadomi conſtruerentur.

CAP. XXVI.

VVILLELMVS Dux dum à quibuſdam religioſis ſepius redargueretur, eo quod cognatum ſuam ſibi in matrimonio copulaſſet, miſſis legatis Romanum Papam ſuper hac re conſuluit, at ille ſagaciter conſiderans quod ſi diuortium fieri iuberet, forte inter Flandrenſes & Normannos graue bellum exurgeret, maritum & coniugem à reatu abſoluit, eiſque pœnitentiam iniunxit. Mandauit enim vt ab eis duo Cœnobia conderentur in quibus pro ipſis ab vtroque ſexu Deo ſedulo preces offe-

rentur. Quod illi gratanter opere compleuerunt. Nam apud Cadomum vna constructa eſt abbaria in honorem Sanctæ Trinitatis, altera vero in honorem Sancti Stephani protomartyris. In cœnobio quippe Sanctæ Trinitatis Sanctimonialium chorus Deo laudes quotidie concinit, quibus ancilla Dei Mathildis Abbatiſſa fere XLVIII. annis præfuit. Ibi Mathildis Regina M.LXXXI. dominicæ incarnationis Anno 3. Non. Nouembris ſepulta eſt. Ibi quoque Cecilia virgo filia eius Deo conſecrata eſt, & in ſeruitio Dei diu commorata eſt. Porro in cœnobio Sancti Stephani monachorum exercitus demonicæ phalangi reſiſtit, quorum primus Abbas dominus Lanfrancus Beccenſis monachus extitit. Hic vero fuit genere Longobardus moribus mitis & religioſus, & tam ſecularis quam ſpiritualis ſcientiæ peritiſſimus. Qui poſt aliquot annos annitente Alexandro Papa Cantuariorum Archiepiſcopatum ſuſcepit, & poſt
Anno 1099. multum temporis anno ab incarnatione Domini M. XCIX. VI. Cal. Iunii obiit. Poſt ipſum Willelmus monachus Radbodi Sagienſis epiſcopi filius, Cadomenſis eccleſiæ regimen tenuit, qui & ipſe poſt Iohannem Metropolitam Rotomagenſem Archiepiſcopatum ſuſcepit. Deinde Giſlebertus Conſtantinienſis callidus Cadomi rector factus eſt, cuius tempore Willelmus Dux Normannorum & Rex Anglorum mille-
Anno 1087. ſimo LXXXVII. Rotomagi 5. Idus Septembris, mortuus eſt, & in eccleſia Sancti Stephani honorifice Cadomi ſepultus eſt. Hæc per anticipationem dicta ſufficiant. Venerabilis autem Teodoricus poſtquam cœnobium Sancti Ebrulfi fere VIII. annis rexit, pro quibuſdam tumultibus ſibi excitatis à Domino Rodberto de Grentemaiſnilio qui tunc Prior erat, Maurilio archiepiſcopo & Hugoni epiſcopo curam animarum reddidit. Abſolutus itaq; ab eis, vtpote filius pacis ire Ieruſalem decreuit. Qui dũ in Ciprum inſulam cum quodam venerabilis vitæ peregrino epiſcopo ad quandam eccleſiam S. Nicholai veniſſet humi proſtratus coram altari diutius orauit, ibique in oratione Cal. Auguſti beatum Deo ſpiritum reddidit. Inſulani vero comperta ſanctitate talis peregrini, corpus eius in eccleſia ſepelierunt, cuius meritis in ægrotis multa ſanitarum miracula diuinitus oſtenta ſunt.

Quod Dux Willelmus vrbem Canomannicam, & caſtrum Meduanum expugnauit & cæpit.

CAP. XXVII.

MAGNIFICVS Dux Willelmus Francorum cateruis competenter deuictis memor opprobrii à Goisfredo comite ſibi illati, ad vrbem Cinomannicam per aliquot annos arma conuertit. Quis igitur explicare poterit, quot militum incurſibus quot legionũ expeditionib⁹ illã afflixerit. Ad poſtremum victi Cinomãni, iam caſtellis cunctũ Comitatum ſubactis, dextras duci dederunt, fidẽ pangentes illi artiſſimis ſacramentis. In quorũ medio ad domandã eorum inſolentiam duo mancipia in monte Barbato, ſeu Barbello ſtabiliuit, ſuiſq; militibus cuſtodienda cõmiſit. Meduanum vero caſtellum cuiuſdam opulenti militis nomine Goisfredi adhuc reſtierat, quod Dux exercitibus applicitis aliquandiu oppugnans cæpit, igneque iniecto per duos pueros, qui clam ad ludendum cum oppidanis infantibus intrauerant combuſſit. Quod iterum reſtaurauit, & cuſtodibus ſuis mancipauit.

Quomodo Henricus Rex Francorum apud vadum Diuæ exercitum amiſit, & poſtea Duci reconciliatus, ei caſtrum Tegularias reddidit.

CAP. XXVIII.

REx autem Henricus iniuriam ſibi à Duce illatam toto anniſu cupiens vlciſci, ſumpto Goisfredo comite Andegauenſi copioſiſſimo cum exercitu iterata expeditione Normanniam aggreditur. Qui comitatum pertranſiens Oximenſem & penetrans Baiocacenſem, tandem reflexo calle redeũdi vadum Diuæ appetiit. Quod rege tranſeunte media exercitus pars ſubſtitit, mari eructuante, ob redundationem fluminis non valens tranſmeare. Cum quibus Dux acriter ſuperueniens ſub regis oculis ilico congreſſus tanta illos cæde proſtrauit vt quos gladius non extinxit, hos per Normannica competa diſpergeret violentia diræ captiuitatis. Videns autem Rex ſuorum interitum, quantotius valuit à Normannis receſſit, & ad eos vltra venire non appoſuit. Amicitiam quoque Ducis conſiderata eius probitate requiſiuit, & Tegulenſe caſtrum quod dudum abſtulerat illi tradidit. Sæpedictus Rex valde fuit militaris, magnæque fortitudinis & pietatis. Mathildem Iuliuſclodii Regis Ruigorum Ruſſiæ filiam in matrimonio habuit, ex qua duos filios Philippum & Hugo-

& Hugonem, vnamque filiam genuit. Qui poſtquam Regnum Galliæ fere viginti quinque annis rexit, cauſa corporeæ ſalutis à Iohanne medicorum peritiſſimo potionem accepit. Sed veneno nimiam ſitim inferente iuſſum Archiatri ſpreuit, & à cubiculario potum accipiens dum medicus abeſſet, ante purgationem bibit. Vnde nimis infirmatus, eodem die poſt perceptionem ſacræ Euchariſtiæ obiit. Philippum vero filium ſuum in regimine Francorum hæredem conſtituit, & tutelæ Balduini Flandrenſis ſatrapæ commendauit.

Quod delationibus quorundam dux Willelmus aliquos de Baronibus ſuis eiecit de Normannia.

CAP. XXIX.

TVNC quibuſdam maledicis vicinos compareſque ſuos accuſantibus ex inuidia Dux Willelmus exaſperatus ingẽti furia Barones ſuos ſcilicet Rodulfum de Toenia, Hugonem de Grentemaiſnilio & Ernaldum Willelmi Geroiani filium eiecit de Normannia. Abbatem quoq; Rodbertum qui iam tribus annis Cœnobium S. Ebrulfi rexerat, quia de audaci Geroiorum proſapia prodierat, ſine reatu & iudicio ſinodi de Normãnia expulit, & quendã monachum nomine Osbernum ei ſubrogauit. Rodbertus Romam petiit & Nicholao Papæ cauſam ſuam intimauit. Sed quoniã prædict⁹ prẹſul paulo poſt defunctus eſt, nil rectitudinis per eum conſequutus eſt. Deniq; venerabilis Rodbertus cum II. monachis Alexandrum Papã adiit, & eius iuſſu Rodbertum Calabrię Ducẽ compatriotam ſuum expetiit. A quo honorifice ſuſceptus eſt eiq; locus ad conſtruendam Abbatiam in vrbe Brixa nomine datus eſt. Britones vt fertur antiquitus iuſſu Romanorum, qui tunc per totum orbem imperabant, de finibus ſuis egreſſi ſunt. Deinde Romanis iubentibus ſupra littus Calabrici maris Brixam vrbem condiderunt: ſed eam poſt plures annos diuerſi bellorum tumultus deſtruxerunt. Singulis enim annis Agarem nauigio in Italiam veniebant & Græcis ac Longobardis qui terram incolebant, ignauia torpentibus crudelitatem ſuam nimis exercebant. Nam vrbes & oppida incremebant, eccleſias deſtruebant, viroſque cum mulieribus captiuabant, hoc per multa ſecula frequenter fecerunt.

Quo tempore primum Normanni in Apuliam perrexerunt & de principibus Normannis quorum Ducatu Apuli ſubacti ſunt.

CAP. XXX.

DEINDE temporibus Henrici Imperatoris filii Conradi, & Rodberti Normannorum ducis, Oſmundus Drengotus audax miles Apuliã adiit, cum quibuſdam aliis Normannis. Nam Willelmum cognomento Repoſtellum militem clariſſimũ in venatione in prẹſentia Rodberti Ducis occiderat metuenſq; animoſitatem Ducis, & inſignis equitis nobilium parentũ iras in Apuliam ſeceſſit & propter magnã probitatem eius à Beneuentanis honorifice detentus eſt. Deinde præfati Drengoti exemplo agiles Normannorum ſeu Britonum tirones incitati, Italiam diuerſis temporibus expetierunt & primo iuuare Longobardos contra Sarracenos ſiue Græcos viriliter cæperunt. Barbaros bello ſępius ꝓtriuerunt, vnde cunctis eorũ vires expertis, formidabiles facti ſunt. Longobardi vero adepta ſecuritate, cæperunt Normãnos deſpicere, eiſq; debita ſtipẽdia ſubtrahere. At illi vt hoc animaduerterunt quendã ex ſuis ſuper ſe principẽ conſtituerunt, & contra Longobardos arma verterunt. Deinde munitiones cæperunt & incolas terræ ſibi fortiter ſubegerunt. Primus Apulienſib. Normãnis dum adhuc vt aduenæ Waimalchi Ducis Salerniæ ſtipendiarii erant, ꝑfuit Turſtinus cognomento Scitellus vir in multis probitatibus admodum expertus. Qui inter reliqua virtutis ſuæ indicia caprã Leoni ex ore rapuit, ipſumq; leonem pro ablata ſibi capra furentẽ nudis manibus arripuit. Et vltra murum palatii prẹfati Ducis velut catellum quemlibet proiecit. Langobardi vero ex inuidia cõmoti contra ipſum mortem eius optantes duxerunt eum in quendam locum vbi morabatur immanis draco cum magna multitudine ſerpentium. Deinde vt Draconem ſenſerunt confeſtim fugerũt: Turſtinus autẽ ignarus doli dum ſocios ſuos fugere cerneret & obſtupeſcens cauſam tam ſubitæ fugę ab Armigero ſuo inquireret, en repente flammiuomus Draco illi occurrit & caput Sonipedis eius hianti ore inuadit. At ille abſtracto enſe viriliter feriẽs feram mox peremit, quinetiã ipſe venenoſo flatu infectus tertio die obiit. Nam clipeum eius (quod mirum dictu eſt) flamma ex ore draconis erumpens in momento totum combuſſit. Defuncto autem Turſtino Normanni principes ſibi Ranulfum

& Richardum elegerunt quibus ductoribus mortem Turſtini vlciſcentes cõtra Longobardos aſpere rebellauerunt. Poſt aliquot tempus Conſtantinenſis Drogo filius Tancredi de alta villa princeps Normannorũ in Apulia factus eſt. Hic Chriſtiana religione militari probitate laudabilis extitit. Quem Wazo Neopolitanus Comes cõpater eius dum vigilias in eccleſia beati Laurentii IV. Idus Auguſti agerent, quorum altari dominũ Deum & S. Laurẽtium inuocantem trucidauit. Porro Vmfridus frater eius in principatus ei ſucceſſit, totamq; Apuliam Normannis ſubegit. Qui poſtquam finem vitæ ſibi adeſſe perſpexit, Abailardum filiũ ſuum, Roberti fratri ſuo quem pro verſutiis Wiſcardum cognominauerat, cum Ducatu Apuliæ commẽdauit. Rodbertus autem fratres ſuos qui omnes Duces vel comites fuerunt, virtute & ſenſu ac ſublimitate tranſcendit. Nam totam Apuliam Calabriam, ac Siciliam ſibi ſubiungauit, & tranſmeato mari maxima partem Græciæ inuaſit, & Alexium Imperatorem qui contra dominum ſuum Michaelem Auguſtum nequiter rebellauerat, bello turpiter cum immenſu exercitu victum fugauit. Hic vero multa bona fecit, epiſcopatus & Abbatias plures reſtaurauit. Hic ſicut ſupra diximus dominũ Rodbertum Abbatẽ S. Ebrulfi benigniter ſuſcepit & quandam paruam eccleſiam ſupra littus Calabrici maris ſitam, quæ in honore S. Euſemiæ virginis & martyris dedicata erat, ei tribuit. At ille vt erat magnanimus ingens cænobium ibi condidit & magnam multitudinem monachorum ad militandum Deo ibidem congregauit. Epiſcopi & nobiles viri prędictum patrem Rodbertum diligebant, venerabantur, totiſq; niſibus adiuuabant. Curam quippe corporis ſui parui pendebat, ſed ſibi ſubiectos victu & veſtitu ſufficienter alebat, & mentes eorum regulari diſciplina coherc̃ens componebat. Præfatum itaque cœnobium ferre XVII. annis rexit Idibuſq; Decembris feliciter ad Dominũ migrauit.

Quod Heraldus Duci Willelmo fidelitatem fecit, quam mortuo Edwardo Rege periurus infregit.

Cap. XXXI.

EDWARDVS Anglorum Rex diſponente Deo ſucceſſione prolis carens, olim miſerat Willelmo Duci Rodbertum Cantuariorum archipræſulem ex regno à Deo ſibi attributo illum ſtatuens hęredem. Deinde Heraldum cunctorum ſuæ dominationis Comitum diuitiis & honore ac potentia maximum Duci deſtinauit, vt ei de Corona ſua fidelitatem faceret, ac Chriſtiano more ſacramentis firmaret. Qui dum ob hoc negotium venire contenderet, velificato freto ponti Pontiuum appulit. Vbi in manus Widonis Abbatiſuillæ Comitis incidit. Quem idem comes captum cum ſui confeſtim in cuſtodia truſit. Dux autem vt hoc comperit, miſſis legatis violenter illum extorſit. Quem aliquando ſecum demorari fecit & in expeditione contra Britones adduxit. Deinde Dux poſtquam Heraldus fidelitatem ſibi de regno pluribus ſacramentis firmauit Adelizam filiam ſuam cum medietate. Anglici regni ſe daturum eidem ſpopondit. Poſtremo ipſum cum multis muneribus Regi remiſit, & pulchrum adoleſcentem Walnothum fratrem eius obſidem retinuit. *Anno 1065.* Denique Edwardus Rex completo fælicis vitæ termino ſub anno milleſimo ſexageſimo quinto Dominicæ incarnationis migrauit è ſeculo. Cuius regnum Heraldus continuo inuaſit, ex fidelitate peieratus quam iurauerat Duci. Ad quem Dux protinus legatos direxit, hortans vt ab hac inſania reſipiſceret & fidem quam iuramento ſpoſponderat condigna ſubiectione ſeruaret. At ille non ſolum hoc audire contempſit verum omnem Anglorum gentem ab illo infideliter auertit. Grithfridi quoque Regis Wallorum poſtquam hoſtilis eum gladius peremit, pulchrum coniugem Aldith præclari Comitis Algari filiam ſibi vxorem iunxit. In diebus illis in parte Circii cometes apparuit, quæ tribus radiis longius protenſis, maximam partem Auſtri per ſpacium quindecim noctium illuſtrauit, & mutationem vt plurimi aſſeruerunt alicuius regni deſignauit.

Quod Dux Willelmus, Toſticum comitem in Angliam miſit, quia ad Regem Northweghæ timore Heraldi confugit.

Cap. XXXII.

PORRO Dux Toſticum Comitem in Angliam miſit, ſed militia Heraldi mare ſeruans eum armis abegit. At ille non valens ſalubriter Angliam introire, neque Normanniam quia ventus obſtabat redire, Heraldum Herfagam Northweghæ Regem adiit, ipſumque ſupplex vt ſe iuuaret rogitauit. Ipſe vero precanti Toſtico libenter adquieuit.

Digitized by Google

Eodem anno dominus Osbernus Abbas poſtquam cœnobio S. Ebrulfi quinq; annis & duobus menſibus præſuit, vir bonus & de ſubiectis ſibi ſollicitus 6. Cal. Iunii obiit. Cui ſagax Mannerius eiuſdẽ cœnobii monachus ſucceſſit, & nouã eccleſiam omneſq; domos monachis cõgruas Deo iuuante & tẽporis felicitate fauente cõſtruxit. Qui poſtq̃ 22. annis monaſterium rexit tempore Rodberti ignaui Ducis & Giſleberti Mammoti Luxouienſi epiſcopi, 2. Nonas Martii obiit. Vticenſis vero Abbatiæ regimen elegantiſſimo Serloni peritia Scripturarum & eloquentia pollenti reliquit, qui poſt duos annos & tres menſes pręſulatum Sagiorum Dei gratia ſuſcepit.

De morte Cunani Comitis Britannorum.

Cap. XXXIII.

TEMPORE quo Willelmus Dux diſponebat Angliam adire & armis eam ſibi vindicare, audax Chunanus comes Britanniæ niſus eſt cum miſſa legatione huiuſmodi terrere. Audio te inquit nunc velle trans mare ꝓficiſci & Angliæ tibi regnũ nãciſci. Inde multum gaudio, Sed vt mihi Normanniã reddas obſecro. Rodbertus autẽ Dux Normannorum, quẽ tu fingis eſſe patrẽ tuum iturus in Ieruſalem, Allanno patri meo cõſobrino ſcil. ſuo cõmendauit omnem ſuam hęreditatem. Tu autẽ cum cõplicibus tuis Alannum patrem meum apud Wimuſterium in Normanniam veneno peremiſti, & terram eius q̃ ego quia puer eram poſſidere nequiba inuaſiſti, & contra fas cum ſis nothus hucuſq; tenuiſti. Nunc igitur aut mihi debitam redde Normanniam, aut ego tibi totis viribus bellum inferam. His auditis Willelmus Dux aliquantulũ territus eſt. Sed mox eum Deus fruſtratis inimici minis eripere dignatus eſt. Vnus enim ex ꝓceribus Britanum qui vtriq; Comiti iurauerat fidelitatẽ, & huiuſmodi legationẽ inter eos ferebat, lituum Chuningi & habenas atq; Chirothecas intrinſecus linit veneno. Erat quippe Cubicularius Chuningi. Tunc idẽ comes Britonum in Cinomannẽſi Comitatu Caſtellum Gunterii obſederat, & oppidanis militibus ſeſe illi dedentibus ſuos intromittebat. Interea Chuningus chirothecas ſuas incaute induit, tactiſq; habenis, manum ad os leuauit. Cuius tactu veneno infectus eſt & paulo poſt omnibus ſuis lugentibus defunctus eſt. Hic multum ſagax fuit & probus, ac amator iuſtitiæ. Qui ſi diu vixiſſet multa bona vt fertur feciſſet, ac ad regendum honorem vtilis fuiſſet. Proditor autem conſcius ſui reatus mox de expeditione aufugit, & mortem Chuningi Willelmo Duci mandauit.

De numero nauium quem Dux Willelmus duxit in Angliam.

Cap. XXXIV.

WILLELMVS ergo ſecurus effectus in Anglos omnem vim furoris conuertit. Conſiderans autem Heraldum quotidie viribus robori, claſſem ad tria millia nauium feſtinanter & bene conſtrui iuſſit, & in Pontino apud S. Walericum in anchoris congrue ſtare fecit. Ingentem quoque exercitum ex Normannis & Flandrentibus ac Francis & Britonibus aggregauit, atque pręparatam claſſem tam valentibus equis quam robuſtiſſimis hominibus cum loricis & galeis repleuit. Omnibus itaque paratis vento flante ſecundo, velis in ſublime panſis tranſmare Peueneſellum appulit, vbi ſtatim firmiſſimo vallo caſtrum condidit, probiſque militibus commiſit. Deinde feſtinus Haſtingas venit, ibique cito opere aliud firmauit. Heraldus autem dum Normanni intrauerunt regnum quod ipſe vſurpauerat, contra Toſticum fratrem ſuum bello occupatus erat. In quo conflictu prędictum fratrem ſuum peremit, ac Heraldum Regem Northweghæ qui Toſticum iuuare venerat. Hęc pugna Nonis Octobris in die Sabbati facta eſt in qua pene totus Northwigenatum exercitus ab Anglis cæſus eſt. Inde victor Heraldus Lundoniam rediit, ſed de fratricidio diu gaudere vel ſecurus eſſe non potuit, quia legatus ei Normannos adeſſe mox nuntiauit.

Quod Heraldus tyrannus conſilium matris ſuæ & fratris, bellum contra Normannos diſſuadentiam, ſpreuit.

Cap. XXXV.

IPSE vero audiens acriores aduerſarios ex alia parte ſurrexiſſe, iterum ad agonem viriliter præparauit ſe. Erat enim multum audax & probus toto corpore pulcherrimus, eloquentia lepidus, & affabilis omnibus. Porro matre ſua, aliiſque amicis fidelibus bellum ei diſſuadentibus, dixit ei Worth Comes frater ſuus: Oportet chariſſime frater & Domine vt probitas tua temperetur diſcretionis moderamine. Nunc ex

Digitized by Google

prælio Northwigenarum feſſus veniſti, iterumque ne feſtinas contra Normannos pręliari. Quieſce quæſo, Prudenter tractare tecum velis quid cum ſacramentis Conſuli Normanniæ promiſeris. Caue ne periurium incurras, & pro tanto ſcelere tu cũ viribus noſtræ gentis corruas noſtrę q; progeniei permanſurum dedecus inde fias. Ego liber ab omni ſacramento Willelmo Comiti nihil debeo. Audacter igitur contra illum pro natali ſolo certare paratus ſum. Tu autem frater mi quo vis in pace quieſce & euentum belli præſtolare, ne clara libertas Anglorum pereat in tua pernicie. His itaque auditis ſermonibus Heraldus vehementer eſt indignatus. Conſilium iſtud quod amicis eius ſalubre videbatur ſpreuit, & germanum ſuum qui fideliter ei conſiliabatur conuitiis irritauit, matremque ſuam quæ nimis ipſum retinere ſecũ ſatagebat pede procaciter percuſſit. Deinde per ſex dies innumeram multitudinem Anglorum contraxit, Ducem incautum accelerans præoccupare, tota nocte equitans in campo belli apparuit mane.

Quomodo Dux Normannorum Willelmus Anglos ſibi rebelles deuicit.

CAP. XXXVI.

DVx vero nocturnos præcauens excurſus hoſtis inchoantibus tenebris ad gratiſſimam vſq; lucem exercitum iuſſit eſſe in armis. Facto autem diluculo Sabbati, legione militum in tribus ordinibus, & horrendo hoſti intrepidus obuiã proceſſit. Cum quo ſub hora diei tertia bellũ commiſit, & in cædibus ab vtraq; parte morientium vſq; ad noctem protraxit. Heraldus etiam ipſe in primo militum progreſſu vulneribus lætaliter confoſſus occubuit. Angli vero poſt quã tota die fortiter in conflictu perſtiterunt, regemq; ſuum morte oppreſſum cõpereunt, iam de ſalute ſua diffidere cæperũt, & nocte intuente verſa facie ſubſidium fuge appetierunt. Itq; Normãni dum Anglos fugere viderunt, tota nocte dominica eos ad detrimẽtum ſui obnixe perſequuti ſunt. Nam creſcentes herbæ antiquum aggerem tegebant. Vbi ſummopere currẽtes Normanni cum equis & armis ruebant ac ſeſe dum vnus repente ſuper alterum cadebat viciſſim extinguebant. Ibi nimirum vt ferunt, ferme 15. millia perierunt. Sic omnipotens Deus pridie Idus Octobris innumeros peccatores vtriuſq; phalangis puniit diuerſis modis. Nam veſania ſæuiente Normannorum in die Sabbati mulctauit multa millia Anglorum, qui longe ante innocentem Aluredum iniuſte necauerunt, ac præcedenti Sabbato Heraldũ Regem & Toſticum Comitem alioſq; multos abſq; pietate trucidauerunt. Idẽ quoq; iudex ſequenti nocte Anglos vindicauit, & furentes Normannos in cęcã voraginem p̃cipitauit. Ipſi enim contra pręceptum legis rem alienam immoderate cõcupierunt, ac veloces vt Pſalmographus dicit, pedes eorum ad effundendum ſanguinẽ fuerunt. Ideoq; contritionẽ & infęlicitatem in viis ſuis offenderũt.

Quod Londonienſes ſe ei dederunt, & quod ſequenti Natali Domini Londonia Rex Anglorum effectus eſt de Abbatia de Bello.

CAP. XXXVII.

POst hæc fortis Dux Willelmus ab inimicorum ſtrage reuerſus, nocte media ad campum belli eſt regreſſus. Mane vero dominicæ diei illuceſcente, ſpoliis hoſtium diſtractis & corporibus charorum ſuorum ſepultis, iter arripuit quod Londoniam tendit. Denique ad vrbem Warenges greſſum diuertit, tranſmeatoque vado fluuii Legionis ibi caſtra metari iuſſit. Inde vero profectus, Lundoniam eſt aggreſſus. Vbi pręcurſores milites venientes in platea vrbis plurimos inuenerunt rebelles, reſiſtere toto conamine decertantes. Cum quibus ſtatim cõgreſſi, non minimum luctum intulerunt vrbi ob filiorum ac ciuium ſuorum plurima funera. Videntes demum Lundonii ſe diutius contraſtare non poſſe, datis obſidibus ſe ſuaque omnia nobiliſſimo victori ſuppoſuere. Anno itaque ab incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo ſexto Willelmus Normannorum Dux quem ſtilus noſter extollere non ſufficit, nobile tropheum vt ſupra dictum eſt ex Anglis confecit. Deinde in die Natalis Domini ab omnibus tam Normannorum quam Anglorum proceribus Rex eſt electus & ſacro oleo ab epiſcopis regni delibutus, atque Regali diademate coronatus. Locus vero vbi ſicut ſupra diximus pugnatum eſt. Exinde Bellum vſque hodie vocatur. Porro Willelmus Rex ibi cœnobium in honore Sanctæ Trinitatis conſtruxit, & monachos ac ordinem maioris monaſterii Sancti Martini Turonenſis ſtatuit, atque neceſſariis opibus pro interfectis vtriuſque partis affatim ditauit.

De reditu eius in Normanniam, & de morte Maurilii Archiepiſcopi, cui ſucceſſit Iohannes.

CAP. XXXVIII.

DEHINC vero paulo poſt in Normanniam regreſſus, Eccleſiam S. Mariæ in Gemmetico cum honore magno dedicari iuſſit, vbi cum ſacroſanctum hoc miſterium ſumma cum reuerẽtia tam religioſiſſime quam feſtiuiſſime celebraretur, ipſe harum nuptiarum ſponſi ſemper ſtudioſus cultor deuotiſſimo animo interfuit. Quam dedicationem hi epiſcopi cum ſpirituali iucunditate 1067. dominicæ incarnationis anno Cal. Iulii compleuerunt. Maurilius ſcilicet archiepiſcopus Rotomagenſis, & Balduinus Ebroicenſis. Maurilius Archipræſul menſe illo viuens 5. Idus Auguſti carnis onere depoſito cum ſuo Rege Chriſto iam victurus, liber & gaudens deceſſit. Cui ſucceſſit Iohannes Abrincatinæ vrbis præſul, vir ingenuitate plurimum conſpicuus ſapientia ſpirituali feliciter imbutus, prudentia ſeculari ſumme præditus, ſecundum quippe nobilitatẽ generis comitis Rodulphi filius. Et quia huius Rodulphi fecimus mentionem, libet ſuperiora pauliſper repetere. Ricardus I. filius Willelmi Longeſpatæ, cum adhuc puer mortuo patre à Rege Francorum quaſi exul in Francia detineretur, mater eius Sprota neceſſitate vrgente contubernio cuiuſdam prædiuitis nomine Eſperlengi adhæſit. Hic licet in rebus locuples, tamen molendina vallis Piſtris ad firmam ſolitus erat tenere. Genuit itaq; ex Sprota filiũ Rodulphum, de quo loquimur, & filias plures, quę poſtea per Normanniam nobiliũ matrimonio ſunt copulatę. Cum autem prædictus Ricardus ducatum Normãniæ eſſet adeptus, quem rex Francorum ſibi fraudulenter ſurripuerat, contigit quadam die, vt homines ipſius in ſiluam Weuram nominatam irent venatum. Affuit forte inter eos idem Rodulfus vterinus frater Ducis. Cumq; venando deuia quæque & abdita ſyluæ luſtrarent, in quadam valle vrſum immaniſſimum reperiunt. Venatores igitur in fugam verſi prædictum iuuenem ſolum relinquentes, occaſionem ſuæ probitatis manifeſtandæ ei dederunt. Hic namque plus timens opprobrium inertis fugæ quam ferocitatem beſtiæ ſubſtitit, & licet annis tener, ingenita tamen magnanimitate fortis, furentem in ſe belluã proſtrauit. Reuertentes vero ſocii ipſius poſt fugam, & euentum rei comperientes pudibundi, Duci Ricardo probitatem iuuenis retulerunt. Vnde Dux hilaratus, ipſam ſiluã Weuram cum appenditiis ſuis illi dedit. Vocatur autem vſq; hodie vallis in qua occidit vrſum vallis vrſonis. Dedit prætere illi caſtrum Iureium, vnde vocatus eſt Comes. Accepit autem mulierem quandam, vocabulo Alberedam vel Erenbergam, ſpecioſam valde, natam in quadam villa Calciui territorii, quæ dicitur Camuillam. Genuit vero ex ea duos filios, Hugonem poſtea Epiſcopum Baiocenſem, & Iohannem Abrincatenſem, qui ad vltimum fuit Rotomagenſis Archiepiſcopus, filias etiam totidem habuit, quarum vna nupſit Oſberno de Crepon, de qua natus eſt Wilhelmus filius Oſberni, alteram duxit Ricardus de Bello fago, de qua genuit Rodbertum, qui ei ſucceſſit, & filias plures, quarum vna iuncta eſt Hugoni de Monteforti matrimonio. Et quia de hoc Hugone incidenter fecimus mentionem, vtile duximus de eius anteceſſoribus breuiter aliquid dicere. Turſtinus igitur de Baſtenburc habuit duos filios, Wilhelmum Bertramium & Hugonem cum barba de Monteforti. Hic Hugo occiſus eſt, nec non & Walchelinus de Ferrariis in quodam conflictu, quem inter ſe ceperant, filius autem huius Hugonis fuit ſecundus Hugo, qui poſtea fuit Monachus Beccenſis. Idem vero Hugo de filia Ricardi de Bellofago habuit vnam filiam, quam Giſlebertus de Gant duxit. Ex qua genuit quartum Hugonem, qui duxit Adelinam filiam Robberti comitis Mellenti, ex qua genuit filium ſuum primogenitum Rodbertum & alios. Ideo autem hunc Hugonem diximus quartũ, quia ſecundus Hugo mortua prima vxore duxit aliam, ex qua genuit Hugonem tertium, & Rodbertum fratrem eius, ſed abſque liberis & peregre defuncti ſunt. Rodbertus autem de Bellofago circa finem ſuum factus eſt Monachus Becci, vbi filii eius Ricardus & Wilhelmus religioſe conuerſantur. Succeſſit vero ei Robertus Bauiel ex filia nepos. His per anticipationem dictis, ad ordinem hiſtoriæ redeamus.

Quomodo Euſtachius Comes Boloniæ repulſus eſt à caſtro Douera, quod obſederat, cum Rex Willelmus eſſet in Normannia.

CAP. XXXIX.

CVM igitur victorioſus Rex in Normannia bonorum operum ſtudiis probo more ſuo immorando pietatis titulos adaugeret, patriamque ſibi gratiſſimam præſen-

tia ſua illuſtratet Euſtachius Bolonienſis Comes quorundam Anglorum intra Cantuarienſem Comitatum conſiſtentium verſutiis deprauatus Doroberniæ inuolare eſt. Qui in noctis cōticinio mare transfretans diluculo cum copioſo exercitu eorum illud obrectit, totiſq; viribus expugnare cœpit. Porro milites Odonis Baiocaſini præſulis, atque Hugonis de Monteforti, quibus cuſtodia Doroberniæ credita erat, perſpicientes abſentibus dominis ſic ſe inopinato obſeſſos, liberalibus animis accenſi mox portas patefaciunt, vnanimiter foras proruunt, concertoque certamine cunctos cum dedecore ab obſidione abigunt. Euſtachius autem ad mare deuertens cum paucis indecenter nauigio aufugit. Ceteri vero ad deuexum montis, qui rupibus & ſcopulis aſperrimis mari imminet, fugientes, omnes ſeſe, Deo terrorem ingerente, inde deiecere deorſum præcipites, iuſtas ſceleris ſui pœnas luentes. Sicque factum eſt, vt quos gladius non proſtrauit, hos diſcerperet horribilis aſperitas prærupti montis, vindice superni iudicis ſententia temerarios conterente.

Quod latrunculi Angliæ rebellionem parantes condiderunt caſtrum Dunelmum, & de excidio eorum.

Cap. XXIX.

REx vero Wilhelmus tam ad votum diſpoſitis omnibus, pro quibus venerat, Roberto filio ſuo iuuenili feruore vernanti Northmannici Ducatus Dominium tradidit. Ipſe vero in regnum remeans Angliam iterato plurimos eiuſdem gentis reperit, quorum leuia corda ab eius fidelitate præuaricatrix conſpiratio auerterat. Coniurauerant enim latrunculi per totam patriam, quatinus milites, quos ad tuendum regnum reliquerat, in capite ieiunii nudis veſtigiis, quo ſolet vſu, pœnitens Chriſtianorum religio ad Eccleſiam feſtinantes incautos ibique peremerent, & ſic ipſum à Northmannia regredientem leuius è regno perturbarent. Verum detectis Deo contrariis eorum perfidiæ machinis, repentinum magni debellatoris formidantes aduentum, furtim (vt feſtiuum magni terroris conſilium ſuaſit) fuga lapſi in quandam partem Cumberlande Comitatus, aquis pariter & ſiluis inacceſſibilem ſe contulerunt, & firmiſſimo vallo caſtrum erexerunt, quod propria lingua Dunelmum nuncuparunt. Inde diuerſos excurſus crebro agitantes aliquandiu initi delituerunt Sueni Danorum Regis præſtolantes aduentum, quem Veredariis ad ſui conuocarant auxilium. Inde vero legatos mittentes ad exerenda ſuæ nequitiæ infauſta commenta ſibi aſciuerunt Eboracenſes. Quibus iuncti armorum ſimul & ſtipendiorum copia vrbem munierunt, & ſemetipſos ad reſiſtendos corroborauerunt, ſibique puerum quendam nomine Eadgarum ex Edwardi Regis nobilitate genus ducentem Regem præfecerunt. Quorum temerarios conatus Wilhelmus Rex vt agnouit, Normannorum cateruas produxit, & quantotius ad confutandum contumaciam eorum perrexit. Seditioſi autem audacia & viribus fiſi ex ciuitate proſilierunt, & contra regalem exercitum ilico aciem direxerunt. A quo protinus ita profligati ſunt, vt quamplurimi perimerentur, & reliqui intra mœnia oppidi refugere compellerentur. Normanni vero è veſtigio eos conſecuti ſunt, & muri ambitum, quo confugerant, cum ipſis irruperunt, atque tam ferro quam igne à puero vſque ad ſenem totam pene vrbem deleuerunt. Incentores autem totius doli per Humbre fluuium nauibus diſpendium mortis effugerunt.

Quomodo Brienus filius Eudonis Comitis minoris Britanniæ deuicit duos filios Heraldi cum exercitu Regis Hiberniæ.

Cap. XL.

PORRO duo filii Heraldi Regis ab eorum contubernio ſe ſubduxerunt, & cum multis vernaculis patris Dirmetum Hiberniæ Regem pro obtinendo iuuamine aggreſſi ſunt. De cuius regno eodem ſuffragante, parua temporis intercapedine non minimam manum militum ſibi contraxerunt. Deinde cum ſexaginta ſex nauibus, qua in regione maxime oportunum æſtimauerunt, otius Angli repetierunt, & more ſæuiſſimorum piratarum rapinis & incendiis terræ populum exterminare conati ſunt. Brienus autem Eudonis Ducis Britanniæ minoris filius eis armatus cum ſuis occurrit, & mox cum eis ſub die vna duobus prœliis manum conſeruit. Cæſis vero mille & ſeptingentis bellatorum cum nonnullis regni proceribus, reliqui è certamine fugientes, nauium præſidio necis excidium vtcunque euaſerunt, & ex charorum

amiſſio-

amiſſione permaximum Hibernenſib. luctum reportauerunt. Qui profecto niſi nox prœlium diremiſſet, omnes mortis nouacula abraſi fuiſſent.

Quod Rex Wilhelmus circuiens Angliam caſtella plurima ad defenſionem regni conſtruxit.

Cap. XLI.

SICARII deniq; intra Dunelmum latitantes, compertis tot in pernitioſis conſpirationibus eadẽ veſania coadunatorũ infortuniis, cum adhuc in ſuas ærumnas armis atq; fuga auderent, regiam expeditionem ſuper ſe metuẽtes, deliberata ſententia tam inconſultæ temeritati congrua, in maritimorũ præſidiorũ remotiora ſeſe receperunt, inhoneſtas opes piratico latrocinio ſibi contrahentes. Rex autẽ monitus quidẽ prudẽtia, qua cõſule in cunctis regi nouit immunita regni prouidiſſima diſpoſitione perluſtrauit, ac ad arcẽdos hoſtiũ excurſus tutiſſima caſtella per oportuna loca ſtabiliuit, quæ militũ electiſſimo robore, & vberrima ſtipẽdiorum copia muniuit. Tandem bellorum ac ſeditionum tempeſtate parumper conquieſcente, iam totius Anglicæ Monarchiæ & habenas potentius temperat, & gloria proſperius potitur.

Hucuſque Dudo decanus S. Quintini continuauit hiſtoriam ſuam de ducib. Northmannis.

De morte Roberti Wiſcardi Ducis Apuliæ, & de probitatibus eius & poſteritate, & qua occaſione Rogerius nepos eius factus eſt Rex.

Cap. XLII.

HAc tempeſtate mortuus eſt Rodbertus Wiſcardus Normannigena dux Apuliæ. Hic relicta priore vxore propter conſanguinitatem, de qua ſuſceperat filium nomine Buamundũ, duxit primogenitã filiam Gaumarii principis Salerniæ nomine Sichelgaitã fauente Giſulfo fratre pdictæ puellę, qui Gaumario patri ſucceſſerat. Gattelinia vero ſoror eius minor nupſit Iordani principi Capuæ, filio Ricardi ſenioris, patri vero Ricardi iunioris. Huius Iurdani auus fuit Rannulfus, qui primus pfuit Normannis in Apulia, qui etiam condidit vrbẽ nomine Auſam. Genuit autẽ Rodbertus Wiſcardus ex Sichelgaita filios tres, & filias 5. filiæ vero adeo excellentiſſime maritatæ ſunt, vt vna earum matrimonio copulata ſit Imperatori Conſtantinopolitano. Hic Rodbertus duos Imperatores in vno vicit prœlio, Alexium Gręcorũ in Gręcia, Henricũ Romanorũ in Italia. Satis enim victus eſt Henricus, qui audita fama Ducis Rodberti, nec viribus Saxonũ & Alemannorũ, nec etiã mœnibus vrbis, q̃ caput eſt orbis, confiſus, vel tutius concitus aufugit. Boamundus autẽ licet haberet magnã terram, in Apulia tandem cum ceteris Normannis & Francis perrexit dimicare aduerſus Sarracenos, qui tunc temporis omnes fere ciuitates Romaniæ tenebant. Debellatis tandem paganis, & ſubiugatis vrbib. Antiochia & Ieruſalem, & ceteris multis, Boamundus adeptus eſt principatum Antiochiæ, & heredes eius poſt ipſum, ſcilicet filius eius Boamundus natus ex Conſtantia filia Philippi Regis Francorum, & poſt iſtum Raimundus filius Wilhelmi Comitis Pictauorum, qui filiam ſecundi Boamundi duxerat vxorẽ. Roberto itaq; duce obeunte ſucceſsit ei filius ſuus de ſecunda coniuge primogenitus nomine Rogerius, cognomento Burſa. Hoc etiã Rogerio deficiente, & filiis ſuis poſt ipſum Roger. patruelis ipſius filius Rogerii Comitis Siciliæ fratris Roberti Wiſcardi, ſolus tã Apuliã quã Siciliã obtinuit. Hic autem procedenti tẽpore de duce factus eſt Rex, cauſa altercationis duorum Apoſtolicorum, qui ſimul fuerant Romæ ordinati. Innocentius videlicet II. & Petrus Leonis. Quorum vltimus conceſsit duci Rogerio vt regio diademate vteretur, ideo quod idẽ dux parti ipſius fauebat. Accidit hoc circa annum ab incarnatione dom. 1130. vixerunt vero ambo fere 8. annis ſimul.

De morte Wilhelmi Regis Anglorum & Ducis Normannorum, & de ſepultura eius apud Cadomum.

Cap. XLIII.

HIs per anticipationem breuiter intimatis, ad finem geſtarum Wilhelmi Regis Anglorum, & ducis Normannorũ, de quibus faſtidio lectorũ compendioſe conſulentes quædam perſtrinximus, veniamus. Si quis vero plenius illa noſſe deſiderat, librum Wilhelmi Pictauenſis Luxouiorum Archidiaconi eadem geſta copioſo ita eloquenti ſermone affatim continentem, legat. Edidit præterea de eadem materia opus non contemnendum Guido Epiſcopus Ambianenſis Heroico metro exaratum. Sed vt iam finem dicendi faciamus, cauſam mortis, ſecundum exiſtimationem quorundam pandamus.

Cum

Digitized by Google

Cum ergo idem Rex victorioſus poſt plurima bella poſt multiplices expeditiones tam in Normannia quam in Anglia, & in minore Britannia, ſeu etiam in Cinomannia proſpero exitu conſummatas, oppidum quoddam Medanta nomine proprium Philippi Regis Francorum, qui tunc temporis partes Rodberti Ducis bellum patri inferentis iuuabat. Cauſa autem huiuſmodi diſcordiæ erat, quod eidem filio ſuo Rex Wilhelmus non permittebat facere voluntatem ſuam de Ducatu Normanniæ, licet eum ipſe poſt ſe feciſſet heredem. Cum igitur Wilhelmus Rex oppidum Medanta aſſiliens flammis vltricibus tradidiſſet, pondere armorum, & labore clamoris, quo ſuos exhortabatur, vt fertur, à ruina inteſtinorum eius liquefacta, infirmari non modice cæpit, & licet aliquandiu poſtea vixerit, non tamen ſolita valetudine vſus eſt. Diſpoſitis tandem rebus ſuis, & regno Angliæ conceſſo Wilhelmo filio ſuo, vitam præſentem finiuit in Normannia apud Rotomagum 4. Idus Septembris. Tranſlatum eſt corpus eius, ſicuti ordinauerat, Cadomum, & in Eccleſia Sancti Stephani, quam ipſe à fundamentis ædificauerat, ante maius altare regaliter tumulatum. Solus autem filiorum ſuorum Henricus exequias patris proſequutus eſt. Deceſſit autem idem rex fere ſexagenarius, anno Ducatus in Northmānia 52. Porro regni ſui in Anglia 20. Incarnationis autem Domini 1087. regnante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto cum æterno patre in vnitate Spiritus Sancti per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Explicit liber ſextus de Wilhelmo Rege Anglorum, & Duce Normannorum.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS HISTORIÆ NORMANNORVM, CONTINENS RES GESTAS HENRICI REGIS ANGLORVM ET DVCIS NORMANNORVM.

Prologus in geſta Henrici Regis, in quo breuiter fratribus ſuis melior oſtenditur.

CAP. I.

QVONIAM in libro ſuperiori de actibus Wilhelmi Regis Anglorum & Ducis Normannorum tractatum eſt, non indecens videbitur, vt hic liber, qui ſeptimus cuditur, in Normannorum Ducum geſta, vitam & conuerſationem, & ex parte non modica res geſtas Henrici nobiliſſimi Regis filii prædicti Wilhelmi ediſſerens, ſeculo futuro, & maxime poſteris imitandas proponat. Nec immerito hic numerus illi viro congruit, qui non ſolum honeſtate animi, verum etiam corporis probitate, vero videlicet ternario & quaternio plurimum emicuit. Ad hoc accidit, quod idem Rex, quem deſcribendum ſuſcepimus, in ſeptimo gradu genealogiæ Normannorum Ducum reperitur, ſi incipias computare à Rollone Duce, qui fuit huius proſapiæ principium. Vt autem ordo hiſtoriæ non interruptus ſeruetur, de fratribus eius Wilhelmo Rege Anglorum, & Roberto Duce Normannorum, quibus ipſe ſolus ſucceſſit, aliqua vel breuiter dicenda ſunt, maxime cum hoc ad commendationem naturæ proficiat. Sic enim pictores ferrugineum colorem ſubſternere ſolent, vt rubeus ſuperpoſitus magis eluceſcat, ita forſitan, ſi ſupradicti fratres conferantur cum iſto, ex eorum comparatione altius reſplendebit. Quod paucis animaduerti poteſt. In altero eorum Wilhelmum loquor, dapſilitas erga ſeculares prædicabatur, ſed contempta ab eo religioſitas plurimum conquerebatur. Robertum in rebus bellicis fama non immerito extollebat, ſed hæc eadem in maturitate conſilii, & in regimine Ducatus ipſum minus vtilem non mendaciter aſſerebat. At Henricus & illa complectens ſolus, quæ in ſingulis eorum honeſta videbantur, & ea pariter, quibus ipſos carere iam diximus, non ſolum illis, ſed & omnibus ſui temporis principib. nobilior habebatur. Sed quia hæc ſuis in locis plenius exponentur, ne digreſſionem in ipſo exordio facere videatur, à modo rerum propoſitarum ordinem proſequamur.

Quomodo Wilhelmus frater Henrici mortuo Wilhelmo Rege patre eorum tranſiens in Angliam Rex factus eſt, & Robertus Ducatum Normanniæ adeptus eſt, & quod idem Robertus Comitatum Conſtantinenſem dedit Henrico, & poſtea abſtulit.

CAP. II.

IGITVR Rege Anglorum Wilhelmo rebus humanis ſubtracto, Wilhelmus filius eius, quam citius potuit apud Tolcam mari tranſito, ſuſceptus eſt ab Anglis & Fran-

cis,

cis, vnctuſque eſt in Regem à Lanfranco Archiepiſcopo Cantuar. eiuſq; ſuffraganeis, Lundoniæ apud Weſtmonaſt. Robertus namq; frater eius ante mortem patris ſui diſceſſerat de Normannia, indigne ferens, quod ipſe non permitteret ei pro ſua voluntate diſponere tam comitatum Normanniæ, quam Cinomanniæ. Alterius enim dudum heres deſignatus fuerat, alterius vero hac de cauſa viuente patre regimen quærebat, quod Margareta filia Herberti quondam Cinomannenſis Comitis ipſi fuerat deſponſata, licet antequam ad nuptias eius pertingeret, apud Fiſcãnum virgo eadem Chriſto deuota obierit. Cum igitur in Ponrino apud Abbatiſuillam eum ſui ſimilibus iuuenibus filiis ſcilicet Satraparum Normanniæ, qui ei quaſi ſuo domino futuro ſpecietenus obſequebantur, re autem vera nouarum rerum cupiditate illecti, moraretur, & ducatum Normanniæ, maxime in margine excurſionibus & rapinis demoliretur audito nuntio exceſſus patris, confeſtim veniens Rothomagum, ipſam ciuitatem & totum Ducatum ſine vlla contradictione ſuſcepit. Cumque ſui fideles eum exhortarentur, vt regnum Angliæ ſibi à fratre præreptum, velocius armis ſibimet reſtitueret, ſimplicitate ſolita, &, vt ita dicam, imprudentiæ proxima, reſpondiſſe fertur. Per Angelos Dei ſi ego eſſem in Alexandria expectarent me Angli, nec ante aduentum meum Regem ſibi facere auderent. Ipſe etiam Wilhelmus frater meus, quod eum præſumpſiſſe dicitis, pro capite ſuo ſine mea permiſſione minime attentaret. Hæc primo dicebat, ſed poſtquam rei geſtæ ordinem reſciuit, non minima diſcordia inter ſe & fratrem ſuum Wilhelmum emerſit. Interim autem Henricus frater eorum remanſit in Normannia cum Duce Roberto. Dederat autem eidem Henrico pater ſuus moriens quinque mille libras Anglicæ monetæ. Robertus etiam frater ſuus dedit illi Comitatum Conſtantinienſem, vel vt alii volunt inuadiauit, ſed non diutius inde gauiſus eſt. Nam inuentis quibuſdam vilibus occaſionibus per malorum tum hominum ſuggeſtiones ipſum nihil tale meditantem apud Rothomagum capiens, quod dederat indecenter extorſit.

De diſcordia, quæ facta eſt inter Wilhelmum Regem Anglorum, & Rodbertum Ducem Normanniæ fratrem eius, & quomodo obſiderunt Henricum fratrem ſuum in Monte Sancti Michaelis.

Cap. III.

POST hæc aliquanto temporis emerſo concordiam fecerunt adinuicem Wilhelmus Rex Anglorum & Robertus dux Norman. licet regnũ Angliæ ipſe Robertus facilime paulo ante potuiſſet habere, niſi minus cautus eſſet. Siquidem Euſtachius Comes Boloniæ, & Epiſc. Baiocenſis, & Comes Moritolii patrui ipſius, & alii Principes Normanniæ cũ magno apparatu militũ mare tranſeuntes Roueceſtriã & alia nonnulla caſtella in comitatu Cantuarienſi occupãres & tenentes ad opus illius dũ ipſum Robertũ ducem expectant, qui tunc tẽporis vltra quam virum deceat in Normannia deliciabatur, obſeſſi diu à Rege Wilhelmo, dum ille, cuius cauſa tantum diſcrimen ſubierant, non ſubuenit, cum dedecore ipſas quas tenebant munitiones exeuntes ad propria ſunt reuerſi. Facta eſt itaq; tandem inter eos apud Cadomum, vt diximus, aduentante Philippo Rege Francorum, qui in auxilium Ducis contra Wilhelmum Regem apud oppidum Auciacum ingenti Anglorum & Normannorũ exercitu tunc morantem venerat qualecunq; concordia, & quantum ad Ducem Robertum ſpectat probroſa atq; damnoſa. Nam quicquid Rex Wilhelmus in Normannia occupauerat per infidelitatem hominum ducis, qui eidem regi ſuas munitiones tradiderãt, quam ſuis militibus ipſe commiſerat vt inde fratrem ſuum infeſtarentur, impune permiſſus eſt habere. Munitiones illę, quas hoc modo tenebat, Fiſcannũ fuerunt, oppidũ Auci, quod Wilhelmus comes Aucenſis eum reliquis ſuis firmitatibus illi tradiderat. Similiter Stephanus Comes de Abamarla filius Odonis comitis de Campania, Wilhelmi autem regis Anglorum ſenioris ex ſorore nepos, fecerat, & alii plures vltra Sequanam habitantes. Cum igitur fratrem ſuum Henricum debuiſſent adiuuare, eique prouidere, vt ſicur frater eorum & filius regis honorabiliter poſſet viuere, de tota terra patris ſui eum expellere conati ſunt. Vnde accidit, vt quadam vice ipſum obſidione cingerent in monte Sancti Michaelis.

Sed illis ibidem incaſſum diu laborantibus, & ad vltimum inter ſe diſſidentibus, comes Henric⁹ inde libere exiẽs oppidũ munitiſſimũ nomine Danfrontẽ ſagacitate cuiuſdã indigenæ ſuſcepit. Indignabatur. n. prædictus peti quas Robertus de Beliſino homo ferox & mentis inhumanæ, ſibi & aliis conuicaneis inſerebat, qui tunc tẽporis

illud

illud caſtrum poſſidebat. Quod tanta diligentia Henricus exinde cuſtodiuit, vt vſq; ad terminum vitæ illius in ſuo dominio habuerit. Circa hæc tempora obeunte Iohanne Archiepiſcopo Rothomagenſi, ſucceſſit Wilhelmus Abbas Sancti Stephani Cadomi.

Quod redeunte Wilhelmo Rege in Angliam Henricus Comitatum Conſtantinienſem in ditionem ſuam reuocauit.

CAP. IIII.

REDEVNTE autem Wilhelmo Rege in Angliam, Henricus haud ſegniter Comitatum Conſtantinienſem, qui ſibi fraudulentia ante præreptus fuerat, conſenſu Wilhelmi Regis & auxilio Ricardi de Reuers, & Rogerii de Magna vılla, ex maiori parte in ditionem ſuam reuocauit. Et quia in hoc negotio & in aliis pleriſque ſuis neceſſitatibus, Hugo Comes Ceſtrenſis ei fidelis extiterat, conceſſit ei ex integro caſtellum, quod Sancti Iacobi appellatum eſt, in quo idem Comes tunc temporis nihil aliud habebat præter cuſtodiam munitionis ipſius oppidi. Wilhemus ſiquidem Rex Anglorum ſenior illud condiderat in confinio Normanniæ & Britanniæ minoris, cum ante bellum Anglicum contra Conanum Comitem Britanniæ filium Alanni conſobrini ſui, ſibi non obtemperantem, exercitum duceret. Ne igitur amplius famelici prædones Britonum Eccleſiis inermibus aut vltimo terræ ſuæ vulgo excurſionibus latrocinantibus nocerent, illud ad eos arcendos inſtitutum tradidit Richardo Abrincatenſi præſidi, patri videlicet prædicti Comitis Hugonis.

Quod Cinnomannenſes aduertentes Ducem Robertum occupatum plurimis perturbationibus in Normannia, fecerunt ſibi Comitem Heliam filium Iohannis de Fleca.

CAP. V.

INTEREA Cinomannenſes aduertentes Ducem Robertum tot perturbationibus in Normanniam occupatum conſilium ineunt cum Helia, filio Iohannis de Fleca, viro forti & induſtrio & in illa prouincia potentiſſimo, vt filiam cuiuſdam Comitis Langobardiæ, neptem videlicet Hereberti quondam Cinomannenſis Comitis ex primogenita filia in matrimonium ducat, exiſtimantes hac occaſione ſe poſſe excutere à ſua ceruice iugum dominationis Ducum Normanniæ. In quo perſuadendo diutius immorari illis neceſſe non fuit, cum iam nominatus vir illorum admonitionem præueniens ſuper hoc negotio prætermiſſa omni dilatione ad effectum perduxit. Nec ipſum nec conſiliarios ſuos ab hac rebellionis præſumptione deterrendo reuocauit, quod antiquitus ſub Normannorum Ducum ditione regio Cinomannica egit, vel quod noſtra memoria nobiliſſimus Dux Normannorum Wilhelmus, poſtea vero feliciſſimus Anglorum expugnator eoſdem Cinomannenſes de oppreſsione Gaufridi Martelli ſenioris liberans, alis ſuæ protectionis munitos quoad vixit, illos vt proprios rexit, ac ſuis ſucceſſoribus regendos moriens dimiſit. Vnde factum eſt, vt paulo poſt mortem ipſius Regis idem dux Rodbertus, de quo nunc ſermo eſt in principio ſui ducatus iam tunc rebellionis contumaciam attemptantes in ipſis ſuis finibus ducto exercitu Normannorum eos compeſcuit.

Quod aſſumpto Anſelmo Abbate Becci ad Archiepiſcopatum Cantuariæ, Wilhelmus eiuſdem loci Monachus clauſtralis ſucceſſit.

CAP. VI.

PER idem tempus aſſumpto Anſelmo Abbate Beccenſi ad archiepiſcopatum Cantuariæ, ſucceſsit ei in regimine eiuſdem loci Wilhelmus de Bellomonte, vir non contemnendæ religionis, & eiuſdem cœnobii monachus clauſtralis. Anno deinde ſecundo Vrbanus Papa in Gallias veniens, ciuitate Aruernis, quæ alio nomine Clarus mons dicitur, de Eccleſiaſticis negotiis tractaturus, conſilium congregauit. Inter alia vero, quæ ibi ſalubriter diſpoſuit, hortatus eſt fideles tam præſentes, quam abſentes, vt ad liberanda ſancta loca de poteſtate Paganorum, à quibus tunc poſſeſſa contaminabantur, Ieruſalem pro remiſsione exceſſuum ſuorum irent.

Quod Robertus Dux Normannorum inuadiato ducatu ſuo Wilhelmo Regi Anglorum fratri ſuo Ieruſalem perrexit.

CAP. VII.

IGITVR anno ſequenti hac diuina exhortatione permoti omnes fere famoſæ probitatis milites occiduæ regionis tam illuſtres quam ceteri priuati iter peregrinationis

nis ineunt. Quo deſiderio ſuccenſus Robertus dux Normannorum Wilhelmo fratri ſuo regi Anglorum per nuntium mandauit, vt in Normāniam feſtinanter veniat, ducatum ipſius vſq; ad reditum habiturus, de theſauris Anglorum opimis ſuam & ſuorum indigentiam obiter ſuppleat. Huius autem legationis nuntio exhileratus Rex Wilhelmus in Normanniam transfretans, decies mille marcas argenti ea conditione Roberto Duci commodauit, vt quamdiu idem Dux in prædicta peregrinatione moraretur, ipſe Ducatum Normanniæ pro eis vadem haberet, illum Duci reſtiturus cum ipſe ſibi prætaxatam pecuniam rediens reconſignaſſet. His itaque geſtis Comes Henricus contulit ſe Regem Wilhelmum atque omnino cum eo remanſit, cui idem Rex Comitatum Conſtantinienſem & Baiocenſem præter ciuitatem Baiocas & oppidum Cadomi ex integro conceſſit. Hoc tempore prædictus Rex Wilhelmus fecit quoddam caſtellum nomine Giſorz in confinio Normanniæ & Franciæ, quod ſæpe nominatus frater eius Henricus, qui ei diuina diſpoſitione ſucceſſit, mœnibus ambitum, & turris excelſis inexpugnabile reddidit.

De probitate ipſius Wilhelmi in negotiis regni, & quod Eccleſiam Dei & ſeruos eius perſecutus eſt.

CAP. VIII.

DE ipſo autem Wilhelmo his annalium paginis poſſemus inſerere, quod ſemel & iterum Wallenſes ducto exercitu in ipſorum fines ſibi rebelles ſubiugauit, quoq; Regi Scotorum Malcolmo, qui in Angliam exercitum adduxerat, cum ſuo exercitu obuians, eum, ad quæ voluit, pacta inclinauit. Illud etiam nihilominus quod cum audiuiſſet Heliam Comitem Cinomannorum in ipſa vrbe Cinomannica homines ſuos auxilium ei ferente, Fulcone Comite Andegauorum obſediſſe, abſtulerat enim illam vrbem primum Helias hominibus Regis, ſed ciues iterum Regi reddiderant, vnde eos iterum Helias obſederat. Hoc, inquam, audito, cum eſſet in Anglia, accerſitis, quos tunc forte ſecum habebat, militibus, imperans, vt reliqui, qui aberant, ſe ſequerentur. Ad mare veniens, cum ventus eſſet contrarius in Normanniam transfretaturo, cōtra ventum intrauit pelagus, dicens ſe nunquā audiſſe de aliquo rege, quod naufragio periſſet. Tranſitoq; mari velut cōtra vim elementorū, p̄dictos comites ſolo auditu ſui aduentus ab obſidione fugauit. Hæc, inquā, & alia his ſimilia de illo veraciter poſſumus referre, niſi facta eius quia plurimo ſeruorū Dei, & S. Eccleſiam non minimum perſecutus eſt, vnde ſero & infructuoſam, vt plurib. ſapientibus videtur, egit pœnitentiam, dignum iudicaremus propter ordinem hiſtoriæ ſolummodo breuiter attingere, & ad actus Henrici diuę memorię fratris & ſucceſſoris ſui, qui viros religioſos & Eccleſiam Dei protegendo & auxilium ferendo admodum veneratus eſt, prolixius explicandos vellemus accedere. Eodem Wilhelmo regnum Angliæ procurante Morellus nepos Roberti de Moubraio comitis Northumbrelandiæ prædictum Malcomum regem Scotiæ irruptiones in Anglia facientem, & filium eius primogenitum cum maxima parte ſui exercitus in finibus Anglorum trucidauit. Hic autem Robertus cum quaſdam munitione regias ſuo comitatu colliminantes contra voluntatem domini ſui attemptaſſet occupare, captus à militibus Wilhelmi regis, ipſoq; iubente in ipſis vinculis diutius perſeuerans, regnante iam Henrico rege, randē ab ipſo argaſtulo deficiens mortuus eſt. Dictum eſt à pluribus hunc talionem ſibi redditum fuiſſe: quia Regem Scotiæ patrem videlicet nobiliſſimæ Matildis poſtea Reginæ Anglorum doloſe peremerat. Illius autem terram, quam habebat in Normannia, & maximam partem prædicti ſui Comitatus Henricum iam Rex factus dedit Nigello de Albinneio viro illuſtri & probo. Duxit poſtea idem Nigellus Gundredam filiam Giraldi de Gornaco, ex qua genuit filium nomine Rogerium de Moubraio, qui tandem adhuc paruulus patri ſuo facto monacho Beccenſi, & eidem loco magnam poſſeſſionem in Anglia conferenti, ſucceſſit. Ipſe etiam Giraldus rogatu Hugonis de Gornaco patris ſui monachi vero Beccenſis plura dedit eidem Eccleſiæ, tandem Ieruſalem petens cum vxore ſua Edithua ſorore Wilhelmi Comitis de Warrenna, in ipſo itinere mortuus eſt. Vxor vero inde rediens, nupſit Drogoni de Monceio, ex qua idem Drogo ſuſcepit vnum filium nomine Drogonem. Succeſſit prædicto Giraldo filius eius nomine Hugo, qui ex vxore Rodulphi de Parrona Comitis Viromandorum genuit vnum filium nomine Hugonem. Hæc per anticipationem de amicis ac benefactoribus Beccenſis monaſterii hic breuiter commemorauimus: nunc ad ordinem hiſtoriæ redeamus.

Digitized by Google

De morte eiuſdem Regis in Noua foreſta, & quod Richardus frater eius antea ibidem mortuus fuerat, & de cauſa mortis eorum ſecundum æſtimationem vulgi.

CAP. IX.

Anno 1096. IGITVR ſicut ſupra diximus, cum Robertus Dux Normannorum anno ab incarnatione Domini M. XC. VI. Ieruſalem perrexiſſet, & Ducatum Normanniæ Wilhelmo fratri ſuo Regi Anglorum inuadiaſſet, contigit poſt aliquantum temporis, vt idem Rex quadam die venatum iret in Nouam foreſtam, vbi quarto Nonas Auguſti miſſa ſagitta incaute à quodam ſuo familiari in corde percuſſus, mortuus eſt anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo, regni autem ſui decimo tertio. In eadem etiam ſilua Richardus frater ipſius Wilhelmi dudum adhuc viuente patre eorum, dum ſimili modo venaretur, ictu arboris male euitate ægrotans, poſt paululum hominem exuit. Ferunt autem multi, quod ideo hi duo filii Wilhelmi Regis in illa ſilua iudicio Dei perierunt, quoniam multas villas & Eccleſias propter eandem foreſtam amplificandam in circuitu ipſius deſtruxerat.

Quod Henricus frater ipſius ei ſucceſſit, qui Matildem filiam Regis Scotiæ duxit in vxorem.

CAP. X.

OCCISO itaque Wilhelmo Rege, vt præmiſimus, ſtatim frater ſuus Henricus corpus eius Wintoniam deferri fecit, ibique in Eccleſia ſancti Petri ante maius altare ſepulturæ tradidit. Quo ſepulto Lundoniam venit, atque apud Weſtmonaſterium annuentibus cunctis Francis & Anglis quarto die poſt mortem fratris regale diadema ſuſcepit. Vnde plurimi ſunt lætati, quod modo Regem natum à Rege & Regina, natum & nutritum in Anglia habere meruiſſent. Vt autem idem Rex legaliter viueret, duxit eodem anno venerabilem Matildem filiam Malcomi Regis Scotiæ & Margaretæ. Quantæ autem ſanctitatis & ſcientiæ tum ſecularis quam ſpiritualis vtraque Regina Margareta fuerat ſcilicet & Matildis fuerint liber, qui de vita ipſarum ſcriptus eſt, plano ſermone deſcribit. Nec illud prætermittendum, quod à ſanctæ recordationis Anſelmo Cantuarienſe Archiepiſcopo eadem Matildis in feſtiuitate ſancti Martini apud Weſtmonaſterium Henrico Regi nobiliſſimo deſponſata, & eodem die regali diademate inſignita eſt. Fuit autem Rex Henricus vir pluribus virtutibus præditus, iuſtitiæ ac pacis ſectator, religionis amator, iniquorum & furum feruentiſſimus punitor, inimicorum ſuorum non ſolum excellentium principum & comitum, verum & nominatiſſimorum Regum feliciſſimus triumphator.

Quod ex ea genuit filium nomine Wilhelmum, & filiam quæ procedente tempore nupſit Henrico Imperatori Romanorum.

CAP. XI.

GENVIT enim ex ſecunda Matilde Regina Anglorum vxore ſua filium vnum nomine Wilhelmum, & filiam vnam matrem ſicut nomine ita honeſtate repreſentantem. Hanc autem virginem vix quinquennem, Henricus quintus Rex & quartus Imperator Romanorum & Alemannorum Auguſtus in coniugem requiſiuit, & adquiſitam per claros viros Epiſcopos, & Comites internuntios cum ineffabili munificentia vtriuſque parentis in ſuum regnum recepit, & receptam ſolemniter in proximo Paſcha apud vlterius traiectum deſponſauit, deſponſatam vero Archiepiſcopus Colonienſis in feſtiuitate S. Iacobi Maguntiæ in Reginam conſecrauit, ceteris coepiſcopis aſſiſtentibus, & præcipue Archiepiſcopo Treuerenſi, qui eam dum conſecraretur inter ſua brachia reuerenter tenuit. Deinde conſecratam reginam vſque ad tempeſtiuum tempus nuptiarum ſtudioſe nutriri præcepit, in quo nutrimento & linguam addiſceret, & ſe ſecundum Teutonicos mores componeret, de qua nobiliſſima Imperatrice, in ſequentib. plenius diſſeremus. Prædictus autem Wilhelmus, filius Henrici Regis, qui poſt ſororem Matildem Imperatricem natus eſt, licet enim cauſa maſculini ſexus illi præpoſuimus, cum iam ad iuuenilem ætatem veniſſet, morte immatura obiit. Cum enim transfretaret de Normannia in Anglia, inter Barbe fluuium & Hantoniam in quodam maris loco periculoſo, qui ab incolis Cataras dicitur, illiſa naui ſcopulo, ipſi & multi optimates patris eius naufragio perierunt. Quo ſolo euentu felicitatẽ excellentiã regis fortuna aliquãtiſper obnubilauit, licet in aliis omnib. ſibi arrideret iocũdiſſima. His anticipãdo cõmemoratis ad ordinẽ rei geſtæ reuertamur.

Quod

Quod Robertus Dux Normannorum rediens ab Ieroſolymis tranſit in Angliam, volens auferre regnum fratri ſuo, & quomodo concordati ſunt.

Cap. XII.

NOn longum autem tempus tranſiit, poſtquam Henricus rex regnum Angliæ regendum ſuſcepit, quod frater ſuus Robertus de Ieruſalem rediit, atq; Ducatum Normanniæ, quem fratri ſuo Wilhelmo inuadiauerat abſq; vllius pecuniæ exhibitione recepit, licet ipſam ſummam, quam ab eodẽ fratre ſuo acceperat, ſecum haberet, vt ſi neceſſe eſſet vt redderetur, & ſi eſſet qui eam exigeret, in promptu haberet. Audiens itaq;, quod Henricus frater ſuus rex Anglorum eſſet conſtitutus, cœpit indignari aduerſus illum, multumq; ei minari, quod regnũ Angliæ ſuſcipere auſus fuiſſet. Hac igitur de cauſa cœpit nauigium præparare quale potuit. Quo completo in Angliam tranſiuit. Henricus autem rex cuius fiducia tota erat in Deo, magnam Anglorum militiam velociter congregans, aduerſus eum venit, paratus eum & omnes, qui cum eo venerant de terra Anglorũ expellere. Quod profectò annuente Deo in breui egiſſet, niſi frater ſuus cum eo hoc pacto cõcordaret: vt ipſe Rex illi quotannis 4000. marcas argenti perpetuo daret. Hanc ſummam tamen idem Comes Matildi Reginæ fratris ſui coniugi condonauit. Facta itaq; inter eos concordia, aliquanto tempore demoratus eſt Comes Robertus in Anglia. In qua poſtquam tamdiu fuit, quantum ei placuit, in Normanniam remeauit.

Quod eadem pactione rupta, Henricus apud Tenechbray in bello eum capit, & poſtea vſque ad mortem cum regno Angliæ Ducatum Normanniæ ſapienter diſpoſuit.

Cap. XIII.

NOn diu autem durauit inter eos prædicta concordia. Robertus enim comes plus iuſto credens illis, qui magis volebant inter eos eſſe diſcordiam quam pacem, cœpit occaſiones quærere, fratremque ſuum ad diſcordiam commouere. Rex autem Henricus non diutius hoc ferens, maximeque indigne ferens, quod frater ſuus ita paternam hereditatem Ducatum ſcilicet Normanniæ diſſipauerat, quod præter ciuitatem Rothomagenſium nihil pene in dominio haberet, quam etiam forſan alicui vt cetera dediſſet, ſi hoc ſibi licitum propter ciues ipſius fuiſſet. His inquam indignatus mare quam citius potuit tranſiens, atque non multo poſt non paruum exercitum congregans, obſedit ciuitatem Baiocas, eamque citius capiens, fere omnem deſtruxit. Deinde cœpit Cadomum. Poſt aliquantulum vero temporis cum obſideret quoddam caſtrum Comitis Moritolii, quod vocatur Tenerchebrai, atque in obſidendo laboraret, vt illud caperet, frater eius Comes Robertus, & Comes Moritolii cum magna multitudine militum, putantes ſe de Rege Henrico vindicare, eumque omnino de terra delere, cum magno impetu irruerunt in eum. Sed iudicio Dei ſuper eos veniente, capti ſunt ambo, & multi alii cum eis ab hominibus Henrici Regis, atque ante eum adducti. Conceſſit hoc modo Deus Regi ſe timenti victoriam incruentam, ſicut quondam Theodoſio Imperatori ſeruo ſuo fecerat. In hoc enim conflictu ex ſuis nullus, ex aduerſa parte vix ſexaginta corruerunt. Finito itaque hoc conflictu & pace reddita miſeræ prouinciæ, quæ pene per imprudentiam Comitis prædicti deſtructa erat, Rex Henricus totam Normanniam & omnia caſtella Comitis Moritolii in ſuum dominium ſuſcepit. Atque ita omni terra ſedata, rediens in Angliam Robertum Comitem fratrem ſuum, & Comitem Moritolii, & quoſdam alios quos ei placuit ſecum abduxit, eoſque in libera cuſtodia vſque ad terminum vitæ eorum tenuit. Factum eſt autem hoc bellum apud Tenechebrai inter Henricum Regem Anglorum, & Robertum fratrem ſuum Ducem Normannorum anno ab incarnatione Domini, milleſimo centeſimo ſexto, quinto Calendas Octobris. Eodem autem anno menſe Februario Cometes apparuerat Regibus & Ducibus mutatione regnorum terribilis.

Rexit autem Robertus Comes Ducatum Normanniæ nouendecim annis, excepto ſpacio, quo in itinere Ieruſalem demoratus eſt. Fuit hic Robertus miles fortiſſimus, & multa nobiliter geſſit, maxime quando à Chriſtianis Antiochia & Ieruſalem ſuper Sarracenos captæ ſunt. Ad regimen tamen Ducatus minus vtilis propter ſimplicitatem ſuam, & propter conſilia leuia, quibus nimium aurem accommodabat.

Digitized by Google

De Sibilla vxore Ducis Rodberti, & Wilhelmo filio eius, & quomodo idem Wilhelmus factus eſt Comes Flandrenſium.

CAP. XIIII.

CVM autem rediret de via Ieruſalem, accepit Sibillam in vxorem, ſororem Wilhelmi Comitis Conuerſanæ. De qua genuit vnum filium nomine Wilhelmum. Fuit vero prædicta Comitiſſa pulchra facie, honeſta moribus, ſapientia prædita, & aliquando abſente Duce ipſa melius per ſe negotia prouinciæ tam priuata quã publica diſponebat, quam ipſe faceret ſi adeſſet. Vixit autem in Normannia paruo tempore, inuidia & factione quorundam nobilium fœminarum decepta. Prædictus vero Wilhelmus filius Roberti Ducis procedenti tempore Comes fuit Flandrenſis. Quod quomodo acciderit, paucis aperiamus. Cũ igitur ille iam iuuenis multæ probitatis in Francia exularetur, patre ſuo, vt iam diximus, in vinculis Henrici Regis poſito, accidit, vt Carolum Comitem Flandrenſium quidam traditores in Eccleſia, dum ſacris miſteriis intereſſet, occiderent. Quo audito regina Francorum vxor Ludouici regis dedit prædicto Wilhelmo ſororem ſuam vxorem, efficiẽs per maritum ſuum, vt idem comes Flandrenſium conſtitueretur. Deceſſerat enim Carolus abſq; filio, nec tamen idem Wilhelmus longe aberat à cognatione Comitum Flandriæ. Nam Matildis Regina Anglorũ auia ipſius fuit filia Balduini cum barba Comitis Flandrenſiũ. Hic vero Balduinus 2. filios habuit, Balduinũ & Robertũ. Quorũ vterq; vxorẽ accepit viuente patre eorum. Nam Balduinus primogenitus habuit in vxorẽ comitiſſam Hainaucenſem, ex qua genuit duos filios Ernulfum & Balduinũ. Robert' autẽ accepit coniugem relictam Florentii comitis Friſiæ, quæ vnicã ex prędicto Florẽtio habebat filiã. Quam Robertus longe facere volens à paterna hereditate, dedit eam Philippo regi Francorum, & ita comitatus Friſiæ remãſit ei cũ matre ꝓdictæ puellę, vnde cognominatus eſt Friſio. Deceſſit autẽ mortẽ patris ſui Balduinus comes Hainaucenſis, & ſucceſſit Ernulfus filius eius primogenitus. Tandẽ obeunte Balduino comite Flandriæ cũ Ernulfus comes Hainaucẽſis deberet ei ſuccedere, vtpote nepos ex primogenito filio eius, & ad hoc etiam niteretur, Philippus Rex Francorum veniens in auxilium eius & Matildis Regina Anglorum amita eius, mittens ei Wilhelmum filium Oſberni cum armata militum manu, Robertus Friſio patruus eius adiuncto exercitu Henrici Romanorum & Alemannorum Imperatoris cuneis ſuis, ex improuiſo ſuper eos irruens die Dominico Septuageſimæ fugato Philippo Rege Francorum Ernulfum nepotem ſuum, & Wilhelmum filium Oſberni Comitem Herefordi peremit, & hac de cauſa Flandriam vſque ad ſuum obitum poſſedit.

De Wilhelmo Comite Herefordi, & ſucceſſione eius.

CAP. XV.

PRÆDICTVS autem Wilhelmus Comes Herefordi fuit vir honeſtus & probus, & cognationem Ducũ Normanniæ non ſolum ex parte patris, verum etiam ex parte matris attingens. Oſbernus namq; pater eius fuit filius Herfaſti fratris Gonnoris Comitiſſæ primi Ricardi ducis Normanniæ vxoris. Mater vero fuit filia Rodulfi comitis Iureicẽſis. Qui Rodulfus frater fuit vterinus Ricardi ducis ſuperius nominati. Duxit autem idem Wilhelmus Aelizam filiam Rogerii de Teoneio, ex qua genuit 2. filios, Wilhelmum de Britolio, qui poſt deceſſum eius terram, quã habebat in Normannia habuit, & Rogerium cui comitatus Herefordi funiculo diſtributionis euenit. Habuit etiã 2. filias, quarũ vna nomine Emma iuncta eſt Rodulfo de Waiet, genere Britoni, qui fuit comes Norwicenſis. Sed quia cõtra fidelitatẽ Wilhelmi regis ſenioris, munitionẽ Norwich aliquando tenere attẽptauit, expulſus & extorris de regno Angliæ cũ vxore ſua Ieruſalẽ perrexit, relinquens vnã filiã nomine Itã, q̃ procedenti tẽpore nupſit Roberto comiti Legreceſtriæ, filio Roberti comitis Legreceſtriæ. Vnde factũ eſt vt Lire Gloz, Britoliũ & plurimã partem terræ, quam Wilhelmus filius Oſberni auus, vxoris ſuæ habuerat in Normannia poſt mortẽ Wilhelmi de Britolio auunculi vxoris ſuæ idem comes haberet. Genuit autem ex ea vnum filium & plures filias. Occiſo itaque, vt diximus, Wilhelmo filio Oſberni Wilhelmus de Britolio filius ſuus, qui ei ſucceſſerat, cæpit calumpniari oppidum Iureii, quia fuerat Rodulfi Comitis patris, videlicet auiæ ſuæ.

Habebat autem tunc temporis idem caſtrum Robertus dux Normanniæ in ſuo dominio, ſicut pater ſuus Wilhelmus Rex per omne tempus vitæ ſuæ habuerat.

Comi-

Comitiſſa enim Albereda vxor Comitis Roberti in ſupercilio montis eidem caſtro imminentis turrim munitiſſimam, quæ vſque nunc ſupereſt, ædificari fecerat. Robertus Comes Mellenti turrim illam cuſtodiens, vicecomitis officio in prædicto oppido fungebatur. Egit itaque calliditate ſolita, vt idem caſtellum Wilhelmo de Britolio redderetur, hac tamen conditione, quatinus ipſe pro eo, quod in ipſo oppido nunc habebat, Brionnium ſuæ terræ vicinum largitione Ducis Roberti perpetuo poſſideret. Erat enim ab antiquis temporibus idem municipium vna ex propriis ſedibus Ducum Normanniæ, vnde ſemper illud in ſuo dominio hactenus habuerunt, excepto, quod ſecundus Ricardus ipſum Comiti Godefrido fratri ſuo naturali dederat, & Comes Giſlebertus filius eius poſt ipſum idem habuerat, ſed eodem occiſo, ad dominium ducum Normanniæ redierat. Et quoniam Rogerius filius Ricardi idem caſtrum repetebat, quia auus ſuus Comes Giſlebertus idipſum, ſicut dictum eſt, antea poſſederat, Robertus Comes Mellenti omni inquietudine carere geſtiens, egit apud Ducem Robertum, vt quoddam municipium nuncupatum Humetum, ſitum in Conſtantienſi Comitatu daretur Rogerio filio Ricardi, non ſolum pro illa calumnia ſopienda, verum etiam pro non minima pecuniæ ſumma, quam Rogerius hac de cauſa Duci contulerat. Sunt antiquorum plurimi, qui dicant, quod Ricardus pater Rogerii pro repetitione eiuſdem caſtri dudum in Anglia acceperat oppidum Toneburge, aſſerentes leugam Brionii cum funiculo circumcirca fuiſſe menſuratam, & eodem fune in Anglia delato, leugam Tonburge tantundem ſpacii in metiendo recepiſſe, quantum hactenus Brionenſe milliarium probatur retinere. Accidit poſt aliquantum temporis, vt Goellus de Breherii valle dominum ſuum Wilhelmum de Britolio doloſe caperet, & in ipſa captione eum tamdiu retineret, quouſque idem Wilhelmus quandam filiam ſuam notham cum ipſo caſtello Iureii coactus illi concederet. Ex qua ille vir Belial ſuſcepit filios, Wilhelmum Luuellum, & Rogerium Balbum, & alios, in quibus nequitia patris eorum & fraudulentia velut in malo germine ad perniciem innoxiorum adhuc perſeuerat. Wilhelmus autem de Britolio à nexibus liber memor iniuriæ à perfido ſibi illatæ, quandam rem dignam memoria auſus eſt incipere. Nam Regem Francorum Philippum cum plurimo exercitu, & Robertum Ducem Normanniæ ad ſe immenſis muneribus euocans, & ipſis & hominibus eorum omnibus, qui ſuam procurationem voluerunt accipere, ſufficienter neceſſaria de ſuo proprio ſubminiſtrans, caſtrum Breherii vallis, & totam terram Goelli fere deſtruxit, & Iureium tamdiu obſidens afflixit, vſquequo ille perfidus ſuis rebus diffidens, illud ſibi redderet. Et ſic tandem Wilhelmus idem caſtrum ſicut proprium, quoad vixit, ſecurus poſſedit. Cum autem ad extrema veniens idem Wilhelmus iuuenem quendam Rodulfum de Waiet, ex ſorore Emma nepotem heredem ſui caſſamenti feciſſet, Euſtachius filius eius naturalis, dum exequiæ patris agerentur, omnes munitiones eius occupans & muniens, omnem terram ſui patris diutius hac inuaſione quiete tenuit, donec vxor eius Iuliana filia Regis Henrici notha, nimis arroganter & ſtulte contra voluntatem & fidelitatem Regis, cuſtodes ſuos de munitione Britolii eiecit. Qua de cauſa Rex exacerbatus omnem illam hereditatem, quam non hereditario iure, ſed ſua perſuaſione, immo Regis clementia hactenus iſte poſſederat, non immerito illi abſtulit. Caſtrum ſiquidem Iureicenſe redditum eſt Goello, & filiis ſuis.

Ceterum terram, ſicut iam diximus, Robertus Comes Legreceſtriæ cum vxore ſua poſtmodum accepit. Euſtachio proinde Paceii oppidum ſolummodo remanſit. Et quia hæc cauſa Wilhelmi filii Oſberni, cuius ſupra mentionem fecimus, latius executi ſumus, nunc ad ea, quæ de Comitibus Flandriæ propoſueramus, reuertamur.

De morte Wilhelmi Comitis Flandriæ.

CAP. XVI.

IGITVR prædicto Rodberto Comiti Flandriæ Henricus Rex Saxonum & Imperator Romanorum dedit Comitatum Cameracenſem, & ipſe fecit ei inde fidelitatem. Genuit autem idem Robertus duos filios, Robertum, & Philippum. Robertus vero Ieroſolymitanus cognominatus, quia interfuit, dum Ieruſalem à Chriſtianis caperetur, genuit Balduinum, qui ei ſucceſſit. Eodem vero Balduino mortuo ex vulnere, quod in conflictu quodam apud Aucum caſtrum quoddam Normanniæ

acceperat, Carolus cognatus ipſius ei ſucceſſit. Quo per traditionem occiſo, ſicut iam dictum eſt, eundem Comitatum Flandriæ, ſicut ſuperius diximus, Wilhelmus filius Roberti Ducis Normanniæ habuit, ſed paruo tempore ſuperuixit, in cuiuſdam oppidi aſſultu appetitus lethali vulnere, deceſſit vero ſexto Calendas Auguſti, anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo vigeſimo octauo. Sepultus eſt autem in Eccleſia Sancti Bertini confeſſoris, & ſucceſſit ei Terricus de Auſeis, cognatus præcedentium Comitum. Huic Henricus Rex Anglorum copulauit ſororem Gaufridi Martelli Comitis Andegauorum. Robertus autem Dux Normanniæ, pater prædicti Wilhelmi, mortuus eſt in Anglia apud Briſtoldum caſtellum Roberti Comitis Gloeceſtriæ nepotis ſui, cui Henricus Rex eum ad cuſtodiendum tradiderat.

Deceſſit autem quarto Idus Februarii, ſepultuſque eſt in Eccleſia Sancti Petri Gloeceſtriæ, anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo trigeſimo quarto. His per anticipationem intimatis, nunc ad ordinem hiſtoriæ reuertamur.

Quod mortuo Philippo Rege Francorum ſucceſſit Ludouicus filius eius, & de origine Comitum Ebroicenſium & eorum poſteritate.

Cap. XVII.

Circa hæc tempora rebus humanis exceſſit Philippus rex Francorum, & ſucceſſit Ludouicus filius eius. Mortuo etiam Wilhelmo Rothomagenſi Archiepiſcopo, eandem Pontificatus ſedem adeptus eſt Gaufridus Decanus Cinomannenſis. Paruo exinde tempore exacto moritur Wilhelmus Comes Ebroicenſis. Et quoniam de hac ciuitate fecimus mentionem, libet paulo ſuperius originem Comitum eius repetere. Robertus igitur filius primi Ricardi Ducis Normanniæ Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Comes Ebroicæ ciuitatis, contra morem Eccleſiaſticum vxoratus quaſi quilibet laicus, genuit duos filios, Ricardum, qui ei ſucceſſit in Comitatum, & Rodulfum de Waceio. Ricardus autem Comes ex relicta Rogerii de Toenio, qui peremptus fuerat in quodam conflictu, genuit prędictum Wilhelmum, qui ei ſucceſſit, & vnam filiam, quæ nupſit Symoni de Monteforti, ex qua natus eſt Almaricus & Berta ſoror eius. Sed ante eam idem Symon habuerat duas vxores. Ex quarum prima filius eius primogenitus alter videlicet Almaricus natus eſt, & Elizabeth ſoror eius. Occiſo autem illo Amalrico Rodulfus de Toenio, denique cateruis more pugnantium nec non & equitibus ſagittariis, quorum inibi exercitus regius maximam multitudinē habebat, in dextra parte hoſtium præmiſſis, clamor vt in initio bellorum ſolet fieri, vtrinque attollitur. Sed antequam militum cunei iungerentur pars Comitis inſtantia ſagittariorum, qui eam in dextris, vbi carebant protectione clypeorum, abſque interuallo ſagittabant, pene defecerat. Spacioſum eſſet ire per ſingula, ſed nos ad cetera feſtinantes rei euentum ſuccincte enodamus.

Inito itaque certamine, poſtmodum captus eſt Comes Walerannus, capti ſunt etiam omnes illi famoſi & diuites milites, qui eius ſigna ſequebantur, licet aliqui, poſtquam in manus hoſtium venerunt, conſentientibus quibuſdam ſuorum neceſſariorum in exercitu, quos regio habebant, fuga elaberentur. De quorum numero fuit Amalricus Comes Ebroicenſis, & Wilhelmus Louellus de Iureio. Geſtum eſt autem hoc bellum à Ducibus Henrici Regis Anglorum, contra Walerannum Comitem Mellenti, anno ab incarnatione Domini 1124. 7. Calend. Aprilis, haud procul à villa, quam vocant Burgum Turoldi.

Qua ſagacitate idem Rex terram ſuam pacifice regebat.

Cap. XXII.

Comite itaque Waleranno in vinculis cum ſociis ſuis poſito, Rex Henricus turrem Wateuillæ funditus fecit euerti, oppido prætereà Brionnii vi potius quam voluntaria redditione ſibi ſubiugato, eum qui idem poſt captionem Comitis diu tenuerat orbitate oculorum mulctauit, vnde perterriti, qui caſtrum Belli montis ſeruabant, ne ſimilia paterentur, illud Regi reddiderunt. Taliter igitur omni illa perturbatione ſopita, rex tam terrā comitis quā ceterorū, qui cum eo capti fuerāt in ſuo dominio habuit. Sed tamen poſt aliquot annos Comiti Waleranno data venia, & à vinculis liberato, redditus ſuæ terræ habere permiſit munitiones tantum ipſius in ſua manu retinens. Quidā vero concaptiuorum quādiu idem Rex humanis rebus interfuit, in vincu-

vinculis ſuis permanſerunt. Ex quo autem comes Mellenti iu ſupradicto conflictu captus eſt, tam in Ducatu Normanniæ quam in Regno Angliæ per totum decennium quo Rex Henricus ſuperuixit, ſumma pax viguit, licet nepos eius Willelmus paruo tempore quo Comitatum Flandriarum tenuit eam perturbare pro ſuo poſſe ſatageret. Sed cum ſapiens Rex miſericordia & diuitiis fere omnibus ſui temporis principibus excelleret altero horum ſcilicet miſericordiæ eccleſiis, & monaſteriis & pauperibus hominibus ſuæ terræ condeſcendebat, altero vero id eſt opulentia theſaurorum infinita plurimas centurias militum in diuerſis locis hoſtibus propinquis opponebat, qui eos à rapina eccleſiarum, vel pauperum acie ferri repellerent. Vnde factum eſt vt raro etiam illa terra Auguſti Henrici quæ in confinio exterarum prouinciarum erat aliqua hoſtili læſione læderetur, nedum illa quæ ab eis longe aberat, quia vt dictum eſt multitudo militum quos excellentiſſimus princeps ſuis ſtipendiis ſufficienter alebat, & donatiuis muneratos honorabat, illis obſiſtebant.

Quid d . apezetis per omnem ſere Angliam deprauatis ob amorem iuſticiæ fecit.

CAP. XXIII.

REFERAM quiddam quod accidit dum prædicta diſcordia adhuc perſeueraret inter Regem, & Comitem Mellenti, in quo apparebit, & ſeueritas iuſticiæ ipſius in impios, & contemptus pecuniæ in comparatione rectitudinis. Cum igitur in Normannia rebus bellicis intendens ageret, accidit vt neſcio qua peruerſitate deprauati omnes fere trapezetæ Anglici regni monetam ſtanneam in qua vix tertia pars eſſet argentea, cum eadem moneta tota ex argento ſoleret fieri fabricarent. Cum vero de eadem falſa moneta in Normanniam delata Regii milites forte ſtipendium accepiſſent, nec de ea vtpote non legitima aliquid emere valerent, de falſitate eius conqueſti ſunt apud Regem. Iratus ergo Rex, & propter militum ſuorum iniuriam magis autem ob iuſticiam temeratam, ſententiam dictauit, mandans & præcipiens illis quos in ſuo loco in Anglia demiſerat, vt omnes numularios qui huius impietatis iuſte argui valerent, abſciſione dextrarum manuum nec non & genitalium membrorum mulctarentur. O virum defenſorem iuſticiæ, & iniquitatis acerrimum punitorem! o ſi vellet redemptionem accipere pro tot hominum impiorum membris, quanta millia talentorum poſſet inde lucrari! ſed vt diximus ſpreuit pecuniam amore iuſticiæ.

De obitu Willelmi, Abbatis Beccenſi, & de bonitate venerabilis Boſonis ſucceſſoris ſui.

CAP. XXIV.

HOc tempore moritur Willelmus Abbas Beccenſis, & ſuccedit dominus Boſo, de quo venit in litem plus ne ſit meritus hominum reuerentiam, atque gloriam ſecularium ac ſpiritualium rerum ſingulari peritia, an ordinis monaſtici ſingulari obſeruantia. Hunc plurimi potentes tam ſeculari eccleſiaſtica dignitate fulgentes, intima familiaritate colebant, vt patrem venerantes, verentes vt præceptorem, diligentes vt germanum aut prolem. Illi conſulta animarum ſuarum illi ſpeculam quandam vnde ordinibus eccleſiaſticis proſpiceretur committebant. Potuit namque viri talis vigilans cura cui maximam auctoritatem ſapientiæ pariter, ac ſanctitatis prærogatiua comparuit ſecuritatem non paruam optime ſollicitudini eorum promittere. Hunc vt diximus Rex Henricus immo generalis totius conuentus conſenſus Monaſterij Beccenſis Abbatem ſtatuit, non minus reluctantem ſubiectionis amore, quam altioris gradus timore. Venerantur eum reuerentes Abbates, Monaſteria, Synodi, Curię, vt prudentem, ita eloquentem, vt iuſtum ita diſcretum, Guſtat hic imperio naturæ non epulatur, qui nec pecuniæ vnquam faueat vel gratiæ, ſiue in iudicio ſiue in conſilio ſententiam dicens. Exhibet ſe blandum ac ſeuerum decentiſſima in alterutrum permutatione, nullius hominis, omnis vicii clemens perſequutor, pius inimicus. Sed ne à geſtis incliti Regis longius digredi videamur, ad ea quæ de filia eius Mathilde Auguſta Imperatrice promiſimus narranda redeamus.

Digitized by Google

Quod obeunte Henrico Imperatore, Rex Henricus filiam ſuam Matildem Imperatricem reductam in Angliam matrimonio copulauit Gaufrido Duci Andegauenſium ex qua ſuſcepit tres filios, Henricum, Gaufridum, Willelmum.

CAP. XXV.

CVM igitur Henricus quartus Romanorum Imperator Auguſtus citra ſenium obiiſſet anno videlicet ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo XXV. potétiſſimus Rex Anglorum Henricus filiam ſuam prædictam Imperatricem, licet excellentiſſimi principes Curiæ Romanæ experti prudentiam ipſius & morum venuſtatem viuente imperatore coniuge ſuo, eam omnimodis ſibi imperare optarent, & hac de cauſa ipſam proſecuti ſint vſque ad curiam ſui patris, id ipſum rogaturi. Quorum petitioni cum Rex minime adquieſceret, volebat enim illam poſt ſuam mortem in regnum Angliæ hæreditario iure ſuccedere, fecit epiſcopos & archiepiſcopos, & Abbatum potentiores, necnon Comites & Satrapas totius Anglici regni ſub arctiſſimo Sacramento illi fidelitatem hoc pacto promittere, quatenus ipſi pro ſuis viribus obniterentur, vt eadem Auguſta poſt deceſſum patris Monarchiam maioris Britanniæ quam nunc Angliam vocant obtineret. Quod vtrum fecerint, nihil mea intereſt dicere. Procedenti autem tempore pater ſuus cupiens carere inimicitiis & importunitate Fulconis Comitis videlicet Andegauorum Turonorum atq; Cinomannorum, namque inter eos quibuſdam ex cauſis longa ſimultas durauerat, licet inuitam dedit eandem imperatricem in vxorem, Gaufrido Martello filio prędicti Fulconis, qui ei in comitatum ſucceſſit, cum idem Fulco Rex Ieruſolimorum efficeretur. De qua idem Marchio genuit tres filios. Henricum, Gaufridum, Martellum, Willelmum, hæredes legitimos Anglici principatus, non ſolum ex parte Henrici Regis aui ſui, verum etiam ex parte Sanctæ Mathildis Reginæ auiæ ipſorum. Vterque enim coniunx conſanguinitatem veterum Regum Angliæ, licet diuerſo modo proxime attingebat, ſicut in libro qui de vita ipſius Reginæ ſcriptus eſt, continetur. Quem proper notitiam rerum geſtarum, & ad honorem & memoriam vtriuſque matris de qua æditus eſt & filiæ ad quam æditus eſt, huic operi forſitan adiungemus.

Quomodo Reges Francorum deſcendebant de origine Comitum Andegauenſium.

CAP. XXVI.

NEc alicui vel ipſi Imperatrici Auguſtæ omnino indignum videatur, quod poſt thorum Imperatoris coniugium ſortita eſt Comitis Andegauorum. Licet enim multo minoris dignitatis ſit Comes Andegauenſis quam Imperator Romanus, tamen ſi quis conſulat geſta Regum Franciæ inueniet de quam generoſa ſtirpe deſcendant Comites Andegauenſium. Ibidem enim reperiet, quod Reges Francorum qui noſtris temporibus idem regnum adminiſtrant, de prædictorum Comitum propagine deriuentur. Sic enim poſtquam de morte Caroli calui in eiſdem geſtis tractatum eſt, & ſi non eiſdem verbis, eadem tamen ſententia reperitur. Obeunte Ludouico filio Caroli Calui, cum Carolus ſimplex filius eius adhuc puer habenas regni minime moderari valeret, & duo filii Roberti Comitis Andegauorum qui fuit vir Saxonici generis ſupereſſent, Odo ſcilicet princeps ſub cuius cuſtodia Ludouicus reliquerat filium ſuum Carolum, & Robertus frater eius, Burgundiones & Aquitanenſes elegerunt ſibi in Regem prædictum Odonem, qui XIII. annis regnum Francorum optime rexit, & contra Danos qui tunc temporis Gallias demoliebantur nobiliter protexit. Decedente vero Odone, Carolus ſimplex recepit regnum ſuum, & Robertus frater Odonis factus eſt ſub eodem Carolo princeps Francorum. Sed quia non ei reddebatur pars principatus quam frater ſuus Odo antequam in Regem eligeretur habebat, rebellauit idem Robertus contra Carolum Regem, vnctuſque ipſe in Regem, vno anno regnauit, ſed poſtea occiſus eſt in bello Sueſſonico ab exercitu Caroli ſimplicis. Factus eſt tamen poſt ipſum princeps Francorum filius eius Hugo magnus, natus ex filia Hereberti Comitis Parronæ. Hic Herebertus per traditionem cæpit Carolum ſimplicem, reuertentem cum victoria à prædicto prælio, & in vinculis ipſius mortuus eſt idem Carolus. Supradictus vero Hugo magnus genuit ex filia Ottonis Regis Saxonum, poſtmodum vero Imperatoris Romanorum, Hugonem & Caperet & fratres eius. Qui Hugo adnullato genere Caroli magni, vnctus eſt in Regem ſuper Francos. Ipſo etiam ſuperſtite primo regni ſui anno adiunctus eſt in regnum Robertus filius eius, rex piiſſimus, vir in literarum ſcientia plurimum à Gerberto monacho philoſopho, poſtea vero Papa Romano inſtructus. Hæc de geſtis Francorum huic opuſcu-

opuſculo inſerui, volens neſcientibus intimare nobilitatem Comitum Andegauenſium, & quod tertia familia Regum Franciæ, ſiquidem de tot familiis ab initio illius regni vſque nunc ſeriatim creati ſunt Reges de eorum propagine modo quem prædiximus veniant. Non igitur vſquequaque indignum, ſi filia Regis Anglorum matrimonio copulata eſt viro cognatione propinquo Regibus Francorum. Nunc ad ordinem rerum propoſitarum reuertamur.

Quam deuote prædicta Imperatrix theſauros ſuos diuerſis eccleſiis & inopibus dum ægrotaret erogauit.

Cap. XXVII.

SÆPE nominata deniq; Mathildis Imperatrix dum quadam vice apud Rothomagum infirmaretur, ſufficiens argumentum ſuæ prudentiæ & religionis, tã præſentibus quam futuris oſtendit. Gazas enim non ſolum Imperatorias quas ſecum de Italia incomparabiles attulerat, verum etiam quas Regalis, immo paterna munificentia de inexhauſtis Anglorum theſauris ſibi contulerat, tam deuota manu eccleſiis diuerſarum prouinciarum, & vtriuſque ſexus religioſis pauperibus, viduis, orphanis, diſtribuit, vt nec à culcitra ſerica ſuper quam in ipſa infirmitate iacebat, abſtineret, quin ipſa diſtracta pretium eius leproſis erogari iuberet. Veruntamen promptiorem ſe Beccenſi eccleſiæ quam multis cœnobiis Neuſtriæ, ne dicam omnibus in hac erogatione exhibuit, dans ei tam diuerſa donaria, materia, artificioque preciosiſſima, quæ Bizantium percara haberet, & quæ ad ſeculi terminum honora permanere valeant ſemper ipſius imperatricis Auguſtæ ſtudium & amorem erga illam eccleſiam repræſentantia, viciſſimque cordibus mihi habitantium memoriam inſignis dominæ arctius imprimentia ſingula deſcriptionibus aut nominibus deſignare, ſpacioſum foret. Voluptuoſum eſt ſpectare hoſpitibus maximis, & qui ſæpe nobilium eccleſiarum theſauros viderunt. Transiret illac hoſpes Græcus aut Arabs, voluptate traheretur eadem. Credimus autem & credere fas eſt, æquiſſimum iudicem omnium non ſolum in futuro, verum etiam in præſenti ſeculo illi centuplum redditurum, quod ſeruis ſuis manu ſicut larga, ita deuota gratanter impendit. Ad remunetatione vero inſtantis temporis pertinere non dubium eſt, quod miſerante Deo ſopita aduerſa valetudine, ſanitatem refouit, & monachos ſuos, monachos Beccenſes qui præ omnibus, & ſuper omnes pro ipſius ſoſpitate iugi labore ſupplicandi decertando pene defecerant, aura proſpere valitudinis eius afflatos omnino redintegrauit.

Quod dum deſperaret popoſcit Regem, vt Becci ſepeliretur, & de affectu eius circa eandem eccleſiam, & quod ſoſpitati reddita ſit.

Cap. XXVIII.

NEC illud ſilentio ſupprimendum, immo vt ita dicatur vncialibus litteris exaratum ſeculo venturo tranſmittendum, quod antequam conualeſceret poſtulauerat patrem ſuum vt permitteret eam in cœnobio Beccenſi humari. Quod Rex primo abnuerat, dicens non eſſe dignum vt filia ſua Imperatrix Auguſta quæ ſemel & iterum in vrbe Romulea quæ caput eſt mundi per manus ſummi Pontificis Imperiali diademate proceſſerat inſignita, in aliquo monaſterio licet percelebri & religione & fama ſepeliretur, ſed ad ciuitatem Rotomagenſium quæ metropolis eſt Normannorum ſaltem delata, in eccleſia principali in qua & maiores eius Rollonem loquor & Willelmum Longam ſpatam filium ipſius qui Neuſtriam armis ſubegerunt poſiti ſunt, ipſa & poneretur. Qua deliberatione Regis percepta, illi per nuntium remandauit animam ſuam nunquam fore letam niſi compos voluntatis ſuæ in hac duntaxat parte efficeretur. O femina in acte virtutis & conſilii ſanioris, paruipendens pompam ſecularem in corporis depoſitione. Nouerat enim eſſe ſalubrius animabus defunctorum ibi corpora ſua tumulari, vbi frequentius & deuotius ſupplicationes pro ipſis Deo offeruntur. Victus itaque pater ipſius Auguſtæ, pietate & prudentia filiæ qui cæteros & virtute & pietate vincere ſolitus erat, ceſſit, & voluntatẽ & petitionẽ ipſius de ſe ſepelienda Becci fieri conceſſit, ſed volente Deo vt præfixum eſt, ſanitati integerrimæ reſtitute conualuit. His igitur de Imperatrice Auguſta ſuo loco prout dignum eſt, commemoratis, de cæteris liberis Henrici Regis licet minus idoneo modo procreatis, propter rerum tamen notitiam aliqua vel breuiter dicamus.

Quod

Quod Henricus Rex duxit Adelizam mortua Matilde vxore ſua, & de liberis quos aliunde procreauit, quorum primogenitus fuit Rodbertus Comes Gloeceſtriæ qui hæreditatem Roberti filii Hamonis cum filia ipſius accepit.

Cap. XXIX.

MORTVA itaque ſecunda Matilde Regina Anglorum matre huius Imperatricis Auguſtæ ſicut in ſuperioribus dictum eſt, Henricus Rex duxit Adelizam filiam Godefridi Ducis Louaniæ, comitis Euſtachii Bolonienſis conſobrinam, de qua nihil poſteritatis accepit, habuit tamen idem Rex filios ſex, & ſeptem filias, licet minus honeſto vt prædiximus modo progenitos. Illorum autem primogenito Roberto pater ſuus quandam nobiliſſimam puellam nomine Sibillam, filiam Roberti filii Haimonis, neptem ſcilicet ex filia Mabilia Rogerii de monte Gummerici, patris videlicet Roberti de Belliſmo, matrimonio copulauit: concedens ei maximam hæreditatem tam in Normannia quam in Anglia, quæ præfatæ virgini hæreditario iure competebat. Ex ipſa autem genuit filios quinque, ſcilicet Willelmum ſuum primogenitum & fratres eius, & vnam filiam. Hæreditatis autem quam cum pręfata virgine idem Robertus adeptus eſt, caput eſt oppidum Torrinneium nuncupatum, in confinio Comitatuum Baiocenſis & Conſtantienſis ſitum diſtans à fluuio nomine Vira, qui prædictos Comitatus dirimit, in citeriori parte millibus ferme duobus. Quod municipium à prędicto Regis filio Roberto poſtquam in iuris eius poteſtatem redactum eſt, turribus excelſis, & mænibus robuſtiſſimis nec non & foſſatis præruptis, & in ipſo ſaxeo monte inciſis, contra omnium inimicorum conatum munitum eſt & ex magna parte aquis in piſcinas collectis vallatum & inacceſſum. Et licet terra circumiacens minus in fertilitate frugum reddenda ſit habilis, eſt tamen idem oppidum populoſum, negoriatoribus diuerſarum mercium refertum, ædificiis tam publicis quam priuatis ornatum, copia auri & argenti non egenum. Dedit etiam illi Rex terram Haimonis Dapiferi patrui videlicet vxoris ſuæ. Præterea quia parum erat filium Regis ingentia pędia poſſidere abſque nomine & honore alicuius publicæ dignitatis, dedit illi pater pius Comitatum Gloeceſtriæ. Ricardus autem huius comitis vno de parte frater, cum fratre ſuo Willelmo in ſæpedicto nauſragio periit. Alii vero tres, id eſt Rainaldus, Robertus, Giſlebertus, adhuc iuuenes ſine caſamento ſunt. Quartus ſcilicet Willelmus de Traceio, paululum poſt mortem patris rebus humanis exemptus eſt. Filiarum vero vna nomine Mathildis nupſit comiti Perticenſi Retroco. De qua genuit vnam filiam. Ipſa vero Mathildis Comitiſſa poſtmodum in ſupradicto naufragio cum fratribus ſuis ſubmerſa eſt. Alia item Mathildis nuncupata, data eſt Conano comiti minoris Britanniæ, genuitque ex ea filium nomine Hoellum & filias duas. Tertia ſcilicet Iuliana Euſtachio de Paceio: Qui habuit ex ea eos filios, Willelmum & Rogerium. Quarta, Willelmo Goieto. Quinta, vicecomiti de Bellomonte, quod caſtrum ſitum eſt in Cinomannenſi pago. Sexta, Matthæo filio Burchardi de Montemorenceio. Septima, quæ nata ex Elizabeth ſorore Waleranni comitis Mellenti, adhuc innupta permanet.

Quod decedente Gaufrido Rotomagenſi archiepiſcopo, qui Willelmo dudum ſucceſſerat, eandem ſedem adeptus eſt Hugo Abbas Radingarum.

Cap. XXX.

CIRCA hæc tempora decedente Gaufrido Archiepiſcopo Rothomagenſi, Hugo optimus Abbas Radingenſis ſucceſſit. Paruo exinde tempore exacto, Innocentius Papa ſedem Rothomagum veniens cauſa Regis Henrici, ingentibus obſequiis vt virum Apoſtolicum decebat, ab eodem Rege ſuſceptus & proſecutus eſt. Sic etiam Calixtum Papam longe antea ſe adeuntem pro cauſis eccleſiaſticis apud caſtrum ſuum Giſorz nomine in margine ſui Ducatus ſitum Regaliter procuratum, muneribus onuſtum regiis remiſerat.

De caſtellis quæ Rex Henricus ædificauit in Ducatu Normanniæ, & quod pacem non ſolum in terra ſua, verum etiam in longinquis regionibus ſua ſapientia faciebat.

Cap. XXXI.

FECIT autem Rex Henricus plurima caſtella tam in regno quam in Ducatu ſuo. Cætera vero ab anteceſſoribus ſuis conſtructa, non ſolum municipia, ſed etiam antiquiſſimas vrbes pene omnes meliorauit. Illorum autem quæ in Normannia conſtruxit in margine ſui Ducatus & confinium prouinciarum iſta ſunt nomina: Driencurtis,

curtis,

Digitized by Google

curtis, Nouum caſtrum ſitum ſuper ripam Eptæ fluminis, Vernoilum Nonanti curtis, Bonum molendinum, Colmemons, Pons Vrſonis, & alia quæ ex induſtria prætereo ne moram faciam. Pacem non ſolum in terra ſua verum etiam in longe poſitis regnis conceſſa ſibi à Deo ſapientia & bonitate tenebat. Walenſes ſemper Anglis rebelles ita ſubditos habebat, vt per omnem terram eorum vel ipſe vel ſatrapæ ſui illis inuitis munitiones ædificarent. Nec aliquam in ſuo iure munitionem haberent ipſi illo viuente, præter montem qui lingua Anglorum Snowdowne, id eſt, mons niuoſus quia ibi iugiter nix perdurat, appellatur. Vnum in ipſo quidam non immerito vt pluribus videtur reprahendum ducebant. Cum enim haberet in manu ſua nonnullorum Baronum ſuorum, & etiam vicinorum aliquorum collimitantium ſuo Ducatu munitiones, ne illi confidentes in eis aliquid contra pacem ſui Imperii agerent, illas velut proprias ambitu murorum & turribus nonnunquam muniebat. Qua autem intentione illud faceret, à multis neſciebatur, vnde idipſum reprahendebant.

De eccleſiis vel Monaſteriis quæ ædificauit & de largitate eius in ſeruos Christi, & de cæteris piis eius actibus.

CAP. XXXII.

FVIT autem inclitus Rex Henricus de cuius actibus loquimur, liberaliſſimus non ſolum potentibus huius mundi, verum etiam quod maius eſt & vtilius, hominibus religioſis. Teſtantur hoc epiſcopi, Abbates, monachi pauperes, Sanctimonialium greges, non ſolum Franciæ & Aquitanniæ, verum etiam Burgundiæ & Italiæ, qui ab ipſo annuatim plurimum emolumenti accipiebant. Ædificauit autem in Anglia à fundamentis abbatiam Sanctæ Mariæ Radingis ſuper fluuium Tamiſiæ, & ornamentis & poſſeſſionibus locupletans, monachos & ordinem Clumiaci ibi eſſe fecit. Ædificauit & aliam eccleſiam apud Cireceſtram in honorem Sancti Iohannis, & Canonicos Regulares ibidem ſtatuens, illis ſufficienter neceſſaria procurauit. Nihilominus etiam in Normannia apud Rotomagum eccleſiam Sanctæ Mariæ de Prato à matre ſua dudum inceptam pene conſummauit, clauſtro & officiis monachis congruentibus, & ambitu murorum ipſum locum decorans, nõnulla prædia tam in Normannia quam in Anglia ad opus ibidem Deo Seruientium, cum ornamentis precioſis contradidit, maiora tamen ſi aliquantum vita comes foret ſecundum ſuam promiſſionẽ largiturus. Et quia idem locus ad eccleſiam Beccẽſem pertinebat, vtpote patrimonium domini Herluini primi Abbatis & fundatoris Beccenſis monaſterii, Monachos Beccenſes illi Deo ſeruituros inſtituit. Illius enim eccleſiæ Abbates & monachos mire ſemper coluit, plurimum veneratus eſt. Maxime tamen dominum Boſonem abbatem quod nos in noſtra memoria experti ſumus, cum idem Rex daret annuatim eidem venerabili viro non minimam ſummam pecuniæ ad ſubſidium victualium ſuæ congregationis & ſuſceptionem hoſpitum, quos ille plus amplitudine caritatis quam rerum ſuarum mirifice ne dicam vltra vires ſuas procuratos honorabat. Et quamuis munificentia Regis eadem largiretur non ſolum propter abbatem, verum etiam propter bonam exiſtimationem monachorum quorum orationibus ſe commendari aut per ſe aut per aliquem nuntium fræquentius ſatagebat, illud tamen inditio eſt quod illum plus anteceſſoribus ſuis in hac duntaxat parte veneratus ſit, quod aliquando centenas libras argenteorum, ſæpiſſime centum Marcas eiuſdẽ metalli tempore regiminis prædicti Abbatis, eccleſiæ Becci deuote cõtulit, cũ antea vix ad quartam partem prætaxatæ ſummæ in dando eidem aliquid eccleſiæ perueneri. Illũ etiam ſanctitate & conſilio tã ſpirituali q̃ ſeculari, cæteris perſonis ſui regni excellere, nõ ſolum verbo, ſed opere prædicabat, præſertim cum in illo biennio quo eundem S. virum continue ante ſuã mortem graui infirmitate fatigatum, nunq̃ per vicina loca iter faciens præteriret, quin gratia viſitandi ad eũ diuerteret, & quę ipſe pro neceſſitate ſui monaſterii vel alieni ab eo peteret, gratanter impetraret. Ædificata ſunt autem tam in regno huius incliti Regis quam in remotis ab eo prouinciis ipſius conſilio & liberali munificentia nonnulla ſeruorum Dei habitacula. Eccleſiam quippe Cluniacenſem vt de minoribus taceam ſuis impenſis ex maiori parte ædificans ingentes poſſeſſiones in Anglia pro redemptione animæ ſuæ delegauit. Hoc idem fecit & eccleſiæ Sãcti Martini de Campis. Officinis quoq; monachorum tironis conſtruendis, nonnulla adiumenta præuidit, excepto dormitorio quod exin-

ex integro ipſe fieri ob memoriam ſui ex ſolummodo impenſis voluit. Necnon etiam Xenodochium elephantioſorum Carnoti manentium opus videlicet pergrande ac mirificum ipſius munificentia compleuit. Egit præterea inexhauſta ipſius largitas Alpes hactenus pene inuias, petentibus limina Apoſtolorum vel reliqua ſanctorum loca, peruias. Quid referam quod militibus Templi Ieroſolimorum, qui aſſidue pro defenſione Chriſtianæ religionis contra Agarenos decertant, plurima ſubſidia tam in armis quam & in cæteris neceſſariis deuota manu annuatim tranſmittebat? Hoſpitali etiam Ieruſalem quandam terram in pago Abrincatenſi dedit, in qua illi ſerui Chriſti vicum quendam quem vocant Villam Dei magnis priuilegiis Regia munificentia munitum ædificauerunt. Prætereo, quod eccleſia Beatæ Mariæ Ebroicæ ciuitatis, ipſius quadam pia vt ita dicatur crudelitate deſtructa, & iterum reædificata, omnes fere eccleſias Neuſtriæ, ſua pulchritudine ſuperat. Nam cum vt ſæpius dictum eſt, eadem vrbs cauſa diſcordiæ Amalrici incenſa à Rege fuiſſet, & eccleſia epiſcopalis ſedis minime ab ipſo incendio liberari valeret, Rex eidem eccleſiæ poſtmodum tanta in redditibus, conceſſit, vnde ipſa in melius renouata, & ſumma redditũum ipſius epiſcopatus hac de cauſa imperpetuum plurimum eſſet augmentata.

De obitu eius, & quod corpus eius in Angliam delatum Radingis ſepultum eſt.

Cap. XXXIII.

Longum eſſet ſingula pietatis, vel quantum ad regimen publicæ rei attinet, ſcientiæ & probitatis, ipſius geſta enumerando perſcrutari. Alterius horum eccleſia cum pauperibus ſuis, alterius curia non ſolum Anglorum: Sed & remotarum prouinciarum cum proceribus ſuis teſtis indeficiens perſeuerat. Nos igitur non immemores beneficiorum tam à ſe quam à filia ſua Mathilde Imperatrice Auguſta nobis liberaliter collatorum, ne ingrati iudicemur, licet ei in ſpiritualibus vicem pro noſtro modulo redibere aſſidue non negligamus, ſategimus vt ex paucis geſtorum eius quæ commemorauimus, plurimorum quæ non neſcientes prætermiſimus, præſentibus & futuris. Si imitari non dedignentur profuturam recordationem ſuggeremus. Deceſſit autem poſt longam regni adminiſtrationem ſæpe nominatus Henricus Rex Anglorum & Dux Normannorum 4. Nonas Decembris ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti M.C.XXXV. in Normannia apud villam Regiam ſitam in Silua Leonis quã per metonomiam Sanctũm Dionyſium vocant. Regnauit autem annis XXXV. & quatuor menſibus in Anglia. Ducatui vero Nortimanniæ præfuit annis XXIX. & menſibus quatuor. Corpus autem ipſius delatum in Angliam honorifice ſepultum eſt in eccleſia Sanctæ Mariæ Radingis, quam ipſe à fundamentis ſuis ſumptibus ædificauerat. Cui Rex ſeculorum Chriſtus precibus ſuæ genitricis indulgentiam ſuorum exceſſuum conferens beatorum gaudia miſericorditer tribuat. Qui cum patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per omnia ſeculorum Amen.

Epitaphium Regis Henrici.

Quod modicum præſtent, quod opes magnum nihil extent,
Rex probat Henricus, Rex viuens pacis amicus.
Extiterat ſiquidem præ cunctis ditior idem,
Occiduæ genti quo prætulit ordo regendi.
At necis ad peſtes, quid gemmæ pallia, veſtes,
Eſuarium terræ, quid caſtra ſibi valuerẽ.
Vilibus hinc æquam dans ſortem, pallida, nequam,
Protendendo pedem, mors eius pulſat ad ædem.
Quo dum dira febris prima ſub nocte Decembris
Mundum nudauit, mundo mala multiplicauit
Quippe pater populi, pax & tutela puſilli,
Dum pius ipſe ruit, furit impius, opprimit, vrit,
Anglica lugeat hinc, Normannica gens fleat illinc
Occidis Henrice, tunc pax, nunc luctus vtriquẽ.

Item eiuſdem.

Senſu, diuitiis, aditu, feritate decenti
Mire, plus dictu, vim perpeſſis ſceleroſis,
Excellens, locuples, haud difficilis, reuerendus,
Hic iacet Henricus rex quondam, pax decus orbis.

ITEM EIVSDEM.

Victor, ſectator, vindex, tutamen, amator,
Bellorum, pacis, ſcelerum, regni, bonitatis.
Continet hunc loculum Rex notus vbiq; locorum
Henricus pridem, tunc terror, tunc cinis idem.

De quatuor ſororibus prædicti Regis quarum Adela nupſit Stephano Comiti Bleſenſi, & de filiis ipſius Adelæ.

CAP. XXXIV.

DE filiabus primi Willelmi Regis Anglorum ſororibus incliti Regis Henrici, de cuius geſtis iam aliqua recenſuimus, libet huic opuſculo cauſa & amore ipſius fratris earum in calce libri inſerere. Primogenita igitur earum Cecilia nomine virgo Deo ſacrata in Monaſterio Sanctæ Trinitatis Cadomenſis oppidi, poſt Mathildem ipſius loci primam Abbatiſſam, illi cœnobio pluribus annis pręfuit. Secunda vero Conſtantia Alano Feregant Comiti minoris Britanniæ filio ſcilicet Hoelli qui Conano ſucceſſerat, matrimonio iuncta, abſque liberis mortua eſt. Vnde factum eſt vt idem Comes poſt ipſam duceret filiam Fulconis Rechin Comitis Andegauorum, ex qua genuit Conanum iuniorem qui ei ſucceſſit, ſicut in ſuperioribus commemoratum eſt. Occiſo autem per traditionem Gaufrido Martello viro magnæ probitatis primogenito filio prædicti Fulconis comitis Andegauorum, ſucceſſit alter filius ſuus Fulco nomine, natus ex alia coniuge nomine Berta, ſorore videlicet Amalrici comitis Ebroicenſis. Hic poſtquam accepit filiam comitis Heliæ Cinomannorum cum ipſius comitatu, & genuit ex ea duos filios, Gaufridum ſcilicet Martellum de quo iam pauca ſuperius diximus, & Heliam, & totidem filias; quarum vna nupſit Terrico comiti Flandrenſium. Mortua vxore ſua perrexit Ieruſalem, & accepta filia ſecundi Balduini Regis nouiter defuncti, factus eſt tertius Rex Ieroſolimitanorum. Siquidem capta vrbe Ieroſolima à Chriſtianis, primus præfuit illi Dux Godefridus frater Euſtachii comitis Boloniæ. Hic tamen ad reuerentiam noſtri redemptoris qui in illa vrbe coronam ſpineam pro nobis peccatoribus geſſerat, nunquam voluit Regio diademate inſigniri. Quo mortuo, Balduinus frater eius factus eſt ibi primus Rex, cui ſucceſſit alter Balduinus nepos prioris. Et illi vt diximus accepta eius filia, Fulco comes Andegauorum.

Tertia vero filiarum Willelmi Regis Adelidis Heraldo proditori ante bellum Anglicum ſponſata, ſed illo digna morte mulctato nulli nupta, virgo iam nubilis obiit. Quarta Adela vocata nupſit Stephano comiti Bleſenſi, ex qua ſuſcepit quatuor filios, Willelmum, Theobaldum, Henricum, Stephanum, & vnam filiam. Willelmus autem primogenitus honorem Sorcii regendum à patre ſuſcepit. Huius filiam duxit Henricus comes Aucenſis, filius Willelmi comitis, licet proxima conſanguinitate necterentur, natique ſunt illi ex ea tres filii, & vna filia. Tetbaldus vir per omnia laudabilis, vtpote Laicus ac viros religioſos nimio affectu venerans ac fouens, ſucceſſit patri in Comitatu Bleſenſi, Comitatum etiam Trecarum emens ab Hugone patruo ſuo, ſimul cum Carnotenſi poſſedit. Accepit aut vxorem filiam cuiuſdam Comitis Behaniæ ex qua plures filios habuit, & filias. Henricus autem frater eius à puero monachus Cluniaſenſis, poſtmodum Henrico auunculo ſuo Rege Anglorum, accepit prius dono Abbatiam Glaſtoniæ & poſtea Epiſcopatum Wintonienſem. Stephanus etiam ab eodem Rege factus eſt Comes Moritolii ipſo ſuffragante duxit vxorem Mathildem filiam Euſtachii comitis Boloniæ, neptem videlicet ſecundæ Mathildis Reginæ Anglorum ex ſorore Maria. Et quia idem Euſtachius nullum habebat filium, cauſa vxoris ſuæ ipſe Stephanus tam Comitatus Bolonię, quàm etiam magnarum poſſeſſionum quas ſocer eius habuerat in Anglia, hæres factus eſt. Genuit autem ex ea plures filios & filias: Hic autem Stephanus factus eſt Rex Anglorum poſt exceſſum auunculi ſui Henrici regis. Nam cum decederet idem Rex in Normannia, Mathildis filia ipſius quondam Imperatrix quam dudum conſtituerat hęredem ſui regni, in Andegauenſi pago cum cõiuge ſuo Gaufrido Duce ipſius Comitatus & filiis morabatur. Receſſerat enim à Normannia paulo ante mortem ſui patris, erga ipſum aliquantulum commota, quia idem Rex reconciliari nolebat impune Willelmo Taluatio, quamuis ipſa inde ei plurimum ſupplicaret. Quod non ad contemptum dilectæ filiæ faciebat, ſed ne minus timeretur ab ipſo Willelmo vel cæteris principibus ſuis, ſi propere ac leuiter iniuriam illi remitteret.

Quod Rogerius de monte Gummerici natus eſt ex vna neptium Gunnoris Comitiſſa, & de anteceſſoribus ipſius Rogerii.

Cap. XXXV.

FVIT autem hic Willelmus filius Roberti de Beliſmo natus ex filia Widonis Comitis Pontini. Qui Robertus ob nimiam crudelitatem ipſi Regi & cæteris multis ſapientibus viris exoſus habebatur. Ipſo denique in vinculis poſito in quibus & defecit, Rex Henricus nobiliſſimum oppidum eiuſdem nomine Belliſmum cæpit, & illud Rotroco Comiti Perticenſi genero ſuo dedit, licet pagus Belliſmenſis non ad Ducatum Normanniæ pertineret, ſed ad regnum Francorum, dederat tamen dominium eiuſdem pagi vel vt quidam dicunt vendiderat dudum Philippus Rex Francorum cognato ſuo Willelmo ſeniori Regi Anglorum & Duci Normannorum. Iuo autem de Beliſmo anteceſſor huius Roberti fuit vir potens & ſapiens, cuius conſilio primus Richardus dum adhuc puer teneretur in cuſtodia Regis Francorum ereptus eſt agente Oſmundo armigero ipſius pueri. Huius autem Iuonis fuit filius Willelmus de Beliſmo qui genuit alium Willelmum cognomento Talauatium, patrem Mabiriæ. Hanc Mabiriam Rogerius comes filius Hugonis de Monte gummerici accepit in vxorem cum tota hæreditate patris ipſius, quam habebat ſiue in Belliſmenſi pago ſiue Semenſi vltra fluuium Sartæ. Ipſe autem Rogerus natus eſt ex quadam neptium Gunnoris Comitiſſæ * vnde & ipſe ingentes poſſeſſiones habuit in diuerſis regionibus Normanniæ. Genuit autem ex ipſa Mabiria quinque filios & quatuor filias. Succeſſit vero eidem Robertus de Belliſmo filius eius, vir per omnia nefarius, qui ex filia Widonis Comitis Pontini ſicut iam diximus genuit Willelmum Talauatium ſucceſſorem ſuum. Hic Talauatius habuit ex Ala vxore ſua quæ fuerat antea vxor ducis Burgundiæ, duos filios, & totidem filias.

* *MS. Liber ſc. ex Iocellina filia Weuina.*

Filiorum vero primogenitus Wido patre viuente factus eſt Comes Pontini. Filiarum autem vna Iuhello filio Walterii de Meduana nupſit, ex qua habuit plures filios. Altera vero tertio Willelmo de Warenna Comiti videlicet Surreiæ. Prædictus autem Rogerus de Montegummerici bello Anglico interfuit, & à Willelmo Rege Anglorum Comitatus Arundelli & Salopeſberiæ dono accepit.

Relatio quomodo ipſa Gonnor primo Ricardo Duci Normanniæ copulata fuerit matrimonio.

Cap. XXXVI.

ET quia de Gunnore Comitiſſa fecimus mentionem cauſa matris Rogerii de Montegummerii, quæ fuit neptis eiuſdem Comitiſſæ, liber literarum memoriæ commendare ſicut ab antiquis didici, qualiter ad coniugium Comitis Ricardi eadem Gunnor acceſſerit. Igitur Ricardus Comes audita fama pulchritudinis coniugis cuiuſdam ſui foreſtarii manentis haud procul ab oppido Arcarum villa quæ dicitur Schecheuilla, ex induſtria iuit venatum illuc, volens probare ſi verum eſſet quod relatione quorundam perceperat. Hoſpitatus igitur in domo foraſtarii illectuſque venuſtate vultus vxoris ipſius, præcepit hoſpiti ſuo quod ipſa nocte adduceret ad cubiculum ſuum vxorem ſuam Sainfriam: Sic enim vocabatur. Quod cum ille eidem triſtior retuliſſet, illa vt ſapiens mulier conſolata eſt eum, dicens ſe ſuppoſituram in loco ſuo Gunnorem ſororem ſuam virginem quamplurimum ſe ipſa pulchriorem. Quod & factum eſt. Cognita denique tali fraude delectatus eſt Dux, quod non incurriſſet peccando in alienam vxorem. Genuit itaque ex Gunnore filios tres, & totidem filias, vt in libro qui de geſtis eiuſdem Ducis ſcriptus eſt ſuperius inuenitur. Cum vero idem comes quendam filium ſuum nomine Robertum vellet fieri Archiepiſcopum Rotomagenſem, reſponſum eſt ei à quibuſdam, hoc nullatenus ſecundum ſcita Canonum poſſe, ideo quod mater eius non fuiſſet deſponſata. Hac itaque cauſa comes Ricardus Gunnorem Comitiſſam more Chriſtiano ſibi copulauit, filiique qui iam ex ea nati erant interim dum ſponſalia agerentur, cum patre & matre pallio cooperti ſunt, & ſic poſtea Robertus factus eſt Archiepiſcopus Rotomagenſis.

Quomodo eadem Comitiſſa ſorores ſuas & neptes nobilioribus Normannorum in coniugium tradidit & de poſteritate earundem.

Cap. XXXVII.

IPSA autem Gunnor excepta Sainfria habuit duas ſorores, Weuiam & Duuelinam. Alteram quarum adminiculante ipſa Comitiſſa quæ fuit femina magnæ prudentiæ, nupſit

nupſit Turulfo de Ponte Audomari, qui fuerat filius cuiuſdam nomine Torf, à quo etiam vſque nunc quædam villæ cognominatæ ſunt Torfuillæ. Huius Turulfi frater fuit Turchetillus pater Auſchetilli de Harecurt. Genuit autem ex eadem idem Turulfus Humfridum de Vetulis, patrem Rogerii de Bellomonte. Tertia autem ſororum Gunnoris Comitiſſæ, nupſit Osberno de Bolebec, Ex qua genuit *Walterium Giffardum primum, & Godefridum patrem Willelmi de Archis. Hic autem Willelmus pater fuit Mathildis quam Willelmus Camerarius de Tancaruilla habuit vxorem, ex qua genuit filium nomine Rabellum qui ei ſucceſſit. Prædictus autem Galterius duxit vnam filiarum Girardi Flatelli, alteram vero Baſiliam relictam Rodulphi de Waceio habuit Hugo de Gornaco, de cuius ſucceſſione & poſteritate ſuperius dictum eſt. Genuit autem idem Galterius ſecundum Galterium Giffardum, & filias plures, quarum vna nomine Rohais nupſit Ricardo filio Comitis Giſleberti: qui Giſlebertus fuerat filius Godefridi Comitis Aucenſis, naturalis videlicet filii primi Ricardi ducis Normannorum. Hic Giſlebertus habuit duos filios prædictum Ricardum & Baldvinum. Baldvinus etiam genuit tres filios Ricardum Robertum & Willelmum, & totidem filias. Ricardus autem frater Baldvini genuit ex Rohias quatuor filios, Giſlebertum, Rogerium, Walterium, Robertum & duas filias, altera quarum matrimonio copolata eſt Rodulfo de Telgeriis natique ſunt ex ea Franſuato, Henricus, & Robertus Giffardus. Giſlebertus qui illam terram quam pater eorum habuerat in Anglia poſt ipſum adeptus eſt, Rogerius enim frater eius terram de Normannia obtinuit. Hic inquam Giſlebertus ex filia comitis de Claromonte habuit tres filios Richardum qui ei ſucceſſit, & Giſlebertum & Walterium, & vnam filiam nomine Rohais. Ricardus autem duxit ſororem comitis Rannulfi iunioris comitis Ceſtriæ, & habuit ex ea tres filios, Giſlebertum qui ei ſucceſſit & fratres eius.

*Galterium.

Ipſe autem Ricardus immatura morte obiit peremptus à Walenſibus, qui immaniter audita morte Henrici Regis, contra Anglos rebellauerunt. Mortuis autem abſque liberis Rogerio & Walterio patruis ſuis, Giſlebertus filius Giſleberti, hæreditario iure ipſis etiam concendentibus, terras eorum adeptus eſt. Idem vero ſororem Walerani Comitis Mellenti nomine Elizabeth duxit, ex qua genuit filium primogenitum nomine *Richardum. Roberto autem filio Richardi ſucceſſit filius ſuus primogenitus, natus ex quadam filiarum Walleui comitis Huntedoniæ. Habuit autem idem Waldeuus tres filias ex vxore ſua filia Comitiſſæ de Albamarla, quæ Comitiſſa fuit ſoror vterina Willelmi Regis Anglorum ſenioris. Harum autem filiarum comitis Waldeui primogenitam accepit Simon Siluanectenſis cum Comitatu Huntedoniæ, & genuit ex ea vnum filium vocatum Simionem. Mortuo autem Simone Comite, Dauid frater ſecundæ Mathildis Reginæ Anglorum duxit vxorem eius, ex qua ſuſcepit vnum filium ſcilicet Henricum. Sublatis autem de medio fratribus eius Dudecano & Alexandro Regibus Scotorum, ipſe idem regnum ſuſcepit. Aliam vero ſcilicet Iudith Rodulphus de Toeneio ſicut iam dictum eſt duxit vxorem. Tertiam Robertus filius Ricardi, ſicut modo commemorauimus.

*Hic ille Richardus eſt qui comes Pēbrochiæ & cognomento Strongbowe Hiberniam primus Anglis aperuit.

Et quoniam de ſororibus Gunnoris Comitiſſæ fecimus mentionem, libet etiam de illis qui ſecundo gradu conſanguinitatis affines eidem fuere, prout ab antiquis accepimus aliqua dicere. Habuit ergo ex fratre ſuo Herfaſto eadem Comitiſſa nepotem Osbernum de Crepon patrem videlicet Willelmi Comitis Herefordiæ, viri per omnia laudabilis. Nepotes vero plures prędicta Gunnor habuit, ſed ſolummodo de quinque quibus maritis nupſerint audiui. Vna itaque earum matrimonio copulata eſt patri primi Willelmi de Warenna ex qua natus eſt idem Willelmus poſtea Comes Surreiæ, & Rogerius de mortuo mari frater ipſius. Altera Nicholao de Baſcheruilla, ex cuius poſteritate natus eſt Willelmus Martellus, & Walterus de Sancto Martino. Tertia Richardo Vicecomiti Rothomagenſi, patri videlicet Lamberti de Sancto Sidonio. Quarta Oſmundo Centumvillis Vicecomiti Vernonii, ex qua natus eſt primus Fulco de Aneio, & plures filię quarum vna mater fuit primi Balduini de Reuers. Quintam Hugo de Montegummeri duxit, ex qua natus eſt Rogerius pater Rodberti de Belleſmo.

Qua occaſione Stephanus Comes Moritolii nepos Henrici Regis ei in regnum ſucceſſit.

Cap. XXXVIII.

SED vt redeamus ad ea vnde digreſſi ſumus cauſa harum genealogiarum, obeunte Henrico Rege Anglorum, ſucceſſit ipſo menſe deceſſionis eius Stephanus nepos eius. Nam cum degeret idem Comes in Bolonienſi comitatu, audita morte auunculi ſui velociter transfretans, auxilio Henrici fratris ſui Wintonienſis epiſcopi coronam regni adeptus eſt. Erat enim vt prædictum eſt tunc temporis Mathildis hæres ipſius Regis in Andegauenſi pago.

Obtinuit tamen ipſa Damfrontem, & Argentomagum, & Oximum caſtella ſui patris & alia tria ſcilicet Colmiemontem, & Gorram, & Ambreras, quæ interim conceſſit Iuhello de Meduana, hac conditione, vt ipſe eam fideliter iuuaret in adquirendo ſuam hæreditatem. Dicebat enim idem Iuhellus, illa tria oppida videlicet quæ vltimo nominauimus, eſſe in ſua terra.

Filia autem Adelæ filiæ Willelmi Regis Anglorum de qua ſuperius fecimus mentionem, nupſit Ricardo Comiti Ceſtrenſi, filio Hugonis Comitis, qui Hugo fuit filius Ricardi Vicecomitis Abrincatenſis pagi. Cum vero Ricardus & vxor eius in ſæpedicto naufragio cum Willelmo filio regis Henrici mortui fuiſſent, Ranulphus vicecomes Boiocaſini conſobrinus ipſius Ricardi adeptus eſt Comitatum eius. Mortuo autem eodem Ranulpho, ſucceſſit ei item Ranulphus filius eius, vir in rebus bellicis ſtrenuus. Huius autem Ranulphi ſororem duxit Ricardus filius Giſleberti, ex qua ſuſcepit tres filios. Ipſe denique Ricardus peremptus eſt à Walenſibus vt præfixum eſt. Prædictus autem Ranulphus Comes accepit vxorem Mathildem filiam Roberti Comitis Gloceſtriæ, ex qua genuit duos filios Hugonem & Ricardum.

Quomodo Adela Comitiſſa Bleſenſis habitum Sanctimonialis & conuerſationem Marciniaci tempore Domini Petri Abbatis Cluniacenſis accepit, & quod ſecundo anno poſt mortem Henrici Regis Anglorum fratris ſui mortua eſt.

Cap. XXXIX.

MORTVO autem Stephano Comite Bleſenſi marito Adelæ filiæ Willelmi Regis Anglorum, ipſa aliquandiu nobiliter rexit Comitatum quia filii ſui adhuc minus habiles ad procurandum regimen erant. Quibus adultis ipſa Sanctimonialis habitum & conuerſationem tempore Domini Petri Cluniacenſis Abbati Marciniaci aſſumens laudabiliter ibidem in Dei ſeruitio vſque ad finem perſeuerauit. Deceſſit vero ſecundo Anno poſt mortem Henrici fratris ſui Regis Anglorum.

De vento vehementi qui accidit ante mortem Henrici regis, & quod plurimi principum Anglici Regni defuncti ſunt ipſo anno vel ſequenti, quo Rex Henricus mortuus eſt.

Cap. XL.

EO anno quo idem rex Henricus humanis rebus ſubciactus eſt, factus ventus vehemens in Normannia, & in aliis pluribus regionibus paulo ante mortem ipſius, ſcilicet vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ. Non multum vero poſt mortem eius tempore tranſacto, id eſt, ipſo anno vel ſequenti, mortui ſunt plures ex principibus Anglici regni iudicio Dei videlicet Willelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Epiſcopus Roueceſtriæ, Epiſcopus Exonienſis, Ricardus filius Giſleberti, vt iam dictum eſt. Robertus filius Ricardi patruus eius, Ricardus filius Balduini conſobrinus horum duorum vltimo nominatorum nec non & ſecundus Willelmus de Warenna comes Surreiæ. Cui ſucceſſit tertius Willelmus filius eius natus ex Elizabeth filia Hugonis magni comitis Viromandorum. Fuit autem primo iuncta prędicta Comitiſſa Roberto comiti Mellenti, & ex ea habuit tres filios, & totidem filias.

De filiis Roberti Comitis Mellenti, & filiis Henrici fratris eius Comitis Warwic.

Cap. XLI.

FILSORVM vero duo ſcilicet Wallerannus & Robertus qui gemelli fuerunt, ſucceſſerunt ei. Wallerannus ſiquidem primogenitus ſuſcepit Comitatum Mellenti, & terram quam pater eorũ habebat in Nortmannia. Robertus vero Comitatum

Legie-

Legiecestræ in Anglia. Nupſit autem mater eorum mortuo priore marito ſecundo Willelmo de Warrenna Comiti Surreiæ, ex qua ſuſcepit vnum filium ſcilicet Willelmum tertinm & duas filias. Fliarum vero primogenitam accepit vxorem comes Rogerus de Warwic. fuit autem idem Rogerus filius Henrici comitis fratris Roberti comitis Mellenti, natus ex Margareta ſorore Rotroci Comitis de Pertico. Genuit autem ex ea Henricum & plures alios, & duas filias. Prędictus denique Rogerus ſucceſſit patri in Comitatum Warwic. Quidam vero fratrum ſuorum natus poſt ipſum ſcilicet Robertus de Nouoburgo, habuit terram quam pater eorum habuerat in Normannia. Hic Robertus fuit amator intimus & benefactor Beccenſis eccleſiæ. Hic accepit vxorem ſororem Rogerii de Toenio filiam ſecundi Rodulfi Godehildem nomine, ex qua habuit plures filios, ſcil. Henricum & fratres eius.

De obitu Domini Boſonis Abbatis Beccenſi, & de ſucceſſore eius.

CAP. XLII.

CIRCA hæc tempora Dominus Boſo quartus Abbas Becci vir per omnia laudabilis vitæ deceſſit, & Terbaldus ſucceſſit prior eiuſdem loci. Willelmus etiam dux Aquitanorum non multo poſt mortuus eſt. huius filiam vnicam cum ipſius Ducatu Ludouicus filius Regis Francorum accepit in vxorem, mortuoque Ludouico patre ſuo ipſo anno Calend. Auguſti, ſucceſſit idem Ludouicus iuuenis, factus Rex Francorum & Dux Aquitanorum anno ab incarnatione Domini M.C.XXXVII. quo anno fuit maxima ſiccitas. Eodem anno mortuus eſt Lotharius Imperator Romanorum & Alemannorum, cui ſucceſſit Corradus nepos Henrici quarti qui ante Lotharium imperauerat.

Paucis de pluribus de memorato illuſtri Rege Henrico tactis ſuccinctè potius quam proſequutis miraculum quoddam dignum non minus fructuoſo relatu quam admirabili ſubnectendum cenſuimus. quod etiam quaſi ad caput hiſtoriæ compulit nos reuerti.

CAP. XLIII.

QVANTÆ humilitatis Rollo fuit poſtquam fidem Chriſti ſuſcepit, ex vna re quam fecit patenter cunctis innotuit. Quodam tempore poſtquam pacificatus eſt cum rege Franciæ venientes ad eum homines Rotomagi cæperunt eum rogare vt de Francia faceret corpus Sancti Audoeni redire, quod propter timorem eius illuc olim fuerat tranſlatum antequam cæpiſſet Normanniam. Triſtes inquiunt & multum dolentes ſumus, quod ſic Archiepiſcopum noſtrum perdidimus. Hoc audiens Comes mandauit Regi Franciæ, vt ei presbiterum ſuum redderet. Qui ſi non faceret, proculdubio ſciret, quod nullo modo cum illo pacem habere poſſet. Rex autem Franciæ nolens ei de hac re facere moleſtiam reddidit ei ſicut petebat ſuum presbiterum. Dux ergo pręcepit, vt inde reduceretur corpus Sancti Audoeni ſuæque redderetur eccleſiæ vnde fuerat aſportatum. Monachi ergo qui cuſtodes eius fuerunt dum in Francia fuit, reportauerunt illud vſque ad quandam villam ad vnam leugam ab vrbe Rotomagi. Quo cum perueniſſent, non parum de via laſſati manſerunt ibidem illa nocte mane ſurgentes ſi poſſent Sanctum Audoenum ad ſuum locum reportarent. Cum itaque mane ſurgerent, cumque ad ciuitatem portare vellent, nullo modo potuerunt. Tunc triſtes monachi nimiumque dolentes de hoc quod illis acciderat mandauerunt, ciuibus quid Sancti Audoeni corpus nullo modo poterant mouere de loco illo vbi iacuerat illa nocte. Quod cum Comiti qui tunc apud Rotomagum erat fuiſſet nuntiatum, reſpondit, quia merito hæc tribulatio de corpore Sancti Audoeni eis accidiſſet, quia ſi recte cogitaſſent, ſenſumque rectum habuiſſent, cum proceſſione & cum magna deuotione illi obuiare debuiſſent. Poſt hæc præcepit Comes Archiepiſcopo, omnique populo Rotomagi, vt in laneis veſtibus & nudis pedibus cum eo ad Sanctum Audoenum pergerent, eiuſque pietatem quam deuotius poſſent exorarent quatenus ad ſtultitias eorum vel negligentias non reſpiceret, ſed propitius illis eſſet, ſeque de illo loco ad ciuitatem vbi archiepiſcopus fuerat transferri permitteret. Tunc ipſe Dux primus ſicut cæteris pręceperat in Laneis veſtibus & nudis pedibus vſque ad villam in qua Sanctus Audoenus erat peruenit. Quo cum perueniſſet, protinus cum omni populo qui cū eo erat coram feretro eius proſtratus, hæc orando dixit. Sanctæ Audoenæ bone Archiepiſcope & aduocate noſter, permitte corpus veſtrum ad ciuitatem transferre, vbi præſulis officio functus fuiſtis, & ſacras benedictiones ſæpius feciſtis, & ego do eccleſiæ veſtræ & vobis

totam terram quæ adiacet ab iſto loco vſque ad mænia ciuitatis. Tunc continuo Comes & populus ſummiſſis humeris feretrum in quo Sanctum corpus erat facilime deportare cæperunt, & ſic vſque ad eccleſiam ſuam gaudentes & exultantes deportauerunt. Ex huius rei euentu dixerunt quidam illam villulam Longum peanum, eo quod Comes illuc tam iter nudis pedibus feciſſet, Si quis hoc factum non eſſe ſignum magnæ humilitatis aſſerit de eo dici veraciter poreſt, quia quid ſi magna humilitas neſcit.

Cap. XLIV.

Qvidam vero aliud dicitur eidem Comiti accidiſſe eo tempore quo primum pacificatus eſt cum Rege Franciæ. Quadam die cum eſſet idem Dux apud Rotomagum, ad veſperam ipſius diei ſtabant plurimi homines ante domos ſuas quæ erant iuxta ripam Sequanæ. Illic ergo cum eſſent, eandemque aquam aſpicerent, viderunt vnum equitem tranſire ſuper aquam quaſi iret ſuper terra, & vſque ad eos peruenientem. Hac ergo de re non parum obſtupefacti cum ad eos perueniſſet, cæperunt inquirere ab eo quis eſſet, vel vnde rediret ille vero reſpondens, videtis inquit quod ego vnus homo ſum & hodie multum mane diſceſſi de Retnis in Britannia, Abrincis vero ad ſextam hora comedi, ad veſperam autem huc vſque ſicut videtis perueni, Et ſi mihi non creditis, ite & in domo in qua pranſus ſum cultellum meum quem ibi ignoranter dimiſi, inuenietis. Tunc mandauerunt Comiti qui ſicut dixi tunc erat in ciuitate, de illo homine qui ſic tranſierat ſuper aquas: ſine nulla læſione, Comes vero rem audiens tam inſuetam, mandauit ei, vt ſibi loqueretur antequam recederet. Tunc ille remandauit comiti, quia in craſtino eum vſque ad primam expectaret. Verum in craſtino mane ſurgens viam ſuam tenuit & nihil locutus eſt comiti. Comes vero vt audiuit illum ita receſſiſſe, dixit eum mentitum eſſe, & ideo putare illum aliquid fantaſma eſſe, qui ſic eos voluiſſet deludere. Tunc dixerunt quidam qui affuerunt, quia ſicut eis videbatur non ementitus eſſet, quia non de prima comitis, ſed de ſua prima ei mandaſſet. Prima enim eius multo citius fuerat quam prima comitis, & ideo verum fuit quod dixit. Dum tamen in illa nocte ad focum hoſpitis ſui ſederet, & ille de multis eum interrogaret, & maxime de illo Comite, ſi generatio illa diu maneret, reſpondit illam diutius manere, illorumque Ducatum vſque ad ſeptimam generationem viriliter durare.

Cum itaque hoſpes inquiſiſſet quid poſt ſeptimam generationem futurum eſſet, nihil voluit reſpondere, ſed de vno lignulo quod manu tenebat, cæpit per cineres foci quaſi ſulcos faceres. Et cum hoſpes ſuus vehementer ab illo exiget, quid poſt ſeptimam generationem veniret, de illo lignulo quod manu tenebat commiſcuit ſulcos quos in cineribus fecerat. Ex quo arbitrati ſunt quod poſt ſeptimam generationem ille Ducatus vel deficeret, vel magnas pateretur diſſenſiones, & tribulationes. Quod nos iam ex magna parte impletum videmus qui Henrico Regi, qui huius proſapiæ loco ſeptimus fuiſſe dignoſcitur, ſuperuiximus. Rollo enim huius genealogiæ primus fuit. Willelmus Longaſpata filius eius ſecundus. Ricardus vero huius Willelmi filius, tertius Ricardus vero Richardi filius quartus. Robertus filius Ricardi quintus. Willelmus filius Roberti, qui non ſolum Normanniam ſed etiam Angliam poſſedit, in ſexto loco ſucceſſit. Poſt illum in ſeptimo gradu fuerunt filii eius, ex quibus ſolus Henricus ad vltimum Normanniam & Angliam poſſedit vſque ad mortem.

Cap. XLV.

In concordia quæ facta eſt inter Francos & Normannos tempore primi Ricardi, cum redditus eſt Ludouicus Rex Francorum qui captus fuerat à Normannis auxerunt Dani Normanniam, ab aqua quæ vocatur Andella, vſque ad aliam aquam quæ vocatur Eita.

Alii tamen dicunt ab Eita vſque ad Iſaram. Conſtitutum eſt etiam in illa concordia quod comes Normanniæ nullum faciet ſeruicium Regi Franciæ de terra Normanniæ, neque ei aliter ſeruiret niſi Rex Franciæ daret ei fædum in Francia vnde ei ſeruire deberet. Quapropter Comes Normanniæ de Normannia tantummodo facit hominum & fidelitatem Regi Franciæ de vita ſua, & de ſuo terreno honore.

Digitized by Google

Cap. XLVI.

SIMILITER Rex Franciæ facit fidelitatem & de ſua vita, & de ſuarum rerum honore Comiti Normanniæ. Et nihil aliud differt inter illos, niſi quod homagium non facit Rex Franciæ Comiti Normanniæ, ſicut comes Normanniæ Regi Franciæ facit. Hanc libertatem adquiſiuerunt tunc Dani parentibus ſuis comitibus Normanniæ.

Cap. XLVII.

DE Ricardo filio primi Ricardi dicitur, quod fuerit pater patriæ, & maxime monachorum. Toto enim tempore eius habundauit Normannia omnibus bonis, & tanta pax fuit in Normannia eius tempore, vt neque etiam Carrucarii de campis ſuis auderent ferramenta carrucæ ad domos ſuas reportare, & ſi alicui furata eſſent, præceperat Comes vt ad eum veniret, & quicquid furto perdidiſſet, ipſe ex integro totum redderet. Accidit ergo quoddam ſimile in illius tempore facto cuidam ataui ſui Rollonis. Cum enim audiſſet cuiuſdam carrucarii vxor interdictum Ducis, quadam die furata eſt cultrum & vomerem aratri, probare volens quid ex hoc Comes ageret. Ruſticus vero in craſtino veniens ad carrucam ſuam, & vtenſilia ſua non inueniens, venit ad Comitem, eique retulit quod ſibi accidiſſet. Cui Dux iuſſit dari denarios, vnde poſſet damnum reparare. Ille itaq; rediens domum, retulit vxori ſuæ, quid ei Comes feciſſet. Cui illa: modo bonum eſt, quia & ipſe denarios, & quod perdiderat ipſa haberet. Quo audito ne infideliter ageret, reportauit Comiti denarios, quos ei dederat, eiq; retulit quid ſua vxor feciſſet. Comes vero retinens illum aliquanto tempore, miſit & præcepit, vt vxori eius eruerentur oculi, propter furtum quod fecerat. Cum itaq; ruſticus domum rediret, inueniens vxorem ſuam merita pœna multatam, cum indignatione dixit ei: Noli amplius furari, & amodo diſce obſeruare præcepta Comitis. Hic Comes multum ampliauit terris & ornamentis Eccleſiam Fiſcanni, quam pater ſuus primus Ricardus ædificauerat. Ibi etiam erat ſolitus fere omni tempore ſuam curiam in Paſchali ſolemnitate tenere, & aliquando in ipſa ſolennitate ſolebat vnam tinam plenam textis, & thuribulis, candelabris, & quibuſdam aliis ornamentis, & coopertam quodam optimo pallio ipſe & vxor ſua ante altare ſanctæ Trinitatis portare, ipſaq; pro ſuis peccatis Deo ibi offerre. Ipſa vero die poſt miſſas, antequam ad curiam ſuam iret, atque cum baronibus ſuis comederet, veniebat cum duobus filiis Ricardo & Roberto in refectorium monachorum, & prædicti pueri afferentes de feneſtra coquinæ ſcutellas, ſicut ſolent monachi facere, porrigebant patri ſuo, & ipſe per ſeipſum prima fercula ante Abbatem & poſtea ante monachos ponebat. Quod cum egiſſet, cum magna humilitate veniebat ante Abbatem, & ſic ab eo accepta licentia, lætus & gaudens ibat ad curiam ſuam. Aliquando vero mittebat de ſua menſa Abbati ſcutellam argenteam plenā piſcibus, & mandabat ei, vt eam retineret, atque inde ſuam voluntatem faceret. Hic autem Ricardus nō ſolum Eccleſiæ Fiſcanni multa dedit, ſed etiam aliis Eccleſiis. Quadam enim die cum veniſſet Gimegias, ibidem ea nocte quieuit. Mane vero ſurgens, ſicut ſua conſuetudo ſemper erat, perrexit orare ad monaſterium, & poſt orationem ſuper altare vnum lignulum poſuit, recedente vero illo, venerunt ſecretarii ad altare, putantes ſe ibi eſſe inuenturos vel marcam auri, vel vnciam, vel aliquid huiuſmodi. Itaq; inuenerunt lignulum, atque quid ſignificaret non parum mirari cœperunt. Ad vltimum inquirunt ab eo, quid hoc eſſet, quod ſuper altare illud poſuiſſet. Tunc reſpondit, quod hoc eſſet in monaſterium, ſcilicet quoddam manerium, quod illis pro anima ſua dabit.

Animæ Ducum Northmanniæ & omnium fidelium requieſcant in pace, Amen.

TOPOGRAPHIA HIBERNIÆ, SIVE DE MIRABILIBVS HIBERNIÆ, AVTHORE SILVESTRO GIRALDO CAMBRENSE.

PRAEFATIO IN HIBERNICAM TOPOGRAPHIAM prima.

CONSIDERANTI mihi, quam breuis & fluxa ſit vita, quam ducimus: eorum præclara fuiſſe videtur intentio, quibus nondum patefacta vitæ via, operæ pretium fuit & curæ, egregium aliquod mundo memoriale relinquere, famamque ſui perlongam facere, & momentaneam iſtam ſaltem memoria viuere poſſe poſt vitam. Vnde in egregiis legitur Poetarum libris:

Deniq; ſi quis adhuc prætendit nubila liuor
Occidet, & meriti poſt me referentur honores. Et alibi:
Quaq; patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi, perq; omnia ſæcula fama
Si quid habent veri vatum præſagia viuam.

Hæc ſummis authoribus prima fuit & præcipua ſcribendi occaſio. Altera vero nec merito minus quam numero ſecunda: nobilium principum tam retributio, remuneratio, quam exhortatio. Honores enim artes nutrire ſolent:

Nam ſi Vergilio puer, & tolerabile deſit
Hoſpitium, caderent omnes à crinibus hydræ. Item:
Quis locus ingenio, niſi cum ſe carmine ſolo
Vexant, & dominis Cyrrha Niſæq; feruntur
Pectora noſtra, duas non admittentia curas.

Philoſophia tamen tam mediocritatis amica, quam modeſtiæ, nec opulentia gaudens, nec inopiam admittens: in Salomone damnaſſe videtur. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi Deus, ſed tantum victui neceſſaria. Licet enim mediocribus eſſe Poetis non liceat, quoniam

Non dii, non homines, non conceſſere columnæ:

mediocris tamen competit eis, etſi non ſcientia, certe ſufficientia. Ceſſante igitur olim occaſione ſcribendi hac vltima: ceſſare cœperunt & poemata. Nec tamen omnino vel poeſis abolita, vel abſumpta eſt philoſophia: Nec rerum inclyte geſtarum memorabilis authoritas obſoleuit. Non enim deſunt literæ: ſed principes literati. Non deſunt artes: ſed artium honores. Nec hodie deſtitiſſent ſcriptores optimi: ſi non defuiſſent Imperatores electi. Da igitur Pyrrhum: dabis Homerum. Da Pompeium: dabis & Tullium: Da Caium & Auguſtum: Vergilium quoque dabis & Flaccum. Ceterum, quamuis defectu principum ceſſet in nobis cauſa ſecunda: ſcribere nos tamen prior illa admonet, & potiſſima. Hoc etiam animoſitatis tam ſcintillam adiicere, quam & innatum ignem inflammare poteſt: quod tantis authoribus & tot innitentes, eorumque tanquam humeris inſidentes: multiplicatæ maieſtatis beneficio magni fieri poſſumus, ſi magnanimi. Nobiles nimirum auſus nihil æque impedit, vt diffidentia. Omnis appetendi conatus perit, ex deſperatione conſequendi. Later ab hoc ſub ocio laudabilis plerunque virtus & eruditio: & dum ſe probandi formidat exercitum, occulta manet lux tota meritorum. Hinc accidit, vt ſcientiſſimi, plurimiq; ſe neſciendo ſeneſcant: & dum vires ingenii non experiuntur: igne animi vacui, veluti pecora pereunt: & nomen eorum non memorabitur vltra. Vnde & quoniam paulum ſepultæ diſtat inertiæ celata virtus: Degeneres animos timor arguit: Dimidium facti, qui cœpit, habet: Audaces fortuna iuuat: ſcribere propoſui, & liuidorum malitia ridiculoſus cenſeri, potius quam bonorum arbitrio periculoſus, elegi. Illo quoque Ciceronis exemplo retardari non potui. Ea, inquit, de re poemata non ſcribo, quia qualia volo, non poſſum: qualia poſſum, nolo. Mihi enim vero ea mens eſt, & in hanc partem tam vehemens:

Cum neq; chorda ſonum reddat, quem vult manus & mens:
Nec ſemper feriat, quodcunq; minabitur arcus:

Si qualia volo non poſſum, qualia poſſum volo. Præſumptuoſus itaque dicar an pro-

uidus:

Digitized by Google

uidus: qui tantis lucubrationibus elaborandum mihi onus arripui: vt inuidiam in vita, gloriam forte poſt fata comparatem? Talia ſiquidem mihi dudum proponenti, diuq; in animo anxie voluenti: vix tandem angulus vnus, quaſi ab aliis relictus, terrarum ſcilicet finis, Hibernicus orbis occurrit. Nec ille omnino intactus: nullius tamen hactenus ſtylo abſolute comprehenſus.

Sed ab Hibernia poteſtne aliquid boni eſſe? nunquid montes illi ſtillabunt dulcedinem: & valles fluent mel & lac? Sugamus ergo mel de petra, & oleum de ſaxo. Et faciamus, quod Oratores facete ſolent. Quibus in admirabili genere cauſæ acuenda ſunt præcipue arma facundiæ, vt exilitatem materiæ grauior ſtylus attollat. Et ferat inualidæ robur facundia cauſæ.

Quibus eſt ad hoc propenſius enitendum: vt in quo non præualent eſſe fœcundi, fieri valeant vel facundi: vt in quo parum potuit ratio, plurimum poſſe videatur oratio. Hæc eſt enim virtus, hic vigor eloquentiæ, vt nihil tam exile, quod non extollat: nihil tam plenum, cui non adiiciat: nihil tam obſcurum quod nō illuminet: nihil tam clarū, quod non illuſtret. Quia (vt ait magnus ille prætextatus in Paradoxis) nihil tam incredibile, quod non dicendo probabile fiat: nihil tam horridum, & tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. Veruntamen eruditis auribus, ſummæque eloquentiæ viris: & minus medullata ſententiis oratio, & ieiuna verborū macies, quæ propinabit? Superuacaneum eſt enim, & omnino ſuperfluum, tam inter eloquentes arida: quam inter ſcientes vſitata proferre. Quam igitur vocem inter olores canoros, clamoſus anſer emittet? Noua namque palam, an nota proponet? frequentata & trita faſtidium generant, authoritatem noua non habent. Quoniam, vt ait Plinius, ardua res eſt, vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, faſtiditis gratiam, obſcuris lucem, dubiis fidem, & omnibus naturam. Aggrediar tamen vtcunque nouis quibuſdam, & quæ vel nullis hactenus edita ſunt, vel perpaucis enucleata, lectoris animum excitare: expreſſamque Hyberniæ topographiam hoc opuſculo quaſi ſpeculo quodam dilucido repræſentare: & cunctis in commune palam facere.

Terrarum enimuero remotiſſimarum tam qualitates quam ſitus ſaltem à longe ſpeculari, & abditas ab antiquo proprietates euoluere: Rerumq; omniū fere quas vel mundo maiori ad ornatum, vel minori ad vſum natura produxit, tam naturas quā defectus, enodare: nec non & naturæ ipſius excurſus tā ſtupendos explicare: variatumq; gentium originalem à puncto lineam ducere: hominumq; mores noſſe multorū. Et (quoniā tarda & infirma eſt terra quam gerimus) parte noſtri meliore mundū vniuerſum, mundiq; cauſas vel mente percurrere: & omnia in promptu habere, ſtudioſis animis non vltima laus eſt.

Eſt itaq; trimembris operis huius partitio. Prima continet de ſitu Hiberniæ, localiq; ipſius cum maiori Britannia proportione: de qualitate terræ & inæqualitate, & proprietatibus eiuſdem variis: de piſcibus & auib. ſitu potius quam ortu diſtantibus, de feris & vermibus, ſingulorumq; tam naturis quam defectib. & venenoſis omnibus hic deficientibus: de orientis quoq; & occidentis collatione, & occidentaliū non immerito prælatione, ſicut diſtincte præſcripta declarant capitula. Secunda vero prodigioſa naturæ ludētis exprimit opera: nec tantū in hac regione reperta: ſed & alia quælibet, dum tamen his fuerint vndecunque concordia: depromit etiam virtutibus inclyta, egregiis quoq; & inauditis à ſeculo declarata miraculis Sanctorum præconia. Tertia quidē de primis terræ iſtius incolis, ſinguliſq; ſeriatim diuerſarum nationum, tam aduentibus quam defectibus: de gentis Hibernicæ, quæ vſq; hodie inſulam habitat, naturis & moribus: eiuſdemq; per aduenas expugnationibus. Totam deniq; gentis huius vſq; ad noſtra iam tempora memoratu dignam perducit hiſtoriam.

In duabus primis nullam prorſus ex ſcriptis Hibernicis euidentiam, nullū penitus inueni (præter ipſam inquiſitionis diligentiā) extrinſeci iuuaminis adminiculum. In tertia ſola de habitatoribus inſulæ, & de gentium origine, aliquā ex eorū chronicis contraxi notitiam. Veruntamen ea quæ ab ipſis diffuſe nimis & inordinate, magnaq; ex parte ſuperflue ſatis & friuole, rudi quoq; & agreſti ſtylo congeſta fuerant: nō abſq; labore plurimo tanquam marinas inter arenas gemmas eligens & excipiens, elegantiora quæq; præſenti volumine, quanto compendioſius potui lucidiuſq; digeſſi. Sed quoniam miſera humanæ imperfectionis conditione,

Iudicis argutum labor hic formidat acumen:

laudem tamen mereri poterit, etſi non opus, vel operantis affectus. Amor enim ſtu-

dii

dii non illaudabilis. Nec illaudabile videtur inter oportunas & importabiles fere curiæ curas aliquis reſpectus honeſti. Laudetur itaq; mancipatio ſeruituti corpore: animus liber. Et quoniam ſapientis eſt proprium, ab exteriore viciſſim vexatione, ſpiritus alacritate reſpirare, & faſtidioſa qualibet alterna delectatione diſtinguere (cum nihil laborioſum videri poſſit, quod iucundum) nobile laudetur ocium inter negotia multa.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI Giraldi Kambrienſis de mirabilibus Hiberniæ.

IN TRES AVTEM PARTICVLAS LIBELLVS iſte diſtinguitur.

I. Prima diſtinctio continet
De ſitu Hiberniæ.
De diſtantia inter Hyberniam & Brytanniam.
Quam terram, & quam remotam habeat ab Auſtro, quam ab Aquilone, quam ab oriente, & quid ab occidente.
II. De Hyſpanico mari duobus brachiis Brytanniam & Hyberniam complectente.
Qua proportione Hibernia Britanniæ reſpondeat in qualitate.
De longitudine Hiberniæ & latitudine.
III. De variis Solini, Horoſii, & Iſidori, & Bedæ ſententiis, quibuſdam veris, quibuſdam erroneis.
IIII. De qualitate terræ & inæqualitate.
Quod terra montuoſa, ſabuloſa magis, quam ſaxoſa.
De glebæ fertilitate, & granis minutis, & vanni beneficio vix purgandis.
De ventoſitate & pluuioſitate, earumq; cauſis.
V. De coro hic regnante, & arbores inclinante.
VI. De nouem fluminibus principalibus, & aliis pluribus nuper emerſis.
VII. De lacubus & eorum inſulis.
De marinis & fluuialibus & lacuum piſcibus, eorumq; defectibus.
De piſcibus nouis & alibi non inuentis.
VIII. De auibus earumque defectibus, & tam naturis quam allegoriis.
De accipitre, falcone, & Niſo, eorumque naturis.
IX. De aquila eiuſque natura.
X. De grue eiuſque natura.
XI. De Bernacis ex abiete naſcentibus, earumq; naturis.
XII. De auibus biformibus earumq; naturis, & de auibus quaſi adulterinis & non veris.
XIII. De martinetis earumq; naturis.
XIIII. De cygnis & ciconiis earumque naturis.
XV. De auibus hyemali tempore non comparentibus.
XVI. De cicadis, quæ decapitatæ dulcius canunt: diuque mortuæ per ſe reuiuiſcunt.
XVII. De cornicibus hic variis, earumq; naturis.
XVIII. De croeriis hic albis, earumq; naturis.
XIX. De feris, earumque naturis, & defectibus, de ceruis, apris, & leporibus hic minutis, eo quod omnia animalia præter homines hic quam alibi minora.
XX. De taxo, eiuſque natura.
XXI. De Caſtore, eiuſque natura.
XXII. De Muſtelis, earumq; naturis.
XXIII. De vermibus, eorumq; defectibus, & venenoſis omnibus hic deficientibus.
De venenoſis vermibus, qui huc allati ſtatim moriuntur: & toxico malitiam amittente.
De puluere huius terræ venenoſos vermes necante.
De corrigiis terræ iſtius contra venena conferentibus.
XXIV. De rana in Hibernia nuper inuenta.
XXV. De variis inſulæ laudibus terræq; naturis.
Quod ex omni vento hic brumeſcit.
Quod medicis hæc inſula parum indiget.
Quod Hibernenſes ſola acuta vexantur.
De comparatione orientis & occidentis.
Quod omnia elementa in oriente peſtifera.

De

De venenorum ibidem malitia, & aeris inclementia.

XLVIII. De aeris noſtri clementia incomparabili.

XLIX. De laudabilibus hic quarundam rerum defectibus.
Quod fons venenorum in Oriente.
Quod Occidentalia commoda ſunt Orientalibus praferenda.

CAPITVLA SECVNDÆ PARTIS.

Secunda diſtinctio continet de mirabilibus Hiberniæ, & miraculis.

I. De Hibernico mari vndoſiſſimo: variis fluxibus eiuſdem & refluxibus.

II. De contrariis æquoreis fluxibus in Hibernia & Britannia.

III. Quod luna tam liquores moderatur, quam humores.

IIII. De duabus inſulis: in quarum altera nemo moritur: in alteram fœmineus ſexus non intrat.

V. De Inſula, cuius pars vna bonis, altera pars malis ſpiritibus eſt frequentata.

VI. De inſula, vbi hominum corpora ſub diuo poſita non putreſcunt.

VII. De mirandis fontium naturis.

VIII. De duobus Britanniæ. ſ. & Armoricæ, & Siciliæ fontibus admirandis.

IX. De lacu magno miram originem habente.

X. De piſce tres dentes aureos habente.

XI. De inſulis borealibus, quarum fere omnium dominium Noruuagienſes habent.

XII. De inſula primum inſtabili, tandem per ignem ſtabili facta.

XIII. De Iſlandia, quæ gentem breuiloquam & veriloquam habet, & iuramento non vtentem.

XIIII. De voragine maris naues abſorbente.

XV. De Mania inſula, quæ priuilegio venenoſorum vermium, quos admittit, Britanniæ cenſetur (applicanda.

XVI. Quod longe poſt diluuium nec ſubito, ſed paulatim, & quaſi per eluuionem inſulæ natæ ſunt.

XVII. De Tyle occidentali inſula, quæ apud orientales eſt famoſiſſima, cum occidentalibus ſit prorſus incognita.

XVIII. De chorea Gigantum ab Africa in Hiberniam: ab Hibernia in Britanniam tranſlata.

XIX. De mirabilibus noſtri temporis, & primo de lupo cum ſacerdote loquente.

XX. De muliere barbata & in tergo criſtata.

XXI. De ſemiboue viro, & ſemiuiro boue.

XXII. De vacca ceruina.

XXIII. De hirco ad mulierem accedente.

XXIIII. De leone mulierem adamante.

XXV. De gallis aliter in Hibernia quam alibi vociferantibus.

XXVI. De lupis in Decembri catulos habentibus.

XXVII. De coruis & vlulis circa natale pullos habentibus.

XXVIII. De miraculis ſanctorum: & primo de pomis, & coruis, & merula S. Keyuini.

XXIX. De Cercellis S. Colmani quaſi manſuetis, & ad iniuriam fugitiuis.

XXX. De lapide vinum quotidie miraculoſe continente.

XXXI. De pulicibus à S. Nannano deportatis.

XXXII. De ratis per S. Yuorum à Feruegman expulſis.

XXXIII. De campana fugitiua.

XXXIIII. De variis Kyldariæ miraculis, & primo de igne quaſi inextinguibili cinereq; nõ excreſcente.

XXXV. De igne à Brigida ſua nocte ſeruato.

XXXVI. De ſepe circa ignem, intra quem mas non intrat.

XXXVII. De falcone Kyldariæ quaſi manſueto & domeſtico.

XXXVIII. De libro miraculoſe conſcripto.

XXXIX. De libri compoſitione.

XL. De mirandis ſanctorum refugiis.

XLI De ſaltu Salmonis.

XLII. De ſaliendi modo.

XLIII. De vita Brendani.

XLIIII. De cruce Dubliniæ loquente, & teſtimonium veritati perhibente.

XLV. De eadem cruce immobili facta.

XLVI. De denario cruci oblato bis reſiliente, & tertio poſt confeſſionem remanente, & ocreis ferreis miraculoſe reſtitutis.

XLVII. De frenetico apud fernas verbis de præterito futura prædicente.

XLVIII.

XLVIII. De ſagittario qui ſepem Brigidæ tranſiliit inſaniente, & alio tibiam amittente.
XLIX. De tritici ſemine per imprecationem Carcagienſis Epiſcopi non proueniente: & anno ſequente in ſiliginem miraculoſe conuerſo.
L. De Philippo Wigornienſi apud Armatiam paſſione percuſſa, & Hugone Tyrello diuinitus flagellato.
LI. De molendino, quod nec diebus dominicis, nec de furto vel rapina quicquam molit.
LII. De molendino S. Phecnini, quod fœminæ non intrant.
LIII. De duobus equis, qui auenam de eodem molendino raptam comedentes, ſtatim interierunt.
LIIII. De ſagittariis apud Phyneglas diuinitus condemnatis.
LV. Quod ſancti terræ iſtius animi vindicis eſſe videntur.

CAPITVLA TERTIÆ PARTIS huius libri.

Tertia diſtinctio ſiue pars continet de iſtius terræ habitatoribus.

I. De primo aduentu Ceſaræ, ſcilicet neptis Noe ante diluuium.
II. De ſecundo aduentu Bartholani: ſcilicet 300. annis poſt diluuium.
III. De tertio aduentu Nemedi, ſcilicet à partibus Scythiæ, cum quatuor filiis ſuis.
IIII. De quarto aduentu, quinq; ſcilicet fratrum, & filiorum Dela, qui primo Hiberniam in quinque portiones æquales diuiſerunt.
V. De primo Hiberniæ monarcha, ſcilicet Slanio.
VI. De quinto aduentu quatuor ſcilicet filiorum Milleſii Regis de partibus Hiſpaniæ: & qualiter Hermon & Heberus regnum inter ſe diuiſerunt, & de fratrum diſcordia, & qualiter interfecta Hebero, de Hibernienſi populo primus Herymon monarcha fuit.
Quod ab Hebero vel potius Hibero Hiſpaniæ fluuio dicti ſunt Hibernienſes. ibid.
Vnde vocati ſunt Gaideli, & vnde Scati, ibid.
VII. De Gurguntio Britonum Rege, qui Baſclenſes in Hiberniam tranſmiſit, & eandem ipſis inhabitandam conceſſit.
VIII. De duplici iure antiquo quo Britanniæ Reges Hibernia contingit. ibid.
IX. De triplici nouo iure.
X. De gentis iſtius natura, moribus & cultu.
Quod Hibernienſes naturæ beneficio pulcherrimi: moribus vero & cultu turpiſſimi. ibid.
XI De gentis iſtius in muſicis inſtrumentis peritia incomparabili.
XII. De commodis & effectibus Muſicæ.
XIII. De primis Muſicæ conſonantiæ inuentoribus.
XIIII. De præcipuo Muſicorum inſtrumentorum cultore ac ornatore.
XV. De nomine Muſicæ.
XVI. Quot Reges ab Herimone vſque ad aduentum ſancti Patricii regnauerunt: & quod inſula per ipſum ad fidem conuerſa eſt.
XVII. Quod Archiepiſcopi nulli in Hibernia fuerunt ante aduentum Iohannis Papyronis, qui quatuor pallia in inſula plantauit.
XVIII. Quod 3. corpora, S. Patricii, S. Columbæ, & S. Brygidæ apud Vltoniam, in Dunenſi ciuitate iis noſtris diebus inuenta ſunt & tranſlata.
XIX. De Hibernienſibus in fidei rudimentis incultiſſimis.
XX. De eorum nequitiis & proditionibus.
XXI. De ſecuri, quam ſemper in manu quaſi pro baculo baiulant.
XXII. De argumento nequitiæ & nouo deſponſationis modo.
XXIII. De fratribus & cognatis, quos odio perſequuntur: ſolum alumnis & collactaneis fidem habentes & amorem. Hic titulus in loco dicto ſic notatur: Qui alumnos & collectaneos diligunt: fratres & cognatas perſequuntur.
XXIIII. De aduenis quoq; eadem vitio contaminatis.
XXV. De noua & enormi regni & dominii confirmationis modo.
XXVI De multis in inſula nunquam baptizatis, & ad quos nondum fidei doctrina peruenit.
XXVII. De clero Hiberniæ in multis laudabili.
Quod vbi vina damnantur, venus non regnat. ibid.
XXVIII. De prælatis ex paſtorali negligentia corripiendis: & quod omnes Hiberniæ ſancti confeſſores ſunt: & nullus martyr.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. Quod omnes fere Epiſcopi Hibernia de monaſteriis in clerum aſſumpti ſunt: & quod monachi in clerum electi, qua cleri ſunt agere debent.
XXX. Qualiter à monachis clerici diſtent: & eis praferantur.
XXXI. Quod quidam intus videntur eſſe, qui foras miſſi ſunt: & è diuerſo.
XXXII. De obliqua Caſſilienſis Archiepiſcopi reſponſione.
XXXIII. De campanis & baculis, aliiſque huiuſmodi Sanctorum reliquiis, tam in Hibernico & Scotico, quam & Guallenſi populo in magna reuerentia habitis: & ſacerdote duplici paſſione percuſſo.
XXXIIII. De baculo virtuoſiſſimo, quem baculum Ieſu vocant. ibid.
XXXV. De corpore vitiatis in hac natione quamplurimis.
XXXVI. Quot Reges à tempore Sancti Patricii: vſque ad Turgeſii aduentum regnauerunt.
XXXVII. Quot tempore Fedlimidii Regis Noruuagienſes Turgeſio Duce Hiberniam expugnauerunt.
XXXVIII. Quod Angli Gurmundum, Hibernici Turgeſium Hiberniam dicunt ſubiugaſſe.
XXXIX. Vnde Gurmundus in Hiberniam vel Britanniam aduenerit.
XL. Qualiter interfecto in Gallia Gurmundo: Turgeſius in Hibernia dolo puellarum deluſus occubuit.
XLI. De Noruuagienſibus, qui circiter annos triginta regnauerant, ab Hibernia expulſis.
XLII. De doloſa Regis Medenſis quaſtione.
XLIII. De Oſtmannorum aduentu.
XLIIII. Quot Reges regnauerunt in Hibernia ab obitu Turgeſii vſque ad vltimum Hibernia Monarcham Rothericum.
XLV. Quot Reges fuerunt à primo Herimone vſque ad hunc vltimum Rothericum.
XLVI. Quod à primo aduentu ſuo vſque ad Turgeſium, & ab obitu Turgeſii vſque ad Anglorum regem Henricum ſecundum gens Hibernica manſerit inconcuſſa.
XLVII. De victoriis Anglorum Regis Henrici ſecundi.
XLVIII. De titulis Henrici tertii.
XLIX. De titulis Pictauienſis.
L. De diuerſitate duorum. ibid.
LII. De Britone & Hibernico.
LIII. De fratrum inter ſe & cum patre diſcordia.
LIIII. De Saxonica, Hiſpanica & Sicula.

ILLVSTRI ANGLORVM REGI HENRICO SECVNDO SILV. GIRALDVS CAMBRENSIS.

PLACVIT *Excellentiæ veſtræ (Inuictiſſime Anglorum Rex, Normanniæ Dux & Aquitaniæ, & Comes Andegauenſium.) me cum dilecto filio veſtro Iohanne in Hiberniam à latere veſtro tranſmittere. Vbi non tanquam transfuga, ſed exploratoris officio fungens: cum inprimis multa notarem aliis regionibus aliena nimis & prorſus incognita, ſuique nouitate valde miranda: cæpi diligens ſcrutator eruere, quis terræ ſitus, quæ natura, quæ gentis origo, qui mores, quoties, à quibus, & qualiter, ſubacta ſit, & expugnata: quæ noua, quæue ſecreta contra ſolitum ſui curſum in occiduis & extremis terrarum finibus natura repoſuit. Quos quidem vltra fines nec terra ſubſiſtit, nec hominum vel ferarum habitatio eſt vlla: ſed trans omnem horizontem in infinitum per inueſtigabiles & occultas vias ſolus Oceanus circumfertur & euagatur.*

Sicut enim Orientales plagæ propriis quibuſdam & ſibi innatis præminent & præcellunt oſtentis: Sic & Occidentales circumferentiæ ſuis natura miraculis illuſtrantur. Quotieſcunque quippe tanquam ſeriis & veris fatigata negotiis paululum ſecedit & excedit: remotis in partibus quaſi verecundis & occultis natiua ludit exceſſibus. Collectis igitur & electis elegantioribus cunctis, ea quæ memoria digna videbantur: non inutile duxi in vnum congerere, & induſtriæ veſtræ (quam nulla fere latet hiſtoria) propalare.

*Poteram quidem (vt alii) aurea forte munuſcula, falcones & accipitres, quibus abundat inſula, veſtræ ſublimitati deſtinaſſe. Sed quia magnanimo Principi parui pendenda putaui, quæ de facili reperiri poſſunt & * perire: ea potius curaui Celſitudini veſtræ mitti, quæ non poſſunt amitti: illis poſteritatem per vos inſtruere, quæ nulla valeat ætas deſtruere.*

* al. præterire.

Dignas vero tam veſtras quam inclytæ prolis veſtræ virtutes & victoriarum titulos ſummatim euoluere, ſtyloque perſtringere non indignum reputaui: vt tanta temporis noſtri gloria tranſitorie non pertranſeat: verum enimuero literarum beneficio firmum perpetuitatis robur obtineat. Hoc etiam veſtræ diligentiæ digne deberi non diffido: vt rerum tam inclyte geſtarum memoria, multorum mentibus mirabili exemplo virtutis impoſterum vigor accreſceret, earundemque lectio, ſicut antiquis maiorum imagines & picturæ, laudabilem æmulationis inuidiam tam animoſis conferret, quam ignauis: iſtis ſcintillam ſtrenuitatis adiiciens, innatum illis ignem accendens.

INCIPIT HIBERNICÆ HISTORIÆ DISTINCTIO PRIMA.

De ſitu Hiberniæ, variaque eiuſdem natura.

Cap. I.

HIBERNIA poſt Britanniam inſularum maxima, vnius contractioris diei nauigatione vltra Britannicas Wallias in occidẽtali oceano ſita eſt. Intra tamẽ Vltoniam & Scoticas *Galuitias duplo fere anguſtiore ſpacio mare coarctatur. Vtrinq; vero vtriuſq; terræ promontoria: hinc diſtinctius, illinc vero ratione diſtantiæ confuſius, ſatiſq; aperte ſereno tempore proſpici poſſunt, & notari. Inſularum occidentaſium hæc vltima, Hiſpaniam ab Auſtro trium dierum naturalium nauigatione collateralem habet: Britanniam maiorem ab oriente: ſolum Oceanum ab occidente: Ab aquilonari vero parte trium dierum veliſico curſu borealium Inſularum maxima Yſlandia iacet.

* Galvvedia.

De Britannico mari duobus brachiis Britanniam & Hiberniam complectente.

Cap. II.

HISPANICVM autẽ mare, quod & Hiberũ dicitur vel ab Hibero flumine, vel quod hemiſphærii formã Hiſpanica ꝑtendat, de occidentali ſe inter Hiberniã & Hiſpaniam recipiẽs oceano, gemino dirimitur brachio. Quorũ vnũ Hiſpaniã interluit atq; Britanniã: ac exinde in boreã ſe conuertens Galliã diuidit & Britanniã. Sed quamuis brachii iſtius ora crebris hinc inde terris (à quibus nominari potuiſſet) *accingitur: à Gallia tamen ſola vſitatius mare Gallicũ nominatur. Aliud vero eiuſdẽ Hiberi maris brachiũ Hiberniã in directũ verſus boreã ꝑterlabitur & Britanniã. Cuius quanto longitudo ꝓtenditur: tanto latitudo Arctoas immoratur ad partes, donec ſe Aquilonari Oceano immiſceat ad Orchades. Quę videlicet Hibernia quanto à cetero & cõmuni orbe terrarũ ſemota, & quaſi alter orbis eſſe dignoſcitur: tanto rebus quibuſdã naturę curſui incognitis, quaſi peculiaris eiuſdẽ naturæ theſaurus, vbi inſignia & precioſiora ſui ſecreta repoſuerit, eſſe videtur. Sicquidẽ Hibernia Britanniæ collateraliter adiacet: vt quocunq; ex portu Britãnico in occidentẽ nauigantib. aliqua ſe ex parte reprę-ſentet. Britannia tamẽ duplo in quãtitate Hiberniã excedit. Cũ.n. vtriuſq; longitudo ab Auſtro in boreã extẽſam iaceat: illa 800. mil. paſ. in longũ, circiter vero 200. mil. in latũ habet: Iſta v. à Brendanicis montib. vſq; Columbinã inſulã (q̃ Thorach dicitur) 8. dierum magnis & Hibernicis, 40. ſc. miliarium excurſibus in longũ protẽditur. Quatuor vero à Dublinia vſq; Patricii colles Conacticumq; mare in latũ expãditur. Tantę ſiquidem Hibernia quantitatis eſſe poteſt: quantę circumſcriptionis Wallia & Scotia potior inſulæ Britannicæ pars regibuſq; antiquitus appropriata: quam & Britones olim à primæuo Bruti filio Locrino, cui aſſignata fuit: Loegriam dixere.

* attingitur.

De variis Solini, Oroſii, Yſidori & Bedæ ſententiis quibuſdam veris, quibuſdam erroneis.

Cap. III.

SOLINVS vero in 120. mil. paſ. ſatis exquiſite latitudinẽ Hiberniæ diffundi deſcribit: ſed de longitudine tacet. Quã & ob hoc arbitror ipſi incognitã: quoniã inſulam inhumanæ magnitudinis eſſe teſtatur. Oroſius vero certiori indagine Hiberniã Britanniæ propinquã, longe ſpatio terrarũ anguſtiorẽ: ſed ſolis cœliq; tẽperie magis vtilem ꝓteſtatur. Yſidorus quoq; cõcordat Oroſio dicens: Hiberniã proximã Britannię Inſulã ſpacio terrarũ anguſtiorẽ, ſed ſitu fœcundiorẽ. Beda vero Hiberniã tam aeris ſalubritate q̃ ſerenitate multũ Britanniæ præſtare aſſerit. De ſalubritate verũ; de ſerenitate vero (ſalua pace veniaq; ſua) contrariũ ſcribẽs: ſicut ex ſequentibus palam erit. Sicut. n. Gallia Britanniã, ſic & Britãnia Hiberniã aeris tã ſerenitate q̃ ſubtilitate longe ꝑcellit. Quanto namq; ad Euri partes magis acceditur: tanto cœli faciẽ quo purior & ſubtilior tanto penetrabilior & inclemẽtior aer illuſtrat. Quanto vero ad Circii Zephyriq; fines magis vergitur, occiduã temperiẽ quo nubiloſior & obtuſior, tanto benignior atq; ſalubrior aura fœcundat. Terra quippe medio inter Iſlandiam frigidã & Hiſpaniã torridã libramine porrecta, à contrariis hinc inde contracta tẽperantia: tam cœli tẽperie q̃ aeris ſalubritate feliciter Hibernia fœcundatur. Eſt autẽ Hibernia pro quãtitatis ſuæ captu multo rotũdior: In medio aliquantulũ ſubſtricta: circa capita vero in amplitudinẽ dilatata, Britannia oblongior & arctior eſſe dignoſcitur. Sed ſicut

Hibernia contra Aquilonẽ Britannia longe breuior & mutilatior: ita & in meridiem non minor: verũ etiam (iuxta Bedæ aſſertionem) trans illius fines ſe multũ protendit.

De qualitate Hiberniæ & inæqualitate.

CAP. IIII.

HIBERNIA quidem terra inæqualis eſt, & montuoſa: mollis & aquoſa, ſyluestris & paludoſa: & vere terra deſerta, inuia, ſed aquoſa. Videas hic igitur ſupra montes aquas ſtare. In ſummis enim aereorum arduorumq; collium verticibus ſtagna reperies & paludes. Planicies tamen habet per loca pulcherrimas, ſed reſpectu ſyluarũ modicas. Eſt autem per omnia fere ſui latera marinaq; littora, terra valde demiſſa. Interius tamen in colles varios, arduoſq; montes enormiter erecta, non tantum circumferentias, verum etiam penitimas ſui partes ſabuloſas magis habens quam ſaxoſas.

De glebæ fertilitate.

GLEBA præpingui vberiq; frugũ ꝓuentu felix terra eſt, & fœcũda frugib. arua, pecore montes. Nemoroſa feris abũdant: paſcuis tamen q̃ frugib. gramine q̃ grano, fæcundior eſt inſula. Multã fruges in herba, plurimã in culmis, minorẽ in granis ſpem promittit. Tritici nãq; grana cõtracta ſunt hic & minuta, & vix vãni alicuius beneficio purgãda. Abũde ſatis & cãpi veſtiũtur, & horrea farciũtur, ſola v. granaria deſtituũtur.

De ventoſitate, & pluuioſitate, earumq; cauſis.

CAP. V.

QVOD ver gignit & parturit, æſtas nutrit & ꝓuehit: vix in meſſe pluuialis aquoſitas colligi ꝑmittit. Æolicis nãq; flatibus & pluuialib. inundationib. p̃ aliis terris hæc exuberat. Collateralis vero Zephyro ab auſtrali parte frequentior, & ꝓcelloſior alijs, Corus hic regnat: omnes fere occidentales arbores in eminẽti poſitas partẽ in oppoſitã vel inclinãs vel euertẽs. Terra nimirũ mari immẽſo, & ex omni latere ventis expoſita nullã penitus partib. ex illis ſeu ꝓpinquã ſeu remotã ſolidi obſtaculi defenſionem habet. Ad hæc ẽt aquæ in nubibus attractæ & cõglobatæ ob tantã loci illius tẽperiem, nec ætherei caloris igne cõſumptæ, nec algoris aerei nexib. aſtrictæ, & in niueã glacialemue naturã cõcretæ, demũ in pluuias facilime reſoluuntur. Deniq; hęc quoq; terra ſicut & alia q̃libet montuoſa, pluuias abũde gignit & nutrit. Terrea quippe mõtanaq; ꝑcipue frigiditate cõſumpti caloris euacuata: attracti humores in natiuã originem de facili cõuertuntur. Qui ẽt iuxta ſitus varios varia vocabula ſortiri ſolent. Dũ.n. adhuc collib. incũbunt, nebulę nuncupantur. Altius eleuati, & à terreno cõtagio libere ſublimati: nubes vocantur. Guttatim v. minutimq; ad ima reuertẽtes ſeu liquidi, ſeu concreti: nunc niues, nunc pluuiæ dicuntur. Hinc igitur Hibernia, Gwallia & Scotia pluuiis abundant. Paſcuis & pratis, melle & lacte, vinis nõ vineis, diues eſt inſula. Beda tamen inter alias inſulę laudes dicit eã vinearũ expertem nõ eſſe. Solin. vero & Iſidor. apibus eã carere affirmant. Sed ſalua ipſorũ venia circũſpectius è diuerſo ſcripſiſſent: vineis ipſam carere, & apiũ expertem nõ eſſe. Vineis.n. & earũ cultorib. ſemꝑ caruit & caret hæc inſula. Vina tamẽ tranſmarina ratione cõmercii tã abunde terrã replẽt, vt vix propaginis prouentuſq; naturalis in aliquo defectum percipias. Pictauia enim de plenitudine ſua ei copioſe vina tranſmittit. Cui & animalium coria, & pecudũ ferarumq; tergora: Hibernia non ingrata remittit. Apes quidem ſicut aliæ regiones hæc mellificas habet. In maiori tamen copia (vt arbitror) ſcaturirent, ſi non venenoſas & amaras, quibus ſyluescit inſula, fugerent examina taxos: vel potius ſi non aeris Hibernici tanta cum humiditate ventoſitas minuta corpuſcula tam diſpergeret, quam corrumperet. Fauorabiliter autem dici poteſt, tempore Bedæ nonnullas forſitan in inſula vineas fuiſſe: & longe poſt Solini tempora S. Dominicum Oſſyrienſem (vt aſſerunt quidam) apes in Hiberniam detuliſſe. Ceterũ ipſos in hoc excuſabiles vix inuenio, quod adeo apibus inimicam hanc terram aſſerunt, vt aduectos etiam inde puluetes ſeu lapillos, ſi quis alibi inter aluearia ſparſerit, examina fauos deſerant. Beda quoque ceruorum & capreorum venatu inſulam iſtam dicit inſignem: cum eandem tamen ſemper capreis caruiſſe conſtet, & carere. Nec mirum tamen, ſi à tramite veritatis interdum deuiarint: cum nihil occulta fide, nihil niſi per indicem & à remotis agnouerint. Tunc.n. res quælibet certiſſimo nititur de veritate ſubſidio, cũ eodẽ vtitur relatore, quo teſte. Ob tantã tamẽ tam ſollicitã tamq; in pleriſq; certiſſimã remotiſſimarũ rerũ indaginẽ: debita ſunt laude nõ indigni. Et quoniã nihil humanũ omnino perfectum,

omnium-

Digitized by Google

omniumq; habere notitiam, & in nullo peccare, potius diuinitatis eſt, quam humanitatis: errores forte, ſi qua ex parte irrepſerint, tam imperfectionis conditio, quam ipſa locorum diſtantia reddat veniales. Hanc igitur veniam petimuſq; damuſq; viciſſim: nihil vnquam humani à nobis alienum eſſe putantes.

De nouem fluminibus principalibus, & aliis pluribus nuper emerſis.

CAP. VI.

FLVMINIBVS egregiis primoq; à tempore, primi terræ iſtius poſt diluuium incolæ, ſcilicet Bartholani principalibus & famoſis nouem ſcinditur, & rigatur inſula. Quorum nomina ſunt hæc: Auenliſius per Dubliniam: Banna per Vltoniã, Moadus per Conalciã, Slichenis & Samarius per Keneleunnillam. Modarnus & Phinnus per Keneleoniam, Sauerennus & Luuius per Corcagiam. Sunt & alia plurima ſed quaſi noua & reſpectu priorum nuper nata per Hiberniam manantiã flumina, prædictis tamen nõ minora, & (niſi ſola temporis antiquitate) nõ ſecunda. Quorũ quædã ex terræ penetralib. irriguiſq; fontiũ venis originaliter emerſa: alia vero ſubito è ſtagnis erupta illuſtres per partes inſulã longis excurſibus diſterminant & diſtinguunt. Horũ autem quædã cõmemorare nõ ſuperfluũ duxi. Igitur de ſub pede montis * Blandinæ 3. nobiles fluuii naſcuntur: qui & 3. ſorores dicunrur, quia trium ſororũ nomina ſunt ſortiti. Beriia ſc. per Lecliniam. Eyrus per Oſſyriam. Suyrus per Arehfinian & Tribarcciam & apud Gwaterfordiam in mare deſcendit. Slana vero per Gueſeford. Boandus per Mediam, Auenmorus Lignorienſ. & Sinnenus Limiricenſis. Inter omnia vero Hiberniç flumina ſiue noua ſiue vetuſta non immerito principatũ Sinnenas obtinet, tam quantitatis ſua maieſtate, longiſq; terrarũ excurſibus, quam fœcundiſſima quoq; piſcoſitate. Oritur namq; ex lacu quodã maximo & pulcherrimo, qui Conalciã Momoniãq; diſterminat: duoq; brachia ad oppoſitas mundi partes expãdit. Vno namq; verſus Auſtrum ciuitatem Killelonenſem lateraliter permeans, Limericumq; complectens, centumq; hinc miliarib. & amplius duas ab inuicẽ Momonias diſtinguens, Brendanicum in mare ſe transfundit. Altero vero nec minore Mediam & vlteriores Vltoniæ partes à Conalcia diuidens, multis variiſq; mæandris in Oceanum mergitur tandem Borealem. Quartam igitur & occidentalẽ inſulæ partẽ à tribus aliis tanquam mediterraneum flumen à mari vſq; ad mare ſeparat & ſecernit. In 5. enim portiones fere æquales antiquitus hæc regio diuiſa fuit: has ſc. Momoniam duplicem Borealem & Auſtralem, Lageniam, Vltoniam, & Conaltiam. Quas omnes Merlini vaticinium in vnum commemorat redigendas. Sed de iis ſuo in loco plenius dicetur. Hic autem notandum videtur: Duas Momonias Auſtrales Hiberniæ parres obtinere, Vltoniam Boreales, Lagoniam Orientales, Conaltiam Occidentales.

* al. Blandicia.

De lacubus & earum inſulis.

CAP. VII.

LACVS quoq; plurimos & pulcherrimos, piſcoſos, & grandes præ aliis terris, quas vidimus, quaſi ſpeciale quid hęc terra profert: Qui & mediamnas aliquantulũ eleuatas, & valde amœnas intra ſe continent. Vbi ſecuritatis & refugii loca propriaq; domicilia, & præterquam nauigio inacceſſibilia Dominarores terrarum metari ſolent.

De marinis & fluuialibus, & lacuum piſcibus, eorumque defectibus.

MARINIS quoq; piſcibus per omnia latera ſatis abundant maritima. Flumina vero lacuſq; ſuis ſibiq; innatis fœcunda ſunt piſcibus, & præcipue generibus tribus, ſalmonibus & truttis, anguilliſq; luroſis, aloſiſq; prępinguibus. Murenis etiam oculoſis ad periculoſas diuitum delitias Sinnenus abundat. Sed deſunt ei nobiles illi aliarum regionum & dulcis aquæ generoſi piſces, Lucii videlicet & Perehii, Rochiæ, Barbuli, Gardiones & Guuiones. Deſunt & minutæ, capitones & verones, & fere omnes, qui non ex marinis fluctibus Sementinam originem trahunt. Loehiæ quoq; vel nullæ ſunt hic, vel valde raræ. Quælibet enim regna ſuos patiuntur rerum defectus. Britannia maior * rortuis & ſcorpionibus, Gallia Ciſalpina pardis & leonibus, Italia perchiis, Regio Palæſtina luciis, & vtraque Salmonibus. Item vt Italia, Apulia, Calabria, Sicilia, Salmonibus, Hiſpania tota luciis, perchiis & phaſianis: Creta noctuis, Mare mediterraneum halece, Hungarorum regnum anguillis carer.

* al. Corenis.

De piſcibus nouis & alibi non inuentis.

* al. ſilares.

HABENT autem econtra ſtagna terræ iſtius tria piſcium genera, quæ nuſquam alibi reperiuntur. Sunt enim quidam truttis, qui & * ſalares dicuntur, longiores & rotundiores, albis carnibus conſertis & ſapidis. Tymalli qui vulgariter Vmbrę dicuntur prioribus piſcibus perſimiles, niſi quod capite degenerant groſſiore. Sunt & alii marino haleci tam forma & qualitate, quam colore & ſapore ſimillimi. Sunt & tertil truttis, niſi quod maculis carent, per omnia ſimiles. Primos Glaſſanos, ſecundos catos, tertios vero Britios vocant. Hæc autem tria piſcium genera in æſtate tantum, & nunquam in hyeme comparent. In Media vero prope Foueram ſunt tres lacus ab inuicem non remoti, quorum quilibet piſcium iſtorum ſuum genus continet: Ad quæ alii piſces nunquam accedunt, licet tamen fluminis interlabentis beneficio vias habeant commeabiles: quinimo ſi piſcis vnus ad locum & lacum alterius deferatur, aut emoritur, aut ad priorem redit.

De auibus earumque defectibus, & tam naturis quam Allegoriis.

CAP. VIII.

AVIBVS quidem aquaticis natione, aereis habitatione, quibuſdam, quibus aliæ regiones præditæ ſunt, inuolatur iſta: quibuſdam vero ab antiquo prorſus eſt deſtituta.

De accipitre, falcone, & Niſo, eorumq; naturis.

ACCIPITRES ergo & falcones & niſos, quib. ad nobilium delitias animoſa pectora, roſtraq; recurua & acuta, pedes vnguibus armatos, aptoſq; prædæ natura dedit: præ aliis regionibus hæc copioſe producit. De auibus iſtis hoc mirandum, quod nondum hodie plures, quam multis retro ſeculis, nidis indulgent. Et licet ſingulis annis earum creſcant fœtus: nunquam tamen nidificantium creſcit exercitus. Altero tamen parium caſu ſublato, nouus ei ſubrogatur. Pluribus ex cauſis nidi deficiunt: nullis vnquam in numero creſcunt. Item, iuxta Caſſiodorum aues huiuſmodi, quarum victus ex præda eſt, fœtus ſuos nouitate marcentes, nidis perturbant (ne molle ocium conſueſcant) alis verberant, cogunt pullos teneros ad volatum: vt tales debeant exiſtere, pro quibus poſſit parens vterque præſumere. Cum enim proceſſu temporis firmum iam robur pennæ ſuſceperint: natura cooperante paulatim inſtruuntur ad rapinam: & à natali ſolo deportandi ſtatim ab impiis parentibus compelluntur irreuocabiliter exulare.

Quoniam igitur longe facilius eſt informare rudes quam reformare peruerſos: alitum iſtorum exemplo prouidi parentes in prima ætate filios moribus inſtruunt & informant. Et quoniam variam ſemper dant ocia mentem, curis acuunt & *exuſcitãt: ne torpentis deſidiæ vitia diſcant, quib. ſi tenerior ætas imbuta fuerit: animi (anni) difficile dediſcant maturiores.

* al. exaſperans.

Præterea filios quos diligit, flagellat Deus. Et ad veram illam inuariabilem, æternamque felicitatem animos efficacius vt prouocet & inuitet, præſentium infelicitate reddit feliciter infelices. Quia, vt ait Auguſt. Nihil eſt infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut interior hoſtis roboratur. Vnde & Gregor. Tauri mactandi largioribus paſtibus relinquuntur, reſeruandi vero iugo ſupponuntur.

Sic & adulti iam filii pie ſatis & prouide à patrum domiciliis interdum expelluntur: vt ſibi relicti incuriam cura, deſidiam diligentia, ſollicitudine torporem, ignauiam ſtrenuitate dediſcant. Raro namque deficit, qui ſibi non diffidit. Qui de aliorum ex toto pendent auxiliis, frequentius fraudari videntur optatis. Ad hæc etiam Eccleſiaſtici parentes & paſtores filios firmioris intelligentiæ iam capaces ad diuini pabuli prædas paulatim erudiunt. Regnum namque cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ærumnoſam quoq; vitæ iſtius viam, vitiorumque voraginem tam contemnere docent, quam vitare: veramque patriam & permanentem totis niſibus affectare: & ſic mundo mortificatos impietate piiſſima feliciter exulare compellunt.

Item cum omni fere animantium genere mares maiori in robore natura producat: in his auibus, aliiſque vniuerſis, quæ rapto viuunt, & rapinis

inſiſtunt,

Digitized by Google

inſiſtunt,quibuſque pręcipue ad viuendum viribus opus eſt & violentia: degenerante maſculorum priuilegio virilius & robuſtius fœminei ſexus efferuntur. Forſan & hoc ſignare poteſt muliebrem ſexum in omni malitia longe virili fortiorem, quia, vt ait Tullius: Viri forte vnius alicuius commodi cauſa, vnum aliquando ſcelus perpetrabunt: fœminæ vero vnius explendæ cupiditatis cauſa, omnia ſimul ſcelera perpetrare non formidabunt. Item in Eccleſiaſtico. Breuis eſt hominis malitia ſuper malitiam mulieris A viris quoque victorias modis omnibus ſemper appetunt: & effœminatos à fœminis viros debita virilitate fœminæ deprędantur. Infirma quoque mundi, vt fortia quęque confunderent elegit Deus. Item auium iſtarum adeo maſculos debito fauore natura deſtituit: vt aduenientibus annis fere ſemper in deterius degenerando mutentur. Alteri vero ſexui annorum numero tam animoſitatis quam velocitatis vigor accreſcit.

De niſis autem hoc ſpeciale videmus: quod maculis alii candidis, alii rubris, quidam vero mediis diſtinguuntur. Vnde & ex arborum naturis, quibus innaſcuntur, hanc contrahi varietatem nonnulli coniectantur. Sed quoniam in eiuſdem arboris eiuſdemque nidi fœtibus diuerſitatem plęrunque videbis: certior habet opinio, quod potius ex parentibus naturaliter hæc proueniat diſcoloritas. Fertur etiam hoc de Niſo: quod ingruente fortius brumali algore, contra veſperam * ferotinam auiculam rapiat: cui nocte tota ob calefactionis gratiam inſidendo tanquam nocturnum obſequium indemnitate remunerans: eandem mane remittat illęſam. Item accipitres & Niſi quantitate diſſimiles magis quam qualitate: promptiore quadam velocitate prędas perſecuntur: & in primo fere impetu vel fraudantur, vel fruuntur optatis.

* Veſpertilionem.

Falcones vero diuerſi generis tam maiores quam minores, tam generoſi quam degeneres: Meruli quoque minuti & æſtiuales, obeli pigriores in primis, pernicius poſtmodum prędis inſiſtunt, longoſque per gyros ſemper ad ardua tendentes, impetuoſius ab alto feruntur ad prędas: quas dum aſſequuntur, quadrati pectoris ictu concutiunt violento, prępoſitiſque talorum armaturis ſimul confodiunt & confundunt. Tanta ſiquidem velocitate, & tam indefatigabili deferuntur, vt fugitiuam auiculam alternatis hinc inde vicibus nunc à ſummis ad ima, nunc ab imis ad ſumma nitentem, cum intuentium non vnius ſed omnium delectatione per tantam aerei orbis vaſtitatem nec artificioſa nec longa fuga pertinaci ab hoſte tueatur. Accipitres & Niſi naturæ cuiuſdam delicationis, & carnes exquiſitiores & baiulos exigunt diligentiores. Falcones vero in vtroque firmiores & niſu * pertinaciores & portitoris ad manum quantum aut viſus aut etiam auditus extenditur, longe redire promptiores. Auibus primis ſimiles eſſe videntur qui cibis lautioribus, vecturis, & veſtibus, variiſque carnis illecebris dediti & deliniti: mollibus vtentes terrena ſapiunt, & in illis verſantur. Et quoniam graui perſeuerantique conamine prædam in alto non quęrunt: in imis eorum conuerſatio & non in cælis eſt.

* al. Pernicitate.

Auibus aliis aſſimilari poſſunt, qui cibos delicatiores omneſque omnino carnis delitias poſtponentes, diuino intuitu, duritiis potius affligi carnem eligunt. Et quoniam nulla niſi ardua virtus, ad alta virtute nitentes longo difficilique niſu prædam, quam violenti rapiunt, preciumque laboris & præmium petunt & appetunt in ſublimi.

Falcones igitur à falcando, quia in falcis modum in circumeundo perluſtrant: Gyrofalcones à gyro faciendo, vel in gyrum falcando: Niſi à niſu, accipitres ab accipiendo, nomen acceperunt.

De Aquila eiuſque natura.

CAP. IX.

AQVILARVM quoque non minorem hic copiam, quam alibi miluorum videas. Aues iſtæ, in ipſos ſolaris corporis radios irreuerberato lumine aciem defigunt oculorum: Tenero ſque fœtus (vt fertur) ad idem erudiunt vel inuitos. Vnde & ab oculorum acumine aquilæ dicuntur. Sic viri contemplatiui in ipſam diuinæ maieſtatis naturam, verumque iuſtitiæ ſolem toto & indeflexo mentis tendunt intuitu: & ad aratrum cæleſtis paradyſi manum mittentes, retro non reſpiciunt. Eccleſiaſtici quoque parentes filios in tenera ætate, vt bonis aſſueſcant, ad diuini luminis intuitum ſimul & deſiderium oculos dirigere docent interiores.

Digitized by Google

Eædem quoque & per tot ſæcula durant, vt renouatę, iuuentutis beneficio cum ipſa videantur perhennitate cōtendere. Sic & viri Sancti renouata verę iuuentutis innocentia, eum veterem hominem iam exuti fuerint & induti nouum; ad perpetuæ vitę fructum fæliciter accedunt. Item & tam ardua volatu plærunq; petunt: vt eis pennę æſtuantibus Solis ignibus exurantur. Sic & in ſacris Scripturis qui vltra conceſſos, qui pręteriri non debent nec poſſunt, terminos cæleſtium ſecretorum ardua & archana ſcrutari nituntur: tanquam alis pręſumptuoſi ingenii quibus tranſportantur aduſtis in ſe redeuntes infra ſubſiſtunt. Sed quoniam vindice dignus nodus hic incidit (multos enim hac in parte grauiter erraſſe multis in locis tam legi, quam ipſe cōſpexi) paulo diutius & diligentius in iis immorari venia digniſſimum reputaui.

Lapideis ſaxis terreæque moli quæ nullum ex ſe motum habentia tantum ponderoſa ſubſiſtunt, & ad centrum tendunt: arbores & herbæ longe pręcellunt quas in quadam quaſi vegetatione vitali & vita vegetabili ſenſim ſine ſenſu per ſe moueri, creſcere conſtat, & augmentari. Arbores & herbas multum animalia bruta pręcellunt, quę ſenſibiliter de loco ad locum ſe ipſa mouentia in quadam imaginaria ſpecie præſepe cognoſcunt, & pręteritorum recordantur. Vnde & in hac parte quædam eorum etiam rationalibus pręferuntur. *Vbi enim abundat ratio: ibi ſuccumbit imaginatio.* His vero cunctis μικρόκοσμος homo longe pręcellit, ingenio pollens & ratione, vultuque ſublimi gaudens & ſermone: cunctarumque terreſtrium creaturarum digniſſima colit & recolit creatorem. Sicut autem homo cæteris, ſic & Angelica natura pręeminet vniuerſis, quantoque eſt homine ſubtilitate eſſentiæ, ſituque ſublimior, quantoque creatori, cui ſemper aſſiſtit, familiarior: tanto & intellectu capacior. Cunctipotens vero & cuncticreator Deus, ſicut fimo figulus, figuræ figurator, imo longe præcellentius, quam vel exprimi vel excogitari poſſit creaturis omnibus incomparabiliter anteſertur: qui nimirum omnia quæcunque voluit, fecit: qui dixit & facta ſunt: quique mandauit & creata ſunt: à quo omnis ſapientia, de cuius quoque plenitudine omnes accepimus: à quo habemus, & quod ſumus, & quod intelligentes ſumus: à quo, quicquid vbique eſt intellectus, tanquam à fonte riuulus originaliter emanat. Cum igitur quam Angelica natura tanto inferior & indignior humana ſubſiſtat: dic homo, qua fronte qua temeritate ea ſcrutari pręſumis, & ad vnguem exprimere, ad quorum indaginem ipſi ſe reputant angeli longe minores? Quanta elatione ea contendis intellectu comprehendere, quæ nullo vel capi poſſunt ingenio vel comprehendi? Sicut enim incompręhenſibilis eſt ipſe cuius maieſtatem adorant dominationes, tremunt poteſtates: Sic & incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, viæ veſtrę, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terra; ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Nunquid in tantum exaltatum eſt cor tuum, & elati ſunt oculi tui: vt in tam magnis ambules, & in mirabilibus ſuper te? Num adeo à charitate Dei te ſeparat elatio, vt alta dum ſapias & altiora te cupias: humilibus conſentire poſtponas? Cum tamen non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere expediat ad ſobrietatem.

Caue igitur ne id intelligendo, efficias vt minus intelligere videaris. Caue, ne rationis & ingenii priuilegio (quo creatoris beneficio ſub cęlo pręcellis,) dum in eundem abuteris, etiam iure priueris. Caue, ne in Aquilonem ſedem ponas, & fruſtra altiſſimo aſſimilari quæras. Caue, ne in altum cornu extollens, loquaris aduerſus Deum iniquitatem. Caue, ſiquidem ne in altum tendens, cadas ab alto. Caue, inquam, ne tam enormiter elatus ſupra te: longe corruas infra te. Intelligite ergo inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Nunquid, qui plantauit aurem: non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit hominem: non arguet? qui docet hominem ſcientiam? Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Attendite potius quam humiliter vir ille (quem ſecundum cor ſuum inueniſſe dominus ipſe teſtatur) Rex ſcilicet & Propheta Dauid in Pſalmis decantat. Domine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus ſuper me. Attendite quid inter Reges terræ ſapientiſſimus ille Salomon ad filium dixerit. Fili, altiora te, ne ſcruteris: & fortiora te ne exquiſieris. Sed quæ pręcipit tibi Deus: illa cogita ſemper & in pluribus operibus eius, ne fueris curioſus. Item, mel nimis comedenti, malum & amarum eſt, & alibi. Mel inueniſti, comede quod ſatis eſt, ne forte ſatiatus, euomas illud. Itē, Qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria, & vt verbis Iob, ex parte fruamur. Nunquid homo Dei compa-

ratione iuſtificabitur? aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem: quanto magis hi, qui domos habitant luteas, qui terrenum habent fundamentum, dum in cælum os ponunt, conſundentur, & conſumentur velut à tinea? Item in eodem. Non iuſtificabitur homo: comparatus Deo.

Dic itaque fragilis teſta, qua fronte de omnibus rationem reddere, quæ ſurſum ſunt, & quæ deorſum: & de iis præcipue quę ſupra omnem rationem eſſe conſtat: & contra rationem pręſumis, & contra fidem? Quid enim magis cōtra rationem, quam ratione conari ipſam tranſcendere rationem? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle quicquid non poſſis ratione pertingere? Sed forſan illud Salomonis te monere poteſt. Qui cito credit, leuis eſt corde: tanquam fidem voluerit ratione diſcutiendam. Sed ſcias hoc Salomonem non de fide in Deum: ſed de mutua inter nos credulitate dixiſſe. Illam enim vero quæ in Deum eſt fidem, Gregorius plane negat habere meritum: ſi ei humana ratio prębeat experimentum. Laudantur Apoſtoli, quod ad vnius iuſſionis vocem, ſecuti ſunt * Præceptorem. Pro laude nimirum dictum fuit: In auditu auris obediuit mihi. Increpantur enim è regione diſcipuli, quod tardius credidiſſent. Denique laudatur Maria quod rationem fide pręuenit: & punitur Zacharias quod fidem ratione tentauit. Et rurſum Abraham commendatur qui contra ſpem in ſpem credidit. * Redemptorem.

Vt autem, ad naturalia recurramus: quis vnquam Dominus ſeruo, quis vt Euryalus Niſo, quis Polynici Tydeus, quis Pyladi Oreſtes animi ſecreta ſic cuncta commiſit: quin potius intimo pectoris archiuo arcana ſibi perplurima nulli vel vnquam expoſita vel exponenda reſeruaret? Quanto magis infinitiſſimus ille ſibi reſeruauit infinita? Num adeo dominator ille Dominus & vniuerſitatis figulus, ſeruis infimis luteiſque teſtis ſe totum expoſuit: vt tam fragili, tam corruptibili tam vili materiæ, quæ circa tantam, tam inſcrutabilem, tam ineffabilem diuinitatis naturam, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt, ſtatim pateant vniuerſa? Quis vnq̄ picturam vidit ad omnes pictoris artes eniti? Nunquid enim olla figulo ſuo dicet? quare me ſuperius arctam, amplam inferius cōpegiſti? Vnde & in libro ſapientiæ legitur: Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi, quis dinumeret? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inueſtigauit? Item. Radix ſapientiæ cui reuelata eſt? & aſtutias illius quis agnouit? Diſciplina ſapientię cui reuelata eſt & manifeſtata, & multiplicationem greſſus illius, quis intellexit? vnus eſt altiſſimus: & creator omnipotens. Rex potens & metuendus nimis: ſedens ſup thronum illius & dominās Deus. Ipſe creauit illā Spiritu ſancto: & vidit, & dinumerauit & menſus eſt: & effudit illā ſuper omnia opera ſua: & ſuper omnem carnē, ſecundum datum ſuum p̄buit illam diligentib. ſe. Sic igitur ſapientia nō totaliter ſed particulatim, & quaſi per riuulos ſe ſuis exhibuit: vt ad ipſam ſemper tanq̄ ad fontem, viuum puteū inexhauſtum & indeficientem, in ſingulorum defectibus recurratur. Quoniam itaq; ſapientia Domini abyſſus multa: cælorum cælum domino, & q̄ reſiduum fuerit, igne comburi iubetur, memores eſſe debemus nec ingrati q̄ in partem admiſſi ſumus cognitionis, non in plenitudinē vel intelligentiæ vel exquiſitionis. Vnde & cuidam nimis ſcrupuloſe quęrenti, Quidnam faceret Deus antequam mundus fieret? facete ſatis ad hominem magis quam ad orationem Auguſtinus reſpondet: Gehennam, inquit, ſtulte quærentibus pręparauit. Fruſtra ſiquidem circa huiuſmodi animalis ſpiritus ſollicitatur. vt enim quaſi ſub bipenni dilemmate finaliter concludam: anima beneuola talia non exquirit. In maleuolam vero animam ſapientia non introibit. Et, vt prophetæ verbis ad hæc vtar, quam magnificata, ſunt opera tua Domine: nimis profundę factæ ſunt cogitationes tuæ: vir inſipiens non * requiret: & ſtultus non intelliget hæc. * al. Cognoſcet.

De Grue eiuſq; natura.

CAP. X.

IN tanta vero numeroſitate ſe grues ingerunt: vt vno in grege centum & circiter hunc numerum frequenter inuenias. Hæc auis ſingulis viciſſim alternis noctibus natura dictante communi indemnitati excubantibus, vni inſidens pedi, altero implumato, lapidem ſuſpenſum tenet: vt eiuſdem caſu, ſi forte ſopor irrepſerit, iterum ad vigilias ſtatim redeat experrecta. Aues iſtę prælatorum Eccleſiæ typum gerunt. Quibus ſupra gregem vigilandum eſſe dignoſcitur & excubandum: quia qua hora fur venturus ſit, penitus ignoratur: Et cura aliqua ſacra animo tanquam lapis eſt ſuſpen-

eſt ſuſpendenda. Quæ & torporem omnium prorſus excutiat, & nihil præter ſe meditari permittat: quæ etiam ſi forte interdũ exciderit, mens ipſam deſueſcere neſciens, eadem iterum tanquam à ſomnis experrecta reſumat. Periculum quoque auis hæc clamore indicat: ſic & Eccleſiaſtici paſtores lupos diuinis oraculis & latratib. ab ouili arcent, & infatigabili clamore tanquam tuba vocem exaltant. Auis autem eadē tam calidum tam igneum iecur habet vt ferrum forte ingeſtum tranſire nequeat indigeſtum. Sic igne charitatis accenſa viſcera ferreos olim & inexorabiles animos domant & mitigant, & ad pacis fraternæ concordiam manſueſcere iam compellunt.

Pauones ſylueſtres hic abundant. Gallinæ vero campeſtres, quas vulgariter grutas vocant hic raræ ſunt & modicæ perdicibus tam in quantitate quam colore perſimiles. Acetæ vero quæ & * Kardioli dicuntur tam maiores & ſylueſtres, quam minores & paluſtres infinitiſſimę. Minorum autem paluſtriũ, copia maior. Item coturnices hic plurimi. Ratulæ vero raucæ & clamoſæ innumeræ: * diemque laudantes alaudæ infinitæ.

** al. cordiali.*

** al. Dominque.*

De Bernacis ex abiete naſcentibus earumq; natura.

Cap. XI.

SVNT & aues hic multæ quæ Bernacę vocantur: quas mirum in modum contra naturam, natura producit: Aucis quidem paluſtribus ſimiles, ſed minores. Ex lignis namque abiegnis per æquora deuolutis: primo quaſi gummi naſcuntur. Dehinc tanquam ab alga ligno cohærente conchylibus teſtis ad liberiorem formationem incluſæ per roſtra dependent: & ſic quo vſque proceſſu temporis firmam plumarum veſtituram indutæ vel in aquas decidunt, vel in aeris libertatem volatu ſe transferunt, ex ſucco ligneo marinoque occulta nimis admirandaque ſeminii tatione alimenta ſimul incrementaque ſuſcipiunt. Vidi multoties oculis meis pluſquam mille minuta huiuſmodi auium corpuſcula, in littore maris ab vno ligno dependentia teſtis incluſa & iam formata. Non ex harum coitu (vt in auibus aſſolet) oua gignuntur, non auis in earum procreatione vnquam ouis incubat: in nullis terrarum angulis vel libidini vacare, vel nidificare videntur. Vnde & in quibuſdam Hiberniæ partibus, auibus iſtis tanquam non carneis quia de carne non natis, epiſcopi & viri religioſi ieiuniorum tempore ſine delectu veſci ſolent. Sed hi quidem ſcrupuloſe mouentur ad delictum. Si quis enim ex primi parentis carnei quidem, licet de carne non nati, femore comediſſet: eum à carnium eſu non immunem arbitrarer. Reſipiſce infelix Iudæe, reſipiſce vel ſero primam hominis generationem ex limo ſine mare & fęmina: Secundamque ex mare ſine fæmina ob legis venerationem diffiteri non audes: Tertiam ſolam, ex mare ſcilicet fęmina, quia vſualis eſt, dura ceruice approbas & affirmas. Quartam vero in qua ſola ſalus eſt, ex fæmina ſcilicet ſine mare obſtinata malitia in propriam perniciem deteſtaris. Erubeſce miſer erubeſce, & ſaltem ad naturam recurre, quæ ad argumenta fidei, ad inſtructionem, maximam noua quotidie animalia ſine omni mare & fæmina procreat & producit. Prima ergo generatio ex limo: & hęc vltima ex ligno. Illa quidem quia à Domino naturæ, tantum ſemel ideo ſemper obſtupenda proceſſit. Iſtam vero non minus admirabilem, minus tamen admirandum, quia ſæpe imitatrix natura miniſtrat. Sic enim compoſita eſt humana natura, vt nihil pręter inuſitatum & raro contingens, vel precioſum ducat vel admirandum. Solis ortum & occaſum, quo nihil in mundo pulchrius, nihil ſtupore dignius: quia quotidie videmus ſine omni admiratione pręterimus: Eclipſin vero ſolis, quia rarius accidit, totus orbis obſtupeſcit. Ad idem etiam facere videtur, flatu ſolo, & occulta quadam inſpiratione, citra omnem mixturam, apum ex fauo procreatio.

De Auibus biformibus earumque naturis, & de auibus quaſi adulterinis & non veris.

Cap. XII.

AVES quoque biformis naturæ, quas halietos vocant, ſunt hic multæ: Aquila quidem minores, Accipitre maiores, quibus alterum pedem vnguibus armatum apertum & rapacem: Alterum vero clauſum & pacificum, ſolique natatui idoneum, naturæ ludentis opera contulit admiranda. Mirum de auibus iſtis (quod & oculis plęrunque conſpexi) quod in aeris ſummitate ſupra marinos fluctus, vt oculorum aciem liberius in ima defigant, alarum remigio quietos ſe continent & ſuſtinent. Cumque piſciculos in fundo fluctuum latitantes, per tantã aeris & aquæ turbulentam intercapedinem lynceo acuminē conſpiciant, pernici velocitate ſe deorſum mittunt. Dum-

que

que mergunt emerguntque: pede natatili in aquis ſe gubernant: pede vero rapaci victores prędam extrahunt, & aſportant. Sic nobis hoſtis antiquus in turbulentis huius mundi fluctibus, quantumlibet occulta gerentes acuto aſpicit intuitu: Dumque in temporalibus ſucceſſibus quaſi pede pacifico blande ad nos ingreditur: miſeras tandem animas tanquam pede rapaci, prędo cruentus rapit ac diſperdit.

Notandum vero quod in vtroque auium genere tam hoc quam priore quædam inueniuntur. Aues aliis ſimillimę: Sed quaſi adulterinæ tamen & non verę: communem auium naturam ſortientes, & ab vtraque ſpecialitate longe diſſidentes. Verumtamen rerum quarumlibet tam ſimilium differentias, quam differentium ſimilitudines, diſtinctius ab inuicem mens non incauta diſcernit.

De Martinetis earumque naturis.

CAP. XIII.

SVNT & hic auiculæ quas Martinetas vocant, merula minores, hic ſicut alibi: raræ & fluuiales: In modum coturnicis curtæ, & ad minutos piſculos, quibus veſcuntur, in aquam mergentes: cumque alias naturam per omnia retineant: ſolo in colore variantur. Albo enim ventre nigroque dorſo hic degenerant cum in aliis regionibus ventre rubicundo, roſtro pedibuſque rubeis: Tergo vero aliſque in modum Pſyttaci pauoniſve lucida viriditate fulgentibus conſpicuæ ſint & formoſæ. Mirum de his auiculis, quia ſi mortuæ ſicco in loco ſeruentur, putreſcere neſciunt, & inter veſtes aliaſve res quaſcunque locatæ, eas indemnes à tinea conſeruant, & odoriferas reddunt. Et quod longe ſtupore dignius eſt: mortuæ quoque in ſicco per roſtra ſuſpenſæ, rediuiua plumarum renouatione ſingulis annis immutantur, tanquam vitalis ſpiritus ex parte ſuperſtitis occultis adhuc reliquiis vegetatæ.

Sic viri Sancti mundo mortui, igne charitatis accenſi, & quaſi in ſicco poſiti, animorum morumque induunt incorruptionem, ſeque ſibique coniunctos bonorum actuum ſtudiis à vitiorum tinea purgant & elimant, bonoque virtutum odore laudabiles reddunt. Et dum tota mentis intentione in ſublime ſuſpenduntur: abiectu veterum, nouiſque virtutum incrementis, de die in diem renouantur in melius & mutantur, Veterem prorſus exuentes hominem, & induentes nouum. Maximus quippe laudis profectus eſt, quoties ſequentibus bonis, priora vincuntur.

De Cygnis, & Ciconiis, earumque naturis.

CAP. XIV.

IN boreali Hiberniæ parte Cygni abundant: Ciconiæ vero per totam Inſulam rariſſimę ſunt, & illæ nigræ. Mirum de Cygnis quod mortis diſcrimina doceant non dolenda, & imminente lætali articulo, tanquam de neceſſitate virtutem facientes, funebria fata canendo contemnant. Sic viri virtutum meritis candidati, ab ærumnis huius ſęculi læti diſcedunt: Solumque Deum fontem viuum ſitientes, à corpore mortis huius liberari diſſoluique cupiunt, & eſſe cum Chriſto. De ciconiis hoc mirandum, quod aquas gelidas petant, tepidas relinquant. Toto namque brumali tempore in fundo fluminũ hyemantes, ad primam veris emergunt temperiem, & in aeris iterum ſe ſuſcipiunt libertatem. Sic Sancti, hyemali, quod inſtat, mundi tempore, in terræ penetralibus dormientes; mundo in meliorem ſtatum renouato perpetuamq; ſine tempore temperiem iam ſortito, ad primam Archangeli vocem emergent obuiamque Chriſto in aera rapti, & à dextris vocati, in veram filiorum libertatem transferentur.

De auibus hyemali tempore non comparentibus.

CAP. XV.

MIRVM etiam de auibus iſtis aliiſque naturæ conſimilis, quas hyemali exilio naturæ rigor relegare ſolet, quod interim nec viuæ nec mortuæ, vitali tamen ſpiritu vegetatæ, in extaſim diuturnam, & ſtatum quendam inter vitam mortemque quaſi medium, rapi videntur: & abſque alimentorum iuuamine, quibus animale corpus ſuſtentari ſolet, tanto tempore, occulto naturæ beneficio recreatæ abſque omni corporum detrimento, tanquam à ſomnis excitatæ, & experrectæ, cum Zephyris redeũt & hirundine prima. Haud aliter animalia quędam, quæ & glires dicuntur, quia pingues eos efficit ſomnus. (Nam gliſcere dicimus creſcere, ſicut & concupiſcere.) hyeme tota dormiunt, & immobiles quaſi mortui iacent, tempore quidem æſtiuo reuiuiſcunt. Vnde & quidam, quaſi pro beſtiola loquens, ait.

Tota

Tota mihi dormitur hyems,& pinguior illo
Tempore ſum. quo me,nil niſi ſomnus alit.

Similis horum extaſis eſſe videtur, quorum ſpiritus ad ſumma cælorum habitacula, ſeu inferorum ſpectacula, diuina permiſſione aliquamdiu rapiuntur, qui tandem ad corpora in tertis interim mirabili in ſtatu deſtituta, ſine ſpiritu ſpirantia, ſine vita viuentia, nec vero morti tamen nec vitæ ad plenum obnoxia, completa legatione reuertuntur.

De Cicadis quæ decapitatæ dulcius canunt, diuque mortuæ, per ſe reuiuiſcunt.

Cap. XVI.

Svnt in Apuliæ & Siciliç partibus Cicadæ quędam alatæ non tibiarum niſu, ſed alarum remigio ſe transferentes, arterias ſub gutture apertas habentes, quibus & voces canoras emittunt, Dulciuſque (vt fertur) decapitatæ quam integrę, meliuſque mortuę quam viuę canunt. Vnde & paſtores terræ illius, vt dulcem vel morte tantum extorqueant, eas decapitare ſolent. Reſiduum namque viuificantis ſpiritus donec moribundo à corpore per feneſtras illas euaporauerit, mirabilis emittitur harmonia. Eædem quoque primo hyemali tempore, algore ſuffocatę, abſque omni vitæ veſtigio marcidę fiunt, & plęręque putreſcunt. Redeunte vero vernali tam * tempore quam temperie, vitalem ſpiritum reſumentes, reuireſcunt ſimul & reuiuiſcunt. Quod igitur mortuæ melius canunt quam viuæ: martyres Chriſti ſignificare poteſt, qui capite pro Chriſto truncati, mortui melius quodammodo quam viui prędicant. Chriſtique Eccleſiam eorum efficacius ædificat mors quam vita. Quod vero de reuirentibus ſequitur & reuiuentibus: expreſſum eſt noſtræ reſurrectionis argumentum. Sic etenim Creator, ad inſtructionem & firmitudinem noſtram: magis *improbabiles probatæ fidei articulos, familiaribus rerum naturalium fulcit & firmat exemplis. Quid enim aliud ſibi vult vermiculorum, qui ſericum euomunt, tam prodigioſa proprio ex puluere procreatio? Quid illa Phœnicis tam obſtupenda proprio ex cinere reparatio?

* al. Tepore.

* al. Implicabiles.

De Cornicibus hic variis, earumque naturis.

Cap. XVII.

Item cornices nigræ vel nullę ſunt hic, vel rariſſime, omnes fere variæ. Aues iſtæ conchoſos piſciculos contra littorea ſaxa, ſurſum in aera deferunt, & demittunt: vt teſtam quam roſtro frangere non pręualent: lapidis altique caſus iniuria, colliſioneque confringant. Sic & hoſtis antiqui verſuta malitia, quos in imo humilique ſtatu poſitos peruertere non pręualet: ad ſumma dignitatis culmina iam prouectos audacius aggreditur, vt vel neglectu officii, vel arrogantiæ tumore nutantes impellens, quanto ab altiori gradu tanto proniore caſu in ima vitiorum lapſos, grauius allidat & confringat. Mirum de auibus iſtis, quia cum alias auium omnium ſint * argutiſſimę: in ſola nidi poſitione (vbi & aues fatuę etiam ingenioſę reperiuntur) iſtas ingenio natura deſtituit. In publica namque ſtrata, vel alia qualibet hominum frequentia, arbore demiſſa vel ſaxo nidificantes, nec ventos cogitant, nec angues, nec humanos acceſſus reformidant. Sic ſapiens quiſque quanto magis ingenii viribus, & ſapientię dote pręfulget: tanto libidini datus, & laqueis illectus amoris: modum & modeſtiam minus aduertit obſeruatve. In Dauid hoc claruit & Salomone, quorum alterum in homicidii, alterum in Apoſtaſiæ crimen muliercularum furibundus amor induxit.

* al. Aſtutiſſima.

De Croeriis hic albis, earumque naturis: & in genere de aliis auibus.

Cap. XVIII.

Item ſicut albę in Creta merulæ ſunt omnes: ſic & Hibernicæ Croeriæ albeſcunt. Auium iſtarum natura eſt, Scarabęos in ſpina ſuſpendere. Vnde & venenoſum ſpina ſortitur acumē. Mirum igitur malitiam quam in nullo trium per ſe reperies: in trium tamen compoſitione non euitari. Sic quoque Creator, contrariorum iunctura mirabili ſpiritum carni connectit: vnde & peccati malitia ſtatim contrahitur, quę tamen in nullo trium, per ſe poſſet reperiri.

Falcones Hibernia pręter generoſos non habet. Degeneres enim illi deſunt, quos vulgari vocabulo *Lanerios* vocant. Deſunt & gyrofalcones, quos Borealis Arctoaque regio gignit & mittit. *Deſunt perdices & Phaſiani*, Deſunt picæ, Deſunt & philomenæ.

menæ.communiter etiam omnium auium (maxime vero minutarum) minorem hic copiam, quam alibi videas. Quod & Oroſium de Hibernia loquentem latere non potuit. Ait enim Anguis hic nullus, auis rara, apes nulla: De duobus prioribus indices veros, de tertio vero fallacem habens. Adhæc etiam aucæ minores albę (quę & Gantes dicuntur) & gregatim in multitudine magna, & garrula venire ſolentin hos terrarum fines rarius adueniunt, & tunc valde rarę. Maiores autem, quæ vulgari vocabulo byſiæ vel etiam griſię vocantur, cum bruma ſtatim in grege magno, flante aquilone, aduectantur, & poſt hyemales protinus algores contra nidificationis tempora, auſtro ſpirante reuertuntur.

De feris, earumq; naturis.

CAP. XIX.

FERARVM quoque quas occidentales pariunt regiones, cunctas fere ſpecies continet iſta. Habet enim ceruos præ nimia pinguedine minus fugere pręualentes, quantoque minores ſunt corporis quantitate, tanto pręcellentius efferuntur, capitis & cornuum dignitate. Aprorum quidem & ſylueſtrium porcorum nuſquam terrarum tantam copiam vidimus. Sunt tamen exigui, deformes, & fugitiui, nec minus audacia & animoſitate, quam corporis compoſitione degeneres. Sunt & lepores multi, ſed minuti, cuniculis quidē tam ſui modicitate, q̃ delicata piloſitate cõſimiles. Vt autem breuiter complectar: omnium animaliũ ferarumq; & auium corpora, hic quã alibi, ſuo in genere, minora reperies: ſolis hominibus ſuam retinentibus maieſtatem. Mirum de leporibus iſtis qui contra aliorum naturam, à canibus inuenti, ſemper in denſo, tanquam vulpes, & in operto, non in aperto diffugiunt: ad campana nunquam patenteſque ſemiras, niſi coacti & inuiti ſe transferentes. Hanc autem varietatem, nimia, vt arbitror, terrę, ipſius curſum prępediens, facit herboſitas. Martricum copia abundant hic ſylueſtria, quarum venatio in igne noctes diebus continuat. Sub arbore namque qua fugitiua à canibus beſtia veſperi ſe recipit, igne ſuccenſo nocte tota, ſplendorem igneum ab alto indeflexibiliter intuens, eius vel amoris, vel potius timoris cauſa reuertente diluculo ibidem à venatore mane conſpicitur.

De Taxo, eiuſque natura.

CAP. XX.

EST & hic Taxus: qui & Melota dicitur: animal mordax & immundum: montoſa frequentans & ſaxoſa. Scrobes ſubterraneos tanquam refugii loca munimentaque pedibus ſcalpens & effodiens ſibi ipſe conformat. Quidam vero ex iis naturæ ipſius imperio ſeruire parati, terram ab aliis effoſſam, ventrique ſupino impoſitam, quatuot pedibus complectentes, lignoque in ore ex tranſuerſo locato dentibus ab aliis hinc inde cohęrentibus, retrogradeque trahentibus, non abſque intuentium admiratione ſimul cum oneribus extrahuntur.

De Caſtore, eiuſque natura.

CAP. XXI.

SIMILI naturæ beneficio ac artificio Caſtores vtuntur, qui, dum caſtra ſibi in fluuiis conſtruunt, ſui generis ſeruis, quaſi pro rheda vtentes, à ſyluis ad aquas, lignea robora miro vecturæ modo contrahunt & conducunt. In vtroque animantium genere, ſerui notabiles inueniuntur, tam degenerante quadam naturæ deformitate, quam abraſa & attrita pilorum in dorſo denſitate. Taxos Hibernia, non Caſtores habet. Habētur tamen in Gwallia Teynenſi tantum in flumine apud Kairdygan: habētur & in Scotia ſimiliter rari.

Notandum vero quod Caſtores caudas habent latas: & non longas, in modum palmæ humanæ ſpiſſas: quibus tanquam pro remigio natando funguntur. Cumque totum corpus reliquum valde piloſum habeant: hanc partem omni piloſitate carentem, in modum phocæ marinæ, planam habent & leuigatam. Vnde & in Germania arctoiſque regionibus (vbi abundant caſtores) caudis huiuſmodi, piſcium naturam (vt aiunt) tam ſapore quam colore ſortitis viri etiam magni & religioſi ieiuniorum tempore pro piſce veſcuntur. videtur tamen quod quid iuris eſt in toto quoad totum: hoc in parte quoad partem: nec pars à toto tanta generis diuerſitate diſtare conſueuit. Sed de his & eorum natura, qualiter, & quanto artificio mediis in fluctibus munimenta connectant, qualiterque & quam laudabili in beſtia diſpenſatio-

Digitized by Google

*. id eſt, teſticulorum per ſeipſos exectione, vel amputatione potius.

ne damno * partis, hoſte vrgente, totum redimant: cum de vtriuſque terræ, Gwalliæ ſcilicet & Scotiæ ſitu & proprietate, deq; vtriuſq; gentis origine & natura tractabimus, plenius explicabitur. Sed alias huic aliuque beneficio, Deo duce, vitaque comite, locum faciemus. Defectum vero & aliarum quarundam patitur inſula ferarum. Caret enim Capreis, caret & damis, caret hericiis; caret herminis, caret & * putaciis.

* al. pſitacis.

De Muſtelis, earumque naturis.

Cap. XXII.

Mvstelæ hic multæ ſed minutæ plurimum & ſubrufæ. Hæc beſtiola plus cordis habens quam corporis, animoſaque magis quam robuſta, ingentes animos anguſto in pectore verſans, vindicis eſt iracundiæ, & renouatæ potius quam continuæ. Iniuriarum pro loco diſſimulatrix, & vltrix, grauis murium maiorum tyrannus, & veſtium corroſina. Item lepores huic præda, cuniculique. Cum colubro plęrunque duello congreditur: in quo conflictu interdum fugam ſimulans, ad cumulum ſe confert ante pręuiſum, & in * crucis modum tam ex oppoſito vtrinque per medium latere, quam etiam ſuperius ad hoc perforatum. Vbi & vermem ſequacem, nec per foraminis anguſtiam ſe replicare valentem, agilitatis innatæ beneficio, à ſuperiori foramine dentibus in medio conterit & compręhendit indemnis. Sicque mirabili, ne dicam prędita ingenio, vi quadam ingenita & quaſi diſcretiua, veneno ſi capitis malitiam vitans: horrendum hoſtem arte magis quam marte triumphat. Item fœtus hæc teneros læſione quacunque mortificatos, crocei cuiuſdam floris beneficio, refocillare ſolet, & vitæ reſtituere. Vt enim perhibent qui viderunt, & catellos periculi iſtius cauſa morti dederunt, primo lęſurę, poſtmodum ori & naribus quaſi inſpirando, cęteriſque per ordinem corpuſculi feneſtris omnibus, allatum ore florem apponit. & ſic demum tam floris illius, quam oris ſpiraculo, vel potius herbæ, virtuoſiſſimæ tactu, qui penitus expiraſſe videbantur, aliquo forte vitæ veſtigio adhuc manente, licet occulto, reſpirare compellit.

* al. cratis.

Pręterea, qui ſolo cætera necat aſpectu, mors, muſtela, baſiliſco. Sic qui tanto premit omnia faſtu, leonem, minima minctu confundit hyena. Idem exiguo Scorpionis aculeo exagitatus, occiditur. Elephanto * quoque, inter animantia, muſterribilis eſſe perhibetur. Sic etenim optimi diſpoſitoris prouidentia, minimis quibuſdam maiora quæque premuntur: vt vel ex iis attendi valeat & depręhendi, nihil in terris maximum, nihilque beatum, quod plena queat felicitate gaudere. Quid homine ſub cœlo dignius? quid colubro, quid aranea, quid culice vilius? Nihil enim ſine cauſa, nullumque malum ſuo abſque remedio, inter creaturas Creator admiſit.

* . videtur deeſſe voſtiſſimo, vel tale aliquid.

Talpa.

Talpæ quoque vel naturali defectu, vel propter nimiam terræ humiditatem: aut nullæ ſun[illegible]c aut rariſſimę. Sicut autem talpas ſol excæcat: ſic & Cicadas, dies eadem creat & necat. Vnde quidam tanquam ad vermiculum ipſum apoſtrophando,

Mors & vita dies vna (Cicada) tibi eſt.

Mures.

Mvres autem maiores ſunt hic multi, minuti vero infinitiſſimi, qui & enormius quam alibi grana conſumunt, & veſtes ſeratas etiam & clauſas demoliendo corrodunt. Duo tantum animalium genera nociua inſulam habere Beda deſcribit. Nos * tertium hoc addimus & nocentiſſimum.

* Lupos ſcil. & vulpes.

De Vermibus eorumque defectibus: & venenoſis omnibus hic deficientibus: quoniam etiam allati ſtatim moriuntur, & toxicum maliciam amittit: deque puluere terræ iſtius & corrigiis contra venena conferentibus.

Cap. XXIII.

Inter omnia vermium genera, ſolis non nociuis Hibernia gaudet: venenoſis enim omnibus caret. Caret ſerpentibus & colubris; caret bufonibus & ranis: caret tortuis & ſcorpionibus, caret & draconibus. Habet tamen araneas, habet ſanguiſugas, habet & lacertas, ſed prorſus innocuas. Vnde ſatis hiſtorice ſatiſque facete dici vel etiam ſcribi poteſt: Ranæ in Gallia & Italia clamoſæ & garrulæ; in Britannia mutæ, in Hibernia nullæ. Quidam vero figmento ſatis fauorabili coniectant, Sãctum Patritium, alioſque terræ Sanctos, peſtiferis cunctis inſulam purgaſſe. Sed probabilior

babilior aſſerit hiſtoria, à primis temporibus longeque ante omnem fidei reuelatæ gratiam, ſicut aliarum quarundam rerum, ſic & iſtarum naturali quodam defectu, ſemper inſulam deſtitutam fuiſſe.

Nec mihi mirandum videtur, quod vermium iſtorum ſicut & piſcium auiumque & ferarum quarundam naturalem defectum terra patitur. Sed hoc ſtupore dignum occurrit, quod nihil venenoſum aliunde aductum voquam continere vel potuit vel poteſt. Legitur namque in antiquis terræ iſtius Sanctorum ſcriptis, quod aliquoties experiendi gratia, ſerpentes in ollis æneis delati ſunt: Sed quam cito medium maris Hibernici curſum tranſmeauerant: exanimes & mortui reperti ſunt. Toxicum quoque ſimiliter allatum, mediis in fluctibus innata malitia benignior aura priuauit. De his autem Beda ſcribit, in hunc modum de Hibernia loquens. Nullum ibi reptile videri ſoleat, nullus viuere ſerpens valeat. Nam ſæpe illo de Britannia allati ſerpentes, mox vt, proximante terris nauigio, odore aeris illius afflati fuerint, intereant. Qui potius omnia pene, quæ de eadem inſulas ſunt: contra venena valent.

Scrutatores tamen Oceani mercatores, aſſerentes audiuimus quod cum naues in portu Hibernico aliquoties exoneraſſent: Bufones caſu illatos in fundo nauium inuenerunt, quos dum viuos in terram proieciſſent, ſtatim verſo ventre, videntibus & admirantibus multis, medii crepuerunt & interierunt. Conſtat igitur quod vel Scotorum meritis (ſicut vulgata per orbem aſſerit opinio) ſiue ex aeris noua quidem & inaudita, benigniſſima tamen clementia, ſiue ex terræ ipſius vi quadam occulta & venenis inimica: oec animal venenoſum his ſubſiſtere poteſt, & veoenum quodlibet aliuode aductum, omnem malignitatis efficatiam prorſus amittit.

In tantum ſiquidem terra hæc inimica veneno eſt: vt ſi aliarum regionum ſeu viridaria, ſeu quælibet alia loca puluere ipſius aſpergantur, venenoſos ab inde vermes procul exterminet.

Corrigiæ quoque terræ iſtius non adulterinæ, ſed veræ, & de coriis animalium, quæ hic nata ſunt, factæ: contra bufonum ſerpentumque morſus, in aqua raſæ, & potæ, efficax remedium ferre ſolent. Vidi oculis meis, corrigiam huiuſmodi ſtrictam & arctam bufoni circulariter periculi cauſa circumpoſitam, ad quam perueniens & tranſire volens, ſtatim tanquam percuſſus capite, retro cecidit: partesque ad oppoſitas ſe transferens, & corrigiam vndique inuentam, tanquam peſtem quandam fugiens, in medio tandem circuli ſpatio terram fimoſam ſubito pedibus effoſſam multis intuentibus ſubintrauit.

Quinimo, omnia pene quę de eadem Inſula ſunt, iuxta Bedę aſſertionem, contra venena valent. Aſſerit enim ſe vidiſſe, quibuſdam à ſerpentibus percuſſis, raſa folia codicum, qui de Hibernia fuerant, & ipſam raſuram aquæ immiſſam, protinus totam vim veneni graſſantis, totum inflati corporis abſumpſiſſe ac ſedaſſe tumorem. Contigit autem noſtris diebus in Borealibus Angliæ finibus, iuuenis os dormientis colubrum intraſſe, & per guttur apertum in ventrem deſceodiſſe. Qui male ſuum incontinenti remunerans hoſpitem, eius inteſtina rodere dentibus & lacerare non ceſſauit. Adeo vt iuuenis ille tantis anguſtiis torqueretur, quod morte mori mallet, quam vitam ducere mortis: poſt cibum tamen ſumptum aliquam quietem reſpectu temporis alterius habebat: ante vero penitus nullam. Cum autem loca ſanctorum Dei per Angliam luſtraſſet, diu & in caſſum: tandem ſaniori conſilio in Hiberniam tranſuectus, ſtatim aquis terrę illius ſalubriter hauſtis, & cibariis ſumptis, letalem hoſtem letaliter extinctum, per inferiora tranſmiſit, & lętus ſanitate reſumpta, repatriauit.

De Rana in Hibernia nuper inuenta.

CAP. XXIV.

NOſtris tamen temporibus apud Waterfordiam herboſis in paſcuis rana inuenta fuit: & coram Roberto Poerio tunc ibi rectore, aliiſque multis tam Anglicis quam Hibernicis in Curiam viua delata eſt. Cumque ipſam multum Anglici, multoque plus Hibernici cum admiratiooe conſpexiſſent: demum Duuenaldus Rex Offyrienſis vir prudens in gente ſua, & fidelis, tunc forte pręſens: cum grandi capitis cocuſſione, grauique cordis dolore, verbum hoc eructauit: Peſſimos in Hiberniam rumores vermis iſte portauit. Vtenſque tanquam progooſtico verbo, certiſſimum

hoc ſignum eſſe dicebat aduentus Anglorum, imminentiſque conquiſitionis, & expugnationis gentis ſuæ. Arbitrari tamen nemo pręſumat, quod vnquam vermis iſte hic natus fuiſſet, quia non hic, vt alibi, Semina limus habet virides generantia ranas. Quod ſi foret, frequentius & numeroſius vel ante vel poſt inuentę fuiſſent. Sed forte liquidi & limoſi ſeminis particulam, æthereo calore in nubes attractam & vi ventorum huc impulſam, vel etiam vermiculum ipſum iam formatum, nubeculæ deſcendentis concauitate ſurſum eleuatum, & huc caſu aduentum, terra inhoſpita & inimica ſuſcepit: vel potius rana portu propinquo forte fortuitu naue deuecta & in terram proiecta (quia vermis venenoſus non eſt) aliquandiu ſubſiſtere, & viuere præualuit.

De variis inſulæ laudibus, terræque naturis.

Cap. XXV.

TERRA terrarum hęc omnium temperatiſſima. Non cancri calor exæſtuans compellit ad vmbras: non ad focos Capricorni rigor vrgenter inuitat. Niues hic raro, & tunc modico tempore durare, videbis. Ex omni tamen vento, non minus ſubſolano, fauonioque & Zephyro, quam Circio & Borea quandoque brumeſcit. Ex omni quidē modice: ex nullo immoderate. Sicut æſtiuo, ſic & hyemali tempore herboſa vireſcunt paſcua: vnde nec ad pabula fœna ſecari, nec armentis vnquam ſtabula parari ſolent. Aeris autem amœnitate temperieque, tempora fere cuncta tepeſcunt, Aeris quoque clementia tanta eſt: vt nec nebula inficiens, nec ſpiritus hic peſtilens. nec aura corrumpens. Medicorum opera parum indiget Inſula. Morbidos enim homines, pręter moribundos, paucos inuenies. Inter ſanitatem continuam, mortemque ſupremam, nihil fere medium. Aduenarum tamen vna hic fere eſt paſſio, & vnica vexatio. Ob humida namque nutrimenta, immoderatum ventris fluxum, vix in primis vllus euadit. Pręterea per totum pene * annum carnes ad eſum & vaccinæ valent, & porcinæ nocent. Item, nemo vnquam indigenatum hic natus, terram aeremque ſalubrem non egreſſus, vlla trium generum ſpecie febricitauit, ſola vexantur acuta, eaque perraro. Hic quidem tenor naturaliter rebus inerat. Sed mundo ſeneſcente, & tanquam in decrepitæ ætatis ſenium iam vergente, & ad finem tendente: cunctarum fere natura rerum corrupta & in deterius eſt mutata. Tanta ſiquidem pluuiarum hic iam inundat vbertas, tanta nebularum & nubium incumbit impuritas, vt vix tres dies vel æſtiuos continua ſerenitate clareſcere videas. Nulla tamen aeris turbulentia, nulla temporis intemperies, vel ſanos, & hilares hic contriſtat, vel etiam delicati capitis cerebrum turbat.

* al. anni circulum.

De comparatione orientis & Occidentis: & quod omnia elementa in Oriente peſtifera ſint: deque venenorum ibidem malicia.

Cap. XXVI.

QVAS igitur his comparabiles orientalis regio diuitias iactat? Habet quidem vermiculorum beneficio lanuginem ſericam vario colore fucatam: habet precioſa metallorum genera, habet gemmas perlucidas & arbores odoriferas: ſed hęc quidem quid, cum vitæ ſanitatiſque diſpendio? cum continua tam familiaris hoſtis, aeris ſcilicet incluſi & includentis, inimicitia?

Omnia quidem elementa, licet ad vſum hominum creata, miſeris ibi mortalibus mortem interminando, & bonam valetudinem exterminant, & vitam terminant. Terram nudo veſtigio teras, mors imminet. Marmori minus caute inſideas: mors imminet. Aquam ſi vel crudam pores, vel corruptam ieiunis naribus olfacias: mors imminet. Auram nudato capite liberius carpas, ſi frigida, penetrat, ſi calida, perturbat: mors imminet. Cœlum tonitruis terret, fulminibus infeſtat. Sol æſtuantibus radiis inquietat. Pręterea cibum maiori in quantitate ſumas: mors in ianuis. Vinum non aquatum bibas: mors in ianuis. Si longe citra ſatietatem manum non ſuſpendas: mors in ianuis. Item & nouercæ priuigno, & matronæ offenſæ mariro, & coci corrupti Domino: venenoſa manus eſt formidanda. Nec tantum cibaria, & pocula, verum & veſtes, ſellæ, & ſubſellia, veneno ſuſpecta ſunt. Inſidiātur venena, inſidiantur & venenoſa animalia, inſidiatur omnium rerum nociuarum res nocentiſſima, homini homo. Præter enim vſualia, quæ abundant ibi incom-

incommoda, infeſtant & inuident humanæ ſaluti, Pantherę veloces & variæ virgineoque capti amore Rinoceri: flatuque horribiles Crocodili: fluuiales hippopotami, lynces penetrabiles, ſoliſque leonibus ſolo hienę mictu terribiles. Infeſtant aſpides & viperæ. Infeſtant dracones, & ſolo inuiſus viſu, ſoloque timendus aſpectu, baſilicus. Infeſtat ſeps, ſerpens exiguus, modicitatem tamen malitia ſupplens. Non ſolum enim carnem, ſed & oſſa veneno conſumit. cuius Poeta ſic meminit. Oſſaque conſumit cum corpore tabificus ſeps. Dipſa quoque ſerpens modicus, cuius venenum ante extinguit, quam ſentiatur: cuius tam dirum virus, vt, in eius morſu, doloris ſenſum mors anticipet.

Contigit temporib⁹ noſtris quendam de Brytanniæ partibus Hieroſolymam (vt aſſolet) peregre tranſuectum, cum annonam equis apponendam manu forte purgaret, à vermiculo ibidem latitante in digito percuſſum eſſe: ſtatimque totum corpus eius cum carnibus & oſſibus in maſſam quandam informem & quaſi piceam eſt reſolutum. Inquiſita vero à ſociis mortis huius, vel potius immutationis cauſa & vermis natura: inuenerunt ibidem anguem modicum anguillulæ nigrę formam prę-ferentem. A baccolis etiam perceperunt anguem iſtum Galeiam vocatum, & à deſertis Babylonię rato, ſed & crebro nimis, intra triginta ſcilicet annorum ſpacium, ad partes illas accedere ſolere, & in hominem ſeu beſtiam ſæuiendo, tanta tam irremediabili maliçia terribilem aduentum indicare. Vermium itaque huiuſmodi, qui in Oriente ſcaturiunt, quot genera ſunt, tot venena: quot ſpecies, tot pernicies: quot colores, tot dolores: quot varietates, tot aduerſitates. Inter tot igitur mortis pericula, quæ vitæ ſecuritas? vel potius inter tot mortes, quæ vita? Galeia.

De aeris noſtri clementia incomparabili, & laudabilibus hic quarundam rerum defectibus.

Cap. XXVII.

HABEAT igitur Oriens venenoſas, habeat toxicas opulentias ſuas. Nos cum aurea rerum mediocritate, quæ & vſui decenter ſuppetat, & naturæ ſufficiat, omnes Orientales pompas ſola aeris noſtri clementia compenſamus. O Dei donum in terris incomparabile, o inæſtimabilem & nondum intellectam mortalibus gratiam diuinitus collatam. Secure ſub diuo, ſecuri nudo in marmore dormimus. Non auram vel algore penetrabilem, vel æſtu periculoſam, vel corruptione peſtiferam formidamus. Et quod ſpirando includimus, & quo continenter includimur, benigna ſalubritate fœdetatur. Quanto ſiquidem ad Eoos tractus cælique feruorem magis acceditur: tanto glebę fertilitate, fructiferaque fæcunditate terra fœlicior. Item & precioſa metallorum gemmarumque genera, bombycini ſericique velleris & gazarum omnium copia maior. Gens quoque ſubtilioris aeris beneficio, exili corpore, ſubtili ingenio pollet. Vnde & venenis vincere magis ſolet, quam viribus, & arte magis quam Marte vigere. Sed quanto ad Circii Zephyrique partes magis vergitur: gleba ſterilior, ſed aura ſalubrior. Gens acuta minus, ſed robuſta magis. Aere namque prępingui arua minus, minerua magis impinguatur. Et quoniam, omnis in arctois ſanguis quicunque pruinis

Naſcitur, indomitus bellis, & martis amator:
Gens hæc ingentes animos ingenti corpore verſant.

Regnant igitur in Oriente Bacchus & Ceres, eorumque pediſſequa, & ſemper his ſine, frigens Venus. Regnat quoque delicati aeris ſemper alumna & amica Minerua. Mars hic, Mercurius, Arcadięque Deus. Ibi igitur gazarum ſuperabundans copia: hic modeſta & honeſta ſufficientia. Ibi aeris ſerenitas: hic ſalubritas: Ibi gens arguta: hic robuſta. Ibi venenis dimicatur, hic viribus. Ibi ars, hic Mars. Ibi ſapientiæ ſtudiũ, hic eloquentiæ. Ibi Apollo: hic Mercurius: Ibi Minerua, hic Pallas atque Diana.

Sunt & aliarum quarundam hic rerum, perinde vt vermium defectus laudabiles. Terræmotus hic nunquam: vix ſemel in anno tonitruum audies. Non hic tonitrua terrent, Non fulmina feriunt. Non cataractæ obruunt, Non terræmotus abſorbent, non leo rapit, Non pardus lacerat. Non vrſa deuorat, Non tygris abſumit. Item. Non cibariorum xenia etiam ab hoſtibus facta, vlla veneni ſuſpicio reddit infeſta. Non nouercæ priuignus, Non matrona pellicis quamlibet offenſæ toxicata pocula reformidat.

Quod fons venenorum in Oriente, & quod Occidentalia commoda ſunt orientalibus præferenda.

Cap. XXVIII.

FONS venenorum ebullit in Oriente :quantoque remotius ab origine deriuatur, tanto naturalis efficacię vim minorem exercet. Per tot igitur tantaque locorum interſtitia,longa deriuatione paulatim deficiens,in his tandem extremitatibus venenoſus vigor prorſus euanuit.

Sol quanto in remotiore à Zodiaco partes radios mittit:minorem in ſubiecta vim caloris exercet. Vnde & quædam Arctoæ regionis vltimæ partes, caloris eius beneficio prorſus ſunt deſtitutæ. Sed dices. Lapidibus pręcioſis, & radicibus virtuoſis oriens pręcellit. Prouido geſtum eſt naturæ conſilio, vt vbi multa mala:ibi & malorum remedia, pullularent. Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta laborum. Hic vero vbi rariſſima pericula,& rariora remedia.

Quanto igitur ſollicitudine appetibilior eſt tranquillitas: quanto conſeruatiua potior eſt quam curatiua: quanto ſatius eſt continua ſanitate gaudere quam poſt varias lęſiones remedia quærere : tanto occidentis commoda orientalibus præeminent & præcellunt : tantoque Zephyri quam Euri regna oculo benigniore natura reſpexit. Veriſimile tamen videtur eſſe:quod ſicut mane diei & veſperam, primoſque hominis annos & vltimos, medio feruente,mador mitigat, & humectat : Sic meridionales plagas, eiſque conterminas (Phœbo in illis partibus tanquam iuuenilibus æſtuante medullis,aeris intemperie diſtemperante) ortus eiuſdem & occaſus terminos natura reddit humidior temperatos.

Finis prioris particulæ.

INCIPIT SECVNDA DISTINCTIO, DE MIRABILIBVS HIBERNIÆ ET MIRACVLIS.

NVNC ad ea,quæ contra naturæ curſum ædita,digna ſtupore videntur. Ex his igitur,quæ per ſe miranda ſuique nouitate conſpicua,in his terrarum finibus natura repoſuit: Ex his etiam quæ ſanctorum meritis egregie nimis,& valde miraculoſe geſta ſunt : quorumque memoria ex certis quibuſdam indiciis perenniter extant memoratu digniſſima : ſtylo perſtringere non ſuperfluũ duxi. Vt ſicut Orientalium regionum prodigia diligenti authorum opera in publicæ notitiæ lucem dudum prodiere:ſic & Occidentalia hactenus quidem abdita fere & incognita: noſtro tandem labore his vel occiduis temporibus inueniant æditorem.Scio tamen & certus ſum, me nonnulla ſcripturum quæ lectori vel impoſſibilia prorſus vel etiam ridiculoſa videbuntur. Sed ita me Dii amabilem pręſtent, vt nihil in libello appoſuerim,cuius veritatem vel occulta fide,vel probatiſſimorum & autenticorum comprouincialium virorum teſtimonio cum ſumma diligentia non elicuerim. Nec mihi calumniæ nubila liuor obducat. Quæ namque oculis ſubiecta fidelibus ipſe conſpexi:firmiter & indubitanter hæc aſſero. Quæ vero tantum demiſſa per aures,quia ſegnius irritant,horum non aſſertor,ſed recitator exiſto. Singulis tamen pro vt à multis & autenticis,à quibus & viſa ſunt,accepi, fidem adhibeo, aliorumq; fidei & aſſertioni non incredulus acquieſco. Nec mirum tamen circa eius opera, qui omnia,quęcunque voluit,fecit,mira reperiantur,referãtur & ſcribantur: apud quem nihil impoſſibile,quique naturam,(vtpote naturæ dominus)quo vult inflectit,& quaſi de non natura,naturam facit. Pręterea contra primæuam & veram, quæ Deus eſt, naturam,qualiter vere fieri quicquam dicetur, quod ipſo conſtat authore creatum? Contra naturam ergo vſuali ſermone,quam proprio magis ea ſola fieri dicuntur, quæ contra eiuſdem non potentiam,ſed frequentiam prodire videntur. Cum ita mirabilis ſit Deus in Sanctis ſuis,& magnus in omnibus operibus ſuis, venite & videte opera Domini,quæ poſuit prodigia ſuper terram.

Quęlibet nimirum Regiones, Inſulæ pręſertim & partes à Centro remotiſſimæ, propriis quibuſdam prodigiis pollent. Semper enim & quaſi ex induſtria, ſeria

ſeria ſui negotia, nouis quibuſdam natura depingit: Vt ſic manifeſte doceat & declaret, quod licet humanis vtcunque ingeniis viſualia eiuſdem opera valeant attendi: potentialis tamen effectus nequeat comprehendi. Hoc etiam diligens lector aduertat, quod hiſtoria veritati non parcit, potiuſque vera quam veriſimilia ſectatur. Si quid ergo nouum hic & inauditum emerſerit: non ſtatim liuidi vel contemnant, vel demordeant: ſed nunc ignoſcendo, nunc approbando, ſtudia procedere ſinant. Nam vt Poeta canit:

Si patribus noſtris, nouitas inuiſa fuiſſet,
Vt nobis, quid nunc eſſet vetus, aut quid haberet
Quod legeret, tereretq́; viritim publicus vſus?

Deſinant ergo aliquid damnare, quia ſit nouum, quod labentis temporis beneficio, dum nouitatis arguitur, deſinit eſſe nouum. Habeat hic igitur & præſens tempus, quod laceret: & poſteritas quod laudet: habeat hoc quod lædat, illa quod legat: habeat hoc quod damnet, illa quod amet: habeat hoc quod reprobet, illa quod probet.

De Hibernico mari vndoſiſſimo, variiſque fluxibus eiuſdem & refluxibus.

CAP. I.

HIBERNICVM igitur mare concurrentibus fluctibus vndoſiſſimum, fere ſemper eſt inquietum. Ita vt vix etiam æſtiuo tempore paucis diebus, ſe nauigantibus tranquillum exhibeat.

De contrariis æquoreis fluxibus in Hibernia & Britannia.

CAP. II.

DVBLINIÆ portum quoties medio refluxu retrogradis vndis mare deſtituit. Britanniam Miluordiæ nauium receptioni ſinũ optimũ, medio influxu redeuntibus aquis iam reſtituit. Vlteriora vero Briſtoli littora fugitiuis vndis ex tota nudata, tunc primo reuertens æquor paulatim inſerpit. Similiter & è diuerſo per contrarium de fluxu intelligas. Eſt & portus apud * Gwykingelo, eo de latere Hiberniæ, quo proximus Gwallias reſpicit, qui in generali maris refluxu vndas recipit influentes: In reuerſione vero fluctuum quas iam recepit, emittit & amittit. Eſt & aliud ibi notabile, quia cum totum iam ſinum elapſis vndis refluum mare deſeruit: per omnem tamen anfractum continua ſalſedine fluuius influens amaricatur. E contrario vero contingit in portu proximo apud Archelo, vbi non minus influentibus ſinumq; replentib. quam elapſis omnino marinis aquis: fluuius qui illabitur innatæ dulcedinis ſaporem retinet illibatum: & vſq; in ipſum mare impermixtas ſalſedini aquas (vndas) obſeruat.

* al. Wyncle vel Wynchilo.

Quod luna tam liquores moderatur quam humores.

CAP. III.

LVNA meridiem obtinente, ſemper Oceanus ad occulta receptacula pediſſequas reuocans vndas, auſtralia Britanniæ littora prorſus euacuat. Hibernica vero Dubliniæ latera plenaria fluctuum reuerſione tunc adæquat. Gweſfordiæ namque littora non Hibernicos Dubliniæ, ſed Britannicos Miluordiæ fluxus imitantur. Et, quod vehementius eſt admirandum, rupes eſt quædam marina non procul ab Archelo, cuius cum ex vno latere æquor influit, ex altero refluit. Luna reuertentibus radiis, cum vltra medietatem iam tumeſcit, & quaſi ventrem facit: occidentis æquora ſecretis quibuſdam naturæ cauſis exaſperari incipiunt & moueri, & vſque ad orbicularis perfectionis rotunditatem, vndoſis fluctuationibus de die in diem amplius intumeſcunt, longeque trans viſuales metas abundantius littora complent. Eadem vero fugitiuis ignibus decreſcente, & quaſi vultum auertente paulatim tumor ille detumeſcit, & iuxta lunares defectus, tanquam reſidente deriuationis exuberatione proprios iterum redit in canales. Adeo quidem Phœbe totius humoris fons eſt & fomentum: vt non tantùm æquoreas vndas: verum etiam in ipſis animantibus oſſium medullas, capitum cerebra, arborum herbarumque ſuccos, iuxta ſui vel incrementa, vel decrementa proportionaliter dirigat atque diſponat. Vnde & luna debita luminoſitate deſtituta, deſtitui cõtentis cuncta videbis. Eadem iterum orbiculariter illuſtrata oſſa medullis capita cerebris, cetera ſuccis plena reperies. Hinc eſt, quod lunatici dicuntur, qui ſingulis menſibus pro lunæ augmento cerebro excreſcente langueſcunt, & à mene menſis dicitur, hoc eſt, defectu, quia cum luna deficit, & cum eadem curſum complet & conſummat.

Notandum tamen, quod ſuper hunc locum Euangelii Lunaticos & Paralyticos curauit, expoſitor ſcribit in hunc modum. Lunaticos illos dicit, quorum dolor in aſcenſione Lunæ creſcit: non quod hæc inſania ſit per lunam: ſed diabolus, qui inſaniam facit, lunaria tempora ſeruat, vt infamet creaturam in creatoris blaſphemiam. Potuiſſet autem, vt arbitror (ſalua eiuſdem venia) non minus vere dixiſſe, propter varios humores in plenilunio nimis enormiter excreſcentes, valetudinariis hæc accidere. Verum autem huiuſmodi, & quare potius ſenſibiliuſque Occidentalis Oceanus quam medius & mediterraneus huiuſcemodi fluxus & refluxus ordinata quadam & indeficiente viuacitate ſibi appropinquauerit: qualiterque humorum magiſtra luna diſponente, hæc omnia fiant: maioris eſt operæ cauſas euoluere. In libello tamen, quem de philoſophicis floſculis metrice conſcripſimus: dilucida breuitate ſunt hæc explanata.

Vt autem ad euidentiorem tantæ diuerſitatis indaginem, & exquiſitiorem tam ſubtilium cauſarum inquiſitionem lectoris intentio paucis impellatur, quatuor hæc diligentius aduertantur. Tam fluminum quam fontium incidentium & mare quodammodo mouentium & viuificantium, ſemper circa terrarum extrema, longe copia maior: ex quatuor oppoſitis & remotiſſimis Oceani partibus violenta quædam maris attractio, abſorptio viciſſim & ebullitio: cuiuſlibet humoris tam diminutionis quam augmenti, ſtatim circa extremitates paſſio patens. Ad hæc etiam quia liberiorem circa extrema & abſque impedimento diſcurſum, ſiue refluendo, ſiue fluendo: Oceanus habet. Intra terras autem vndique complexus & tanquam in ſtagni morem tantis obſtaculis ſtare compulſus, libere vagari permittitur.

De duabus inſulis, in quarum altera nemo moritur: In altera fœminei ſexus animal non intrat.

Cap. IIII.

Est lacus in Momonia Boreali, duas continens inſulas, vnam maiorem & alteram minorem. Maior Eccleſiam habet antiquæ religionis. Minor vero capellam, cui pauci cœlibes, quos Cælicolas vel Colideos vocant: deuote deſeruiunt. In maiorem nunquam fœmina vel fœminei ſexus aliquod animal intrare potuit, quin ſtatim moreretur. Probatum eſt hoc multoties per canes & catos, aliaque ſexus illius animalia, quæ periculi cauſa frequenter aduecta, ſtatim occubuerunt. Mirum de auibus terræ illius, quæ cum maſculæ fruticibus inſulæ paſſim inſideant, alterius ſexus illius auiculæ præteruolando pares ſibi relinquunt, & tanquam inſitę virtutis non ignaræ inſulam illam quaſi peſtem fugiunt. In minori vero inſula nemo vnquam moritur, vnquam mortuus fuit, vel morte naturali mori potuit. Vnde & viuētium inſula vocatur. Morbo tamen lethali grauiſſime interdum vexantur, & vſq; ad extremam exhalationem miſerabiliter afficiuntur. Cumque nihil amplius ſpei, nihil iam vitæ vitalis ſupereſſe præſentiunt: cumque inualeſcente valetudine tam finaliter afflicti fuerint, vt morte mori malint, quam vitam ducere mortis: in maiorem demum inſulam ſe nauicula deferri faciunt, qui ſtatim vt terram attingant, ſpiritum reddunt. Hic mihi notandum videtur, quod in primo ſcholaſticæ hiſtoriæ, & circa principium de inſulis huiuſmodi viuentium fit mentio. Vbi & de arbore Solis dicitur, quia qui fructu eiuſdem veſcitur (ſicut Rex Alexander Ariſtoteli ſcribit) vitam extendit in immenſum. Eſt in Vltonia cœmiterium quoddam locuſq; ſacer ſanctorum virorum diutina frequentia conſecratus. Fœmineus hic ſexus quoque non admittitur, huc ſponſum ſponſa non ſequitur, celebratoque locali diuortio conſortes orationum non effecti, in hac parte iam ad imparia iudicantur: huc ſine gallina gallus intrabit. Vbi & paſtu quolibet intus inuento (mirabile viſu) voce monitoria ſociæ quoque ſuadet, nec perſuadet.

Eſt in Boreali Britanniæ parte Inſula quædam, quæ & Sancta vocatur, vbi mulieres non pariunt. Concipiunt tamen, & prægnantes effectæ, vſque ad pariendi articulum naturaliter intumeſcunt. Quo imminente, ad alteram inſulam aduectæ: naturali libertati naturæ indulgent. Quæ ſi forte detentæ fuerint (ſicut aliquoties probandi cauſa compertum eſt) intolerabili ſtatim vexatione torquentur, & vſque ad ipſas fere mortis anguſtias, donec emittantur, dolore premuntur.

De

De Inſula cuius pars vna bonis, altera malis ſpiritibus eſt frequentata.

C A P. V.

EST lacus in partibus Vltoniæ continens inſulam bipartitam: cuius pars altera probatæ religionis Eccleſiam babens, ſpectabilis valde eſt, & amœna: Anglorum viſitatione, Sanctorumque loci illius viſibili frequentia incomparabiliter illuſtrata. Pars altera hiſpida nimis & horribilis, ſolis dæmoniis dicitur aſſignata: quæ vt viſibilibus cacodæmonum turbis & pompis fere ſemper manet expoſita. Pars iſta nouem in ſe foueas habet: In quarum aliqua ſi quis forte pernoctare præſumpſerit (quod à temerariis hominibus nonnunquam conſtat eſſe probatum) à malignis ſpiritibus ſtatim arripitur, & nocte tota tanquam grauibus pœnis cruciatur, tot tantiſque, & tam ineffabilibus ignis & aquæ variique generis tormentis inceſſanter affligitur: vt mane facto vix vel minimæ ſpiritus ſuperſtitis reliquiæ miſero in corpore reperiantur. Hæc, vt aſſerunt, tormenta, ſi quis ſemel ex iniuncta pœnitentia ſuſtinuerit, & infernales amplius pœnas (niſi grauiora commiſerit) non ſubibit.

Hic autem locus Purgatorium Patricii ab incolis vocatur. De infernalibus namque reproborum pœnis, de vera poſt mortem, perpetuaque electorum vita vir ſanctus cum gente incredula dum diſputaſſet: vt tanta, tam inuſitata, tam inopinabilis rerum nouitas rudibus infidelium animis occulta fide certius imprimeretur: efficaci orationum inſtantia magnam & admirabilem vtriuſque rei notitiam, duræque ceruicis populo perutilem, meruit in terris obtinere. *Purgatorium Patricii.*

De inſula, vbi hominum corpora ſub diuo poſita non putreſcunt.

C A P. VI.

EST inſula quædam in Occidentali Conactiæ ſolo poſita, cui nomen Aren, à Sancto Brendano, vt aiunt, conſecrata. In hac hominum corpora nec humantur nec putreſcunt: ſed ſub diuo poſita & expoſita, permanent incorrupta. Hic homines auos, atauos, & tritauos, longamque ſtirpis ſuæ retro ſeriem, mirando conſpiciunt, & cognoſcunt.

Eſt & aliud ibi notabile. Quia cum per totam Hiberniam copioſe nimis mures abundent, hæc tamen inſula mure caret. Mus enim nec naſcitur hic, nec viuit inuectus: ſed ſi forte allatus fuerit, ſtatim præpeti curſu in proximum mare ſe præcipitat. Sin autem impediatur, ſtatim emoritur.

De mirandis fontium naturis.

C A P. VII.

EST fons in Momonia, cuius aquis ſi quis abluitur: ſtatim canus efficitur. Vidi hominem, cuius pars barbæ limphis iſtis lota, canis incanduerat, altera parte tota in ſua natura fuſca manente. Eſt econtra fons in Vltonia, quo ſi quis abluitur: non caneſcet amplius. Hunc autem fontem fœminæ frequentant, & viri caniciem vitare volentes.

Eſt & in Conactia fons dulcis aquæ in vertice montis excelſi, & procul à mari: qui die naturali bis vndis deficiens: & toties exuberans marinas imitatur inſtabilitates. Eſt etiam in Gwallia non procul à caſtello Dineuur, in prouincia tamen de Canterbochan, fons, qui ſimilis inconſtantiæ limphas habere ſolet. Item refert Trogus Pompeius, quia Gramantum eſt oppidum, in quo fons ebullit, qui viciſſim nocte dieque friget & feruet. In meridionali quoque Britanniæ parte, quæ à ducis nomine nomen accepit: Sunt fontes plurimi viuis è ſaxis erumpentes: non multum ab inuicem remoti, & procul à mari, * maxime tamen mobilitatis ſortiti naturam. Sed hi nec dulcis aquæ, nec ad plenum ſalſæ, ſed inter vtrumque inſipidæ. Quorum vnus in ſummitate rupis arduæ, & in modum turris eleuatæ, ad menſtrua maris incrementa, lunæ plenitudinem imitantia: cum intuentium admiratione longe abundantius ſolito aquas euomit excreſcentes. * *al. marina.*

Item in eiuſdem Britanniæ Chiltrenſi territorio ſunt fontes multi, quibus in generali frugum fertilitate penitus deſiccatis, aquarum inopia tellus areſcit. Contra defectum vero famemque, ruptis aquarum venis, & reſeratis fontium clauſtris malorum prænuntia vndiq; videas exuberare fluenta. In Francorum regno * Vimocēſi territorio & Nicbatenſi vico, eſt fons quidam eiuſdem prognoſtici prodigio pollens. * *al. lemouenſi.*

In

In Normanniæ vero partibus quibuſdam ſecus contingit. Abundant enim in abundantia, in defectu quoque frugum: aquæ deficiunt. Eſt fons in vlteriore Boreali Vltoniæ parte: qui ob nimiam ſui frigiditatem ligna * interpoſita per ſeptennii ſpacium in lapides obdurat. Eſt & in Norwagia fons ſimilis naturæ, ſed tanto tamen * efficacioris naturæ: quanto ad frigidam Zonam magis accedit. In hoc enim non tantum ligna, ſed & lina, *laneæq; telæ per annum impoſita, duriſſimum in lapidem congelantur. Vnde & Gwaldemaro Danorum Regi noſtris diebus regnanti, quidam Epiſcopus Norwagiæ Oxippale, quod anno præterito probandi cauſa ab eodem ſuſceperat, naturæ iam retulit bipartitæ. Parte enim media fonti impoſita, lapis erat, altera parte, quæ extra iacuerat, in ſua permanente natura. In Britannia maiore, non procul à cœnobio Wyburnenſi, eſt nemus quoddam fructicoſum. Cuius cum ligna in aquam forte vel terram eo in loco inciderint: poſt annum reperies in lapidem conuerſa. Vnde & pali ſepibus inſerti, ſoloque infixi: infra ſupraque naturam induunt bipertitam. Denique quaſcunque formas lignis exculptas & aquæ, terræue illius loci per annum impoſitas, eaſdem indigenæ in lapidem extrahunt iam conuerſas. Quod autem Palladius de talibus refert: & hic interſerere dignum duxi. Eſt in Cappadocia itinere, quod eſt inter * Mazaca, & Tuana, lacus amplus. In quem lacum pars, ſiue arundinis ſiue alius generis ſi dimiſſa fuerit, & poſtero die exempta ea pars, quæ fuerit exempta, inuenitur lapidea. Quæ autem pars extra aquam manſerit, permanet in ſua proprietate. Ecce quantæ efficaciæ eſt lacus iſte, quia quod alibi per annum vel etiam ſeptennale ſpacium completur: aquæ iſtius natura vnius diei naturalis ſpacio complet. Eſt fons in Vngaria, cuius riuuli non procul ab origine deriuati, chryſtallinam in glaciem obdurantur. Et quod vehementius eſt admirandum, ad primos (quorum potius diſſoluere eſt) ſolares radios ſolidiſſimum in lapidem, viſuique penitus imperuium condenſantur. Vnde & ex liquidis contra naturæ curſum in ſolidam naturam tam præmature conuerſis, in quantitate non modica, ſaxea rupis excreuit. Eſt fons in Sueuia prouincia (quæ Suitis dicitur) in vertice montis excelſi, qui non niſi ſole ſuper horizontem elucente, ſcaturigines emittit. Statim enim ac ſol ſub horizontem deſcendit, & donec iterum per reuolutionem ſe nobis mane præſentauerit, ſcaturire deſiſtit. Mane vero non tamen ſtatim vt dieſcit, ſed ſole recens orto: & ſuper horizontem emerſo in magna quantitate aquas emittit. Nocte tota, quanquam tamen noctis naturæ, quæ humida eſt & frigida, magis aquæ proprietas conuenire ſolet, nec ſtillam præbens.

Eſt fons in Pictauia apud S. Iohannem d'angeli (vbi caput Baptiſtæ conditum habetur) qui in hyeme nullis, in æſtate vero contra communem fontium naturam vberrimis ſolet manare fluentis. Eſt in Cornubia ſylua quædam, cuius ligna quantumlibet modica in aquam miſſa, aqua non ſuſtinet. Eſt & in Gallia ſylua quædam Pariſienſi ab vrbe parum diſtans, Sequanæ fluuio lateraliter coniuncta, quam publica quædam ſtrata diſterminat, cuius vna ex parte ſi ligna in aquam proieceris: occulta quadam innata tamen grauitate, ligneæque naturæ nimis aliena, ad fundum fluminis lapideo ſtatim tam more quam mole deſcendunt. Ex altera vero viæ parte communem ligneæ leuitatis naturam obſeruant. Eſt igitur hæc ſylua duplici prodigio monſtruoſa. Admiranda eſt enim in ipſa tam innaturalis leuium grauitas: admiranda quoque & ſub modico ſoli diſcrimine tam magna diuerſitas. Eſt & in eodem Francorum regno circa Aluerniæ partes ſylua, ſyluestrem nimis, ſolitæque ſyluarum naturæ prorſus incognitam præ ſe ferens naturam: cuius partem, igne iniecto, ſi quis forte ſtirpitus aduſſerit, citra omnem cultoris operam per ſe rediuiua ſponte ſucceſcit. Sed talium cauſas quis vel inquirere, vel aſſignare pſumat? cũ elementorũ vſum cunctis conſtet animantib. eſſe naturaliter cõmunem. Eſt & in Conactia fons quidã aquas habens ſolis hominibus acceptabiles, iumentis vero & pecoribus aliiſque animalibus quibuſcunque, ſi guſtatæ fuerint, peſtilentes. Item fontis huius arenæ petroſæ ſitibundis & aridis ori impoſitæ ſitim extinguunt. Eſt fons in Hungaria tanto malitiæ maioris, quanto generalius ipſa ſe malitia infundit: Huius enim fluenta non minus hominibus, quam aliis quibuſlibet animantibus libamina propinãt venenoſa. Eſt & in Francorum regno non procul à caſtro Paſcenſi fons quidam, aquas habens maſculorum vſui competentes: mulieribus vero nec ad interiorem, nec ad exteriorem vſum vtiliter accedentes. Eiuſdem, vt fertur, aquæ nulla naturalem frigiditatem calefactione, nullo habitum artificio vel actualiter mutant, nulla vnquam naturam arte, nullo proprium accidente vel ad horam diſſimulant vel dediſcunt.

In

* al. impoſita.
* al. efficacia maioris.
* al. lineaque.
* al. Nazaca.

In Teutonicorum regno, Cameracenſi ſc. prouincia, Galliarum parti contermina: eſt fluuius quidam vadum habens duobus ſepibus infra ſupraque ex tranſuerſo fluminis cancellatum. Intra quos aquæ potæ equis ſunt omnibus peſtiferæ. Vtrinque vero trans ſepem ad communem tam equorum quam animalium quorumlibet vſum indifferenter accedunt. Eſt fons in Momonia, qui ſi tactus ab homine, vel etiam viſus fuerit: ſtatim tota prouincia pluuiis inundabit: quæ non ceſſabunt, donec ſacerdos ad hoc deputatus, qui & virgo fuerit * à natiuitate, miſſæ celebratione in capella (quæ non procul à fonte ad hoc dignoſcitur eſſe fundata) & aquæ benedictæ, * al. tam mente quam corpore. lactiſque vaccæ vnius coloris aſperſione (barbaro ſatis ritu & ratione carente) fontem reconciliauerit.

De duobus Britannia, ſcilicet Armorica & Sicilia, fontibus admirandis.

CAP. VIII.

EST fons in Armorica Britannia ſimilis huius ex parte naturæ, cuius ex aquis in cornu bubali hauſtis, ſi petram ei proximam forte perfuderis, tempore quantumlibet ſereno, & à pluuiis alieno, pluuias incontinenti non euades. Eſt & in Sicilia fons miræ naturæ, ad quem rubro indutus veſtimento, ſi quis acceſſerit: ſtatim (in) ad eiuſdem ſtaturæ modum in altum proſiliens, fontis ebullit ſcatutigo: quæ ad alios prorſus immota colores: ad cuius etiam abſceſſum ſolitæ menſuræ ſe conformans: priſtinos iterum redit in canales. Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas: & fontem luſtraſſe boni. Sed quoniam humanis ingeniis modus eſt poſitus, & longe citra perfectum eſt omne quod humanum eſt: rerum huiuſmodi cauſas vos: Dicite Pyerides: non omnia poſſumus omnes. Iſtorum enimuero & ſimilium cauſas inter archana ſui miracula, ſibique ſoli reſerata inuida natura reſeruauit. Eſt in littore Connacticì maris acervus lapideus mediocriter magnus, qui quantum prominet littore fluctibus vacuato, tantum prænatare videtur redeuntibus vndis, & grandiora quæque velantibus, iam repleto. Eſt in Connactia locus quidam muratus ampli caſtellarii ſimilitudinem præferens, à ſancto Patricio, vt aiunt, conſecratus. In quem tot armenta nunquam introeunt (cum tamē totius prouinciæ præda refugii cauſa ſæpiſſime includi ſoleat) quin multo plura intrare potuerunt: donec forte vel ſufficientiæ vel * diffidentiæ verbum erupetit. *al. hæſitationis.

De lacu magno miram originem habente.

CAP. IX.

EST lacus in Vltonia miræ magnitudinis triginta mill. paſſ. in longum, & quindecim in latum habens. Ex quo eximiæ pulchritudinis, qui & Banna vocatur, fluuius erumpit, & in Borealem Oceanum ſe transfundit. Banna fl. Hic quoque piſcatores nimiam frequentius piſcium concluſionem, retiumque rupturas, quam defectus conqueruntur. Hic noſtris temporibus piſcis inuentus fuit non marinus: ſed de lacu deſcendens, Salmonis prope formam habens, tantæ quantitatis, vt integer nullatenus vel trahi vel ferri potuiſſet. Vnde & fruſtatim per prouinciam deferebatur. Huic vero lacui mirabilis, vt aiunt, caſus initium dedit. Fuit in terra illa, quam nunc lacus obtinet, gens ab antiquiſſimis temporibus vitioſiſſima, & præcipue vitio coeundi cum beſtiis, prę omni alio Hibernię populo incorrigibiliter inuoluta. Fuerat autem in ore populi, verbum celebre, quod quam cito fons quidam terræ illius (qui ex reuerentia, de barbara ſuperſtitione ſibi exhibita, operculum habebat & ſignaculum) diſcoopertus relinqueretur: tanta ſtatim inundatione fons exuberaret, vt totam prouinciam illam & gentem ſimul dilueret, & deleret.

Contigit autem aliquando mulierculam quandam hauriendi cauſa ad fontem acceſſiſſe, quæ vaſe impleto, nec dum fonte ſignato, ad paruulum ſuum, quem tamen non procul inde poſitum plorantem audiuit, commota mater eius ocyus occurrit, & quia vox populi vox Dei: maturans reditum tanta ſcaturigine fontem exuberantem offendit, vt & ipſam ſtatim cum puero totamque gentem illam & pecora tanquam diluuio quodam particulari ſeu prouinciali in hora ſubmergeret. Cumque totam terræ illius faciem aquarum iam velaret vbertas, ſtabilis permanens ſtagnum fecit. Tanquam terram tam turpium contra naturam facinorum conſciam non tantum primis, ſed & cunctis impoſterum habitatoribus indignam, author naturæ iudicaſſet.

Huius

Huius autem euentus argumentum eſt non improbabile, quod piſcatores aquę illius turres eccleſiaſticas, quæ more patriæ arctæ ſunt & altæ, necnon & rotundæ, ſub vndis manifeſte ſereno tempore conſpiciunt, & extraneis tranſeuntibus, reique * cauſas admirantibus frequenter oſtendunt. Haud longe diſſimiliter regio Pentapolis ob deteſtandi criminis culpam, in lacum bituminoſum (qui & mare mortuum & ſterile dicitur, quia nec aues, nec piſces, nec quicquam in eo viuere valeat) eſt conuerſa. Primum tamen igne ſulphureo cœlitus emiſſo, funditus exuſta eſt, deinde perpetua inundatione ſubmerſa. Et ſic propter exceſſus enormitatem duplici fuerat contritione deleta.

* caſum.

Notandum autem, quod fluuius ille, qui nunc in magna quantitate de lacu deſcendit: à primo poſt diluuium Bartholani tempore, de prædicto fonte, aliis opitulantibus aquis originem trahẽs, per eandem terram, longe tamen in minore quantitate manauit: & de nouem principalibus fluuiis vnus hic fuit.

De piſce tres dentes aureos habente.

Cap. X.

NON * multo ante aduẽtum Anglorum in Inſulam tempore, in Vltonia apud Carlenfordiam inuentus eſt piſcis tam quantitatis immenſæ, quam qualitatis inuſitatæ. Inter alia ſui prodigia, tres dentes (vt fertur) aureos habens, quinquaginta vnciarum pondus continentes. Quos aureos quidem exteriore quadam ſimilitudine, autiq; nitore potius, quam natura crediderim, aſſumpti coloris fuco, aurea forte imminentis, & proximo futuræ conquiſitionis tempora præſagientes. Noſtris quoque diebus in Britannia maiori, foreſta ſcilicet Dunolmenſi, inuenta & capta eſt ceruа, omnes in ore dentes aurei coloris habens.

* Biennio elapſo.

De inſulis Borealibus, quarum fere omnium dominium Noruvagienſes habent.

Cap. XI.

IN Boreali Oceano trans Vltoniam & Galwediam ſunt inſulæ variæ, ſcilicet Orchades, & * Inchades, & aliæ multæ: quarum fere omnium dominium & ſubiectionem Norwagienſes obtinuerunt. Licet enim aliis regionibus longe propinquius adiaceant, gens magis tamen iſta ſcrutatrix Oceani præ omni gente pyraticam vitam ducere ſolet. Vnde & omnes eorum expeditiones & bella, nauali certamine fiunt Notandum autem, quod tam Oroſius quam Iſidorus, ttiginta tres Orchadum inſulas eſſe deſcribunt, quarum viginti deſertæ, tredecim incoluntur. Hodie tamen maior earum pars eſt habitata.

* Leucades.

De Inſula primo inſtabili, tandem per ignem ſtabili facta.

Cap. XII.

INTER alias vero inſulas eſt vna nuper nata: quam phantaſticam vocant, cui talis euentus originem dedit. Die quodam ſereno emerſit in mari cumulus terræ non modicus: vbi nunquam antea terra viſa fuerat, videntibus atque admirantibus inſulanis. Quidam enim ex iis dicebant Balenam, vel aliam marinam beluam monſtruoſam eſſe. Alii vero conſiderantes, quod ſine omni motu perſiſteret, dicebant: Nequaquam, ſed terra eſt. Vt autem hanc ambiguitatis conditionem certitudo dirimeret, electi iuuenes de inſula quadam propinquiore illuc nanicula remiſſque adire ſtatuerunt. Accedentes vero tam prope, vt applicare iam ſe arbitrati fuerint: tanquam in mare deſcendens ab oculis eorum inſula prorſus euanuit. In craſtino vero ſimiliter apparens, eoſdem iuuenes ſimili deluſione decepit. Tertio tandem die ſenioris cuiuſdam conſilio accedentes, ſagittam igniti ferri in inſulam præmiſerunt, & ſic applicantes terram ſtabilem, & habitabilem inuenerunt. Multis itaque patet argumentis, phantaſmati cuilibet ignem ſemper inimiciſſimum. Vnde & qui phantaſmata viderunt, igneum ſplendorem incontinenti ſine paſſione ſyncopita non admittunt. Ignis enim tam ſitu quam natura elementorum digniſſimus, tanquam cœleſtium conſcius eſt ſecretorum. Igneum cœlum, ignei Planetæ, igne rubus accenſus, nec incenſus erat. Igneis linguis in Apoſtolos Spiritus Sanctus inſedit.

De Hiſlandia, quæ gentem breuiloquam, & veridicam habet, & iuramento non vtentem.

Cap. XIII.

EST & Hiſlandia Borealium Inſularum maxima, trium dierum naturalium nauigatione in Aquilonares partes ab Hibernia remota. Gentem hæc breuiloquam & veridicam habet. Raro namque breuiq; fungens ſermone: iuramento non vtitur: quia mentiri non nouit. Nihil enim magis quam mendacium deteſtatur. Gens hæc eodem vtitur Rege, quo ſacerdote: eodem Principe quo Pontifice. Penes enim Epiſcopum tam regni quam ſacerdotii iura conſiſtunt. Nunquam hic aut rariſſime vel coruſcant fulgura, vel cadunt fulmina, vel terrent tonitrua. Sed habent econtra peſtem aliam & longe maiorem. In anno namque ſemel vel biennio per aliquam inſulæ partem ignis emergens in modum turbinis cum vehementia ſpiritus excurrens, quicquid obuiam offendit, funditus exurit. Sed iſte ignis vnde cauſaliter vel infra, vel deſuper ortum habeat, incertum habetur. Hæc terra Girofalcones & accipitres grandes gignit & mittit.

De voragine maris naues abſorbente.

Cap. XIIII.

NON procul ab inſulis à (ex) parte Boreali, eſt maris quædam miranda vorago: ad quam à remotis partibus omnes vndique marini fluctus tanquam ex condicto confluunt, & concurrunt, qui in ſecreta naturæ penetralia ſe ibi transfundentes, quaſi in abyſſum vorantur. Si vero nauem hac forte tranſire contigerit, tanta rapitur & attrahitur fluctuum violentia: vt eam ſtatim irreuocabiliter vis voracitatis abſorbeat. Quatuor huiuſmodi Oceani voragines à quatuor oppoſitis mundi partibus Philoſophi deſcribunt Vnde & tam marinos fluxus, quam etiam Æolicos flatus cauſaliter prouenire nonnulli coniectant.

*De * Mania inſula, quæ ratione venenoſorum vermium, quos admittit, Britanniæ cenſetur applicanda.* *Mona vel Manna.

Cap. XV.

EST inſula quædam inter minores inſulas non modica, quæ nunc Mannia vocatur: antiquitus tamen Ewania dicta, medio (vt aſſerunt) libtamine inter Boreales Hiberniæ & Britanniæ partes porrecta. De qua, vtri terrarum applicari de iure debuerat, ab antiquis non mediocritet ambigebatur. Demum tamen in hunc modum lis iſta quieuit. Quoniam enim aduectos peticuli cauſa venenoſos hæc terra vermes admiſit: eam Britanniæ applicandam, communis omnium cenſura dictauit.

Quod longe poſt diluuium, nec ſubito ſed paulatim, & quaſi per eluuionem Inſulæ natæ ſunt.

Cap. XVI.

SIVE ante diluuium, ſiue per diluuium inſulę natę fuerint, eum cuncta animanrium ſemina in archa concluſa fuerint: non indignum videtur dubitatione, qualiter animalia nociua, nec non & reptilia venenoſa, inſulas impleuerint remotiores: cum ea conſtet neminem ſani capitis vnquam transferre voluiſſe. Probabiliter tamen ad hoc dici poteſt, longe poſt diluuium, terra muluplicatis iam animantibus vbique repleta, non violenter, & ſubito, ſed paulatim, & tanquam per eluuionem Inſulas natas fuiſſe. *alluuionem.

De Thyle Occidentali inſula, quæ apud Orientales eſt famoſiſſima: cum Occidentalibus ſit prorſus incognita.

Cap. XVII.

MIRVM de Thyle, quæ inter Occidentales vltima fertur inſulas: quod apud Orientales tam nomine quam natura ſit famoſiſſima: cum Occidentalibus ſit prorſus incognita. Vergil. Auguſto: & tibi ſeruiat vltima Thyle. Solinus inter multas, quæ circa Britanniam ſunt inſulas, Thylen vltimam eſſe commemorat. In qua æſtiuo ſolſtitio dicit eſſe noctem nullam. Brumali vero perinde diem nullum. Vltra Thylen vero pigrum & concretum mare: tam Solinus quam Iſidorus eſſe commemorat.

Thylen vero vltimam Oceani inſulam Iſidorus inter Septentrionem, & Occidenta-

dentalem plagam vltra Britannniam ſitam eſſe deſcribit, à ſole nomen habentem, quia in ea æſtiuum ſolſtitium ſol faciat, & nullus vltra eam dies ſit. Sed adeo Occidentalibus incognita eſt hæc inſula: vt nullā Occidentalium vel etiam ſeptentrionalium Inſularum nedum naturam vel etiam nomen hoc habere conſter. In remotiſſimis tamen Arctoæ regionis partibus ſol regnans à Cancro aliquot noctium tempore iuxta limbum terræ (ſupra horizontem tamen) continue ab incolis circumeundo videtur. Eodē quoq; à Capricorni* ſydere reuertēte: quaſi ſub opacis Antarctici poli finibus totidem dierum ſpacio deſiderati luminis ſplendor euaneſcit. Aut ergo Thyle fabuloſa non minus quam famoſa eſt inſula: aut in vltimis & extremis Borealis Oceani ſeceſſibus longe ſub Arctico polo requiratur. Vnde & Oroſius certius aliis de incertis loquens, Tylen dicit per infinitum à ceteris ſeparatam vndiq; terris, Circium verſus medio ſitam Oceano, vix paucis notam haberi. Auguſt. tamen * 21. lib. de ciuit. Dei, Thylen dicit Indiæ Inſulam eo præferri ceteris terris, quod omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. Vnde & in India eſſe videtur. Sed æquiuocatio te non decipiat, quam in obliquo reperies, non in recto. Illa enim Tylis: hæc Tyle vocatur. Vnde & Iſidor. Tylis inſula eſt Indiæ, foliis omni tempore virens. Iterum & Solin. Tylis inſula Indiæ eſt, & affert palmas, oleam creat, vineis abundat, terrarum omnes ſola miraculo vincit, quod quæcunq; in ea arbor naſcitur, nunquam caret folio.

* al. ſidere.
* al. 16.

De chorea Gygantum, ab Hibernia in Britannia tranſlata.

Cap. XVIII.

FVit antiquis temporibus in Hibernia lapidum congeries admiranda, quę & chorea Gygantum dicta fuit: quia Gygantes eam ab vltimis Africæ partibus in Hiberniam * attulerant, & in Kyldarenſi planicie, non procul à caſtro * Naſenſi, tam ingenii quam virium opere mirabiliter erexerant. Vnde & ibidem lapides quidam aliis ſimilimi, ſimiliq; modo erecti: vſq; in hodiernum conſpiciuntur. Mirum qualiter tanti lapides, tot etiam, & tam magni vnquam in vnum locū vel congeſti fuerint, vel erecti, quantoq; artificio lapidibus, tam magnis & altis, alii ſuperpoſiti ſint, non minores: qui ſic in pendulo & tanquam in inani ſuſpēdi videntur, vt potius artificum ſtudio, quam ſuppoſitorum * podio inniti videatur. Iuxta Britannicam hiſtoriam lapides iſtos Rex Britonum Aurelius Ambroſius diuina Merlini diligētia, de Hibernia in Britanniam aduehi procurauit: & vt tanti facinoris egregium aliquod memoriale relinqueret: eodem ordine & arte, qua prius in loco conſtituit, vbi occultis Saxonum cultris, Britanniæ flos cecidit: & ſub pacis obtentu, nequitiæ telis, male tuta regni iuuentus occubuit.

* accumulauerant.
* al. Kyldarenſi. & iuxta quoſdā in monte de Lublavan, iuxta alios apud Obelen prope caſtellum de Naas
* id eſt, baſi vel fulcimento.
Vide Chro. Ang. Credo eum Stanes vel potius Stonege ſignificare: qui locus iuxta viam, qua ab occidentalib. Anglorum populis Londinū itur, ſitus eſt, miraculo lapidum celebris.

De mirabilibus noſtri temporis: & primo de lupo cum ſacerdote loquente.

Cap. XIX.

NVnc ea, quę noſtris hic temporibus digna ſtupore contigerunt, explicemus. Circa triennium ante aduentum comitis Ioannis in Hiberniam: contigit quendam ſacerdotem de partibus Vltoniæ verſus Mediam itinerantem in ſylua quadam coniunctam Mediæ pernoctaſſe. Cumq; ad igniculum, quem ſibi ſub arbore quadā frondoſa congeſſerat, vno tantum comitatus puerulo lucubraſſet: ecce lupus ad eos accedens, qui & ſtatim in huiuſmodi verba prorupit: Securi eſtote, & nolite timere. Non enim trepidandum vobis eſt, vbi timor non eſt. Cumq; ipſi tanto vehementius conſternatis animis obſtupuiſſent, verba de Deo ſana ſubiunxit. Et obteſtatus à ſacerdote, adiuratuſque per Deum omnipotentem, & per fidem Trinitatis, ne eis noceret, & quænam creatura fuiſſet, quæ ſub beſtiali forma humana verba proferret: catholicum in omnibus reſponſum præbens: tandem tamen ſubiecit: De quodam hominum genere ſumus Oſſyrienſium: vnde quolibet ſeptennio per imprecationem ſancti cuiuſdam Natalis ſcilicet Abbatis, duo videlicet, mas & fœmina, tam à formis, quam finibus exulare coguntur. Formam enim humanam prorſus exuentes: induunt lupinam.

Completo vero ſeptennii ſpacio, ſi forte ſuperſtites fuerint: aliis duobus ipſorum loco ſimili conditione ſubrogatis, ad priſtinam redeunt tam patriam quam naturam. Et mihi quidem peregrinationis huius ſocia non procul hinc grauiter infirmatur. Cui, ſi placet, iam in extremis agenti, ſacerdotale ſolatium intuitu diuinæ pietatis indulgeas.

Quo

Quo dicto, lupum præcedentem vſque ad arborem quandam ſatis propinquam, presbyter ſequitur tremebundus. In cuius concauitate lupam conſpicit ſub ſpecie ferina gemitus & planctus humanos emittentem. Quæ ſtatim vt ipſum vidit, præmittens ſalutationē ſatis humanam: gratias etiam Deo retulit, quod in tali articulo, tanto eam ſolatio dignatus eſſet viſitare: & ſic vſq; ad extremam communionem à ſacerdote cuncta rite peracta ſuſcepit: quam & ipſam conſtanter efflagitauit, attentius ſupplicans, vt viatici largitione beneficium conſummaret. Quo ſacerdos cum ſe carere firmiter aſſeruiſſet: lupus qui parumper abſceſſerat, iterum acceſſit, oſtendens ei paruulum librum manualem, & aliquot hoſtias conſecratas continentem: quę more patriæ presbyter itinerans, ſub indumento, à collo ſuſpenſa deferebat. Rogabat etiam, ne Dei donum & ſubſidium eis diuina prouidentia deſtinatum, aliquatenus denegaret. Et vt omnem abſtergeret dubietatem, pede quaſi pro manu fungens: pellem totam à capite lupæ retrahens, vſque ad vmbilicum replicauit. Et ita ſtatim expreſſa forma vetulæ cuiuſdam apparuit. Quo viſo, tandem ſacerdos obnixe poſtulantem, & deuote ſuſcipientem: terrore tamen magis quam ratione compulſus communicauit, & ſtatim à lupo pellis retracta, priori formæ ſe coaptauit.

His ergo rite potius quam recte peractis, humanam potius quam beſtialem ſocietatem eis ad igniculum nocte tota, lupus exhibuit. Mane vero facto, extra ſyluam ipſos conducens, presbyteroque præbens iter, viam ei certiſſimam longe præoſtendit. Multas etiam ſacerdoti ſuper impenſo beneficio gratias in diſceſſu referebat: promittens efficaciores multo ſe ei gratias relaturum, ſi Dominus eum ab hoc exilio, cuius iam duas partes compleuerat, reuocauerit. Inter vltima vero confabulationis huius verba: quæſiuit presbyter à lupo, vtrum gens inimica, quæ in inſulam ſuperuenerat, olim foret, diuque in ea permanſura. Cui lupus: Propter peccata, inquit, populi noſtri, & vitiorum enormitates, ira Dei deſcendens in generationem prauam, dedit eam in manus inimicorum. Quamdiu ergo gens ea mandata Domini cuſtodierit, & in viis eius ambulauerit: tuta manebit, & inconuulſa. Sin autem (quia procliuis eſt curſus ad voluptates, & imitatrix eſt natura vitiorum) ad noſtros ex conuictu mores forte condeſcenderint: diuinam in ſe quoq; proculdubio vindictam prouocabunt.

Similem quoque ſententiam in Leuitico reperies: Domino ad populum Iſraeliticum loquente in hunc modum. Omnes execrationes iſtas, prædictas ſcilicet fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo, ne & vos ſimiliter euomat, cum paria feceritis: ſicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos. Totum hoc autem poſtmodum contigit primo per Chaldæos, & poſtea per Romanos. Item & in Eccleſiaſtico: Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.

Biennio vero poſt elapſo, contigit me per Mediam tranſitum feciſſe, vbi Epiſcopus terræ illius ſynodum tunc forte conuocauerat, Epiſcopos etiam & Abbates vicinos aſciuerat, vt ſuper hac re (quam ex ſacerdotis confeſſione iam didicerat) quid agendum illi foret, communicato concilio certius inſtrueretur. Audiens ergo me tranſire per partes illas, duos mihi de clericis ſuis tranſmiſit, rogans vt tanto negotio tractando, in propria perſona, ſi fieri poſſet, intereſſem: ſin autem, de aſſenſu meo literis ſaltem eos certificarem. Audito ergo ab illis ſeriatim negotio (quod & prius tamen ab aliis audieram) quia cauſis quibuſdam vrgentibus adeſſe non potui: literarum beneficio, conſilio quidem abſens non fui. Cui & Epiſcopus cum ſynodo obtemperans: ſacerdotem ipſum cum literis ſuis rem geſtam & ſacerdotis confeſſionem continentibus, appoſitis etiam Epiſcoporum & Abbatum, qui intererant, ſigillis, ad ſummum Pontificem deſtinauit.

Non itaque diſcredendum eſt, ſed potius fide certiſſima eſt amplectendum: diuinam naturam pro ſalute mundi, humanam naturam aſſumpſiſſe: cum hic ſolo Dei nutu ad declarandam ſui potentiam & vindictam, non minori miraculo humana natura lupinam aſſumeret. Sed animal huiuſmodi brutum an homo dicetur? Animal namque rationale à bruto longe alienum videtur eſſe. Præterea animal quadrupes, pronum in terram, nec riſibile: humanæ naturæ quis adiunget? Item, qui hoc animal occiderit: nunquid hominem occiderit, & homicida dicetur? Sed miracula diuina, non in rationem humanæ diſputationis trahenda ſunt, ſed admiranda. Auguſtinus tamen 16. lib. de Ciuit. Dei, cap. 8. vbi de monſtroſis hominum generibus, quos oriens parit, quæſtionem mouet: quorum quidam caninis capitibus, alii vero capite

carentes,oculos in armis habere dicuntur: & variis deformati formis, vtrum à primo parente propagati teuera homines dicendi ſunt: tandem ſubiungit. Idem de iſtis ſentiendum eſt: quod & de monſtruoſis hominum partubus, quos fieri perſæpe audimus, & quicquid hominis definitionem (animal ſcilicet rationale mortale) ſub quacunque forma recipit: illud hominem eſſe vera ratione teſtatur. Idem in 18. libro de Ciuitate Dei, cap.18. refert de Archadibus, qui forte ducti, tranſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi conuertebantur in lupos: & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta viuebant. Si autem carne non veſcerentur humana: rurſum poſt annos nouem *tenato ſtagno reformabantur in homines. Cumque ibidem de variis hominum in lupos mutationibus ſermonem produxerat, demũ ſubnectit: Nam & nos cum eſſemus in Italia, audiebamus talia, de quadam regione illarum partium: vbi ſtabularias mulieres imbutas iis malis artibus, in caſeo dare ſolebanr (vti dicebãt) viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, & neceſſaria quæq; portarent: poſtq; perfunctâ opera iterum ad ſe redirent: nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem humanamq; ſeruari. Sicut Apuleius in libris, qnos Aſini Aurei titulo inſcripſit, ſibi ipſi refert accidiſſe, vt accepto veneno, humano animo permanente, aſinus fieret.

* al. remoto.

Noſtris quoq; temporibus quoſdam vidimus, qui Magicis artibus imbuti, pingues, vt videbantur, porcos, ſed tantum rubros, ex quacunq; præiacente materia producentes, in nundinis vendebant. Sed hi ſtatim vt aquam aliquam tranſibant euaneſcentes, in propriam & veram reuertebantur naturam. Quantalibet autem induſtria ſeruatis, aſſumpta ſpecies vltra triduum non durabat. Item, vetulas quaſdam tam in Gwallia quam in Hibernia & in Scotia, ſe in leporinã transmutare formam: vt adulterina ſub ſpecie vbera ſugendo, lac alienum occultius ſurripiant: vetus quidem, & adhuc recens frequenſque querela eſt. Dæmones igitur ſeu malos homines ſicut nec creare, ita nec naturas veraciter mutare poſſe, ſimul cum Auguſtino ſentimus: Sed ſpecie tenus, quæ à vero Deo creata ſunt, ipſo permittente, commutant: vt ſcilicet videantur eſſe, quod non ſunt, ſenſibus hominum mira illuſione captis & ſopitis, quatenus res non videantur, ſicut ſe habenr. Sed ad falſas quaſdam & ficticias videndum formas, vi fantaſmatis ſeu magicæ incantationis mirabiliter abſtrahantur.

Sed omnipotentem Deum ſicut naturas creare, ſic & eaſdem, cum voluerit, in ſe inuicem permutare ſeu vindicando, ſeu diuinam potentiam declarando, vel vnam in alteram penitus transferre, ſicut vxoris Loth contra dominicum præceptum reſpiciẽtis in ſtatuam ſalis, ſicut etiam aquæ in vinum mutatione: vel interiore manente natura, ſolum exterius transformare, ſicut in præpoſitis patet exemplis, potentiſſimum eſſe indubitata veritate credendum eſt.

De illa vero ſpeciali panis in corpus Chriſti mutatione, nec ſpeciali tamen, imo verius ſubſtantiali (quia ſpecie tota manente, ſubſtantia ſola mutatur) hic prætereundum rutius exiſtimaui. Quoniam ſupra humanam longe intelligentiam alta nimis & ardua eſt eius complexio.

De muliere barbata, & in tergo criſtata & iubata,

C A P. X X.

DVVENALDVS Rex Limiricenſis mulierem habebat vmbilico tenus prorſus barbatam: quæ & criſtam habuit à collo ſuperius per ſpinam deorſum in modum pulli annui, crine veſtitã. Mulier iſta duplici prodigio monſtruoſa, non Hermaphrodita tamen, ſed alias muliebri natura emollita, ad intuentium tam riſum quam ſtuporem, curiam aſſidue ſequebatur. In ſpinæ quidem piloſitate, neuter. In barbæ vero prolixitate: morem gerens patriæ, non naturæ. Noſtris quoque diebus viſa eſt in Connactia curiam ſequens mulier, vtriuſque ſexus naturam præferens, & hermaphrodita: quæ barbam à dextris per labri vtriuſq; & menti medium more vituli, denſam nimis & longam habebat: faciem vero ſiniſtram, cum labri & menti parte, muliebriter planam, & omni piloſitate carentem.

De ſemiboue viro, ſemiuiroq; boue.

C A P. XXI.

IN partibus de Gwykingelo, tempore, quo Mauritius Giraldi filius terram illam & caſtrum obtinuerat, viſus fuit homo prodigioſus (ſi tamen eum hominem dici fas eſt) habebat enim totum corpus humanum, præter extremitates, quæ bouinæ erant.

A iun-

A iunĉturis namque, quibus & manus à brachiis, & pedes à tibiis porrigunt: vngulas bouis expreſſas præferebat. Caput ei ſine crine totum tam in occipite, quam anteriore parte, caluitio deforme. Raras tamen lanugines per loca pro capillis habens. Oculi groſſi tam rotunditate quam colore bouini. Facies oretenus ſubinde plana, pro naſo, præter duo foramina narium, nullam eminentiam habens. Verba ei nulla, mugitum enim tantum pro ſermone reddebat. Curiam hic Mauritii diu frequentabat, quotidie ad prandium veniens, & quod ei dabatur ad veſcendum, intra fiſſuras vngularum (quas pro manibus geſtabat) * frangens, ori apponebat. *al. ſtringens. Illuſis vero ſæpiſſime Hibernenſibus terræ illius, à iuuentute caſtri, quod tales in vaccis genuiſſent: ex ſuorum malitia & inuidia, quam non meruerat, occulta nece demum interiit.

Parum enim ante aduentum Anglorum in inſulam, ex coitu viri cum vacca Minotaurus. (quo vitio præcipue gens iſta laborat) in montanis de Glindelachan, vitulum vitilem bos edidit: vt credere valeas, ſemibouemque virum, ſemiuirumque bouem iterum fuiſſe progenitum.

Et cum fere per annum inter alios vitulos matrem laĉtendo ſequeretur: tandem quia plus hominis habebat, quam pecoris, ad humanos conuiĉtus transferebatur. Sed & huius animalis interemptor nunquid homicida dicetur? Animal monſtroſum, animal irrationale, omni penitus tam ratione, quam oratione carens, rationalium gregi quis aſſociabit? Præterea animal ereĉtum, riſibile, bipes, ab humana proprietate quis ſeparabit? Nunquid natura

*Os * homini ſublime dedit, cælumque videre*
Iuſsit? *al. bruto.

Sed excurſus huiuſmodi ſunt excuſandi: potiuſq; timenda eſt naturæ vindiĉta, quam diſputatione diſcutienda.

De vacca ceruina.

C A P. XXII.

APVD Ceſtriam Britanniæ, temporibus noſtris ad vaccam ceruus acceſſerat, vnde & vacca ceruina proceſſit. Parte enim anteriore tota vſq; ad inguina bos erat. Coxas ſubinde cum cauda, tibias & pedes expreſſe cum piloſitate, & colore, ceruinos habens. Sed quia plus pecoris quam feræ præferebat: inter armenta reſedit.

De hirco ad mulierem accedente.

C A P. XXIII.

ROTHERICVS Rex Conaĉtiæ hircum habebat domeſticum album tam piloſitate prælonga, quam cornuum elatione ſuo in genere conſpicuum. Hic mulierem quandam, cuius cuſtodiæ deputatus fuerat, beſtialiter adamabat. Cui miſerrima, & potius ſe beſtiam patiendo, quam ille agendo probans: ſe etiam ad abuſum ſupponebat. O indignum facinus & nefandum. O quam enormiter ſenſualitati ſuccumbit ratio? quam denegante naturæ priuilegio in beſtiam bruteſcit beſtiarum dominator, cum bruto animali tam turpi commercio rationale ſe ſubmittit? Quamuis enim vtrunq; deteſtabile nimis ſit, & abominabile: longe tamen minus eſt, bruta rationabilibus in omnibus eſſe ſubieĉta, & quia bruta, & quoniam naturaliter ſeruire parata, licet tamen ad vſum non ad abuſum creata. In metrum ergo natura forte negante prorumpit indignatio:

*Omnia iam nouitate * placent, noua grata voluptas:* *al. innuant.
Et naturalis inueterata Venus.
Arte minus natura placet, conſumitur vſus.
In reprobos ratio, iam ratione carens.
Vis gentiua gemit, violata cupidinis arte:
Et violans vindex publicat ira ſcelus.
Pandit enim natura nephas, proditq; pudorem
Criminis infandi, prodigioſa creans.

De leone mulierem adamante.

C A P. XXIIII.

PARISIIS leonem vidimus, quem Cardinalis quidam Philippo Ludouici Regis filio tunc puero catulum tranſmiſerat. Hic fatuam quandam, Ioannam nomine, beſtiali amore ampleĉti ſolebat. Qui, cum è carcere aliquando erupiſſet: & in tantam

commotus iram, vt auſus accedere nemo fuiſſet, tunc accita Ioanna iram eius & malitiam in continenti mitigabat. Et muliebribus ipſum demulcens illecebris, & quo voluerat ducebat, & omnem ſtatim furorem in amorem conuertebat. O vtramque beſtiam turpi morte digniſſimam: nec tamen modernis tantum temporibus ſcelera huiuſmodi ſunt attentata, verumetiam antiqua tempora maiori innocẽtia & ſimplicitate laudabilia, nefandis huiuſmodi criminibus maculam contraxerunt. Vnde & in Leuitico ſcriptum eſt: Mulier quæ acceſſerit ad omne pecus aſcendenda ab eo, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur. Rei enim ſunt. Pecus interfici iubetur, non propter culpam, à qua beſtialitas excuſat: ſed propter memoriæ refricationem, quæ ad mentem facinus reuocare ſolet. De Paſiphae quoque taurum adamante multorum opinione non fabula quidem, ſed res geſta fuit.

De gallis aliter in Hibernia, quam alibi vociferantibus.

Cap. XXV.

Galli gallinacei non hic, vt alibi terriam & extremã noctis partem à duabus primis, triplici interuallo vociferando diſtinguunt. Parum enim ante diem hic audiuntur, & quãtum alibi à tertia, tantum hic à prima galli voce dies diſtare dignoſcitur. Nec arbitrandum tamen eſt, aliam hic quam alibi gallos habere naturam. Haud aliter enim vociferantur huc aliunde aducti. Sed ſicut breui contenta Britannia nocte eſt: ſic & Hibernia: & tanto breuiore, quanto ſolis adiacet occaſui ſpacio propinquiore. Quanto igitur nox hic contractior, tanto poſt galli cantum dies acceleratior. Vnde & ſemper æſtiuo tempore tanquam aurora ſurgente perclare dieſcat; ex ſolis ſplendore parum ſub terra gyrantis, nocte tota, ſupra horizontem polus albeſcit.

De lupis in Decembri catulos habentibus.

Cap. XXVI.

Lvpi in Hibernia plerunque in menſe Decembri catulos habent: vel propter nimiam terræ temperãtiam, vel potius proditionis & rapinæ incommoda, quæ præmature hic pullulant, deſignantes.

De coruis & vlulis circa natale pullos habentibus aliquando.

Cap. XXVII.

Circa natale, quo Comes Iohannes ab inſula primo diſceſſit: pluribus in Hibernia locis & præcipue circa partes Mediæ, corui & vlulæ pullos habuere, alicuius forte noui & præmaturi facinoris prognoſticantes euentum. Sicut eodem anno terræ illius dominatoris Hugonis ſcilicet de Lacy mors pernitioſa, ſuorum malitia eſt proteſtata.

De miraculis, & primo de pomis, & coruis, & merula S. Keivvini.

Cap. XXVIII.

Nvnc ad miracula tranſeamus. Et à Sancto Keiwino nobili confeſſore & Abbate initium ſumamus. Sanctus igitur Keiwinus cum apud Glindelachan vita & ſanctitate claruiſſet: puer quidam nobilis, quem alumnum habuerat, ægrotans forte poma deſiderabat. Cui Sancto compatiente, & orationem ad dominum fundente, ſalix quædam non procul ab Eccleſia poma protulit, tam puero quam aliis ægrotantibus ſalutifera: & vſque in hodiernum diem tam ſalix illa, quam aliæ ex ea circa cimiterium tranſplantatę, more pomarii (ſalicis tamen alias per omnia tam foliis quam frondibus natura permanente) ſingulis annis poma producunt.

Sunt autem hæc poma alba & oblonga, ſalubria magis quam ſapida: in magna reuerentia ab indigenis habita: quæ etiam ad remotas Hiberniæ partes contra varios conferentia morbos à multis deferuntur, & S. Keiwini poma dicuntur.

Die ſolemnitatis eiuſdem Sancti, corui de Glindelachan, quia fore lac alumni ipſius fuderant, per eius imprecationem nec ad terram deſcendunt, nec cibum ſumunt. Sed circa villam & Eccleſiam cum magno clamore volantes, eo die tam à requie ſuſpenduntur, quam refectione.

In Italia quoque apud vrbem nobilem Rauennam, die ſolemnitatis ſancti Apollinaris, omnes vndiq; corui, cornices, & monedulæ à cunctis Italiæ partibus, ſingulis annis, tanquã ex condicto conueniunt. Quibus eodem die, ex antiqua conſuetudine equi

equi vnius cadauer datur. Si rei iſtius quæſtionem facias, vt rationem quęras: aſſignare non pręſumo. Niſi forte longo ex vſu tractu temporis inolito, & quaſi in naturam iam conuerſo, vbi corpus fuerit, & aquilæ congregantur: vel potius aliquo Sancti illius miraculo iſta contingunt. Vnde & quoniam ab hoc coruorum conuentu, Teutonica lingua, primo Rauensburgh. i. coruorum vrbs eſt dicta: Inde & Rauennam vocatam nonnulli coniectant.

Item decollato in Hiſpania Beato Vincentio, corui qui ad corpus eius, tanquam ad cadauer deſcenderunt: ſtatim omnes occubuerunt. Et quoniam perſonale delictum in genus plęrunque redundat: in auſus illius vindictam, diuina procurante gratia, quam in Sanctis ſuis ipſe mirabilem oſtendit, ab illa ſemper bora circa corpus Martyris corui tanquam excubitores aſſiſtunt. Vnde & eodē corpore à Carthagine, Hiſpanica dico non Africana, Vliſſiponam per mare tranſlato, & corui in naue, circa corpus iugiter affuerunt. In Eccleſia quoque Sancti Vincentii Vliſſiponenſi, in vrbe vbi corpus eiuſdem nobili in feretro reconditum iacet: Corui circa Altare vſque ad moderna fere tempora excubare ſolent: circa ſenarium numerum vel infra, nec ſemper iidem, ſed ſucceſſiue diuerſi. In huius rei ſignum, ſignacula, quæ à peregrinis ab inde deferuntur, cum Martyris imagine inſcriptam etiam corui imaginem habent. Vulgari quoque nuncupatione Sanctus Vincentius de Coruo vocatur: & quod in vita non habuit, poſt mortem euentus agnomen dedit.

In quibuſdam Prouinciæ partibus, cum corpus Beati Firmini Vſceſcienſis Epiſcopi & natione Narbonenſis Vſceſſiam deferretur: bobus forte, qui rhedam trahebant, ad paſcua ſolutis, vnus eorum ab vrſo quodam ſubito eſt deuoratus. Quo comperto, Sanctus Ferreolus, qui & Firmini nepos & nobilis vecturæ procurator extiterat, eidemque Firmino in Epiſcopalem ſedem ſtatim ſucceſſit, diuina obteſtatione ad ſe incōtinenti vrſum aſciuit, qui & eadem accedens hora ſe ſponte iugo ſuppoſuit, & boui perdito quaſi vicarius ad trahendum, deuotuſq; ſucceſſit: & ſic pluribus ab inde miliaribus Firmino Vſceſſiā tam miraculoſe tranſuecto, eiuſdemq; exequiis celebriter ibidem & glorioſe cōpletis, accepta quaſi a Ferreolo licentia, vrſus indemnis ad montana ſeceſſit. Qui, & ſingulis poſtmodum, quādiu vixerat, annis, die ſolemnitatis S. Firmini ad eccleſiam eandem ex conſuetudine veniebat, & omnino beſtiali feritare interim * depoſita, ſe populo quaſi manſuetum palpabilem & tractabilem exhibebat. *al. exuta. Tanq̃ ob auſum pœnalem, crimenq; cōmiſſum ſeruire, pœnamq; ſubire paratus. Vnde & corium eiuſdem, vſq; hodie in eccleſia S. Firmini in veneratione reconditum habetur: & ob tanti miraculi memoriam tranſeuntibus & peregrinis oſtendi ſolet.

In partibus Conſtantinopolitanę regionis, plaga videlicet * Crebonenſi corpore beati Clementis in mari miraculoſe reperto: *Cherſoneſi. ſingulis annis die ſolemnitatis eiuſdem S. & circiter eundem octo, præter ſolitum à ſęculo curſum mare ibidem ſe refluum exhibere, & peregrinis populiſq; deuote accedentibus, reuelata terrę facie, miraculoſum iter oſtendere ſolet. Quibus ſolemniter cōpletis, ad antiquas rediens metas, mare ſpacioſum vndiq; ſe transfundens ſtatim occupat vniuerſa, nec niſi reuoluto fere anni circulo, vlla viæ illius veſtigia cōparebunt. Sic itaq; noſtris diebus in quos fiues ſęculorū deuenerūt, famoſum illud Rubri maris miraculū ſingulis annis ex parte repręſentari ſolet. Igitur benedictus Dn̄s Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus, & benedictum nomen maieſtatis eius in æternū. Quoniam ad declaranda Sanctorum ſuorum merita, & vt glorificatos in cælis, amplius glorificet & in terris: Aues, maria, ferę obediunt ei. Sed hæc hactenus. Ad Keiuinum noſtrum redeamus.

Sanctus igitur Keiuinus quadrageſimali quodam tempore, hominum frequentiā ex cōſuetudine fugiens: ſolitudine quadā tugurio modico, quo à ſole tantū & pluuia defenderetur, ſoli cōtemplationi vacans, lectioni & orationi inſiſtebat, qui cum manū more ſolito per feneſtrā ad cælum eleuaret, ei forte merula inſedit, & quaſi nido fungens, oua poſuit. Cui prædictus S. tanta manſuetudine & patientia cōpaſſus eſt, vt nec manum clauderet, nec retraheret: ſed vſq; ad plenam pullorum excluſionem, eam infatiganter extenderet & aptaret. In huius autem ſigni perpetuā memoriam, omnes imagines Sancti Keiuini per Hiberniam, in manu extenſa merulam habent.

De Cercellis Sancti Colemanni quaſi manſuetis, & ad iniurias fugitiuis.

Cap. XXXI.

EST in Lagenia * ſtagnum modicum, aues Sancti Colemāni continens: anates ſcilicet minores: quæ vulgari vocabulo cercellę vocantur. *al. nemus Hæ à tempore Sancti tam

* al. turbas.

manſuetæ factæ ſunt, vt de manibus cibos ſumant, & vſque hodie hominum *acceſſus non reformident. Sunt autem ſemper quaſi conuentum adimplentes circa 13. numero. Quoties vero vel eccleſiæ & clero, vel ipſis auiculis iniuria fit forte, vel aliqua moleſtia illata fuerit: ſtatim euolantes in lacu quodam procul inde remoto ſe recipiunt: nec ad priorem locum redeunt, donec condigna ſatisfactio fuerit ſubſecuta. Interim vero dum abſentes fuerint: aquæ ſtagni illius, quæ limpidiſſimę prius & claræ fuerant, fœtidæ fiunt, & corruptæ, & nec ad hominum, nec ad pecorum vſus accedunt. Contigit aliquando quodam ibi aquam, nocturno tempore, hauriente, vnam auicularum non ſponte, ſed caſu ſimul hauſiſſe, & cum carnes in aqua illa diu coquerentur, nec excoqui poſſent: tandem auis in olla ſupernatans inuenta eſt prorſus illęſa, quæ cum ad ſtagnum relata fuiſſet, ſtatim carnes excoctæ ſunt.

Contigit etiam temporibus noſtris Roberto filio Stephani cum Dermicio Rege Lageniæ per locum illum tranſeunte, ſagittarium quendam vnam auium illarum ſagitta percuſſiſſe, quam cum ſecum ad hoſpitium detuliſſet, & in olla quadam cum carnibus coquendam impoſuiſſet: trium ignium conſumpta materia, vſque ad mediam noctem coquendo non profecit. Sed iam tertio carnes extractæ: ſemper tamen * minus crudæ repertæ ſunt, quam cum fuerunt impoſitæ. Tandem vero cum hoſpes inter fruſta carnium auiculam conſpexiſſet, audienſque quod de ſtagno illo fuiſſet: ſtatim cum lachrimis exclamauit: Me miſerum, quod vnquam infortunium iſtud in domum meam incidere, & in ea contingere debuit. De auibus enim Sancti Colemanni vna hęc erat. & ſtatim carnes per ſe impoſitæ cocturam, quam amiſerant, admiſerunt. Sagittarius vero non multo poſt rebus humanis miſerabiliter exemptus eſt. Præterea accidit, & miluum, cum vna auicularum iſtarum, quam rapuerat, in arborem, quandam propinquam ſe recepiſſe. qui & multis intuentibus, membris omnibus ſtatim irriguit, nec prędam ſub pedibus prędo reſpexit. Accidit etiam glaciali quodam in tempore vulpeculam auium iſtarum vnam rapuiſſe: quę manè facto in tugurio quodam lacui coniuncto, & Sancti Colemanni conuerſatione olim venerabili, intra fauces, auicula vitalem ſpiritum * pręludente, beſtia inuenta eſt ſuffocata. Relatus igitur ad lacum, auibus prorſus illęſis, optimi patroni beneficio, pręda indemni, mortis pęnas prędo perſoluit vterque.

* al. non minus.

* al. praeludēte.

De lapide, vinum quotidie miraculoſe continenti.

CAP. XXX.

IN auſtrali Momonia, circa partes Corcagiæ eſt inſula quędam, Eccleſiam continēs Sancti Michaelis antiquæ nimis & autenticæ religionis. Vbi lapis quidam eſt extra oſtium eccleſiæ à dexteris, ipſi fere cohęrens oſtio, in cuius ſuperioris partis concauitate, quotidie mane, per merita Sanctorum loci illius, tantum vini reperitur, quantum ad miſſarum ſolemnia, iuxta numerum ſacerdotum, qui ibi eodem die celebraturi fuerint, conuenienter ſufficere poſſit. Simile huic miraculum in Dialogo reperies. Refert enim S. Gregorius de Martino Campaniæ monacho, qui monte Mariſco multis annis in ſpecu anguſtiſſimo incluſus fuerit, cuius hoc miraculum primum fuit, quod vt ſe prędicti montis foramine concluſit, ex petra eadem, quæ in ſe ipſa cōcaua, anguſtum ſpecum fecerat: aquæ ſtilla de nouo prorupit: quæ Dei famulo in vſu cotidiano ſufficeret, & nec plus adeſſet, nec neceſſitati deeſſet.

De Pulicibus à Sancto Nannano deportatis.

CAP. XXXI.

EST in Connactia vicus quidam quem Sancti Nannani illuſtrat Eccleſia: vbi ab antiquo tanta pulicum excreuerat multitudo, vt ea peſtilentia, locus ille fere deſertus, & habitatoribus vacuus extitiſſet: donec interceſſione S. Nannani in pratum quoddam proximum ſunt deportati: vt nec vnus poſtmodum hic reperiri potuiſſet. In tantum igitur meritis Sancti iſtius locum illum vis diuina inundauit. In prato vero tanta ſuperabundat copia, vt non tantum hominibus, verum etiam beſtiis, ſemper maneat inacceſſibile.

De Ratis, per S. Tuorum à Fernigenan expulſis.

CAP. XXXII.

EST in Lagenia prouincia quędam, quę Fernigenan dicitur, quam à Gweſefordia ſolum Slanenſis aqua diſterminat. Vnde mures maiores, qui vulgariter Rati vocantur,

vocantur, per imprecationem Sancti Yuori Epiſcopi, (cuius forte libros corroſerant) prorſus expulſi, nec ibi poſtea naſci, nec viuere poſſunt inuecti.

De Campana fugitiua.

Cap. XXXIII.

EST in Lagenia, in terra ſcilicet Mactalewi campana quędam, quæ niſi à cuſtode ſuo, exorciſmo quodam ad hoc compoſito, ſingulis noctibus adiuretur, & vinculo quolibet vel fragili ligetur: mane in Media apud Clunarech in Eccleſia Sancti Finnani vnde venerat, reperitur: quod & aliquoties certum eſt contigiſſe.

De variis Kyldariæ miraculis: & primo de igne quaſi inextinguibili, cinereque non excreſcente.

Cap. XXXIV.

APVD Kyldariam Lageniæ, quam Glorioſa Brigida reddit illuſtrem, digna memoratu ſunt miracula multa. Inter quæ primum occurrit Ignis Brigidæ, quem inextinguibilem dicunt: non quod extingui non poſſit, ſed quia tam ſollicite tam accurate moniales & ſanctæ mulieres ignem, ſupperente materia, fouent & nutriunt: vt à tempore virginis, per tot annorum curricula, ſemper manſit inextinctus, & cum tanta lignorum ſtrues tanto in tempore ſit hic conſumpta, nunquam tamen cinis excreuit.

De igne à Brigida ſua nocte ſeruato.

Cap. XXXV.

CVM tempore Brigidæ viginti Moniales hic Domino militaſſent, (ipſa viceſima exiſtente) poſt glorioſum eius tranſitum, tantum vnde viginti ſemper extiterunt, & numerum non auxerunt. Cum vero ſingulis noctibus ſingulæ per ordinem ignem cuſtodiant, nocte viceſima monialis vltima lignis appoſitis, inquit, Brigida cuſtodi ignem iſtum tuum. Te enim nox iſta contigit. Et ſic igne relicto, mane materia more ſolito conſumpta, inextinctus reperitur.

De Sepe circa ignem: intra quem Mas non intrat.

Cap. XXXVI.

VIRGEO quodam & orbiculari ſepe ignis iſte circuitur, intra quem mas non intrat: & ſi forte intrare pręſumpſerit (quod à temerariis quibuſdam nonnunquam attentatum)* diutinam vltionem non euadit. Item mulieribus ſolum, & his non oris flatu, ſed follibus tantum & ventilabris ignem licet exufflare. Item per imprecationem virginis caprarum fœtus hic non proueniunt. Sunt & hic campeſtria pulcherrima, quæ Brigidæ paſcua vocantur: in quæ nullus aratrum auſus eſt mittere. de quibus pro miraculo ducitur, quod licet prouinciæ totius animalia ſolo tenus veſperi herbam corroſerint: mane facto, non minus herboſitas apparebit. Tanquam de paſcuis illis dictum fuerit.

* al. diuinam.

Et quantum longis carpunt armenta diebus:
Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.

De Falcone Kyldariæ quaſi domeſtico & manſueto.

Cap. XXXVII.

A tempore Brigidæ falco quidam egregius locum iſtum frequentabat, qui eccleſiaſticæ turris ſummitati inſidere conſueuerat. Vnde & à populo auis Brigidæ vocabatur, & in veneratione quadam à cunctis habebatur. Hic ad nutum ciuium ſeu militum caſtrenſium tanquam manſueta & ad hoc domeſtica, anates & alias aues, tam campeſtres, quam fluuiales circa planiciem Kyldariæ cum intuentium non modica delectatione perſequi ſolebat: & ad terram ab aere innata velocitate coercere. (Quis enim locus miſeris auiculis relinquebatur, cum homines terram & aquas, auis inimica, grauiſque tyrannus aerem obſidebat?) Mirum de hoc alite: quod circa templum quod frequentabat, parem non admittebat: ſed amoris tempore procul inde ſecedens, & apud montana de Glindelachan ex conſuetudine parem inueniens, naturæ indulgebat. Quo completo, iterum ad Eccleſiam ſolus reuertebatur: Viris Eccleſiaſticis & tunc præcipue cum intra eccleſiarum ſinus & ſepta diuinis deputantur officiis, ſignum præferens honeſtatis. In ipſo diſceſſu primo Domini Comitis Ioannis ab Hibernia, auem (quæ per tot durauerat ſæcula, & delectabiliter Brigi-

Brigidæ locum illuſtrauerat)demum prędæ,quam ceperat,minus caute inſidentem,& humanos acceſſus parum euitantem,baculo,quem geſtabat,ruſticus quidam petiit.Ex quo patet,caſum in ſecundis fore metuendum,& vitæ diuturnæ delectabili & dilectæ,parum eſſe confidendum.

De libro miraculoſe conſcripto.

CAP. XXXVIII.

INTER vniuerſa Kyldariæ miracula,nil mihi miraculoſius occurrit:quam liber ille mirandus,tempore virginis(vt aiunt)Angelo dictante conſcriptus. Continet hic liber quatuor Euangeliſtarum iuxta Hieronymum concordantiam:vbi quot paginæ fere ſunt,tot figurę diuerſę variiſque coloribus diſtinctiſſimæ. Hic maieſtatis vultum videas diuinitus impreſſum:hinc myſticas Euangeliſtarum formas:nunc ſenas,nunc quaternas,nunc binas alas habentes. hinc aquilam,inde vitulum,hinc hominis faciem,inde leonis,aliaſque figuras pene infinitas:quas ſi ſuperficialiter & vſuali more minus acute conſpexeris,litura potius videbitur quam ligatura.Nec vllam attendens prorſus ſubtilitatem:vbi nihil tamen pręter ſubtilitatem. Sin autem ad perſpicacius intuendum oculorum aciem inuitaueris:& longe penitius ad artis archana tranſpenetraueris:tam delicatas & ſubtiles,tam actas & arctas,tam nodoſas & vinculatim colligatas,tamque recentibus adhuc coloribus illuſtratas notare poteris intricaturas:vt vere hæc omnia Angelica potius quam humana diligentia iam aſſeueraueris eſſe compoſita. Hæc equidem quanto frequentius & diligentius intueor:ſemper quaſi nouis obſtupeo,ſemperque magis ac magis admiranda conſpicio.

De libri compoſitione.

CAP. XXXIX.

NOCTE prima(cuius mane librum ſcriptor inchoaturus fuerat:)aſtitit ei Angelus in ſomnis figuram quandam tabulæ,quam manu pręferebat,impreſſam ei oſtendens,& dicens.Putas ne hanc figuram in prima libri quem ſcripturus es pagina poſſis imprimere?Cui ſcriptor de tantæ ſubtilitatis arte,de tam ignotæ & inuſitatę rei diffidens notitia:reſpondit.Nequaquam.Cui Angelus.In craſtino die dic Dominæ tuæ: vt ipſa pro te orationes fundat ad Dominum:quatenus ad acutius intuendum,& ſubtilius intelligendum,tibi tam mentis quam corporis oculos aperiat,& ad recte protrahendum,manus dirigat. Quo facto,nocte ſequente iterum affuit Angelus,eandem figuram,aliaſque multas ei pręſentans.Quas omnes diuina opitulante gratia ſtatim aduertens,& memoriæ fideliter commendans,libro ſuo locis competentibus ad vnguem ſcriptor impreſſit. Sic igitur Angelo pręſentante,Brigida orante,ſcriptore imitante,liber eſt ille conſcriptus.

De mirandis Sanctorum refugiis.

CAP. XL.

IN vlteriore Vltoniæ parte ſunt montana quędam,in quibus grues & grutæ,aueſque variæ ſuo in tempore abunde nidificant,propter refugium & pacem non tantum hominibus,verum etiam pecoribus & auibus ab incolis ibidem exhibitam,ob reuerentiam ſcilicet S.Beani,cuius Eccleſia locum illuſtrat. Sanctus iſte miro & inaudito more,non tantum aues,ſed & auium ſuarum oua tuetur. Si enim vt oua rapias,manū admoueas:videas protinus,pullos marcidos & rubros,& tanquam eadem hora iam excluſos.Sin autem manum retrahas cum voluntate,videas iterum ſeu miraculoſe,ſeu fantaſtice contra naturæ curſum pullos in oua vel conuerſos,vel reuerſos. Accedant duo,inſpector ſimul & raptor,hic pullos,ille oua videbit. In Auſtrali Momonia inter collem Brendani & mare ſpacioſum,quod Hiſpaniam interluit & Hiberniam,eſt locus quidam non modicus,vno ex latere fluuio piſcoſo,altero vero riuulo quodam incluſus:qui,ob reuerentiam S.Brendani aliorumque loci illius Sanctorum,nō tantum hominibus & pecoribus:verum etiam ipſis feris tam aduenis quam indigenis refugium pręſtat inauditum. Vnde non tam cerui quam apri & lepores,alięque ferę cum canes è veſtigio ſequentes nullatenus fugere poſſe ſe pręſentiunt:à partibus procul inde remotis ad locum iſtum quantocius transferuntur. Qui vt riuulum pertranſierunt,canibus ibidem curſum ſiſtentibus,nec vlterius inſequentibus,abomni ſtatim periculo tuti fiunt.Mira Dei virtus quod Sanctorum meritis,nec natura vorax,nec venator inſtigans & præda pręcurrens,prędones impios & pertinaces promptam tranſue-

tranſuehunt ad rapinam. In duobus refugiis iſtis ex longo pacis vſu, quaſi domeſticæ, hominum frequentiam aues & feræ non refugiunt. Ex altero loci prędicti latere fluuius illabitur piſcoſiſſimus & pręcipue Salmonibus ad miraculum vſque fæcundiſſimus. Hoſpitalitatis namque gratia, quam Sancti ibidem viri pro viribus, imo longe ſupra vires, in peregrinos & aduenas infatiganter exercere ſolebant: ad charitatis explendæ tam ſufficientiam, quam experientiam, piſcium indulta eſt copia tanta. Et ne auaritiæ ſtimulis, (vt aſſolet) ad emolumentum mercimoniale cupidos mortalium animos ipſa prouocaret abundantia ad Mannæ modum remedium diuinitus eſt indultum, vt nunquam vltra primam capturæ noctem piſces vtiliter reſeruentur: Quãtumlibet enim ſale condiri: putredini tamen ſemper obnoxii, inſipidi manent & inſulſi. Nec arte quãtalibet in craſtinum reſeruati, vel ad vſum prouenient, vel ad eſum.

De ſaltu Salmonis.

C a p. XLI.

Præterea fluuius iſte natiuam quandam rupem transfluit & tranſcurrit, nec niſi cum impetu magno ab alto (vt aſſolet) ad ima deſcendit: In ſummitate rupis iſtius eſt modica quędam concauitas ſanctorum virorum manibus olim exculpta: ad quam Salmones abundanti in copia ab imis ad ſumma, quantum haſtæ longiſſimæ eſt altitudo: ſaltu mirabili transferuntur, & (niſi piſcis proprietas hoc exigeret) miraculoſo. Hoc enim piſcium genus, ſaltum appetit ex natura. Vnde & à ſaltu Salmo nomen accepit.

De modo ſaliendi.

C a p. XLII.

Modvs autem ſaliendi, & proprietas hæc eſt. Piſces huiuſmodi naturaliter aquæ curſum contra nitentes (ſicut enim auibus contra flatus, ſic & piſcibus contra fluctus mos eſt eniti) cum obſtaculum inueniunt valde pręruptum, caudam ad os replicant: Interdum etiam ad maiorem ſaltus efficaciam, caudam ipſo ore cõprimit: dumque à circulo huiuſmodi ſe ſubito reſoluunt, cum impetu quodam, tanquam ſubita virgæ circulatæ explicatione, ſe ab imis ad alta cum intuentium admiratione, longe tranſmittunt. Similis huius in Auenpliphenſi fluuio non procul à Dublinia ſaltus reperitur, ſed non tantus. Auſtrali quoque in Gwallia, Teiuenſi ſcilicet in fluuio tertius eſt ſaltus, & trium pręruptiſſimus.

De vita S. Brendani.

C a p. XLIII.

Ea vero quę de S. Brendano tam miraculoſe referuntur, & in ſcripta etiã ſunt redacta: quanto quidem labore, ſeptenni nauigatione mare luſtrauerit; De Anglorum multiformi ſpecie, De paſchalis ſolemnitatis ſupra monſtruoſam maris beluam annua per ſeptenne ſpacium, celebratione: De miſerrimi illius, nec miſerabilis tamen, Iudæ proditoris in ſcopulo marino poſitione, &, priuilegiatæ lucis beneficio, relegatione ſimul ac religatione, Denique poſt longos & infatigabiles labores, deſyderatiſſima paradyſi terreſtris viſione, & diuina opitulante gratia proſpere demum ad propria reuerſione: incredibilia nimirum videri poſſent: Niſi quoniam credenti omnia ſunt poſſibilia, & quoniam omnia quęcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, & quia mirabilis Deus in Sanctis ſuis, & magnus in omnibus operibus ſuis, ſemperq; mundi extremitates nouis quibuſdam prodigiis pollent. Tanquam in publico dignitatem obſeruans, licentius natura ludat in priuatis. Hæc autem ſiquis audire geſtierit: qui de vita Brendani ſcriptus eſt, libellum legat.

De Cruce Dubliniæ loquente, & teſtimonium veritati perhibente.

C a p. XLIV.

Nvnc ea quæ circa moderna contigerunt tempora: explicemus. Dubliniæ in Eccleſia S. Trinitatis, eſt crux quædam virtuoſiſſima vultum pręferens crucifixi. Hęc non multis annis ante aduentum Anglorum (Oſtmannorum ſcil. tempore.) pluribꝰ audientibus ſacrum os in verba reſoluit. Contigerat enim quendam ciuium ſuper cõtractu quodam eam ſolam teſtem & quaſi ſponſorem inuocaſſe: proceſſu vero temporis, eo, cum quo contraxerat, pactum penitus inficiante, & pecuniam, quam eius fidei crediderat conſtanter abnegante, de cenſuta ciuium Ironica magis tamen quam ſeria, aſtantibus ad hoc in Eccleſia prędictam multis & audientibus, crux adiurata & obteſtata teſtimonium perhibuit veritati.

De

De eadem Cruce immobili facta

Cap. XLV.

COMITE Ric. primo Dubliniam cum exercitu veniente: Ciues, mente malorum plerunque pręſaga, caſum ciuitatis metuentes, & de defenſione diffidentes, cum fugam iam nauigio machinarentur, crucem illam ſecum ad inſulas aſportare volebant. Quod cum omni conamine & diligentia effectui mancipare tentaſſent, totus ciuitatis populus nec vi, nec ingenio, eam à loco mouere potuerat.

De denario cruci oblato bis reſiliente, & tertio poſt confeſſionem remanente, & ocreis ferreis miraculoſe reſtitutis.

Cap. XLVI.

CAPTA vero ciuitate, cum ſagittarius quidam inter alios denarium ad crucem obtuliſſet: reuertens eundem ſtatim poſt ſe volantem à tergo ſuſcepit. Cui iterum eundem reſumenti, & ad crucem reporranti, vidētibus, & admirantibus multis idem euenit. Tum vero coram omnibus confeſſus eſt, ſe domos Archiepiſcopi intra eccleſiæ illius ſepta eodem die ſpoliaſſe: & ſic pecunia ſuper hoc ei iniuncta, redditiſque vniuerſis, quæ ei obuenerant: tertio denarium eundem cum timore magno & teuerentia ad ctucem retulit. qui & ibidem tum demum ſine motu permanſit. Item Reymundo Comitis Rich. tunc conſtabulario, cum iuuenis quidam de familia ſua ferreas ocreas furto ſuſtuliſſet: tota eiuſdem familia in Eccleſia Sanctæ Trinitatis ſuper crucem pręfatam ſe ab hoc facinore ſacramento purgauit. Nec multo poſt, iuuenis ille reuerſus ab Anglia, quo ſeceſſerat, nemine de ipſo hoc ſuſpicante, ad pedes Reymundi macilentus & miſer ſe proſtrauit, de ſcelere perpetrato & ſatisfactionem offerens, & veniam quęrens. Confeſſus eſt etiam palam & publice ſe tantā à cruce perſecutionem perpeſſum eſſe, vt poſt periurium, ſemper ei in collo graui cum pondere iacuiſſe videretur, ita vt nec poſtmodum dormire, nec requiem vllam habere potuiſſet. His igitur aliiſque virtutibus & ſignis variis in primo noſtrorum aduentu, crux vbique veneranda: ſe venerabilem hic exhibuit.

De frenetico apud Fernas: verbis de præterito futura prædicente.

Cap. XLVII.

TEMPORE quo filii Mauricii caſtrum apud Fernas obtinuerunt: Iuuenis quidam de eorum familia Phantaſticus agnomine vocatus: cum Eccleſiam Sancti Maidoci ſpoliaſſet, in phreneſin raptus ſtatim inſaniuit, & neſcio quo ſpiritu ductus, prophetizare cæpit: & verbis de pręterito futura prędicare. Video, inquit, homines noſtros interfectos (plures etiam ex nomine deſignans) & caſtellum omnino deſtructum, & iam non eſt hic. Sic ergo quotidie non magna cunctorum admiratione vociferabat nec ceſſauit, donec hoſtili inuaſione, cuncta in breui, ſicut pędixerat, ſunt completa.

De ſagittario, qui ſepem Brigidæ tranſiliit inſaniente, & alio tibiam amittente.

Cap. XLVIII.

APVD Kyldaciam ſagittarius quidam de familia Rich. Comitis, ſepem tranſiliens, ignem Brigidæ ore ſufflauit, qui ſtatim reſiliens, demens eſſe cæpit, & cuicunque obuiabat, inſufflans in eius os dicebat, viden? Sic ignem Brigidæ ſufflaui. Sic quoq; per domos totius villæ diſcurrens, vbicunque ignem inuenit: eadem verba ingeminans, eum exufflauit. Tandem vero captus à ſociis & ligatus: rogauit, vt ad aquam proximam duceretur. Ad quam ductus ore deſiccato tantum exhauſit: quod inter eorum manus medius crepuerit, atque expirauerit. Alius vero vt ad ignem intraret, cum tibiam alteram trans ſepem iam poſuiſſet, & à ſociis tamen retractus eſſet, & retentus: pes ille cum crure ſtatim exaruit. Vnde & poſtmodum quamdiu vixit: claudus & imbecillis permanſit.

De Tritici ſemine per imprecationem Corcagienſis Epiſcopi non proueniente: & anno ſequente è ſilgine miraculoſe conuerſo.

Cap. XLIX.

CVM apud Cotcagiam miles quidam terram Sancti Finbarri citra pręſulis aſſenſum occupaſſet, & aratam terram tritici ſemine iam perfunderet: accedens loci

illius

illius Epiſcopus, ex parte Dei & ſanctorum eccleſiæ ſuæ prohibuit, ne terram illã amplius vel violenter occuparet, vel ſeminaret. Quod cum miles prętermittere nullatenus voluiſſet: reuertens Epiſcopus cum lachrymis, Deum, inquit, omnipotentem oro, vt nunquam tibi ad meſſem ſemen iſtud proueniat: Contigit autem eodem anno, in campis illis toto ciuitatis populo vehementer admirante, nõ tantum in ſpicam non proſiluiſſe: ſed nec in herbam, vel vnum granum germinaſſe. Anno vero ſequente, aliis ibidem cum præſulis aſſenſu ſiliginem ſeminantibus, frumentum purum, & ſiligini penitus impermixtum, in Autumno meſſuerunt: vel ſiliginis grano in tritici naturam miraculoſe conuerſo, vel potius prioris anni ſemine tunc non proueniente: vſq; in anni ſecundi meſſem ſancti viri meritis reſeruato.

De Philippo Wigornienſi apud Armatiam paſſione percuſſo: & Hugone Tyrello diuinitus flagellato.

CAP. L.

CVM apud Arthmatiam Beati Patricii ſedem & proprium totius Hiberniæ primatiæ locum, Philippus Wigornienſis, quadrageſimali tẽpore exercitum duxiſſet: & in diebus ſacris à clero ſacto, tributum non modicum violenter extorſiſſet: reuertens cum ſpoliis & anno, non procul ab inde ſubita paſſione percuſſus, vix euaſit. Hugo vero Tyrellus cacabum magnum, qui conuentus clericorum fuerat, cum totius cleri maledictione ad * Luuedenſem ſecum ciuitatem aſportauit. Sed eadem nocte, igne, proprio eiuſdem hoſpitio accenſo, equi duo qui cacabum extraxerant, cum aliis rebus non paucis, ſtatim combuſti ſunt. Pars etiam villæ maxima eadem occaſione igne eſt conſumpta. Quo viſo, Hugo Tyrellus mane cacabum inueniens prorſus illęſum, pecunia ductus, Arthmatiam eum remiſit. Epiſcopus vero * Luuedenſis tunc prẹſens exiſtens, de eodẽ Hugone multis de exercitu audientibus, dixit. Homo iſte, hoc anno magnum infortunium indubitanter incurret. Nunquam enim tot bonorũ virorum lachrymæ, nunquam tot maledictiones ſunt fruſtra prolatæ. Quod & ei per diſcordiam inter ipſum & Hugonem de Lacy, ſuis inſtigantibus, exortam (vnde & regnum fere totum turbari cæperat, & peruerti) anno nondum completo vidimus eueniſſe.

* *Lutuenſem aciem.*

* *Lunenſis.*

De Molendino, quod nec diebus Dominicis, nec de furto, vel rapina, quicquam molit.

CAP. LI.

APVD Oſſyoriam eſt molendinum Sancti * Lucherini Abbatis: quod diebus Dominic is nihil: de furto vero vel rapina nunquam molit.

* *Lutherni.*

De Molendino, quod fœmina non intrant.

CAP. LII.

IN Media apud Fouenam, eſt molendinum quod Sanctus Phechinus in latere cuiuſdam ſaxi miraculoſe nimis, manibus ſuis exculpſit. Hoc ſicut & Eccleſiã ſancti iſtius, mulieres non intrant. Nec in minori reuerentia molendinum iſtud ab indigenis, quã vna Eccleſiarum ſancti eiuſdem haberi ſolet. Contigit autem Hugone de Lacy exercitum per locum illũ ducente, ſagittarium, quendam mulierculam violenter attractã, in ipſo molendino libidinoſe violaſſe. Qui repentina vltione igne infernali in membro percuſſus: vſque in ipſum corpus ſtatim exarſit, & nocte eadem expirauit.

De duobus equis, qui auenam de eodem Molendino raptam comedentes ſtatim interierunt.

CAP. LIII.

ITERVM exercitu ibidem pernoctante, annonam, quam ab eccleſiis & molendino paſſim rapuerant: Hugo de Lacy totam reſtitui fecit, prẹter pauculam auenæ particulam de molendino ſurreptam, quam coram dextrariis ſuis, duo milites occulte reliquerant. Quorum vnus in inſaniam verſus, eadem nocte in ſtabulo confracto cerebro interiit. Alter vero mane (milite, qui inſidebat ei, alios, qui annonam reddiderant, ſuper ficta religione irridente) ſubita & improuiſa morte iuxta latus Hugonis de Lacy vidente & admirante maiori exercitus parte, obiter occubuit.

De ſagittariis apud Fineglas diuinitus condemnatis.

CAP. LIV.

CONTIGIT vero temporibus noſtris Ioue præter ſolitum in Hibernia tonante, & Rege Henrico ibidem expeditionem agente: plurimas ſagittariorum turmas in vico quodam Archipręſulis Dublinenſis, cui nomen Fineglas, aliquamdiu forte

Qqq moram

moram feciſſe: qui & ſtarim in fraxinos, & taxos, arboreſque varias, quas nobilis Abbas Kenacus, aliique viri ſancti (quorum frequens religio locum illuſtrauerat,) propriis manibus quaſi ad ornatum Eccleſiæ, circa cæmiterium olim plantauerant, enormiter & irreuerenter deſęuire cæperunt. Cum enim ſylua propinqua eſſet: non inſolita ſed inſolenti tamen populi praui malicia, & hominum officii illius intemperantia, prędictas arbores quaſdam frondibus mutilatas, alias vero ſtirpitus euulſas, omnes fere in breui igne conſumpſerunt. Et vere officium illud & ab officiendo non per antiphraſin, ſed proprie dictum eſt. Talibus enim aſcripti officiis, officioſiſſime ſemper potius officere parati ſunr, quam proficere. Sed inconrinenti à Deo diuina indignatione (quæ ſibi vindictam reſeruari iuber & ſanctorum ſuorum iniuriam vindicare dignatur & in terris) ſubita quadam & ſingulari peſtilentia percuſſi ſunr, vt pars eorum maxima intra pauciſſimos dies eodem in vico miſerabiliter expiraſſent, diſtricti iudicis examine, vbi deliquerant, foro ſubiacentes. Pars vero reſidua cum nauigio fugæ pręſidium attentaſſet: naufragio ſubmerſa, eundem in extremis tam terræ quam maris dominatorem inuenit. Cuius quidem à facie nec fugere quis poteſt, nec effugere.

Quo fugis ergo manum Regis gens impia Regum?
An neſcis longas Regibus eſſe manus?

quia: Quo fugis ex illo, qui claudit cuncta, pugillo? Sed: Inter mille modos mortis, mors illa timori eſt; qua cæpere mori. Sic ergo veri ſummique Tonantis iram, quam prauitas in terris prouocauerat, Neptunus in vndis vindicauit. Audi namque prophetam Amos. Non erit fuga eius, & qui fugit ex eis non ſaluabitur. Si deſcenderint vſque ad infernum, inde manus mea deducet eos: Et ſi aſcenderint vſque in cœlum, inde detraham eos: Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos.

Et ſi celauerint ſe ab oculis meis in ꝓfundo maris, ibi mandabo ſerpenti & mordebit eos. Et ſi abierint in captiuitarem coram inimicis ſuis, ibi mandabo gladio, & occidet eos, & ponam oculos meos ſuper eos in malum & non in bonum. Audi & Abiam. Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde traham te, dicit Dominus. Audi inſuper Ionam, à facie domini fugientem & tamen hic dicentem. Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam. Super quod Hieronymus audi.

Cum confiteatur Creatorem maris & aridæ, cur aridam relinquens, arbitratur ſe conditorem in mari poſſe vitare? Audi & Pſalmiſtam. Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Quod etiam ſancti terra iſtius, animi vindicis eſſe videntur.

Cap. LV.

HOc autē mirabile mihi & notabile videtur: q; ſicut nationis huius homines hac in vita mortali præ aliis gentib. impatienres ſunr & pręcipites ad vindictam: ſic & in morte vitali, meritis iam excelſi, præ aliarum regionum ſanctis, animi vindicis eſſe videntur. Nec alia mihi ratio euentus huius occurrit: niſi quoniam gens Hibernica caſtellis carens, prędonibus abundans, Eccleſiarum potius refugiis quam caſtrorum municipiis, & pręcipue Eccleſiaſtici viri ſeque ſuaque tueri ſolent: diuina prouidentia ſimul & indulgentia graui frequentique animaduerſione, in Eccleſiarum hoſtes opus fuerat. Vt & ſic ab Eccleſiaſtica pace impiorum prauitas procul arceatur: & ipſis eccleſiis ab irreuerenti populo debita veneratio vel ſeruiliter exhibeatur.

TERTIA DISTINCTIO, DE TERRÆ iſtius habitatoribus.

DE cætero tempus viderur, vt ad primos terræ iſtius habitatores, ſingulosq; ſigillatim diuerſarum nationum aduentus, ſtylum vertamus: qualiterque & quibus ex partibus huc aduenerint, quantamque moram in Inſula fecerint, quoue tenore defecerint, quam breuius & luculentius poterimus,

mus,explicemus. Competens enim otdo depoſcit: vt poſtquã terram ipſam in Oceano fundauimus,ſitum & naturã,variaſq; animantium eiuſdem tã proprietates q̃ defectus,rerumq; nouitates enodauimus: tandem hominẽ ipſum tanq̃ digniorem operis partem,& cuius gratia de cęteris diſſeruimus,introducamus: eiuſq; mores & modos, varioſq;,iuxta fortunæ vices,rerum euentus,vſq; ad noſtra iam tempora,declaremus. Vt ſicut laudabili antiquorũ induſtria noſtri temporis aucta ſunt ſtudia: ſic longe licet inferiore lyra calamoque fragili,diſpari nimis,& valde diſſimili,vt magni,cõponi parua ſolebant,noſtra quoq; diligẽtia,poſterorum ſtudiis aliquid adiicitur: Ne per ignauiam & ſocordiam tempora ducamus ocioſa,& non tanquam cõmuni omnium commodo,ſed nobis ſolum inutiliter,& tanq̃ beſtię,ſine cauſa nati eſſe videamur. O quam pręclariore, quã pręcellentiore prędit ſunt animo,qui pręcioſum illud Dei donum, nobilem ſcil. & incomparabilem ſcientiæ theſaurum non abſcondunt? Sed larga potius laudabiliq; libertate,cunctorum mentibus vel dicendo, vel ſcribendo gratis acceptum,cum ſui incremento gratis impendunt: luculentam quoq; multaq; lucubratione plurimum elaboratam ſapientiæ lucernam, vt omnibus in commune deducta pulchrius eluceſcat,palam exponunt. Sic & eorum digne commendanda videtur intentio, qui (quoniam breues dies hominis ſunt, & tempora tranſitoria) propenſius vigilant & elaborant, egregio aliquo facinore, memoriam ſui in æuum extendere, digniſq; virtutum titulis perlongam facere, vel potius, (quoniam momentanea eſt vita mortique accommoda, quam ſpiramus & expiramus,) perpetuam ſibi mortique penitus impermixtam, ſpirabilem ſcilicet & inexſpirabilem bonorum operum ſtudiis comparare.

De aduentu primo Cæſaræ, ſcil. Neptis Noe ante diluuium.

CAP. I.

IVXTA antiquiſſimas igitur Hibernenſium hiſtorias, Cæſara Neptis Noe audiens diluuium in proximo futurum ad remotiſſimas occidentis Inſulas, quas necdum quiſquã hominum habitauerat,cum ſuis cõplicibus fugam nauigio deſtinauit,ſperã[illegible], vbi nunq̃ peccatum perpetratum fuerat,diluuii vindictã locum non habere. Amiſſis itaq;,quas in comitatu habebat,naufragio nauibus: vna, qua cũ viris trib⁹ & quinquaginta mulieribus vehebatur,naue ſuperſtite: primo ante diluuium anno ad Hibernica littora forte deuenit. Sed licet acute ſatis & laudabili in fœmina ingenio fatalitatẽ declinare ſtatuerit,communem tamen interitum,& fere generalem, nullatenus potuit euitare. Littus igitur in quo nauis illa primum applicuit,nauicularum littus vocatur,& in quo pręfata tumulata eſt Cæſara: vſq; hodie Cæſaræ tumulus nominatur. Veruntamen cunctis fere per diluuium iam deletis,qualiter rerum iſtarum,& tam euentus q̃ aduentus memoria poſt diluuium retenta fuerit: non indignum videtur dubitatione. Sed qui hiſtorias iſtas primo ſcripſerunt: ipſi viderint. Hiſtoriarum enimuero enucleator venio,non etiam impugnator. Sed forte in aliqua materia inſcripta, lapidea ſcilicet vel lateritia(ſicut de arte Muſica legitur ante diluuium) inuenta iſtorum memoria,fuerat reſeruata.

De ſecundo aduentu Bartholani ſcilicet 300. annis poſt diluuium.

CAP. II.

TRECENTESIMO vero poſt diluuium anno Bartholanus Seræ filius de ſtirpe Iaphet filii Noe cum tribus filiis ſuis eorumq; vxoribus,vel caſu vel induſtria,hoc eſt, vel errore vię,vel optima opinione patriæ,Hiberniæ littoribus fertur applicuiſſe. Erãt autem tres filii eius *Languinus,Salanus,Ruturugus. Qui cum nominum ſuorum indicia rebus largiretur extantibus,perpetuam ſui memoriam & quaſi viuacem quandam pręſentiam ſunt inde ſortiti. A primo enim filio *Lagini ſtagnum: A ſecundo mons altiſſimus,qui illi imminet mari, quod Hiberniam interfluit atq; Brytanniam, Salanga nominatur. Cuius ad radices,quia lõgis poſt temporibus S. Dominicus nobile monaſterium conſtruxerat: mons Dominici iam vſitatius nomen habet. Ruturugus vero,qui duobus tertius ſucceſſerat: Ruturugo nomen ſtagno donauit. Sub hoc autem Bartholano geſtorum pauca reperimus inſignia. At vero non alia, niſi fere vaſtiſſima quatuor ſtagna ſubito ex terræ viſceribus eructantia, quatuor nemora ſtudio agricultutæ ſuecisa,& radicitus auulſa,atque in campeſtrem puritatem, non ſine magno multorum ſudore,redacta. Eo enim tempore, tota prope terra pręter montana quædam (& ipſa rariſſima) ſyluis immẽſis,& fruticoſis nemoribus fuerat obſita: vt,vbi exercerẽtur aratra,campana planicies vix inueniretur. Sed etiam adhuc hodie, reſpectu ſyluarum,pauca ſunt hic campeſtria. Bartholanus vero cum filiis ſuis, & nepo-

* Languriue
* Lagurini.

* ſucceſſoribus.

tibus non mediocriter tam in rerum ſucceſſibus proſperari cæpit, quam * ſucceſſionibus. Nam ab aduentu eorum, poſtquam 300. annorum euolutus eſt circulus: ad IX. iam millia virorum ſucceſſionis ſuæ traditur numerus excreuiſſe. Tandem vero in bello magno, quod cum Gygantibus geſſit, potitum victoria (quia mortalium proſperitas neſcit eſſe perpetua & quoniam, faciles dare ſumma Deos, eademque tueri, difficiles: & quia ſummis hunc numina rebus, Creſcendi poſuere modum: In ſe magna ruunt, ſummiſque negatum, ſtare diu: nimiumque graues ſub pondere lapſus) ſubitæ peſtilentiæ, etiam ex aeris forte corruptione, de interemptorum Gygantum cadaueribus exorta: eum cum omnibus fere ſuis aboleuit euentus. Ex illa namque mortalitate ſolus fertur euaſiſſe Ruanus, qui ſcilicet Ruanus, vt antiquæ referunt hiſtoriæ, per multa & plura (quam de facili credi poſſit) annorum curricula, vſque ad tempora Beati Patricii reſeruatus, & ab eo baptizatus fuit. Hic verus, vt aiunt, Hibernicæ hiſtoriæ relator, cuncta gentis geſta, à memoriæ * ſinubus pręnimia antiquitate abolita, ſancto Patricio replicabat. Nihil enim tam fixum animo: quod neglectu & tempore non aboleſcat. Hic quidem Ruanus licet à morte, viuendi quidem inducias extorſerit: pacem tamen non impetrauit. Licet enim vltra communem & conſuetum fluxæ & momentaneę vitæ terminum, mortem * diu diſtulerat: debitam tamen miſeræ carnis fatalitatem non euaſit. Ruanus iſte (prout ex Hibernicis hiſtoriis colligi poteſt) longe trans omnem antiquorum patrum longæuitatem (licet incredibile valde videatur, & calumniæ obnoxium) multis annis vitam produxiſſe perhibetur.

* ſinibus.

* longe.

De tertio aduentu Nemedi, ſcilicet à partibus Scythiæ, cum 4. filiis ſuis.

CAP. III.

PRÆFATIO igitur Bartolano cum omni ſucceſſione ſua, acerbæ continuæq; peſtilentiæ mucrone detrito: aliquandiu terra ſuo nudata cultore remanſit: donec Nemedus Agnominii filius natione Scythicus, cum quatuor filiis ſuis ad deſolatæ littora terræ deuectus eſt. Starium, Gerbauelen, * Antimum, Ferguſiumque hic filios habuit. In cuius Nemedi temporibus, quatuor ſtagna ſubito inopinatoque impetu emerſa, multa nemora & ſyluæ in campos & plana ſunt redacta. Hic tamen cum pyratis, qui Hiberniam grauiter depopulari conſueuerant: 4. bella geſſit crudeliſſima: cui vbique ceſſit victoria. In quadam Auſtralis Hiberniæ inſula, diem demum obiit: quam & ſui nominis perpetuam fecit hæredem. Filiorum autem Nemedi, Nepotum, Abnepotumque ſucceſſio, in breui generis numeroſitate in tantum excreuit, vt totam inſulam fere longe abundantius ſolito, per omnes eius angulos, adimpleſſent. Sed quoniam

* Animum.

Plus grauitatis habent res, quæ cum tempore creſcunt, &
Rara ſolet ſubitis rebus ineſſe fides:

ſicut ſubito in tantã excreuerant multitudinem, ſic ſubitis, & inopinatis rerum euentibus, & caſu longe citiore quam ortu defecerunt. Bellis namque frequentibus, quæ cum Gygantibus geſſerant (quibus tunc temporis abundabat Inſula) variiſque incõmodis & infortuniis maxima pars in breui deleta eſt. Pars vero reſidua tot imminentia ea tempeſtate malorum incõmoda, fugæ pręſidio declinantes, partim Scythiam, partim Græciam nauigio petierunt. Ducentis igitur & 16. annis Nemedi generatio Hiberniam tenuit: & ducentis poſtmodum annis vacua fuit.

De quarto aduentu: quinque ſcilicet fratrum & filiorum Dela.

CAP. IV.

* tenore.

HIs itaque ſeriatim hoc * tempore completis, tandem quinque duces & hic Germani fratres, filii ſcil. Dela: de prædicti Nemedi poſteritate, quæ in Græciam ſeceſſerat, in Hibernia applicuerunt: & eam vacuam inuenientes, in quinq; portiones æquales inter ſe diuiſerunt: quarum capita in lapide quodam conueniunt apud Mediam iuxta caſtrum de Kyllari, qui lapis & vmbilicus Hibernię dicitur: quaſi in medio & meditullio terræ poſitus. Vnde & Media pars illa Hibernia vocatur, quia in medio eſt Inſulæ ſita, de quinque tamen partibus illis famoſis, quarum nomina ſupra poſuimus, nulla eſt hæc. Cum enim prædicti fratres quinque, videlic. Gandius, Genandius, Sagandius, Rutherrargus & Slanius: in quinque partes Inſulam diuiſiſſent: quælibet partium illarũ, ſuam in Media portiunculam habebat, lapidẽ pręfatum contingentẽ: quia terra illa à principio optima fuerat, tam campeſtri planitie, quam fæcunda frugũ fertilitate. Vnde & nullus eorum quinque, expers ipſius eſſe volebat.

Media.

De

De primo Hiberniæ Monarcha, ſcilicet Slanio.

C A P. V.

PROCESSV vero temporis fortuna variante vices, & in breui, vt aſſolet, multa peruertens, Slanius ſolus totius Hiberniæ monarchiam obtinuit. Vnde & primus Hiberniæ, Rex nominatur. Hic primo quinque portiunculas Mediæ redintegrauit, & in vnum coniungens, totam Mediam menſæ Regali appropriauit. Vnde & à principalibus illis quinq; portionibus per Slanium, vt dictum eſt, iam mutilatis: vſque hodie ſegregata ſeparatim per ſe Media iacet, nec tamen quantũ terræ vna illarum quinque, tantum continet iſta: ſed ſolum medietatem. Cum enim à tempore Slanii quælibet illarum quinque partium triginta duos Cantaredos continuerit, 16. tantum Media contenta fuit. Eſt ergo numerus cantaredorum omnium Hiberniæ 176. Dicitur autem Cantaredus compoſito ex vulgari vocabulo tam Brytannica quam Hibernica lingua, tanta terræ portio, quanta 100. villas, continere ſolet. Cum igitur ex his fratribus & eorum ſucceſſione, 9. ſucceſſerunt Reges, parum tamen & citciter annos 30. tantum regnauerunt. Slanius vero in monte quodam apud Mediam tumulatus eſt, quia & ab eius nomine nomen accepit.

De quinto aduentu filiorum Mileſii Regis, de partibus Hyſpaniæ: & qualiter Herymon, & Heberus regnum inter ſe diuiſerunt.

C A P. VI.

DELETA igitur magna ex parte, & plurimum debilitata natione iſta, tum variis inter ſe conflictibus, tum eo potius bello, quod cum alia quadam Nemedi poſteritate, quæ de partibus Scythiæ ſuperuenerat, graui cum diſpendio geſſerat: demum aduenerunt de Hyſpaniæ partibus in 60. nauium claſſe, quatuor nobiles, Mileſii regis filii: qui & ſtatim totam Inſulam, nemine rebellante, ſibi vendicarunt. procedente vero tempore, duo iſtorum nominatiſſimi Heberus ſcilicet & Herymon duas in partes æquales, regnum inter ſe diuiſerunt. Herymoni ceſſit pas Auſtralis: Hebero quidem Aquilonaris.

De fratrum diſcordia, & qualiter interfecto Hebero, de Hibernienſi populo primus Herymon monarcha fuit.

C A P. VII.

CVM aliquandiu autem proſpere ſatis & fæliciter conregnaſſent: (quoniam, Nulla fides regni ſociis: omniſq; poteſtas, Impatiens conſortis erit) cæca malorum mater ambitio, fraterna paulatim diſrũpens fœdera, omne pacis vinculum in breui diſſoluit, & lætis ſe rebus immiſcens diſcordia, cuncta peruertit, & perturbat. Poſt varios igitur fratrum conflictus, & ambiguos ſemper bellorum euentus: tandem Herymoni ceſſit victoria, & in bello quodam interfecto Hebero fratre ſuo, totum Regnum Herymon ſolus obtinuit. qui & de Hibernienſi populo, qui vſq; in hodiernum diem Inſulam habitant: primus Monarcha fuit. A nomine vero prędicti Heberi, ſecundum quoſdam, Hibernienſes nomen traxerunt: vel potius ſecundum alios, ab Hibero Hyſpaniæ fluuio: vnde hi prouenerant. Dicti ſunt & Gaideli: dicti ſunt & Scoti. Sicut enim antiquæ referunt hiſtoriæ, Gaidelus quidam Phænii nepos, poſt linguarum confuſionem, apud Nembrothicam turrim, in variis linguis peritiſſimus fuit. Ob quam peritiam Rex Pharao filiam ſuam Scotiam ei ſociauit vxorem. Quoniam igitur Hibernienſes ab iſtis, vt aiunt, originalem lineam ducunt, à Gaidelo & Scotia, Gaideli & Scoti ſunt, ſicut & nati, ſic & nominati. Gaidelus iſte, vt aſſerũt, Hibernicam linguam compoſuit, quæ & Gaidelach dicitur: quaſi ex omnibus linguis collecta. Scotia quoque pars Inſulæ Brytannicæ Aquilonaris, quia gens originaliter ab iis propagata, terram illam habitare dinoſcitur. Quod tam linguæ, quam cultus, tam armorum etiam, quam morum vſque in hodiernum probat affinitas.

De Gurguntio Brytonum Rege, qui Baſclenſes in Hyberniam tranſmiſit, & eandem ipſis inhabitandam conceſſit.

C A P. VIII.

SICVT Brytannica refert hiſtoria: Rex Brytonum Gurguntius nobilis ille Belini filius, & Brenni famoſiſſimi nepos, rediens à Dacia, quam olim à patre ſuo ſubactam, & ſibi iam rebellem iterum ſubiugauerat: apud Inſulas Orchadum claſſem inuenit: quæ Baſclenſes de Hyſpaniarum partibus illuc aduectauerat. Cum ergo duces eorum ad Regem acceſſiſſent, & vnde huc aduenerint, cauſamque aduentus (vt aliquam ſcilicet terram in Occidentis partibus habitarent) ei propoſuiſſent: cum etiam tanto-

pere iam flagitaſſent, vt aliquam terram eis incolendam traderet: Rex tandem de ſuorum conſilio Inſulam iſtam, quæ nunc Hibernia dicitur, & quæ tunc vel vacua protſus fuerat, vel per ipſum inhabitata eis habitandam conceſſit. De ſuis etiam nauigationis duces ipſis adhibuit. Ex quo patet, non nullo iure licet antiquo, Brytanniæ reges Hiberniam contingere. Legitur quoq; famoſum illum Brytonum Regem Arthurum, Hiberniæ Reges tributarios habuiſſe: & ad magnam vrbis Legionum curiam, quoſdam eorum acceſſiſſe.

De Triplici nouo Iure.

CAP. IX.

PRÆTEREA vrbs Baonenſis Guaſconiæ terminus, & ſub eodem dominio continetur. Eadem quoque Baſcloniæ caput eſt, vnde Hibernienſes prouenerant. Hodie vero Gaſconia & Aquitania tota, eodem quo & Brytannia * regimine gaudet. Duplici quoque præter id nouo iure, Britanniæ Reges ad hoc funguntur. (Cum enim liberum ſit, cuilibet, iuri ſuo renunciare) tam principum illius terræ ſpontanea deditione, & vltronea fidelitatis exhibitione: quam etiam priuilegiata Summi Pontificis confirmatione. In occiduis enim Oceani finibus Ioue tonante, & Henrico Rege Anglorum ſecundo ibidem expeditionem agente: Occidentales Reguli tonitruis eius attoniti, pacis adeptæ beneficio, fulminis ictum præuenerunt. De iis autem plenius ſuo loco dicetur.

* Rege.

De gentis iſtius natura, moribus, & cultu.

CAP. X.

DE Gentis huius tam corporum, quam mentium compoſitione, de vtroque ſcilic. tam interiore cultu, quam exteriore: pauca proponere non ſuperfluum duxi. Homines igitur iſti cum naſcuntur, non accurate, vt aſſolet, nutriuntur. Nam præter alimenta, quibus, ne penitus deficiant, duris, à parentibus ſuſtentantur, per cætera fere cuncta naturæ relinquuntur. Non incunabulis aptantur. Non faſciis alligantur, non frequentibus in balneis tenera membra vel fouentur, vel artis iuuamine componuntur. Non enim obſtetrices aquæ calentis beneficio, vel nares erigunt, vel faciem deprimunt, vel tibias extendunt: ſed ſola natura, quos ædidit, artus, præter artis cuiuslibet adminicula, pro ſui arbitrio & componit & diſponit. Tanq̃ itaq; probans, quid per ſe valeat fingere, nõ ceſſat & figurare, quouſq; in robur perfectũ, pulcherrimis & proceris corporib. congruis & coloratiſſimis vultibus, homines iſtos perduchat & producat. Cæterum licet ad plenũ naturæ dotibus excolantur: barbarus tamen tam barbarum quam veſtium, necnon & mentium cultus, eos nimirum reddit incultos. Laneis enim tenuiter vtuntur, & his omnibus ferme nigris (quia terræ iſtius oues nigræ ſunt) & barbaro ritu compoſitis.

Caputiis namque modicis aſſueti ſunt & arctis, trans humeros deorſum, cubito tenus protenſis: variiſque colorum generibus panniculorumque plerunque conſutis: ſub quibus phalingis laneis quoque palliorum vice vtuntur, ſeu braccis caligatis, ſeu caligis braccatis, & his plerunque colore fucatis. Item ſellis equitando non vtuntur, non ocreis, non calcaribus: virga tantum, quam manu geſtant, in ſuperiori parte camerata, tam equos excitant, quam ad curſus inuitant. Frenis quidem vtuntur, tam chami quam freni vice fungentibus: quibus & equi, ſemper herbis aſſueti, ad pabula nequaquam impediuntur. Præterea nudi & inermes ad bella procedunt. Habent enim arma pro onere. Inermes vero dimicare, pro audacia reputant, & honore.

Tribus tamen vtuntur armorum generibus, lanceis non longis, & iaculis binis: in quibus & Baſclenſium mores ſunt imitati. Securibus quoque amplis fabrili diligentia optime chalybatis, quas à Norwagienſibus & Oſtmannis (de quibus poſt dicetur) ſunt mutuati. Vna tantum manu, & non ambabus in ſecuri percutiunt, pollice deſuper manubrium in longum extenſo, ictumque regente, à quo nos galea caput in collum erecta, nec reliquum corpus ferrea loricæ tricatura tuetur. Vnde & in noſtris contigit temporibus, totam militis coxam ferro vtrinque fideliter veſtitam vno ſecuris ictu præciſam fuiſſe. Ex vna parte equi coxa cum tibia: ex altera vero corpore cadente moribundo. Lapides quoque pugillares, cum alia defecerint, hoſtibus in conflictu damnoſiſſimos præ alia gente, promptius & expeditius ad manum habent.

Eſt

Eſt autem gens hæc gens inhoſpita, gens ex beſtiis ſolum, & beſtialiter viuens, gens à primo paſtotalis vitæ viuendi modo non tecedens. Cum enim à ſyluis ad agros, ab agris ad villas, ciuiumque conuictus, humani generis ordo proceſſerit: gens hæc agriculturæ labores aſpetnans, & ciuiles gazas parum affectans, ciuiumque iura multum detrectans: in ſyluis & paſcuis, vitam quam bactenus aſſueuerat, nec deſueſcere nouit, nec deſcire. Agris igitut paſſim vtuntur, paſcuis parum floridis, cultis parce, cõſitis parciſſime. Sunt enim culti quidem neglectu cultorum agri perpauci. Plurimi tamen ſua natura fettiles & fœcundi. Vacat aruorum virtus in vita: dum & opimis agris deſunt agricolæ, deſuntq; manus poſcentibus aruis.

Pomiferarum autem arborum, quam pauca reperiuntur hic genera: & hoc non telluris natura, ſed cultoris minor facit induſtria. Peregrinas namque arborum ſpecies, quas optime tellus exhiberet, ocioſus cultor non exercet Arborum autem ſpecies quatuor, quas inſula Britannica circa cultoris operam per ſe producit, hic deficiunt: caſtanus & fagus fertiles, * Aralus & buxus fructum non ferẽtes: ſcyphos tamen & manubria largientes. Præ terris autem omnibus, quas intrauimus, longe copioſius amaro hic ſucco taxus abundat, maxime vero in cœmiteriis antiquis, lociſq; ſacris, ſanctorum virorum manibus olim plantatas, & decorem & ornatum, quem addere poterant, arborum iſtarum copiam videas. Item abundat & abiete ſyluoſitas Hiberniæ, thuris & incenſi matre. Metallorũ quoq; diuerſorũ genera, quibus venæ ſcaturiunt interiores, eiuſdem otioſitatis vitio nec ad vſum prodeunt, nec proficiunt. Aurũ enim (quo & abundare quærunt, & quod adhuc Hiſpanico more ſitiunt) commerciorum genera ſcrutantes Oceanum mercatores, aduectant. Item non lino vel lanificio, non aliquo mercimoniorum genere, nec vlla mechanicarum artium ſpecie vitam producunt. Solum enim otio dediti, ſolum deſidiæ dati, ſummas reputant delitias labore carere, ſummas reputant diuitias libertate gaudere. Gens igitur hęc gens barbara, & vere barbara: quia non tantum barbaro veſtium ritu, verumetiam comis & barbis luxuriantibus iuxta modernas nouitates, incultiſſima, & omnes eorum mores barbariſſimi ſunt. Sed cum à conuictu mores formentur (quoniam à communi terrarum orbe in iis extremitatib. tanquã in orbe quodã altero, ſunt tã remoti, & à modeſtis & morigeratis populis tam ſegregari) ſolam nimitũ barbariẽ, in qua & nati ſunt, & nutriti, ſapiunt & aſſueſcunt, & tanquam alteram naturam amplectuntur. Quod igitur in his naturæ, illud optimum: quicquid fere induſtriæ, illud peſſimum eſt.

*forte Alarus legendum.

De gentis iſtius in Muſicis inſtrumentis peritia incomparabili.

Cap. XI.

IN Muſicis ſolum inſtrumentis commendabilem inuenio gentis iſtius diligentiam. In quibus præ omni natione, quam vidimus, incompatabiliter eſt inſtructa. Non enim in his, ſicut in Britannicis (quibus aſſueti ſumus) inſtrumentis, tarda & moroſa eſt modulatio. verum velox & præceps: ſuauis tamen & iucunda ſonoritas. Mirum quod in tanta tam præcipiti digitorum rapacitate Muſica ſeruatur proportio: & arte per omnia indemni inter criſpatos modulos, organaq; multipliciter intricata, tã ſuaui velocitate, tam diſpari paritate, tam diſcordi concordia conſona redditur & completur melodia, ſeu diateſſeron, ſeu diapente chordæ concrepent. Semper tamen ab molli incipiũt, & in idem redeunt, vt cuncta ſub iucundæ ſonoritatis dulcedine compleantur. Tam ſubtiliter modulos intrant & exeunt: ſicq; ſub obtuſo groſſioris chordæ ſonitu, gracilium tinnitus licentius ludunt, latentius delectant, laſciuiuſq; demulcent, vt pars artis maxima videatur, artem velare, tanquam

Si lateat, proſit: ferat ars deprenſa pudorem.

Hinc accidit, vt ea, quæ ſubtilius intuentibus, & artis archana acute diſcernentibus, internas & ineffabiles cõparant animi delicias· ea non attendentibus, ſed quaſi videndo non videntibus, & audiendo non intelligentibus, aures potius onerẽt quam delectent: & tanquam confuſo inordinatoque ſtrepitu inuitis auditoribus, faſtidia pariant tædioſa. Notandũ vero, quod Scotia & Gwallia, hæc propagationis, illa commeationis & affinitatis gratia Hiberniam in modulis æmula imitari nituntur diſciplina. Hibernia quidem tantum duobus vtitur & delectatur inſtrumentis, cythara ſcilicet & tympano. Scotia tribus cythara, tympano & choro: Gwallia vero cythara, tibiis & choro. Æneis quoq; magis vtuntur chordis Hiberni, quam de corio factis. Multorum autem opinione hodie Scotia non tantum magiſtram ęquiparauit Hiberniam, verumetiam in Muſica peritia longe præualet & præcellit. Vnde & ibi quaſi fontem artis iam requirunt.

De commodis & effectibus Muſices.

Cap. XII.

MVsicæ ſonoritatis dulcedo non tantum delectat modulis: quinimo iuuat commodis. Animos itaque triſtes non mediocriter exbilarat. Nubilos vultus ſerenat, ſupercilium ponit, auſteritatem reponit, iucunditatem exponit. Inter omnia iucundiſſima nihil amplius humanos, vel iocundat, vel delectat affectus. Duobus enim ad delicias anima reficitur fomentis & recreatur. Odora ſuauitate ſcilicet, & ſonora. Eſt ſiquidem tam melodia dulciſona, quam odor ſuauiſſimus, cibus eius. Cuicunque ſtudio animum applicueris: ingenium auget, & inſenſibilium officio, ſenſibili tamen effectu, ſenſus augmentat. Vnde & animoſis animoſitates, & religioſis pias fouet & promouet intentiones. Hinc accidit, vt Epiſcopi & Abbates, & ſancti in Hibernia viri cytharas circumferre, & in eis modulando pie delectari conſueuerint. Quapropter & ſancti Keiuini cythara ab indigenis in reuerentia non modica: & pro reliquiis virtuoſis & magnis vſque hodie habetur. Præterea bellica tuba cum ſtrepitu clangoris Muſicam effert conſonantiam, quatenus & clangor altiſonus, congrediendi ſignum cunctis indicet: & conſona ſonoritas animoſis audaciam altius infigat. Item & contraria nonnunquam in contrariis operatut. Huius enim effectu, tam vitioſis interdum voluptas quam virtuoſis & validis virtus accreſcit. Legitur de Alexandro Macedone, ꝙ in quodam familiarium cõſeſſu dulciſonam audiens cytharam, chordas eius inciderit. Interrogatus vero, curnam hæc feciſſet, reſpondit: ſatius eſt chordas incidi, quam corda. Præſenſerat enim (& in hoc humanæ conſuluit imbecillitati) animum ipſius vehementer incendi, licet inuiti, quod tunc his intendebat: Earumque modulatione mollitiis (quibus iam forte addictus fuerat) magis applicari, quam militiis; delitiis quã duritiis: Veneri quã virtuti: voluptati quã voluntati. Affectus enim noſtri noſtræ nequaquam ſubiacent poteſtati. Ad hæc autem morbos lenit & languores: dum exteriori modulatione ad interius operatur: vt vel prorſus deſinat, quod moleſtat: vel certe facilius feratur, quod inquietat. Cunctis igitur confert, multis medetur: dum doloris anguſtias & nullas non mitigat, & nonnullas curat. Dauidica lyra ſpiritum immundum à Saulis vexatione cohibuit, dum & ipſo modulante ceſſauit vexatio: quæ quidem eodem ceſſante, ceſſare neſciebat. His autem illud Salomonis aduerſari videtur: Muſica in luctu importuna narratio eſt. Qui enim inter luctus cantum vltroneus effert: & in ipſo doloris articulo gaudium ſimulat, & voce lætabunda canorus exultat: contemptor aut fatuus eſſe videtur. Veruntamen ſicut paſſio quælibet, dum adhuc recens eſt, & in augmento ſolatium non admittit: ſic tempore miteſcens & conſolari non renuit, & vim doloris paulatim amittit. Quem enim nec ratio mitigat, nec medicina medetur: plerunque dies longior hebetat laxatum dolorem. Siquidem malis omnibus finis de tempore venit. Sic enim compoſita eſt hominum natura: vt vel creſcant ſemper, vel decreſcant: proficiant ſemper vel deficiant: quia ſtare neſciunt res humanæ: & cum ad ſummum peruenerint, longe quidem ocyus quam aſcenderant, properant ad deſcenſum. Itaque ſi tempora diſcernas & modum, in ſingulis modulator ſimul & moderator, obſerues, qui narrator fueras importunus, fieri poteris oportunus.

Quis matrem, niſi mentis inops in funere nati
Flere neget? non hoc illa monenda loco eſt. Igitur
Dum dolor in curſu eſt: currenti cede dolori.
Tempore cum reſidet: * *tum medicina valet.*

* al. iam.

Eſt itaque tanquam conuertibilis Muſica naturæ. Huius enim opera animum ſi intendis, incendis: ſi remittis, amittis. Vnde & gens Hibernica & Hiſpanica, aliæque nationes nonnullæ inter lugubres funerum planctus, muſicas efferunt lamentationes: quatenus vel dolorem inſtantem augeant & recentem: vel forte vt minuant iam remiſſum. Ad tolerandos quoque labores Muſica animum mulcet: & ſingulorum operum fatigationem vocis modulatio conſolatur. Vnde & plerunque mechanicarum artium operarii, laboris ſolatium cantilenæ remedio quærunt. Ipſas quoque beſtias necnon & ſerpentes, ac volucres, & phocas etiam marinas ad auditum modulationis Muſica prouocat harmonia. Et quod vehementius eſt admirandum: fugitiua quoq; apum examina muſico modulamine tam reuocantur, quam retinentur. Phocas vero marinas nonnunquam vidimus, cum nauigio fungeremur, longo maris tractu, nauem è veſtigio ſequentes, & ad cytharæ vel etiam tubæ ſonitum, tam ſuper vndas

das corpus erigere, quam ad auditum aures arrigere. Præterea, vt ait Iſidor. ſine Muſica nulla diſciplina poteſt eſſe perfecta. Nihil enim ſine illa. Nam & ipſe mundus harmonice dicitur eſſe compoſitus: & cœlum ipſum ſub harmoniæ fertur modulatione reuolui. Cuiuſlibet autem ſoni (vnde materiam cantilenæ contrahunt) triformem conſtat eſſe naturam. Prima eſt harmonica, quæ ex vocum cantibus conſtat. Secunda organica, quæ ex flatu conſiſtit. Tertia Rythmica, quæ pulſu digitorum numeros recipit. Nam aut voce editur ſonus, ſicut per fauces: aut flatu, ſicut per tubã vel tibiam: aut pulſu, ſicut per cytharam, aut quodlibet aliud inſtrumentum, quod percutiendo canorum eſt. Illud autem de commodis cytharæ Caſſiodorus ſcribit: & hic interſerere præter rem non putaui. Ait enim: Hæc ſunt commoda cytharæ: Triſtitiam noxiam iocundat, tumidos furores attenuat, cruentam ſæuitiam efficit blandam, ignauiam deprimit, languorem ſoporantem expergiſcit, vigilantibus reddit ſaluberrimã quietem: Humanam à turpi amore ad honeſtum ſtudium reuocat caſtitatem. Sanat mentis tædium bonis cogitationibus ſemper aduerſum. Pernitioſa odia conuertit ad auxiliatricem gratiam, & (quod beatiſſimum genus curandi eſt) per dulciſſimas voluptates, expellit animi paſſiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet, & ſolo auditu ad quod vult deducit. Quod tenere non præualet, tacitus verbo, manibus clamat: ſine ore loquitur. Et per inſenſibilium obſequium præualet ſenſuum exercere dominatum. Miſeratio diuina localiter ſparſit gratiam, dum omnia ſua valde fecit eſſe laudanda. Perpulit quidem Dauidica lyra diabolum, ſonus ſpiritibus imperauit, & canente cythara rex in libertatem rediit, quem internus inimicus turpiter poſſidebat. Facta eſt voluptuoſa digreſſio, nec ſine re tamen, quia ſemper gratum eſt de doctrina loqui cum peritis.

De primis Muſicæ conſonantiæ inuentoribus.

CAP. XIII.

INVENTOR fuit Muſicę conſonantiæ, ſicut in Geneſi legitur, Tubal, de ſtirpe Cain, ante diluuium, qui & dictus eſt pater canentium, in cythara & organo. Et quia Adam audierat prophetaſſe de duobus iudiciis, ne periret ars inuenta ſcripſit eam in duabus columnis, in qualibet totam: vna marmorea, altera lateritia. Quarum altera nõn dilueretur diluuio: altera non ſolueretur incendio. In philoſophicis vero traditur diſciplinis, primo Pythagoram huius artis inueniſſe primordia, ex malleorum ſonitu, & chordarum extenſione percuſſa. Quidam autem Thebæum Linum, Zetum & Anxeon in Muſica arte primos claruiſſe: poſt quos paulatim in tantum hæc adaucta eſt diſciplina, vt tam turpe videretur Muſicam neſcire quam literas.

De Muſicorum inſtrumentorum cultore præcipuo & ornatore.

CAP. XIIII.

REx autem Dauid præcipuus Muſicorum inſtrumentorum & cultor fuerat & ornator. Multorum quidem auctor, omnium adauctor. Pſalterium decem chordarum, & alia inſtrumenta nonnulla adinuenit. Hic etiam Muſicæ virtutis non ignatus, Dominum in Muſicis inſtrumentis laudari monuit: quoniã creator à creaturis multimode laudari non renuit & ipſa modulatio modulantis affectum, ad diuinum amorem altius accendit. Vnde & Auguſtin. in libro confeſſionum: quoties me magis delectat ſonus, quam ſenſus, pœnaliter me peccare confiteor. Optime tamen in Eccleſia ſtatutum eſt, vt quæ in ea ad laudem Dei proferenda ſunt, cum vocis modulatione pronuntientur: vt internæ modulationis effectu corda fidelium ad pietatis opera plenius attendatur. Item & in eodem. Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ, vocibus commotus acriter. Voces igitur illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas in cor meum: & æſtuabat inde affectus pietatis: & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum illis.

De nomine Muſicæ.

CAP. XV.

DICTA autem eſt Muſice à Muſis. Muſæ autem appellatæ ſunt à Græco Mazo, id eſt, à quærendo, quod per eas, ſicut antiqui voluerunt, vis carminum & vocum quæreretur. Sed hæc hactenus, de cetero ad hiſtoriam reuertamur.

Quot

Quot Reges ab Herymone, vſque ad Patritii aduentum regnauerunt: & quod Inſula per ipſum ad fidem eſt conuerſa.

Cap. XVI.

Anno quo S. Auguſt. doctor mortuus eſt, ſcil. 428. miſſus eſt Patritius in Hiberniã: venit vero eo 432. S. Brigida nata 439. obiit Patricius 493. anno ætatis ſuæ 120. Hæc ex quodam vetuſto libro Chronellis inueni.

A Primo igitur gentis huius Rege, ſcilicet Herymone, vſque ad Patricii aduentum 131. Reges de eadem gente in Hibernia regnauerunt. Patritius vero natione Britannus, vir vita & ſanctitate conſpicuus, regnante Lacgirio Nelli magni filio, inſulam intrauit: & gentem inueniens idololatram, varioque errore deluſam, primus in ea diuina opitulante gratia, fidem Chriſtianam, & prædicauit & plantauit. Baptizatis itaq; cateruatim populis, & tota iam inſula ad fidem Chriſti conuerſa: apud Ardmacham ſibi ſedem elegit, quam etiam quaſi metropolim conſtituit, & proprium totius Hiberniæ primariæ locum, Epiſcopos quoque congruis in locis collocauit, vt in partem vocati ſolicitudinis, quod ipſe plantauerat, & ipſi rigarent, Deus autem incrementum daret.

Hic quoque notandum videtur, prædicto Nello Hiberniæ Monarchiam obtinente, ſex filios Muredi Regis Vltoniæ in claſſe non modica Boreales Britanniæ partes occupaſſe. Vnde & gens ab iis propagata, & ſpecificato vocabulo Scotica vocata, vſque in hodiernum Angulum illum inhabitant.

Sed quibus ex cauſis huc aduenerint, qualiterque & quantis proditionibus potius quam expeditionibus Pictorum gentem perualidam, armis quoque & animoſitate longe præſtantem, à partibus illis expulerunt: cum notabilem illam Britanniæ Topographiam declarauimus, enuclearius expedietur. Aliud autem hinc beneficium ſua forte dignitate laudabile, ſtudioſiſq; mentibus appetibile, ſuis temporibus emanabit.

Quod Archiepiſcopi nulli in Hibernia fuerint, ante aduentum Iohannis Papyronis, qui quatuor pallia in Hibernia plantauit, anno domini 1152.

Cap. XVII.

ARchiepiscopi vero in Hibernia nulli fuerant: ſed tantum ſe Epiſcopi inuicem conſecrabant: donec Iohannes Papyrio Romanæ ſedis legatus, non multis retro annis aduenit. Hic quatuor pallia in Hiberniam portauit, quorum vnum apud Ardmachianam poſuit: Alterum apud Dubliniam Epiſcopo tum Gregorio: Tertium apud Caſſiliam: Quartum vero in Connactia in Toeniam. Obiit autem Beatus Patritius, & in Domino quieuit: * Anno ætatis ſuæ 120. ab incarnatione Domini 458. ab aduentu Hibernenſium 1800.

** Alibi. Anno ætatis ſuæ 129. incarnationis dominicæ 493 Pontifi- ante Felice Papa primo, Imperante Anaſtaſio, principante in Britannia Aurelio Ambroſio, in Hibernia autẽ Forkero.*

Quod tria corpora, Patritii ſcilicet, Columbæ & Brigidæ apud Vltoniam in Dunnenſi ciuitate huis noſtris diebus inuenta ſunt, & tranſlata.

Cap. XVIII.

FVERANT autem contemporanei Patricio Sanctus Columba, & Sancta Brigida, & apud Vltoniam, in eadem ciuitate Dunenſi ſcilicet, ipſorum trium corpora ſunt recondita. Vbi & his noſtris temporibus, anno ſcilicet, quo Dominus Comes Iohannes primo in Hiberniam venit, quaſi in ſpelunca triplici, Patritio in medio iacente, aliis duobus hinc inde. Iohanne vero de Curci tunc ibidem præſidente, & hoc procurante, tres nobiles theſauri diuina reuelatione inuenta ſunt, & tranſlata. Vnde verſus:

In burgo Duno, tumulo tumulantur in vno,
Brigida, Patritius, at q; Columba pius.

De Hibernienſibus in fidei rudimentis incultiſſimis.

Cap. XIX.

CVM autem à tempore Patritii per tot annorum curricula fides in inſula fundata fuerit: & fere continue pullulauerit: mirum quod gens hæc in fidei rudimentis hactenus manſerit tam inculta. Gens enim hæc, gens ſpurciſſima, gens vitiis inuolutiſſima, gens omnium gentium in fidei rudimentis incultiſſima. Nondum enim decimas, vel primitias ſoluunt: nondum matrimonia contrahunt: non inceſtus vitant. Non Eccleſiam Dei cum debita reuerentia frequentant. Quinimo (quod valde deteſta-

teſtabile eſt,& non tantum fidei, ſed & cuilibet honeſtati valde contrarium) fratres pluribus per Hiberniam locis, fratrum defunctorum vxores, non dico ducunt, ſed traducũt, imo verius ſeducunt: dum turpiter eas,& tam inceſtuoſe cognoſcunt: veteris in hoc teſtamenti non medullæ, ſed cortici adhærentes: veteteſque libentius in vitiis quam virtutibus imitari volentes.

De eorum nequitiis & proditionibus.

CAP. XX.

PRÆ omnia alia gente proditionibus ſemper inſiſtunt: fidem datam nemini ſeruant: fidei & ſacramenti religionem, quam ſibi obſeruari ſummopere volunt: aliis præſtitam quotidie violare nec verecundantur nec verentur. Vnde & cũ cautelas omnes obſeruaueris & adhibueris: cum ſecuritati & indemnitati tuæ tam ſacramentis & obſidibus, quã amicitiis firmiter iunctis, & beneficiis multimode collatis, modis omnibus inuigilaueris: tunc primo timendum eſt tibi, quia tunc præcipue ipſorum vigilat malitia, cum ex ſecuritatis abundãtia te tibi præſenſerint non vigilare. Tum demum ad arcem nequitiæ: tum ad conſueta fallaciæ tela confugiunt, vt ſumpta ſecuritatis occaſione lædere valeant vel improuiſum.

De ſecuri, quam ſemper in manu quaſi pro baculo baiulant.

CAP. XXI.

DE antiqua imo iniqua conſuetudine, ſemper in manu quaſi pro baculo ſecurim baiulant: vt iniquitatis affectum facilius perduxerint ad effectum. Quocunque ſe vertant, hanc præuectant. Viſa igitur oportunitate, & occaſione captata: Non hæc vt gladius euaginatur: Non vt arcus tenditur, non vt lancea protenditur: Citra omnem præparatum parum eleuata, læthale vulnus infligit. Ad manum igitur, imo in manu ſemper & in promptu eſt, quod ad mortem ſat eſt. A ſecuribus itaque nulla ſecuritas. Si ſecurum te reputes, ſecurim ſenties. Te ſponte in periculum mittis: ſi ſecurim admittis, & ſecuritatem amittis. Cum igitur exercendæ malitiæ locum aduiderint, vtinam vel non inuiderint, vel potius nihil viderint. Eſt etenim gens hæc gens inconſtans, gens varia, gens verſipellis, & verſuta: Gens ſola in inſtabilitate ſtabilis, ſola in infidelitate fidelis.

Hoc firmum ſeruans, quod nunquam firma, fidelé:
Hoc ſolum retinens, quod neſciat eſſe fidelis.

Eſt igitur longe fortius timenda eorum ars, quam Mars; eorum pax, quam fax: eorum mel quam fel; malitia quam militia: proditio quam expeditio; amicitia præfucata, quam inimicitia deſpicata. Hæc enim eſt eorum ſententia:

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

De argumento nequitiæ, & nouo deſponſationis modo.

CAP. XXII.

INTER alia multa artis iniquę figmenta hoc vnum habent tanquam præcipuum argumentum: ſub religionis & pacis obtentu ad ſacrum aliquem locum conueniunt, cum eo quem oppetere cupiunt: primo compaternitatis fœdera iungunt: Deinde ter circa Eccleſiam ſe inuicem portant: poſtmodum Eccleſiam intrantes coram altari, reliquiis Sanctorum appoſitis, ſacramentis multipharie præſtitis, demum Miſſæ celebratione, & orationibus ſanctorum ſacerdotum tanquam deſponſatione quadam, indiſſolubiliter fœderantur. Ad vltimum vero ad maiorem amicitiæ confirmationem, & quaſi negotii conſummationem, ſanguinem ſponte ad hoc fuſum vterque alterius bibit. Hoc autem de ritu gentilium adhuc habent, qui ſanguine in firmandis fœderibus vti ſolent. O quoties in ipſo deſponſationis huius articulo à viris ſanguinum & doloſis, tam doloſe & inique funditur ſanguis: vt alterutet penitus maneat exanguis. O quoties eadem hora & in continenti, vel ſequitur, vel præuenit, vel etiam inaudito more ſanguinolẽtum diuortium ipſam interrumpit deſponſationem. *Horrendum.*

Quod alumnos & collactaneos diligunt: fratres & cognatos perſequuntur.

CAP. XXIII.

VÆ autem fratribus in populo barbaro: væ & cognatis. Viuos enim ad mortẽ perſequuntur: mortuos & ab aliis interemptos vlciſcuntur: ſolum vero alumnis & collactaneis, ſi quid habent vel amoris vel fidei, illud habent.

De

De aduenis eodem vitio inquinatis.

Cap. XXIIII.

ADEO igitur quicquid libet, licere videtur, & cura quid expediat cunctis, nõ quid ſit honeſtum: cum tamen nihil ad plenum expediat præter honeſtum: adeo proditionis peſtis hic inualuit, & quaſi radices poſuit, adeo in naturam conuerti præualuit prauæ conſuetudinis longus abuſus: adeo à conuictu mores formantur: & qui tangit picem, coinquinabitur ab ea, adeo mali vis magna eſt. Melli enim plurimo, parum abſynthii iniectum, velocem amaritudinem reddit. Mel vero duplum ſi miſceatur abſynthio, nequit eius obtineri dulcedo. Adeo, inquam, bonos mores corrumpunt colloquia praua: vt hoc vitio patriæ tanquam innato & contagioſiſſimo, etiam alienigenæ huc aducti * fere inuoluantur. Sacros igitur locos hic aut recipit, aut facit: cum enim procliuis ſit curſus ad voluptates: & imitatrix natura vitiorum: quis ſacrum eſſe dubitet, quem tot ſacrilegiorum exemplaria: tot rerum malarum documenta: tam frequens ſacramentorum tranſgreſſio, tam fidei nulla religio prædocent & inſtruunt: & æmula malorum doctrina ad ſimilia conſtanter inuitant.

* al. ineuitabiliter.

De nouo & enormi Regni & Dominii confirmationis modo.

Cap. XXV.

SVNT etiam quædam, quæ niſi materiæ curſus expeteret: pudor reticenda perſuaderet. Turpis enim rei geſtæ narratio, quanquam præferat artem, deuenuſtare tamen videtur artificem. Veruntamen quoniam hiſtoriæ ſeueritas nec veritati parcere nouit, nec verecundiæ: circumciſis labiis res inhoneſta poterit venuſta verborum vrbanitate depromi. Eſt igitur in Boreali & vlteriore Vltoniæ parte ſcilicet, apud Kenel Cunil: gens quædam, quæ barbaro nimis & abominabili ritu ſic ſibi Regem creare ſolet. Collecto in vnum vniuerſo populo terræ illius, in medium producitur iumentum candidum. Ad quod ſublimandus ille non in principem ſed in beluam: non in Regẽ, ſed exlegem: corã omnib. beſtialiter accedens, non minus impudenter, quam imprudenter ſe quoq; beſtiam profitetur, & ſtatim iumento interfecto, & fruſtatim in aqua decocto, in eadem aqua balneum ei paratur. Cui inſidens, de carnibus illis ſibi allatis, circumſtante populo ſuo & conueſcente: comedit ipſe. De iure quoque quo lauatur, non vaſe aliquo, non manu, ſed ore tantum circumquaque haurit & bibit. Quibus ita rite non recte completis, Regnum illius & Dominium eſt confirmatum.

De multis in Inſula non baptizatis: & ad quos nondum fidei doctrina peruenit.

Cap. XXVI.

AD hæc autem quamuis tanto iam tempore in terra iſta fundata fides adoleuerit: in nonnullis tamen eiuſdem angulis multi adhuc ſunt non baptizati: & ad quos ex paſtorali negligentia, fidei nunquam doctrina peruenit. Audiui à nautis quibuſdam, quod cum quadrageſimali quodam tempore ad Boreales inſulas, & inexcrutabiles Conactii maris vaſtitates, vi tempeſtatis depulſi fuiſſent: tandem * in inſulam quandam modicam ſe * ſubduxerunt. Vbi & anchorarum morſu, funiumque triplicium, imo multiplicium tenacitate ſe vix retinuerunt. Reſidente vero infra triduum tempeſtate, & reſtituta iam aeris tranquillitate, quam maris ſerenitate: apparuit non procul facies cuiuſdam terræ, eis hactenus prorſus ignotæ, de qua non longe poſt, & cymbulam modicam ad ſe viderunt remigantem arctam & oblongam: vimineam quidem, & coriis animalium extra contextam conſutamque. Erant autem in ea homines duo nudis omnino corporibus præter zonas latas de crudis animalium coriis, quibus ſtringebantur. Habebant etiam Hibernico more comas perlongas & flauas, trans humeros deorſum, corpus magna ex parte regentes. De quibus cum audiſſent, quod de quadam Conactiæ parte fuiſſent, & Hibernica lingua loquerentur, intra nauem eos introduxerunt. Ipſi vero quæ ibi cuncta videbant, tanquam noua admirari cœperunt. Nauem enim magnam & ligneam, humanos etiam cultus, ſicut aſſerebant, nunquam antea viderant. Cum vero panem & caſeum ad comedendum eis obtuliſſent, vtrunque ignorantes, abnuerunt. Carnibus tantum & piſcibus, & lacte ſe veſci ſolere dicebant. Nec veſtibus vllis vtebantur, niſi coriis animalium interdum, in magna neceſſitate. Et cum à nautis expeterent, an ibi ad prandendum carnes haberent, & re-

* al. ſub inſula quadã modica.
* al. receperunt.

& reſponſum acciperent, in quadrageſima carnes comedere non licere: ipſi de quadrageſima nihil ſciebant. Nec etiam de anno, vel menſe, vel hebdomada quicquam. Quibus etiam nominibus dies ſeptimanæ cenſerentur, penitus ignorabant. Cumq; ab ipſis quæreretur, an Chriſtiani eſſent & baptizati: Reſponderunt, de Chriſto ante ſe nihil hactenus vel audiuiſſe vel ſciuiſſe. Et ſic reuertentes panem vnum & caſeum ſecum retulerunt, vt præ admiratione ſuis oſtenderent, quibus cibatiis alienigenæ veſcerentur.

Notandum autem, quod viri, qui Eccleſiaſtica gaudent immunitate, & quos viros Eccleſiaſticos vocant, quanquam laici & vxorati comis quoque prælongis trans humerum diffuſis, ſolum atmis tenuntiantes, in ſignum prorectionis, pontificali impoſitione, amplas in capite coronas geſtant. Item gens hæc ab aliis diuerſa nimis, & peruerſa: corporali tam manus quam capitis ſigno, quod innuit, abnuit: Renuit quoque, quoties alicui abſceſſum indicit. Præterea viri in hac gente ſedendo, mulieres ſtando, vrinas emittunt. Ad hæc autem præ omni alio populo, zelotypiæ vitio, laborat hæc natio. Tam mulieres quoque, quam mares diuaricatis cruribus, tibiiſq; vtrinque protenſis, equitare ſolent.

De clero Hiberniæ in multis laudabili.

Cap. XXVII.

SED nunc ad clerum ſtylum vertamus. Eſt autem terræ iſtius clerus ſatis religione commendabilis, & inter varias, quibus pollet, virtutes, caſtitatis prærogatiua præeminet atque præcellit. Item pſalmis & horis, lectioni & orationi vigilanter inſeruiunt: & intra Eccleſiæ ſepta ſe continentes, à diuinis, quibus deputati ſunt officiis, non recedunt. Abſtinentiæ quoque & parſimoniæ ciborum non mediocriter indulgent: ita vt pars maxima quotidie fere, donec cuncta diei compleuerint horarum officia, vſque ad crepuſculum ieiunent. Sed vtinam poſt longa ieiunia tam ſobrii fuerint, quam ſeri: tam veri, quam ſeueri: tam puri, quam duri: tam exiſtentes, quam apparentes. Inter tot millia vix vnum inuenies, qui poſt iugem tam ieiuniorum quam orationum inſtantiam, vino, variiſque potionibus diurnos labores enormius quam deceret, noctu non redimat.

Diem itaque naturalem tanquam ex æquo diuidentes, lucidaque ſpiritui tempora, nocturna quoque carni dedicantes, ſicut de luce lucis operibus indulgent, ſic & in tenebris ad tenebrarum opera conuertuntur. Vnde & hoc pro miraculo duci poteſt, quod vbi vina dominantur, Venus non regnat: Hoc enim difficile Hieronymo, difficilius Apoſtolo * perſuaderi poteſt: quorum iſte vino inebriari vetat, *al. prædicari.
in quo eſt luxuria: Ille vero ventrem mero æſtuantem facile ſpumare docet in libidinem.

Sunt tamen nonnulli inter hos optimi, & ſine fermento ſynceriſſimi. Eſt enim gens hæc cunctis fere in actibus immoderata, & in omnes affectus vehementiſſima. Vnde & ſic mali, deterrimi ſunt, & nuſquam peiores: ita & bonis meliores non reperies. Sed inter auenas & lolium triticum rarum. Multos nimirum vocatos inuenies, paucos electos: grana rariſſima, paleas multas.

De prælatis ex paſtorali negligentia corripiendis.

Cap. XXVIII.

IN Epiſcopis vero & prælatis hoc * præcipue reprehenſione dignum inuenio, quod *al. fore ſolum.
in populi tam enormiter delinquentis correctione deſides nimis ſunt & negligentes. Quod igitur nec prædicant, nec corripiunt: hinc ipſos prædico corripiendos: quod non arguunt, hinc arguo: quod reprehendere negligunt, hinc reprehendo. Quoniam, vt ait Gregorius, præconis officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotii gradum aſcendit.

Sacerdos ergo, ſi prædicationis eſt neſcius, quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus? Si enim prælati à tempore Patritii per tot annorum curricula, prædicationi & inſtructioni, item increpationi & correptioni pro officii debito viriliter inſtitiſſent: & prænotatas gentis enormitates aliquatenus extirpaſſent: aliquam proculdubio in eis formam honeſtatis & religionis impreſſiſſent. Sed non fuit in ipſis, qui tanquam tubam exaltaret vocem: non fuit, qui ex aduerſo aſcenderet, & murum pro domo Iſrael, ſe opponeret: non fuit, qui vſque ad exilium, nedum vſque ad

ſanguinem pro Eccleſia Chriſti dimicaret, quam ipſe ſibi ſuo precioſo ſanguine acquiſiuit. Vnde & omnes Sancti terræ iſtius, confeſſores ſunt, & nullus martyr: quod in alio regno Chriſtiano difficile erit inuenire.

Mirum itaque, quod vbi gens crudeliſſima, & ſanguinis ſitibunda, fides ab antiquo fundata, & ſemper tepidiſſima: pro Chriſti Eccleſia corona martyrii nulla. Non igitur inuentus eſt in partibus iſtis, qui Eccleſiæ ſurgentis ſundamenta ſanguinis effuſione cementaret: non fuit, qui faceret hoc bonum: non fuit vſque ad vnum. Sunt enim paſtores, qui non paſcere quærunt, ſed paſci. Sunt prælati, qui non prodeſſe cupiunt, ſed præeſſe. Sunt Epiſcopi, qui non omen, ſed nomen: non onus, ſed honorem amplectunrur.

Huius itaque terræ prælati intra Eccleſiarum ſepta, de antiqua conſuetudine ſe continentes, contemplationi ſolum fere ſemper indulgent. Vbi & Rachelis pulchritudine ſic delectanrur: vt Liæ lippitudinem ſaſtidio ducant. Vnde accidit, vt nec verbum Domini populo prædicent: nec ſcelera eorum eis annuntient, nec in grege ſibi commiſſo vel extirpent vitia, vel inſerant virtutes.

Quod omnes fere Epiſcopi Hibernia de monaſteriis electi ſunt.

Cap. XXIX.

CVM enim fere omnes Hiberniæ prælati de monaſteriis in clerum electi ſunt: quæ Monachi ſunt, ſollicite complent omnia, quæ vero clerici vel prælati, fere prætermittunt vniuerſa. Sui enim tantum curam agentes, & tanquam ſibi ſolliciti. Pro grege ſibi commiſſo ſollicitari negligenter omittunt, & poſtponunt. Illud Hieronymi ad Ruſticum Monachum, vel prorſus ignorantes, vel diſſimulantes: Sic viue in monaſterio, vt clericus eſſe merearis: longo tempore diſce, quod poſtmodum doceas, & inter bonos ſemper ſectare meliores, & cum in clerum electus fueris, age ea, quæ clerici ſunt: & illud ad eundem. Si clericatus titillat deſiderium, diſce prius, quod poſſis docere: Ne ſis miles, antequam tyro: ne magiſter, antequam diſcipulus. Sed male ſibi prouident, male ſibi ſui curam agunt: cum iis, quorum cuſtodiæ ex ſuſcepti regiminis officio ſunt deputati, per incuriam & negligentiam, curam & prouidenriam ſubtrahunt & ſubducunt. Se ipſos enim multo grauius, quam illos, & damnabilius ſubducunt.

Qualiter à Monarchis clerici diſtent: & eis præferantur.

Cap. XXX.

SCIRE igitur debent, quod (ſicut Hieronymus ad Eleutberium teſtatur) cum alia ſit cauſa Monachi, alia clerici, & clerici * omnes paſcant, monachi paſcantur: ſic ſe habent monachi reſpectu clericorum, tanquam grex reſpectu paſtorum. Monachus enim tanquam vnius cuſtos, vel ſingularis dictus, ſui ſolius curam gerit. Clericus vero circa multorum curam ſollicitari tenetur. Eſt itaque Monacbus tanquam granum tritici ſolum manens. Eſt autem clericus tanquam granum germinans, & in horrea Domini multum fructum afferens.

* al. oves.

Biperriti igitur huiuſmodi prælati, quædam contrahant ex monacho, & quædam ex clerico; ex monacho contrahant columbinam ſimplicitatem: ex clerico vero ſerpentinam prudentiam: hinc ſapientiam, inde eloquentiam: hinc verba, inde opera: hinc conſcientiam, inde ſcientiam: hinc fœcundi fiant, inde facundi: & ſic vtrumque compleant officium: vt inter ſacerdotes ingredientes tabernaculum, eorum veſtimenta tintinnabulis ambiantur, & in ore ipſorum, tam inſtructionis, quam increpationis verbum reſonans audiatur. Fatuos enim & elingues prælatos, & plus monachi quam clerici præferentes, maniſeſte redarguit Hieronymus, dicens: Innocens, & abſque ſermone conuerſatio, quantum exemplo prodeſt, tantum ſilentio obeſt. Latratu namque canum & baculo paſtorum lupi ſunt arceudi: Similiter & in primo Bibliothecæ prologo. Sancta quippe ruſticitas ſibi ſolum prodeſt: & quantum ex vitæ merito ædificat Eccleſiam Dei, tantum nocet, cum deſtruentibus non reſiſtit. Error enim, cum non reſiſtitur, approbatur: & veritas cum minime defenſatur, opprimitur. Idem ad Eleutherium: Negligere cum poſſis perturbare peruerſos: nihil eſt aliud, quam fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare: præſertim cum ad hoc ex officio teneatur.

Quod

Quod quidam intus eſſe videntur, qui foras miſſi ſunt, & è diuerſo.

CAP. XXXI.

MIRVM autem cum omnino tam deſides officii, tam ſubditorum ſalutis negligentes ſemper extiterint: quod tot ex ipſis in terra pro ſanctis habentur, & ab accolis tanquam ſanctis tam deuote coluntur, & venerantur. Vnde & vnum duorum ineuitabile eſt, non euitari. Aut enim ab hagiographis noſtris tam circa paſtoralis officii debita, quam aliarum quarumlibet rerum inſtructionem, multa ad terrorem conſtat eſſe emiſſa, & quoniam miſericordia Domini plena eſt terra, magis ſperandum eſſe de clementia, quam timendum de iuſtitia: aut potius Eccleſia militans in multis decipitur. Triumphans vero non irridetur. Vnde & nonnullos, quos recipit hæc, decipit illa, quos prædicat hæc, abdicat illa, & è diuerſo. Illa quoque inter electos non immerito multos honorat: quos iſta tamen prorſus ignorat. Quidam enim intus eſſe videntur, qui foras miſſi ſunt: & quidam foras miſſi, qui tamen intus exiſtunt: quia plerunq; quod altum eſt hominibus, abominabile eſt apud Deum.

De obliqua Caſſilienſis Archiepiſcopi reſponſione.

CAP. XXXII.

CVM igitur hæc & huiuſmodi * Mauritio Caſſilienſi Archipiſcopo viro literato & diſcreto, coram * Geraldo Eccleſiæ Romanæ clerico tunc ad partes illas legationis cuiuſdam vice tranſmiſſo, aliquando obieciſſem: & de tantis terræ illius enormitatibus, in prælatos præcipue culpam refunderem: validiſſimum inde argumentum ſumens, quod nullus vnquam in regno illo pro Eccleſia Dei martyrii coronam adeptus eſſet: oblique ſatis, & ad hominem ſoluens, non ad orationem, reſpondit: Verum eſt, inquit, Quia licet gens noſtra Barbara, nimis inculta & crudelis eſſe videatur: viris tamen Eccleſiaſticis honorem magnum, & reuerentiam ſemper exhibere ſolebant, & in ſanctos Dei nulla occaſione manum extendere. Sed nunc in regnum gens aduenit, quæ martyres & facere nouit & conſueuit. Amodo Hibernia, ſicut & aliæ regiones, martyres habebit.

** Thaddeo.*
** al Gerardo.*

De campanis, & baculis, aliiſque huiuſmodi Sanctorum reliquiis, tam ab Hibernico & Scotico: quam à Gvvallenſi populo in magna reuerentia habitis.

CAP. XXXIII.

HOC etiam non prætereundum puto: quod campanas baiulas, baculoſque Sanctorum in ſuperiore parte recuruos, auro & argento, vel ære * contextos, in magna reuerentia tam Hiberniæ & Scotiæ, quam & Gwalliæ populus & clerus habere ſolent. Ita vt ſacramenta ſuper hæc longe magis, quam ſuper Euangelia, & præſtare vereantur, & peierare. Ex vi enim quadam occulta, & iis quaſi diuinitus inſita, nec non & vindicta (cuius præcipue Sancti illi appetibiles eſſe videntur) plerumque puniuntur contemptores: & grauiter animaduertitur in tranſgreſſores.

** al. contectos.*

De baculo virtuoſiſſimo, quem baculum Ieſu vocant, & ſacerdote duplici paſſione percuſſo.

CAP. XXXIIII.

INTER vniuerſos Hiberniæ baculos, ligneæque naturæ Sanctorum reliquias virtuoſus ille, & famoſus (quem baculum Ieſu vocant) non immerito primus & præcipuus eſſe videtur. Per quem, vulgari opinione, Sanctus Patricius venenoſos ab inſula vermes eiecit. Cuius ſiquidem tam incertus eſt ortus, quam certiſſima virtus. Noſtris autem temporibus, & noſtrorum opera, nobilis theſaurus ab Armachia Dubliniam eſt tranſlatus.

Vidimus quoque in Gwallia (vnde & vehementius admiramur) Hibernenſem * baiulum quendam, cornu quoddam æneum, quod Sancti * Patritii fuiſſe dicebat, pro reliquiis in collo geſtantem. Dicebat autem ob reuerentiam Sancti illius, neminem auſum hoc ſonare. Cum igitur (Hibernico more) circumſtanti populo cornu porrigeret oſculandum: ſacerdos quidam Bernardus nomine, de manibus eius illud arripuit, & oris apponens angulo, aeremque impellens ſonare cæpit:

** al. pauperem & mendicum.*
** al Brandini.*

qui & eadem hora multis aſtantibus, ore quidem aure tenus paralytice retorto, duplici paſſione percuſſus eſt. Cum enim torrentis eloquii prius extitiſſet, & delatoris linguam detractor habuiſſet: ſermonis cuiuſlibet ſtatim amiſit vſum. Vnde & in hac parte ſic læſus eſt, vt ſemper hactenus linguæ fuerit impeditæ. Præterea lethargum patiens, ſic ſtatim obliuioni cuncta tradiderat: vt vix etiam ſe nomen habuiſſe meminiſſet.

Enimuero tam enormiter in memoria læſus fuerat, vt pſalmos, quos antea corde tenus optime nouerat, multis ab inde diebus quaſi de noua recordantem videremus: & literas etiam, quarum notitiam copioſe ſatis habuerat, denuo mendicantem, tanquam elementarium, ſenem miraremur. Cui tandem in Hiberniam ad Sanctum Patritium, exceſſus huius cauſa, peregre profecto: plenior valetudo rediit, ſed non plena.

De corpore vitiatis in hac natione quamplurimis.

C A P. XXXV.

AD hæc autem tot cœcos natos, tot claudos, tot corpore vitiatos, & naturæ beneficio deſtitutos, in alia non vidimus natione. Sicut enim, qui bene formantur, exquiſitiſſime, & nuſquam melius: ſic & qui male, nuſquam peius: & ſicut egregie proueniunt, quos naturæ benignitas elimauerit: ſic & enormiter prodeunt, quos benigno fauore deſtituerit. Nec mirandum, ſi de gente adultera, gente inceſta, gente illegitime nata, & copulata, gente exlege, arte inuida & inuiſa ipſam turpiter adulterante naturam: Tales interdum contra naturæ legem natura producat, & digna Dei vindicta videtur, vt qui interiore mentis lumine ad ipſum non reſpiciunt, hi exterioris & corporeæ lucis beneficio plerunque doleant deſtituti.

Quot Reges à tempore S. Patritii vſq; ad Turgeſii aduentum regnauerunt.

C A P. XXXVI.

DE gente igitur * iſta, ab aduentu Patritii vſque ad * Felmidii Regis tempora, 33. Reges per 400. annos in Hibernia regnauerunt. Quorum diebus fides Chriſtiana hic illibata permanſit, & inconcuſſa.

** al. iſtius inſulæ. * al. Fedlimidii. & ſic in ſubſequentibus, vbicunq; hoc nomen habetur.*

Quod tempore Felmidii Regis Norvvagienſes Turgeſio duce Hiberniam expugnauerunt.

C A P. XXXVII.

IN huius vero Felmidii Regis tempore Norwagienſes in magna claſſe Hibernica littora, anno octingenteſimo trigeſimo octauo, appulerunt: qui & in manu forti terram occupantes, & gentili furore debacchantes, Eccleſias fere omnes deſtruxerunt. Horum autem dux Turgeſius vocatus: multis variiſque conflictibus, & bellis atrocibus totam ſibi inſulam in breui ſubiugauit, & peragratis totius regni finibus totā vndiq; terrā locis idoneis incaſtellauit. Vnde & foſſata infinita, alta nimis, rotunda quoque ac pleraque triplicia. Caſtella etiam murata, & adhuc integra, vacua tamen & deſerta, ex reliquiis illis, & antiquitatis veſtigiis hic vſq; in hodiernum multa reperies. Hibernicus enim populus caſtella non curat. Syluis namque pro caſtris: paludibus vtitur pro foſſatis. Turgeſius itaque regnum Hibernicum aliquandiu pacifice rexit: donec puellarum dolo deluſus interiit.

Quod Angli Gurmundum: Hibernici Turgeſium dicunt ſubiugaſſe.

C A P. XXXVIII.

CETERVM hoc mihi mirandum videtur, quod noſter Anglorum populus Gurmundum clamat Hiberniam ſubiugaſſe, & tam caſtra prædicta, quam foſſata ſtruxiſſe, de Turgeſio nullam penitus faciens mentionem. Hibernienſes vero & eorum hiſtoriæ ſcriptæ Turgeſium prædicant. Gurmundum autem prorſus ignorant. Vnde & quidam ſemel à Gurmundo & iterum à Turgeſio inſulam dicunt ſubiugatam. Sed hoc Hibernicis hiſtoriis aduerſatur. Quæ tantum ſemel ante hæc tempora, & tunc à Turgeſio gentem Hibernicam teſtantur expugnatam.

Alii vero eundem fuiſſe aſſerunt, ſed Binomium, & quem nos Gurmundum, Hibernenſes Turgeſium vocare. Sed hoc etiam diſſimiles eorum obitus, & finis diuerſus conſtare non permittunt.

Verior igitur & veriſimilior habet hiſtoria, quod Gurmundo in Britanniæ regno

regno (quod ſibi ſubiugauerat) iam in ſceptris agente, Turgeſium iſtum cum electa iuuentute in hanc inſulam expugnandam cum claſſis ſuæ non modica parte tranſmiſit. Qui Turgeſius (quoniam expeditionis huius tribunus fuerat, & terra ſubacta) diu ſub Gurmundo, quaſi regni rector, & Seneſcallus permanſit. Gens Hibernica eius ſolius, quem præſentialiter & vidit & nouit, & à quo tanta mala ſuſtinuit, tam nomen quam famam, perpetuæ memoriæ commendauit.

Vnde in Hiberniam vel Britanniam Gurmundus aduenerit.

CAP. XXXIX.

IN Britannica legitur hiſtoria: Gurmundum ab Africa in Hiberniam aductum, & inde in Britanniam à Saxonibus aſcitum, Cireceſtriam obſidione cinxiſſe. Qua tandem capta, & paſſerum (vt fertur) maleficio, igne ſuccenſa: ignobili quoque tunc Britonum Rege Kereditio in Cambriam expulſo, totius regni dominium in breui obtinuiſſe. Siue ergo Africanus, ſeu (vt verius eſſe videtur) Norwagienſis fuerit: vel in Hibernia nunquam fuit, vel relicto ibidem Turgeſio modici temporis in ea moram fecit.

*Qualiter interfecto in * Gallia Gurmundo Turgeſius dolo puellarum in Hibernia deluſus occubuit.*

* al. Gvvallia, ſed minus rectè.

CAP. XL.

GVRMVNDO itaque in Galliarum partibus interfecto, & Barbarorum iugo à Britannicis collis ea occaſione iam depulſo: Gens Hibernica ad conſuetas artis iniquæ decipulas, non inefficaci molimine ſtatim recurrit. Cum igitur ea tempeſtate filiam Regis Medenſis ſcilicet Omachlachelini Turgeſius adamaſſet: Rex ille virus ſub pectore verſans, filiam ſuam ipſi concedens, ad inſulam quandam Mediæ, in ſtagno ſcilicet Lochyreno illam cum quindecim puellis egregiis ei miſſurum ſe ſpopondit. Quibus & Turgeſius gauiſus cum totidem nobilioribus gentis ſuæ ſtatuto die & loco obuiam venit: & inuenit, & inueniens in inſula quindecim adoleſcentes imberbes animoſos, & ad hoc electos ſub habitu puellari dolum palliantes, cultellis, quos occulte ſecum attulerant, ſtatim inter amplexus Turgeſius cum ſuis occubuit.

De Norvvagienſibus, qui circiter annos triginta regnauerant, ab Hibernia expulſis.

CAP. XLI.

FAMA igitur pernicibus alis totam ſtatim inſulam peruolante, & rei euentum, vt aſſolet, diuulgante, Norwagienſes vbique truncantur, & in breui omnes omnino ſeu vi, ſeu dolo, vel morti traduntur: vel iterum Norwagiam & inſulas, vnde venerant, nauigio adire compelluntur.

De Medenſis Regis quæſtione doloſa.

CAP. XLII.

QVÆSIVERAT autem à Turgeſio prædictus Medenſium Rex, & in dolo (nequitia iam animo concepta) quonam tenore vel arte aues quædam in regnum nuper aductæ terræ toti, patriæque peſtiferæ deſtrui poſſent & deleri. Cumque reſponſum accepiſſet, nidos eorum vbique deſtruendos, ſi iam forte nidificaſſent (de caſtellis Norwagienſium hoc interpretantes) mortuo Turgeſio in eorum deſtructione Hibernenſes per totam inſulam vnanimiter inſurrexerunt. Annos igitur circiter triginta Norwagienſium pompa, & Turgeſii tyrannis in Hibernia perdurauit, & deinde gens Hibernica, ſeruitute depulſa, & priſtinam libertatem recuperauit, & ad regni gubernacula denuo ſucceſſit.

De Oſtmannorum aduentu.

CAP. XLIII.

NON multo vero poſt tempore iterum de Norwagiæ, & inſularum Borealium partibus, quaſi de reliquiis gentis prioris, & quia vel oculata fide, vel parentum relatione, terram optimam nouerant: non in bellica claſſe: ſed ſub pacis obtentu, & quaſi mercaturæ exercendæ prætextu, in inſulam quidam aduenerunt: qui & maritimos Hiberniæ portus ſtatim occupantes, tandem de aſſenſu principum terræ, ci-

uitates in ipſis varias conſtruxerunt. Quoniam enim innatæ ocioſitatis vitio gens Hibernica, vt diximus, nec maria luſtrare, nec metcaturæ indulgere aliquatenus voluerat: de communi totius regni conſilio perutile videbatur, vt gens aliqua, cuius opeta aliarum tegionum commercia, quibus hæc terta caruetat, huc aduehi poſſent, in aliquibus regni partib. admittetentur. Fuerunt autem Dnces eorum tres fratres, Amelaus ſcilicet, Sytatacus, & Yuorus.

Conſtructis itaque primo ciuitatibus tribus: Dublinia, Gwaterfordia, Limirico, Dubliniæ ptincipatus ceſſit Amelao, Gwaterfordiæ Sytataco, Limirici Yuoro: & ex iis paulatim, ad alias Hiberniæ ciuitates conſtruendas proceſſu tempotis ſunt deriuati.

Gens igitur hæc, quæ nunc Oſtmannica gens vocatur, in primis terræ iſtius Regibus ſatis tractabiles fuerant, & pacifici. Sed ex quo in immenſum generis numeroſitate iam excreuerant: & ciuitates foſſatis & muris optime cinxerant: antiquas inimicitias alta mente tepoſitas, nonnunquam renouare, & actiter rebellare ſolebant.

Dicti ſunt autem Oſtmanni lingua ipſotum, corrupto quodam Saxonico, quaſi orientales homines. Reſpectu namque terræ iſtius ab orientalibus huc partibus vndecunque aduecti ſunt. Ex hoc igitur & priorum Norwagienſium aduentu (de quibus parum ſecuri fuerant) vſum ſecurum contraxerunt, & malitiam, quam ipſi ab aliis ſuſceperant, æmula malorum doctrina in alios multoties transfuderunt.

Quot Reges in Hibernia regnauerint ab obitu Turgeſii, vſque ad vltimum Hibernia Monarcham Rothericum.

Cap. XLIIII.

IGITVR à tempote Felmidii Regis, & obitu Turgeſii vſque ad tempus Rotherici: Conactiæ regnum durauit (Qui vltimus de hac gente Monarcha fuit, & vſque hodie Conactiæ præſidet: Cuius etiam tempore, & per quem Rex Lageniæ Dermitius ſcilicet Mutchardi filius, à regno expulſus fuerat) ſeptendecim Reges in Hibetnia regnauerunt.

Quot Reges fuerunt à primo Herymone vſq. ad hunc vltimum Rothericum.

Cap. XLV.

EST itaque numerus omnium Regum, qui à primo gentis huius Rege Herymone vſque ad hunc vltimum Rothericum Hiberniam rexetunt: 181. quorum nomina, geſta, & tempota hie prætereo: tum quia pauca in his inſignia, & memoratu digna reperio: tum etiam ne compendium noſtrum inutilis ptolixitas impeditet. Prædicti veto Reges non alicuius coronationis ſolemnitate, non inunctionis ſacramento, non etiam iure hereditario, vel aliqna ſucceſſionis proprietate: ſed vi & atmis tantum, totius inſulæ Monarchiam obtinuerunt: & ſuo more regni gubernacula ſuſceperunt.

Quot à primo aduentu ſuo vſq. ad Turgeſium & ab obitu Turgeſii vſque ad Anglorum regem Henricum ſecundum: gens Hibernica manſerit inconcuſſa.

Cap. XLVI.

GENS igitut Hibernica à primo aduentus ſui tempote, & ptimi illius Herymonis regno, vſq; ad Gurmundi & Turgeſii tempora (quibus & turbata quies, & interrupta aliquandiù fuit eius tranquillitas) iterumq; ab eorum obitu vſque ad hæc noſtra tempora, ab omni alienarum gentium incurſu, libera permanſit & inconcuſſa: donec pet vos (Rex inuictiſſime) & veſtræ animoſitatis audaciam, his denuo noſtris diebus eſt ſubiugata. An. videlicet ætatis veſttæ 41. tegni veſtri 17. ab incarnatione vero 1172.

De victoriis Anglorum Regis Henrici ſecundi.

Cap. XLVII.

CERTANT enim cum orbe terrarum victoriæ veſtræ: cum à Pyrenæis montibus in occiduos & exttemos Borealis Oceani fines Alexander noſter Occidentalis btachium extendiſti. Quantum igitur his in partibus natura terras: tantum & victorias extuliſti. Si excutſuum tuotum metæ quærantur: prius deerit orbis, quam aderit finis. Animoſo enim pectori ceſſare poſſunt terræ: ceſſare neſciunt victoriæ, nec deeſſe poterunt triumphi: ſed materia triumphandi.

De

De titulis & Triumphis eiuſdem variis, recapitulatio breuis.

CAP. XLVIII.

QVALITER igitur titulis veſtris & triumphis Hibernicus orbis acceſſerit? Quãta & quam laudabili virtute, Oceani ſecreta & occulta naturæ depoſita tranſpenetraueris? Quam pręmature & intempeſtiue, quam celerrime & ſceleroſiſſime inteſtina conſpiratione, ab auſu nobili reuocatus fueris: victoria tamen completa, ſed nondum in formam regione redacta. Qualiter fulguranti aduentus veſtri lumine attoniti occidentales Reguli tanq̃ ad lucubram aniculæ, ad veſtrũ ſtatim imperium cõuolauerũt? Quã innaturaliter & illaudabiliter coniurata in ventrẽ viſcera tam Orientales Aſiæ q̃ etiam Hyſpaniæ victorias veſtras, quas & Occidentalib. continuare, & fidẽ Chriſti egregie dilatare, animo excelſo iam conceperas, tã prauo & iniquo cõſilio: totiq; fidelium orbi damnoſiſſimo diſtulerint? Quantã miſericordiam, & q̃ laudabilẽ, in Principe & capitaliter offenſo Rege, clementiam, perpetuaq; memoria, & exemplo digniſſimam, ſuperborum & ſublimium collis mira virtute calcaris, & hoſtibus vbiq; triumphatis, in Reges & Principes victos, Rex & victor exercueris, & vere Rex victor, animum virtute regens, iramq; modeſtia vincẽs. Illud quoq; heroicum memoriter recolens. Vince animos, iramq; tuã, qui cætera vincis. Et illud nobile C. Cæſaris elogium alta mente reuoluens. Perierat totus orbis: niſi iram finiret miſericordia. Libellum quoque Senecæ de clementia ad Neronem præ manibus ſæpe ad manum vero ſemper habens, & illud Auguſto datum Auguſte conſilium non ignotans. Fac, inquit, vt medici facere ſolent: qui cum vſitata remedia nõ procedunt, tentant contraria. Quam præclare & expreſſe illud * pręrextati Maximi & Oratoris optimi actibus impleueris. Fortis viri eſt, qui de victoria contendunt, eos hoſtes putare: qui victi fuerant, eos homines iudicare: vt poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere? Quanto ſtudio, quantaque & quam laudabili regio in ſanguine diligentia à prima ætate, anniſque pueritiæ, ſtudia literarum amplexus fueris? Illius Hieronymi non immemor: Radix literarum amara eſt: fructus vero dulciſſimus. Et illius Regis & Prophetæ Dauid. Erudimini qui iudicatis terram. Illud quoque Salomonis Salomon alter, ad animum reuocans, literarum eruditione, ſenectuti viaticum pręparatur, & diſciplinam iuuentus, ætatem confert fructuoſam. Qualiter, iſtorum & ſimilium exemplo literatus princeps effectus, & in Ethicis diſciplinis decenter eruditus, inter vniuerſos mundi principes tanquam lucida gemma pręfulſeris, ſummiſque philoſophis tam ingenii dore, diuiteque vena, quam inſtructionis, & eruditionis ope in breui coęquandus: ſi non ab inſtitutis literarum tam intempeſtiue raptus fueris ad curas terrarum? Quo tamen in vtraque militia, in vtroque videlic. tam Martis quam Mineruæ ſtudio teneris in annis gloriam adepto, indoli egregię ſtirpique Cæſareę virtus contigit ante diem. Quanta & quam incomparabili in terris gratia, deſuper tamen & diuinitus collata, diſcordantia regna propria virtute, aliena conſilio & auctoritate, pacis amator & author pacificaueris? Qualiter eximiæ ſtrenuitatis veſtræ tantique nominis & terribilis aduentus opinio & fama meritis longe minor, orbem illuſtrans, debacchantem tam Aſiæ quam Europæ gentilium furorem cohibuerit: & Eccleſiæ Chriſti tranquillitatem & pacem egregie comparauerit? Quam in longinquos & aduenas, ad ampliorem famæ cumulum prodiga liberalitas, profuſa benignitas, & non abſq; enormi domeſticorum damno, ſemper in exteros cęca largitas? Et (quoniã vitiis ſine nemo, Naſcitur, optimus ille eſt: Qui minimis vrgetur) quanto diſcrimine nitidiſſimę famę veſtrę candorem, maculę quędam offuſcant: & tantæ, tam inclytę glorię ſplendorem, quaſi ſolis faciem, nubila quinque pertranſeunt? Qualiter etiam ab ineunte ætate, quaſi vias veſtras dirigens, & aſpera quæque complanans, in regni detentores, paciſque veſtrę perturbatores grauiter animaduertentes, regi pacifico, totique fidelium populo tam futuro proficuo, vt ad votum cuncta ſucceſſerint: diuinus fauor * acceſſerit, hæc, inquam, ad plenum ſingula quis explicabit?

*prata

*ſemper arriſerit.

De titulis filiorum, & primo de Anglorum Rege Henrico III.

CAP. XLIX.

SED quoniam *Semper adeſt homini quo pectoris ima gemiſcant,*
Ne poſſit plena proſperitate frui:
Gaudia nunc luctu, nunc mutat amara ſecundis,
Verſans humanas ſors inopina vices:
Sola venire ſolent, & vix, & ſero ſecunda:
Et ſimul & ſubito ſemper amara fluunt:

 Adeo,

Adeo,inquam,fœlices fæcundans euentus, cunctis propemodum in actibus tibi diuina benignitas illa ſemper arriſit: & vtinam in finem perſeuerauerit, vt tanquam ad viuum reſecans,& medicina modum excedens,pie ſæuiens,& impie fouens, propriis in patrem furentibus filiis,& patrios ante diem annos inquirentibus,patri tamen plus fere,quam patri chariſſimis ob patris fauorem non pepercit. Quorum omnium pręcipuus & , vno dempto primæuus paterno tam nomine fungens quam honore, de magno maior,de luce lucidior,& tanquam alter Priameius Hector,ſuis honor, hoſtibus terror,omnibus amor. Inter armatas acies tanquam de igne fulgur egrediens, cunctorumque mentibus vel vnica ſpes,vel metus exiſtens.

Omnis honoris honos,decor & decus,vrbis & orbis,
Militia ſplendor,gloria,lumen,apex.
Iulius ingenio,virtutibus Hector, Achilles
Viribus: Auguſtus moribus,ore Paris.

Inermis ſiquidem priuatuſque,lenis & affabilis,mitis & amabilis, iniuriarũ quarumlibet,data occaſione pius indultor: quantumlibet reos longe pronior abſoluere,quã condemnare. Qui & animum ſic inſtituerat,vt nihil vnquam dono dignum cuiquam denegaret:neminem triſtem, neminem voti non compotem à ſe diſcedere dignum ducens. Illum ſibi denique diem perditum iri reputans,quo non ſibi multos alliceret multimoda liberalitate, multorumque tam corda quam corpora multiplici beneficiorum largitione compararet. In armis vero rebuſque militaribus,galeato iam capite,ſublimis, effrenis,atrox,longeque fera ferocior omni. Vbique fere virtute magis quam fortuna triumphans,& Hectora Priamiden expreſſe repręſentans: niſi quod ille pro patre patriaque: hic vero prauorum conſilio,proh dolor contra militabat. Hoc enim vnum & votum & deſiderii caput extiterat: tantæ ſtrenuitatis exercendæ materiam & tempus aſſequi poſſe: quo viri virtus digne valuerit enitere. Vnde & quoniam nihil humanum omni ex parte perfectum eſſe poteſt: tantam naturalem bonorum gratiam,in vnum congeri liuida natura detrectans,tandem tamen niueo candori næuum adiecit ſplendidiſſimum,virum ſolius ingratitudinis vitio & optimi patris vexatione notabilem reddens. De quo inter cætera ſui prodigia,& hoc pro miraculo duci potuit: quod hominem terris & theſauris ex toto carentem, totus fere mundus ſequebatur. Qui & in breui (vt ſperabatur) & mundi monarchiam reformaſſet, ſi non tam præpropere tam pręmature,tam inopinate vernantem florem verno in tempore,inuida fatorum ſeries rapuiſſet. Tempore ſcil. ætatis ſuæ triateride nona: coronationis anno 14. ab incarnatione vero Domini. 1182.

De titulis Pictauienſis.

Cap. L.

SEQVENS vero cuius digna laudum præconia vox pręconis non ſilebit, prouida patris diſpoſitione , paternæ nomen, Maternæ ſtirpis honorem ſtatim adeptus: terram hactenus indomitam in tenera ætate tanta virtute rexit, & domuit: vt non tantũ ipſam per omnes eius anfractus longe plenius & tranquillius ſolito pacificaret: verum etiam mutilata dudum & diſperſa redintegrans. Strenua virtute priſtinos inſtatus, ſingula reuocaret. In formam igitur gentem informem redigens, in normam enormia quæque reducens,fortia confundens,& aſpera complanans: antiquos Aquitaniæ terminos & iura reformauit. Fortunam ſiquidem vrgens,& ſe in anteriora protendens,tempora ſibi contemperans,& ſemper ſucceſſibus inſtans, Cæſarque ſecundus. Nil credens actum cum quid ſupereſſet agendum: rebuſque in bellicis furibundus in arma,nec vllas, niſi ſanguine fuſo , gaudens incedere vias: cuius quoque nec prærupta montium latera,nec aereę turres,arte ſituque hactenus inexpugnabiles, tã artificioſos quam virtuoſos,nunc arduos & ſublimes,nunc ſubterraneos animoſitatis impetus,præualent impedire. Sed (quoniam mala ſemper ſunt vicina bonis, errore ſub ipſo,pro vitio virtus crimina ſæpe tulit) pacis & iuſtitiæ zelo deferuens, vt in primis gentis indomitæ reprimeret audaciam,tutamque inter nocentes redderet innocentiam,in male meritos iuris rigore deſęuiens: vnde non indignam laudem à dignis promereri debuerat,inde liuidorum latratibus cæpit in commune, à crudelitate notari. Quam quidem & ob hoc conſtat ſine cauſa notam incurri , quod reſidentibus paulisper cauſis , manſuetudinem induens & clementiam , citra rigidum longeque trans remiſſum,ad aureum illud medium accedens paulatim rigor ille reſedit. Præterea qui contulit naturam,contulit & naturæ paſſionem. Ad reprimendos namque fero-

ferociſſimos animi motus, hic Leo noſter, & pluſquam Leo, quartanæ ſtimulo, leonino more vexatur: quo ſic continue fere tremit, nec trepidat, vt & ſui tremore mundum vniuerſum tremere faciat, & timere. Inter varias igitur, quibus præeminet, virtutes, peculiari quadam prętogatiua trina hunc inſignia incompatabiliter reddunt illuſtrem: ſtrenuitas & animoſitas eximia: Largitas & dapſilitas immenſa: ſuperlaudabilis in principe, cęteraſque virtutes adornans, tam animi quam verbi conſtantia firma. Et vt breui eloquio laudis ad cumulum multa concludam, egregio fratri, ſola eſt ætate, & non virtute ſecundus.

De diuerſitate Duorum.

DIVERSIS igitur tam motibus, quam ſtudiis eodem ex germine, eademq; radice, duo cum fuerint: perpetuę tamen laudis gloriam æternitatiſq; memoriam * promeruit. Ambo igitur ſtaturæ grandis, pauloq; pluſquam mediocris, & formę dignę imperio. Strenuitas illis & animi magnitudo fere par: ſed via virtutis valde diſpar. Ille lenitate laudabilis & liberalitate: iſte ſeueritate ſpectabilis & ſtabilitate: Ille ſuauitate commendabilis, hic grauitate. Illi facilitas, huic conſtantia laudem peperit. Ille miſericordia conſpicuus, iſte iuſtitia. Ille miſerorum refugium, & male meritorum, iſte ſupplicium. Ille malorum clypeus, iſte malleus. Martiis ille ludis addictus: hic ſeriis. Ille extraneis, iſte ſuis. Ille omnibus, iſte bonis. Ille magnanimitate mundum ambiebat, iſte ſibi de iure competentia non inefficaciter appetebat. Sed quid per ſingula curro? Tãtos ab vno principe, duos & tam diuerſiſſimos, nec pręſens ætas, nec vlla recolit antiquitas. Tanta nimirum & tam varia virtutum incrementa, longeque (ſi fieri poſſet) ampliora diuerſi diuerſa plene & abunde nobili poterant à ſtirpe contrahere. Quicquid enim in vtroque fere virtutis inuenias: noueris in ramos à radice trãsfuſum. Quis enim nobiliſſimo patre, vel piis clementior, vel ſæuis crudelior? longe tamen in clemẽtiam pietate procliuior. In omni fere victoria pro ſumma reputans vindicta, vindicare potuiſſe. Quis in armata militia ſtrenuior? Quis in togata ſubtilior? Quis vnq̃ vel leui iucundior, vel graui maturior? Et (vt veris hiſtoria non fraudetur: quamuis tamen interdum noceat omnia vera loqui: periculoſum quippe eſt, quantalibet occaſione in illum ſcribere, qui poteſt proſcribere. Meticuloſa res eſt in illum allegare: qui poteſt relegare) quis ignobilib. nobilior? Quis nobilibus ignobilior? Quis humiliatum magis eleuat? Quis eleuatum magis humiliat? Item quis externis honoratior? Quis ſuis oneroſior? Quis, inquam, vel amicis alienior? vel alienis amicior? Sic etenim nunc aliena ſimulans, nunc propria diſſimulans, tam flexibilem ex ſumma prudentia reddidit naturam, vt multis multiformis: & omnibus omnis effectus, pro locis & temporibus omnia ſibi conformaret.

De Brytone & Hibernico.

DIGNAS quoq; duorum ſequentium laudes Armonica, Brytannica & Hibernica regna proclamant: ambo hii ſtaturę modicę pauloq; mediocri plus puſillæ: & formæ pro quantitatis captu ſatis idoneæ. Horum igitur alter virtutibus inſignis, tituliſq; iam ſummus, & alter erit. Ille militaribus negotiis plene inſtructus: hic inſtruendus. Ille in ſpica: hic meſſis in herba. Ille in re magnus: hic in ſpe magnificandus. Ille ſtirpe ab inclyta non degener, nobiliſſimos fratres virtute pro viribus æquiparauit: hinc ab vtroq; vel parente vel pariete virtus originaliter inſerta, ſuo in tempore degenerare non potuit. Ille vir eloquens & aſtutus, & (quia de facili falli nõ potuit) fallere ſi noller, prudentiſſimus. Duabus militiis diuerſiſq; naturis tã Vlyſſem pferens quã * Achillem (proh dolor) in patrẽ ſemper ingratus exiſtens, magniq; fratriſq; veſtigia nimis in hoc expreſſa ſequens: plus aloes intus q̃ mellis habẽs: In facie vero mollito ſuper oleũ effluens ſermone, ſuaui quoq; ſuadaq; facundia, diffæderate valens cõiunctiſſima, linguaq; potens duo regna corrumpere, mirabili induſtria rerum omnium ſimulator varius & diſſimulator. Sed quoniam vir linguoſus nõ dirigetur in terra: Dominus non direxit vias eius nec multiplicauit dies eius.

Hic vero fluxe feruentiſq; iuuentę tam laqueis illectus, quam ſtimulis irretitus: Cæreus in vitium flecti, monitoribus aſper: Tempori ſe conformãs, & naturę motib⁹ non repugnans. Ratione ſiquidẽ ætatis molliciis hactenus magis addictus, q̃ militiis: delicis quam duritiis: Iuuenili quippe magis adhuc leuitati, quam virili, quo nondum attingit, maturitati. Illa plurimum exercitatus malitia qua militat omnis amans: per quam & bonæ indolis adoleſcẽtes ad armatam plærumq; militiam animari ſolent, & à cupidinis caſtris, ad palladis artes, & arces ſublimari. Sicut ergo viridis iuuentute, ſua: ſic & ſequentium ætatum iura ſequetur. Vnde & quoniam, Non luſiſſe

pudet,

* promeruerunt.

* Aiacem.

pudet:ſed non incidere ludum:iuuenilis excuſabilis eſt leuitas:cum laudabilis fuerit ipſa maturitas:tunc prima eſt inculpabilis ætas,cum ludis ponunt tempora metas. Ille,arbor in radicem ramos conuertens,radices altas facere nequiuit:vltimus hic fratrum,& vtinam futurus virtute non vltimus: vtrique parenti fere ſemper obtemperans,longæuus in terris & fælix eſſe promeruit: Cuius etiam deſcriptioni vulgatum illud Merlini Ambroſii vaticinium,de illo, qui Hiberniæ mænia ſubuertet, dictum: vtinam ſic vere conſonet,ſicut & veriſimiliter conſonare videtur. Principium,inquit, eius vago affectui ſuccumbet:& finis ad ſuperos conuolabit.

De fratrum inter ſe, & cum patre diſcordia.

DIi boni, ſi tanti fratres fraterno ſe inuicem fædere, filialique affectu patrem filii reſpexiſſent, duplicique ſimul tam beneuolentiæ ſcil. quam naturæ vinculo aſtricti fuiſſent: quanta & quam inæſtimabilis, quam inclyta, & incomparabilis in æuum & patris fuiſſet gloria,& prolis victoria? O quam digna memoria, & Maronis ingenio digne explicanda hiſtoria? quænam virtus his viribus,quiue Reges his Regibus,tantiſque belli ducibus quæ regna reſiſterent? Ad tantæ virtutis exercendæ materiam mundus ipſe minor eſt:ad explicandos triumphales tantæ virtutis titulos: terræ ſuperficies vix ſufficeret. In quantum igitur,& quam arduum robur ramis naturaliter ſibi cohærentibus,ſuccumque à ſtirpe trahentibus arbor excreuiſſet: ipſa precioſorum tanta & tam prçmatura ruina declarat. Sicut enim rami à ſtipite præciſi per ſe non coaleſcunt: ſic & mutilata frondibus arbor cum læſç maieſtatis diſpendio, tam dignitate minuitur quam decore.

De Saxonica, Hiſpanica & Sicula.

QVALITER etiam ab vna Occidentis radice fragilioris naturæ tres nobiles ſurculi,vel potius ab vno ſole in Occaſu oriente lucidiſſimi tres radii,tres alias & oppoſitas Europæ partes illuſtrauerint: prçſentis areæ tenor annectit. Tantæ ſiquidem & tam arduæ materiæ longeque ſublimiori ingenio non indebite curſim hic & ſub cõpendio delibare veram & amplam hiſtoriam (ſi prçceperis vt ſtylo perſtringam) opus aggrediar. Nec enim laborioſum videri debet aut poterit vel moleſtum: quicquid à tanta maieſtate fuerit iniunctum.

Finis Topographiæ Hibernicæ.

EXPV-

EXPVGNATIO HIBERNIÆ, SIVE HISTORIA VATICINALIS SILVESTRIS GIRALDI CAMBRENSIS.

PRAEFATIO PRIMA IN LIBRVM EXPVgnationis Hibernicæ.

QVONIAM de Inſulæ Hibernicæ ſitu variiſque tam continentis: quam contentorum naturis: de prodigioſis quoque naturæ ipſius excurſibus & originalibus gentium lineis, à longis retro ſeculis, vſq; ad noſtros iam dies in Topographia diſſeruimus: ad multorum inſtantiam & magnorum, aggreſſi ſumus etiam noſtri temporis geſta, & vltimæ iſtius expugnationis Hibernicę ſeriem ſuo quoq; volumine declarare. Nam ſi dies antiquos cũ eorum geſtis, quę ſęcula noſtra longe pu̅enerant, ſatis euidẽter explicuimus: quanto magis, ea q̃ vidimus, quorũq; maiori ex parte teſtes ſumus, & quorũ de fide memoria tã recens hæſitare nõ permittit, luculento relatu depromentur. Retroacti ſiquidẽ temporis geſta locaq; topographia deſcribit: p̃ſentia vero pręſens hiſtoria cõprehendit. Videor tñ mihi iã videre, qm̃ cuncta euidentia, cuncta facilia, cuncta parentia cunctis lector inueniet: qualiter nauci pendendo nunc in nauſeã nares cõtrahit: nunc labellũ porrigit, nunc libellum ꝓiiciendo cõtemnit. Sciat aũt in primis, ꝙ laicis hęc & parũ literatis ædita principib⁹, plano faciliq; ſtylo ſolã deſiderant ad intelligentiã explanari. Popularib⁹ quippe verbis vti licebit, vbi tã populi q̃ maiorũ in populo res geſtę: literarũ beneficio declarãtur. Pręterea publicã ex induſtria formã, & cuiuis abſq; difficultate patentẽ, priuato tamẽ iure venuſtatã: in omni ſtudio noſtri muſa laboris elegit, antiquũ illum & auſterum quorundam authorũ ſcribendi morẽ, modis omnib. reſpuens & refutãs. Et qm̃ nouos mores noua ſibi cõformaut tẽpora, veterumq; vitã, & iuniorum verba ſectari philoſophica ſuadet ſentẽtia: p̃ſentis idioma ſermonis, & modernę modũ eloquẽtiæ auide cupiens & amplectens. Cum .n. articulatæ ſunt voces earũ, q̃ ſunt in anima notę: & ad declarandos animi cõceptus ſolũ humano generi verba ſint data· q̃ maior inſcitia, q̃ illa, q̃ ad euidentiã iudicanda ꝓponimus, ignotis ſermonũ ambagib⁹, & intricatis quibuſdam verborũ inuolucris abdere & velare? Et vt ſingulari ſcientia Scioli videamur & ſoli· aliis tanq̃ videndo non videntibus, & audiendo nõ intelligentibus, eo ipſo quo intelligi debemus, vt non intelligamur, elaborare? Satius .n. eſt (vt ait Seneca) mutũ eſſe, quam quod nemo intelligat, palam proferre. Quanto igitur verba intellectui magis accommoda, dum eleganti quadam iuncturæ fuerint ratione conſerta: tanto magis idonea, tantoque propenſius literatæ diſcretioni familiaria. Vnde poeta

Dixeris egregie notum ſi callida verbum Reddiderit iunctura nouum. ——

Pręterea quoniam opus non ignobile noſtrã topographiam liuor laniat & detrectat: ad eius excuſationẽ quędam interſerere nõ indignũ putauimus. Scholaſtici ſtyli elegantiæ omniũ vnica laus eſt, & vniformis: primæ diſtinctioni, & tertiæ liuor cõtra naturã in laudẽ erumpens oblatrare tã verecundatur, q̃ veretur. Sed qm̃ difficile eſt, fictã diu ferre pſonam: ad plenũ à natura degenerare nõ p̃ualens, vt vel in aliquo noceat, vt vel citra crepitũ tumor ille detumeſcat: in mediã diſtinctionẽ inſolenter inuehitur, parte mendacii nitens, ſummã vniuerſam decolorare. Obiicit enim in hũc modum. Lupũ introducit cũ ſacerdote loquentẽ, Bouina humano corpori depingit extrema: Mulierẽ barbatam, hyrcum amatorẽ & Leonem. Verũ qui talia tã vehemẽter abhorret: legat in libro Numeri aſinã loquentẽ Balaç: & prophetam increpitãtem. Legat vitas Patrum, Faunumq; ibidem cũ Antonio loquentẽ. Legat & Paulũ in heremo corui miniſterio pane refectũ & duplicatum hoſpitis gratia beneficium. Legat alia quoque Hieronymi opera multa. Legat Hexameron Ambroſii, & Dialogũ Gregorii. Legat Auguſtinũ De ciuit. Dei. & p̃cipue lib. 16. & 21. plena prodigiis volumina non pręter eat. Legat & 11. de portentis. Etymolog. Iſydori librum. Nec non & tam de beſtiis 12. quam de lapidibus eorumque virtutibus 16. Legat Valerium Max. Trogum Pompeium: Plinium & Solinum. In quibus omnibus, quæ in hunc modum liuido dente demordeat, multa deperiet. Legat hæc, inquam, & propter prodigioſa quædam inſerta: nobiliũ authorum opera vniuerſa condemnet. Aduertat autem ſe ſanius, & attendat, iuxta Hieronymi ſententiã: multa in ſcripturis incredibilia reperiri, nec veriſimilia: quæ nihilo tamen minus vera ſunt. Nec enim contra naturæ Dominũ, p̃ualet natura.

Nec deteſtari debet: ſed admirari, ſed venerari creatoris opera quęuis creatura. Et vt Auguſtini quoque verbis ad hæc vtamur: quommodo eſt aliquid contra naturam * cum voluntas tanti conditoris conditę cuiuſque rei natura ſit? Portentum ergo fit non contra naturam: ſed contra quod eſt nota natura. Sic ergo non fuit impoſſibile Deo quas voluit naturas inſtituere: ſic ei non eſt impoſſibile, in quidquid voluerit, quas inſtituit, immutare. Nec ego volo temere credi cuncta quæ poſui, quia nec à me ipſo ita creduntur, tanquam nulla de eis ſit in mea cogitatione dubitatio. Exceptis his, quæ vel ipſe ſum expertus, vel cuius facile eſt experiri: cætera vero ſic, vt neque affirmanda, neque neganda decreuerim. Qui lapides Indicos virtuoſos habent, atque nouerunt: nunquid ita mirantur, vt ii, quibus primum potentia eorum oſtenditur? Quibus autem non oſtenditur: fortaſſe non credunt, aut ſi credunt, inexperta mirantur. Et ſi contigerit experiri: adhuc quidem admirantur inſolita. Sed aſſiduitas experiendi paulatim ſubtrahit admirationis incitamentum. Quarum autem rerum ante noſtros oculos cotidiana documenta verſantur, licet genere non minus mirabilia, ipſa tamen aſſiduitate vileſcunt. Sic & in ipſa India conſtituti, iam deſinunt multa mirari, quę ad nos poterunt miranda perduci. Vnde & idem Auguſt. ſuper aquæ in vinum in Euangelio conuerſione: maior virtus eſt in creatione & gubernatione cœli & terræ: & quod quotidie aquæ pluuiæ per vites vertuntur in vinum, & quod ex paruo ſeminario fruges creantur & arbores. Sed quod hæc naturaliter fiunt: iam ex vſu viluerunt. Ideo quędam etſi minora, pręter ſolitum naturæ ſibi Deus reſeruauit, per quæ virtus, quæ in maioribus operatur, ad memoriam reducitur. Videat itaque liuor, nec inuideat, naturæ Dominum contra naturam prę oculis hominum multa ſponte patraſſe, quibus euidenter pateat & clareſcat: plus Deum poſſe, quam hominem noſſe: longeque trans omnem humanam intelligentiam, diuinam ineffabiliter extendi potentiam. Vnde Caſſiodorus. Summum genus ſcientię eſt, ſcire Deum tanta pręſtare, quæ humani ſenſus non valeant attingere. Semper enim & quaſi ex induſtria ſeria ſui negotia nouis quibuſdam natura depingit: vt ſic manifeſte doceat, & declaret: quod licet humanis vtcumque ingeniis, vſualia eiuſdem opera valeant attendi: potentialis tamen effectus nequeat compręhendi. Authores itaque præſcripti, ſi temporum ſuorum prodigia, ſuis tanta diligentia ſcriptis inſeruere: noſtri quoque nos temporis noſtrorumque finium noua & contra naturæ curſum ædita literis, eadem libertate commendantes: vt quid (niſi quia mundus in maligno poſitus eſt) rodimur & laceramur? Si quid ergo nouum in opuſculis noſtris, & inauditum emerſerit: non ſtatim liuidi vel demordeant, vel contemnant: ſed nunc ignoſcendo, nunc approbando, ſtudia procedere ſinant. Nam, vt ait Poeta.

* quod Dei ſit voluntate.

Si patribus noſtris nouitas inuiſa fuiſſet
Vt nobis: quid nunc eſſet vetus? aut quid haberet
Quod legeret, tereretque viritim publicus vſus?

Deſinant ergo aliquid damnare, quia ſit nouum, quod labentis temporis beneficio, dum nouitatis arguitur: deſinit eſſe nouum. Habeat igitur in illis, & pręſens tempus, quod lateret, & poſteritas, quod laudet: habeat hoc quod lædat, illa quod legat: habeat hoc quod damnet, illa quod amet: habeat hoc quod reprobet, illa quod probet.

INCIPIVNT CAPITVLA IN DVOS LIBELLOS.

LIBER ISTE LIBRATVR.

I. *Primus continet de exilio Dermitii & eiuſdem per Anglorum Regem Henricum ſecundum reſtitutione.*
II. *De reditu eiuſdem per maiorem Brytanniam: & mora aliquamdiu in Briſtollia: deinde in Cambria partibus facta.*
III. *De primo Stephanida in Hyberniam aduentu, & Gweſefordienſis vrbis ſubactione.*
IIII. *De Oſſyrienſium expugnatione.*
V. *De Rotherici Connactienſis cum totius Hibernia principibus in Dermitium conſpiratione.*
VI. *Defenſio Dermitii & deſcriptio.*
VII. *Oratio Rotherici.*
VIII. *Oratio Dermitii.*
IX. *Oratio Stephanida.*
X. *De pace reformata.*
XI. *De Mauricii Giraldida aduentu, & Dublinienſium ſtatim ſubactione.*

XII. *De Comitis Richardi Strigulenſis præparatione.*

XIII. *De Reimundi aduentu, & Waterfordienſium Dundumnolſe confectione.*

XIIII. *Oratio Reymundi.*

XV. *Oratio Herueii.*

XVI. *De Richardi Comitis aduentu, & vrbis Waterfordienſis expugnatione, & filiæ Dermitii deſponſatione.*

XVII. *De Dublinenſis vrbis expugnatione.*

XVIII. *De Ardmatienſi concilio.*

XIX. *De generali Anglorũ Regis contra comitem Edicto: & Reymundo ad Regem tranſmiſſo.*

XX. *De nobili Anglorum Antiſtite Thoma, interim in Anglia martyrizato.*

XXI. *De confectione Narwagienſium & Inſulanorum Haſculptro & Ioanne Vehementi Ducibus apud Dublin.*

XXII. *Obſidio Dubliniæ à Rotherico Connactienſi facta, & inſulanis.*

XXIII. *Oratio Mauritii.*

XXIIII. *Confectio Rotherici.*

XXV. *De doloſa Stephanidæ à Gueſefordienſi apud Karres captione.*

XXVI. *Deſcriptio Stephanidæ.*

XXVII. *Deſcriptio Comitis.*

XXVIII. *De occurſu Comitis Anglorum Regi in Claudiceſtriæ partibus: & pace reformata.*

XXIX. *De Ororicii Regis Medenſis apud Dublin. interim confectione.*

XXX. *De aduentu Anglorum Regis* HENRICI *ſecundi in Hiberniam.*

XXXI. *De Stephanide in primis: Regi apud Gwaterfordiam in vinculis adducto: & paulo poſt liberato: & tam Dermitio Corcagienſi quam Dunenaldo Limericenſi cum vniuerſis Auſtralis Hiberniæ principibus ſe regi ſubdentibus.*

XXXII. *De Borealis Hiberniæ principibus apud Dubliniam ſponte, & Rotherico Cõnactienſi ſubditis ſubacto.*

XXXIII. *De Caſſilienſi concilio à Rege conuocato: & magnifice celebrato.*

XXXIIII. *De Regiis conſtitutionibus ibidem promulgatis.*

XXXV. *De nimia tempeſtatum ingruentia.*

XXXVI. *De Rege reuocato per inteſtinæ malitiæ conſpirationem: nec non & Romanæ curiæ legationem.*

XXXVII. *Qualiter de Hibernia in Cambriam, de Cambria in Angliam, de Anglia in Normandiam, duobus Oceani brachiis ocyus emenſis, mira celeritate tranſuolauerit.*

XXXVIII. *Qualiter cum Romanis apud Conſtantiam legatis: deinde cum* LVDOVICO *Francorum Rege, in finalibus terrarum marchiis, cuncta ſtatim ſolita prudentia pacificauit.*

XXXIX. *De viſione, imo verius, viſitatione Regi Henrico apud Kerdiff diuinitus facta, & reuelatione monſtrata.*

XL. *De Medenſis interim Regis Ororicii proditione, & eiuſdem à Dublinẽſi familia interemptione.*

XLI. *De viſionibus & variis earundem effectibus.*

XLII. *Deſcriptio Mauritii.*

XLIII. *De filiis in patrem manifeſte inſurgentibus, & optima, quam Rex in Hibernia reliquerat, familia reuocata, & Hibernia Comiti* RICHARDO *commiſſa.*

XLIIII. *De belli biennalis alea, & patris in filios vbiq; victoria: nec non & prædicanda per ſæcula mira victoris in victas miſericordia.*

XLV. *Deſcriptio Regis Henrici Secundi Anglorum Regis.*

CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

I. *Secundus liber continet primo de reditu comitis in Hiberniam ab Anglorum Rege tranſmiſſi, & Reimundo iterum familiæ præfecto.*

II. *De terris Ophelanorum deprædatis, & Liſmoria ſpoliata, in portu quoq; Ligmorienſi nauali bello conſerto.*

III. *Qualiter reuerſo in Cambriam Reimundo, iterum familia ſub Herueio defecit, interfectis apud Oſſyriam Dublinenſibus: & Comite apud Gueſefordiam quaſi obſeſſo.*

IV. De Reditu Reymundi ad Comitis mandatum: & Balilia ſorore comitis ei deſponſata: Rotherico vero Connactienſi à Dublinia finibus, quos inuaſerat, in fugam conuerſo.

V. De generum inter ſe per alterna matrimonia connexione, & tam Mauritio quam Meylerio in Hibernia feodato.

VI. De priuilegiis interim ab Anglorum Rege perquiſitis, & Synodo Gwaterfordienſi promulgatis.

VII. De quinquepartito iure, duplici veteri, triplicique nouo: quo Brytanniæ Reges Hibernia contingit.

VIII. De nobili dignâque memoria Limiricenſis vrbis expugnatione.

IX. Reymundi deſcriptio.

X. Meyleri deſcriptio: & generis commendatio.

XI. Herueii deſcriptio: & Reymundi ab eodem facta delatio.

XII. De laudabili Limiricenſis familia per REYMVNDVM, & Meylerium ſubuentione.

XIII. Principis Oſſyrienſis oratio Duuenaldi.

XIIII. De Comitis interim morte Reymundo renunciata: & ob hoc Limiricenſi, vrbe relicta: totaque familia cum REYMVNDO Dublinium reuerſo.

XV. De Gullelmo Aldelmi filio, poſt mortem Comitis, Generali in Hiberniam cuſtode transmiſſo, & inuidia, quam in Reymundum & Meylerium Mauritii filios, totumque genus inceſſanter exercuit.

XVI. Aldelmi filii deſcriptio: & de IOANNE de Curci, qui primus Vltoniam, citra maioris Authoritatem inuaſit: & multis eam bellis viriliter expugnauit.

XVII. Iohannis deſcriptio: Deque Dublinienſi concilio à legato Romanæ ſedis Viuiano celebrato: & Anglorum Regis priuilegiato in Hiberniam iure publice ab ipſo Legato viua voce propalato: & victualibus ab Eccleſiis extrahendis iuſta taxationis precio ſoluto.

XVIII. De Aldelmi filio reuocato: & Hugone de Lacy eidem ſubrogato: Stephanide quoque & Milone Coganenſi, & Philippo de Breuſa apud Corcagiam & Limericum, confeodatis, & confœderatis: & variis partium illarum tam aduentibus quam euentibus.

XIX. De Hybernia regna ſub HVGONE de Lacy pacificato & incaſtellato: & ſuſpicione de ipſo ex nimia cum Hibernicis familiaritate contracta.

XX. Hugonis deſcriptio: & electa Iuuentutis commendatio.

XXI. De aduentu Ioannis Coſtabularii Ceſtrenſis: & Richardi de Pec: & pluribus Hugone reuocato, caſtellis per Lageniam conſtructis.

XXII. De Hugone de Lacy iterum cuſtode tranſmiſſo, & multis tam per Lageniam, quam per Mediam caſtellis ſub ipſo conſtructis.

XXIII. De Laurentio Dublinenſi Archiepiſcopo in tranſmarinis Galliæ partibus, apud Augenſe caſtrum rebus humanis exempto: & IOHANNE Cimino eidem ſubſtituto.

XXIIII. De Ioanne Dublinenſi iam Archiepiſcopo tanquam filii Regis præcurſore in Hiberniam à Rege deſtinato: Philippo Guigornienſi cuſtode tranſmiſſo.

XXV. De Hieroſolymitano Patriarcha Eraclio, ab Oriente in Occidentem emenſis Oceani brachiis, ad Anglorum Regem Henricum ſecundum terræ ſanctæ poſtulandi præſidii cauſa interim in Angliam tranſuecto.

XXVI. De Regno Paleſtino occulto quodam diuinæ permiſſionis arbitrio: paulo poſt in ſacrilegas Saracenorum manus deuoluto: & Ciſalpinis principibus ab illuſtri Pictauenſium Comite Richardo nobilis auſus exemplo, ſalutiferæ ſigno crucis inſignitis.

XXVII. De inopinata inter Reges, & Comitem Pictauiæ ſtatim ſuborta diſcordia.

XXVIII. De Romani Imperatoris Frederici digna laude maturatione.

XXIX. De viſione eius qui hæc ſcripſit: & viſionis expoſitione.

XXX. De memorabilibus noſtri temporis tam aduentibus in Angliam, quam euentibus.

XXXI. De primo Filii Regis aduentu, ſcilicet Ioannis in Hiberniam.

XXXII. Tam Stephanida quam Comitis nec non & Regis tam commendatio quam excuſatio.

XXXIII. De mora & impedimentis plenæ & perfectæ conquiſitionis.

XXXIV. De

XXXIV. *De geſtis Hiberniæ tranſlato in Ioannem Regni Dominio, breuiter recapitulatis & ſuis ſcriptoribus aſſignatis.*

XXXV. *Quibus ex cauſis filio Regis in hoc primo conatu ad plenum non ſucceſſerit.*

XXXVI. *Qualiter gens Hibernica ſit expugnanda.*

XXXVII. *Quo moderamine eadem expugnata ſit gubernanda.*

PRÆFATIO SECVNDA.

A MVLTIS requiſitus,& multoties,vt inclyta noſtri tẽporis geſta,quæ vel certis ab indicibus audiui, vel oculis ipſe conſpexi, literis commendarem:temporum iniuriam prętendere conſueui. Quæ certe inualeſcente luxu rerum ac libidine,tam ſumptuoſa ſunt & ambitioſa: vt inſatiabilem corporis ad curam liber ille animus ex toto captiuetur. Conſiderans tamen, & diligenter attendens rerum iſtarum notitiam poſteritati fore perutilem, nihilq; laudabili ingenio,mentiq; ſtudioſæ adeo peſtiferum & pernicioſum,vt otioſitatis vitio cõtracta deſidia: ſtylo potius indulgendum mihi ipſe perſuadens, vix tandem monitis acquieui. Sed quid pręſumptuoſius eſſe poteſt:quam vt ſcribere velimus non vacãtes? vt publice legi geſtiamus: non legentes? vt inuidi & inuiſi iudicis vndique ſubdamur examini,nos ipſos non examinantes? Tullius eloquentiæ fons,cum dicere peteretur: fertur excuſaſſe, quod pridie non legiſſet. Quid iam aliis accidere poterit: ſi tanta laus facundiæ, authorum viſa eſt beneficia poſtulare? Ægreſcit profecto ingenium, niſi iugi lectione reparetur? Legendo namque & ſtudiis quaſi cotidiano cibo, & alitur & pingueſcit oratio. Sicut igitur cito expediuntur horrea, quæ aſſidua non fuerint adiectione referta: Sicut theſaurus ipſe,quam facile profunditur,ſi nullis iterum pecuniis reſtauretur: Sic & humanæ ſtudium imperfectionis, cum alieno non iuuatur inuento,cito euacuatur & euaneſcit ex proprio. Nos ipſos itaque duplici natura temporali ſcilicet & æterna compactos tanquam ex æquo diuidentes: tam tempori ſatisfaciamus quam æternitati. Terream enim & tranſitoriam noſtri partem tranſitoriis, & friuolis temporis ratione dedicemus. Illo vero quod perpetuum in nobis eſſe dignoſcitur: ad perennitatis gloriam aſpiremus. Habeat aliquandiu Curia corpus: Animus vero liberalis & liber, quæ nec claudi nec incarcerari poteſt: nunc noſtræ, nunc alterius ſubiaceat poteſtati: quæ ſua ſunt ſemper agat: & ſui libertate glorietur. Erret igitur homo exterior & turbetur erga plurima, variaque ſollicitudine temporalibus indulgens nugis, prout animo rectore dicitur & circumfertur: miſera carnis conditione ſuæ depreſſioni morem gerat. Interior vero theſaurus, & tanquam teſtę, nucleus: innato ſibi ſic iure fruatur: priuilegio quoque diuinitus indulto ſic vndique muniatur: vt nec in turba turbari, nec ſollicitudine ſollicitari, nec ſolitarius valeat in ſolitudine reperiri.

Bipartito namque dominio diuiſum in nobis imperium cum Ioue Cæſar habet. Habet id noſtri Cæſar, in quod ſolum potens eſt poteſtatem exercere. Subtilem illam & incompręhenſibilem noſtri partem, ſolus ille poſſideat à quo ſolo & dinoſci poteſt & compręhendi. Animus eius vero magnus, & magnificus, excelſus & immenſus, & inter Dei dona ſub cœlo pręcellentius. Incompręhenſibilis ipſe, omnia compręhendens: quanta euidentia declarat diuinitatem ſuam: cum agilitatis ingenitæ beneficio, quatuor mundi cardines vno momento complectitur? Mundum vniuerſum; mundique cauſas, artes, varias, ſcientiaſque mira tam celeritate quam ſubtilitate percurrit: Soli notus ignoto, ſolo viſus ab inuiſo, ſolo finitus ab infinito.

Abſit igitur vt partis huius ſtudia perpetua, variis & vanis prępedita curis, aut omiſſa depereant: aut intermiſſa tepeſcant. Quid enim animo corpus, niſi pondus & pœna eſt: & quaſi carcer quidam non complectens, & tamen impediens? Quod igitur teſtudini teſta: hoc ſpiritui caro eſt: impedimentum ſuum circumfert vterque. Huius itaque viribus & virtute Hibernicę gentis expugnationem, & tam barbarę nationis feritatem, his temporibus edomitam euidenter euoluere procuraui tuęque celſitudini (Pictauienſium comes Inclyte, Normannorumque Dux & Anglorum Rex mox future) digeſtam hiſtoriam deſtinaui: quatenus & rerum iſtarum recordatione paterna tibi gloria: gloriam accumulet: & ſicut terrarum, ſic virtutum & victoriarum hæres tam æmulatione laudabili, quam ſuccedanea proprietate, fieri comproberis. Hac igitur in area, arcta licet, & arida, hiſpida quoque & inculta:

Sed ſtyli beneficio forſan excolenda, muſam adhuc rudem ſe tanquam prȩludio quodam exercere conſtitui: vt quoniam de longo nec dum fidente patatu molimut ad inclytas titulorum veſtrorum hiſtorias poſtmodum explicandas: quorum rudimenta tam magna, maturioris ætatis maxima iam probant incrementa futura plenius & efficacius informetur.

De exilio Dermicii Principis Lageniæ, & eiuſdem per Anglorum Regem reſtitutione.

Cap. I.

DERMITIVS itaque Murchardi filius Lagenienſium Princeps, & quintæ illius porcionis Hiberniæ Rector, Orientalia inſulæ maritima maiori Britanniæ, mari tantum interluente, cõtermina, noſtris temporibus poſſidebat. Qui ab ineunte ætate regniq; ſui nouitate, nobilitatis oppreſſor exiſtens, in terræ ſuæ magnates graui & intolerabili tyrannide ſæuiebat. Acceſſit & aliud incõmodum. Ororicio namq; Medenſium principe in remotas partes, expeditionis cauſa profecto, vxor ipſius Omachlachetlini filia, q̃ in Inſula quadam Mediæ reliquerat, à prȩdicto Dermitio eiuſdẽ igne dudum accenſo, captata viri abſentia, rapta nimirum fuit: quia & rapi voluit. Et quoniam varium & mutabile ſemper Fœmina: vt prædoni prȩda fieret, ipſa procurauit. Sed quoniam mala fere cuncta maiora, tam M. Antonio, quam Troia teſtante, mundo per mulierem conſtat exorta: Rex Ororiſius grauiter vtroque permotus, longe tamen grauius dedecoris quam damni dolore perculſus, totum in vindictam virus euomuit. Conuocans igitur & conflans tam proprias, quam vicinarum gentium vires, Connactienſium quoque Principem, & totius Hiberniæ tunc monarcham, ad idem animauit Rothericum. Conſiderantes autem Lagenienſes Principem ſi cum in arcto iam poſitum, & hoſtium cuneis omni ex latere circumſeptũ: diſſimulatas diu iniurias, altaq; mente repoſtas vindicẽ ad animum reuocantes; cum hoſtibus vnanimes effecti, Murchardi filium maiores in hac gente ſimul cum fortuna reliquerunt. Vidẽs itaque Dermitius ſe viribus vndiq; deſtitui: & auerſa penitus fatorum facie, fortunæque fauore iam deſperanter affligi: poſt multos & graues impari certamine cum hoſte conflictus: tanquam ad vltimum confugiens ſalutis remedium: tandem tamen fugæ prȩſidium nauigio deſtinauit. Multis itaque rerum euentibus patet, tutius eſſe, volentibus quam inuitis imperare. Senſit hoc Nero, Senſit Domitianus, ſenſit & noſtri* temporibus tam Saxonum quam Bauariorum Dux Henricus. Expedit à ſubditis principi cuilibet potius amari, quam timeri. Expedit ſiquidem & timeri. Dum tamen ex dilectione potius timor ille proueniat, quam coertione. Quicquid enim terrenis affectibus adamatur: conſequens eſt vt & * ametur. Sic itaque timor cum dilectione temperetur, vt nec remiſſa liberalitas leteſcat in teporem, nec inſolenti vigore violenter extortus timor in tyrannidem conuertatur. Amor Auguſto regnum ampliauit: Imperanti Iulio vitam & imperium timor inuidit. Fortunam igitur fugitiuam ſequens, & rotæ volubilitati multum confidens, Murchardi filius velis ſulcantibus æquora, ventoque ad vota ſpirante, ad Anglorum Regem Hẽricum ſecundum, auxilium obnixe poſtulaturus acceſſit. Qui licet in remotis & tranſmarinis Aquitaniæ Galliæ partibus, principali more, negocioſus exiſtẽs: ipſum tñ innatæ liberalitatis & humanitatis officio, pie ſatis & benigne ſuſcepit. Audita ergo ſeriatim tam exilii q̃ aduentus cauſa, ſuſceptiſque ab ipſo tam ſubiectionis vinculo, quam fidelitatis ſacramento, literas * enim ſub hoc tenore parentes indulſit. HENRICVS Rex Angliæ, Dux Normandiæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ: vniuerſis fidelibus ſuis Anglis, Normannis, Gwalenſibus & Scotis, cunctiſque nationibus ſuæ ditioni ſubditis: Salutem. Cum præſentes ad vos literæ peruenerint, Noueritis nos Dermitium Lagenienſium Principem in gratiæ noſtræ & beneuolentiæ ſinum ſuſcepiſſe. Vnde & quiſquis ei de amplitudinis noſtræ finibus tanquam homini & fideli noſtro, reſtitutionis auxilium impendere voluerit: ſe noſtram ad hoc tam gratiam nouerit, quam licentiam obtinere.

* noſtris.

* timeatur.

* eſt.

De Reditu eiuſdem per Maiorem Brytanniam.

Cap. II.

REDIENS itaque per maiorem Brytanniam Dermitius, & licet Regiæ munificentiæ donariis honoratus plurimum & oneratus, ſpe tamen quam re longe abundãtius exhilaratus: ad nobilis oppidi Briſtolli partes ſe contulit. Vbi etiam occaſione natium, quæ de Hibernia eo in portu crebris applicationibus ſuſcipi conſueuerant à

quibus

quibus terræ ſuæ gentiſque ſtatum audire geſtiebat) fiſcalibus ſtipendiis decenter exhibitis, eſt aliquandiu conuerſatus. Cumque ibidem multoties literas Regias in multorum audientia legi feciſſet: multaſque promiſſiones tam terrarum, quam ſtipendiorum multis inaniter emiſiſſet: tandem Comes Strigulenſis Richardus Guiliberti comitis filius, Dictus Strangbow, fortis arcus, cum eo locuturus aduenit. Vbi & eo vſque demum productum eſt colloquium: vt & Comes ei in proximo vernali tempore reſtitutionis auxilium: & Dermitius Comiti cum Regni ſucceſſione filiam ſuam primogenitam firmiter pepigiſſet. His itaque ſeriatim hoc ordine completis: Dermitius deſiderio viſendæ patriæ plurimum accenſus, eaque dulcedine, qua natale ſolum cunctos ducere ſolet, amplius allectus: ad Auſtralis Cambriæ Meneuiæque partes incunctanter acceſſit. Quas à Lagenia vno transfretabile die, humanoque terras non ſubtrahens aſpectui, ſolum interfluens mare diſterminat: Ryſo videlicet Gryphini filio illis in finibus ſub rege principante. Dauidque ſecundo Meneuiæ præſidente, & exulantis calamitatem, ſatis humaniter vtroque miſerante. Sic igitur tanquam ab ora Cambryci littoris, aeris Hibernici ſalubritatem Zephyri beneficio propinquius hauriens, & quaſi deſideratæ nidorem patriæ naribus trahens: ſolario quamuis longinquo, non tamen exiguo, dum inter colles & nubila vix diſcernitur, terræ ſuæ proſpectu lumina paſcit. Ea tempeſtate, Robertus filius Stephani, qui apud * Abertemi, heretice regionis caput (cui tunc præerat) dolo ſuorum captus fuerat, & Ryſo traditus: iam iamque per triennium in vinculis & carcere tentus: ea liberatus eſt conditione, vt vna cum Ryſo in Anglorum Regem arma ſumeret. Videns autem Robertus ſe patris ex parte Domini Regis fidelitati naturaliter aſtrictum (ex matre namque nobili, ſcilicet * Neſta, Ryſi Magni filia, Ryſi filii Gryphini conſobrinus extiterat) maluit potius & præelegit in extera regione ſub capitis periculo, fatis & fortunæ ſe committere: quam in detrimentum famæ & opinionis ſuæ ſuorumque opprobrium non modicum, infidelitatis in poſterum argui poſſe. Interuenientibus igitur vterinis eiuſdem fratribus Dauid Meneuenſi Epiſcopo: & Mauricio Giraldi filio: impetrataque à Ryſo licentia, vna Dermitium conuenientibus, firma inter illos ſponſione conuenit: vt Dermitius Roberto Mauritioque vrbem Gweſefordiæ cum duobus cantaredis adiacentibus in feodum conferret, & eidem illi auxilium cum Zephyris & hyrundine prima compromitterent. Dermitius autem exulantis vltra damna non perferens, vt fortunam in exteris regionibus quæſitam necdum inuentam, vbi amiſerat, recuperaret: ad antiquam & autenticam Metropolin Meneuam circa cal. Auguſti transfretaturus acceſſit. vbi & captata tam aeris ſerenitate, quam auræ proſperitate (Euro ſcilicet ab Aurora ſpirante) velo ventoque ſe committens, & tam viæ quam patriæ pericula temnans, in terra inimica mox ſuſceptus, hoſtibus infinitis animo impatienti ſe priuatum expoſuit. Apud Fernas igitur à clero loci illius honorifice iuxta modulum eorum facultatis exceptus, diſſimulata pauliſper principis Maieſtate, ſatis ſingulariter hyemauit.

Reſus.

* forte Abingenny.

* Domina Neſta.

Aduentus Stephanida, & Expugnatio Gweſefordenſis.

Cap. III.

INTEREA vero Robertus Stephani filius nec promiſſionis immemor, nec fidei contemptor 130. militibus de proximis & alumnis ſuis ſe præparans, nec non & aliis 60. loricatis, ſagittariis quoque pedeſtribus quaſi 300. de electa Gwalliæ iuuentute, circa Calend. Maii in tribus nauibus apud Banuam applicuit. Tunc illud MERLINI Syluestris vaticinium vulgo diuulgatum conſtat eſſe completum. Miles bipartitis armis, Hiberniæ clauſtra primus irrumpet. Si vatis ænigma videre volueris: ad primos vtrinque reſpicias progenitores. Fuerat enim ex patre Normanno & Anglico: & matre Brytannica & Kambrica, nobili ſcilicet Neſta progenitus. In eodem comitatu Herueius de monte Mauriſco vir quoque fugitiuus à facie fortunæ, inermis & inops, ex parte Richardi Comitis (cuius * patruus erat) explorator potius quam expugnator, aduenit. In craſtino vero vir probus & ſtrenuus MAVRITIVS de Prendelgaſt Stephaniden ſequens, in Dermitii auxilium, de Roſenſi Walliæ Demetiæ prouincia; & portu Miluerdico cum x. militibus & ſagittariis plurimis, ibidem in duabus nauibus applicuit. Cum igitur in Inſula Banuenſi omni parum ex parte ſecuri, ſubductis ſe nauibus recepiſſent: nunciis ad Dermitium directis, famaque (vt aſſolet) aduentum diuulgante: ex partibus maritimis nonnulli,

* 30. Stephanidæ aduentus.

* paratus.

 qui

qui olim à Dermitio vna cum fortuna diſceſſerant, ad eundem ſtatim, eadem reuertente, confluxerunt. Nam vt ait Poeta: Sic cum fortuna ſtatque caditque fides. Murchardides autem audito eorum aduentu cum viris quaſi quingentis (prę̨miſſo tamen Duuenaldo naturali eiuſdem filio, &c, quamquam non legitimo, in ſua tamen gente præualido) ad eos ſtatim ouanter acceſſit. Renouatis itaque fœderibus, Sacramentis quoque multipliciter, ad vtriuſque partis ſecuritatem vtrinque prę̨ſtitit: iunctiſque cateruis: & de diſſimilium populorum facta intentione iam ſimili, vnanimique concordia: ad vrbem Gueſcefordiæ per mil. quaſi 12. à Banua diſtantem, tam armorum quam animorum acies conuertuntur. Quo audito plebs exiens vrbis hactenus indomita, priſtinę̨que fortunæ plurimum confiſa: numero virorum circa duo millia, non procul à caſtris obuiam venire, & viribus dimicare diſpoſuit. Videns autem ordinatas præter ſolitum acies, & equeſtrem turmam loricis, & galeis clypeiſque fulgentibus inſignem: nouis ſuper caſibus nouo fungens conſilio, ſuburbio toto igne ſuccenſo: ſe ſtatim intra muros reuerſa ſuſcepit. Stephanides vero cum ſuis ſe ad inſultum acriter prę̨parantes, viris armatis foſſata replentibus, propugnacula vero ſagittariis eminus obſeruantibus: magno cum impetu & clamore, muros vnanimiter inuaſerunt. Ciues autem ad defenſionem promptiſſimi: robora ſtatim tam lignea quam ſaxea proiicientes, non ſine magna multorum læſione, eos aliquantulum repulerunt.

Robertus Barrenſis.

Inter quos miles quidam Robertus Barrenſis iuuenili inſultans calore, mortiſque pericula ſtrenuitate contemnens, cum inter primos muris primus obrepſiſſet: galeato in capite ſaxo colliſus, in imum foſſæ prę̨ruptæ ab alto corruens: vix tandem à ſociis extractus euaſit. Ex ictus huius vehementia, 16. annis poſt elapſis, dentes ei molares deciderunt, & (quod ſtupore dignius erat) noui ſtatim ſuccreuerunt. A muris itaque ſe retrahentes, ad littus proximum certatim irruentes, naues omnes, quas ibidem inuenerunt, igne ſtatim ſuccenderunt. Nauis autē vna, quæ mercimonii cauſa de Brytanniæ partibus huc aduenerat, tritico vinoque referta: anchorarum morſu in portu retenta iacebat. Quam cùm electæ iuuentutis pars potior, in Scaphis remigando viriliter occupaſſent, Anchorarum funibus nautarum induſtria iam prę̨ciſis, Circio à tergo vrgente nauemque in altum propellente, non abſque magno ſalutis diſpendio, Scapharum remigumque auxilio, terram iterum vix obtinuerunt. Sic igitur denuo fortuna, in ſola varietate non varia: tam Murchardiden, quam Stephaniden, pene fauore deſtituit. In craſtino vero miſſis per exercitum ſolenniter auditis: conſultius & inſtructius ad inſultum procedentes, & tam ingenii quam virium ope ſuffulti, tam arte ſcilicet quam marte confiſi: cum muris iam appropiaſſent: ciues de defenſione diffidentes, ſuoque ſe Principi iniuſte reſiſtere conſiderantes, nunciis ad ipſos tranſmiſſis, quæ pacis erant tractare potius ſatagebant. Interuenientibus igitur in vrbe Epiſcopis, qui tunc ibi forte fuerant, duobus, aliiſque viris bonis & pacificis, pace reformata, ciues demum ſe Dermitio dedentes, quatuor obſides electos de fidelitate ſibi de cætero ſeruanda tradiderunt. Ipſe vero ſuos amplius animare iam cupiens, & in primis ſucceſſibus primos remunerare diſponens: vrbem ſtatim cum territorio toto, Stephanidæ & Mauritio iuxta priſtinæ conuentionis debitum aſſignauit. Herueio quoque de monte Mauritii duos Cantaredos inter vrbes duas Gweſcefordiam ſcilicet & Gwaterfordiam mari conterminos in feodum dedit.

Oſſyrienſium expugnatio.

CAP. IV.

HIs igitur ad vota completis, adiunctis ſibi Gweſcefordiæ ciuibus, cum exercitu virorum quaſi trium millium verſus Oſſyriam acies diriguntur. Fuerat autem Oſſyriæ Princeps Duuenaldus, inter vniuerſos ſuorum rebelles Dermitio ſemper inimiciſſimus. Qui & filium eiuſdem Dermitii primogenitum olim in vinculis tentum, ad ampliſſimum tam iniuriarum cumulum, quam malorum incommodum: Zelotypiæ cauſa exoculauerat. In primis igitur Oſſyriæ partes non longe penetrantes: quaſi in ipſo terræ limbo, locis in arctis & tam ſyluis quam paludibus inuiis, Oſſyrienſes in patrię̨ defenſione non inualidos inuenerunt.

Vnde & ſolitis confiſi ſucceſſibus, ipſos etiā vſq; in ipſa campeſtria longe perſequuntur. Stephanidę̨ vero equites, in eoſdē reuerſi, ſtatim acriter irruētes: facta ſtrage non

non modica, ipſos paſſim per campana diffuſos, lanceis confodiunt, confundúntque. Et quos equeſtris turma in terram deiiciunt, capitibus ſtatim ſecuribus amplis Hibernicæ cateruæ pedeſtres deſtituunt. Sic igitur parta victoria, hoſtium capita circiter ducenta ad pedes Dermitii ſunt delata. Quibus ſingillatim reuolutis & agnitis præ nimio gaudij motu, ter iunctis manibus in altum proſiliens, in gratiarum actione ſummo creatori voce lætabunda canorus exultat. Vnius etiam, quem magis inter ceteros exoſum habuerat: capite per aures & comas ad os erecto, crudeli morſu & valdè inhumano nares & labra dente corroſit.

Poſt hæc autem, cum ad vlteriores & penitimas partes terræ, cædibus, rapinis, & incendiis viriliter vacando, iam pluries tranſpenetraſſent: tandem Oſſyriæ princeps de ſuorum conſilio, ſub forma pacis, licet vmbratili, fictaque magis vtrinque quam vera, datis obſidibus & ſacramentis exhibitis, ad fidelitatem Dermitii venire nitebatur.

In iis vero conflictibus, ſicut & in aliis cunctis, inter vniuerſos ſtrenuitate laudabili, cum Roberto Barrenſi Meylerius emicuit. Erant enim hi duo adoleſcentuli ambo, Stephanidæque alter ex fratre, alter ex ſorore nepotes. Moribus diuerſis, variaque natura: ſola tamen animoſitate fere perſimili.

Meylerius namque laudis amator & gloriæ, cuncta ſui geſta ad hæc ſummopere referens: quicquid eius famam amplificare poterat: illud adimplere modis omnibus ſatagebat: longeque maiori cura videri virtuoſus quam eſſe cupiebat. Alter vero innata ſtrenuitate valdè præclarus, nec laudis exactor, nec auræ popularis aucupator: inter primos præcipuus magis eſſe volebat, quam videri. Cui & animum natura ſic inſtituerat: vt puellari verecundia nec iactabundus, nec verboſus exiſtens: egregia ſui facinora nec ipſe prædicare, nec ab aliis in laudem efferri geſtiebat. Vnde & effectum eſt, vt quo minus gloriam appeteret: tanto amplius eam aſſequeretur. Gloria namq; virtutes quaſi vmbra ſequitur: & appetitores ſui deſerit: appetit contemptores, plerunq; nimirum plus eo ipſo placent: quod placere contemnunt: & mirum in modum laus, dum vitatur, acquiritur.

Contigit autem, exercitu in Oſſyria in caſtellario quodam antiquo, & circumquaque peruocitante: his duobus ſimul (vt ſolet) recubantibus, ecce virorum quaſi millia millium infinita vndique in illos irruentium, & tanquam in impetu furoris ſui cuncta deuorantium, cum armorum ſonitu, & ſecurium colliſione non modica, nec non & clamore terribili cœlum replente (cuiuſmodi fantaſma in Hibernia circa expeditiones frequens eſſe ſolebat.) Quo terrore, maiori exercitus parte in fugã conuerſa, quibuſdam in ſyluis, aliis in paludibus latebras quærentibus: hi duo ſoli ſtatim ad arma proſilientes, ad Stephanidæ tentoria viriliter acceſſerunt: Socios diſperſos acriter ad defenſionem conuocantes & animantes. Robertus vero Barrenſis in tanta tam vehementi cunctorum perturbatione (ſi quem ibidem domeſticum habuerat) non ſine magna multorum tam admiratione quam inuidia, ne perderetur, ſollicitus actitabat. Inter varia namq; virtutis eiuſdem indicia, hoc præcipuè de ipſo prædicari ſolet; quod nulla vnquam violentia vel inopinata, nulla præoccupatione, nulla de ſubitatione, vel deſperanter meticuloſus, vel in fugam turpiter conuerſus, vel animo conſternatus potuit inueniri: ſemper ſecum inuentus, ſemper ad tutelam promptus: ſemper ad arma paratus. Fortiſſimus ille nimirum eſt,

Qui promptus metuenda pati, ſi cominus inſtent:
Et deferre potens.

Primus igitur miles, qui in hac Hiberniæ expugnatione, inter Martios conflictus ictum ſuſcepit, & læſionem: primus hic miles, qui in hac inſula Niſo manſueto & domeſticato, Niſi filiam infeſtauit.

Totius Hiberniæ in Dermitium & Stephaniden conſpiratio.

Cap. V.

VOLVITVR intereà fortunæ rota: ſtatimque caſum ſummiſque ruinam, aduerſa iam facie comminatur. Auditis itaque per inſulam nouis Dermitii ſucceſſibus, & exterorum aduentu formidabili: Rothericus Connactienſium princeps, & totius Hiberniæ Monarcha, ex modicis maiora coniectans, & mente malorum plerumque præſaga, tam ſibi quam patriæ toti ex aduenarum acceſſu, imminere iam pericula præſentiens: miſſis vndique legatis conuocauit totius inſulæ primates,

Qui ſtatim communicato conſilio, in Dermitium vnanimiter inſurgentes, exercitus quamplurimos, & hominum multitudinem infinitam in Kenteleiam Lageniæ partem coniunxerunt. Dermitius vero amicis arundineis aliis retro abeuntibus, & quaſi in occulto diſparentibus: aliis vero fidei & ſacramenti religione poſtpoſita ad hoſtes aperte ſe conferentibus: veros præter Stephanidas, in neceſſitatis articulo, paucos admodum amicos inuenit. In loco ergo quodam non procul à Fernis, ſyluis denſiſſimis, & montibus præruptis, aquiſque & paludibus orbiculatiter obſito, ſuiq; natura ſituque valde inacceſſibili, cum ſuis ſe contulit. Vbi & ſtatim procurante Stephanide concidibus inſiſtens, proſtratis arboribus, ligniſq; conſertis, ſyluas vndique condenſans, puteis altis, foueiſque profundis campos exaſperans, introitus & exitus occultos & arctos, per varios anfractus inſultibus aptans: loca denique ſibi ſuiſq; peruia, hoſtibus inuia reddens: naturalem difficultatem induſtria plurimum & arte muniuit.

Deſcriptio Murchardida, id eſt, Dermiſii.

Cap. VI.

ERAT autem Dermicius vir ſtaturæ grandis, & corpore peramplo: vir bellicoſus & audax in gente ſua: ex crebro continuoque belli clamore voce rauciſona. Timeri à cunctis quam diligi malens; nobilium oppreſſor, humilium erector, infeſtus ſuis, exoſus alienis. Manus omnium contra ipſum: & ipſe contrarius omni. Rothericus autem miſſis ad Stephaniden nuntiis, donariisque quoque non modicis, tam præmiſſis, quam promiſſis, vt à patria, in qua ius nullum ſibi vendicare poterat, cum pace & amore diſcederet, variis ſuaſit verbis nec perſuaſit. Nuntii vero ad Murchardiden conuerſi, vt in exteras nationes delendas ſimul cum ipſis arma conuerteret, cum firma Rotherici amicitia totam ſibi Lageniam pacificam reddi ſpondentes: multa quoque propria pro patria, proq; gente multa allegantes, multis in hanc partem orant ſermonibus, nec petorant tamen.

Oratio Rotherici.

Cap. VII.

VIDENS itaque Rothericus, ſe nihil in hunc modum proficere poſſe, viribuſque * hic potius opus eſſe: iamiam animo concipiens, tanquam ad vltimum refugium ad arma conuerſus, ſuos ſic demum adorſus eſt.

* *quam verbis.*

Viri Illuſtres & bellicoſi, patriæ tutores & libertatis; quibus cum gentibus, quaue de cauſa bella nobis gerenda ſint, conſideremus. Hoſtis ille patriæ, ſuorum tyrannus, & omnium inimicus, olim expulſus à patria: in publicam cunctorum perniciem, armis exterorum circumſeptus ecce iam rediit. Suorum enim inuidens ſaluti, gentem inuitauit alienam: vt malitiam, quam cum effectu non potuit per ſe: inuiſę nationis feritate ſuffultus, efficacius in nos exerceret. Inimicus igitur ipſe, gentem aſciuit inimiciſſimam; gentem tam ſibi, quam nobis omnibus olim imperare gliſcentem, gentem quoque, quæ ſibi terræ noſtræ deberi dominium, fatis etiam diſponentibus, profitetur. In tantum itaque venenum ſuum diffundere iam præparauit: quod quantum cunctis communi labe infectis, vt nemini parcatur, nec ipſę ſibi pepercit. O crudelis beſtia, longeque belua crudelior omni: quæ vt ciuium ſanguine iram ſaciaret inſatiabilem (inexorabilem) nec ſibi, nec patriæ, nec ſexui parcere nec ætati duxit. Hic ille eſt, qui olim licentia in ſuos debacchatus tyrannide deſæuierat. Hic ille eſt, qui in cunctos communiter armatis exterorum viribus iam crudeſcit. Cunctorum itaque meretur odium, qui omnium in commune ſe comprobat inimicum. Attendite ciues, attendite, animiſque profundius infigite, quod huiuſcemodi occaſione, ciuili ſcilicet diſcordia, cuncta fere regna ſunt expugnata. Iulium Cæſarem, qui bis terga Britannis oſtenderat, in ſuam patriæque ſubactionem, offenſus Androgeris, & doloris augmento dolorem vindicans tertio reuocauit. Idem Iulius Occidentali demum orbe ſubacto, ſingularis imperii ambitione, bello pluſquam ciuili, gentibus inuiſis Latium præbere cruorem, non formidauit. Et vt familiaribus quibuſdam vtamur exemplis: noſtroque tempori longe propioribus: Gurmundum inſularum malleum ad expugnandos Britones, in propriam perniciem ſubiectionemque, Saxonum populus inuitauit. Quem poſtea tamen ſorte peiore ad Franciam expugnandam, Francus & Francorum hoſtis Yſembardus adduxit. Francorum igitur exemplo pro patria pugnantes, acriter in hoſtes irruamus. Et dum numero tam pauci huc exteri ſunt aduecti,

necti, eos impetu vnanimi conteramus. Ignis enim dum adhuc in ſcintillis eſt, facillime opprimitur. Cum vero flammis iam ſtridentibus, ſuppetente materia, in rogum ſimul & robur excreuerit: difficilius extinguitur. Principiis enimuero ſemper obuiandum, & morbis venientibus eſt occurrendum. Sero namque

—— medicina paratur:
Cum mala per longas inualuere moras.

Patriam itaq; tuentes, & libertatem, noſtriq; memoriam perlongam facientes, id aggrediendo viriliter, effectui mancipemus, vt paucorum interitus, multorum ſit metus: & iſtorum exemplo, exteræ nationes ab auſu tam nephario imperpetuum abſterreatur.

Oratio Dermitii.

Cap. VIII.

MVRCHARDIDES vero ſuos magna ex parte deſolatos, & quaſi animis conſternatos conſpiciens, ipſos verbis, quib. potuit, ſic animauit: Viri Lagenienſes, quos In vtraq; fortuna nobis comites indiuiſos vera fides, & firmior natura coniunxit: animos ad tutelam noſtri viriliter erigamus. Malleus ille malarũ artium & ambitionum omnium magiſter & author, violento dominatu cunctos opprimere cupiens: ad nos iterum à patria pellendos, vel etiam in ipſa (q abſit) patria delendos, ecce ſuper capita nobis iam imminet. De multitudine ſuperbus & elatus ambitionẽ ſuã brachio metitur. Sed inermi multitudini & inerti plerunq; grauis eſſe ſolet: animoſa paucitas & armata. Sed (ſi) Lageniam quærit: quoniam alicui Connactenſium aliquando ſubiecta fuit: Ea ratione & nos Connactiam petimus, quia noſtris aliquoties cum totius Hiberniæ ſubdita fuerat monarchia. Nec ille more monarchæ dominari quærit: ſed damnare, ſed delere, ſed à patria propellere, & in omnium iura ſolus ſuccedere: & omnia ſolus obtinere.

Multi ſunt, & de multitudine forte gloriantur, & confidunt. Sed congredi cum multis, Lagenienſes ſemper nouerint auſos. Non enim virorum, ſed virium, ſed virtutum copia, bella vincuntur. Pro nobis itaque contra ſuperbiam humilitas: contra iniuriam, ius & æquitas: contra arrogantiam & intemperantiam, modus & modeſtia dimicabunt. Numeroſis virtutibus, non viribus innumeris, viri victoriam conſequuntur. Iniuriam armis irrogatam, armorum propulſare remedio, leges & iura permittunt. Fauorabilis eſt cauſa pro patria ſimul patrimonioq; pugnare. Illi de lucro captando: nos de damno vitando certamus. Præterea locum habemus arctum tam arte quam natura munitiſſimum. In quo & ipſa ſibi multitudo fiet oneroſa: & ad victoriam ſufficere poterit, paucitas vnanimis & animoſa.

Oratio Stephanidæ.

Cap. IX.

FINITO itaque Dermitii ſermone, ſuos Stephanides ſic alloquitur: Bellorum ſocii adoleſcentes electi, qui tot pericula nobiſcum experti animo ſemper generoſo inuictoq; fuiſtis. Si diligenter attendamus, qui, quo duce, quoue tenore hæc ſubeamus diſcrimina, & ſolita ſtrenuitate præcellemus: & nos fortuna in prœlio priſtino fauore non deſtituit. Troiano partim ex ſanguine linea deſcẽdimus originali. Ex Gallis nãq; ex parte propaginem ducimus & naturam. Hinc nobis animoſitas: illinc armorũ vſus accedit. Cum itaq; duplici natura nobiliq; hinc inde proſapia tã animoſi ſimus, & armis inſtructi: populum inermem, turbamq; plebeiam nobis reſiſtere non poſſe quis diffidat? Præterea dolo domeſtico, inteſtinaq; malitia natali cum ſolo ampla perdidimus patrimonia. Vnde & in has partes non ſtipendiorum ambitio, non auri cœca fames: ſed terrarum & vrbium nobis & noſtris perpetua largitio nos aduexit. Non ergo pyratæ, nõ prædones huc aduenimus. Virum hunc illuſtrem, largitorem optimum & liberalẽ, fraude ſuorũ circumuentũ reparamus: miſeremur afflicti, iuuamus oppreſſum, patriæ patrimonioq; reſtituimus deſtitutũ. Gentẽ hic noſtrã diligit, gentem hic noſtrã attrahit, gentẽ hic noſtrã in inſula plantare & immobiliter radicare propoſuit. Huius forſitan occaſionis euentu, & quinq; portiones in vnum redigentur: & ad noſtrates in poſterum totius regni dominium deuoluetur. Si noſtra manu parta fuerit victoria, & Murchardides reſtituitur, & noſtro aggreſſu regnum Hibernicum nobis & noſtris in perpetuum retinetur. O quanta hæc gloria, quantiſq; periculis, & quanto tam vitæ diſpendio, quam mortis contemptu viris appetenda?

Quid eſt enim aliud mors quam interpolatio quædam, modica temporis mora, & quaſi ſonus inter momentaneam hanc vitam medius, & illam manentem?

Quid

Quid aliud mors, quam breuis quidam tranſitus à tranſitoriis ad æterna. Moriendum quippe eſt, quia ineuitabile eſt illud & commune fatum: Etſi nullo egregio facinore vel gloria vitam illuſtret, vel morte ſaltem laudis memoria conſequatur. Illis itaque mors terribilis eſt, quorum ſimul omnia cum morte mori videntur: non his quorum laus emori non poteſt. Id igitur viri viribus inſignes & virtute præclari, id vnanimiter aggrediamur: vt in nobis hodie genus noſtrum non degeneret. Et in hoc conflictu, ſeu vincendo ſeu moriendo perpetuam nobis ſtrenuitate gloriam comparemus.

De pace reformata.

CAP. X.

SCIENS autem Rothericus ambiguos ſemper bellorum euentus: & quoniam iuxta Comici ſententiam: omnia ſapienti viro prius quam arma tentanda ſunt: cum armatis quoque exterorum viribus, plurimum congredi reformidans; nuntiis intercurrentibus, ea ſubire, quæ pacis ſunt, modis adhuc omnibus attentauit. Bonorum itaq; virorum interuentu & gratia deſuper inſpirante fauorem, pax demum ſub hoc formata tenore eſt. Quod relicta Dermitio Laggenia: ipſe Rothericum tanquam Hiberniæ principem & Monarcham, debita ſubiectione recognoſceret. Et vt hoc ratum maneret, & illibatum, ſuper hoc etiam Dermitius filium ſuum Cnuthum nomine obſidem dedit. Cui Rothericus, pace proceſſu temporis operum exhibitione ſtabilitatem ſortita, filiam ſuam ſe nuptui daturum ſpopondit. His igitur publice propalatis: ſacramentis quoque ad eorundem confirmationem vtrinque præſtitis: & hoc inter eos, ſed in priuato conuenit, quod aduenas in inſulam de cetero Dermitius non vocaret. Illos etiam, quos iam aſciuerat, pacificata ſibi Lagenia ſtatim remitteret.

Aduentus Mauritii Giraldidæ, & Dubliniæ ſubactio.

CAP. XI.

HIs ita completis: iterum tanquam arridente fortuna, vultuſque ſerenos aduertente: ecce Mauritius Geraldi filius, de quo ſupra cap. 2. mentionem fecimus: vterinus ſcilicet Stephanidæ frater, cum decem militibus, & ſatellitibus equeſtribus triginta, ſagittariis quoque pedeſtribus circiter centum, apud Gueſefordiam in duabus nauibus applicuit, * vir fide & ſtrenuitate conſpicuus, vir puellari verecundia, tam animi quam verbi conſtantia clarus. Murchardides autem aduentus huius euentu exhilaratus plurimum & animatus, graues Dublinienſium iniurias tam ſibi, quam patri toties illatas, vindicem ad animum anxie reuocans: conuocato exercitu ſtatim in Dubliniam acies & arma diſpoſuit. Stephanide interim in rupe quadam prærupta mil. à Gweſefordia quaſi duobus, quæ vulgari vocabulo Karrec dicitur, municipium conſtruente, locumque natura munitum arte iuuante, & Mauritio Anglorum exercitum cum Dermitio ducente, eique ducis in modum præſidente.

** vir quidē probus & prudens.*

In breui itaque toto vrbis territorio cum prouinciis adiacentibus, deprædationibus, cædibus & incendiis ad exterminium fere redacto: tandem ciues de pace tractantes de fidelitate principi ſuo de cetero ſeruanda, & debitis obſequiis exhibendis, cautionem ſecuram præſtiterunt.

Ortis interim inter Rothericum Connactienſem & Duuenaldum Limiticenſem inimicitiis: cum Rothericus armata manu Limirici fines iam inuaſiſſet: Dermitius in Duuenaldi, puta generi ſui auxilium, Stephaniden cum ſuis tranſmiſit. Quorum fultus auxilio, poſt varios conflictus vbique victoria potitus: Rotherico cum dedecore ad ſua reuertente, ſe ab eius dominatu omnino ſubtraxit. In his etiam expeditionibus ſicut & in aliis cunctis mira ſtrenuitate, cum Roberto Barrenſi Meylerus emicuit. Hic autem tunc temporis mulier illa barbata viſa eſt, & in tergo iubata. De qua in Topographia locuti ſumus, cap. 20. 2. diſtinct.

Comitis Richardi præparatio.

CAP. XII.

MVRCHARDIDES autem ſe ad vlteriora iam erigens: toto ſibi patrimonio ad manus iam reuerſo, ad auita atque antiqua iura conſpirans: Connactiam ſibi cum vniuerſa Hiberniæ Monarchia potenti manu ſubiicere proponit. Super hoc itaq; Stephaniden & Mauritium ſecreto conueniens, animique conceptum omnino denudans:

dans: hoc facile fieri poſſe reſponſum ſuſcepit, ſi amplioribus Anglorum viribus latus ſtipari procurauerit. Cum igitur modis omnibus ei ſupplicaſſet: quatenus genus & gentem copioſius in inſulam aduocarent: propoſitumque ſuum effectui mancipare curarent: tandem vt efficacius id ipſis perſuaderet, eorum alterutri cum regni ſucceſſione filiam obtulit primogenitam. Sed quoniam forte tunc legitima copula gaudebat vterq;: poſt multas deliberationes in hoc conſilium deniq; reſedit, vt Comiti Richardo (cuius c.2. ſupra mentionem fecimus: & cui filiam eandem ſe quondam in Briſtolli partibus daturum pepigerat) nuntios quantocyus dirigeret, literas in hæc verba deferentes: Dermitius Murchardi filius Lagenienſium princeps, Richardo Comiti Strigulenſi, Gilleberti Comitis filio S.

Tempora ſi numeres, bene quæ numeramus egentes,
Non venit ante ſuum noſtra querela diem.

Ciconias & hirundines obſeruauimus: venerunt aues æſtiuæ: venerunt, &, Circio iam flante, reuerſæ ſunt. Deſiderabilem & diu expectatam præſentiam veſtram nec Fauonius nec Eurus aduexit. Moram itaq; ſanet executionis efficacia: & id operum efficiat exhibitio, vt ſolo videatur tempore lapſa fides. Ad nos Lagenia tota iam rediit. Si in manu valida tempeſtiuus adueneris: quatuor portiones ad quintam de facili conuertentur. Gratum itaque reddideris aduentum, ſi acceleratum: celebrem ſi celerem, feſtiuum quoq; ſi feſtinum. Vulneratæ liquidem ex parte per incuriam dilectioni, renouata cicatricem obducet affectio. Amicitia namq; ſanatur cito officio: & obſequentis gratiæ beneficio, etiam in maioris integritatis robur accreſcet. Quibus auditis Comes Rich. poſt multa variaq; conſilia tandem ex aliorum euentibus ſibi formam præſcribens, & ex Stephanidæ ſucceſſibus, quam prius abhorruerat, audaciam ſumens: totis in Hiberniam tendens niſibus, totis in illam anhelans ſuſpiriis, ad eius expugnationem omnimodas exigit intentiones.

Erat autem vir hic ſanguine conſpicuus, & Clarenſium clara de ſtirpe progenitus: vir quidem plus nominis hactenus habens, quam hominis: plus ſenii, quam ingenii: plus ſucceſſionis quam poſſeſſionis. Veniẽs igitur ad Anglorum Regem Henricum ſecundum obnixe ſupplicat, & efflagitat: vt vel terras ipſum iure hereditario contingentes ſibi ſaltem, mediante iuſtitia, reſtitueret: vel in exteris regionibus ſe fatis & fortunæ committendi licentiam daret.

Aduentus Reymundi, & Guaterfordienſium apud Dundunolf confectio.

Cap. XIII.

Accepta igitur quaſi licentia ironica magis quam vera, brumali tranſlapſo tempore, iuuenem quẽdam de familia ſua Reymundum nomine cum 10. militibus & ſagittariis 70. circa cal. Maii in Hiberniam præmiſit: iuuenẽ ſc. validum & robuſtum militaribus armis inſtructum: tam Stephanidæ quam Mauritii ex fratre primæuo nepotem. Applicantes itaq; ſub rupe quadam marina (quæ Dundunolf dicitur) à Guaterfordia quaſi 4 mil. à latere Gueſefordiæ meridionali: tenue ſatis ex virgis & ceſpite caſtrum erexerunt. Guaterſordiæ vero ciues, & cum ipſis Machlachelinus Ophelan, fama ſtatim euentum diuulgante, exterorum viciniam ſuſpectam habentes, communicato conſilio principiis obuiandum ducentes, in ipſos vnanimiter arma ſumere decreuerunt. Tranſeuntes itaq; flumen Suyrenſe, quod Deſmoniam à Lagenia ſub ipſius vrbis muralibus ab Oriente diſterminat, quaſi tria virorum millia, tribus ad inſultum turmis ordinatis, fortiter accedunt ad foſſata.

Sed quoniam vix eſt, vt virtus clauſa celari, vt animoſitatis ardor extingui, vt probitatis ſcintilla comprimi valeat & includi: Reymundus cum ſuis, licet numero perpauci, ſtrenuitate tamen conſpicui, eis obuiam exeuntes, nimis impari certamine congreſſi ſunt. Sed quia tantæ multitudini paucitas tam magna reſiſtere non potuit: ad caſtra reuerſi hoſtes à tergo perſequentes, intra valuas vix plene ſuſpenſas certatim intrando ſuſceperunt.

Videns autem Reymundus, ſeque ſuoſque in arcto, imo extremo articulo iam conſtitutos: vultum ad hoſtes viriliter conuertentes primum quemque intrantem in ipſis ianuis gladio tranſuerberauit. Et exclamans voce altiſona, vno ictu, nobilique regreſſu tam ſuos ad tutelam reuocauit: quam horrendum hoſtibus metum incuſſit.

Sic igitur ancipiti ſemper bellorum alea, qui victi videbantur, in momento victores effecti: hoſtes in fugam conuerſos, & paſſim iam per campana diſperſos,

tanta

tanta ſtrage perſequuntur, vt incontinenti quingentos & eo amplius interimerent. Et cum caſſatas feriendo manus ab ictibus iam ſuſpenderent, ab altis in mare rupibus præcipitati ſunt infiniti.

In hoc conflictu miles quidam Wilhelmus ſcilicet Ferrandus mirabili ſtrenuitate præpolluit: vir carne quidem infirmus, ſed corde firmiſſimus. Imminentem, vt videbatur, lepræ malitiam morte nimirum præuenire deſiderans tam præmatura, quam præclara.

Sic Guaterfordiæ ſuperbia cecidit, ſic totum eius robur euanuit. Hinc nobilis vrbis cæpit euerſio, hinc Anglis ſpes, hinc conſolatio: hinc hoſtibus horror, hinc deſperatio. Inauditum enim hactenus eſt, in partibus illis tam modica manu tantam ſtragem factam fuiſſe: prauo tamen conſilio, deteſtabilis nimis, & inhumana ſæuitia, abuſi ſunt fortuna. Cum enim completa victoria ſeptuaginta ciues de potioribus & primis, intra caſtra captiuos in vinculis renniſſent, propter quos vel vrbem ipſam, vel pecuniam immenſam ſuſcepiſſe potuerant: Herueius de monte Mauriſco (qui cum tribus militibus in eorum aduentu ſe ſtatim ipſis adiunxerat, & Reymundus alternis deliberando ſententias, ad contraria contenderunt.

Oratio Reymundi.

Cap. XIIII.

Reymundus enim ad eorum laborans liberationem ſic adorſus eſt: Viri commilitones, quibus ad gloriæ cumulum virtus ſimul & fortuna contendunt: quid de captiuis noſtris ſtatuendum eſt, videamus. Nec enim hoſtibus parcendum vlla ratione decreuerim. Sed hi non hoſtes iam, ſed homines: non rebelles, ſed debellati, ſed victi, ſed fatis vrgentibus ob patriæ tutelam ſuperari. Honeſta quidem occupatio. Non fures, non factioſi, non proditores, non prædones. Eo iam numero ſunt conſtituti, vt in eis potius locum habeat pietas ad exemplum, quam crudelitas ad tormentum. Difficile quidem eſt, & tanto virtus antiquior: effrenes ſemper & luxuriantes incommodis animos inter proſpera temperare. Efficiat igitur in nobis digniſſima laude clementia, vt cetera qui vicimus, animos vincamus & iram. Solet quippe præcipites animi motus modus & modeſtia temperare mitigareque. O quam laudabile eſt viro magnifico, quoties inter ipſos triumphales ſucceſſus, pro vindicta reputat, vindicare potuiſſe.

Iulius Cæſar (cuius victoriis orbis anguſtus erat) in tanto imperio ſuo tantum Domitium, cui tamen & ante vitam donauerat, iuſſit occidi. Pietas in ipſo & gloriam adauxit, & victorias non impediuit. O quam impia, quam beſtialis ſæuitia: vbi victoriam nulla ſequitur miſericordia. Fortis enimuero viri eſt, qui de victoria contendunt, eos hoſtes putare: qui victi fuerint, eos homines iudicare: vt poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. Eſt itaque nobili viro miſereri quam vincere laus longe præſtantior. Illud enim fortunæ, iſtud virtutis eſt. Sicut igitur, ſi gladiis noſtris rebelles in acie cecidiſſent: profecto id nobis augmento victoriæ ceſſiſſet ad gloriam: ſic captis, & ad vitam reſeruatis, & tanquam ex hoſtium numero, in hominum cœtus iam reuerſis de cetero mors inflicta, cum famæ detrimento non modico nobis verget in confuſionem (ignominiam.) Cum igitur eorum interemptio patriæ non ſit liberatio: ad augenda tam militum ſtipendia, quam virtutis exempla: longe commodior eorum redemptio cenſenda videtur, quam peremptio. Sicut enim Martios inter conflictus, galeato iam capite, ſanguinem ſitire, cædibus inſiſtere, ſolum gladiis allegare, feritate pluſquam ferina, ſe cunctis in actibus inexorabilem præbere militem decet: ſic bellico ceſſante tumultu armis iam exutis, feritate quoque depoſita: reſumi debet humanitas, & animo nobili pietas, & manſuetudo renaſci.

Oratio Herueis.

Cap. XV.

Finito Reymundi ſermone, & murmure populi cum quodam quaſi feruore ſubſecuto, ſurgens ad proceres Herucius, ſic adoritur: Satis exquiſite Reymundus de pietate nobiſcum diſſeruit. Internos forſan animi ſui motus verborum compoſitione nobis oſtentans: tanquam pietatis operibus, & non potius cædibus & incendiis terra exterorum ſit expugnanda. Nunquid hac via Iulius, nunquid Alexander Macedo, vniuerſas ſubdidit nationes? Nunquid ſponte ad pietatis iſtorum ſpectacula gentes vndique concurrerunt: & non potius vi & armis coactæ, crudelitatis quoque

terrore

terrore compulſæ colla ſubmiſerunt. Dum adhuc ſuperbi, dumque rebelles ſunt populi: poſtpoſita pietate modis ſunt omnibus expugnandi. Cum vero iam ſubditi, iam ſeruire parati, tum demum (ſaluo regiminis moderamine) cum omni manſuetudine ſunt tractandi. Hic itaque pietas, ibi exhibenda crudelitas. Hic locum habet clementia, ibi ſæuitia. Reymundus vero quaſi populis iam ſubditis, ſola ſit opus miſericordia, vel tanquam hoſtibus in nimia paucitate conſtitutis, vbi virtus eniteat, inuenire non valeat (cum tamen totus Hiberniæ populus in noſtram, nec immerito, coniurauerit peruiciem) hoſtium augere numerum iſtorum adiectione, mirabili pietate contendit. Contrarius & inconſtans eſſe videtur. Populum expugnare venit: & vt populo parcatur, argute proponit. O quam impiæ pietatis exemplum eſt, propria prorſus contempta ſalute, ſuper hoſtium calamitate pie moueri? Præterea, iam plures in caſtris hoſtes habemus, quam domeſticos: vndique periclitamur: exterius, parum hoc nobis eſſe videtur: niſi & intus quoque periclitemur, foris infiniti: intus multi noſtrum moliuntur exterminium.

Quid ſi forte vinculis ruptis (quibus ſatis tenuiter alligantur) ad noſtras ſubito proruperint armaturas? Mus in pera: Ignis in ſinu: ſerpens in gremio, hoſtes in boſtio male ſuos remunerant hoſpites. Nonne quod agit hic opere: deſtituit in ſermone? Reſpondeat, quæſo, Reymundus, cum ad nos expugnandos inſtructis aciebus aducnerunt, ſi eorum forte manu parta fuiſſet victoria: nunquid nobis pro pietate deferrent? Nunquid victis vitam venderent? Nunquid captos vlla redemptione liberarent? Sed non opus eſt multiloquio: vbi res eſt in expedito. Noſtra ſiquidem ſic victoria conſumetur, vt iſtorum interitus aliorum ſit metus. Et ipſorum exemplo, populus effrenis ac rebellis nobiſcum de cetero congredi reformidet. Duorum quippe alterutrũ eligamus. Aut enim ad quod venimus, viriliter exequamur, populumque rebellem, diſſimulata prorſus clementia, armis & potentia, animoſaque manu debellemus: aut ſi pietatis operibus, iuxta Reymundi ſententiam potius indulgere dignum duximus, reuerſis velis plebi miſerabili patriam & patrimonia relinquamus.

Placuit commilitonibus Herueii ſententia: & condemnati miſeri, membris confractis, in maris præcipitium dati ſunt.

Aduentus Comitis: Guaterfordiæ expugnatio.

Cap. XVI.

INTEREA Comes Richardus præparato tanti conaminis apparatu, per auſtralis Cambriæ maritima Moneuiam petens, electam in partibus illis iuuentutem coadunauit. Conquiſitis igitur & peractis tanto nauigio neceſſariis: in portu Miluerdico naues aſcendens vento velis à tergo incubante, militibus cum quaſi ducentis, & aliis circiter mille, circa decimum Calend. Septembris, vigilia videlicet ſancti Bartholomæi apud Guaterfordiam applicuit. Mane vero poſt feſtum, die quidem Martis, Martia communiter ad vrbis inſultum iam muris imminentia vexilla vehuntur. Sed cum à ciuibus & Dundunolfenſium cædis reliquiis iam bis viriliter repulſi fuiſſent: videns domunculam quandam per poſtem deforis à muro dependentem, vndique ad inſultum acriter inuitans, viros armatos ad eiuſdem poſtis ſuccisionem quantocyus immiſit. Quo ſucciſo: ſtatim domus illius facta ruina, cum muri quoque parte non modica, certatim intrantes hoſtes in vrbem irruerunt: & cæſis cateruatim per plateas ciuibus, victoria potiti ſunt cruentiſſima. Captis igitur in turri Reginaldi duobus Syrаracis, & gladio ſublatis, Reginaldo vero & Machlachelino Ophelano ſimiliter ibidem captis, ſed interuentu Dermitii, qui cum Mauritio & Stephanide, nec non & Reymundo iam tunc aduenerat, ad vitam reſeruatis, diſpoſitis vrbi cuſtodibus, filia quoque Dermitii, Eua nomine, ibidem Comiti patre tradente, fœduſque firmante legitime copulata, cuncta communiter verſus Dubliniam vexilla vehuntur.

De Dublinienſis vrbis expugnatione.

Cap. XVII.

SCIENS autem Dermitius totum Hiberniæ populum in defenſionis auxilium à ciuibus Dubliniæ conuocatum, omnes circa vrbem vias nemoroſas & arctas armis obſediſſe: paternæ non immemor iniuriæ, nemoroſa declinans, per conuexa montium de Glyndelachan latere, exercitũ ad vrbis mœnia duxit indemnem. Præ omnibus

bus namque ciuibus iſtos non immerito habebat exoſos. In medio namque domus cuiuſdam grandis, vbi tanquam in foro pro curia ſedere conſueuerant: patrem ipſius interemptum, damno dedecus annectentes, cum cane ciues cumulauerant. Miſſis autem legatis, & interueniente præcipue laudabilis memoriæ, Laurentio Dubliniensis Eccleſiæ tunc Archipræſule, cum de pace primo tractatus haberetur, ex vna parte Reymundus, ex altera miles animoſus (de quo infra, & capit. vigeſimo primo) Milo Coganenſis, cum iuuentute tam belli, quam lucri cupida, certatim ad muros irruentes, victoriam ſtatim adepti: non ſine magna ciuium ſtrage vrbem viriliter inuaſerunt. Pars tamen eorum potior, Haſculpho Duce, naues & ſcaphas, cum iis, quæ pretioſiora poſſederant intrantes: boreales ad inſulas ſe nauigio tranſtulerunt.

Eodem die duo magna in vrbe miracula contigerunt. De cruce videlicet immobili facta, quam ciues ad inſulas aſportare contenderant: & denario eidem oblato bis reſilienre, ſicut in Topographia declaratur.

Cum itaque Comes per aliquot dies de ſtatu vrbis diſpoſuiſſet: ibidem Milone Coganenſi cuſtode relicto, inſtinctu Murchardidę, antiquas inimicitias vindicem ad animum reuocantis, Ororicii Medenſis fines hoſtili inuaſione demoliuntur. Tota igitur Media crebris deprædationibus, cædibus quoque & incendiis iam exterminio data.

Rothericus Connactienſis ſuam agi rem perſpiciens, paries vbi proximus ardet: Nuntios Dermitio in hæc verba tranſmiſit: Contra pacis formam, exterorum multitudinem in inſulam aduocaſti: dum tamen intra Lageniam tuam te continuiſti: æquanimiter ſuſtinuimus. Nunc autem, quoniam nec ſacramenti memor, nec obſidis dati miſertus, metas poſitas, patrioſque fines inſolenter exceſſiſti: aut exterorum tuorum de cetero compeſcas excurſus, aut præciſum tibi filii tui caput procul dubio remittemus. Cum autem Dermitius ad hæc ſuperbe reſpondiſſet, adiiciens quoq; , ſe à propoſito non deſtiturum, donec ſibi Connactiam auito iure competentē, cum totius Hiberniæ Monarchia, ſubiugaſſet: Indignans Rothericus, filium eius, quem ei (ſupr. c. 10.) obſidem dederat, capitali ſententia condemnauit.

Ardmachienſe concilium.

Cap. XVIII.

His itaque completis conuocato apud Ardmachiam totius Hiberniæ clero: & ſuper aduenarum in inſulam aduentu tractato diutius & deliberato: tandem communis omnium in hoc ſententia reſedit: propter peccata ſcilicet populi ſui, eoque præcipue, quod Anglos olim tam à mercatoribus, quam prædonibus atque piratis, emere paſſim, & in ſeruitutem redigere conſueuerant, diuinæ cenſura vindictę hoc eis incommodum accidiſſe, vt & ipſi quoq; ab eadem gente in ſeruitutem vice reciproca iam redigantur. Anglorum namq; populus adhuc integro eorum regno, communi gentis vitio, liberos ſuos venales exponere, & priuſquam inopiam vllam aut inediam ſuſtinerent: filios proprios & cognatos in Hiberniam vendere conſueuerant. Vnde & probabiliter credi poteſt, ſicut venditores olim, ita & emptores tam enormi delicto iuga ſeruitutis iam meruiſſe. Decretum eſt itaque prædicto concilio, & cum vniuerſitatis conſenſu publice ſtatutum: vt Angli vbique per inſulam ſeruitutis vinculo mancipari: in priſtinam reuocentur libertatem.

Edictum Anglorum Regis.

Cap. XIX.

Auditis interea iſtarum rerum euētibus fama de magnis ſemper maiora vulgante, & quoniam Comes non tantum Lageniam, ſed & alia quædam nec ſibi nec vxori ſuæ vllo iure competentia iam inuaſerat: ab Anglorum Rege edictum emanauit, vt ab vniuerſis terris ſuæ ditioni ſubditis, nulla de cetero nauis in Hiberniā quicquam aduectare præſumat. Et vt omnes omnino de terris ſuis illuc aduecti: aut infra proximum Paſcha redeant: aut exheredati prorſus exules à regno imperpetuum fiant.

Videns autem Comes ſeque ſuoſque in arcto iam poſitos, & tam ſuorum amiſſione, quam neceſſariorum defectu deſperanter afflictos: communicato conſilio, ad Anglorum Regem, licet in remotis Aquitannicæ Galliæ partibus agentem, Reymundum deſtinauit.

Licet-

Licentia veſtra (mi Domine) ſi bene tecordor, in Hiberniam transfretaui: fideli veſtro Dermitio reſtitutionis auxilium impendere deſiderans. Vnde & quicquid in ea vel eius, vel alterius patrimonio mihi fortunæ fauor adiecit, ſicut ex veſtræ benignitatis munificentia totum prouenit: ſic ad eandem pro libito veſtro nutuque redibit.

Martyrium S. Thomæ.

Cap. XX.

EA tempeſtate, Reymundo Curiam ſequente, & Rege ſolita occupationum moroſitate reſponſum differente: THOMAS Cantuarienſis Archiepiſcopus in Anglia gladiis impiorum occubuit: Non ſine multa maiorum tam regni quam ſacerdotii nota. Cui præter multiplex illud ſeptennalis fere exilii martyrium, in multo mœrore, cilicio ſcilicet duplici, tam fœmorali, quam corporali: In lectione, & oratione continua, & omnium anguſtiarum grauiſſima, nec ætati parcente, nec ſexui, tam miſerabili ſanguinis vniuerſi proſcriptione, ad conſummabilem totius martyrii gloriam id totum acceſſit. Quod ipſe furibundis hoſtibus templi fores aperuit: & aperto vertice gladiis occurrens, ſacram vulneribus coronam obtendit: Quod in Eccleſia matre & Metropolitana, & coram altari: Quod à quatuor aulicis canibus, rabie pluſquam canina furentibus, in corona (quæ clero potius ſignum protectionis eſſe ſolebat) quatuor vulnera ſuſtinuit, & nullum extra. Quod ea ſolum in parte, quæ paſſionem Chriſti ſignificat, Chriſti miles & martyr inſignis intrepide paſſus emicuit: felici commercio incorruptibilem pro corrupta coronam ſuſcipiens: Quod ſacram Dominici Natalis hebdomadam ſuo quoque ſanguine conſecrauit: & ſicut primus Thomas quinta Natalem lucem præuenit: ſic iſte ſecundus ſacris ex nomine iam ceſſantibus, eundem numerum ſubſequenter impleuit. Quod ille Orientis lampas fuit: hic Occidentis: Quod ille naſcenti Eccleſiæ lumen dedit, hic ſeneſcenti: Et ſicut ille ſurgentis Eccleſiæ fundamenta ſuo ſanguine cementauit: ſic iſte ſuo diu fundatæ, tanquam ruinoſæ iam, & tam ſenio confectæ, quam vi tempeſtatum crebro concuſſæ, priſtinum reformauit: Et ſicut ille feruens erat fide feruente: ſic iſte non tantum feruens, ſed & pluſquam feruor erat, iam frigeſcente. Et ſicut ille vt Eccleſiæ ſubſtantiam erigeret, tortoribus ſe cruentis expoſuit: ſic iſte, vt eiuſdem formam conſeruaret illæſam, gladiis occumbere non formidauit. Cuius quoque triumphales tantæ gloriæ titulos hi duo verſiculi ſub compendio ſatis egregie comprehendunt:

Pro Chriſti ſponſa, Chriſti ſub tempore, Chriſti
In templo, Chriſti verus amator obit.

De quo inter varias eiuſdem virtutes, illud præcipue ſpectabile memoriaque dignum occurrit: quod ſeparatis membris & proiectis inaudito more noua repoſuit. Ex hac ſuæ nouitate virtutis, vere nouus martyr apparuit. Vnde quidam:

Miratur rediiſſe virum neutratus: ocelli
Succedunt oculis, albus hic, ille niger.

Quia ne cauſari malignitas poſſet, eoſdem oculos fuiſſe, quos prius habuerat, non erutos ad plenum, ſed læſos: dati ſunt minores & diuerſi coloris, miraculoque maiori, quibus non minus in tenebris & nocte obſcura, quam clara luce videbantur.

Occidit autem hoc tritici granum, & in terram cadens, multum fructum attulit: anno videlicet ortus ſui quadrageſimo octauo: Conſecrationis octauo: Exilii ſeptimo, in fine Decembris felici brauio curſum finiens, veteremq; vitam cum anno terminans, & nouam inchoans. Ab incarnatione vero Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo: præſidente Romæ Alexandro tertio, imperante Frederico, regnante in Francia Ludouico. Vnde quidam:

Annus millenus, centenus, ſeptuagenus
Primus erat, primas quo ruit enſe Thomas.

Elapſa interim hyeme Dermitius Murchardi filius plenus dierum, apud Fernas circiter Cal. Maii rebus humanis exemptus eſt.

Confectio Noruuagienſium apud Dubliniam.

Cap. XXI.

EADEM fere tempeſtate, circa Pentecoſten, Haſculphus olim Dublinienſium

Princeps vindice deferuens animo, cum Norwagienſibus & Inſulanis in ſexaginta nauibus vrbem expugnaturus, Auenliphenſe litrus obtinuit. A nauibus igitur certatim erumpentes, Duce Iohanne cognomine Thewoode (quod Latine ſonat, inſano vel *vehementi) viri bellicoſi Danico more, vndique ferro veſtiti, alii loricis longis, alii laminis ferreis arte conſutis, clypeis quoque rotundis, & rubris, circulariter ferro munitis: homines tam animis ferrei, quam armis, ordinatis turmis, ad portam orientalem vrbem inuadunt.

*dementi.

Verum *Milo Coganenſis tunc vrbis cuſtos, innatæ animoſitatis audacia, longe licet impari numero, viriliter ipſis obuiare præſumpſit. Sed hoſtiles impetus tam patua manu perferre non valens, parte ſuorum perdita, militis quoque coxa ferro vtrinque veſtita, vno ſecuris ictu cum panno loricæ præciſa, hoſte vrgente in portam regredi compulſus eſt: donec Richardus Coganenſis Milonis frater, per poſticam auſtralem cum paucis clam egreſſus, ipſos à tergo acriter exclamando percuſſit. Cuius inopinati euentus, & de ſubitationis cauſa, aliis ante, aliis retro confligentibus, ambigua ſemper bellorum alea, ſtatim confecti, & in fugam ſunt conuerſi.

*ſupr. c. 17.

Interfectis itaque fere cunctis, Iohanne quoque Vehementi: non abſque tutela virili, à Gualtero de Ridenesfordia, & aliis quibuſdam demum expugnato & interempto: Haſculphus à marina gliſi, per quam ad naues transfugerat retractus, ad maiorem victoriæ cumulum viuus in vrbem, cui paulo ante præerat, eſt reductus. Ad redemptionem itaque reſeruatus, & in curia coram Milone conſtitutus in publico auditorio verbum hoc indignanter & impudenter emiſit. Parua, inquit, manu nunc aduenimus, & ſolum noſtri conaminis initia ſunt iſta. Sed tamen, mihi vita ſuperſtite, in breui his longe diſparia multoque maiora ſequentur. Quo audito (quoniam in manibus linguæ vita & mors) & quoniam frangit Deus omne ſuperbum, maleque dolorem vindicat, quiſquis doloris augmento, dolorem accumular) præcepto Milonis ſtatim illi capite præciſo, paulo ante indultam, inſolenti verbo vitam amiſit.

Obſidio Dubliniæ à Rotherico Connactienſi facta & inſulanis.

Cap. XXII.

His ita completis: videntes Hibernici Comitem & ſuos, tam ſuorum iactura, quam victualium defectu (quibus Anglicanæ copiæ beneficio hactenus inſula abundare conſueuerat) iam deficientes: collectis vndique viribus cum infinita totius Hiberniæ fere principes multitudine, Dubliniam obſidione cinxerunt: Laurentio Dublinienſi Antiſtite zelo ſuæ gentis, vt ferebatur, hoc procurante, miſſis quoque literis tam Archipræſulis, quam Rotherici Connactienſis, Gottredum Maniæ principem, nec non & alios Inſulanos, ad portum vrbis maritimum obſidendum, tam verborum inuitat perſuaſione, quam larga quoque ſtipendiorum promiſſione. Qui tanto promptiores effecti, quanto ſibi quoque ex Anglorum ſucceſſibus ſubiectionis imminere periculum formidantes: *Circio flante, naues circiter triginta bellicoſis plenas viris, in Auenliptrii portum incunctanter adducunt. Totum namque præſidium, ſuaue collegium, eorum habere ſolatia: quos ipſa ſimul delectat ſubire ſuffragia.

*Euro.

Cum itaque duobus iam fere menſibus intra muros vrbis Comes & ſui clauſi fuiſſent: nec vlla prorſus victualia ipſis vel terra vel mare miſiſſet: deficientibus alimentis, ſolitaque malitia non vno contenta malo, ſed cumulante ſemper incommoda fortuna ſiniſtra: ecce Duuenaldus Dermitii filius *Keneeliæ finibus aduenien̄s, Stephaniden intra Karrectenſe caſtrum à Gueſefordiæ ciuibus, nec non & Kenceleienſibus quaſi tribus virorum milibus cum paucis obſeſſum nuntiauit. Et niſi infra diem tertium ei in manu valida ſuccurratur: de ipſo & illis, qui cum ipſo ſunt, non amplius cogitandum.

*al. Kyneliæ

Erant autem intra Dubliniam cum Comite obſeſſi: Giraldides Mauritius, & Reymundus à curia iam reuerſus: tam ſuorum quam ſui non mediocriter anxietate turbati. Quorum Mauritius quanquam propria plurimum: longe plus tamen optimi fratris & vxoris, pignorumq; ſuorum calamitate commotus, quæ in hoſtium medio municipium tenebat immunitiſſimum, virgis tantum & ceſpite clauſum, ad Comitem ſurgens & proceres, in hæc verba prorupit.

Oratio

Oratio Mauritii.

CAP. XXIII.

NON ad delitias, viri, non ad ocia vocati, in hos terrarum fines aduecti ſumus: fortunæ potius rentare vices, & ſub capitum periculo vires animoſitatis venimus experiri. In ſummitate rotæ aliquandiu ſtetimus, & ecce ad ima iam deuoluimur. Item ad ſumma, volubilitatis ratione prouehendi. Hæc eſt enim rerum mundanarum mutabilitas: vt alternis vicibus ſemper aduerſis proſpera diſtinguantur. Solis ortum cœli reuolutione ſequitur occaſus, & occidentis tenebras ad ortum rendens orientis lampas illuminat. Quibus hactenus cum triumphi gloria tanta rerũ copia omniũ fortunę fauor adiecerat: en clauſis vndiq; hoſte terra mariq; victualia iam deficiunt. Auxilium nobis nec mare mittit, nec claſſis inimica permittit. Stephaniden quoq; cuius animoſitas & nobilis auſus viam in inſulam nobis aperuit, exili municipio clauſum priuatumque, gens inimica coarctat. Quid igitur expectamus? Nunquid enim ad noſtræ gentis ſolatiũ aſpiramus? Ea iam lege tenemur, vt ſicut Hibernicis Angli: ſic & Anglis Hibernici ſimus? Non enim minore nos odio illa quam iſta perſequitur inſula. Moram itaq; rumpentes & ignauiam (quoniam audaces fortuna iuuat: dum nobis iamiam deficientia vires adhuc alimenta miniſtrant) hoſtes viriliter aggrediamur: animoſaque paucitas & armata, ſolita ſtrenuitatis opera, conſuetaq; belli victoria multitudinem inermem conterat, & imbellem.

Talia voce refert: curiſq; ingentibus æger
Spem ſimulat vultu, premit alto corde dolorem.

Finito Mauritii ſermone, Reymundus eiuſdem doloris telo percuſſus, cum vniuerſorum applauſu ſimili ſententia petorauit. Adiiciens quoq; Connactienſium in Regem tanquam primum & principalem in primis irruendum: vt illo confecto aliorum exercituum haud difficilis foret perſecutio.

Confectio Rotherici apud Dubliniam.

CAP. XXIIII.

CERTATIM igitur electa iuuentus ad arma proſiliens, in tres turmas quanquam tenues, ſe ſtatim ſeparant & ſecernunt. In prima Reymundus cum militib. 20. In media Milo cũ 30. In tertia & vltima comes & Mauritius cũ 40. præter ſatellites equeſtres, & ciues paucos ſalua vrbis cuſtodia ſingulis turmis adiunctos. Egredientes itaq; ſubito hora quaſi poſt nonam, non ſine magna contentione vtri videlicet an vrbis an familiæ præfecto, primus de iure cederet cum hoſte conflictus: triginta milliũ virorum exercitum propter matutinos eiuſdem diei congreſſus improuidum penitus & improuiſum tam parua manu viriliter inuadunt. Reymundus igitur inter primos primus exiſtens, & primum in hoſtes impetum faciens, longe ante alios ſtatim duos lancea perforauit. Meylerius quoque, & duo Mauritii filii Giraldus & Alexander, licet vltimæ turmæ primitus addicti, innatæ tamen ſtrenuitatis inditio, ad primam ſe ſubito præripientes, viri armis & animoſitate perſpicui promptiſſime ſubſequentes, multos ad tenebras à luce tranſmittunt. Multis igitur interemptis, & cunctis omnino confectis, Rotherico vero, qui tunc forte in balneis ſedebat, vix elapſo, fugitiuos & victos cædibus inſiſtendo, vſque ad veſperam perſecuti, demum victualibus & vecturis, ſpoliis quoque & armis onerati ſimul & honorati reuertuntur. Diſperſis igitur & ſtatim ſe diſpergentibus exercitibus tam Auſtrali ſcilicet Archipræſulis cum totis præter Kenceliam & Gueſefordiam, Lageniæ viribus, Machelono ſcilicet, Machaleney, Gillemolmoc, & Othuethelis, quam aliis quoq; ſimili terrore concuſſis: Ex boreali vero his, ſcilicet Ororicio Medenſi, Ocarnelo Vrielenſi, Machſalino, & Ochadeſu, cum multitudine multa. In craſtino diſpoſitis vrbi cuſtodibus verſus Gueſefordiam, ſuperiore per Odronam via victricis palmæ vexilla reguntur.

Doloſa Stephanidæ captio.

CAP. XXV.

INTERIM autem (fortuna variante vices, & ſemper aduerſis quibuſdam ſecunda turbante, ne cuiquam inueniatur fida comes, neu firma in terris contingere valeat, vel perfecta felicitas) Gueſefordienſes cum Kenceleyenſibus circa tria virorum millia Stephaniden improuiſum, & nil tale timentem, cum militibus ſcilicet & ſagittariis paucis circumſeptum, fidei, ſacramentique religione contempta: crebris inſultibus impetere non ceſſant. Sed quoniam ſe nihil viribus profecturos

præſentiunt viris quanquam perpaucis, ad defenſionem tamen promptiſſimis, & præcipue milite quodam Gulielmo videlicet cognomine* Not, longe præ aliis in hac defenſione virtute micante: ad conſueta fallaciæ tela, figmentaque doloſa concurrunt. Adductis igitur Epiſcopis ad foſſata duobus, Gueſefordienſi ſcilicet & Kyldarienſi: aliiſque viris religionem habitu præferentibus, reliquiis appoſitis, communiter omnes ſacramento corporaliter præſtito iurantes affirmant: Comitem, Mauritium & Reymundum, nec non & Anglos vniuerſos capta Dublinia iam deletos. Connactienſem quoque exercitum ſimul cum Lagenienſi ad Gueſefordiæ partes iam appropiare. Aſſerunt quoque ſe Stephanidæ ipſius commodi cauſa id totum feciſſe: vt ipſum ſcilicet (quoniam mitis eis & liberalis princeps extiterat) ante inimicæ multitudinis aduentum ſaluũ cum ſuis in Cambriam tranſuectare potuiſſent. Quorum aſſertioni tandem Stephanide fidem adhibente, ſeq; ſuoſq; eorum fidei committente, ſtatim quibuſdam ſuorum interemptis, alii verberibus, alii vero vulneribus grauiter afflicti, in carceres & vincula contruduntur. Nec mora, fama pernicibus alis veram Dubliniæ liberationem, & Comitis aduentum diuulgante, proditores ſtatim vrbem totam proprio incendio concremantes, ad inſulam Begeri in portus oſtiò ſitam (quæ & ſancta vocatur) cum ſuis omnibus tam rebus, quam captiuis nauigio transferuntur.

* al. Not.

Deſcriptio Stephanidæ.

Cap. XXVI.

O Virum virtutis vnicum, veriq; laboris exemplum, fortunæ variæ, fortiq; aduerſæ pluſquam proſpere ſemper obnoxium. O virum toties tam in Hibernia quam Cambria vtraſq; rotæ circumferentias æquanimiter expertum, & omnia paſſum,

Quæ peior fortuna poteſt, atq; omnibus vſum,
Quæ melior. ——

O vere Marium ſecundum Stephaniden. Cuius ſi felicitatem reſpexeris: feliciſſimum dixeris. Si vero miſerias: miſerorum omnium miſerrimum videas. Erat autem vir amplo corpore & integro, vultuq; decenti, & ſtatura paulo mediocritatem excedente, vir dapſilis & largus, liberalis & iucundus, ſed vino Veneriq; trans modeſtiam datus. Interea Comite Gueſefordiam tendente, Lagenienſium exercitus in paſſu Odronæ quanquam in ſui natura arcto nimis, & inuio, * concidibus tamẽ plurimum arte munito, illi obuiam venit. Vbi & commiſſo graui conflictu, interfectis tandem hoſtium multis, præter iuuenis vnius caſum, cum ſuis omnibus ad campana Comes indemnis euaſit. Meylerio aliis ibidem ſolita ſtrenuitate micante.

* cum ſudibus.

Deſcriptio Comitis.

Cap. XXVII.

COMITI vero modus hic erat. Vir ſubrufus, lentiginoſus, oculis glaucis, facie fœminea, voce exili, collo contracto, per cetera fere cuncta, corpore procero, vir liberalis & lenis. Quod re non poterat, verborum ſuauitate componebat. Togatus & inermis parere paratior, quam imperare. Extra bellum plus militis, quam Ducis: in bello vero plus Ducis quam militis habens: omnia ſuorum audens conſilio: Nihil vnquam ex ſe vel armis aggrediens, vel animoſitate præſumens. In prœlio poſitus fixum ſuis recuperationis & refugii ſignum manebat. In vtraque belli fortuna ſtabilis & conſtans, nec caſibus aduerſis deſperatione fluctuans; nec ſecundis vlla leuitate diſcurrens.

De pace & concordia inter Regem & Comitem in Claudiceſtriæ finibus reformata.

Cap. XXVIII.

NEc mora: deſcendentibus illis ad Gueſefordiæ fines, occurrunt ei nuntii, Stephanidæ euentum, reique caſum, & vrbis incendium explicantes: ex parte quoque proditorum firmiter aſſerentes, quod ſi ad illos accedere forte præſumant: præciſa ſibi ſuorum capita ſtatim cuncta remitterent. Quibus auditis, non ſine magna mentium amaritudine, verſis in dexteram loris, verſus Guaterfordiam iter arripiunt. Vbi & Herueium reperiunt ab Anglorum Rege, quo perrexerat, iam reuerſum. Ad eundem quoque Comitis in Angliam acceſſum tam literis quam verbis perſuadentem.

Comes

Comes itaque venti velique beneficio ſtanti æquore tranſcurſo:in Clandeſtriæ, finibus apud Niweham Regi occurrit:iam in Hiberniam cum exercitu non modico transfretare parato. Vbi poſt multas & varias altercationes,tandem Herueii circumuentu pariter & interuētu, regia erga ipſum ſic reſedit indignatio: vt renouato ſubiectionis vinculo Regni caput Dubliniam ſcilicet cum Cantaredis adiacentibus, nec non & vrbes maritimas & caſtra Regi cuncta concederet. Reſiduum vero conquiſitionis ſuæ de Rege,& hæredibus ſuis,ipſe & hęredes ſui recognoſcerent. Quibus eo tenore completis,Rex per maritimam viam verſus Meneuiam iter arripuit. Et Pembrochiam veniens,pulcherrimam in breui Myluerdico portu claſſem coniunxit.

Confectio Orοricii apud Dubliniam.

Cap. XXIX.

Interim Rex monoculus Medenſis Ororicius, captata tam Comitis quam Reymundi,qui adhuc moram Gwaterfordię fecerat, abſentia:cum multitudine magna circa cal.Sept.Dubliniam venit.Et inueniens in ea viros perpaucos,ſed tamen viros, cum impetu magno & clamore muris & foſſatis,acriter inſultauit. Sed(quoniam virtus claudi neſcit,& ignis oppreſſus in flammam erumpit) Milo Coganenſis & ſui, ſe foras ſubito mittentes,tanta ſtatim hoſtes ſtrage perſecuntur: vt eiſdem confectis Ororicii filium iuuenem egregium cum aliis infinitis ibidem interimerent.

Interea Rex Anglorum in Auſtralis Cambriæ Pembrochięque proceres, quia Comitem Rich. hac in Hiberniam tranſire permiſerant: minis acerrimis intonare cępit.Sed tandem in ipſorum caſtris, Regis cuſtodibus aſſignatis: verſa eſt in tranquillitatem tempeſtuoſa procella.Tanta ſiquidem tonitrua, lætali fulminis ictu non ſubſecuto. Contigit ea tempeſtate, Rege in partibus illis auium volatu delectari volente:falconem nobilē in ſaxo quodam ſedentem cum forte conſpiceret:eundem lateraliter ambiendo,accipitrem Norwagienſem generoſum & grandem,quem geſtabat læua,proiecit.Falco vero quanquam in primis tardior, ad alta * tamen vix ſubuectus,iraque vindice,vice verſa,de pręda prædo iam effectus:à ſummis impetuoſius ad ima deſcendens, quadrati pectoris ictu vehementi,prępoſitaq; taloſum armatura,talionem reddens,ad pedes Regios accipitrem confodiendo proſtrauit. Vnde & ab hac hora,ſingulis Rex annis, circa nidificationis tempora, propter falcones terræ illius, qui marinis in rupibus excluduntur:mittere conſueuit. Nec in terra ſua nobiliores aut pręſtantiores inuenit.

* tandem.

Aduentus Anglorum Regis:& tam Auſtralium Cambriæ principum: quam Borealium ſpontanea ſubactio.

Cap. XXX.

His ita completis,ad tanti tam nobilis auſus apparatum, mora in Meneuiæ partibus aliquamdiu facta:ſanctique Dauid ſede deuotis omnibus honorifice requiſita:captata temporis idoneitate,& tam aeris,quam auræ proſperitate, velo ventoque ſe committens:cum militibus quaſi quingentis , ſatellitibus quoque equeſtribus, & ſagittariis multis:circa cal.Nouemb. die videlicet S. Lucæ tranſmenſo maris ſpacio, apud Guaterfordiam Rex animoſus applicuit. Applicuit ergo anno regni ſui 17. ætatis ſuæ 41. ab Incarnatione Domini 1172. pręſidente, Imperante, Regnante, Alexandro III.Frederico,Ludouico.

De Stephanida apud Guaterfordiam liberatione,& Auſtralis Hiberniæ principum vltronea ſubiectione.

Cap. XXXI.

Apud Guaterfordiam igitur paucis diebus Rege morante: Ecce Gueſefordiæ ciues ei Stephaniden,quaſi ſub prętextu obſequii, eo quod Hiberniam citra ipſius aſſenſum primus intrauerit, aliiſque malignandi occaſionem præbuerit, vinctum & captiuum adducunt. Cui Rex cum in primis de tanto, tam temerario Hibernicæ expugnationis auſu non abſque indignatione plurima & comminatione multa grauiter improperaſſet: tandem ipſum cathenis , cum alio quodam firmiter compeditum,in turrim Reighnaldi cuſtodiendum remiſit. Nec mora Rex Corcagienſis Dermitius aduenit: qui ſtatim tam ſubiectionis vinculo, quam fidelitatis Sacramento, nec non & obſidibus datis firmiter aſtrictus , annuo conſtituto Regni ſui tributo,ſe Anglorum Regi ſponte ſubmiſit. Abhinc autem Rex exercitum mouens, primo Liſmoriam progreſſus ibique dierum mora facta duorum : inde Caſſiliam

eſt profectus. Vbi & Duuenaldus Rex Limiricenſis ſe illi in craſtino ad aquam Sourrenſem obuiam dedit: impetratoque pacis beneficio, conſtitutoque ſimiliter Regni ſui tributo, firmiſſimis ſubiectionis vinculis, ſe quoque Regi fidelem exhibuit. Præfectis itaque tam Corcagiæ quam Limerico Regiis cuſtodibus ac miniſtris: cunctiſque Auſtralis Hiberniæ Principibus tam iis, quam etiam aliis, quanquam non tam principalibus, magnis & autenticis, tamen in gente ſua, duobus: Duuenaldo ſcilicet Oſſyrienſi: & Machlachclino Ophelano ſponte ſubmiſſis: Singulis quoque in Regionem ſuam, cum Regiis donariis, & honore reuerſis: Rex per tybracchiam Guaterfordiam remeauit. Vbi & adducto iterum ei Stephanide: Rex videns virum tantis fortunæ periculis & toties expoſitum: interiore pietate commotus: tantique viri laboribus humaniter compaſſus, magnorum quoque virorum interuentu, indignationem ei omnem, ex corde remiſit: ipſumque ſolitæ liberationi & libertati, Gueſefordia tamen cum terris adiacentibus ſublata, plene reſtituit.

De Borealis Hiberniæ principibus apud Dubliniam ſubditis & Rhoterico Connactienſi ſponte ſubacto.

Cap. XXXII.

HIs ita geſtis relicto apud Guaterfordiam Roberto Bernardi filio cum familia: Rex per Oſſyriam cum exercitu verſus Dubliniam iter arripuit. Ibique mora aliquamdiu facta, aduenuint quoque partium illarum Principes ſub fidelitatis & ſubiectionis obtentu, à Rege piiſſimo pacem obnixe petentes, & impetrantes. Hi ſcilicet Machclanus Ophelan, Machtalewy, Othwetcli, Gillemoholmoch, Ocadheſi, Ocaruelwrienſis, & Ororitius Medenſis. Rothericus vero Connactienſis, nunciis Regiis, Hugoni ſcilicet de Lacy, & Gulielmo Aldelmi filio verſus aquam Sinnenenſem, quæ Mediam Connactiamque diſterminat, occurrit. Qui pace ſimiliter impetrata, Regioque Dominio, conſtituto Regni ſui tributo, firmiſſimis ſe fidelitatis & ſubiectionis vinculis innodauit. Sic itaque præter ſolos Vltonienſes, ſubditi per ſe ſinguli. Sic & in ſingulari, Rothetico ſcilicet Connactiæ Principe, & tanquam Hibernenſium capite & inſulæ Monarcha: ſubditi redduntur vniuerſi. Nec alicuius fere in Inſula vel nominis erat vel ominis, qui Regiæ Maieſtati, vel ſui præſentiam, vel debitam Domino Reuerentiam, non exhiberet. Tunc impletum videtur vſitatum illud & vulgatum (quia de veritate nil aſſeuero) Merlini Ambroſii vaticinium. Sextus Hiberniæ mænia ſubuertet. Et illud eiuſdem. Quinque portiones in vnum redigentur. Imminente vero Dominici Natalis ſolennitate, Dubliniam terræ illius Principes ad Curiam videndam acceſſere quam plurimi. Vbi & lautam Anglicanæ menſæ copiam * vetuſtiſſimum quoque vernarum obſequium plurimum admirantes; carne gruina, quā hactenus abhorruerant, regia voluntate paſſim per aulam, veſci ceperunt. Ea tempeſtate ſagittarii apud Fineglas in arbores, Sanctorum manibus per cemiterium olim plantatas, enormiter deſęuientes, ſingulari poſte conſumpti ſunt: ſicut & in Topographia declaratur.

*venuſtiſſimum.

Caſſilienſe Concilium.

Cap. XXXIII.

SILENTE igitur Inſula in conſpectu Regis tranquilla pace gaudente: Eccleſiæ Dei decus Chriſtique cultum in partibus illis magnificandi, ampliori deſiderio Rex accenſus: totius Cleri Hiberniæ Concilium apud Caſſiliam conuocauit. Vbi requiſitis & auditis publice terræ illius & gentis tam enormitatibus quam ſpurcitiis, & in ſcriptum, & ſub ſigillo Legati Liſmorienſis (qui cæteris ibidem dignitate tunc pręerat) ex induſtria redactis: conſtitutiones ſacras, quæ adhuc extant, de matrimoniis contrahendis, de decimis dandis, de Eccleſiis debita deuotione venerandis & frequentandis, quam plures emiſit: Eccleſiæ illius ſtatum ad Anglicanæ Eccleſię formam redigere modis omnibus elaborando. Quas conſtitutiones ſub eiſdem verbis, quibus & promulgatæ ſunt, hic interſerere non ſuperfluum reputaui.

Conſtitutiones Caſſilienſis conſilii.

Cap. XXXIIII.

ANNO igitur Dominicæ Incarnationis 1172. Primo autem anno, quo Illuſtriſſimus Anglorum Rex & Hiberniæ Triumphator ipſam Inſulam acquiſiuit: Chriſtianus Liſmorienſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis legatus: Donatus Caſſilienſis,

Lau-

Digitized by Google

Laurentius Dublinienſis, & Catholicus Tuomenenſis Archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis & coepiſcopis: Abbatibus quoq;, Archidiaconis, Priorib' & Decanis & multis aliis Hibernienſis eccleſiæ prælatis: ex ipſius triumphatoris mandato, in ciuitate Caſſilienſi conuenerunt, & de vtilitate Eccleſiæ, & ſtatu eius in meliorem formã producendo: ibidem Conciliũ celebrarunt. Huic conſilio interfuerunt iſti: à Rege miſſi. Venerabilis vir Radulphus Abbas de Buldewas: Radulphus Archidiaconus de Landaff. Nicolaus Capellanus, & alii clerici: & nuncii Domini Regis. Concilii autem ſtatuta ſubſcripta ſunt, & Regiæ ſublimitatis authoritate firmata. Primo ſtatutum eſt, quod vniuerſi fideles per Hiberniam conſtituti, repudiato cognatorum & affinium contubernio, legitima contrahant matrimonia, & obſeruent. Secundo quod Infantes ante fores Eccleſiæ catechizentur, & in ſacro fonte in ipſis baptiſmalibus eccleſiis baptizentur. Tertio quod vniuerſi fideles Chriſti, decimas animalium, frugum cæterarumq; prouentionum: Eccleſiæ cuius fuerint parochiani, perſoluant. In 4. quod omnes terræ Eccleſiaſticæ & earum poſſeſſiones, ab * omnium ſæcularium hominum exactione penitus ſint immunes. Et ſpecialiter, quod nec Reguli, nec comites, nec aliqui potentes viri Hiberniæ: nec eorum filii cum familiis ſuis cibaria, & hoſpitalitates in territoriis Eccleſiaſticis, ſecundum conſuetudinem, exigant: nec amodo violẽter extorquere præſumant: & quod de villis Eccleſiarũ cibus ille deteſtabilis, qui quater in anno à vicinis comitibus exigitur, de cætero nullatenus exigatur. In 5. quod pro homicidio à laicis perpetrato, quoties inde cum ſuis inimicis cõponunt: clerici videl. eorum cognati nihil inde perſoluant: ſed ſicut in homicidii perpetratione, ſic in pecuniæ ſolutione ſint immunes. 6. quod vniuerſi fideles in infirmitate poſiti, confeſſore ſuo & vicinis aſtantibus, cum debita ſolennitate teſtamentum condant, bona ſua mobilia, dummodo vxores & liberos habeãt (ære alieno, & ſeruientium mercede exceptis) in tres partes diuidant: vnã liberis, alteram vxori legitimæ, tertiam propriis exequiis reliquentes. Et ſi forte prolem legitimam non habuerint: bona ipſa inter ipſum & vxorem in duo media diuiduntur. Et ſi legitima vxor deceſſerit: inter ipſum & liberos bipartiri debent. 7. vt cum bona confeſſione decedentibus & miſſarum & vigiliarum exhibitione, & more ſepeliendi obſequium debitum perſoluatur. Itaque omnia diuina ad inſtar ſacroſanctæ Eccleſiæ, iuxta quod Anglicana obſeruat Eccleſia, in omnibus partibus * Eccleſiæ, amodo tractentur. Dignum etenim & Iuſtiſſimum eſt, vt ſicut Dominum & Regem ex Anglia, ſortita eſt diuinitus Hibernia: ſic etiam exinde, viuendi formam accipiant meliorem. Ipſi namque Regi magnifico tam Eccleſiã, quã Regnum Hiberniæ debent, quicquid de bono pacis, & incremento Religionis hactenus eſt aſſecuta. Nam ante ipſius aduentum in Hiberniam: multimoda malorum genera, à multis retro temporibus ibidem emerſerant: quæ ipſius potentia & munere in deſuetudinem abiere. Armachienſis vero primas ob corporis imbecillitatem, & grandæuitatem tunc præſens non fuerat. Sed poſtea Dublinam venit. Regiæ diſpoſitioni per omnia fauorem præbens, vulgi opinione, vir ſacer. Vaccam candidam, cuius ſolum lacte veſcebatur: ſecum, quocunque venerat, circumducens.

* omni.

* Hibernia.

De tempeſtatibus.

CAP. XXXV.

EFFRACTIS itaq; clauſtris Æolicis, & conuulſis maris fluctibus: tanta tamq; continua tempeſtatum importunitas ingruebat: vt per hyemem totam vix vna nauis in Inſulam tranſnauigaſſet: nec aliquæ nouellæ audiri omnino valuiſſent. Ita vt iram Dei, peccatis exigẽtibus in eos imminentem, communiter omnes exiſtimarent. Eadem fere tempeſtate, ex nimia præter ſolitum procellæ vehementia, ſabuloſis Auſtralis Cambriæ litoribus ſolo tenus ſabulo nudatis, longis * operata retro ſæculis terræ facies apparuit. Arborumque in ipſum mare ſtipites ſtantium, vndique præciſarum ictuſque ſecurium tanquam heſterni: terra quoque nigerrima, lignaque truncorum hebeno ſimillima, mirandis rerum mutationibus, vt olim nauium via, nunc nauibus inuia, non littus iam, ſed lucus eſſe videretur. Aut forte à diluuii tempore, aut potius longe poſt antiquitus tamen tam præciſus quam maris violentia ſemper excreſcentis, & terram amplius eluentis, paulatim abſorptus & abſumptus. Rex autem apud Gueſefordiam interim moram faciens, & ſummo deſiderio tranſmarinos audire rumores affectans: optimam ſibi, quam in partibus illis inuenerat, familiam, Reymundum ſcilicet, Milonem Coganenſem, Gulielmum * Maskarellum, & alios ex induſtria quoſdam allexit: vt & ſuam validiorem & Comitis partem redderet exiliorem.

* operta

* Makarellum.

In Regem coniuratio: & Romanæ curiæ Legatio.

C A P. XXXVI.

POST medium vero quadrageſimam tam ex Anglicanis quam Aquitannicæ partibus, tandem Euro ſpirante, naues adueniunt, tam grauitatis nunciæ, quam prauitatis. Venerant enim * in Normanniæ partes, à Summo Pontifice Alexandro III. tranſmiſſi Cardinales duo, quorum nomina Albertus, & Theotimus: de morte Martyris noſtri Cantuarienſis ſcrutinium facturi. Viri, vt putabantur, iuſti, & boni, & ad hoc fideliter electi: ſed tamen Romani: Niſi citius eis Rex occurrerit, toti regno cæteriſque terris vniuerſis ſuę ditioni ſubditis interdicti ſententiam acriter interminantes. Acceſſit & aliud incommodum longe grauius ac periculoſius (quoniam ſoli ſolent accidere fortunę fauores: ſed infortunia nunquam) filii Regis, Primæuus ſcilicet, quem tanta diligentia regio inſigniri diademate procurauerat, aliique duo, fratrem puerili leuitate ſecuti prauiſſimo conſilio multos habentes complices: tam Anglicanos proceres, quam tranſmarinos: in regem abſentem vnanimi conſpiratione coniurauerant. Quibus auditis, tantaque & tam inopinata malitia iam detecta: multiplici Rex anxietate deſudat. Dolet in primis, ſe tanta tam immerito ſuſpicione notari. Timet etiam regnum terraſque adiacentes tam prauis machinationibus perturbari. Dolet quoque perplurimum, ſe regnum Hibernicum, quod æſtate proxima tam incaſtellare, quam firma ſtabilire pace ſtatuerat, & in formam omnino redigere, tam intempeſtiue relicturum. In primis itaque quibuſdam ſuorum in Angliam tranſmiſſis: tam de Reditu ſuo, quam de Regni Hibernici ſecuritate, primo ſecũ, deinde cum ſuis: cæpit diligenter deliberare.

* ad

De reditu Regis per Meneuiam: & Lapide Lechlawar.

C A P. XXXVII.

RELICTIS ergo demum cuſtodibus apud Dubliniam, videlicet Hugone de Lacy; cui iam Mediam in feodum donauerat cum militibus 20. Stephanide quoque & Mauricio Giraldide cum aliis 20. Gwaterfordiæ vero Humfredo Bohonenſi, Roberto filio Bernardi & Hugone de Gundeuilla cum militibus 40. Gueſefordiæ Gulielmo Aldelmi filio, Philippo de Haſting, & Philippo de Breuſa cum 20. Paſchali luce ſecunda, ſole recens orto, apud Gneſefordiam exteriore ſcilicet portus lymbo nauem ſcandens, Circio flante, proſpero nauigio in portu Meneuenſi: circa meridiem applicuit. Accedens itaque Meneuiam, deuoto peregrinantium more pedes, baculoque ſuffultus, canonicorum Eccleſiæ proceſſione ipſum debita reuerentia & honore ſuſcipientium, apud albam portam obuiam venit.

Accidit autem vt procedente ſeriatim proceſſione, & rite pręcedente: mulier Cambrica ad pedes Regis ſe ſubito prouolueret. Quæ & quærimonia de loci illius Epiſcopo facta, & Regi per interpretis linguam expoſita, (quoniam ius ſuum incontinenti non obtinuit) voce altiſona & proterua, cum manuum quoque comploſione non modica: cæpit clamare coram omnibus & ingeminare: vindica nos hodie Lechlawar, vindica genus & gentem de homine hoc. Cumque ab illis, qui Brytannice nouerant inhiberetur & expelleretur: ipſa quoque tanto fortius & acrius in huncmodum vociferabatur. Alludens illi fictitio vulgati, nec vero Merlini prouerbio; quo dici ſolebat: Angliæ Regem Hiberniæ triumphatorem ab homine cum rubra manu in Hibernia vulneratum, per Meneuiam redeundo, ſuper Lechlawar moriturum. Erat autem hoc nomen lapidis, qui trans fluuium illum qui cæmiterium à Boreali Eccleſiæ parte pręterfluendo diſterminat, iacens, vice pontis fungebatur. Erat autem lapis hic marmoreus & pulcher, tranſeuntium pedibus ſuperficie tenus perpolitus, 10. pedes in longum, & ſex in latum pręferens, & vnius pedis ſpiſſitudinem habens. Sonant autem Lechlawar Brytannica lingua, lapis loquax. Erat autem de lapide hoc ab antiquo vulgata relatio: quod cum hominis cadauer, ſuper illum aliquando deferretur, eadem hora in ſermonem erumpens: ipſo conatu crepuit medius, fiſſuram per medium adhuc prętendens. Vnde & barbarica ſuperſtitione, illi antiquitus exhibita vſque in hodiernum quoque per ipſum mortuorum corpora non efferuntur.

Flumen Alun quod.

Accedens igitur ad lapidem Rex (qua forte illius vaticinii mentionem audierat) ad pedem lapidis pauliſper gradum ſiſtens, & eundem acriter intuens, incunctanter cum paſſu audacter pertranſiit: Verſo itaque vultu ad lapidem reſpiciens, in vatem inuectus: verbum hoc indignanter emiſit: MERLINO mendaci, quis de cætero fidem

dem habeat? Et ſic intrans Eccleſiam, & Sancti Andreæ, Sanctiq; Dauid honore fundatam, fuſis deuote orationibus, & miſſa ſolenniter audita, à Capellano quodam (quẽ ſolum inter tot loci illius presbyteros, ea hora ieiunum, & quem tanquam ad hoc diuina reſeruauerat prouidentia) cæna ibidem ſumpta, ſtatim ad caſtrum * Hauerfordiæ, quaſi per mil. 12. ab inde diſtans, tranſmigrauit. * Harne.

Subita cum legatis, & cum Rege Francorum facta concordia.

Cap. XXXVIII.

Littoris itaque maritimi via rediens, qua venerat, à Cambria in Angliam, ab Anglia quoque cum ſumma feſtinatione in Normanniam nauigio tranſuectus: Romanis Cardinalibus ſe incontinenti, laudabili in Principe deuotione, apud Cuſtantiam præſentauit. Vbi & poſt varias hinc inde altercationes demum innocentia ſua Sacramento purgata: pœnitentia quoque ſibi iniuncta (quoniam licet per ipſum minime, propter ipſum tamen interemptum martyrem non diffitebatur) legatis cum honore remiſſis, ipſe ſtatim ad Marchiam cum Francorum Rege Ludouico colloquium habiturus, acceſſit. Vbi & interuentu proborum virorum & præcipue Philippi Flandrenſium Comitis à Sancto Iacobo iam tunc reuerſi: reformata inter Reges concordia ſuper offenſa, quam Francorum Rex ob prædictam Martyris mortem contraxerat, puta quem Anglorum Rex archipræſuli in Angliam redituro cum aliis magnis & potentibus viris fideiuſſorem donauerat. Cuius miræ pacis occaſione tam filiorum quam complicum ſuorum tanta in animo, & tam clandeſtina concepta malicia: vſque in annum ſequentem conquieuit.

De viſione imo verius viſitatione: Regi Henrico, apud Kerdiff diuinitus facta, & reuelatione monſtrata.

Cap. XXXIX.

Hic autem priuſquam ad vlteriora procedamus: quid Regi per maritimam Auſtralis Cambriæ de Hibernia reuertenti, contigit explicare, nec ſuperfluum, nec inutile reputauimus. In Oppido Keirddyff, ſabbato primo Paſchali, cum pernoctaſſet: miſſaque mane (Dominica ſcilicet, quæ vulgo clauſum Paſcha vocatur, iam audita) cum à capella Sancti Pirani præter Regem omnes exiſſent: ipſo in orationibus plus ſolito tunc forte morante; tandem cum exiret, & ad oſtium capellæ iam equum aſcenderet: aſtitit ei vir quidam ante faciem: poſte quodam præfixo, quaſi pro podio fuugens: flauus tonſuraque rotunda, vultus macilenti, ſtaturæ aliquantulum proceræ, ætatis quaſi circiter annos 40. tunica indutus alba, clauſa quoque & vſque ad talum pedis demiſſa, zona præcinctus, & pedibus nudis. Qui & Regem in hæc verba Teutonice conuenit. Got holde ye Cuning. & poſtea eadem lingua proſecutus eſt in hanc ſententiam. Salutat vos Chriſtus & pia mater eius, Ioannes quoque Baptiſta & Apoſtolus Petrus: mandantes vobis, quatenus per totas ditioni veſtræ terras ſubditas, ne mercatus Dominicis diebus fiant, firmiter inhiberi faciatis, & quod in illis nihil vſpiam operis fiat, niſi diuinum officium, & illud deuote facere & audire: præter cibaria ſolum, quæ ad vſum diurnum præparentur. Quod ſi feceritis: nihil vnquam inchoabitis, quod ſine bono non compleatur, vitaque fæliciter conſummabitis. Rex autem militi cuidam (cui nomen Philippus de Mercros, qui & frenum equi Regis tenebat, de finibus illis oriundus, qui & hæc nobis vera relatione propalauit) dixit Gallica lingua. Quære à ruſtico illo, vtrum hoc ſomniauerit? Et cum hoc Anglice miles exponeret, ſubiecit ille lingua priori. Siue hoc ſomniauerim, inquit, ſiue non: Vide quis hodie dies ſit (loquens Regi nõ interpreti) quia niſi hoc feceris, vitamq; maturius emẽdaueris: priuſquã annus iſte prætereat, tales de rebus, quas in mundo plus diligis, rumores audies: talemq; inde turbationem inde accipies, q̃ tibi vſq; ad exitum vitæ non deficiet. Et cum Rex hoc dicto, equo calcaribus monito, parum verſus * portam, & quaſi paſſibus 8. proceſſiſſet: ſuper hoc tamen, quod audierat, cogitans, & lora regyrans, vocate mihi, inquit, bonum hominem illum. Et cum miles prædictus & iuuenis quidam, cui nomen Guillielmus (qui ſoli tunc in oppido remanſerant) illum vocaſſent, & non inuentum, primum in Capella, deinde per aulã, & diuerſoria cuncta quæſiſſent, nuſquam comparuit: Rex autem eo non reperto, cũ tamẽ diutius eum ſolus in oppido, dum alii quærerent, expectaret: Mœſtus plurimum & plangens, quod amplius illi locutus non fuiſſet: verſus Nouuinburgũ per Pontem * Pontem.

deRem-

Digitized by Google

de Rempni iter arripuit. Sicut autem comminando vir ille promiſerat, ſic anno contigit non completo. Filii namque ipſius tres, Primæuus ſcilicet, Henricus, & alii duo Pictauenſis, & Brito, contra ipſum in quadrageſima ſequente, ad Regem Francorum Ludouicum diſceſſerunt. Vnde tanta mota eſt ei inquietatio, quantā antea nunquam habuerat: & quæ ſemper ei vſq; ad extremum ſpiritus halitum, per aliquem filiorum fere inceſſanter perduraſſet. Exquiſita namque Dei vindicta, ſicut credi poteſt, qualem ſe filium patri ſpirituali exhibuerat: tales erga ſe quos genuerat, filios carnales inuenit. Multas etiam alias pręmonitiones pariter & pręmunitiones Rex iſte diuina miſeratione (quæ magis conuerſionem peccatorum & pænitentium appetit, quam euerſionem) circiter eadem tempora & fini propinquiora ſuſcepit: quas vtinā omnes non animo obſtinato, non corde indurato contempſiſſet: ſed potius cordi pænitenti, corrigibiliter & fæliciter apposuiſſet. Sicut in libro noſtro de Principis inſtructione toties promiſſo, Deo propicianre, plenius explicabitur.

Ororicii tam proditio, quam peremptio.

Cap. XL.

INTEREA ſub Regni cuſtodibus tranquilla pace Hibernia reſpirante: contigit apud Dubliniam inter Hugonem de Lacy & Regem monoculum Ororicium Medenſem, colloquii cuiuſdem cauſa locum & diem aſſignari. Sed nocte cuius mane colloquii illius dies imminebat, miles quidam Nepos videlicet Mauritii Stephanidæque Griſinus nomine, viſus eſt in ſomnis, videre ſylueſtrium porcorum multitudinem in Hugonem & Mauritium ſimiliter irruiſſe: aprumque horribilem & grandem pręaliis venientem, ipſos fere dentibus tranſuerberaſſe: niſi ipſe vtique aprum interimendo, potenti manu ſubueniſſet. In craſtino vero ad colloquium proficiſcentes, locum ſcilicet, qui collis Ororicii dicitur, in primis per nuntios, & à longe: deinde ſumpta ſecuritate, & ſacramentis vtrinque præſtitis, ad colloquendum peruenerunt. Ex condicto tamen perpauci, & numero pares, & illi inermes: pręter hinc tantum gladios, inde ſecures: vtriuſq; partis populo, aliquantulum ab ipſis remoto, Griſinus vero, qui cum Mauritio ad colloquium venerat, ſuper viſione, quam viderat, valde ſollicitus: cum 7. militibus de cognatione ſua, quos ad hoc elegerat, de quorum ſcilicet animoſitate magis confidebat: ex vna collis parte, quam propius poterant, ſe retrahentes, clypeis aſſumptis, & lanceis erectis, dextrariis admiſſis, ex induſtria tornamentis Gallicis pręludia faciebant, vt in quamcunque partem colloquium vergeret, ſub hoc prętextu pręludii, prompti inuenirentur & parati. Ororicio vero & Hugone de Lacy variis interim altercando quæſtionibus, nec ad concordiam vergentibus, in diſcordiam iam redactis: Monoculus ille proditionis illius virus ſub pectore verſans, ſimulans ad mergendum parumper abſceſſum, ſuis innuit, vt cum ſumma ſtatim feſtinatione venirent. Quo facto, cum reuerteretur eleuata ſecuri vultu pallido, paſſuque peramplo & prępropero, Mauririus Giraldides (qui ob viſionis mentionem, quam forte à nepote audierat, pręmunitior exiſtens, hæc omnia diligentius obſeruauerat) extracto gladio, quem ſemper in colloquio, promptum ſuper genua per capulum tenuerat, Hugonem quoque præmuniens, & ſuſcitans, ſe ſtatim ad tutelam viriliter erexit. Proditor autem Hugonem percutere properans, viri interpretis (qui ſe fideliter ictui obiecit) lætali vulnere brachium amputauit. Mauricius vero voce altiſona ſuis exclamans, dum contra ſecurim gladio confligebat, ob fugæ maturationem Hugo de Lacy bis retro cadens, Giraldidæ beneficio vix euaſit. Interim autem Hibernici, numero non pauci, proditoris ad nutum, è vallibus emergentes, cum binis & ſecuribus amplis, vndique quantocyus accurrerunt: De Mauricio & Hugone finem iam facturi: quando Griſinus & ſui ad Mauritii vocem inuitati, in equis curſoribus ſtatim affuerunt. Quo viſo, ſibi fugę pręſidio conſulere cupiens, cum equum adductum ſcandere proditor iam paraſſet, in ipſo aſcenſu, Griſinus accelerans, tam equum quam aſcenſorem eius lancea perforauit. Interfectis igitur ibidem cum ipſo, tribus eiuſdem familiaribus, qui ſub tanto diſcrimine, equum ei adduxerant, eiuſque capite pręciſo (quod poſtmodum Anglorum Regi in Angliam vſque tranſmiſſum eſt) cunctis per campana tam diffuſis quam confuſis, vſque ad ipſa, quæ procul aberant, Sylueſtria, ſtrages fieri quam maxima non ceſſauit. Radulphus itaque Stephanidę filius, iuuenis animoſus & validus, ſtrenua prę aliis virtute, hic laudem meruit.

De

De viſionibus.

CAP. XLI.

QVONIAM autem de viſionibus, variæ ſolent eſſe ſententiæ: huius viſionis occaſione, vera quædam & autentica viſionum exempla hic inſerſeri nulli faſtidio eſſe debet. Refert Valerius Maximus quod cùm duo Archades iter facerent, & alter ſe ad hoſpitem ſoſpitem contulerit, alter in tabernam meritoriam diuerteret: is qui in hoſpitio erat, vidit per ſomnium comitem ſuum orantem, vt ſibi à caupone oppreſſo, ſubueniret. Excitatus, ſomnum repetit. Socius eius ſauciatus, iterum ei apparuit, quoniam auxilium viuo ferre noluerat, vel mortuum rogans vindicaret. Dicebat corpus ſuum tunc à caupone ferri in plauſtro, ad portam Sterquilinio cooperiendum. Quod euigilans ita inuenit, & cauponem ad capitale ſupplicium deduxit. Arcerius Rufus vidit ſe manu Retiarii confodi: quod in craſtino contigit. Simonides poeta, cum in littore quodam corpus humanum iacens ſepeliſſet, eadem nocte admonitus ab ipſo, ne proximo die nauigaret, in terra remanſit. Qui vero nauigare cæperunt: in conſpectu eius, fluctibus & procellis obruti ſunt. Calphurnia vxor Iulii ea nocte, quam is in terris vltimus egit, in ſomnis vidit eum multis vulneribus confectum in ſinu ſuo iacentem. Exterrita rogauit in craſtinum à curia abſtinere. Quod ille, ne mulieris ſomnio id egiſſe videretur: diſtulit. Et ne longius exempla petantur, frater meus miles egregius: cui nomen Gualterus Barrenſis, cum in gentem inimicam noſtris diebus expeditionis cuiuſdam iter arripere iam paraſſet: nocte præcedente mater mea pręmortua aſtitit ei in ſomnis, monens diligenter, & præmuniens, quatenus ab expeditione craſtina, ſi vitam diligeret, modis omnibus abſtineret. Sua tamen mater non fuerat: imo nouerca, quanquam non nouercali illum, ſed materno diligens affectu. Hæc cum ille patri ſuo ac meo retuliſſet (germanus namque mihi fuerat non vterinus) & eandem ab ipſo commonitionem ſuſcepiſſet: ipſe tamen (vt humanæ pręſumptionis mos eſt) ne vanis terreri ſomniis videretur: contra monita mane profectus, & eodem die ab hoſtibus eſt interemptus. Et e diuerſo: Valerio teſtante, Auguſto contra Brutum pugnaturo: Minerua Artorio medico in ſomnis pręcepit: vt illum moneret, ne propter morbum pręlio intereſſet: Quod cum audiſſet, lectica ſe in pręlium ferri fecit, & vicit.

Author huius operis ex Barrenſibus fuit.

Parum etiam ante noſtra tempora: contigit in Cambriæ finibus, Demetiæ ſcilicet prouincia quadam, quæ Kemmeis dicitur: vt vir quidam locuples ibidem manſionem habens, à Boreali videlicet montium depreſſeh latere, tribus noctibus continue in ſomnis moneretur: quatenus in fonte proximo (qui ſancti Betnaci fons dicebatur) lapidi qui ſcaturigini fontis ſupereminebat, manum ſubmittens: aureum inde torquem extraheret. Qui die tertio monitis obtemperans: vipereo ibidem morſu lętalem in digito læſionem accepit. Ob hæc igitur & varia rerum experimenta, quicquid cæteri de ſomniis ſomnient: mihi quod ſicut rumoribus, ſic & ſomniis credi oportere & non oportere viſum eſt. De viſionibus autem, cuiuſmodi per Angelos in ſomnis Prophetis diuinitus immitti ſolent: longe ſecus eſt: quarum effectus irrefragabili veritate comprobantur.

Deſcriptio Mauritii.

CAP. XLII.

ERAT autem Mauritius vir venerabilis & verecundus: vultu colorato, decentique mediocri quodam modicitate, tam mediocribus minor quam modicis maior. vir tam animo quam corpore modificato: nec illo elato, nec hoc dilatato: Innata vir bonitate bonus & tamen longe cura propenſiore bonus fieri, quam videri malens. Mauricio modus, in omnibus ſeruare modum: vt credi poſſit ſuarum partium, ſuique temporis tam cenſura morum, quam facetiarum exemplum. Vir breuiloquus & ſermone perpauco ſed ornato: puta, plus pectoris habens quam oris, plus rationis quam orationis: plus ſapientia quam eloquentia. Et tamen cum ſermonem res exigebat: ad ſententiam dicendam, ſicut ſerus, ſic ſcientiſſimus. Rebus quoque in Martiis, vir animoſus: & nulli fere ſtrenuitate ſecundus. Ad capeſſenda tamen pericula, nec impetuoſus nec pręceps: ſed ſicut prouidus in aggrediendis: ſic pertinax erat in aggreſſis.

Vir ſobrius, modeſtus, & caſtus: ſtabilis, firmus, atque fidelis. Vir quidem non expers criminis: crimine tamen omni notabili carens & enormi.

Vna *Pri-*

Prima filiorum in Patrem diſceſſio.

Cap. XLIII.

SEQVENTI vero Aprili Anglorum Rex Iunior: Henricus ſcilicet Henrici Regis filius:nequitiam erga patrem prauorum conſiliis olim conceptam, amplius occultari non perferens, cum duobus fratribus ſuis Pictauiæ ſcilic. & Brytanniæ comitibus ad Ludouicum Francorum Regem, cuius filiam maritali copula iunctam habuerat, in Franciam ſeceſſit:vt ſoceri fultus auxilio(proh dolor)ante diem patrios inquirat in annos. Multos quoq; proceres tam Anglicanos quam tranſmarinos manifeſte:multo plures occulte habens complices & fautores. Rex Regis Iunioris pater ob inopinata, quæ ſibi vndique emergunt incommoda:non mediocriter anxius exiſtens: vultu tamen hylari & elato ex ſumma induſtria ſolacium ſimulans, & ſpem præferens,omni ex parte,quęcunque potuit,modis omnibus auxilia conquiſiuit. Directis itaq; nuntiis,& optima,quam in Hibernia reliquerat,familia reuocata, apud vrbem Rotomagenſem Comiti Richardo Hibernici regni cuſtodiam ex toto cõmiſit. Reymundum iterum ei,quaſi manu ſua coadiutorem adiungens,ſine cuius ſocietatis auxilio,cuſtodiam illam ſuſcipere Comes omnino renuerat. Tunc etiam Comiti vrbem Gueſefordiæ cum caſtello Guikyngelonenſi Regia contulit munificentia.

Victoria Anglorum Regis Henrici Secundi.

Cap. XLIV.

REx vero tam in Anglicanis quam Aquitannicæ Galliæ partibus, bella pluſquam ciuilia per biennium ſuſtinens, tot maturationibus tantiſque vigiliis, tanta quoque & tam laborioſa diligentia, tantorum ſimul & tot hoſtium inuicta virtute conatus eluſit:vt ob innaturalem filiorum in patrem iniuriam diuina potius quam humana potentia, victor vbique videtur. Sed quoniam inimici hominis domeſtici eius, & inter peſtes peſſima familiaris ſemper inimicitia:hoc ei ad cumulum doloris & deſperationis acceſſit:quod illi quoque quos cubicularios ſibi milites elegerat: in quorum manibus mortem ſimul & vitam commiſerat:qualibet fere nocte ad filios, hoſtili animo ſe transferentes,mane requiſiti,non comparebant. Bellum tamen tam deſperabilis initii,tam triumphali fine melior fortuna, concluſit:tantoque fauore Regis gloriam & tam fæliciter augmentauit; vt ſicut in primis indignatio diuina vindictam acceleraſſe omnium æſtimatione putabatur: ſic eadem conuerſione magis gaudens quam euerſione,proceſſu dierum,digna demum complacatione miſericorditer reſediſſe videretur.

Poſt grauem itaque Dolenſis capturæ dolorem: poſt Sancti Edmundi inundantis regna fauorem: Poſt Cantuariæ nocturnam principis peregrinantis pœnitentiam (propiciante Nobili martyre Thoma lachrymis & deuotione iam placato) in craſtino apud * Amoytenſe caſtrum, præſidente probo, pudentique viro, & inter vtramque fortunam fideliſſimo, Randulpho Glanuillenſi diurnam adepta eſt Anglia pacem,diuturnamque lætitiam. Captus igitur * Albaniæ Rex,capti Ceſtriæ comites & Leiceſtriæ: pręterea ex vtraque Gallici maris parte ſorte conſimili tot proceres capti,tot duces,tot viri militares,vt vix vinctis vincula,vix captis carceres inuenirentur. Sed quoniam Princeps donec de ſe ipſo triumphet, obſcure de hoſtibus triumphabit:(quippe nihil eſt,vnde non triumphet animi triumphator) inter tot rerum aliarum victorias,fortuna vbique ſpirante fauorem,egregie virtutis & inauditæ pietatis exemplo ſibi rex imperans,deque ſe ipſo triumphans, vincens animos iramque ſuam,qui cætera vicit: hoſtibus vndique victis & triumphatis, vitam reddidit & honorem Quodque rebus in ſecundis rarum eſſe ſolet,æqua ferens commoda mente,inter ipſos triumphales euentus,ſummamque clementiam,ſummã inter proſpera modeſtiam, conſeruauit. Poſt varias igitur belli biennalis vexationes & inanes omnino fatigationes:ſub pacis demum oſculo vmbratilique magis quam vera:ſicut ex poſt facto claruit,ad patriam filii ſunt reuerſi.

* Sarvvicenſe.

* Scotia.

Deſcriptio Anglorum Regis Henrici ſecundi.

Cap. XLV.

EXPRESSAM vero Regis naturam,& tam interioris hominis, quam exterioris proprietatem æternitati depingere, non indignum reputaui: vt qui inſignia eiuſdem geſta in poſterum audire geſtierint: imaginarium quoque vultum eiuſdem præ oculis gerant. Tantum quippe temporis noſtri decus tranſitorie perire: præſens

histo-

hiſtoria non permittit. Impetrata tamen veritatis explicandæ venia, citra quam omnis hiſtotia non ſolum authoritatem: ſed & nomen hiſtoriæ demeretur. Naturam enim * vero imitari arte profeſſus, authoritatem pictor amittit, ſi diligentius apta dum ptotrahit, minus idonea verecunde prętermittit. * [illegible]

Vnde & quoniam vitiis ſine nemo, Naſcitur, optimus ille eſt: qui minimis vrgetur: nihil humanum à ſe alienum ſapiens putet. Semper enim mundanis in rebus, quia in nulla ſub cœlo perfecta fælicitas, & mala ſunt vicina bonis, & vitia virtutibus diſtinguuntur. Sicut ergo ſiue naturæ, ſiue induſtriæ bona, mentem bene compoſitam audita delectant, ſic recitata bonis contraria, non offendant. Sed quoniam iuxta philoſophicum illud, ſolari officiis oportet, non exaſperare verbis poteſtatem: & illud Comicum; Obſequium amicos, veritas odium parit: meticuloſa nimirum Res eſt, quantalibet occaſione in illum allegare, qui poteſt relegare: Arduum opus & periculoſum magis quam fructuoſum arripui, multis illum vetbis deſcribere, qui vno poteſt verbo ptoſcribere. Gratioſum quippe fore, & noſtras longe vires excedens; veritatem in ſingulis non ſupprimere: & nullo tamen principis animum exaſperare.

Erat igitur Anglorum Rex Henricus Secundus: vir ſubtufus, cæſius, amplo capite & rotundo, oculis glaucis ad iram toruis, & rubore ſuffuſis. facie ignea, voce quaſſa, collo ab humeris aliquantulum demiſſo, pectore quadrato, brachiis validis, corpore carnoſo, & naturæ magis quam gulæ vicio, citta tumotem enormem, & totpotem omnem moderata quadam immoderantia, ventre præamplo. Erat enim cibo potuque modeſtus ac ſobrius, & parſimoniæ, quoad principi licuit, per omnia datus. Et vt hanc natutæ incuriam induſtria reprimeret ac mitigatet: carniſque vicium animi virtute leuaret: bello pluſquam inteſtino tanquam in ſe coniurans, immoderata corpus vexatione torquebat. Nam pręter bellorum tempora, quæ frequenter imminebant, quibus quod rebus agendis ſupeterat, vix id tantillum quieti dabat. Pacis quoque tempore, ſibi nec pacem vllam nec requiem indulgebat: venatione namque trans modeſtiam deditus, ſummo diluculo equo curſore tranſuectus: nunc ſaltus luſtrans, nunc ſyluas penetrans, nunc montium iuga tranſcendens, dies ducebat inquietos: veſpete vero domi receptum, vel ante cænam vel poſt, rariſſime ſedentem conſpexeris. Poſt tantas namque fatigationes, totam ſtatione continua curiam laſſare conſueuerat. Sed quoniam hoc ad vitam in primis vtile, vt ne quid nimis: nullumque remedium ſimpliciter bonum, cum tibiarum pedumque tumore frequenti, recalcitrantium ad hoc iumentorum ictibus aucta læſione, cæteras ad ipſum cotporis incommoditates accelerabat, & ſi non aliam, mattem incommodorum atque miniſtram cette vel ſenectutem. Staturæ vir erat inter mediocres: quod nulli filiorum contingere potuit: primæuis ambobus paulo mediocritatem excedentibus, in moribus vero duobus infra ſubſiſtentibus. Citra animi turbationes & iracundiæ motus, Princeps eloquentiſſimus. Et quod iis temporibus conſpicuum eſt, literis eruditus. Vir affabilis, vir flexibilis & facetus: nulli prorſus hominum, quicquid intus palliauerit, vrbanitate ſecundus. Princeps adeo pietate ſpectabilis, vt quoties armis vicerat, ipſe quoque magis pietate vinceretur. In armata militia ſtrenuus: in togata improuidus. Semper tamen in rebus Martiis ambigua bellorum fata reformidans: & ex ſumma prudentia iuxta Comicum illud, omnia prius quam arma pertentans. Amiſſos in acie, plus Principe plangens: & humanior extincto militi quam ſuperſtiti: longeque maiori dolore mortuos lugens, quam viuos amore demulcens. Vrgentibus incommodis nemo benignior: reſumpta ſecuritate nemo rigidior. Acer in indomitos, clemens in ſubactos; durus in domeſticos, effuſus in extraneos. Largus in publico, parcus in priuato. Quem ſemel exoſum habuerat, vix in amorem: Quem ſemel amauerat vix in odium reuocabat. Auium quarum victus ex præda, volatu plurimum: canumque feras narium ſagacitate perſequentium, tam voce ſonora & conſona, quam curſu veloci vltra modum delectatus, & vtinam tam deuotioni deditus, quam venationi. Poſt grauem Matris (vt fertur) inſtinctu filiorum in patrem offenſam: publicus legitimi fœderis violator. Naturali quadam inconſtantia: verbi plęrumque ſpontaneus tranſgreſſor. Nam quoties res in arctum deuenerat: de dicto malens quam facto pœnitere, verbumque facilius quam factum irritum habere. Ideo in cunctis agendis proſpector prouidus & moderator: vt ob hoc etiam, medicina ex parte modum excedente, iuris & iuſtitiæ dilator extiterit. Et non abſque ſuorum enormi grauamine; moroſus ad cuncta reſponſor. Denique

Digitized by Google

gratis exhibenda quæ Deus & iuſtitia vult: dum precio prouenit, impteciabilet & in quæſtu proſtat omnia pręſtans, magnos Giezi tam regno quam ſacerdotio relinquens hæredes. Author pacis diligentiſſimus, & obſeruatot. Incomparabilis eleemoſynarum largitor: & præcipuus terræ Paleſtinæ ſuſtentator. Humilitatis amator, nobilitatis oppteſſor, & ſuperbiæ calcator. Eſurientes implens bonis: & diuites dimittens inanes. Exaltans humiles, ponens de ſede potentes. Deteſtandis in ea, quæ Dei ſunt, vſurpationibus multa præſumens: zeloque iuſtitiæ (ſed non ex ſcientia) regni ſacerdotiique iura coniungens, vel confundens potius, & omnia ſolus exiſtens. Eccleſiæ filius, & ab illa ſceptri nactus honotem: ſacramenralis deliburionis vel immemot, vel diſſimulator acceptæ. Sacræ vix horam hoſtiæ mittendæ diuinis accommodans: & id ipſum temporis ob regni (forte) negotia tanta reique publicæ cauſa, plus conſiliis & ſermone, quam deuotione conſumens. Vacantium prouentus eccleſiarum in fiſcale ærarium mittens, & modico fermenti maſſa cotrupta, dum aufert fiſcus, quod ſibi vendicat Chriſtus, nouis ſemper emerſis incommodis, & guerris maximis theſauros vniuerſos profundebat: Dans impio militi, quæ dari debuetant ſacerdoti. Ex ſumma prudentia multa machinans, multa prouide diſponens: quæ tamen euentus non ſortita ſecundos; in contraria plætumque vergere videbantur. Nec vnquam ingens emetſit incommodum: quod originem familiaribus ex cauſis non contraxerit. Legitime prolis pueritiam naturali affectu pluſquam patet amplectens: prouectiores eiuſdem annos pluſquam vitricus oblique reſpiciens & quanquam filios tam inclytos habens, quam illuſtres: magno tamen abſolutæ fælicitatis impedimento, forſan ex meritis, ſemper odio perſequens ſucceſſores. Et quoniam humana proſperitas, ſicut nec perpetua, ſic neſcit eſſe perfecta: exquiſita quadam fortunæ malitia, vnde habere debuerar gaudium, inde gladium; vnde ſecuritatem, inde ſecurim. Vnde pacem, inde peſtem: vnde fortitudinem, inde ingratitudinem: vnde quietem & rranquillitatem, ſumma cum inquietudine ſuſcipiens turbationem. Vnde vel aliquo maritali copulæ vinculo, vel parentum criminis cuiuſlibet vindicta videtur accidere: quod nec pattis in filios, nec filiorum in parentem, nec fratrum inter ſe, eſt vera concordia. Sublatis ſtatim tam regni detentoribus, quam pacis eiuſdem perturbatoribus, tam fratribus & filiis quoque quam alienis: tam domeſticis, quam extraneis: diu ad votum ſuccedentia cuncta ſuſcipiens: & vtinam finalem ſibi hunc diuinum fauotem, dignis operum meritis, vel in fine tecognoſcens. Quemcunque vel ſemel in facie attentius inſpexerat: quanquam in tanta quotidie multitudine conſtitutus, nunquam amplius ignotum habebat. Quicquid aliquando memoria dignum audierat: nunquam à mente decidere poterat. Vnde & hiſtoriarum omnium fere promptam notitiam, & cunctarum rerum experientiam propemodum ad manum habebat. Et vt paucis plurima concludam: Si à domino finaliter electus fuiſſet & ad eius obſequia ſe conuerterit, inter mundi principes, multis erat naturæ dotibus incomparabilis. Sed hæc hactenus: nec pręter rem tamen, curſim & breuiter hic delibaſſe ſufficiat. Magnus quippe tam nobilis hiſtoriæ ſcriptoribus amplam gradiendi viam paucis apetientes, ad noſtram de cætero Hiberniam reuertamut.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

HACTENVS hiſtoriam pleno perfectoque tenore produximus, nihil memoratu dignum omittentes, quod rerum geſtarum ſeries videbatut expetere. Sed quoniã generalibus illis & neceſſariis crucis Chriſti iam occupati negotiis, ocium ſtudio ſuppeditare nequiuimus: nec opus inchoatum templenum relinquere vlla ratione ſuſtinuimus: curſim & breuiter communi quoque ſermone, non ornato, cuncta de cętero proſequemut: vt poſteritati potius materiæ delibatio, quam hiſtoriæ narratio, tradi videatut. Ocium namque verſum eſt in negotium: ſtudium in odium, in luctum lætitia: in ſummam inquietudinem, ſumma tranquillitas. Non artes hodie vigent: ſed Martis officia: non mentis, ſed corporis exercitia: non muſis, ſed muctonibus: non animis, ſed armis indulgetur. Non ordinem ergo hic lectot requirat, non leporem. Neceſſe enim erat, tempori morem gerentia vt ſingula quęque turbata prouenant: ſicut & ipſa ſunt tempora turbatiſſima, plęrunque nimirum per exteriora tam vultus quam verborum indicia: interiot animi paſſio declaratur. Inter ipſos itaque tanti conaminis apparatus, & tanquam in ipſo vię procinctu non abſq; lucubratione plurima & indebita maturatione

præſens

præſens opus conſummari procurauimus, itinerantium more. Qui cum tardius iter arripiūt: celeritate moram compenſant. Quicquid in ſalutiferæ crucis obſequiis de noſtra Saluator ſalute ſtatuerit: cum Hibernica Topographia, vaticinalem hanc hiſtoriam, noſtra monumenta diligentiæ poſteris, & patriæ relinquentes.

De Comite Richardo in Hiberniam cuſtode tranſmiſſo: & Reimundo iterum familiæ præfecto.

C A P. I.

COMES autem Richardus in Hiberniam rediens (quoniam gens Hibernica tantam in tranſmarinis diſcordiā nuper obortam audierat) vtpote gens ſola conſtans in inconſtantia: ſola in inſtabilitate ſtabilis: ſola in infidelitate fidelis: omnes fere terræ illius Principes, Regi ſibique rebelles inuenit. Conſumptis autem in breui theſauris, quos ſecum Comes attulerat: deficientibus quoque ſtipendiis, familia Comitis, quæ ſub Herueio Reymundi æmulo, ſeque conſtabularium iam gerente, nihil in prædis, vt aſſolet, proficere potuit: demum ad Comitem omnes vnanimiter accedunt communiter aſſerentes: niſi Reymundum iterum eis pręficiat: ſe ſtatim eundem omnes procul dubio relicturos: & vel in Angliam reuerſuros, vel etiā (quod peius erat) ad hoſtes tranſituros.

De Reymundo iterum familiæ præfecto.

C A P. II.

PRÆFECTO vero hoc neceſſitatis articulo familiæ Reymundo: reſumptis animis; ſtatim in Ophelanos inſurgentes: prædis quam maximis refici cœperunt. Equis quoque & armis egregie reformati. Abinde quoque Liſmoriam profecti, tam vrbe, quam vrbis prouincia ſpoliata, ſimul & deprædata: prædas per maritimam viam immenſas Gwaterfordiam duxere. Spoliis vero nauiculas videl. quarum quædam de Guaterfordia venerant, aliaſque quas eodem portu repererant, onerauere. Cum ergo zephyri beneficium ibidem aliquandiu expectaſſent: Ecce Corcagienſi ab vrbe (quæ occidentali ex parte per mil. 16. ab inde diſtat) ad eos expugnandum 32. naues bellicoſis viris refertæ adueniunt. Prælio itaque nauali conſerto: dum iſti lapidibus & ſecuribus acriter impetunt: illi vero tam ſagittis, quam laminis ferreis, quibus abundabant, promptiſſime reſiſtebant. Tandem victis Corcagienſibus & confectis, eorum Duce Gileberto * Turgerii filio, à iuuene perualido, Philippo ſcilicet * Curgerii.
Gualenſi, interfecto: Adam Herefordienſis (qui electæ iuuentuti ibi tunc præerat) aucto nauium numero cum annis, & oneribus Guaterfordiam nauigio victorioſus aduenit. Reymundus vero qui forte conflictus huius nuncium habuerat cum militibus 20. & ſatellitibus 60. per maritimā viam ad partes illas properans: Dermitio Deſmoniæ Principe ſtatim à Liſmoria fugato (qui in auxilium Corcagienſium cum exercitu magno venerat) Guaterfordiam quatuor animalium millia ſecum reduxit. Circa hęc eadem tempora cum Hibernici partium illarum aliquantulum ad ſyluas de plano prædam Gwaterfordiæ rapuiſſent: & in ſyluæ ipſius ora in inſidiis latitaſſent: clamore ad vrbem facto familia proſilit, & in primis Meylerius (vt erat pręceps ſemper & probus) ſatellite quodā comitatus equeſtri, prędones vſq; ad ſyluę condenſa eſt perſecutus. Sed cum ipſe redire paraſſet: iuuene inſtigante temerario & pręaccelerante, ſyluæ partē vſq; ad ſaltum interiorem tranſpenetrarunt: & ſtatim iuuene eodem corā ipſo multis vulneribus confoſſo, & fruſtatim ſecuribus dilacerato: cum fruſtra ſolus contra mille ſubuenire vellet, & impetum in hoſtes faceret, concluſus ab ipſis & ad manus vndiq; compręhenſus, exerto gladio, viam ſibi vir animoſus viribus aperuit, & illi manus, huic brachium, aliis caput & humeros viriliter amputans, tres ſecures Hibernicas in equo confixas duaſque in clypeo portans, corpore tamen indemnis & illęſus ad planiciem ſuis obuiando, remeauit.

Interfectio Dublinenſium apud Oſſyriam.

C A P. III.

HIS ita completis, familiaque tam maris quam terræ ſucceſſibus egregie refecta: dum Reymundus ob patris, quem audierat, obitum, nobilis videl. viri Guilielmi Giraldidæ, remenſo pelago, in Cambriam receſſiſſet: Herueius iterum ſe conſtabularium gerens: vt abſente Reymundo aliquid agere videretur: Comitem cum familia Caſſiliam duxit. Dublinenſium autem exercitus in eorum interim auxilium ex edicto veniens, cum apud Oſſyriam forte pernoctaret: ecce Limiricēſium Princeps Du-

uenaldus vir ſua in gente non improuidus, ipſorum aduentus exploratione certiſſima pręſcius, ſummo diluculo cum manu armata irruens in incautos, 4. milites qui aliis prçerant & 400. Oſtmannorum viros ſimul interemit. His autem auditis, Comite Guaterfordiam cum confuſione reuerſo, caſus iſtius occaſione, totus Hiberniæ populus in Anglos vnanimiter inſurgunt: ita vt comes tanquam obſeſſus, Guaterfordienſi nuſquam ab vrbe diſcederet. Rothericus vero Connactienſis Synnenenſis fluuii fluenta tranſcurrens in manu valida Mediam inuaſit. Cunctaque eiuſdem caſtra vacua vſque ad ipſos Dubliniæ fines igne combuſta, ſoloque confracta redegit.

Reymundi in Hiberniam Reuocatio, & Baſiliæ deſponſatio.

Cap. IV.

CONSIDERANS itaque Comes ſe in arcto iam poſitum, communicato ſuorum conſilio, tanquam vltimo ſalutis refugio, literas in Cambriam ſub hoc, vel ſimili tenore tranſmiſit. Inſpectis literis iſtis, nobis in manu forti ſubuenire non differas: & deſiderium tuum in Baſilia ſorore mea tibi legitime copulanda, in ipſo ſtatim aduētu tuo, procul dubio noueris adimplendum. Reymundus vero his auditis, tam nobilis puellæ diuque concupitę fruendi amplexibus, quam vires experiendi, domino in neceſſitatis articulo ſubueniendi, voto ſuccenſus: cum Mehlerio conſobrino ſuo, nec non & aliis de ſtirpe ſua militibus 30. non inualidis, ſatellitibus quoq; equeſtribus 100. & ſagittariis pedeſtribus de electa Cambriæ iuuentute 300. incontinenti ſeptæpatans, primo flante ſubſolano, apud Guaterfordiam cum 15. nauibus applicuit. Eadē ſiquidem hora ciues vrbis iniquo furore debacchantis amentiæ, Anglos vbicunq; repertos, trucidare iam parauerant: quando nauium intrantium vexilla non incognita in prioris eminentia conſpexere. Igitur aduentu tam ſubito, tanta ſeditione ſedata, ſtatim Reymundus Guaterfordiam profectus, in manu forti Comitem ab inde Gueſefordiā reduxit. * Frecellus interim Guaterfordiæ cuſtos, dum per aquā Suyrenſem Comitē ſequi properaret: in ſcapha, qua vehebatur, ab antiquis Oſtmānis, vector à vehentib. cum ſuorū nonnullis interemptus occubuit. Qui ſtatim hoc ꝑpetrato ſcelere ad vrbē reuertentes, Anglos quoſcunq; in plateis & domib. reperiebant nec ſexui parcētes, nec ætati: crudeliter ad vmbras tranſmiſerunt. Verū vrbe per turrē Reghnaldi retenta ſolum excluſis ſceleris authoribus, fruſtratorio conamine deluſi, denuo proditores ad pacem cum deteriore tam opinione quam conditione redierunt. Reymūdus vero promiſſi non immemor, donec nunciis cum feſtinatione tranſmiſſis reuocatam à Dublinia Baſiliam ſolenni deſponſatione ſibi copulauerat: à Gueſefordia non diſceſſit. Quibus legitime completis, nuptialique more, toto in epulis die, in thalami deliciis nocte conſumpta, audito Rothericum Connactienſem, Media rurſum ex terminio data, ipſos Dubliniæ fines iam inuaſiſſe: in craſtino Reymundus nec vino, nec venere retardatus, ſeptus ſuorum cuneis, iter ad illas partes incunctanter arripuit. Rothericus autem expertus antea viri virtutem, ad propria remeando formidabilem eius aduentum non expectauit. Reformatis igitur in partibus illis, quæ turbata fuerant: & caſtris Mediæ tam Truimmenſi ſcilicet duuelesſcenſi dirutis, & ab Hugone Tyrello eorundem cuſtode paulo ante relictis, Reymundi vero beneficio iam reparatis & in ſtatum meliorem redactis, præ timore viri, inſula aliquandiu ſub pace quieuit.

*Tyrellus.

Generum confœderatio: & maiorum ſubſequenter confœdatio.

Cap. V.

VIDENS autem Herueius Reymundi gloriam creſcere vel inuitus, eiuſque ſucceſſus de die in diem amplius proſperari, quem in publico non poterat, lædere quærens vel in occulto, & ſub affinitatis ſpecie, falſæque amicitiæ fuco, cupiens efficacius opprimere nō prouiſum: Reymundi conſobrinā Mauricii Giraldidę filiam Neſtā nomine ſibi legitime copulandā petiit & obtinuit. Et vt firmiore vinculo genera coirent & cōuenirent: Reymundo procurante, primæuo Mauricii filio Gulielmo, comes Alinam filiam ſuam dedit vxorem: Ipſi quoque Mauricio à Cambria in Hiberniam iterum aſcito: medium Ophelaniæ Cantaredum (quem & antea regio dono poſſederat), cum Gnykingelonenſi caſtro in feodum donauit. Meylerio vero tanquam Marchioni remotiorem: proximum autem Dubliniæ, qui & olim Stephanidæ Regia munificentia fuerat aſſignatus, fratribus Herefordienſibus.

Prius

Digitized by Google

Priuilegii impetratio.

CAP. VI.

INTEREA quanquam Martiis plurimum intentus & detentus exercitiis: Anglorum rex ſuæ tamen inter agendum Hiberniæ non immemor: cum prænotatis ſpurcitiarum literis in Synodo Caſſilienſi per induſtriam quæſitis: directis ad curiam Romanam nuntiis, ab Adriano Papa de Anglia oriundo, tunc præſidente, priuilegium impetrauit, eiuſdem auctoritate & aſſenſu, Hibernico populo tam dominandi quam ipſum in fidei rudimentis incultiſſimum, Eccleſiaſticis normis & diſciplinis, iuxta Anglicanæ Eccleſiæ mores informandi. In Hiberniam itaque priuilegio tranſmiſſo, per Nicholaum Guallingfordenſem tunc Priorem, Malmeſburienſem quoque poſtmodum Abbatem tam poſitum quam depoſitum: nec non & Gulielmum Aldelmi filium: conuocata ſtatim apud Guaterfordiam Epiſcoporum Synodo: in publica audientia eiuſdem priuilegii cum vniuerſitatis aſſenſu, ſolemnis recitatio facta fuit, per Iohannem Saliſburienſem, poſtmodum Epiſcopum Carnotenſem, Romam ad hoc deſtinatum: per quem etiam idem Papa Regi annulum aureum in inueſtituræ ſignum præſentauit. Qui ſtatim ſimul cum priuilegio in Archiuis Wyntoniæ repoſitus fuerat. Vnde & eiuſdem priuilegii tenorem hic interſerere non ſuperfluum reputaui. Erat itaque tenor hic:

Adrianus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio illuſtri Anglorum Regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Laudabiliter & fructuoſe de glorioſo nomine propagando in terris, & æternæ felicitatis præmio cumulando in cœlis, tua magnificentia cogitat: Cum ad dilatandos Eccleſiæ terminos, ad declarandam indoctis & rudibus populis Chriſtianæ fidei veritatem, & vitiorum plantatia de agro Dominico extirpanda, ſicut Catholicus Princeps intendis. Ad id conuenientius exequendum: conſilium Apoſtolicæ ſedis exigis & fauorē. In quo facto, quanto altiori conſilio, & maiori diſcretione procedis: tanto in eo feliciorem progreſſum te, præſtante Domino, confidimus habiturum: eo quod amplius ad bonum exitum ſemper & finem ſoleāt attingere: quæ de ardore fidei, & religionis amore, principium acceperunt. Sane Hiberniam, & omnes inſulas, quibus ſol iuſtitiæ Chriſtus illuxit: & quæ documenta fidei Chriſtianæ cæperūt: ad ius B. Petri & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ (quod tua etiam nobilitas recognoſcit) non eſt dubium pertinere. Vnde tanto in eis libentius plantationem fidelem & germen gratum Deo inſeruimus: quanto id à nobis interno examine diſtrictius proſpicimus exigendum. Significaſti ſiquidem nobis fili in Chriſto chariſſime, te Hiberniæ inſulam ad ſubdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda velle intrare: & de ſingulis domib. annuam vnius denarii B. Petro velle ſoluere penſionem, & iura Eccleſiarum illius terræ illibata & integra conſeruate. Nos itaq; pium & laudabile deſiderium tuū cum fauore congruo proſequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum: gratum velle & acceptum habemus, vt pro dilatandis eccleſię terminis, pro vitiorum reſtringendo decurſu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inſerendis, pro Chriſtianæ religionis augmento: Inſulam illam ingrediaris: & quæ ad honorem Dei & ſalutem illius terræ ſpectauerint, exequaris: Et illius terræ populus honorifice te recipiat, & ſicut Dominum veneretur: Iure nimirum Eccleſiarum illibato & integro permanente, & ſalua B. Petro & ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ de ſingulis domib. annua vnius denarii penſione. Si ergo quód cōcepiſti animo, effectu duxeris proſequente complendum: ſtude gentem illam bonis moribus informare: & agas tam per te, quam per illos (alios) quos ad hoc fide, verbo, & vita idoneos eſſe perſpexeris, vt decoretur ibi Eccleſia, plantetur & creſcat fidei Chriſtianæ religio, & quæ ad honorem Dei, & ſalutem pertinent animarum per te taliter ordinentur: vt à Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi mereatis, & in terris glorioſum nomen valeas in ſeculis obtinere.

De quinquepertito iure.

CAP. VII.

CESSENT igitur inuidi, ceſſent & incauti, amplius obſtrepere: Anglorum Reges nullo Hiberniam iure contingere: & diſcant eos ad hoc innitendo quinquepertito pariter (duplici ſcilicet antiquo, triplicique nouo) ſe iure tueri: ſicut in Topographia noſtra declaratur.

Quippe Gurguntium Belini filium & Britannię Regem à Dacia cum triumpho

 redeun-

redeuntem, Baſclenſium claſſem apud Orchades inuentam (viæ ducibus eis adhibitis) primo in Hiberniam tranſmiſiſſe: Britannica teſtatur hiſtoria. Teſtatur quoque famoſum illum Britanniæ Regem Arthurum Hiberniæ Reges tributarios habuiſſe, & magnæ vrbis legionum curiæ, Gillomarum Hiberniæ Regem cum aliis Regibus Inſulanis interfuiſſe.

Præterea vrbis Baonenſis (quam hodie noſtra continet Gaſconia) Baſeloniæ caput eſt, vnde Hibernenſes prouenerant. Item cum iuri ſuo renuntiate liberum ſit cuilibet (quanquam ſubiectionis cuiuſlibet hactenus immunes) his tamen hodie noſtris diebus: Anglorum Regi Henrico ſecundo omnes Hiberniæ principes firmis fidei ſacramentiq; vinculis ſe ſponte ſubmiſerunt. Quanquam enim innatæ leuitatis vitio (inconſtantia) à fide quantocyus reſilire non formidarunt: fidei tamen & fidelitatis vinculo non ſoluuntur. In contrahendo quippe liberi ſunt contractus huiuſmodi: non in diſtrahendo Et (quod ſolum ſufficere poſſet ad perfectionis cumulum, & abſolutæ conſummationis * argumẽtum ſummorum Pontificum, qui inſulas omnes ſibi ſpeciali quodam iure vendicat, totiuſq; Chriſtianitatis Principum & Primatum confirmans acceſſit auctoritas.

* argumentum.

Nobilis Limerici expugnatio.

C A P. VIII.

INTEREA Limericenſium Princeps Duuenaldus, cum ſe nimis inſolenter habere cæpiſſet: & à fidelitate Anglorum Regi exhibita non minus infideliter, quam irreuerenter reſiliiſſet: Reymundus collecta in vnum validæ iuuentutis cohorte, cum militibus centum, & viginti ſatellitibus equeſtribus, 300. ſagittariis, pedeſtribus 400. circa cal. Octób. Limericum audacter aggreditur. Accedẽribus igitur illis ad aquam Sinnennenſem, quæ nobilem vrbem Limericum circumfluendo complectitur, quoniam ob rapidi profundiq; fluminis interlabentis obſtaculum tranſitum habere non poterant: iuuentus tam lucri quam laudis cupida, tanquam ad aquas Tantali poſita, deſideratæ rei tam propinquum, non ſine moleſtia pertulit impedimentum. Miles itaque nouus & tyro validus, Reymundi nepos, Dauid agnomine Walenſis, non cognomine, natione Cambrienſis, non cognatione, iuuenis egregius, pulcher & procerus: præ aliis omnibus moræ impatiens, horrendumque mortis periculum laudis amore contemnens, in rapidiſſimum flumen aſperum funditus & ſaxoſum ſe præcipitem dedit. Curſum itaq; fluminis lateraliter obliquans, & criſpantis vndæ caput obſeruans: ad oppoſitam indemnis ripam nobili tranſuectus equo, ſe vadum reperiſſe ſuis exclamauit.

Sed cum præter militem vnum, cui nomen Galfridus Iudas, ſequaces non inuenit: eadem reuerſus via, militem illum in redeundo amnis impetuoſi violentia; raptum ad ima ſubmerſum non reduxit. Quo viſo, Meylerius, qui cum Reymundo aduenerat, tantæ ſtrenuitatis audaciam alteri, & etiam ſanguine propinquo, tam nobilis inuidens auſus honorem, forti ſtatim, quo reſidebat, monito calcaribus equo, fluuium fremebundus intrauit. Et imitabili accenſus æmulatione, nec militis iam ſubmerſi terribili retardatus exemplo: ad alteram ſtatim ripæ partem non trepide, non timide, ſed audacter magis ac temerarie tranſpenetrauit. Ciues autem tam in ipſa ripa ei obuiantes, quam ab vrbis muralibus, quæ ripæ imminebant, creberrimis lapidum iaculorumque iactibus, dum ipſum repellere, vel potius oppetere nituntur: miles inſignis hinc hoſtis furentis, illinc aquæ ruentis rabiem intuens: galeam ictibus, clypeumque prætendens, inter duo pericula ſe medium, & à neutro totum, animoſe continuit.

Facto igitur ex vtraque parte clamore non modico: Reymundus, qui in vltima turma tanquam exercitus caput & rector, militiæ princeps extiterat: euentuum iſtorum ignarus omnino per medias continenter acies ſe proripiens ad aquam peruenit. Videns itaque nepotem ſuum ex altera ripæ parte in arcto iam poſitum, hoſtiumque ſine iuuamine cuneis expoſitum: non abſque plurima cordis anxietate, ſuis acriter exclamauit.

Oratio Reymundi.

VIRI, quibus virtutis vigorem inſitum nouimus à natura: quorumque in tot anguſtiis animoſitatis vires experti ſumus: viri, venite, via nobis oſtenſa eſt, & aqua hactenus inuia, noſtrorum auſu inuenta eſt peruia. Sequamur itaque præuium, iuuemus oppreſſum, animoſumque iuuenem in communis hac tam commodi noſtri,

quam

Digitized by Google

quam honoris gratia tã viriliter aggreſſum, defectu auxilii præ oculis tam prope perire nullatenus permittamus. Quo dicto, ſe primus in amnem Reymundus immiſit: cunctoq; certatim exercitu ſequente, ſeq; ſuoſq; fortunę commiſit. Tranſeuntes itaq; indemnes, præter duos ſolum ſatellites equeſtres ſubmerſos, & militem vnum, cui nomen Guido, fugatis in vrbem hoſtibus non ſine grandi ciuium ſtrage muros ſtatim irrumpunt: Et vrbe potiti cum victoria, ſpoliis plurimum ditati & auro, pericula ac damna lucri ſimul & laudis honore compenſarunt.

Elige, lector, trium virorum audentiſſimum, an illum, qui citra exemplar omne primus omnium tranſeundo, aliis omnibus viam dedit? an illum, qui poſt exemplar ſimul & formidabile mortis exemplum tranſpenetrando ſe hoſtium multitudini ſolum expoſuit: an illum, qui poſt vtrunque ſe cum exercitu toto tam animoſe periculo dedit. Hic quoque notandum videtur, die Martis captum fuiſſe Limericum, die Martis eidem fuiſſe ſubuentum: die Martis captam fuiſſe Waterfordiam: die Martis Weſefordiam: die Martis Dubliniam: nec per induſtriam hæc, ſed caſu ſolo contigiſſe. Nec mirum tamen vel rationi diſſonum, ſi Martis potiſſimum die, Martia negotia ſunt completa.

Deſcriptio Reymundi.

CAP. IX.

ERAT itaq; Reymundus vir amplæ quantitatis, ſtaturæq; paulo plus quam mediocris: capillis flauis & ſubcriſpis, oculis groſſis, glaucis & rotundis, naſo mediocriter elato, vultu colorato, hilari ac ſereno. & quanquam carnoſa ſuperfluitate ventre turgeſcens, naturalem tamen corporis grauitatem innata cordis redimens viuacitate carnis vitium animi virtute leuabat. Super exercitus cura noctes ducebat inſomnes, & tanquam excubiarum excubator, mirabili ſollicitudine nocte tota circumeundo gyronagus, clamoſus, errabundus excubare ſolebat. Felix in hoc & fortunatus, quod vel nunquam, vel rariſſime, cui præerat, manus, aut temerariis auſibus; aut per incuriam oberrauerit. Vir modeſtus & prouidus, nec cibo nec veſte delicatus: Caloris ei algoriſque patientia par: vir patiens iræ, patienſque laboris. Quibus præſidebat, prodeſſe magis quam præeſſe, potiuſque miniſter quam magiſter videri volens. Vt autem viri virtutes, mores & modos ſub breuitate concludam: vir erat liberalis & lenis, prouidus & prudens. Et quanquam animoſus plurimum, & armis inſtructus: prudentia tamen rebus in Martiis & prouidentia præcellebat. Vir in vtroque laudabilis: multum quidem militis habens, plus quam Ducis.

Deſcriptio Meylerii.

CAP. X.

MEYLERIVS vero vir fuſcus, oculis nigris, & toruis, vultuque acerrimo. Staturæ paulo mediocri plus puſillę. Corpore tamen pro quantitatis captu perualido. Pectore quadrato, ventreq; ſubſtricto, brachiis ceteriſq; membris oſſoſis, plus neruoſitatis habentibus, quam carnoſitatis. Miles animoſus & æmulus. Nihil vnquam abhorrens, quod aggredi quis vel ſolus debeat vel comitatus. Primus in prœliũ ire: vltimus conſerto prœlio redire cõſuetus: in omni conflictu omnis ſtrenuitatis opera ſeu perire paratus, ſeu præire: adeo impatiens & præceps: vt vel vota ſtatim, vel fata complere dignum ducat. Inter mortis & Martis triumphos, nil medium ponẽs: adeo laudis cupidus & glorię, quod ſi viuendo forte non valeat: vincere velit vel moriendo. Vir itaq; fuiſſet cumulata laude dignus vterque, ſi ambitione poſthabita, Chriſti Eccleſiam debita deuotione venerantes, antiqua & autentica eiuſdem iura non tantum illibata conſeruaſſent: Quinimo tam nouæ, tamque cruentæ conquiſitionis (plurima quippe ſanguinis effuſione, Chriſtianæq; gentis interemptione fœdatæ) partem placabilem Deoq; placentem, laudabili largitione contuliſſent. Veruntamẽ quod mage ſtupendum eſt, amplioriq; dolore dolendum: poſtremum hoc vitium toti fere militiæ noſtræ à primo aduentu, vſque in hodiernum conſtat commune fuiſſe.

Generis commendatio.

QVID Stephanidæ filii ſuis meruere temporibus? Quid Mauritii? Quid Robertus Barrenſis vir verecundus & audax: cuius laudes præcedentia tenent. Quid Milo Meneuenſis tam Mauritii quam Stephanidæ nepos: qui cum primis primus, & inter primos animoſus aduenit? Quid Henrici filius Robertus, Meylerii frater? Quem niſi præpropere rebus humanis exemptus fuiſſet: nobili fratre minorem ſtrenuitate non crediderim.

Quid

Quid Reymundus Kantitunenſis: Quid Robertus Bartenſis minor? vterque procerus, pulcher, & probiſſimus. Quid Reymundus Hugonides? Quanquam ſtaturæ minoris: probitate tamen atque prudentia non tacendus. Horum autem trium (quos poſtmodum in Deſmoniæ partibus virtus egregia ſublimauit) damno ſuorum non modico, ob nimiam animoſitatis immoderantiam, longe aute diem fato caducа, mors præmatura anticipauit. Quid alii generoſitatis eiuſdem quamplurimi? quibus inſignia ſingulorum geſta perennem poterant laudis memoriam promereri.

Non, mihi ſi lingua centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox: digne promere cuncta queam.

O genus, ô gens gemina natura, à Troianis animoſitatem, à Gallis armorum vſum, originaliter trabens. O genus, ô gens tam generis numeroſitate, quam & innata ſtrenuitate ſemper ſuſpecta. O genus, ô gens, quæ ad regni cuiuſlibet expugnationem per ſe ſufficeret: ſi non tantã inuidens illis ſtrenuitatem, ſemper in alta liuor exardeſcens, ab alto coegiſſet deſcendere.

Cum itaque Reymundus ſuper vrbis ſtatu aliquandiu diſpoſuiſſet: alimentis illuc vndique contractis, & familia: militibus ſcilicet quinquaginta, ſatellitibus vero equeſtribus 200. & totidem ſagittariis ibidem relictis, Milooe quoque Meneuenſi conſobrino ſuo eiſdem præfecto, cum victoria reuerſus, in Lageniæ partibus ſe cum exercitu indemnem recepit. Sed quoniam virtutem inuidia perſequi non ceſſat: Herueius de monte Mauriſco (ſolita mentis malitia affinitatis gratia non mutata) continuo nuntiis ad Anglorum Regem tranſmiſſis: illi ſiniſtre rerum euentum indicauit. Aſſerens quoq; Reymundum contra Regis honorem, & fidem debitam, non tantum Limiricenſium ditionem, ſed etiam Hiberniam totam ſibi ſuiſque iam occupare proculdubio propoſuiſſe. Et vt hoc figmentum delator regiis auribus tutius & probabilius præſentaret: ad votum effectui mancipandum, in Bragmannorum morem, coniuratas ad hoc cateruas Reymundum aſſerit compoſuiſſe. Exercitum quoque (namque) totum Reymundus ſacramento conſtrinxerat: de lucro in publicum producendo, de facienda iuſta inter ſe partitione, & Principis reſeruanda portione.

Heruεii deſcriptio, & Reymundi ab eo facta delatio.

C A P. XI.

ERAT autem Herueius vir, procerus, & pulcher, oculis glaucis & prominentibus, aſpectu amabili, vultuque venuſto, verbis ornatis, collo tereti & longo, in inſidam capitis columnam erecto, demiſſis humeris, & tam manibus quam brachiis decenter in longum protenſis. Pectore mediocriter quadrato, medio vero, quod pleriſque ſine lege turgeſcere ſolet, naturaliter & modeſte ſubſtricto. Demum in amplitudinem pectori proportionalem, verſus ilia deſcendente. Denique tam coxis quam tibiis & pedibus per omnia militaribus partique corporis ſuperiori non ineleganter reſpondentibus. Statura quoque vir erat immodicæ mediocritatis modum excedente. Sed quantum, exteriorem hominem multiplici natura dote beauerat: tantum & interiorem variis vitiorum maculis malitia deformauerat. Erat quippe vir à pueritia Veneri datus, & quicquid in omni libidine vel aliis in ipſum, vel ipſi in alios collibuerat: exercere paratus: nec inceſtus vllos, nec adulteria vitans, vir inuidus, delator & duplex, vir ſubdolus, facetus, & fallax. Cuius ſub lingua mel, & lac veneno confecta. Vir vagus & vanus præter inconſtantiæ ſolius, nullius rei conſtantiam habens. In ſummis rotæ gradibus quandoque conſtitutus, ſed irremeabili deſcenſu, & irreparabili iam caſu, verſus ima volubilitate dilapſus. Vir olim Gallica militia ſtrenuus, ſed hodie plus habens malitiæ quam militiæ: plus fraudis, quam laudis: plus eminentiæ, quam exiſtentiæ: plus feſtiuitatis quam fœcunditatis: plus verboſitatis quam veritatis. Rex vero, ſicut moris eſt (quia fama credibilior iniuriarum nuntia, quam beneficiorum fieri ſolet, & memoria diuturnior) forte delatori fidem habens: elapſa hyeme quatuor in Hiberniam legatos tranſmiſit: hos ſcilicet, Robertum Poerium, & Oſbertum de Herlotera, Gulielmum de Bendenges, & Adam de Gerneman. Quorum duo cum Reymundo iam reuocato in Angliam redirent: duo vero ibidem cum Comite moram traherent.

Regiæ apud Limericum familiæ ſubuentio.

C A P. XII.

PRÆPARATO itaque Reymundo, & nihil præter Zephyri beneficium iam

præſto-

præſtolante, ecce de familia Limiricea nuntii venerunt, indicantes Duuenaldum Tuemoniæ principem Limericum cum infinita multitudine iam cinxiſſe. Et quoniam omnia alimenta tam ibi inuenta, quam attracta, brumali tempore conſumpſerát; eis quanrocyus ſubueniendum. Comes autem cum eis ad ſuccurrendum anxius exiſteret, interpellatam ſup hoc familiam, adeo ex Reymundi abſceſſu exanimatam offendit & contriſtatam: vt ſe illuc ituros abſque Reymundo omnes vnanimiter contradicetent. Communicato igitur cum nuntiis regiis conſilio, quoniam in arcto res erat: demum ad ſupplicationem tam Comitis, quam nuntiorum Reymundus iterum verſus Limericum vexilla conuertit. Tendens itaq; Caſſiliam cum militibus 80. ſatellitibus equeſtribus 200. ſagittariis 300. præter Hibernienſes, quos ſecum adduxerat, Murchardum ſcilicet Kenceleienſem, & Duuenaldum Oſſyrienſem: audiuit Tuemonienſem, obſidione relicta, ei in paſſu Caſſilienſi obuiam veniſſe. Et locum natura difficilem confragis arborum & foſſatis plurimum exaſperaſſe. Sepem quoq; fortiſſimam ex tranſuerſo locaſſe.

Oratio Duuenaldi Oſſyrienſis.

Cap. XIII.

SEPARATO itaq; exercitu in tres turmas, & armato: cum iam prope fuiſſent, Duuenaldus Oſſyrienſium Princeps: quoniam & Tuemonienſibus inimiciſſimus extiterat, videns Anglorum cohortes quamquam perpaucas, animoſas tamen, & armis decenter ornatas; vt amplius etiam ipſas animaret: eas in hunc modum affatur: Viri, quorum victoriis ceſſit inſula, hodie viriliter aggrediamini: quod ſi ſolita ſtrenuitate victores effecti fueritis, noſtræ ſecures cum gladiis veſtris hoſtes acriter à tergo perſequentur. Sin autem victas (quod abſit) acies veſtras variata ſorte viderimus, in vos cum hoſtibus proculdubio * conuertentur. Cauete viri, cauete, procul hinc caſtrá: fuga longiſſima. Et nos victorib. ſemper adhærentes ſolum perſequimur fugientes. De nobis itaq; confidite, ſed victores.

* *forte conuertemur.*

His dictis, Meylerius, qui primæ turmæ præerat, tanquam turbo validus, cum ſuis ad paſſus ſe proripiens, ſepe deſtructa penitus ac delera: non abſque reſiſtentium clade, viam gladiis aperuit, & ampliauit. Paſſu itaq; Paſchæ vigilia tranſpenerrar, tertio Paſchali die, die videlicet Martis, ſicut primo: ſic & ſecundo: Limericum exercitus victorioſus intrauit.

Reparatis igitur illis & reformatis, quæ hoſtili obſidione turbata videbantur: non multo poſt aggreſſus eſt colloquium cum Connactienſi ſimul & Tuemonienſi principibus vno die: ſed non loco. Rotbericus vero nauigio venit in lacu magno, qui nobilem illum Synnenenſem fluuium ex ſe pariens, duo brachia per oppoſitas Inſulæ in Oceanum longe transfundit. Duuenaldus vero ex altera parte, ſed non procul inde in ſyluæ cuiuſdam limbo. Reymundus vero in medio vltra Killeloniam militaribus à Limerico quaſi ſedecim eo vſque productum eſt colloquium, vt princeps vterque datis ibidem obſidibus, fidelitatem Anglorum Regi & ſuis, de cetero inuiolabiliter exhibendam, ſacramentis corporaliter præſtitis renouauit.

His autem peractis, Limericum cum obſidibus reuerſo: ecce Deſmoniæ Princeps Dermitius Macharthi per nuntios Reymundo ſupplicat, vt ei contra filium ſuum primæuum Corniacum ſcilicet Olechan, qui ipſum iam fere à regno expulerar, tanquam homini & fideli Domini Anglorum Regis reſtitutionis auxilium miſericorditer impendat. Larga quoque tam Reymundo donaria, quam militibus ſtipendia comptomittens. Reymundus vero nec lucri, nec laudis contemptor, præhabiro cum ſuis conſilio, ſtatim victorioſa contra Corcagiam vexilla direxit. Multis itaque tam prædis in breui, quam ſtipendiis familia in partibus illis abunde refecta, & alimentorum copia Limericum abinde proſpere tranſmiſſa: Dermitius Macharthi Reymundi beneficio iam regnum integre recuperauerat: quando filius eius Kormacus ipſum ſub pacis obrentu doloſe tenuit & incarcerauit. Cui pater non longe poſt talionem reddens, & dolo dolum compenſans: ab ipſo carcere mortem eidem machinari non formidauit.

De morte Comitis Reymundo nuntiata.

Cap. XIIII.

INTEREA temporis autem, dum hæc in Deſmoniæ partibus agerentur: adeſt nuntius Reymundo à Dubliniæ partibus cum feſtinatione tranſmiſſus: literas

ei ex

Digitized by Google

ei ex parte Baſiliæ ſponſæ ſuæ deferens, ſed earundem continentiam ignorans. Lectæ ſunt igitur à familiari quodam clerico Reymundi in ſecreto literæ, quarum tenor hic erat:

Amantiſſimo Domino & ſponſo ſuo Reymundo ſua Baſilia eam quam ſibi ſalutem exoptat. Nouerit (mi chariſſime) veſtrę dilectionis ſynceritas, quod dens ille molaris & magnus, qui tantum mihi doluerat, iam cecidit. Quapropter ſi qua vobis vel mei, vel etiam veſtri de cetero cura fuerit: reditum maturare non differatis. Quibus auditis, ſtatim Reymundus per dentis caſum, Comitis mortem prudenter ſignificatam perpendit. Qui ante ipſius diſceſſum Dubliniæ graui morbo decubuerat. Sed eo iam circa Calend. Iunii humanitus extincto, mortem ipſius præ Hibernienſium timore, vſque ad Reymundi familiæ reditum ex induſtria celare modis omnibus ſatagebat. Reymundus autem Limericum ilico reuerſus, & interiorem mentis anguſtiam exteriore vultus hilaritate valde diſſimulans, paucis familiæ viris caſum aperiens, tantæ nouitatis & inopinati euentus conſilium cum diſcretioribus communicauit. Communiter itaque deliberatum eſt, & decretum tum propter Comitis mortem, tum etiam propter imminentem Reymundi in Angliam abſceſſum: vrbem tam remotam, tam infinitis hoſtibus vndique vallatam, in præſentiarum relinquendam, totamque familiam integre ad vrbes maritimas, Lagenięque caſtra tuenda, reducendã. Acquieſcens autem tandem Reymundus, quanquam inuitus, nullo prorſus maiorum inuento, qui poſt eius diſceſſum vrbi præſidere voluit: Duuenaldo Tuemonię Principi tanquam Baroni domini Anglorum Regis, vrbis cuſtodiam ſponte commiſit. De vrbis indemnitate, de vrbe ad Regis mandatum reſtituenda, & pace ſeruanda, nouis iterum obſidibus & ſacramentis multipliciter renouatis.

Exeuntes igitur, & vix vlteriore pontis capite tranſmeato, vere ex altera ſtatim parte, ponte contracto, continenter vrbem fortiter muratam, ædificiis decenter ornatam, alimentis vndique congeſtis plene refertam: quatuor ex partibus incendio datam, non abſque dolore conſpiciunt: proditore Duuenaldo, qualiter gentis ſuæ fidei de cetero fides ſit habenda, tam impudenti tamque recenti periurio, tanto tam opprobrioſo infidelitatis indicio fidem præſtante. Anglorum autem Rex ſubuentionis huius auſum audiens, reſpondiſſe memoratur: Magnus fuit auſus in aggrediendo, maior in ſubueniendo: ſed ſapientia ſolum in deſtituendo. Dubliniam igitur familia reuerſa, corpus Comitis, quod ex eius præcepto vſque ad Reymundi aduentum fuerat reſeruatum: Dubliniæ in Eccleſia Sanctæ Trinitatis in ipſo reuerendæ Crucis * proſpectu: procurante Laurentio ſedis eiuſdem Archipræſule: celebratis ſolemniter exequiis, eſt cumulatum.

* *al. conſpectu.*

De Aldelmi filio, in Hiberniam cuſtode tranſmiſſo.

Cap. XV.

HIs ita geſtis, Regii legati nouis ſuper caſibus nouo fungentes conſilio: relicto in Hibernia procuratore Reymundo, ad Anglorum Regem, primo flante Circio, in Angliam cum feſtinatione contendunt. Nouas eidem rerum mutationes ex Comitis morte nuntiantes. Quibus auditis Rex ilico Wilhelmum Aldelmi filium cum decem militibus de priuata familia in Hiberniam procuratorem tranſmiſit. Adiungens ei Iohannem de Curcy, cum aliis decem, Stephaniden quoque & Milonem Coganenſem (qui in biennali illo, & pluſquam ciuili bello: Regi tam in Angliæ quam Galliæ partibus egregie militauerant) cum viginti. Audiens autem Reymundus eos applicuiſſe: ſtatim cum militum agmine pulcherrimo in ipſis Gueſcfordiæ finibus illis ouanter occurrens: & in oſculo pacis cunctos ſuſcipiens, tam vrbes omnes & municipia, quam obſides quoque totius Hibernię Guilielmo tanquam Seneſcallo in regnum à Rege tranſmiſſo: in continenti commiſit. Videns itaque Gulielmus & inuidens, Reymundum tam pulchra iuuentute ſtipatum: Intuens quoque Meylerium & alios Reymundi nepotes, in equis pulcherrimis, clypeis aſſumptis vnius armaturę circiter 30. iuueniliter (vt moris eſt) per campana ludentes: ad ſuos ſe vertens, demiſſa voce ſuperbiam hanc, inquit, in breui comprimam, & clypeos iſtos diſpergam. Ab hac igitur hora, ſemper tam iſte, quam alii procuratores Hiberniæ cuncti, Reymundo, Meylerio, tam Mauritii filiis, quam Stephanidæ, totique generi, deſuper forte, lata ſententia, tanquam coniuratione quadam ex inuidia nocere non ceſſarunt. Hoc etenim gentis huius omen, & conditio. Semper in armata militia chari: ſemper primi: ſemper rebus in Martiis auſu nobili præſtantiſſimi. Ceſſante vero neceſſitatis,

ſtatim

ſtatim exoſi, ſtatim vltimi, ſtatim ad ima liuore depreſſi. Veruntamen tantæ generoſitatis ſyluã, liuor ad plenum extirpare non potuit. Vnde & vſque ad hodiernum diem gens hæc, nouis plantularum ſuccrementis: vites in inſula non modicas habent. Qui ſunt qui penetrant hoſtis penetralia? Giraldidæ. Qui ſunt qui patriam conſeruant? Giraldidæ. Qui ſunt quos hoſtes formidant? Giraldidæ. Qui ſunt quos liuor detractat? Giraldidæ. O ſi principem tantæ ſtrenuitatis merita digne penſantem reperiſſent: quam tranquillum, quam pacificum olim Hiberniæ ſtatum reddidiſſent? Sed horum, ſine cauſa ſemper ſuſpecta ſtrenuitas, at quibus ex fide cura committitur, abſq; ſtrenuitate ſecuritas. Viri ergo viribus inſignes, & vitæ, ſtrenuitatis amore, contemptores: ſolita virtutis incedere via, ne ceſſetis

Giraldidæ.

Apoſtrophe ad Giraldidas.

Felices facti ſi quid mea carmina poſſunt.

Virtus enim vacare non poteſt. Suum ſemper vel in præſenti vel in futuro conſequetur effectum. Quanquam igitur ſeu per ignauiam principum, ſeu per inuidiam veſtra ſit hactenus ſtrenuitas irremunerata: ſtyli noſtri tamen diligentia non tranſibit illaudata. Gaudeat ergo iuuentus, & ampliori deſiderio de die in diem virtutis amore deſudet: quippe cuius memoria nec præterire, nec perire: quinimo terris & theſauris precioſiore perpetuo floret laudis honore celebrata.

Circa hæc tempora & parum ante viſus eſt apud Guykingelo vir prodigioſus: In vacca quippe, vitio gentis illius à viro progenitus bouinas, in humano corpore præferens extremitates. Sicut Topographia noſtra deſcribit.

Igitur Aldelmi filio maritimas vrbes luſtrante, interiora vero montana, & penitimas terræ partes à longe reſpiciente, aurum quoque, quo abundat inſula ſitibunda libidine congregante: Mauritius Giraldi filius, vir modeſtus, vir prudens ac ſtrenuus, apud Gueſefordiam non ſine magno ſuorum mœrore, circa Calend. Septemb. occubuit: alium in Hibernia poſt ſe conſtantia & fide firmiorem, vel ſtrenuitate præſtantiorem non relinquens. Wilhelmus vero, ſuper caſtello Guikingelonenſi Mauritii filios illico co[illegible]eniens, & circumueniẽs: non ceſſauit, donec illud à manibus ipſorum fraudulenter eripuit. Quibus tamen non longe poſt Fernas quoq; quaſi in excambium dedit, vbi & caſtrum cõtinuo, quanquam inter hoſtes medios ab animoſa iuuenture conſtructũ, Gualterus Alemannus nuncupatione, nõ natura, non ſtatura: Guilielmi nepos & ſub eodem Gueſefordiæ cuſtos, ab auunculi moribus non degenerãs. Et quoniam *Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum,*

Cuncta premit, dum cuncta timet, deſæuit in omnes,
Vt ſe poſſe putent: nec belua tetrior vlla eſt,
Quam ſerui rabies in libera colla furentis.

Murchardi Kenceleiæ principis auro corruptus, doloſe deſtrui procurauit & deleri. Reymundo vero terras, quas in valle Dubliniæ, & ſecus Weſefordiam habuerat: ſtatim Guillelmus ſubtraxit. Mandatum quoque Domini Anglorum Regis ſuper Ophelaniæ Cantaredo Stephanidæ reſtituendo, auro delinitus, effectui non mancipauit. Denique viris egregiis, aſpera ſolum & remota, hoſtibuſque vicina tantum & periculoſa reliquit.

Aldelmi filii deſcriptio.

CAP. XVI.

ERAT autem Aldelmi filius vir corpulentus, tam ſtaturæ quam facturæ, inter parum mediocribus maiores ſatis idoneæ: vir depſilis & curialis. Sed quicquid honoris cuiquam impendit, ſemper in inſidiis, ſemper in dolo, ſemper propinans ſub melle venenum, ſemper latens anguis in herba. Vir in facie liberalis & lenis, intus vero plus aloes quam mellis habens. Semper

Pelliculam veterem retinens, vir fronte politus,
Aſtutam vapido portans ſub pectore vulpem. Semper
Impia ſub dulci melle venena ferens.

Molliti ſermones eius ſuper oleum: ſed ipſi ſunt iacula. Cuius hodie venerator, cras eiuſdem ſpoliator exiſtens, vel delator. Imbellium debellator, rebellium blanditor: Indomitis domitus, domitis indomitus, hoſti ſuauiſſimus, ſubdito grauiſſimus: nec illi formidabilis, nec iſti fidelis. Vir doloſus, blandus, meticuloſus, vir vino Veneriq; datus. Et quanquam auri cupidus, & curialiter ambitioſus: non minus tamen curiam diligens, quam curam.

Vltoniæ inuaſio.

VIDENS autem Iohannes à Curcy ab Aldelmi filio cuncta cupide, cuncta timide, cuncta doloſe tractari: nec ipſum vel ſubditis fidelem, vel hoſtibus formidabilem conſiderans. De Dublinienſium familia, ſtipendiorum defectu grauiter * exinanita, & Ducis ignauia: prædis hoſtium (vt aſſolet) minime refecta paucos ſibi alliciens, ſed probos, ſed ſtrenuos, ſed electos, cum militibus viginti duobus, & aliis quaſi 300. Vltoniam, armis Anglorum hactenus incognitam, miles animoſus audacter aggreditur.

* *exanimata.*

Tunc impletum eſſe videtur illud Merlini Calidonii dictum, vt dici ſolet (quia nihil de Merlinorum dictis aſſerimus) Miles albus, albo reſidens equo, aues in clypeo gerens, Vltoniam hoſtili inuaſione primus intrabit. Erat enim Ioannes pluſquam flauus, & in albedinem plurimum vergens: album forte tunc equum equitans, & pictas in clypeo auiculas præferens. Trium itaq; dierum per mediam terram Vzielenſem, emerſo itinere, 4. die mane Dunenſem ciuitatem citra defenſionis obſtaculum, circa Cal. Febr. hoſpes & hoſtis inopinatus intrauit: Rege Dunleuo tam ſubiti caſus euentu ſtatim in fugam conuerſo. Itaq; familia inops, & famelica alimentorum copia, prædis quoque ac ſpoliis, affatim iam refecta.

Viuianus Romanæ ſedis legatus, à Scotiæ partibus in Hiberniam tunc forte nauigio tranſuectus, & eadem in vrbe tunc repertus. Qui de pace inter Regem & Iohannem formanda, de tributo quoque Anglis annuatim ſoluendo (dum tamen à finibus illis exire, & ad ſua reuerti voluerint) multa quidem verba ſuaſoria nec perſuaſoria proponebat. Videns autem Dunleuus ſe verbis minime profecturum, corrogatis vndiq; viribus cum 10. bellatorum milibus infra 8. dies hoſtes in vrbe viriliter inuadit. In hac etenim inſula ſicut & in omni natione, gens borealis magis bellica ſemper & truculenta reperitur. Nam, vt ait Poeta:

Omnis in Arctois ſanguis quicunq; pruinis
Naſcitur, indomitus bellis, & mortis amator.

Proſpiciens itaq; Ioannes hoſtiles acies acriter ad vrbē accedere: quanquā manu modica, tamen perualida, potius obuiā exire, & viribus dimicando, belli fata tentare, quam exili municipio, q; in vrbis angulo tenuiter erexerat, diutius ab hoſte claudi, & fame confici longe prælegit. Igitur atroci bello conſerto, in primo eminus ſagittarum iaculorumq; grandine perfuſo. Deinde cominus lanceæ lanceis, ſecuribus enſes confligētes: ad tartara multos vtrinq; tranſmittunt. Dum igitur acerrimo Martis conflictu, *Iam clypeo clypeus, vmbone repellitur vmbo: Enſe minax enſis, pede pes, & cuſpide cuſpis:* qui gladii Ioannis ictus hic cerneret, qualiter nunc caput ab humeris, nunc armos à corpore, nunc brachia ſeparabat, viri bellatoris vires digne poſſit commendare. Multis igitur in hoc conflictu ſe ſtrenue gerentibus: Roger. tamē Poerius adoleſcens imberbis & flauus, pulcher & procerus (qui poſtmodum in Lechliniæ & Oſſytiæ partibus emicuit) ſecundā nō immerito laudē obtinuit. Poſt graues itaq; diuq; ambiguos, nimis impari certamine belliq; cōgreſſus, tandē Ioannis virtuti ceſſit victoria: hoſtiū multitudine magna p̄ marinā gliſin, quo transfugerāt, interempta. Tunc impletū eſt, vt dicitur illud Hibernici Columbæ vaticiniū: qui bellū iſtud longe præcinens, tantā in eo futurā, inquit, ciuiū ſtragē, vt hoſtes ad genua eorundē fuſo cruore natarent. Pręgliſis namq; mollicie, dum ad ima penetraret humana ponderoſitas, terræ lubricæ ſanguis profluus ſuperficiem tenens, genua cruraque de facili pertingebat. Scribit etiam idem vates, vt fertur, quendam pauperē & mendicū, & quaſi de aliis terris fugacē, cum parua manu Dunam venturum; & citra maioris autoritatem vrbem obtenturū. Bella quoq; plurima, varioſq; rerū euentus: quæ omnia de Ioanne de Curcy ſunt manifeſte completa. Ipſe vero Ioan. librū hunc propheticū Hibernice ſcriptum tanquā operum ſuorū ſpeculū p̄ manib. dicitur habuiſſe. Legitur quoq; in eodē lib. Iuuenē quendam cum armata manu Guaterfordię muros violenter irrupturum, & cum magna ciuium ſtrage vrbem obtenturum. Eundem quoq; per Gueſefordiam tranſiturum, & demum abſq; difficultate Dubliniam intraturum. Quæ omnia de Comite Richardo cōſtat eſſe completa. Vrbem quoq; Limericenſem, ab Anglorum gente bis deſerendam, & tertio retinendam Sanctus ille teſtatur. Sed deſerta quidem iam bis videtur. Primo, vt dictū eſt, à Reymundo: ſecundo à Philippo, ſup. c. 18. de Breuſa: qui cum ad vrbem ſibi datam, aqua tamen interlabente veniret: citra conatus omnes, & inſultus eandem reuertendo deſeruit: ſicut plenius ſuo loco dicetur. Vnde iuxta idem vaticinium: vrbs tertio petita, erit retinenda, vel potius longe poſt ſub Ham-

mone de Valoignes Iuſtitiario fraudulenter deſtructa, & per Meylerium reſtaurata recuperataque.

In duobus itaque magnis prælijs Iohannes apud Dunam victor * enituit. In primo poſt purificationem. In ſecundo circa Calendas Iulii, in natiuitate Sancti Iohannis, vir de quindecim virorum * militibus victoriam obtinuit cum pauciſſimis, hoſtium extincta multitudine. Tertiũ erat apud Ferly in prædæ captione, vbi ob arctum viæ tranſitum, poſt graues tandem congreſſus & anxios: ſic pars Iohannis victa ſuccubuit, aliis interemptis, aliis per nemora diſperſis, vt vix Iohanni 11. milites ſuperſtites adhæſiſſent. Ipſe vero virtutis inuictæ, cum tantilla ſuorum paucitate per 30. miliaria ſe ab hoſtili multitudine continue defendendo, equis amiſſis omnib. vſq; ad caſtrum ſuum duobus diebus & noctibus, ieiuni, armati, pedites, miro conatu, memoriaq; digniſſimo, euaſerunt. Quartum apud Vriel viri multi quoq; ſuorum interempti, & alii in fugam conuerſi. Quintum apud Pontem Iuori in reditu ab Anglia: vnde tamen ad ſua victor euaſit. In tribus itaque victoriam adeptus. In duobus Martii certaminis * vires expertus: & aleam fortunæ: longe tamen hoſti plus damni quidem læſus intulit, quam ſuſtinuit.

* emicuit.
* militibus.
* vices.

Deſcriptio Iohannis de Curcy.

Cap. XVII.

ERAT itaque Iohannes vir albus & procerus, membris neruoſis & oſſoſis, ſtaturæ grandis, & corpore perualido, viribus immẽſis, audaciæ ſingularis, vir fortis & bellator ab adoleſcentia. Semper in acie primus, ſemper grauioris periculi pondus arripiens. Adeo belli cupidus & ardens, vt militi dux præfectus, ducali plerunque deſerta conſtantia Ducem exuens, & militem induens, inter primos impetuoſus & præceps: turma vacillante ſuorum, nimia vincendi cupiditate victoriam amiſiſſe videretur. Et quanquam in armis immoderatus, & plus militis quam Ducis habens, inermis tamen modeſtus, ac ſobrius, & Eccleſiæ Chriſti debitam reuerentiam præſtans, diuino cultui per omnia deditus: Gratiæque ſupernæ, quoties ei ſucceſſerat, cum gratiarum actione totum aſcribens, Deoq; dans gloriam, quoties aliquod fecerat glorioſum. Sed quoniam, vt ait Tullius, Nihil ſimplici in genere, omni ex parte perfectum natura expoliuit: nimiæ parcitatis & inconſtantiæ næui, niueum tantæ laudis nitorem denigrauerant. Regis itaque Manniæ Gorredi filia ſibi legitime copulata, poſt varia belli diuturni prœlia: & graues vtrinque conflictus, tandem in arce victoriæ plane conſtitutus, Vltoniam vndique locis idoneis incaſtellauit. & nuſquam (non abſque) labore plurimo, & inedia, multiſque periculis, pace firmiſſima ſtabiliuit. Hoc autem mihi notabile videtur: quod grandes hi quatuor Hibernicæ expugnationis poſtes, Stephanides, Herueius, Reymundus, & Iohannes de Curcy (occulto quidem Dei iudicio, ſed nunquam iniuſto) legitimam ex ſponſis prolem ſuſcipere non meruerunt. Quintum autem his Meylerium adiunxerim, qui legitimam vſque hodie de ſponſa prolem non ſuſcepit. Sed hæc de Iohanne Curcy ſummatim, & quaſi ſub epilogo commemorantes, grandiaq; eiuſdem geſta, ſuis explicanda ſcriptoribus relinquentes, Dubliniam de cetero * reuertar.

* al reuertamur.

Dublinienſe concilium: Viuiano præſidente.

INTEREA Viuianus legationis vice per Hiberniam fungens: conuocato Dubliniæ Epiſcoporum ſynodo, ius Anglorum Regis in Hiberniam, & ſummi Pont. confirmationem, viua voce publice proteſtatur: tam clero quam populo ſub anathematis interminatione diſtricte præcipiens, & iniungens, ne ab eius aliquatenus fidelitate auſu temerario reſilire præſumant. Et quoniam conſuetudinis erat, vt ab Hibernicis ad Eccleſiarum refugia victualia transferrentur: Anglicanæ familiæ licentiam dedit, vt quoties in expeditionem profectis, aliunde alimenta non obuenerint: in Eccleſiis reperta (iuſtæ taxationis Eccleſiarum cuſtodibus ſoluto pretio) extrahantur. His ita geſtis, Milo Coganenſis ſub Aldelmi filio Dublinienſ. familiæ conſtabularius, & vrbis iterum cuſtos effectus: cum militibus 40. (quorum 20. iuuenis egregius Radulphus ſc. Stephanidæ filius præfectus fuerat) cum ſatellitibus quoq; equeſtribus 200. & ſagittariis 300. aquam Sinnenenſem tranſeuntes, Connactiam ab Anglis hactenus non petitam, viriliter inuadunt. Connactenſes vero vrbibus vndiq; & villis igne proprio combuſtis, alimentis quoq; cunctis (quæ hypogeis ſubterraneis abſcondere non poterant) ſimul cum Eccleſiis igne conſumptis, in noſtræ gentis iniuriam, & diuinæ vindictæ prouocationem, cruces & imagines Sanctorum ad terram depo-

nentes, in hoſtiũ proſpectũ per campeſtria proiecerunt. Anglicana vero famillia cum Tucmoniã metropolin iam peruenisſet, & 8. dierũ morã in hoſtili terra feciſſet: terram alimentis vacuã inueniens, ad aquã Sinnenenſem reuerſa eſt. Rothericũ vero Conactiæ principẽ cum 3. exercitibus magnis in ſylua quadam prope Sinnenum obuiũ habens,* inito graui vtrinq; conflictu, demum tribus tantum ſatellitibus equeſtribus amiſſis, & interemptis hoſtium multis, Dubliniam indemnis euaſit.

al. habito.

Aldelmi filii reuocatio, & Hugonis de Lacy præfectio.

Cap. XVIII.

REVOCATO interim in Angliam Aldelmi filio (qui nihil egregium in Hibernia geſſit, præter hoc ſolum, quod baculum virtuoſiſſimum, quem baculum Ieſu vocant, ab Armacha Dubliniam transferri procurauit) & tam Milone quoq; Coganenſi quam Stephanide: Rex Henricus Hugonem de Lacy generalẽ Hiberniæ procuratorem cõſtituit: Robertum Poerium illi Guaterfordiæ ſimul & Gueſefordiæ cuſtodem adiungens. Stephanidæ quoq; & Miloni Momoniam tunc auſtralem, Corcagiæ videlicet regnum ab occidentali Liſmoriæ inter ipſos ex æquo diuidẽdum, præter vrbem Corcagienſem, cum Cantaredo ei adiacente in feodum donauit. Philippo quoq; de Breuſa Momoniam Borealem Limericenſe videlicet regnum integre, præter vrbem ipſam, cum ſuo Cantaredo, regia contulit munificentia. Tranſeuntes igitur in Hiberniam menſe Nouemb. cum triplici familia tres viri confeodati ſimul & confœderati, per maritimam auſtralis Hiberniæ viam, primo Guaterfordiam, deinde Liſmoriam, deinde vero Corcagiam, à ciuibus & milite quodam Richardo ſc. Londonienſi tunc ibi ſub Aldelmi filio cuſtodiam agente, cum honore recepti, indemnes peruenunt. Pacificatis itaq; continuo tam Dermitio Deſmoniæ principe, quam aliis quoq; partis illius viris præpotentibus Stephanides & Milo 7. Cantaredos vrbi ꝓpinquiores, quos vtiq; maiori in pace tunc poſſidebant, inter ſe diuiſerunt. Stephanidæ tribus ab Oriente, Miloni vero quatuor ab Occidente, ſorte obuenientibus, hinc paucis quia potioribus: illinc pluribus, quia deterioribus, in diuiſione conſtitutis: vrbis exiſtente communi cuſtodia, & aliorum Cantaredorum 24. (qui reſtabant) tributo, cum venerit, inter ipſos æqualiter diuidẽdo. Dicitur autem Cantaredus, tam Hibernica quam Britannica (ſicut Topographia deſcribit) tanta terræ portio, quanta 100. villas continere ſolet. His ita geſtis Philippum de Breuſa Limericum conducunt. Habebat autem Stephanides milites ſecum 30. & ſatellites equeſtres 40. Milo vero milites 20. & ſatellites equeſtres 50. Philippus milites 20. & ſatellites equeſtres 60. præter ſagittarios pedeſtres multos: cuilibet trium agminum aſſociatos. Venientibus igitur illis ad vrbem, ſolum Sinnenenſi interlabente fluuio, quaſi 40. miliaribus à Corcagia diſtantem, & offerentibus ſtatim Stephanida & Milone ſe aquam tranſire, & vrbem aggredi velle (quanquam ſpontaneo ciuium igne præ oculis iam combuſtam cõſpexiſſent) vel ſi mallet ex oppoſita parte ſuper eundem amnem Philippo caſtrum metãdo conſtruere: Philippus, quanquam in ſe miles animoſus & audax: puſillanimi tamen ſuorum conſilio potius indemnis ad ſua reuerti, quam in terra tam hoſtili tamq; remota fortunæ tentare pericula, prælegit. Nec mirũ quoq;, ſi in hac illi expeditione ſiniſtre contigerit: qui tot auſtralis Cambriæ, finiumq; illorum Marchiæ ſibi viros homicidas ſeditioſos ac flagitioſos, eoſque præ aliis electos, aſſociauerat. Nec longe poſt: Mereducius Stephanidæ filius, adoleſcens indolis egregiæ, & ſtrenuitatis eximiæ, Corcagienſi in vrbe, cum magno ſuorum mœrore, menſe Martio, Martis alumnus, occubuit. Circa id temporis apud Guaterfordiam vacca reperta fuit, cum multa gentis illius admiratione, ſicut Topographia teſtatur.

Interea ſedit Romæ famoſum illud Lateranenſe concilium: præſidente* Alexandro 3. Alemannorum Eccleſia ad vnitatem reuerſa, vicennali ſchiſmate iam ceſſante, & tribus Antipapis diuinitus extinctis.

* al. Innocentio 3. an. 1215. videlicet 4. conſil. Lat.

Circa triennium quoq; temporis eiuſdem tres ſolis eclipſes contigerunt. Non generales tamẽ, ſed partiales. Cum itaq; Stephanides & Milo Deſmoniæ regnũ quinquennali ſpacio iam ſimul pacifice gubernaſſent (ducum ipſorum modeſtia iuueniles impetus vtrinque cohibente) Milo Miloniſque gener nuper effectus, Radulphus ſcilicet Stephanidæ filius, iuuenis egregius, verſus Liſmoriæ partes profecti: cũ in campis ſedentes colloquium cum Waterfordienſibus expectaſſent: à proditore Machtyro, qui eos ea nocte hoſpitari debuerat, cum aliis quinque militibus improuiſis a tergo ſecurium ictibus ſunt interempti.

Cuius

Cuius occaſione caſus, ſic ilico patria tota perturbari cæpit: vt Dermitius Macharthi, & omnes fere terræ totius illius Hibernici, vna cum Machtyro ſe ab Anglorum fidelitate retrahentes, contra Stephaniden, fortunæ vires toties expertum, inſurrexiſſent. Nec vnquam poſtea, donec Reymundus in hereditatem patruo Stephanidæ ſuccedens, vrbis cuſtodiam ſolus obtinuit, nec tunc plene priſtinam pacem recuperauit. Sicut ergo Borealis Hiberniæ bellica: ſic ſemper Auſtralis gens ſubdola. Illa laudis, hæc fraudis cupida: Illa Martis, hæc artis ope confiſa: Illa viribus nititur, hæc verſutiis: Illa prœliis, hæc proditionibus: Iuxta illud Poetæ:

Omnis in Arctous ſanguis quicunque pruinis
Naſcitur, indomitus bellis, & Martis amator. Vt ſupra. & ſubſequenter:
Quicquid ad Eoos tractus, cœliq; teporem
Inugitur, emollit animos clementia cæli.

Reymundi reditus in Hiberniam.

AVDIENS autem Reymundus Stephaniden, auerſa fortunæ facie, deſperanter afflictum, & in vrbe Corcagienſi hoſtium cuneis vndiq; circumſeptum: cum militibus 20. & ſagittariis ſimul & ſatellitibus equeſtribus 100. in Weſefordiæ portu ſe mari cõmittens, & terram à dextris lateraliter ambiens, Corcagiam ocyus ſociis ſuis ſolatium, hoſtibus exitium nauigando peruenit. Variis itaq; conflictibus pars hoſtium interempta, pars à finibus expulſa, pars vero potior ad pacem reuocata, tam tempeſtuoſa ſortis aduerſæ procella in breui ſedata, cõquieuit. Nec mora, ecce Rich. Coganenſis Milonis frater, & à fraterna ſtrenuitate non degenerans: cum electa cohorte in fratris locũ ab Anglorũ rege tranſmiſſus, aduenit. Elapſa vero hyemis parte maiore, vir probus ac prudens, Philippus Barrenſis Stephanidæ nepos, tam ad auunculi ſubuentionẽ, q̃ terræ ſuæ, ſc. Olethan ſibi à Stephanide collatæ, & à Stephanidæ filio Radulpho poſtmodum iniurioſe ſublatæ tuitionem: cum valida virorũ manu, in fine Febr. transfretauit. Venit eodem nauigio & alius Stephanidæ nepos, Philippiq; frater, tam auunculum quam fratrem plurimum conſilio iuuans, & tam inſulæ ſitum & naturam quam primæuã gentis originẽ diligenter explorans. Literato quippe vir præditus ſtudio, cuiuſq; nomen p̃ſentis libelli titulus tenet. Circa hoc tempus idem Herueius de monte Mauriſco, nobili Cantuarienſi S. Trinitatis cœnobio ſe reddens (cui & Eccleſias terræ ſuæ maritimæ, Guaterfordiam ſc. Gueſefordiam interiacentis, in eleemoſynam ante donauerat) monaſticam vitam elegit. Qui vtinam ſicut habitum, ſic & animum: ſicut militiam ſic & malitiam depoſuiſſet.

Hibernia ſub Hugone de Lacy incaſtellatio.

CAP. XIX.

INTERIM autem, dum hæc in Deſmoniæ partibus geruntur: Hugo de Lacy, puta vir probitate pollens, & prudentia: tam Lageniam quam Mediam caſtellis egregie communiuit. Inter quæ ſuper nobilem Berue fluuium, à latere Oſſyriæ trans Odronam, in loco natura munito, Lechliniæ caſtrum erexit. A quo Robertus Poerius (cui regio mandato iniunctum id fuerat) ante defecerat. O quales, quantique Marchiones Robertus hic Poerius, & Aldelmi filius, in terram tranſmiſſi viris indigentem?

Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.

Erant quippe milites, quibus iucundius erat
——iacuiſſe thoro, tenuiſſe puellam,
Threiciam digitis increpuiſſe lyram:
Quam clypeos humeris, & acuta cuſpidis haſtam,
Et galeam preſſa ſuſtinuiſſe coma.

Mirum itaq; tam nobilem, tam ſtrennum Principẽ: tam ignobiles, tam ſtrenuitate carentes: longinquis marchiis ex conſuetudine præfeciſſe. Hugo vero de Lacy ſumma ſolicitudine victos ab aliis & violenter à finibus eiectos, ad pacem reuocans, eiſdem olim deſerta, tam armentis paſcua, quam ruricolis rura reſtituit. Allectos igitur tam manſuetudine, quam ſtabili conuentione deliniens, dèmum municipiis incluſos & paulatim edomitos legibus obtemperare & ſeruire coegit. Sic autem effectum eſt, vt deſtructa à prioribus & deformata, in formam reduxerit: & vnde alii laborem, hic primo fructum efficaciter elicuit.

Digitized by Google

Denique tanta terrarum in breui pace ſtabiliuit, tam ampla manu alios opprimendo ſuos vbique ditauit: tanta liberalitare populum Hibernicum alliciens, & familiaritate nimia demulcens, ſibi maiores in populo confœderauir, vt qui regni dominium, coronam ſimul & ſceptrum, fidelitare poſtpoſita, ſibi vſurpare voluerit: valde ſuſpectus haberetur.

Deſcriptio Hugonis de Lacy.

Cap. XX.

SI viri colorem, ſi vultum quæris, niger, nigris ocellis & defoſſis: naribus ſimis, facie à dextris igne caſuali, menro tenus turpiter aduſta. Collo contracto, corpore piloſo, pariter & neruoſo. Si ſtaturam quæris, exiguus. Si facturam, deformis. Si mores: firmus ac ſtabilis, & Gallica ſobrietate temperatus. Negotiis familiaribus plurimum intentus. Commiſſo quoque regimini, rebuſque gerendis in commune vigilantiſſimus. Et quanquam miliraribus negotiis plurimum inſtructus, crebris tamen expeditionum iacturis, Ducis officio non fortunatus: poſt vxoris mortem vir vxorius, & non vnius tantum, ſed plurimatum libidini datus: vir auri cupidus & auarus, propriique honoris & excellentiæ, trans modeſtiam ambitioſus. Floruir hoc tempore, ſttenuitatis opera in Lageniæ partibus Robertus Henrici filius, & Meylerii frater. Floruit quidem, & floris more intempeſtiuæ bruma mortis emarcuit. Floruit Mauritii filius vterque, tam Alexander quam Giraldus, vir quanquam ſtarura puſillus: prudentia tamen & probitate non modicus. Floruit & Rogerus Poerius, Lechlinenſi familiæ ſub Hugone præfectus. Floruit Gulielmus apud Guaterfordiam: Floruit Robertus Barrenſis iunior Philippi filius, tam Lageniæ finibus, quam Deſmoniæ. Floruir quoque Reymundus vterque tam * Kantitunenſis ſc. quam Hugonides. Temporibus iſtis duo illa miracula magna, quæ Topographia noſtra deſcribit: in media apud Foucrum contigerunt. De muliere videlicet à ſagittario in molendino ſancti Phechini rapta, & auena ſurrepta.

* Cantuarienſis.

Aduentus Iohannis Conſtabularii, & Richardi de Pec.

Cap. XXI.

HIs ita ſe habentibus, & prænotatæ ſuſpicionis fama crebreſcente, aduenerunt in inſulam circa Cal. Maii, collegæ duo, Iohannes ſcil. Conſtabularius Ceſtrenſis, & Rich. de Pec, ad curam regiminis, Hugone reuocato, ſuſcipiendam: ab Anglorũ rege tranſmiſſi. Sed antequam Hugo diſcederet, communi conſilio caſtra per Lageniam plurima conſtruxerunt: Hactenus enim Media plurimum: Lagenia parum fuerat incaſtellata. Erectum eſt igitur & apud Fortherer Onolan primo caſtrum Reymundo, & aliud fratri eiuſdem Griffino. Tertium in Omurethi Gualtero de Ridenesfordia apud Triſterdermor. Quarrum Iohanni de Clahulla ſuper aquam Beruæ nõ procul à Lechlinia. Quintum Iohanni Herefordẽſi apud Zyllacht. Meylerio vero Kildariam ſibi à Comite datam, cum adiacente territorio ſubtrahentes: prouinciam de Leis ex parte regis, tanquam in excambium contulerunt: terram quidem hoſtilem, aſperam & ſylueſtrem remotam, ex induſtria vero Marchioni & Martis alumno Marchiam aſſignantes.

De Hugone de Lacy iterum cuſtode tranſmiſſo.

Cap. XXII.

HIs igitur in inſula æſtate pattatis, hyeme ſequente (Iohanne & Richardo in Angliam reuocatis) reſumpta ſecuritate iterum Hugoni cura cõmittitur. Adiuncto eidem clerico quodam Roberto videlicer Salopeſburienſi, qui Regis ex parte coadiutor ei & conſiliatius, operumque ſuorum teſtis exiſteret. Hugo vero de Lacy in hoc aduentu plurima caſtra conſtruxit. Inter quæ Meylerio caſtellum in prouincia de Leis erexit, apud Tahmelio, cui & neptem ſuam tunc dedit vxorem. Caſtellum quoque Roberto de Bigarz: ibi prope, ſcilicet apud Obowy. Caſtellum Thomæ Flandrenſi, non procul ab hoc in vlteriore videlicet Omurethi parte Beruenſis fluminis interlabentibus vndis. Caſtellum Roberto filio Richardi, apud Nortach. In Media vero caſtellum de Clunart, caſtellum de Kyllain, caſtellum Adæ de Ricepor: caſtellum Gilleberto de * Nungent, & alia multa, quæ ſingula per ordinem enumerare longum eſſet.

* Nugent.

Circa dies iſtos in ſylua Merlenſi tam ſtupenda lupi cum ſacerdote cõfabulatio. Sicut in Topographia Iuculenta narratione * depromitur. Mulra nimirum, vt air Hiero-

* exprimitur.

Hietonymus, in ſcripturis incredibilia reperies, & non veriſimilia: quæ nihilo minus tamen vera ſunt. Nihil enim contra naturæ Dominum prę valet natura. Nec deteſtari debet ſed admirari, ſed venerari, creatoris opera, quæuis creatura. Nec lōge poſt Anglorum Rex Iunior Henricus Henrici Regis filius, prauorum cōſiliis (proh dolor) in patrem iterum cæpit inſurgere. Prępotentes Pictauiæ proceres cum electa gallicæ militiæ iuuentute: nec non & fratrem ſuum Armoricæ Brytannię Comitem Gaulfridum, mali totius incentorem, complices habens & fautores: Nec mora, diuina, vt creditur, tantæ ingratitudinis vltione apud Marſiliam circa cal. Iunii, non ſine magno exercitus vtriuſque dolore, vir inuicta virtute, cætera vincens: tandem prę maturæ mortis, victus morte ſuccubuit. Paucis vero poſt annis elapſis: Comes quoque Gaufridus, miles egregius, & eloquens, tam Vliſſis hæres, quam Achillis, à parte & in patrem iam tertio recedens deſuper vltrice lata ſententia: Pariſius circa cal. Auguſti: rebus humanis exemptus eſt.

Laurentii Dublinenſis Archiepiſcopi apud Augum deceſſio & Ioannis Cymini ſucceſſio.

CAP. XXIII.

INTEREA Laurentius Dublinienſis Archiepiſcopus: vir bonus & iuſtus: ob priuilegia in Lateranenſi conſilio (cui interetat) contra Regiæ dignitatis honorem, zelo ſuæ gentis, vt ferebatur, impetrata, Anglorum Regi ſuſpectus: & ob hoc tam in Anglicanis, quam tranſmarinis Galliæ partibus diu detentus: tādem apud Augum Normanniæ caſtrum 18. cal. Decemb. laborioſum viæ & vitæ iſtius curſum, fœlici fine compleuit. De quo inter varia miracula, quibus in hoc ſuo ſancto, ſe mirabilem vſque in hodiernum Deus oſtendit: & hoc in partibus illis primum * enituit: quod in Abbatis villa, vir Sanctus, lætali morbo correptus, contra ſuorum monita, quieſcere recuſauerat, dicens locum ſuum ibi nō eſſe: Et trāſiens inde verſus Augenſe caſtrum, quam cito in Eccleſiam Sanctæ Mariæ oculos iniecit: audiens Beatæ virginis baſilicam eſſe: verſum hunc propheticum, prophetice depromens, ait. Hęc requies mea, in ſeculum ſeculorum: hic habitabo, quoniam elegi eam. Qui eodem in caſtro infra dies paucos rebus humanis exemptus, & in maiori Eccleſia debitis exequiis eſt tumulatus, & à domino quoque, qui lucernam ſuam abſcondi non ſinit: multis ilico ſignis, & virtutibus declaratus. Succeſſit eidem Ioannes agnomine Cyminus, vir Anglicus natione: & in Anglia apud Eueshum à clero Dublinenſi regia procurante induſtria: conſone ſatis & concorditer electus: & à Romano Pontifice Lucio apud Velletrium presbyter cardinalis ordinatus & conſecratus: *literatæ vir eloquentiæ, qui iuſtitiæ zelo debitoque adeptæ dignitatis officio: Eccleſiæ Hibernicæ ſtatum egregie ſublimaſſet: niſi ſemper gladius gladio, ſacerdotium regno, virtus inuidia reprimeretur. Sicut enim caro aduerſus ſpiritum: ſic carnales aduerſus ſpirituales. Sic Cæſaris miniſtri, aduerſus Chriſti milites indeſinente malitia militare contendunt.

* emicuit.

Ioannis Dublinenſis Epiſcopi in Hiberniam aduentus.

CAP. XXIV.

ANGLORVM itaque Rex quod olim mente conceperat, totum Hiberniæ dominium in Iuniorem filium Ioannem nomine cum effectu transferre procurans: qui cuncta quoque terræ illius homagia patris aſſenſu dudum ſuſceperat: Ioannem Dublinenſem Archiepiſcopum circa cal. Aug. tanquam aduentus filii ſui prę curſorem, in Hiberniam tranſmiſit. Nec mora, reuocato Hugone de Lacy, Philippus Wigornienſis vir militaris, dapſilis, & liberalis: circa cal. Septemb. cum militibus 40. procurator, eſt in Inſulam tranſmiſſus. Inter ipſa igitur operum ſuorum initialia, terras, quas, Hugo de Lacy alienauerat, terram videlic. Ocatheſi & alias quam plures ad Regiam menſam cum omni ſollicitudine reuocauit. Elapſa vero hyeme conuocato exercitu magno circa cal. Martii Armatiam profectus, ſacro quadrageſimali tempore, à ſacro clero auri tributum execrabile tam exigens quam extorquens, cum ſuis per vrbem * Luuedenſem Dubliniam indemnis eſt reuerſus. In hac expeditione duo miracula contigerunt, primum apud Ardmachiam, de paſſione, quam vrbem ingreſſus ſuſtinuit: ſecundum apud * Luuedum ſuper incendio & cacabo Ardmachienſi clero ab Hugone Tyrello ſublato: ſicut in Topographia declaratur. cap. 50, 2. diſtinct.

* Dunenſem

* Dunum

Heraclii Patriarchæ in Angliam aduentus.

Cap. XXV.

DVM hæc in Hibernia geruntur, aduenit in Angliam circa Cal. Febr. menſo itinere longo, ab Oriente in Occidentem vergens, vir venerabilis Patriarcha Hieroſolymitanus: cui nomen Heraclius. Qui claues vrbis ſacræ, ſacrique ſepulchri Dominici, cum Regio vexillo Martioque ſigno, ex parte primorum Terræ Paleſtinæ tam fratrum ſcilicet militiæ Templi, quam hoſpitalis: nec non & totius tam cleri quam populi vnanimi voto & acclamatione: Anglorum Regi Henrico ſecundo, ſupplicans in lachrymis, & ad Regia genua prouolutus, humiliter deplorans, quatenus ad terræ ſanctæ ab hoſtibus fidei iam deſperanter afflictæ, ſpecialemque patrimonii Chriſti Ieſu ſubuentionem, miſericorditer moueatur. Alioquin aſſerens (quod infra biennium poſt euenit,) &, mente plærunque malorum pręſaga, firmiter aſſeuerans, regnum vniuerſum in Saracenorum & Saladini, tam Ægyptiorum quam Damaſcenorum tunc principis, manus ſacrilegas in breui deuoluendum. O quanta tam Regis quam Regni gloria, quod prætermiſſis & pręteritis tam Imperatoribus, quam terrarum Regibus & principibus cunctis (tanquam in mundi medio non fuerit locus huic remedio) in hunc finalem orbis Angulum & quaſi ſecretis quibuſdam Oceani ſeceſſibus orbem alterum, ad tantæ ſubuentionis auxilia requirenda peruenitur! O quanta, & quam incomparabilis in terris Regis gloria, nec terrena ſolum ſed perpetua: ſi ſtatim omiſſis negotiis cunctis, regniſque relictis & rebus vniuerſis: ad tantã Chriſti vocationem, Chriſti diſcipulus, tollens crucem ſuam, Chriſtum fuiſſet, omni poſthabita dilatione, ſequutus, à quo tam regni ſceptrum, & quod maius eſt regno, tam glorioſam regni regendi gratiã ſuſcepit in terris: illi regni ſui terreni in hac neceſſitatis vmbra iura conſeruans regnum ob hoc celeſte ſuſcepturus! O ſi tanti Regis patrimonium in hac neceſſitatis vmbra, in hac deuotionis experientia tueri, pro poſſe, curaret in terris: de ſuo quam turus vrgente neceſſitatis articulo fieri poſſet, tanto patrono tantoque tutore digne munitus.

Regis Patriarchæ facta reſponſio, & quaſi Prophetica Patriarchæ ſecuta comminatio.

Cap. XXVI.

DIE vero reſponſionis Londoniæ, tandem à Rege pręfixo, multis quidem tam militaris ordinis quam plebeii per Patriarchæ monita, publicoſque tam eius, quam viri venerabilis & Sancti Cantuarienſis Archiepiſcopi Baldewyni, ſermones ad populum ſuaſorie factos, ad Chriſti obſequiã conſignatis: tandem reſponſum à Rege, Patriarcha ſuſcepit, quod regnum ſuum abſque tutela & regimine deſtituere, terraſque ſuas tranſmarinas Francorum rapacitati (quibus exoſus extiterat) ei impręſentiarum exponere, tutum non erat. Porro de pecunia tam illa, quam olim ad partes illas ſibi reſeruandam tranſmiſerat: quam & alia ſtatim ei tradenda, ad terræ ſacræ tuitionem, copioſe conferret. Cui Patriarcha: Nihil agis, o Rex, huic ſtare conſilio, ſi perſtiteris: quoniam in hunc modum nec te ſaluabis: nec Chriſti patrimonium conſeruabis. Principem enim quærere venimus: non pecuniam: quælibet fere mundi pars nobis pecuniam mittit: ſed principem nulla. Virum igitur appetimus qui pecunia indigeat: non pecuniam, quæ viro. Sed quoniam nullum aliud à Rege reſponſum Patriarcha elicere potuit: ad aliud denique ſe conuertit: rogans, vt vel vnum filiorum ſuorum, & ſi non alium, ſaltem natu minorem Ioannem, eis in ſubſidium Principem daret: vt Regium ſemen de Andegauenſium ſtirpe deſcendens, poſſit eis vel ex hoc ſurculo rediuiuo germine ſuſcitari. Ipſe vero Ioannes (quanquam in Hiberniam ei à patre datam, iam tunc cum grandi expeditione mittendus foret) patrios ad pedes ſe prouoluens, & vt Hieroſolymam potius mitteretur laudabiliter, vt fertur, efflagitans non impetrauit. Videns itaque Patriarcha, quia nihil proficeret, videns quia nequo mel de petra, nec oleum de ſaxo duriſſimo elicere pręualeret: hæc in Regem, multis audientibus, comminatorio pariter, & Prophetico ſpiritu verba deprompſit. Hactenus inter mundi principes incompatabili gratia, rex glorioſe, regnaſti, & cuius vſque nunc honor, ad Regiæ celſitudinis apicem, magis ac magis accreuit: ſed tibi proculdubio ad hanc experientiam, in qua deficis, reſeruato, & ob hoc à domino, quem deſeris, derelicto, gratiaque penitus deſtituto: de cætero gloria in ærumnam & vſque ad finalem halitum: honor in ignominiam conuertetur. Hanc itaque propheticam

commi-

comminatione, quam vtinam exemplo Regis Niniue per pænitentiam euacuaſſet: ſententiamque mutari feciſſet. Vir ſanctus Regi nihil ex contingentibus omittendo: ter emiſit, primo Londini: vt diximus: Deinde Doueriæ. Tertio vero apud Chinonenſe caſtrum in tranſmarinis. Sed vtinam aut Patriarcha vir fuiſſet, non habens ſpiritum, & mendacium potius locutus eſſet: vel magis ſententiam comminationis fuiſſet, pecunia ſecuta, quam diſpoſitionum. Vt autem ad euidentiam maiorem paucis ſummatim anticipemus: quæ per ordinem poſtea contigerunt: ſicut à pręcone veritatis eſt propoſitum: ſic vidimus in breui poſtmodum diuina diſpoſitione completum. Cùm etenim ſeptem fere luſtra regnando compleuerit: ſex data ſunt ei mundanam ad gloriam, ad conuerſionis tolerantias ad deuotionis experientiam. Septimum vero tanquam ſeruo ingrato, tanquam abiecto prorſus & reprobato, ceſſit ad vindictam, ceſſit ad ærumnam: ceſſit ad ignominiam. Secundo namque ſeptimi luſtri anno, ſtatim in ipſo tanti pręconis aduentu (quoniam ante ruinam cor exaltabitur) primus eiuſdem, quem tanta diligentia procurauerat (de filio ſcilicet Ioanne in Hiberniam mittendo) pereuntibus opera pariter & impenſa, conatus euanuit, & ad plenum non profecit. Tertio, qui terras nunquam antea perdiderat: ſed ſemper ſuæ ditioni potenter adiecerat: Philippo Francorum Rege (quanquam annis adhuc tenello) viriliter in ipſum arma ſumente, & damna paterna reſarciente: Aluerniam fere totam amiſit. Quarto caſtellum Rad. & Berri fere totam. Quinto vero ſeptimi luſtri anno & ab aduentu Patriarchæ quarto, non ſolum Francorum Rege Philippo, ſed & Pictauienſium Comite, ſimul cum ipſo in patrem inſurgente, vrbes Cenomanenſem & Turonenſem, cum caſtellis multis, & demum ſe ipſum. Iuxta illud pſalmiſtæ. A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me, & illud. Deieciſti eos, dum alleuarentur. & illud Gregorii. Quos diu Deus vt conuertantur tolerat: non conuerſos durius damnat.

In crucis obſequia Principum ſignatio.

VERVNTAMEN ad amoris maioris meritique palmam diuina forte diſpoſitione Rex reſeruatur. Quanto maius eſt diruta penitus reparare, quam ruinoſa fulcire: lapſa ſuſcitare, quam labentia ſuſtinere: præciſa redintegrare, quam ſaucia ſanare: deſtructa reformare, quam debilitata firmare. Et quoniam

Hectora quis noſſet: felix ſi Troia fuiſſet?
Ardua per præceps gloria ſtrauit iter.

Quanto grauior & inſtantior vrget aduerſitas: quanto nebuloſæ tenebroſitatis & turbationis denſior incumbit obſcuritas: tanto luce clariore, ſtrenuitatis gloria præfulgebit. Occulto namque Dei iudicio (ſed nunquam iniuſto) vix elapſo poſt biennio: vel ad vlciſcendam minus feruentem Orientalis Eccleſiæ deuotionem, vel ad exercendam & experiendam fidei feruore deuotam Occidentalium obedientiam paganis & Parthis de gente Chriſtiana permiſſa eſt victoria. Vnde & illuſtri Pictauienſium Comiti Richardo, in auris auditu primo, nec dum certa fama volante tam miſerabilis caſus nuncio, ſtatim in vrbe Turonenſi ſtrenua deuotione cruce ſignato, & Ciſalpinis Principibus tam nobilis auſus exemplo donato: prędictus Anglorum Rex Comitis pater, & Philippus Rex Francorum laudabili æmulatione, quamquam diſcordes ad inuicem antea fuerint) eodem in loco, & eadem hora, apud colloquium Giſortii, perſuadente, qui ad hoc venerat, Tyrenſi Archipręſule (imo gratia deſuper inſpirante) fauorem, cum multis & magnis tam populi quam cleri viris, vnanimi concordia, crucis ſignaculo ſunt inſigniti. Sicut autem ad Comitis exemplum Reges: ſic ad Regum exemplar, Romanus Imperator Fredericus, nec non ad monita venerabilis Albanenſis Epiſcopi & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis (illo cooperante, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera) ad lætare Hieruſalem, in curia illa magna (quam curiam Dei vocauit) in nobili vrbe Moguntina, cum maioribus Regni Teutonici ordinis vtriuſque viris, crucem magnifice ſuſcepit. Igitur ad tanti lapſus reparationem præ aliis cunctis, Anglorum (vt creditur) Rege reſeruato, ſi victorioſum vitæ labentis curſum, cum hac quoque tanta victoria, fælici fine compleuerit: de ipſo proculdubio famoſum illud Merlini Ambroſii vaticinium conſtat eſſe complendum. Principium, inquit, eius affectui vago ſuccumbet: & finis ad ſuperos conuolabit.

Subi-

Subita Regum diſcordia.

CAP. XXVII.

REGES aurem,&(longe ſorte peiore)inter Patrem & Comitem,hoſtis antiqui machinatione ſummique Rectoris(peccatis exigentibus)permiſſione: poſt tantam concordiam,ad detrimenrum,& dilatorium laudabilis auſus impedimentum: ſubita ſuborta eſt,& inopinata diſcordia.tanquam ipſis indignis, aliis, diuinæ diſpoſitionis intuitu, rantæ reſtaurationis honor, debeat exhiberi. Aut forte iuxta Gregorii ſententiam,aduerſitas, quæ bonis votis obiicitur,probatio virtutis eſt,non indicium reprobationis. Quis enim neſciat, quam proſperum fuit: quod Paulus ad Italias vrgebatur:& tamen vehemens naufragium pertulit, ſed nauis cordis in maris fluctibus integra ſtetit.Sic igitur, quoniam virtus in infirmitate perficitur, & aurum igne probatur:fidei conſtantia tribulationibus frangi neſcia,more ſinapis plus excreſcet, & contra caſus aduerſos,contraque graues inſultus fortior animi magnitudo reſurget. Vtinam igitur cum fauore Plebeio, popularique plauſu;cum viæ ſubſtantia iuſte quæſita non extorta:larga liberalique manu,& non contracta; pura & elimata per pecuniam conſcientia, Principes noſtri in huius expeditionis aggteſſum proficiſci meruiſſent. O quam mallem his,ſcilicet bona conſcientia,&c.comitatos cum paucioribus Deoque placentibus viris:laborioſum hoc iter,ſed glorioſum arripuiſſe,quam his ſine, de mulris & immenſis pecuniæ theſauris, ſed vndecunque congeſtis, de multitudine gentium infinita,ſed non vnanimi,non concordi,hoc in agone ſuperbire. Veteris namque Teſtamenti percurre ſeriem,citeriora quoque reſpice tempora, & pręcipue partium illarum exempla:ſemper inuenies non virorum ſed virium: ſed porius virtutum copia: diuinaque magis gratia quam humana potentia, triumphatum. Nam, vt ait Caſſiodorus,populus armatus ſine Deo: inermis eſt. Vnde Seneca. Non populorum numerus,ſed paucorum vittus pugnam conficit.

De Friderico Imperatore.

CAP. XXVIII.

PRÆDICTIS itaque quatuot,vt creditur, Imperator Fredericus,quanquam Ciſalpinorum Principum in ſignaculi ſuſceptione poſtremus: in operis tamen executione,laudabili maturatione ſe primum exhibuit. Quem tanto cumulatiore tam in cælis palma,quam in terris glotia dignum dixerim:quanto regnis amplioribus rebuſque relictis, tantique imperii cura poſthabita, terminum primo ſtatutum, animoſa conſtantia,non præteriit.

Viſio,& viſionis expoſitio.

CAP. XXIX.

VNDE & viſionem,quam ſuper hac temporis noſtri miſeria, & crucis Chriſti contumelia,mihi miſerrimo,mihi minimo(& tamen à Domino in hac viſione viſitato)ille reuelauit,qui interdum quæ abſcondit à ſapientibus, reuelat paruulis, hic euoluere pręter rem non putaui.In illa igitur inteſtina & deteſtabili nimis Anglorum Regis, & Comitis Pictauienſis, circa idem tempus emerſa diſcordia,apud Chinnonenſe caſtrum cũ Rege conſtitutus,6.Id.Maii nocte in ſomnis & noctis hora quaſi circa primum Galli cãtum,viſus ſum mihi videre,turbam hominum multam, in cælum intuentem, & tanquam nouum aliquid admirantem. Eleuans igitur oculos,& ſuſpiciens,quidnam eſſet, vidi intra nubium quatundam denſitatem clariſſimæ lucis ſplẽdorem erumpete:& ſtatim ſeparatis ab inuicem nubibus, tanquam inferiore hoc cælo ibidem ex parte teſetato:oculorum acie per feneſtram illam ad empireum vſque tranſpenetrante,in multitudine multa,curia illa cæleſtis apparuit. Inrentatis ei vndique armorum omnium generibus, in direptionem data,& tanquam hoſtibus ad mactandum expoſita. Videas huic gladio caput, illi brachium amputari: Illos ſagittis, eminus peti. Illos lanceis comminus, illos ſicis tranſpenetrari. Et cum intuentium multi, vel propter fulgorem nimium, vel propter rerum viſarum ſeu terrorem, ſeu pietatem,proni in facies ſuas cecidiſſent: ad exitum rei videndum,viſus ſum mihi ſingula longe diutius aliis & diligentius intueri. Completa igitur in breui quaſi de aliis cunctis victoria:Principem ipſum militiæ cæleſtis, tanquam in medio ſuorum & maieſtate ſedentem, ſicut depingi ſolet, carnifices cruenti communiter inuadunt. Et vmbilico tenus à dextris illum à throno extrahenres: nudato pectore, dextrum ei la-

tus

tus lancea confodiunt. Et ſtatim vox terribilis valde ſecuta eſt: in hunc modum. woch. woch. pater & filius: woch. woch. Spiritus Sanctus. Sed vtrum deſuper demiſſa, an à circumſtanti populo prolata fuerit: hoc mihi datum eſt ignorare. Et ſic mihi demum tam vocis huius, quam viſionis terror experrecto, ſomnum excuſſit. Illum itaque teſtem inuoco, cui nuda & aperta ſunt omnia, quoniam me ſtatim in ſtrato reſidentem, & hæc meeum anxie recolentem, tantus per dimidiam horam vel amplius, & tam vehemens carnis & ſpiritus horror inuaſit: quod fere extra me factus, à mente tranſire, & dementiare timebam. Veruntamen ad vnicum illud ſalutis humanæ refugium promptiſſima deuotione recurrens, & ſigno crucis creberrimo tam frontem ſignans quam pectus muniens: ſequentem noctis illius partem vſq; ad auroram duxi inſomnem. Et ſic diuina opitulante gratia tandem ad me reuerſus, mihi demum plena ſecuritate ſum reſtitutus. Nunquam tamen ad animum nec etiam hodierno die abſq; horrore magno viſionem potui reuocare. Quid enim terribilius, quam à creatura cõſpici ferro confodi creatorem? Quis cælorum ciues, Deiq; domeſticos hominumque patronos, in cædem trahi videat, & turbari, non turbatus? Quis, inquam, ipſum naturę dominũ, & vniuerſitatis figulum pati cõſpicit: & non cõpatitur? Quid autem ſibi hæc viſio velit, & quid protẽdere valeat, abſq; pręiudicio paucis abſolutã. Qui olim in propria perſona paſſus eſt pro ſuis: nunc iterum ſe pati ſignificat, ſed in ſuis. Et qui per crucis triumphum ad dexteram patris aſcendens: regnum ſuum victorioſus intrauit: Illi iam hoſtes facti, in capite regnum auferre, maieſtatem minuere, Eccleſiam ſubuertere nituntur, quam ipſe ſibi fuſo ſanguine comparauit. Ideoque vt arbitror, non in cruce, ſed in maieſtate apparuit hæc paſſio: tanquam cruce iam perdita, & de medio ſublata: Illam, quam in cruce ſibi acquiſierat, hoſtes ei maieſtatis gloriam auferre contendunt: vel potius in terra illa ſacra, quam poſt tot, & tanta corporalis præſentiæ ſuæ ſacramenta, demum proprio cruore conſecrauit: fideles ſui; non in cruce nunc, ſed armis & bellico certamine paſſi ſunt: ſic ſuam ipſe paſſionem iſtam, quam in ſuis quodammodo nunc ſuſtinet, vbi in maieſtate patri conregnat, non in cruce voluit, ſed in armis & bellico tumultu declarari. Sicut & eodem ſupplicii genere quo Romæ paſſurus erat Petrus, ſe quoque paſſurum in Petro, teſtatus eſt ipſe dicens. Venio Romã iterum crucifigi. Totam itaque cæleſtem curiam cædi per compaſſionem ſimili ſtrage deſignauit: ſuos volens ad vindictam vel tanti doloris oſtenſione prouocari. De voce autem illa à barbaris incipiente & in latina verba deſcendente, quid mihi videtur, ediſſeram. woch. woch. Teutonica lingua, quaſi geminata dolentis interiectio eſt. Idem ergo ſonat, ac ſi diceretur, heu, heu, pater & filius: *Heu heu* Spiritus Sanctus ſeu * vhe vhe. De iuncturæ namque ratione non diſcutio: dummodo ſententia pateat. ** va, va.*

Quod ergo inter tot linguarum genera, lugubris ille planctus à Teutonica *lingua* cæpit, & terminatus eſt in latinam: ſignificare poteſt, quod præ aliis mundi nationibus, Teutonicæ tantum & latinæ linguæ populis eorumque Principi: Saluatoris noſtri iniuria (ſicut vindictæ declarat maturatio) moleſta videtur. Abſit enim vt de futura fidelium ſtrage, & pręcipue populorum eorundẽ in huius expeditionis aggreſſu: paſſio vel planctus intelligi queat.

Notabiles in Anglia & noſtri temporis euentus.

Cap. XXX.

NOTABILES igitur noſtri temporis in Angliam aduentus, & memoria dignos euentus, occaſionaliter interſerere, & quaſi ſub epilogo in medium deducere: non indignum reputaui. In primis itaque * detentio Anglicani Regni, contra legitimum hæredem Henricum Henrici primi Regis ex filia Matiltide nepotem: Inopinatus accidit caſus; & primo tam militis inſignis *Euſtachii Stephani Regis filii*, & Generi Francorum Regis Lodouici: quam matris eiuſdem *Reginæ Matiltidis*, & comitiſſæ Bolonienſis ſubita in fata conceſſio. Deinde *Stephani Regis Angliæ*, & Henrici ducis Normanniæ concors ad inuicem facta eſt adoptio: & ſubſequenter Stephani Regis è rebus humanis exemptio. Reginæ Alenoræ deſponſatio, & de corona in coronam translatio. Glorioſa ſtatim *Ducis in Regem* ſublimatio & HENRICI * SECVNDI coronatio. Nobilis *caſtri Brugenſis* ſupra Sabrinum fluuium obſidio: & militis egregii *Hugonis de mortuo mari*, terribili cunctis exemplo, ad deditionem compulſio: Quid plura? ad aſpera complananda, & fortia confundenda, proſperis vbiq; caſibus ſicut Regni detentorum, ſic ſubita pacis eiuſ-

** detentorum vel detentorũ.*
** ſecunda.*

eiuſdem turbatorum omnium, & tam fratrum primo, quam poſtea quoque filiorum euerſio. Apud Venedociam bellica ſemper in incertum ludente fortuna, non abſq; militum multorum in arcto ſyluestri iuxta Coleshylle, id eſt, carbonis collem diſpendio, Principis Oenei ſubactio. Quamquam inutilis ſumptuoſa tamen & nobilis apud Toloſam expeditio. Inter Lodouicum Francorum Regem: & Henricum Anglorum Principem varia vtriuſque partis deliberatione, frequens bellici certaminis altercatio. In Auſtralis Cambriæ finibus, Anglorum Rege tonante, interuentu Oenei auunculi ſui apud Pencader, id eſt, cathedræ caput, Principis Reſi deditio. Apud Clarendunam Cantuariorum Archipręſulis Thomæ & ſuffraganeorum Antiſtitum, conſuetudinum (quas auitas vocant) verbo tenus & ſcripto quoque (vt fertur) videtur non ſpontanea: ſed extorta conceſſio. Tunc impletum eſſe videtur illud Merlini Ambroſii vaticinium. Et linguæ Taurorum abſcindentur. Apud Northampton, in Patrem cunis baiulum, & crucifixi iura tuentem, iniurioſa Curiæ totius conclamatio: & eadem nocte, clandeſtina eiuſdem in exilium diſceſſio. Reginaldi Colonienſis Archiepiſcopi, & Imperatoris Cancellarii ab Imperatore Frederico ad Anglorum Regem tranſmiſſio. Qui inter nepotem Imperatoris Henricum, ſcilicet, tam Saxonię Ducem, quam Bauariæ: & Primæuam Regis filiam Matildem, matrimonii contrahendi ſuaſor efficax factus eſt, & perſuaſor. Schiſmatis quoque, quo tunc Alemannica exorbitabat Eccleſia, factus incentor non obtentor. Contra Petri tamen Cathedram Cantuarięque prę ſulem non longe poſt Regio edicto, publica per regnum peieratio. Nec mora, nuncii Ducis, tam Comes ſcilicet Guncelinus, quam alii prępotentes Saxoniæ viri, propter filiam Regis in Angliam venerunt. Henrici tertii filii Henrici in Cantuarienſis Eccleſiæ præiudicium, celebrata Londoniis ab Eboracenſi coronatio. Nuntii de Hyſpania Filiam Regis Alienor, Aufulſo Regi Toletæ & caſtellę legitime copulandam obnixe poſtulantes, & impetrantes aduenere. Dermicii in exilium depulſi: ad Anglorum Regem, & tam Stephanidę primo, quam poſtea quoque Richardi Comitis in Hyberniam transfretatio. Apud Powiſenſem prouinciam nobilis Albi monaſterii expeditio: & eiuſdem non abſque damnoſa obſidum demembratione, & hoſtium complurium exterminatione, exuberante pluuialium aquarum inundatione, indemnis reuerſio. Martyrium Thomæ. Crebra miraculorum coruſcatio. Nobiliſſimi viri, & in * vtrunque ſimul tam genii quam ingenii, tam * animi quam ataui nobilitate præditi, & Regia ſtirpe pręclari, Henrici Gwyntonienſis Epiſcopi apud Gwyntoniam fœlix deceſſio. Regis in Hiberniam excurſus. conſpiratio tam procerum in Principem, quam filiorum in parentem duorum Cardinalium in Normanniam aduentus, vt de Martyris morte ſcrutinium facerent. Regis Reuerſio, & tam ſubita ab Hibernia in Cambriam: à Cambria in Loegriam: à Loegria in Normanniam tranſuolatio: & repentina tam Cardinalium quam Francorum Regis complacatio. Prima Regis Iunioris cum duobus fratribus ſuis in Franciam à patre diſceſſio. Belli biennalis & pluſquam ciuilis inaudita Regis & inopinata tam de hoſtibus victoria, quam de victis iniuria: ſicut in fine prioris libri ante Regis deſcriptionem de captis tam Ceſtriæ comite, quam Leyceſtriæ: nec non & Albaniæ Rege, dilucida breuitate declarauimus. Huguntionis Petri Leonis tituli Sancti Angeli Cardinalis in Angliam tranſmiſſi legatio: ſub quo totius Angliæ cleri Concilium Londoniis conuocatum: propter contentionem inter Archiepiſcopos ibidem obortam: Richardum ſcilicet Cantuarienſem, & Rogerium Eboracenſem: de Primatiæ dignitate, & prima Cathedrarum ſede, allegatis demum hinc inde tam pugnis, quam baculis & virgis, aborſum fecit. Nuncii Guillelmi Regis Siculi, tam Epiſcopus ſcilicet Capuanus, quam Diaferus electus Troianus, necnon & Comes Florius, propter Ioannam Regis filiam iuniorem ſuo Principi copulandam, aduenere. Nuncii Regum Hyſpaniæ, Caſtellę ſcilicet & Nauarræ: qui ſuper terris quibuſdam & caſtellis, vnde inter ipſos magna fuit orta contentio, ſe Anglorum Regis arbitrio * ſtandos firmiter compromiſerant, in Angliam venerunt. Vnde & Rex conuocatis in vrbe London. viris peritis & ſapientibus Regni totius ordinis vtriuſque viris (quoniam cauſarum merita, partium aſſertione panduntur) auditis hinc inde vtriuſque partis allegationibus ab aduocatis & cauſarum patronis vtrinque peroptimis. Quorum vnus tamen inter alios famoſiſſimus Petrus ſcil. Kardonenſis (qui ex parte Nauariæ principis venerat) mira eloquentia longe prępolluit. Rex ſapienti fretus conſilio, media ſtatuens incedere via: litem dirimere tranſactione curauit: vt aliquo dato, aliquove retento, iactura neuter læderetur enormi. Sed ſicut ab vtroque fuerat Iudex electus: ſic de

* vtraq;
* aui.
* ſtaturos.

vtriuſq;

vtriuſque (ſi fieri poſſet) factus indemnitate ſollicitus. Igitur tranſactione formata: & in ſcriptum redacta, ad cautelam princeps, iudiciale quoque ſcripſit examen. Vt ſi forte pars alterutra transfactioni ſtare recuſaret: demum definitiua ſententia lis dirimeretur. Aduentus Lodouici Francorum Regis in Angliam: qui Cantuariam peregre profectus, Martyris egregii (quem in vita ſuffragiis exilii rempore tanta diligētia ſuſtentauerat) eiuſdem in morte ſuffragia deuote poſtulaturus acceſſit, & Scypho aureo tam artis quam materiæ maieſtate non infimo, in loco vbi ſacrum corpus reconditum erat, decenter oblato: cum ad Martyris tumbā proſtratus aliquantulum declinaſſet: & in dextro lateralis marmoreiq; lapidis foramine, * apertum coronæ caput diutius appoſuiſſet: demum ab oratione reſurgens, vt peregrinationis ſuæ memoriam perpetua largitione muniret: aſtantibus Anglorum Rege, Flandrenſium comite, nec non & loci eiuſdem tā Archipręſule q̄ conuentus priore, cum aliis viris magnis: Cantuarienſi cœnobio centū vini modios annuatim impendit. Secunda diſceſſio Regis Henrici Tertii, & comitis Gaufridi, & mors inopinata Regis Iunioris apud Marſiliā. Aduentus Colonienſis Archiepiſcopi Godefridi cum Philippo Flandrenſiū Comite, Cantuariā peregre profecturi. Mors comitis Gaudfridi. Aduētus Eraclii Patriarchę: & prima Ioannis filii Regis in Hiberniam transfretatio. Hæc igitur fere omnia ſicut per ordinem ſunt hic diſpoſita: ſic non longis ab inuicem temporum interſtitiis, noſtris diebus acciderunt, & annorum ſpacio quaſi 33.

* aptum.

O quam fælicite ſucceſſiſſe probauerim, ſi ille, cuius ad gloriam hæc propemodum cuncta contigerant: quem adeo quaſi blandiendo in ſingulis fortuna (ſi quid tamen fortuna eſt) in tot articulis tam fortunate prouexit, vitæ temporalis comœdiam fælici fine compleuerit: & duplicata imo multiplicata fauoris gratia à tanta terreſtri gloria tranſire valuetit ad æternam. Hoc autem facile fieri potuiſſe coniecerim, ſi ad nobilem illam Chriſti vocationem (qui, quaſi pro tantis gratiæ ſuæ muneribus in terra collatis, remunerari petiit & in terris) citra lapſus omnes & dilationes ſtatim obtemperando, ſe promptum ac deuotum oſtēdiſſet. Et qui per ſex luſtra mundo tam glorioſe regnauerat, ſeptimum ſaltem illud videl. tantillum temporis, vel ſi amplius forte indultum fuerit: reſiduum totum Deo dicādo Chriſto regnaſſet, Chriſtianitatiq; toti in laudem & gloriam vtramq; tam terrenam quam æternam, feliciter militaſſet. Res etenim regiæ ſemper hactenus ad gloriæ cumulum continuo in incremento ſtetere. Abhinc autem variatā ſorte paulatim retro ſublapſæ, multa prærer ſolitum damni detrimenta ſenſere. Spectandum quippe eſt viro prudenti, quia fortunæ fauor inſtabilis & rota volubilis. Cuius experientiam virentis ætatis viri perpauci: longæui vero temporis, vix vllus euadit. Quid enim Pompeii Magni gloriam extinxit, qui tot in orbe triumphis excelluerat: tantam in vrbe excellentiam obtinuerat: vt (quod annorum accidit antiquitate) vt ipſum qui ſummos olim dignitatis gradus aſcenderat (quos nec vltra ſublimari, nec in ipſis diutius ſtare permiſſum fuerat) ab alto neceſſe fuerat ad ima corruere. Vnde poſt tantam Dictatoris & optimi ciuis eminentiam, poſt multas & crebras varia degente victorias, tanquam faſtidiente iam deſertus à fortuna tam occidentali tandem quam Orientali demum pulſus imperio: vir olim victorioſus poſtmodum ignominioſe victus occubuit: & è diuerſo, Vnde Poeta Lucanus:

O faciles dare ſumma Deos: eademque tueri
Difficiles.

Quid Iulio, quid Macedoni Alexandro, tam amplis laudum titulis gloriam in æuum accumulauit: niſi quod in axis culmine, niſi quod in arce victoriæ iam cōſtitutus: fortunæ malitiam, volubilemq; deſcenſum maturata morte prçuenit vterq;. Spectādum quoq; eſt: & ſemper in animo principi fixum habendum: quoniam clemens ille plaſmator omnium, & gubernator, quanq̄ longanimis ſit expectator, puta conuerſionem peccantium plus appetens: quam euerſionem. Tamē ſicut conuerſis & correctis pius indultor: ſic peruerſis & pertinacibus in terris plærumq; pœnam inchoans, grauis eſt vltor & punitor.

Ioannis filii Regis in Hiberniam excurſus primus.

Cap. XXXI.

PRæparatis igitur & expeditis ad tantam expeditionem patris opera neceſſariis: Ioannes Anglorū Regis filius, natu iunior, tranſlato in ipſum Hiberniaci regni dominio, ſequēte quadrageſimali tempore, per maritimam Auſtralis Cambrię viā ad Meneuiæ partes tendens, & Pembrochiam veniens: virum quoq; magnificum Ranul-

nulphũ Glanuillenſem Principalem & prçcipuu m Regis ac Regni tunc conſiliarium, & Angliç totius Iuſticiarium, vſq; in nauem ipſa m deductorem habens, 4. paſchali die, Euro ad vota ſpirante, pulcherrimam in Miluerdico portu conſtitutã, claſſem ingreditur, ob p̃maturum auræ fauorẽ, venerabili Meneuenſi Eccleſia, omine ſiniſtro, prçtermiſſa. Veſperi vero ſe mari cõmittens: circa meridiem mane maris permenſo ſpacio cum militibus quaſi *300. ſatellitibus quoque equeſtribus & ſagittariis multis, apud Waterfordiam applicuit. Tranſmiſſi ſunt cum ipſo, & eodem nauigio, Clerici plures, quorum vnus ſpecialius à patre cum filio directus: naturalis hiſtoriæ diligens perſcrutator, per biennium tunc in Inſula & ante moram faciens, tanquam precium laboris & prçmium, tam libri vaticinalis, quam Topographiæ, ſecum materiã reportauit. Quam & in Brytanniam poſtmodum, inter ipſas tamen Curiæ curas, quinquennali ſtudio digerens & diſponens Topographiam triennio: Vaticinalem hiſtoriam biennii labore compleuit. Poſteris lectionem, præſentibus liuorem, illis delectationem, iſtis detrectationem, illis beneficium, iſtis odium prçſtans.

*400.

Tam Stephanidæ quam Comitis: nec non & Regis commendatio, quam excuſatio.

Cap. XXXII.

STEPHANIDES itaque Comiti, Comes Regi, Rex filio Ioanni dux & prçuius, viam prçbuit & ducatum. Multum ergo contulit, qui auſu nobili, principium dedit. Multum qui quaſi medium nectens: laudabili augmentum principio dedit. Longe plus aliis, qui toti negotio conſummationem ſimul & authoritatem adhibuit. Hic autẽ mihi notandum videtur: q̃ Stephanides & Comes Dermitium, ille fidelitatis, iſte filiæ ratione iuſte reſtituentes: eiuſdem iure ſuffulti, à prçdonum iniuria, quoad Lageniam, longe diſtare noſcuntur. Quoad Waterfordiam vero, & tam Deſmoniæ, quam etiam Mediæ partes inſolenter occupatas: comitem non excuſo. Comes autem quintæ portionis inſulç (quç ipſum coniugis ex parte contingebat) in Anglorum Regẽ, ius & dominium plene transfudit. Reſidui vero principes eidem ſe ſtatim ſponte ſubdẽtes, eidem ius irrefragabile contulerunt. Vnde & prçtermiſſis prius aſſignatis, tam nouis quibuſdam quam antiquis: Ex iis etiam liquido pateat, Anglorum Regem & gentem, non tanta iniuria inſulam intraſſe, quantum ſomniant imperiti.

De mora & impedimentis plenæ perfectæque conquiſitionis.

Cap. XXXIII.

FÆLIX igitur hæc Inſula, & de fine in finẽ fortiter olim ac fæliciter ſubacta: caſtrorumq; municipiis à mari vſq; in mare locis idoneis vndiq; conſtructis, in formã ſimul & normam abſque difficultate redacta: ſi nõ primis prçcurſorum aduentibus regio fuiſſet edicto prçciſa ſequela: vel potius animoſum Regis excurſum, ſi ab vſu nobili tam prçmature inteſtina conſpiratio non reuocaſſet. Fçlix quoq; ſi vel digne penſatis virtutum meritis, viris ab initio virtuoſis & validis cura regiminis, & rerum tradita ſumma fuiſſet. Gens etenim, quæ in primis noſtrorum aduentibus tantæ nouitatis euentu ſtupida fuerat, & conſternata: ſubitaq; ſagittarum vulnera, & armatæ militiæ, robur vehementer exhorrens, per moram (quæ periculum ad ſe trahere ſolet) per longam & languidam expugnationis dilationem, per procuratorum & prçſidum (de quibus ſecuritas, & nulla ſtrenuitas) tam ignorantiam quã ignauiam; vſu pariter & exercitio ſagittis & armis paulatim edocta & aſſueta: nec non & Martiis tam inſidiis quã cautelis, per mutuos & crebros cum noſtris belli conflictus, & ſucceſſus plurimos inſtructa: quæ de facili in primis confundi poterat, proceſſu temporis fortior ad reſiſtẽdum eſt effecta. Quippe lege libros Regum, lege Prophetas, totam percurre veteris Teſtamenti ſeriem: familiaria quoq; reſpice noſtri temporis noſtrorumq; finium exempla: nunquam inuenies gentem aliquam niſi peccatis exigentibus expugnatam. Vt igitur gens Hibernica quæ (delictis vrgentibus & ſpurcitiis) aduenarum incurſibus meruit expugnatione turbari: nondum tamen, offenſo Iudice ſummo vel omnino meruit ſubiici vel deleri: aut Anglorum populus gentis ex parte ſubactæ, & ſeruire paratæ, non dum plenç ſubiectionis imperium, & tranquillæ ſeruitutis obſequiũ, potuit ex meritis obtinere. Igitur in bellici certaminis exercitio (diuina forte vindicta) populo diutius vtroque ſtatuto: adeo neuter ex toto, vel meruiſſe gratiam, vel demeruiſſe videtur, vt nec ille ad plenum victor in Palladis hactenus arcem victorioſus aſcenderit: nec iſte victus omnino plenæ ſeruitutis iugo, colla ſubmiſerit. Cum enim quatuor Hibernici prophetas habere dicantur: Molingum, Braccanum, Patricium & Columkyllum (quorum etiam apud illos libri adhuc extant Hibernice

ſcripti)

ſcripti de hac expugnatione loquentes omnes teſtantur eam crebris conflictibus longoque certamine multa in poſterum tempora multis cędibus fœdaturam. Sed vix parum ante diem iudicii, plenam Anglorum populo victoriam compromittunt: Inſulamq; Hibernicam de mari vſque ad mare ex toto ſubactam, & incaſtellatam. Et quanquam Anglorum populum antea pluries bellici diſcriminis in Inſula vices experiendo turbari cõtingat, & debilitari (ſicut Braccani teſtimonio, per quendã Regem de deſertis Patricii montibus vẽturum, & nocte Dominica caſtrum quoddã in nemoroſis Ophelanię partib⁹ irrupturum; Omnes fere Anglici ab Hibernia turbabuntur) eorundem tamẽ aſſertione, Orientalia Inſulæ maritima continue ſemper obtinebit.

Breuis geſtorum recapitulatio.

Cap. XXXIV.

De trium itaque caſtrorum in primo ſtatim Ioannis aduentu conſtructione, primi ſcilicet apud Tibractiam: ſecundi apud Archphinan: Tertii apud Liſmoriam. De trium quoque nobilium adoleſcentum, fatis aduerſis & auerſis, interemptione: Roberti Barrenſis apud Liſmoriã: Reymundi Hugonidæ apud Olechan. Reymundi Kãtitinenſis apud Odronam. De parte quadã Archphinenſis familiæ in ſylua Archphinenſi à Limericenſium Principe natali Baptiſtæ die & 4. militibus non citra tutelam militarẽ interemptis confecta. De Archphinenſibus iterum in prędæ captione verſus Limericum confectis, & 19. militibus confectis. De Principe Deſmoniæ Dermitio Macharthi cum aliis non paucis in colloquio prope Corcagiam, à Corcagienſibus & Theobaldi Gualteri familia ferro peremptis. De Keneleonenſibus cum eorum Principe in Mediæ finibus, quos nimis inſolenter inuaſerant, à Medenſium viris (præſidente Guilielmo Modico) gladio ſublatis, & centum capitibus Dubliniã tranſmiſſis. De nobilis theſauri, trium videl. corporum Patricii, Brigidæ, & Columbę, apud vrbem Dunenſem inuentione, & eorundem, procurante Ioanne de Curci, translatione. De Hugonis de Lacy à ſecuribus male ſecuri, dolo Hibernienſium ſuorum apud Dernach decapitatione. De 13. nobilium militum in reditu à Connactia ſub Ioanne de Curcy interemptione. De iuuenis egregii Rogerii Poeri doloſa plurimum & dolenda, cum ſuorum multis, apud Oſſyriam interemptione, & eiuſdem caſus occaſione, clandeſtina quoque totius Hibernici populi in Anglos coniuratione, deſtructis caſtris pluribus, graui Inſulæ vniuerſæ perturbatione, non indigna memoratu ſingula, tranſlato in filium Regis iam Regni dominio: ſua ſuorumque geſta ſuis aſſignando ſcriptoribus, ad vlteriora ſimul & vtiliora feſtinamus. Qualiter autem & quibus ex cauſis primus hic filii Regis labor ad vota non proſecerit: tantoque conatui fortuna condigne non reſponderit, paucis abſoluere non inutile reputaui. Vt finalis hic adiectio, quanquam de prætetito non medela, fiat tamen vel de futuro cautela.

Siniſtri caſus occaſiones. De aduentu Ioannis filii Regis in Hiberniam.

Cap. XXXV.

Primam itaque cauſarum omnium dixerim & pręcipuam, quod cum Rex pater ad tantam vocationem per Patriarcham, vt dictum eſt, iam factam, in propria ſtatim perſona profectus fuiſſe: vel ſaltem aliquem filiorum pro ſe in Chriſti obſequium prompta deuotione miſiſſe debuiſſet; eodem tantæ citationis tempore, & in ipſa quoque tanti legati tantiq; præconis pręſentia: hunc filium ſuum non in Orientem, ſed in Occidentem, non in Saracenos, ſed in Chriſtianos, quæ ſua ſunt quęrentem non quæ Ieſu Chriſti, ſumptuoſa magis quam vtili expeditione tranſmiſit. In ipſo igitur aduẽtu filii Regis in Inſulam, occurrunt ei apud Waterfordiam Hibernici de partibus illis viri non infimi, fideles hactenus Anglis & pacifici: tanquam Domino congratulãtes, & eum in oſculo pacis ſuſcipientes. Qui ſtatim à nouis noſtris & Normannis in deſpectũ & deriſum habiti, per barbas quoq; (quas more patriæ, grandes habebant & prolixas) quidam ex eis minus decenter ſunt tractati. Illi vero quantocyus in ſuã recepti libertatem, cum ſuis omnibus ſe longe retrahentes, & ad Regem Limericenſium ſe tra[illegible]tes, tam ipſi quam Corcagienſium Principi, nec non & Rotherico Connacten[illegible] qui apud Regis filium inuenerant, cuncta per ordinem propalarunt. Adoleſcentulum ipſum, ſolum adoleſcentum agmine ſtipatum: Iuuenculum ipſum, ſolo conſilio iuuenili datum: nullam prorſus maturitatem, nullã ibi ſtabilitatem, nullam Hibernicis ſecuritatem, promittentes. Quibus auditis, tres principales tunc tẽporis Hiberniæ poſtes, Limericenſis, Connactenſis, & Corcagienſis, qui filium Regis adire,

eique ſubiectionem profitendo ſe debitæ ſubiectionis modis aſtringere iam parati fuerãt minoribus ex malis maiora futura coniectantes: &,cum bonis & pacificis viris hoc acciderit, quid in ſuperbos atque rebelles ſtatuendum fuerit, ſecum diſputantes: ad reſiſtendum potius & antiquæ libertatis ſub capitũ diſcrimine iura tuendũ, vnanimi voto conſpirant. Et vt hũc plenius affectum perducere poſſint ad effectum: vinctis vndiq; fœderibus,de nouo fiũt ex hinc amici,qui antea fuerant inimici. Quod ſcimus loquimur,& quod vidimus,teſtamur:quia primos à nobis inſolẽter repulimus, (quoniam frangit Deus omne ſuperbum) tam illos quam maiores vniuerſos, eo exemplo procul abſterruimus. Gens etenim hæc(ſicut & natio barbara quęuis)quamq̃ honorẽ neſciant,honorari tamen ſupra modum affectant. Et quanq̃ falſitatis argui non verecundẽtur nec vereantur:falſarios tamen aſpernãdo,& veridicos approbando,bonum ꝙ in aliis diligunt,minus in ſe reperiri non erubeſcunt. Quantum vero mali ex inſolentia proueniat: exemplo quoq; Roboam filii Salomonis ſapiens intelligat, & per alieni exemplar incommodi,fugienda declinet. Qui quoniam iuuenum conſilio,populo ſuo iuueniliter reſpondit, dicens: Digitus meus groſſior eſt,quam ſpina dorſi patris mei:& ſi ipſe vos cecidit virgis,ego vos cædam ſcorpionibus: 10. tribus Hieroboã adhærẽtes,à ſe repulit: & eaſdem facto in populo ſchiſmate irreuocabiliter amiſit. Ad hęc etiam terras Hibernienſium noſtrorum, qui à primis Stephanidæ,q̃ Comitis aduentibus nobiſcum fideliter ſteterant:nouis noſtris cõtra promiſſa contulimus. Qui ad hoſtes ſe transferendo,exploratores in nos,& vice verſa,viæ duces ſunt effecti: Tãto quidẽ ad nocendum efficaciores:quanto prius fuerãt familiariores. Vrbium quoq; maritimarum & caſtrorum cuſtodia, cum terris adiacentibus,& tributis, quæ in publica Regni cõmoda,& hoſtium grauamina diſpenſari debuerant,talibus eſt aſſignata:qui aurum aſſidue inter muros aucupantur,iugi crapulę temulentiæq; dati,cum ciuium non hoſtium damno,cuncta inutiliter conſumebant. Acceſſit, & aliud inter incommoda:ꝙ in ipſo filii Regis aduentu ſtatim in terra hoſtili & Martiali,terra rebelli & aſpera,terra nondum ſeruire parata: curam regiminis, cum militiæ principatu viri ſuſcepere,plus Mercurii, q̃ Martis habentes:plus togatæ militiæ, quam armatæ: plus in ciues explorationis,quam in hoſtes expugnationis. Viri, inquam, & Marchiones Aldelmi filio perſimiles. Sub quo Cambria ſimul & Hibernia vtriq; pręſidẽre deſtrui dolet,& deleri: viri quippe nec ſe ſubditis fideles,nec hoſtibus formidabiles exhibentes;illud nobilis animi proprium nec nouerant,nec innatum habuerant,Parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos:ſed potius econtra: Hoſtib. illęſis ſemp ſpoliare ſubactos. vnde accidit,vt nec hoſtilis patriæ deprędatione, nec crebra caſtrorum cõſtructione, nec ſylueſtrium ſemitarũ (quas vulgariter malos paſſus vocant) confractis arboribus & diſtractis,ad commeantium ſecuritatẽ ampliatione:ſtatum firmiorem inſula ſuſcepit. Stipẽdiaria quippe familia,ſuos imitata magiſtros:ſuis maioribus morem gerens: vino veneriq; data,maritimis in vrbibus morã aſſidue faciebat: terriſq; penitimis,hoſtiq; ꝓpinquioribus (q̃ Marchiæ dicuntur ſeu potius à Marte Martiæ dicuntur)omnino deſtitutis,& tã viris quam caſtris in medio conſtitutis,cædib. incendiis, & eitra tutelam omnẽ deꝑdationi datis. Antiqua vero militia, nouorũ ingruente malitia tanq̃ vilis & reꝓbata latuit interim & ſiluit. Tantæ intemperantiæ & tẽpeſtuoſæ ꝓcellæ finales euent⁹ æquanimiter expectãdo. Interim autẽ Inſulę ſtatus hic erat: vbiq; luctus, vbiq; clamor. Omnes viæ factæ ſunt inuiæ. A ſecuribus nulla ſecuritas,quotidie noui rumores,nouã noſtræ gentis ruinam nuntiantes. Hæc exterius agebantur. Sed ſolũ in vrbibus,pacis vtrinq; ſeruari vmbra videbatur: Baccho ſolatiũ dante,& auro, quiquid vbiq; delinquebatur, deliniente. Prætera quanquã hoſtilitatis inſtante procella,armatæ militiæ tempus ingruerit nõ togatæ: tanta tamen ciuilium cauſarũ vrgebat importunitas,vt miles veteranus nõ tam cum hoſte foris,quam intus foro vexaretur. Sic itaq; noſtris ad impugnandum iam puſillanimis effectis, hoſtibus autem ad rebellandum audaciſſimis: ſub hac regiminis forma,ſe res habuere:donec reprobatis iterum nouis tanquam rerum ignaris(ne dicam ignauis)ſummus Princeps antiquos, & olim vſitatos in Inſulæ iſtius expugnatione viros probare diſponens: Ioanni de Curcy ſummam rerum gerendarum noſtrarum commiſit. Sub quo in primis tanto regnum ampliore cæpit pace gaudere:quanto Ioannes armis & animoſitate pręcellebat. Puta, qui penitimas terræ partes tam Corcagiæ,ſcilicet, quam Conactiæ fines ſtatim audacter tranſpenetrãdo, familiamq; deſidia torpeſcere nõ dimittendo, cũ creberrimo nunc ſuorum nunc hoſtiũ damno varias fortunę vices,& ſemper incertã bellici certaminis alcã,tentare non formidauit. Qui vtinã tantum Ducis, quãtum militis habens:

tam

Digitized by Google

tam prouidentiæ ducalis, quam audaciæ militaris excellentia prȩualuiſſet. Acceſſit & incommodum omnium maius quod Eccleſiæ Chriſti in nouo principatu noſtro, nihil de nouo conferentes: non tantum principali largitione, debitoq; dignam honore non iudicauimus: quin imo terris ſtatim ſublatis & poſſeſſionibus, priſtinas eidem dignitates, & antiqua priuilegia, vel mutilare contendimus, vel abrogare. Cum igitur ſuper vniuerſis, quæ nobis acciderant, mecum non mediocriter anxius extiterim, & prȩcipue ſuper hac Saluatoris iniuria, ſuſpirioſe mihi multoties cogitationes in animum aſcenderint: nocte quadam in ſomnis (ex reliquiis forte cogitationum) viſionem vidi: quam & in craſtino ſtatim Venerabili Dublinienſium Archiprȩſuli Ioanni, non abſque vtriuſque admiratione propalaui. Viſus enim ſum mihi, videre filium Regis Ioannem, in viridi quadam planitie, tanquam Eccleſiam fundaturum. Cumque metantium more ceſpitem vndique ſignando, terræ faciem linealiter aperuiſſet: fabricam Archetypam ſenſili quodam modo circumponens: tandem corpus Eccleſiæ ſignatione poſterior aliquantulum capax: Presbyterium autem enormiter arctum apparuit, & informe. Tanquam Laicorum in Inſula partem non modicam: Cleri vero minimam efficere potuiſſet. Cumque ſatis ibidem, vt videbatur, ſuper eidem adiicienda, tam amplitudine maiore quam forma digniore, fruſtra ramen diſputauerim: ipſa tandem contentionis anxietas, experrecto ſomnum excuſſit. Tot igitur exceſſus, & tanti licet vtriſque plurimum: plus tamē prauis conſiliis, quam puerilibus annis ſunt imputandi. Terra quippe rudis adhuc, & prorſus informis: eruditis & maturis ingeniis informanda fuiſſet. Si enim regio quæuis, quanquam ſtatum olim ſortita laudabilem: cum puero principe regitur, maledicta cenſetur: quanto magis cum rudis & informis, rudi traditur & informando? Quod autem prauis prȩcipue conſiliariis tanti defectus eſſent imputandi: murmur quidem erat, inter minores, & quaſi certum etiam apud maiores, & diſcretiores. Quidam enim qui peramplas regni terras in primis, & fertiliores olim habuerant, ac fructuoſiores: vel in feodum minus prouide datas, vel etiam magnis ex partibus occupatas, quique ad ſingulare forſan regni dominium, propter occupationes Regis & ſuorum nimias, nonnunquam aſpirauerant: vt res ad vota non procederet (nec fidem patri debitam, nec filio fidelitatem fidei ſacramentique: nec non & homagii vinculo præſtitam, &, quanquam triplici, ſoluendo tamen ex facili * reſpicientes) procuraſſe videbantur.

* reſtituentes

De tripartita familia.

DENIQVE tripartita nobis in primis familia fuerat: Normanni, Angli, Noſtri in Hibernia reperti. In ſumma familiaritate primos habuimus: in minori, medios: in nulla poſtremos. Primi vino, quo nutriti fuerant, carere nō valentes: in remotis marchiis & caſtris procul à mari conſtructis, moram facere modis omnibus recuſabant: Solum filii Regis latera ſtipare: ſolum filio Regis inſeparabiliter aſſiſtere, procul ab inopia, non procul à copia poni cupientes: verboſi, iactatores, enormium iuramentorum authores, Aliorum ex ſuperbia contemptores. In ſtipendiis & donariis ſumendis prompriſſimi. Deniq; ad honorem ſuſcipiendum ſemper primi: ad onus ſuſtinendum ſemper vltimi ſunt reperti. Quoniam igitur antiqua Inſulæ militia (cuius aggreſſu via nobis in Inſulam data fuerat) quaſi ſuſpecta, quaſi repudiata: ſolum nouis conſilia cōmunicantes: ſolum nouis fidem habentes, ſolum nouos dignos honore putauimus: effectum eſt, vt illis ſe retrahentibus, & inuitis operam non ingerentibus, in cunctis agendis parum iſti profeciſſent.

Qualiter Hibernica gens ſit expugnanda.

CAP. XXXVI.

IN qualibet nimirum expeditione (ſicut artifici credendum in ſua arte) ſic horum prȩcipue ſtandum eſt arbitrio: qui circa ſimilia patriæ negotia conuerſati diutius & viſitati: mores gentis & modos agnoſcunt. Quorumq; magnopere refert, vt gens inimica, quarum ex crebris belli diutini conflictibus, hoſtilitatem plurimam, & odium implacabile contraxerunt: eorundem opera vel debilitari poſſit, vel deleri. Fœlices quoque dixerim Cambriæ fines, quos Anglorum gens inhabitat: ſi Rex eorundem in partibus illis gubernandis, & propulſandis inimicæ gentis iniuriis, hac olim vſus arte fuiſſet. Noui vero quanquam in terra ſua; milites egregii fuerint, & armis inſtructiſſimi: Gallica tamen militia, multum ab Hibernica, ſicut & à Cambrica diſtare noſcitur. Ibi namque plana petuntur, hic aſpera: ibi campeſtria, hic ſilueſtria: ibi arma ho-

nori, hic oneri: Ibi ſtabilitate vincitur, hic agilitate: Ibi capiuntur milites, hic decapitantur: ibi redimuntur, hic perimuntur. Sicut igitur vbi militaris acies de plano cõueniunt: grauis illa & multiplex armatura, tã linea ſcil. quam ferrea, milites egregie ornat & munit: ſic vbi ſolum in arcto confligitur, ſeu loco ſylueſtri ſeu paluſtri, vbi pedites potius, quam equites locum habent: longe leuis armatura præſtantior. Contra inermes namque viros (quibus ſemper in primo ſtatim impetu, vel parta eſt ſtatim vel perdita victoria) expeditiora ſatis arma ſufficiunt, vbi fugitiuam & agilem per arcta, vel aſpera gentem, ſola neceſſe graui quadam & armata mediocriter agilitate cõfundi. Cum illa nimirum armatura multiplici, ſelliſque tecuruis, & aliis difficile deſcenditur: difficilius aſcenditur: difficillime cum opus erit, itur pedibus. In omni igitur expeditione ſiue Hibernica, ſiue Cambtica, gens in Cambriæ marchiis nutrita, gens hoſtilibus partium illarum conflictibus exercitata: competentiſſima eſt puta fortiſſimis & formatis à cõuictu moribus audax & expedita (cum alea Martis exegerit) nunc equis habilis, nunc pedibus agilis inuenta: cibo potuq; non delicata, tam Cerere quã Baccho, cauſis vrgentibus, abſtinere parata. Talibus Hibernia viris, initium habuit expugnationis: talibus quoq; cõſummabilis finem habitura conquiſitionis. Vt igitur ſingula queq; locum teneant, ſortita decenter: contra graues & armatos, ſolumq; virium robore, & armorum ope cõfiſos, de plano dimicare, victoriamq; vi obtinere cõtendentes, armatis quoq; viris & viribus opus hic eſſe procul dubio proteſtamur. Cõtra leues autem & agiles, & aſpera petentes: leuis armaturæ viri, taliumque preſertim exercitati congreſſibus adhibendi. In Hibernicis autem conflictibus & hoc ſummopere curãdũ: vt ſemp ſagittarii militaribus turmis mixtim adiiciãtur: quatenus & lapidũ (quorum ictibus graues & armatos cominus appetere ſolent, & indemnes agilitatis beneficio, crebris accedere vicibus & abſcedere) è diuerſo eminus ſagittis iniuria propulſetur. Præterea pars terræ citerior vſq; ad* Simem fluuiũ (qui tres Inſulę partes orientales, à quarta & Occidentali ſeparat & ſecernit) erebra caſtrorum conſtructione ſtabiliatur, & muniatur. Vlterior vero quę Connactiam ſimul & partem Momoniæ, trans Sinnenum, pręter vrbẽ Limericenſem (quę modis omnibus expugnãda eſt, & approprianda) annuis auri tributis interim arceatur. Satius enim eſt, & longe ſatius paulatim primo locis idoneis caſtra conſerere, & quaſi pedetentim in eorundem conſtructionem procedere, quam intetuallis diſtãria magnis variis paſſim locis multa conſtuere: nec inuicem ſibi vel cohætentia, vel neceſſitatis articulis opitulantia.

* Sinnenum.

Qualiter gube[r]...

Cap. XXXVII.

GENS itaque fidei tenetrimæ, nec leuis minu[s] animo quam corpote: ſic expugnãda, ſic expugnata, modolato regimine gubetnanda. Conſtantis & vindicis animi viris, curæ committantur: qui & pacis tempore, dum legibus obtemperat, & ſeruire non recuſat: ipſam interim ſtabili conuentione deliniat & honore præueniat. Cum autem innatæ leuitatis vitio, à pace reſilire pręſumpſerit: diſſimulata prorſus manſuetudine, continuo iniuriam vindicta ſequatur: Cum iterum ad pacem reuerſi fuerint: condigna delicti ſatisfactione ſecuta (quoniam poſt inimicitias iræ meminiſſe, malorum eſt) quamdiu fæliciter ſteterint: diſſimulata prorſus iniutia, priſtina ſtatim tam ſecutitate gaudeant, quam honore. Quatenus tam ad obſequendum, quam pacis bona ſequendum, & pręmium inuitet: & à temerariis auſibus, ſecutura ſemper pœna deterreat.

Porro qui iſta confundunt, in delictis deferendo, in obſequiis deprimendo, in guerra blandiendo, in pace deprędando imbelles ſpoliando, rebelles venerando, (ſicut plæroſque vidimus) hi confuſa ſub ſe cuncta reddentes, demum & ipſi confunduntur. Prætetea (quia minus ea lædere ſolent, quæ pręuidentur) pacis tempore contra imminentia Martis incommoda, tam caſtrorum cõſtructione, quam ſylueſtrium viatum ampliatione, vir prudens præmuniatur, & pręparetur. Semper enim inſidias ſub pacis fuco, gens hæc inimica molitur. Vnde & quoniam expedit, alienis in malis fugienda intueri (quippe indemnis eſt caſtigatio, quam pręedocent exemplaria) inſignium virorum exemplo, tam Milonis Coganenſis, & Radulphi iuuenis egregii, quam Hugonis de Lacy: nec non & Rogetii Poerii: nunquam à ſecuribus ſit vlla ſecuritas. Nam vt Topographia teſtatur: Nationis ſubdolę longe fortius timenda eſt ars, quam Mars: pax quam fax, mel quam fel, malitia quam militia, proditio quam expeditio: amicitia pręfucata, quam inimicitia deſpicata.

Item,

Item, vt ait Euodius: Ruina præcedentium poſteros docet, & cautio eſt ſemper in reliquum, lapſus anterior. Quoniam igitur abundans in his cautela non nocet, quinimo vix ſufficit etiam exquiſitiſſima: ſtatim vt gens hæc plenæ ſubiectioni colla ſubmiſerit: ad modum nationis Siculæ, edicto publico, graui quoque tranſgreſſionis pœna ſtatuta: ab armorum omnium vſu procul arceatur. Interim autem illud deteſtabile proditionis inſtrumentum, quod de antiqua, imo iniqua conſuetudine ſemper in manu quaſi pro baculo baiulant, pacis nunquam vel loco vel tempore geſtare præſumant. Denique quoniam Brytanniæ Reges prædicto tenore multiplicato Hibernia iure contingit: & quoniam inſulæ iſtius abſque commodis & commerciis illa nequaquam ſubſiſtere poteſt: non indecens eſſe videtur, in auro vel auibus, quibus abundat, huic tributariam illam conſtitui, vt ſic in poſterum cuncta grauaminis atque diſcordiæ ſubmoueatur occaſio. Et quoniam tempora tranſcurrunt, & vltra gradus omnes linea ſanguinis in æuum extenditur: annuo tributo, tanquam perpetuo Chirographo, in Britannici perennem tam regni, quam Regis honorem, expugnationis huius memoria retineatur.

Finem igitur hic hiſtoriæ ponentes: dum ea, quæ ſcimus, loquimur, & quæ vidimus, fideliter teſtati ſumus: nouis de cetero hiſtoricis tam indolis egregiæ, geſta futura digno coæquanda, explicandaq; ſtylo, nunc relinquamus.

PROOEMIVM SECVNDÆ EDITIONIS, & correctoriæ Regi Anglorum Ioanni factæ, & dedicatæ, eodem auctore.

REVERENDISSIMO Domino ſuo: & in Chriſto dilecto: Nobili & Illuſtri Anglorum Regi Iohanni: Domino Hiberniæ, Duci Normanniæ & Aquitanniç, & Comiti Andegauenſi: Giraldus opus ſuum, & cum corporis animæque ſalute, proſperos in terris ad vota ſucceſſus.

Placuit olim Excellenti & Magnanimo Regi Henrico patri tuo, me in Hiberniam à latere ſuo vobiſcum tranſmittere. Vbi cum multa notarem noua quidem & notabilia: cæteriſque regnis aliena prorſus & incognita; materiam ibidem cum diligentia colligens & congerens: Hibernicam poſtmodum in Anglia Topographiam de mirabilibus Hiberniæ ſcilicet, & ſitu eiuſdem librum edidi, & in patris tui laudem triennii labore digeſſi. Cui quoniam labor hic placuit, vtpote principi (quod noſtris rarum eſt diebus) literarum eruditione conſpicuo: ad ipſius poſtmodum inſtantiam ſuper expugnatione regni eiuſdem hac vltima per ipſum & ſuos facta, iterato quidem & fere continuato labore. Sed nec iſto, nec illo (quia probitas laudatur & alget) remunerato, librum emiſi.

Verum quoniam aut per incuriam, aut potius propter occupationem nimiam terræ illius inter occidentales inſulas non ignobilis, iam diu in animo veſtro viſa quodammodo quaſi ſopita memoria fuit: ad eam excitandam, librum eundem iam correctius quidem & plenius editum, veſtræ ſublimitati deſtinare curaui. Vbi à Lageniæ Principe Dermitio per ſuos in exilium pulſo, & ad patrem veſtrum in tranſmarinos Neuſtriæ fines profugo, auxiliumque ab eo poſtulante obnoxius & impetrante, inchoata hiſtoria: vſque ad aduentum veſtrum in inſulam primum (vbi & vobiſcum fuimus) & quæ ibi tunc geſta, & à ſingulis Ducibus & Magnatibus illuc tranſuectis, à primis ſeriatim vſq; ad vltimos temporis illius, quid actum ibi vel boni vel mali fuerit, aperte declaratur.

Hic itaq; tanquam in ſpeculo dilucido cōſiderari, longeq; certius & plenius veritate hiſtorica perpendi poterit: quibus gloria conqueſtus huius amplior & maior digne attribui debet. An primis eiuſdem aggreſſoribus Meneuenſis ſcilicet diœceſis, noſtriq; generis viris: an ſecundis Landaffenſis, ſcilicet viris generoſis reuera magis, quam animoſis. A primis quidem inuitatis, & tanquam exemplo ſucceſſuum ſuorum ad ſimilia prouocantis: an aduentui tertio virorum & armorum ac victualium, & totius apparatus copia referto.

Multum etenim contulit, qui principium dedit: multū qui nobili principio non modicas veniendo demum vires adiecit. Longe plus autē ceteris omnib. qui totā tam primis quam ſecundis autoritatem apponens, atq; licentiam prębens, proprio deniq; aduentu tota ſibi regione ſubacta (ſed propter feſtinam nimis eiuſdem à terra

reuerſionem,& inteſtinam ſuorum factam in ipſam conſpirationem,nondum in formam ſtabilem plene redacta)totum ſtrenue negotium conſummauit. Ius itaque veſtrum patriſque veſtri labotem tam egregium (Rex animoſe) ne parui pendatis: gloriamque veſtram,& honorem tantum alııs,& alienis,indignis pariter,& ingratis,non tribuatis.

Et propter inſulam argenteam (cum duplex bonum ſit, & vnum alterum non excludat, ſed appetibilius & pretioſius duplicatum exiſtat) inſulam auream non omittatis. Aurum enim Atabıæ, & argentum Achaiæ, vnum & idem, diuerſis quanquam aceruis,ætarium implere ſolet. Præterea ad hoc vos etiam inducete poteſt, quod veſtræ de cetero Hiberniæ non immemor ſitis. Cum enim plurimos iam filios tam naturales quam legitimos vobis Deus & fortuna fœcunda contulerint, & plures hic in breui conferre queant: quatenus duos illorum duobus in regnis regia dignitate ſublimare poſſitis: & innumeros quoque ſub illis viros, præcipueq; ſub Hibernico (cum regio rudis adhuc ea ſit, & informis: & à noſtris maiori ex parte nondum habitata, vel efficaciter occupata) de nouo feodare, & copioſe ditare valeatis. Quod ſi nec propter glotiam veſtram multiplicandam, nec proptet prolem veſttam locupletandam amplius & ſublimandam Hiberniæ veſtræ curam adhibere velıtis, propter hoc ſaltem id faciatis, vt veterem militiam veſtram tam patri veſtro quam vobis in fide ſtabili ſemper obnoxiam & deuotam (cuius etiam aggreſſu terra illa primum obtenta fuit, & vſque in hodiernum, adhuc retenta) quam noui quidam & recenter aduecti, fortunaque magis ibidem, quam virtute prouecti, quatenus in aliorum labores abſque labore luccedant, opptimere non ceſſant, ſubleuare poſſitis & reformare. Illorumque ſupetbiam deiicere potenter, & ceruicoſam inſolentiam humiliare. Quæ in tantam arrogantiam, & tam præſumptuoſam iam erumpunt, vt ad ſingularem etiam regni illius principatum ſibi vſurpandum, auſi ſint (vt fama pronuntiat) aſpirare. Vnde & ad hoc facere quoque plurimum debet: quod cum in anteriora vos extendendo, in Orientem maxime verſam (vt decet) faciem habeatis: & ad iniurioſe ſublata totis, per Dei gratiam, niſibus reuocandum aſpiretis: nihil ab Occidente verendum, nihil prorſus à tergo timendum relinquatis. Hoſtes namque domeſticos iugirer in inſidiis excubantes, & ſemper inſutgendi, ſolum tempus & locum expectantes: ſedibus in veſtris terriſque propriis ſi cutetis, licet occiduis quidem, velut à tergo tamen tam propinquis, tanquam vel in ſinu veſtro ſerpentes abſcondere, vel etiam ignem in gremio poſitum, & iam in flammam etumpere promptum ac paratum confouere: manifeſtum proculdubio non ſolum incutiæ magnæ, verum etiam ignauiæ, vel etiam inertis inſipientiæ ſignum foret. Tutum enim eſt principi cuilibet, nulla prorſus in terris ſuis hydræ capita fouere. Tutum, Inſulanis præcipue Regibus, nullam in regnis ſuis, omni ex latere, præter mare ſolum Marchiam habere. Porro ſi propter hæc omnia, vel aliqua horum, induci forte poſſitis, vt terræ veſtræ toties dictæ, deſolatæ dudum & quaſi deſertæ miſereri cum effectu velitis, eamque in ſtatum redigere laudabilem, vobiſque & veſtris non inutilem affectetis: hoc à nobis (Britannicæ forte naturæ noſtræ leuitate, quam mutare non poſſumus, aut exuere) Regiæ Maieſtati conſilium detur. Quatenus ea duo, quæ patet veſter Adriano Papæ pepigerat olim proptet licentiam impetandam intrandi Hibetniam, & expugnandi (prudenter & diſcrete ſibi ſuiſque prouidens, cum ſupremam in terris, tanti tamque cruenti in Chriſtianos aggreſſus, auctoritatem ſibi comparauit.) Scilicet Eccleſiam Dei in finibus illis exaltare, & denarium annuum de ſingulis domibus Beato Petro, ſicut in Anglia fit, ſic & in Hibernia dare. Iuxta tenorem priuilegii eiuſdem Papæ, ſuper hoc à patre veſtro prudenter & circumſpecte perquiſiti, & in Archiuis Wintoniæ fideliter repoſiti (quemadmodum inferius hiſtoria manifeſte declarat.) Ad exonerandam tamen patris veſtri, qui hæc ptomiſerat, animam, quoniam (vt ait Salomon in prouerbiis) nihil minus Principem decet, quam labium mendax: præcipueq; cum Deo mentiri, & creaturam ſuo creatori ſponte tranſgredi, periculoſum exiſtat, & plectibile: quam ad veſttam quoque & veſtrorum liberandam: qui clypeum alium aut defenſionem contta diſtrictum iudicem tanti fidelium cruoris effuſi, & adhuc forſan effundendi, vobis & veſtris non habetis, deuota complere voluntate ſatagatis. Quatenus ſi de hoc conqueſtu (ſicut decet, & debet) Deus honoratur, & proſperitas in terris, vobis ac veſtris augeatur, & perpetua denique felicitas, quæ ſuperat omnia, ſubſequatur.

Proptet hoc etenim promiſſa: ſed hactenus omiſſa: duos ibi tanquam vltione diuina

diuina, credibile eſt, defectus accidiſſe, quod ſcilicet tam diu efficacia conqueſtus illius, & conſummabilis vtilitas eſt dilata: Et quod primi ac præcipui terræ illius expugnatores, verbi gratia: Robertus filius Stephani, qui primus ex noſtris terram illam intrauit, & tanquam aliis viam aperuit atque oſtendit. Herueius de monte Mariſco, & Reymundus: Iohannes de Curcy, & Meylerius legitimam de carne ſua prolem ſuſcipere non meruerunt. Nec mirum. Mendicat enim miſer in Inſula clerus. Lugent Eccleſiæ cathedrales, terris ſuis & prædiis amplis quondam ſibi fideliter & deuote collatis, à prædictis, & aliis vel cum ipſis, vel poſt ipſos aduectis, ſpoliatæ. Ec ſic Eccleſiam exaltare, verſum eſt, in Eccleſiam ſpoliare vel expilare.

Hæc igitur emendet Princeps bonus, ad cuius & ſpectat honorem (quamuis quoque Deus in cauſa minime foret) vt in terris ſuis clerus vbique, qui ei in conſiliis ſuis, cunctiſque regni negoriis magis arduis, & rebus agendis principalibus fideliter aſſiſtere debet, honore debito lætetur & ſubleuetur. Et vt in aliquo tam cruenti quæſtus huius, & conqueſtus particeps & placatus Deus exiſtat: promiſſus cenſus ille modicus ſatis atq; modeſtus (omnes quippe libetans, & neminem grauans) de cetero detur. Item eadem in patientia & hoc adiicimus, quatenus in memoriam expugnationis huius Hibernicæ per Anglos factæ (quia crebra Dominorum per vices rerum varias fieri mutatio ſolet) & ad ſanguine remotos, vel etiam prorſus extraneos: tranſcurſu temporum hereditas plerunq; deuolui videtur) in annuo auri vel auium, vel etiam arborum tributo firmiter ſtatuto, quaſi perpetuo chirographo, & indiſſolubili vinculo regnum Hibernicum Anglicanæ coronæ ſubiectum, omni palam tempore fiat. Veruntamen cum res per interpretem non adeo ſapit, aut animo ſedet: ſicut proprio & idiomate noto prolata: alicui, ſi placet, lingua ſimul & literis erudito, ad transferendum in Gallicum opus, non ocioſus hic liber committatur: qui forte fructum laboris ſui, quoniam intelligi poterit, aſſequetur: quem nos quidem minus intellecti (quia Principes minus literati) hactenus obtinere non valuimus. Vnde & vir eloquio clarus W. Mapus Oxonienſis Archidiaconus (cuius animæ propicietur Deus) ſolita verborum facetia, & vrbanitate præcipua dicere pluries, & nos in hunc modum conuenire ſolebat. Multa, Magiſter Giralde, ſcripſiſtis, & multum adhuc ſcribitis, & nos multa diximus: vos ſcripta dediſtis, & nos verba. Et quanquam ſcripta veſtra longe laudabiliora ſint, & longæuiora, quam dicta veſtra: quia tamen hæc aperta, communi quippe idiomate prolata, illa vero, quia Latina, paucioribus euidentia, nos de dictis noſtris fructum aliquem reportauimus: vos autem de ſcriptis egregiis (principib. nimirum literatis & largis, obſoletis olim, & ab orbe ſublatis) dignam minime retributionem conſequi potuiſtis. Sane quoniam dulciores anni noſtri, & tempora robuſtiora, quod ad literatos noſtros labores attinet, iam tranſierunt irremunerata: nunc ſeneſcentibus nobis, cum tanquam in ianuis aſſiſtens mors immineat: de cetero nos temporaliter remunerari, nec expetimus à quoquam, nec expectamus. Solum hoc etenim amodo deſideramus, & deſiderare debemus; vt diuinum in primis & præcipuis fauorem: nobis per opera bona, eius cooperante gratia, imo totum efficiente, qui gratis omnia præſtat, comparemus: & humanam per opuſcula noſtra gratiam, ſi literarum decus quandoq; reſurgat, & in ſtatum redeat, ſaltem in poſterum, cum ſuus ex merito quemque tuebitur honor, aſſequamur.

EXPLICIT.

ITINE-

ITINERARIVM CAMBRIÆ; SEV LABORIOSÆ BALDVINI CANTVAR. ARCHIEPISCOPI PER WALLIAM LEGATIONIS, ACCVRATA DESCRIPTIO;

AVCTORE SILVEST. GIRALDO Cambrenſe.

CVM ANNOTATIONIBVS DAVIDIS POVELI ſacræ Theologiæ profeſſoris.

ILLV-

Digitized by Google

ILLVSTRI VIRO OMNI TAM VIRTVTIS QVAM DOCTRINÆ LAVDE CLARISSIMO, PHILIPPO SIDNÆO, AVRATÆ militiæ equiti, Dauid Pouelus ſalutem dicit.

TRIA *ſunt omnino (ornatiſſime vir) quæ hominem perficiunt, eumq; vere nobilem atque celebrem reddunt: Quorum primum in antiquorum rebus geſtis cognoſcendis; Secundum in præſentibus ad communem omnium vtilitatem referendis; Tertium in eorum, qui venturi ſunt commodis procurandis, poſitum eſt. Quid enim viro nobili magis conuenit, quam præteritas antiqui temporis memorias animo euoluere; egregia clariſsimorum virorum facinora mente recolere; Rerum publicarum formas, initia, progreſſus & ſtatus ante oculos ponere; euentorum cauſas & effectus notare; illuſtres hiſtorias conſeruare, & è tenebris in lucem educere, & ea, quæ cum virtute coniuncta reperiantur, ex illis elicere, atque ad vitam recte componendam referre? Quid porro viri boni officio magis accommodum, quam ſe totum reipublicæ commodis (propriæ vtilitatis emolumentis poſthabitis) deuouere; vniuerſam ſuam induſtriam, curas & cogitationes in bono publico promouendo collocare; in eoq; ſolo mentem occupatam habere, quo adepto animus acquieſcit nil amplius deſiderans? Quid deniq; veræ nobilitati magis proprium quam de futuris bene mereri, poſteritati prouidere, iiſque, qui nondum nati ſunt, benefacere? Hinc etenim æterni nominis gloria prouenit, Hinc perennis famæ celebritas oritur, Hinc laudabilis memoria apud poſteros naſcitur recordatio. His virtutum ornamentis qui præditi ſunt, non ſolum viri boni, ſed etiam vere nobiles cenſendi ſunt: digni ſane, qui à principibus in conſilio adhibeantur, rebus gerendis præficiantur, & ſummis honorum titulis afficiantur. Hæc omnia tibi & domeſtica & hereditaria exempla ſunt (ornatiſſime* Philippe Sidnæe) *quæ in nobiliſſimo tuo patre, tanquam in ſpeculo quodam tibi ad imitandum propoſita reſident: Quo nemo antiquis priſci temporis hiſtoriis recenſendis promptior, nemo in notandis & cognoſcendis rerumpublicarum formis peritior, nemo in reſtituendis clariſsimorum virorum trophæis, renouandiſque eorum memoriis diligentior extitit. In publica autem vtilitatis procuratione, cum priuata diſpendio, non vereor illum cum continentiſsimis multorum ſeculorum magiſtratibus conferre. Nam vt omittam, quæ in rebus bellicis ſumma ſua cum laude publicaque vtilitate geſsit, longiore oratione digna, in 30. annorum (quibus Cambriæ aut Hiberniæ præfuit) regimine, ne vnius quidem pedis latitudinem terrenæ poſſeſsionis, in illis regionibus, vel à principe ſibi dari procurauit, vel ab incolis accepit aut concupiuit. Et tamen in illis locis, non ſolum ordinarium ſibi deſignatum ſtipendium, ſed & proprios etiam patrimonii ſui redditus, ad Reipublicæ vtilitatem & ſui Principis honorem laudabiliter impendit. Ita enim ſemper publico commodo addictus erat, vt ſuam interim priuatam negligeret vtilitatem. Quantam vero eorum, qui ſequenti ætate futuri ſunt, curam habuerit, Caſtellaque refecit, xenodochia quæ reparauit, viæ publicæ quas emendauit, ruinoſæ domus quas readificauit, & hiſtoriæ magnis eius ſumptibus comparatæ, partim iam editæ, partim breui etiam edendæ, apud poſteros teſtificabuntur. Idem etiam probat hoc Giraldi Itinerarium, cuius exemplar peruetuſtum ab eo mihi ad publicandum commiſſum eſt. Quod cum duobus aliis exemplaribus contuli, quorum vnum à Clariſſimo viro D. Gul. Cecilio Barone Burghlenſi, Summo Angliæ Theſaurario, magno rei literariæ patrono, & huius Reipublicæ conſiliario ſapientiſſimo vigilantiſſimoque, alterum à Gulielmo Awbrey L. Doctore Curiæque Audientiæ Cantuar. Iudice integerrimo accepi: quorum omnium facta collatione hanc editionem paraui. Quam meis quibuſdam Annotationibus, tam ad pleniorem hiſtoriæ intelligentiam, quam ad fabuloſæ relationis obſeruationem illuſtratam, ſub tuo nomine in publicum exire volui: tum vt antiquæ nobilitatis & magnæ literaturæ ſcriptor peruetuſtus, nobilem etiam & literatum patronum ac defenſorem haberet: tum etiam vt hoc* μνημόσυνον *te ad paternam imitationem incitarem. Macte ergo virtute (Ornatiſſime Philippe) & in antiquis auctoribus euoluendis & conſeruandis, communiq; Reipub. bono procurando, & poſteritati conſulendo paternis veſtigiis inſiſte: Sidnæam familiam, antiquitate, & rebus geſtis claram & illuſtrem cumulatius orna, & ex celebri celeberrimam redde. Deus optimus Max. timorem ſuum ſanctum, qui veram ſapientiam parit, tibi largiatur. Ruabonæ tertio Calend. Iulii,*

1585.

VITA

VITA GIRALDI CAMBRENSIS EX *eius ſcriptis, Lelando & Baleo collecta.*

SILVESTER Giraldus illuſtri genere in Cambria natus (vnde Cambrenſis appellatus eſt) nobiliſſimi illius Giraldi de Winſor, qui primus Penbrochiæ caſtrum conſtruxit, & Neſtæ filiæ Reſi filii Theodori, Demetiæ Principis, nepos extitit. Qui in bonis literis liberaliter educatus, dum adhuc adoleſcens eſſet, ſtatura procerus, facie & forma nitidus, ac doctrina præclarus fuit, cuius cauſa totam fere Europam peragrauit, & poſt ingentes in ea relabores Pariſium perueniens, artium ſcholas in Anglorum collegio rexit, per triennium quoque auditor Theologorum effectus, omnem fere ſcripturam poſtea expoſuit, & omnium literarum gloria celebris factus, cæpit eius nomen vbique in honore haberi, vnde ab HENRICO SECVNDO Rege accerſitus, in Curiam venit, & Regi à ſecretis conſtitutus eſt: Deinde Iohanni eius filio Tutor aſſignatus cum illo in Hiberniam miſſus eſt, vbi antiquas eius regionis Hiſtorias diligentiſſime colligens eas ſcriptis mandauit.

Poſtea Meneuenſis & Brechonenſis Archidiaconus factus, Balduino Cantuariorum Archipræſuli comes adiunctus vniuerſam Cambriam peragrauit, & cum eo in Syriam profectus eſt. Tum domum reuerſus magnam reliquæ ſuæ vitæ partem in litibus cum Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo pro Metropolitano Meneuenſis Eccleſiæ iure conſumpſit: vnde in Romanorum Pontificum decretis eius nomen celebre habetur.

Hic tametſi Angliæ Regibus ſemper charus extiterit, & plures legationis pro illis obierit, multos tamen in Curia ex primi nominis nobilibus aduerſarios habuit: de quibus in Præfatione libri ſui de Principis inſtructione ita ſcribit:

Ad Curiam igitur à ſtudio, peccatis exigentibus, à Rege vocatus, (cui nihil minus menti, quam mentiri, nihil deſiderio magis, quam decipere, quam differre, quam ſequentium animos & obſequentium dilationibus cruciare) circa eundem, eiuſdemque defuncti filium atque hæredem, & vtinam non vitioſum; irreparabili damno duo fere luſtra conſumens, nihil ab illis præter inanes vexationes, & vacua veris promiſſa ſuſcepi.

Si quid enim gratiæ morum grauitas, ſi quid literæ, ſi quid induſtria conferre potuit; totum id ſuſpectum, totum infeſtum, totum exoſum Walliæ nomen ademit. Tres enim naturæ partes, quamquam ab Anglis & Normannis linea contraxerim originali, totamque præterea conuictus (à quo & mores formantur) vim, partem, & proprietatem, longam quoque commorandi conſuetudinem, quæ & alteram ſibi naturam comparare ſolet: ex quarta tamen parentalis propagationis columna, & poſt tertiam prima tanquam genialis quadrigæ rota à Troiana nobilitate contracta, totum infici, & modico quaſi fermento maſſam corrumpi, ſemperque in elationem extolli gens inimica coniectat.

Vnde & quoniam inter Anglos (vt diximus) noſtra tam morum inſtitutio fuerat, quam conuerſatio: in Cambria vero natio reperta eſt & cognatio: Compactum eſt ex his & confectum, vt vterque populus me ſibi tanquam alienum reputans, & non ſuum, ſemper oculo reſpexerit nouercali. Alter ob hoc ſuſpectum habens, & alter exoſum.

Acceſſit & aliud inter incommoda, quod ſi quid à nobis egregie dictum vel geſtum fuerit, ſtatim quoad licuit, aut illud inuidia ſuppreſſit, aut malitia peruertendo corrupit, in huiuſmodi plerunque verba prorumpens: A Cambria poteſtne aliquid boni eſſe? ſin autem (humanis vt mos eſt exceſſibus) aut pes à linea quandoque titubare, aut à litera vel ſyllaba cadere lingua videbatur, in mediis quoque & indifferentibus, nec laude dignis, nec vituperio, ſtatim hoſtilis irriſio, cum exclamatione Cambriæ vitium exprobrauit, tanquam patriæ cognata fuerit enormitas, & innata.

Mihi vero viſum eſt, & indubitata veritate compertum, quod ſicut nonnullos regio compoſita malos educat, & incompoſitos, ſic aliquem interdum regio Barbara bonum producere poſſit & eruditum: Quia non tam locus perſonam, quam perſona laudabilis locum illuſtrat. Hæc ille.

Ex quibus manifeſte apparet, inuidiam virtutis comitem eſſe, Principiſque fa-

uorem inſtabilem atque incertum plurimos decipere. Quidam Monachus Ciſtercienſis Gulielmus Wibertus nomine, Giraldum proditionis accuſabat: Sed eius periculum (Deo donante) vir eruditus ac pius euaſit. Claruit tempore H. 2. R. 1, & Io. vixitque vltra ſeptuageſimum vitæ annum, & in Meneuenſi Eccleſia tandem ſepultus iacet. Domicilium habuit in Brechinia, vt ipſe teſtatur Itiner. libro primo, capite tertio.

ADMONITIO AD lectorem.

HOc te vnum (humaniſſime lector) admonitum eſſe velim: in hoc auctore edendo mihi aliquando conſultum fuiſſe, fabulas omnes & abſurda miracula, ad ſacrificorum auaritiam conficta, penitus reſecare. Verũ cũ amicos hac de re conſuluiſſem, vna voce omnes clamitant, meũ illud propoſitũ ab antiqua fide longe alienum eſſe, eaq; ratione quamplurimos fore, qui auctorem à me mutilatum atque diminutum eſſe iure quererentur. Vnde prudentiori eorum conſilio acquieſcens, ſatius eſſe duxi illum integrum cum omnibus ſuis ἀτοποῖς in lucem emittere, quam fidem violare: præſertim cum intelligerem, veritatis aduerſarios his ſuis ridiculoſis & abſurdis fabulis (quas pro vero Chriſti Euangelio populo obtrudere conantur) redargui, & ſuis propriis quaſi telis confici.

IN ITINERARIVM GIRALDI PRÆFATIO PRIMA, AD STEPHANVM CANT. ARCHIEP.

SICVT *variis rerum motibus & mutationibus tempora mouentur: ſic diuerſis morum curriculis temporalium hominum animi trahuntur. Satyricus clamat:*

» Mille hominum ſpecies & mentis diſcolor vſus
» Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto viuitur vno.

Et illud Comicum: Quot capita, tot ſententiæ, ſuus cuique mos eſt. Vnde & quoniam diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur: Armata militia tyrones exultant, togata vero cauſarum patroni delectantur. Alii cumulandis diuitiis anxie ſuſpirant, & ſummum bonum opulentiam putant. Hi Galenum approbant. Illi Iuſtinianum amplectuntur. Honorum cupidi Curiam ſequuntur, & rediuiua fame cruciatos grauiter ſauciat, nec ſatiat ambitio. Liberalibus artibus nonnulli ſed hodie pauci & parui indulgent: inter quos & Logices alumnos admiramur. qui quum aliquantulum profecti fuerint, tanta ſtudii ſui voluptate trahuntur, vt in illis Dialecticæ gyris atq; meandris pleroſq; videamus, tanquam ad Syreneos ſcapulos conſeneſcere. Sed inter tot hominum ſpecies, vbi diuini Poetæ? vbi nobiles morum aſſertores? vbi linguæ Latinæ moderatores? Quis hodie ſcriptis ſiue Poeticis ſeu hiſtoricis literatam adornat eloquentiam? Quis vnquam, noſtri temporis vel mores aſtruit, vel inclyte geſta perpetuis literarum vinculis æternitati aſcribit? Adeo literarum honor in ſummis olim gradibus conſtitutus, quia ſic omnia fato in peius ruere, & retro ſublapſa referri, iam procliuis in ruinam, ad ima deuolui videtur: vt earum addicti ſtudiis non ſolum hodie non imitabiles, non venerabiles: verumetiam odibiles reperiantur. Felices quippe, vt ait

» Fabius, eſſent artes, ſi de illis ſoli artifices iudicarent. Naturaliter enim, vt ait Sydonius, fixum eſt ra-
» dicatumq; pectorib. humanis, vt qui ignorant artes, contemnant artifices. Ceterum, vt ad priora reuertamur: Quæ mundo plus contulerunt quæſo, arma Mariana, an carmina Virgiliana? Sed olim Marii gladios rubigo conſumpſit: qui vera ſcripſit Æneada, perpetua Maronis extat gloria. Et tamen quanquam literatis ſub principibus literæ tunc in honore fuiſſent, ab ipſo ſcriptum inuenies: Tantum

» Carmina noſtra valent arma inter Martia, quantum
» Caonias dicunt aquila veniente columbas.

Adhæc etiam vtrum fœcundior ac fructuoſior extiterit hæſitas, opera Hieronymi an opulentia Craſi? Sed vbi hodie Craſi vel nitet argentum, vel rutilat aurum? vbi Cœnobitæ pauperis orbem & irradiat ſtudium, & illuſtrat exemplum? Et tamen cum tantus fuiſſet Romæ per inuidiam, contumelias & verbera paſſus, ac demum trans mare pulſus Bethlemiticam ſtudio ſuo ſolitudinem elegit. Inter hæc erga, quæ contulimus, hoc diſtare poteſt, quod aurum & arma vitam hanc fulcire videntur, poſt mortem nil valitura. Verum è diuerſo ſcripta nihil in vita propter inuidiam proſunt,

Doctrina contemptus.

ſunt, perpetuũm à morte ſortitæ valorem. Sicut igitur teſtamenti, ſic & ſcripti auctoritas mortis atramento confirmatur. Iuxta illud Poetæ:

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit:
Cum ſuus ex merito quemque tuetur honor.

Et illud:

Deniq; ſi quis adhuc prætendit nubila, liuor
Occidet, & meriti poſt me referentur honores.

Præterea qui facultates, qui ſanitates ſuis artificiis vel conferre, vel conſeruare nituntur, dum alienis tantum ſcaturiunt verbis, propriis parum gloriantur inuentis. Compoſitores quippe tam ornati ſermonis quo tam varii caſus in tanto iuris corpore tam eleganti ſtilo complectuntur, perpetuis efferendi præconiis extant. Auctores ſiquidem elegantium verborum non auditores tantum, repertores non recitatores, dixerim laude digniſſimos. Curiam autem, & Logicam, tam in alliciendo, quam in vix deſerendo perſimiles inuenies. Dialectica tamen notitiam tanquam aliarum omnium tam ſcientiarum, quam artium acumen, cum moderamine moræ inculpatæ, certum eſt eſſe perutilem. Curiam vero niſi blandis ſolum palponibus & ambitioſis, non neceſſariam. Nempe ſi quæſtum facis in Curia, ne tanto fortius allicit, & annectit ambitio non miſſura tutum, non Curiam, niſi plena: ſin autem labor in damno eſt, adhuc tamen annum apponis, & iterum annum anno, & in infinitum, vna cum cenſu tempora perdideris: iacturam temporis, quæ irreparabilis eſt, & omnium maior incurris. Curiam igitur & aleam quadam videas proprietate conformes. Quoniam, vt ait Poeta:

Curia incommoda.

Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor.
Dum reuocat cupidas alea blanda manus.

Leui namq; mutatione, haud diſſimiliter dicas:

Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere lucis,
Dum reuocat cupidas Curia blanda manus.

Hoc etiam adiiciendum puto, quod ſicut Aleæ ſic & Curiæ caſus delectu carens, dignis & indignis æque reſpondet. Inter tot igitur hominum ſpecies quoniam trahit ſua quemque voluptas: & quoniam variis vexantur pectora votis: me quidem ſcribendi ſtudium eligere poſteritatis cura coegit. Et quia momentanea & fluxa eſt præſens hæc vita, iuuat ſaltem in futuro memoria viuere, & perpetuis famæ titulis laudis honore celebrari. Egregia namque mentis indicium eſt, ad illud enitendum elaborare, quo ſibi inuidiam in vita, gloriam poſt fata comparauerit. Perpetuum eſt itaque, quod auctores quodque Poetæ principaliter affectant, temporale commodum ſi forte acceſſerit non recuſantes. Sed quia principibus parum literatis & multum occupatis, Hibernicam Anglorum Regi Henrico ſecundo Topographiam: eius denique filio, & vtinam vitiorum non ſuccedaneo Pictauenſium Comiti Richardo Vaticinalem Hiſtoriam: vacuo quondam quoad acceſſorium illud & infructuoſo labore peregi. Tibi, vir inclite, STEPHANE CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPE, *quem religio pariter & literatura commendant, laborem noſtrum per horridos Cambriæ fines non illaudabilem, in duabus particulis ſcholaſtico ſtilo tam digerere quam deſtinare curaui. Virtus enimuero, quia ſeſe diligit, aſpernaturque contraria: quæcunque in hoc libello, coepiſcopi & deceſſoris veſtri penultimi viri venerabilis & Metropolitani antiſtitis, veris laudum titulis adſcripta reperis: te non minori affectu quam ſi propria fuiſſent credimus amplexurum. Quibus expletis, Deo duce vitaque comite libellum tibi de principis inſtructione promitto: Si, ſopitis interdum tam orationum inſtantiis quam occupationum curis, lectioni quandoque vacare potueris, munus acceptum. Hos igitur & alios noſtræ diligentiæ fructus tuæ deguſtandos diſcretioni, ſuis ſingulos temporibus deſtinare propoſui: vt te noſtra ſi forte mouere nequeunt opera, moueant vel opuſcula: moueant, inquam, & tam gratiam eliciant, quam gratum reddant: qui nempe carnali minime motus affectu, in largiendis dextra munifica (quibus excellis beneficiis) non ſanguinem, non ſobolem, ſed literas potius & merita penſas: quem in tanta, tam continua regni ſacerdotiique diſceptatione paucis comitatum, Anglicana Eccleſia firmum inuenit ac fidelem: in quem hodie fere ſolum & fideliter electum, illa epiſcopalis viri canonica deſcriptio cadere videtur & concordare. Non itaque pilleum ſuſtinendo, non puluillum ſupponendo, non pluuiam extrahendo, non puluerem (& ſi nullus fuerit) excutiendo, ſed inter alios palpones tibi ſcribendo placere conſtitui. Tibi, inquam, vir præclariſſime, vir inſignis, vir virorum perpaucorum, vir in quem quicquid fere in terris antiſtitem decet, incomparabili gratia, tam induſtria quam natura congeſſit. Et ſi forte nec tibi in hunc modum placere præualeam, tum quia lectionis horam tam oratio ſuffocat, quam occupatio, tum etiam, quia literarum olim honor euanuit: ſaltem ſi quandoque reſurgat; poſteritati.*

ALIA AVCTORIS PRÆFATIO adeundem.

QVONIAM ea, quæ laudabili deuotione geſta naſcuntur, debitis non indigne præconiis efferuntur: Animus quoque, quia ſi remittitur amittitur, & deſidia torpor vires eneruat ingenii: ferrum ſitu rubiginem ducit, & capiunt vitium ni moueantur aquæ. Ne ſtilum ocioſum ærugo conſumat, deuotam Cantuarienſis Archiepiſcopi Balduini per Cambriæ fines legationem, literarum monumentis dignum duxi commendare. Loca igitur inuia, per quæ tranſiuimus, & tam fontium quam torrentum flumina nominatim expreſſa, verba faceta, viæque labores, & caſus varios; notabiles quoque tam moderni temporis quam antiqui partium illarum euentus; patriæ naturam, naturæque mirandos interdum excurſus, patriæ quoque deſcriptionem, hoc opuſculo quaſi ſpeculo quodam dilucido, per te vir inclite Stephane Cantuarienſium Archiepiſcope, poſteritati præſentaui: ne vel ſtudium ocio depereat, vel laus ſilentio delitescat.

ITINERARII CAMBRIÆ, SEV LABORIOSÆ B. CANT. ARCHIEP. PER WALLIAM LEGATIONIS LIBER PRIMVS.

De tranſitu per Herefordiam, & Radnoram cum notabilibus ſuis.

CAP. I.

ANNO igitur ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo octuageſimooctauo, Apoſtolatus apicem regente Vrbano tertio; Imperante Romæ Alemannorum rege Friderico; Conſtantinopoli Iſaacio; Regnante in Francia Philippo Ludouici filio; In Anglia Henrico ſecundo; In Sicilia vero Wilhelmo; In Hungaria Bela; In Paleſtina Guidone; anno ſcil. quo Saladinus tam Ægyptiorum, quam Damaſcenorum Princeps, occulto Dei iudicio, ſed nunquam iniuſto, publico belli certamine victoria potitus Hieroſolymorum regnum obtinuit, vir venerabilis, & tam literatura, quam religione conſpicuus, Cantuariorum ARCHIPRÆSVL BALDVINVS, in Salutiferæ Crucis obſequium ab Anglia in Walliam tendens, apud Herefordię fines Cambriam intrauit. [1]

Radnora. Accedens itaque Radnoram [2] circa ieiunii caput, viro magnifico RANVLPHO GLANVILLENSI præcipuo Regis tunc Conſiliario, regnique totius iuſtitiario eo vſque comitatus: Reſum Gruffini filium Auſtralis Cambriæ Principem, cum aliis partium illarum viris nobilibus ibidem obuium habuit. Vbi ſermone ſtatim ſuper negotio crucis ab Archipræſule publice facto, & per interpretem Wallenſibus expoſito, primus omnium, ad importunam, quæ præceſſerat, Regis inſtantiam, & pollicitis plenam tam Archiepiſcopi quam iuſtitiarii regis ex parte perſuaſionem, qui ſcripſit hæc (aliis exemplum præbens) ſe primus erexit, & ad validiſſimam quoque omnium inductionem, ad pedes viri ſancti prouolutus, Crucis ſignaculum deuote ſuſcepit. Quem illico Petrus Meneuenſis Epiſcopus, & Cluniacenſis Monachus tam imitatus eſt, quam ſecutus. Deinde Æneas Æneæ Claudii filius Elueniæ Princeps cum aliis multis. Qui ſtatim exurgens, & coram Reſo, cuius filiam vxorem habebat, aſſiſtens, veſtra, mi pater, inquit, & domine licentia ſummi patris iniuriam vindicare depropero. Reſus autem cum certiſſimo ſanctæ peregrinationis propoſito, quam cito Archiepiſcopus terram ſuam intrauerit reuerſus, adeo vt per quindecim fere dies de clitellis & ſaginariis, de ſumptibus perquirendis, & clientibus, ceteriſque tanto itineri neceſſariis cum multa ſollicitudine diſpoſuiſſet, donec vxor eius & communi patriæ vitio in quarto gradu cognata Gwendolena ſcilicet Madoci Powiſenſis filia, ipſum à tam nobili propoſito (peccatis exigentibus) muliebriter inſtans penitus auertit. Quoniam, vt ait Salomon, cor hominis diſponit viam ſuam, ſed domini eſt dirigere greſſus eius. In ipſo vero diſceſſu

Reſi

Digitized by Google

Reſi, cum ſuper his, quæ audierat, ſuos conueniret, iuuenis quidam egregius de familia ipſius, cui nomen Gruffinus, qui poſtea crucem ſuſcepit, reſpondiſſe memoratur: quis vnquam animi virilis peregrinationis huius iter abhorreat, cum inter vniuerſa, quæ excogitari poterunt, eius incommoda nihil incommodius cuiquam, nihil deterius accidere poſſit quam tedire?

Acceſſerunt autem ad Reſum in reditu ſuo quidam Canonici Meneuenſes zelo Eccleſiæ ſuæ, maiores Curiæ, quos ſibi allexerant, complices habentes, & fautores: qui ei ſuggerere modis omnibus nitebantur, vt Archiepiſcopum Cantuarienſem (quoniam inauditum hoc hactenus fuerat) ad penitiores Walliarum partes, præcipue ſedem Meneuenſem, quæ caput eſt Walliæ, accedere nullatenus ſustineret, dicẽtes & aſſerentes eo ipſo, ſi proceſſerit, præiudicium magnum & grauamen in poſterum, antiquæ dignitati ſuæ recuperandæ, & Metropolitanæ ſedis honori poſſe proculdubio prouenire. Hęc, inquam, Principi toto conamine ſuadentes, ob innatam tamen eiuſdem liberalitatem & manſuetudinem, ne confuſionem viro ſancto repulſa generaret, perſuadere non valebant.

In craſtino vero mane poſt Miſſæ celebrationem, & Ranulfi Glanuilenſis in Angliam reuerſionem, cum apud Caſtrum Crukeri, quod quaſi duobus à Radnora paſſuum millibus diſtat, proficiſcetemur: iuuenis quidam robuſtus & validus, cui nomen Hector, ab Archiepiſcopo ſuper crucis ſuſceptione conuentus: ſi haberem, (inquit) vnde vno die comederem, & altero ieiunarem, monitis acquieſcerem. Die tamen ſequente, idem ab Archiepiſcopo crucem ſuſcepit. Circa vero veſperam venit Malgo Cadwallonis filius Princeps Meleniæ, qui ſtatim ad breuem Archiepiſcopi monitionem, ſed efficacem, non abſque ſuorum lachrymis & luctu, crucis ſignaculo eſt inſignitus.

Hic autem quaſi præ foribus mihi notandum occurrit, quod dominatori caſtri eiuſdem de Radnora, tempore Anglorum Regis Henrici primi contigit in terra Buelt, non procul abhinc diſtante, & eidem honori à primo conqueſtu adiacente. Cum enim Eccleſiam Sancti Auani (quæ Brytannice Llan Auan dicitur) intraſſet, & minus caute in eadem cum canibus venatoriis, atque irreuerenter pernoctaſſet, venantium more ſummo diluculo ſurgens, canes omnes inuenit rabie percuſſos, ipſe quoque cœcus effectus, & nihil omnino videns, ad manum extractus eſt. Et cum diu poſtea viuendo tenebroſam ſemper & tædioſam vitam duxiſſet, demum ſe Hieroſolymam duci faciens, ne & interior ei lucerna ſimiliter extingueretur, feliciter procurauit. Cum aliis igitur armatus ibidem, & ad bellicum conflictum vice quadam à ſuis productus, forti reſidens equo, animoſum inter primos in hoſtes fidei impetum fecit, vbi & ſtatim ferro confoſſus diem cum honore clauſit extremum. *Diui Auani vindicta.* *Melius feciſſet, ſi alteri ſtrenuo militi equum & arma tradidiſſet, ne in manus hoſtium deuenirent.*

In prouincia quoque de Warthrenion, quæ paucis abhinc ſtadiis diſtat his noſtris diebus, res accidit non indigna memoratu: Dominator enimuero loci eiuſdem Æneas ſcilicet filius Reſi, cum die quodam exire ſaltibus feras intenderet (puta, qui venationis ſtudio valde addictus fuerat) quidam ex ſuis arcum tenens ceruam exilientem ſagitta perforauit. Quæ quidem contra ſexus illius naturam inuenta eſt duodecim annotum cornua ferens, & prætetea tam in cauda quam alibi pluſquam cerui pinguedinem habens. Vnde & ob tanti prodigii nouitatem Anglorum Regi Henrico ſecundo, monſtri eiuſdem caput & cornua ſunt deſtinata. Illud hoc in caſu magis ſtupore dignum occurrit, quod vir ille, qui feram præſcriptam ſagittauit, mirum quo fato, quoue infortunio ſubita paſſione percuſſus, dextrum illico lumen amiſit, & eadem hora paralytico morbo correptus, vſque ad mortem inutilis omnino & imbecillis permanſit. *Cerua cornuta.*

In hac eadem prouincia de Warthrenion in Eccleſia videlicet Sancti Germani, Baculus, qui Sancti Cyrici dicitur, inuenitur: ſuperius in crucis modum paulliſper vtrinque protenſus, auro & argento vndique contectus. Qui quanquam virtuoſiſſimus in omni negotio comprobetur, longe plus tamen ad glandiculas gibboſas & ſtrumas, quæ in humanis corporibus excreſcere ſolent, euacuandas penitus & delendas, ſpeciali quadam virtute præpollet, adeo quidem, vt omnes paſſim, qui huiuſmodi vexantur incommodis, ſi baculum deuote cum vnius denarii oblatione petierint, optatam recipiant ſanitatem. Contigit autem his noſtris diebus, ſtrumoſum quendam ſolum obulum baculo præſentaſſe, cui per medium illico reſidens ſtrumoſus ille tumor euanuit: Et poſt puſillum poſtquam alterius obuli re- *Baculus Cyrici.* *Si nihil attulerit, ibi Hemata forat.*

Non eſt bonum ludere cum ſanctis.

relatione debita eſt oblatio redintegrata, & integra quaſi ſtatim curatio eſt ſubſecuta. Item alius ad baculum accedens eum certa denarii promiſſione curatus eſt: qui tamen die ſtatuta promiſſa non complens, priſtinum ſtatim incommodum cum confuſione recepit: ſed vt delicti veniam facilius impetraret cum trium denariorum oblatione, non abſque timore magno & deuotione beneficium triplicaſſet, continuo ſtabilis curationis gaudia recuperauit. Apud Eleuein autem in Eccleſia de Glaſeum eſt Campana baiula virtuoſiſſima, quam proprio vocabulo Bangu vocant, quæ & ſancti Dauid fuiſſe perhibetur, hanc mulier quædam viro ſuo, qui in caſtello de Raidergwy, iuxta Warthrenion (quod Reſus filius Gruffini noſtris diebus conſtruxerat) in vinculis tenebatur, vt eum vel ſic liberaret, clam allatam ſuppoſuit. Sed quoniam caſtellani non ſolum ob hoc virum non liberarunt, verum & campanam ipſam violenter captiuam quoque tenuerunt, nocte eadem vltione diuina totum oppidum præter parietem vnum vbi campana pendebat, igne proprio conſumptum eſt. Apud Luel quoque partibus de Brechinia noſtro ſimiliter tempore contigit Eccleſiam loci eiuſdem hoſtiliter combuſtam, omnia prorſus intus & extra præter pixidem vnam, in qua hoſtia conſecrata repoſita fuerat conſumpta fuiſſe. Contigit autem in Eluenicæ prouincia, quam ſolum ab Haya flumen Vagenſe diſterminat duo ſtagna non modica, nocte quam Anglorum Rex Henricus primus duxit extremam: à clauſtris, alteri à natura, & alteri humano labore collatis, ſubito erupiſſe: Artificiali longius per deuexa dilapſo, curſuque præcipiti demum, vt mos eſt, euacuato: naturali vero nō vltra duo paſſuum millia in valle quadam cum prioribus piſcibus & accidentibus non abſque multorum admiratione perpetua ſtabilitate ſtatum ſortito. Contigit & hac tempeſtate in Normanniæ partibus, paucis ante obitum Henrici ſecundi diebus, vt in ſtagno quodam non procul à Sagio quaſi per quinque miliaria diſtante apud Oximenſe caſtrum, piſces omnes (quibus abundabat) tanto conflictu tam in aqua ipſa, quam extra exilientes nocte quadam congrederentur, vt vicinorum hominum multitudinem ipſo colliſionis ſtrepitu ad ſpectaculum euocarent. Tanto nempe tamque lethali certamine congreſſi ſunt, vt in toto viuario vix vnus mane vita ſuperſtes inueniretur, miro & inaudito prognoſtico, multorum morte mortem vnius præſagientes. Quanti vero & quam enormes exceſſus ſuper fratrum & conſobrinorum exoſculationibus, ob miſeras terrarum ambitiones in his inter Vagam & Sabrinam, Melenyth ſc. Elucin & Walthrenion finibus, his noſtris diebus acciderint, ſatis Walliæ fines memoriter tenent & abhorrent.

Campana Bangu.

Pixis fortaſſe miraculo e in aere pendebat, alii tota Eccleſia eſſet combuſta.

Prælium Piſc.

ANNOTATIONES IN

Caput I.

VT huius tam legationis quam peregrinationis cauſa intelligatur, ſciendum eſt, terram ſanctam, poſtquam incredibili Chriſtianorum quorundam Principum virtute circa Ann. Domini 1099. ex infidelium manibus erepta eſſet, atque octuaginta octo annorum ſpacio non ſolum fortiter & ſtrenue defenſa, verumetiam Chriſtiane & pie adminiſtrata: hoc tempore Guidonis Luſignani ambitione, Raimundi Tripolitani Comitis proditione & perfidia, aliorumque Principum inteſtinis diſſidiis, in Saladini Damaſcenorum & AEgyptiorum Regis poteſtatem, magno Chriſtiani nominis dedecore deueniſſe. Quod cum ad Vrbani tertii Pontificis Romani aures perueniſſet, dolore ex ea clade concepto vitam finiiſſe dicitur. Vnde Gregorius octauus eius ſucceſſor, pro ſua propenſa in rem Chriſtianam voluntate, per omnes prouincias ad Eccleſiaſticæ functionis viros ſelectos literas dedit, quibus mandat, vt crucem prædicando, ad Chriſtiani orbis defenſionem, & afflictis fratribus opem ferendam, ſerio indulgentiis propoſitis (vt Rom. Pontificum mos eſt) omnes hortarentur, eoſque quantum poſſent ad hoc tam pium bellum allicerent. Ex illorum numero, quibus hoc negotium demandatum erat, hic Balduinus Cantuarienſis Archiepiſcopus fuit, qui ea in re omnem ſuam curam & cogitationem poſuit, grauiſſimos labores pertulit, hanc Cambriæ peregrinationem ſuſcepit, & tandem ea de cauſa in Syriam profectus, omnes ſuas facultates ad ſubleuandas militum neceſſitates impendens, ex hoc mundo migrauit.

Maeſeuetæ.

Maeſeuetæ (inquit Lelandus) olim incolebant orientalem Cambriæ limitem ad ſiniſtram, qua Vaga defluit ripam: à quibus ea vrbs Maeſeuet dicta eſt, quæ nunc Radnora dicitur. Nomen vero gentis à pratis lata fertilitate luxuriantibus crediderim exortum eſſe. A tempore Offa Regis Merciorum longe potentiſſ. cui lis & ſimultas erat (vt apparet ex epiſtolis Flacci Albini Eboracenſis) cum Carolo M. cepit luculenta incremēta Herefordia, vrbs clariſſimi Ethelberti Regis orientaliū Anglorū ac martyris monumento, & gentis prima ſedes merito habita eſt. Ego aliquando legi apud Marianum Scotum, & Rogerum Houedenum Maeſeuetas aliter Maſegetas & Mageſetas appellatos. Hac Lelandus

Digitized by Google

De tranſitu per Hayam & Brecheiniam cum N.S.

CAP. II.

TRANSEVNTES inde verſus Brecheinoc, flumine Vageſi tranſcurſo, ſtatim apud *Hayam* [1] ſermone facto, inter multos ibidem cruce ſignandos, quoſdam vidimus *Haya.* qui relictis veſtibus, quibus alii ab amicis, alii ab vxoribus retinebantur, vſque in caſtrum ipſum curſim ad Archiepiſcopum euaſerunt. Mane vero verſus *Aberhodni* iter arripuimus, & verbo domini apud Landeu ſeminato ibidem pernoctauimus. Dicitur autem *Aberhodni*, caſtrum & prouinciæ caput, ibi ſitum vbi riuus Hodni in aquã Oſeæ *Aberhodni* deuoluitur. Aber enim lingua Brytannica dicitur locus omnis vbi fluuius in fluuium *Aber.* cadit. Landeu vero eccleſia Dei ſonat. Archidiaconus quoque loci eiuſdẽ, opus ſuum nõ ignobile Hibernicam ibidem Topographiam Archiepiſcopo præſentauit. Quod ipſe gratanter accipiens ſinguliſq; diebus obiter ipſum vel legens attente vel audiens, tandem in Angliam reuerſus lectionem vna cum legatione compleuit. Ea igitur quæ noſtris temporibus his in partibus notabilia contigere, prętereunda non putaui. Accidit itaq; pariter ante guerram illam grandem, qua tota fere prouincia illa per filios Ieſtini in exterminium data fuerat: [2] vt lacus ille magnus qui fluuium Leueni ex ſe *Llyn Sauathan.* tranſmittit, ſimul cum ipſo fluuio in Vagæ flumen contra Glesbyriam ab ipſo deſcendente, viridiſſimi coloris inueniretur. Conſulti autem ſuper hoc terræ illius ſeniores quidnam portendere potuiſſet, reſponderunt parum ante magnam illam deſolationem per Hoelum filium Mereditti factam, ſimilis coloris aquã inuentam fuiſſe. [3] Contigit quoq; eadem tempeſtate capellanum quendam, cui nomen Hugo, Capellæ ſancti Nicholai in caſtello de Aberhodni deſeruientem, in ſomnis vidiſſe virum quendã *Per Hoelum & Meredythum factam.* venerabilem ei aſſiſtentem & dicẽtem: Die domino tuo Gulielmo de Breuſa qui prędium capellæ S. Nicholai olim in eleemoſynam datum detinere præſumit, verbum iſtud, *Hoc aufert fiſcus quod non accipit Chriſtus, Dabis impio militi quod nõ vis dare ſacerdoti.* Cum hoc itaque ſemel, ſecundo, & tertio ei accidiſſet, veniens ad loci illius Archidiaconum apud Landu, tam viſionem quam verba memoriter retenta, (quæ nunquam tamen ante audierat) ei propoſuit, ipſe vero Auguſtini ſtatim hæc eſſe verba dignoſcens, locumque ſcripturæ vbi reperiuntur oſtendens, caſum quoque in quo Auguſtinus ibi loquitur aperuit: Inuehitur enim in decimarum & obuentionum ſeu rerum quarumlibet eccleſiaſticarum detentores: Et quod eis ibi minatur, infra breuiſſimum tempus huic certiſſimum eſt contigiſſe detentori. Vidimus quippe noſtris diebus & indubitata veritate comperimus, principes eccleſiaſticarum poſſeſſionum vſurpatores, pręcipue vero Anglorum regem Henricum ſecundum noſtris diebus regnantem & hoc vitio prę aliis laborantem, modica fermenti maſſa corrupta, nouis ea occaſione emerſis incommodis, theſauros vniuerſos profudiſſe, ſtipendiario dantes nulliti, quæ dari debuerant ſacerdoti.

De viro tamen prędicto Gulielmo, videlicet de Breuſa, quanquam in hoc plurimum offenderit: quia nihil humanum omnino perfectum: omniumque habere notitiam (vt ait Imperator) & in nullo peccare, potius diuinitatis eſt quam humanitatis. Hoc equidem memoratu dignum cenſui, quod in omni ſermone ſuo ſemper dominum anteponere conſueuit, dicens: In nomine Domini fiat hoc: ex Dei parte fiat illud: Item ſi Deo placuerit: vel ſi Deus annuerit: vel per Dei gratiam futurum eſt ita. Quod autem in hunc modum Deo ſit ſemper totum committendum, eiuſque voluntati commendandum, habemus ex Paulo, qui ſicut in Act. Apoſtolorum legitur, valefaciens fratribus dixit; *Iterum reuertar ad vos Deo volente*: Similiter & Iacobus in epiſtola ſua adiectiones huiuſve; *Si Deus voluerit, & vixerimus* ſingulis de futuro promiſſionibus faciendas oſtendit, diuinæ voluntati & diſpoſitioni cuncta relinquẽdo. Literas quoq; quas varias ad partes veluti diues & prępotens mittere ſolet, à Deo gratioſis huiuſmodi diuinæ indulgentiæ verbis onerare ſeu potius honorare cõſueuerat, vt in tedium plerumq; maximum, nõ ſolum notariis, verumetiam auditoribus vergi ſoleat. Singulis etiã notariorum, vt literas omnes diuini auxilii verbo cõcluderent, pter cõmunia ſtipendia aureũ annuatim denarium dabat. Ad hęc etiam ex deuotionis abũdantia, quoties iter agendo, vel in eccleſiam vel in crucem aliquam, oculos conuertit, quanquam in curſu ſermonis cum quocunque ſeu plebeio, ſeu potente verbum fieret, ſtatim ſe transfert ad orationes: quibus expletis, à diuerticulo repetit orationem. Præterea quoties pueros in via obuios habet, eos illico ſalutatione pręueniens ad reciprocam inuitat ſalutationem, vt ſic innocentum benedictio vel extorta cum ſalutationis eulogio refundatur. Horum etiam omnium & ſponſa eiuſdem,

dem; Matildis de ſancto Valerico conſuetudinem habuit, mulier (inquam) prudens & pudica? mulier domui ſuæ bene præpoſita: mulier non tantum intus conſeruando, verumetiam extra multiplicando prouidentiſſima. Qui vtinam ambo tam finalem in tempore fœlicitatem & gratiam quam æternitatis gloriam fuerint ex deuotione conſecuti.

Accidit etiam in eiſdem partibus pueri cuiuſdam pullos columbinos in eccleſia ſancti Dauidis de *Lhanuaes* à nido ſubripere volentis, lapidi ſuppoſito manum adhæſiſſe, miraculoſa forte ſancti illius vindicta auium eccleſiæ ſuæ indemnitatem procurantis. Cumque tribus diebus & noctibus puer cum parentibus & amicis in ipſa eccleſia coram altari vigiliis, ieiuniis & orationibus inſtitiſſent, tandem die tertio vinculo diuinitus relaxato, manum à lapide virtus quę ligauit abſoluit. Vidimus eundem apud Newbyriam in Anglia manentem, ſe Meneuenſi epiſcopo Dauid ſecundo ibidem pręſentantem, & tranſactis ætatum gradibus iam ſenem ex puero factum, quoniam in epiſcopi illius diœceſi iſta contigerant, ſibi hæc accidiſſe certiſſima relatione confitentem. Lapis vero in eccleſiam prędicta pro reliquiis vſque in hodiernum diem reſeruatur, quinque digitorum veſtigiis tanquam in cera preſſorum in ſilice comparentibus.

Pulli potius pro reliquiis reſeruandi erant, quia præſtantior eſt cauſa quam inſtrumentum, & viua mortuis ſunt anteponenda.

Reliquias ſanctorum malunt à miſeris oblationes accipere quã illis quicquam dare.

Miraculum autem haud longe diſſimile his noſtris diebus accidit apud S. Edmundum, mulier miſerrima ad ſcrinium viri ſancti quaſi ſub deuotionis obtentu accedere conſueta non tamen afferre quicquam ſed auferre parata, argentum & aurum ab aliis oblatum, exquiſito furti genere deoſculando ablambere ſolebat, & ore reconditum aſportare. Quæ cum ſemel (vt ſæpius conſueuerat,) id feciſſet, labiis & lingua feretro firmiter adhæſit, argentumque ingeſtum diuinitus deprehenſa palam euomuit, accurrentibus quoque multis admirantibus tam Iudæis quam Chriſtianis maiori diei parte vt amplior virtus eluceſceret & nulli dubium foret, ibi immota remanſit & inconuulſa.

Sanctimoniales non poſſunt ferre concubinas ſacerdotum, qui vouerunt cælibatum.

Item in borealibus Angliæ trans Humbrum finibus in eccleſia de Houedene, rectoris eiuſdem eccleſiæ concubina tumbæ ſanctæ Oſanæ ſororis regis Oſredi ligneę in ſedis modum ſuper aream eminenti minus caute inſedit. Quæ cum inde recedere vellet, fixis ligno natibus auelli non potuit, donec accurrente populo, ſciſſis veſtibus, & corpore nudato, & crebris diſciplinis vſque ad ſanguinis profluuium acriter afflicto, cum lachrymis quoque multis & ſupplicationibus compunctione ſequuta & pœnitentia iniuncta diuinitus laxata receſſit.

Pſalterium Quindredæ.

Miraculum monaſticum & vigiliarum catholica deuotio.

De Pſalterio quoque Quindredæ ſororis ſancti Kenelmi, cuius inſtinctu interfectus erat, virtus magna noſtris diebus emicuit. Cum ſubcelerarius vigilia ſancti Kenelmi ſeſto apud Winchelcumbe, aduentantibus mulierum turbis de vicinia & notitia monachorum ad feſtum vt ſolent, cum quadam illarum intet ſepta monaſterii fornicationem incurrit. Qui die craſtino ad proceſſionem Pſalterium prædictum inter reliquias ſanctorum ferre præſumens, completa proceſſionis ſolennitate reuerſus in chorum, idem manibus ſuis firmiter adhærens deponere non pręualuit. Qui ſtupefactus plurimum & confuſus, tandem delictum heſternum ad mentem reuocans, confeſſione facta & pœnitentia iniuncta fratrum orationibus adiutus, & propria compunctione contritus, à vinculo diuinitus dato demum abſolui meruit & laxari. Liber autem ille ideo in veneratione magna ibi tenetur: quia cum corpus Kenelmi exanime deferretur & clamarunt turbæ Martyr Dei eſt, eſt vere, Martyr Dei eſt. Reſpondit Quindreda fratricidii rea & conſcia, adeo vere martyr Dei eſt, ſicut verum eſt, quod oculi mei ſuper Pſalterium iſtud eruti iacent, ea enim hora Pſalterium forte legebat. Et ſtatim oculi eius ambo à capite diuinitus auulſi in librum apertum, vbi & veſtigia ſanguinis adhuc apparent, ceciderunt.

Torquis Canauci.

Torquis vtiliſſimus ſi hodie extaret.

Præterea de torque, quam S. Canauci dicunt, tacendum non cenſui. Eſt etenim auro tam pondere & natura quam colore ſimillimus. Ex quatuor fruſtis ſicut ex rimulis patet; orbiculariter in verticem inſectis, artificioſe commentus, & capite quaſi canino rictuoſis hinc inde dentibus extante per medium complexus. Hunc autem pro reliquiis habent indigenæ virtuoſiſſimis, adeo vt hoc coram poſito nemo peierare pręſumat. Apparet autem ictus in torque magnus quaſi ferreo marculo factus. Quidam enim, vt fertur, auri cupidine ductus, cum annulum infringere niteretur vindictam diuinitus ſentiens, oculo eſt ſtatim orbatus vtroque: & ſic quamdiu poſtea vixit, tedioſam in tenebris vitam perduxit.

Cornu ſancti Patricii.

De cornu quoque ſancti Patricii non aurco quidem ſed æneo quod in partes

iſtas

iſtas ab Hybernia nuper aduenit, haud diſſimile obſtupendum: Cuius virtus ex fatua & inepta Bernardi presbyteri cornicatione, terribili exemplo in finibus iſtis primum emicuit: ſicut in Hybernica topographia noſtra propalatur.

Campanas baiulas, baculos quoque in ſuperiori parte cameratos, auro & argento vel ære contectos, aliaſque huiuſmodi ſanctorum reliquias, in magna reuerentia, tam Hyberniæ & Scotiæ, quam & Walliæ populus & clerus habere ſolent, adeo vt ſacramenta ſuper hæc longe magis quam ſuper euangelia & præſtare vereantur & peierare. Quippe ex vi quadam occulta & his quaſi diuinitus inſita, nec non & vindicta cuius præcipue ſancti illi appetibiles eſſe videntur, plerumque puniuntur contemptores & grauiter animaduertitur in tranſgreſſores. De Cornu quoque Patricii hoc equidem notabile cenſui, qui ad aurem appoſito capite foraminis ampliore, dulciſonam audias per ſe ſonoritatem emitti, qualis ex cithara nudata leuiter impulſa melodia ſolet educi.

Sus venatica.

Contigit autem his noſtris diebus eiſdem in finibus quod & notabile cenſui. Suillam ſilueſtrem quia canem forte lactauerat odoriſequis naribus ſagacem, cuius mamillis appoſita fuerat, adultam in ferarum perſecutione ad miraculum vſque fuiſſe perualidam, adeo quidem vt moloſſis ad hoc natura iuuante tam inſtitutis quam inſtructis, odorum ſagacitate longe præſtantior inueniretur. Argumentum tam hominem quam animal quodlibet ab illa cuius lacte nutritur, naturam contrahere.

Gilberti Hagernelli partus vitulinus.

In eiſdem quoque finibus & eodem fere tempore res accidit prodigioſa. Miles enim cui nomen Gilbertus cognomen vero Hagernellus, poſt diutinos continuoſque fere triennii languores, & grauiſſimas tanquam parturientis anguſtias demum videntibus multis, per egeſtionis feneſtram vitulum edidit. Noui alicuius & inuſitati futuri caſus oſtentum, aut potius nefandi criminis vltricem declarans indignationem.

Sancti Elwiti iumentum.

Præterea ex antiquis & autenticis partium iſtarum ſcriptis colligitur, tempore quo Sanctus Elwitus heremiticam apud Lhanhamelach vitam exegit, iumentum eiuſdem quo cibaria ipſius deferri conſueuerant ceruo emiſſario prægnans effectum eſſe ex quo & miræ velocitatis equus produit, anteriori parte equi naturam præferens, poſterius vero in ceruum deſcendens.

Bernardus de nouo mercatu.

Primus Normannorum hanc prouinciam quæ tribus Cantredis diſtincta conſeritur Bernardus de Nouo mercatu, noua contra Cambriæ ciues conquiſitione poſſedit. Hic filiam Neſtæ, filii Gruffini, filii Leolini, cuius tyrannis totam aliquandiu Walliam oppreſſerat, materno Neſtam nomine, quam & Angli vertendo Annes vocauere, ſibi matrimonio copulauit: ex qua & prolem ſuſcepit, in qua Miles egregius, cui nomen Mahel, hac paternum iniuria conqueſtum amiſit. Mater eiuſdem contra iugale vinculum adulterinis amplexibus militem quendam adamauit. Quo comperto militem noctu à matre redeuntem filius offenſus, flagellatum grauiter mutilatumque cum dedecore magno remiſit. Mater vero mira facti confuſione perculſa, muliebrique dolore anxie concuſſa, totum in vindictam virus euomuit. *Odium muliebre.* Accedens igitur ad Anglorum regem Henricum primum, aſſertione vindice magis quam vera, propoſuit, & coram curia publice ſacramento corporaliter præſtito confirmauit. Filium ſuum Mahelem non à Bernardo, ſed ab alio quodam quem ſecretis & illicitis adamauerat amplexibus, fuiſſe progenitum. Cuius iuramenti vel potius periurii cauſa, rex Henricus voluntate magis quam ratione permotus primæuam prędictæ mulieris filiam, quem ex Bernardi ſemine profeſſa eſt vere fuiſſe ſuſceptam, iuueni de familia ſua & militi inſigni, Miloni ſ. filio Walteri Conſtabularii Glouerniæ cum Honore de Brecheinoc nuptui dedit. Qui poſt modum ab eiuſdem regis filia & imperatrice Romana Matilde Comes Herefordiæ creatus eſt. Hic prolem egregiam ex eadem vxore ſuſcepit, in qua filii quinque milites inſignes, Rogerus, Gualterus, Henricus, Gulielmus & Mahel, neſcio qua vindicta, quave fatalitate ſiniſtra, intempeſtiua nece, rebus humanis exempti ſunt. Et tamen omnes præter Gulielmum ſibi inuicem ſine prole paternam in hæreditatem ſucceſſerunt. Sic igitur hæc mulier muliebri non degenerans à natura, vt vindici ſatisfaceret iracundiæ, cum graui pudicitiæ iactura, cum damno dedecoris atque pudoris, vno eodemque facinore & filium patrimonio & ſe priuauit honore. Nec mirum ſi mulier innatæ malitiæ morem gerat. Legitur etenim in Eccleſiaſte, *Virum vnum de mille reperi bonum, mulierem non inueni.* Et in Eccleſiaſtico, *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Item in eodem, *Breuis eſt viri malicia ſuper maliciam mulieris.* Et vt de ſpinis vuas, de tribulis ficus colligamus, muliebrem

deſcri-

Digitized by Google

deſcribens naturam Tullius, ait: Viri forte alicuius commodi cauſa, vnum aliquando ſcelus perpetrabunt: fœminæ vero vnius explendæ voluntatis cauſa, omnia ſimul ſcelera perpetrare non formidabunt. Item Iuuenalis loquens de mulieribus, inquit:

Iuuenal. Sat. 6.

——nihil eſt audacior illis
Depreuſis, iram atque animos à crimine ſumunt.

Et alibi.

Sat. 10.

——mulier ſæuiſſima tunc eſt,
Cum ſtimulos animo pudor admouet——

Et in eodem.

Sat. 13.

——collige quod vindicta
Nemo magis quam fœmina gaudet.

Prædictorum autem fratrum quinque & filiorum Comitis Milonis penultimus ille & poſtremus hæreditatis poſſeſſor, inhumana præ cæteris crudelitate notabilis, adeo in Meneuenſem Epiſcopum Dauid ſecundum, ſuaſque tam poſſeſſiones quam terras & homines deſæuire ſtatuerat, vt à finibus de Brecheinoc non præſul iam, ſed tanquam exul exiſtens, tam Angliam, quam alias diœceſis ſuæ partes frequentaret. Contigit *Brenedlio.* autem interea vt in caſtro de Brendlais, cum Gualtero de Cliffordia, Mahel hoſpitio ſuſceptus, ædibus caſuali incendio conſumptis, lapide à principali turre deorſum cadente percuſſus in capite lethaliter obrueretur. Et ſtatim miſſis nunciis prædicto loci epiſcopo cum feſtinatione reuocato, voce miſerabili proclamat: O pater & pontifex noſter, crudelem nimis in me vindictam ſanctus veſter exercuit, non conuerſionem peccatoris expectans, ſed mortem magis & euerſionem accelerans. Et cum huiuſmodi verba lugubri lamentatione ſæpius ingeminaſſet, anno dominationis ſuæ nondum completo vitam pariter & tyrannidem terminauit, & propriæ prædo confuſionis expirauit.

Erat autẽ antiquitus regionis illius q̃ Brecheinoc dicitur, dominator vir potens *Brachanus.* & nobilis, cui nomen Brachanus, à quo & terra Brecheinoc denominata eſt. 7 De quo mihi notabile videtur, quod ipſe 24. habuiſſe filias Hiſtoriæ Britannicæ teſtantur, omnes à pueritia diuinis deditas obſequiis, & in ſanctitatis aſſumptæ propoſito vitam fœliciter terminaſſe. Extant autem adhuc Baſilicæ per Cambriam multæ, earum nominibus illuſtratæ: quarum vna in prouincia de Brecheinoc non procul à ca- *Eilmethe Eluned.* ſtro principali de Aberhodni in collis cuiuſdam vertice ſita, quæ Sanctę Almedhæ eccleſia dicitur, hoc etenim virginis ſanctę nomen extiterat, quæ & ibidem terreni regis nuptias reſpuens, æterno nubens regi, fœlici martyrio triumphauit. Celebratur autem ſolemnis eiuſdem dies eodem in loco ſingulis annis in capite cal. Auguſti, vbi & eodem die multi de plebe longinquis ex partibus conuenire ſolent. Et variis languentes infirmitatibus meritis beati virginis optatam recipere ſanitatem conſueuerant. Illud autem hoc in loco mihi notabile videtur, quod in omni fere ſolemnitate *Cum plus ſatis forteſſe biberint.* virginis huius accidere conſueuit. Videas enim hic homines ſeu puellas nunc in eccleſia, nunc in cœmiterio, nunc in chorea, quæ circa cœmiterium cum cantilena circumfertur, ſubito in terram corruere, & primo tanquam in extaſim ductos & quietos: deinde ſtatim tanquam in freneſim raptos exilientes, opera quęcunque feſtis diebus illicitè perpetrare conſueuerant tam manibus quam pedibus coram populo repræſentantes. Videas hunc aratro manus aptare, illum quaſi ſtimulo boues excitare: Et vtrunque quaſi laborem mitigando ſolitas barbaræ modulationis voces efferre: videas hunc artem ſutoriam, illum pelliparìam imitari. Item videas hanc quaſi colum baiulando, nunc filum manibus & brachiis in longum extrahere, nunc extractum occandum tanquam in fuſum reuocare: iſtam deambulando productis filis quaſi telam ordiri: illam ſedendo quaſi iam orditam oppoſitis lanceolæ iactibus & alternis calamiſtræ cominus ictibus texere mireris. Demum vero intra eccleſiam cum oblationibus ad altare perductos tanquam experrectos & ad ſe redeuntes obſtupeſcas. Sic itaque diuina miſeratione, quæ peccantium conuerſione magis gaudet quam euerſione, multos vltionem huiuſmodi tam videndo quam ſentiendo, feſtis de cętero feriando diebus corrigi conſtat & emendari. Eſt igitur hęc terra ſatis abundans grano: Et ſi quis eſt defectus in nato, ex Anglicanę vicinitatis copia affatim ſuppletur allato, paſcuis & ſiluis, feris & armentis terra fœcunda: fluuialibus quoque piſcibus abundat, quos hinc Oſca, inde Vaga miniſtrat: ſalmonibus etiam & trutis vtraque: ſed plus illis Vaga, plus iſtis Oſca fœcunda eſt. Hyemali quoque tempore, Vagæ ſalmones, Eſtiuo vero, Oſcæ tempeſtiui reperiuntur: egregiis vero quas & vinbras vocant,

ſola

Digitized by Google

ſola timallis Vaga fœcunda eſt. In quorum laudem, quoniam & Mediolani illis abundāt, in Ambroſii libris reperitur. Quid, inquit, aſpectu pulchrius, quid odore ſuauius, quid guſtu iucundius? Luciis quoq; & perchiis trutiſq; peroptimis & tenchis anguilliſq; lutoſis, lacus ille de Brecheinoc magnus & famoſus (quem & clamoſum dicūt) patriam replet. De quo q; parum ante hæc noſtra tempora contigit prętereundum non putaui. Tempore namque Anglorum regis Henrici primi Gruffino filio Reſi filii Theodori, quanquam vnius commoti ſolum, id eſt, quartæ partis Cantredi de *Caoc* ſc. in *Canterf Mawr* tunc domino, tamen & nobilitate tenus in Southwallia quam Cambri *Deheubarth* i. dextralem Walliæ partem vocant, ſub rege principante. Cum idem Gruffinus à Curia regis per lacum prædictum fluuialibus diuerſorum generū auiculis hyemali algore redundantem reuerteretur, duces habens & deductores Milonem Herefordiæ Comitem & de Brecheinoc dominatorem, nec non & Paganum filium Ioannis, in cuius manu tunc Ewyas fuit, qui duo tunc temporis inter regis ſecretarios & præcipuos conſiliarios pro magnis babebantur. Comes Milo vt aliquem à Gruffino nobilitatis innatæ ſermonem eliceret, in hæc verba ludicro magis quam ſerio prorupit: Antiquum, inquit, verbum & ab antiquo in Wallia retentum eſt, quod ſi naturalis Walliæ Princeps ad hunc lacum veniens auibus eiuſdem præceperit vt canant, ſtatim omnes canent: ad quod Gruffinus plus animo diues quam auro: (ob hæreditatis namque diminutionem, nihil vnquam animoſitatis, nihil dignitatis minuens ſubiecit.) Tu itaque qui terræ iſtius nunc dominium geris, primo præcipias: At illo fruſtra præcipiente, ſicut & pręcepto Gruffini poſtea quoque Pagano. Videns Gruffinus ad eorundem inſtantiam, ſibi iam præcipiendi lege conſortii neceſſitatem incumbere: ſtatim ab equo deſcendens, & in orientem genua ponens, tanquam duelli conflictum ibidem ingreſſurus, nunc cernuus in terram & humiliter proſtratus, nunc oculis ac manibus in cœlum intentis, deuotas ad dominum fudit orationes, tandem itaque ſe ab orationibus erigens & crucis ſignaculo frontem ac faciem ſignans, palam ac publice proclamauit. Deus omnipotens & omnia ſciens Domine Ieſu Chriſte, tuam hic hodie declara virtutem.

Llyn Sauathan.

Quoniam ſi ex naturalibus Walliæ principibus me linealiter deſcendere feciſti, auibus iſtis vt hoc denuncient, in nomine tuo præcipio. Et continuo auiculæ cunctæ, quælibet in ſuo genere alis expanſis aquam verberando, canere vnà & proclamare cæperunt. Cunctis autem qui aderant ſtupidis effectis & conſternatis: Comes & Paganus ad Curiam ſtatim cum feſtinatione vniuerſi, cuncta per ordinem Regi admiratione maxima retulerunt. Quibus auditis Rex reſpondiſſe memoratur: per mortem inquit Chriſti (quo iuramento vti conſueuerat) non adeo eſt admirandum: quia licet gentibus illis per vires noſtras magnas iniuriam & violentiam irrogemus, nihilominus tamen in terris eiſdem ius hæreditarium habere noſcuntur. Plurimis quoque (vt accolæ teſtantur) lacus iſte miraculis pollet. Quemadmodum enim viridis aliquoties (ſicut pręſcripſimus) coloris, ſic ſanguineus aliquando noſtris diebus repertus eſt, non vniuerſaliter tamen ſed quaſi per venas quaſdam & riuulos ſanguinem manare compertus eſt. Ad hæc etiam totus ædificiis confertus, culturis egregiis, hortis ornatus & pomeriis ab accolis quandoque conſpicitur. Sub bruma quoque glacie conſtrictus & aquarum ſuperficie in lubricam teſtam frigore coniecta, ſonum horribilem tanquam multorum animātium in vnum collectorum mugitum emittit. Sed hoc forte glaciali teſtudine deorſum reſidente aeris incluſi, & per feneſtras occultas ſenſim exhalantis, ſubita interdum & violenta facit eruptio. Præterea montibus excelſis præterquam à Borea hæc vndique terra concluditur, à Zephiro montana de Cantref Bachan, ab Auſtro montes habens meridionales, quorum principalis *Cadair Arthur* dicitur. i. Cathedra Arthuri, propter gemina promontorii cacumina in cathedræ modum ſe præferentia. Et quoniam in alto cathedra & in arduo ſita eſt, ſummo & maximo Britonū Regi Arthuro vulgari nuncupatione eſt aſſignata. In excelſo mōtis huius vertice fontis ebullit ſcaturigo. Eſt autē fons in putei modum altus, ſed quadratus, nullum ex ſe riuulum faciens, in quo tamen & truræ quandoque (vt fertur) ſunt repertæ. His igitur obſtaculis ad meridiem appoſitis, à phebæo patriam feruore frigidior aura defendit, & inſita quadam aeris ſalubritate temperatiſſimam reddit. Ab Euro vero de Talgarth, & Ewyas montana prętendit. Quorum incolæ continuis inimicitiis & odio implacabili mutuis vulneribus ſanguinem fundere & cædibus inſiſtere non deſiſtunt. Quanti vero & quā enormes exceſſus ſuper matrimoniis cruentiſſimis, protractis tamen potius quam contractis, & ſanguinolento

Putabant fortaſſe aues ſuum antiquum dominum ſibi reſtitui

diuor-

Digitized by Google

diuortio præpeditis, cæteriſque multis crudeliter exactis, hoc noſtro tempore finibus iſtis acciderint, aliis explicare locum damus.

Annotationes in Caput II.

1 HAY, *Coryletum, Brytannice Trekelbi. Hic eruuntur Romanorum numiſmata, quæ vrbis antiquitatem facile indicant. Leland.*

2 *Habetur integra hiſtoria de exterminatione filiorum Ieſtini per Robertum filium Hamonis, & ſuos duodecim aurata militiæ viros nabiles, in Hiſtoria Cambriæ, noſtro labore nuper adita: & in Breuiario Brytannicæ deſcriptionis, H. Llhuyd, vnde huius loci explanatio petenda eſt.*

3 *De vaſtatione per Hoelum filium Meredythi, mendoſus plane locus eſt, qui per Hoelũ & Meredythum, emendari debet: fuerunt enim fratres, filii Edvini filii Æneæ filii Oeni, filii Hoels Dha: qui cum contenderent cum Leolino filio Siſylli pro Demetica principatu, ingentem Dacorum & Anglorum copiam, ſub ductu Edvini fratris Leofrici Merciorum reguli ad ſuum auxilium parantes & Brechinenſem prouinciam hoſtilem in modum intrantes, eam miſere deturbarunt & vaſtarunt incendio. Verum a Gruffino dicti Leolini filio victi atque cæſi ſunt, præter Hoelum qui fuga vitauit mortem, ſed poſtea ad confluentem Tyvvy inito cum eodem Gruffino conflictu cum magna parte ſuorum cecidit, vide Hiſt. Camb. Illi qui linguam Brytannicam norunt, facile perſpiciunt, vnde hic error emanauerit. Howel am Meredyth pro Howel à Meredyth interpretatum eſſe Giraldum quis non videt?*

4 *Ioannes Rex Angliæ generali totius regni interdicto preſſus, & veritus ne pontifex Rom. aut ipſum nominatim excommunicando, aut ſuos ſubditos à fidelitatis ſacramenta abſoluendo maiores illi crearet moleſtias: mandat regni ſui magnatibus (quos iniquiore in ſe animo eſſe ſentiebat) vt obſides illi darent, quibus poſſet eos in officio continere, ſi forte per pontificem à ſua fidelitate abſoluerentur. Cum ergo inter alios ab hoc Gulielmo Bruſio obſides peteret, Bruſii vxor procacitate quadam muliebri, viro ſuo verba præripiens, nunciis reſpondit: nolle ſe eorum domino filios ſuos credere, qui Arthurum nepotem ſuum quem honorifice tueri & defendere debuiſſet, turpiter interfecerat. Rex, hoc reſponſo grauiter offenſus, milites quoſdam armatos ſecreto miſit, qui ipſum Bruſium vnà cum vxore & liberis & vniuerſa familia comprehenderent atque ad ſe deducerent: verum ille ab amicis priuatim præmonitus, cum vxore & liberis fugit in Hyberniam: vbi, regis in illam regionem aduentu præfata Matildis cum filio ſuo & eius vxore capta eſt. quæ vna cum illo in Angliam miſſa, iubente rege fame necati ſunt. Maritus autem in Galliam fugiens apud Ebulam anno ſequenti exceſſit è vita. Hæc ex Mat. Pariſ. deprompta Giraldi mentem explanant.*

5 *Qua ratione Cambri poſt veram Catholicæ religionis cognitionem ad ſuperſtitiones deſciuerint, ita vt campanas, baculos, & mortuorum hominum pannicularia vetuſtate & putredine fere conſumpta coluerint & venerarentur: & quid præcipue eos in errore & ignorantia nunc detinet, hic interſerendum putaui, vt cauſa cognita remedia facilius parentur. Quicunque ſemel à ſyncera pietatis profeſſione ad ſuperſtitioſas vanitates tranſiluerint, in omnes nugas & aniles fabulas facile dilabuntur, eaſque mordicus retinent. Cum Auguſtinus monachus Romanam religionem ad Saxones inueheret, Britanni (qui longe ante Chriſtianam, Ioſephi Aramathenſis & ſociorum prædicatione ſuſceperant) illius religionis formam admittere penitus recuſarunt, eo quod eſſet humanis traditionibus atque friuolis ceremoniis plena. At vero cum temporis diuturnitate & docentium negligentia hiſtrionicam illam religionem admiſiſſent, atque traditiones & ceremonias amplexi eſſent, reliquos regni incolas, reliquiarum veneratione, peregrinationum longinquitate, & miraculoſarum fabularum varietate longe ſuperarunt. Et tametſi ſanioris iudicii homines, reliquorum inſaniæ ſemper reluctati ſint, multitudo tamen verbi ignorantia ſeducta, illas vanitates ſequebatur: adeo vt loca quædam peregrinationibus aſſueta, in hac euangelii luce, vſque in hodiernum diem, ingenti peregrinantium multitudine ſingulis annis ſuperſtitioſe frequententur: vt fons diuæ Venefredæ ſacer: fons Dyfnoci in ſtrata cluydenſi: fanum Æneæ regis in Aruonia: fanum Dauidis in Demetia, &c. Atq. hæc omnia veritatis ignorantia & euangelicæ prædicationis inopia contingunt. Nam populus ipſe præſtantis cuiuſdam naturæ beneficio, ſemper eſt ad audiendum promptus, ad diſcendum aptus, & ad obediendum paratiſſimus: ita vt quicquid hac in re peccatum ſit, illud totum paſtorum paucitati, qui populum aſſidue docere debent, aſcribendum eſt, ad quorum ſuſtentationem ſatis ampla ſtipendia & redditus eccleſiaſtici in Cambria habentur: quæ iam in alium vſum conuertuntur. Nam omnia fere opima ſacerdotia & dignitates eccleſiaſticæ totius Cambriæ, aut in generoſorum quarundam manibus ſunt, quæ eorum voto & deuotione mutis conferuntur canibus, qui latrare neſciunt, & malunt potius actores eſſe in fabulis præexiguo, quam ſpectatores pro nihilo: atque hanc ob cauſam aduocationum beneficiorum nundinationes fiunt, quæ etſi communi decreto non ita pridem abrogatæ ſint, vbique tamen venales proſtant, tanquam precioſiſſimæ merces, & ita artificioſe à peritis mercatoribus diſtrahuntur, vt ſi Simon ipſe hodie viueret, habita cum illis comparatione in ſua facultate haberetur indoctus: aut ab illis poſſidentur,*

qui

qui non in Cambria ſed in aliis regni partibus vitam degunt, quorum quidam ſunt in religione tepidi, quidam boni ſocii, & quidam ſuo ſenſu euangelici ferventes. Hi neq; animas neq; corpora paſcunt: modo ipſi lanam habeant, id eſt, ſuos redditus ſtatis temporibus domi ſibi ſalutos, nihil omnino de ouibus ſunt ſolliciti, quæ interim in arduis Cambriæ montanis diſperſa & palantes, ſpiritualis cibi inedia pereunt. Hi tamen in hoc vno ſcripturas ſuo more ſequuntur, colligunt enim vbi nō ſparſerunt, & metunt vbi non ſeminarunt. Cum reuera communis iuris regula onus honorem ſequi debeat, & qui in agro domini non laborat ex illius agri fructibus non manducet. In illis omnibus Sacerdotiis imperiti homines & indocti curati ſacramenta & ſacramentalia (vt loquuntur) adminiſtrant: vbi hoſpitalitas omnis exulanit, cōciones aut raræ aut prorſus nullæ habentur. Atq; ſic decimæ & oblationes, quæ in eum finem à maioribus noſtris inſtitutæ ſunt, vt illi ipſi qui eas ſoluunt, in vera Christi doctrina recte inſtituantur, miniſtri qui in verbo & doctrina laborant ſuſtentētur, & parochiæ pauperes cibo reficiantur, à recto vſu penitus transferuntur in alium: adeo vt pauperes alimentis defraudentur, parochiani ignorantia ſeducti pro vera Chriſti religione ſuperſtitiones & aniles fabulas amplexentur, atq; in omnes idololatricos cultus ſuo quodam impetu ruant. Sublato enim ſtipendia tollitur doctrina: nam quis propriis ſtipendiis militabit, alta interim ordinarium ſtipendium intercipiente? Subductione vera doctrinæ ignorantia inducitur: Ignorantia autem ſuperſtitionem parit. Nulla enim natio tam fera & agreſtis eſt, quæ non aliquo diuini numinis ſenſu afficiatur. Hinc valuntarius cultus: hinc ſuperſtitioſa deuotio, cuius matrem ignorantiam eſſe certum eſt: Hinc hæc ipſa campanarum, baculorum & reliquiarum reuerentia, de qua loquitur Giraldus: Hinc etiam hodiernæ peregrinationes de quibus ſupra dixi ariginem habent. Praterea hic eccleſiaſticorum redditnum abuſus alia etiam affendicula ſecum trahit. Nam hinc vera religia male audit apud ignaros & ſimplices, qui eam propter hos abuſus minus prabant, ita vt ſæpiſſime audias viros prabos ea de cauſa conqueri & pontificiam religionem laudibus extallere, quia viderant olim vt aſſerunt cum ea publice doceretur, plurimis in locis rectores eccleſiarum, domus habere perhoſpitales & apertas, vbi pauperes & peregrini refici & curari ſolebant, in quibus nunc tempore euangelii propter prædictas cauſas non datur pauperibus poculum aquæ frigidæ. Et ſic vera doctrina propter inſatiabilem quorundam auaritiam blaſphematur: quaſi hoc ex euangelio manauerit, aut hic ſiet eius doctrina fructus, & non potius hypocritarum quorundam qui quæſtum pro religione habent inſatiabilis cupiditas. Hæc ſi vera non ſint, conuincar erroris, ſin autem vera ſint, (vt ſunt veriſſima) Deus tempore opportuno eccleſiæ ſuæ melius prouidebit. De reliquiis vide ea quæ ſcripta ſunt a venerando ſene domina Ia. Foxo in ſua reſponſione ad Oſorium lib.3.pag.373.

[a] *Ego eorum apinioni accedo qui hanc Neſtam filiam Gruffini aut illam ipſam aut illius ſororem fuiſſe affirmant, ex qua Fleanchus Banchonis filius Gualterum Stuardum genuit, à qua Scotiæ reges qui hodie regnant originem traxerunt. Sunt qui affirmant Ranulphi Cantabrigiæ comitis matrem* Mat. Par. *(cuius apud authores mentio fit) huius etiam principis fuiſſe filiam, quam ego potius Gruffiat filii Roderici filiam fuiſſe affirmauerim, ſororem ſcilicet Caradoci de quo ſcribit Florilegus lib.1 Sed vbi coniecturis & circumſtantiis proceditur, ſuum cuique iudicium liberum eſto.*

[7] *Hic Brachanus natus erat patre Haulapho Hybernorum rege & matre Britannica, nimirum Marcella filia Theodorici filii Tethphalti reguli de Garthmathrin, illius nempe regianis, quæ ab hoc Brachano nomen accepit & hodie Brechonia vel Brechinia dicitur, Britannice Brecheinoc. Huius Brachani filia nomine Tydvael vxar fuit Congeni filii Cadelli Pawiſiæ reguli, & mater Brochmaeli cognomento Scithroc, qui Ethelfredum Northumbrorum regem, ad Deuam fluuium interfecit, eiuſque copias fudit, circa Annum domini 603.*

De Ewyas & Lanthonicum N.S.

Cap. III.

STAT autem in valle de Ewyas profundiſſima, quantum ſagittæ eſt iactus arcu emiſſæ, montibus ethereis orbiculariter vndique concluſa, eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ plumbeis laminis operta, lapideo tabulatu pro loci natura non indecenter extructa. In loco videlicet vbi paupercula prius ſancti Dauid Archiepiſcopi capella ſteterat, muſco ſilueſtri ſolum & hedrę nexibus adornata. Vere religioni locus idoneus, & diſciplinæ canonicæ præ cunctis inſulæ Britannicæ cœnobiis competentiſſimus, à duobus eremitis in honorem eremiticę vitę ptimo fundatus, ab omni populari ſtrepitu in ſolitudine quadam longe remotus, ſuper fluuium Hodeni per vallis ima labentis ſitus: vnde ab Hodeni Lanhodeni dictus. *Lan* enim locus eccleſiaſticus ſonat, Exquiſitus tamen dici poteſt, quod propria loci illius nuncupatio Cambrice eſt Nanthodeni. *Nant* etenim riuus dicitur aquæ decurrentis, vnde vſque hodie ab accolis locus iſte lingua Cambrica *Landewi Nanthodeni* vocatur i. eccleſia Dauidis ſuper riuum Hodeni. Lan. Nant.

Corrupte igitur Angli Lanthoni dicunt vbi vel Nanthodeni per N & t id eſt,

riuus Hodeni, vel Lanhodeni per L ſine t id eſt, eccleſia Hodeni dici deberet. Pluuiæ quas montana creant hic creberrimæ, venti perualidi, nebulæ ſub bruma fere continuæ. Et tamen aeris quanto obtuſioris tanto benignioris & clementioris ſalubri temperantia: morbi tariſſimi, adeo quidem vt fratres apud filiam diutino labore conſumpti & deſperabiliter afflicti tanquam ad ſalubre remedium & vnicum ſoſpitatis aſylum ad matris vbera tranſlati optatæ ſanitati reſtituantur. Nam ſicut Hybernica Topographia noſtra teſtatur: Quanto ad Euri partes magis acceditur, tanto cœli faciem quo putior & ſubtilior, tanto penetrabilior & inclementior aer illuſtrat: Quanto vero ad Circii Zephirique fines magis vergitur: occiduam temperiem quo nubilior, tanto benignior atque ſalubrior aura fœcundat. Hic clauſtrales in clauſtro ſedentes cum reſpirandi gratia forte ſuſpiciunt, ad quaſcunque partes trans alta tectorum culmina, montium vertices quaſi cœlum tangentes, ipſaſque plerumque feras (quarum hic copia eſt) in ſummo paſcentes, tanquam in vltimo viſas horizonte proſpiciunt. Hora vero diei quaſi inter primam & tertiam ſuper montium cacumina vix emergens & ſereno tempore corpus hic ſolare primo conſpicitur. Vere locus contemplationi idoneus, locus fœlix & amœnus, locus à primæua inſtitutione ſibi ſufficiens & fœcundus, niſi ob Anglicam luxus opulentiam & lautæ menſæ gloriam ambitioſa quadam intemperantia, vitio quoque ingratitudinis inualeſcente, in ſeruitutem quæ libera fuerat prælatorum pariter & patronorum negligentia iam redacta, non minus inuide quam inuiſe matrem filia facta priuigna ſupplantaſſet. Hic autem mihi notabile videtur, quod Priores omnes locum de quo loquimur aduerſantes, flagellati diuinitus occubuere. Prior Gulielmus qui primus armentis & armariis locum ſpoliauit demum deiectus à fratribus & depoſitus, inter Priores ſepulturam non meruit. Clemens vero qui quanquam locum lectionis & orationis gratiam diligere & frequentare videretur, tamen ad exemplum Heli ſacerdotis, quoniam diripientium & delinquentium fratrum errorem nec reprehendit nec repreſſit, paralytica paſſione percuſſus interiit. Rogerus autem qui plus cæteris locum infeſtans, & cuncta quæ ab aliis relicta videbantur palam aſportans, libris, ornamentis & priuilegiis eccleſiam ex toto priuauit, longe ante obitum paralyſin incurrens & honorem cedens, diutino languore conſumptus, vitam pariter & valetudinem terminauit.

Tempore vero Anglorum regis Henrici primi matre florente tam rerum affluentia quam religione famoſiſſima, (quæ tamen duo comitantia raro reperies) filia quippe matris æmula nondum genita, vtinam & ab æuo non gignenda, Rogerum Saliſburienſem epiſcopum, principalem regni tunc ſub rege rectorem, huc fama tantæ religionis attraxit. Virtus enim vero eſt virtutem diligere vel in altero, & magnum innatæ bonitatis indicium, ipſa quæ necdum vitaueris vitia animi iudicio deuouere. Hic cum aliquandiu loci naturam, heremiticam ſolitudinem fratrum ibidem canonice viuentium, Deoque ſeruientium ſine querela, ſanctam ſine murmure conuerſationem, in ſingulis admiratus conſideraſſet, reuerſus ad regem, relatiſq; quæ ibi repererat relatione digna, cum maximam diei partem in loci præſcripti titulos expendiſſet, tandem in hoc verbo, laudis pręconia conſummauit. Quid inquit plura, totus tam regis quam regni theſaurus ſoli clauſtro erigendo non ſufficeret. Cum itaque tam regis quam curiæ totius animos in huius verbi ſtuporem diutius ſuſpendiſſet, tandem de montium clauſtris quibus vndique vallatur ænigma ſermonis expoſuit. Miles autem cui nomen Gulielmus, qui primus loci inuentor fuit & cultor, necnon & præsbyter Eruiſtus qui ſe ſocium ei ſtatim adiunxerat, quoniam iuxta Hieronymi ſententiam forſitan audierant, ſicut in vitis patrum legitur: Chriſti eccleſiam poſtquam creuit poſſeſſionibus decreuiſſe virtutibus, de vitiis pariter & diuitiis incrementa ſumendo: deuotis ad dominum orationibus in publica audientia ſæpius efflagitare ſolebant, vt nunquam ad magnas poſſeſſionum opulentias locus iſte perueniret: quoties inprimis ſeu domini & patroni ſui Hugonis de Laci primi & primæui, ſeu aliorum fidelium largitione, tam terris quam beneficiis eccleſiaſticis cœpit locus hic locupletari valde dolentes. Plurima quoque tam in prædiis quam in Eccleſiis inprimis oblata paupertatis amore reſpuerunt: Et in Eremo poſiti ne ab Eremitica vita recederent, loci condenſa quibus in hiſpidam ſiluam vallis excreuerat, in planiciem redigi & extirpari non permiſerunt. Vnde & effectum eſt vt quam cito in immenſum ditari cœperant & dotari: Statim per Herefordiæ Comitem Milonem, (hoſtilitatis tamē tempore occaſionem præſtante) filia apud Glouerniam æmula matris emerſit: tanquam diuina prouidentia, meritis quoq; ſanctorum virorum, & precibus quorum hic cor-

hic corpora duo cotam principali altari recondita iacent, in ſuperfluis rerum fundamentis filia fundaretur: in laudabili quam ſemper appetit mediocritate matre manente. Ibi igitur actiui reſideant, hic contemplatiui: Ibi terreſtrium ambitus diuitiarum, hic cœleſtium amor deliciarum: ibi frequentiam habeant populorum, hic præſentiam appetant angelorum: ibi mundi potentes ſuſcipiantur, hic Chriſti pauperes reficiantur: ibi inquam actiones perſtrepant & declamationes, hic vero lectiones obmurmurent & orationes: ibi vitiorum nutrix atque creatrix cum curis creſcat & opulentia, hic virtutis alumna mediocritas aurea ſuppetat & moderantia: vtrinque tamen tam hic quam ibi quæ aliis hodie cunctis præeminet ordinibus, ab Auguſtino inſtituta canonica ſeruatur diſciplina. Benedicti namque regulam in primæua paupertate laudatiſſimam, rerum opulentia poſtmodum feruore charitatis plurimum adaucta, & fidelium largitione multiplicata, ſub prauæ diſpenſationis obtentu crapula iugis & copia corruperunt. Ciſterſienſis autem ordo ſpontaneo priſtinæ paupertatis & ſanctitatis deſiderio nuper à priore deriuatus, in primis ſimiliter digne laudari meruit & extolli: donec iterum cæca malorum mater obrepſit ambitio, neſcia ſucceſſibus modum ponere. Quoniam vt ait Seneca, facit quidem auidos nimia fœlicitas, nec tam temperatæ cupiditates vnquam ſunt vt in eo quod contingit deſinant: Gradus à magnis ad maiora fit & ſpes improbiſſimas amplectuntur, inſperata aſſecuti. Cui & illud Ouidii concordare videtur; *Benedictinorum luxus.* *Ciſterſienſes.* *Opulentia religionem corrumpit.*

Luxuriant animi rebus pleruмque ſecundis,
Nec facile eſt aqua commoda mente pati.

Et illud eiuſdem.

Creuerunt opes & opum furioſa cupido,
Et cum poſſideant plurima plura petunt.

Item illud Horatii in lib. carminum.

Scilicet improbæ creſcunt diuitiæ,
Tum curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.

Et in eod. *Creſcentem ſequitur cura pecuniam*
maiorque fames.

Multa petentibus deſunt multa. Bene eſt cui Deus obtulit parca quod ſatis eſt manu. *Oda 10 lib.*
vnde & Lucanus.

——O vita tuta facultas
Pauperis, anguſtique lares. O munera nondum
Intellecta deum.

Petr. *Non bibit inter aquas nec poma fugacia carpit*
Tantalus infœlix quem ſua vota premunt.
Diuitis hic magni facies erit, omnia late
Qui tenet & ſicco concoquit ore famem.

Armentis quippe & equiciis montana, porcis ſilueſtria, capris nemoroſa, ouibus paſcua, pecudibus plana, aratris rura, quanquam reuera in ſe largiſſima: ſingula tamen vitio mentis inſatiabili videntur anguſta. Ideoque terræ occupantur, termini tranſponuntur, fines inuaduntur, vnde & nundinæ mercimoniis, & fora litigiis, & curiæ replentur querimoniis. De talibus autem in Iſaia legitur: *Væ vobis qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis ſoli vos in medio terræ?* Si ergo ſic inuehitur propheta in eos qui vſque ad terminum: quid in illos dicetur, qui longe vltra terminos? His igitur ex cauſis & ſimilibus effectum eſt, vt veræ religionis color optimus, adeo in falſitatis fucum ſit iam conuerſus, adeo vt nigri interius mores candidis velentur operimentis, adeo inquam interioris olim habitus, *Eſa. 5.*

Qui color albus erat nunc eſt contrarius albo.

Vt de his illud Euangelicum vere videatur impletum, *Attendite ab his qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Tantæ tamen & tam declamatæ per orbem auiditatis, bona vt credimus occaſionem præſtat intentio. Hoſpitalitatis namque gratia quam huius ordinis viri (quamquam in ſe abſtinentiſſimi) præ aliis cunctis charitate largiflua in pauperes & peregrinos infatiganter exercent: & quia non redditibus vt alii, ſed laboribus ſolum & prouidentia viuunt: terras tanto conamine, quibus ad hæc peragenda ſufficientiam eliciant, auide perquirunt, prædiaque ſummopere petunt & paſcua lata. Veruntamen ad reprimendam & remouendam ab ordine ſacro deteſtandam ambitionis notam, vtinam illud Eccleſiaſtici interdum *Mat. 7.* *Bona intentio.*

Eccl. c. 34.

terdum ad animum reuocare velint: *Qui facit Eleemoſynam, vel qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui filium victimat in conſpectu patris.* Et illud Gregorii, bonus vſus non iuſtificat male quæſita. Item & illud Ambroſii: Qui male accipit vt bene diſpenſet, grauatur potius quam iuuatur: tales enim cum Apoſtolo dicere videntur: *Faciamus mala vt veniant bona.* Scriptum eſt enim, talis debet eſſe miſericordia quæ ſuſcipiatur, non quæ repellatur: quæ peccata purget, non quæ reum faciat ante dominum: de iuſtis laboribus tuis non de rebus alienis. Audi Salomonem dicentem: *Honora dominum de tuis iuſtis laboribus.* Quid dicturi ſunt qui aliena rapiunt & eleemoſynas fecerunt? O domine in nomine tuo miſericordias fecimus, pauperes pauimus, nudos veſtiuimus, peregrinos hoſpitio recepimus. Quibus dicturus eſt dominus, quod dediſtis dicitis, quod feciſtis rapinam non dicitis. Quos pauiſtis memoratis, & quos necaſtis non recordamini. Exemplum autem de reſponſo Richardi Regis Anglorum facto magiſtro Fulconi viro bono & ſancto, per quem Deus in Francorum regno noſtris diebus multa proculdubio ſigna fecit, hic interſerere præter rem non putaui. Cum inter cætera vir ille ſanctus regi dixiſſet; Tres filias habetis quæ quamdiu penes vos fuerint nunquam Dei gratiam habere poteritis, ſuperbiam ſcilicet, luxuriam & cupiditatem. Cui rex poſt modicam quaſi pauſationem, iam inquit maritaui filias iſtas & nuptui dedi; Templariis ſuperbiam, nigris monachis luxuriam, & Albis cupiditatem. Id etiam pro valde mirando de loco præſcripto Lanthonei dicto, vel potius quaſi pro miraculo duximus, quod in ſummis quibus clauditur vndique montium verticibus, non petroſis aut ſaxoſis ſed mollibus potius & herboſis, Parii lapides reperiri ſoleant, qui & liberi vulgo dicuntur, quia ſecabiles ferroque quodam modo polibiles ſeſe quaſi liberaliter præſtant: ex quibus eccleſia ipſorum iam extat egregie conſtructa. Super quo quidem & hoc mirandum, quod quæſitis ad vnguem per montana lapidibus illis, & ex toto prorſus abſtractis nulliſque relictis qui reperiri ibidem amplius poſſent, infra tertium aut quartum diem iterum requiſiti tanquam dono ſeipſos offerentes, & ſe quærentibus oſtendentes copioſa multitudine reperiuntur. De duobus tamen ordinibus iſtis Cluniacenſi ſcilicet & Ciſtercienſi hoc compertum habeas, locum ædificiis egregie conſtructum, redditibus amplis & poſſeſſionibus locupletatum iſtis hodie tradas, inopem breui deſtructumque videbis: illis è diuerſo eremum nudam & hiſpidam ſiluam aſſignes: intra paucos poſtmodum annos, non ſolum eccleſias & ædes inſignes, verumetiam poſſeſſionum copias & opulentias multas ibidem inuenies. Hanc autem diuerſitatem (vt mihi videtur) morum diuerſitas parit & ſtudiorum. Vt enim ſalua vtrorumque venia veritati non parcam, illinc ſobrietas iuuat, parcimonia pariter & prouidentia: hinc vero obeſt, ventris ingluuies & intemperantia. Illi namque tanquam apes in vnum congerunt omnes & congregant vnanimitate conſpicui, vno omnium exiſtente loculo, & illo bene diſpoſito: Iſti congeſta diuinitus, & deuota fidelium largitione collata, diuerſis diſtrahunt animis & diripiunt indeſinenter, multis exiſtentibus & multorum loculis, quibus dum ſtudioſius ſinguli tanquam propriis indulgent, minus proficitur in commune: quoniam vt ait Saluſtius, Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximę dilabuntur. Prętèrea de tredecim ferculis vel quatuordecim, quæ ſibi de ſolo cõſuetudinis iure deberi contendunt, tempore famis & inædiæ, priuſquam vnum ad tẽpus intermitterent, priuſquam vnum relinquerent aut à conſuetudine vel in modico recederent, terras monaſterii meliores & manſiones in fœnebrem prędam perditum ire, & quod crudelius eſt pauperes ad ianuas cateruatim obire permitterent & perire. Illi vero non ſolum arietes omnes & armenta, grano deficiente, verum & de duobus pulmentis quibus contenti ſunt, alterum in vſum pauperum, vrgente incommodo laudabili charitate largiuntur. His autem noſtris diebus, vt tanquam à niueo corpore næuus abſtergatur, in Ciſtercienſi capitulo ſtatutum eſt, ne ab hoc vnquam in poſterum ordine, precio quolibet prędia vel paſcua comparentur: tantum illa de cætero ſufficiant, quæ gratis obueniunt & abſq; grauamine cõferuntur. Prædictus igitur ordo canonicus plus aliis mediocritate contentus atq; modeſtia, & ſi non plene, plurimum tamen ambitioni ſtringit habenas, & in mundo poſitus, mundi pro poſſe contagia vitans, nec crapula notabilis nec temulentia pro luxu rerum ſiue libidine, publicum in populo ſcandalum incurrere tam verecundatur quam veretur. Sicut in libro quem de eccleſiaſticis ordinibus Deo annuente ſcripturi ſumus, plenius explicabitur. Pręſcriptis igitur in finibus temperatiſſimis, & nõ omen quo ad gazas grãdes, tragicaſque mundi pompas adeptus, iuxta vſualia tamen vocabula nomen dignitatis obtinuit.

De tribus regis filiabus totidem ordinibus iam in nuptias traditis.

Parii lapides.

Auaritia & intemperantia Monachorum.

Ecce quam grauia patiuntur Monachi pro amore Christi.

Dignitas & domicilium authoris.

obtinui. Collateralem & propinquum principali de *Brecheinoc* caſtro loculum habens & domicilium, fœlici quadam mediocritate ſtudiis idoneum atque labori. Quem ſuis ſemper delitiis plenum & æternitatis amicum Crœſi diuitiis longe præfero: quinimo cunctis quæ perire ac præterire poſſunt, incomparabiliter antepono. Sed ad rem reuertamur.

Annotationes in Caput III.

HOC caput in deſcriptione atque reprehenſione vitæ Monaſticæ totum pene conſumitur: quod in omnibus fere exemplaribus mancum atque mutilatum extitit, ita tamen vt quod in vno deſit, in altero inueniatur. Si quid ſcriptum erat paulo acerbius contra vnam aliquã monachorum ſectam, id omiſſum eſt in aliquo exemplari, quod tamen reperitur in alio, & ſi quid aliũ ordinem pungat, id deſideratur in alio, quod in priori tamen habetur. Veriſimile itaq; mihi videtur, exemplaria iſta à monachis eſſe deſcripta, qui id quod contra ſuũ ordinem ſcriptum inuenerant deleuerunt. Extitit hæc Balduini Archiepiſcopi viſitatio An. 1188. iam quadringentis fere annis elapſis, non diu poſt quã regularis profeſſio in his noſtris regionibus primũ inceperat exerceri: Si ergo eo tempore tam horrendæ corruptiones in monachorum ſubſellia irrepſerant, quid hunc auctorem ſi hodie viueret, de tot ſuperſtitionibus & Idolomaniis aliiſq; ſceleribus in hoc ſacro catu vſitatiſſimis, ſcripturum putemus? Perſecutiones primæ ætatis (vt ſcribit Peucerus) cauſam præbuerunt ſeceſſibus & monachatui: Poſtea acceſſerunt dilacerationes imperii & Peregrinarum gentium confuſiones. In illa dilaceratione Italiæ & aliorum regnorum, cum videretur eſſe peculiaris fœlicitas abeſſe à Republica, procul in aliqua ſolitudine degere, ſine familia, ſine liberis, non ſpectare vrbium excidia & vaſtationem patriæ, homines modeſti, qui habebant familias, gratulabantur monachis ſuam tranquillitatem. Inde creuit & opinio de cælibatu, & admiratio monachorum, ita vt plures cæperint expetere & quærere ſeceſſus. Deinde homines barbari natura, mirantur nouos ritus, qui præ ſe ferunt ſpeciem eximiæ pietatis, & cuiuſdam quaſi commercii cum Deo. Nihil mirum eſt igitur tunc & monachorum cætus creuiſſe, & opiniones de hoc vitæ & operum genere plauſibiles late vagatas eſſe. Poſtea cum pietati ſuperſtitio ſucceſſiſſet, & pro euangelii doctrina receptæ eſſent leges pontificum: Collegia quæ fuerant hactenus conuentus ſtudioſorum, paulatim ad monachos tranſlatã, opes vero collegiorum in luxum ſuperbiæ atque otioſorum hominum voluptates profuſæ ſunt, ſcholis abolitis. Docendi autem prouincia delegata eſt familiis monachorum, non Chriſti, ſed Benedicti & Bernhardi nomen profitentium, & ſectantium (vt iactitant) præcepta. Sed Collegiorum exemplum hi quoque ſequuti, cum ſuperſtitionem qu eſtuaſiorem docendi laboribus experirentur, literas vna cum docendi munere deſeruerunt, nouam viuendi formam commenti. Redactæ ſunt ergo Scholaſtica opera, ſtudiis pene vbiq; ſepultis, poſt Sueuorum imperium, ad nouos regni pontificii fætus, ſcilicet ad mendicantium monachorum agmina, qui fœcundiſſima prouentu his poſtremis annis vbique locorum & gentium, matre ſuperſtitione, patre pontificum tyrannide editi, ſed diuerſitate ac diſſimilitudine profeſſionis pene infinita, commentis ſuis orbem compleuerunt terrarum, & tyrannidis pontificiæ leges, cum exaſperarunt, tum executi ſunt acerbius multo quam pontifices ipſi, eoque res tandem perduxerunt, vt ipſis etiam pontificibus formidabiles eſſent. His doctrinæ cuſtodibus & occiderunt literæ & interiit pietas Chriſtiana, antiquata euangelii doctrina, rectioribus ſtudiis deletis, & ſuperſtitionibus vltra modum cumulatis. Nec mirum: nam neceſſe fuit, in tam numeroſa religioſorum multitudine, quamplurima ingenia cum non haberent puram euangelicæ veritatis doctrinam ad quam tanquam ſcopum collimarent, ſuapte natura ad vanitates deflectere. Sicut enim ager fertilis, ſi non colatur & puro grano ſeminetur, ſentes & tribulos affatim gignit: ſic ingenia præclara cum ſemine verbi Dei deſtituantur, ad ſuperſtitiones & inanes ceremonias facillime dilabuntur. Vnde omnes ἐθελοθρησκείαι ortum habent. Monachatus tempore Edgari regis Angliæ, ſuperſtitioſo quorundam hypocritarum fuco & importunis Dunſtani præſtigiis, in hac noſtra Brytannia cæpit primum in pretio haberi. Hoc Cænobium ſiue Prioratum de Lanthoni circa Annum Domini 1188. Extruxit Hugo Lacius miles, qui cum Gulielmo Conqueſtore in Angliam aduenerat, & in eccleſia de Webley ſepultus iacet.

Monachatus origo & progreſſus.

Collegia antiqua.

De tranſitu per Caed Grono, & Abergeuenni cum N. S.

Cap. IIII.

TRANSIVIMVS inde verſus *Abergeuenni* per arctum illud Silueſtre quod malum paſſum de *Coed Grona* vocant, nobile Cænobium de Lanthoni montibus ſuis incluſum à latere ſiniſtro relinquentes. Dicitur autem *Abergeuenni* caſtrum eo loco ſitũ, vbi fluuius *Geuenni* in *Oſcam* cadit. Contigit autem paulo poſt obitum Anglorum regis Henrici primi nobilem & magnificum virum Richardum Clarenſem, qui cum honore de clara Cereticam regionem in auſtrali Cambria poſſidebat, ab Anglia in

Abergeuenni.

Richardus Clarenſis interfectus.

 Wal-

Walliam hac tranſire. Et cum prouinciæ illius tũc dominum Brienum videlicet Gualingfordenſem cum militibus multis vſque ad paſſum prędictum ſocium habuiſſet & deductorem, tam ipſum inuitum in ipſo ſiluæ ingreſſu cum ſuis remiſit, quam contra eiuſdem monita ſiluam inermis intrauit. Ex nimia quoque ſecuritatis pręſumptione tibicinem præuium habens & pręcentorem, cantilenæ uotulis alternatim in fidicula reſpondentem. Nec mora Wallenſes qui aduentum eius explorauerant, Iorwerth ſcilicet Morgani frater de Caerleon, cum eorundem familia, ſiluoſis è latebris irruentes in improuiſos, ſtatim ipſo cum ſuorum multis interempto, præda potiti ſunt cruentiſſima. Ex variis itaque patet rerum euentibus, quam incauta eſt ſemper nimia pręſumptio & ſui negligens. Timor enim proſpicere futuris admonet, & diligentiam docet in proſperis: audacia vero pręcipitanter obrepit, & inconſulta temeritas neſcit conſilium ducis expectare. Sermone igitur apud Abergeuenni facto plurimiſque ad crucem conuerſis, vir quidam nobilis partium illarum cui nomen Arthenus ad Archiepiſcopum verſus caſtellum Oſcæ iam properantem humiliter acceſſit, quod ei citius non occurrerat veniam petens. Super crucis itaque ſuſceptione conuentus, abſque amicorum, inquit, conſilio, res hæc fieri non debet. Cui Archiepiſcopus: nunquid ergo cum vxore tua inde conſilium habiturus es? At ille vultu demiſſo verecunde reſpondit: ad aggrediendum inquit opus virile non eſt expetendum conſilium muliebre: & ſtatim ab Archiepiſcopo crucem ſuſcepit.

Nimia ſecuritas & incauta præſumptio.

Super exceſſibus autem partium iſtarum creberrimis & cruentiſſimis, nunc prouincialiũ in Caſtellanos, nunc vice verſa vindicis animi talionibus, Caſtellanorum in prouinciales, quæ noſtris accidêre temporibus aliis explicare materiam damus. Vltimi tamen exceſſus enormis cædiſque cruentæ noſtris diebus hic perpetratæ, quam pręterire tamen ne ſceleroſis in exemplum trahi poſſit ſatius exiſtimaui, vere auctor extiterat Anglorum rex Henricus ſecundus, Vicecomes autem Herefordiæ Ranulphus Poerius machinator. Sed quamquam turpe ex cauſa temporalis interdum ſequi commoditas videatur, iuſti tamen iudicis libramine pæna ſceleris & ſi differtur, vel in tempore vel poſt tempus non euitatur, iuxta illud Poetæ,

Non habet euentus ſordida præda bonos.

Cum enim ſeptennali iam ſpacio in partibus illis pax ſequuta fuiſſet tranquilliſſima; tandem interemptorum nepotes & filii ex pueris adulti, ex paruis interim maiores effecti, ira vindice deferuentes, captata domini abſentia, intra fruticoſa caſtri eiuſdem foſſata cum manu non inualida ſe in inſidiis nocte contulerunt: dixerat autem vnus eorum (cui nomen Siſillus filius Eudaf) Conſtabulario die pręcedente quaſi pręmuniendo ſub riſu tamen & ludicro magis quam ſerio: hic inquit hac nocte intrabimus, oſtendens muri ipſius angulum quendam, vbi demiſſus eſſe videbatur. Sed quoniam ridendo *Dicere verum quis vetat?* Et quoniam *Fas eſt & ab hoſte doceri,* Conſtabularius cum familia totam noctem illam in armis & vigiliis vſque ad auroram duxit inſomnem: ſed cum demum labore fatigati & imminentis diei beneficio ſecuritatem adepti, ſomno ſe cuncti dediſſent: ſtatim hoſtes per ſcalas quas congeſſerant loco prænotato ſe muris ingerentes, captis conſtabulario & vxore ſua cum aliis multis, pręter turrem principalem & paucos qui in ipſam aufugerant, violenter occupant & incendunt vniuerſa, iuſto Dei iudicio, eo quo delictum eſt loco perpetratum, pæna delicti ex parte ſecuta. Præterea patum poſt Caſtri pręcicti proditionem, cum iuxta Monemutham prædictus Herefordiæ Vicecomes videlicet apud *Landinegat* cum exercitu Herefordiæ caſtrum erigeret, nocte quadam cum adhuc tenuiter tenebras exuere cepiſſet:

Tythoni croceum linquens aurora cubile,

ſummo ſuperueniente diluculo tam à Ventæ quam vicinarum partium iuuentute, cum interemptorum adulta iam prole, non præoccupati, non deſubitati, non aduentus huius ignari: Quinimò pręſcii potius & pręmuniti, armati quoque & in turmas ordinati, ſtatim tamen ſunt confecti, & inter propria iam foſſata repulſi, de potioribus & primis Herefordenſis prouinciæ militaribus viris cum ipſo nouem, pręter alios multos, lanceis ibidem ſunt confoſſi. De Ranulpho tamen hoc mirandum, quod pręter vulnera quæ lethaliter in corpore ſuſcepit plurima, cũ ferro quoq; iugulatus fuiſſet, venis omnibus & arteriis cum via ſpiritus, & halitus organo pariter præciſis, ſacerdotem tamen annuens & aſciſcens, aliquo reuera anteactæ vitæ merito id exigente, eoque præcipue vt creditur, quod in ſortem Chriſti electos, præ aliis hono-

Honoris ſacerdotibus exhibiti remuneratio.

honorare conſueuerat & venerari, facta confeſſione, & viatico deuote percepto ſtatim ſpiritum exhalauit. Frequens eſt, & creberrimis declaratum experimentis, quod ſicut debitò clerum honore dignantes ſacerdotali, in extremis ſolatio ex conſuetudine gaudent: ſic è diuerſo cleri deriſores & malignos delatores eodem ſolatio frequentiſſime fraudari, tametſi optato. Gulielmus autem de Breuſa, qui vere non auctor ſceleris, quod potius tacere decreuimus quam exprimere, non machinator extiterat, ſed executor, vel executionis non impeditor, carnificum turbis mandato deſuper accepto atrociter deſæuientibus, eodem conflictu in imum foſſæ præruptæ eſt præcipitatus, ibique ab hoſtibus, & viris inimiciſſimis captus & extractus, viuus tamen diuina miſeratione per impetum ſubita à ſuis factum, & omnino illæſus euaſit. Ex quo patet, quia minus offendit, mitiuſque punitur, inuitus qui facit, fieriue permittit, quam qui facto conſilium ſimul & auctoritatem adhibuit: quod in Chriſti paſſione palam fuit, vbi & Iudas ſuſpendio, Iudæi excidio pariter & exterminio, Pilatus exilio, pœnas luit.

Prædicto vero de Rege, qui proditioni aſſenſum præbuit, & præceptum fecit, qualiter ob hæc & alia multa enormis vitæ delicta, ſicut in lib. de Principis inſtructione Deo duce propalabimus, ad ampliorem ignominiæ cumulum, in terris pœnas inchoauit confuſione plenus & ærumna, finis eiuſdem declarauit.

Hoc autem mihi notabile videtur, quod gens hæc, quæ Venta gens vocatur, & Martiis conflictibus vſitatiſſima, & ſtrenuitatis opera laudatiſſima, & arte ſagittandi præ ceteris Cambriæ finibus inſtructiſſima reperitur. Ad huius autem aſſertionis vltimæ certitudinem exempla proponere non pigeat. In extrema Caſtri prædicti expugnatione noſtris diebus perpetrata, militibus duobus in turrim cumulato terrarum aggere ſitam per pontem transfugientibus, Wallenſes vt ipſos à tergo percuterent, ſagittas arcu mittentes portam turris iliceam, palmaris fere ſpiſſitudinis transpenetrarunt, ad tantorum ictum vehementię perpetuam memoriam ſagittis in porta ferro repercuſſo reſeruatis. Accidit & tẽpore Gulielmi de Breuſa (ipſo teſtante) quendam militem ſuum in conflictu contra Wallenſes à quodam ipſorum per mediam coxam cum panno loricæ ocreali ferro vtrinq; veſtitã ſagitta percuſſum eſſe, eadẽ quoq; ſagitta per partem illam ſellæ, quæ alua vocatur, vſq; ad ipſum equum lethaliter transpenetrante. Alia quoq; ſagitta militis alterius coxam ferro ſimiliter vtrinq; munitam cum panno loricæ vſq; in ſellam perforauit. Et cum miles ille loris equum in gyrum flecteret: alio ſagittam eodem contorquente, in oppoſita coxa ſimilem ictum ſuſcepit, equo ab vtraq; parte firmiter affixus. Quod ergo à baliſta tormentum maius expectes? Non autem arcu vtuntur corneo, non alburneo, non taxeo, ſolum ex vlmellis ſilueſtribus arcus formant, non formoſos, non politos, imo rudes, prorſus & informes: rigidos tamen & fortes: non tamen ad eminus miſſilia mittenda, ſed ad graues cominus ictus percutienda tolerandos. Sed à diuerticulo iter iterum aggrediamur.

Ventanij egregij

ANNOTATIONES IN Caput IIII.

Videtur Giraldus parum candide de Henrico Rege ſentire, qui tamen vbique (neſcio qua animi propenſione motus) Gulielmi Bruſii Brechiniæ domini ſcelera ita literis mandat, vt quadam minuat aut excuſet, alia de induſtria prætermittat: vt ex hoc capite & præcedente manifeſtum eſt. Illic enim ex quadam vſitata loquendi & ſcribendi conſuetudine, debitæ obedientiæ ſuo Regi denegatæ crimen extenuat, & quodammodo diluit: hic integram, perpetrati ab eodem Breuſio ſceleris, hiſtoriã prætermittit, commemoratis tantum quibuſdam circumſtãtiis, quibus illius proditionis & cædis culpã in alios transferre molitur. Res vero acta hæc eſt. Poſtquam Reſus filius Gruffini Demetiæ princeps, cum Henrico II. Anglorum Rege apud Claudioceſtriam ſtabilem firmamq; pacem fecerat, omneſq; eius prouinciæ nobiles Regi reconciliauerat, ita vt certa pax & tranquillitas reſtituta tandẽ viderentur: Gul. Bruſius Brechiniæ dominus (cædes & rapinas cogitans) nobiles quoſdam Ventanos ſub amicitiæ & beneuolẽtiæ ſimulatione, ad prandium inuitauit in caſtrum de Abergeuenni, quo cum omnes aduenissent, ſtatim ab armatorũ militum multitudine, quos ea de cauſa in inſidiis ibi collocauerat, crudeliter trucidati ſunt. Inter quos Siſillus filius Dunuallonis (vel filius Eudaf, vt hic auctor habet) & Gruffinus filius eius atq; multi alii ceciderunt. Hac cruenta cæde perpetrata, hi immanes lanii in Siſilli domum quæ non longe aberat, irruentes Claudiam vel Gladuſiam, eius vxorem, Reſiq; ſororem vna cum Cadualadro filio infante è domo violenter attraxerunt. & quod magis horrẽdum eſt, puerũ in conſpectu matris exquiſito crudelitatis genere iugularunt His tamen non abſtantib. mauult noſter Giraldus Henricum Regem & Ranulphũ Poeriũ huius crudeliſſimæ cædis & turpiſſimæ proditionis inſimulare, quam Bru-

Matt. Par. pag. 176.

ſium, qui hoc neſandum crimen perpetrauerat, ſicuti plane ſcriptum reliquit Matthæus Pariſienſis: cuius verba, quia Neoterici quidam eius ſententiam mutilantes, huius proditionis & cadis turpitudinem ſuis ſcriptis diluere nituntur, adſcribere non grauabor. Eodem, inquit, anno Gulielmus de Breuſa, multitudine Wallenſium in caſtello de Bergauenni callide conuocata, prohibuit, ne quis gladium ferret viator vel arcum: Sed illis huiuſmodi decreto contradicentibus, capitali omnes ſententia condemnauit. Qui (vt proditionis ſua nequitiam, quaſi ſub velamine honeſtatis palliatam intelligas) hac fecit in vltionem auunculi ſui Henrici de Hereford, quem ipſi in ſancto ſabbato Paſcha antea peremerunt. Hac ille.

Illud tempore hoſtilitatis & belli, cum neutra pars alteri fideret, factum eſt: Hoc autem ſcelus pace iam iureiurando vtrinque firmata, ſub amicitia ſpecie committitur.

2 In libro illo, De Principis inſtructione, acerbe admadum in Regem Henricum ſecundum inuehitur Giraldus, vbi ſua in illum maleuolentia virus ita euomit, vt ſuum inueteratum odium ſatis manifeſte prodat.

De tranſitu per Oſca caſtrum & legionum vrbem, cum N. S.

Cap. V.

IGITVR apud Oſcæ caſtrum tam ad Archiepiſcopi ſermonem, quam ad viri boni & honeſti Gulielmi Landauenſis Epiſcopi, qui per ſuam diœceſin nobis fideliter aſtitit, perſuaſionem; Alexandro quoq; Banchorenſis Eccleſiæ Archidiacono, vbiq; ad Wallenſes interprete exiſtente, multitudo virorum cruce ſignatur. Vbi & hoc præcipue notabile occurrit, quod famoſiſſimi partiũ illarum malefactores, homicidæ, prædones, & fures non abſque multorum admiratione ſunt conuerſi. Tranſeuntes inde per *Carleon*, [1] *Monemutha*, [2] caſtrum, nobilemque *Danubia* [3] ſyluam, quæ ferinam ferriq; copiam Glouerniæ miniſtrat, trans *Vagam*, citraq; *Sabrinam*, longe à læua relinquentes, in *Nouo burgo*, [4] ter Oſca flumine iam tranſcurſo pernoctauimus. Dicitur autem Caerleon vrbs legionum. Caer enim Britannice vrbs vel caſtrum dicitur. Solẽt quippe legiones à Romanis in inſulam tranſmiſſæ ibi hyemare, & inde vrbs legionum dicta eſt. Erat autem hæc vrbs antiqua & autentica, & à Romanis olim coctilibus muris egregie conſtructa. Videas hic multa priſtinæ nobilitatis adhuc veſtigia: Palatia immenſa aureis olim tectorum faſtigiis Romanos faſtus imitantia, eo quod à Romanis Principibus primo conſtructa, & ædificiis egregiis illuſtrata fuiſſent: Turrim giganteam: Thermas inſignes: templorum reliquias, & loca theatralia muris egregiis partim adhuc extantibus, omnia clauſa. Reperies vbique tam intra murorum ambitum, quam extra, ædificia ſubterranea: aquarum ductus hypogeoſque meatus. Et quod inter alia notabile cenſui, ſtuphas vndique videas miro artificio conſertas, lateralibus quibuſdam & præanguſtis ſpiraculi viis occulte calorem exhalantibus. Iacent hic duo nobiles, & poſt Albanum & Amphibalum præcipui Britanniæ maioris protomartyres, & ibidem martyrio coronati Iulius ſcilicet & Aaron, [5] quorum vterque Eccleſiam in vrbe inſignem habebat ſuo nomine decoratam. Tres enim egregiæ in hac vrbe antiquis temporibus fuerunt Eccleſiæ. Vna Iulii martyris, virgineo Deo dicata regularium choro venuſtata. Altera vero beati Aaron ſocii eiuſdem nomine fundata, & canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia vero Metropolitana ſede Cambriæ totius inſignita. Fuit & Amphibalus hinc oriundus, beati Albani doctor & fidelis ad fidem informator. Situs vrbis egregius ſuper Oſcæ flumen, nauigio mari influente idoneum. Siluis & parcis vrbs illuſtrata. Hic magni illius Arthuri famoſam curiam legati adiere Romani, vbi & Dubricius Archiepiſcopus Dauid Meneuenſi ceſſit honorem, abhinc Meneuiam Metropolitana ſede tranſlata, iuxta illud Merlini Ambroſii vaticinium: *Menenia pallio vrbis legionum induetur, &c.*

Caer leon.

Non procul inde ſtat rupis marina Sabrinis ſupereminens fluctibus, quę Anglorum lingua *Gouldclyffe* vocatur, hoc eſt, rupis aurea, eo quod aurei coloris ſaxa præferat ſole repercuſſa, miro fulgore rutulantia.

Nec mihi de facili fieri perſuaſio poſſet,
Quod fruſtra tantum dederit natura nitorem
Saxis, quodq; ſuo fuerit flos hic ſine fructu.

Si foret, qui venas ibidem & penitima terræ viſcera arte præuia tranſpenetraret. Si foret (inquam) qui de petra mel eliceret, & oleum de ſaxo. Multa nimirum occulta latent naturæ beneficia, quæ per incuriam hactenus incognita poſterorum educet cura propenſior & diligentia. Nam ſicut antiquos in humanę vitę commodis inueniendi viam ipſa neceſſitas vrgens edocuit: ſic iunioribus induſtria ſedula plurimum contulit,

Digitized by Google

tulit,& ingenii perſpicacior is acumen multa modernis aperuit. Quoniam vt ait poeta, duas inuentionum iſtarum cauſas aſſignans:

——labor omnia vincit
Improbus,& duris vrgens in rebus egeſtas.

Notandum autem, quod in his vrbis legionum partibus fuit diebus noſtris vir quidam Cambrenſis, cui nomen Melerius, futuorum ſimul & occultorum ſcientiam habens, cui talis hanc euentus ſcientiam dedit. Nocte quadam ſcilicet Ramis palmarum puellam diu ante adamatā obuiā habens loco amœno,& vt videbatur oportuno, deſideratis amplexibus atq; delitiis cum indulſiſſet, ſtatim loco puellæ formoſæ formam quandam villoſam, hiſpidam & hirſutam adeoque enormiter deformem inuenit: quod in ipſo eiuſdem aſpectu dementire cæpit & inſanire. Cumque pluribus id annis ei duraſſet, tandem in Eccleſia Menenſi meritis Sanctorum loci eiuſdem, optatam ſanitatem recuperauit. Semper tamen cum ſpiritibus immundis magnam & mirandam familiaritatem habens, eoſdem videndo, cognoſcendo, colloquendo, propriiſque nominibus ſingulos nominando, ipſorum miniſterio plerunq; futura prædicebat. In longe vero futuris atque remotis (ſicut & ipſi) frequentius fallebatur: in propinquioribus autem & quaſi infra annum futuris minus falli conſueuerat. Videbat autem eos fere ſemper pedites & expeditos, & quaſi ſub forma venatorum, cornu à collo ſuſpenſum habentes, & vere venatores non ferarum tamen nec animalium, ſed animarum. Circa monaſteria quoque, & loca religioſa magis eos & in multitudine maiori videri ſolebat. Ibi nimirum exercitu: ibi numeroſis opus eſt viribus, vbi rebellio. Quoties autem falſum coram ipſo ab aliquo dicebatur, id ſtatim agnoſcebat, videbat enim ſuper linguam mentientis dæmonem quaſi ſalientem & exultantem. Librum quoque mendoſum, & vel falſo ſcriptum, vel falſum etiam in ſe continentem inſpiciens, ſtatim licet illiteratus omnino fuiſſet, ad locum mendacii digitum ponebat. Interrogatus autem, qualiter hoc noſſet, dicebat dæmonem ad locum eundem digitum ſuum primo porrigere: Similiter & dormitorium monaſterii cuilibet intrando, lectum monachi falſi, & religionem habitu, non animo præferentis, eiſdem indiciis oſtendebat: dicebat autem ſpiritum guloſitatis & crapulæ ſupra & infra ſordidum eſſe: ſpiritum vero libidinis & luxuriæ pulchriorem aliis, ſed fœtidiſſimum.

Notandū hic eſt, quam faciles hodie erga quoſdā peccatores ſe præbent, cū & tertio pueros columbinos pullos in eccleſia capientes, & pernoctantes ibidem cum canib. ſeuerius videātur.

Similes cum ſimilibus facillime congregantur.

Contigit aliquando, ſpiritibus immundis nimis eidem inſultantibus, vt Euangelium Iohannis eius in gremio poneretur: qui ſtatim tanquam aues euolantes omnes penitus euanuerunt: quo ſublato poſtmodum, & hiſtoria Britonum à Galfrido Arthuro tractata experiendi cauſa loco eiuſdem ſubrogata: non ſolum corpori ipſius toti, ſed etiam libro ſuperpoſito longe ſolito crebrius & tędioſius inſederunt. Notandum hoc etiā, quia Barnabas, ſicut in legenda eius habetur, Euangeliū Matthæi ſuper ægros ponebat, & curabantur. Ex quo patet, ſicut in p̄miſſo, quantę dignitatis & reuerentię ſacroſancti euangelii liber exiſtat: & ſuper eundē quiſquis ſcienter peierat, quā periculoſe & damnabiliter à via veritatis exorbitat. Ad hæc autē caſum Abbatis Enoci de Strata Marcella ſatis & pluſquam ſatis per Wallias notum eadem die, cuius nocte contigit, multis aperuit. Sicut ex dicto eiuſdem ab aliis retento, circiter octo dies poſt certis rumoribus euidenter apparuit. Interrogatus autem quemadmodum hoc ſciebat, dicebat dæmonem ſub venatoris expediti ſpecie mane ad ipſum veniſſe: qui ſtatim ruinam Abbatis exponendo, qualiter ipſum à monaſterio cum moniali aufugere fecerit, quaſi de tanta victoria gaudens plurimū & exultans, totū euomuit. Forte ad correctionem Abbatis & humiliationem hoc ei accidere permiſſum eſt. Sicut ex poſt facto claruit, qui breui reuerſus, & humilior eoque melior effectus, nec diuertiſſe dicendus: Quia non male cadit (vt ait Seneca) quiſquis poſt lapſum fortior reſurgit. Fortior etenim poſt negationem Petrus; fortior poſt lapidationem Paulus. Et quoniam vbi abundat delictum, ibi ſuperabundabit & gratia. Fortior quoq; poſt fragilitatem Magdalena. Abbati quoq; de Alba domo Conano viro probo & religioſo, quid de muliere quadam quam aſpexerat, cogitaſſet, in aure reuelauit. Et ſtatim vir bonus concupiſcentiam illam cum lachrymis fatendo, à tribus ſacerdotibus incontinentiæ diſciplinam ſuſcepit. Sicut etenim hoſtis ille antiquus longis rerum experientiis & ſubtilitate naturæ ex ſignis quibuſdam coniecturalibus argumentando de præteritis argute futura coniectat: ſic & indiciis haud diſſimilibus hominibus inſidiando, interiorem mentis conceptum per exteriora quandoq; perpendit.

Nō liber ſcriptus, ſed pietas in corde fidelis dæmones fugat.

Chriſtus per fidē apprehenſus noſtra ſalus eſt.

Caſtitatis clauſtralis exēplum.

Fuit in eodem tempore in Ventæ inferioris finibus dæmon incubus, qui puellam quandam

Dæmon incubus.

quandam adamando, locumque, vbi ipſa manebat, frequentando, cum hominibus loquebatur, & tam occulta quam futura pluries indicabat. Interrogatus autem inde Meilerius, ſe hunc bene noſſe dicebat, & nomen eius proponebat. Dicebat enim & contra guerram patriæque turbationem magnam, ſpiritus immundos cum hominibus conuerſari ſolere, ſicut & hic apparuit, quia paulo poſt partes illæ per Hoelum filium Ioruerti de vrbe legionum, prouinciam totam grauiter infeſtantem, deſtructæ ſunt. Eadem vero tempeſtate cum Anglorum Rex Henricus ſecundus (capto Albaniæ Rege) regnum ſubito pacificaſſet: prædictus Hoelus per guerram, quam fecerat regiam plurimum timens vltionem, huiuſmodi à Meilerio in maiori anguſtia conſolationis verba ſuſcepit. Ne timeas, inquit, Hoele Regis indignationem, quoniam ad alias eum partes intendere oportebit. Vrbs etenim melior quam in tranſmarinis habet, iam à Rege Francorum obſidetur. Vnde ad partes illas poſtpoſitis omnibus aliis quanta poterit feſtinatione tranſibit. Cuius rei euentum in vrbe Rothomagenſi obſeſſa infra triduum poſt, certis rumoribus Hoelus accepit. Proditionem quoque caſtelli de Oſca, quod Hoelus occupatum detinebat, longe ante prædixit, & dominum ſuum Hoelum ſcilicet inde præmonuit: ſe etiam ibidem eſſe vulnerandum, ſed non lethaliter, viuumque ab oppido euaſurum præcecinit. In hoc ſolo deceptus, quia ſic amicos hoſtis ille beare nouit: ſic ſuos in fine remunerare conſueuit: quod eodem vulnere paulo poſt lethaliter occubuit. 7

Huiuſmodi fabula referuntur de Dunſtano apud Capgrauum.

Inter hæc autem omnia admiratione digniſſima hoc ſolum cenſui magis admirandum quod oculis carneis ſpiritus illos tam aperte videbat, quia ſpiritus oculis corporalibus niſi aſſumptis corporibus, videri non ſolent. Si vero corpora, vt videri poſſent, aſſumpſerant, ab aliis quoque præcipue præſentes & prope poſiti quomodo videri non poterant? Sed forte corporali viſione miraculoſa viſi ſunt hi, cuiuſmodi viſione Rex Balthaſar in Daniele vidit manum ſcribentis in pariete, *Mane, Techel, Phares*, hoc eſt, appenſum, numeratum, diuiſum, qui & eadem nocte regnum pariter & vitam amiſit. His autem in finibus noſtris quoque diebus cœco dominandi ambitu, rupto conſanguinitatis & conſobrinorum fœdere, fides quam enormiter in perfidiam auanuerit, diffuſo per Walliam prauitatis exemplo, Cambria non ignorat.

ANNOTATIONES IN

Caput V.

Iſca.

OSCA [1] *fluuius rapidiſsimus, cuius ortus eſt in nigro monte, hanc vrbem alluit, quem Romani ſcriptores* Iſcam *vocant, vnde hæc vrbs* Iſcelegia *Latinis dicitur. Appellatur autem Britannice* Caer Lheonar Oſyc, *quod eſt vrbs legionum ſuper Oſcam fluuium, ad differentiam alterius vrbis legionum ſuper Deuam, quæ vocatur* Caer Lheonar Dhowrdwy.

Monumetha.

2 *Monemutha nomen ſortitur à caſu* Monæ *confluentis in* Vagam, *quaſi at* Monæ.

Danica ſylua.

3 *Danica ſylua nemus eſt in extremo angulo inter Sabrinam & Vagam confluentes, à Danis (quos & Dacos vocant) nomen habens, qui Alfredi Regis tempore hanc ſyluam occupantes hoc illi nomen indiderunt.*

4 *Nouum Burgum, Britannice* y caſtelh Newyth, *nouum caſtellum Lelando.*

5 *De Iulio & Aarone ſic ſcribit Baleus in catalogo ſcriptorum maioris Britanniæ. Iulius & Aaron famigeratæ legionum vrbis ciues præclari, & Amphibali martyris, in Chriſto diſcipuli, pietatis ornamenta planè illuſtria in Britannia fuerunt. Non ſolum in ſua patria literis obnixe inuigilabant, ſed & exteras regiones pro bonis artibus addiſcendis petebant. Romæque potiſſimum ſtuduiſſe leguntur. Inde inſigniter eruditos fuiſſe illos Britannica paſſim narrat Hiſtoria: & Giraldus illud idem in Hodæporico ſuo confirmat, adiecta etiam nobilitatis calculo. Hi tandem cum aliis vtriuſque ſexus non paucis (vt auctores ſunt Gildas Badonicus in Excidio Britanniæ, Galfridus & Ponticus in chronicis) magnanimitate ſumma in acie Chriſti perſtantes, martyrium infractis animis pertulerunt. Vnde & Beda cap. 7 primi libri Anglicanæ hiſtoriæ, poſt Albani mentionem hæc ſcribit: Paſſi ſunt ea tempeſtate Aaron & Iulius, legionum vrbis ciues: aliique vtriuſque ſexus diuerſis in locis perplures: Qui variis cruciatibus torti, & inaudita membrorum diſcerptione lacerati, animas ad ſupernæ ciuitatis gaudia perfecto agone miſerunt. Et iſta fiebant anno Chriſti 292. regnante in Britannia Conſtantio Chloro. Sub cuius poſtea regimine, cum Imperator eſſet, à tanta clade ita immunes eius vrbes erant, vt aſylum Chriſtianis afflictis tutiſſimum faret illa ipſa Britannia. Refert Iohannes Roſſus* Warwicenſis *in libro ſuo de* Wigornienſibus *Epiſcopis, magnum in Britannia Chriſtianorum numerum, quod prædictum Amphibalum prædicantem audiuerit, impiorum telis occubuiſſe, in loco, qui poſt aduentum Saxonum in inſulam ab euentu* Lichefelde *vocatus eſt, id eſt, cadauerum campus. Sæuitia (inquit Georgius Maior) & furoribus Diocleſiani vehementer labefactata eſt Chriſtiana religio in gente Brita-*

Digitized by Google

tannorũ. Ea.n. labes, teſte Gilda, ita mortales generatim corrupit, ita Chriſtianã religionẽ exinaniuit, vt illa admodũ in paucis integra remanſerit. Hinc Tertull. magnus eccleſiæ doctor ante aliquot annos opportune dixerat, in ope ſuo contra Iudæos: Britannorũ inacceſſa Romanis loca, vero Regi Chriſto eſſe ſubdita. Doctrinã (inquit pdictus Maior) & veros cultus ab Apoſtolorũ diſcipulis acceperunt Britanni, cuius puritatẽ paſſim in omnib. Eccleſiis magno ſtudio ac martyrio tuebantur. Hæc ille. [6] *De hac ſedis tranſlatione: tradũt autores, Dauidẽ Xanti Ceretica prouinciæ reguli filiũ ex Melaria virgine veſtali genitũ, diutina pdicatione & diſceptationib. publicis Pelagianã hæreſin ex Britannica eccl. profligaſſe: atq; ob id à Dubricio vrbis legionũ archipræſule factũ eſſe Cãbriæ Metropolitẽ, archipræſulatu illi reſignato: q cũ Arthuro Britan. rege ita egit, vt illius voluntate ab vrbe legionũ ad ſuã Meneuiã archiepiſcopalẽ ſedẽ transferret, vt Ranulph. Ceſtrẽſis monachus fuſius tradit li.1.c.52. vbi omnes Cãbr. epiſcopi ab archiep. Meneuenſi ſacrati ſunt, vſq; ad Normannorũ aduẽtum. Curauit ẽt vt ſui nominis titulũ ea ſedes haberet, ita vt fanũ Dauidis deinceps vocaretur. Qua de re vide inf. li.2.c.1.* [7] *Varia ſunt dæmonũ ludiſicationes, quib. ſimpliciũ hominũ credulitate & ignorãtia abutẽtes, in æternũ eos exitiũ protrudere moliuntur: improbi ẽt homines (Auguſt. teſte) malarũ rerũ cupidi, occulto quodã iudicio diuino traduntur illudẽdi & decipiẽdi pro meritis voluntatũ ſuarũ, illudentib. atq; decipientib. eos pũaricatorib. angelis, quib. iſta pars mũdi infima, ſecundũ pulcherr. rerũ ordinẽ diuinæ puidẽtiæ lege (vt ſcrib. Wierus) ſubiecta eſt. His.n. portentis per diabolorũ fallaciã illuditur curioſitas, quando id impudenter appetunt ſcire, q nulla ratione competit eis inueſtigare. Hæc poteſtas immundis ſpiritib. ideo datur, vt perniciosos ſibi aptent: h.e. prauos homines ſeducãt: illos ſc. q ſpernunt veritatẽ, & credunt mẽdacio, iuxta Pauli ſententiã: ſanã doctrinã non ferent, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & à veritate quidẽ auditum auertent, ad fabulas a. conuertentur, onerati peccatis: ducentur variis deſideriis, ſemper diſcentes, nunquã ad ſcientiã veritatẽ peruenientes. Hos Paulus filios contumaces vocat, in quib. agit ſpiritus ille, cui poteſtas eſt aeris, eludẽs ſubtilitate & dolo inuiſtabili hæc ſua inſtrumenta in ipſius inductiones propendentia. Vide ea quæ ſcribuntur ab Olao Gotho in fine libr. 3.* cap. 11.
de gentibus ſeptentrionalibus. Et apud Auguſtin. lib. 2. de ciuit. Dei, in 2. parte, cauſ. 26. q. 5. epiſcopi.

De tranſitu per Newburgum & Caerdyf cum N. S. CAP. VI.

APVD nouũ burgũ itaq; vbi Oſcæ flumẽ ab originali de *Cantref bachan* fonte deſcendẽs in mare dilabitur, ad crucis obſequia multis allectis, fluuio *Remni* tranſcurſo ad nobile ſuper aquam Taf de *Caerdyf* caſtrum peruenimus. [1] Serpit a. in Nouiburgi finibus, terra ſc. de Gwentlwc, riuulus cui nomen *Nant Pencarn*, non tã aquarũ profunditate q̃ aluei cõcauitate, paluſtriq; limoſitate, nõ niſi certa p loca vadaq; tranſmeabilis: habuerat a. antiquitus vadũ, cui nomen *Ryd Pencarn*, ad q publica ſtrata ducebat. Sonat Ryd Pencarn.
autẽ latine vadũ ſub capite rupis. *Ryd*.n. Britannice, vadũ latine: *Pen* caput: *Carn* rupis. De quo Merlin. Silueſtris mentionẽ faciens, in hæc verba prupit. [2] Cũ forte lentiginoſum in dextrales Britones irruere videris, ſi *Ryd Pencarn* tranſierit, Cãbriæ vires noueris eneruari. Cõtigit a. noſtris tẽporib. cũ Anglorũ rex Henric. II. in Reſum Gruffini filiũ arma ſumeret, & p maritimã dextralis Cãbriæ viã verſus Caermardin tenderet, die quo *Nant Pencarn* trãſire debuerat, antiq; partiũ illarũ Britones circa pdictum vadũ cũ ſumma ſolicitudine principis aduentũ obſeruabãt: ſcituri p certo, quoniã & fortẽ nouerãt & lentiginoſum, ſi vadi tranſitus cõcordauerit, de ipſo pculdubio vaticiniũ eſſe cõplendũ. Cum igitur rex ad prędictã aquã via duce feſtinaſſet, & vaticinali veteriq; vado dudũ obſoleto, ad aliud eiuſdẽ aquæ vadũ (q modernior vſus frequẽtauerat) iã tranſire paraſſet, tubicines & buccinatores, quos *Cornhiriet* vocãt, ab *hir*, q eſt longũ & cornu, eo q longis in cornub. flatũ emittãt, ex altera vadi ripa quaſi regi exultãtes in eiuſdẽ honorẽ buccinare cœperũt. Vnde cũ equus in quo rex ſedebat, p timore tã horribilis & inſueti ſonitus calcaria reſpuẽs, aquã intrare prſus abnueret; rex lora regyrans, ad antiquũ vadũ ſe cõferre ira præuia deproperauit, quo ſtatim impetuoſe tranſcurſo, Britones eo experimento, quaſi de imminẽte iã excidio mœſti ad ppria ſunt reuerſi. In caſtro quoq; de Caerdyf cõtigit his noſtris dieb. res memoratu nõ indigna. Claudioceſtriæ nãq; comes Gulielm. Roberti comitis filius, qui cũ caſtro pdicto totã puinciam de *Gwladuorgan*, i.e. terra Morgani, iure hereditario poſſidebat, [3] cũ quodã homine ſuo, cui nomẽ Yuorus agnomẽ Modic⁹ erat, forte guerrã habuerat, erat.n. vir Yuorus Bach.
ſtaturę modicę, ſed animoſitatis immẽſæ. Wallenſiũ more mõtana quædã & ſilueſtria poſſidẽs, q̃ tñ illi comes vel auferre prſus vel mutilare cõtendebat. Nocte igitur quadã quanq̃ caſtrũ de Caerdyf murorũ ambitu munitiſſ. excubiarũ multitudine pſonaret: quanq̃ militibus 120. nec nõ & archariis multis: ſtipendiaria quoq; plurima vrbs redundaret: inter tot tamẽ pſidia & ſecuritatis argumẽta, pdictus Yuorus ſcalis allatis clã muros irrepẽs, comitẽ & comitiſſam cũ paruo quẽ vnicũ habebãt filio ſecũ educẽs ad ſilueſtria perduxit, nec remiſit, donec quicquid iniuſte ablatum fuerat, & ampliora recuperaſſet: teſtante namq; Poeta: Spectan-

Spectandum eſt ſemper ne magna iniuria fiat
Fortibus & miſeris: tollas licet omne quod vſquam eſt
Argenti atq; auri, ſpoliatis arma ſuperſunt.

Admonitio H. 2. facta apud Caerdyf.

In hoc eodem oppido de Caerdyf[1] Anglorum Rex Henricus ſecundus in reditu ab Hibernia, ſabbato primo poſt Paſcha eum pernoctaſſet, miſſaq; mane dominica ſcilicet iam audita, cum à capella Sancti Pirani, præter Regem omnes exiſſent, ipſo in orationibus plus ſolito tunc forte morante: tandem eum exiret, & ad oſtium Capellæ iam equum aſcenderet, aſtitit ei vir quidam ante faciem, poſte quodam præfixo, quaſi propodio fungens, flauus, tonſuraque rotunda, vultus macilenti, ſtaturæ aliquantulum proceræ, ætatis quaſi circiter annos quadraginta, tunica indutus alba vſque ad calcũ pedis demiſſa, zona præcinctus, & pedibus nudis, qui & regẽ in hæc verba quaſi Teutonice cõuenit: *God hold ye cuinge*, q; latine ſonat, *Deus te cuſtodiat rex*. Et poſtea eadẽ lingua proſecutus eſt in hunc modum: *Salutat vos Chriſtus, & pia mater eius, Ioannes quoq; Baptiſta, & Apoſtolus Petrus, mandantes vobis, quatenus per totas ditioni veſtræ terras ſubditas, ne mercatus dominicis diebus fiant, firmiter inhiberi faciatis, & quod illis nihil vſpiam operis fiat, niſi diuinum officium, & illud deuote facere & audire, præter cibaria ſolum, quæ ad vſum diurnum præparentur. Quod ſi feceritis, nihil vnquam inchoabitis quod fine bono non compleatur, vitamque feliciter conſummabitis.* Rex autem militi, cui nomen Philippus de Mereros, qui frenum equi tenebat, dixit lingua Gallica: Quære à ruſtico, vtrum hoc ſomniauerit. Et cum Anglice miles exponeret, ſubiecit ille lingua priori: *Siue hoc ſomniauerim ſiue non, vide quis hodie dies ſit*, loquens Regi non interpreti: *quia niſi hoc feceris, vitamque maturius emendaueris, priuſquam annus iſte prætereat, tales de re, quam plus in mundo diligis, rumores audies, talemque turbationem inde recipies: quæ tibi vſque ad exitum vitæ non deficiet.* Et cum Rex hoc dicto equo calcaribus monito, parum verſus portam & quaſi paſſibus octo proceſſiſſet, lora regyrans, vocate mihi, inquit, bonum hominem illum. Et cum miles prædictus, & iuuenis quidam, cui nomen Gulielmus, qui ſoli tunc in oppido cum rege remanſerant, illum vocaſſent, & non inuentum primo in capella, deinde per aulam & diuerſoria cuncta quæſiiſſent, nuſquam comparuit. Rex autem eo non reperto, cum tamen diutius eum ſolus in oppido dum alii quærerent, expectaret, mœſtus plurimum & plangens, quod amplius ei loquutus non fuiſſet, verſus Nouumburgum per pontem de Remni iter arripuit. Sicut autem comminando vir ille promiſerat, ſic anno contigit nõ cõpleto: filii nãq; ipſius 3. primæus ſc. Henricus, & alii duo, Pictauenſis ſc. & Brito poſt ipſum, in quadrageſima ſequẽte ad regẽ Francorũ Ludouicũ diſceſſerunt. Vnde tanta mota eſt ei inquietatio, quantã antea nunq̃ habuerat, & q̃ ſemper ei vſq; ad extremũ ſpiritus halitũ, p aliquẽ filiorũ fere inceſſanter perdurauit. Multas & alias præmonitiones & caſtigationes rex iſte diuina miſeratione (quæ magis conuerſionẽ peccatorũ appetit, quã euerſionem) circa eadem tempora & fini propinquiora ſuſcepit, quas tamen omnes animo obſtinato & corde indurato incorrigibilis omnino contempſit: ſicut in lib. de Principis inſtructione (Deo propitiante) plenius oſtendetur.

Barri inſula.

Diſtat autem non magnis abhinc ſpaciis Inſula modica in Sabrini maris littore ſita, q̃ accolæ Barri, à nomine ſancti Baroci loci eiuſdem olim cultoris, ſic dicta: cuius & reliquiæ in Capella ibidem ſita, hederæ nexibus amplexata, in feretrum tranſlatæ continentur. Ab huius etiam inſulæ nomine viri nobiles maritimarũ auſtralis Cambriæ partium, qui eidem inſulæ cum terris finitimis dominari ſolent, ſunt denominati. A Barris ſcilicet primo agnomen, poſtea cognomen de Barri ſuſcipientes. Eſt autem hic notabile, quod in ipſo inſulæ introitu in rupe marina apparet rimula permodica, ad quam ſi aurem apponas, audies operæ ſtrepitum quaſi fabrilis: Nunc follium flatus, nunc marculorum ictus, nunc coris & ferri ſonora fricamina, ſtridentesque cauernis ſtricturas calybum & hanelum fornacibus ignem. Ceterum haud difficile credendum ex aquis marinis occulte ſubintrantibus ſonum huiuſmodi prouenire poſſe, vbi quoniam non minus retrogradis & refluis fluctibus vacuato prorſus littore continuatur, quam repleto.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

Caerdyf[1] *Britannice hodie Caerdhydh vocatur, ſed corrupte. Lelandus Antiquarius Caerdaf appellat, à Taf fluuio præterlabente nomine indito: Condita autem vrbs eſt à Roberto Claudioceſtrenſi Comite, Henrici primi filio notho, qui Matildem filiam & heredem Roberti filii Hammonis, qui iure gladii (vt poſtea dicturi ſumus) Morganniam prouinciam, obtinuit, coniugem habuit.*

[2] *De Merlino ſilueſtri, & eius vaticiniis vide infr. lib. 2. cap. 8.*

[3] *Morgannia Britannice Guladvorgan, id eſt, Prouincia Morgani, ſic dicta (vt Galfridus Caſſo-*

Caſtoreus habent à Morgano rege in ea regione caſo à conſobrino ſuo Cunedagio ante Romam conditam: vel potius vt ego non ſine ratione coniicio à Morgano cognominato Mwynuawr, qui tempore Edgari Regis Angliæ, illius regionis dominus exiſtens, plurima bella cum Saxonibus geßit, de quo memoria proditum eſt, illum à ſuis ſubditis ita diligi, vt eo ad bellum proficiſcente, omnes qui arma ferre poſſent, illum vltro ſequerentur: nec vllus in vniuerſo eius exercitu inueniretur, qui Domini ſui cauſa mortem oppetere recuſaret. Hic abauus fuit Gurguntii patris Ieſtini illius, qui à Roberto filio Hammonis vniuerſa huius regionis hereditate ſpoliatus fuit. Cuius Roberti filiam vnicam & heredem ſolam (vt ante diximus) Robertus Nothus Henrici primi Claudioceſtriæ Comes duxit, ex qua hunc Gulielmum ſuſcepit.

4 Tres fuerunt huiuſmodi admonitiones Henrico regi de vita ſua corrigenda factæ. Prima eſt hæc, de qua hic mentionem facit noſter Giraldus. Secunda facta eſt à quodam Hibernico, qui eum admonuit, vt mores corrigeret ſuos, ſecretiorum quorundam ſignorum adiectione vſus, vt fidem ſibi apud Regem acquireret. Tertia, cum Rex in Normanniam traiecisſet, miles quidam de Lindeſey, cuius nomen erat Philippus de Eſtreby, ad illum accedens, ſequentes ſeptem articulos ad regale eius officium pertinentes ei propoſuit, videlicet:

1. *Si Catholicam Chriſti religinem foueret.*
2. *Si leges iuſtas & æquas ſtatueret.*
3. *Si neminem tametſi reum ſine legitimo iudicio condemnaret, quæ tria in ſua inauguratione interpoſito iuramento vouerat:*
4. *Si terras & poſſeßiones, quas iuſtis hæredibus minus iuſte abſtulerat, iterum reſtitueret.*
5. *Si iuſtitiam ſine donis & muneribus ſubditis ſuis adminiſtrari faciat.*
6. *Si miniſtrorum & militum ſtipendia debite perſoluantur, ita vt ab iniuſta populi expilatione abſtineant.*
7. *Si denique Iudæos, qui grauioribus vſuris vniuerſas eius ſubditorum opes depeculabantur, è ſuis ditionibus expelleret: fore proſperum &glorioſum reliquum eius vitæ curſum, eumque ad ſeptennium vſque regnaturum, crucemque ſacram ab infidelibus eſſe vindicaturum dicebat: Sin autem vitæ & morum ſuorum emendationem negligeret, anno quarto illum cum ignominia eſſe moriturum affirmabat.*

De ſede Landafenſi, & monaſterio de Margan, cum partium illarum notabilibus.

CAP. VII.

IGITVR in craſtino crucis (apud *Landaf*) negotio publice propoſito, aſtantibus hinc Anglis, inde Wallenſibus ex vtroq; populo plurimis ad crucem allectis, ea nocte ibidem cum epiſcopo loci eiuſdem Gulielmo viro diſcreto & honeſto, moram fecimus. Sonat autem *Landaf* Eccleſia ſita ſuper *Taf* fluuium, quæ & Eccleſia ſancti *Teileau* eiuſdem olim Epiſcopi nunc dicitur. Mane ergo miſſa in Eccleſia cathedrali principalique altari ab Archipræſule celebrata, ſtatim verſus nobile Ciſtercienſis ordinis monaſterium de Margan, per cellulam de Ewenith iter incunctanter arripuimus. Erat autem monaſterium de Margan præ aliis cunctis ordinis illius per Cambriam locis, præſidente tunc viro literato & diſcreto Abbate Conano, charitatiua largitione laudatiſſimum: vnde & aliquoties graui ingruente famis articulo, certum noueris, & indubitata veritate compertum, ob immoderatam largifluæ charitatis abundantiam, quam in peregrinos & pauperes infatiganter exercuerat, deficiente aliquoties farre penuque, ſenſibile fuiſſe diuinitus augmentum appoſitum, tanquam lecythi oleum, Eliſei beneficio pauperi mulierculæ multiplicatum. Circa prima vero fundationis tempora iuuenis quidam de finibus illis genere Cambrenſis, terras quaſdam monaſterio datas acriter ſibi vendicans, & in vſus proprios redigere parans: poſt multas infeſtationes demum inſtinctu dæmoniaco grangiam monachorum optimam blado refertam igne combuſſit: & ſtatim amens effectus per patriam diſcurrere cæpit rabie plenus & inſania, nec ab errore ceſſauit, donec à parentibus captus fuerat atque ligatus, porro ruptis mane vinculis, fatigatiſque cuſtodibus ad monaſterii denique portam euaſit, clamans inceſſanter, & vlulans, ſe monachorum miniſterio totum intrinſecus igne comburi; Et ſic planctu miſerabili vociferando ſpiritum infra paucos dies exhalauit.

Miraculum certum, & indubitata veritate compertum, quis negabit

Contigit autem vt ab alio quodam iuuene in hoſpitum aula verberato ſtatim in craſtino diuina vltione ſequuta iniurioſus ille ab hoſtibus interimeretur, & eodem aulæ loco, quo fuit iniuria ſacræ domui & fratribus aſtantibus irrogata, exanime

» vllius deſidiæ torpor poſſet adimere: verum quoniam deſiderabilem hanc gratiam æ-
» tas mihi debilior, deteriorque dies inuidit (quippe, ſic *multa ferunt anni venientes com-*
» *moda ſecum: multa recedentes adimunt*) ſi beneficium corporis vexatione cõſequi plenum
» non ſufficio, decimarum tamen omnium, quæ poſſideo, largitione conſequi valeam,
vel ſemiplenũ. Et ſic ad pedes archiepiſcopi prouolutus, & cũ largo lacbrymarũ fonte genua ponens in manu eiuſdem ad crucis obſequiũ, rerũ ſuarũ omniũ decimas aſſignauit, & ab eodẽ dimidiam iniunctę pœnitentię remiſſionẽ impetrauit. Cum autem
» hoc facto pauliſper ſeorſum receſſiſſet, reuerſus in hanc ſententiam prorupit; Domi-
» ne, ſi voluntas informat actionem, & ipſa plerunq; pro facto reputatur, cum mihi hoc
» iter agendi ſit plena & firma voluntas, reſiduæ partis pœnitentiæ relaxationem pero,
» & inſuper renouato beneficio decimarum mearũ de reſiduo ſummã adæquabo. Subridens ad hoc Archiepiſc. deuotam viri ſubtilitatem cũ admiratione eſt amplexatus.

Eadem vero nocte monachis duobus cubiculariis Archiepiſcopi ſuper his, quæ acciderant, viæq; periculis ad inuicem conferentibus, dixit vnus eorum, prouincia dura eſt iſta: alter autem æque facete reſpondit: Quinimo nimis heſterna die mollis inuenta eſt: altero ad aſperitatem patriæ, altero vero ad ſabuli molliciem ſermonem referente.

Elidori preſbyteri relatio fabuloſa.

Parum autem ante hæc noſtra tempora accidit his in partibus res memoratu non indigna, quam ſibi contigiſſe præſbyter Elidorus conſtantiſſime referebat. Cum enim puerilis innocentiæ duodecimum iam ageret annum: quoniam, vt ait Salomon, Radix literarum amara eſt, quanquam fructus ſit dulcis: puer literis addictus, vt diſciplinam ſubterfugeret, & verbera crebra præceptoris, in concaua fluuii cuiuſdam ripa ſe fugitiuus occultauit: cumque ibidem bis ſole reuoluto ieiunus continue iam latitaſſet, apparuerunt ei homunculi duo, ſtaturæ quaſi pigmeæ, dicẽtes: ſi nobiſcum venire volueris, in terram ludis & deliciis plenam te ducemus: annuens ille ſurgenſque ſecutus eſt præuios per viam primo ſubterraneam & tenebroſam vſque in terram pulcherrimam, fluuiis & pratis, ſiluis & planis diſtinctiſſimam, obſcuram tamen, & aperto ſolari lumine non illuſtratam.

Erant ibi dies omnes quaſi nebuloſi, & noctes lunæ ſtellarumq; abſentia teterrimæ. Adductus eſt puer ad regem, eique coram regni curia præſentatus, quem cum diu cum admiratione cunctorum rex intuitus eſſet, tandem eum filio ſuo, quem puerum habebat, tradens aſſignauit. Erant autem homines ſtaturæ minimæ, ſed pro quantitatis captu valde compoſitæ: flaui omnes, & luxuriante capillo, muliebriter per humeros coma demiſſa. Equos habebant ſuæ competentes modicitati, leporarius in quantitate conformes. Nec carne veſcebantur, nec piſce, lactcis plerunque cibariis vtentes, & in pultis modum quaſi croco confectis. Iuramenta eis nulla. Nihil enim adeo vt mendacia deteſtabantur. Quoties de ſuperiori hemiſphærio reuertebantur, ambitiones noſtras, infidelitates & inconſtantias expuebant. Cultus eis religionis palam nullus: veritatis ſolum, vt videbatur, amatores præcipui & cultores.

Solebat autem puer ille ad noſtrum hemiſphærium pluries aſcendere interdum per viam qua venerat, interdum per aliam: primo cum aliis, & poſtea per ſe. Solumq; matri ſuæ ſe committebat; patriæ modum, gentiſque naturam & ſtatum ei declarans. Monitus igitur à matre, vt auri, quo abundabat regio, munus ei quandoque referret, pilam auream, qua Regis filius ludere conſueuerat, ab ipſo rapiens ludo, per viam ſolitam ad matrem deproperãs, curſim aſportauit: & cum ad oſtium domus paternæ, populi tamen illius nõ abſq; ſequela iam perueniſſet, intrare feſtinauit, pes hæſit in limine, & ſic intra tectum cadenti matre ibidem ſedente, pilam è manu elapſam duo pigmæi è veſtigio ſequentes arripuere, exeundo in puerum ſputa, contemptus & deriſiones emittentes. Ipſe vero reſurgens ad ſeque reuerſus, mira facti confunditur erubeſcentia, & matris plurimum conſilia deuouens ac deteſtans, cum via redire pararet, quam aſſueuerat, ad aquæ deſcenſum hypogeumq; meatũ cum perueniſſet, aditus ei iam nullus apparuit. Cũ tamen per anni fere ſpaciũ inter aquę p̃dictæ ripas viam inutilis explorator inquireret. Sed quoniam ea, quæ ratio non mitigat, temporis interdum mora miteſcunt: & diuturnitas ſola laxatos hebetat plerumque dolores: ſiquidem malis multis finis de tempore venit: demum tamen ab amicis & matre præcipue vix reuocatus, ſibique reſtitutus, & literis denuo datus, tandem proceſſu dierum in ſacerdotii gradum eſt promotus. Cum autem Meneuenſis Epiſcopus Dauid ſecundus, ſuper huius euentus inquiſitione preſbyterum iam ſenio confectũ multo-

ties

tics ſollicitaſſet: nuquam ei negotii ſeriem potuit citra lachrymas replicare. Habuerat etiam gentis illius linguæ notitiam, cuius & verba recitare conſueuerat, quæ ſibi puerilibus (vt moris eſt) annis, rapide comparauerat. Erant autem verba ſicut ab Epiſcopo prædicto mihi ſunt ſæpe propoſita, Græco idiomati valde conformia. Cum enim aquam requirebant, dicebant *Ydor ydorum*, quod latine ſonat, aquam affer: *Ydor* enim aqua eorum lingua ſicut & Græca dicebatur, vnde & vaſa aquatica ὑδρίαι dicuntur, & *Dûr* lingua Britannica ſimiliter aqua dicitur. Item Salem requirentes dicebant *Halgein Ydorum*, ſalem affer; ἅλ vero Græce ſal dicitur, & *Halen* Britannice: lingua namque Britannica propter diutinam, quam Britones, qui tunc Troiani, & poſtea Britones à Brito eorum Duce ſunt vocati, poſt Troiæ excidium moram in Græcia fecerant, in multis Græco conformis inuenitur.

Hic autem mihi notabile videtur, quod in vno verbo tot linguas conuenire non inuenio, ſicut in iſto: ἅλ enim Græce, *Halen* Britannice, ſimiliter Hibernice, *Halgein* interpoſita G. lingua prædicta: Item *Sal* Latine, quia, vt ait Priſcianus, in quibuſdam dictionibus pro aſpiratione ponitur S. vt ἅλς Græce, ſal Latine, ἕμι ſemi, ἑπτὰ ſeptem, *Sel* Gallice, mutatione a vocalis in e, a Latino additione t literæ *Salt* Anglice, *Saut* Teutonice. Habetis ergo ſeptem vel octo linguas in hac vna dictione plurimum *Iudicium auctoris de præcedente fabula.* concordantes. Sin autem interpoſitæ relationis de veritate quid ſentiam, ſcrupuloſus inueſtigator inquiras: cum Auguſtino reſpondeo, admiranda fore diuina miracula, non diſputatione diſcutienda: nec ego negando diuinæ potentiæ terminos pono, nec affirmando, eam quæ extendi non poteſt, inſolenter extendo. Sed illud Hieronymi ſemper in talibus ad animum reuoco. Multa, inquit, incredibilia reperies, & non veriſimilia, quæ nihilominus tamen vera ſunt. Nihil enim contra naturæ dominum præualet natura. Hæc igitur & ſimilia ſi quæ contigerint, iuxta Auguſtini ſententiam inter illa locauerim, quæ nec affirmanda plurimum, neque neganda decreuerim.

ANNOTATIONES IN Caput VIII.

DE' Auenna Netha & Tana canfluentibus, vide infra eundem Giraldum in Topographia Cambriæ capite quinto. Monaſterium autem de Neth condidit Richardus Granuillanus miles, vnus ex duodecim nobilibus, qui cum Raberto filio Hammonis in auxilium Ieſtini filii Gurguntii, contra Reſum filium Theodori Demetiæ Principem aduenerunt: verum deuicto Reſa, hanc regionem Ieſtino, à quo fuerant vocati, ademerunt, & inter ſe partiti ſunt: vnde dominium de Neth in ſortem Granuillant ceſſit, qui ad vſum & ſuſtentationem monaſterii prædicti omnes terras ſuas de Neth aſſignauit, vt in Hiſtoria Cambriæ manifeſtum eſt.

2 *De hoc Rotherico Phalcuſio multa commemorantur, eaque valde feſtiua & lepida. Obtinnerat enim diſpenſationem quandam ab Epiſcopo Meneuenſi, videlicet vt miſſam vnam quotidie faceret, & præcipuus defunctorum Capellanus haberetur: quo nomine multa miracula vel* πλανητικώματα *potius operatus eſt. Nam tituli ſui prærogatiua in omnibus funeralibus obſequiis, poſt rectorem loci, primus ſemper miſſificabat: & ſingulis diebus duas miſſas celebrabat. Qua in re cum de exceſſu carum Epiſcopo conueniretur, factum iuſtificabat: affirmans ſe presbyterii ſui ratiane miſſam vnam quotidie facere poſſe, & aliam ratione facultatis ſibi ab Epiſcopo conceſſa. Hic cum in magna & diuite quadam parochia ſolenni feſta eſſet miſſificaturus: accepit ſecum circumfaraneum quendam circulatorem, vt ſibi vſui foret, qui in ipſo miſſa ſua (vt vocant) offertorio, cum parochiani ſuas illi oblationes deferrent, de pecunia mutatione rixam excitauit, ex qua acris orta eſt contentio, atque à verbis ad verbera deuentum, ita vt tota turbaretur multitudo. Hæc dum geruntur, aliis pugnantibus, aliis vociferantibus, aliis deniq; ſuos paruulos & vxores protegentibus, Dominus Rothericus veſtibus ſacris (vt erat) indutus, ſe clam vna cum calice ſubduxit ex Eccleſia, & aufugit. Poſtea vero infra paucos dies, ad centum & viginti ex parochianis, ob ſacrorum perturbationem, qua ſe de vita periclitatum affirmabat, apud Epiſcapum grauiter accuſauit, eoſq; in ius vocauit, grauiſſima quæq; ſcelera illis obiiciens, & madis omnibus, quibus poterat, eis moleſtias exhibens, donec illi pacem ſibi redimentes, de calice & veſtibus actionem penitus relaxaſſent.*

3 *Hæc fabula mihi quidem videtur eſſe compoſita ad imitationem relationis Eris Armenii apud Platonem in libris de Republica: aut deſumpta ex Tigado horto Aloadini Principis de Muletę, quem M. Paulus Venetus libro primo, capite vigeſimo octauo, Senem de montanis appellat: de quo ſcribit Haithonus lib. de Tartaris, capite vigeſimo quarto, & Cal. Auguſtinus Curia Hiſtor. Saracen. libr. 3.*

riuus Hodeni, vel Lanhodeni per L fine r id eſt, eccleſia Hodeni dici deberet. Pluuiæ quas montana creant hic creberrimæ, venti perualidi, nebulæ ſub bruma fere continuæ. Et tamen aeris quanto obtuſioris tanto benignioris & clementioris ſalubri temperantia: morbi rariſſimi, adeo quidem vt fratres apud filiam diutino labore conſumpti & deſperabiliter afflicti tanquam ad ſalubre remedium & vnicum ſoſpitatis aſylum ad matris vbera tranſlati optatæ ſanitati reſtituantur. Nam ſicut Hybernica Topographia noſtra teſtatur: Quanto ad Euri partes magis acceditur, tanto cœli faciem quo purior & ſubtilior, tanto penetrabilior & inclementior aer illuſtrat: Quanto vero ad Circii Zephirique fines magis vergitur: occiduam temperiem quo nubilior, tanto benignior atque ſalubrior aura fœcundat. Hic clauſtrales in clauſtro ſedentes cum reſpirandi gratia forte ſuſpiciunt, ad quaſcunque partes trans alta tectorum culmina, montium vertices quaſi cœlum tangentes, ipſaſque plerumque feras (quarum hic copia eſt) in ſummo paſcentes, tanquam in vltimo viſas horizonte proſpiciunt. Hora vero dici quaſi inter primam & tertiam ſuper montium cacumina vix emergens & ſereno tempore corpus hic ſolare primo conſpicitur. Vere locus contemplationi idoneus, locus fœlix & amœnus, locus à primæua inſtitutione ſibi ſufficiens & fœcundus, niſi ob Anglicam luxus opulentiam & lautæ menſæ gloriam ambitioſa quadam intemperantia, vitio quoque ingratitudinis inualeſcente, in ſeruitutem quæ libera fuerat prælatorum pariter & patronorum negligentia iam redacta, non minus inuide quam inuiſe matrem filia facta priuigna ſupplantaſſet. Hic autem mihi notabile videtur, quod Priores omnes locum de quo loquimur aduerſantes, flagellati diuinitus occubuere. Prior Gulielmus qui primus armentis & armariis locum ſpoliauit demum deiectus à fratribus & depoſitus, inter Priores ſepulturam non meruit. Clemens vero qui quanquam locum lectionis & orationis gratiam diligere & frequentare videretur, tamen ad exemplum Heli ſacerdotis, quoniam diripientium & delinquentium fratrum errorem nec reprehendit nec repreſſit, paralytica paſſione percuſſus interiit. Rogerus autem qui plus cæteris locum infeſtans, & cuncta quæ ab aliis relicta videbantur palam aſportans, libris, ornamentis & priuilegiis eccleſiam ex toto priuauit, longe ante obitum paralyſin incurrens & honorem cedens, diutino languore conſumptus, vitam pariter & valetudinem terminauit.

Tempore vero Anglorum regis Henrici primi matre florente tam rerum affluentia quam religione famoſiſſima, (quæ tamen duo comitantia raro reperiès) filia quippe matris æmula nondum genita, vtinam & ab æuo non gignenda, Rogerum Saliſburienſem epiſcopum, principalem regni tunc ſub rege rectorem, huc fama tantæ religionis attraxit. Virtus enim vero eſt virtutem diligere vel in altero, & magnum innatæ bonitatis indicium, ipſa quæ necdum vitaueris vitia animi iudicio depouere. Hic cum aliquandiu loci naturam, heremiticam ſolitudinem fratrum ibidem canonice viuentium, Deoque ſeruientium ſine querela, ſanctam ſine murmure conuerſationem, in ſingulis admiratus conſideraſſet, reuerſus ad regem, relatiſq; quæ ibi repererat relatione digna, cum maximam diei partem in loci præſcripti titulos expendiſſet, tandem in hoc verbo, laudis præconia conſummauit. Quid inquit plura, totus tam regis quam regni theſaurus ſoli clauſtro erigendo non ſufficeret. Cum itaque tam regis quam curiæ totius animos in huius verbi ſtuporem diutius ſuſpendiſſet, tandem de montium clauſtris quibus vndique vallatur ænigma ſermonis expoſuit. Miles autem cui nomen Gulielmus, qui primus loci inuentor fuit & cultor, necnon & præsbyter Erniſtus qui ſe ſocium ei ſtatim adiunxerat, quoniam iuxta Hieronymi ſententiam forſitan audierant, ſicut in vitis patrum legitur: Chriſti eccleſiam poſtquam creuit poſſeſſionibus decreuiſſe virtutibus, de vitiis pariter & diuitiis incrementa ſumendo: deuotis ad dominum orationibus in publica audientia ſæpius efflagitare ſolebant, vt nunquam ad magnas poſſeſſionum opulentias locus iſte perueniret: quoties inprimis ſeu domini & patroni ſui Hugonis de Laci primi & primæui, ſeu aliorum fidelium largitione, tam terris quam beneficiis eccleſiaſticis cœpit locus hic locupletari valde dolentes. Plurima quoque tam in prædiis quam in Eccleſiis in primis oblata paupertatis amore reſpuerunt: Et in Eremo poſiti ne ab Eremitica vita recederent, loci condenſa quibus in hiſpidam ſiluam vallis excreuerat, in planiciem redigi & extirpari non permiſerunt. Vnde & effectum eſt vt quam cito in immenſum ditari cœperant & dotari: Statim per Herefordiæ Comitem Milonem, (hoſtilitatis tamē tempore occaſionem præſtante) filia apud Glouerniam æmula matris emerſit: tanquam diuina prouidentia, meritis quoq; ſanctorum virorum, & precibus quorum

hic con-

hic corpora duo coram principali altari recondita iacent, in ſuperfluis rerum fundamentis filia fundaretur: in laudabili quam ſemper appetit mediocritate matre manente. Ibi igitur actiui reſideant, hic contemplatiui: Ibi terreſtrium ambitus diuitiarum, hic cœleſtium amor deliciarum: ibi frequentiam habeant populorum, hic præſentiam appetant angelorum: ibi mundi potentes ſuſcipiantur, hic Chriſti pauperes reficiantur: ibi inquam actiones perſtrepant & declamationes, hic vero lectiones obmurmurent & orationes: ibi vitiorum nutrix atque creatrix cum curis creſcat & opulentia, hic virtutis alumna mediocritas aurea ſuppetat & moderantia: vtrinque tamen tam hic quam ibi quæ aliis hodie cunctis præeminet ordinibus, ab Auguſtino inſtituta canonica ſeruatur diſciplina. Benedicti namque regulam in primæua paupertate laudatiſſimam, rerum opulentia poſtmodum feruore charitatis plurimum adaucta, & fidelium largitione multiplicata, ſub prauæ diſpenſationis obtentu crapula iugis & copia corruperunt. Ciſterſienſis autem ordo ſpontaneo priſtinæ paupertatis & ſanctitatis deſiderio nuper à priore deriuatus, in primis ſimiliter digne laudari meruit & extolli: donec iterum cæca malorum mater obrepſit ambitio, neſcia ſucceſſibus modum ponere. Quoniam vt ait Seneca, facit quidem auidos nimia fœlicitas, nec tam temperatæ cupiditates vnquam ſunt vt in eo quod contingit deſinant: Gradus à magnis ad maiora fit & ſpes improbiſſimas amplectuntur, inſperata aſſecuti. Cui & illud Ouidii concordare videtur:

Benedictinorum laxus.

Ciſterſienſes.

Opulentia religionum corrumpit.

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis,
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

Et illud eiuſdem.

Creuerunt opes & opum furioſa cupido,
Et cum poſſideant plurima plura petunt.

Item illud Horatii in lib. carminum.

Scilicet improbæ creſcunt diuitiæ,
Tum curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.

Et in eod. *Creſcentem ſequitur cura pecuniam*
maiorque fames.

Multa petentibus deſunt multa. Bene eſt cui Deus obtulit parca quod ſatis eſt manu. vnde & Lucanus.

Oda 16 lib. 3.

Lib. 5 [illegible]

——O vita tuta facultas
Pauperis, anguſtique lares. O munera nondum
Intellecta deûm.

Petr. *Non bibit inter aquas nec poma fugacia carpit*
Tantalus infœlix quem ſua vota premunt.
Diuitis hic magni facies erit, omnia late
Qui tenet & ſicco concoquit ore famem.

Armentis quippe & equiciis montana, porcis ſiluestria, capris nemoroſa, ouibus paſcua, pecudibus plana, aratris rura, quanquam reuera in ſe largiſſima: ſingula tamen vitio mentis inſatiabili videntur anguſta. Ideoque terræ occupantur, termini tranſponuntur, fines inuaduntur, vnde & nundinæ mercimoniis, & fora litigiis, & curiæ replentur querimoniis. De talibus autem in Iſaia legitur: *Væ vobis qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis ſoli vos in medio terræ?* Si ergo ſic inuehitur propheta in eos qui vſque ad terminum: quid in illos dicetur, qui longe vltra terminos? His igitur ex cauſis & ſimilibus effectum eſt, vt veræ religionis color optimus, adeo in ſalſitatis fucum ſit iam conuerſus, adeo vt nigri interius mores candidis velentur operimentis, adeo inquam interiotis olim habitus,

Eſa. 5.

Qui color albus erat nunc eſt contrarius albo.

Vt de his illud Euangelicum vere videatur impletum, *Attendite ab his qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Tantæ tamen & tam declamatæ per orbem auiditatis, bona vt credimus occaſionem præſtat intentio. Hoſpitalitatis namque gratia quam huius ordinis viri (quamquam in ſe abſtinentiſſimi) præ aliis cunctis charitate largiflua in pauperes & peregrinos infatiganter exercent: & quia non redditibus vt alii, ſed laboribus ſolum & prouidentia viuunt: terras tanto conamine, quibus ad hæc peragenda ſufficientiam eliciant, auide perquirunt, prædiaque ſummopere petunt & paſcua lata. Veruntamen ad reprimendam & remouendam ab ordine ſacro deteſtandam ambitionis notam, vtinam illud Eccleſiaſtici in-

Mat. 7.

Bona intentio.

Eccl. c. 34.

terdum ad animum reuocare velint: *Qui facit Eleemoſynam, vel qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui filium victimat in conſpectu patris.* Et illud Gregorii, bonus vſus non iuſtificat male quæſita. Item & illud Ambroſii: Qui male accipit vt bene diſpenſet, grauatur potius quam iuuatur: tales enim cum Apoſtolo dicere videntur: *Faciamus mala vt veniant bona.* Scriptum eſt enim, talis debet eſſe miſericordia quæ ſuſcipiatur, non quæ repellatur: quæ peccata purget, non quæ reum faciat ante dominum: de iuſtis laboribus tuis non de rebus alienis. Audi Salomonem dicentem: *Honora dominum de tuis iuſtis laboribus.* Quid dicturi ſunt qui aliena rapiunt & eleemoſynas fecerunt? O domine in nomine tuo miſericordias fecimus, pauperes pauimus, nudos veſtiuimus, peregrinos hoſpitio recepimus. Quibus dicturus eſt dominus, quod dediſtis dicitis, quod feciſtis rapinam non dicitis. Quos pauiſtis memoratis, & quos necaſtis non recordamini. Exemplum autem de reſponſo Richardi Regis Anglorum facto magiſtro Fulconi viro bono & ſancto, per quem Deus in Francorum regno noſtris diebus multa proculdubio ſigna fecit, hic interſerere præter rem non putaui. Cum inter cætera vir ille ſanctus regi dixiſſet; Tres filias habetis quæ quamdiu penes vos fuerint nunquam Dei gratiam habere poteritis, ſuperbiam ſcilicet, luxuriam & cupiditatem. Cui rex poſt modicam quaſi pauſationem, iam inquit maritaui filias iſtas & nuptui dedi; Templariis ſuperbiam, nigris monachis luxuriam, & Albis cupiditatem. Id etiam pro valde mirando de loco præſcripto Lanthonei dicto, vel potius quaſi pro miraculo duximus, quod in ſummis quibus clauditur vndique montium verticibus, non petroſis aut ſaxoſis ſed mollibus potius & herboſis, Parii lapides repetiri ſoleant, qui & liberi vulgo dicuntur, quia ſecabiles ferroque quodam modo polibiles ſeſe quaſi liberaliter præſtant: ex quibus eccleſia ipſorum iam extat egregie conſtructa. Super quo quidem & hoc mirandum, quod quæſitis ad vnguem per montana lapidibus illis, & ex toto prorſus abſtractis nulliſque relictis qui repetiri ibidem amplius poſſent, infra tertium aut quartum diem iterum requiſiti tanquam dono ſeipſos offerentes, & ſe quærentibus oſtendentes copioſa multitudine reperiuntur. De duobus tamen ordinibus iſtis Cluniacenſi ſcilicet & Ciſtercienſi hoc compertum habeas, locum ædificiis egregie conſtructum, redditibus amplis & poſſeſſionibus locupletatum iſtis hodie tradas, inopem breui deſtructumque videbis: illis è diuerſo eremum nudam & hiſpidam ſiluam aſſignes: intra paucos poſtmodum annos, non ſolum eccleſias & ædes inſignes, verumetiam poſſeſſionum copias & opulentias multas ibidem inuenies. Hanc autem diuerſitatem (vt mihi videtur) morum diuerſitas parit & ſtudiorum. Vt enim ſalua vtrorumque venia veritati non parcam, illinc ſobrietas iuuat, parcimonia pariter & prouidentia: hinc vero obeſt, ventris ingluuies & intemperantia. Illi namque tanquam apes in vnum congerunt omnes & congregant vnanimitate conſpicui, vno omnium exiſtente loculo, & illo bene diſpoſito: Iſti congeſta diuinitus, & deuota fidelium largitione collata, diuerſis diſtrahunt animis & diripiunt indeſinenter, multis exiſtentibus & multorum loculis, quibus dum ſtudioſius ſinguli tanquam propriis indulgent, minus proficitur in commune: quoniam vt ait Saluſtius, Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximę dilabuntur. Præterea de tredecim ferculis vel quatuordecim, quæ ſibi de ſolo cõſuetudinis iure deberi contendunt, tempore famis & inædiæ, priuſquam vnum ad tẽpus intermitterent, priuſquam vnum relinquerent aut à conſuetudine vel in modico recederent, terras monaſterii meliores & manſiones in fœnebrem prędam perditum ire, & quod crudelius eſt pauperes ad ianuas cateruatim obire permitterent & perire. Illi vero non ſolum arietes omnes & armenta, grano deficiente, verum & de duobus pulmentis quibus contenti ſunt, alterum in vſum pauperum, vrgente incommodo laudabili charitate largiuntur. His autem noſtris diebus, vt tanquam à niueo corpore næuus abſtergatur, in Ciſtercienſi capitulo ſtatutum eſt, ne ab hoc vnquam in poſterum ordine, precio quolibet prędia vel paſcua comparentur: tantum illa de cætero ſufficiant, quæ gratis obueniunt & abſq; grauamine cõferuntur. Prædictus igitur ordo canonicus plus aliis mediocritate contentus atq; modeſtia, & ſi non plene, plurimum tamen ambitioni ſtringit habenas, & in mundo poſitus, mundi pro poſſe contagia vitans, nec crapula notabilis nec temulentia pro luxu rerum ſiue libidine, publicum in populo ſcandalum incurrere tam verecundatur quam veretur. Sicut in libro quem de eccleſiaſticis ordinibus Deo annuente ſcripturi ſimus, plenius explicabitur. Præſcriptis igitur in finibus temperatiſſimis, & nõ omen quo ad gazas grãde, tragicaſque mundi pompas adeptus, iuxta vſualia tamen vocabula nomen dignitatis obtinuit.

De tribus regis filiabus totidem ordinibus ſacris nuptui traditis.

Parii lapides.

Auaritia & intemperantia Monachorum.

Ecce quam grauia patiuntur Monachi pro amore Chriſti.

Dignitas & de[illegible] ambitionis.

Digitized by Google

obtinui. Collateralem & propinquum principali de *Brecheinoc* caſtro loculum habens & domicilium, fœlici quadam mediocritate ſtudiis idoneum atque labori. Quem ſuis ſemper delitiis plenum & æternitatis amicum Crœſi diuitiis longe præfero: quinimo cunctis quæ perire ac præterire poſſunt, incomparabiliter antepono. Sed ad tem reuertamur.

ANNOTATIONES IN Caput III.

HOc caput in deſcriptione atque reprehenſione vitæ Monaſticæ totum pene conſumitur: quod in omnibus fere exemplaribus mancum atque mutilatum exiſtit, ita tamen vt quod in vno deſit, in altero inueniatur. Si quid ſcriptum erat paulo acerbius contra vnam aliquã monachorum ſectam, id omiſſum eſt in aliquo exemplari, quod tamen reperitur in alio, & ſi quid aliũ ordinem pungat, id deſideratur in alio, quod in priori tamen habetur. Veriſimile itaq; mihi videtur, exemplaria iſta à monachis eſſe deſcripta, qui id quod contra ſuũ ordinem ſcriptum inuenerant deleuerunt. Extitit hæc Balduini Archiepiſcopi viſitatio An. 1188. iam quadringentis fere annis elapſis, non diu poſt quã regularis profeſſio in his noſtris regionibus primũ inceperat exerceri: Si ergo eo tempore tam horrendæ corruptiones in monachorum ſubſellia irrepſerant, quid hunc auctorem ſi hodie viueret, de tot ſuperſtitionibus & Idolomaniis aliiſq; ſceleribus in hoc ſacro cætu viſitatiſſimis, ſcripturum putemus? Perſecutiones primæ ætatis (vt ſcribit Pencerus) cauſam præbuerunt ſeceſſibus & monachatui: Poſtea acceſſerunt dilacerationes imperii & Peregrinarum gentium confuſiones. In illa dilaceratione Italiæ & aliorum regnorum, cum videretur eſſe peculiaris fœlicitas abeſſe à Republica, procul in aliqua ſolitudine degere, ſine familia, ſine liberis, non ſpectare vrbium excidia & vaſtationem patriæ, homines modeſti, qui habebant familias, gratulabantur monachis ſuam tranquillitatem. Inde creuit & opinio de cœlibatu, & admiratio monachorum, ita vt plures cœperint expetere & quærere ſeceſſus. Deinde homines barbari natura, mirantur nouos ritus, qui præ ſe ferunt ſpeciem eximiæ pietatis, & cuiuſdam quaſi commercii cum Deo. Nihil mirum eſt igitur tunc & monachorum cætus creuiſſe, & opiniones de hoc vitæ & operum genere plauſibiles late vagatas eſſe. Poſtea cum pietati ſuperſtitio ſucceſſiſſet, & pro euangelii doctrina recepta eſſent leges pontificum: Collegia quæ fuerant hactenus conuentus ſtudioſorum, paulatim ad monachos tranſlatã, opes vero collegiorum in luxum ſuperbiæ atque otioſorum hominum voluptates profuſæ ſunt, ſcholis abolitis. Docendi autem prouincia delegata eſt familiis monachorum, non Chriſti, ſed Benedicti & Bernhardi nomen profitentium, & ſectantium (vt iactitant) præcepta. Sed Collegiorum exemplum hi quoque ſecuti, cum ſuperſtitionem quæſtuoſiorem docendi laboribus experirentur, literas vna cum docendi munere deſeruerunt, nouam viuendi formam commenti. Redactæ ſunt ergo Scholaſticæ operæ, ſtudiis pene vbiq; ſepultis, poſt Sueuorum imperium, ad nouos regni pontificii fatus, ſcilicet ad mendicantium monachorum agmina, qui fœcundiſſimo prouentu his poſtremis annis vbique locorum & gentium, matre ſuperſtitione, patre pontificum tyrannide editi, ſed diuerſitate ac diſſimilitudine profeſſionis pene infinita, commentis ſuis orbem compleuerunt terrarum, & tyrannidis pontificia leges, cum exaſperarunt, tum executi ſunt acerbius multo quam pontifices ipſi, eoque res tandem perduxerunt, vt ipſis etiam pontificibus formidabiles eſſent. His doctrinæ cuſtodibus & occiderunt literæ & interiit pietas Chriſtiana, antiquata euangelii doctrina, rectioribus ſtudiis deletis, & ſuperſtitionibus vltra modum cumulatis. Nec mirum: nam neceſſe fuit, in tam numeroſa religioſorum multitudine, quamplurima ingenia cum non haberent puram euangelicæ veritatis doctrinam ad quam tanquam ſcopum collimarent, ſuapte natura ad vanitates deflectere. Sicut enim ager fertilis, ſi non colatur & puro grano ſeminetur, ſentes & tribulos affatim gignit: ſic ingenia præclara cum ſemine verbi Dei deſtituantur, ad ſuperſtitiones & inanes ceremonias facillime dilabuntur. Vnde omnes ἐθελοθρησκείαι ortum habent. Monachatus tempore Edgari regis Angliæ, ſuperſtitioſo quorundam hypocritarum fuco & importunis Dunſtani præſtigiis, in hac noſtra Brytannia cœpit primum in pretio haberi. Hoc Cœnobium ſiue Prioratum de Lanthoni circa Annum Domini 1188. Extruxit Hugo Lacius miles, qui cum Gulielmo Conqueſtore in Angliam aduenerat, & in eccleſia de Webley ſepultus iacet.

Monachatus origo & progreſſus.

Collegia antiqua

De tranſitu per Coed Grono, & Abergeuenni cum N.S.

CAP. IIII.

TRANSIVIMVS inde verſus *Abergeuenni* per arctum illud Silueſtre quod malum paſſum de *Coed Grono* vocant, nobile Cænobium de Lanthoni montibus ſuis incluſum à latere ſiniſtro relinquentes. Dicitur autem *Abergeuenni* caſtrum eo loco ſitũ, vbi fluuius *Geuenni* in *Oſcam* cadit. Contigit autem paulo poſt obitum Anglorum regis Henrici primi nobilem & magnificum virum Richardum Clarenſem, qui cum honore de clara Cereticam regionem in auſtrali Cambria poſſidebat, ab Anglia in Wal-

Abergeuenni.

Richardus Comes Clarenſis interfectus.

Digitized by Google

Walliam hac tranſire. Et cum prouinciæ illius tūc dominum Brienum videlicet Gualingſordenſem cum militibus multis vſque ad paſſum prędictum ſocium habuiſſet & deductorem, tam ipſum inuitum in ipſo ſiluæ ingreſſu cum ſuis remiſit, quam contra eiuſdem monita ſiluam inermis intrauit. Ex nimia quoque ſecuritatis pręſumptione tibicinem præuium habens & pręcentorem, cantilenæ notulis alternatim in fidicula reſpondentem. Nec mora Wallenſes qui aduentum eius explorauerant, Iorwerth ſcilicet Morgani frater de Caerſeon, cum eorundem familia, ſiluoſis è latebris irruentes in improuiſos, ſtatim ipſo cum ſuorum multis interempto, præda potiti ſunt cruentiſſima. Ex variis itaque patet rerum euentibus, quam incauta eſt ſemper nimia pręſumptio & ſui negligens. Timor enim proſpicere futuris admonet, & diligentiam docet in proſperis: audacia vero pręcipitanter obrepit, & inconſulta temeritas neſcit conſilium ducis expectare. Sermone igitur apud Abergeuenni facto plurimiſque ad crucem conuerſis, vir quidam nobilis partium illarum cui nomen Arthenus ad Archiepiſcopum verſus caſtellum Oſcæ iam properantem humiliter acceſſit, quod ei citius non occurrerat veniam petens. Super crucis itaque ſuſceptione conuentus, abſque amicorum, inquit, conſilio, res hæc fieri non debet. Cui Archiepiſcopus: nunquid ergo cum vxore tua inde conſilium habiturus es? At ille vultu demiſſo verecunde reſpondit: ad aggrediendum inquit opus virile non eſt expetendum conſilium muliebre: & ſtatim ab Archiepiſcopo crucem ſuſcepit.

Nimia ſecuritas & incauta præſumptio.

Super exceſſibus autem partium iſtarum creberrimis & cruentiſſimis, nunc prouincialiū in Caſtellanos, nunc vice verſa vindicis animi talionibus, Caſtellanorum in prouinciales, quæ noſtris accidêre temporibus aliis explicare materiam damus. Vltimi tamen exceſſus enormis cædiſque cruentæ noſtris diebus hic perpetratæ, quam pręterire tamen ne ſceleroſis in exemplum trahi poſſit ſatius exiſtimaui, vere auctor extiterat Anglorum rex Henricus ſecundus, Vicecomes autem Herefordiæ Ranulphus Poerius machinator. Sed quamquam turpe ex cauſa temporalis interdum ſequi commoditas videatur, iuſti tamen iudicis libramine pæna ſceleris & ſi differtur, vel in tempore vel poſt tempus non euitatur, iuxta illud Poetæ,

Non habet euentus ſordida præda bonos.

Cum enim ſeptennali iam ſpacio in partibus illis pax ſequuta fuiſſet tranquilliſſima: tandem interemptorum nepotes & filii ex pueris adulti, ex paruis interim maiores effecti, ira vindice deferuentes, captata domini abſentia, intra fruticoſa caſtri eiuſdem foſſata cum manu non inualida ſe in inſidiis nocte contulerunt: dixerat autem vnus eorum (cui nomen Siſillus filius Eudaf) Conſtabulario die pręcedente quaſi pręmuniendo ſub riſu tamen & ludicro magis quam ſerio: hic inquit hac nocte intrabimus, oſtendens muri ipſius angulum quendam, vbi demiſſus eſſe videbatur. Sed quoniam ridendo *Dicere verum quis vetat?* Et quoniam *Fas eſt & ab hoſte doceri,* Conſtabularius cum familia totam noctem illam in armis & vigiliis vſque ad auroram duxit inſomnem: ſed cum demum labore fatigati & imminentis diei beneficio ſecuritatem adepti, ſomno ſe cuncti dediſſent: ſtatim hoſtes per ſcalas quas congeſſerant loco prænotato ſe muris ingerentes, captis conſtabulario & vxore ſua cum aliis multis, pręter turrem principalem & paucos qui in ipſam aufugerant, violenter occupant & incendunt vniuerſa, iuſto Dei iudicio, eo quo delictum eſt loco perpetratum, pæna delicti ex parte ſecuta. Præterea parum poſt Caſtri prędicti proditionem, cum iuxta Monemutham prædictus Herefordiæ Vicecomes videlicet apud *Landinegat* cum exercitu Herefordiæ caſtrum erigeret, nocte quadam cum adhuc tenuiter tenebras exuere cepiſſet:

Tythoni croceum linquens aurora cubile,

ſummo ſuperueniente diluculo tam à Ventæ quam vicinarum partium iuuentute, cum interemptorum adulta iam prole, non præoccupati, non deſubitati, non aduentus huius ignari: Quinimò pręſcii potius & pręmuniti, armati quoque & in turmas ordinati, ſtatim tamen ſunt confecti, & inter propria iam foſſata repulſi, de potioribus & primis Herefordenſis prouinciæ militaribus viris cum ipſo nouem, pręter alios multos, lanceis ibidem ſunt confoſſi. De Ranulpho tamen hoc mirandum, quod pręter vulnera quæ lethaliter in corpore ſuſcepit plurima, cū ferro quoq; iugulatus fuiſſet, venis omnibus & arteriis cum via ſpiritus, & halitus organo pariter præciſis, ſacerdotem tamen annuens & aſciſcens, aliquo reuera anteactæ vitæ merito id exigente, eoque præcipue vt creditur, quod in ſortem Chriſti electos, præ aliis hono-

Honoris ſacerdotibus exhibiti remuneratio.

honorare conſueuerat & venerari, facta confeſſione, & viatico deuote percepto ſtatim ſpiritum exhalauit. Frequens eſt, & creberrimis declaratum experimentis, quod ſicut debitò clerum honore dignantes ſacerdotali, in extremis ſolatio ex conſuetudine gaudent: ſic è diuerſo cleri deriſores & malignos delatores eodem ſolatio frequentiſſime fraudari, tametſi optato. Gulielmus autem de Breuſa, qui vere non auctor ſceleris, quod potius tacere decreuimus quam exprimere, non machinator extiterat, ſed executor, vel executionis non impeditor, carnificum turbis mandato deſuper accepto atrociter deſæuientibus, eodem conflictu in imum foſſæ præruptæ eſt præcipitatus, ibique ab hoſtibus, & viris inimiciſſimis captus & extractus, viuus tamen diuina miſeratione per impetum ſubita à ſuis factum, & omnino illæſus euaſit. Ex quo patet, quia minus offendit, mitiuſque punitur, inuitus qui facit, fieriue permittit, quam qui facto conſilium ſimul & auctoritatem adhibuit: quod in Chriſti paſſione palam fuit, vbi & Iudas ſuſpendio, Iudæi excidio pariter & exterminio, Pilatus exilio, pœnas luit.

Prædicto vero de Rege, qui proditioni aſſenſum præbuit, & præceptum fecit, qualiter ob hæc & alia multa enormis vitæ delicta, ſicut in lib. de Principis inſtructione Deo duce propalabimus, ad ampliorem ignominiæ cumulum, in terris pœnas inchoauit confuſione plenus & ærumna, finis eiuſdem declarauit.

Hoc autem mihi notabile videtur, quod gens hæc, quæ Venta gens vocatur, & Martiis conflictibus vſitatiſſima, & ſtrenuitatis opera laudatiſſima, & arte ſagittandi præ ceteris Cambriæ finibus inſtructiſſima reperitur. *Ventani ſagittarii egregii.* Ad huius autem aſſertionis vltimæ certitudinem exempla proponere non pigeat. In extrema Caſtri prædicti expugnatione noſtris diebus perpetrata, militibus duobus in turrim cumulato terrarum aggere ſitam per pontem transfugientibus, Wallenſes vt ipſos à tergo percuterent, ſagittas arcu mittentes portam turris iliceam, palmaris fere ſpiſſitudinis tranſpenetrarunt, ad tantorum ictum vehementię perpetuam memoriam ſagittis in porta ferro repercuſſo reſeruatis. Accidit & tẽpore Gulielmi de Breuſa (ipſo teſtante) quendam militem ſuum in conflictu contra Wallenſes à quodam ipſorum per mediam coxam cum panno loricæ ocreali ferro vtrinq; veſtitã ſagitta percuſſum eſſe, eadẽ quoq; ſagitta per partem illam ſellæ, quæ alua vocatur, vſq; ad ipſum equum lethaliter tranſpenetrante. Alia quoq; ſagitta militis alterius coxam ferro ſimiliter vtrinq; munitam cum panno loricæ vſq; in ſellam perforauit. Et cum miles ille loris equum in gyrum flecteret: alio ſagittam eodem contorquente, in oppoſita coxa ſimilem ictum ſuſcepit, equo ab vtraq; parte firmiter affixus. Quod ergo à baliſta tormentum maius expectes? Non autem arcu vtuntur corneo, non alburneo, non taxeo, ſolum ex vlmellis ſilueſtribus arcus formant, non formoſos, non politos, imo rudes, prorſus & informes: rigidos tamen & fortes: non tamen ad eminus miſſilia mittenda, ſed ad graues cominus ictus percutienda tolerandos. *Bovvs Lvvy.* Sed à diuerticulo iter iterum aggrediamur.

Annotationes in Caput IIII.

Videtur Giraldus parum candide de Henrico Rege ſentire, qui tamen vbique (neſcio qua animi propenſione motus) Gulielmi Bruſii Brechiniæ domini ſcelera ita literis mandat, vt quædam minuat aut excuſet, alia de induſtria prætermittat: vt ex hoc capite & præcedente manifeſtum eſt. Illic enim ex quadam vſitata loquendi & ſcribendi conſuetudine, debitæ obedientiæ ſuo Regi denegatæ crimen extenuat, & quodammodo diluit: hic integram, perpetrati ab eodem Breuſio ſceleris, hiſtoriã prætermittit, commemoratis tantum quibuſdam circumſtãtiis, quibus illius proditionis & cædis culpã in alios transferre molitur. Res vero acta hæc eſt. Poſtquam Reſus filius Gruffini Demetiæ princeps, cum Henrico II. Anglorum Rege apud Claudioceſtriam ſtabilem firmamq; pacem fecerat, omnesq; eius prouinciæ nobiles Regi reconciliauerat, ita vt certa pax & tranquillitas reſtitutæ tandẽ viderentur: Gul. Bruſius Brechiniæ dominus (cædes & rapinas cogitans) nobiles quoſdam Ventanos ſub amicitiæ & beneuolẽtiæ ſimulatione, ad prandium inuitauit in caſtrum de Abergeuenni, quo cum omnes aduenißent, ſtatim ab armatorũ militum multitudine, quos ea de cauſa in inſidiis ibi collocauerat, crudeliter trucidati ſunt. Inter quos Siſillus filius Dunuallonis (vel filius Eudaf, vt hic auctor habet) & Gruffinus filius eius atq; multi alii ceciderunt. Hac cruenta cæde perpetrata, hi immanes lanii in Siſilli domum quæ non longe aberat, irruentes Claudiam vel Gladuſiam, eius vxorem, Reſiq; ſororem vna cum Cadualadro filio infante è domo violenter attraxerunt, & quod magis horrẽdum eſt, puerũ in conſpectu matris exquiſito crudelitatis genere iugularunt. His tamen non obſtantib. mauult noſter Giraldus Henricum Regem & Ranulphũ Pocriũ huius crudeliſſimæ cædis & turpiſſimæ proditionis inſimulare, quam Bru-

 ſium,

Matt. Par. pag. 176. *ſium, qui hoc nefandum crimen perpetrauerat, ſicuti plane ſcriptum reliquit Matthæus Pariſienſis: cuius verba, quia Neoterici quidam eius ſententiam mutilantes, huius proditionis & cadis turpitudi-*
» *nem ſuis ſcriptis diluere nituntur, adſcribere non grauabor. Eodem, inquit, anno Gulielmus de Breu-*
» *ſa, multitudine Wallenſium in caſtello de Bergauenni callide conuocata, prohibuit, ne quis gladium*
» *ferret viator vel arcum: Sed illis huiuſmodi decreto contradicentibus, capitali omnes ſententia con-*
» *demnauit. Qui (vt proditionis ſuæ nequitiam, quaſi ſub velamine honeſtatis palliatam intelligas) hæc*
» *fecit in vltionem auunculi ſui Henrici de Hereford, quem ipſi in ſancto ſabbato Paſchæ antea pereme-*
» *runt. Hæc ille.*

Illud tempore hoſtilitatis & belli, cum neutra pars alteri fideret, factum eſt: Hoc autem ſcelus pace iam iureiurando vtrinque firmata, ſub amicitiæ ſpecie committitur.

2 In libro illo, De Principis inſtructione, acerbe admodum in Regem Henricum ſecundum inuehitur Giraldus, vbi ſuæ in illum maleuolentiæ virus ita euomit, vt ſuum inueteratum odium ſatis manifeſte prodat.

De tranſitu per Oſcæ caſtrum & legionum vrbem, cum N. S.

Cap. V.

IGITVR apud Oſcæ caſtrum tam ad Archiepiſcopi ſermonem, quam ad viri boni & honeſti Gulielmi Landauenſis Epiſcopi, qui per ſuam dioceſin nobis fideliter aſtitit, perſuaſionem; Alexandro quoq; Banchorenſis Eccleſiæ Archidiacono, vbiq; ad Wallenſes interprete exiſtente, multitudo virorum cruce ſignatur. Vbi & hoc pcipue notabile occurrit, quod famoſiſſimi partiũ illarum malefactores, homicidæ, prædones, & fures non abſque multorum admiratione ſunt conuerſi. Tranſeuntes inde per *Carleon,* [1] *Monemuthæ,* [2] caſtrum, nobilemque *Danubiæ* [3] ſyluam, quæ ferinam ferriq; copiam Glouetniæ miniſtrat, trans *Vagam*, citraq; *Sabrinam*, longe à læua relinquentes, in *Nouoburgo*, [4] ter Oſca flumine iam tranſcurſo pernoctauimus. Dicitur autem
Caer leon. Caer leon vrbs legionum. Caer enim Britannice vrbs vel caſtrum dicitur. Solẽt quippe legiones à Romanis in inſulam tranſmiſſæ ibi hyemare, & inde vrbs legionum dicta eſt. Erat autem hæc vrbs antiqua & autentica, & à Romanis olim coctilibus muris egregie conſtructa. Videas hic multa priſtinæ nobilitatis adhuc veſtigia: Palatia immenſa aureis olim tectorum faſtigiis Romanos faſtus imitantia, eo quod à Romanis Principibus primo conſtructa, & ædificiis egregiis illuſtrata fuiſſent: Turrim giganteam: Thermas inſignes: templorum reliquias, & loca theatralia muris egregiis partim adhuc extantibus, omnia clauſa. Reperies vbique tam intra murorum ambitum, quam extra, ædificia ſubterranea: aquarum ductus hypogeoſque meatus. Et quod inter alia notabile cenſui, ſtuphas vndique videas miro artificio conſertas, lateralibus quibuſdam & præanguſtis ſpiraculi viis occulte calorem exhalantibus. Iacent hic duo nobiles, & poſt Albanum & Amphibalum præcipui Britanniæ maioris protomartyres, & ibidem martyrio coronati Iulius ſcilicet & Aaron, [5] quorum vterque Eccleſiam in vrbe inſignem habebat ſuo nomine decoratam. Tres enim egregiæ in hac vrbe antiquis temporibus fuerunt Eccleſiæ. Vna Iulii martyris, virgineo Deo dicata regularium choro venuſtata. Altera vero beati Aaron ſocii eiuſdem nomine fundata, & canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia vero Metropolitana ſede Cambriæ totius inſignita. Fuit & Amphibalus hinc oriundus, beati Albani doctor & fidelis ad fidem informator. Situs vrbis egregius ſuper Oſcæ flumen, nauigio mari influente idoneum. Siluis & parcis vrbs illuſtrata. Hic magni illius Arthuri famoſam curiam legati adiere Romani, vbi & Dubricius Archiepiſcopus Dauid Meneuenſi ceſſit honorem, abhinc Meneuiam Metropolitana ſede tranſlata, iuxta illud Merlini Ambroſii vaticinium: *Meneuia pallio vrbis legionum induetur, &c.*

Non procul inde ſtat rupis marina Sabrinis ſupereminens fluctibus, quę Anglorum lingua *Gouldclyffe* vocatur, hoc eſt, rupis aurea, eo quod aurei coloris ſaxa præferat ſole repercuſſa, miro fulgore rutulantia.

Nec mihi de facili fieri perſuaſio poſſet,
Quod fruſtra tantum dederit natura nitorem
Saxis, quodq; ſuo fuerit flos hic ſine fructu.

Si foret, qui venas ibidem & penitima terræ viſcera arte præuia tranſpenetraret. Si foret (inquam) qui de petra mel eliceret, & oleum de ſaxo. Multa nimirum occulta latent naturæ beneficia, quæ per incuriam hactenus incognita poſterorum educet cura propenſior & diligentia. Nam ſicut antiquos in humanę vitę commodis inueniendi viam ipſa neceſſitas vrgens edocuit: ſic iunioribus induſtria ſedula plurimum contulit,

tulit,& ingenii perſpicacior is acumen multa modernis aperuit. Quoniam vt ait poeta, duas inuentionum iſtarum cauſas aſſignans:

——labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Notandum autem, quod in his vrbis legionum partibus fuit diebus noſtris vir quidam Cambrenſis, cui nomen Melerius, futurorum ſimul & occultorum ſcientiam habens, cui talis hanc euentus ſcientiam dedit. Nocte quadam ſcilicet Ramis palmarum puellam diu ante adamatā obuiā habens loco amœno, & vt videbatur oportuno, deſideratis amplexibus atq; delitiis cum indulſiſſet, ſtatim loco puellæ formoſæ formam quandam villoſam, hiſpidam & hirſutam adeoque enormiter deformem inuenit: quod in ipſo eiuſdem aſpectu dementire cœpit & inſanire. Cumque pluribus id annis ei duraſſet, tandem in Eccleſia Menenſi meritis Sanctorum loci eiuſdem, optatam ſanitatem recuperauit. Semper tamen cum ſpiritibus immundis magnam & mirandam familiaritatem habens, eoſdem videndo, cognoſcendo, colloquendo, propriiſque nominibus ſingulos nominando, ipſorum miniſterio plerunq; futura prædicebat. In longe vero futuris atque remotis (ſicut & ipſi) frequentius fallebatur: in propinquioribus autem & quaſi infra annum futuris minus falli conſueuerat. Videbat autem eos fere ſemper pedites & expeditos, & quaſi ſub forma venatorum, cornu à collo ſuſpenſum habentes, & vere venatores non ferarum tamen nec animalium, ſed animarum. Circa monaſteria quoque, & loca religioſa magis eos & in multitudine maiori videri ſolebat. Ibi nimirum exercitu: ibi numeroſis opus eſt viribus, vbi rebellio. Quoties autem falſum coram ipſo ab aliquo dicebatur, id ſtatim agnoſcebat, videbat enim ſuper linguam mentientis dæmonem quaſi ſalientem & exultantem. Librum quoque mendoſum, & vel falſo ſcriptum, vel falſum etiam in ſe continentem inſpiciens, ſtatim licet illiteratus omnino fuiſſet, ad locum mendacii digitum ponebat. Interrogatus autem, qualiter hoc noſſet, dicebat dæmonem ad locum eundem digitum ſuum primo porrigere: Similiter & dormitorium monaſterii cuilibet intrando, lectum monachi falſi, & religionem habitu, non animo præferentis, eiſdem indiciis oſtendebat: dicebat autem ſpiritum guloſitatis & crapulæ ſupra & infra ſordidum eſſe: ſpiritum vero libidinis & luxuriæ pulchriorem aliis, ſed fœtidiſſimum.

Notandū hic eſt, quam faciles hi dum erga quoſdā peccatores ſe præbeant, cū inter eos pueros columbenos pullos in eccleſia capientes, & pernoctantes ibidem cum canib. ſeuerius viciſ(ſa)tur.

Similiter cum ſine libus fabellis congregantur.

Contigit aliquando, ſpiritibus immundis nimis eidem inſultantibus, vt Euangelium Iohannis eius in gremio poneretur: qui ſtatim tanquam aues euolantes omnes penitus euanuerunt: quo ſublato poſtmodum, & hiſtoria Britonum à Galfrido Arthuro tractata experiendi cauſa loco eiuſdem ſubrogata: non ſolum corpori ipſius toti, ſed etiam libro ſuperpoſito longe ſolito crebrius & tędioſius inſederunt. Notandum hoc etiā, quia Barnabas, ſicut in legenda eius habetur, Euangeliū Matthæi ſuper ægros ponebat, & curabantur. Ex quo patet, ſicut in pmiſſo, quantę dignitatis & reuerentię ſacroſancti euangelii liber exiſtat: & ſuper eundē quiſquis ſcienter peierat, quā periculoſe & damnabiliter à via veritatis exorbitat. Ad hæc autē caſum Abbatis Enoci de Strata Marcella ſatis & pluſquam ſatis per Wallias notum eadem die, cuius nocte contigit, multis aperuit. Sicut ex dicto eiuſdem ab aliis referento, circiter octo dies poſt certis rumoribus euidenter apparuit. Interrogatus autem quemadmodum hoc ſciebat, dicebat dæmonem ſub venatoris expediti ſpecie mane ad ipſum veniſſe: qui ſtatim ruinam Abbatis exponendo, qualiter ipſum à monaſterio cum moniali aufugere fecerit, quaſi de tanta victoria gaudens plurimū & exultans, totū euomuit. Forte ad correctionem Abbatis & humiliationem hoc ei accidere permiſſum eſt. Sicut ex poſt facto claruit, qui breui reuerſus, & humilior eoque melior effectus, nec diuertiſſe dicendus: Quia non male cadit (vt ait Seneca) quiſquis poſt lapſum fortior reſurgit. Fortior etenim poſt negationem Petrus; fortior poſt lapidationem Paulus. Et quoniam vbi abundat delictum, ibi ſuperabundabit & gratia. Fortior quoq; poſt fragilitatem Magdalena. Abbati quoq; de Alba domo Conano viro probo & religioſo, quid de muliere quadam quam aſpexerat, cogitaſſet, in aure reuelauit. Et ſtatim vir bonus concupiſcentiam illam cum lachrymis fatendo, à tribus ſacerdotibus incontinentiæ diſciplinam ſuſcepit. Sicut etenim hoſtis ille antiquus longis rerum experientiis & ſubtilitate naturæ ex ſignis quibuſdam coniecturalibus argumentando de præteritis argute futura coniectat: ſic & indiciis haud diſſimilibus hominibus inſidiando, interiorem mentis conceptum per exteriora quandoq; perpendit.

Non liber ſcriptus, ſed paratus in corde fidelis dæmones fugat.

Chriſtus per fide(m) apprehenſus noſtra ſalus eſt.

Caſtitatis clauſtralis exēplum.

Fuit in eodem tempore in Ventæ inferioris finibus dæmon incubus, qui puellam quandam

Dæmon incubus.

quandam adamando, locumque, vbi ipſa manebat, frequentando, cum hominibus loquebatur, & tam occulta quam futura pluries indicabat. Interrogatus autem inde Meilerius, ſe hunc bene noſſe dicebat, & nomen eius proponebat. Dicebat enim & contra guerram patriæque turbationem magnam, ſpiritus immundos cum hominibus conuerſari ſolere, ſicut & hic apparuit, quia paulo poſt partes illæ per Hoelum filium Ioruerti de vrbe legionum, prouinciam totam grauiter infeſtantem, deſtructæ ſunt. Eadem vero tempeſtate cum Anglorum Rex Henricus ſecundus (capto Albaniæ Rege) regnum ſubitò pacificaſſet: prædictus Hoelus per guerram, quam fecerat regiam plurimum timens vltionem, huiuſmodi à Meilerio in maiori anguſtia conſolationis verba ſuſcepit. Ne timeas, inquit, Hoele Regis indignationem, quoniam ad alias eum partes intendere oportebit. Vrbs etenim melior quam in tranſmarinis habet, iam à Rege Francorum obſidetur. Vnde ad partes illas poſtpoſitis omnibus aliis quanta poterit feſtinatione tranſibit. Cuius rei euentum in vrbe Rothomagenſi obſeſſa infra triduum poſt, certis rumoribus Hoelus accepit. Proditionem quoque caſtelli de Oſca, quod Hoelus occupatum detinebat, longe ante prædixit, & dominum ſuum Hoelum ſcilicet inde præmonuit: ſe etiam ibidem eſſe vulnerandum, ſed non lethaliter, viuumque ab oppido euaſurum præcecinit. In hoc ſolò deceptus, quia ſic amicos hoſtis ille beare nouit: ſic ſuos in fine remunerare conſueuit: quod eodem vulnere paulo poſt lethaliter occubuit.[7]

Huiuſmodi fabula referuntur de Dunſtano apud Capgrauum. Inter hæc autem omnia admiratione digniſſima hoc ſolum cenſui magis admirandum quod oculis carneis ſpiritus illos tam aperte videbat, quia ſpiritus oculis corporalibus niſi aſſumptis corporibus, videri non ſolent. Si vero corpora, vt videri poſſent, aſſumpſerant, ab aliis quoque præcipue præſentes & prope poſiti quomodo videri non poterant? Sed forte corporali viſione miraculoſa viſi ſunt hi, cuiuſmodi viſione Rex Balthaſar in Daniele vidit manum ſcribentis in pariete, *Mane, Techel, Phares*, hoc eſt, appenſum, numeratum, diuiſum, qui & eadem nocte regnum pariter & vitam amiſit. His autem in finibus noſtris quoque diebus cæco dominandi ambitu, rupto conſanguinitatis & conſobrinorum fœdere, fides quam enormiter in perfidiam auanuerit, diffuſo per Walliam prauitatis exemplo, Cambria non ignorat.

ANNOTATIONES IN Caput V.

Iſca. OSCA [1] *fluuius rapidiſſimus, cuius ortus eſt in nigro monte, hanc vrbem alluit, quem Romani ſcriptores* Iſcam *vocant, vnde hac vrbs* Iſcelegia *Latinis dicitur. Appellatur autem Britannice* Caer Lheon ar Oſyc, *quod eſt vrbs legionum ſuper Oſcam fluuium, ad differentiam alterius vrbis legionum ſuper Deuam, quæ vocatur* Caer Lheon ar Dhowrdwy.

Monumetha. 2 *Monemutha nomen ſortitur à caſu* Monæ *confluentis in* Vagam, *quaſi os* Monæ.

Danica ſylua. 3 *Danica ſylua nemus eſt in extremo angulo inter Sabrinam & Vagam confluentes, à Danis (quos & Dacas vocant) nomen habens, qui Alfredi Regis tempore hanc ſyluam occupantes hoc illi nomen indiderunt.*

4 *Nouum Burgum, Britannice* y caſtelh Newyth, *nouum caſtellum Lelando.*

5 *De Iulio & Aarone ſic ſcribit Baleus in catalogo ſcriptorum maioris Britanniæ. Iulius & Aaron famigeratæ legionum vrbis ciues præclari, & Amphibali martyris, in Chriſto diſcipuli, pietatis ornamenta planè illuſtria in Britannia fuerunt. Non ſolum in ſua patria literis obnixe inuigilabant, ſed & exteras regiones pro bonis artibus addiſcendis petebant. Romæque potiſſimum ſtuduiſſe leguntur. Inde inſigniter eruditos fuiſſe illos Britannica paſſim narrat Hiſtoria: & Giraldus illud idem in Hodœporico ſuo confirmat, adiecto etiam nobilitatis calculo. Hi tandem cum aliis vtriuſque ſexus non paucis (vt auctores ſunt Gildas Badonicus in Excidio Britanniæ, Galfridus & Ponticus in chronicis) magnanimitate ſumma in acie Chriſti perſtantes, martyrium infractis animis pertulerunt. Vnde & Bedas cap. 7. primi libri Anglicanæ hiſtoriæ, poſt Albani mentionem hæc ſcribit: Paſſi ſunt ea tempeſtate Aaron & Iulius, legionum vrbis ciues: aliique vtriuſque ſexus diuerſis in locis perplures: Qui variis cruciatibus torti, & inaudita membrorum diſcerptione lacerati, animas ad ſupernæ ciuitatis gaudia perfecta agone miſerunt. Et iſta fiebant anno Chriſti 292. regnante in Britannia Conſtantio Chloro. Sub cuius poſtea regimine, cum Imperator eſſet, à tanta clade ita immunes eius vrbes erant, vt aſylum Chriſtianis afflictis tutiſſimum foret illa ipſa Britannia. Refert Iohannes Roſſus* Warwicenſis *in libro ſuo de* Wigornienſibus *Epiſcopis, magnum in Britannia Chriſtianorum numerum, quod prædictum Amphibalum prædicantem audiuerit, impiorum telis occubuiſſe, in loco, qui poſt aduentum Saxonum in inſulam ab euentu* Lichefelde *vocatus eſt, id eſt, cadauerum campus. Sæuitia (inquit Georgius Maior) & furoribus Diocleſiani vehementer labefactata eſt Chriſtiana religio in gente Britanni-*

Digitized by Google

tannorũ. Ea.n. labes, teſte Gilda, ita mortales generatim corrupit, ita Chriſtianã religionẽ exinaniuit, vt illa admodũ in paucis integra remanſerit. Hinc Tertull. magnus eccleſiæ doctor ante aliquot annos opportune dixerat, in ope ſuo contra Iudæos: Britannorũ inacceſſa Romanis loca, vero Regi Chriſto eſſe ſubdita. Doctrinã (inquit p̄dictus Maior) & veros cultus ab Apoſtolorũ diſcipulis acceperunt Britanni, cuius puritatẽ paſſim in omnib. Eccleſiis magno ſtudio ac martyrio tuebantur. Hæc ille. [6] De hac ſedis tranſlatione: tradũt autores, Dauidẽ Xanti Ceretica prouinciæ reguli filiũ ex Melaria virgine veſtali genitũ, diutina p̄dicatione & diſceptationib. publicis Pelagianã hæreſin ex Britannica eccl. profligaſſe. atq; ob id à Dubricio vrbis legionũ archipræſule factũ eſſe Cãbriæ Metropolitẽ, archipræſulatu illi reſignato: q cũ Arthuro Britan. rege ita egit, vt illius voluntate ab vrbe legionũ ad ſuã Meneuiã archiepiſcopalẽ ſedẽ transferret, vt Ranulph. Ceſtrẽſis monachus fuſius tradit li.1.c.52. vbi omnes Cãbr. epiſcopi ab archiep. Meneuenſi ſacrati ſunt, vſq; ad Normannorũ aductum. Curauit ẽt vt ſui nominis titulũ ea ſedes haberet, ita vt ſanũ Dauidis deinceps vocaretur. Qua de re vide inf. li.2.c.1. [7] Varia ſunt dæmonũ ludificationes, quib. ſimpliciũ hominũ credulitate & ignorãtia abutẽtes, in æternũ eos exitiũ protrudere moliuntur: improbi ẽt homines (Auguſt. teſte) malarũ rerũ cupidi, occulto quodã iudicio diuino traduntur illudẽdi & decipiẽdi pro meritis voluntatũ ſuarũ, illudentib. atq; decipientib. eos p̄uaricatorib. angelis, quib. iſta pars mũdi infima, ſecundũ pulcherr. rerũ ordinẽ diuina ꝓuidẽtia lege (vt ſcrib. Wierus) ſubiecta eſt. His.n. portentis per diabolorũ fallaciã illuditur curioſitas, quando id impudenter appetunt ſcire, q nulla ratione competit eis inueſtigare. Hæc poteſtas immundis ſpiritib. ideo datur, vt pernicioſos ſibi aptent: h.e. prauos homines ſeducãt: illos ſc. q ſpernunt veritatẽ, & credunt mẽdacio, iuxta Pauli ſententiã: ſanã doctrinã non ferent, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & à veritate quidẽ auditum auertent, ad fabulas a. conuertentur, onerati peccatis: ducentur variis deſideriis, ſemper diſcentes, nunquã ad ſcientiæ veritatẽ peruenientes. Hos Paulus filios contumaces vocat, in quib. agit ſpiritus ille, cui poteſtas eſt aeris, eludẽs ſubtilitate & dolo inuitabili hæc ſua inſtrumenta in ipſius inductiones propendentia. Vide ea quæ ſcribuntur ab Olao Gotho in fine libr.3. cap. 11. *de gentibus ſeptentrionalibus. Et apud Auguſtin. lib. 2. de ciuit. Dei, in 2. parte, cauſ. 26. q. 5. epiſcopi.*

De tranſitu per Newburgum & Caerdyfcum N.S. CAP. VI.

APVD nouũ burgũ itaq; vbi Oſcæ flumẽ ab originali de *Cantref bachan* fonte deſcendẽs in mare dilabitur, ad crucis obſequia multis allectis, fluuio *Remni* tranſcurſo ad nobile ſuper aquam Taf de *Caerdyf* caſtrum peruenimus. [1] Serpit a. in Nouiburgi finibus, retra ſc. de Gwentlwc, riuulus cui nomen *Nant Pencarn*, non tã aquarũ profunditate q̃ aluei cõcauitate, paluſtriq; limoſitate, nõ niſi certa p loca vadaq; tranſmeabilis: habuerat a. antiquitus vadũ, cui nomen *Ryd Pencarn*, ad q publica ſtrata ducebat. Sonat Ryd Pencarn. autẽ latine vadũ ſub capite rupis. *Ryd*.n. Britannice, vadũ latine: *Pen* caput: *Carn* rupis. De quo Merlin. *S*iluestris mentionẽ faciens, in hæc verba ꝓrupit. [2] Cũ fortẽ lentiginoſum in dextrales Britones irruere videris, ſi *Ryd Pencarn* tranſierit, Cãbriæ vires noueris eneruari. Cõtigit a. noſtris tẽporib. cũ Anglorũ rex Henric.II. in Reſum Gruffini filiũ arma ſumeret, & p maritimã dextralis Cãbriæ viã verſus Caermardin tenderet, die quo *Nant Pencarn* trãſire debuerat, antiq partiũ illarũ Britones circa p̄dictum vadũ cũ ſumma ſolicitudine principis aduentũ obſeruabãt: ſcituri ꝓ certo, quoniã & fortẽ nouerãt & lentiginoſum, ſi vadi tranſitus cõcordauerit, de ipſo ꝓculdubio vaticiniũ eſſe cõplendũ. Cum igitur rex ad prędictã aquã via duce feſtinaſſet, & vaticinali veteriq; vado dudũ obſoleto, ad aliud eiuſdẽ aquæ vadũ (q modernior vſus frequẽtauerat) iã tranſire paraſſet, tubicines & buccinatores, quos *Cornhiriet* vocãt, ab *hir*, q eſt longũ & cornu, eo q longis in cornub. flatũ emittãt, ex altera vadi ripa quaſi regi exultãtes in eiuſdẽ honorẽ buccinare cæperũt. Vnde cũ equus in quo rex ſedebat, p timore tã horribilis & inſueti ſonitus calcaria reſpuẽs, aquã intrare ꝓrſus abnueret: rex lora regyrans, ad antiquũ vadũ ſe cõferre ira præuia deꝓperauit, quo ſtatim impetuoſe tranſcurſo, Britones eo expimento, quaſi de imminẽte iã excidio mœſti ad ꝓpria ſunt reuerſi. In caſtro quoq; de Caerdyf cõtigit his noſtris dieb. res memoratu nõ indigna. Claudioceſtriæ nãq; comes Gulielm. Roberti comitis filius, qui cũ caſtro p̄dicto totã ꝓuinciam de *Gwladuorgan*, i.e. terra Morgani, iure hereditario poſſidebat, [3] cũ quodã homine ſuo, cui nomẽ Yuorus agnomẽ Modicus erat, forte guerrã habuerat, erat.n. vir Yuorus Bach. ſtaturę modicę, ſed animoſitatis immẽſæ. Wallenſiũ more mõtana quædã & ſilueſtria poſſidẽs, q̃ tñ illi comes vel auferre ꝓrſus vel mutilare cõtendebat. Nocte igitur quadã quanq̃ caſtrũ de Caerdyf murorũ ambitu munitiſs. excubiarũ multitudine pſonaret: quanq̃ militibus 120. nec nõ & archariis multis: ſtipendiaria quoq; plurima vrbs redundaret: inter tot tamẽ p̄ſidia & ſecuritatis argumẽta, p̄dictus Yuorus ſcalis allatis clã muros irrepẽs, comitẽ & comitiſſam cũ paruo quẽ vnicũ habebãt filio ſecũ educẽs ad ſilueſtria perduxit, nec remiſit, donec quicquid iniuſte ablatum fuerat, & ampliora recuperaſſet: reſtante namq; Poeta:

Spectan-

Spectandum eſt ſemper ne magna iniuria fiat
Fortibus & miſeris: tollas licet omne quod vſquam eſt
Argenti atq; auri, ſpoliatis arma ſuperſunt.

Admonitio H. 2. facta apud Caerdyf.

In hoc eodem oppido de Caerdyf Anglorum Rex Henricus ſecundus in reditu ab Hibernia, ſabbato primo poſt Paſcha cum pernoctaſſet, miſſaq; mane dominica ſcilicet iam audita, cum à capella Sancti Pirani, præter Regem, omnes exiſſent, ipſo in orationibus plus ſolito tunc forte morante: tandem cum exiret, & ad oſtium Capellæ iam equum aſcenderet, aſtitit ei vir quidam ante faciem, poſte quodam præfixo, quaſi propodio fungens, flauus, tonſuraque rotunda, vultus macilenti, ſtaturæ aliquantulum proceræ, ætatis quaſi circiter annos quadraginta, tunica indutus alba vſque ad calcū pedis demiſſa, zona præcinctus, & pedibus nudis, qui & regē in hæc verba quaſi Teutonice cōuenit: *God hold ye cuinge*, q̃ latine ſonat, *Deus te cuſtodiat rex*. Et poſtea eadē lingua proſecutus eſt in hunc modum: *Salutat vos Chriſtus, & pia mater eius, Ioannes quoq; Baptiſta, & Apoſtolus Petrus, mandantes vobis, quatenus per totas ditioni veſtræ terras ſubditas, ne mercatus dominicis diebus fiant, firmiter inhiberi faciatis, & quod illis nihil vſpiam operis fiat, niſi diuinum officium, & illud deuote facere & audire, præter cibaria ſolum, quæ ad vſum diurnum præparentur. Quod ſi feceritis, nihil vnquam inchoabitis quod fine bono non compleatur, vitamque feliciter conſummabitis.* Rex autem militi, cui nomen Philippus de Mercros, qui frenum equi tenebat, dixit lingua Gallica: Quære à ruſtico, vtrum hoc ſomniauerit. Et cum Anglice miles exponeret, ſubiecit ille lingua priori: *Siue hoc ſomniauerim ſiue non, vide quis hodie dies ſit*, loquens Regi non interpreti: *quia niſi hoc feceris, vitamque maturius emendaueris, priuſquam annus iſte prætereat, tales de re, quam plus in mundo diligis, rumores audies, talemque turbationem inde recipies: quæ tibi vſque ad exitum vitæ non deficiet.* Et cum Rex hoc dicto equo calcaribus monito, parum verſus portam & quaſi paſſibus octo proceſſiſſet, lora regyrans, vocate mihi, inquit, bonum hominem illum. Et cum miles prædictus, & iuuenis quidam, cui nomen Gulielmus, qui ſoli tunc in oppido cum rege remanſerant, illum vocaſſent, & non inuentum primo in capella, deinde per aulam & diuerſoria cuncta quæſiiſſent, nuſquam comparuit. Rex autem eo non reperto, cum tamen diutius enim ſolus in oppido dum alii quærerent, expectaret, mœſtus plurimum & plangens, quod amplius ei loquutus non fuiſſet, verſus Nouumburgum per pontem de Remni iter arripuit. Sicut autem comminando vir ille promiſerat, ſic anno contigit nō cōpleto: filii nāq; ipſius 3. primæus ſc. Henricus, & alii duo, Pictauenſis ſc. & Britō poſt ipſum, in quadrageſima ſequēte ad regē Francorū Ludouicū diſceſſerunt. Vnde tanta mota eſt ei inquietatio, quantā antea nūq̃ habuerat, & q̃ ſemper ei vſq; ad extremū ſpiritus halitū, p̄ aliquē filiorū fere inceſſanter perdurauit. Multas & alias præmonitiones & caſtigationes rex iſte diuina miſeratione (quæ magis conuerſionē peccatorū appetit, quā euerſionem) circa eadem tempora & fini propinquiora ſuſcepit; [4] quas tamen omnes animo obſtinato & corde indurato incorrigibilis omnino contempſit: ſicut in lib. de Principis inſtructione (Deo propitiante) plenius oſtendetur.

Barri inſula.

Diſtat autem non magnis abhinc ſpaciis Inſula modica in Sabrini maris littore ſita, q̃ accolæ Barri, à nomine ſancti Baroci loci eiuſdem olim cultoris, ſic dicta: cuius & reliquiæ in Capella ibidem ſita, hederæ nexibus amplexata, in feretrum tranſlatæ continentur. Ab huius etiam inſulæ nomine viri nobiles maritimarū auſtralis Cambriæ partium, qui eidem inſulæ cum terris finitimis dominari ſolent, ſunt denominati. A Barris ſcilicet primo agnomen, poſtea cognomen de Barri ſuſcipientes. Eſt autem hic notabile, quod in ipſo inſulæ introitu in rupe marina apparet rimula permodica, ad quam ſi aurem apponas, audies operæ ſtrepitum quaſi fabrilis: Nunc follium flatus, nunc marculorum ictus, nunc cotis & ferri ſonora fricamina, ſtridenteſque cauernis ſtricturas calybum & hanelum fornacibus ignem. Ceterum haud difficile credendum ex aquis marinis occulte ſubintrantibus ſonum huiuſmodi prouenire poſſe, vbi quoniam non minus retrogradis & refluis fluctibus vacuato prorſus littore continuatur, quam repleto.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

Caerdyf [1] Britannice hodie Caerdhydh vocatur, ſed corrupte. Lelandus Antiquarius Caerdaf appellat, à Taf flumio præterlabente nomine indito: Condita autem vrbs eſt à Roberto Claudiocestrenſi Comite, Henrici primi filio notho, qui Matildem filiam & heredem Roberti filii Hammonis, qui iure gladii (vt poſtea dicturi ſumus) Morganniam prouinciam, obtinuit, coniugem habuit.

[2] *De Merlino ſilueſtri, & eius vaticiniis vide infr. lib. 2. cap. 8.*

[3] *Morgannia Brit. inuice Guladvorgan, id eſt, Prouincia Morgani, ſic dicta (vt Gaſfridus Caſo-*

Caſtoreus habent à Margano rege in ea regione caſo à canſobrino ſua Cunedagio ante Romam conditam: vel potius vt ego non ſine ratione coniicio à Morgano cognominato Mwynuawr, qui tempore Edgari Regis Angliæ, illius regionis dominus exiſtens, plurima bella cum Saxanibus geſſit, de quo memoria proditum eſt, illum à ſuis ſubditis ita diligi, vt eo ad bellum proficiſcente, omnes qui arma ferre poſſent, illum vltro ſequerentur: nec vllus in vniuerſa eius exercitu inueniretur, qui Domini ſui cauſa mortem oppetere recuſaret. Hic abauus fuit Gurguntii patris Ieſtini illius, qui à Roberto filio Hammonis vniuerſa huius regionis hereditate ſpaliatus fuit. Cuius Roberti filiam vnicam & heredem ſolam (vt ante diximus) Robertus Nothus Henrici primi Claudiceſtriæ Cames duxit, ex qua hunc Gulielmum ſuſcepit.

4 Tres fuerunt huiuſmodi admonitiones Henrico regi de vita ſua corrigenda factæ. Prima eſt hæc, de qua hic mentionem facit noſter Giraldus. Secunda facta eſt à quodam Hibernica, qui eum admonuit, vt mores corrigeret ſuos, ſecretiorum quorundam ſignorum adiectione vſus, vt fidem ſibi apud Regem acquireret. Tertia, cum Rex in Normanniam traiecisſet, miles quidam de Lindeſey, cuius nomen erat Philippus de Eſtreby, ad illum accedens, ſequentes ſeptem articulos ad regale eius officium pertinentes ei propoſuit, videlicet:

1. *Si Catholicam Chriſti religinem foueret.*
2. *Si leges iuſtas & æquas ſtatueret.*
3. *Si neminem tametſi reum ſine legitimo iudicio condemnaret, quæ tria in ſuâ inauguratione interpoſito iuramento vouerat:*
4. *Si terras & poſſeſſiones, quas iuſtis heredibus minus iuſtè abſtulerat, iterum reſtitueret.*
5. *Si iuſtitiam ſine donis & muneribus ſubditis ſuis adminiſtrari faciat.*
6. *Si miniſtrorum & militum ſtipendia debite perſoluantur, ita vt ab iniuſta populi expilatione abſtineant.*
7. *Si denique Iudæos, qui grauioribus vſuris vniuerſas eius ſubditorum opes depeculabantur, è ſuis ditionibus expelleret: fore proſperum & glorioſum reliquum eius vitæ curſum, eumque ad ſeptennium vſque regnaturum, crucemque ſacram ab infidelibus eſſe vindicaturum dicebat: Sin autem vitæ & morum ſuorum emendationem negligeret, anno quarto illum cum ignominia eſſe moriturum affirmabat.*

De ſede Landaſenſi, & monaſterio de Margan, cum partium illarum notabilibus.

CAP. VII.

IGITVR in craſtino crucis (apud *Landaf*) negotio publice propoſito, aſtantibus hinc Anglis, inde Wallenſibus ex vtroq; populo plurimis ad crucem allectis, ea nocte ibidem cum epiſcopo loci eiuſdem Gulielmo viro diſcreto & honeſto, moram fecimus. Sonat autem *Landaf* Eccleſia ſita ſuper *Taf* fluuium, quæ & Eccleſia ſancti *Teileau* eiuſdem olim Epiſcopi nunc dicitur. Mane ergo miſſa in Eccleſia cathedrali principalique altari ab Archipræſule celebrata, ſtatim verſus nobile Ciſtercienſis ordinis monaſterium de Margan, per cellulam de Ewenith iter incunctanter arripuimus. Erat autem monaſterium de Margan præ aliis cunctis ordinis illius per Cambriam locis, præſidente tunc viro literato & diſcreto Abbate Conano, charitatiua largitione laudatiſſimum: vnde & aliquoties graui ingruente famis articulo, certum noueris, & indubitata veritate compertum, ob immoderatam largifluæ charitatis abundantiam, quam in peregrinos & pauperes infatiganter exercuerat, deficiente aliquoties farre penuque, ſenſibile fuiſſe diuinitus augmentum appoſitum, tanquam lecythi oleum, Eliſei beneficio pauperi mulierculæ multiplicatum. Circa prima vero fundationis tempora iuuenis quidam de finibus illis genere Cambrenſis, terras quaſdam monaſterio datas acriter ſibi vendicans, & in vſus proprios redigere parans: poſt multas infeſtationes demum inſtinctu dæmoniaco grangiam monachorum optimam blado refertam igne combuſſit: & ſtatim amens effectus per patriam diſcurrere cæpit rabie plenus & inſania, nec ab errore ceſſauit, donec à parentibus captus fuerat atque ligatus, porro ruptis mane vinculis, fatigatiſque cuſtodibus ad monaſterii denique portam euaſit, clamans inceſſanter, & vlulans, ſe monachorum miniſterio totum intrinſecus igne comburi; Et ſic planctu miſerabili vociferando ſpiritum infra paucos dies exhalauit.

Miraculum certum, & indubitata veritate compertum, quis negabit

Contigit autem vt ab alio quodam iuuene in hoſpitum aula verberato ſtatim in craſtino diuina vltione ſequuta iniurioſus ille ab hoſtibus interimeretur, & eodem aulæ loco, quo fuit iniuria ſacræ domui & fratribus aſtantibus irrogata, exanime

» vllius deſidiæ torpor poſſet adimere: verum quoniam deſiderabilem hanc gratiam æ» tas mihi debilior, deteriorque dies inuidit (quippe, ſic *multa ferunt anni venientes com-» moda ſecum: multa recedentes adimunt*) ſi beneficium corporis vexatione cõſequi plenum » non ſufficio, decimarum tamen omnium, quæ poſſideo, largitione conſequi valeam, vel ſemiplenũ. Et ſic ad pedes archiepiſcopi prouolutus, & cũ largo lachrymarũ fonte genua ponens in manu eiuſdem ad cruci obſequiũ, rerũ ſuarũ omniũ decimas aſſignauit, & ab eodẽ dimidiam iniunctę pœnitentię remiſſionẽ impetrauit. Cum autem » hoc facto pauliſper ſeorſum receſſiſſet, reuerſus in hanc ſententiam prorupit; Domi» ne, ſi voluntas informat actionem, & ipſa plerunq; pro facto reputarũr, cum mihi hoc » iter agendi ſit plena & firma voluntas, reſiduæ partis pœnitentiæ relaxationem peto, » & inſuper renouato beneficio decimarum mearũ de reſiduo ſummã adæquabo. Subridens ad hoc Archiepiſc. deuotam viri ſubtilitatem cũ admiratione eſt amplexatus.

Eadem vero nocte monachis duobus cubiculariis Archiepiſcopi ſuper his, quæ acciderant, viæq; periculis ad inuicem conferentibus, dixit vnus eorum, prouincia dura eſt iſta: alter autem æque facete reſpondit: Quinimo nimis heſterna die mollis inuenta eſt: altero ad aſperitatem patriæ, altero vero ad ſabuli molliciem ſermonem referente.

Elidori presbyteri relatio fabuloſa.

Parum autem ante hæc noſtra tempora accidit his in partibus res memoratu non indigna, quam ſibi contigiſſe præſbyter Elidorus conſtantiſſime referebat. Cum enim puerilis innocentiæ duodecimum iam ageret annum: quoniam, vt ait Salomon, Radix literarum amara eſt, quanquam fructus ſit dulcis: puer literis addictus, vt diſciplinam ſubterfugeret, & verbera crebra præceptoris, in concaua fluuii cuiuſdam ripa ſe fugitiuus occultauit: cumque ibidem bis ſole reuoluto ieiunus continue iam latitaſſet, apparuerunt ei homunculi duo, ſtaturæ quaſi pigmeæ, dicẽtes: ſi nobiſcum venire volueris, in terram ludis & deliciis plenam te ducemus: annuens ille ſurgenſque ſecutus eſt præuios per viam primo ſubterraneam & tenebroſam vſque in terram pulcherrimam, fluuiis & pratis, ſiluis & planis diſtinctiſſimam, obſcuram tamen, & aperto ſolari lumine non illuſtratam.

Erant ibi dies omnes quaſi nebuloſi, & noctes lunæ ſtellarumq; abſentia teterrimæ. Adductus eſt puer ad regem, eique coram regni curia præſentatus, quem cum diu cum admiratione cunctorum rex intuitus eſſet, tandem eum filio ſuo, quem puerum habebat, tradens aſſignauit. Erant autem homines ſtaturæ minimæ, ſed pro quantitatis captu valde compoſitæ: flaui omnes, & luxuriante capillo, muliebriter per humeros coma demiſſa. Equos habebant ſuæ competentes modicitati, leporariis in quantitate conformes. Nec carne veſcebantur, nec piſce, lacteis plerunque cibariis vtentes, & in pultis modum quaſi croco confectis. Iuramenta eis nulla. Nihil enim adeo vt mendacia deteſtabantur. Quoties de ſuperiori hemiſphærio reuertebantur, ambitiones noſtras, infidelitates & inconſtantias expuebant. Cultus eis religionis palam nullus: veritatis ſolum, vt videbatur, amatores præcipui & cultores.

Solebat autem puer ille ad noſtrum hemiſphærium pluries aſcendere interdum per viam qua venerat, interdum per aliam: primo cum aliis, & poſtea per ſe. Solumq; matri ſuæ ſe committebat; patriæ modum, gentiſque naturam & ſtatum ei declarans. Monitus igitur à matre, vt auri, quo abundabat regio, munus ei quandoque referret, pilam auream, qua Regis filius ludere conſueuerat, ab ipſo rapiens ludo, per viam ſolitam ad matrem deproperãs, curſim aſportauit: & cum ad oſtium domus paternæ, populi tamen illius nõ abſq; ſequela iam perueniſſet, intrare feſtinauit, pes hæſit in limine, & ſic intra tectum cadenti matre ibidem ſedente, pilam è manu elapſam duo pigmæi è veſtigio ſequentes arripuere, exeundo in puerum ſputa, contemptus & deriſiones emittentes. Ipſe vero reſurgens ad ſeque reuerſus, mita facti confunditur erubeſcentia, & matris plurimum conſilia deuouens ac deteſtans, cum via redire pararet, quam aſſueuerat, ad aquæ deſcenſum hypogeumq; meatũ cum perueniſſet, aditus ei iam nullus apparuit. Cũ tamen per anni fere ſpaciũ inter aquę p̃dictæ ripas viam inutilis explorator inquireret. Sed quoniam ea, quæ ratio non mitigat, temporis interdum mora miteſcunt: & diuturnitas ſola laxatos hebetat plerumque dolores: ſiquidem malis multis finis de tempore venit: demum tamen ab amicis & matre præcipue vix reuocatus, ſibique reſtitutus, & literis denuo datus, tandem proceſſu dierum in ſacerdotii gradum eſt promotus. Cum autem Meneuenſis Epiſcopus Dauid ſecundus, ſuper huius euentus inquiſitione preſbyterum iam ſenio confectũ multo-

ties

ties ſollicitaſſet: nuquam ei negotii ſeriem potuit citra lachrymas replicare. Habuerat etiam gentis illius linguæ notitiam, cuius & verba recitate conſueuerat, quæ ſibi puerilibus (vt moris eſt) annis, rapide comparauerat. Erant autem verba ſicut ab Epiſcopo prædicto mihi ſunt ſæpe propoſita, Græco idiomati valde conformia. Cum enim aquam requirebant, dicebant *Ydor ydorum*, quod latine ſonat, aquam affer: *Ydor* enim aqua eorum lingua ſicut & Græca dicebatur, vnde & vaſa aquatica ὑδρίαι dicuntur, & *Dûr* lingua Britannica ſimiliter aqua dicitur. Item Salem requirentes dicebant *Halgein Ydorum*, ſalem affer; ἅλ vero Græce ſal dicitur, & *Halen* Britannice: lingua namque Britannica propter diutinam, quam Britones, qui tunc Troiani, & poſtea Britones à Brito eorum Duce ſunt vocati, poſt Troiæ excidium moram in Græcia fecerant, in multis Græco conformis inuenitur.

Hic autem mihi notabile videtur, quod in vno verbo tot linguas conuenire non inuenio, ſicut in iſto: ἅλ enim Græce, *Halen* Britannice, ſimiliter Hibernice, *Halgein* interpoſita G. lingua prædicta: Item *Sal* Latine, quia, vt ait Priſcianus, in quibuſdam dictionibus pro aſpiratione ponitur S. vt ἅλς, Græce, ſal Latine, ἡμι ſemi, ἑπτὰ ſeptem, *Sel* Gallice, mutatione a vocalis in e, a Latino additione t literæ *Salt* Anglice, *Sout* Teutonice. Habetis ergo ſeptem vel octo linguas in hac vna dictione plurimum concordantes. Sin autem interpoſitæ relationis de veritate quid ſentiam, ſcrupuloſus inueſtigator inquiras: cum Auguſtino reſpondeo, admiranda fore diuina miracula, non diſputatione diſcutienda: nec ego negando diuinæ potentiæ terminos pono, nec affirmando, eam quæ extendi non poteſt, inſolenter extendo. Sed illud Hieronymi ſemper in talibus ad animum reuoco. Multa, inquit, incredibilia reperies, & non veriſimilia, quæ nihilominus tamen vera ſunt. Nihil enim contra naturæ dominum præualet natura. Hæc igitur & ſimilia ſi quæ contigerint, iuxta Auguſtini ſententiam inter illa locauerim, quæ nec affirmanda plurimum, neque neganda decreuerim.

Iudicium authoris de præcedente fabula.

ANNOTATIONES IN
Caput VIII.

DE Auenna Netha & Tauo confluentibus, vide infra eundem Giraldum in Topographia Cambriæ capite quinto. Monaſterium autem de Neth condidit Richardus Granuillanus miles, vnus ex duodecim nobilibus, qui cum Roberto filio Hammonis in auxilium Ieſtini filii Gurguntii, contra Reſum filium Theodori Demetiæ Principem aduenerunt: verum deuicto Reſo, hanc regionem Ieſtino, à quo fuerant vocati, ademerunt, & inter ſe partiti ſunt: vnde dominium de Neth in ſortem Granuillani ceſſit, qui ad vſum & ſuſtentationem monaſterii prædicti omnes terras ſuas de Neth aſſignauit, vt in Hiſtoria Cambriæ manifeſtum eſt.

2 *De hoc Rotherico Phalcuſio multa commemorantur, eaque valde feſtiua & lepida. Obtinuerat enim diſpenſationem quandam ab Epiſcopo Meneuenſi, videlicet vt miſſam vnam quotidie faceret, & præcipuus defunctorum Capellanus haberetur: quo nomine multa miracula vel* πλεονεκτήματα *potius operatus eſt. Nam tituli ſui prærogatiua in omnibus funeralibus obſequiis, poſt rectorem loci, primus ſemper miſſificabat: & ſingulis diebus duas miſſas celebrabat. Qua in re cum de exceſſu coram Epiſcopo conueniretur, factum iuſtificabat: affirmans ſe presbyteris ſui ratione miſſam vnam quotidie facere poſſe, & aliam ratione facultatis ſibi ab Epiſcopo conceſſæ. Hic cum in magna & diuite quadam parochia ſolenni feſto eſſet miſſificaturus: accepit ſecum circumforaneum quendam circulatorem, vt ſibi vſui foret, qui in ipſo miſſæ ſuæ (vt vocant) offertorio, cum parochiani ſuas illi oblationes deferrent, de pecuniæ mutatione rixam excitauit, ex qua acris orta eſt contentio, atque à verbis ad verbera deuentum, ita vt tota turbaretur multitudo. Hæc dum geruntur, aliis pugnantibus, aliis vociferantibus, aliis deniq; ſuos paruulos & vxores protegentibus, Dominus Rothericus veſtibus ſacris (vt erat) indutus. ſe clam vnacum calice ſubduxit ex Eccleſia, & aufugit. Poſtea vero infra paucos dies, ad centum & viginti ex parochianis, ob ſacrorum perturbationem, qua ſe de vita periclitatum affirmabat, apud Epiſcopum grauiter accuſauit, eoſq; in ius vocauit, grauiſſima quæq; ſcelera illis obiiciens, & modis omnibus, quibus poterat, eis moleſtias exhibens, donec illi pacem ſibi redimentes, de calice & veſtibus actionem penitus relaxaſſent.*

3 *Hæc fabula mihi quidem videtur eſſe compoſita ad imitationem relationis Eris Armenii apud Platonem in libris de Republica: aut deſumpta ex Tigado horto Aloadini Principis de Mulete, quem M. Paulus Venetus libro primo, capite vigeſimo octauo, Senem de montanis appellat: de quo ſcribit Haithonus lib. de Tartaris, capite vigeſimo quarto, & Cal. Auguſtinus Curio Hiſtor. Saracen. libr. 3.*

De Lochor & Wendraeth fluuiis tranſcurſis, de Cydweli quoque, cum N. S.

Cap. IX.

TRANSIVIMVS inde verſus aquam de Lochor per campeſtria, in quibus Hoelus Meredythi filius de Brecheinoc, poſt obitum Regis Henrici I. Anglos de finibus illis & milites multos publico bello confectos interemit. Fluuio vero *Lochor* tranſuadato, & aquis poſtea, quæ *Wendraeth* dicuntur, tranſmeatis, ad caſtrum de *Cydweli* via duce peruenimus. In partibus iſtis Anglorum Rege Henrico rebus humanis exempto, dum Gruffinus Reſi filius Soudwalliæ tunc Princeps, in Nordwalliam auxilium corrogaturus iuiſſet: vxor eius Guenliana (tanquam Amazonum regina, & Pentheſilea ſecunda) in partes illas exercitum ducens, à Mauricio Londonienſi terræ domino, & viro egregio Gaufrido Præſulis cõſtabulatio, bellico in certamine confecta (interempto ibidem filio eiuſdẽ Morgano, & altero capto ſcil. Malgone, quos pueros ſecum in expeditionem arrogãter adduxerat) cum aliis multis, ipſa demum ferro confoſſa caput amiſit.[a] Tempore vero Anglorum regis Henrici I. tranquillum pacis ſtatum Wallia ſortita, cum prædictus ille Mauritius ſiluam in partibus illis haberet ferarum multitudine ceruorumque præcipue valde copioſam, nimiæque parcitatis in ferina fuiſſet: quoniam, vt moris eſt, ſemper in viri fallacia eſt vxor aſtuta, miro mulier eſt vſa commento. Habebat enim vir ille à latere ſyluæ verſus mare paſcua magna & ouium in paſcuis copiam multam. Mulier itaque paſtores omnes & maiores domus figmenti ſui complices habens, & fautores ſimplicis vtendo commoditate viri, in hæc verba ad maritum acceſſit (erat enim ſimplicis naturæ ſimul & tena-
» cis) Mirum, inquit, quod beſtiarum dominator beſtiis dominari iam deſiiſti, &
» ceruis non vtendo, ceruis iam non imperas, ſed ſeruis: & ecce quantus abuſus ex
» nimia ſurgit patientia: inaudita namque rabie, & inſueta voracitate adeo in o-
» ues noſtras deſæuiunt, vt ex multis paucæ, ex fere innumeris, iam reddantur numeroſæ. Vt autem probabiliorem redderet aſſertionem, euiſceratis ceruis duobus inter ipſa inteſtina lanam interſeri procurauit. Sic itaque vir muliebri deceptus aſtutia canum rapacitati ceruos expoſuit.

Vxoris Lauta aſtutia in marito decipiendo.

Annotationes in Caput IX.

Gruffinus[1] Reſi Demetiæ Principis filius, mortuo Henrico primo Anglorum rege, ortiſq; inimicitiis inter Stephanum Bononienſem comitem, qui regni poſſeſſionẽ obtinuerat; & Matildẽ Henrici filiã & heredẽ vnicã: ratus iam ſibi libertatis & paternæ hereditatis recuperandæ occaſionem eſſe oblatam, quorundam Normannorũ poſſeſſiones inuaſit. Verũ cum ſe viribus imparem ad reſiſtendum cerneret: ſe ad ſocerũ ſuum Gruffinũ Conani filium Vendotiæ principem contulit, auxiliares copias ab eo petiturus. Interim dum is abeſt, eius vxor virilem animum induens, & quaſcunq; potuit copias colligens, cum hoc Mauricio Londineo bello congredi auſa eſt: infelici tamen euentu, vt Girald. hic refert. De cuius morte cum Gruffinus pater eius certior factus eſſet, Oenum & Cadualadrum filios ſuos cum copioſo exercitu, ad vindicandam filiæ necem, cum hoc mandato miſit: videlicet, ne cuiquam Anglo aut Normanno parcerent, neq; vllã cum eis omnino pacẽ inirent, niſi regionẽ penitus relinquere atq; deſerere velint. Præterea ad expellendos ex Cambria Normannos & Anglos, Hoelus filius Meredythi de Brechinia, & Madocus filius Edneri cũ prædictis principibus ſuas vires coniungunt, atq; ferro & flamma eas regionis partes, quæ ab hoſtibus tenebantur, ad internecionem deuaſtant & perdunt, vetereſq; incolas in ſuis ſedibus collocant, vt in hiſtoria Cambriæ videre licet.

De fluuio Tywyenſi nauigio tranſcurſo. De Caermardin quoque & Albelande monaſterio cum N. S.

Cap. X.

TRANSEVNTES inde nauigio flumen *Tywyenſe*, & verſus *Caermardyn* iter arripiẽtes *Lanſtephan* & *Talachar* marinis in ſcopulis à læua reliquimus. Erant autem hæc duo caſtra, quæ Reſus filius Gruffini poſt obitum Anglorum regis Henrici II. deſperatione cuſtodum citra inſultum occupauit; deinde prouinciis de *Penbroch* & *Ros* cædibus, incendiis & prędationibus, fere exterminio datis, fruſtrato conamine *Caermardyn* obſedit. Sonat autem Caermardyn vrbs Merlini, eo quod iuxta Britannicam hiſtoriam ibi ex incubo genitus, inuentus fuerat Merlinus.

Caermardyn.

Eſt igitur hæc vrbs antiqua coctilibus muris partim adhuc extantibus egregie clauſa ſuper nobilem *Tywy* fluuium ſita, ſiluis & pratis abundans: habet autem *Cantref*

Mawr,

Mawr, id eſt Cantredum magnum ab oriente, copioſa ſiluarum condenſitate auſtralis Cambriæ ciuibus tutiſſimum in neceſſitate refugium, vbi & caſtrum *Dineuor* in collis excelſi vertice ſuper fluuium *Tywy* ſitum: quod & principalis Sudwalliæ curia dicitur. Fuerant enim antiquitus tres principales in Wallia curiæ: *Dineuor* in Sudwallia: *Aberfrau* in Nordwallia ſcilicet apud *Mônam*. In Powiſia apud *Pengwern*, quod & nunc Slopesburia dicitur. Sonat autem *Pengwarn* caput alneti.[2] In his autem de *Cantref mawr* finibus Commoto videlicet de Caos, illud ad animam reuocans, *dolus an virtus quis in hoſte requirat*: Et illud, *& ſi non recte poſſis quocunque modo rem*: quam enormiter in ſubditos hoc noſtro tempore curia vindictam exercuerit noſter explicare ſtilus abhorruit.[3] Iuxta *Dineuor* trans flumen ſc. Tywy in *Cantref bachan*, id eſt, Cantredo breui, fons eſt qui die naturali bis vndis deficiens, & toties exuberans, marinas imitari ſolet inſtabilitates.[4] Non procul à *Caermardyn* ex parte boreali ſcilicet apud *Peucadair*, id eſt, cathedræ caput, Reſo Gruffini filio noſtris diebus ad deditionem doloſe magis quam viriliter compulſo & in Angliam ducto: Rex Anglorum Henricus ſecundus de Armorica oriundum Britannia militem quendam de cuius prudentia ſimul & fidelitate confidebat, ſub decani de *Cantrefmawr* conductu cui nomen Guaidanus caſtrum *Dineuor* locique ſitum & patriæ munitionem exploraturum tranſmiſit. Presbyter autem monitus vt per viam meliorem ad caſtrum & faciliorem militi præberet iter, per magis difficiles & inacceſſibiles aditus ipſum de induſtria circumduxit. Et vbicunque per ſaltus herboſos tranſitum faciebant, cum intuentium admiratione presbyter herba paſcebatur: aſſerens accolas & indigenas herbis & radicibus (ingruente inedia) viuere & veſci ſolere. Ad regem itaque milite reuerſo, cunctiſque relatis quæ vel digna relatu viderat vel audierat: terram ſc. inhabitabilem, terram iniquam & inacceſſibilem, nullique genti niſi beſtiali & beſtiarum more viuenti victui neceſſariam. Demum fidei ſacramentique nodis, nec non & obſidum vinculis aſtrictum Reſum rex ad ſua remiſit.

Hiſt. Cam. 222.

Ony bydhi gryſ. bydh gyfrwys.

Progreſſis inde nobis verſus Ciſtercienſe monaſterium quod *Alba domus* dicitur:[5] adſunt quidam nuntiantes Archiepiſcopo iuuenem quendam Cambrenſem ei deuote occurrentem, obiter ab hoſtibus interemptum. Ad quem non procul à via diuertens, corpuſque cruentum eleemoſynarii ſui operiri pallio iubens, iugulati iuuenis animam pia ſupplicatione commendauit. Igitur in craſtino, ſagittariis duodecim de ſancti Clari caſtello ſatis propinquo, qui iuuenem prædictum iugulauerant, apud *Albam domum* in pœnam criminis cruce ſignatis, tribuſque fluuiis, primo *Taf*, deinde *Cledheu* ſub *Lanwadein*, alteroque ſub *Hauerfordia* tranſmeatis, demum *Hauerfordiam* peruenimus. Sortita eſt autem inde prouincia nomen, inter duos hos fluuios ſita, *Daugledheu*: eo quod duobus his fluuiis quaſi duobus gladiis cingatur & terminetur. *Cledheu* namque Britannice gladius latine.

ANNOTATIONES IN Caput X.

TAMETSI *hæc opinio de nomine Mariduni à Merdhino deducto, magnos atque celebres authores habeat: ego tamen (doctorum pace dixerim) eius ſententiæ ſum, vt exiſtimem eam nominis deriuationem, cum inſigni errore eſſe coniunctam. Nam apud Ptolomæum, qui longe ante natum Merlinum, ſtante adhuc & integro Britannorum regno (tempore nimirum Marci imperatoris, vt teſtatur Suidas) ſcripſit, manifeſtum eſt, hanc vrbem tunc Maridunum fuiſſe appellatam. Cuius verba Geograph. lib 2. ſunt hæc: Rurſus poſt prædictos populos vltimi verſus occaſum ſunt Demetæ, quorum ciuitates Louentium & Maridunum. Antoninus etiam vel Antonius Auguſtus, cuius itinerarium circumfertur, qui Merlinum tempore præceſſit, huius vrbis mentionem facit, vbi Muridunum pro Mariduna legitur: niſi forte à muro egregio quo oppidum illud legionarii milites Rom. qui ibidem hyemare ſolebant, vndequaque muniebant, deductum eſſe nomen putemus: quod à Britannico quidem idiomate non eſt alienum: nam* Mûr *&* Murdhyn *Britannice, murum deſignant. Si tempore Merlini nomen acceperit, cedant nobis eius opinionis aſſertores, nomen eius antiquum. De Merlino poſtea (Deo volente) lib. 2. cap. 8 annot 2. dicemus.*

[2] *De tribus Cābriæ curiis Principalib. vide deſcriptionis Cābriæ, c. 2. & quæ ibidem annotata ſunt.*

[3] *Quæ ſit illa vindicta quam tantopere Giraldus hoc in loco explicare veretur, haud facile eſt affirmare: coniectura tamen mihi videor aſſequi quid ſentiat. Cum Oenus Venedotiæ & Reſus Demetiæ principes, Henrico Anglorum regi eius nominis ſecundo, mutuo fœdere, datis etiā obſidibus eſſent deuincti: quorundā Normanorum ita exarſit cupiditas, vt in Cambrorū poſſeſſiones violēter irruerēt, vt Rogerus Clarēſis comes & Walterus Cliffordius. De quorū exceſſu & violētia Reſus apud Hen. regem*

Eccl. c. 34.

terdum ad animum reuocare velint: *Qui facit Elemoſynam, vel qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui filium victimat in conſpectu patris.* Et illud Gregorii, bonus vſus non iuſtificat male quæſita. Item & illud Ambroſii: Qui male accipit vt bene diſpenſet, grauatur potius quam iuuatur: tales enim cum Apoſtolo dicere videntur: *Faciamus mala vt veniant bona.* Scriptum eſt enim, talis debet eſſe miſericordia quæ ſuſcipiatur, non quæ repellatur: quæ peccata purget, non quæ reum faciat ante dominum: de iuſtis laboribus tuis non de rebus alienis. Audi Salomonem dicentem: *Honora dominum de tuis iuſtis laboribus.* Quid dicturi ſunt qui aliena rapiunt & eleemoſynas fecerunt? O domine in nomine tuo miſericordias fecimus, pauperes pauimus, nudos veſtiuimus, peregrinos hoſpitio recepimus. Quibus dicturus eſt dominus, quod dediſtis dicitis, quod feciſtis rapinam non dicitis. Quos pauiſtis memoratis, & quos necaſtis non recordamini. Exemplum autem de reſponſo Richardi Regis Anglorum facto magiſtro Fulconi viro bono & ſancto, per quem Deus in Francorum regno noſtris diebus multa proculdubio ſigna fecit, hic interſerere præter rem non putaui.

De tribus regis filiabus totidem ordinibus iam eius nuptiis traditis.

Cum inter cætera vir ille ſanctus regi dixiſſet: “Tres filias habetis quæ “quamdiu penes vos fuerint nunquam Dei gratiam habere poteritis, ſuperbiam ſci“licet, luxuriam & cupiditatem. Cui rex poſt modicam quaſi pauſationem, iam in“quit maritaui filias iſtas & nuptui dedi: Templariis ſuperbiam, nigris monachis luxu“riam, & Albis cupiditatem. Id etiam pro valde mirando de loco præſcripto Lanthonei dicto, vel potius quaſi pro miraculo duximus, quod in ſummis quibus clauditur vndique montium verticibus, non petroſis aut ſaxoſis ſed mollibus potius & herboſis,

Parii lapides.

Parii lapides reperiri ſoleant, qui & liberi vulgo dicuntur, quia ſecabiles ferroque quodam modo polibiles ſeſe quaſi liberaliter præſtant: ex quibus eccleſia ipſorum iam extat egregie conſtructa. Super quo quidem & hoc mirandum, quod quæſitis ad vnguem per montana lapidibus illis, & ex toto prorſus abſtractis nulliſque relictis qui reperiri ibidem amplius poſſent, infra tertium aut quartum diem iterum requiſiti tanquam dono ſeipſos offerentes, & ſe quærentibus oſtendentes copioſa multitudine reperiuntur. De duobus tamen ordinibus iſtis Cluniacenſi ſcilicet & Ciſtercienſi hoc compertum habeas, locum ædificiis egregie conſtructum, redditibus amplis & poſſeſſionibus locupletatum iſtis hodie tradas, inopem breui deſtructumque videbis: illis è diuerſo eremum nudam & hiſpidam ſiluam aſſignes: intra paucos poſtmodum annos, non ſolum eccleſias & ædes inſignes, verumetiam poſſeſſionum copias & opulentias multas ibidem inuenies. Hanc autem diuerſitatem (vt mihi videtur) morum diuerſitas parit & ſtudiorum. Vt enim ſalua vtrorumque venia veritati non parcam,

Auaritia & intemperantia Monachorum.

illinc ſobrietas iuuat, parcimonia pariter & prouidentia: hinc vero obeſt, ventris ingluuies & intemperantia. Illi namque tanquam apes in vnum congerunt omnes & congregant vnanimitate conſpicui, vno omnium exiſtente loculo, & illo bene diſpoſito: Iſti congeſta diuinitus, & deuota fidelium largitione collata, diuerſis diſtrahunt animis & diripiunt indeſinenter, multis exiſtentibus & multorum loculis, quibus dum ſtudioſius ſinguli tanquam propriis indulgent, minus proficitur in commune: quoniam vt ait Saluſtius, Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximę dilabuntur. Pręterea de tredecim ferculis vel quatuordecim, quæ ſibi de ſolo cõſuetudinis iure deberi contendunt, tempore famis & inædiæ, priuſquam vnum ad tẽpus intermitterent,

Ecce quam grauia patiuntur Monachi pro amore Chriſti.

priuſquam vnum relinquerent aut à conſuetudine vel in modico recederent, terras monaſterii meliores & manſiones in fœnebrem prędam perditum ire, & quod crudelius eſt pauperes ad ianuas cateruatim obire permitterent & perire. Illi vero non ſolum arietes omnes & armenta, grano deficiente, verum & de duobus pulmentis quibus contenti ſunt, alterum in vſum pauperum, vrgente incommodo laudabili charitate largiuntur. His autem noſtris diebus, vt tanquam à niueo corpore næuus abſtergatur, in Ciſtercienſi capitulo ſtatutum eſt, ne ab hoc vnquam in poſterum ordine, precio quolibet prędia vel paſcua comparentur: tantum illa de cætero ſufficiant, quæ gratis obueniunt & abſq; grauamine cõferuntur. Prædictus igitur ordo canonicus plus aliis mediocritate contentus atq; modeſtia, & ſi non plene, plurimum tamen ambitioni ſtringit habenas, & in mundo poſitus, mundi pro poſſe contagia vitans, nec crapula notabilis nec temulentia pro luxu rerum ſiue libidine, publicum in populo ſcandalum incurrere tam verecundatur quam veretur. Sicut in libro quem de eccleſiaſticis ordinibus Deo annuente ſcripturi ſimus, plenius explicabitur.

Dignitas & dominium antiſtitis.

Pręſcriptis igitur in finibus temperatiſſimis, & nõ omen quo ad gazas grãdes, tragicaſque mundi pompas adeptus, iuxta vſualia tamen vocabula nomen dignitatis obtinuit.

obtinui. Collateralem & propinquum principali de *Brecheinoc* caſtro loculum habens & domicilium, fœlici quadam mediocritate ſtudiis idoneum atque labori. Quem ſuis ſemper delitiis plenum & æternitatis amicum Crœſi diuitiis longe præfero: quinimo cunctis quæ perire ac præterire poſſunt, incomparabiliter antepono. Sed ad rem reuertamur.

ANNOTATIONES IN Caput III.

HOC caput in deſcriptione atque reprehenſione vitæ Monaſticæ totum pene conſumitur: quod in omnibus fere exemplaribus mancum atque mutilatum exiſtit, ita tamen vt quod in vno deſit, in altero inueniatur. Si quid ſcriptum erat paulo acerbius contra vnam aliquã monachorum ſectam, id omiſſum eſt in aliquo exemplari, quod tamen reperitur in alio, & ſi quid aliũ ordinem pungat, id deſideratur in alio, quod in priori tamen habetur. Veriſimile itaq; mihi videtur, exemplaria iſta à monachis eſſe deſcripta, qui id quod contra ſuũ ordinem ſcriptum inuenerant deleuerunt. Extitit hæc Balduini Archiepiſcopi viſitatio An. 1188. iam quadringentis fere annis elapſis, non diu poſtquã regularis profeſſio in his noſtris regionibus primũ inceperat exerceri: Si ergo eo tempore tam horrendæ corruptiones in monachorum ſubſellia irrepſerant, quid hunc auctorem ſi hodie viueret, de tot ſuperſtitionibus & Idolomaniis aliiſq; ſceleribus in hoc ſacro cætu vſitatiſſimis, ſcripturum putemus? Perſecutiones primæ ætatis (vt ſcribit Peucerus) cauſam præbuerunt ſeceſſibus & monachatui: Poſtea acceſſerunt dilacerationes imperii & Peregrinarum gentium confuſiones. In illa dilaceratione Italiæ & aliorum regnorum, cum videretur eſſe peculiaris fælicitas abeſſe à Republica, procul in aliqua ſolitudine degere, ſine familia, ſine liberis, non ſpectare vrbium excidia & vaſtationem patriæ, homines modeſti, qui habebant familias, gratulabantur monachis ſuam tranquillitatem. Inde creuit & opinio de cælibatu, & admiratio monachorum, ita vt plures cœperint expetere & quærere ſeceſſus. Deinde homines barbari natura, mirantur nouos ritus, qui præ ſe ferunt ſpeciem eximiæ pietatis, & cuiuſdam quaſi commercii cum Deo. Nihil mirum eſt igitur tunc & monachorum cœtus creuiſſe, & opiniones de hoc vita & operum genere plauſibiles late vagatas eſſe. Poſtea cum pietati ſuperſtitio ſucceſſiſſet, & pro euangelii doctrina receptæ eſſent leges pontificum: Collegia quæ fuerant hactenus conuentus ſtudioſorum, paulatim ad monachos tranſlatã, opes vero collegiorum in luxum ſuperbiæ atque otioſorum hominum voluptates profuſæ ſunt, ſcholis abolitis. Docendi autem prouincia delegata eſt familiis monachorum, non Chriſti, ſed Benedicti & Bernhardi nomen profitentium, & ſectantium (vt iactitant) præcepta. Sed Collegiorum exemplum hi quoque ſequuti, cum ſuperſtitionem quæſtuoſiorem docendi laboribus experirentur, literas vna cum docendi munere deſeruerunt, nouam viuendi formam commenti. Redactæ ſunt ergo Scholaſtica opera, ſtudiis pene vbiq; ſepultis, poſt Sueuorum imperium, ad nouos regni pontificii ſætus, ſcilicet ad mendicantium monachorum agmina, qui fœcundiſſimo prouentu his poſtremis annis vbique locorum & gentium, matre ſuperſtitione, patre pontificum tyrannide editi, ſed diuerſitate ac diſſimilitudine profeſſionis pene infinita, commentis ſuis orbem compleuerunt terrarum, & tyrannidis pontificiæ leges, cum exaſperarunt, tum executi ſunt acerbius multo quam pontifices ipſi, eoque res tandem perduxerunt, vt ipſis etiam pontificibus formidabiles eſſent. His doctrinæ cuſtodibus & occiderunt literæ & interiit pietas Chriſtiana, antiquata euangelii doctrina, rectioribus ſtudiis deletis, & ſuperſtitionibus vltra modum cumulatis. Nec mirum: nam neceſſe fuit, in tam numeroſa religioſorum multitudine, quamplurima ingenia cum non haberent puram euangelicæ veritatis doctrinam ad quam tanquam ſcopum collimarent, ſuapte natura ad vanitates deflectere. Sicut enim ager fertilis, ſi non colatur & puro grano ſeminetur, ſentes & tribulos affatim gignit: ſic ingenia præclara cum ſemine verbi Dei deſtituantur, ad ſuperſtitiones & inanes ceremonias facillime dilabuntur. Vnde omnes ἐθελοθρησκεῖαι ortum habent. Monachatus tempore Edgari regis Angliæ, ſuperſtitioſo quorundam hypocritarum fuco & importunis Dunſtani præſtigiis, in hac noſtra Brytannia cœpit primum in pretio haberi. Hoc Cœnobium ſiue Prioratum de Lanthoni circa Annum Domini 1188. Extruxit Hugo Lacius miles, qui cum Gulielmo Conqueſtore in Angliam aduenerat, & in eccleſia de Webley ſepultus iacet.

Monachatus origo & progreſſus.

Collegia antiqua

De tranſitu per Coed Grono, & Abergeuenni cum N. S.

CAP. IIII.

TRANSIVIMVS inde verſus *Abergeuenni* per arctum illud Siluestre quod malum paſſum de *Coed Grono* vocant, nobile Cænobium de Lanthoni montibus ſuis incluſum à latere ſiniſtro relinquentes. Dicitur autem *Abergeuenni* caſtrum eo loco ſitũ, vbi fluuius *Geuenni* in *Oſcam* cadit. Contigit autem paulo poſt obitum Anglorum regis Henrici primi nobilem & magnificum virum Richardum Clarenſem, qui cum honore de clara Ceteticam regionem in auſtrali Cambria poſſidebat, ab Anglia in

Abergeuenni.

Richardus Comes Clarenſis interfectus.

Digitized by Google

Walliam hac tranſire. Et cum prouinciæ illius tūc dominum Brienum videlicet Gualingfordenſem cum militibus multis vſque ad paſſum prędictum ſocium habuiſſet & deductorem, tam ipſum inuitum in ipſo ſiluæ ingreſſu cum ſuis remiſit, quam contra eiuſdem monita ſiluam inermis intrauit. Ex nimia quoque ſecuritatis pręſumptione tibicinem præuium habens & pręcentorem, cantilenæ notulis alternatim in fidicula reſpondentem. Nec mora Wallenſes qui aduentum eius explorauerant, Iorwerth ſcilicet Morgani frater de Caerleon, cum eorundem familia, ſiluoſis è latebris irruentes in improuiſos, ſtatim ipſo cum ſuorum multis interempto, præda potiti ſunt cruentiſſima. Ex variis itaque patet rerum euentibus, quam incauta eſt ſemper nimia pręſumptio & ſui negligens. Timor enim proſpicere futuris admonet, & diligentiam docet in proſperis: audacia vero pręcipitanter obrepit, & inconſulta temeritas neſcit conſilium ducis expectare. Sermone igitur apud Abergeuenni facto plurimiſque ad crucem conuerſis, vir quidam nobilis partium illarum cui nomen Arthenus ad Archiepiſcopum verſus caſtellum Oſcæ iam properantem humiliter acceſſit, quod ei citius non occurrerat veniam petens. Super crucis itaque ſuſceptione conuentus, abſque amicorum, inquit, conſilio, res hæc fieri non debet. Cui Archiepiſcopus: nunquid ergo cum vxore tua inde conſilium habiturus es? At ille vultu demiſſo verecunde reſpondit: ad aggrediendum inquit opus virile non eſt expetendum conſilium muliebre: & ſtatim ab Archiepiſcopo crucem ſuſcepit.

Nimia ſecuritas & incauta præſumptio.

Super exceſſibus autem partium iſtarum creberrimis & cruentiſſimis, nunc prouincialiū in Caſtellanos, nunc vice verſa vindicis animi talionibus, Caſtellanorum in prouinciales, quæ noſtris accidêre temporibus aliis explicare materiam damus. Vltimi tamen exceſſus enormis cædiſque cruentæ noſtris diebus hic perpetratæ, quam pręterire tamen ne ſceleroſis in exemplum trahi poſſit ſatius exiſtimaui, vere auctor extiterat Anglorum rex Henricus ſecundus, Vicecomes autem Herefordiæ Ranulphus Poerius machinator. Sed quamquam turpe ex cauſa temporalis interdum ſequi commoditas videatur, iuſti tamen iudicis libramine pœna ſceleris & ſi differtur, vel in tempore vel poſt tempus non euitatur, iuxta illud Poetæ,

Non habet euentus ſordida præda bonos.

Cum enim ſeptennali iam ſpacio in partibus illis pax ſequuta fuiſſet tranquilliſſima: randem interemptorum nepotes & filii ex pueris adulti, ex paruis interim maiores effecti, ira vindice deferuentes, captata domini abſentia, intra fruticoſa caſtri eiuſdem foſſata cum manu non inualida ſe in inſidiis nocte contulerunt: dixerat autem vnus eorum (cui nomen Siſillus filius Eudaf) Conſtabulario die pręcedente quaſi pręmuniendo ſub riſu tamen & ludicro magis quam ſerio: hic inquit hac nocte intrabimus, oſtendens muri ipſius angulum quendam, vbi demiſſus eſſe videbatur. Sed quoniam ridendo *Dicere verum quis vetat?* Et quoniam *Fas eſt & ab hoſte doceri*, Conſtabularius cum familia totam noctem illam in armis & vigiliis vſque ad auroram duxit inſomnem: ſed cum demum labore fatigati & imminentis diei beneficio ſecuritatem adepti, ſomno ſe cuncti dediſſent: ſtatim hoſtes per ſcalas quas congeſſerant loco prænotato ſe muris ingerentes, captis conſtabulario & vxore ſua cum aliis multis, pręter turrem principalem & paucos qui in ipſam aufugerant, violenter occupant & incendunt vniuerſa, iuſto Dei iudicio, eo quo delictum eſt loco perpetratum, pœna delicti ex parte ſecuta. Præterea parum poſt Caſtri prędicti proditionem, cum iuxta Monemutham prædictus Herefordiæ Vicecomes videlicet apud *Landinegat* cum exercitu Herefordiæ caſtrum erigeret, nocte quadam cum adhuc tenuiter tenebras exuere cepiſſet:

Tythoni croceum linquens aurora cubile,

ſummo ſuperueniente diluculo tam à Ventæ quam vicinarum partium iuuentute, cum interemptorum adulta iam prole, non præoccupati, non deſubitati, non aduentus huius ignari: Quinimo prę̨citi potius & pręmuniti, armati quoque & in turmas ordinati, ſtatim tamen ſunt confecti, & inter propria iam foſſata repulſi, de potioribus & primis Herefordenſis prouinciæ militaribus viris cum ipſo nouem, pręter alios multos, lanceis ibidem ſunt confoſſi. De Ranulpho tamen hoc mirandum, quod pręter vulnera quæ lethaliter in corpore ſuſcepit plurima, cū ferro quoq; iugulatus fuiſſet, venis omnibus & arteriis cum via ſpiritus, & halitus organo pariter præciſis, ſacerdotem tamen annuens & aſciſcens, aliquo reuera anteactæ vitæ merito id exigente, eoque præcipue vt creditur, quod in ſortem Chriſti electos, præ aliis hono-

Honoris ſacerdotibus exhibitis remuneratio.

honorare conſueuerat & venerari, facta confeſſione, & viatico deuote percepto ſtatim ſpiritum exhalauit. Frequens eſt, & crebertimis declaratum experimentis, quod ſicut debito clerum honore dignantes ſacerdotali, in extremis ſolatio ex conſuetudine gaudent: ſic è diuerſo cleri deriſores & malignos delatores eodem ſolatio frequentiſſime fraudari, tametſi optato. Gulielmus autem de Breuſa, qui vere non auctor ſceleris, quod potius tacere decreuimus quam exprimere, non machinator extiterat, ſed executor, vel executionis non impeditor, carnificum turbis mandato deſuper accepto atrociter deſæuientibus, eodem conflictu in imum foſſæ præruptæ eſt præcipitatus, ibique ab hoſtibus, & viris inimiciſſimis captus & extractus, viuus tamen diuina miſeratione per impetum ſubita à ſuis factum, & omnino illæſus euaſit. Ex quo patet, quia minus offendit, mitiuſque punitur, inuitus qui facit, ſiue permittit, quam qui facto conſilium ſimul & auctoritatem adhibuit: quod in Chriſti paſſione palam fuit, vbi & Iudas ſuſpendio, Iudæi excidio pariter & exterminio, Pilatus exilio, pœnas luit.

Prædicto vero de Rege, qui proditioni aſſenſum præbuit, & præceptum fecit, qualiter ob hæc & alia multa enormis vitæ delicta, ſicut in lib. de Principis inſtructione Deo duce propalabimus, ad ampliorem ignominiæ cumulum, in terris pœnas inchoauit confuſione plenus & ærumna, finis eiuſdem declarauit.

Hoc autem mihi notabile videtur, quod gens hæc, quæ Venta gens vocatur, & Martiis conflictibus vſitatiſſima, & ſtrenuitatis opera laudatiſſima, & arte ſagittandi præ ceteris Cambriæ finibus inſtructiſſima reperitur. *Ventani ſagittarii egregii.* Ad huius autem aſſertionis vltimæ certitudinem exempla proponere non pigeat. In extrema Caſtri prædicti expugnatione noſtris diebus perpetrata, militibus duobus in turrim cumulato terrarum aggere ſitam per pontem transfugientibus, Wallenſes vt ipſos à tergo percuterent, ſagittas arcu mittentes portam turris iliceam, palmaris fere ſpiſſitudinis tranſpenetrarunt, ad tantorum ictum vehementię perpetuam memoriam ſagittis in porta ferro repercuſſo reſeruatis. Accidit & tēpore Gulielmi de Breuſa (ipſo teſtante) quendam militem ſuum in conflictu contra Wallenſes à quodam ipſorum per mediam coxam cum panno loricæ ocreali ferro vtrinq; veſtitā ſagitta percuſſum eſſe, eadē quoq; ſagitta per partem illam ſellæ, quæ alua vocatur, vſq; ad ipſum equum lethaliter tranſpenetrante. Alia quoq; ſagitta militis alterius coxam ferro ſimiliter vtrinq; munitam cum panno loricæ vſq; in ſellam perforauit. Et cum miles ille loris equum in gyrum flecteret: alio ſagittam eodem contorquente, in oppoſita coxa ſimilem ictum ſuſcepit, equo ab vtraq; parte firmiter affixus. Quod ergo à baliſta tormentum maius expectes? Non autem arcu vtuntur corneo, non alburneo, non taxeo, ſolum ex vlmellis ſilueſtribus arcus formant, non formoſos, non politos, imo rudes, prorſus & informes: rigidos tamen & fortes: non tamen ad eminus miſſilia mittenda, ſed ad graues cominus ictus percutienda tolerandos. Sed à diuerticulo iter iterum aggrediamur. *Arcus Vent.*

ANNOTATIONES IN Caput IIII.

Videtur Giraldus parum candide de Henrico Rege ſentire, qui tamen vbique (neſcio qua animi propenſione motus) Gulielmi Bruſii Brechiniæ domini ſcelera ita literis mandat, vt quædam minuat aut extenſet, alia de induſtria prætermittat: vt ex hoc capite & præcedente manifeſtum eſt. Illic enim ex quadam vſitata loquendi & ſcribendi conſuetudine, debitæ obedientiæ ſuo Regi denegatæ crimen extenuat, & quodammodo diluit: hic integram, perpetrati ab eodem Brenſio ſceleris, hiſtoriā prætermittis, commemoratis tantum quibuſdam circumſtātiis, quibus illius proditionis & cædis culpā in alios transferre molitur. Res vero acta hæc eſt. Poſtquam Reſus filius Gruffini Demetiæ princeps, cum Henrico II. Anglorum Rege apud Claudioceſtriam ſtabilem firmamq; pacem fecerat, omnesq; eius prouinciæ nobiles Regi reconciliauerat, ita vt certa pax & tranquillitas reſtituta tandē viderentur: Gul. Bruſius Brechiniæ dominus (cædes & rapinas cogitans) nobiles quoſdam Ventanos ſub amicitiæ & beneuolētiæ ſimulatione, ad prandium inuitauit in caſtrum de Abergeuenni, quo cum omnes aduenissent, ſtatim ab armatorū militum multitudine, quos ea de cauſa in inſidiis ibi collocauerat, crudeliter trucidati ſunt. Inter quos Siſillus filius Dunuallonis (vel filius Endaf, vt hic auctor habet) & Gruffinus filius eius atq; multi alii ceciderunt. Hac cruenta cæde perpetrata, hi immanes lanii in Siſilli domum quæ non longe aberat, irruentes Claudiam vel Gladuſiam, eius vxorem, Reſiq; ſororem vna cum Cadualadro filio infante è domo violenter attraxerunt, & quod magis horrēdum eſt, puerū in conſpectu matris exquiſito crudelitatis genere iugularunt. His tamen non obſtantib. mauult noſter Giraldus Henricum Regem & Ranulphū Poeriū huius crudeliſſimæ cædis & turpiſſimæ proditionis inſimulare, quam Bruſium,

Matt. Par pag. 170.

ſium, qui hoc nefandum crimen perpetrauerat, ſicuti plane ſcriptum reliquit Matthæus Pariſienſis: cuius verba, quia Neoterici quidam eius ſententiam mutilantes, huius proditionis & cædis turpitudi-
" *nem ſuis ſcriptis diluere nituntur, adſcribere non grauabor. Eodem, inquit, anno Gulielmus de Breu-*
" *ſa, multitudine Wallenſium in caſtello de Bergauenni callide conuocata, prohibuit, ne quis gladium*
" *ferret viator vel arcum: Sed illis huiuſmodi decreto contradicentibus, capitali omnes ſententia con-*
" *demnauit. Qui (vt proditionis ſuæ nequitiam, quaſi ſub velamine honeſtatis palliatam intelligas) hæc*
" *fecit in vltionem auunculi ſui Henrici de Hereford, quem ipſi in ſancto ſabbato Paſchæ antea pereme-*
" *runt. Hæc ille.*

Illud tempore hoſtilitatis & belli, cum neutra pars alteri fideret, factum eſt: Hoc autem ſcelus pace iam iureiurando vtrinque firmata, ſub amicitiæ ſpecie committitur.

2 *In libro illo, De Principis inſtructione, acerbe admodum in Regem Henricum ſecundum inuehitur Giraldus, vbi ſuæ in illum maleuolentiæ virus ita euomit, vt ſuum inueteratum odium ſatis manifeſte prodat.*

De tranſitu per Oſcæ caſtrum & legionum vrbem, cum N. S.

Cap. V.

IGITVR apud Oſcæ caſtrum tam ad Archiepiſcopi ſermonem, quam ad viri boni & honeſti Gulielmi Landauenſis Epiſcopi, qui per ſuam diœceſin nobis fideliter aſtitit, perſuaſionem; Alexandro quoq; Banchorenſis Eccleſiæ Archidiacono, vbiq; ad Wallenſes interprete exiſtente, multitudo virorum cruce ſignatur. Vbi & hoc pcipue notabile occurrit, quod famoſiſſimi partiũ illarum malefactores, homicidæ, prædones, & fures non abſque multorum admiratione ſunt conuerſi. Tranſeuntes inde per *Carleon,*[1] *Monemutha,*[2] caſtrum, nobilemque *Danubiæ*[3] ſyluam, quæ ferinam ferriq; copiam Glouerniæ miniſtrat, trans *Vagam*, citraq; *Sabrinam*, longe à læua relinquentes, in *Nouoburgo,*[4] ter Oſca flumine iam tranſcurſo pernoctauimus. Dicitur autem Caer leon vrbs legionum. Caer enim Britannice vrbs vel caſtrum dicitur. Solẽt quippe legiones à Romanis in inſulam tranſmiſſæ ibi hyemare, & inde vrbs legionum dicta eſt. Erat autem hæc vrbs antiqua & autentica, & à Romanis olim coctilibus muris egregie conſtructa. Videas hic multa priſtinæ nobilitatis adhuc veſtigia: Palatia immenſa aureis olim tectorum faſtigiis Romanos faſtus imitantia, eo quod à Romanis Principibus primo conſtructa, & ædificiis egregiis illuſtrata fuiſſent: Turrim giganteam: Thermas inſignes: templorum reliquias, & loca theatralia muris egregiis partim adhuc extantibus, omnia clauſa. Reperies vbique tam intra murorum ambitum, quam extra, ædificia ſubterranea: aquarum ductus hypogeoſque meatus. Et quod inter alia notabile cenſui, ſtuphas vndique videas miro artificio conſertas, lateralibus quibuſdam & præanguſtis ſpiraculi viis occulte calorem exhalantibus. Iacent hic duo nobiles, & poſt Albanum & Amphibalum præcipui Britanniæ maioris protomartyres, & ibidem martyrio coronati Iulius ſcilicet & Aaron,[5] quorum vterque Eccleſiam in vrbe inſignem habebat ſuo nomine decoratam. Tres enim egregiæ in hac vrbe antiquis temporibus fuerunt Eccleſiæ. Vna Iulii martyris, virgineo Deo dicata regularium choro venuſtata. Altera vero beati Aaron ſocii eiuſdem nomine fundata, & canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia vero Metropolitana ſede Cambriæ totius inſignita. Fuit & Amphibalus hinc oriundus, beati Albani doctor & fidelis ad fidem informator. Situs vrbis egregius ſuper Oſcæ flumen, nauigio mari influente idoneum. Siluis & parcis vrbs illuſtrata. Hic magni illius Arthuri famoſam curiam legati adiere Romani, vbi & Dubricius Archiepiſcopus Dauid Meneuenſi ceſſit honorem, abhinc Meneuiam Metropolitana ſede tranſlata, iuxta illud Merlini Ambroſii vaticinium: *Meneuia pallio vrbis legionum induetur, &c.*

Caer leon.

Non procul inde ſtat rupis marina Sabrinis ſupereminens fluctibus, quę Anglorum lingua *Gouldclyffe* vocatur, hoc eſt, rupis aurea, eo quod aurei coloris ſaxa præterat ſole repercuſſa, miro fulgore rutulantia.

Nec mihi de facili fieri perſuaſio poſſet,
Quod fruſtra tantum dederit natura nitorem
Saxis, quodq; ſuo fuerit flos hic ſine fructu.

Si foret, qui venas ibidem & penitima terræ viſcera arte præuia tranſpenetraret. Si foret (inquam) qui de petra mel eliceret, & oleum de ſaxo. Multa nimirum occulta latent naturæ beneficia, quæ per incuriam hactenus incognita poſterorum educet cura propenſior & diligentia. Nam ſicut antiquos in humanę vitę commodis inueniendi viam ipſa neceſſitas vrgens edocuit: ſic iunioribus induſtria ſedula plurimum contulit,

tulit,& ingenii perſpicacior is acumen multa modernis aperuit. Quoniam vt ait poeta, duas inuentionum iſtarum cauſas aſſignans:

——labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Notandum autem, quod in his vrbis legionum partibus fuit diebus noſtris vir quidam Cambrenſis, cui nomen Melerius, futuorum ſimul & occulrorum ſcientiam habens, cui talis hanc euentus ſcientiam dedit. Nocte quadam ſcilicet Ramis palmarum puellam diu ante adamatã obuiã habens loco amœno, & vt videbatur oportuno, deſideratis amplexibus atq; delitiis cum indulſiſſet, ſtatim loco puellæ formoſæ formam quandam villoſam, hiſpidam & hirſutam adeoque enormiter deformem inuenit: quod in ipſo eiuſdem aſpectu dementire cœpit & inſanire. Cumque pluribus id annis ei duraſſet, tandem in Eccleſia Menenſi meritis Sanctorum loci eiuſdem, optatam ſanitatem recuperauit. Semper tamen cum ſpiritibus immundis magnam & mirandam familiaritatem habens, eoſdem videndo, cognoſcendo, colloquendo, propriiſque nominibus ſingulos nominando, ipſorum miniſterio plerunq; futura prædicebat. In longe vero futuris atque quaſi remotis (ſicut & ipſi) frequentius fallebatur: in propinquioribus autem & quaſi infra annum futuris minus falli conſueuerat. Videbat autem eos fere ſemper pedites & expeditos, & quaſi ſub forma venatorum, cornu à collo ſuſpenſum habentes, & vere venatores non ferarum tamen nec animalium, ſed animarum. Circa monaſteria quoque, & loca religioſa magis eos & in multitudine maiori videri ſolebat. Ibi nimirum exeteitu: vbi numeroſis opus eſt vitibus, vbi rebellio. Quoties autem falſum coram ipſo ab aliquo dicebatur, id ſtãtim agnoſcebat, videbat enim ſuper linguam mentientis dæmonem quaſi ſalientem & exultantem. Librum quoque mendoſum, & vel falſo ſcriptum, vel falſum etiam in ſe continentem inſpiciens, ſtatim licet illiteratus omnino fuiſſet, ad locum mendacii digitum ponebat. Interrogatus autem, qualiter hoc noſſet, dicebat dæmonem ad locum eundem digitum ſuum primo porrigere: Similiter & dormitorium monaſterii cuilibet intrando, lectum monachi falſi, & religionem habitu, non animo præferentis, eiſdem indiciis oſtendebat: dicebat autem ſpiritum guloſitatis & crapulæ ſupra & infra ſordidum eſſe: ſpiritum vero libidinis & luxuriæ pulchriorem aliis, ſed fœtidiſſimum.

Notandum hic eſt, quam faciles hi dæmones erga quoſdã peccatores ſe præbeant, aliter teneros pueros columbinos pullos in eccleſia capientes, & pernoctantes ibidem cum canibus venatorum vincãtur.

Similiter um fines libros falſidicos congregantur.

Contigit aliquando, ſpiritibus immundis nimis eidem inſultantibus, vt Euangelium Iohannis eius in gremio poneretur: qui ſtatim tanquam aues euolantes omnes penitus euanuerunt: quo ſublato poſtmodum, & hiſtoria Britonum à Galfrido Arthuro tractata experiendi cauſa loco eiuſdem ſubrogata: non ſolum corpori ipſius toti, ſed etiam libro ſuperpoſito longe ſolito crebrius & tædioſius inſederunt. Notandum hoc etiã, quia Barnabas, ſicut in legenda eius habetur, Euangelii Matthæi ſuper ægros ponebat, & curabantur. Ex quo patet, ſicut in pmiſſo, quantę dignitatis & reuerentię ſacroſancti euangelii liber exiſtat: & ſuper eundẽ quiſquis ſcienter peierat, quã periculoſe & damnabiliter à via veritatis exorbitat. Ad hæc autẽ caſum Abbatis Enoci de Strata Marcella ſatis & pluſquam ſatis per Wallias norum eadem die, cuius nocte contigit, multis aperuit. Sicut ex dicto eiuſdem ab aliis retenro, circiter octo dies poſt certis rumoribus euidenter apparuit. Interrogatus autem quemadmodum hoc ſciebat, dicebat dæmonem ſub venatoris expediti ſpecie mane ad ipſum veniſſe: qui ſtatim ruinam Abbatis exponendo, qualiter ipſum à monaſterio cum moniali aufugere fecerit, quaſi de tanta victoria gaudens plurimũ & exultans, totũ euomuit. Forte ad correctionem Abbatis & humiliationem hoc ei accidere permiſſum eſt. Sicut ex poſt facto claruit, qui breui reuerſus, & humilior eoque melior effectus, nec diuertiſſe dicendus: Quia non male cadit (vt ait Seneca) quiſquis poſt lapſum fortior reſurgit. Fortior etenim poſt negationem Petrus: fortior poſt lapidationem Paulus. Et quoniam vbi abundat delictum, ibi ſuperabundabit & gratia. Fortior quoq; poſt fragilitatem Magdalena. Abbati quoq; de Alba domo Conano viro probo & religioſo, quid de muliere quadam quam aſpexerat, cogitaſſet, in aure reuelauit. Et ſtatim vir bonus concupiſcentiam illam cum lachrymis fatendo, à tribus ſacerdotibus incontinentiæ diſciplinam ſuſcepit. Sicut etenim hoſtis ille antiquus longis rerum experientus & ſubtilitate naturæ ex ſignis quibuſdam coniecturalibus argumentando de præteritis argute futura coniectat: ſic & indiciis haud diſſimilibus hominibus inſidiando, interiorem mentis conceptum per exteriora quandoq; perpendit.

Non liber ſcriptus, ſed piacabis corde fidelis dæmones fugas.

Chriſtus per fide apprehenſus noſtra ſalus eſt.

Caſtitatis clauſtralis exẽplum.

Fuit in eodem tempore in Ventæ inferioris finibus dæmon incubus, qui puellam quandam

Dæmon incubus.

quandam adamando, locumque, vbi ipſa manebat, frequentando, cum hominibus loquebatut, & tam occulta quam futura pluries indicabat. Interrogatus autem inde Meilerius, ſe hunc bene noſſe dicebat, & nomen eius proponebat. Dicebat enim & contra guerram patriæque turbationem magnam, ſpiritus immundos cum hominibus conuerſari ſolere, ſicut & hic apparuit, quia paulo poſt partes illæ per Hoelum filium Ioruetti de vrbe legionum, prouinciam totam grauiter infeſtantem, deſtructæ ſunt. Eadem vero tempeſtate cum Anglorum Rex Henricus ſecundus (capto Albaniæ Rege) regnum ſubitò pacificaſſet: prædictus Hoelus per guerram, quam fecerat regiam plurimum timens vltionem, huiuſmodi à Meilerio in maiori anguſtia conſolationis verba ſuſcepit. Ne timeas, inquit, Hoele Regis indignationem, quoniam ad alias eum partes intendere oportebit. Vrbs etenim melior quam in tranſmarinis habet, iam à Rege Francorum obſidetur. Vnde ad partes illas poſtpoſitis omnibus aliis quanta poterit feſtinatione tranſibit. Cuius rei euentum in vrbe Rothomagenſi obſeſſa infra triduum poſt, certis rumoribus Hoelus accepit. Proditionem quoque caſtelli de Oſca, quod Hoelus occupatum detinebat, longe ante prædixit, & dominum ſuum Hoelum ſcilicet inde præmonuit: ſe etiam ibidem eſſe vulnerandum, ſed non lethaliter, viuumque ab oppido euaſurum præcecinit. In hoc ſolò deceptus, quia ſic amicos hoſtis ille beare nouit: ſic ſuos in fine remunerare conſueuit: quod eodem vulnere paulo poſt lethaliter occubuit. 7

Huiuſmodi fabula referuntur de Dunſtano apud Capgrauum.

Inter hæc autem omnia admiratione digniſſima hoc ſolum cenſui magis admirandum quod oculis carneis ſpiritus illos tam aperte videbat, quia ſpiritus oculis corporalibus niſi aſſumptis corporibus, videri non ſolent. Si vero corpora, vt videri poſſent, aſſumpſerant, ab aliis quoque præcipue præſentes & prope poſiti quomodo videri non poterant? Sed forte corporali viſione miraculoſa viſi ſunt hi, cuiuſmodi viſione Rex Balthaſar in Daniele vidit manum ſcribentis in pariete, *Mane, Techel, Phares*, hoc eſt, appenſum, numeratum, diuiſum, qui & eadem nocte regnum pariter & vitam amiſit. His autem in finibus noſtris quoque diebus cœco dominandi ambitu, rupto conſanguinitatis & conſobrinorum fœdere, fides quam enormiter in perfidiam auanuerit, diffuſo per Walliam prauitatis exemplo, Cambria non ignorat.

ANNOTATIONES IN
Caput V.

Iſca.

OSCA [1] *fluuius rapidiſsimus, cuius ortus eſt in nigro monte, hanc vrbem alluit, quem Romani ſcriptores* Iſcam *vocant, vnde hæc vrbs* Iſcelegia *Latinis dicitur. Appellatur autem Britannice* Caer Lheon ar Oſyc, *quod eſt vrbs legionum ſuper Oſcam fluuium, ad differentiam alterius vrbis legionum ſuper Denam, quæ vocatur* Caer Lheon ar Dhowrdwy.

Monumotha.

2 *Manemutha nomen ſortitur à caſu* Monæ *confluentis in* Vagam, *quaſi os* Monæ.

Danica ſylua.

3 *Danica ſylua nemus eſt in extremo angulo inter Sabrinam & Vagam confluentes, à Danis (quos & Dacas vocant) nomen habens, qui Alfredi Regis tempore hanc ſyluam occupantes hoc illi nomen indiderunt.*

4 *Nouum Burgum, Britannice* y caſtelh Newyth, *nouum caſtellum Lelando.*

5 *De Iulio & Aarone ſic ſcribit Baleus in catalogo ſcriptorum maioris Britanniæ. Iulius & Aaron famigeratæ legionum vrbis ciues præclari, & Amphibali martyris, in Chriſto diſcipuli, pietatis ornamenta planè illuſtria in Britannia fuerunt. Non ſolum in ſua patria literis obnixe inuigilabant, ſed & exteras regiones pro bonis artibus addiſcendis petebant. Romaque potiſſimum ſtuduiſſe leguntur. Inde inſigniter eruditos fuiſſe illos Britannica paſsim narrat Hiſtoria: & Giraldus illud idem in Hodæporica ſuo confirmat, adiecta etiam nobilitatis calcula. Hi tandem cum aliis vtriuſque ſexus non paucis (vt auctores ſunt Gildas Badonicus in Excidio Britanniæ, Galfridus & Ponticus in chronicis) magnanimitate ſumma in acie Chriſti perſtantes, martyrium infractis animis pertulerunt. Vnde & Bedas cap. 7. primi libri Anglicanæ hiſtoriæ, poſt Albani mentionem hæc ſcribit: Paſſi ſunt ea tempeſtate Aaron & Iulius, legionum vrbis ciues: aliique vtriuſque ſexus diuerſis in locis perplures: Qui variis cruciatibus torti, & inaudita membrorum diſcerptione lacerati, animas ad ſupernæ ciuitatis gaudia perfecto agone miſerunt. Et iſta fiebant anno Chriſti 292. regnante in Britannia Conſtantio Chloro. Sub cuius poſtea regimine, cum Imperator eſſet, à tanta clade ita immunes eius vrbes erant, vt aſylum Chriſtianis afflictis tutiſsimum foret illa ipſa Britannia. Refert Iohannes Raſsus Warwicenſis in libro ſuo de Wigornienſibus Epiſcopis, magnum in Britannia Chriſtianorum numerum, quod prædictum Amphibalum prædicantem audiuerit, impiorum telis occubuiſſe, in loco, qui poſt aduentum Saxonum in inſulam ab euentu* Lichefelde *vocatus eſt, id eſt, cadauerum campus. Sæuitia (inquit Georgius Maior) & furoribus Diocleſiani vehementer labefactata eſt Chriſtiana religio in gente Britanno-*

tannorũ. Ea.n. labes, teſte Gilda, ita mortales generatim corrupit, ita Chriſtianã religionẽ exinaniuit, vt illa admodũ in paucis integra remanſerit. Hinc Tertull. magnus eccleſiæ doctor ante aliquot annos opportune dixerat, in ope ſuo contra Iudæos: Britannorũ inacceſſa Romanis loca, vero Regi Chriſto eſſe ſubdita. Doctrinã (inquit p̃dictus Maior) & veros cultus ab Apoſtolorũ diſcipulis acceperunt Britanni, cuius puritatẽ paſſim in omnib. Eccleſiis magno ſtudio ac martyria tuebantur. Hac ille. [6] *De hac ſedis tranſlatione: tradũt autores, Dauidẽ Xanti Ceretica prouinciæ reguli filiũ ex Melaria virgine veſtali genitũ, diutina p̃dicatione & diſceptationib. publicis Pelagianã hæreſin ex Britannica eccl. profligaſſe: atq; ob id à Dubricio vrbis legionũ archipræſule factũ eſſe Cãbriæ Metropolitẽ, archipræſulatu illi reſignato: q cũ Arthuro Britan. rege ita egit, vt illius voluntate ab vrbe legionũ ad ſuã Meneuiã archiepiſcopalẽ ſedẽ transferret, vt Ranulph. Ceſtrẽſis monachus fuſius tradit li. 1. c. 52. vbi omnes Cãbr. epiſcopi ab archiep. Meneuenſi ſacrati ſunt, vſq; ad Normannorũ aduẽtum. Curauit ẽt vt ſui nominis titulũ ea ſedes haberet, ita vt ſanũ Dauidis deinceps vocaretur. Qua de re vide inf. li. 2. c. 1.* [7] *Varia ſunt dæmonũ ludificationes, quib. ſimpliciũ hominũ credulitate & ignorãtia abutẽtes, in æternũ eos exitiũ protrudere moliuntur: improbi ẽt homines (Auguſt. teſte) malarũ rerũ cupidi, occulto quodã iudicio diuino traduntur illudẽdi & decipiẽdi pro meritis voluntatũ ſuarũ, illudentib. atq; decipientib. eos p̃uaricatorib. angelis, quib. iſta pars mũdi infima, ſecundũ pulcherr. rerũ ordinẽ diuinæ p̃uidẽtiæ lege (vt ſcrib. Wierus) ſubiecta eſt. His. n. portentis per diabolorũ fallaciã illuditur curioſitas, quando id impudenter appetunt ſcire, q̃ nulla ratione competit eis inueſtigare. Hæc poteſtas immundis ſpiritib. ideo datur, vt pernicioſas ſibi aptent: h. e. prauos homines ſeducãt: illos ſc. q ſpernunt veritatẽ, & credunt mẽdacio, iuxta Pauli ſententiã: ſanã doctrinã non ferent, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & à veritate quidẽ auditum auertent, ad fabulas a. conuertentur, onerati peccatis: ducentur variis deſideriis, ſemper diſcentes, nunquã ad ſcientiæ veritatẽ peruenientes. Hos Paulus filios contumaces vocat, in quib. agit ſpiritus ille, cui poteſtas eſt aeris, eludẽs ſubtilitate & dolo ineuitabili hæc ſua inſtrumenta in ipſius inductiones propendentia. Vide ea quæ ſcribuntur ab Olao Gotho in fine libr. 3.* cap. 11. *de gentibus ſeptentrionalibus. Et apud Auguſtin. lib. 2. de ciuit. Dei, in 2. parte, cauſ. 26. q 5. epiſcopi.*

De tranſitu per Newburgum & Caerdyf cum N. S. CAP. VI.

APVD nouũ burgũ itaq; vbi Oſcæ flumẽ ab originali de *Cantref bachan* fonte deſcendẽs in mare dilabitur, ad crucis obſequia multis allectis, fluuio *Remni* tranſcurſo ad nobile ſuper aquam Taf de *Caerdyf* caſtrum peruenimus. [1] Serpit a. in Nouiburgi finibus, terra ſc. de Gwentlwc, riuulus cui nomen *Nant Pencarn*, non tã aquatũ profunditate q̃ aluei cõcauitate, paluſtriq; limoſitate, nõ niſi certa p loca vadaq; tranſmeabilis: habuerat a. antiquitus vadũ, cui nomen *Ryd Pencarn*, ad q̃ publica ſtrata ducebat. Sonat *Ryd Pencarn.* autẽ latine vadũ ſub capite rupis. *Ryd*. n. Britannice, vadũ latine: *Pen* caput: *Carn* rupis. De quo Merlin. Siluestris mentionẽ faciens, in hæc verba prupit. [2] Cũ forté lentiginoſum in dextrales Britones irruere videris, ſi *Ryd Pencarn* tranſierit, Cãbriæ vires noueris eneruari. Cõtigit a. noſtris tẽporib. cũ Anglorũ rex Henric. II. in Reſum Gruffini filiũ arma ſumeret, & p maritimã dextralis Cãbriæ viã verſus Caermardin tenderet, die quo *Nant Pencarn* trãſire debuerat, antiq. partiũ illarũ Britones circa p̃dictum vadũ cũ ſumma ſolicitudine principis aduentũ obſeruabãt: ſcituri p certo, quoniã & forté nouerãt & lentiginoſum, ſi vadi tranſitus cõcordauerit, de ipſo pculdubio vaticiniũ eſſe cõplendũ. Cum igitur rex ad prędictã aquã via duce feſtinaſſet, & vaticinali veteriq; vado dudũ obſoleto, ad aliud eiuſdẽ aquæ vadũ (q̃ modernior vſus frequẽtauerat) iã tranſire paraſſet, tubicines & buccinatores, quos *Cornhiriet* vocãt, ab *hir*, q̃ eſt longũ & cornu, eo q̃ longis in cornub. flatũ emittãt, ex altera vadi ripa quaſi regi exultãtes in eiuſdẽ honorẽ buccinare cæperũt. Vnde cũ equus in quo rex ſedebat, p̃ timore tã horribilis & inſueti ſonitus calcaria reſpuẽs, aquã intrare prſus abnueret; rex lora regyrans, ad antiquũ vadũ ſe cõferre ira præuia deproperauit, quo ſtatim impetuoſe tranſcurſo, Britones eo expimento, quaſi de imminẽte iã excidio mœſti ad ppria ſunt reuerſi. In caſtro quoq; de Caerdyf cõtigit his noſtris dieb. res memoratu nõ indigna. Claudioceſtriæ nãq; comes Gulielm. Roberti comitis filius, qui cũ caſtro p̃dicto totã puinciam de *Gwladuorgan*, i. e. terra Morgani, iure hereditario poſſidebat, [3] cũ quodã homine ſuo, cui nomẽ Yuorus agnomẽ Modic⁹ erat, forte guertã habuerat, erat. n. vir *Yuorus Bach.* ſtaturę modicę, ſed animoſitatis immẽſæ. Wallenſiũ more mõtana quædã & ſilueſtria poſſidẽs, q̃ tñ illi comes vel auferre prſus vel mutilare cõtendebat. Nocte igitur quadã quanq̃ caſtrũ de Caerdyf murorũ ambitu munitiſs. excubiarũ multitudine pſonaret: quanq̃ militibus 120. nec nõ & archariis multis: ſtipendiaria quoq; plurima vrbs redundaret: inter tot tamẽ p̃ſidia & ſecuritatis argumẽta, p̃dictus Yuorus ſcalis allatis clã muros irrepẽs, comitẽ & comitiſſam cũ paruo quẽ vnicũ habebãt filio ſecũ educẽs ad ſilueſtria perduxit, nec remiſit, donec quicquid iniuſte ablatum fuerat, & ampliora recuperaſſet: teſtante namq; Poeta:

Spectan-

Spectandum eſt ſemper ne magna iniuria fiat
Fortibus & miſeris: tollas licet omne quod vſquam eſt
Argenti atq; auri, ſpoliatis arma ſuperſunt.

Admonitio H. 2. facta apud Caerdyf.

In hoc eodem oppido de Caerdyf Anglorum Rex Henricus ſecundus in reditu ab Hibernia, ſabbato primo poſt Paſcha cum pernoctaſſet, miſſaq; mane dominica ſcilicet iam audita, cum à capella Sancti Pirani, præter Regem, omnes exiſſent, ipſo in orationibus plus ſolito tunc forte morante: tandem cum exiret, & ad oſtium Capellæ iam equum aſcenderet, aſtitit ei vir quidam ante faciem, poſte quodam præfixo, quaſi propodio fungens, flauus, tonſuraque rotunda, vultus macilenti, ſtaturæ aliquantulum procetæ, ætatis quaſi circiter annos quadraginta, tunica indutus alba vſque ad calcū pedis demiſſa, zona præcinctus, & pedibus nudis, qui & regē in hæc verba quaſi Teutonice cōuenit: *God hold ye cuinge*, q; latine ſonat, *Deus te cuſtodiat rex*. Et poſtea eadē lingua proſecutus eſt in hunc modum: *Salutat vos Chriſtus, & pia mater eius, Ioannes quoq; Baptiſta, & Apoſtolus Petrus, mandantes vobis, quatenus per totas ditioni veſtræ terras ſubditas, ne mercatus dominicis diebus fiant, firmiter inhiberi faciatis, & quod illis nihil vſpiam operis fiat, niſi diuinum officium, & illud deuote facere & audire, præter cibaria ſolum, quæ ad vſum diurnum præparentur. Quod ſi feceritis, nihil vnquam inchoabitis quod fine bono non compleatur, vitamque feliciter conſummabitis.* Rex autem militi, cui nomen Philippus de Mercros, qui frenum equi tenebat, dixit lingua Gallica: Quære à ruſtico, vtrum hoc ſomniauerit. Et cum Anglice miles exponeret, ſubiecit ille lingua priori: *Siue hoc ſomniauerim ſiue non, vide quis hodie dies ſit*, loquens Regi non interpreti: *quia niſi hoc feceris, vitamque maturius emendaueris, priuſquam annus iſte prætereat, tales de re, quam plus in mundo diligis, rumores audies, talemque turbationem inde recipies: quæ tibi vſque ad exitum vitæ non deficiet.* Et cum Rex hoc dicto equo calcaribus monito, parum verſus portam & quaſi paſſibus octo proceſſiſſet, lora regyrans, vocate mihi, inquit, bonum hominem illum. Et cum miles prædictus, & iuuenis quidam, cui nomen Gulielmus, qui ſoli tunc in oppido cum rege remanſerant, illum vocaſſent, & non inuentum primo in capella, deinde per aulam & diuerſoria cuncta quæſiiſſent, nuſquam comparuit. Rex autem eo non reperto, cum tamen diutius eum ſolus in oppido dum alii quærerent, expectaret, mœſtus plurimum & plangens, quod amplius ei loquutus non fuiſſet, verſus Nouumburgum per pontem de Remni iter arripuit. Sicut autem comminando vir ille promiſerat, ſic anno contigit nō cōpleto: filii nāq; ipſius 3. primæus ſc. Henricus, & alii duo, Pictauenſis ſc. & Britō poſt ipſum, in quadrageſima ſequēte ad regē Francorū Ludouicū diſceſſerunt. Vnde tanta mota eſt ei inquietatio, quantā antea nunq̄ habuerat, & q̄ ſemper ei vſq; ad extremū ſpiritus halitū, p aliquē filiorū fere inceſſanter perdurauit. Multas & alias præmonitiones & caſtigationes rex iſte diuina miſeratione (quæ magis conuerſionē peccatorū appetit, quā euerſionem) circa eadem tempora & fini propinquiora ſuſcepit, [4] quas tamen omnes animo obſtinato & corde indurato incorrigibilis omnino contempſit: ſicut in lib. de Principis inſtructione (Deo propitiante) plenius oſtendetur.

Barri inſula.

Diſtat autem non magnis abhinc ſpaciis Inſula modica in Sabrini maris littore ſita, q̄ accolæ Barri, à nomine ſancti Baroci loci eiuſdem olim cultoris, ſic dicta: cuius & reliquiæ in Capella ibidem ſita, hederæ nexibus amplexata, in feretrum tranſlatæ continentur. Ab huius etiam inſulæ nomine viri nobiles maritimarū auſtralis Cambriæ partium, qui eidem inſulæ cum terris finitimis dominari ſolent, ſunt denominati. A Barris ſcilicet primo agnomen, poſtea cognomen de Barri ſuſcipientes. Eſt autem hic notabile, quod in ipſo inſulæ introitu in rupe marina apparet rimula permodica, ad quam ſi autem apponas, audies operæ ſtrepitum quaſi fabrilis: Nunc follium flatus, nunc marculorum ictus, nunc cotis & ferri ſonora fricamina, ſtridenteſque cauernis ſtricturas calybum & hanelum fornacibus ignem. Ceterum haud difficile credendum ex aquis marinis occulte ſubintrantibus ſonum huiuſmodi prouenire poſſe, vbi quoniam non minus retrogradis & refluis fluctibus vacuato prorſus littore continuatur, quam repleto.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

Caerdyf [1] Britannice hodie Caerdhydh vocatur, ſed corrupte. Lelandus Antiquarius Caerdaf appellat, à Taf flumio præterlabente nomine indito: **Condita autem vrbs eſt à Roberto Claudiocestrenſi Comite, Henrici primi filio notho, qui Matildem filiam & heredem Roberti filii Hammonis, qui iure gladii (vt poſtea dicturi ſumus) Morganniam prouinciam, obtinuit, coniugem habuit.**

[2] *De Merlino ſilueſtri, & eius vaticiniis vide infr. lib. 2. cap. 8.*

[3] *Morgannia Britannice Guladvorgan, id eſt, Prouincia Morgani, ſic dicta (vt Galfridus & Caſto-*

Caſtoreus habent à Morgano rege in ea regione caſo à conſobrino ſuo Cunedagio ante Romam conditam: vel potius vt ego non ſine ratione coniicio à Morgano cognominato Mwynuawr, qui tempore Edgari Regis Angliæ, illius regionis dominus exiſtens, plurima bella cum Saxonibus geſſit, de quo memoriæ proditum eſt, illum à ſuis ſubditis ita diligi, vt eo ad bellum proficiſcente, omnes qui arma ferre poſſent, illum vltro ſequerentur: nec vllus in vniuerſo eius exercitu inueniretur, qui Domini ſui cauſa mortem oppetere recuſaret. Hic abauus fuit Gurguntii patris Ieſtini illius, qui à Roberto filio Hammonis vniuerſa huius regionis hereditate ſpoliatus fuit. Cuius Roberti filiam vnicam & heredem ſolam (vt ante diximus) Robertus Nothus Henrici primi Claudioceſtriæ Comes duxit, ex qua hunc Gulielmum ſuſcepit.

4 Tres fuerunt huiuſmodi admonitiones Henrico regi de vita ſua corrigenda factæ. Prima eſt hæc, de qua hic mentionem facit noſter Giraldus. Secunda facta eſt à quodam Hibernico, qui eum admonuit, vt mores corrigeret ſuos, ſecretiorum quorundam ſignorum adiectione vſus, vt fidem ſibi apud Regem acquireret. Tertia, cum Rex in Normanniam traieciſſet, miles quidam de Lindeſey, cuius nomen erat Philippus de Eſtreby, ad illum accedens, ſequentes ſeptem articulos ad regale eius officium pertinentes ei propoſuit, videlicet:

1 *Si Catholicam Chriſti religinem foueret.*
2 *Si leges iuſtas & æquas ſtatueret.*
3 *Si neminem tametſi reum ſine legitimo iudicio condemnaret, quæ tria in ſuâ inauguratione interpoſito iuramento vouerat:*
4 *Si terras & poſſeſſiones, quas iuſtis hæredibus minus iuſtè abſtulerat, iterum reſtitueret.*
5 *Si iuſtitiam ſine donis & muneribus ſubditis ſuis adminiſtrari faciat.*
6 *Si miniſtrorum & militum ſtipendia debite perſoluantur, ita vt ab iniuſta populi expilatione abſtineant.*
7 *Si denique Iudæos, qui grauioribus vſuris vniuerſas eius ſubditorum opes depeculabantur, è ſuis ditionibus expelleret: fore proſperum & glorioſum reliquum eius vitæ curſum, eumque ad ſeptennium vſque regnaturum, crucemque ſacram ab infidelibus eſſe vindicaturum dicebat: Sin autem vitæ & morum ſuorum emendationem negligeret, anno quarto illum cum ignominia eſſe moriturum affirmabat.*

De ſede Landafenſi, & monaſterio de Margan, cum partium illarum notabilibus.

CAP. VII.

IGITVR in craſtino crucis (apud *Landaf*) negotio publice propoſito, aſtantibus hinc Anglis, inde Wallenſibus ex vtroq; populo plurimis ad crucem allectis, ea nocte ibidem cum epiſcopo loci eiuſdem Gulielmo viro diſcreto & honeſto, moram fecimus. Sonat autem *Landaf* Eccleſia ſita ſuper *Taf* fluuium, quæ & Eccleſia ſancti *Teileau* eiuſdem olim Epiſcopi nunc dicitur. Mane ergo miſſa in Eccleſia cathedrali principalique altari ab Archipræſule celebrata, ſtatim verſus nobile Ciſtercienſis ordinis monaſterium de Margan, per cellulam de Ewenith iter incunctanter arripuimus. Erat autem monaſterium de Margan præ aliis cunctis ordinis illius per Cambriam locis, præſidente tunc viro literato & diſcreto Abbate Conano, charitatiua largitione laudatiſſimum: vnde & aliquoties graui ingruente famis articulo, certum noueris, & indubitata veritate compertum, ob immoderatam largifluæ charitatis abundantiam, quam in peregrinos & pauperes infatiganter exercuerat, deficiente aliquoties farre penuque, ſenſibile fuiſſe diuinitus augmentum appoſitum, tanquam lecythi oleum, Eliſei beneficio pauperi mulierculæ multiplicatum. Circa prima vero fundationis tempora iuuenis quidam de finibus illis genere Cambrenſis, terras quaſdam monaſterio datas acriter ſibi vendicans, & in vſus proprios redigere parans: poſt multas infeſtationes demum inſtinctu dæmoniaco grangiam monachorum optimam blado refertam igne combuſſit: & ſtatim amens effectus per patriam diſcurrere cæpit rabie plenus & inſania, nec ab errore ceſſauit, donec à parentibus captus fuerat atque ligatus, porro ruptis mane vinculis, fatigatiſque cuſtodibus ad monaſterii denique portam euaſit, clamans inceſſanter, & vlulans, ſe monachorum miniſterio totum intrinſecus igne comburi; Et ſic planctu miſerabili vociferando ſpritum infra paucos dies exhalauit.

Miraculum certum, & indubitata veritate compertum, quis negabit

Contigit autem vt ab alio quodam iuuene in hoſpitum aula verberato ſtatim in craſtino diuina vltione ſequuta iniurioſus ille ab hoſtibus interimeretur, & eodem aulæ loco, quo fuit iniuria ſacræ domui & fratribus aſtantibus irrogata, exanime

corpus extenderetur. His quoque noſtris diebus ingruente famis inedia, & maxima in pauperum turba quotidie ad ianuam iacente, de communi fratrum conſilio ad charitatis explendæ ſufficientiam propter bladum in Angliam nauis Briſtollium miſſa eſt. Quæ cum diutinam ibidem vento contrario moram feciſſet: die quo in monaſterio tam ad vſus pauperum quam monachorum annona deficere debuit, naue non redeunte, ſed locum potius miraculo dante, contigit, vt campus prope monaſterium per menſem & amplius, ante commune maturationis tempus, & antequam meſſis aliqua per patriam meteretur, cum multorum admiratione ſubito maturus inueniretur. Vnde tam fratribus quam pauperum turbis ſufficientem vſque ad autumnum alimoniam diuina miſeratio miniſtraret. His igitur & nonnullis aliis virtutum ſignis, locus Deo acceptus diligi à cunctis cæpit & venerari.

Accidit autem his noſtris diebus, quatuor Caradoci filii Ieſtini filiis, & Reſi Principis ex ſorore nepotibus his in finibus herili portione (ſicut Wallenſibus mos eſt) pro patre dominantibus: Morgano videlicet & Meredytho, Oeno & Caduallono, quod per inuidiam & Cainiticam malitiam (quæ iam inueteraſſet) iterum renatam, Oenum fratrem Caduallonus interemit: nec mora; diuina vltione ſubſecuta, cum caſtrum quoddam hoſtiliter inuaſiſſet, muri ſubito ſuper ipſum facta ruina minutim confractus interiit, inter tot tam ſui quam fratrum ſuorum exercitus viros, dignas perpetrati facinoris & fratricidii pœnas luens ſolus miſerabiliter extinctus occubuit.

Accidit hic quoq; res memoratu non indigna, leporatius enim prædicti Oeni magnus & pulcher & mira varietate diſcoloratus, ſeptem vulnera ſagittis & lanceis corpore perforato, non abſq; tamen plurima hoſtium & homicidarum caninis morſibus laceratione in domini defenſione ſuſcepit. Qui & poſtea Anglorum tunc Regi Henrico ſecundo vulneribus recenter in cicatricem obductis, à Comite Claudioceſtriæ Gulielmo, ad tanti tam egregii facinoris oſtentum eſt tranſmiſſus. Præ omni namq; beſtia plus hominem canis & diligit & dinoſcit: Qui & interdum ſublato domino viuere recuſat, & pro domino mortis ſubire diſcrimina non formidat. Igitur & mori pro dominis & commori dominis eſt paratus. Vnde & exemplum vnum, quod Suetonius tangit in libro, qui de animantium naturis inſcribitur: Et Ambroſius quoque in Exameron narrat, hic interſerere non ſuperfluum reputaui. Ferunt Antiochiæ in remotiore vrbis parte crepuſculo necatum virum, qui canem ſibi adiunctum haberet. Miles quidam prædandi ſtudio miniſter necis extiterat: tectus idem tenebroſo adhuc diei exordio, in alias partes conceſſerat: Iacebat inhumatum cadauer: frequens ſpectantium vulgus aſtabat: canis queſtu lachrymabili domini deflebat ærumnam: forte is, qui necem intulerat, vt ſe habet verſutia humani generis, quo verſandi in medio auctoritate præſumpta, fidem aſſereret innocentiæ, ad illam circumſpectantis populi coronam acceſſit, & velut miſerans appropinquauit ad funus. Tunc canis ſequeſtrato pauliſper luctu doloris, arma vltionis aſſumpſit, atque apprehenſum tenuit, & velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmurans, vniuerſos conuertit in lachrymas: probationem detulit, quod ſolum tenuit è plurimis, nec demiſit: præſertim cum nec odii neque inuidiæ aut iniuriæ alicuius poterat obiectione, crimen illatum euacuari.

De canum mira gratitudine erga dominos.

Ob tantam igitur tam vehementem homicidii præſumptionem (milite tamen conſtanter inficiante) iudicatum eſt, duello, rei certitudinem experiri. In campo itaque conſtitutis, & vulgi circumſtante corona, hinc cane dentibus armato, illinc baculo cubitali milite munito: tandem cane victore victus homicida ſuccubuit, & ignominioſam publico patibulo pœnam dedit.

Duellum inter militem & canem.

Refert Plinius, refert & Solinus, Regem quendam ſtudio venationis non mediocriter deditum, cum ab hoſtibus aliquando captus fuiſſet & incarceratus; quia canes dilexerat, per caninos demum regionis illius exercitus ad montana & ſilueſtria per ſe ſponte ſequeſtratos, & inde tam in homines, quam in armenta & pecudes impetus faciendo, & atrociter deſæuiendo, demum abſque alio quolibet neceſſariorum iuuamine modo mirando liberatum. Et præterea, ea quæ de canum natura experientia didici, oculiſque meis plerumque conſpexi, explicabo. Canis in rebus agnoſcendis, dominoq; præcipue: quem forte veluti in turba per aliquantulũ tempus amiſerit, plus narib. q̃ oculo credit. Primũ etenim in domino ſeu ductore pdito reperiendo, oculis inſpicit, deinde nares ad certius inueſtigandũ veſtibus apponit: quanquam totas infallibilis experientiæ vires eidem in naribus natura plantauerit. Item,

medici-

medicinam portat lingua canina, ſicut econtra mortem lingua lupina. Vnde & ſicut vulneribus canis lingendo medetur: ſic vulnera lupus lingua corrumpit. Canis autem ſi vel collo vel capite, vel alia quauis corporis parte, quo linguam flectere non valeat, vulnus accepit: pede poſteriori linguæ beneficium quaſi nuntio fideli, transfert ad læſionem.

ANNOTATIONES IN Caput VII.

Mira ſunt, quæ de canum natura apud probatiſſimos auctores reperiuntur. Vt illud apud Plinium libro 8. c. 40. Cum ex cauſa Neronis Germanici filii in T. Sabinum animaduerteretur, quamdiu in vinculis erat detentus, canis eius, quem à catulo nutriuerat, à carcere nunquam abigi potuit, eoque poſtea ad ſcalas Gemonias deducto, gementium more latrando ſemper domino aſtitit, mirantibuſq; hominibus panem quem illi aliquis abtulerat, non manducans ori domini admouebat: qui poſteaquam in Tiberim proiectus fuit, in amnem ſtatim dominum ſecutus, caput eius ex aqua vt poterat, eleuabat, donec ipſe ab aquis ſuffocaretur. Nec diſſimile eſt, quod reperitur apud Tzetzem Chil. 3. de cane Silonii centurionis Romani in prælio interfecti, qui domini ſui corpus à feris & auibus defendens, illud donec ſepulturæ traderetur non deſeruit. Cum Lyſimachus interfectus eſſet, corpus humi ſtratum, & ab omnibus derelictum, canis domeſticus plurimum contendens & decertans, ab auibus feriſq; illæſum tamdiu præſtitit, quoad Phorax quidam Pharſalicus aduenit, qui illud cremandum de more curauit. Cum autem in rogum accenſum iniectum eſt corpus, canis in flammam ſe coniecit, & vna cum illo igne abſumptus eſt. Auctor eſt App. in Syriac.

De Auenna & Neth fluuiis tranſcurſis. De Abertawe quoque & Goer cum N. S.

CAP. VIII.

PROFECTI abinde, non procul à *Margana*, vbi ſabuloſi littoris & maris influentis alternę incipiunt viciſſitudines, *Auenna* fluuium ſub plurimo tamen reflui maris moramine tranſuadauimus. Et inde verſus *Neth* fluuium via maritima feſtinãtes, primæuum Carodoci filium Morganum ducem & præuium habuimus. Accedentibus itaq; nobis ad aquam præ aliis auſtralis Cambriæ fluuiis viui ſabuli periculis, totumque ſubito, quod ingeritur abſorbentis inacceſſibilem, inter clitellarios multos, qui via verſus mare venerant inferiore, vnus quẽ ſolum qui ſcripſit hæc ibidẽ habebat, quanquam medius in turba conferta incederet, ſolus tamen quaſi in abyſſum deſcendit. Sed demum tamen non abſq; ſarcinę detrimento librorumq; laborioſa ſimul & periculoſa iuuenum opera vix extractus euaſit. Quanquam igitur partium illarum principem Morganum viæ ducem haberemus, ſub periculo tamen multo plurimorumq; lapſu ad aquã peruenimus: per ſabulũ quippe abſorbens contra ducis monita nos viæ inſolitæ feſtinare coegit, & timor addidit alas: cũ per huiuſcemodi pericula (ſicut ibi didicimus) ſit potius inceſſus moderata maturatione temperatior. Sed quoniam quolibet menſtruo maris incremento, amnis illius vada mutantur, quolibet nubigero imbrium augmento non reperiuntur, pluuialibus inundationibus exuberantibus vndis: nauigio non vado tranſuecti ſumus, monaſterio de *Neth* [1] à dextro relicto, iterum Meneuiæ partibus appropinquantes, & Landauenſis Eccleſiæ diœceſim (quam apud *Abergauenni* intrauimus) poſt terga relinquentes.

Accidit autem his noſtris diebus Meneuenſi Epiſcopo Dauid ſecundo hac iter agente, & vado recenti maris influentis procella turbato, Capellanus quidem de finibus illis Rotherch ſcilicet agnomine Falcus, quoniam tranſeundarum fuerat gnarus aquarum, vadi prætentandi periculum Epiſcopo præcipiente ſuſcepit. Sed cum equum ipſi grandem & fortẽ, & ex toto comitatu ad hoc fideliter electum præſbyter aſcendiſſet, vado ſtatim tranſmeato: quoniam ſuſpenſionis ſententiam nuper incurrerat, ad ipſa quæ non procul aberant ſilueſtria fuga maturata ſe proripuit: neç reuocari vllatenus potuir, donec ſumpta ſecuritatis & indemnitatis cautione: hinc equus, & illinc miſſa reſtitueretur. *Rotherius Phalcus.*

[2] Intrantes itaque prouinciam, quæ *Goer* dicitur, in caſtro de *Svveynſei*, quod & Cambrice *Abertawe* vocatur, id eſt, caſus Tawe fluuii, pernoctauimus. Mane vero poſt miſſam populo conuocato, plurimiſque ad crucem allectis, vir quidam partium illarum ætate prouectus, cui nomen Cadorus ad archipræſulẽ accedens, eum in hæc verba conuenit; Domine ſi mihi priſtinæ vires ſuppeterent, & iuuentutis elapſæ robur " adeſſet, laudabilem quem prędicas laborem, nec vlla mihi eleemoſyna redimere, nec "

» vllius deſidiæ torpor poſſet adimere: verum quoniam deſiderabilem hanc gratiam æ» tas mihi debilior, deteriorque dies inuidit (quippe, ſic *multa ferunt anni venientes com*» *moda ſecum: multa recedentes adimunt*) ſi beneficium corporis vexatione cõſequi plenum » non ſufficio, decimarum tamen omnium, quæ poſſideo, largitione conſequi valeam, vel ſemiplenũ. Et ſic ad pedes archiepiſcopi prouolutus, & cũ largo lachrymarũ fonte genua ponens in manu eiuſdem ad crucis obſequiũ, rerũ ſuarũ omniũ decimas aſſignauit, & ab eodẽ dimidiam iniunctę pœnitentię remiſſionẽ impetrauit. Cum autem » hoc facto pauliſper ſeorſum receſſiſſet, reuerſus in hanc ſententiam prorupit: Domi» ne, ſi voluntas informat actionem, & ipſa plerunq; pro facto reputatur, cum mihi hoc » iter agendi ſit plena & firma voluntas, reſiduæ partis pœnitentiæ relaxationem peto, » & inſuper renouato beneficio decimarum mearũ de reſiduo ſummã adæquabo. Subridens ad hoc Archiepiſc. deuotam viri ſubtilitatem cũ admiratione eſt amplexatus.

Eadem vero nocte monachis duobus cubiculariis Archiepiſcopi ſuper his, quæ acciderant, viæq; periculis ad inuicem conferentibus, dixit vnus eorum, prouincia dura eſt iſta: alter autem æque facete reſpondit: Quinimo nimis heſterna die mollis inuenta eſt: altero ad aſperitatem patriæ, altero vero ad ſabuli molliciem ſermonem referente.

Elidori preſbyteri relatio fabuloſa.

Parum autem ante hæc noſtra tempora accidit his in partibus res memoratu non indigna, quam ſibi contigiſſe præſbyter Elidorus conſtantiſſime referebat. Cum enim puerilis innocentiæ duodecimum iam ageret annum: quoniam, vt ait Salomon, Radix literarum amara eſt, quanquam fructus ſit dulcis: puer literis addictus, vt diſciplinam ſubterfugeret, & verbera crebra præceptoris, in concaua fluuii cuiuſdam ripa ſe fugitiuus occultauit: cumque ibidem bis ſole reuoluto ieiunus continue iam latitaſſet, apparuerunt ei homunculi duo, ſtaturæ quaſi pigmeæ, dicẽtes: ſi nobiſcum venire volueris, in terram ludis & deliciis plenam te ducemus: annuens ille ſurgenſque ſecutus eſt præuios per viam primo ſubterraneam & tenebroſam vſque in terram pulcherrimam, fluuiis & pratis, ſiluis & planis diſtinctiſſimam, obſcuram tamen, & aperto ſolari lumine non illuſtratam.

Erant ibi dies omnes quaſi nebuloſi, & noctes lunæ ſtellarumq; abſentia teterrimæ. Adductus eſt puer ad regem, eique coram regni curia præſentatus, quem cum diu cum admiratione cunctorum rex intuitus eſſet, tandem eum filio ſuo, quem puerum habebat, tradens aſſignauit. Erant autem homines ſtaturæ minimæ, ſed pro quantitatis captu valde compoſitæ: flaui omnes, & luxuriante capillo, muliebriter per humeros coma demiſſa. Equos habebant ſuæ competentes modicitati, leporariis in quantitate conformes. Nec carne veſcebantur, nec piſce, lacteis plerunque cibariis vtentes, & in pultis modum quaſi croco confectis. Iuramenta eis nulla. Nihil enim adeo vt mendacia deteſtabantur. Quoties de ſuperiori hemiſphærio reuertebantur, ambitiones noſtras, infidelirates & inconſtantias expuebant. Cultus eis religionis palam nullus: veritatis ſolum, vt videbatur, amatores præcipui & cultores.

Solebat autem puer ille ad noſtrum hemiſphærium pluries aſcendere interdum per viam qua venerat, interdum per aliam: primo cum aliis, & poſtea per ſe. Solumq; matri ſuæ ſe committebat; patriæ modum, gentiſque naturam & ſtatum ei declarans. Monitus igitur à matre, vt auri, quo abundabat regio, munus ei quandoque referret, pilam auream, qua Regis filius ludere conſueuerat, ab ipſo rapiens ludo, per viam ſolitam ad matrem deproperãs, curſim aſportauit: & cum ad oſtium domus paternæ, populi tamen illius nõ abſq; ſequela iam perueniſſet, intrare feſtinauit, pes hæſit in limine, & ſic intra tectum cadenti matre ibidem ſedente, pilam è manu elapſam duo pigmæi è veſtigio ſequentes arripuere, exeundo in puerum ſputa, contemptus & deriſiones emittentes. Ipſe vero reſurgens ad ſeque reuerſus, mira facti confunditur erubeſcentia, & matris plurimum conſilia deuouens ac deteſtans, cum via redire pararet, quam aſſueuerat, ad aquæ deſcenſum hypogeumq; meatũ cum perueniſſet, aditus ei iam nullus apparuit. Cũ tamen per anni fere ſpaciũ inter aquę p̃dictæ ripas viam inutilis explorator inquireret. Sed quoniam ea, quæ ratio non mitigat, temporis interdum mora miteſcunt: & diuturnitas ſola laxatos hebetat plerumque dolores: ſiquidem malis multis finis de tempore venit: demum tamen ab amicis & matre præcipue vix reuocatus, ſibique reſtitutus, & literis denuo datus, randem proceſſu dierum in ſacerdotii gradum eſt promotus. Cum autem Meneuenſis Epiſcopus Dauid ſecundus, ſuper huius euentus inquiſitione preſbyterum iam ſenio confectũ multo-

ties

ties ſollicitaſſet: nuquam ei negotii ſeriem potuit citra lachrymas replicare. Habuerat etiam gentis illius linguæ notitiam, cuius & verba recitare conſueuerat, quæ ſibi puerilibus (vt moris eſt) annis, rapide comparauerat. Erant autem verba ſicut ab Epiſcopo prædicto mihi ſunt ſæpe propoſita, Græco idiomati valde conformia. Cum enim aquam requirebant, dicebant *Ydor ydorum*, quod latine ſonat, aquam affer: *Ydor* enim aqua eorum lingua ſicut & Græca dicebatur, vnde & vaſa aquatica ὑδρίαι dicuntur, & *Dûr* lingua Britannica ſimiliter aqua dicitur. Item Salem requirentes dicebant *Halgein Ydorum*, ſalem affer; ἃλ vero Græce ſal dicitur, & *Halen* Britannice: lingua namque Britannica propter diutinam, quam Britones, qui tunc Troiani, & poſtea Britones à Brito eorum Duce ſunt vocati, poſt Troiæ excidium moram in Græcia fecerant, in multis Græco conformis inuenitur.

Hic autem mihi notabile videtur, quod in vno verbo tot linguas conuenire non inuenio, ſicut in iſto: ἃλ enim Græce, *Halen* Britannice, ſimiliter Hibernice, *Halgein* interpoſita G. lingua prædicta: Item *Sal* Latine, quia, vt ait Priſcianus, in quibuſdam dictionibus pro aſpiratione ponitur S. vt ἅλς Græce, ſal Latine, ἧμι ſemi, ἑπτὰ ſeptem, *Sel* Gallice, mutatione a vocalis in e, a Latino additione t literæ *Salt* Anglice, *Sout* Teutonice. Habetis ergo ſeptem vel octo linguas in hac vna dictione plurimum concordantes. Sin autem interpoſitæ relationis de veritate quid ſentiam, ſcrupuloſus inueſtigator inquiras: cum Auguſtino reſpondeo, admiranda fore diuina miracula, non diſputatione diſcutienda: nec ego negando diuinæ potentiæ terminos pono, nec affirmando, eam quæ extendi non poteſt, inſolenter extendo. Sed illud Hieronymi ſemper in talibus ad animum reuoco. Multa, inquit, incredibilia reperies, & non veriſimilia, quæ nihilominus tamen vera ſunt. Nihil enim contra naturæ dominum præualet natura. Hæc igitur & ſimilia ſi quæ contigerint, iuxta Auguſtini ſententiam inter illa locauerim, quæ nec affirmanda plurimum, neque neganda decreuerim.

Iudicium auctoris de præcedente fabula.

ANNOTATIONES IN Caput VIII.

DE [1] *Auenna Netha & Tauo confluentibus, vide infra eundem Giraldum in Topographia Cambriæ capite quinto. Monaſterium autem de Neth condidit Richardus Granuillanus miles, vnus ex duodecim nobilibus, qui cum Roberto filio Hammonis in auxilium Ieſtini filii Gurguntii, contra Reſum filium Theodori Demetiæ Principem aduenerunt: verum deuicto Reſo, hanc regionem Ieſtino, à quo fuerant vocati, ademerunt, & inter ſe partiti ſunt: vnde dominium de Neth in ſortem Granuillani ceßit, qui ad vſum & ſuſtentationem monaſterii prædicti omnes terras ſuas de Neth aßignauit, vt in Hiſtoria Cambriæ manifeſtum eſt.*

2 *De hoc Rotherico Phalcuſio multa commemorantur, eaque valde feſtiua & lepida. Obtinuerat enim diſpenſationem quandam ab Epiſcopo Meneuenſi, videlicet vt miſſam vnam quotidie faceret, & præcipuus defunctorum Capellanus haberetur: quo nomine multa miracula vel* [illegible] *potius operatus eſt. Nam tituli ſui prærogatiua in omnibus funeralibus obſequiis, poſt rectorem loci, primus ſemper miſſificabat: & ſingulis diebus duas miſſas celebrabat. Qua in re cum de exceſſu coram Epiſcopo conueniretur, factum iuſtificabat: affirmans ſe presbyterii ſui ratione miſſam vnam quotidie facere poſſe, & altam ratione facultatis ſibi ab Epiſcopo conceſſæ. Hic cum in magna & diuite quadam parochia ſolenni feſto eſſet miſſificaturus: accepit ſecum circumforaneum quendam circulatorem, vt ſibi vſui foret, qui in ipſo miſſæ ſuæ (vt vocant) offertorio, cum parochiani ſuas illi oblationes deferrent, de pecuniæ mutatione rixam excitauit, ex qua acris orta eſt contentio, atque à verbis ad verbera deuentum, ita vt tota turbaretur multitudo. Hæc dum geruntur, aliis pugnantibus, aliis vociferantibus, aliis deniq; ſuos paruulos & vxores protegentibus, Dominus Rothericus veſtibus ſacris (vt erat) indutus, ſe clam vna cum calice ſubduxit ex Eccleſia, & aufugit. Poſtea vero infra paucos dies, ad centum & viginti ex parochianis, ob ſacrorum perturbationem, qua ſe de vita periclitatum affirmabat, apud Epiſcopum grauiter accuſauit, eoſq; in ius vocauit, grauiſſima quæq; ſcelera illis obiiciens, & modis omnibus, quibus poterat, eis moleſtias exhibens, donec illi pacem ſibi redimentes, de calice & veſtibus actionem penitus relaxaſſent.*

3 *Hæc fabula mihi quidem videtur eſſe compoſita ad imitationem relationis Eris Armenii apud Platonem in libris de Republica: aut deſumpta ex Tigado horto Aloadini Principis de Muletæ, quem M. Paulus Venetus libro primo, capite vigeſimo octauo, Senem de montanis appellat: de quo ſcribit Haithonus lib. de Tartaris, capite vigeſimo quarto, & Cal. Auguſtinus Curio Hiſtor. Saracen. libr. 3.*

De Lochor & Wendraeth fluuiis tranſcurſis, de Cydweli quoque, cum N. S.

Cap. IX.

TRansivimvs inde verſus aquam de Lochor per campeſtria, in quibus Hoelus Meredythi filius de Brecheinoc, poſt obitum Regis Henrici I. Anglos de finibus illis & milites multos publico bello confectos interemit. Fluuio vero *Lochor* tranſuadato, & aquis poſtea, quæ *Wendraeth* dicuntur, tranſmeatis, ad caſtrum de *Cydweli* via duce peruenimus. In partibus iſtis Anglorum Rege Henrico rebus humanis exempto, dum Gruffious Reſi filius Soudwalliæ tunc Princeps, in Nordwalliam auxilium corrogaturus iuiſſet: vxor eius Guenliana (tanquam Amazonum regina, & Penthe-ſilea ſecunda) in partes illas exercitum ducens, à Mauricio Londonienſi terræ domino, & viro egregio Gaufrido Præſulis cōſtabulario, bellico in certamine confecta (interempto ibidem filio eiuſdē Morgano, & altero capto ſcil. Malgone, quos pueros ſecum in expeditionem arrogāter adduxerat) cum aliis multis, ipſa demum ferro confoſſa caput amiſit. ' Tempore vero Anglorum regis Henrici I. tranquillum pacis ſtatum Wallia ſortita, cum prædictus ille Mauritius ſiluam in partibus illis haberet ferarum multitudine ceruorumque præcipue valde copioſam, nimiæque parcitatis in ferina fuiſſet: quoniam, vt moris eſt, ſemper in viri fallacia eſt vxor aſtuta, miro mulier eſt vſa commento. Habebat enim vir ille à latere ſyluæ verſus mare paſcua magna & ouium in paſcuis copiam multam. Mulier itaque paſtores omnes & maiores domus figmenti ſui complices habens, & fautores ſimplicis vtendo commoditate viri, in hæc verba ad maritum acceſſit (erat enim ſimplicis naturæ ſimul & tena-

Vxoris Lauta aſtutia in marito decipiendo.

» cis) Mirum, inquit, quod beſtiarum dominator beſtiis dominari iam deſiiſti, &
» ceruis non vtendo, ceruis iam non imperas, ſed ſeruis: & ecce quantus abuſus ex
» nimia ſurgit patientia: inaudita namque rabie, & inſueta votacitate adeo in o-
» ues noſtras deſæuiunt, vt ex multis paucæ, ex fere innumeris, iam reddantur numeroſæ. Vt autem probabiliorem redderet aſſertionem, euiſceratis ceruis duobus inter ipſa inteſtina lanam interſeri procurauit. Sic itaque vir muliebri deceptus aſtutia canum rapacitati ceruos expoſuit.

Annotationes in Caput IX.

GRuffinus ' Reſi Demetiæ Principis filius, mortuo Henrico primo Anglorum rege, ortiſq; inimicitiis inter Stephanum Bononienſem comitem, qui regni poſſeſſionē obtinuerat; & Matildē Henrici filiā & heredē vnicā: ratus iam ſibi libertatis & paternæ hereditatis recuperandæ occaſionem eſſe oblatam, quorundam Normannorū poſſeſſiones inuaſit. Verū enim ſe viribus imparem ad reſiſtendum cerneret: ſe ad ſocerū ſuum Gruffinū Conani filium Venedotiæ principem contulit, auxiliares copias ab eo petiturus. Interim dum is abeſt, eius vxor virilem animum induens, & quaſcunq; potuit copias colligens, cum hoc Mauricio Londineo bello congredi auſa eſt: infelici tamen euentu, vt Girald. hic refert. De cuius morte cum Gruffinus pater eius certior factus eſſet, Oenum & Cadualadrum filios ſuos cum copioſo exercitu, ad vindicandam filiæ necem, cum hoc mandato miſit: videlicet, ne cuiquam Anglo aut Normanno parcerent, neq; vllā cum eis omnino pacē inirent, niſi regionē penitus relinquere atq; deſerere velint. Præterea ad expellendos ex Cambria Normannos & Anglos, Hoelus filius Meredythi de Brechinia, & Madocus filius Edneri cū prædictis principibus ſuas vires coniungunt, atq; ferro & flamma eas regionis partes, quæ ab hoſtibus tenebantur, ad internecionem deuaſtant & perdunt, vete reſq; incolas in ſuis ſedibus collocant, vt in hiſtoria Cambriæ videre licet.

De fluuio Tywyenſi nauigio tranſcurſo. De Caermardin quoque & Albelande monaſterio cum N. S.

Cap. X.

TRansevntes inde nauigio flumen *Tywyenſe*, & verſus *Caermardyn* iter arripiētes *Lanſtephan* & *Talachar* marinis in ſcopulis à læua reliquimus. Erant autem hæc duo caſtra, quæ Reſus filius Gruffini poſt obitum Anglorum regis Henrici II. deſperatione cuſtodum citra inſultum occupauit; deinde prouinciis de *Penbroch* & *Ros* cædibus, incendiis & prædationibus, fere exterminio datis, fruſtrato conamine *Caermardyn* obſedit. Sonat autem Caermardyn vrbs Merlini, eo quod iuxta Britannicam hiſtoriam ibi ex incubo genitus, inuentus fuerat Merlinus.

Caermardyn.

, Eſt igitur hæc vrbs antiqua coctilibus muris partim adhuc extantibus egregie clauſa ſuper nobilem *Tywy* fluuium ſita, ſiluis & pratis abundans: habet autem *Cantref*

Mawr,

Mawr, id eſt Cantredum magnum ab oriente, copioſa ſiluarum condenſitate auſtralis Cambriæ ciuibus tutiſſimum in neceſſitate refugium, vbi & caſtrum *Dineuor* in collis excelſi vertice ſuper fluuium *Tywy* ſitum: quod & principalis Sudwalliæ curia dicitur. Fuerant enim antiquitus tres principales in Wallia curiæ: *Dineuor* in Sudwallia: *Aberfrau* in Nordwallia ſcilicet apud *Monam*. In Powiſia apud *Pongwern*, quod & nunc Slopesburia dicitur. Sonat autem *Pengwarn* caput alneti.[2] In his autem de *Cantref mawr* finibus Commoto videlicet de Caos, illud ad animam reuocans, *dolus an virtus quis in hoſte requirat*: Et illud, *& ſi non recte poſſis quocunque modo rem*: quam enormiter in ſubditos hoc noſtro tempore curia vindictam exercuerit noſter explicare ſtilus abhorruit.[3] Iuxta *Dineuor* trans flumen ſc. Tywy in *Cantref bachan*, id eſt, Cantredo breui, fons eſt qui die naturali bis vndis deficiens, & toties exuberans, marinas imitari ſolet inſtabilitates.[4] Non procul à *Caermardyn* ex parte boreali ſcilicet apud *Peucadair*, id eſt, cathedræ caput, Reſo Gruffini filio noſtris diebus ad deditionem doloſe magis quam viriliter compulſo & in Angliam ducto: Rex Anglorum Henricus ſecundus de Armorica oriundum Britannia militem quendam de cuius prudentia ſimul & fidelitate confidebat, ſub decani de *Cantref mawr* conductu cui nomen Guaidanus caſtrum *Dineuor* locique ſitum & patriæ munitionem exploraturum tranſmiſit. Presbyter autem monitus vt per viam meliorem ad caſtrum & faciliorem militi præberet iter, per magis difficiles & inacceſſibiles aditus ipſum de induſtria circumduxit. Et vbicunque per ſaltus herboſos tranſitum faciebant, cum intuentium admiratione presbyter herba paſcebatur: aſſerens accolas & indigenas herbis & radicibus (ingruente inedia) viuere & veſci ſolere. Ad regem itaque milite reuerſo, cunctiſque relatis quæ vel digna relatu viderat vel audierat: terram ſc. inhabitabilem, terram iniquam & inacceſſibilem, nullique genti niſi beſtiali & beſtiarum more viuenti victui neceſſariam. Demum fidei ſacramentique nodis, nec non & obſidum vinculis aſtrictum Reſum rex ad ſua remiſit.

Hiſt. Cam. 222.

Ony bydhi gryf. bydh gyfrvvys.

Progreſſis inde nobis verſus Ciſtercienſe monaſterium quod *Alba domus* dicitur:[5] adſunt quidam nuntiantes Archiepiſcopo iuuenem quendam Cambrenſem ei deuote occurrentem, obiter ab hoſtibus interemptum. Ad quem non procul à via diuertens, corpuſque cruentum eleemoſynarii ſui operiri pallio iubens, iugulati iuuenis animam pia ſupplicatione commendauit. Igitur in craſtino, ſagittariis duodecim de ſancti Clari caſtello ſatis propinquo, qui iuuenem prædictum iugulauerant, apud *Albam domum* in pœnam criminis cruce ſignatis, tribuſque fluuiis, primo *Taf*, deinde *Cledheu* ſub *Lanwadein*, alteroque ſub *Hauerfordia* tranſmeatis, demum *Hauerfordiam* peruenimus. Sortita eſt autem inde prouincia nomen, inter duos hos fluuios ſita, *Daugledheu*: eo quod duobus his fluuiis quaſi duobus gladiis cingatur & terminetur. *Cledheu* namque Britannice gladius latine.

ANNOTATIONES IN Caput X.

TAMETSI *hæc opinio de nomine Mariduni à Merdhino deducto, magnos atque celebres authores habeat: ego tamen (doctorum pace dixerim) eius ſententiæ ſum, vt exiſtimem eam nominis deriuationem, cum inſigni errore eſſe coniunctam. Nam apud Ptolomæum, qui longe ante natum Merlinum, ſtante adhuc & integro Britannorum regno (tempore nimirum Marci imperatoris, vt teſtatur Suidas) ſcripſit, manifeſtum eſt, hanc vrbem tunc Maridnum fuiſſe appellatam. Cuius verba Geograph. lib 2. ſunt hæc: Rurſus poſt prædictos populos vltimi verſus occaſum ſunt Demetæ, quorum ciuitates Louentium & Maridunum. Antoninus etiam vel Antonius Auguſtus, cuius itinerarium circumfertur, qui Merlinum tempore præceſſit, huius vrbis mentionem facit: vbi Muridunum pro Maridũno legitur: niſi forte à muro egregio quo oppidum illud legionarii milites Rom. qui ibidem hyemare ſolebant, vndequaque muniebant, deductum eſſe nomen putemus: quod à Britannico quidem idiomate non eſt alienum: nam* Mûr *&* Murdhyn *Britannice, murum deſignant. Si tempore Merlini nomen acceperit, cedant nobis eius opinionis aſſertores, nomen eius antiquum. De Merlino poſtea (Deo volente) lib. 2. cap. 8. annot 2. dicemus.*

2 *De tribus Cãbriæ curiis Principalib. vide deſcriptionis Cãbriæ, c. 2. & quæ ibidem annotata ſunt.*

3 *Quæ ſit illa vindicta quam tantopere Giraldus hoc in loco explicare veretur, haud facile eſt affirmare: coniectura tamen mihi videor aſſequi quid ſentiat. Cum Oenus Venedotiæ & Reſus Demetiæ principes, Henrico Anglorum regi eius nominis ſecundo, mutuo fœdere, datis etiã obſidibus eſſent deuincti: quorundã Normanorum ita exarſit cupiditas, vt in Cambrorũ poſſeſſiones violẽter irruerẽt, vt Rogerus Clarẽſis comes & Walterus Cliffordius. De quorũ exceſſu & violẽtia Reſus apud Hen. regem*

ſapius queſtus eſt, nec remedium vllum habere potuit: quia rex Normannis inique fauens, & ad eorum ferociam & iniurias conniuens, nullam harum accuſationum admittere voluit. Quamobrem Reſus & alii proceres, cum viderent in ſe leuiſſimis de cauſis crudelius animaduerti: & grauiſſima aduerſariorum ſuorum ſcelera ſine reprehenſione vlla prætermitti: ad ſui defenſionem & propulſandam inimicorum iniuriam arma capiunt. Hæc cum ad Anglum eſſent delata, ingentem exercitum confecit, & aduerſus Cambros rebelles in Beruini montana duxit, apud Oſwaldiam Cambriæ fines ſubintrans, non procul à Coruena, vbi Cambrorum copiæ præſto aderant in valle Deuana. Henricus montana occupans, in vallem deſcendere ſine grauiſſimo ſui & ſuorum periculo non poterat. Nam Cambri locorum & itinerum gnari, viarum anguſtias obſeruantes: omnes fere qui neceſſariorum parandorum cauſa ab exercitu diſceſſerant intercipiebant, ita vt regem omni commeatu intercluderent, nec tamen vnquam montem aſcendere volebant. Vnde Henricus loci iniquitate coactus, atque magnis & aſſiduis imbribus immoderatiſque tempeſtatibus afflictus, hyeme etiam inſtante, cum magnam theſauri ſui ſummam profudiſſet & quam plurimos ex ſuis militibus cum aeris inclementia tum inimicorum inſidiis amiſiſſet: ſentiens ſe nihil profuturum, caſtra ſoluit; & domum reuerſus, obſides Cambrorum quos longe antea acceperat, exoculauit, videlicet Reſum & Caduallonum filios Oeni, atque Cynuricum & Meredythum filios Reſi. Sic miſelli iuuenes, eo quod Anglus patres eorum debellare nequiuerat, oculos amiſerunt. Atque hæc mihi videtur eſſe illa enormis vindicta de qua hic loquitur Giraldus. Vide infra lib. 2. cap. 10 & 12.

4 *In* Tegenia, *quaſi ſex millibus paſſuum à mari, eſt alius huiuſmodi fons ab incolis vocatus* Fynon Leinw, *qui bis in die fluit & refluit. Hoc tamen (inquit H. Lhuyd) nuper obſeruaui, Luna ab horizonte orientali ad meridianum aſcendente, quo tempore omnia fluunt maria, fontis aquam diminui refluxiumque pati. Vide infra lib. 2. cap. 10 & in Annotat. ibidem.*

5 *Hic eſt locus ille antiquus, promulgatione legum Hoeli Boni Cambriæ olim regis valde celebris: vbi Princeps ille conuocatis 140. Prælatis & nobilibus, veteres Cambriæ leges reformauit, nouaſque ex vſu Reipub. conſtituit: quibus Cambri vſi ſunt vſque ad mortem Leolini tertii Cambriæ Principis.*

6 Hauerfordia *poſt aduentum Flandrenſium in illam regionem, illud nomen conſequuta eſt: cum antea (vt ſcribit Lelandus)* Dugladia, *Britannice vero* Aberdaugledhieu; *id eſt, Oſtium duorum gladiorum, diceretur; hodie vero* Hulphord. *Sunt qui exiſtimant illam vrbem, quæ apud Antoninum* Vindogladia *dicitur, in hac regione fuiſſe, & ab his duobus Gladiis nomen eſſe ſortitam.*

De Hauerfordia & Rot, cum Notabilibus ſuis.

Cap. II.

APVD *Hauerfordiam* itaque primo ab Archipræſule ſermone facto: deinde, ab Archidiacono Menceuenſi, cuius nomen præſentis opuſculi titulus tenet, verbo domini gratioſe prolato turbæ, allecta eſt multitudo tam militaris quam plebea. Vbi pro mirando & quaſi pro miraculo ducebatur à multis, quod ad verbum domini ab Archidiacono prolatum, cum tamen lingua Latina & Gallica loqueretur, non minus illi qui neutram nouerunt linguam, quam alii, ad lachrimarum affluentiam moti fuerunt, atque etiam ad Crucis ſignaculum catervatim accurrerunt.

Accidit autem aniculam partium iſtarum quæ per triennium antea cæca fuerat audito Archipræſulis aduentu, filium ſuum adoleſcentem vt vel de fimbria veſtimenti eiuſdem aliquã particulam ei referret, ad locum prædicationis deſtinaſſe. Qui cum ad Archiepiſcopum ob turbam conſertam accedere non potuiſſet glebam quam ſub pedibus prædicantis turba dilapſa ſignauerat, ſecum matri reportauit, ipſa vero munus oblatum cum gaudio magno ſuſcipiens, & in orationum inſtantiam genua ponens, ori & oculis ceſpitem appoſuit: & ſtatim luminis læticiam quam penitus amiſerat, tam viri ſancti meritis quam fide propria & deuotione recuperauit. Erat autem gens hæc originem à Flandria ducens, ab Anglorum rege Henrico primo ad hos fines inhabitandum tranſmiſſa: Gens fortis & robuſta, continuoque belli conflictu Gens Cambrenſibus inimiciſſima: Gens (inquam) lanificiis, Gens mercimoniis vſitatiſſima? Quocunque labore ſine periculo terra marique lucrum quærere, Gens perualida: viciſſim loco & tempore nunc ad aratrum, nunc ad arma, Gens promptiſſima. Gens vtique fœlix & fortis ſi vel Regibus vt deceret Cambria cordi fuiſſet, vel præſtitutis ſaltem & præfectis iniuriarum dedecus animo vindice diſplicuiſſet [1].

Miraculum.

Flandri Roſſenſes.

Contigit autem prædicto in caſtro noſtris diebus res nequaquam prætereunda. In eiuſdem caſtri turre tenebatur in vinculis latro famoſus: ad quem pueri tres, filius ſc. comitis Clarenſis ibi nutritum commiſſus, aliique duo, quorum alter herilis filius, alter eiuſdem, ex filia nepos, propter miſſilia lignea quæ eis arcu mittenda ferro formare conſueuerat, frequenter conueniebant. Quondam autem puerorum precibus ad au-

Latro aſtutus.

adauras ab imo nequam extractus, captata carcerarii abſentia ocius oſtia claudens tam ipſum excluſit, quam pueros quoque ſecum incluſit. Quo perpetrato ſtatim clamor factus eſt magnus, tam intus puerorum quam exterius populorum, nec ceſſauit ille eleuata ſecuri mortem pueris acriter interminare, donec ei tam indemnitatis quam vitæ ſecuritas ſub cautione certiſſima fuerat indulta. In Francorum quoque regno apud caſtellum Radulphi caſus accidit haud diſſimilis. Dominator enim loci illius quem olim exoculauerat, in caſtro quendam alebat, qui cum ex diutina frequentia vias caſtri cunctas turriumque gradus aſcenſus, cordis oculo iam tenuiſſet: ſemel ira vindice opportunitate captata, puerum quendam caſtellani filium quem vnicum habebat & hæredem, ad ſumma turris propugnacula ſecum adduxit. Stans igitur in alto & clauſis intus oſtiis ruinam puero parans, ad clamorem magnum & mærorem vniuerſos prouocauit. Procedens itaque pueri pater, & non mediocri dolore concuſſus, cum filii redimere ſoſpitatem modis omnibus attemptaſſet: reſponſum accepit, niſi per partium inferiorum mutilationem, quam & ſibi intulerat, hoc nullatenus fieri poſſe. Ipſe vero multis antea fruſtra allegatis: demum hoc conceſſo quaſi præciſis illis cum lugubri circumſtantium clamore ictum in trunco fieri fecit. Cæcus autem grauiores anguſtias vbi ſentiret cum requiſiſſet, & reſponſum audiret quoniam in renibus: falſum eſſe proclamans, puerum iterum pręcipitare parauit. Ictum itaque denuo dato, & anguſtias ſibi in corde maiores eſſe reſponſo, dominum arguens falſitatis, puerum ad pręcipitium exportauit. Tertio vero genitum vt redimat genitor, inſtrumenta gignendi vere pręſcidit: Et cum in dentibus ſe ſentire dolorem proclamaſſet: Verum inquit ille, qui experto credendum, & iniurias vltus ex parte, mortem mitius aggrediar: & tu de cætero nec alium gignes, nec iſto gaudebis: eoque dicto exiliens ab alto, ſecum puero præcipitem dedit. Et ſtatim in ima corruens, membris minutim confractis expirauit vterq;. Miles autem pro anima pueri monaſterium quod adhuc extat, & *De doloribus* dicitur ibidem conſtruxit.

Hoc autem mihi notabile videtur, quod ad pręducti loci caſtellanum Richardum ſc. Tangardi filium, cum tamen fratres habuerit plurimos & probos, & omnium iunior extiterat, pręmortuis aliis vniuerſa eſt hæreditas deuoluta. Similiter & ad Reſum Gruffini filium ſublatis de medio multis antea fratribus probis & pulcherrimis, auſtralis Cambriæ dominium eſt deuolutum. Contigit autem pręducto Richardo pueriles annos agente, virum ſanctum cui nomen Caradocus, apud ſanctum Hiſmael in Roſenſi prouincia Eremiticam & ſanctiſſimam vitam ducere, ad quem puer tam à patre ſæpius quam à matre tranſmiſſus cibariorum xenia quia frequenter ferre conſueuerat, tantam in oculis viri boni gratiam obtinuit, vt ei ſæpiſſime cum ſua benedictione fratrum omnium fœlicitatem & paternam hæreditatẽ compromitteret. Accidit autem aliquando, pręductũ Richardum ob pluuiã inundantem ad domum Eremiticam diuertiſſe. Et cum canes quos ſecum ad venatũ adduxerat nec vocatione, nec adulatione, nec etiã oblatione, ad ſe introducere poſſet: ſubridens vir ſanctus, & ipſos, manu leniter annuens, ſtatim ad ſe venientes cunctos ſuſcepit. Proceſſu vero temporis cum diem Caradocus iam clauſiſſet extremum, & vitæ labentis curſum fine fœlici conſummaſſet, corpus ſuum quod libero poſtremæ voluntatis ſtilo Meneuenſi eccleſiæ delegauerat: Richardi pater Tankardus violenta pręſumptione detinuit: ſed ſtatim ægritudine graui correptus, mandatũ ocius reuocauit. Cum itaq; ſemel & iterum hoc ei contigiſſet, tertio tam morbo laxato quam mandato, cũ corpus verſus *Meneuiam* per ſabulũ de *Niwegal* deferretur, & exuberantem in pluuiam nube reſoluta totoq; comitatu pluuia perfuſo, ſacræ vecturæ duces à latebris exeuntes, pallam ſericam, qua ferretrum opertum fuerat, ab omni imbrium madore indemnem reperiunt & immunem. Et ſic Meneuiam corpus allatum crebra miraculorum tam pręſentium quam ſequentium quoque corruſcatione, in eccleſiam Sancti Andreæ, Sanctiq; Dauid ala ſiniſtra iuxta altare Sancti protomartyris Stephani, debita eſt celebritate tumulatum. Hoc autem mihi videtur hac de gente notandum quod in armis arietum dextris carne nudatis, & non aſſis ſed elixis, tam futura proſpiciunt quam præterita & ante incognita longe reſpiciunt: tempore quoque præſentia, ſed loco abſentia, quaſi prophetico quodam ſpiritu arte miranda cognoſcunt: pacis & guerræ ſigna, cædes & incendia, domeſtica adulteria, regis ſtatum, vitam & obitum, rimularum quarundam & notularum indiciis certiſſime declarant. *Flandrorum Roſſenſium diuinandi peritia in armis arietum.* Vnde & noſtris temporibus contigit virum quendam partium iſtarum non ignobilem, & in arte prædicta præ aliis inſtructum (cui nomen Gulielmus Mangunel) vxorem habere de proprio viri nepote prægnan-

pręgnantem. Cuius euentus vir non ignarus, arietem de ouili proprio ſumptum, ex parte cuiuſdam vicini ſui coram vxore, ſibi pręſentari procurauit: quo ſtatim ad coquinam tranſmiſſo, cum eodem die in prandio ſediſſent, armum arietis debito more decoctum & purgatum ad inſpiciendum vir mulieri quam in hoc peritam nouerat ex induſtria porrexit. Quem cum pauliſper intuita fuiſſet, rimulas notans & ſigna ſecreta, & oraculum in menſa ſubridendo proiecit. Ille vero cuncta diſſimulans, cum riſus cauſam reique notitiam tanto vehementius efflagitaſſet, illa demum tanquam importuna viri mota inſtantia reſpondit: Vir de cuius ouili aries hic fuerat, vxorem habet adulteram & proprii nepotis incæſtu iam grauidam effectam. Ad hæc autem vir ſubtriſtis vultuque demiſſo. Verum, inquit, oraculum profers, & nimia veritate ſubnixum, vnde & tanto mihi dolendum fortius quanto in propriam iniuriam publicata redundat ignominia. At illa tantam ſui comperto crimine confuſionem diſſimulare non pręualens, interiorem animi paſſionem ſignis exterioribus, vrgente viciſſim tam pudore quam anguſtia, nunc rubore vultus, nunc pallore, demum vero lachrimis more muliebri eſt proteſtata. Præterea oblatus eſt cuidam armus caprei quaſi pro ouino quia ſimillima ſunt oſſa purgata, qui notatis rimulis parumper & ſignis cum admiratione ſubiecit: Infœlix pecus quæ nunquam nouit multiplicari, infœlix & pecudis dominus, qui nunquam vltra tres vel quatuor in vno grege habere pręualuit. Deſtructionem quoque patriæ poſt obitum Regis Henrici primi, per annum ante vel dimidium, multi in humeris pręuiderunt, qui venditis vniuerſis quę poſſidebant, tam mobilibus quam immobilibus indempnes per induſtriam patria relicta imminens excidium euaſerunt.

Contigit etiam in Flandriæ finibus vnde Gens iſta deſcenderat, viro quodam vicino ſuo os huiuſmodi ad inſpiciendum ttanſmittēte, quod portitor foſſam obiter tranſiliendo fiſſa nate crepitum dedit, quem ſtatim viri naribus, cuius cauſa vexabatur verbis & votis adoptauit. Ille vero cui portabatur armo inſpecto, illico ſubiecit: Sed tu frater id quod mihi adoptaueras in naribus habeas. Accidit autem quod & notabile cenſui quendam noſtris diebus, oſſis inſpectorem non ſolum furtum furtique tenorem, furem ipſum, furandique modum & circumſtantias omnes inſpiciendo notaſſe: verum & campanæ pulſum & tubæ ſonitum ac ſi præſentialiter adhuc agerentur quæ iam pręterita fuerant, audiſſe. Mirum itaque quod ſicut coniurationes illicitæ imaginaria quadam ſimilitudine oculis acta, ſic & auribus repręſentant accidentia.

ANNOTATIONES IN Caput II.

FLANDRIA, *olim Menapiſcus pagus, de quo in legibus Caroli Magni frequens fit mentio, (& poſtea Rutheia, vt Diuæus & Canalis teſtantur) ſic dicta ſiue à Flandra Luderici vxore, ſiue à Flandeberto Clodii regis nepote, ſiue ab æſtu ventiſque maris, ſiue à Germanica voce Flandren, quæ ſagittam ſignificabat; regio eſt inferioris Germaniæ, ad mare Britannicum & Oceanum ſeptentrionalem ſita, ſoli fertilitate & omnium rerum copia florentiſſima: ſed æſtuantis maris inundationibus maxime ſubiecta. Vnde maritimi tractus incolæ ſæpenumero, cum eorum regio violenta aquarum irruptione eſſet ſubmerſa, aliis in locis ſedes ſibi coacti ſunt quærere. Cum Gulielmus Normaniæ dux, qui Angliam ſibi ſubiugauit, aduerſus Heraldum Goduini filium qui in regni poſſeſſionem irruerat, exercitum pararet, Balduini Flandriæ Comitis ſoceri ſui opem implorauit. Flandrus genero ſuo cum magna copia præſto adfuit, hac tamen conditione, vt ipſe omneſque poſt eum Angliæ reges in perpetuum trecentas marchas argenti in annos ſingulos Flandriæ Comitibus penderet. Illo tempore infinita multitudo, cum infimæ ſortis hominum, tum etiam eorum qui maris excurſu & inundatione à ſedibus pellebantur, in Angliam cum Flandro commigrarunt: quos etſi Anglus (pacificam regni poſſeſſionem nactus) Matilde regina intercedente, in ſuam clientelam protectionemque ſuſcepit, eos tamen terrarum poſſeſſionibus non ditauit. Hi non ita multo poſt, per vniuerſum regnum diſperſi, toti Angliæ moleſti eſſe cœperunt. Quamobrem poſtea ob denegatam prædictarum 300. marcharum ſolutionem, orta eſt ſimultas inter Robertum Hieroſolymitanum Flandriæ Comitem & Henricum Angliæ regem. Vnde Anglus omnes Flandricæ nationis regni ſui incolas è ſuis ditionibus expellere decreuit. Verum quia matris ſuæ interceſſione primo fuerant recepti, atque etiam vt eorum opera Cambrenſes ſibi ſubiugaret: Roſſiam Demetiæ prouinciam, illis conceſſit ad habitandum: ſic (inquit Caſtoreus) Angliam defæcauit, & arctauit Walliam. Hi multis bellis à Cambriæ Principibus laceſſiti, ſe ſuaque fortiſſime tutati ſunt, & in hunc diem (teſte H. Lhuyd) & lingua & moribus à Cambris diuerſi, ibidem pro Flandris agnoſcuntur.*

De

De Penbrochia cum N. S.

CAP. XII.

ADIACET autem territorio Roſſenſi meridionali maritimoque ex latere, interlabente brachio marino, Prouincia Penbrochienſis, cuius principale municipium totiuſque prouinciæ Demeticę caput, in ſaxoſa quadam & oblonga rupis eminentia ſitum lingua marina de Miluerdico portu proſiliens in capite biſurco complectitur. Vnde & *Penbrochia* caput maritimæ ſonat. Primus hoc caſtrum Arnulphus de Montgomery ſub Anglorum rege Henrico primo, ex virgis & ceſpite tenui, ſatis exile conſtruxit. Quod poſtmodum in Angliam reuertens viro probo prudentique Giraldo de Windeſora conſtabulatio ſuo primipiloque cum paucis cuſtodiendum expoſuit. Nec mora totius auſtralis Cambriæ Wallenſes Principe ipſorum viro bellicoſo Reſo ſcilicet Theodori filio paulo ante dolo ſuorum apud Brecheinoc interempto, & Gruffino filio ſuo puero relicto, caſtrum obſidione cinxerunt. Contigit nocte quadam cum milites quindecim caſtri deſertores ex deſperatione ſcapham intrantes nauigio fugam attemptaſſent, in craſtino mane Giraldus eorum armigeris arma dominorum cum feodis dedit, ipſoſque ſtatim militari cingulo decorauit. Inualeſcente vero & grauius incumbente per moram temporis obſidionis incommodo, cum ad vltimam fere inediam iam in caſtro perducti fuiſſent, Giraldus ex ſumma prudentia ſpem ſimulans & ſolatia ſpondens, quatuor qui adhuc ſupererant bacones à propugnaculis fruſtatim ad hoſtes proiici fecit. Die vero ſequenti ad figmenta recurrens exquiſitiora, literas ſigillo ſuo ſignatas coram hoſpitio Meneuenſis epiſcopi cui nomen Wilfredus qui forte tunc aderat, tanquam caſu à portitore dilapſas inueniri procurauit. Erat autem literarum continentia quod infra menſes quatuor Comitem Arnulphum ſuper caſtri ſubuentione ſollicitari non oporteat. Quo per exercitum literis lectis audito, ſtatim obſidione diſperſa ad propria ſinguli ſunt reuerſi. Nec mora Giraldus ille vt altiores in finibus illis ſibi ſuiſque radices figeret, Gruffini Principis Sudwalliæ ſororem cui nomen Neſta, ſibi lege maritali copulauit; de qua proceſſu temporis egregiam vtriuſque ſexus prolem ſuſcepit, per quam & Anglis Auſtralis Cambriæ maritima retenta, & Hyberniæ mœnia poſtmodum ſunt expugnata, ſicut vaticinalis declarat Hiſtoria.

Giraldus de Windeſora Conſtabularius Penbrochienſis.

Contigit in hoc *Penbrochia* caſtro noſtris temporibus, virũ quendam intra ſepta domus ſuæ muſtelæ catulos in vellere quodam inueniſſe. Quos cum illæſos ex induſtria cum ipſo vellere à loco remouens abſcondiſſet, beſtiola rediens poſt crebros vndique quærendo nec inueniendo diſcurſus, materno tandem mota dolore, ad vaſculum lacte plenum, quo paruulus educabatur filius herilis acceſſit, & ſtatim ſe ſupra vas erigens collectum intra ſe virus euomuit, & lacteum condimento lethali potum infecit; tanquam perditæ prolis anguſtias, prolis amiſſione compenſans: vir autem his obſeruatis omnibus, vellus ad locum reportauit. Et ecce muſtela materna ſollicitudine inter ſpem & metum anxia, falſoſque frequens mentita dolores, depoſitum inuenit, & continuo lætitiam tam geſtu quam voce profeſſa, ad vaſculum præſcriptum celerrime reuerſa eſt, euerſoque ſtatim continente, totum quod continebatur effudit, tanquam recuperatæ prolis ob gratiam, hoſpitem illæſum fore ſtatuens & indemnem. Contigit & alibi cum beſtiola huiuſmodi fœtus teneros ob ſolis & auræ temperiem extra domos in planiciem eduxiſſet, quod miluus inſidians vnum ex catellis aſportauit: & ſtatim illa intra fruticum ſepta cum prole reſidua ſe ſuſcepit, & exquiſitæ vindictæ decipulam matri dolor miniſtrauit. Exiens igitur in tumulo quodam ſe reſupinam dedit, & in ipſo prędonis proſpectu iam reuerſi, ſe quaſi mortuam finxit: & quoniam ſemper ſucceſſus augent auiditatem, ſtatim auis eam auide rapiens ad alta tunc vexit: nec mora, & ecce à vindicis animi beſtia venenoſi dentis ad ima morſu corruit iugulata. Diſtat autem à *Penbrochia* caſtro quaſi milliaribus tribus, caſtellum quod *Maenor Pyrr*, id eſt manſio Pyrri dicitur: qui & inſulam Chaldei habebat quam Cambri *Ynys Pyrr* id eſt inſulam Pyrri vocant. Stat etiam hoc caſtrum turribus & propugnaculis eximium, in collis cuiuſdam capite verſus marinum ab occidente portum extenſi, à circio & borea ſub ipſis muralibus viuarium habens egregium, tã ſui maieſtate quam aquarum profunditate conſpicuũ, pomerium quoq; perpulchrum ab eodem latere: hinc vinario, inde nemore concluſum, tam Saxorum prominentia quam corylorum quoque proceritate præclarum. A dextra vero caſtrenſis promontorii parte, inter caſtrum ſcilicet & eccleſiam, ad ſtagni ampliſſimi ſtatum & molendini ſitum, ſabuloſam vi ventorum conuallem indeficientibus

Maenor Pyrr.

vndis

vndis riuus inſerpit. Ab occidente ſinuoſo quodam in angulo mare Sabrinum iam prope in Hybernicum vergens, cum procul à caſtro diſtante ſubintrat, auſtrali ſcopulo ſi paulo in boream ſe plus protenderet, aptum nauium receptioni portum faciẽre. Naues igitur quaſcumque fere à maiori Britannia in Hyberniam eurus impellit: ab hoc proſpectu tam formidandam ventorum inconſtantiam quam furibundam & cæcam fretorum rabiem videas audacter attemptare. Terra tritico, marinis piſcibus vinoque venali copioſe referta: Et quod omnibus præſtat, ex Hyberniæ confinio aeris ſalubritate temperata. Terrarum igitur omnium Cambriæ totius ſeptem Cantredis conferta, *Demetia* tam pulcherrima eſt quam potentiſſima: *Demetia* vero *Penbrochia*, *Penbrochia* quidem terra præſcripta. Reſtat igitur, vt Cambriæ totius locus ſit hic amœniſſimus. Non itaque mirandum, non venia indignum, ſi natale ſolum Genialeque tettitorium, profuſioribus laudum titulis auctot extulerit. In his autem *Penbrochiæ* partibus noſtris accidit temporibus Spiritus immundos cum hominibus non viſibiliter ſed ſenſibiliter conuerſatos. In domibus namque primo Stephani cuiuſdam Wiriet, & poſtea proceſſu temporis Gulielmi Nor, iactu ſordium & eorum quibus illudere potius quam lædere videntur, ſui præſentiam oſtentabant. In domo Gulielmi, non abſque frequenti tam hoſpitis quam hoſpitum damno, tam lineis quam laneis ſciſſuras in veſtibus atque ſotamina faciebat: à quibus eas incommodis nulla poterat diligentia, nulla penitus ſera tueri. In domo Stephani maiori miraculo cum hominibus ſermocinari conſueuerat, & conuitiantibus ei quod plerique ludicro faciebant, à natiuitatis tempore geſta quæ minus ab aliis vel audiri vel ſciri voluerant palam improperabat. Si cauſam quæris euentus eius & rationem aſſignare non præſumo: niſi quod ſubitæ mutationis vel paupertatis in diuitias vel potius diuitiarum in paupertatem & deſolationem præſagium vt dicitur eſſe ſolebat: ſicut & in his ambobus paulo poſt compertum fuit. Illud autem hic notabile cenſui, quod nec aquæ benedictæ reſperſione, non tantum communis ſed etiam magnæ, nec vllius eccleſiaſtici ſacramenti remedio, ab illuſionibus huiuſmodi loca mundantur. Quinimmo ſacerdotes ipſi cum deuotione intrantes & tam cruce baiula quam aqua benedicta muniti ſtatim inter primos ſordium iactu dehoneſtantur. Ex quibus conſtare videtur, quod à nociuis non innocuis, & læſionibus non illuſionibus tam ſacramentalia quam ſacramenta tuentur. Notandum hic etiam his noſtris diebus in Pictauia energuminam fuiſſe à diabolo poſſeſſam, qui & per os eius loquebatur diſſerens & diſputans acute & artificioſe cum literatis & diſertis. Exprobrabat & interdum hominibus ea quæ ſecretius geſſerant & quæ minus audire voluerant. Cum autem liber euangelicus vel ſanctorum reliquiæ ſuper os obſeſſæ quandoque ponerentur, ad inferiorem gutturis partem fugiebat. Et cum ibi ponerentur in ventrem deſcendebat. Apparebat autem per inflationes quaſdã & commotiones partiũ illatum quas poſſederat: Et cum iterum ponerentur reliquiæ ad partes inferiores in quibus apparebat: ſtatim redibat ad ſuperiores. Cum autem demum attuliſſent corpus Chriſti & laboranti dediſſent, reſpondit dæmon: ſtulti nihil eſt quod agitis, non enim cibus eſt corporis ſed animæ quod ei datis: mihi autem non eſt data poteſtas in animam ſed in corpus. Cum autem hi quibus ſecretiora ſua exprobrauerat, confeſſione ſuper his facta ex pœnitentia ſequuta rediſſent, nihil eis improperabat, ſciui quidem ſciui ſed nunc ignoro (aliis autem quaſi conuitium hoc emittebat) & ego taceo, quod enim ſcio neſcio. Ex quibus apparet quia poſt confeſſionem & pœnitentiam vel omnino hominum peccata dæmones neſciunt vel ad damnum eorum & dedecus ea neſciunt. Quia vt ait Auguſtinus, Si homo tegit, Deus detegit: & ſi homo detegit, Deus tegit.

Aucthoris natale ſolum.

Ziim & Ohim. Eſai. 13.

Nimis impudentes & arrogantes eos dæmones oportet eſſe, qui vnctos ſacerdotes, crucem ſacram & aquam benedictam tanta contumelia afficiunt, vide Annot. lib. 2. c. 8. Annot. 2.

Notandum hic eſt, hoſtiam trãſubſtantiatam maiorem efficaciã habere aduerſus diabolum quam reliquias ſanctorum aut librum euangelicum.

Confeſſio auricularis ſilentium Diabolo imponit.

Nonnullos etiam mouere ſolet, quod fulmina frequenter eccleſias noſtras & templa cadendo deiiciunt: cruces quoque & crucifixi imagines coram oculis cuncta cernentis & hoc permittentis plerunque feriendo diminuunt. Quibus nihil aliud ad præſens niſi illud Ouidii reſpondere dignum duxi,

Summa petit liuor, perflant altiſſima venti,
Summa petunt dextra fulmina miſſa Iouis:

Sicut & Petrus Abaelardus egregie ſuo in tempore, in præſentia Philippi Francorum regis, cuidam Iudæo reſpondiſſe memoratur, hæc & ſimilia in opprobrium fidei obiicienti: Verum, inquit, quia fulmina ab alto deſcendentia domicilio, ad ea quæ in terris ſublimiora reperiunt ſuaque naturæ ſimiliora ſe frequentius applicant. Ideoque in ſynagogas veſtras nunquam fulmina cadunt, quia nec in cloacas vnquam ea cecidiſſe vel vidit quiſpiam, vel audiuit. Vnde & hic notabile cenſui quod cum in Francia

noſtris diebus inrer monachos Ciſtercienſis ordinis & militem quendam ſuper metis agrorum & terrarum ſuarum terminis contentio ſæpe fuiſſet, & acciderit aliquando vi tẽpeſtatis ingruentis culturã monachorum damno eorundem nõ modico, noꝺe quadam funditus deſtructam & demolitam fuiſſe: cultura militis ei contermina & quaſi continua indemni penitus & illæſa manente, miles ea occaſione in monachos inſolenter inuectus, monachorum iniuriam in agri illius poſſeſſione diuinitus declaratam publice proclamauit. Abbas autem hoc audito ſatis facete reſpondit: nequaquam ita eſſe, ſed habuiſſe militem amicos plures in illo equitatu quam monaſterium, monachos è contra hoſtes ibidem plures & inimicos, verius eſſe demonſtrauit.

At non eorum voluntate ſed diuino mandato res acta eſt.

In hac eadem prouincia de Penbroch tertio in loco, domo videlicet Elidori de Stakepole circa eadem fere tempora: non ſolum ſenſibiliter, ſed & viſibiliter ſub ruffi iuuenis ſpecie qui & Simonem ſe vocabat, quidam apparuit. Hic primo claues à clauigero præripiens, ſe ad ſeneſchaliam domus regendam impudenter ingeſſit. Eam tamen tam prouide, vt videbatur, tamque prudenter adminiſtrabat, vt omnia ſub eius manibus abundare, nulluſque defectus in domo fieri poſſe videretur. Quicquid autem herus & hera ad quotidianos vſus vel eſus aut premeditati fuerant aut ſecreto proloquuti, id ipſe non præmonitus, non inuitatus mirabili explebat agilitate dicens, id fieri vultis, hoc vobis fiet. Theſauros autem ipſorum & ſecretas repoſitiones ſciebat, eiſque aliquoties exprobrabat. Nam quoties auare aliquid aut parce nimis agi volebant, dicebat: vt quid aceruum illum auri vel argenti tangere timetis & expendere, breuiſſimi nempe dies veſtri ſunt: pecuniaque quam tantopere congeritis nunquam vobis erit ad vſus aliquos prouentura. Ruſticis autem miniſtriſque domus mercenariis precioſiora libentius cibaria atque pocula miniſtrabat, dicens: ea illis præcipue cum abundantia largiri debere quorum erant laborioſis opetibus adquiſita.

Simon.

Bonus & diligens œconomus.

Quicquid autem agi ſtatuerat, quanquã id domino vel dominæ diſpliceret quoniam ſecreta eorum, vt diximus omnia nouerat, & quoniam cuncta fere tam expedite, tamque mature gerebat, ſine omni conditione complebat. Eccleſiam autem nunquam adibat, nec verbum aliquod catholicum vnquam pronunciabat. In domo nocte non iacebat, ſed mane quotidie ad obſequia promptus aſtabat. Obſeruatus tandem à familia domus cum forte fuiſſet, circa molendinum & aquæ ſtagnum nocturna eiuſdem inuenta eſt conuerſatio. Quo comperto ſtatim in craſtino coram domino domus conſtitutus & domina claues quas quadraginta diebus vel amplius geſtauerat, eis (licentiam accipiendo) porrexit. Interrogatus autem in diſceſſu & obteſtatus quis nam eſſet, reſpondit, ſe in vxore ruſtici cuiuſdam de parœchia eadem, ſub ſpecie mariti ab incubo ſpiritu fuiſſe progenitum, nominans virum ac vitricum ſuum iam defunctum & matrem ſuam adhuc ſuperſtitem. Cuius inquiſita diligentius rei certitudine, ſic in veritate fuiſſe palam mulier eſt profeſſa. Similis huius in Dacia noſtris diebus caſus accidit. Archiepiſcopo namque clericus quidam ignotus adhæſit, qui ſub obtentu obſequii quia diligens & diſcretus eſſe videbatur, literarum etiam & hiſtoriarum omnium promptiſſimam habebat notitiam atque memoriam, magnam cum ipſo familiaritatem in breui contraxit. Quadam etiam die cum narraret Archiepiſcopo de hiſtoriis ab antiquis & ignotis rerum euentibus, vndeipſum libenter & frequenter audiebat, accidit vt de tempore incarnationis dominicæ loquerentur, qui & inter alia & hoc ſubiunxit: Antequam Chriſtus carnem ſumpſiſſet, magnam habebant dæmones in genus humanum poteſtatem, ſed in aduentu ipſius valde diminuta fuerat eorum poteſtas: adeo quidem vt à facie ipſius vndique diffugerint & diſparuerint. Alii namque in mare ſe præcipitauerunt: Alii in concauitates arborum, & rimas petrarum & ego ipſe in fontem quendam inſilii. Quo dicto quaſi verecundans erubuit, & ſurgens ſtatim exiuit.

Dæmon non catholicus.

Vide annot. in cap. 8. lib. 2.

Dæmon clericus.

Archiepiſcopus autem & qui cum eo fuerant, vehementer admirantes cœperunt de verbo illo ad inuicem inquirere, & plurima coniectare. Et cum moram aliquantulum ille feciſſet (putabatur enim ſtatim reuerſurus) præcepit Archiepiſcopus cuidam ſuorum illum vocare, ipſe vero vocatus & quæſitus vndique, nuſquam comparuit. Nec longe poſt duo clerici quos Archiepiſcopus Romam miſerat, reuerſi ſunt: Quibus cum Archiepiſcopus & ſui rem geſtam & euentum illum retuliſſet, cœperunt illi inquirere diem euentus illius & horam: quod cum audiſſent, dixerunt quod eodem die, & hora eadem obuiauerat eis in Alpibus, dicens ſe propter nego-

Dæmon ad Curiam Ro. miſſum ſe fingit.
Falcones.

negotia domini ſui ſcilicet Archiepiſcopi nuper emerſa ad curiam Romanam fuiſſe tranſmiſſum. Sicque compertum eſt dæmonem ipſos in humano corpore deluſiſſe.

De falconibus quoque partium iſtarum egregiis & generoſis, qui grauiſſimã in aues tam fluuiales quam campeſtres tyrannidem exercent, prætereundum non putaui. Vnde & Anglorum rex Henricus ſecundus cum in partibus iſtis iter in Hiberniam parando, moram aliquandiu faceret, & auium aliquando volatu delectari voluiſſet, falconem nobilem in ſaxo quodam ſedentem cum forte conſpiceret, eundem lateraliter ambiendo, accipitrem Norwagienſem generoſum & grandem quem geſtabat læua proiecit; Falco vero quanquam in primis tardior, ad alta tamen vix ſubuectus, iraque vindice vice verſa de præda prædo iam effectus, à ſummis impetuoſus ad ima deſcendens quadrati pectoris ictu vehementi præpoſitaque talorum armatura talionem reddens, ad pedes regios accipitrem confodiendo proſtrauit. Vnde & ab hac hora ſingulis rex annis circa nidificationis tempora propter falcones terræ illius qui marinis in rupibus excluduntur mittere conſueuit. Nec in terra ſua nobiliores illis aut præſtantiores inuenit. Sed hæc hactenus, ad viam de cætero reuertamur.

ANNOTATIONES IN Caput XII.

1 G*VLIELMVS Nothus Normanniæ dux, cum Angliæ regnî poſſeſſionem iure belli nactus eſſet: cupiens illud tranquillum & quietum reddere, vniuerſos Anglici ſtemmatis nobiles vel exhæredauit vel è medio ſuſtulit: quorum poſſeſſiones Normannis diſtribuit: quæ cum eorum auiditati (plurimis indies ex Normannia, Gallia & Belgia, poſſeſſianum cauſa in Angliam confluentibus) minus ſatisfacerent, nec ſatis ampla viderentur: poſt acquiſitam, poſt Robertum Hammonis filium Morgantam, à Rufo Nothi filio qui tunc temporis rerum potiretur, inuadenda Cambriæ facultatem inſtanter petierunt: qua ſemel conceſſa, conſilioque capto aſſignarunt ſibi varias in ea regione prouincias, quas inuadere conſtituunt, pro quibus ſe regi fidelitatis ſacramento obſtringunt: veluti Rogerus Salopienſis Comes pro Powiſia & Ceretica regione fidelitatem præſtitit. Hugo Ceſtrenſis pra Tegenia & Reuonocia. Bernardus de nono Mereatn (de quo ſupra cap 2.) pro Brechinia Huga Lacius pro Ewyas: & hic Arnulphus Rogeri Salopienſis Comitis filius iunior fidelitatem fecit pro iſta Penbrochienſi prouincia quam poſtea & auxilio Giraldi Winſorii militis ſtrenui obtinuit & habuit: & poſtquam à Rufo Penbrochienſis comes eſſet creatus vniuerſus pagus ille Penbrochienſis comitatus deinceps eſt appellatus, vt apud hunc auctorẽ, qui fuit prædicti Giraldi nepos & non ita multo poſt, hæc eadem ſcripſit, videre licet.*

2 *Hæc Neſta Reſi principis Demetiæ filia præſtantis cuiuſdam farmæ elegantiæ inter omnes ſui temporis mulieres conſpicua fuit, ex qua Henricus primus Angliæ rex filium genuit nomine Henricum, vt patet infra lib. 2. huius Itiner. cap. 7. Deinde Giraldus Winſorius eam (Rege conſentiente) matrimonio ſibi copulauit: vnde Mauritius filius Giraldi, Dauid epiſcopus Meneuenſis, atque omnes Giraldidæ Hibernenſes genus traxerunt. Poſt mortem Giraldi, Stephanus Abertinenſis Caſtri Cuſtos eam duxit, ex eaq; genuit Robertum Stephanidẽ, de quo in vaticinali huius auctoris hiſtoria honorifica fit mentio.*

De tranſitu per Camros & Newigal cum N. S.

CAP. XIII.

ITER igitur ab *Hauerfordia* verſus *Meneuiam* quaſi milliaribus duodecim inde diſtantem aggredientes, primo per *Camros*, vbi pro iuuenis egregii Giraldi ſcilicet filii Guilhelmi nece, multorum cædibus cruentam nimis & grauem, tempore Stephani regis, propinqui & neceſſarii ſui, quanquam in hoc minus neceſſarii, vindictam in Roſenſes exercuerant. Deinde per ſabulum de *Niwegal* tranſiuimus, vbi & ea tempeſtate qua prædictus Anglorum rex Henricus ſecundus in Hiberniæ finibus hyemauit, nec non & aliis fere cunctis partium illarum portubus ab occidente marinis, res contigit non indigna memoratu. Ex nimia nimirum præter ſolitum procellæ vehementia, ſabuloſis auſtralis Cambriæ littoribus ſolo tenus ſabulo nudatis, longis operta retro ſæculis, terræ facies apparuit, arborum in ipſum mare ſtipites ſtantium vndique præciſarum, ictuſque ſecurium tanquam heſterni, terra quoque nigerrima, lignaque truncorum hebeno ſimillima: mirandis rerum mutationibus, olim nauium via, nunc nauibus inuia, non littus ſed lucus eſſe videretur: aut forte à diluuii tempore, aut potius longo poſt, antiquitus tamen præciſus, quoniam maris violentia ſemper excreſcentis & terram amplius eluentis, paulatim abſumptus & abſorptus. Contigit autem inaudita tempeſtatis eiuſdem rabie, Congros aliosque marinos piſces perplurimos trans rupes maris altiſſimas vi ventorum intra dumeta proiectos,

tos, à multis reperiri. Apud *Meneuiam* igitur à loci eiuſdem Antiſtite Petro viro videlicet perſonali & liberali, qui nobis indiuiduus hactenus in via comes extiterat, decenter exhibiti pernoctauimus.

ANNOTATIONES IN Caput XIII.

1 IN *orientali Cambriæ parte, videlicet* Mailora *&* Trefreda, *in locis vliginoſis, vbi terra propter aquas hiemali tempore ſtagnantes mollis minimeque conſolidata eſt, reperiuntur etiam hodie abietum præciſarum ſtemmata, & aliquando ipſæ abietes miræ longitudinis, ita puræ & integræ ac ſi infra annum fuiſſent proſtratæ: quibus pro lychnis & tædis vtuntur pauperiores, eaſque verubus & aliis inſtrumentis in terra quærunt, & cum inuenerint effodiunt. Quod eo magis mirandum eſt, quoniam nullæ huiuſmodi arbores in Cambria, aut ſatiuæ aut* αὐτόματως *prouenientes (quod ſciam) reperiantur. Hoc tamen verißimum eſſe his noſtris diebus comperimus, non obſtante eo quod ſcribit Cæſar de fago & abiete, libro quinto de bello Gallico: fieri igitur poteſt vt talium arborum illi qui ab hoc authore commemorantur ſtipites fuerint.*

SYLVESTRI GIRALDI CAMBRENSIS ITINERARII CAMBRIÆ LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO.

QVONIAM *igitur caput* Cambriæ *eſt* Meneuia *& vrbs olim metropolitana, quanquam hodie plus nominis habens quam ominis: antiquæ tamen & autenticæ matris noſtræ tanquam exequias plangere & funus proſequi lamentabile, cineresque ſemiſepultæ lachrimoſis deplorare ſingultibus non abſtinui. Qualiter huc igitur, & vnde, & à quo tempore pallium allatum, & qualiter ablatum, quot palliis induti antiſtites, & quot ſpoliati, eorumque nomina vſque ad hæc noſtra tempora paucis abſoluam.*

De ſede Meneuenſi cum N. S.

CAP. I.

SICVT Britannicæ referunt hiſtoriæ apud vrbem legionum in Curia illa magna quam prętaxauimus, beatus Dubritius loci eiuſdem tunc temporis Archiepiſcopus, Dauid qui regis Arthuri (vt dicitur) auunculus extiterat, propter ætatis defectum, & quoniam contemplationi potius indulgere volebat, ceßit honorem: & ex tunc procurante Dauid vſque *Meneuiam* ſedis facta eſt translatio.[1] Quanquam tamen prior ille locus ſicut in priori libro deſcripſimus, longe metropolitanæ ſedi plus congruerit. Hic etenim angulus eſt ſupra Hibernicum mare remotißimus, terra ſaxoſa ſterilis & infœcunda: nec ſiluis veſtita, nec fluminibus diſtincta, nec pratis ornata: ventis ſolum & procellis ſemper expoſita: inter hoſtiles hodie populos hinc Flandrenſem inde Cambrenſem frequenter attrita.[2] Ex induſtria namque viri ſancti talia ſibi delegerunt habitacula, vt populares ſtrepitus ſubterfugiendo, vitamque eremiticam longe paſtorali pręferendo, parti liberius quæ non auferetur indulgerent; fuerat autem Dauid ſanctitate conſpicuus & religione, ſicut de vita ipſius teſtatur liber conſcriptus. Inter omnia vero quæ de ipſo leguntur miracula, tria mihi videntur admiratione digniſſima: De origine videlicet ipſius & conceptione: & triginta annis ante ortum prælectione: & quod omnibus pręſtat, de terra quæ apud *Breuy* vidente populo & admirante ſub pedibus prędicantis in collem excreuit.

Liber Auctoris de vita ſancti Dauid.

Sederunt autem à tempore Dauid ſucceßiuis temporum curriculis Archiepiſcopi ibidem viginti quinque quorum hæc nomina; Dauid, Cenauc, Eliud qui & Teilaus vocatur, Ceneu, Morwal, Haerunen, Elwaed, Gurnuen, Lendivord Gorwyſc, Gogan, Cledauc, Anian, Eluoed, Ethelmen, Elauc, Malſcoed, Sadermen, Catellus, Sulhaithnai, Nonis, Erwal, Aſſer, Arthuael, Sampſon. Tempore Sampſonis huius pallium in hunc modum eſt trāſlatum. Ingruente per Cambriam (iſto præſidente) peſte quadam, qua cateruatim plebs occubuit, quam flauam peſtem vocabant, quam & Phyſici ictericiam dicunt paſſionem, præſul quamquam ſanctus & ad mortem intrepidus, tamen ad ſuorum inſtantiam nauem ſcandens, flante Circio, cum ſuis inde-

Nomina epiſcoporum Meneuenſium.

mnem in Armorica Britannia ſe ſuſcepit: vbi & vacante tunc forte ſede Dolenſi, ſtatim ibidem in epiſcopum eſt aſſumptus. Vnde contigit vt ob Pallii gratiam (quod Sampſon ſecum hinc illuc attulerat,ſuccedentes ibi epiſcopi vſque ad noſtra hæc fere tempora (quibus prçualente Turonorum Archipræſule aduentitia dignitas euanuit)pallia ſemper obtinuerunt. Noſtri vero vel propter ignauiam vel paupertatem, aut potius propter Anglorum aduentum in inſulam & Saxonicam interpoſitam hoſtilitatem,ea occaſione priſtina caruerunt dignitate: ſemper tamen vſque ad plenam (quæ per Anglorum regem Henricum primum facta eſt :) Cambriæ ſubactionem, epiſcopi Walliæ à Meneuenſi antiſtite ſunt conſecrati : Et ipſe ſimiliter ab aliis tanquam Suffraganeis eſt conſecratus , nulla penitus alii eccleſiæ facta profeſſione vel ſubiectione.Sederunt autem à Sampſonis ibidem tempore vſque ad prædicti Henrici primi tempora 19.quorum hæc nomina:Ruelin,Rodherch,Elguin,Lunuerd,Nergu,Sulhidir,Eneuris,Morgeneu,primus hic inter epiſcopos Meneuiæ carnes comedit & ibidem à piratis interfectus eſt. Vnde & eadem nocte quam duxit extremam apparuit cuidam epiſcopo in Hibernia,oſtendens vulnera ſua & dicens: *Quia carnes comedi.caro factus ſum*.Nathan,Teuan,hic Ieuan vna ſola nocte vixit epiſcopus, Arguſtel, Morgenueth, Ervin, Tramerin,Ioſeph, Bleithud, Sulghein, Abraham,Wilfredus. Poſt hos vero ſubacta iam Wallia vſque hodie tres : Tempore regis Henrici primi Bernardus,tempore regis Stephani Dauid ſecundus, tempore regis Henrici ſecundi,Petrus Cluniacenſis monachus: qui tres regio vrgente mandato Cantuariæ conſecrationem ſuſceperunt. Sicut & quartus his ſuccedaneus tempore regis Ioannis nomine Galfridus Lanthonienſis Prior & Canonicus, per operam Huberti Cantuarienſis Archiepiſcopi,in eadem ſede promotus & ab eodem conſecratus.

De nullo vero Cantuarienſi antiſtite legitur , vel poſt ſubiectionem iſtam vel ante , Cambriæ fines intraſſe, præter Balduinum ſolum monachum ſcilicet Ciſtercienſem & Abbatem Annafordenſem,deinde vero præſulem Wigornienſem,qui legationis huius occaſione & ſalutiferæ crucis obſequio terram tam hyſpidam, tam inacceſſibilem & remotam laudabili deuotione circuiuit, & in ſingulis Cathedralibus eccleſiis,tanquam inueſtituræ cuiuſdam ſignum miſſam celebrauit. Adeo autem ante finales hos dies & tempora nouiſſima Meneuenſis eccleſiam Cantuarienſem nullo ſubiectionis vinculo reſpiciebat : vt in Anglicana hiſtoria Beda referente legatur : Auguſtinum Anglorum epiſcopum poſt conuerſionem regis Ethelfredi, & Anglorum populi , epiſcopos Walliæ in confinio occidentalium Saxonum tanquam ſedis Apoſtolicæ legatum conuocaſſe. Et cum ſeptem epiſcopi veniſſent, quoniam Auguſtinus in ſella ſedens,venientibus Romano faſtu non aſſurrexit, eum ſuperbiæ notantes (ſumpto quidem à viro quodam Anachorita de gente ſua ſanctiſſimo,experimenti illius documento)tam ipſum quàm eius ſtatuta, ſtatim reuerſi ſpreuerunt : nec ipſum pro Archiepiſcopo ſe habituros publice proclamabant, teſtantes ad inuicem : quia ſi nunc nobis aſſurgere noluit , quanto magis ſi ei ſubdi ceperimus iam nos pro nihilo contemnet? Quod autem ſeptem tunc erant epiſcopi Britonum,cum hodie non niſi quatuor,hæc ratio aſſignari potuit:quia plures tũc forte fuerant in hoc Walliæ ſpacio quam nunc ſunt ſedes Cathedrales,vel potius ſe tunc ampliori Wallia fine dilatabat. Inter tot igitur epiſcopos tanto priuatos honore, ſolus Bernardus ille primus Francorum apud Meneuiam epiſcopus, eccleſiæ ſuæ iura publice proteſtans,poſt multas ſumptuoſas & graues ad curiam Romanam vexationes, demum niſi factæ profeſſionis , & ſubiectionis exhibitæ Cantuarienſi eccleſiæ, falſi teſtes in Remenſi Concilio,coram Eugenio Papa palam prodiiſſent, non inefficaciter reclamaſſet. Tribus igitur fultus auxiliis tam formidabiles tantæ cauſæ conflictus confidenter eſt aggreſſus : Regis videlicet Henrici primi familiaritate ſubnixus plurima & fauore,tempore pacifico gaudens, & pacis ſequela ſufficientia. Adeo quidem ex nimiæ ſecuritatis audacia,debito de iure quandoque prçſumpſit, vt & crucem interdum ſibi prçferri per Cambriæ fines attemptaſſet.

Bernardus iſte quanquam in aliquo commendabilis , pompoſitatis tamen & ambitionis vitio, trans modeſtiam notabilis fuerat. Quoniam enimuero de Curia exierat, & plantatio Regis extiterat , ad Anglicanas opulentias per translationem ſemper anhelans (quo morbo laborant fere ſinguli ab Angliæ finibus hic intruſi) terras eccleſiæ ſuæ plurimas infructuoſe penitus & inutiliter alienauit: Alias vero tam improuide & tam indiſcrete dimiſit , vt vbi militaribus officiis decem terræ carrucatas , viginti vel triginta manu ampliſſima largiretur : ibi

Ambitio & auaritia epiſcoporum eccleſiæ peſtis.

diuinis

diuinis Sancti Dauid obſequiis & canonicis ab ipſo miſere nimis & infœliciter inſtitutis, vix vnam, vix duas vel tres impertiret. De duabus autem ſedibus iſtis de quibus facta eſt mentio, Cantuatienſi videlicet & Meneuenſi, quod mihi videtur iuxta moderna tempora paucis ediſſeram. Illinc hodie Regum fauor, opum affluentia, ſuffraganeorum antiſtitum opulenta numeroſitas, literatorum & iuris peritorum copia multa: hinc autem omnium iſtorum defectus & ius remotum. Quapropter niſi per regnorum forte mutationes rerumque viciſſitudines magnas, quæ variis & inopinatis euentibus accidere ſolent, difficilis erit antiqui iuris recuperatio. Dicitur autem locus vbi eccleſia Meneuenſis ſita eſt, & in honore beati Andreæ Apoſtoli primo fundata, *Wallis Roſina:* quæ tamen Marmorea potius quam vel Roſea vel Roſina dici poſſet: quoniam roſis minime, marmore vero plurimum abundat. Labitur autem hic Aluni fluuius, aqua turbida & infœcunda, cœmiterium lateraliter à Borea diſterminans, ſub lapide *Lechlauar* marmoreo pedibus tranſeuntium perpolito, de cuius quantitate, qualitate & nominis ratione in vaticinali Hiſtoria diſſeruimus. Vbi rex Anglorum Henricus ſecundus ab Hibernia rediens per eundem lapidem tranſeundo deuote Sancti Andreæ Sanctique Dauid eccleſiam intraſſe deſcribitur, in hunc modum. Relictis ergo demum cuſtodibus apud Dubliniam, videlicet Hugone de Lacy (cui iam Mediam in fœodum donauerat) cum militibus viginti: Stephanide quoque & Mauricio Giraldidis, cum aliis viginti. Waterfordiæ vero Humfredo Bohunenſi, Roberto filio Bernardi, & Hugone de Grandeuilla cum militibus 40. Weixfordię Gulielmo Adelmi filio & Philippo de Breuſa cum viginti: Paſcali luce ſecunda, ſole recens orto, apud Weixfordiam exteriore ſc. portus limbo, Rex naue ſcandens Circio flante, proſpero nauigio, in portu Meneuenſi circa meridiem appellcuit.

Accedens itaque *Meneuiam* deuote peregrinantium more pedes baculoque ſuffultus, canonicorum eccleſiæ proceſſionem ipſum debita reuerentia & honore ſuſcipientium apud albam portam obuiam inuenit. Accidit autem vt procedente ſeriatim proceſſione & rite præcedente, mulier Cambrica ad pedes regis ſe ſubito prouolueret, quæ & querimonia de loci illius epiſcopo facta & regi per interpretis linguā expoſita, quoniam ius ſuum ſtatim non eſt aſſequuta, voce altiſona & proterua cum manuum quoque complicatione non modica, cepit coram omnibus exclamando ingeminare: *vindica nos hodie Lechlauar, vindica genus & gentem de homine hoc.* Cumque ab illis qui Britannicam linguam nouerant inhiberetur & expelleretur, ipſa tanto fortius & acrius in hunc modum vociferabatur: alludens illi fictitio vulgari, nec non Merlini prouerbio quo dici ſolebat: Angliæ Regem Hiberniæ triumphatorem, ab *Merlini; ſe …* homine cum rubra manu in Hibernia vulneratum, per *Meneuiam* redeundo ſuper *prophetia …* *Lechlauar* moriturum.

Erat autem hoc nomen lapidis qui trans flumen *Alun*, quod cœmiterium à boreali eccleſiæ parte præterfluendo diſterminat, iacens vice pontis fungebatur. Erat autem lapis hic marmoreus & pulcher, tranſeuntium pedibus ſuperficie tenus (vt dictum eſt) perpolitus, decem pedes in longum & ſex in latum præferens, atque vnius pedis ſpiſſitudinem habens. Sonat autem *Lechlauar* Britannica lingua, *Lapis Loquax*. Erat enim de lapide hoc ab antiquo vulgata relatio quod cum hominis cadauer ſuper illum aliquando deferretur, eadem hora in ſermonem prorumpens ipſo conatu crepuit medius, fiſſuram per medium adhuc prætendens. Vnde & de barbarica ſuperſtitione illi antiquitus exhibita vſque in hodiernum quoque per ipſum mortuorum corpora non efferuntur. Accedens igitur ad lapidem Rex, quia forte illius vaticinii mentionem audierat, ad pedem lapidis paulíſper gradum ſiſtens & eundem acriter intuens, incunctante tamen paſſu audacter pertranſiit: verſo itaque vultu ad lapidem reſpiciens, in vatem inuectus, verbum hoc indignanter emiſit: Merlino mendaci quis de cætero fidem habeat? *Rex inuehitur in Merlinum.* Legator autem ibi cum aliis aſtans, & rei euentum obſeruans, vt vatis iniuriam vindicaret, ſic alta voce ſubiecit. Tu vero non „ es Rex ille, qui Hiberniam conquirere debet, nec de te mentionem Merlinus fecit. „ Et ſic Rex intrans eccleſiam in Sancti Andreæ Sanctique Dauid honore fundatam, „ fuſis deuote orationibus & miſſa ſolenniter audita à Capellano quodam quem ſolum inter tot loci illius presbyteros ea hora ieiunum tanquam ad hoc diuina reſeruauerat prouidentia: cœna ibidem ſumpta, ſtatim ad Caſtrum *Haueſordiæ* quaſi per milliaria duodecim ab inde diſtans, tranſmigrauit. Hoc autem mihi notabile videtur, quod noſtris diebus præſidente videlicet Dauid ſecundo, tam fluuium hunc vino *Alunus* mana-

Piſtyll Dewi.

Monedula manſueta.

manare, qùam fontem quem *Piſtyll Dewi*, fiſtulam Dauid vocant (quia quaſi per fiſtulam quandam in cœmiterium ab oriente fons dilabitur lac ſtillare, conſtat aliquoties eſſe compertum. Aues quoque loci iſtius quæ monedulæ dicuntur, ex longo pacis vſu à clericis eccleſiæ eis exhibitæ, adeo quaſi manſuetas & domeſticas inuenias, vt homines nigris indutos non refugiant. Ab hinc autem ſereno tempore montes Hiberniæ proſpici poſſunt. Mari hibernico tantum vno contractiore tranſnauigabili die interiacente: vnde Gulielmus Gulielmi regis Baſtardi filius & Normannorum in Anglia rex ſecundus qui Rufus eſt agnominatus, Cambriam ſuo in tempore animoſe penetrans & circumdans, cum à rupibus iſtis Hiberniam forte proſpiceret dixiſſe memoratur: ad terram iſtam expugnandam ex nauibus regni mei huc conuocans, pontem adhuc faciam. Quo verbo ad Murchardum Lageniæ tunc Principem in Hiberniam forte tranſlato, cum aliquandiu propenſius inde cogitaſſet, fertur reſpondiſſe: nunquid tantæ comminationis verbo Rex ille, ſi Deo placuerit adiecit? Audito vero quod nullam prorſus Dei mentionem in hoc ſuo Rex ſermone feciſſet, tanquam prognoſtico gaudens certiſſimo: Quoniam inquit homo iſte de humana tantum confidit potentia, non diuina, eius aduentum non formido.

ANNOTATIONES IN Caput I.

DVBRITIVS *Demetus, ad* Vagæ *confluentis ripam ex Eurdila nobili iuuencula, ignoto patre natus, magnum apud Britannos doctrina & probitatis iuuenilibus annis obtinuit nomen. Hic ad Vagam fluuium ſchalas erexit, multoſque diſcipulos in omni literarum genere percelebres habuit, Pelagiana dogmata vehementer & ſolide refutauit. Vnde primum Tauenſis epiſcopus & poſtea legionum vrbis (quæ Cambrorum Metropolis erat) Archiepiſcopus ſub Aurelio Ambroſio rege conſtitutus eſt. Vtherium Pendragonem, & poſt eum Arthurum eius filium Nothum, regni Britannici diademate inſigniuit: contra Saxones acerrimum ſe aduerſarium oppoſuit, quos pro ſuæ gentis Republica multis inuectiuis eleganter ſcriptis laceſſiuit. Reſignato tandem Archipræſulatu Dauidi, reliquum temporis inter diſcipulos manuum ſuarum laboribus viuentes, priuatim & quiete tranſegit. Obiit 18. Calend. Decembris, Anno, verbi incarnati 522. De hac ſedis tranſlatione vide plura in Annotationibus ſupra lib. 1. cap 5. Annotat. 6 Hac in re ſæde errauit Robertus Cænalis lib 2. Perioche 6. non intelligens ſtatum Britanniæ ante aduentum Auguſtini Monachi in inſulam.*

2 *Giraldus alibi vocat hanc regionem totius* Cambriæ *amœniſſimam ſupra lib. 1. cap. 12. Verum ibi iuxta illud Ouidii*

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui,

patriam ſuam & geniale territorium profuſioribus laudum titulis proſequitur: Hic vero ipſam rei veritatem (ſicuti eſt) reſpicit: Nam in vniuerſa Cambria multa loca inuenias, longe multumque huic anteponenda, ſiue aeris ſalubritatem, ſiue regionis amœnitatem. ſiue ſoli ipſius fertilitatem, aliaq; humanæ vitæ commoda reſpicias.

3 *Quod ad plenam hanc* Cambriæ *ſubactionem per Henricum primum factam attinet, intelligendus author eſt, vel de Roſſenſis regionis (in qua ſedes Meneuēſis exiſtit) ſubiectione: vel de prouincia* Demetica, *quæ tunc maxima ex parte in Normannorum & Flandrorum manus deuenerat, vt in Hiſtoria Cambriæ manifeſtum eſt. Nam* Venedotia *eo tempore poſſeſſio fuit Gruffini filii Conani principis Northwalliæ: Et Powiſia à filiis Belthini Principis tanquam ſupremis eius prouincia dominis tenebatur. Nec fuit plene ſubacta* Cambria, *vſq; ad annum 12. Eduardi primi cum interfecto Leolino Gruffini filio, vltimo Cambrorum principe, vniuerſa* Cambria *in manus regis* Angliæ *deuenit.*

4 *Gregorius primus Rom. epiſcopus An. 596. miſit Auguſtinum monachum ad Anglos, qui Romanam religionem hominum mandatis & traditionibus refertam illis obtruſit: Nam Britanni puriorem Chriſti doctrinam longe ante à Ioſepho Aramathenſi & Aſiaticis eccleſiis ſuſceperant. Apud illos igitur vigebat veritatis prædicatio, doctrina ſincera, viuificatrix fides, & purus Dei cultus qualis ab ipſis Apoſtolis mandato diuino Chriſtianorum eccleſiis traditus erat. Vnde Galfridus Monumethenſis lib. 8. cap. 4. De geſtis Britannorum, In patria (inquit) Brytonum adhuc vigebat Chriſtianitas, quæ ab Apoſtolorum tēpore nunquā inter eos defecerat. Poſtquā ergo venerat Auguſtinus à Gregorio vt dictum eſt miſſus, & ab Ethelberto Rege receptus, in Vigornienſi prouincia Anno 602. ſynodū celebrauit, in hunc finē vt Britanniæ clerum ſibi ſubderet & Romanæ eccleſiæ obſequentē redderet. Ad hāc ſynodū vocati venerunt Britannorū epiſcopi ſeptem. Nā illis dieb. ſub Meneuenſi metropolitanō ad eū numerum, Aſiaticorū more principales eccleſias cū ordinationib. habebant, quorum tunc hæc erant nomina;*

nomina, Henfordenſis, Tauenſis, Paternenſis, Banchorenſis, Eluienſis, Viccenſis, ac Morganenſis. Venerunt & Doctores ad eandem ſynodum, inter quos Dinotus Cœnobiarcha Banchorenſis omnium primus, grauiter & docte de non approbanda apud eos Ramanorum auctoritate diſputabat: fortiter præterea tuebatur Meneuenſis Archiepiſcopi, in Eccleſiarum ſuarum gubernatione ratam iuriſdictionem: vehementer contendens non eſſe in Britannorum commodum futurum, vel Romanorum faſtum, vel cognitam Angloſaxonum tyrannidem in communionem admittere: Affirmans etiam debuiſſe Gregorium admonere Saxones gentem perfidam, vt ſi ſincere Chriſtianiſmum admittere vellent, Britanniæ imperium, quod contra ſacramentum militiæ per tyrannidem occupauerant, iuſtis dominis & poſſeſſoribus quamprimum reſtituerent. Cum ergo ad Auguſtini colloquium ituri eſſent, ſolitarium quendam & prudentem virum prius conſuluerunt: An eius mandata ſequi, ſuaſque à patribus ſumptas traditiones deſerere liceret? Si homo Dei eſt (inquit) ſequimini illum. Et vnde id probabimus? interrogant. Scitis (ait) Dominum præcepiſſe, tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, ſi talis ergo ſit Auguſtinus ille, credibile eſt, quod Chriſti iugum & ipſe portet, ac vobis portandum offerat: Si autem & immitis fuerit, conſtat quia non eſt à Deo, neque vobis eſt eius ſermo curandus: Et vnde id ſciemus? inquiunt: permittite, ait, vt ipſe prior cum ſuis ad ſynodi locum veniat, & ſi aduentantibus aſſurrexerit, ſcitote, quia Chriſti ſeruus eſt, & obtemperate illi: at ſi vos ſpreuerit aut parui æſtimauerit, & nullum benignitatis ſignum oſtenderit in vultu, cum numero plures ſitis, ſpernatur à vobis & ipſe. Cum itaque veniſſent, & Auguſtinum in cella ambitioſe ſedentem, nec eis amicitiæ ſignum aliquod præbentem vidiſſent, in iram mox conuerſi, eumque ſuperbiæ notantes, cunctis quæ illis propoſuit contradicebant. Exprobrabat enim eis quod vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudini contraria in multis gererent, præſertim in celebratione Paſchatis, in miniſterio Baptiſmi, & in prædicationis officio, & quod Romanas traditiones non curarent, mandabatq; vt in his atq; aliis Romanæ eccleſiæ mores & ritus obſeruarent, arroganter & contumelioſe cuncta præcipiendo: At illi nihil horum ſe facturos, neq; illum pro archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant. Quibus ille futura bella promiſit, ac mortis vltionem (quæ mox ſequebatur) ferociter minitabatur. Vide Bedam in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum libr. 2. cap. 2. Et prædictum Galfridum. De his ita ſcribit Mantuanus in Faſtis:

Adde quod & patres auſi taxare Latinos:
Cauſabantur eos ſtulte, imprudenter & æquo
Durius, ad ritum Romæ voluiſſe Britannos
Cogere, & antiquum tam præcipitanter amorem
Tam ſtolido temeraſſe auſu. Concedere Romæ
Debuit, aiebant, potius quam rumpere pacem,
Humani quæ iuris erant, modo ſalua maneret
Lex diuina, fides, Chriſti doctrina, ſenatus
Quam primus tulit ore ſuo, quia tradita ab ipſo
Chriſto erat, humana doctore & lumine vita, &c.

De tranſitu per Cemmeis, Monaſterium ſancti Dogmaelis cum N. S.

CAP. II.

CVM igitur Archiepiſcopus in Eccleſia ſancti Dauid, & ara principali miſſam ſummo diluculo celebraſſet, relicto ibidem Meneuenſi Archidiacono prætaxato, eiq; ad populũ officio ſermonis iniuncto: obuiam Reſo Principi per *Cemmeis* verſus *Aberteiui* properauit. Duo vero, quæ in prouincia de Cemmeis, alterum his noſtris diebus, alterum parum ante, contigerant, mihi non reticenda ſuccurrunt. Hoc itaque noſtro tempore contigit, iuuenem quendam de finibus his oriundum, tantam à bufonibus in ægritudinis lecto perſecutionem tuiſſe perpeſſum, vt omnes totius prouinciæ tanquam ex condicto in ipſum concurrerent. Et cum à cuſtodibus & amicis ipſius interfecti fuiſſent, infiniti ſemper tamen vndique confluentes tanquam Hydræ capita ſine numero ſuccreuerunt[1]: tandem vero laſſatis vniuerſis tam neceſſariis quam extraneis, in arbore quadam excelſa mutilata frondibus & leuigata in loculo quodam eſt ſublimatus. Nec ibi venenoſis tutus ab hoſtibus, imo certatim in arborem rependo petitus, & vſq; ad oſſa conſumptus interiit. Nomen vero iuuenis fuerat *Siſillus Eſceir hir*, id eſt, tibia longa. Simile quoque legitur occulto Dei iudicio, ſed nunquam iniuſto murium maiorum, qui vulgariter Rati dicũtur, in virum quendam olim factam perſecutionem.[2] In eadem prouincia tempore Regis Henrici primi contigit, vt vir quidam locuples à boreali montium de *Praſcleu* latere manſionem habens, tribus noctibus continue in ſomnis moneretur, quatenus in fonte proximo, qui S. Bernaci fons dicebatur, lapidi qui ſcaturigini fontis ſupereminebat, manum

Homo à bufonibus deuoratus.

Soricem intelligit.

Sempium.

ſubmittens, aureum inde torquem extraheret. Qui die tertio monitis obtemperans, viperino ibidem morſu lethalem in digito læſionem ſuſcepit. Sed quoniam multos è diuerſo theſauros per ſomnia conſtat inuentos fuiſſe, mihi quidem veriſimile videtur, ſicut rumoribus ſic & ſomniis credi oportere, & non oportere, locum communem eſſe.

Fœdifragus.

Quod autem in principali de *Cemmeis* caſtro ſcilicet apud *Lanheuer*, noſtro notabile contigit æuo, hic non prætereo. Reſus filius Gruffini, inſtinctu Gruffini filii ſui viri verſipellis & verſuti viro nobili Gulielmo filio Martini genero ſuo, contra ſacramenta plurima eidem ſuper indemnitate & ſecuritate ſua ſibi tanquam filio perpetuo conſeruanda plures ſuper reliquias precioſiſſimas corporaliter pręſtita caſtellum ſuum de *Lanheuer* [2] ei viribus armatis & obſidione ſuſtulit, & Gruffino filio tradidit: contra ſacramentum & de caſtro eodem ei nominatim non tradendo ſpecialiter datum. Sed quoniam

Non habet euentus ſordida præda bonos.

Vindicta diuina.

Dominus, qui per prophetam ſuum clamat; *Mihi vindictam, & ego retribuam:* in breui poſt, machinatori ſceleris & auctori Gruffino munitionem auferri, hominique ſub ſole quem magis exoſum habebat, Malgoni ſuo fratri tradi fecit. Reſus quoque circa biennium poſt ibidem vbi filiam ſuam imo filias duas & nepotes exheredare curauit, exquiſito diuinitus vindictæ modo in bellico conflictu à filiis eſt captus, & in eodem caſtro incarceratus. Et ſic vbique turpitudinem maiorem & enormiorem exceſſum perpetrauit, ibi dedecus econtra maius & ampliorem ſuſcipere meruit confuſionem. Illud & hic notabile cenſui, quod eodem quo iſtud ei accidit tempore, torquem ſancti Canauci de Brecheinoc, apud Dineuour captum tenebat & incluſum, per quod & ipſe vltione diuina capi meruit & includi.

Cænobium Docmaelis.

Apud cœnobium itaq; ſancti Docmaelis pernoctantes, tam ibi in craſtino quam verſus *Aberteiuis*, id eſt, caſum *Teiui* fluminis in mare: vbi à Reſo Principe ea nocte decenter exhibiti fuimus. Ex latere tamen Cemmeſenſi non procul à ponte, conuocato partium illarum populo, & tam Reſo quam duobus filiis ſuis, Malgone ſcilicet & Gruffino præſentibus, verbo Domini tam ab Archiepiſcopo quam Meneuenſi Archidiacono perſuaſoric prolato ad crucis obſequium multos alleximus: quorum vno cruce ſignato, quanquam vnico filio, & vnico matris ſenio iam confectæ ſolatio: eundem ſtatim mater intuita, & diuinitus vt videbatur inſpirata ſubiecit: Gratias tibi chariſſime domine Chriſte Ieſu intimas ago, quod talem mihi filium, quem tuo dignareris obſequio parere conceſſiſti.

Fuit & alia ibidem mulier, matrona videlicet de *Aberteiui*, animo à priore longe diſſimili, quæ virum ſuum, ne ad archiepiſcopum iret, neue crucem ſuſciperet, per pallium & zonam firmiter tenens, coram cunctis impudenter retrahebat. Sed eadem tertia poſt nocte terribilem hanc in ſomnis vocem audiuit: *Seruientem meum mihi abſtuliſti, quamobrem & à te quoque, quod plurimum diligis, auferetur.* Qua viſione viro cum vtriuſque tam admiratione quam terrore relata, cum iterū obdormiſſet, filium paruulum, quem ſecum in thoro materna plus dilectione, quam diligentia iacentem habebat,

Sic mulier & filium & virum amiſit.

non minus infeliciter quam inſuauiter oppreſſit. Et ſtatim vir à diœceſano Epiſcopo tam viſionem referens, quam vindictam, crucem ſuſcepit, vxore fauente, ipſa quoq; ſignum ſponte propriis manibus armo virili inſerente vel inſuente.

Ineptas & aniles fabulas deuita, exerce autem te ipſum ad pietatē. 1. Tim. 4.

In loco vero prædicationis, iuxta caput pontis tanquam tanti conuentus memoriale locum Capellæ in viridi planicie ſtatim plebs deuota ſignauit: vbi veſtigia loquendo ad populum Archiepiſcopus fixerat altare deſignantes: vbi & multa miracula languentium turbis hinc vndique confluentibus, quæ ſingula referre longum eſſet, certum eſt contigiſſe.

ANNOTATIONES IN Caput II.

Hydram [1] *monſtrum fuiſſe in Lerna palude finxerunt poetæ, multa habens capita, quorum quibuſdam exciſis, alia continuo renaſcebantur. Hoc tandem ab Hercule ſagittis & igne ferunt interfectum. Quo* Σφίγγα *acutiſſimam intelligebant, quæ ita quæſtiones ſolebat proponere, vt vno ſoluto aubi multa ſubnaſcerentur.*

[2] *Inſcrutabilia ſunt omnino diuina iudicia, & ab omni humana ratione penitus remota: quorum quædam ad incutiendum impiis terrorem, præter naturalem rerum ordinem deſpicatiſſimis contemptiſſimiſque mediis, ſine vlla euitatione fiunt. Hiſtoriæ tradunt, Antiochum & Herodem Principes ſcelere*

ſcelere & impietate inſignes, diuini numinis vindicta à pediculis fuiſſe exeſos. Tradit quoque Matthæus Pariſius conſimilem huic relationem de Comite quodam Germano ſic ſcribens. Anno Domini 1089. Alemannicus Comes quidam Henrici Imperatoris perſecutor grauiſſimus, cum quodam die triſtis ad menſam reſideret, miniſtrantium ſtipatus cateruis, ita repente à muribus eſt circumuallatus, vt nuſquam ſibi diffugium appareret. Tantus enim erat illarum numerus beſtiolarum, vt in regione nulla tantam copiam eſſe credideris. Itaq; famuli fuſtib. & baculis arreptis, cum muribus occurriſſent, diu in illos ſæuientes, nihil penitus profecerunt: quin dominum ſolum dentibus terribili quodam corroſu laniarunt. Et quamuis à miniſtris magno conatu baculis & fuſtibus percuterentur, nulli tamen damnum inferebant, quia miniſtri nec ipſas tangere beſtiolas, aut lædere potuerunt. Quamuis autem cum miniſtris longius in pelagum naui delatus eſſet, tamen murium violentiam non euaſit. Nam illico tanta beſtiolarum multitudo inundauit in pelago, quæ nauis tabulata corrodens perforauit, vt certum naufragium aqua per rimas ingrediens minaretur. Vnde famuli hæc videntes, puppem ad littus celeriter retorquebant: mures autem ante nauem ad terram venientes, miſerum illum in aridam deuectum inuaſerunt. Qui mox totus à beſtiolis illis dilaceratus horrendam earum famem in momento refecit. Hæc ille.

Nobilis quidam à muribus deuoratus.

3 Lhaneuer *alias Aberneuer (ſic dicta, quod in oſtiis Neueræ fluminis ſita ſit) &, vt alii volũt, Treſdraeth. Hoc oppidum eſt, quod Normanni victores, quorum dux fuit Martinus quidam Turonenſis pater huius Gulielmi filii Martini, nouum portum appellauerunt.*

De fluuio Teiui, Cardigan, & Emelyn, cum N. S.

CAP. III.

LABITVR autem hic fluuius egregius, cui nomen Teiui, præ cunctis Cambriæ fluuiis ſalmone præpingui fœcundiſſimus: habet & piſcariã copioſam iuxta *Cilgarran*, in ſummitate rupis cuiuſdam, ſancti Ludoci manibus olim excultam, in loco, qui dicitur *Canarch Mawr*, per quam aqua prædicta tranſcurrens ab alto (vt aſſolet) cum ſtrepitu magno ad ima aſcendit, vbi & ſalmones ab imis ad ſummam rupis concauitatem, quantum haſtæ longiſſimæ eſt altitudo ſaltu mirabili transferuntur, & (niſi piſcis proprietas hoc exigeret) miraculoſo. Hoc etenim piſcium genus ſaltum appetit ex natura, vnde & à ſaltu ſalmo nomen accepit. Modus autem ſaliendi & proprietas, ſicut in Hibernica Topographia deſcripſimus, hæc eſt. Piſces huiuſmodi naturaliter aquæ curſum contra intentantes (ſicut enim auibus contra flatus, ſic & piſcibus contra fluctus mos eſt eniti) cum obſtaculum inueniunt præruptum, caudam ad os replicant: interdum etiam ad maiorem ſaltus efficaciam caudam ipſam ore comprimunt, dumq; à circulo huiuſmodi ſe ſubito reſoluunt cum impetu quodam tanquam virgæ circulatæ explicatione, ſe ab imis ad alta, cum intuentium admiratione longe tranſmittunt. Stant autem ſimul in anguſto ſc. terræ arpento eccleſia ſancti illius, molendinum, cum ponte & piſcaria, & pomeriũ cum horto delectabili. Habet & aliud fluuios iſte ſua ſpecialitate notabile. Inter vniuerſos namq; Cambriæ ſeu etiam Loegriæ fluuius, ſolus hic caſtores habet. In Albania quippe, vt fertur, fluuius ſimiliter vnico habentur, ſed rari. De cuius beſtiæ natura, qualiter à ſyluis ad aquas materiam vehant: Quanto artificio ex attracta materia mediis in fluctibus munimenta connectant: quam defenſionis artẽ contra venatores in occidente prętendant, quam in oriente. De caudis quoq; piſceis pauca interſerere non inutile reputaui.

Salmonũ ſaltus.

Caſtor.

Caſtores enim, vt caſtra ſibi in mediis fluuiis conſtruant, ſui generis ſeruis pro rheda vtentes, à ſiluis ad aquas lignea robora miro vecturæ modo contrahunt & conducunt. Quidam enim ex his naturæ imperio ſeruire parati, ligna ab aliis pręciſa ventrique ſupino impoſita quatuor pedibus complectentes, lignoque in ore ex tranſuerſo locato, dentibus ab aliis hinc inde cohærentibus, retrogradeque trahentibus, non abſque intuentium admiratione ſimul cum oneribus attrahuntur. Simili quoque naturæ artificio in ſcrobium purgatione, quas ſibi pedibus in terram fodiendo ſcalpendoque conformant, melotæ vtuntur. In aliquo vero profundiſſimo fluuii angulo & pacifico, in caſtrorum conſtructione tanto artificio ligna connectunt, vt ne aquæ ſtillæ de facili penetrando ſubintret, nec procellæ vis labefactando concutiat, nec violentiam quamlibet præter humanam, & hanc ferro munitam reformident. Ex ſalicum etiam ramis in caſtrorum conſtructione ligna connectunt, ſoliiſque variis in altum quantum aqua excreſcere ſolet, & vltra oſtiis interius à ſolio in ſolium aptatis, machinam diſtinguunt, vt iuxta fluminis incrementa fluctuantes vndas (cum voluerint) ab alto deſpicere valeant. Ex ſalicibus autem, vt per annos creſcendo ſalicum ſaltus, hiſpidum exterius ſilueſcat arbuſtum tota interius arte latente.

Hoc

Rana. Phoca. Caſtores ἀμφίβιοι.

Hoc animal in aquis ad libitum perdurat, & ſub eiſdem more Ranarum velutique Phocæ piloſæ, quæ fluxum maris atque refluxum leuitate pilorum & hiſpitate declarant, halitum fouet. Sub aquis igitur, indifferenter & ſub dio, tria hæc animalium genera ſpiritum trahunt, ſuntque tibiis curtis, corpore lato, caudis nullis vel quaſi mutilatis, & talpis quodammodo ſiue melotis in corporis compoſitione conformia. Notandum etiam, quatuor hæc ſolum dentes beſtia præfert, oris anteriori parte duos ſupra, & duos inferius econtra, eiſque latis plurimum, & acutis tanquam dolabris vtitur ad ſecandum. Habent autem in proxima caſtris ripa ſcrobes ſubterraneas, latibulaque in ſicco munitiſſima: ad quæ venator explorans dum præacutis ſudibus deſuper tranſpenetrare molitur: ictum audiens & violentiam timens quam citius ad caſtri munimenta ſe beſtia confert: ſed primo ad ipſum foraminis ingreſſum in ripa reſidens aquam exſuflat, pedibus ſcalpendo terram immiſcet, & ex limpida viſuique peruia turbidam reddit & cœnulentam, vt ſic hoſtis à ripa cum fuſcina ferrea ſaltum obſeruantis artem arte deludat. In eis autem regionibus, cum canes narium ſagacitate ſequaces ſe nullatenus effugere poſſe præſentit, vt damno partis totum redimat, partem quam appeti naturali induſtria nouit proiiciendo, venatoris in conſpectu ſeipſam beſtia caſtrat, vnde & à caſtrando Caſtor nomen accepit. Præterea ſi beſtiam præcaſtratam canes iterum forte proſequantur, ad eminentem ſe ſtatim conferens locum, coxa in altum eleuata partem venatori, quam appetit, præciſam oſtendit. De quibus Cicero in Scauriana, redimunt ſe ex illa parte corporis, propter quam maxime expetuntur. Iuuenalis: *Qui ſe Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere damno teſticuli.* Et Bernardus:

Prodit item Caſtor proprio de corpore velox
Reddere, quas ſequitur hoſtis auarus opes.

Sic igitur vt hinc pellem, quæ in occidente quæritur, tueri valeat: illinc partis medicinalis, quæ in oriente diligitur, largitione, totum quanquam tamen nõ totum conſeruet, mirabili (ne dicam ingenio) vi quadam ingenita & quaſi diſcretiua, venatoris aſtutiam vitare molitur. Notandum quoque, quod Caſtores caudas habent latas, & non longas, in modum palmæ humanæ ſpiſſas, quibus tanquam pro remigio natando funguntur, cumque totum corpus reliquum piloſum habeant, hanc partem omni piloſitate carentem in morem Phocæ marinæ planam habent, & leuigatam: vnde & in Germania Artoiſque regionibus, vbi abundant Beuers, caudis huiuſmodi piſcium vt aiunt, naturam tam ſapore quam colore ſortitis, viri etiam magni & religioſi, ieiuniorum tempore pro piſce veſcuntur. Videtur tamen, quod iuris in toto quoad totum, hoc in parte quoad partem, nec pars à toto tanta generis diuerſitate diſtare conſueuit.

Tranſiuimus autem à caſtro prædicto verſus pontem Stephani, *Cruc Mawr*, id eſt, colle magno iuxta *Abertewi* à ſiniſtro latere relicto. Vbi Gruffinus filius Reſi filii Theodori poſt obitum Anglorum Regis Henrici primi in bello publico, ex Anglorum populo per necem nobilis viri Richardi Clarenſis iuxta *Abergeuenni* (vt dictum eſt paulo ante) interempti, ſine capite relicto: & ob hoc in impetu primo ſtatim confecto, ſtragem non modicam fecit, in ſummitate collis eiuſdem tumulus reperitur, quem ſe cuilibet ſtaturæ præſtare conformem incolæ teſtantur. Et ſi arma quæcunque veſpere ibidem integra relinquantur, mane confracta vulgari aſſertione reperientur.

Annotationes in Caput III.

Caſtor, ab extremis amnium fibris, in quibus degit, Fiber latine dicitur & Græce κάστωρ quaſi γάστωρ quod ventrem magnum habeat, vt Etymologici tradunt. Hoc animal eſt ex iis, quæ Græci ἀμφίβια vel ἔνυδρα vocant, admodum ſimile lutræ, niſi quod cauda piſcis ſit, vt refert Plinius lib. 8. cap. 30. cui mollior pluma pilus eſt. Effoſſis in ripa cuniculis caudam intra aquas tenet, reliquo corpore in ſicco habitat. Caſtor, vt tradit Albertus Magnus, pedes poſteriores anſerinos habet, quibus facilius natet, anteriores vero caninos. Hic comprehenſa hominis parte, non ante quam fractæ concrepuerint oſſa, morſum reſoluit. Huius generis animalium gregatim in Ponto reperiuntur quamplurimi: vnde Caſtor canis Ponticus à quibuſdam vocatur, & Caſtorium Ponticum optimum dicunt medici. Hodie nullus Caſtor in Cambria reperitur, nec quale ſit animal vulgus cognoſcit. Vide Dioſcoridem & Plinium.

De

De tranſitu per pontem Stephani, per monaſterium quoque de Stratflur, per Breui, & Eccleſiam Paterni magni, cum N.S.

CAP. IIII.

APVD Stephani vero pontem ſermone in craſtino facto tam ab Archiepiſcopo, quam Meneuenſi Archidiacono, nec non & abbatibus Ciſtercienſis ordinis duobus de Alba domo, ſancto Iohanne, & Stratflur Siſillo, qui nobis in partibus iſtis & vſque in Norwalliam fideliter aſtiterunt: plurimis quoque ad Cucis obſequium allectis, ea nocte apud Stratflur moram fecimus. [1] Progreſſis inde parum, montanis de *Moruge* magnis & immenſis, quæ Cambrice dicuntur *Ellennuh*, à latere dextro relictis, in ſiluæ cuiuſdam ora, obuiauit nobis Cyneuricus filius Reſi, iuuentute ſeptus expeditiſſima. Adoleſcens ille flauus, & criſpus, pulcher & procerus, vt patriæ gentique morem gereret, pallio tenui ſolum & internula indutus, tibiis & pedib. nudis tribulos & ſpinas non formidantibus: vir non arte quidem, ſed natura munitus, plurimum quippe dignitatis ex ſe præferens, ex adiuncto parum. Sermone igitur tribus filiis adultis, Gruffino ſcilicet, Malgoni & Cyneurico in præſentia patris ibidem facto, & altercantibus de Crucis ſuſceptione fratribus, tandem Malgo ſe eum Archiepiſcopo ad Curiam Regis iturum firma ſponſione conceſſit. Et tam Regis quam Archiepiſcopi conſilio (niſi per ipſos ſteterit) obtemperaturum. Tranſiuimus inde per *Landewi Breui*, id eſt, eccleſia Dauid de Breui, quæ ſita eſt in collis vertice, qui ſub pedibus eiuſdem Dauid prædicantis olim excreuerat: in illa ſ ſynodo magna Epiſcoporum omnium & abbatum Cambriæ totius, nec non & cleri vniuerſi ibidē vna cum populo collecta propter Pelagianā hæreſim, quanquam olim à B. Germano Altiſidiodorenſi Epiſcopo ab inſula Britannica deletam, his denuo in partibus recidiuo morbo, rediuiuaque peſte iam tunc emerſam. [2] Vbi & vnanimi totius conuentus tam electione, quam acclamatione ob tanti miraculi ſignum, quanquam inuitus & renitens Dauid in Archiepiſcopum eſt ſublimatus: præſertim cum Beatus quoque Dubricius in memorata vrbis legionum curia eidem paulo ante ſua tam deſtinatione quam nuncupatione ceſſiſſet honorem: ſede Metropolitana ab vrbe legionum vſque Meneuiam abhinc tranſlata. Ea igitur nocte apud *Lhanpadarn Vawr*, id eſt, Eccleſiam Paterni magni mora facta, mane ad Chriſti obſequium plures alleximus. Notandum autem, quod hæc Eccleſia, ſicut & aliæ per Hiberniam & Walliam plures, Abbatem laicum habet. Vſus enim inoleuit & praua conſuetudo, vt viri in parochia potentes, ptimo tanquam œconomi ſeu potius Eccleſiarum patroni & defenſores à clero conſtituti: poſtea proceſſu temporis aucta cupidine totum ſibi ius vſurparent: & terras omnes cum exteriore poſſeſſione ſibi impudenter appropriarent: ſolū altaria cum decimis & obuentionibus clero relinquentes. Et hæc ipſa filiis ſuis clericis & cognatis aſſignantes. Tales itaq; defenſores ſeu potius Eccleſiarum deſtructores abbates ſe vocari fecere, & tam nomen indebitum quam rem quoque ſibi aſſignari præſumpſere. In hoc ſtatu Eccleſiam hanc inuenimus capite deſtitutam, veteri quodam & inueterato dierum malorum (cui nomen Eden Oen filius Gwaithvoed) ſe abbatem gerente, & filiis eiuſdem altari incumbentibus. Tempore tamen regis Henrici primi Anglorum poteſtate per Cambriam vigente, cœnobium S. Petri Glouerniæ, prædictam eccleſiam quiete poſſedit. Sed poſt obitum regis eiuſdem, Anglis expulſis, monachi quoq; ſunt eiecti, & more præfato tam clerici interius quam laici exterius violenter intruſi. Contigit autem regnante Stephano, qui ſucceſſit Henrico primo, militem quendam de Armorica oriundum Britannia, peragratis regionibus multis, vt variarum gentiū tam vrbes quam mores diſcerneret, huc tandem forte fortuitu aduectum eſſe. Cum itaq; die quodam feſtiuo ad miſſæ celebrationem aduentum Abbatis tam clerus quam populus expectaret, demum Abbati venienti cum aliis occurſans, vidit turbam iuuenum venire circiter viginti more gentis expeditam, & armis munitam: cumque quærenti, quiſnam illorum Abbas eſſet, virum quendam oſtenderent cum lancea longa præcedentem: intuens in eum, & admirans ait: Nunquid alium habitum aliumue baculum abbas iſte, quam illū, quem nunc ꝓfert, habet? Reſponderunt, nequaquam. At ille: Sat, inquit, hodie nouitatis vidi, ſatq; miraculi iam audiui. Et ab illa ſtatim hora reuerſus finem labori poſuit & explorationi. Iactat autem gens hæc & generatio praua, Epiſcopum quendā Eccleſiæ iſtius (quia cathedralis aliquando fuerat) à deceſſoribus ſuis interemptum. Et hac præcipue allegatione in loco eodem ius ſibi vendicant & proprietatem. Elegimus itaque has potius enormitates ad præſens

Supr. lib. 1. ca. & lib. 2. c. 1.

Abbates laici.

ſub

Digitized by Google

ſub diſſimulatione tranſire, quam (nullo ibidem querimoniam deponente) gentem iniquam exaſperare.

Annotationes in Caput IIII.

Strat flur. *Aber conwvy.*

Monaſterium 1 de Strata florida, *à Demetico Principe conſtructum, alterum fuit è duobus cœnobiis, in quibus Cambriæ nobiles ſepulti iacent. Aliud fuit apud* Connouium *Venedotiæ vrbem, à principe eius regionis extructum, quod* Aber-conwy *Cambrice dicitur. In his duobus monaſteriis annales principum & nobilium Cambriæ conſeruabantur, in quibus eorum genealogiæ, natiuitates, connubia & obitus notabantur. Principes autem Powiſiæ fere omnes humati iacent in Eccleſia de* Myuot, *quæ & ipſa antiquitus Eccleſia Archidiaconalis totius Powiſiæ fuiſſe perhibetur: poſtea vero in parochialem Eccleſiam conuerſa fuit. Sita hæc eſt ad* Marnouiæ *confluentis ripam non procul à* Mathraual, *quod præcipuum erat eius prouinciæ palatium. Hic* Mediolanum *(quod Ptolomæus & Ethicus ad occidentem inter Ordouices poſuerunt) olim fuiſſe nonnulli affirmant. Extant ibidem adhuc (præter conſtantem incolarum aſſeuerationem, à parentibus ad poſteros tranſmiſſam) quamplurima venerandæ antiquitatis monumenta, quæ vrbis cuiuſdam veſtigia manifeſte indicant.*

2 *Pelagius genere Britannus, vt teſtatur Bedas, vel vt vult Polychronici Auctor, Romanus, aut vt Eccleſiaſtici ſcriptores tradunt, Brito Armoricanus, in eam opinionem flagitioſe atque turpiter incidit, vt hominem ſuis meritis, ſine gratia Dei, ſalutem conſequi poſſe, & vnumquemque ad iuſtitiam propria voluntate regi, impie doceret atque defenderet. Hoc ſuæ perfidiæ venenum longe lateq; diſperſit, per Iulianum quendam de Campania & Leporium Agricolam Seueriani Epiſcopi filium, ipſiuſque Pelagii diſcipulum, cuius opera vniuerſam Britanniam hoc peſtilenti dogmate infecit. Vnde Britanni à Gallicanis Eccleſiis ad hoc incendium extinguendum opem auxiliumque petebant, quorum petitioni tam iuſtæ tamque neceſſariæ inclinantes Galli, Germanum Altiſiodorenſem, & Lupum Trecaſinum Epiſcopos, viros fide ac virtute diuina pollentes, tum ſermone facundos & diſſerendo acres, qui huic recenti hæreſi diuino verbo reſiſterent, in Britanniam miſerunt. Hi habita cum Pelagianis diſputatione, verbi diuini pugione aduerſarios confodiunt, eoſque ad palinodiam cogunt, ita vt Leporius ab eo tempore Pelagii doctrinam penitus repudiauerit. His itaque peractis, Epiſcopi ſupradicti, Britannis eorum opera à Pelagianiſmo vindicatis, & in Euangelii doctrina firmatis, ad ſuas ſedes reuerſi ſunt. Poſtea tamen huius peſtis ſemina & initia, quæ optime extincta putabantur, ab impiis quibuſdam rurſus excitata atque ſæpius repetita ſunt, donec Dubricius vrbis legionum Archipræſul omnes Cambriæ Epiſcopos reliquoſque verbi miniſtros in vnum locum conuocari feciſſet: vbi Dauid grauiter & neruoſe abſurdam Pelagii doctrinam, ſolidis rationibus è ſacræ ſcripturæ fontibus petitis, ita refutauit, vt magnam ſibi doctrinæ & ſanctitatis opinionem conſequutus ſit. Ex qua re vulgus poſtea quamplurimas fabulas confinxit.*

3 Paternenſis *Eccleſia vna erat ex ſeptem Eccleſiis cathedralibus, quæ Metropolitano vrbis legionum ſuberant, quorum Epiſcopi ab Auguſtino Anglorum Apoſtolo, ad ſuam ſynodum vocati ſunt, de quibus vide ſupra lib. 2. cap. 1. Annotatione 4. & Matth. Park. de antiquitate Eccleſiæ Britannicæ. Hanc Gilbertus Clarenſis Comes, cum Creticam regionem ſibi ſubiugaſſet, cum omnibus decimis, oblationibus & aliis Eccleſiaſticis emolumentis, monachis cœnobii ſancti Petri Claudioceſtrenſis dedit & conceſſit, qui eum pacifice tenuerunt, viginti ſex annorum ſpatio circiter, donec tempore Stephani Regis, circa ann. 1136. Cretica prouincia per Oenum & Cadualadrum Gruffini Venedotiæ principis filios, & Normannorum & Anglorum manibus erepta, & veteribus incolis reſtituta eſt, vt ſupra lib. 1. cap. 9. in annot. Quo tempore etiam hi Abbates, quos laicos Giraldus appellat, huius Eccleſiæ poſſeſſionem nacti ſunt. Qui reuera melius ad publicam patriæ vtilitatem eius fructibus vſi ſunt, quam monachi Claudioceſtrenſes. Nam tametſi hi non magis, quam illi populum docerent, loci tamen pauperes Eccleſiæ redditibus alebant, quod ab illis factum non erat. In aliis ſuum cuique iudicium relinquo.*

De fluuio Deui, & terra filiorum Conani, cum N. S.

Cap. V.

Accedentes igitur ad aquam *Deui*, quæ Norwalliam ſecernit à Sudwallia: reuerſo iam Meneuenſi epiſcopo cum Reſo Gruffini filio, qui nos à caſtro de *Aberteiui* per Creticam regionem vſque ad aquam iſtam laudabili in Principe liberalitate deduxit: Tranſcurſo nauigio flumine, & Meneuenſi diœceſi iam poſt terga relicta, terram filiorum Conani ſcil. *Merionnyth*, & primam ea ex parte Venedotiæ prouinciam, & Epiſcopatum Banchorienſem intrauimus, apud *Towyn* pernoctantes. In craſtino vero mane occurrit nobis filius Conani Gruffinus, quod diutius Archiepiſcopo venire diſtu-

re diſtuliſſet humiliter & deuote veniam petens. Tranſiuimus eodem die nauigio bifurcum *Mauia* flumen, vbi Malgo filius Reſi, qui indiuiduum Archiepiſcopo ad curiam Regis ſe Comitem dederat, iuxta mare vadum inuenit. Ea nocte iacuimus apud *Lhanuair*, id eſt, Eccleſiam Mariæ in prouincia de *Ardudwy*. Hæc autem terra Conani & præcipue *Merionyth*, omnium totius Cambriæ terrarum hiſpida magis eſt & horribilis. Habet enim montes altiſſimos, arctos tamen, & in arcis modum acutiſſimos, nec raros quidem, ſed creberrimos, & tanta inæqualitate conſertos, vt in ſummis eorum verticibus paſtores confabulantes ad inuicem vel conuitiantes, ſi concurrere forte ſtatuerint, à mane in veſperam vix conuenient. Sunt autem his in partibus lanceæ longiſſimæ. Sicut enim arcu præualet Sudwallia, ſic lanceis præſtat Venedotia: adeo vt ictum hic lancea cominus datum ferrea loricæ tricatura minime ſuſtineat. In craſtino obuiauit nobis filius Conani iunior (cui nomen Meredythus) in tranſitu pontis cuiuſdam cum plebe prouinciæ illius. Vbi quamplurimis ad crucem allectis, tãdem vno de familia ipſius cruce ſignato iuuene perualido, eiq; familiariſſimo, quoniam pallium, cui crux aſſui debuerat, tenue nimis & vile videbatur, cum vberrimo lachrymarum fonte, ſuum ei Meredythus pallium proiecit.

ANNOTATIONES IN Caput V.

P*Eragrata iam vniuerſa prouincia Demetica, pergit Archiepiſcopus ad Venedotiam, & ingreditur* Meruiniam, *Deuo confluente traiecto. Hac regio antiquitus* Meraonia *dicta eſt, à Meraone filio Tibeaonis filii Cunedagii ſiue Cunetha, de quo Gildas Britannus mentionem facit: & etiam Meruinia à Meruino Lentigenoſo Roderici Magni patre, eius prouincia domino: qui poſtea iure vxoris rex factus eſt Cambriæ. De qua Lelandus in Genethliaco:*

Porrigitur vaſto fluuii trans oſtia Deui
Tractu terra potens haſtis Meruinia longis:
In qua caſtrum ingens Arlecha crepidine ſaxi.

In hac regione eſt lacus Tegydius, de quo infr. c. 11. & in annot. ibidem.

De Traeth Mawr & Traeth bachan tranſcurſis, de Neuyn quoque, Caernaruon, & Banchor, cum N. S.

CAP. VI.

TRANSIVIMVS inde *Traeth Mawr*, & *Traeth bachan*, id eſt, tractum maris maiorem, & tractum minorem, vbi duo caſtra lapidea de nouo ſita fuerunt: vnum in *Euionyth* verſus montana borealia, quod erat filiorum Conani, cui nomen *Deudraeth*: alterum vero, ex alia fluuii parte verſus mare in capite *Lhyn*, quod erat filiorum Oeni, cui nomen *Carn Madryn*. [1] Dicitur autem Traeth lingua Cambrica, ſabulum mari influente longius & ſe retrahente nudatum. Tranſiuimus tamen aquas antea non ignobiles, *Diſſennith* inter *Maniam* & *Traeth Mawr*, *Arthro* inter *Traeth Mawr* & *Traeth bachan*. Ea nocte iacuimus apud *Neuyn*, videlicet vigilia Paſchæ floridi: vbi Merlinũ Silueſtrem diu quæſitum, deſideratumq; archidiaconus Meneuenſis dicitur inueniſſe.

Traeth Britannice ſignificat ſabulum, quod cũ ſpatioſo expanditur magnitudinis nomẽ aſciſcit.

Traeth.

Iacet autem extra *Lhyn* inſula modica quam monachi inhabitant religioſiſſimi, quos Cælibes vel Colideos vocant. Hæc autem inſula vel ab aeris ſalubritate quam ex Hiberniæ confinio ſortitur, vel potius aliquo ex miraculo ex Sanctorum meritis, hoc mirandum habet, quod in ea ſeniores præmoriuntur, quia morbi in ea rariſſimi: & raro vel nunquam hic nuſquam moritur, niſi longa ſenectute confectus. Hæc inſula *Enhli* Cambrice vocatur, & lingua Saxonica *Berdeſey*. Et in ea (vt fertur) infinita ſanctorum ſepulta ſunt corpora. Ibiq; iacere teſtantur corpus B. Danielis Banchorenſis Epiſcopi. *Enhly.*

[2] Plurimis igitur in craſtino ad Archipræſulis ſermonem cruce ſignatis, verſus Banchor iter arripientes tranſiuimus per *Carnaruon*, id eſt, caſtrum de Aruon. Dicitur autem *Aruon* prouincia contra *Mon*, eo quod ſita ſit contra *Monam* inſulã. Venientibus itaq; nobis ad vallem via duce, tam in aſcenſu quam in deſcenſu valde præruptã, cuncti ab equis dilapſi pedites porreximus, ex condicto, tanquã Hieroſolymitanæ peregrinationis (ſicut tunc credebatur) iam inſtantis quædã præludia faciẽtes. Valle igitur tranſmeata, cum ad partem oppoſitam tranſcenderemus, fatigatis vniuerſis, in quercu quadam vi ventorũ ſtirpitus auulſa & proſtrata, quieſcendi reſpirãdiq; gratia cum archiepiſcopus reſediſſet, laudabilem in tanto tamq; grauitatis autenticæ viro, reſolutus in iocunditatem circumſtantibus ait; Quis veſtrum in hac turba ſibilando au- *Aruon.*

res delectare nunc præualet fatigatas? Quod feſſis ex itinere fieri ſolet difficile. Ipſo vero ſe id poſſe, ſi vellet, proteſtante, auditur in ſilua propinqua ſibilus auiculæ dulciſonus, quam alii picum, alii verius aureolum dixere. Dicitur autem picus auicula lingua Gallica Spec dicta, quæ roſtro robuſto quercum perforans, maiorem viribus ictus ingeminat. [3] Dicitur & aureolus auicula aureo croceoq; colore conſpicua, dulcemq; ſuo in tempore pro cantu ſibilum reddẽs, quæ & aureolus ab aureo colore nomen accepit. Ad hæc igitur quodam dicente, nunquam philomenam partes iſtas intraſſe: ſubiunxit Archiepiſcopus modeſta quadam ſubriſus ſignificantia: philomena quidem ſapienti freta eſt conſilio, quæ Cambriæ fines non intrauit: nos autem inſipienti, qui Cambriam & penetrauimus & circuimus. Ea igitur nocte moram fecimus apud Banchor, cathedralem videlicet Venedotiæ ſedem, à loci eiuſdem epiſcopo decenter exhibiti. In craſtino vero miſſa in principali altari ab archipræſule celebrata, ſedis eiuſdem antiſtes, cui nomen Guianus, à dextris altaris ad magnam tam Archiepiſcopi, quam aliorum plurium inſtantiam, & importunã magis quam perſuaſoriam, ad crucis ſuſceptionem eſt compulſus, cum magna ſuorum in ipſa Eccleſia lamentatione, miſerabilique ſub barbata quadam vociferatione vtriuſque ſexus hominum tam clamore quam mœrore.

Annotationes in Caput VI.

Conanus [1] *filius Oeni. filios habuit Gruffinum & Meredythum eius fratrem, de quibus in ſuperiore capite mentio fit, horum poſſeſſio fuit præter Meruiniam caſtrũ* Deudraeth. Carn Madryn *autem tametſi patris eorum poſſeſſio fuerat, pertinebat tamen hoc tempore ad Rothericum & Malgonem filios Oeni cognomento Gwyneth Venedotiæ Principis. Vide cap. ſequentis annot. 1.*

[2] *Referunt hiſtoriæ Cambriæ poſt Banchorenſis cœnobii, per Ethelfredũ Northumbriũ vaſtationem, Chriſtianorum viginti millia, vt Saxonum crudelitatem vitarent, in hanc inſulam confugiſſe, atq; ibi eremiticam vitam traducentes fata conceſſiſſe: quos eius regionis incolæ* Yr vgein mil Saint *appellant. Quod verum ne ſit an ſecus, aliis diſcutiendum & definiendum relinquo.*

[3] *Picus auis eſt Marti ſacra, quæ Ariſtoteli* δρυοκολάπτης *vocatur, aduncis vnguibus, quæ felium more arbores in ſubrectum aſcendit, percuſſitq; corticis ſono pabulum ſubeſſe intelligit. Pullos in cauis arborum educat: cuneos à paſtoribus cauernæ ori impactos admota herba quadam expellit.*

[4] Ban *lingua Britannica locum ſignificat,* Chorus *multitudo eſt eorũ, qui religionis ergo conuenerunt. Sic appellabat Daniel Aronius eccleſiæ ſuæ ſedem. Tres fuerunt eccleſiæ ab illo eodem nomine fundatæ. Vna in Aruonia, vbi præſidebat ipſe, de qua hic loquitur Giraldus. Secunda in Mailora, vbi celebre illud cœnobium fuit: cuius mentio fit apud Bedam & Galfridum. Tertia in Hibernia, quæ omnes hodie Danielem patronum agnoſcunt.*

De Mona inſula cum notabilibus ſuis.

Cap. VII.

His ita peractis tranſiuimus in Monam inſulam, quaſi miliatibus duobus inde diſtantem, breui maris brachio tranſnauigato. Vbi & iunior Oeni filius Rothericus cum inſulæ totius, nec non & terrarum adiacentium populo nobis deuotus occurrit. Facta igitur in loco quodã non procul à ripa confeſſione petroſis rupibus in theatri modum orbiculariter circumſtantibus, ad ſermonem Archiepiſcopi, & eiuſdem loci archidiaconi, & interpretatis noſtri Alexandri: Nec non & abbatis de Strathflur Siſilli, multi de plebe ad crucis obſequium ſunt allecti. Sedebant autem in oppoſita rupe de familia Rotherici iuuenes electi, quorum nullus allici potuit: quanquam tamen illas, mel fruſtra de petra elicere conantes, & oleum de ſaxo, tam archiepiſcopus quam alii præcipue ad ipſos ſermone directo, verbis ſuaſoriis nec perſuaſoriis inuitarent. Contigit autem poſt intra triduum, tanquã diuina vltione ſecuta, quod iuuenes hi cum aliis multis prædones patriæ perſequerentur: qui ſtatim à prædonibus confecti & in fugam dati, interemptis quibuſdã, & aliis lethaliter vulneratis, crucem quam antea ſpreuerant, in carne ſibi inuicem iam vltronei affixerunt. Rothericus quoque, qui ſanguine ſibi propinquam, & in tertio gradu cognatam, Reſi principis filiam paulo ante inceſtuoſo contubernio copulauerat, vt contra fratrum filios (quos exhereditauerat) ſe Reſi auxilio fortius tueretur: ſalutaribus archiepiſcopi monitis ſuper hoc non obtemperans, à tota, quam poſſederat, terra in breui poſtmodum ab eiſdem eſt eiectus. Vnde ſibi illicite ſperauerat defenſionem, inde merito reportans confuſionem.

[1] Habet

Habet autem hæc inſula Monæ trecentas quadraginta tres villas, & pro tribus Cantredis reputatur.

Cantredus.

Dicitur autem Cantredus compoſito vocabulo tam Britannica quam Hibernica lingua, tanta terræ portio quanta 100. villas continere ſolet. Adiacent autem inſulæ *Britanniæ* tres lateraliter diuerſis ex partibus inſulæ, quæ eiuſdem fere quantitatis eſſe perhibentur. Ab Auſtro *Vecta*, à Zephyro *Mona*, à Circio *Mania*. Sed duæ priores propinquius adiacent, modicis diſtinctæ maris interſtitiis. Tertia vero, quæ *Mania* dicitur, media inter Hibernicam *Vltoniam* & *Scoticas Galouidias* libramine iacens, remotius extenditur. Eſt autem *Mona* arida tellus & ſaxoſa, deformis aſpectu & inamœna, terræ de *Pebidion* (quæ adiacet *Meneuia*) exteriori qualitate ſimilima: veruntamen interiori naturæ dote longe diſſimilis.

Eſt etenim hæc inſula præ cunctis Cambriæ finibus triticeo germine incomparabiliter fœcunda: adeo vt prouerbialiter dici ſoleat lingua Britannica, *Mon mam Cymbry*, quod latine ſonat, Mona mater Cambriæ. Quoniam aliis vndiq; terris deficientibus, hæc ſola gleba præpingui vberiq; frugum prouentu Cambriam totam ſuſtentare conſueuit. Sed quoniam in hac inſula digna memoratu multa reperies, quædam ex his excerpere, & hic interſerere non ſuperfluum duxi.

Lapis Maen Mordhwyd.

Eſt igitur hic lapis humano fœmori fere conformis, cui inſita virtus hoc habet, vt ſpacio quantolibet aſportatus, proxima per ſe nocte reuertatur, ſicut ab accolis pluries eſt compertum. Vnde & Hugo comes Ceſtrenſis, qui tempore Regis Henrici primi tam inſulam iſtam, quam terras adiacentes viriliter occupauerat, audita huius lapidis virtute, ipſum alii lapidi longe maiori ferreis cathenis fortiter ligatũ probandi cauſa procul in mari proiici fecit: qui tamen ſummo diluculo cum multorum admiratione priſtino more ſuo in loco repertus eſt. Cuius rei occaſione publico Comitis edicto prohibitum eſt, ne quis de cetero lapidem à loco mouere pſumat. Contigit aliquando, ruſticum quendam experiendi gratia ad fœmur ſuum lapidem ligaſſe: ſed putrefacto ſtatim fœmore ad locum priſtinum lapis euaſit.

Rupis audientiũ.

Eſt & in eadem inſula collis ſaxoſus, non magnus, & parum altus, cuius ex vna parte ſi clamaueris, ex altera nequaquam audieris, & vocatur ab incolis per antiphraſin *Rupis audientium*. In Boreali quoque maioris Britanniæ latere, quod ab Humbro flumine, quaſi trans Humbrum ab Anglis nomen accepit, eſt collis haud diſſimilis: cuius ex vno latere ſi cornu altiſonum vel tubæ clangor experitur, oppoſito in latere non audietur.

Τιμωρία S. Tefredauci.

Eſt & in hac inſula Eccleſia Sancti Tefredauci confeſſoris, in qua Hugo comes Slopeſburienſis, cum ſemel vna cum comite Ceſtrẽſi hanc inſulam vi ingrederetur, canes nocte quadam poſuiſſet, inſanos omnes mane recepit. Et ipſemet infra menſem miſerabiliter extinctus occubuit: accellerant enim ad inſulæ portum ab Orchadum inſulis piratæ in nauibus longis: quorum aduentum vbi Comes audiuit, ſtatim eis vſque in ipſum mare, forti reſidens equo animoſe nimis occurrit. Et ecce nauium princeps, cui nomen Magnus, primæ nauis in prora cum arcu proſtans ſagittam direxit: & quanquam Comes à vertice capitis vſque in talum pedis præter oculos ſolum, ferro fideliter eſſet indutus: tamen dextro percuſſus in lumine perforato cerebro in mare corruit moribundus. Quem cum ſic corruentem victor ab alto deſpiceret, ſuperbe in victum & inſolenter inuectus, dixiſſe memoratur lingua Danica, *Leit loupe*, quod latine ſonat, ſine ſalire. Et ab hac impoſterum hora poteſtas Anglorum in Mona ceſſauit. Noſtris quoque temporibus Anglorum Rege Henrico ſecundo in Venedotiam exercitum ducente: vbi & in arcto ſiluestri apud Coleſhulle bellicam aleam expertus eſt: claſſe in Monam tranſmiſſa, cum prædictæ Eccleſiæ aliiſque ſanctorum per inſulam locis ſpoliando, prædando minime deferrent, diuina ſequuta vindicta, accolæ tandem in aduenas, pauci in multos, inermes in armatos, ſubito irruentes multis interemptis, multiſque captis, & in vincula datis, victoria potiti ſunt cruentiſſima.

Φιλοτιμωρία ſanctorum Cambriæ.

Quemadmodum enim Hibernica teſtatur Topographia, ſicut natio Hiberoica, nec nõ & Cambrica præ aliis genribus præcipites in iram & ad vindictam in vita proni reperiuntur, ſic & in morte vitali, terrarum earundem ſancti præ aliis animi vindicis eſſe videntur.

Fuerant autem duo nobiles viri, & eius qui ſcripſit hæc auunculi cum aliis huc à Rege tranſmiſſi, Henricus ſcilicet Regis Henrici primi filius, & ſecundi auunculus, ex nobili Neſta Reſi filia in auſtrali Cambria Demetiæ finib. oriundus, & Robertus Stephani filius Henrici, frater non germanus, ſed vterinus: vir quidem, qui noſtro primus tempore, aliis viam præbens, Hibernicam non longe poſt aggreſſus

Digitized by Google

expugnationem: cuius quoque præconia vaticinalis depromit hiſtoria. Henricus igitur nimia fretus audacia, bonaq; deſtitutus omnino ſequela, cum magno ſuorum dolore inter primos lanceis confoſſus occubuit: Robertus vero de defenſione diffidens, vix ad naues grauiter vulneratus euaſit.

Eſt & inſula modica collateralis Monæ, & fere continua, quam ſolum Eremitæ labore manuum viuentes Deo ſeruientes inhabitant. De quibus hoc mirandum, quod cum aliquibus forte motibus humanis diſcordes ad inuicem inuenti fuerint, ſtatim mutes minutiſſimi (quibus abũdat inſula) eſcas eorum omnes & potiones tam cõſumunt quam corrumpunt. Ceſſante vero diſcordia, cõtinuo ceſſat & incommodum. Nec mirandum, ſi Dei famuli diſcordes interdum inueniantur: quoniam in Rebeccæ vtero Iacob & Eſau bella geſſere: Paulus & Barnabas contentioſe ab inuicem diſceſſere: Inter diſcipulos quoque Ieſu facta eſt contentio, quis eorum videretur eſſe maior. Infirmitatis enim humanæ temptationes ſunt hæ. Veruntamen & virtus plerunque in infirmitate perficitur, & fidei cõſtantia tribulationibus augmentatur. Dicitur autem inſula prædicta Cambrice *Ynys Lenach*, id eſt, inſula eccleſiaſtica, propter copiam ſanctorum, quorum ibi corpora iacent, & hanc inſulam fœminæ non intrant.

Præterea vidimus in Mona canem curtum, non natura quidem ſed caſu ſolo cauda mutilatum. Cuius & progenies plurima tam à genitore deſcendens quam genitura, ſimilem iam naturalem pati defectum oſtenſa eſt, Mirum enimuero, quod ſolum parenti caſus adiicit: hoc ſibi prolem impoſterum tanquam à natura conformare. Militem quoque in Anglia vidimus ex Deuoniæ finibus oriundum, cui nomen Erathbaldus, de quo contigit, vt dum in matris aluo geſtaretur, patre partum penitus abnegante, & matrem zelotypiæ cauſa ex ſola ſuſpicione fortiter accuſante: puero in lucem prodeunte ſola litem per ſe natura diremit. Fiſſuram namque, quam ictu lanceæ militari exercitio per medium ſub nare ſuperius labrum genitor olim ſuſceperat, laudabili naturæ miraculo eodem in loco genitura prætendit. Erathbaldi quoque filium vidimus, cui nomen Stephanus, eodem indicio patris cauſali læſione tanquam in naturam iam conuerſa. Item, in Comite Alberico, Alberici Comitis de Veet filio ſimile naturæ miraculum vidimus. Cum enim pater eiuſdẽ matre iam prægnante, filia ſcilicet Henrici de Eſtſexia, ob ignominioſum patris euentum iam ad diuortium modis omnibus elaboraſſet, partu prodeunte, quem pater in oculo caſuali læſione ſuſtinuit, eadem in parte defectus in filio patentauit. Sed forſitan ex rei viſæ memoria, quæ per aſpectum contrahitur & reſeruatur, huiuſmodi proprietas in prolem deſcendit. Sicut de Regina legitur, quæ quoniam Æthiopem in thalamo depictum inſpicere conſueuerat, ex inopinato Æthiopem peperit, quam & Quintilianus per picturam excuſauit. Similiter & de ouibus variis contigit, quas Labe nepoti ſuo Iacob de grege conceſſit, per virgarum præfixarum variationem multiplicatis. Nec tantum ex mulieris, verum etiam ex imaginaria viri memoria partus interdum informatur. Compertum eſt enim de quodam, qui cum forte tranſeundo hominem inſpiceret ſe ante & retro continua paſſione mouentem, ad vxorem illico accedens, eamque cognoſcens, quoniam motionis illius memoria à mente præ admiratione excidere non potuit: eadem hora puerum genuit ſimili paſſione percuſſum.

ANNOTATIONES IN Caput VII.

D*Vo[a] in hoc noſtro Giraldo, quæ illi fere ſemper in more poſita ſunt, animaduertere licet. Primum enim ſuum tantummodo propoſitum, neglectis aut non conſideratis aliorum (de quibus ſcribit) negotiis, reſpicere & perſequi ſolet. Deinde ſi quid aduerſi cuiquam acciderit circa huius legationis tempus, id totum, vel quod is crucem recipere noluerit, vel quod ſuperſtitioſum diuorum aut reliquiarum cultum neglexerit, eueniſſe confirmat. Quæ in hoc capite manifeſta ſunt. Quod ad huius loci intellectum attinet, quædam altius mihi repetenda ſunt. Cum Dauid filius Oeni Venedotiæ Princeps omnes ſuos fratres hereditariis ſuis portionibus eieciſſet, & Malgonem atque Rothericum in vincula ſub ſaluis cuſtodiis coniecisſet: hi duo deceptis cuſtodibus, non ita multo poſt, euaſerunt è carcere: & Rothericus ad Gothricum* Manauię *regem aufugit, cuius auxilio fretus* Monam *inſulam capit; deinde vna cum Malgone fratre caſtrum de* Carn Madryn *in* Lhyn, *nepotibus ſuis Griffino & Meredytho Conani filiis violenta manu eripuit: illi tamen iuuenes, eo tempore quo Archiepiſcopus in his partibus ageret, vires ſuas colligunt, & in Rothericum exercitum ducunt, quem non ſolum ad inſulam*

deferen-

deſerendam, verum etiam ad ſalutem fuga quærendam, maxima ſuorum militum parte caſa compellunt. Hæc cum ita ſe haberent, cuiuis manifeſtum eſſe poteſt, Rothericũ eo tempore nec Saracenico bello vacare, neq; in tanto periculo militum ſuorum numerum imminuere vllo modo potuiſſe: niſi forte ſuas poſſeſsiones penitus derelinquere vellet. An vero idcirco in acie ſuperatus ſit, quod crucem non ſuſcepiſſent eius milites, illi qui victoriam tribuit diiudicandum relinquo.

[2] *Tres* Mônæ *Cantrédi fuerunt, id eſt.* Aberfrau, *in quo* Lhion & Malhtraerh: Cemais *in quo* Talebolion & Twrcelyn: & Roſſiria, *vbi* Dyndaerhuy & Menay *continentur.*

[3] *Extat peruetuſtus quidam liber de vita & rebus geſtis Gruffini filii Conani Venedotarum principis, Britannice ſcriptus, in quo memoriæ proditum eſt Marianum quendam cognomine Ruffum prædicti principis famulum, dominum ſuum Hugoni Ceſtrenſi comiti, ſub ſpecie colloquii cuiuſdam apud* Ruc *habendi, prodidiſſe. In quem locũ cum princeps paucis ſtipatus veniſſet, & nihil tale ſuſpicaretur, ſtatim captus eſt, & Ceſtriam miſſus, atq; in carcerẽ coniectus. Vbi cum multis annis Griff. in vinculis detineretur, prædictus comes in Monam inſulam ingentem per mare conduxit exercitum, eamq; regionem (ferro & flamma cuncta deuaſtando) ſibi ſubiugauit: in qua, vt eam facilius poſtea retineret, duo caſtra conſtruxit: vnum ſc. in inſula prædicta, & aliud in Aruonia, eaq; præſidiariis militibus & rebus omnibus neceſſariis firmauit. Accidit autem longo interuallo poſt, vt Yalenſis quidam nomine Cynuricus Hir, qui antea principi ſeruierat, eumq; probe nouerat, neceſſariorum parandorum cauſa Ceſtriam proficiſceretur: qui cum omnia, quorum cauſa venerat, paraſſet, iamq; domum redire cogitaret: forte fortuna Gruffinum principem ſuum ferrea cathena conſtrictum conſpicit, eumq; adit, quem ſub cœnæ tempore (cuſtodibus cibo intendentibus) cum in humeros ſuos extuliſſet, nemine prohibente, ſecum aſportauit. Princeps itaq; è carcere liberatus, collectis viribus (ad quem omnes vndiq; concurrunt) ſuas poſſeſsiones haud difficulter recuperauit. Poſtea tamen comes aſcito ſibi in auxilium Hugone Salopienſe, in Monam iterum exercitum ducit, ſed fruſtra: nam cum Salopienſis comes cæſus eſſet, Ceſtrenſis eius infortunii terrore perculſus, cum ignominia domum reuertitur.*

[4] *Gulielmus Salisburius, vir in Cambriæ antiquitatibus egregie verſatus, & de patria ſua optime meritus, teſtatur hunc lapidem, de quo hic mentio fit, ſuo tempore videlicet 1554. in muro cœmiterii eccleſiæ D. Aedani in Mona inſula adhuc extare.*

[5] *De diuorum Cambriæ & Hiberniæ iracundia & vltione. Locus grauis eſt, ex intimis myſticæ Theologiæ penetralibus depromptus, accuratiſsima Sorbonicorum doctorum diſputatione dignus. Huiuſmodi* μύθοι ἐ θείων *diuorum & reliquiarum frequens eſt in hoc libro. Hic diuus Tefredaucus Hugonem Salopiẽſem comitem, quoniã canes ſuos in eius eccleſia nocte quadam poſuiſſet, morte mulctauit, & ipſos canes inſanos reddidit. Idem etiam Henricum Regis Henrici primi filium nothum, eo quod ſuæ eccleſiæ non peperciſſet, lanceis confoſſum perire fecit, vt in hoc capite apparet. Diuus Ananus, quia dominator caſtri de Radnora, cum ſuis canibus venatoriis nocte quadam in eius Eccleſia incaute pernoctaſſet, canes rabie, & dominum cæcitate percuſſit, ſupr. lib. 1. c. 1. Baculus Cyrici ſtrumoſum quendam, qui denarium ob ſuam ſanationem præſtituto tempore non obtulit, in priſtinum morbum cum confuſione redegit, lib. 1. c. 1. Campana Baugu propter ſuam detentionem caſtellum de Rayder Gwy incendio conſumpſit, eodem cap. ſup pag. 822. Torquis diui Canauci à Reſo Demetiæ principe captus & incluſus, eundem Reſum à filiis ſuis capi & includi vltione diuina fecit, ſupra c. 2. huius libri, pag. 860. Hæc & infinita huiuſmodi deliramenta ex monachorum & ſacerdotum relationibus ſcripſit Giraldus, eaque aliquando ſalſe deridet, aliquando lectorum iudicio relinquit, & nonnunquam iuxta ſui temporis conſuetudinem ſtrenue defendit: fuit enim in ſummo tenebrarum regno, eo ſcil. tempore, quo humanæ traditiones & inſulſæ ceremoniæ ab hypocritis in ſuum commodum &* φιλοχρηματίαν *introductæ, hominum mentes ita dementarant, vt non ſolum ſyncera verbi prædicatio ſed etiam omnis vera religio exularet, & vix Chriſtianiſmi nomen eſſet relictum. Nam ſuperſtitioſa ignorantia iam in Eccleſiam, auaritia ſacerdotum inuecta, pura Chriſti dogmata vbique corrumpebat. Quis ergo tam amens eſt, qui non plane intelligat, has & huiuſmodi fabulas pluſquam aniles, eſſe Diaboli inſtrumenta, quibus is veritatis lumen è mundo penitus tollere conatur? His itaque reiectis & amotis ſatius eſſet firmiſſimo ſacroſancti verbi Dei fundamento niti, illumq; iuxta ſuæ voluntatis normam ſancte & pie colere.*

De Conwy fluuio nauigio tranſcurſo, & Dinas Emrys cum N. S.

CAP. VIII.

REVERSIS à Mona Banchor iterũ, oſtenſum eſt nobis principis Oeni ſepulchrum, qui in presbyterio coram altari cum fratre minore Cadualadro in ſpelunca duplici iacebant. Quanquam tamen Oenus ob publicum cum cõſobrina inceſtum à beato martyre Thoma excommunicatus obierit. Iniuncto itaque loci illius Epiſcopo vt viſa opportunitate & occaſione captata corpus ab Eccleſia quantocius eiiceret: [1] per littora maritima, hinc rupibus prærupris, illinc fluctibus æquoreis arctari, verſus Conwey flumen marinis vndis non impermixtum, iter incunctanter arripuimus.

Non procul ab ortu Conwey in capite montis Eryti, qui ex hac parte in Boream extenditur, ſtat Dinas Emrys, id eſt, promontorium Ambroſii, vbi Merlinus prophetauit, ſedente ſuper ripam Vortigerno. Erant enim Merlini duo, iſte qui & Ambroſius dictus eſt, quia binomius fuerat, & ſub rege Vortigerno prophetauit, ab incubo genitus, & apud Carmardhin inuentus: vnde & ab ipſo ibidem inuento denominata eſt Caermerdhin, id eſt, vrbs Merlini: alter vero de Albania oriundus, qui & Celidonius dictus eſt, à Celidonia ſilua, in qua prophetauit, & Siluester, quia cum inter acies bellicas conſtitutus, monſtrum horribile nimis in aera ſuſpiciendo proſpiceret, dementire cœpit, & ad ſiluam transfugiendo ſilueſtrem vſq; ad obitum vitam perduxit. Hic autem Merlinus tempore Arthuri fuit, & longe plenius & apertius quam alter prophetaſſe perhibetur. Quid autem mortuo Oeno vel in extremis agente filii eiuſdem prauo dominandi ambitu, fraterna non reſpicientes fœdera, noſtris diebus inter ſe geſſerint, hic prætereo. Illud autem, quod noſtris his diebus notabile cenſui, prætereundum non putaui. Oenus filius Gruffini princeps Nordwalliæ inter multos, quos genuit filios tantum vnum legitimum ſuſcepit, ſcilicet Ioruerdum Trwyndwn (quod Cambrice ſimum ſonat) agnominatum, qui & filiũ ſimiliter legitimum ſuſcepit Leolinum. Hic in tranſitu noſtro patruis ſuis Dauid & Rotherico, quos de conſobrina ſua cui nomẽ Chriſtiana, Oenus ſuſceperat, quanquã puer tunc duodennis infeſtare cœpit, & licet totam Venedotiam, præter terram Conani, inter ſe pro herili portione diuiſiſſent. Licet & præter hoc, Dauid Anglicano fulciretur auxilio, puta qui ſororem Regis Henrici ſecundi ſibi matrimonio copulauerat: ex qua & filium quoque ſuſceperat; tamen intra paucos poſtmodum annos de publico incæſtu natos diuitiis pariter & diuitum auxilio fultos, legitimus iſte terris omnino carens, & theſauris à Venedotia tota diuina opitulante vindicta viriliter eiecit: nihil eiſdem niſi vltroneo motu, bonorumq; virorum conſilio miſericorditer & ex pietate relinquens. Argumentum adulterinos & incæſtuoſos domino diſplicere.

ANNOTATIONES IN Caput VIII.

GRuffinus [1] filius Conani Venedotiæ princeps duxit ſibi vxorem Ancharetam filiam Oeni filii Eduini Tegenniæ *domini, quæ hunc Oenum principem illi peperit. Oenus primo matrimonio ſibi copulauit Claudiam (alias Gladuſiam) filiam Lemarchi filii Traherni, filii Caradoci, ex qua natus eſt Ioruerdus Simus Leolini Magni pater, deinde vinculis iugalibus ſibi ſociauit hanc Chriſtianam conſobrinam ſuam, filiam nempe auunculi ſui Grono prædictæ Ancharetæ fratris.*

2 incubis & ſcubis.

2 De humana commixtione cum ſpiritibus aut incubis aut ſuccubis, variæ ſunt atq; diſcrepantes doctiſſimorum virorum ſententiæ. Omnes enim Platonici dæmonas cum mulieribus commiſceri, & ex eis generare poſſe affirmant: Quorum opinioni Michael Pſellus in libro de Dæmonibus (quem Ficinus latinitate donauit) Lactantius & alii recentiores accedunt. Auguſtinus autem quod rumore acceptiſſet duntaxat recenſet, nec ipſe certi quicquam ſtatuit. E contra vero Ægyptii, Iamblicus, Caſſianus, & è recentioribus, Steuchus, Scaliger, Wierus, & vniuerſa medicorum turba, ſolidis rationib. in

Spiritus carnem & oſſa non habet Luc 24. Vide Maximum Tyrium Ser. 27.

medium productis, id ipſum fieri poſſe conſtanter pernegant: aſſerentes dæmonas ſpiritus eſſe corpore nudatos, & ideo nõ poſſe amore fœminarum capi. Sublata cauſa tollitur effectus: vbi non eſt corpus, non ſunt actus corporis naturales: vbi non ſunt membra genitalia, non eſt deſideriũ coeundi: vbi non eſt cibus & potus, non eſt ſperma: vbi non requiritur ſucceſſio aut propagatio, non adhibuit natura generãdi facultatem. Sicut ſpiritus nudi ſitire aut eſurire non poſſunt, ſic Veneris libidine nequeunt inflammari. Mortale & immortale, corporeum & incorporeum, æternum & caducum, non commiſcentur, neq; in

Spiritualis generatio vnde.

propagando naturæ curſu conueniunt. Hæc ſpiritualis generandi ratio ab hominibus conficta (vt ſcribit Wierus) & excogitata eſt, vel per adulationem, ad principum ac potentum familias illuſtrandas & extollendas: vel per pudorem ad obſcuritatem generis aut natalium turpitudinem tegendam: vel per timorem ad ſtupra mulierum aut adulteria celanda: vel per artem ad ocioſarum ſacerdotum aut iuuenum libidinem explendam: quod prudentiores ſemper verum eſſe perſpiciebant. Memoria proditum eſt, Iouem aliquando Danaæ miſiſſe in gremium imbrem aureum. Et Cherea conſimile iam olim luſiſſe ſe luſum ait, deum ſeſe in hominẽ conuertiſſe, atq; per alienas tegulas veniſſe clanculum per impluuium, fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Harum technarum infinita apud Hiſtoricos reperiuntur exempla. Nota eſt illa elegantiſſima narratio apud Ioſephum Antiquitat. Iud. libr. 18. cap. 4. de turpi lenocinio ſacerdotum Iſidis, in prodenda caſtitate Paulinæ fœminæ probatiſſimæ, Decio Mundo, qui cum illa ſub perſona Anubidis in ipſo templo rem habuit. Eſt & alia huic non diſſimilis hiſtoria apud Euſebium Pamph. in Eccleſiaſtica hiſt. De tyranno Saturni ſacerdote, qui Dei ſui nomine incubum agebat. Hinc exiſtimare poſſumus

mus ac dignoſcere. quomodo Matrona Romana fuerit à Marte compreſſa: & alii huiuſmodi quas Val. Max. & alii hiſtorici referunt. Fuit hæc fraus ſemper vſitata ſacrificis, vt hac de cauſa, ſimulachra deorum, ipſoſque deos & comedere & bibere & coire fingerent. Atq; hic ſane fructus eſt votiui & coacti cælibatus. Galielmus de Sancto Amore in libro de periculis nouiſſimorum temporum, negat alios eſſe incubos dæmonas præter fratres mendicantes, qui (inquit) prius in ſimplicitate cordis viuebant, poſt ingreſſum ſecta eorum ſunt aſtuti hypocritæ. Hi incubi dæmones (inquit Author operis de bono vniuerſali lib. 2. c. 56.) ita religioſas virgines illis diebus opprimebant, vt nullo eos crucis ſignatio, nec aqua benedicta, nec ipſum corporis Chriſti Sacramentū, abigere valeret. Qua de re Paulus Æmilius, De geſtis Gallorum ſic ſcribit. Anno Domini 1280. Mendicantium ordinū fratres ſuum genus vitæ miris laudib. ac religionis ſanctitate, ſchiſmatice ac ſeditioſe commendabant. Gulielmus à ſano Amoris Sorbonicus doctor aliq; doctrina clari mendicitatem illam vulgo, ac votiuam ſiue cauſa paupertatem improbabāt, contendentes ſpeciem & prætextum religionis dari inerti ac deſidioſæ vitæ & mendicationi: liber eius qui adhuc extat in Bibliotheca Sorbonna, damnatus eſt. Hæc Æmilius. Huiuſmodi in omni ætate extiterunt miracula ab improbis & ſceleratis hominibus conficta. Vnde ſatis manifeſtum eſt neque Merlinum nec quēquam alium mortalem hominem ab incubo genitum eſſe, non obſtante eo, quod ex Apuleio fabulatur Maugantius (vt eſt apud Galfridum) de mediante incubi natura inter humanā & angelicam. Mendaciſſime itaque Simon Magus ex virgine ſe natum iactabat, vt Deum mentiretur: Nec minus falſo Seruius Tullius Laris familiaris filius creditus eſt. Nam & hi mortales erant, & patres eorum viri & matres fæminæ fuerunt. Merlinus ipſe natus eſt in Cambria, non ex incubo dæmone (vt inquit Baleus) ſed ex furtiua venere cuiuſdam Romani Conſulis cum virgine Veſtali, in Maridunenſi monialium cœnobio, vt in Breuiario apud Gildam habetur. Et quia in Britannorum gente rigida lex erat, ſi qua puella cū patris domo ex ſcortatione eſſet grauida, vt de montis vertice mox præcipitaretur, & vt eius corruptor capite plecteretur: miris illuſionibus & mendaciis hoc facinus celatum eſt, ne veniret in lucem: Aliunde ergo per impoſtores aſſeritur eius conceptio, quam ex communi hominum officio & vſu, vt facile deciperentur creduli. Sic ex Apuleio Maugantius medicus interroganti Vortigerno regi incubos adduxit, vt prodigium fuiſſe putaret. Narratur ab hiſtoricis, Merlinum iſtum carminibus magicis dæmonas quoſdam in colloquium vocaſſe, eduxiſſeque fertur præſtigiis miru ex ſtagno hoc apud Dynas Embrys *dormientes dracones, qui impedimento erant Vortigerno ne turrim ædificaret: Et ex* Hibernia *per Gigantum choream, prodigioſam in agro* Seueriano *lapidum ſtructuram. Dicitur etiam quod ſuis incantationibus Vtherium regem in Gorloidis* Cornubiæ *ducis ſpeciem transformauerit, vt Igerna vxoris potiretur amplexu, & quod ex eo ſcelerato concubitu Arthurū & Annā genuerit. Sed de his prudentes iudicent. De Maridini vrbis nomine vide ea quæ annotauimus ſupra in Cap. 10. lib. 1. Extant apud Galfridū Hiſtor. Britannicæ libro quarto Merlini vaticinia, obſcura quidem illa, & nihil certi continentia, quæ vel antequam eueniant ſperare, vel cum euenerint præmiſſa, vera audeas affirmare: Præterea ita cōpoſita ſunt, vt eadē ad multa diuerſarum rerum euenta ſenſibus ambiguis & multiplicibus circumflectere & accōmodare quis poſſit. Et quanquā multi his & huiuſmodi impoſturis deluſi & decepti perierint: tamen hominum credulorum tanta eſt inſania, vt quæ non intelligant, quouis Sacramento, vera eſſe contendere non dubitent: nec in manifeſto interim deprehenſi mendacio, ſe coargui patiantur. Ea eſt humani generis vanitas & ſtultitia cum à vera diuini verbi regula deflexerit.*

Vide ſupra lib. 2. c. 12. pag. 12.

Merlinus.

Eius miracula.

Vaticinia.

De montanis Eryri, tum N.S.

CAP. IX.

MONTANA vero quæ à Cambris *Eryri* ab Anglis vero *Snowdone* id eſt Niuium montes dicuntur, quæ à terra filiorum Conani paulatim incrementa ſuſcipiunt, & prope *Deganwy* in Boream ſe protendunt: contra *Mônam* vero turribus aereis nimis enormiter vſque ad nubes excreſcunt, ſub ſilentio non ſunt prętereunda. Tantæ ſiquidem & tam immenſæ quantitatis eſſe perhibentur vt antiquo prouerbio dici ſoleat: Sicut *Mônam* inſulam hominibus in annona, ſic *Eryri* in paſcuis, coactis in vnum armentis omnibus toti Walliæ ſufficere poſſe. Vnde & his paſcuis illud Virgilianum adaptari poteſt,

Et quantum longis carpunt armenta diebus:
Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.

In ſummis autem montium iſtorum verticibus duo lacus reperiuntur, ſua non indigni admiratione. Alter enim inſulam habet erraticam, vi ventorum impellentium ad oppoſitas plerunque lacus partes errabundam. Hic armenta paſcentia nonnunquam paſtores ad longinquas ſubito partes translara mirantur. Fieri namq; potuit vt pars aliqua ripæ olim auulſa, ſalicum radicibus aliorumq; fruticū naturaliter inſertorum vinculis aſtricta & colligata, paulatim poſtea per alluuionē incremēta ſuſceperit: & quoniam violenta ventorum rapacitate, quæ loco tam arduo fere continua reperi-

Eryri.

Llyn & Dywarchen.

Digitized by Google

tur ad varias crebertime ripas impellitur, firmas ſolo tenus & altas figere radices non permittitur. Alter vero miro & inaudito miraculo pollet: quia cum trium generum *Piſces monoculi.* piſcibu abundet, anguillis, trutis & perchiis: omnes in eo piſces monoculi reperiuntur: oculum dextrum habentes & ſiniſtro carentes. Si rei tam nouæ tamque ſtupendę rationem ſcrupuloſus lector efflagitet, aſſignare non pręſumo. Notandum & quod in Albania quoque duobus in locis, vno ad mare orientale & altero ad occidentale piſces marini qui Muluelli dicuntur monoculi reperiuntur, dextrum oculum habentes & ſiniſtro carentes. *Aquila fabuloſa.* In eiſdem montanis de *Eryri* aquila fabuloſa frequentat, quæ qualiber quinta feria lapidi cuidam inſidens fatali, vt interemptorum cadauere famem ſatiet, bellum eodem die fertur expectare: lapidemque pręd ictum cui conſueuit inſidere, iam prope roſtrum purgando pariter & exacuendo perforaſſe.

Annotationes in Caput IX.

Penmaen. IN *Septentrionalium parte montium* Eryri, *duæ rupes excelſæ, quas Giraldus hoc in loco turres aereas appellat, quaſi præruptæ mæniα proeminent, vt viatoribus per ſabulum iter facientibus, lapidibus ita periculoſe pendentibus, ac ſi iam iam in eorum capita decidere videantur, formidabiles appareant, qua lingua Cambrica* Penmaen mawr *&* Penmaen bachan *vocantur. Ex omnibus his montibus, duo reliquos altitudine & albeſcentium niuium ſplendore ſuperant, in quorum cuiuſque vertice perennis aquarum ſcaturigo reperitur, videlicet* Ewythva *&* Carneth Leolin. *Llyn y llyphaint.* *Porro in huius montis pede eſt quidam lacus qui ranarum lacus dicitur: in quo paulo ante hæc noſtra tempora, circa Annum Domini 1542. miraculoſum quiddam accidiſſe teſtantur accolæ etiamnum in viuis agentes,* *1542. Miraculoſa lapidum remotio.* *duos nimirum lapides ſtupendæ magnitudinis, qui in lacu erant, eadem nocte ex eodem emerſiſſe, & contra naturæ curſum nitentes, verſus montis cacumen latos quantum ſpatium arcus vno tactu ſagittam emittere ſolet à lacu (vti hodie remanent) conſtitiſſe. Hocque abſque vlla humana ope factum eſt. Nam horum lapidum alter domum ingentem magnitudine æquat, quem mille iuga boum non mouerent: alter vero paulo minor eſt. Cuius rei certitudinis explorandæ cauſa, illuſtriſſimus Princeps Henricus octauus paulo ante mortem quoſdam illuc miſiſſe fertur, qui eum de re tota certiorem facerent.*

De tranſitu per Deganwy & Ruthlan, ſedem quoque Laneluenſem, de viuo Sabulo & Coleshulle cum N.S.

Cap. X.

TRANSNAVIGATO deinde *Conwey* fluuio vel potius maris brachio ſub *Deganwy*, monaſterio Ciſtercienſis ordinis ſuper *Conwey* ab occidua fluuii parte à dextra relicto, vſque *Ruthlan* nobile ſimiliter caſtrum primæui Oeni filii de conſobrina Dauid ſuper *Cloyd* fluuium via duce peruenimus: vbi & ab ipſo ad inſtantiam eius magnam eadem nocte decenter exhibiti fuimus.

Fynon leinvv. Eſt fons non procul à Ruthlan in prouincia de Tegengel, quem non bis tantum die naturali more marino vicisſim & crebro diebus & noctibus nunc vndis deficere, nunc exuberare certum eſt. Idem refert Trogus Pompeius, quod *Garamantum* eſt oppidum in quo fons ebullit, qui vicisſim nocte dieque friget & feruet. Multis itaque *Lhanelvvy.* mane ad Chriſti obſequium allectis, ad paupereulam ſedis Laneluenſis eccleſiam parum inde diſtantem tranſiuimus, vbi & miſſa ab Archiepiſcopo celebrata iter incontinenti agreſſi ſumus, & per diuitem venam fructuoſumque argenti ſcrutinium, vbi pecuniam ſcrutando *itum eſt in viſcera terræ*, tranſeuntes in celula de *Baſinwerk* pernoctauimus. In craſtino vero longum viuumque per loca Sabulum non abſque formidine permeantes, Silueſtria de *Coleshulle*. i. carbonis colle, à dextra reliquimus: vbi Anglorum Rex Henricus ſecundus noſtris diebus cum primo Walliam hoſtiliter intrauit, iuuenili impetu & inconſulto calore, arctum illud Silueſtre penetrare præſumens, cum detrimento ſuorum & damno non modico ambiguam bellorum aleam *Ter Walliā ingreſſus eſt armatus.* expertus eſt. Ter enim prædictus Rex in manu forti *Walliam* intrauit. Primo *Nordwalliam* prænominato in loco: Secundo *Sudwalliam* per maritima de *Guladmorgan* & *Gouher* viam verſus *Caermarthin* & vſque *Pencadair* intrando, & per *Elenith* & *Melenith* reuertendo: Tertio vero *Powiſiam* apud *Oſwaldeſtre*. His autem expeditionibus cunctis Rex ideo minime profecit, quoniam probis patriæ viris proceribuſque Prouinciæ gnatis & peritis, fidem non habuit: ſolum in his viros à *Marchia* remotos, mores gentis & modos prorſus ignorantes, conſiliarios habens principales. In qualibet nimirum expeditione ſicut artifici credendum in ſua facultate: ſic horum præcipue ſtandum eſt ar-

eſt arbitrio, qui circa ſimilia patriæ negotia conuerſati diutius & vſitati, mores gentis & modos agnoſcunt: Quorumque magnopere refert vt gens inimica quacum ex crebris belli diutini conflictibus hoſtilitatem plurimam & odium implacabile contraxerunt: eorundem opera vel debilitari poſſit vel deleri, ſicut in vaticinali hiſtoria declarauimus.

In hac eadem ſilua de *Coleshulle* interfecto iuuene quodam Cambrenſi per exercitum prædicti regis tranſeunte, leporarius eiuſdem inuentus eſt per octo fere dies abſque cibo domini cadauer non deſeruiſſe, ſed illud à canibus, lupis, & auibus prorſus indemne fideliter & admiranda in bruto dilectione conſeruaſſe. Quis itaque patri filius? Quiſue Euryalo Niſus? Quis Tydeo Polynices? Quis Pyladi Oreſtes, hunc dilectionis affectum exhiberet? Ob huius igitur euentus gratiam leporariique fauorem, diutina fere iam fame confecti, ab Anglorum populo Cambriæ gentibus inimiciſſimo corpus iam fœtidum debito humanitatis officio eſt tumulatum.

Canis gratitudo erga dominum, vide ſupra lib. 1. cap. 7. pag. 824.

ANNOTATIONES IN
Caput X.

1 DEGANWY *Caſtrum erat munitiſſimum in promontorio Ganganorum iuxta* Conouium *à Malgone cognamento Gwyneth Britannorum rege conſtructum, quod regale Palatium fuit vltimorum Britanniæ regum ſcilicet Malgonis, Caretici, Caduani, Caduolloni, & Cadualadri. Hoc Caſtrum vnà cum oppido adiacenti circa Annum 812. igne Cæleſti conflagraſſe tradunt Annales Cambriæ: Quod poſtea Hugo Comes Ceſtriæ qui illam regionem ſibi ſubiugauit, refecit: tandem vero ab Eduardo primo Angliæ Rege* Conouium *transfertur.*

Deganvvy.

2 Ruthlanæ *Caſtrum primo conditum eſt à Leolino Siſilii filio Cambriæ principe, fuitque non ſolum ipſius Leolini verumetiam Gruffini filii ſui præcipuum pallatium. Cum vero Heroldus Goduini Comitis filius ab Eduardo Angliæ rege, contra dictum Gruffinum Cambriæ principem, regias poſſeſſiones deuaſtantem, cum exercitu miſſus eſſet, hoc caſtrum igne conſumpſit Anno 1063. Poſtea tamen ab Henrico ſecundo reſtauratum eſt, & huic Dauidi, qui eius ſororem connubio ſibi iunxerat, vt ſe à fratrum ſuorum violentia melius tueretur habitationis cauſa conceſſum.*

Ruthlana.

3 *De hoc fonte ſic ſcribit H. Lhoyd in ſuo Britannicæ deſcriptionis fragmento: in* Tegenia *eſt miræ naturæ fons, qui cum à mari ſex millibus paſſuum diſtat in Parochia Cilcenſi, bis in die fluit & refluit. Hoc tamē nuper obſeruaui, luna ab Horizonte orientali ad Meridianum aſcendente (quo tēpore omnia fluunt maria) fontis aquā diminui refluxumq; pati. Hæc ille. Vide ſupra lib. 1. c. 12. Annot. 4.*

4 *Ad dimidium milliare à* Baſywerke, *eſt fons hodie celebris à ſuperſtitioſo (vt ſcribit idem H. Lhoyd) Wenefredæ virginis cultu nomen habens, cuius aqua pura eſt, ſalubris & grati ſaporis, qui ingenti murorum ſtructura arctatus ſubito ebulliens, magnum ex ſe emittit flumen, muſcumque odoriferum ſua frigiditate gignit. Hoc fonte imperiti & diuinæ veritatis ignari, à monachis eius loci (ad ſuum priuatum quæſtum omnia referentibus) primo ſeducti, non ſolum ad Idololatricum & ſuperſtitioſum cultum ſtabiliendum, verumetiam ad omnem vitæ turpitudinem, ſub fucata religionis ſpecie fœde abutuntur: affirmantes illū fontem ad cædē prædictæ virginis ex terra primo emanaſſe & ob meritorū eius ſanctitatē, omnes languores tam in hominib. quam in pecoribus (vt legendæ verba habent) ſanare. Hanc opinionē peperit monachorum auaritia hoc modo. Henricus II. Angliæ rex cum ex* Cambria, *prima ſua expeditione reuerteretur, caſtellum de* Baſywerke *præſidiis firmauit & cellam prope idem caſtellū pro Templariis conſtruxit, eamq; poſſeſſionibus ſufficienter locupletauit: Poſtquam ille Templariorum ordo, communi generalis Concilii decreto deletus eſſet, Cella illa in cœnobium monachorum conuerſa eſt, Anno 1312. atque illarum poſſeſſionum quædam ab Edouardo ſecundo eiſdem monachis conceſſa ſunt. Hi monachi primam huic fonti, miraculoſæ ſanctitatis opinionem ſui quæſtus cauſa procurarunt. Nam ante huius cœnobii erectionem, nullus vnquam ſcriptor huius fabuloſi commenti mentionē fecit. Nouam eſſe igitur hanc fabulā non ante ita multos annos introductā, ex hoc authore facile euincitur. Hic author iſto itinere in prædicta cella apud* Baſywerke *pernoctauit: Fons etiā eodem in loco quo nunc eſt eo tempore extitit: nemo (ſat ſcio) illud negabit: de eo tamen fonte nullū omnino verbum habet. Quod ſi ad cædem Wenefredæ virginis (quæ longo interuallo ante patrata erat) fons primo miraculoſe è terra erupiſſet, habituſq; fuiſſet ab incolis ea virtute pollere qua aſſeritur: num huic authori in comitatu Archiepiſcopi exiſtenti, illud inauditum eſſe potuit? An cuiquam credibile videri poteſt, illum, qui vbique ita diligens atque curioſus erat, in miraculoſis fontium, lapidum, baculorum, campanarum & torquium virtutibus perſcrutandis & diuulgandis: tam inſigne miraculum, tamque diuinum & excellens ſacræ virginis in mortales collatum beneficium, tam ingrate & negligēter velle præterire? An non potius putandum eſt (quod res erat) ſuperſtitioſam huius fontis ſanctitatem, adhuc mundo non innotuiſſe? Verum poſtea creſcente, vna cum oblationum quæſtu miraculoſa-*

Fons Diuæ Wenefredæ.

rum

rum ſanationum fama, illius cœnobii monachi quæſtus ſui cauſa à Romano pontifice circa annum Domini 1420. venales indulgentias eo peregrinantibus procurarunt: & alias iterum indulgentias tempore Henrici ſeptimi regis Angliæ, quando illa ædificia, quæ circa fontem hodie reperiuntur, constructa ſunt. Et noſtris diebus tempore Mariæ reginæ, Thomas Gouldwel epiſcopus Aſaphenſis, has quæſtuoſas technas & ſordes renouauit, eaſque amplioribus indulgentiis à Romano pontifice perquiſitis confirmauit.

De fluuio Deua tranſcurſo & Ceſtria, cum N.S.

CAP. XI.

TRANSVADATO tandem *Deua* fluuio ſub *Ceſtria* (quem Cambri *Douerdwy* dicunt) feria tertia ante Paſcha die videlicet abſolutionis, *Ceſtriam* venimus. Sicut enim *Vaga* ab Auſtro ſub caſtro Strigulenſi, ſic *Deua* à Borea ſub Ceſtrenſi Walliam ab Anglia ſecernit & ſeparat. Item vt aſſerunt accolæ aqua iſta ſingulis menſibus vada permutat, vt vtri finium Angliæ ſcilicet an Cambriæ, alueo relicto magis incubuerit, gentem illam eo in anno ſuccumbere & alteram præualere certiſſimum prognoſticum habent. Fluuius iſte de lacu quodam cui nomen *Penmeleſmere* originem ducit, & cum ſalmonibus fluuius abundet, nunquam tamen in lacu piſces huiuſmodi reperiuntur. Hoc etiam de eodem fluuio notabile reperies: quod pluuiis nunquam, frequenter autem & fere ſemper ventis exuberat.

Imperatotem quoque Romanum Henricum ſe iactat hæc vrbs habere ſepultum. Qui quoniam ſuis diebus tam patrem carnalem quam etiam ſpiritualem ſummum pontificem ſcilicet Paſchalem incarcerauerat, demum pœnitentia ductus & vltroneus exul effectus ſanctam in eremo finibus iſtis vitam (vt fertur) conſummauit. Similiter & Haroaldum Regem ſe habere teſtantur: qui vltimus de gente Saxonica Rex in Anglia, publico apud Haſtinges bello cum Normannis congrediens, pœnas ſuccumbendo periurii luit, multiſque (vt aiunt) confoſſus vulneribus, oculoque ſiniſtro ſagitta perdito, ad partes iſtas victus euaſit, vbi ſancta conuerſatione cuiuſdam vrbis eccleſiæ iugis & aſſiduus contemplator adhærens, vitamque tanquam Anachoriticam ducens, viæ curſum (vt creditur) fœliciter conſummauit. Ex vtriuſque (vt fertur) vltimi articuli confeſſione, veritas antea non comperta, demum prodiit publicata.

Vidimus, quod in oculis noſtris nonum apparuit, caſeos ceruinos. Comitiſſa namque & comitis mater ceruas habens domeſticas, ex earundem lacte coagulatos tres caſeos modicos expreſſos & fiſcella formatos Archiepiſcopo præſentauit.

Eiſdem quoque finibus his noſtris diebus viſa eſt vacca ceruina, ad vaccam enim ceruus acceſſerat: vnde & vacca ceruina proceſſit: parte enim anteriore tota vſque ad inguina bos erat, coxas ſubinde cum cauda & tibias & pedes expreſſe cum piloſitate & colore ceruinos habens. Sed quia plus pecoris quam feræ præferebat inter armenta reſedit. Contigit eiſdem in partibus noſtris quoque temporibus canem ex ſimia pregnantem, catulos tandem produxiſſe parte anteriore tota ſimiam præferentes, in canem vero verſus poſteriora deſcendentes: quos cum aulæ militaris cuſtos ruſticus intueretur, prodigiorum nouitate ſtupeſcens, & tam deformes biformis naturæ formas abhorrens, baculo quem manu geſtabat, non abſque damno proprio, & domini (re comperta indignatione quamplurima) cunctos ſtatim interemit.

Mulier manibus carens.

Viſa eſt & in vrbe Ceſtrenſi noſtris diebus mulier manica manibus carens à natiuitate, cui tamen contra defectum iſtum tale natura remedium dederat, vt pedes tam flexibiles tam delicate articulatos haberet, quod articulorum proceritate pariter & flexibilitate, non minus ſubtiliter quam aliæ mulieres acu ſuere conſueuerint. Et quicquid filo ac forfice manibus fieri ſolet, citra defectum omnem, cum intuentium admiratione pedibus iſta complet.

ANNOTATIONES IN Caput XI.

ANTIQVVM *huius fluuii nomen (vnde etiam & vrbis)* Devam *fuiſſe: Ex Ptolomæo, Antonino & aliis perſpicuum eſt. Hinc* Dourdeua *vel* Dofrdeu *(nam vbique v conſonantis vim obtinet) id eſt, aqua* Devæ, Dour *enim Britannice aquam deſignat: vnde* Devanus æſtus: Deuaciuitas, *&* Devania prouincia, *& huiuſmodi, quæ apud antiquiſſimos authores reperiuntur, deſfluxerunt. In his & huiuſmodi antiquis fluminum, vrbium & locorum nominibus, fœde erratur à multis ſcriptoribus Britannicæ antiquitatis & ſermonis ignaris, qui dum ſeſe mirum in modum, in*

variis

variis etymologiarum formis confingendis miſere torquent, ſæpenumero δὶς διὰ πασῶν à ſcopo abſunt.

De Lacu Tegydeo *ſic ſcribit Lelandus in Genethliaco:*

Hiſpida qua tellus Meruinia reſpicit Eurum,
Eſt lacus antiquo Penlhinum nomine dictus:
Hic lacus illimeis in valle Tegeius alta
Late expandit aquas, & vaſtum conficit orbem,
Excipiens gremio latices, qui fonte perenni
Vicinis recidunt de montibus, atque ſonoris
Illecebris captas demulcent ſuauiter aures:
Illud habet certe lacus admirabile dictu,
Quantumuis magna pluuia non æſtuat: atqui
Aere turbato, ſi ventus murmura tollat
Excreſcit ſubito rapidis violentior vndis,
Et tumido ſuperat contemptas flumine ripas.
Deua lacu celebris fluuius prorumpit ab iſto.

Hæc ille:

Quod hic fluuius ventis tantum extra ripas diffluere dicitur, veritas ſic habet: illũ ſcilicet excreſcere pluuiis & tempeſtatibus non aliter quam cætera flumina: non ita tamen abundanter ripas egreditur, atq; facit Africo ſufflante. Nam ventus ille inter duos montes per lõgitudinem lacus perflans, aquam vehementer commouet, ſuoque impetu in confluentem amnem ea parte qua perfluit ex lacu eijcit & impellit, atq; ſic maxima fluminis inundatio efficitur. Lacus vero ipſe nunquam intumeſcit ventis, ſed potius euacuatur & ventorum violentia quaſi exhauritur: niſi forte naturalis aquæ curſus impediatur contrario vento, qui aquam retrocedere ſuo ſufflatu cogat, ita vt lacus ea ratione excreſcat: quod raro fit. Quod autem de piſcibus huius lacus ſcribit H. Lhoyd veriſſimum eſſe ab accolis conſtantiſſime aſſeritur. Hoc (inquit) notatu dignum, piſcium quoddam genus illi ſtagno ſingulare nunquam in fluuio inueniri, nec Salmones in amne frequentes, vnquam lacum ingrediuntur.

Vbi dicitur Deuam *fluuium* Cambriæ *&* Loegriæ *metam eſſe: intelligendum eſt id verum eſſe, ab* Hilcuria *vſque ad caſtrum Leonum: inde autem verſus meridiem terminus eſt linea ducta ab eodem Caſtro, ad* Pengwern Powys, *id eſt, Salopiam: & poſtea ad Caſtrum Iſabelis ad Sabrinæ ripam poſitum: ita vt Cantredi de* Trefred *&* Maelora, *ad* Cambriam *pertineant: Sicuti manifeſtum eſt in Articulis pacificationis facta apud Montem Gomericum inter Hen. 3. Angliæ regem & Leolinum filium Gruffini,* Cambriæ *ex Brit. ſtemmate principem vltimum.*

De tranſitu per Album monaſterium & Oſwaldeſtree, Powiſiam quoque Slopesburiam, cum N.S.

CAP. XII.

HIc itaque Paſchali feſto debita ſolemnitate completo, multis quoque ad Archiepiſcopi monita cruce ſignatis, verſus Album monaſterium iter aggreſſi ſumus. Et inde verſus *Oſwaldeſtree*: vbi tanquam in ipſa regionis Powiſienſis ora occurrerunt nobis *Powiſiæ* principes, Gruffinus Madoci filius & Eliſſa, & alii cum populo terræ ſuę, vbi nonnullis ad crucem allectis. Ab epiſcopo namque loci illius Reinerio multitudo fuerat ante ſignata.[2] A Gruffino terræ illius principe conſobrina ſua Anchareta: ſ. Oeni principis filia quã publico gentis illius vitio, diu pro vxore tenuerat, coram Archipręſule palã abiurata.[1] Apud *Oſwaldeſtree*, id eſt, Oſwaldi arborẽ pernoctauimus, à Gulielmo Alani filio iuuene nobili ac liberali ad importunam eiuſdem inſtantiã Anglicanæ ſumptuoſitatis more ſplendide nimis & laute procurati. Acciderat autẽ his in partibus paulo ante Reinerio epiſcopo crucem prędicante, iuuenem quendã perualidum, cũ à ſociis cruce ſignatis, ad eiuſdem ſigni ſuſceptionem cum inſtantia magna verbis ſuaſoriis inuitaretur, demum reſpondiſſe: priuſquam, inquit, Domini mei mortẽ hac lancea quam manu geſto vindicauero monitis non acquieſcam, Oenum ſignificans Madoci filium virum egregium ab Oeno de Cevelioc conſobrino ſuo dolose nuper & ſceleroſe peremptum. Et inter loquendum, cum ira vindice deferuens, lanceam fortiter excuteret, ipſa forte ex vtraque manus excutientis parte confracta ſtatim in terram decidit, tantum trunculo quem manu claudebat ei remanente. Quo prognoſtico perterritus plurimum & conſternatus, tanquam certiſſimo crucis ſuſcipiendæ ſigno, prouocatus crucem illico ſponte ſuſcepit.

Archiepiſcopus hic fuit extra prouinciam ſuã in prouincia nimirum Eboracenſi.

Lancea miraculoſe confracta.

In hac tertia Walliæ portione quæ *Powiſia* dicitur, ſunt equitia peroptima, & equi emiſſarii laudatiſſimi, de Hiſpanienſium equorũ generoſitate, quos olim Comes Slopesburię Robertꝰ de Beleſmo in fines iſtos adduci curauerat, originaliter ꝓpagati.

Equi ex Hiſpania in Cambriã delati.

Vnde

Vnde & qui hinc exeunt equi, cum nobili formæ pictura ipſa protrahente natura, tam membroſa ſua maieſtate, quam incomparabili velocitate valde commemorabile reperiuntur.

Hic Anglorum Rex Henricus ſecundus cum expeditione quanquam inutili, ſumptuoſa tamen & nobili noſtris temporibus *Powiſiam* intrauit. Vbi demembratis ſolum obſidibus, quos antea ſuſceperat, ſubita & inopinata pluuialium aquarum inundatione, fruſtra reuerti compulſus eſt. ✦ Die namque præcedente Anglicanæ exercitus ſatrapæ Wallenſium eccleſias aliquot cum villis & cœmiteriis igne appoſito cõbuſſerunt. Vnde & Oeni magni filii cum expedita exercitus iuuentute partem alioſq; principes ſuos ſuper hoc acriter commouerunt, dicentes & aſſerentes ſe Anglorum eccleſiis de cætero nullatenus deferre velle. Cumque totus propemodum in hoc cõmuniter aſſentiret exercitus, ſolus Oenus vt erat vir in gente ſua moderantiæ magnæ „ & ſapientiæ, ſedato tumultu, demum in huiuſmodi verba prorupit: Mea quidem in „ hanc ſententiam non concordat opinio, gratulari namque potius ob hoc & gaudere „ debemus, quia cum Anglis niſi diuino fulciamur auxilio, longe impares ſimus: ipſi in „ hoc facto deos quoque (qui & ſe & nos potenter vindicare prçualent) inimicos con„ ſtituere: Proinde & deuote domino compromittamus nos eccleſiis locіſque ſacris „ maiorem ſolito reuerentiam exhibituros & honorem. Quo facto præſcriptam nocte ſequente diuinitus emiſſam ſenſit Anglorum exercitus vltionem. Progreſſi ſumus inde verſus Slopesburiam à Sabrinæ fluuio complexam: vbi & diebus aliquot recreandi reſpirandique gratia perendinauimus. Et tam ad Archiepiſcopi monita quam ad gratioſos Archidiaconi Meneuenſis ſermones ad crucis obſequia multos alleximus. Oenum quoque de Ceuelioc quia ſolus inter Walliæ principes Archipræſuli cum populo ſuo non occurrerat, excommunicauimus. Oenus iſte præ aliis Cambriæ principibus & linguæ dicacis extiterat, & in terræ ſuæ moderamine ingenii perſpicacis. Hic autem cum Anglorum rege Henrico II. quoniam primatibus gentis ſuæ viris ſemper fere contrarius eſſe, Regique fidelius adhærere videbatur, familiaritatem contraxerat plurimam. Vnde & aliquando cum Rege apud Slopesburiam in menſa ſedens, cũ ei de panibus propriis vnum in honoris (vt aſſolet) & amoris ſignum Rex miſiſſet: ipſe ſtatim in regio conſpectu tanquam eleemoſynarium panem in fruſta concidit: & eleemoſynarii more primo remotius expoſita, deinde ſingulatim retracta comedit vniuerſa. Cuius rei rationem cum rex requiſiſſet: Reſpondens Oenus ſub riſus modici ſimulatione: Domino (inquit) meo morem in hoc gero: Subtiliter & acute in regem, qui eccleſiaſticos honores vacantes diutius in manu tenere conſueuerat, ambitus & auaritiæ notam intorquens.

Viri nobiles Cambriæ huius viſitationis tempore.

Notandum hic quoque quod viri tantum noſtris diebus in tribus Walliæ partibus, iuſtitia, prudentia principalique modeſtia regiminis emicuere: Oenus Gruffini filius in *Venedotia*: Meredyth nepos eiuſdem, filius Gruffini quem fata feſtina ſurripuere in *Suduallia*: Oenus iſte de Ceuelioc in *Powiſia*. Duo vero largitatis eximiæ prærogatiua enituere, Cadwaladarus filius Gruffini in *Venedotia*: & Gruffinus de Maelor filius Madoci in *Powiſia*: Reſus autem Gruffini filius in *Sudwallia*, libertate & animoſitate laudem meruit. In *Venedotia* vero Dauid Oeni filius: & in *Sudwallia* finibus de *Morgannoc*, Hoelus filius Iorueth de vrbe legionum æqua ſe inter Cambros & Anglos trutina librantes fidem integram & opinionem ſeruauerunt.

ANNOTATIONES IN
Caput XII.

„INGREDITVR *hic Archiepiſcopus in tertiam Cambriæ partem, peragratis aliis duabus,* Demetia *videlicet &* Venedotia. *Hæc pars poſt aduentum Normannorum in hanc inſulam, vnum aliquem ſupremum ſui principem non agnouit. Nam poſt mortem Blethini filii Conuini, qui vltimus totius* Powyſiæ *poſſeſſor extitit, iuxta illud Bardi,*

Powyſia.

Blethyn ap Convyn bob cwys
y hun bioedh hên Bowys. id eſt,

Powiſiam veterem ſolus Blethinus habebat: Altera huius prouinciæ pars, ad Septentrionalem Sabrinæ *ripam ſita, inter quinque eius filios diſtributa eſt: vnde infinitæ contentiones, proditiones perfidæ, & plurima homicidia conſequuta ſunt: Donec tandem Blethini filiis & nepotibus, maxima ex parte interfectis & deletis, ea pars iterum, præter eas portiones quas Normanni, (qui alteram partem ad meridiem protenſam fere totam diripuerant) vi & armis poſſidebant, ad Meredythum filium Blethini, qui reliquis fratribus ſuperuixit, deuoluta eſt: & poſt illius mortem, inter duos eius filios Madocum,*

Digitized by Google

cum, ſcilicet, huius Gruffini de Maelora patrem & Gruffinum patrem Oeni de Cebelioc (de quibus mentio fit in hoc capite) diſpartita eſt, & poſtea inter eorum filios & nepotes. Hi non Principes, ſed Domini in ſua quiſque regione, dicti ſunt: & Regum Angliæ aduerſus Cambriæ principes fere ſemper ſequuti ſunt partes.

2 *Iſte Reinerus epiſcopus Aſaphenſis in hac regione domicilium habuit, vbi fere ſemper morabatur. Hic decimas omnes granorum & fœni ad eccleſiam de Albo monaſterio Sancti Oſwaldi pertinentes, cum capella ſua de Sancto Martino, & aliis capellis ſuis: quibus duodecim clerici (quos vocant ſeculares) qui fere ſemper ſuas legitimas vxores habebant, alebantur, monachis de Salopia conceſſit: & prædictos clericos Papali auctoritate expulit.*

3 *Hic Gruffinus fuit filius Suſannæ ſororis Oeni patris huius Anchareta.*

4 *De hac expeditione Henrici ſecundi contra Cambros, vide quæ ſupra annotauimus in cap. 10. libri primi Annot 3.*

De tranſitu per Wenloch, Brumfeld, Caſtellum de Ludlow, & Leonis monaſterium, vſque Hereford.

Cap. XIII.

PROFECTI ſumus inde verſus *Wenloch*, per arctam viam & præruptam, quam malam plateam vocant. Hîc autem contigit noſtris diebus, Iudæo quodam cum Archidiacono loci eiuſdem cui cognomen Peccarum & Decano cui nomen Diabolus verſus Slopesburiam iter agente, cum Archidiacono forte referente audiret, Archidiaconatum ſuum ab hoc loco qui mala platea dicitur, incipere, & vſque ad malum paſſum verſus Ceſtriam durare: conſiderans & intelligens quoque tam Archidiaconi cognomen quam & Decani agnomen, lepide ſatis & facete ſubiecit: Mirum, inquit, ſi ab hac vnquam patria me mea ſors reducat incolumem, cuius quippe Peccatum Archidiaconus, Diabolus Decanus, Archidiaconatus vero mala platea introitus, & malus paſſus exitus.

Tranſiuimus autem à Weneloch per Cellulam de Brumfeld: per nobile Caſtrum de *Ludlow*: [a] per Leonis monaſterium vſque Herefordiam, *Melenyth* & *Eluel* à dextra relictis: à puncto quo per Walliam laborioſum hoc iter attripuimus, tãquam in circino circumeundo, ad punctum denuo iam reuerſi.

In huius itaque legationis longo laudabilique labore, circiter tria virorum millia crucis ſignaculo ſunt inſignita, lanceis & ſagittis expeditiſſima martiiſque negotiis exercitatiſſima: ſolam cum hoſtibus fidei congrediendi moram communiter accuſantia: fructuoſe quidem Chriſti obſequiis, ac fœliciter obligata, ſi ſalutiferæ crucis expeditio tam expedite fuiſſet tantaque maturatione profecta, quanta fuerat tam diligentia quam deuotione collecta. Porro occulto Dei iudicio ſed nunquam iniuſto Imperatori Romano viæ: regibuſque noſtris diſcordiæ data ſunt impedimenta: regi Siculo, qui præ cunctis terræ regibus, terram ſacram annonis & alimentis in tantæ deſolationis articulo ſuſtentabat, mors inopinata & intẽpeſtiua: & mortis ſequela Principum noſtrorum grauis ob regni iura decertatio. Grauiſſima fidelium populi tranſmarinis interea parribus fame & inedia miſerabiliter afflicti, medios inter hoſtes expectatio. Veruntamen vt intellectum forte præbeat vexatio: vt aurum igne probetur: & virtus in infirmitate firmetur, hæc accidere permittũtur. Aduerſitas quippe (Gregorio teſtante) quę bonis votis obiicitur, probatio virtutis eſt, nõ iudiciũ reprobationis. Quis enim neſciat quam proſperum fuit quod Paulus Italias vergebat, & tam vehemens naufragium pertulit? Sed nauis cordis in maris fluctibus integra ſtetit.

3000. viri ſunt cruce inſigniti, in hac legatione Cambriæ.

Annotationes in Caput XIII.

HOC *caſtellum de* Dinam (*ſic enim vicus ille vſque in hodiernum diem dicitur*) *primo conſtructum eſt à Ragero de Monte Gomerica Comite Salopiæ: verũ poſtquam Robertus de Beleſmo filius eius proditionis cauſa regno pulſus eſſet, Henricus primus dedit idem caſtellum cum adiacenti valle Coruenſi, Fulconi de Dinam militi, à quo in familiam Piperellorum pertranſit. Deinde poſſeſſio fuit Walteri de Laci militis, patris Gilberti de Laci, cuius filia & hæres matrimonialiter coniuncta fuit, domino Galfrido de Genvile, cum honore de* Coruedale *& caſtro de* Ludlow *&c. Poſtea vero Ragerus de Mortuo mari, primus Comes Marchiæ, eundem honorem & Caſtrum cum aliis poſſeſſionibus obtinuit, cum filia & hærede domini Petri de Genivile, dicti Galfridi nepte: Et ſic tandem ad Regiã familiam cum vniuerſis Mortimeriorum poſſeſſionibus deuenit: atque hodie præcipuum Principis* Cambriæ *Pallatium, & Præſidis eiuſdem Prouinciæ domicilium habetur.*

Ludlovve.

Deſcriptio Baldwini Cantuar. Archiepiſcopi.

C A P. XIV.

EIVS autem cuius legationis inſignia, & quaſi peregrinationis ſanctæ præludia ſuccincta breuitate prælibauimus; tam interioris hominis quam exterioris proprietatem exprimere, præter rem ne putetur. Erat itaque vir fuſcus, vultu ſimplici ac venuſto, ſtatura modica, pro corporis captu habitudine bona, ad tenuitatem tamen quã ad corpulentiam magis accommoda. Erat enim vir modeſtus ac ſobrius, vir abſtinentiæ magnæ & continentiæ tantæ, vt vix vnquã in ipſum quicquam ſiniſtrum auſa fuiſſet fama præſumere, vir ſermone parcus, iracundia ſerus, cunctis propemodum naturæ motibus vel dotibus temperatus: erat quippe velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram: literarum ſtudiis à puerilibus annis affatim imbutus, & iugum domini ab adoleſcentia portans, moribus & vita eminens in populo lucerna fuit. Vnde & Archileuitæ quem Canonice adeptus fuerat, cedens honorem & ſponte deſerens, mundique pompas alta mente deſpiciens, Ciſtercienſis ordinis habitum ſancta cum deuotione ſuſcepit. Et quoniam moribus olim pluſquam monachus extiterat, infra anni terminum Abbas effectus: & intra paucos poſtmodum annos in epiſcopum, deinde in Archiepiſcopum eſt ſublimatus, tanquam ſuper pauca fidelis inuentus & ob hoc ſupra multa conſtitutus. Cæterum quoniam (vt ait Tullius) Nihil ſimplici in genere omni ex parte perfectum natura expoliuit: innatæ benignitatis manſuetudinem, quam priuatus exercuerat, in poteſtate non exuens, tantum baculo ſuſtentans, & non virga caſtigans, tanquam vbera dans matris, & non verbera patris: remiſſionis in publico graui cum ſcandalo notam incurrit. Adeo nempe lenitatis in ipſo tepor ac torpor, paſtoralem penitus rigorem abſumpſit, vt melior monachus ſimplex quam Abbas, melior epiſcopus quam Archiepiſcopus fuiſſe videretur. Vnde & eidem Vrbanus Papa quandoque ſcripſiſſe recolitur in hunc modum: *Vrbanus ſeruus ſeruorũ Dei Monacho feruentiſſimo, Abbati calido, Epiſcopo tepido, Archiepiſcopo remiſſo ſalutem, &c.*

Inter primos Thomæ martyris [1] ſucceſſor hic ſecundus audita ſaluatoris & ſalutiferæ crucis iniuria, noſtris proh dolor diebus per Saladinum irrogata, cruce ſignatus, in eiuſdem obſequiis tam remotis finibus quam propinquis, prædicationis officium viriliter aſſumpſit. Et poſtmodum iter arripiens nauigioque fungens, apud Marſiliam tranſcurſo tandem Pelagi profundo, in portu Tyrenſi incolumis applicuit: & inde ad exercitum noſtrum obſidentem pariter & obſeſſum Aconem tranſiuit: vbi multos ex noſtris inueniens, & fere cũctos principum defectu, in ſumma deſolatione iam poſitos & deſperatione: alios quidem longa expectatione fatigatos: alios fame & inopia grauiter afflictos: quoſdam vero aeris inclemẽtia diſtemperatos diem fœliciter in terra ſacra clauſurus extremum, ſingulos pro poſſe vinculo charitatis amplectens, ſumptibus & impenſis, verbis & vitæ meritis, confirmauit. Cuius cum vniuerſo fidelium cœtu, vias, vitas & actus, dirigat in veritate, & ad gloriam nominis ſui fideique palmam quam ipſe plantauit, manus eorum ad prœlium doceat, & digitos eorum ad bellum, ille qui ſolus via, veritas eſt, & vita: via ſine offendiculo, veritas ſine ambiguo, vita ſine fine.

A N N O T A T I O N E S I N
Caput X I V.

[1] PRÆCIPVA *cauſa diſſidii inter Regem & Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum hæc fuit. Cum Rex in Parlamento ad Northamptonenſem vrbem conuocato, ad maiorem ſubditorum ſuorum ſecuritatem: & pacem conſeruandam, leges ſtatui vellet: vt proditionis & homicidii crimen in clericis & religioſis perſonis, quemadmodum & in aliis capitale haberetur: atque vt rei coram publicis Regni iudicibus ſiſterentur, & cauſam dicere coacti, ſecundum leges in ea parte ſalubriter aditas iudicium ſubirent: huic legi, Thomas nullo modo aſſenſum præbere voluit, affirmans clericos & religioſas perſonas non eſſe coram regni Iudicibus conueniendos. Sed ab omni ſeculari iuriſdictione eſſe immunes, quia ſcriptum eſt; Nolite tangere Chriſtos meos. Quã in re glorioſum ſibi fore duxit, cum rege pertinaciter & pernicioſo exemplo contendere. Nec erat ille religionis cauſa trucidatus: ſed rege inſcio; iuſta tamen de cauſa, etſi non iuſte: quia ſ. regi ſuo ſecundum ipſum Dei mandatum leges ſubditis ſuis in proprio regno ſtatuenti, contumelioſe ſe oppoſuerat: & è regno non prius petita domini ſui licentia arroganter & contumelioſe aufugiens, Galliæ regem contra illum concitauerat. Vnde colligere licet, pertinaces Pontificiæ tyrannidis propugnatores, etſi regibus ſuis rebelles, & patriæ proditores extiterint, ab ipſo tamen Pontifice pro glorioſis martyribus reputari.*

1.Par.16.

C A M-

CAMBRIÆ DESCRIPTIO, AVCTORE SIL. GIRALDO CAMBRENSE.

CVM ANNOTATIONIBVS DAVIDIS POVELI SACRAE THEOLOGIÆ profeſſoris.

SIL. GIRALDI CAMB. STEPHANO CANTVAR. ARCHIEPISCOPO, IN CAMBRIÆ DESCRIPTIONEM PRÆFATIO PRIMA.

ILLE ego qui quondam Hybernicam Topographiam cum abditis ſuis & naturæ ſecretis, in tribus diſtinctionibus triennii labore digeſſi, & vaticinalem expugnationis Hibernicæ ſubſequenter hiſtoriam duabus diſtinctionibus biennali lucubratione compleui: quiq; Itinerarium educens laborioſam viri ſancti per Walliæ fines legationem ſub ignorantiæ tenebris perire non permiſi, Cambriæ noſtræ deſcriptionem, gentiſq; naturam aliis alienam nationibus & valde diuerſam, hoc opuſculo declarare, tibiq; vir inclyte Stephane Cant. Archiepiſcope, (quem religio pariter & literatura commendant) ſicut Itinerarium olim, ſic præſentem quoque diligentiæ noſtræ laborem veſtræ ſanctitati deſtinare diſpoſui, quanquam tanto ſorte viro munus indignum, digno tamen cui digna donentur præſentatum.

Obiiciunt autem nonnulli & ſub dilectionis ſpecie me pictori aſſimulant, qui precioſis abundant coloribus, & tanquam Zeuxis alter præcellens, vbi Palatium inſigne aut templum depingere cum multa expectatione ſperabatur, tugurium aliquod ſeu vile quodcunque in ſui natura, deſpectumque tanto artificio, tantiſque ſumptibus illuſtrare contendit. Sic etenim inter tantas tamque illuſtres mundi materias, me ſinales hos terrarum angulos Hiberniam ſcilicet & Cambriam literis extollere, rhetoricisque caloribus inſignire velle, mirantur.

Præterea dicunt alii & acutius obloquuntur, collatam deſuper gratiam non in infimis iſtis euacuandam, nec in principum laudes vana lucubratione conſumendam, qui hodie nec literati nec largi, glorioſa literarum ſtudia nec remunerare norunt, nec laudare. Quinimo, quod de ſurſum illabitur, potius ad ſuperna referri & eius ad gloriam cuncta reuerti debere, de cuius plenitudine id totum accepimus: eiuſque ſummopere laudibus inſeruire, à quo omne donum perfectum tanquam ab indeficiente fonte deſcendit: cui vere nunquam ingratanihil vnquam oblatum tranſit irremuneratum. Sed quoniam nobiles aliarum regionum hiſtoriæ egregiis olim editæ ſcriptoribus ad lucem prodiere: nos ob patriæ fauorem & poſteritatis finium noſtrorum abdita quidem euoluere, & inclyte geſta, nec dum tamen in memoriam luculento labore digeſta, tenebris exuere, innumilemque ſtilo materiam efferre, nec inutile quidem nec illaudabile reputauimus. Troiano nimirum excidio, Thebis & Athenis, Latiniſque littoribus, impar & inculta quid addere poſſet opera noſtra? Quin igitur actum agere, quaſi nihil agentis opus exiſteret: malui potius & longe prælegi pauperes finium noſtrorum hiſtorias ab aliis hactenus omnino fere relictas, induſtria noſtra parentibus & patriæ non ingratas declarare, & ſic poſtmodum ad maiora pedetentim & paulatim anhelare. Et vt ex minoribus vtcunque liqueat iſtis, quemadmodum maiores cum ſors materias obtulerit, noſter valeat ſtilus explicare. Adhæc etiam quia quædam agenda ſunt, & alia non prætermittenda: rudis adhuc viridiſque iuuentutis conamina licuit in iſtis & ſimilibus exercere: ne ſub otio penitus & delicti fonte deſidia, tempora tranſeant dulciora.

Hæc igitur quaſi præludia quædam ad inclytos ſcientiæ ſcientiarum theſauros quæ ſola ſcit ſcire, ſola ſcientes facere hominem tam regere quam imbuere, quaſi præambula prælibauimus. Quam ſolam facultates aliæ tanquam pediſſequæ reginam longe ſequuntur. In his itaque tanto ædificio iuuenilibus annis tuta ſtruentes fundamenta ad eximios tam matura tam ſacræ ſcientiæ tractatus poſtmodum explicandos maturiores annos Deo duce vitaque comite reſeruabimus. Ardua quippe fides (vt ait poeta) robuſtos exigit annos. In aliis itaque gratam iſtius moram facere fas eſt, ſed moderatam: In hac non ſolum morari verumetiam mori deſiderabile.

Porra ad hæc ingrediendum inducias petimus, ſed exiguas, donec cum libello de principis inſtructione toties promiſſo, Cambriæ quam præ manibus habemus deſcriptio & Brytannica Topographia in publicam notitiam emanauerint.

Præ aliis itaque Britanniæ ſcriptoribus, ſolus mihi Gildas (quoties eundem materiæ curſus obtulerit) imitabilis eſſe videtur. Quia ea quæ vidit & ipſe cognouit ſcripto commendans, excidiumque gentis ſuæ declarans potius quam deſcribens, veram magis hiſtoriam texuit quam ornatam. Gildam itaque Giraldus ſequitur, quem vtinam moribus & vita ſequi poſſet. factus eiuſdem, plus ſapientiæ quam eloquentiæ, plus animo quam calamo, plus zelo quam ſtilo, plus vita quam verbis imitatar.

PRÆFATIO SECVNDA ad eundem.

CVM inter varia literarum ſtudia ad hiſtorias ſcribendas ſtudioſe mentis aciem applicuerim, inprimis patriam patriæque vicinas & conterminas ex induſtria regiones, ne natali ingratus ſolo viderer pro ingenii modulo literis illuſtrare ; & ſic ſeriatim ad vlteriora, Deo duce vitaque comite (quaſi ſalutata primum patria) tranſire diſpoſui. Sed quoniam nonnulli viri magni (quos vidimus & nouimus) quibus literæ nauſeam creant, libros egregios eis oblatos ſtatim in ſcrineis recondere, & tanquam perpetuo carceri tradere & retrudere ſolent: A te (vir optime) cui præſens opuſculum tranſmitti deproperat, petitum ſi placet & impetratum eſſe cupio, quatenus hæc noſtræ diligentiæ monumenta, ſicut & priora à nobis exarata, quanquam in ſe modica, aliquando tamen & aliquibus forſan accepta futura, tenebris inuolui quæ lucem deſiderant, non permittas: ſed ea potius quæ publicata pulchrius eluceſcunt, voce liberali ac libera iubeas in commune deduci. Pretium quippe laboris & præmium reputem, ſi ſopitis interdum orationum inſtantiis & occupationum curis, vel oculos ad hoc quandoque legendum, vel ſaltem aures attente accommodes: Nec enim aliam à vobis, (cum hodie ſcripta nemo remuneret) vel expeto vel expecto retributionem: quanquam rationi tamen id diſſonum minime foret, niſi à magnatibus hodie quaſi coniuratio in authores facta fuiſſet: ſi ille qui tot virtutibus & tam induſtriæ q̃ naturæ dotibus, moribus electis & munificentiis his noſtris diebus longe præeminet & pręcellit, & in hac virtute ab aliis omnib. derelicta dudũ & deſtituta, ſe ipſum ſpectabilẽ & quaſi ſingularẽ exhiberet: Ille, inquã, (vt breui eloquio laudis ad cumulum multa concludam) cui verſus illi Martialis ad Traianum ſub Diocletiano militantem digne poterint adaptari,

Laudari debes, quoniam ſub principe duro,
Temporibusq; malis auſus es eſſe bonus.

Et illi Maronis ad Mæcenatem, principis manſuetudinem declarantes,

Omnia cum poßis tanto tam clarus amico,
Te ſenſit nemo poſſe nocere tamen.

Ad hæc autem obiiciunt multi, & hi pręſertim, qui dicuntur amici, ob ſtudii vehementiam me rebus ſecularibus negotiisq; familiaribus minus intentum, & ob hoc ſegnius in mundanæ dignitatis gradibus prouehendum, authorum olim tam Hiſtoricorum quam Poeticorum authoritatẽ in deſuetudinem abiiſſe: literarum honorẽ cum literatis principibus pręteriiſſe: aliis hodie viis ad honorem perueniri. Fateor, hęc equidẽ fateor, & facile veris acquieſco. Sequuntur enim principes improbi, Curiã cupidi, codices clerici, & pixides ambitioſi. Sed quoniam trahit ſua quemq; voluptas, me literarum à pueritia traxit amor, & tanquã deliciarum omnium caput literatæ ſtudium delectat eloquentiæ. Hoc itaq; præditus voto, ſupra coętaneos multos ſcrutabunda tã naturaliũ curſus rerum quã excurſus inquiſitione profeci, & poſteritati cõſulens, inclyti noſtri tẽporis acta, ſub ſilentio perire nõ permiſi. Nec iſta tamen abſq; labore cõplentur plurimo ſed iucundo: difficilis namq; eſt certa rerũ ſingularum indagatio, difficilis inquiſitæ ſimul & exquiſitæ veritatis ordinata diſpoſitio, & ab initiali puncto finalẽ ad vſque terminum non diſcrepante materia recta per medium funis extentio, difficilis quoq; quatenus tam verbis quam ſententiis ſcintillet oratio & ornati ſermonis eloquutio, quippe cum ad plicandã memorandorum ſeriẽ, non minus interdum elegantium verborum torquet electio, quam vexat inuentio. Tanto namq; propenſiore opus eſt opera, tantoq; ſingula prius elimanda videntur quã eliminanda, quanto ſcripto cõmendata ſe multorũ oculis ſubiicere non formidant; nec ſolum pręſentibus ſed & futuris, argutorũ ſimul ſubitura iudicium & offenſorum: verba nimirum emiſſa quia ſtatim euolant & euaneſcunt nec laudis eorũ memoria, nec vituperii diuturna. Scripta vero quando ſemel & publicata non prętereunt, ad auctoris ſui permanentem vel gloriã extant vel ignominiam: quando vt ait Seneca, Liuidi lectoris malitia dictionem ſanam & inſanã pari teuoluit appetitu, non amplius cõcupiſcens electa quæ laudet, quam deſpecta quæ rideat. Vnde Poeta.

Diſcit enim citius, meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat & veneratur.

Igitur inter ſtudia laude digniſſima huius quoque ſtudii laus nõ vltima. Hiſtoria namque (vt ait moralis ille philoſophus) eſt antiquitatis auctoritas, teſtis temporum, lux

veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Tanto deniq; labor hic delectabilior, quanto dignius quam aliena recitare, recitanda proferre: Quanto appetibilius ab alijs eligi quam bonus aliorum elector videri. Quanto laudabilius digne ab alijs in laudem efferri, quam dignus aliorum laudator haberi. His itaque paſcor, delicijs & reficior, Hieronymo malens ſimilis eſſe quam Crœſo, longeque opibus cunctis opum approbans contemptorem. His gratulor delicijs & delector, ſemper intemperantiæ modeſtiam, ſemper honeſtam ſuperfluitati præferens ſufficientiam: & quando illa pereunt, iſta perire non poſſunt: Illa tranſeunt, iſta cum æternitate contendunt. Semper lucro laudem, ſemper gazis gloriam anteponens.

SIL. GIRALDI CAMBR. CAMBRIÆ DESCRIPTIO.

De longitudine Cambriæ & latitudine, ſoli natura, & tribus Britonum reliquijs.

CAP. I.

CAMBRIA, quæ adulterino vocabulo vſitatoque magis ſed proprio minus modernis diebus Wallia dicitur, ducenta millia paſſuum in longum, circiter vero centum millia in latum habet. Longitudo namque à portu *Gordber* in Mona vſque ad portum Eskewin in *Venta* quaſi per octo dietas extenditur. Latitudo vero à *Porthmawr* Meneuiæ, id eſt, portu magno vſque *Rydhelic*, quod Latinè Vadum ſalicis, Anglice vero nunc *Wilowforde* dicitur, quaſi per quatuor dietas expanditur: montibus excelſis, vallibus imis, ſiluis immenſis aquis & paludibus terra munitiſſima, adeo vt à tempore quo Saxones primum inſulam occupauerant, reliquiæ Britonum qui in has partes ſeceſſerunt, nec ab Anglis olim, nec à Normannis poſtmodum expugnari ad plenum potuiſſent. Illi vero qui auſtralem angulum, qui à ducis Corinæi nomine nomen acceptit ſuſceperunt, quia terra tam munita non eſt, adeo rebelles eſſe non valuerunt. Tertia namque Brytonum extantium pars quæ Armoricum auſtralis Galliæ ſinum obtinuit, non poſt Britannicum excidium ſed longe ante à Maximo rege tyranno translata eſt: & poſt multos graues quos Britannica iuuentus cum ipſo ſuſtinuit bellicos ſudores, vltimis his Galliarum finibus imperiali munificentia eſt remunerata.

Cornubienſes.

Brytones. Armoricani.

ANNOTATIONES IN Caput I.

VETERVM *Britannorum reliquiæ, quæ nunc in tribus regionibus, Cambria, ſcilicet Cornubia & Armorica disiuncta habitant, Britannici ſermonis antiquitatem ita etiam hodie retinent, vt in ipſis vocabulis & rerum nomenclaturis vnius regionis incola cum alterius incolis loquentes ſenſum facile percipiant: Quanquam in Syntaxi & loquutionis forma, quæ in re ex Anglorum & Gallorum mixtione & iuriſdictionis prærogatiua, à Britannici idiomatis antiqua conſuetudine nonnihil declinauerunt, (vt in odis & rhythmis antiquis videre licet) aliquando diſcrepent.*

De diuiſione Walliæ totalis in tres partes.

CAP. II.

DIVISA eſt antiquitus Wallia totalis in tres partes tanquam æquales, plus æquiualentiæ tamen quam iuſtæ quantitatis & proportionis habita conſideratione. *Venedotiam* ſcilicet quæ nunc *Nordwallia* id eſt, Borealis Wallia dicitur. *Demetiam* vel *Sudwalliam* id eſt Auſtralem Walliam quæ Britannice Deheubarth, id eſt dextralis pars dicitur. *Pewiſiam* quaſi mediam & orientalem. Diuiſionis autem huius cauſa erat Rodericus magnus, qui Britannice Roderi Mawr dicebatur, totique Walliæ præſidebat. Hic tres filios habuit, Meruinum, Anarawt & Cadelh, qui tres totam Walliam inter ſe diuiſerunt. Meruino ceſſit Nordwallia, Anarawt Powiſia, Cadelh cum populi totius & fratrum benedictione Sudwallia: Ipſa nimirum quanquam quantitate longe maior, propter nobiles tamen qui *Vchelwyr* quaſi ſuperiores viri vocantur, quibus abundabat, qui & dominis rebelles eſſe ſolebant, dominumque ferre detrectabant, deterior eſſe videbatur. Cadelh autem præmortuis fratribus totius Walliæ demum monarchiam obtinuit, & ſucceſſores ſui ſimiliter vſque ad Theodorum. Deſcendentes enim à Theodoro tantum Sudwalliam obtinuerunt, ſicut & pater eorum. Hi ſcilicet: Reſus filius Theodori, Gruffinus filius Reſi, & Reſus Gruffini filius qui diebus noſtris præfuit.

Rodericus Magnus.

Id eſt, Nobiles.

ANNO-

Annotationes in Caput VIII.

Etſi [1] *communis opinio omnium Neotericorum ſcriptorum ſit Rodericum Magnum, primum omnium Cambriam in tres partes, ſcilicet Venedotiam, Demetiam & Powiſiam diſtribuiſſe, eaſque tribus filiis ſuis aſsignaſſe: oſtendam tamen, longe ante excidium regni Britannici in has tres partes Cambriam fuiſſe diuiſam. Extat enim liber antiquiſsimus de legibus Britannorum, qui teſtatur,* Venedotiæ, Powiſiæ, & Demetiæ *incolas mortuo Vortiporio vnum in locum conueniſſe ad noui Regis electionem, ibiq; Malganem Venedotum Regem deſignaſſe. Hiſtoria etiam Britannica, Galfridus & Caſtoreus teſtantur Morganum Demetiæ regulum, Caduannum regulum Venedotiæ, & Bledricum Coriniæ in auxiliū ducem Brochmaelo Powiſiæ regulo, & Deuaniæ conſule contra Ethelfredum Northumbriæ Regem, poſt Banchorenſem cladem, veniſſe, vbi Caduanus vnanimi omnium conſenſu Rex conſtitutus eſt Britanniæ. Quæ omnia multis annis ante natum Rothericum contigerunt. Non fuit is ergo illius diuiſionis auctor, ſed his tribus prouinciis, totidem ex filiis ſuis (quos multos habuit) præfecit.*

[2] *Vide infra cap. 3. annot. 1.*

De generatione principum Walliæ.

Cap. III.

HÆc itaque eſt generatio principum Sudwalliæ, Reſus filius Gruffini, Gruffinus filius Reſi, Reſus filius Theodori, Theodot⁹ filius Æneæ, Æneas filius Oeni, Oenus filius Hoeli Dha, id eſt, Hoeli boni, Hoelus filius Cadelli filii Rotherici Magni. De Cadello igitur filio Roderici Magni deſcenderant principes Sudwalliæ. De Meruino principes Nordwalliæ in hunc modum: Leolinus filius Iorouarti, Iorouartus filius Oeni, Oenus filius Gruffini, Gruffinus filius Conani, Conanus filius Iago, Iago filius Edoual, Edoual filius Meyrici, Meyric⁹ filius Anandhrec, Anandbrec filius Meruini filii Roderici Magni. De Anaraut autem generatio non prouenit: vnde & principes Powiſiæ ſuam habent per ſe generationem. [1]

Hoc etiam mihi notandum videtur, quod Bardi, Cambrenſes, & Cantores ſeu *Genealogiarum vſus in Cábria.* recitatores, genealogiam habent prædictorum principum in libris eorum antiquis & autenticis, ſed tamen Cambrice ſcriptam, eandemq; memoriter tenent à Roderico Magno vſq; ad B. M. & inde vſq; ad Siluium, Aſcanium & Æneam: & ab Ænea vſq; ad Adam generationem linealiter producunt. [2]

Sed quoniam tam longinqua, tamq; remotiſſima generis enarratio multis trutanica potius quam hiſtorica eſſe videretur, eam huic noſtro compendio inſerere ex induſtria ſuperſedimus.

Annotationes in Caput III.

In [1] *ſucceſsione filiorum Rotherici Giraldus Bardis & genealogiarum Britannicarum ſcriptoribus aduerſatur. Illorum enim conſtans aſſertio eſt, Anaratum primogenitum principem fuiſſe Venedotiæ, & genuiſſe Edoalum Meyrici patrem, qui fuit pater Edoali, patris Iacobi. patris Conani, patris Gruffini Et Powiſiam ceſsiſſe Meruino filio iuniori, qui liberos non reliquit, in cuius poſſeſsiones poſt eius obitum irruit Cadellus medius, cui pater Demetiam dederat. Lelandus tamen & H. Lhoydus cum Giraldo ſentiunt. Per me itaq; cuiq; liberum ſit, ſuo vti iudicio: nolo enim, aut contra veneranda antiquitatis auctoritatem & doctiſsimorum virorum ſententias, meum interponere iudicium: aut receptæ & conſtanti opinioni ſine manifeſta probatione contradicere.*

[2] *Librariorum vel ſcribentium ignorantia atq; ſtultitia factum eſt, vt auctor hoc in loco turpiter corrumperetur, qui ſic ſcripſerat:* Eandem memoriter tenent à Rotherico Magno vſq; ad B. M. & inde vſq; ad Siluium, &c. *Superſtitioſi fraterculi B. Virginis cultui plus æquo addicti, nihil aliud per literas B. M. ſignificari putabant, niſi Beatam Mariam: in auctore ergo transſcribendo ſic poſuerunt,* Eamq; memoritet tenēt à Rotherico Magno vſq; ad Beatam Mariam. *Alii locum ex corrupta magis abſurdum reddiderunt, facientes ex B. M.* Beatam virginem. *At qui in Antiquitatibus Britannicis vel mediocriter verſati fuerint, facile animaduertere poſſunt, B. M. in genealogiis Belinum Magnum Britanniæ Regem ſignificare, à quo omnes nobiles totius Cambriæ genus ducunt: nam Bardi in recenſendis genealogiis ſemper aſcendunt vſq; ad Belinum Magnum, ibique ſiſtunt: quia inde ad Æneam perulgata eſt, & ſatis cognita generis repetitio. Hoc quod dico, manifeſte ſatis apparet in certificatorio cuiuſdam Diplomatis regii, ab Henrico ſeptimo Angliæ Rege, ad Abbatem monaſterii de valle Crucis, & Oenum Pool legum doctorem Canonicum Herefor-*

denſem in Cambriam tranſmiſſi, ad inquirendum, & modis omnibus inueſtigandum ſtemma & genus Oeni Theodori aui Regis: vbi in ſingulis genealogiis ad Belinum Magnum aſcenditur, & non vltra. Cuius certificatorii exemplar apud me eſt. Hic Belinus, alias dictus Heli pater Luddi & Caſsiuellauni Britannia Rex fuit, cuius nomen in genealogiis adeo tritum eſt, vt illud B. M. literis notare ſatis fuerit. Nec poſſunt huius ſcandali aſſertores vllum vnquam Cambrorum proferre, qui genus ſuum ad Beatam Mariam deduxerit, licet multi ſint, qui ſui generis enumerationem ad B. M. referant. Deteſtantur enim Cambri Heluidianam inſaniam, omneſque firmiter credunt Ieſum Chriſtum Seruatorem noſtrum non ſolum πρωτότοκον, verum etiam μονογενῆ beatæ virginis filium extitiſſe.

Quot Cantredos Wallia continet, quot Curias principales, & quot ſedes Cathedrales.

Cap. IIII.

CONTINET autem Sudwallia cantredos viginti nouem, Nordwallia duodecim, Powiſia ſex, quorum tamen hodie multi ab Anglis & Francis occupati ſunt. Terra namque, quæ Slopeſburia dicitur, olim Powiſiæ fuerat. Vnde & locus, vbi nunc caſtrum Slopeſburiæ ſitum eſt, olim *Pengwern*, id eſt, caput alneti vocabatur. [1]

Tres enim fuerant Walliæ totius Curiæ principales, *Dineuour* in Sudwallia, modernis diebus, antiquitus enim apud vrbem legionum erat. [2] *Aberfraw* in Norwallia: *Pengwern* in Powiſia.

Eſt itaque numerus omnium Cantredorum totius Walliæ quinquaginta quatuor. Cantredus autem, id eſt, Cantref, à Cant, quod centum, & Tref, villa compoſito vocabulo tam Britannica quam Hibernica lingua dicitur tanta terræ portio, quanta centum villas continere ſolet.

Cantredus.

Sunt autem in Wallia ſedes Cathedrales quatuor. In Sudwallia *Meneuenſis* ſuper Hibernicum mare, Dauid Archiepiſcopo patrocinante. Hæc antiquitus Metropolitana fuerat, & Cantredos continet viginti quatuor, cum tamen hodie tantum viginti tres contenta ſit. *Ergengl* etenim, quæ Anglice *Vrchenfeld* dicitur, intra diœceſin Meneuenſem olim aliquando: intra Landauenſem quoque quandoque fuiſſe perhibetur. Habuerat autem ſedes Meneuenſis Archiepiſcopos ſucceſſiue viginti quinque. Sublato vero pallio vſque ad hodiernum diem, viginti duo, quorum nomina & ordinem cauſamque pallii ſublati, ſi ſcire volueris, noſtrum itinerarium quæras.

Sedes cathedrales Cambriæ.

Supra pag. 855.

In eadem quoque Auſtrali Wallia ſedis Landafenſis ſuper mare Sabrinum iuxta nobile caſtrum de Caerdyf, præſule Teilo præſidente quinque continens Cantredos & quartam partem vnius ſ. Senghennyd.

In Norwallia inter Monam & montes Eiryri ſedes Banchorenſis Danielis Abbatis patrocinio gaudens, Cantredos continens circiter nouem.

In eadem paupercula cathedra *Lanelwenſis*, cui & Powiſia ſubeſt, Aſſaph Epiſcopo præſidente, Cantredos continens quaſi ſex.

ANNOTATIONES IN Caput IIII.

ANte [1] *tempus Offæ Regis Merciæ,* Pengwern, *quæ hodie Salopia dicitur, Principis Powiſiæ ſedes fuit: Poſtea vero cum Cambri ab Offa vltra foſſam, quæ ab eius nomine in hodiernum vſque diem* Clawdh Offa *dicitur, regredi cogerentur, præcipuum domicilium Principis Powiſiæ apud* Mathraual *ad Marnouiæ fluminis ripam ſitum eſt.*

[2] *Quod Auctor vrbem Legionum Demetici principatus caput aliquando extitiſſe dicit, id referendum eſt ad tempus Arthuri Regis, ante tranſlationem ſedis Archiepiſcopalis, cum in ea vrbe Chriſtianæ religionis ſyncera profeſsio vigeret, omniumque liberalium artium floreret ſtudium, ex quo nobili gymnaſio viri multi ſumma pietatis & doctrinæ laude conſpicui prodierunt, vt Amphibalus, Iulius, Aaron, Albanus, Dubricius, Sampſon, Dauid, Maugantius, & alii Euangelicæ veritatis aſſertores & propugnatores acerrimi. quorum pars maior Chriſtianam pietatem ſanguinis ſui profuſione conſignare non dubitarunt. Poſt autem euerſionem imperii Britannici regia ſedes Regni Demetici ab vrbe legionum* Maridunum *tranſlata eſt: vbi manſit vſque ad ingreſſum Normannorum in inſulam, quo tempore Reſus filius Theodori caſtrum de* Dincuour *conſtruxit.*

Venedotiæ caput & regia ſedes antiquitus Deuania *fuit, quæ nunc Ceſtria dicitur, quæ per Egbertum Regem hoſtiliter Britannis erepta, Principis domicilium in Mona inſula apud* Aberfraw *conſtitutum eſt.*

De

De duobus montanis, à quibus aquæ nobiles emanantes Walliam egregie diuidunt & diſtinguunt.

CAP. XV.

SCINDITVR autem & diſtinguitur aquis Wallia nobilibus, quæ ex montanis duobus originem habent, *Elennith* ſcilicet in Sudwallia, quæ Angli *Moruge* vocant, quaſi paludum cacumina. *Eryri* quoque in Nordwallia, quæ Anglice *Schnawdon* dicuntur, id eſt, montes niuium: hi tantæ quantitatis & capacitatis eſſe perhibentur, quod ſi cuncta totius Walliæ armēta in vnum coacta fuerint, eis ad paſcua multo tempore ſufficere poſſent: in his & duo lacus illi eſſe perhibentur, quorum alterum inſulam erraticam: alterum autem piſces omnes monoculos certum eſt continere, ſicut in Itinerario noſtro declarauimus. *Supra pag. 87[illegible]*

Notandum hic &, quod in Albania quoque duobus in locis, vno ad mare Orientale, altero Occidentale, piſces marini, qui Mulnelli dicuntur monoculi dextrum ſimiliter oculum habentes, & ſiniſtro carentes.

De montanis igitur *Elennith* nobilis emanat *Sabrina* fluuius, *Sabrina.* caſtrum Slopeſburiæ, caſtrum Brugenſe, per vrbem quoq; Vigorniæ, per Glouerniā ferream atq; fabrilem, ſub qua paucis paſſuum millibus in mare deſcendit, quod ab eius quoque nomine Sabrinum mare vocatur. Hæc aqua multis olim temporibus inter Cambriam & Loegriam, hoc eſt, inter Walliam & Angliam Marchia fuit. Hæc Britannice *Hafren* à nomine puellæ filiæ ſc. Locrini, ibi à nouerca ſubmerſæ vocata eſt: Vnde & Latine mutatione aſpirationis in S. vt in diſtortis à Græcis in Latinum fieri ſolet, dicta eſt Sabrina, ſicut pro hal ſal, pro hemi ſemi, pro hepta ſeptem. *Vaga* fluuius *Vaga.* ab eiſdem quoque montanis Elennith per Haiæ caſtrum, & Cliffordiæ, per vrbem Herefordiæ, per Caſtellum de Wiltonia, & Caſtellum Godricii diſcurrens, ſiluam quoque Danubiæ ferro fertilem, atque ferina, tranſpenetrando vſque Strigulenſe caſtrum, ſub quo & in mare dilabitur, & Angliam ibidem à Wallia ſeparans, modernis diebus Marchiam facit. *Oſca* *Oſca.* vero non ab Elennith, ſed à montanis de Cantrebachan originem trahens per principale caſtrum de Brecheinoc, quod Aberhodni dicunt, id eſt, caſum Hodni in Oſcam. Aber enim Britannice dicitur locus omnis, vbi aqua in aquam cadit, per caſtrum de Abergeuenni, per Oſcæ caſtrum, per antiquam & autenticam legionum vrbem deſcendens, non procul à Nouoburgo in Sabrinum mare demergitur. Remni *Remni.* fluuius de montanis de Brecheinoc per caſtellum & pontem de Remni in mare deſcendit. Et ab eiſdem montanis *Taf* *Taf.* per ſedē Cathedralem de Landaf, cui & nomen dedit vſque ad caſtrum de Caerdyf, vbi ſe mari immiſcet. Impetuoſe tranſcurrit de montibus Wladmorgan inter egregia Ciſtercienſis ordinis cœnobia de Margan & Neth *Auennia* *Auennia.* fluuius: & *Neth* *Neth.* de montibus Brecheinoc viuo ſabulo, & abſorbente terribiles in mare deproperant, Neth fluuio iuxta Caſtellum de Neth profluente. De montanis quoque de Brecheinoc *Tawe* *Tawe.* fluuius per caſtellum de Abertawe, quod Anglice Swainſey dicitur. *Lochor* *Lochor.* per caſtellum de Lochor, & *Wendraeth* *Wendraeth.* per Cydwely in profundum dilabuntur. Ab Elennith iterum nobile flumen *Tywy* *Tywy.* Cantref mawr, & Cantref bachan ab inuicem ſeparans per caſtrum Lhanymdhyfri, per caſtellum Dineuor ſiluis & ſitu munitiſſimum, vbi & principalis Sudwalliæ curia fuit, pernobile caſtrum de Caermardhin, vbi Merlinus inuentus fuerat, à quo & nomen *Vide ſupr. pag. 844.* accepit, vſq; ad caſtellum de Lhanſtephan in mare transfertur.

De montanis Preſſeleu *Taf* *Taf.* fluuius non procul ab Albæ domus monaſterio, per caſtellum de Sancto Claro non longe ab Abercorran & Talacharn in mare deuoluitur. De Montanis eiuſdem *Cledheu* *Cledheu duorum fluuiorum nomē eſt.* prouinciam Daugledheu complectentes, eique de ſuo nomine nomen donantes, alter per caſtellum de Lahaden, alter per Haferfordiam in mare decurrunt, & dicuntur Britannice *Dangledheu*, quaſi duo gladii.

A montibus etiam Elennith aqua *Teiui* *Teiui.* nobilis emanat à ſuperiori parte Cantref mawr, & Caerdigan, non procul ab armentis, & optimo de Stratflur monaſterio, inferius autem Demetiam & Caerdigan, vſque in Hibernicum mare longe diſterminans. Hæc aqua ſola in Cambria caſtores habet, quorum miracula ſi ſcire volueris, Itinerarium quæras. *Supra pag. 8[illegible]* Salmone quoq; præpingui præ cunctis Cambriæ fluuiis magis abundat. Sed quoniam in multorum forte manus liber iſte deueniet, ad quas non ille, multa quæ de caſtoribus ſpecialia reperies & notabilia quædam hic interſerere præter rem non putaui. De huius enim beſtiæ natura, qualiter à ſiluis ad aquas materiam

vehant,

vehant. Quanto artificio extracta materia mediis in fluctibus munimenta connectant, quam defenſionis artem contra venatores in occidente prætendant, & quam in oriente. De caudis quoque piſceis (vt aiunt potius quam carneis) pauca interſerere non inutile reputaui. Reliqua vide ſupra pag. 861.

Yſtuyth. Montibus eiſdem *Yſtuyth* erumpit, & ſuperiores Ceretic æ regionis partes de Penwedic tranſpenetrando ſub caſtro Aberſtuyth in mare deſcendit. A niueis autem *Deuus.* *Mavvr.* Eryri montibus nobilis *Deui* fluuius originem trahens, Sudwalliam à Nordwallia longe diſcernit & diſtinguit. Ab eiſdem quoque montibus *Mawr* fluuius magnus emanans, Traeth Mawr, & Traeth bachan, id eſt, tractum maiorem & minorem facit. *Diſſennith.* *Arthro.* *Convvy.* *Diſſennith* ſimiliter & *Arthro* per Meryonnith & terram Conanni dilabuntur. *Conwy* vero de ſub Eryri pede boreali montis emergens, ſub nobili caſtello Degannwy ſe marinis vndis immiſcet. A latere montis eiuſdem per caſtellum Ruthlan, & ſic vſque in mare *Cloyd.* *Douerdvvy.* *Cloyd* dilabitur. De lacu Pemeleſmere *Douerdwy*, quam Angli Deiam vocant originem ducens, & per Ceſtriam currens, longeque à latere dextro ſiluam de Colſhille, Baſingwerke, & diuitem non procul inde argenti venam, viuum & abſorbens mare influendo ſabulum facit, & inter Walliam à parte boreali, ſicut & Vaga ab auſtrali, moderno tempore marchiam facit.

De amœnitate Walliæ & fertilitate.

CAP. VI.

TOTIVS autem Walliæ ſicut auſtralis pars circa regionem Ceretic am, & præcipue Demeticam campeſtri planicie maritimoque littore longe amœnior: ſic borealis Venedotia & ſitu terrarum munitior, & robuſtis virorum corporibus fœcundior, vberique gleba fertilior eſſe dinoſcitur. Sicut montes Eryri cunctis Walliæ totius armentis in vnum coactis ad paſcua: ſic inſula Mona triticei graminis fertilitate toti Walliæ fertur aliquandiu ſufficere poſſe: Vnde *Mon mam Cymry*, id eſt, *Mona mater Cambriæ*, Britannice dici ſolet. Merionyth autem & terra Conani, præ aliis omnibus hiſpida & minus culta eſt, & inacceſſibilis. Pars iſta Walliæ lanceis longis præſtat, ſicut auſtralis, & præcipue circa Ventæ fines arcu ſolet præualere.

Lingua Britannica vbi in vſu. Notandum etiam, quia in Nordwallia lingua Britannica delicatior, ornatior & laudabilior eſt, quanto alienigenis terra illa impermixtior eſſe phibetur. Cereticã tamen in Sudwallia regionem, tanquam in medio Cambriæ ac meditullio ſitam lingua præcipua vti & laudatiſſima pleriq; teſtantur.

Cornubienſes vero & Armoricani Britonū lingua vtuntur fere perſimili, Cambris tamen propter originem & conuenientiam in multis adhuc & fere cunctis intelligibili. Quæ quanto delicata minus & incompoſita: magis tamen antiquo linguæ *Anglicæ linguæ originalis vbi in vſu.* Britannicæ idiomati, vt arbitror, appropriata. Sicut in auſtralibus Angliæ finibus, & præcipue circa Deuoniam Anglica lingua hodie magis videtur incompoſita, et tamen vetuſtatem longe plus redolens (borealibus inſulæ partibus per crebras Dacorum & Norwagienſium irruptiones valde corruptis) originalis linguæ proprietatem & antiquum loquendi modum magis obſeruat. Cuius etiam rei non ſolum argumentum, ſed & certitudinem inde habere potes, quod omnes libros Anglicos Bedæ Rabani, Regis Alfredi, vel aliorum quorumcunque ſub huius idiomatis proprietate ſcriptos inuenies.

Vnde dicta ſit Cambria, & vnde Wallia.

CAP. VII.

DICTA eſt autem Cambria à Ducē Cambro Bruti filio. Brutus etenim mediantibus auo Aſcanio, & patre Siluio à Troianis deſcendens, & Troianorum reliquias, qui in Græcia detenti fuerant, in occiduam hanc inſulam ducens, cum annis non paucis feliciter regnaſſet, & tam terræ quam genti de ſuo nomine nomina dediſſet, in extremo tandem poſitus articulo, tribus filiis ſuis regnum Britanniæ totale diuiſit.

Loegria. Primo primæuo f. Locrino medium illud & meditullium inter Humbrum & Sabrinam, quod & ab eius nomine Loegria vocatur.

Albania. Medio vero f. Albanacto totam trans Humbrum inſulę partem, quę & ab eius nomine Albania dicitur.

Cambria. Natu vero minori f. Cambro totam trans Sabrinam regionem, quæ ſimiliter & eius nomine Cambria nuncupatur. Hinc igitur & proprie & vere patria Cambria.

Hinc

Hinc patriotæ Cambri vel Cambrenſes dicuntur. Eorum autem linguam à Cam & Græco dictam dicunt, hoc eſt, diſtorto Græco, propter linguarum affinitatem, quæ ob diutinam in Græcia moram contracta eſt, probabilis quidem & veriſimilis eſt, minus tamen vera relatio.

Wallia vero non à Wallone duce vel Wandolena Regina, ſicut fabuloſa Galfridi Arthuri mentitur hiſtoria: quia reuera neutrã eorum apud Cambros inuenies, ſed à Barbarica potius nuncupatione nomen iſtud inoleuit. Saxones enim occupato regno Britannico, quoniam lingua ſua extraneum quemlibet Wallum vocant, & gentes has ſibi extraneas Wallenſes vocant, & inde vſque in hodiernum Barbara nuncupatione, & homines Wallenſes & terra Wallia vocitatur. Sed quoniam de qualitate terræ & quantitate, de generatione Principum, origine fluminum, & ratione nominum hactenus explicuimus, naturam gentis & proprietatem euoluere ſubſequenter aggrediemur.

Wallia.

Hinc apparet, Polydorum non fuiſſe huius aſſetionis primũ inuentorem.

De gentis huius natura, moribus, & cultu: & primo de audacia eius, agilitate, & animoſitate.

Cap. VIII.

GENS hæc igitur gens leuis & agilis, gens aſpera magis quam robuſta, gens armis dedita tota. Non enim nobiles hic ſolum, ſed totus populus ad arma paratus eſt: bellica tuba ſonante non ſegnius ab aratro ruricola, quam aulicus ab aula prorumpit ad arma. Non etenim hic vt alibi redit

Belli ſtudium.

——agricolis labor actus in orbem:

Solum quippe Martio & Aprili ſolum ſemel aperiunt ad aduenas; nec non bis in æſtate, tertioque in hyeme ad tritici trituram terras vertendo laborant. Totus propemodum populus armentis paſcitur & auenis, lacte, caſeo & butyro: carne plenius, pane parcius veſci ſolent. Non mercimoniis, non nauigiis, non mechanicis artibus, nec vllo prorſus niſi martio labore vexantur, patriȩ tamen tutelæ ſtudent & libertatis: pro patria pugnant, pro libertate laborant: pro quibus non ſolum ferro dimicare, verum etiam vitam dare dulce videtur. Vnde & in thoro turpe, in bello mori decus reputãt. Ac illud poetȩ dixerunt: *Procul hinc auertite pacem*, nobilitas cum pace perit, nec mirum, ſi non degenerant. Quorum etenim hii reliquiæ ſunt, olim Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant. De his igitur hoc ſpectabile, quod nudi multoties cum ferro veſtitis inermes cum armatis, pedites cum equitibus congredi non verentur, in quo plerunque conflictu ſola fiunt agilitate & animoſitate victores. Illis, quorum poeta ſic meminit, ſicut ſitu ſic & natura non diſſimiles

Patria libertas.

——populi quos deſpicit arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus, inde ruendi
In ferrum, mens prona viris, animæq́ capaces
Mortis & ignauum reditura parcere vitæ.

Lucan, lib. 1.

Armis tamen vtuntur leuibus agilitatem non impedientibus, loricis minoribus, ſagittarum manipulis, & lanceis longis, galeis & clypeis, ocreiſq; ferreis rarius: equis autem curſoribus & generoſis, quos patria gignit, nobiliores ad bella feruntur. Pars autem populi maior propter terras paluſtres pariter & inæquales ad prælia pedeſtres incedunt: equites autem pro locorum & temporum oportunitate ſeu dimicando, ſeu fugiendo facile pedites fiunt: nudis autem pedibus ambulant, vel corio crudo conſutis, barbaris pro calciamento peronibus vtentes. Pacis quoq; & iuuentutis tempore ſiluas & ſaltus tranſpenetrare montium alta tranſcurrere, dies huic labori noctibus continuare ex induſtria prædiſcunt, & quaſi ſub pace prælia dum cogitant, nunc lanceando, nunc fatigando bella præludunt. Illud autẽ in hoc loco notandũ videtur, quod Anglorum Rex Henricus ſecundus noſtris diebus Imperatori Conſtantinopolitano Emanueli ſuper Inſulæ Britannicæ ſitu ac natura, magiſque notabilibus, literis & nuntiis inquirenti: inter cætera hoc quaſi præcipue notabile reſcripſit. In quadam Inſulæ parte ſunt gentes, quæ Wallenſes dicuntur, tantæ audaciæ & ferocitatis, vt nudi cũ armatis congredi non vereantur, adeo vt ſanguinẽ pro patria fundere promptiſſime, vitamque velint pro laude paciſci. Quod & mirandũ, quia beſtiæ per totam propemodum inſulæ faciẽ quaſi manſueſcunt, homines vero proiecti beſtiales manſueſcere neſciunt. In tanta quoque multitudine ob pacem eis indultam hic feræ,

Armatura.

præ-

præcipueque cerui & damæ abundant, vt in borealibus inſulæ finibus verſus Pech noſtris diebus, canes eorumque duces in impetu numeroſitatis ſuæ ad interitum cerui ſuppeditauerint.

De ſobria eiuſdem cœna & parcimonia.

CAP. IX.

PRÆTEREA nec crapulę dediti nec temulentiæ, quibus eſt nec cœna, nec veſtium vlla ſumptuoſitas: ſed in equis ſolum & armis eorumque apparatibus tota verſatur intentio. Quibus ad patriæ prædæque tuitionem mens ſemper erecta. A mane in veſperam ieiuni, totum rebus agendis animum, totum conſiliis prouidentiæ diem donant, veſpere vero cœna ſobria. Et ſi forte nulla vel minima fuerit, veſperam alteram patienter expectant. Et tamen nec fame nec frigore tardati, ad hoſtiles irrogandum inuaſiones noctes tenebroſas diligunt & procelloſas.

De hoſpitalitate & dapſilitate.

CAP. X.

NEMO in hac gente mendicus, omnium enim hoſpitia omnibus ſunt communia, largitatem quippe & præcipue dapſilitatem cunctis virtutibus anteponunt: adeo nempe hoſpitalis hic gratia communione lætatur, quod itinerantibus ea nec offeratur nec petatur: tantum etenim domum intrantes protinus arma cuſtodiæ tradunt; deinde ſtatim aquam offerentibus, ſi pedes ablui permiſerint, hoſpitio ſuſcepti ſunt, aquæ nimirum pedibus oblatio, hoſpitalis apud hanc gentem eſt inuitatio. Obſequium autem oblatum ſi forte recuſant, matutinas recreationes, & non hoſpitia volunt. Per turbas igitur & familias capite ſibi præfecto gentis huius iuuentus incedit, ſolum armis & otio data, patriæque defenſioni promptiſſima, vnde & tecta cuiuſlibet veluti propria ſecure ſubintrant.

Cythara. Qui matutinis autem horis adueniunt, puellarum affatibus, & cytherarum modulis vſque ad veſperam delectantur: domus enim hic quælibet puellas habet, & cytheras ad hoc deputatas. Vnde & duo notabilia hic reperies, quia zelotypiæ vitio ſicut nulla magis quam Hibernica, nulla minus quam Cambrica gens laborat. Omnis quoq; decutia ſeu familia viri, citra doctrinam omnem cytharizandi per ſe peritiam tenent. Veſpere vero ceſſantibus iam aduentantium turbis, iuxta numerum virorum & dignitatem, iuxta domus quoque facultatem exhibitio procuratur, vbi non ferculis multis, non ſaporibus & gularum irritamentis coquina grauatur, non menſis, non mappis, vel manutergiis domus ornatur. Naturæ magis ſtudent quam nitori: Vnde cœnantibus non binis, vt alibi, ſed trinis, ſcirpis & herbæ nitidæ, ſcultellis & latis & amplis fercula cuncta ſimul apponunt. Pani quoq; tenui & lato quotidiano labore decocto, cuiuſmodi in veteri inſtrumento Lagana dici ſolet: interdum pulmentaria ſupponunt. Talibus olim vſus eſt menſis puer ille nobilis, de cuius & hii ſe genere iactant, & cuius adhuc ex parte mores obſeruant teſtante Poeta:

Heu menſas conſumpſimus inquit Iulus.

Cum autem certatim obſequiis familia tota deſeruiat, ſoli prę ceteris hoſpes & hoſpita, ſemper aſtando ſolicite cuncta perluſtrant, nec vnquam niſi poſt plenam omnium refectionem cibos ſumunt, vt ſi quis forte defectus accidere debeat, in ipſos cadat. Demum autem hora ſoporis inſtante publico ſtrato, per latera domus in longum, iuncis ſolum tenuiter inſertis, panno quoq; duro & aſpero, quem patria parit (qui & *Brychan.* vulgari vocabulo *Brychan* dicitur) ſuperpoſito communiter accumbunt: nec aliis eis nocte cultus, quam die, pallio namque tenui, & interula ſolum omni tempore frigora pellunt: Igne tamen ſicut die ſic & nocte tota ad pedes accenſo, propinquo pariter concubantium calore multum adiuti. Cum autem vel latus inferius thori duritia laſſari, vel etiam nimio ſuperius algore frigeſcere cœpit, ilico ad ignem proſiliunt, de cuius beneficio promptiſſima vtriuſq; incommodi remedia quærunt, & ſic ad ſtrata reuertentes alternis vicibus latus vnum frigori, alterum vero duritiæ donant.

De crinium tonſura, dentium cultu, & barbæ raſura.

CAP. XI.

Crines. TAM mulieribus autem in hac gente, quam etiam maribus ad aures & oculos tonſura rotunda. Mulieres etiam peplo candido & amplo more Parthico in coronam per gradus erecto capita velant.

Dentes

Dentes vero in vtroq; ſexu præ omni quam vidimus natione propenſius curant, quos aſſidua corili viridis confricatione, lanei quoq; panni purgatione, tanquã eburneos reddunt, eorundem etiam culturę gratia alimentis abſtinent calidis, frigidis autem, tepidis & temperatis ſemper vtuntur. Barbam viri præter gernoboda ſolum radere ſolent. Et hanc non de nouo, ſed ab antiquo longiſq; retro ſeculis conſuetudinem tenent, ſicut ex libro de Geſtis Iulii Cæſaris ab ipſo conſcripto perpendi poteſt, vbi & hæc verba reperies. *Dentes.* *De bell. Gall. li. 5.*

Britannorum gens omni parte corporis abraſa præter caput & labrum ſuperius. Solent etiam, vt agiliores fierent, & comis capita nudare, caſum Abſolonis, quoniam ſiluas & nemora ſæpe percurrunt, vitare volentes: vnde & vſque in hodiernum gens hæc quoque præ gentibus aliis, piloſitatem magis abradit. Refert etiam Iulius, quod Britones temporibus illis martio certamine congreſſuri facies ſuas nitreo quodam vnguento liniebant, inde & eaſdem tam luridas habebant & perlucidas, vt vix in earum vultus præſertim ſole repercuſſo, hoſtes aciem intendere præualuiſſent. *Barba.*

De ingenii acumine & ſubtilitate.

CAP. XI.

ITEM ingenii gens ſubtilis, acuti, cuicunque ſtudio animum applicuerint, venæ diuitis dote præcellunt, totaq; communiter hæc natio præ gentibus aliis occiduo climate degentibus arguta nimis & aſtuta.

In muſicis inſtrumentis dulcedine aures deliniunt & demulcent, tanta modulorum celeritate pariter & ſubtilitate feruntur, tantamque diſcrepantium ſub tam præcipiti digitorum rapacitate conſonantiam præſtant, quantum, vt breuiter tranſeam, in tribus nationibus titulo de Muſicis inſtrumentis Hibernica Topographia noſtra declarat in hæc verba: Mirum quod in tanta tam præcipiti digitorum rapacitate Muſica ſeruatur proportio, & arte per omnia indemniter criſpatos modulos organaque multipliciter intricata, tam ſuaui velocitate, tam diſpari paritate, tam diſcordi concordia conſona redditur, & completur melodia, διατεσσαρῶν ſeu διαπέντε chordæ concrepent: ſemper autem à b molli incipiunt, & in idem redeunt, vt cuncta ſub iucundæ ſonoritatis dulcedine compleantur. Tam ſubtiliter modulos intrant & exeunt, ſicque ſub obtuſo groſſioris chordæ ſonitu gracilium tinnitus licentius ludunt, latentius delectant, laſciuiuſque demulcent, vt pars artis maxima videatur artem velare, tanquam *Si lateat proſit*
——*Ferat ars deprenſa pudorem.* *Muſica.*

Hinc accidit, vt ea quæ ſubtilius intuentibus, & artis arcana acute diſcutientibus, internas & ineffabiles comparant animi delitias, ea non attendentibus, ſed tanquam videndo non videntibus, & audiendo non intelligentibus, aures potius onerent quam delectant, & tanquam confuſo, inordinatoq; ſtrepitu inuitis auditoribus faſtidia pariant tædioſa. Tribus vtuntur inſtrumentis, cythara, tibiis, & choro.

In cauſis, actionibus, & foro ciuili captando, inſinuando, inueniendo, diſponendo, refutando & confirmando nullas penitus naturalis Rhetoricæ partes omittunt. *Lites.*
In cantilenis, rhythmicis, & dictamine tam ſubtiles inueniuntur, vt miræ & exquiſitæ inuentionis lingua propria tam verborum quam ſententiarum proferant exornationes. Vnde & Poetas (quos Bardos vocant) ad hoc deputatos in hac natione multos inuenies, iuxta illud poeticum: *Cantilena.*

Plurima concreti fuderunt carmina Bardi.

Præ cunctis autem Rhetoricis exornationibus Annominatione magis vtuntur, eaq; præcipue ſpecie, quæ primas dictionum literas vel ſyllabas conuenientia iungit. Adeo igitur hoc verborum ornatu, duæ nationes Angli ſcil. & Cambri in omni ſermone exquiſito vtuntur, vt nihil ab his eleganter dictum, nullum niſi rude & agreſte cenſeatur eloquium, ſi non ſchematis huius lima plene fuerit expolitum; ſicut Britannice in hunc modum: *Annominatio.*

Digawn dûw da y vnic.
Wrth bob cryb wylh parawd.

Anglice vero,

God is together gammen & wiſedome.

In Latino quoque haud diſſimiliter eloquio eandem exornationem frequens eſt inuenire in hunc modum. Virgilius:

Tales caſus Caſſandra canebat.

Et illud eiuſdem ad Auguſtum:

Dum dubitet natura marem, faceret ne puellam,
Natus es o pulcher pene puella puer.

In nullis tamen linguis, quas nouimus, hæc exornatio adeo vt in prioribus duabus eſt vſitata. Mirum autem, quod Gallica lingua alias tam ornata, hunc verborum ornatum ab aliis tam vſitatum prorſus ignorat. Nec ego tamen id crediderim, quod priores populi duo tam diuerſi ab inuicē & aduerſi in hoc verborum ornatu ex arte conueniant. Sed potius ex vſu longo, qui quia placuit ſolum, & facili ſimilium ad ſimilia tranſitu aures demulcet, per ſuccedentia tempora inoleuit. Sicut Tullius in libro de elocutione, de talibus, qui vſum habent, & non artem, loquitur dicens: Cereri cum legunt orationes bonas, aut poemata, probant oratores & poetas, neque intelligunt, qualiter commoti probent, eo quod ſcire non poſſunt, vbi ſit, aut quid ſit, quomodo factum ſit id, quod eos maxime delectat.

ANNOTATIONES IN Caput XII.

HOC quotidiana docet experientia, quod vel ipſa inuidia negare non poteſt, veterum Britannorum reliquias, præſtantis cuiuſdam indolis bonitate, & naturalis ingenii dexteritate ita pollere, vt omnium liberalium ſcientiarum, & aliarum artium, quæ humanis neceſſitatibus inſeruiunt, reperiantur capaciſſimi: ſed præ aliis ſtudiis, Iuris ciuilis & rerum politicarum cognitione gaudent, & in rebus ſuæ fidei commiſſis ſumma vtuntur diligentia: vnde fit, vt in magnatum negotiis procurandis ſæpius adhibeantur.

De ſymphoniacis eorum cantilenis organicis.

CAP. XIII.

Cantilena.

IN Muſico modulamine non vniformiter vt alibi, ſed multipliciter, multiſque modis & modulis cantilenas emittunt, adeo vt in turba canentium, ſicut huic genti mos eſt, quot videas capita, tot audias carmina diſcriminaque vocum, varia in vnam denique ſub B. mollis dulcedine blanda conſonantiam & organicam conuenientia melodiam. In Borealibus quoque maioris Britanniæ partibus trans Humbrum, Eboracique finibus Anglorum populi, qui partes illas inhabitant, ſimili canendo ſymphoniaca vtuntur harmonia: binis tamen ſolummodo tonorum differentiis, & vocum modulando varietatibus, vna inferius ſubmurmurante, altera vero ſuperne demulcente pariter & delectante. Nec arte tantum, ſed vſu longæuo, & quaſi in naturam mora diutina iam conuerſo, hęc vel illa ſibi gens hanc ſpecialitatem comparauit. Qui adeo apud vtranq; inualuit, & altas iam radices poſuit, vt nihil hic ſimpliciter, vbi multipliciter, vt apud priores, vel ſaltem dupliciter vt apud ſequentes, mellite proferri conſueuerit. Pueris etiam (quod magis admirandum) & fere infantibus (cum primum à fletibus in cantus erumpunt) eandem modulationem obſeruantibus. Angli vero quoniam nō generaliter omnes ſed boreales ſolum huiuſmodi vocum vtuntur modulationibus, credo quod à Dacis & Norwagienſibus, qui partes illas inſulæ frequentius occupare, ac diutius obtinere ſolebant, ſicut loquendi affinitatem, ſic canendi proprietatem contraxerunt.

De verborum facetia & vrbanitate.

CAP. XIIII.

Facetia & εὐτραπελίας.

DE CVRIA vero & familia viri, vt circumſtantibus riſum moueant, ſibiq; loquendo laudem comparent, facetiam in ſermone plurimam obſeruant, dum vel ſales, vel lædoria nunc leui lingua, nunc mordaci ſub æquiuocationis vel amphiboliæ nebula, relatione diuerſa, tranſpoſitione verborum, & traiectione ſubtiles & dicaces emittunt. Vnde & exempla quędam explanandi gratia ſubſequenter annecti non ſuperfluum reputaui. Tegengl eſt nomen prouinciæ apud Venedotiam, cui dominabatur Dauid Oeni filius, quam & quidam frater eius quandoque poſſederat. Hoc idem & nomen fuit mulieris cuiuſdam, quam vterque habuiſſe dicebatur. Vnde & aliquoddam dictum eſt iniurioſum, Tegengel habere, cum frater eiuſdem ante Tegengel habuerit.

Item cum Eccleſiam Meneuenſem prouinciæ princeps Reſus Gruffini filius cum ſuorum multitudine peregrinandi cauſa aliquando deuotius adiiſſet, factis oblationi-

lationibus & miſſarum ſolemnitate completa, acceſſit ad eum iuuenis quidam in ipſa Eccleſia, ſeque filium eius eſſe publice proteſtando, & ad pedem ipſius ſe proſternendo, quatenus eidem rei certitudinem ferri candentis examine probare liceret, cum lachrymis humiliter implorauit. Quo verbo ad familiam & filios eiuſdem duos, qui iam exierant extra, delato, ſubiecit iuuenis quidam: nec mirum, alii enim aurum obtulerunt, alii argentum, hic autem, qui vtroque caruit, quod habuit, obtulit, ſc. ferrum, paupertatis incommodum iuueni dicaciter improperans. Cum de domo quadam forti, & quaſi inexpugnabili ſermo à quibuſdam factus fuiſſet, dixit vnus eorum, vere domus hæc fortis eſt, quia ſi in ea eſca fuerit, nunquam erit conquiſita, ad vtrunque referri potuit, & ad eſcam & ad domum. Similiter & dominam domus cuiuſdam quidam auaritiæ notans, dixit: hoc ſolum in hoſpita noſtra reprehenſibile inuenio, quod parum butyri ex conſuetudine ſali imponit, cum acceſſorium rei principali ſoleat apponi, ſubtili verborum traiectione, quoniam in quantitate abundare videbatur acceſſorium, principale conſtituens. Similia in Macrobio de Saturnalibus, philoſophorum & magnorum virorum dicta ſcripto commendata hæc & huiuſmodi multa reperies. Cicero cum Lentulum generum ſuum exiguæ ſtaturæ hominem longo gladio accinctum vidiſſet: Quis, inquit, generum meum ad gladium alligauit? Acceſſorium cauſa præſcripta in principale, conuertẽs. Idem, cum Q. Ciceronis fratris imaginem clypeatam cum ingentibus lineamẽtis vſq; ad pectus ex more pictam vidiſſet, ait, frater meus dimidius maior eſt quam totus. Cum ſoror Fauſti mœchum haberet fullonem: Mirum, inquit, ſororem meam maculam habere, cum fullonem habeat. Cum Hannibali Antiochus copias bellatorum & armorum ingẽtes in campis oſtenderet, quas bellum facturus populo Romano comparauerat: Putaſne, inquit, ô Hannibal, hæc ſatis eſſe Romanis? Hannibal imbelles militum eiuſdem cohortes eludẽs, Plane, inquit, ſatis eſſe credo Romanis hęc, etſi auari ſint: lepide ſatis & acerbe reſpondens. Cum Rex de æſtimanda eius præparatione quæreret, ille de præda dixit.

De loquendi audacia & ſecuritate.

CAP. XV.

LOQVENDI audaciam & reſpondendi fiduciam coram principibus & magnatibus cunctis communiter & minimis in plebe, ſicut maioribus in omni negotio natura dedit. Romanos & Francos hanc eandem naturæ dotem habere videmus: non autem Anglos, ſicut nec Saxones, à quibus deſcenderant, nec Germanos. Si enim ſeruitutem cauſaris in Anglis, & hunc eis inde defectum aſſignas: in Saxonibus & Germanis, qui & libertate gaudent, & eodem tamen vitio vexantur, ratio non prouenit. Saxones igitur & Germani à gelida poli regione, cui ſubiacent, hanc trahunt naturæ geliditatem. Angli quoque quanquam olim à regione remoti, originali tamen natura tam exteriorem in candore qualitatem quam etiam interiorem illam geliditaris, eadem ex cauſa liquida ſ. & gelida complexionis natura proprietatem inſeparabiliter tenent. Britones autem è diuerſo ex calida & aduſta Dardaniæ plaga, quanquam in fines hos temperatos aducti (quia

Cælum non animum mutant qui trans mare currunt.)

tam exterius fuſcum illum cognatumque terræ colorem, quam etiam naturalem interius ex aduſto humore calorem, vnde ſecuritas oritur, originaliter trahunt. Tres etenim populi, Romani Ænea duce, Franci Antenore, Britones Bruto, poſt Troianum excidium reliquiæ Danaum ab Aſia in Europam varias ad partes profugerunt. Tribus igitur his nationibus hinc animoſitas, hinc nobilitas, & tanta generoſitatis antiquitas, perſpicacis ingenii ſubtilitas, & loquendi ſecuritas. Inter has autem gentes, quæ Troiani reliquiæ ſunt excidii, ſoli Britones, quia (vt videtur) multis poſt vaſtationem & euerſionem patriæ annorum curriculis in Græcia detenti, tardius in occiduos hos Europæ fines aducti ſunt, & primæua gentis ſuæ vocabula, & originalis linguæ proprietatem abundãtius retinuerunt. Inuenies etenim in his hæc nomina, Oenus, Relus, Æneas, Hector, Achilles. Heliodorus, Theodorus, Aiax, Euander, Vlicx, Anianus, Eliſa, Guendolena, & alia multa in hunc modum antiquitatem redolentia. Notandum etiam, quod verba linguæ Britannicæ omnia fere vel Græco conueniunt vel Latino. Græci ὕδωρ aquam vocant, Britones dour, Salem ἅλ, Britones Halen, ὄνομα eno, πεντεδέκα pump, dec. Item Latini frenum dicunt, & tripodem gladium & loricam Britones, Froyn, trepet, cledhyf & lhuric, vnico vnic, cane can, belua beleu.

Romani, Franci, & Britanni à Troianis deſcendunt.

Nomina Britannorum Troianã antiquitatem redolentia.

Britannica vocabula à Græcis & Romanis accepta.

Annotationes in Caput XV.

LINGVÆ *Britannica vocabula pauciora à Græcis, infinita autem à Latinis recepta ſunt vt:*

Anuodh *inuitus.*
Aradr *aratrum.*
Ariant *argentum.*
Arueu *arma.*
Aur *aurum.*
Awr *hora.*
Bacl *baculus.*
Bendith *benedictio,*
Ber *veru.*
Cader *cathedra.*
Calch *calx.*
Canwylh *candela.*
Car *carrus.*
Carw *ceruus.*
Caſw *caſeus.*
Celh *cella.*
Cely *celare.*
Ciſt *ciſta.*
Coch *coccineum.*
Corn *cornu.*
Cuyr *cera.*
Cybydh *cupidus.*
Cybydhdra *cupiditas.*
Cylhelh *cultellus.*
Dant *dens.*
Die *dies.*
Dilyw *diluuium.*
Dyſc *diſciplina.*
Dyſcibl *diſcipulus.*
Eccleys *eccleſia.*
Feneſter *feneſtra.*
Feſt *feſtinanter.*
Feſta *feſtina.*
Fos *foſſa.*
Fyrf *forma.*
Gwal *vallum.*
Glud *gluten.*
Gwenwyn *venenum.*
Gwiber *vipera.*
Gwyder *vitrum.*
Gwyrdh *viride.*
Lhavurys *laborioſus.*
Lheo *leo.*
Lhin *linum, item linea.*
Lhuric *lorica.*
Lhyuer *liber.*
Magwyr *maceria.*
Malais *malitia.*
Marw *mori.*
Mawr *magnus.*
Medheginiaeth *medicina.*
Medhic *medicus.*
Mël *mel.*
Melhtith *maledictio.*
Melhtithio *maledicere.*
Melhtigedic *maledictus.*
Membrwn *membrana.*
Menyber *manubrium.*
Milwr *miles.*
Milwriaw *militare.*
Moes *mos.*
Monwent *monumentum.*
Môr *mare.*
Mur *murus.*
Mynyth *mons.*
Nos *nox.*
Oric *hora.*
Orioc *horarius.*
Pared *paries.*
Pawl *palus.*
Pont *pons.*
Porth *porta.*
Piſc *piſcis.*
Scriuen *ſcriptura.*
Scryueny *ſcribere.*
Sych *ſiccus.*
Stabl *ſtabulum.*
Tarw *taurus.*
Tembl *templum.*
Tir *terra.*
Tyner *tener.*
Tyſt *teſtis.*
Tyſtiolaeth *teſtificatio.*
Tyſtholaethy *teſtificare.*
Yſcal *ſcala.*
Yſcol *ſchola.*
Yſcolhaic *ſcholaſticus.*
Yſbryd *ſpiritus.*

Atq; ſexcenta alia trita & vulgaria quidem illa, quæ non recens nata ſunt, ſed ante 1000 ann. elapſos in vſu recepta, & apud imperitum vulgus vſq; in hodiernum diem communiter vſurpata.

De diuinatoribus in hac gente, & quaſi arreptitiis.

Cap. XVI.

Awenydhyon. SVNT & in hoc Cambriæ populo, quod alibi non reperies, viri nonnulli, quos *Awenydhyon* vocant, quaſi mente ductos. Hi ſuper aliquo conſulti ambiguo, ſtatim frementes ſpiritu quaſi extra ſe rapiuntur, & tanquã arreptitii fiunt. Nec in cõtinenti tamen quod deſideratur ediſſerunt: ſed per ambages multas inter varios, quibus effluunt

effluunt ſermones nugatorios magis & vanos quam ſibi cohærentes, ſed omnes tamen ornatos, in aliquo demum verbi diuerticulo, qui reſponſum ſolerter obſeruat, quod petit accipiet enucleatum: & ſic deniq; de hac extaſi tanquam à ſomno graui ab aliis excitantur, & quaſi per violentiam quandam ad ſe reuerti compelluntur. Vbi & duo notanda reperies, quia poſt reſponſum niſi violenter excitati & reuocati ab eiuſmodi quaſi furore reuerti non ſolent, & quod in ſe reuerſi nihil horum omnium, quæ ab eis interim prolata ſunt, ad memoriam reuocabunt. Vnde etſi forte ſuper hoc iterum vel alio conſulti, dicere debeant aliis omnino verbis & alienis enuntiabunt. Forſan ſicut per phanaticos & energumenos ſpiritus interdum loquuntur tãquam ignaros. Solent autem eis hæc dona plerunq; in ſomnis per viſiones infundi. Quibuſdam enim videtur, quod eis vel lac dulce, vel mel ori infundatur. Aliis etiam, quod eis ſchedula inſcripta ori imponatur: & ſtatim à ſomno erecti ſe gratiam hanc ſuſcepiſſe publice profitentur.

Tale eſt illud Eſdræ de ſe ſcribentis, Dixit Dominus mihi: Aperi os tuum; & aperui os meum, & ecce calix plenus aqua, cuius color ſimilis igni: & cum bibiſſem, eructauit cor meum intellectum, & in pectus meum introiuit ſapientia. Faciunt autem inter vaticinia inuocationes ad Deum viuum & verum & ad ſanctam Trinitatem, vt peccatorum meritis à veri inuentione non impediantur. In aliis autem nationibus, quam hac Britannica, ſicut & olim Troiana, de qua deſcẽdunt, prophetas huiuſmodi raro reperies. Calcas etenim & Caſſandra apud Ilion, nobilis illius obſidionis tempore vaticinii ſpiritum habentes, vrbis excidium aperte prædixerunt. Vnde & Helenus Priami filios, qui archiflamen eorum erat, propter vaticiniorum libros, quos habebat, tam Calcantis, quam & aliorum longe ante ſuper patriæ deſtructione, primo ſtatim ad Græcos vna cum Calcante ſe transtulit anno, à quibus & egregie poſtmodum in Græcia remuneratus eſt. Caſſandra vero puella Priami Regis filia, quotidie vrbis euerſionem canebat, nec ei tamen ob ſuperbiam Troianorum nimiam, & præſumptionem fides habebatur. Nocte quoq; qua vrbs prodita fuit, proditionem ipſam & modum prodendi manifeſte præcecinit. Vnde Virgilius:

Prophetæ quidã, ſed inſani, vt præcedentibus apparet.

——*Tales caſus Caſſandra canebat.*

Sicut & olim, ſtante adhuc Britonum regno, gentis excidium, & tam Saxonum primo, quam etiam Normannorum poſt aduentum, Merlinus vterque tam Calidonius, quam Ambroſius fertur vaticinando declaraſſe. Illud quoque, quod de talibus A. Gellius refert, hic interſerere dignum duxi. Quo die C. Cæſar & Cn. Pompeius, per ciuile bellum collatis ſignis in Theſſalia conflixerunt, in Tranſpadana Italia memoratu digna res accidit. Sacerdos namque Cornelius, & loco nobilis, & ſacerdotii religione venerandus, & vitæ caſtitate ſanctus: repente, mota mente, Cæſarem viciſſe proclamauit, pugnæque dies & exitus omnis, pugnandi reciprocationes, & ipſa duorum exercituum conflictatio eius vaticinantis motu atque verbis repræſentata eſt. Si ſpiritu proferantur huiuſmodi, ſcrupuloſius lector inquiras. Non dico Pythonico, non dæmoniaco, verum quia ſicut ſolius Dei proprium eſt ſcire futura, ſic & futurorum ſcientiam dare, ſpiritu ſciẽtiæ deſuper & gratia dato. Diuiſiones quippe gratiarum ſunt, vt ait Apoſtolus, vnus autem atq; idem ſpiritus. Vnde Petrus in Epiſtola ſecunda, non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt homines. Ad idem facit illud in Daniele, quod Chaldæi Regi Nabuchodonoſor ſuper ſomnii ſui interpretatione, quam ab ipſis extorquere volebat, reſponderunt: Non eſt, inquiunt, homo ſuper terram, qui ſermonem tuũ, Rex, poſſit implere: ſed neque Regum quiſquam magnus & potens verbum huiuſmodi ſciſcitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo, ſermo enim, quem tu Rex quæris, grauis eſt, nec reperietur quiſquam qui indicet illum in conſpectu Regis, exceptis diis, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio. Super eundem locum Hieronymus: *Confitentur arioli, & omnis ſcientia ſecularis, præſciẽtiam futurorum ſolius Dei eſſe, non hominum, vnde probatur, prophetas ſpiritu Dei locutos, qui dixerunt futura.* Ad hoc autem, quod obiiciunt quidam, ſi ſpiritu Dei ducerentur, quandoque permitterent. Hæc dicit dominus Deus, vel aliquid in hunc modum more prophetico, & quia talis prophetandi modus in Merlino non reperitur, cum potius Pythonico ſpiritu locutum eſſe plerique coniectant. Et quia etiam de ſanctitate ipſius vel deuotione, quamque fidelis fuerit minime legitur. Ad quæ reſpondeo, quod non ſolum ſanctis, ſed infidelibus interdum & gentilibus: ſicut *Baalæ & Sibyllæ*, & etiam malis, vt *Cayphæ*, ſicut & *Beleæ* prophetiæ ſpiritus datus eſt. Vnde Origen. ſuper Numer. Ne mi-

Cornelius ſacerdos.

Vide ſup. pa. 826.

Quo ſpiritu prophetarit ex Giraldi hiſtoria apparet.

reris, cum quem diximus ſcribas & phariſęos & doctores populi ſignificare Iudęos de Chriſto prophetare, Caiphas enim ait: Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Sed, inquit, quia erat pontifex anni illius, propbetauit. Nemo ergo extollatur, ſi propheter, ſi pręſcientiã mereatur, quia ꝓphetiæ deſtruentur, ceſſabunt linguę, ſcientia deſtructur: permanct autem fides, ſpes, charitas: maior enim eſt charitas, quæ ſola nunquam cadit. Et non ſolum prophetizabant, ſed virtutes & ſigna mali quandoque faciebant, quod plerique non poterant. Sicut Iohannes Baptiſta, qui tantus erat, ſigna non fecit, ſicut Iohan. Euangeliſta teſtatur dicens: Et multi venerunt ad Ieſum, & dicebant, quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum, &c. De matre quoq; Domini nõ legitur quod aliquid fecerit. De filiis etiam Scheuæ legimus in Actis Apoſt. quod in nomine Ieſu, quem Paulus pręedicabat, dæmonia ciecerunt: vnde in Matth. & Luca reperies: Multi dicent in illa die mihi, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tua dęmonia ciecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos. Et alibi, reſpondens autẽ Ioannes dixit, Magiſter vidimus quendam in nomine tuo dæmonia ciicientẽ, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum. Ieſus autẽ ait: nolite prohibere eum, nemo eſt qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me. Qui enim non eſt aduerſus nos, pro nobis eſt. Item Alexander Macedo gentilis montes Caſpios tranſtulit, & decem tribus intra eorundem promontoria, vbi vſq; in hodiernum reſident, & vſq; in aduentũ Eliæ & Henoc reſidebunt, miraculoſe concluſit. Merlini itaq; prophetiam legimus, ſanctitatem eius vel miracula non legimus. Obiiciunt, & quia prophetiæ non extra ſe fiebant, quando prophetabant, ſicut de Merlino Silueſtri legitur, quod amens factus prophetabat: & de his ſimiliter quaſi arreptitiis, de quibus hic locuti ſumus. Sed alii per ſomnia, viſiones & ænigmata, vt Ezechiel & Daniel: alii per facta & dicta, vt Noe in Archæ ſabricatione Eccleſiam; Abraham in filii immolatione, Chriſti paſſionem; Moyſes dicens ſuſcitabit vobis Deus prophetam de fratrib. veſtris, hunc audite, Chriſtum ſignificauit. Alii excellentiori quodam modo per internam ſpiritus ſancti inſpirationem ac reuelationem, vt Dauid, quibus id ſolum, quod in libro Regum 1. de Saule legitur Dauid perſequente, reſpondeo, Quia cum accepiſſet Saul Dauid in Naioth (qui eſt collis iu Ramatha) vbi erat cuneus prophetarum, tranſfugiſſe, miſit lictores in Naioth, vt raperent Dauid, qui cum vidiſſent prophetas & Samuelem ſtantem ſuper eos, factus eſt illis ſpiritus Domini, & prophetabant, miſitq; ſecundos & tertios nuntios, qui & ipſi prophetauerunt. Eriratus Saul abiit poſt eos, & antequam veniret in Naioth ingrediens prophetabat, & quaſi amens factus & exutus veſte regia, tota die & nocte canebat cum ceteris, Dauid & Samuele clam videntibus: nec mirum, ſi illi, qui ſpiritum Domini datamq; deſuper gratiam tantam ſubito ſuſcipiunt, à terrenæ mentis interim ſtatu alienari videantur.

De generoſitatis amore, & genealogia longe retenta.

Cap. XVII.

GENEROSITATEM vero, & generis nobilitatem præ rebus omnibus magis appetunt. Vnde & generoſa coniugia plus longe cupiunt quam ſumptuoſa vel opima. Genealogiam quoque generis ſui etiam de populo quilibet obſeruat, & non ſolum auos, atauos, ſed vſque ad ſextam vel ſeptimam, & vltra procul generationem memoriter & prompte genus enarrat in hunc modum, Reſus filius Gruffini, filii Reſi, filii Theodori, filii Æneæ, filii Oeni, filii Hoeli, filii Cadelli, filii Roderici Magni, & ſic deinceps.

Genus itaq; ſuper omnia diligunt, & damna ſanguinis atq; dedecoris acriter vlciſcuntur. Vindicis enim animi ſunt & iræ cruentę, nec ſolum nouas & recẽtes iniurias, verum etiam veteres & antiquas velut inſtantes vindicare parati. Non vrbe, non vico, non caſtris cohibitant, ſed quaſi ſolitarii ſiluis inhærent: in quarum eiuſdem margine non palatia magna nec ſumptuoſas & ſuperfluas lapidum cementique ſtructuras in altum erigere, verum tecta viminea, vſibus annuis ſufficientia, modico tam labore quam ſumptu, connectere mos eſt. Non pomeriis vtuntur, non hortis, vtrorumque tamen fructibus eis aliunde porrectis, libenter veſci ſolent. Agris igitur plurimum vtuntur paſcuis, parum cultis, floridis parce, conſitis parciſſime. Boues autem ad aratra vel plauſtra binos quidam iungunt rarius., ſed quaternos frequentius, ſtimulatore præambulo, ſed retrogrado: quem & pericula plerunque dum tauri iuga detractant retro cadendo contingit experiri. Falcibus quoque

minus

Digitized by Google

minus vtuntur ad metendum: plus autem & expeditius ferro quodam modico in cultelli modum formato, baculis binis ad capita laxe & flexibiliter catenato: ſed quoniam ſegnius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, melius videndo quam audiendo modum attendes. Sunt & his nauiculæ ad piſcandum ſeu flumina tranſnauigandum viminiæ, non oblongæ, non roſtratæ ſed quaſi rotundæ. vel potius in triangulum formatæ, vndique corus animalium crudis intus & extra contectæ. Cum autem nauiculam ſalmo iniectus cauda fortiter percuſſerit, non abſque periculo plerumque vecturam pariter & vectorem euertit. Nauiculas iſtas piſcatores patriæ ritu eundo & redeundo humeris portant, vnde & famoſus ille Fabulator Bledhercus, qui tempora noſtra paulo præuenit, ſuper hoc caſu ſic ænigmatice proloqui conſueuerat. Sunt apud nos gentes quæ cum ad prędandum deproperent, equos humeris impoſitos vſque ad prędam ipſam portant, ad prædam vero capiendam equis inſiliunt, atque capta ſtatim equos humeris iterum iniectos, domum redeundo reportant.

De antiqua fidei fundatione, Chriſtianitatis amore & deuotione.

Cap. XVIII.

PRÆTEREA olim longeque ante excidium Britannicum, quia per annos circiter ducentos per Faganum & Damianum ad petitionem Lucii Regis ab Eleutherio Papa in inſulam tranſmiſſos, in fide fundati ſunt & ſolidati. Vnde & à tempore quo *Religio.* Germanus Altiſiodorenſis & Lupus Trecenſis propter corruptionem quæ Paganorum Saxonum irruptionibus iam irrepſerat, & præcipue ad expellendam hæreſin Pelagianam in inſulam miſſi ſunt, nihil hæreticum, nihil recte fidei contrarium ſenſere. Ab eorundem quoque doctrina hæc, vt fertur, vſque in hodiernum documenta tenuerunt. De quolibet pane appoſito primum fractionis angulum pauperibus *Cerimonia.* donant. Terni quoque in Trinitatis memoriam ad prandium ſedent. Viro cuilibet religioſo monacho vel clerico, vel cuicunque religionis habitum præferenti, ſtatim proiectis armis cernuo capite benedictionem petunt. Epiſcopalem vero confirmationem & chriſmatis (qua gratia ſpiritus datur) inunctionem, præ alia gente totus populus magnopere petit. Omnium quoque rerum quas poſſident, animalium, pecorum, & pecudum interdum decimas donant, quando videlicet vel vxores ſibi martiali copula iungunt, vel peregrinationis iter arripiunt, aut quamlibet vitæ ſuæ, eccleſiæ conſilio, correctionem aſſumunt. Hanc autem rerum ſuarum partitionem decimam *Decima ma-* magnam vocant, cuius duas partes eccleſiæ ſuæ baptiſmali, tertiam vero epiſcopo diœceſano dare ſolent. Præ omni autem peregrino labore, Romam peregre libentius *Superſtitio-* eundo, deuotis mentibus Apoſtolorum limina propenſius adorant. Eccleſiis autem *Peregrinat-* & eccleſiaſticis viris, ſanctorum quoque reliquiis, & campanis baiulis, libris textis & cruci, deuotam reuerentiam exhibere, longeque magis quam vllam gentem his omnibus honorem deferre videmus: vnde & eccleſiæ iſtorum longe maiorem quam alibi pacem habent. Non etenim in cœmiteriis ſolum, verumetiam extra procul per metas & foſſas vlteriores ab epiſcopis cauſa pacis impoſitas & conſtitutas, animalibus ad paſcua pax ſeruatur. Eccleſiæ vero maiores quibus maiorem antiquitas reuerentiam exhibuit: quatenus armenta mane ad paſcua exire & veſperi redire poſſunt, pacem præbent. Vnde ſi cum Principe capitales quis inimicitias incurrerit, ſi eccleſiæ refugium quæſierit, eadem ſibi & ſuis pace gaudebit: adeo vt hac immunitatis indemnitate, longe Canonum indulgentiam excedente, (qui corpori ſolum & membris tali in caſu ſalutem præſtant) multi abutentes, audacius ob hanc impunitatem hoſtiliter excedunt, & ab his etiam refugii locis, tam patriam vndique totam quam principem ipſum grauiter infeſtando moleſtant. Heremitas & Anachoritas abſtinentiæ maioris magiſque ſpirituales alibi non videas. Gens etenim hæc omni vehemens eſt intentione. Vnde & *Sicut malis nuſquam peiores, ſic bonis meliores non reperies.*

Fœlix itaque gens & fortunata, Gens vere, vtraque ſorte beata, Si *Prælatos* haberent bonos & *Paſtores*, vnoque gauderent *Principe* & illo bono.

Annotationes in Caput XVIII.

DVÆ res, teſte Giraldo, Remp. fælicem & fortunatam reddunt: quarum altera in vnius boni principis moderata gubernatione conſiſtit: altera in fidelis diligentiſque paſtoris ſana doctrina & diſciplina ſalubri. Priorē nobis his noſtris diebus largita eſt Dei clemētia vt videremus ipſi: Cambria enim

contendant. Hi & ſuperiores tanta inter ſe contentione decertant vt interdum tanquam pro aris & focis acerrime digladientur: dum hi Britannicas fabulas defendere, illi cornicum oculos configere nitantur. Quos omnes, ſi ſibi conſtare velint, & melioris cuiuſdam naturæ bonitate allecti aliquando non miteſcant: non ad hiſtoriæ veritatem inueſtigandam, ſed ad propugnaculi cuiuſdam obſeſſi poſſeſſionem, à violento hoſtium impetu defendendam, vbi pertinax & accurata defenſio & non deliberatæ rationis conſideratio requiritur, adhibendos atque amandandos eſſe ſentiebam. Huius autem teſtaurandæ atque reſtituendæ hiſtoriæ tractationem prudentibus & moderatis viris, qui & ſuæ ſententiæ rationem reddere, & captioſas aduerſariorum ratiocinationes diſſoluere, & veritatem perſpicere atque retinere poſſint, committendam eſſe dicebam. Addidi præterea quædam in hac hiſtoria mihi non probari; non ſolum quia Græcanicam vanitatem ſapiunt, ſed etiam quia vltra Hiſtoriæ fidem ſcripta eſſe videntur: vt ſunt, ſtupendæ transformationes, prodigioſa miracula, & omnia Merlini aliorumque incerta vaticinia, atque nonnulla alia, quæ quanquam hiſtorico more tradantur, in quibuſdam tamen libris Britannice ſcriptis non habentur: ita vt ab interprete addita eſſe videri poſſint: quibus detractis facilem & expeditam fore reconciliationem affirmaui. Nam quod reliquum eſt difficultatis, vel in ipſis Reipublicæ gubernatoribus diſtinguendis: vel in rerum geſtarum relationibus: vel in topicorum nominum intelligentia haud multum eſſe dicebam.

Et primum quod ad rectores attinet, ſic ſentiebam: Hanc nimirum Inſulam à tempore Dunuallonis Molmutii, in plures principatus ſemper fuiſſe diſtributam, & à pluribus Regulis ſupremam & mandandi & iudicandi auctoritatem in ſuis prouinciis obtinentibus, fuiſſe gubernatam, vt ex Cæſaris, Taciti, Dionis, & Suetonii, & aliorum ſcriptis videre licet.

Præterea certum eſt, vel hac, quam habemus hiſtoria teſtante, Loegriam, Albaniam, Cornubiam, Demetiam, Venedotiam, Deiram & Berniciam ſuos fere ſemper habuiſſe regulos: qui etſi ſæpenumero ſe mutuo bello infeſtabant: in communi tamen patriæ periculo, ad violentum externi hoſtis impetum propulſandum, ſemper vnum aliquem ipſorum ſupremum belli ducem & Imperatorem (quoties vrgebat neceſſitas) conſtituere ſolebant: cuius mandato cuncta gerebant. Fieri itaque poſſe affirmabam, vt plures auctores diuerſorum regum, (qui in variis inſulæ partibus eodem tempore præfuerunt) in ſuis ſcriptis mentionem faciant, qui eam ob cauſam, non ſunt putandi ſibi inuicem contradicere, quod hic vnum, ille alium Britanniæ Regem fuiſſe ſcripſerit, præſertim cum plures ſimul extiterint. In perſonarum etiam nominibus cauendum eſſe monui, ne diuerſa nomina eidem perſonæ accommodata fuerint: quæ non animaduerſa magnam confuſionem & inſignes errores facile inducunt. Nam apud Britannos (ſicuti etiam apud Romanos) ex inſigni aliqua qualitate vel deformitate corporis, nomina imponere conſuetum fuit, vt Elidor War *Heliderus Pius*, Vther Pendragon, Edoal Ywrch *Edoaldus Hinnulus*, Gwilym Goch *Gulielmus Rufus*, & huiuſmodi.

In relationibus rerum geſtarum, notandam atque obſeruandam eſſe dixi, in ſingulis auctoribus erga ſuos ciues, aut eos quorum res geſtas ſuis ſcriptis ornare ſtudent, affectatam quandam animi propenſionem, qua & commiſſorum ab illis laudem pluribus extollunt, & admiſſorum turpitudinem aut omnino diluere, aut certe eleuare nituntur.

Hoc morbo plerique omnes ſcriptores laborant, à quo Cæſar ipſe in rerum à ſe in hac inſula geſtarum relatione non erat immunis, vt ex Lucano, Tacito, Dione & Plutarcho ſatis manifeſtum eſt. Idem etiam in Tito Liuio notat Auguſtinus. In rebus igitur dubiis cohibendam eſſe aſſenſionem, atque rerum circumſtantias prudenter eſſe perpendendas putabam: & eius demum auctoris ſententiæ magis inclinandum, cuius fides nobis cognita & perſpecta magis eſt, prout res ipſa quæ narratur, veriſimilis vel non veriſimilis videretur. Sed illud inprimis tenendum nobis eſſe ſtatuebam, vt ad veritatem indagandam animum adferamus liberum, ab omni præiudicata opinione & affectata in alterutram partem inclinatione penitus alienum.

In propriis populorum, regionum, ciuitatum, fluuiorum, montium, & aliarum rerum nomenclaturis, magnam à nobis adhibendam eſſe curam contendebam, vt intelligamus, qua ratione primo nomen impoſitum ſit: à quo idiomate defluxerit: num idem nomen Britannicum & Romanum ſit, an aliud Britannicum

aliud

Digitized by Google

aliud Romanum teperiatur: num antiquum nomen hodie manet: & alia huiuſmodi. Quam ad rem, tam Romanæ Britannicæque conſuetudinis quam antiqui ſermonis Britannici cognitionem & intelligentiam neceſſariam eſſe indicabam. Nam Romanos ſcriptores vocabula Britannica ad Latini ſermonis formam traduxiſſe aiebam, & Britannos è conuerſo Romana vocabula fœde deformaſſe, eaque corruptiſſime & ſcripſiſſe & protuliſſe certum eſt: adeo vt ſine illatum rerum cognitione, haud facile hæc intelligi, multo minus antiquæ ſuæ integritati reſtitui & reconciliari poſſe arbitrabar. Quæ tamen omnia (illis obſeruatis) diligentibus & accuratis antiquitatis inueſtigatoribus, acri & prudenti iudicio prçditis facillima eſſe affirmabam.

Atque hæc fere ſunt omnia, quæ eo tempore in medium proferebam. Quç tu, pro tua prudentia, quam negotiis pertractandis, notandis exemplis, & cognoſcenda antiquitate, ſummam tibi comparaſti, methodo conformans meliori, facile emendabis: Qua in re tuum (in abſentia Lambardi noſtri) non conſilium ſolū, ſed & auxilium peto: vt tu videlicet qui non tantum varia atque multiplici excellentis doctrinç cognitione, verumetiam perſpicacis ingenii dexteritate polles, in antiqua huius Inſulæ hiſtoria reſtituenda opem ferre non graueris.

ADDENDA.

IN Epiſtola prçfixa Pon. Virunnio, linea 16. poſt illa verba, *Dion Baſſius & alii.* hæc addenda ſunt. *De Cymbelino legitur apud Dionem lib. 60. Cuius duo filij, Cataratacus & Togoducmus* (vt ibi habetur) *ab A. Plautio victi atque fugati perhibentur.*

FINIS.

INDEX

INDEX VERBORVM ET RERVM IN OPERE HOC TOTO PRÆCIPVE MEMORABILIVM: VBI NVMERVS PRIOR, PAGINAM; POSTERIOR, VERSICVlum notat.

A

ABBAS & conuentus S. Albani accuſantur de perturbatione & commotione ruſticòrum rebellium 276.49
Abbas montis Caſſini tranſitu Papam prohibet 335.51
Abbas de bello 96.22
Abbates laici 861.32
Abbatia Becci 643.1
Abbatia Ciſtercienſium 475.48
Abbatia de bello 666.38
Abbatia de Pratellis 650.1
Abbatia de valle regis 51.39
Abbatia ſancti Dauidis 230.11
Abbatia S. Michaelis de monte & S. Audoeni 632 2
Abbatiſſa de Lacok ſomniat 466.53
Aber 823.9.864 6
Abergeuenni 833.51
Aberhodni 823.8
Abertaroe 843.22
Accipiter Hibernicus 702.22
Accuſatio communitatis Anglicæ 71.40
Accuſatio epiſcopi Herefordenſis 119.35
Accuſationes falſæ contra proceres Angliæ 541.22
Acon à Soldano capitur 55 16
Acon recuperatur 454.13
Acta Anglicorum in Francia 242.4
Acta apud Sanctum Albanum 256.53
Acta apud Weſtmonaſterium inter regē & proceres eius 331.8
Acta Chriſtiani cuiuſdam & Iudæi 53.15
Acta comitis Derbyenſis 167.31
Acta Hugonis Caluerlee in mari 220.19
Acta in Scotia 78.19
Acta in Wallia 49 50 & 50.22.52 8.63.14.24
Acta in Waſconia 63.44.65.14.72.20.482.20
Acta inter Richardum II. regem & Londonienſes 333.10
Acta Michaelis Atte Pole 332 28
Acta Thomæ Percy in mari cum ſocio Hugone Caluerlee 220.19
Acta Weſtmonaſterienſia 52 52
Acton Burnel 51.54
Actus Papa 320.8
Adam Cardinalis Anglicus reſtitutus. 545 3
Adela filia Henrici regis Anglorum 685 6.688.25
Adelena Walleranni Comitis Mellenti filia 650.1
Adeliza 682.1
Adeſtanus Anglorum rex Chriſtianiſſimus 612. 22.81.51
Admonitio Henrici II. apud Caerdyf 840.6
Admonitio Rolloni facta in ſomnis, vt in Angliā ſe conferret, victoriam ab Anglis reportaturus 611.11
Aduenæ Hibernienſes vitiis eorum inquinantur 744.1
Aduentus Aſſeri ad Ælfredum Angloſaxonem 13.33
Aduentus comitis de Oſtrians in Angliam 347.40
Aduentus ducis Gelriæ in Angliam 347 33
Aduentus Francorum in Scotiam 316.6
Aduentus Mauritii Giraldidæ in Hiberniam 766.26
Aduentus nuncii regis Franciæ 344.15
Aduentus regis Franciæ in Angliam miraculoſe impeditus 325 13
Aduentus Reymundi in Hiberniam 767.32
Aduentus Stephanidæ in Britanniam 761.41
Adulphus Alemanniæ rex interfectus 488 3
Ædificatio Weſtmonaſterii 463.53
Ælfredus homines doctos plurimi facit 14 13.25
Ælfredus inops 9 37
Ælfredus index integer eſt 21.20
Ælfredus Londinum inſtaurat 14.54
Ælfredus monaſteria duo condit 18.28
Ælfredus morboſus 12.27
Ælfredus moritur 21.51
Ælfredus pauperum tutor ſolus 21.7
Ælfredus precatur Deum 12.39
Æmulatio procerum aduerſus Iohannem Philpot 211.44
Æſtus Deuanus 874 55
Æthelbaldus vxorem patris ſui ducit 4.29
Æthelbertus moritur 4 48
Æthelwulfus moritur 4.28
Æthelwulfus Romam proficiſcitur 2.40
Æthelwulfus teſtamentum condit 4.16
Ætheredus moritur 7.47
Afflictio Flandrenſium 486 24
Alanus 634.48.620.4.642 44
Albamarlus rebellans capitur 441.13
Albanactus 492.19
Albania 886.56
Alentium 641.1.& 656.25.
Alexander V. in papam electus 570.20
Alexandria per Cypriæ regem capta 180.44
Alfonſus Angliæ regis filius è vita excedit 476.9
Alicia Peeres 530.33
Alicia Peeres fallax mulier 192.36
Alicia Peeres proſcripta 200.1
Alienigenæ Angliæ pulſi 506.51
Alienora Angliæ regina ſanctimonialis fit 53.10
Alienora Aquitaniæ ducifſa 459.20
Alienora mater regis Angliæ diem ſuum obit 57.39. monacha fit 476.21

Almed-

Almedha 826.32
Alphonſus Arragoniæ rex 52.47
Alunus 857.59
Aluredus iniuſte peremptus 434.14
ambitio epiſcoporum eccleſiæ peſtis 856.57
Ambresbyria 52.21
amicitia inter Edwardum Angliæ regem & Achaiæ principem 53.42
amicus verus 454.43
amor Ælfredi in viros eruditos 14.13
Andegauum ab Angliæ rege Iohanne occupatum 461.22
Andreas Herkle capitur, Angliaque regi traditur 118.32
Andreas Herkle ingratus ad Scotos transfugit 118.5
Andreas Herkle proditor, ſupplicio affectus 505.50
Angli cæſi 501.33
angli duci Normannorum rebellantes per eum ſubacti ſunt 666.14
angli duo Cardinales facti 89.24
angli Gallos vincunt 224.3
angli in Waſconiam parantur 69.36
angli mare ingreſſi 200.28
angli nauem Falconem piratis eripiunt 288.9
angli obſident caſtrum de Dunbar 136.10
angli penuria laborant 187.29
angli per Robertum le Brus fugati 93.21
angli per Scotos victi 86.57
angli peſte pereunt 183.50
angli Portingalenſibus opem ferunt 535.1
angli prædas agunt in Francia 319.9
angli puſillanimes effecti 106.28
angli vincuntur per Scotos 112.11
anglia interdicto ſuppoſita 459.57
anglia proditoribus nunquam vacua 326.24
anglia Scotiam ſibi ſubdit 55.44
animoſitas epiſcopi Northwicenſis 263.53
Annona cariſſima 180.1
Annus iubilæus 169.23.519.46.544.30
annus morbidus 179.25
Anſelmus abbas Beccenſis archiepiſcopus Cantuarienſis fit 672.43
anſelmus Herluini ſucceſſor 643.1
anſelmus reſtituitur in integrum 442.40
anſelmus transfretat 442.30
anſelmus vnde fuerit oriundus 442.5
Antiochia per Chriſtianos capta 443.5
aper Carolomannum cædit 11.52
apoſtata quidam ſupplicio mortis affectus 464.15
apparatus regis Franciæ Angliam inuadere cogitantis 315.17
appulſus Gallorum in Walliam 374.3
appulſus reginæ Franciæ in Angliam 508.48
aqua mirabiliter diuiſa 552.46
aqua in Cantio exundantes 564.22
Aquila fabuloſa 872.8
aquila Hibernica 703.49
Aquitania deficit à rege Anglorum 188.6.529.35
aquitania ſpoliatur 414.52
Archiepiſcopatus Cantuarienſis Anſelmo datus 440.58
archiepiſcopi in Hibernia nulli fuerunt ante Iohannis Papyrionis aduentum 742.25
Archiepiſcopus Armachanus contra ordines mēdicantium diſceptat 173.22
archiepiſcopus Cantuarienſis creatur in Cardinalem 183.38
archiepiſcopus Cantuarienſis de concluſionibus Iohannis Wicklif agit cum coepiſcopis ſuis 285.36
archiepiſcopus Cantuarienſis mandatum ſuum Cancellario Oxoniæ contra articulos Iohannis Wicklif mittit 286.27
archiepiſcopus Cantuarienſis obit 128.25
archiepiſcopus Cantuarienſis Oxoniam viſitare volens repellitur 572.5
archiepiſcopus Caſſilienſis 220.45
archiepiſcopus Eboracenſis capitur 378.52. decollatur 565.28
Argentonium 650.39
argumentum nequitiæ Hibernenſium 743.38
Arnulfus Flandrenſis 623.16.625.29.628.25
arnulfus patriæ turbator 419.47
arnulfus Wilhelmi Taluacii filius 653.35
Arreragia Anglis per regem ipſorum remiſſa 147.38
Arthro 886.10
Arthurus 81.42.492.27
arthurus Britãniæ comes patruo ſuo homagium facit 458.14
Articuli Iohannis Wicklif ab archiepiſcopo Cantuarienſi aliiſque nonnullis damnati 285.50
articuli pacis inter Angliæ Franciæque reges inita 175.58
articuli pacis inter Angliæ regem & proceres 488.28
articuli procerum Anglicorum quidam per regem ipſorum confirmati 97.45
Aruon 865.52
aſcendiſti vt vulpes, &c. 62.52
aſſertiones Iohannis Wicklif 208.26.534.42
aſſertiones Lollardorum 558.22
Aſſerus ad Ælfredum venit 13.38
aſſerus febri corripitur 13.50
aſſerus quis fuerit 22.13
aſtutia vxoris in decipiendo viro lauta 846.19
auaritia epiſcoporum eccleſiarum peſtis eſt 856.57
auaritia monachorum 832.34
Auenna 843.22
aues hyemali tempore in Hibernia non comparentes 702.15.707.47
aues in Hibernia biformes & adulterinæ 706.50
Augum 799.14
Anianus diuus quidam 821.27
Aymericus è carcere liberatus 475.3
Aymerus pœnas de Roberto le Brus ſumit 498.42

B

Baculus Cyrici 821.50

Bacu-

Baculus virtuoſiſſimus quidam, Baculus Ieſu vocatus 747.44
Baiocæ deſtructæ 616.10
Balduinus comes Flandrenſis 692.52
filio ſuo Balduino Roberti Francorum regis filiam in coniugem petit 641.47
Baleares 165.13
Balzo 623.52
Bangu 822.7
Banwille 14.35
Bargia quædam Eboraci vnacum hominibus ſubmerſa 225.40
Barones Angliæ à rege deficiunt 460.39
Barones Angliæ inſurgunt in regem 504.31
Barones Angliæ multi capti 462.6
Barones quidam Normannici falſo ad ducem ſuum delati è Normannia pelluntur 663.8
Barrus 840.37
Bartholanus 753.41
Baſclenſes 737.50
Belinus 81.39.492.29
Bell. m apud Nazar 182.4
apud Valedunas geſtum 655.42
ciuile 469.44
de Fowkirch 75.50
de Poyteres 172.1
de Striuelyn 73.25.& 105.3
Dunelmiæ inter Scotos & Anglos 167.5
Hiſpaniæ quoddam notabile 52.33
in Wallia 51.20
inconſtans 8.4
inter Anglos & Gallos 222.31
inter Scotos & Anglos 488.10
inter Turſtinum de Baſtenborc & Walchelinum de Ferrariis 649.6
mariſcum 482.35
Bellum Mauronium 169.4
nauale 540.1
Normannis illatum 665.51
papæ aduerſus antipapam 221.29
Regnoldi Franciæ principis cum Rollone 616.9
Winchelſcyenſe 169.6
Benedictini 831.10
Benedictus in papam electus 89.18
Benedictus papa moritur 90.14.158.36
Beorhtric veneno ſublatus 3.46
Berengerius (ſ. Berengarius) 620.4
Bernacæ Hibernenſes ex abietibus naſcentes 706.15
Bernardus Danus 626.3
Bernardus de nouo mercatu 825.30
Berroc.ſcire 1.22
Bertrandus in Hiſpaniæ regem bellum mouens fugit 181.26
Berwicum caſtrum capitur 66.5.219.15.521.19
Berwicum foſſa munitur 483.58
Berwicum obſidetur 112.5.132.26
Berwicum redditum 565.58
Berwicum Scotis proditum 111.51
Beuerlacum 111.50
Bier coſta ferrea dictus 414.17
Bier Dacia expulſus 607.1
Bier redire volens in Danemarcham apud Friſiam moritur 609.19
Bigamia Lancaſtriæ ducis impia 540.42
Blancha filia regis Anglici nata 149.1
Boamundus proditor amens expirat 452.38
Bona monachorum confiſcata 146.16.& 513.7
regis Anglorum per Scotos direpta 505.18
Bona regis Ælfredi morituri diuiſa 19.52
Bona templariorum poſſidenda legantur 506.18
Bonifacius IX. papa moritur 372.55
Bonifacius Papa accuſatus 497.1
Bonifacius papa librum decretaliũ VI. facit 72.49
Bonifacius male tractatus 497.7
Bonifacius Papa reges Anglum Gallumque pacificat 76.27
Bos ſemiuir 724.53
Boſo Abbas Beccenſis 689.12
Boues peſte moriuntur 504.5
Brecheinia 823.1
Brennius 81.39
Bretolium caſtrum 661.29
Breni 863.1
Brienus 668.45
Brigida 742.37
Brigittini 578.52
Briſtollia 52.11
Britanni ſubmerſi 462.7
Britannia per Robertum Knolles vaſtata 173.45
Britones à rege ſuo diſſentiunt 219.57
Britones decipulis hoſtium caſi 428.50
Britones in Wecta caſi 1.57
Britones Rolloni rebellantes per eum ſubiungantur 618.37
Bronsfeld 516.2
Brunellis 826.27
Bruno fraudulentus 423.56
Brutus inſignis quidam vir de Troianorum gente 81.27. 492.13
Brychan 888.47
Bryto 753.36
Bufones hominem quendã deuorant 859.45
Bulla Clementis 519.24
Bulla papalis Archiepiſcopo Cãtuarienſi nec nõ epiſcopo Lõdinenſi miſſæ, ad monendũ regẽ Angliæ & magnates eius, ne Iohanni Wicklif adhæreant 202.10.203.14.204.14
Bulla papalis epiſcopo Northwicẽſi directa 291.36
Bulla papalis Oxonienſibus oblata 201.12
Bullæ papales quantarum virium ſint 545.10
Burburgh 303.54.304.52
Burdegallia ſe in libertatem vendicat 496.32
Burghredus Romæ mortuus 8.28
Burgundiones Francorum regem dominum ſuum recipiunt inuiti 429.45

C

Cadomum captum 166.20

Cædes Anglorum 501.33
Cædes Francorum 435.32
Cædes in tẽplo Weſtmonaſterienſi patrata 214.50
Cædes Normannorum 516.57
Cædes paganorum & Chriſtianorum memorabilis 180.31
S. Quintini grauis 414.25
Scotorum 489.46
Thomæ Cantuarienſis 447.26
Caerleon 836.26
Caermardyn 846.55
Cæſara Noe neptis ante diluuium 735.23
Caleſium captum 167.44
obſeſſum 166.59
Camber 492.20
Cambria 88.6.58
Campana quædam fugitiua 729.3
Bangu 822.7
Canaucus 824.50
Canes in dominos mire grati 842.26.& 873.6
Canis cum milite duello concertat 842.44
Canonicus quidam Leiceſtriæ ſequax eſt doctrinæ Iohannis Wicklif 285.18
Cantredus quid 867.3
Capella S. Gertrudis 415.52
Capgrauus 838.20
Captio caſtri Berwici 219.15
Captio Stephanidæ doloſa 773.51
Caput S. Benedicti 171.1
Caracalla S. Albani 104.38
Cardinales à papa deficiunt 222.16
à Romanis perterriti 289.39
denarios octo de marca petunt 110.20
duo pacis conciliandæ cauſa in Angliam miſſi 109.53. 64.6. in Franciæ partes inclinant 146.26
de pace tractaturi conueniunt 482.47
fugati 76.42.& 87.44
fulminant in ſpoliatores ſuos 110.15
humiliant ſe coram Papa 489.56
Papæ reconciliati 76.16
Cardinales Papales in Anglia treugas indicunt 69.55
per graſſatores ſpoliati 119.5
ſex degradati 312.46
ſpoliantur 503
Cardinalis Anglicus obit 191.1
papalis Angliam expilat indulgentiis 246.51
Albanenſis ad Angliæ regem venit 69.4
Cariſtia 525.21
Caritas annonæ mirabilis 106.54.180.1.184.30.520.7
Carolomannus ab apro cæſus 11.52
Carolus Caroli Franciæ regis filius paruulus adhuc coronatur 534.23
cum Rollone pacem init 616.50
le Bloys captus 168.6
le Bloys in prælio ſuccumbit 180.14
de Pace per papam coronatur in regem Neapolis 282.23
Carolus de Pace Siliciæ rex Neapoli moritur 321.27
Franciæ rex filiam ſuam Rolloni dat 617.37
moritur 241.51.407.31
Carrucæ caſtrum 642.45
Cartena 615.55
Caſtella per Henricum Normanniæ ducem ædificata 682.52
Caſtellum de Werck à Scotis captum 536.22
S. Angeli ſe dedit 222.28
Caſtitas clauſtralis 837.43
Caſtor Hiberniæ qua natura ſit 709.40. 861.40. 862.3
Caſtra ab Henrico Anglorum rege ſtructa 444.58
Caſtrum Briſtollienſe obſidetur 125.8
Carrucæ dictum 642.45
de Edinburg 67.20
de Ledes obſidetur capiturq́; 115.10
de Rokesburg capitur 67.17
de Strynelin 67.23.89.4
Doueriæ redditur 470.17
Faleſiæ 651.1
Kenelworth redditum 470.55
Warwici per Scotos captum 537.4
Caſus Gallorum apud Caleſium 168.39
quidam mirabilis 165.7
Cathenæ omnes iuſſu regio Londinum portantur 77.48
Cauſa diſſenſionis inter papam Franciæq́; regẽ 80.4
monaſterii S. Edmundi de Bury 314.41
monaſteriorum duorum Cadomi conſtruendorum quæ fuerit 661.51
mortis comitis Marchiæ 131.9
Cauſa odii popularis erga epiſcopum Exonienſem 124.48
Cauſa ventorum pluuiarumq́; Hibernicarũ 700.20
Celeſtinus papatui renunciat 482.6
Ceolnothus moritur 6.43
Cercerellæ S. Colemanni quaſi manſuetæ & adiniurias fugientes 727.55
Certamen inter Anglicos & Gallicos apud Scherburgh pro victualibus acerrimum 223.12
Cerua cornuta 821.42
Ceſtria 874.7
Ceſtria per Lewlinum vaſtata 467.31
Charta regis de ruſticorum manumiſſione 254.6
261.16
conceſſa natiuis S. Albani
Chnutus Anglorum rex 647.45.651.53
Chorea Gigantum ab Hibernia in Brittanniam tranſlata 722.20
Chriſtiani cæſi 180.31
cum paganis confligunt 6.56
victoria potiti 441.42
Chriſtus fide apprehenſus ſalus noſtra eſt 837.38
Chronica Riſangeri 116.47
S. Albani 56.10
Cibus Anglorum in Gallia 583.23
Cicadæ decapitatæ dulcius in Hibernia canentes quam viuæ, quæque diu mortuæ per ſemetipſas reuiuiſcunt 708.8

Cicadæ

Cicadia die vna viuentes 710.42
Ciconia Hibernica 707.32
Cinis ignis Kyldariæ non excreſcent 729.10
Cippenhamme 2.40
Ciuaceſtria 115.33
Ciſtæ regis Scotorum aperta 490.22
Ciſtercienſes 831.13
citatiò regis Angliæ ſeruientium 486.17
ciuitas Roffenſis obſidetur 11.38
ciuitates Anglorum ſingulæ contra Scotos aliquos armant 111.24
Clades Chriſtianorum 441.35
Gallorum 520.1
Hiſpanorum 526.44
Paganorum 7.32
Clades Scotorum maxima 131.36.511.25.517.44
Claſſis à duce Roberto in Angliam deſtinata 647.1
Angliæ Francos abducit 460.52
Gallicana ab Anglis capta 481.7
Gallicana tempeſtate diſperſa 537.57
Clauis argentea in ſtrophio inuenta 623.52
Clemens V. fit papa 99.44.497.46
papa moritur 103.58
papa VI. obit 169.50
clementia aeris Hibernici non comparabilis 713.23
Clerici amouentur 186.12
Clerici arreſtati 334.11
Hiberniæ qualiter à monarchis diſtent, eiſque præferantur 746.32
Clerus Anglicanus à protectione regis ſui excluditur 69.31.486.4
Clerus Anglicanus per papam deglubitur 466.34
Anglicanus regi decimas triennales indulget 515.51
Hibernienſis in multis laudabilis 745.17
Clipſton 108.49
Cloyd 886.13
Caed Grono 833.51
cœnobium Docmaelis 860.25
callegia antiqua 833.28
Colloquium Angliæ & Franciæ regum 549
lupi cum ſacerdote 722.37
columba 742.37
Cnutus 82.20 493.2
de Anglis triumphat 428.2
Emmam ducit 428.20
moritur 433.57
Cœnobia Cadomi quare duo conſtructa 661.51
cœnobium Gemiticenſe reſtauratum 622.9
Comes Arundeliæ ad mare proficiſcitur 326
capiendus euadit 330.15
capite plexus 551.15
interfectus 546.17
Comes Bolonienſis decumbit vulnere 449.17
Cantebrigiæ è Portugallia redit 296.8
Cornubiæ obit 134.55
de Alba Marlo excommunicatus 464.6
de Sauey morbo Antiochiano percuſſus 298.19
Comes de Warenna in Scotos proficiſcitur 70.31
Flādriæ captus 79.49. *cū Anglis fœdus init* 68.58
dum nouas à ſuis communibus exigit conſuetudines, expellitur 229.40
Pariſiis arreſtatur 65.1
de terra ſua pellitur 286.57.533.35
Glouerniæ in hoſtes medios irruit 105.23
turrim occupat 471.7
Comes Herefordiæ captus 105.41
occumbit 116.10
Lancaſtriæ capite plexus 116.34
Lancaſtriæ fugit 116.1
Lancaſtriæ in Angliam redit 472.36
Lancaſtriæ ludibrio habetur 116.17
Comes Leiceſtriæ pacē oblatam reſpuit 469.12
Legioceſtriæ perfidus 448.52
Comes Northumbriæ capit caſtellum Berwicum 311.45
condemnatur Londini 311.20
decollatur 556.23
Scotos infeſtat 198.42
Comes Oxoniæ Marchio Dubliniæ fit in Hibernia 320.53
Comes Penbrochiæ capitur ab Hiſpanis 189.11
haſtiludio perit 343.1
Comes Richmundiæ per Scotos eſt captus 113.14
ſancti Pauli è comitatu ſuo eijcitur 245.18
Comes Southfolchiæ morte repētina mortuus 282.5
Warwici exilio multatur 551.33
Cometa quidam viſus 146.18.557.16
Comitas regis Scotorum 501.54
Comitatus Conſtantinienſis 670.54
Comitatus Maritolii 657.1
Comitatus Oximenſis 633.41
Sueſſionicus Willelmo Buſatio exuli dono datus 657.30
Comites Andegauenſes 650.29
comites Anglici ad liberandam rempublicam conſpirant 100.40
per populum decollati 556.10. *rebellant* 555.53
Comites creati 532.11
Comites Sarum & Arundeliæ componunt cum habitatorib. de Scarbourgh pro villa 211.59.212.1
Sarum & Southfolchiæ capti 148.3
Comitia apud S. Albanum celebrata 276.6
Comitiſſa Lancaſtriæ Richardo de ſancto Martino turpiter nubit 109.4
Leiceſtriæ filiam mittit ad Walliæ principem 473.43
Lincaſtriæ rapitur 108.58
Commiſſio ad inquirendum, vt omnes qui tenent aliquid de ſancto Albano, reddant ſeruitia conſueta abbati loci illius 277.41
Comitiua magnæ 178.7.181.8.524.33
Commentum comitiſſæ Oxonienſis de Richardo mortuo, quaſi ſuperſtite 562.23
de muliere pœnitentiam agente 135.45
Commoda Muſicæ 740.1.&c.
occidentalia orientalibus præferenda 714.1

Commotio regni Anglicani inanis 323.40
Competitores iuris in regnum Scotiæ, voluntati regis Angliæ ſe ſubdunt 478.6
Concilium apud Lambbeth celebratum 49.17
apud Notingham 134.7
apud Stamford 546.11
Concilium Archiepiſcopi Cant. 510.23
concilium Ardmachienſe 770.31
Concilium Brugenſe 529.48
Concilium Caſſilienſe 776.41
Dublinenſe Viuiano præſidente 795.43
Concilium generale Piſis celebratum 569.36
Lateranenſe 462.20
Lugdunenſe 466.16
Concilium per Archiepiſcopum Cantuarienſem factum 510.24.579.20
per diſcordiam fruſtratum 132.4
prouinciale Anglicum 129.19
Radingiæ celebratum 49.8
Concio habita per Epiſcopum Roffenſem in Richardi II. coronatione 198.11
Concluſiones Iohannis Wicklif 204.54.206.26.283.58.284.48
per eundem declarata 206.3
Concordia inter regem Francum & Anglum ſubito facta 779.6
Concordia regis Wilhelmi cum fratre 440.45
Condemnatio Comitis Northumbriæ 381.20
Conditiones inter Angliæ regem & Wallenſes initæ 473.57
Conditiones pacis à papa flagitata 87.57
Conditiones pacis inter Angliæ Franciæque reges 121.39
Conductus Armeniæ regi denegatur 325.5
Confectio Guaterfordienſium apud Dundunolf 767.32
Confectio Norwagiēſium apud Dubliniam 771.56
Confectio Ororicii apud Dubliniam 775.10
Rotherici apud Dubliniam 773.26
Confeſſio auricularis ſilentium diabolis imponit 852.46
Iohannis Straw 265.18
Confines Scotiæ latronibus infeſtantur 109.40
Congregatio Villanorum ad portam S. Albani 258.1
Congreſſus Anglorum cum Gallis impar 392.15.584.13
Congreſſus regum Franciæ & Angliæ 323.5
regum quatuor amicus 451.30
Coniunctio Iouis & Saturni 315.14
Coniuratio in Æthelwulfum 3.1
Coniuratio in Angliæ regem 778.1
Coniuratio procerum Anglicorum de liberandis omnibus incarceratis 318.44
Coniuratio ruſticorum in Normannia per quem repreſſa 633.24
Conſeruatio Edwardi I. regis Anglici miraculoſa 53.29
Conſilium ſubdolum 329.22
Conſpiratio comitum Anglicorum ad rempublicam liberandam 700.40
Conſpiratio Gallorum per militem patefacta 463.18
Conſpiratio Hiberniæ totius in Dermitium & Stephaniden 763.58
in regem Anglicanum 557.23
inter homines de Northfalchia 291.8
Conſtantia mater Henrici regis Francorum 642.13
Conſtitutiones cancilii Caſſilienſis 776.54
Conſuetudo Danorum vetus 414.2
Contemptus Ælfredi in ſubditos 9.58
Contentio monachorum de archiēpiſcopi electione 459.39
Conuerſatio Ricardi II. tam in ſecularibus quam diuinis negotiis honeſta 633.4
Conuerſio Tartarorum ad fidem 93.10
Conuocatio cleri Neapolitani 314.28
Conwy fluuius 869.51
Copia frumenti 476.45
Cornices in Hibernia variæ 768.34
Cornu S. Patricii 824.58
Corona Arthuri Angliæ regi reſtituta 476.4
Corona regni Scotici in Angliæ regem tranſlata 171.33
Corona Scotici regis Thomæ Cātuarienſi conſecrata 77.4
Coronatio Edwardi III. 127.18.473.21
Coronatio Henrici V. 573.58
Coronatio regis Franciæ 243.46
Coronatio Richardi II. 197.59
Corpora hominum in inſula quadam Hibernica ſub diua poſita non putreſcunt 717.23
proditorum quorundam iuſſu regio cathenis ferreis ad furcas denuo ſuſpenſa 278.21
Corpus Chriſti quomodo per militem quendā tractatum ſit 246.17
Petri de Gauerſtan Oxoniam tranſlatum 106.51
Corrigia venenis conferentes 710.52
Corui circa natalem Chriſti pullos aliquando habētes 726.31
Corui S. Keywini 726.39
Coſtæ regi Edwardo duæ fracta 480.45
Creatio comitum quorundam Anglicorum 135.6.355.45
Creatio ducum in Anglia 538.20
Crines 888.57
Croeria Hibernica alba 708.47
Cruce ſignati 299.42.301.46
Cruces pro regina Anglicana mortua erecta 55.10
Crudelitas comitis Flandriæ 241.27
Crudelitas Edelredi regis Anglorum in Danos 427.11.635.8
Crudelitas fœminarum in mortuos immanis & barbara 557.58
Crudelitas regis Franciæ in Pariſianos reſiſtentes 295.51
Crudelitas Wilhelmi Taluatii 652.39
Crux Dubliniæ loquens, & veritati teſtimonium perhibens, & immobilis facta 731.44.& 732.1

Crux

Crux Neoti 51.29
Crux ſancta capitur à Turcis 452.34
Cultor inſtrumẽtorum muſicorum præcipuus quis fuerit 741.36
Cultus Hibernicæ gentis 738.22
Cura regis Anglorum in eccleſias 456.9
Curſac compedibus argenteis arctatur 453.37
Cuſtodes regni Anglicani rege Edwardo abſente qui fuerint 472.34
Cuſtodia Berwici Edwardo Baliolo commiſſa 132.52.
Cygni Hibernici 707.32
Cyricus 821.50
Cythara 888.27

D

Dacia in qua terrarum parte ſita ſit 605.33
Dæmon ad curiam Romanam miſſum ſe fingens 854.1
clericus 853.40
incubus 837.59
non catholicus 853.27
ſpecie fratris apparens 36.29
Dæmones pietate fidelium fugantur 837.32
Dæmones valde impudentes & arrogantes 852.28
Damfrons 656.25
Damiata capta 463.49.464.13
recuperata 466.43
Damna regi Franciæ illata 318.36
Damnum ex inundatione maris 467.17
Dani de progenie Gothorum deſcendunt 606.30
in Angliam irrumpunt 415.39
quomodo venerint in regnum Francorum 607.22
unde Dani vel Northmanni dicantur 606.30
Dauid frater principis Walliæ capitur 51.25
in parliamento Salopiæ damnatur 51.31.& 475.32.& 40
rebellat 474.52
Wallenſes contra regem ipſorum concitat 49.26
Debacchatio ciuium de S.Edmundburg 127.21
Decima regi Angliæ per clerum conceſſa 146.20.162.6
ſexennalis in ſubſidium terræ ſanctæ 99.14
Declaratio indulgentiæ Papalis 343.48
Declaratio iuris regis de regno Scotiæ 477
Declarationes propoſitionum Iohannis Wicklif per eundem 206.3
Decollatio ductorum communium Londoniis facta 267.22
Decreta Hildebrandi ſcandalum generant 439.7
Decretum concilii Conſtantienſis de electione papæ futuri 395.17
Decretum de electionibus caſſatum 187.54
Decus Galliæ proſtratum 393.14
Deditio caſtelli S.Angeli 222.28
Deditio caſtri Striuelyn 89.47
Defectus piſcium in Hibernia 701.44
Defectus pluuiæ in Anglia 467.12
Defenſio epiſcopi Herefordenſis ad archiepiſcopum prouocantis 119.36
Deganwy 873.18
Degradatio Cardinalium ſex 312.46
Dela 736.45
Delphin mirabilia operatus in Tameſi 346.33.393.54
Denarius Cruci oblatus bis reſiliens, ac tertio poſt confeſſionem remanens 732.9
Depauperatio regni Anglicani per ducis Lancaſtriæ in Scotiam profectionem 344.44
Depoſita in parliamento contra Michaelem Atte Pole 324.9
depoſitio Iohannis XXIII. 580.7
Dermitius Lageniæ princeps 760.6
per Britanniam maiorem redit 760.53
Deſcriptio Henrici II.regis Anglorum 782.53
Heruicii 770.30
Hiberniæ 452.7
Hugonis de Lacy 798.6
Iohannis de Curcy 795.17
Mauritii 781.43
Meylerii 789.35
Murehardidæ 764.14
Reymundi 789.17
Stephanidæ 774.20
Deſponſatio Baſiliæ 786.10
deſponſatio regis Anglici cum Margaretha Gallorum regina 77.11
Deſtructio Pariſiorum 608.20
Deua fluuius 874.7
Deuania 874.57
deuaſtatio Scotiæ 512.10
Deuotio Ætheredi 7.11
Deuotio regis Anglorum Henrici 469.22.472.18
Richardi Normanniæ ducis 425.22
Deus cur homines affligat, peſte præſertim 228.43
Dies regi Norwegiæ datus 59.14 480.27
Diluuium aquarum 372.45
Dinas Emrys 869.51
Dionyſius Areopagita 618.23
Diſceſſus ducis Aureliani infamis 376.13
Diſcordia inter Angliæ regẽ & Barones eius 464.38
inter Anglos & Francos 57.58
inter ducem Lancaſtriæ & comitem Northumbrorum 279.37
Diſcordia inter Londonienſes pro Maiorib. 348.24
Diſcordia inter papam & aliquos de collegio 313.16
inter papam & regem Siciliæ 312.45
Diſcordia inter papam Franciæque regem 50.4
diſcordia inter papam nec non Cardinales eius 705
diſcordia inter regem & Lancaſtriæ ducem 314.56.317.7
diſcordia inter regem nec non proceres Angliæ recrudeſcit 102.50
diſcordia inter Ricardum ducem & Odonem comitem Carnotenſem 636.45

Diſcordia inter Richardum III. & fratrem eius 640.20
Diſcordia inter Wilhelmum regem Anglorum & Robertum Normanniæ ducem 671 27
diſcordia orta inter Anglos & Hannonenſes 127.42
Oxoniæ coorta 69.8
regum ſubita 802.1
Roberti & archiepiſcopi 640 43
Diſſennith 886.10
Diſſenſio regis & Britonum 219.57
Diui quidam peccatoribus magnis valde propitii, ſed paruis valde graues & immites reperti 837.10
Diuiſio bonorum Ælfredi iam morituri 19.52
diuiſio regni Francorum bellum generat inter reges 16 46
Diuites Angli ſubſidium regi ſuo ſoluunt 533.2
Doſrden 874.54
Dolus an virtus, quis in hoſte requirat 743.37
Dolus Burdegaliæ in Gallos 513 50
Dolus dolo compenſatus 212 38
Francorum 170.15.527.24
Haraldi perniciei illi met ipſi 438.2
Haſtingi inſignis 415.8
Lotharii detectus 424 15
Domicelli duo fulminis ictu perculſi 476 26
Dominus de Cobham ſenex exilio mulctatus 552.7
Dona per Londinenſes regi ipſorum data 349 8
Dona per papam Ælfredo collata 12 13
Donum Æthelwulfi pro anima ſua 2.47
Dorceſinum caſtrum 636.45
Dos comitiſſæ Cornubiæ 79.16
Doueracaſtrum 667.54
Douerdwy 874.10 886.13
Doueria 64 17
Doueria caſtrum hoſti redditum 470.17
Dour 874 56
Dourdeua 874.54
Dubitatio de Scotiæ regibus 54.45.& 477.11
Dubitata ſubiecta 766 26.769 53
Dublinienſes apud Oſſyriam deleti 78.51
Ducatus Normanniæ cum Angliæ regno diſpoſitus 675 22
Ducisſa Lancaſtriæ animam efflat 527 55
Duellum in parliamento Londonienſi factum 311.20 356.12 533.52
Duellum inter Ioh. Anneſlee & Thomam Katrington 237 20
Duellum inter militem quendam & canem 842 44
Dunbar caſtrum Scotis proditum 67.4
Dunbar à Scotis captum recuperatur 484 39
Dundunolf 767.32
Dunelmum caſtrum 668.14
Dunſtanus 838 20
Dunnum arx 742.49
Dunwallus 81.37
Dunwallus Britonum rex 491.24
Duuenaldus Oſſyrienſis 791 15
Dux Andegauiæ in regem Neapolitanum coronatur 288 24
Dux Aquitaniæ nouus 343 34
Dux Armoricæ Britanniæ à ſuis honorifice ſuſceptus 223 48
Dux Aureliæ cæſus 377 35.569.12
Dux Auſtriæ filiam regis Angliæ in vxorem pro filio ſuo petit 147.44
Dux Bauariæ regem Angliæ humaniter ſuſcipit 146 44
Dux Britanniæ à Britonibus commotus Anglos dimittit 281.16
Dux Britanniæ ruina muri oppreſſus 90.50
Dux Eboracenſis exſpirat 558 13
Dux Glouerniæ in carcerem coniectus 550.23
Dux Glouerniæ in Hiberniam profectus reuocatur 349.22
Dux Glouerniæ indignatur 329.5
Dux Glouerniæ ſuffocatur 551.38
Dux Glouerniæ verſus le Spruis iter arripit infelix 345.43
Dux Herefordiæ in Angliam redit 553 58
Dux Hiberniæ exercitum congregans proceres Anglicos extirpare cupit 331.48
Dux Hiberniæ verba facit ad ſuos 331 56
Dux Hiberniæ vxore ſua repudiata aliam ducit 328.55
Dux Lancaſtriæ à Londonienſibus male tractatur 192.4
corporis ergaſtulo ſolutus 553.5
de Aquitania reuerſus 548.47
Dux Lancaſtriæ Hiſpaniæ regnum ſibi vindicat 538.34
in Angliam redit 3.12.4
in Franciam pro treugis faciendis ſe confert 310.35
in regionem longinquam Hiſpaniæ, ad regnum ſibi capiendum vadit 321 41
in Scotiam profectus 244.28
læſæ maieſtatis regiæ accuſatur 536 41
Londinenſibus reconciliatur 194 33.
primus 170.14
regnum Angliæ ſibi vendicat 554 56
Scotiam verſus contendit 308 40
ſibi agerit inuidiam 211.25
transfretat, magnificeque à rege Franciæ ſuſcipitur 347 7
Dux Northfolciæ patria pulſus 552.23
Dux quidam latronum captus, & ſupplicio mortis affectus 110 48
Dywarchen 871 54

E

Edmundus vngitur in regem 4.37
Ealſthanus moritur 6.9
Ebrilium 641.33
Ebrulfus 659.12
Ebulus (f. Eubulus) comes Pictauenſis 617.23
Eccleſia de Midleton concremata 98 55

Eccle-

Eccleſia S. Almedha 826.32
Eccleſia in honorem S. Trinitatis conſtructa 632.1
Eccleſia S. Geruaſii combuſta 655 2
Eccleſia Sarumenſis vacat 130 37
Eccleſiæ Anglicæ taxatæ 64 38
Eccleſiaſtici oppreſſi 548.23
Eclipſis lunæ 102 42
Eclipſis ſolis 11.9.177.51 311.18
Edelredus Angliæ rex 634.14
Edelredus crudelis in Danos 635.8
Edgarus 82.11.492.53
Edictum de victualibus vendendis 108.32
Edictum Edwardi II. in aduerſarios ſuos 123.53
Edictum in Lollardos 556 48
Edictum quoddam de annona vendẽda reuocatum 107.40
Edictum reginæ Anglicanæ 124.1
Edictum regis Anglicani 770.46
Editha 652.9
Edmundus archiepiſcopus Cantuarienſis canonizatur 466.31. moritur 465 39
Edmundus Brumfielde cum ſuis adhærentibus turri Londonienſi commiſſus 231.47
Edmundus Brumfielde fraudulenter agit in acquiſitione abbatiæ S. Dauidis 230 11
Edmundus Cantii comes decollatur 129 29
Edmundus Cornubiæ comes obit 78.4.490 38
Edmundus de Abendonia archiepiſcopus Cantuar. fit 464 58
Edmundus de Hoodſtock decapitatus 510 38
Edmundus Ironſyde 81.18
Edredus 492 51
Educatio nobilium ſub Ælfredo 13.14
Edwardus à Wallenſibus repulſus 482 1
Edwardus abſens à proceribus ſuis Rex ordinatur 472 30
Edwardus Angliæ rex matri libras mille quotannis aſſignat. 511.13
Edwardus Angliæ Rex vagatur & capitur 508.26. & 33
Edwardus Aquitaniæ princeps 178 46
Edwardus Baliol in regem Scotiæ coronatus 132. 10
Edwardus Baliol regnum Scotiæ vendicat 131. 14
Edwardus Boun ſubmerſus 134.23
Edwardus clam cæſus 472.4
Edwardus de Carneruan 95.20. 499 42
Edwardus & Ælfredus filii Edelredi 647 2
Edwardus Edwardi primi filius in Scotiam proficiſcitur 91 15 496.19
Edwardus Edwardi II. filius cuſtos Angliæ conſtituitur 125 28
Edwardus Edwardi II. filius regi Francorum homagium facit 122.1
Edwardus le Bourſir 312.27
Edwardus le Brus capitur 111 33 503 41
Edwardus I. Angliæ rex cruce ſignatus, Iudæos è Waſconia expellit 53.50
dyſenteria laborat 93.35 moritur 499.21
oſſa ſua per Scotiam portata hoſtes fugare poſſe exiſtimat 93.40
vbi natus fuerit 52.4
Weſtmonaſterii ſepelitur 95.12
Edwardus IV. apud Carneruan naſcitur 130 47. 476.1
Edwardus IV. rex Scotiæ coronatur 130.49
Edvvardus II. Angliæ rex verè confeſſus 127.50
Edvvardus II. cum aliis quibuſdam captus 125. 39
Edvvardus II. dignitate regali priuatur ſic, vt filius eius illi ſubſtituatur 126.34
Edvvardus II. in Walliam ad Glamorgan fugit 125 20
Edvvardus II. reginæ filioq; mortem machinatur 123 1
Edvvardus III à ſuis nequiter & crudeliter occiſus 509 36
Edvvardus III. à Walliæ principe homagium petit 473.29
Edvvardus III. mortuus 192.36
Edvvardus III. coronatus 127.18 509.9
Edvvardus III. inſignia militaria capit 127.15
Edvvardus III. iuuenis rex vxorem ducit 128. 14
Edvvardus III. mare intrat, ſed fruſtra 187.8
Edvvardus III. nequiter occiſus 509 55
Edvvardus Walliæ princeps intoxicatus 182 46
Edvvardus Walliæ princeps moritur 190 9
Effecta Muſica 740.1. &c.
Effectus bullæ papalis epiſcopo Northvvicenſi miſſa 291.46
Egelredus 492 59
Electio Cardinalis de Columna in papam 588 3
Electus S. Andreæ captus 320.17
Elementa in oriente peſtifera ſunt omnia 712. 37
Elidorus epiſcopus 844 18
Elienſes ſancti Albani ſe corpus habere mentiuntur 104.12
Elpſtanus Anglorum rex 621.15
Eltha 108 20
Eluttus ſanctus quidam 825.25
Enbly 865 47
Emma 628.25. 634 14. 636 29
Emma Cnuto nubit 428.20
Emma eadem ſine liberis defuncta 631. 35
Epiſcopi ab officiis ſecularibus amouentur 528. 42
epiſcopi Hibernienſes è monaſteriis electi ſunt ferè cuncti 746.16
epiſcopi tranſlati 376 52
epiſcopus Bathonenſis obit 130 40
epiſcopus Cantuarienſis obit 133 3
epiſcopus Ceſtrenſis in carcerem ſine cauſa coniectus 95.41
epiſcopus Dunelmenſis militem agit 75 28

Epiſcopus Exonienſis 124.48
Epiſcopus Exonienſis reſiſtis archiepiſcapo in viſitatione 132.1
Epiſcopus Herefordenſis de crimine leſæ maieſtatis accuſatur 119.32
Epiſcopus Herefordenſis habita Oxoniæ concione cauſam aduentus reginæ exponit 124.14
Epiſcopus in armis ſtrenuus 457.2
Epiſcopus Londonienſis accuſatus 129.39
Epiſcapus Norwicenſis animoſus vir 263.56
Epiſcopus Norwicenſis armis Flandriam inuadit 535.52
Epiſcopus Norwicenſis obit 164.18
Epiſcopus Northwicenſis properat cum ſuis mare verſus 298.35
reuertitur è Flandria propoſito ſuo fruſtratus 536.12
Epiſtola Cardinalium apoſtaticorum erronea 216.48.
Epiſtola Papæ ad Angliæ regem de negotio Ioannis Wicklif 244 14
Epiſtola papæ Clementi pro eccleſia Anglicana libertate miſſa 161.26
Epiſtola regi Angliæ pro Cardinalibus directa 162.44.
Epiſtola regis Anglici abbati S. Albani pro chartis regiis directa 256.45
Epiſtola regis Edwardi I. ad archiepiſcopum Cantuarienſem, vt pro ſe preces faceret 77.34
Epitaphia ſuper Herluino ſcripta 645.42 &c.
Epitaphium Henrici regis Normannorum 684.40
Epta flumen 617.38
Equi auenam de molendino certo quodam raptam comedentes moriuntur 733.44
Ericus Norwagiæ rex ad Angliæ regem literas dat 479.37
Ermentrudis 630.22
Eryri 871.43
Eſchalſonum 653.11
Ethelredus 81.18
Ethelredus fugit 427.45
Ethelſtanus 492 36
Eudo 634 48
Euentus Anglici notabiles 823 43
Euſtachius Boloniæ comes 667.54
Euſtachius Doueri caſtrum obſidet 436.51
Exactio grauis ad terram ſanctam 453.30
Exactio pecuniarum grandis 553 15
Examinatio Iohannis de Oldcaſtle 575.29
Excidium latrunculorum quorundam Anglicorum 668.14
Excidium Neuſtriæ quouſque pertigerit 607.51
Excommunicatio papalis nihili fit 462 39
Excurſus Iohannis filii regis in Hiberniam primus 805.54 & 807 38
Executio Andreæ Hercle proditoris 505.52
Executio malefactorum quorundam 276 42
Executio mercatorũ quorundã Venetianorũ 471.51
Exemplum caſtitatis clauſtralis 837.43
Exercitus Anglicanus equitat per Franciæ regnũ nemine reſiſtente 239.4
Exercitus Anglici regis fame confectus ab eo dimiſſus eſt 116.58
Exercitus Anglicanus in Francos eductus 184.43
Exercitus duo prælium ineuntes 560 19
Exercitus mittitur in Francos ad ſuccurrendum duci Britanniæ 221.56
Exercitus procerum Anglicorum 542.50
Exercitus regis Franciæ in Waſconiam miſſus 120.42
Exilium Dermitii 760.6
Expeditio Anglicana in Scotiam ſuſcepta 74.53. 509.47
Expeditio Anglorum in Portugalliam 247.17
Epeditio in Scotiam 498 22 509.47
Expeditio in Waſconiam 483 24
Expeditio Ludouici ad terram ſanctam 471.33
Expeditio Regis Anglorum in Galliam 513. 11. 523.10
Expeditio regis Angliæ in Scotiam 483. 22. 501.26
Expeditio regum Scotiæ & Angliæ in Scotiam 133.54
Expoſitio ſomnii Rollonis auctore quodam Chriſtiano 611.41
Expoſitio viſionis cuiuſdam inuſitatæ 802.36
Expugnatio Dubliniæ 769.53
Expugnatio Guaterfardiæ 769.31
Expugnatio Gueſefordenſis 761 41
Expugnatio Hiberniæ 755.1
Expugnatio Limerici 788 17
Expugnatio Oſſyrienſium 762 46

F.

Fabricatio galearum 9 10
Fabricatio groſſorum integrorum & dimidiorum 169 29
Fabulæ aniles & ineptæ vitandæ ſunt 860 45
Facies ſancti Stephani Baptiſtæ 459.35
Facinora Comitis de Derby præclara 518 41
Facinus Flandrenſium deteſtum 533.14
Facinus monachorum quorũdam in abbatem ipſorum crudele 19 5
Facta, factis apud S. Albanum ſimilia. in comitatu Cantebrigiæ, & in inſula Elienſi patrata 263.10
Factum domini Hugonis Caluerlee memorabiliſſimum 226 35
Factum militis de corpore Chriſti 246.17
Falcaſius de Brent oppreſſus 464.27
Falcones Cambrici 854 4
Falco Hibernicus 702.22
Falco Kyldariæ quaſi domeſticus & manſuetus 729.42
Fallacia Aliciæ Peeres 192.36

Falſitas in doctrina Iohannis Wicklif tota num vlla demonſtrari queat 283.44
Fames 54.33
Fames acris 222 27
Fames cum peſte 63 2
Fames grauiſſima 108 22
Fames in Gallia magna 465.3
Familia tripartita 809.32
Familiaritas cum dæmonibus male conuenit religioſis 366 4
Farolus pro Karolus 3.19
Faſtus Francorum intolerabilis Angliæ regi viſus 174.1
Fatuitas Edwardi II. facit, vt à comite Lancaſtriæ deſeratur 112 4
Felicitas Edwardi III. regis Anglorum 192. 54
Felmidius 748.31
Fercula præ fame diminuta 502.32
Feræ Hiberniæ quæ natura ſint 79.11
Fernigenan à ratis per S. Taurum liberata 728. 55
Fertilitas glebæ Hibernicæ 700.20
Feſtum Mariæ nec non Elizabethæ nouum 347. 41
Fidelitas Hiſpani cuiuſdam miranda 229 26
Filia comitiſſæ Leiceſtriæ dum ad principem Walliæ tranſmittitur, in itinere capitur 473. 47
Filia regis Ælfredi abbatiſſa 19.34
Filia regis Angliæ ſanctimonialis fit 52.21
Filia Gilberti conſulis Glouerniæ 501.45
Filiæ regis Angliæ tres ordinibus ſacris totidem deſponſatæ 832 15
Filiæ regis Scotici nuptui dantur 54 49
Filii Delaquinque 736.45
Filii Wilhelmi Sorengi 654.28
Filius Aldelmi cuſtos in Hiberniam tranſmiſſus 792 36
Filius comitis Lancaſtriæ in Scotiam proficiſcitur 134 45
Filius Edwardi I. princeps Walliæ, Comeſque Ceſtriæ fit 79.11
Filius Edwardo primo natus Thomas appellatur 78.13
Filius Gulielmi regis Anglorum ſubmerſus 444. 22
Filius inobediens mandata patris negligit 93. 57
Filius regis Anglici Edwardi II. in Franciam vadit 121.48
Filius Richardi Normannorum ducis catholicus 425.57
Finegla 733.54
Finis Iohannis Litteſteræ Northfolchiæ regis 264. 44
Flandri à Francis fuſi 90 11
Flandri ab Anglia expulſi 90.52.528.56
ad parliamentum Anglicum confluunt 291.14
Flandri affliguntur 70 8 24.486 24
Flandri crudelitatis ſuæ in Anglos pœnas luunt 224.20
cum Anglis pacem faciunt 345.28
ex Anglia pelluntur 498.5
fortiter deuicti 146.32
rem bene gerunt 86 10
Flandri Roſſenſes diuinationis periti 848.47.849. 52
ſubmerſi 448.45
Flandri ſunt interdicto ſubiecti 514 40
Flandri vexantur ab aduerſariis ſuis, & in anguſtias maximas adiguntur, è quibus difficilime eluctantur 70. 8. & vigeſimoquarto.
Vide etiam paginam quadringenteſimam octuageſimam ſextam, numero vigeſimoquarto
Flandri crudelitatis & immanitatis ſuæ, qua in Anglos antea ſæuierant, ſeque illis immites exhibuerant pœnas luunt 224.20
Flandri cum aduerſariis ſuis Anglis, poſt longa diuturnaque diſſidia & bella pacem conſtituunt, vt videre eſt, pagina ducenteſima quadrageſima quinta, numero vigeſimo octauo.
Flandri ex Anglia, quam hoſtiliter & populabunde inuaſerant, rurſus expelluntur: vnde fit, vt quotquot è medio armis hoſtilibus non tolluntur, difficulter elapſi, vnde venerunt, eodem reuertantur 498.5
Flandri fortiter deuicti & ſuperati votorum ſuorum minime participes euadunt. 146. numero 32
Flandri fortuna propitia rem bene gerunt, aduerſariisque ſuis ſuperiores euadentes rerum potiuntur 86 10
Floreni ad turrim Londoniarum facti 164. 24
Florentini regis Angliæ ſerui fiunt 190.49
Flumina Hiberniæ principalia nouem 701 5
Fluſhinga Inſularum Zelandicarum vna 613. 56
Fluuius Dewy 864.50
Fluxus æquorei in Hibernia Britanniaque contrarii 715.22
Fluxus Hibernici maris varii 715.16
Fœdifragus quidam 860 6
Fons diuæ Wenifredæ 873.34
Fons venenatum eſt in Oriente 714 1
Fontes Hiberniæ admirandi duo 719.11
Foreſta noua 674.1
Forma abſolutionis Papalis 295.5
Forma concordiæ inter Angliæ comites & regem facta 73.36
Forma depoſitionis regis Angliæ 359.32
Forma homagii quod Scotus Anglo fecit 59. 47. 455 29
Forma pacis inter Angliæ Franciæque reges 507.1

Fortitu-

Fortitudo archiepiſcopi Cantuar. in clero ſuo defendendo 563.26
Fortitudo comitis Warwici 482.27
Fortitudo Francorum qualiter imminuta ſit 605.4
Fortitudo Godfridi 441.49
Fortitudo Thomæ de bello campo 516.48
Fortuna Ælfredi 9.50
Fortuna Rogeri de Waldene varia 374.50. 566.25
Fragmentum ex antiquo libro monaſterii S. Stephani Cadomenſis 29.1
Francia Anglia expulſi 121.9
Franci Angliæ regem infeſtare prohibentur 461.37
Franci cæſi 435.32
Franci fœdifragi 527.16
Franci frangunt pacem 183.9
Franci fugati 517.21
Franci pacem petunt 175.4
Franci profligati 543.40
Franci ſe iactitant 187.43
Franci Wilhelmo Normannico inuident 620.3
Francia Regibus quinque diſtribuitur 16.38
Francus Anglum ad prælium laceſſit 143.53
Francus territus ab Anglo recedit 143.58
Fratres prædicatores in Francia delirantes 339.31.
Fraudulentia Brunonis cuiuſdam 423.56
Fraus Gallorum 117.51.168.39
Fridericus Imperator 802.27
Fructus beneficiorum per papam reſeruantur 502.45
Fuga Anglorum rebellium 577.59
Fuga Cardinalium 76.42
Fuga Ethelredi 427.45
Fuga filii regis Anglorum 448.32
Fuga imperatricis 445.37
Fuga Paganorum 11.42
Fuga regis Franciæ 171.22.456.24.519.2
Fuga Rogeri de mortuo mari 506.35
Fulgur horrendum 98.52
Fulgura 316.44
Fundationes Wickhami 372.50
Fures graſſantur 107.57
Furia acta in Northfolchia 261.35
Furor Londinenſium 531.47

G.

Galli aliter in Hibernia, quam alibi vociferantes 726.12
Galli Angliam inuadunt 532.19
Galli in Anglia ſtrati 426.49
Galli capiunt inſulam Vectam 198.59
Galli capiunt Priorem de Lewes 199.39
Galli capiunt villam de Arde 1[illegible].46
Galli cum Anglis congredientes 584.13
Galli Doueriam ſpoliant 482.54
Galli fraudulenti apud Caleſium 168.39
Galli in Walliam appellunt 374.3
Galli naues ſtruunt 515.46
Galli monachum, direpto Doueriæ prioratu, occidunt 64.17
Galli per Anglos victi 224.3
Galli profligati 86.17.561.26
Galli terras ducis Gelrenſis ingreſſi 334.55
Galli villanos de Burges è ſuis laribus detrudunt 295.25
Gallia ſpoliata 519.12
Gallici infirmati ad propria reuertuntur 301.31
Galfridus Britanniæ dux mortuus 452.27
Gandauenſes capiunt villam Owdenarde 306.46
Gandauenſes regi Franciæ ſe dedunt 321.35
Gandauenſes tributum in vſum Regis Franciæ collectum hoſtiliter diripiunt 298.7
Gaſco de Bierna ad Franciæ Regem appellat 473.13.
per regem obſeſſus 473.10
rebellionis conuictus 473.16
vita ipſi donata, carceri mancipatur 473.25
Gaudium Gallorum inane 393.29
Gaufridus Andegauenſis 629.53
Gaufridus Archiepiſcopus Rotomagenſis 682.41
Gaufridus comes Britannorum 634.47
Gelloc 620.54
Gelu 525.15
Gemetiæ 615.1
Gemeticum monachorum ſedes 414.30
Genealogia Ælfredi 1.24
Genealogia matris Ælfredi 1.51
Generatio ſpiritualis vnde ſit 870.47
Gens Hibernica qualiter expugnanda 809.47
qualiter eadem gubernanda. 810.33
Gens Iſlandica 721.1
Gens ſine capite in Francia 172.56.522.23
Genus crudelitatis inauditum 127.58
Genus Thomæ Lanceſtrenſis 100.4
Gerberga 627.43.629.26
Gerunda 616.35
Geſta circa Archiepiſcopum Anglicanum 250.39
Geſta Domini Hugonis Caluerlee 200.34
Geſta Henrici Comitis de Derby 343.53
Geſta Henrici Regis Anglorum in Germania 588.39
Geſta in Portugallia 319.18
Geſta inſulanorum de Dorthmouth 370.12
Geſta principis Edwardi 520.50
Gilbertus conſul Glouerniæ 501.45
Gilbertus Glouerniæ comes cæſus 105.31
deprædatur Wallenſes 475.12
Gilbertus Hagenellus 825.20
Giraldidæ 703.4
Giraldus de Windeſora Conſtabularius Penbrochienſis 851.10

Giſla filia Turſtini de monte forti 653.12
Giſlebertus caſtrum quoddam reddit 433 21
Gladius papa verbalis 491 4
Glamorga 125 20
Gleba Hibernica quam fertilis ſit 700.20
Gloria regni Anglici 168.12
Glouernia 124.10
  capta 468.29
Goer 843.22
Goisfridus Andegauenſium comes 656.25
  Britannorum comes 658.1
  Normanniam ſpoliat 434 51
Gatfridus fortis 441.49
Graſſatio furum 107.57
Graſſatores ſpoliant Cardinales in Scotia 110 5
Gratitudo canum mira in dominos ſuos 842 26 873.6
Graueling 303 54
Gregorius X. in papam electus 472 48
  V. papa 493.39
  V. papa confirmat Scotiæ ſubiectionem Angliæ regi debitam 83 2
Groſſi integri dimidiique fabricati 169 29
Grus Hiberniæ qua natura ſit 705 51
Guaterfordia expugnata 769 .1
Guaterfordienſes apud Dunduuolf confecti 707. 32
Guido de monte forti è carcere liberatur 51 42
Guido de monte forti excommunicatur 472 52
  Flandriæ comes carcere liberatur 86.54
Gulielmus Anglorum rex ſagitta petitus occumbit 443.28
  Conqueſtor 493.8
  de Cortinaco moritur 549.53
  Longa ſpatha dictus 416 39
Gulielmus Normanniæ dux monachus fieri cupit 419.19
  Rufus 493 9
  Wickham moritur 564 26
Gunnor 631.35.686.1.& 31.& 55
Gurguntius 737.54
Gurus frater Rollonis 600.43
Gurmundus 748.46.749.7.& 17

H

Haduis 634.59
Hæreſis in doctrina Iohannis Wicklif an vlla probari queat 283 44
Hæreſis papæ 87.23
Hæreticus quidam combuſtus 570.37
  Venetiis exortus 92.20
Haigroldus Danorum rex 627.6.628.9
Hannonenſes cum Anglis diſcordes ſunt 127. 42
Haraldus 424 45.493.5
  regnum inuadens occiditur 436 5 &c.
Hardecnutus 82.23.493.5
  Haraldo fratri ſuo ſuccedit 632.7
Hareflu obſeſſum 182.7
Haſtingus 607 8
Haſtingus Lunas capit, eas Romam eſſe putans 609.1
  omnibus diuenditis peregreque profectus diſparet 615.55
  Romam nauigat 608 40
Haya 823.4
Heberus 737.18
Helias filius Iohannis de Fleca 672.22
Henricus Anglorum rex captus 469.57
  deuotiſſimus 469 22
  magnanimus 444 3
  montem Caluum capit 446 49
  Normanniam vaſtat 435.22
  rex obit 444 29
  Baſtardus Hiſpaniæ regem ſe dicens nauigium parat 210.29
  comes de Derby probiſſimus 165.20
  comes Warwici 688.54
Henricus Percy Caleſiam miſſus 322 6.
  capitur 335 18
  fugatur 91 39
  interimitur 560 33
  iunior ad mare deſtinatur 327.24
Henricus filius Henrici II. 82.39
  filius regis Romanorum occiſus 471 56
  Francorum rex caſtrum Tegularias dictum cōburit 650.34
  Grene 309 5
  Huntingdon 21.51
  Imperator Romanorum 674.36
  le Scroope proditor regis ſui 389.24
Henricus le Scroope ſupplicio capitis affectus 381. 27
  le Spencer 263.56
  Normanniæ dux Angliæ rex coronatur 446.18
  I. Angliæ rex 82 35 493.15
Henricus IV. Alemanniæ rex moritur 444.32
Henricus V. Angliæ rex fundat monaſteria tria 578 47
  moritur 497.6
  rex Transrhenanus 628.31
  Roberti regis Francorum gnatus 641.49
Henricus II. Anglorum rex 750.41
  deſcriptus 782.53
Henricus Walliam ter ingreſſus eſt armatus 872. 53
  III. Angliæ rex 81.35
Heraclius patriarcha 800 1
Heraldus conſilium matris & fratris ſpernēs Normannos bello vexat 665.58
Heraldus duci Wilhelmo fidelitatem facit, quam poſtea frangit 664.24
Herbertus comes Giromandorum 620.55
Herefordia 820.23
Heres comitis Staffordiæ peremptus 537.40
Heroldus (ſ Heraldus) rex Danorum 623.5
Herluinus 622.16
Herluinus Abbatiæ Becci primus fundator 643.1

Her-

Herueius deſcriptus 790.30
Herymon 737.17.750.31
Hibernia deſcripta 452.7
Hibernia expugnata 755.1.&c.
Hibernia laudata 712.11
Hibernia per quem expugnata 748 46
Hibernia tota in Dermitium Stephanidenque coniurat 763.51
Hibernici corporibus vitiati quamplurimi ſunt 748.13
Hibernici ex Anglia ad ſolum ipſis natale relegati 547.26
Hibernicus 753.36
Hibernienſes alumnos collactaneoſque diligunt, fratres autem ſuos cognatoſque perſequuntur 743.54
Hibernienſes rudimentorum fidei inſcientiſſimi 742.51
Hinnula bicept 135.56
Hippelaphos S. Eluiti 825.25
Hircus ad mulierem quandam accedere ſolitus 725.32
Hiſpani clade affecti 526.44
Hoelus 823.20
Homagium Arthuri 458.14
Homagium Edwardo regi Anglorum per regem Francorum factum 480.48
Homagium per Edwardum III. à Walliæ principe petitum 473 29
Homagium principum quorundam regi Angliæ per eos factum 446.56
Homagium regis Angliæ 510.34
Homagium regi Franciſco factum 130.55
Homagium regis Scotorum 59.57.473 23.512.1
Homicida papa 87.23
Homines de comitatu Hertfordiæ regi fidelitatem præſtant 278 5
Homo quidam per bufanes voratus 859.45
Honor ſacerdotibus exhibitus remuneratione compenſatus 834 58
Honorius Papa IV. moritur 52 57
Hortatio Edwardi I. ad filium ſuum 93.33
Hoſpitalarii Templariorum poſſeſſiones accipiunt 12 .13
Hoſtes in Hibernia capiuntur 240.16
Hoſtia tranſubſtantiata minus aduerſus cacodæmones, quam reliquiæ ſanctorum & euangelii liber valere deprahenſa eſt 852.39
Howenus Glendor 558.53
Humanitas Roberti le Brus 106.11
Humilitas Henrici regis Anglorum 464 45
Hubertus de Burgo Cantii comes incarceratur 464.51
Hugo Abbas Radingarum 682.42
Hugo Caluerlee 200.34
à Caleſia reuocatur 220.19
eum ſocius ſuis ſpoliat mercatores Bolonienſes 209.36
Huga Capetus in regem electus 633.3
Hugo de Lacy 796.7
deſcriptus 798 6
Hugo de Grentemaiſnilio 659.13
Hugo le Spencer capite plexus 125.52
omnibus inuiſus 113.50
pater comes Wintoniæ: ſed filius eius comes Gloceſtriæ fuit 597.28
pater ſuſpenſus 123.30
redit in Angliam ab exilio 104.44
ſuſpenſus 125.10 548.23
Hugo epiſcopus Baiocenſis 641.33.655.41
Hugo magnus à deuaſtatione Normanniæ ceſſat 626.33
Hugo magnus filiam ſuam Ricardo cuidam deſpondet 628 25
Hugo magnus Francorum dux 620.53
Hugo ſenior exulat, iunior latitat 114 49
Hugo Tyrellus diuinitus flagellatus 733.11
Hugolinus tradit ſe reginæ Anglicæ cum caſtro Briſtollienſe 125.22
Hybernenſes ſubduntur Anglo 447.51
Hyems dura 568.38

I

Iactantia Francorum. 187.43
Iactantia Gallorum inanis 369.48.561.44
Ieruſalem ſanguine paganorum fluit 443.20
Ignis Brigidæ 729.25
Ignis Kyldariæ non extinguibilis 729.10
Immanitas Scotorum 84.30
Imperator excommunicatus 546.7
Imperator frenum equi Papalis tenet 396.58.588 20
Imperator in Angliam venit 364.20
Imperator inconſtans 514.58
Imperator per papam excommunicatus 506.6
Imperatrix fugit 445 37
Imprecatio Scotorum 228.55
Inæqualitas Hiberniæ 740 3
Incarceratio Iohannis Katrington 237.33
Incaſtellatio Hiberniæ ſub Hugone de Lacy 797.35
Incanſtantia belli 8.4
Ludouici Bauari imperatorem ſe dicentis 514.58
regis Franciæ 61.39
Increpatio Cardinalium per papam facta 216.24
Incubi 870.35
Indignatio regis Anglici contra archiepiſcopum Cantuarienſem, & alios quoſdam 315.51
Induciæ biennales cum Scotis per Edvvardum II. initæ 112.28
Induciæ Turcarum cum Chriſtianis 454.59
Indulgentia Cardinalis ſacrilega 95 8
Indulta Clera Angliæ per regem eius 515.52
Indulta regis Angliæ pro ſubſidio obtinendo 513.57
Induſtria regis Edvvardi III. in ponte faciendo 475 9
Infantia Ælfredi 5.18
Ingratitudo Iohannis de ſancto Iohanne 74.8

Initium

Initium regni Æthelfredi 7.51
Iniuria Abbati de Euesham facta 190.23
Innocentius VII. papa 372.56
Innocentius VI papa 179.14
Inopia Ælfredi 9.37
Inopia regis Anglorum 561.6
Inſcitia temporis Ælfredi 5.38
Inſolentia Petri de Gauerſtone 97.34
Inſurrectio archiepiſcopi Eboracenſis 373.20
comitis de Percy 377.13
Lollardorum 577.27
Inſtitutio ſolemnitatis corporis Chriſti 111.1
Inſula Barri 840.37
de Vecta per Gallos capta 198.59
Hiberniæ, in qua corpora ſub diuo poſita non putreſcunt 717.23
Hiberniæ, in qua pars vna bonis; altera malis ſpiritibus eſt frequentata 717.1
Inſula Man dicta 96.8.546.53
Inſula quædam inſtabilis ſtabilis facta 720.37
Inſulæ Baleares 165.13
boreales imperio Norwagienſium fere omnes ſubiectæ 720.25
Hibernicæ 701.38
Inſulæ Hiberniæ duæ, in quarum hac nullus moritur, in illam ſexus fœmineus nullus intrat 716.23
quando natæ fuerint 271.38
Zelandiæ 613.55
Inſultus ad villam de Ypres 303.16
in Petronem 526.7
Intemperantia monachorum 832.34
Interdicta Oxonienſia 520.28
Interfectio Dublinienſium ad Oſſyriam 785.51
Inuaſio Vltoniæ 749.1
Inuenta armatorum Iohannis Oldcaſtle 582
Inuentio lanternæ mirabilis 20.53
Inuentores Muſicæ primi qui fuerint 741.24
Inundatio aquarum 350.13.546.58
aquarum Pariſiis 456.53
aquarum in Cantio 564.22
maris 134.28
Iohannes Angliæ rex pacem mercatur à Papa 461.11
Angliæ rex vxorem ducit 458.18
Arundel in ſanctimoniales ſæuit 232.36
Iohannes Arundel ſacerdoti calicem aufert 233.6
Baliol rex Scotiæ declaratur 479.4
Ball presbyter 275.8
Iohannes Blackwel populi concurſu opprimitur 96.50
Chandos interficitur 185.56
comes Moritonii deficit à fratre 455.29
Comyn cæſus 498.11
Iohannes Conſtabularius in Britanniam aduenit 798.28
Iohannes Cyminus 799.14
Iohannes de Arundelia ſubmerſus 533.38
Iohannes de Balliolo regnum Scotiæ obtinet. 59.35
de Curey deſcriptus 795.17
de ſancto Iohanne vir ingratus 70.1
de Matrauers 127.56
Iohannes de Northampton ſupplicio mortis afficitur 310.42
Iohannes de Kendale epiſcopus Wintonienſis moritur 112.54
Gaunt Lancaſtriæ dux fit 178.4
Harleſton oppreſſus 222.50
Haukwood miles ſtrenuus 184.18
Katrington incarceratur 237.33
Iohannes Klerck miles ſtrenuus in femore percuſſus ruit 225.34
Iohannes Litteſtere Northfolchiæ rex 264.44
Menſtreworth capitur 192.18
Oldcaſtel ad crimina ſibi obiecta reſpondet 383.58
Oldcaſtle citatur 574.35
Iohannes Dymoch athleta regis Anglorum 197.20
Papa XXII. obit 134.32
Papa veſtitum mutat 580.1
Iohannes Peckham archiepiſcopus Cantuarienſis 474.41
Papyrio 742.25
Philpot magnanimus in patriam 211.26
Philpot moritur 310.31
Iohannes Schakel libertati priſtinæ reſtituitur 229.1
Iohannes Scotiæ quondam rex papæ mittitur 490.17
turri committitur 485.47
Iohannes Segraue à Scotis vulneratus 496.41
Scotiæ præfectus 86.30
Straw 262.8
Iohannes Tymworth in abbatem S. Edmundi pro pecunia per papam confirmatur 289.56
Iohannes XXIII. à papatu depoſitus 580.7
Wicklif 191.24
Wicklif moritur 312.11.537.13
Ioppe capta recuperatur 454.55
Ira Richardi II. in Londinenſes 347.53.546.19
Irruptio in Normannos 423.15
Irruptio Scotorum in Angliam 310.24.503.52
Iſca 838.34
Iſlandia gentem breuiloquam, & veridicam, & iuramento non vtentem habet 721.1
Itali eccleſiæ Anglicanæ optima occupant 466.23
Iter Æthelwulfi Romam 2.32
Iubilæus 169.23
Iubilæus inſtitutus 78.7.339.48
Iudæi è Waſconia expulſi 53.50.54.16
Iudæi ex Anglia eiecti 476.48

Iudices inferiores male indicantes per Ælfredum acriter reprehenſi 21.33
Iudicium contra regem Norwegiæ 59.38
Iudicium contra proceres Angliæ 361.43
contra regem Norwagiæ 480 40
in Iohannem de Northampton quondam Londoniarum maiorem 310.42
Iuo epiſcopus Sagienſis 654.1.655.1
Iuramentum de pace inter Angliæ Franciæque reges 352.47
Iuramentum Henrico regi per communes Angliæ factum 402.3
per Richardum II. ante coronationem ſui præſtitum 105 25
Scotorum quod Angliæ regi fecerunt 68. 20. 485 36
Ius nouum triplex 738.9
quinquepartitum 787.52
Iuſiurandum Franciæ regis 549.5
Iuſtitiarii Anglici mulctati 54.21
Angliæ per Oxonienſes repulſi 468 9
Traibaſton vocati 90 4
Iuſtitiarius in aula Weſtmonaſterienſi caſus 478. 27
Iuſtus ſuper modico ædificat 17.17
Iuuenis quidam mirabiliter ſenſibus priuatus 163. 50

K

Kaleſia obſeſſa 317.34
Karnaruan 52.4
Kendale 812.54
Kenelworth 119.16.127.29.470.55
Kenyngton 160 29
Kokodones moneta genus 77.55
Kyldaria 729.10
Kynadius 81.11

L

Lacus Hibernici 701.38
Lacus quidam magnus originem miram habens 719.33
Laici in locum clericorum ſubmotorum ſurrogati 186.12
Lan 829 54
Lana vendita 170 42
Lanceæ miraculoſe confractæ 875.52
Lanfrancus quomodo à Papa ſit exceptus 438.46
Lanterna per Ælfredum mirabiliter inuenta 20. 53
Lapides miraculoſe remoti 872.24
Lapides Parii 812.21
Lapis Lechlawar 778.24
Lapis Maeri Mordhwyd 867.18
Lapis quidam erectus thronus regis Scotici fuit 68 3
vinum quotidie miraculoſe continens 728.38
Latro aſtutus 848.56
Latrones in Scotiæ confinibus graſſantur 109. 40. 179.52
quidam caſi & fugati 437.23
Latrones quidam conſpirant 437.8
Latrunculi Angliæ caſtrum Dunelmum condunt 668.14
Laurentius Dublinienſis archiepiſcopus apud Anglos decedit 799.14
Lechlawar 857.38
Ledam obſeſſa 317 57
Legati Anglici Gallum à pace auerſum ſentientes cum duce Bauariæ fœdus ineunt 135.28
Legati Francorum ſpreti 180.49
in Franciam pro pace miſſi 121.3 24
per Angliæ regem miſſi, regem ſuum de homagio non præſtito apud Franciæ regẽ excuſant 120.18
Legati pontificii & præſules pro pace intercedunt 102.4
Legatio ad regem Angliæ de Petro Gauerſtone in exilium profligando 100.56
Anglica in Franciam 135.25
Bonifacii IX. ad regem Richardum ſecundum 344.51
curiæ Romanæ 778.1
Londonienſium ad regem nouum 193.42
Papæ 377.58
præſulum Franciæ ad papam 80.27
procerum Angliæ ad regem ipſorum 114 15.
Legatio Richardi II. regis Anglorum ad Londonienſes 194.6
Legitimatio filiorum regis Caſtellæ 80.16
Leo mulierem quandam deperiens 725.54
papa 655.2
Leproſi de veneficio conuicti 813.10
ſuppliciis affecti 504.12
Lex Dacorum vel Danorum de iunioribus exulandis 414.6
Rollonis de aſſenſu furibus non præbendo 618 55
Lewlinus Bren Wallicorũ capitaneus captus 502. 26
Ceſtriam vaſtat 467.31.469.3
interfectus 475.10
Lhanelwy 872.43
Lhyn 823.16.871.53
Liber decretalium ſeptimus 110.57
Decretalium VI per papam Bonifacium confectus 72.49
quidam miraculoſe exaratus 730 8
ſcriptus dæmones non fugat, ſed pietas in corde fideli 837.38
Liberalitas Anglorum ad regem ſuum è carcere liberandum 455.58
Comitis Derbienſis 165 34
Stephani regis Angliæ præclara 445.14
Liberi Ælfredi 13.6
regis Edwardi I. 94.34.499.24
Libertas priſtina Iohanni Schakelio reſtituta 219.1
Ligeris 616.38
Limericum nobile expugnatum 788.17
Limpoldus Auſtriæ dux 456.44
Lingua Britannica vbi ſit in vſu 886.30
Linſincum 863

Lionel-

Digitized by Google

Lionellus regis Angliæ filius 146.58
Lis inter Anglorum & Francorum regem 447.7. 479.15
Literæ Clementis papæ 83 10
Cleri ad Papam 378.5
Comitum Anglicorum ad Papam 495.41
communitatis Angliæ, domino Papæ miſſæ 85.14
Literæ contra Radulphum de Ferrariis repertæ 244.46
Literæ Iohannis Ball communibus Eſſexiæ miſſæ 275.55
mordaces Edwardo II per mulierem quandam perſonatam afferuntur legendæ 109.19
papæ combuſtæ 445.56
quibus Scoti regem Angliæ pro ſuperiore ſuo recognoſcunt 56.31
regis Anglorum Abbatis S. Albani protectoriæ 259.48
Literæ regis Anglici ad papam miſſæ 81.4.491.50. 569.41
Richardi II. regis Anglorum renouationem libertatis ruſticanæ continentes 268.52
Literæ Richardum Angliæ regem inſontem abſoluentes 455.7
Scotorum ad Edwardum Angliæ regem datæ 484.3
Scotorum de fidelitate ſeruanda 68.10
Seiſinæ, datæ regi Angliæ de toto Scotiæ regno 56. 52.478
Lochor 885.40
Locrinus 81.31.492.19
Loegria 886.54
Lolardi lolardos creant 339.56
quibus fuerint opinionibus 366.43
ruinantur 328 27
Londinenſes ad Windeſor vocantur 348 38
Londinenſes cum rege aduerſus reginam ſe negant exituros 123.47
Londinenſes epiſcopum Exonienſem trucidãt 124. 30
inſaniunt 531.47
regi reconciliati 546.29
Londinenſes regis ſui gratiæ ſe ſubmittunt 348.14
timidi 322.42.538.51
tumultuantes prætorem in reginæ partes vi pertrahunt 124.18
Londinenſes vrbis arcem occupant, vinctoſque dimittunt 124.54
Londinum deficit à rege 462.1
per Ælfredum inſtauratur 14.54
Londonia per paganos vaſtata 2.15
Lothrocus Daciæ rex 607.1
Ludouicus Danorum rex captus 627.6
Ludowicus Francorum rex abſolutus 463.42
rex Angliam occupat 462.32
ex Anglia fugatur 463.25
moritur 451 37.471.33
papæ legatum ſpernit 462.23
Rhotomagum venit 624 40.& 626 32
Philippo patri Francorum regi mortuo ſuccedit 678.15
Ludere cum ſanctis bonum non eſt 822.1
Ludlowe 877.50
Ludus militaris tabula rotunda 49.2.474.46
Lues animalium 112.32
Luna tam liquores quam humores moderatur 715. 36
Lupi catulos in Decembri habentes 726.24
Lupus cum ſacerdote colloquens 722.37
Luxus Benedictinorum 831.10

M

Mabilia Willelmi Taluatii filia 655.18
Machina ducis Burgundi in Caleſiam 571.15
Maenor Pyrr 851.51
Maeſeueta 822.53
Magnaninitas Henrici de Percy 560.4
Magnanimitas Henrici regis Anglorum 444. 4
Magnanimitas Iohannis Philpoti erga patriam 211.26
Magnanimitas Richardi regis 456.13
Magnanimitas ruſticorum in Anglia rebellium 561.56
Thomæ Beauchamp 527 40
Maior Londinenſium arreſtatur 348 16
Malcolinus 82.11
Malefactores ſupplicio mortis affecti 543 50
Malgerius 651.21.660.49
Malitia venenorum in oriente 712.37
villanorum S. Albani 263.3
Man inſula 96 8
Mandatum epiſcopi Northwicenſis clericis & rectoribus ad publicandũ bullam papalem factum 294.23
Manerium abbatis de Bello 96 22
Mania inſula 721.28
Manicæ omnes Londinum iuſſu regis portatæ 77. 48
Marchio Dubliniæ dux Hiberniæ creatus 324.1
papæ nepos ſe dedit 88.14
Mare Britannicum brachiis duobus & Britanniam & Hiberniam complexum eſt 699.17
Mare Hiberniæ vndoſiſſimum 715.16
Margaretha ſola hæres Scotorum, defuncta 477.1
Martineti Hibernici 707.11
Martinus abbas cœnobij ſancti Cypriani 622.29
Martinus papa IV. moritur 52.30
Martyrium S. Thomæ 771.6
Mathildis Baldwini Flandrenſis filia 657.47
Mathildis filia regis Scotorum 674.16
Mathildis imperatrix 81 35.493.16
Mauritius Giraldides 766.26
Maurilius 660.49.667.1
Mauſoleum regis Ælfredi 21.56
Mawr 886.8
Maximus Tyrius 870.43
Mednanum caſtrum expugnatum 662.29
Mellentum caſtrum 615.21

Memoria pueri Ælfredi 5.31
Mendacium vnum per aliud excuſatum 104.33
Menenia 778 24
Mercator Ianuenſis à Flandrenſibus interfectus 533.19
Mercator quidam Ianuenſis opulentus à mercatoribus Anglicanis inuidioſe peremptus 227.36
Mercatores quidam Veneciani ſupplicio affecti 471 51
Mercii cum Paganis pacem ineunt 8.17
Meredythus 823.20
Merlinus pſeudopropheta 857.35.871.19
Merula S. Keywini 726.39
Meylerius deſcriptus 789.35
Michael Atte Pole moritur 339 44
Middleton ſuſpenditur 503.21
Milidunum caſtrum 638.20
rebellans capitur 429 35
Miles & canis duello contendunt 842.44
Mileſius 737.17
Milites arreſtati 334.8
contradicunt epiſcopo Pikardiam ingredi volenti 303.34
pontem quendam tranſire volentes, eo fracto, ſubmerguntur 50.45
quidam duo per Carolum Francorum regem puniti 619.21
Militia domini Thomæ Percy claret 235.5
Minæ papales in reges 460.16
Mirabile 310 17
de hoſtia 461 46
de ſ g lo communi 261.3
quoddam dictu 416.58
Mirabilia diuerſa 177.53
quædam Hibernica 722.37
Miracula apud Wymundham 340.21
de Brydlington 340.25
Kyldariæ varia 729.10
Merlini 871.26
Miraculum 848 42
circa corpus Chriſti contingens Cantebrigiæ 339.1
Miraculum circa regis Anglici ſaluationem 71. 19
de Ely 338 9
de Ethelthreda 338.41
de filio Tartari cuiuſdam 76.36.
Miraculum de mortuo archiepiſcopo Angliæ 251. 41
factum apud S. Albanum 339.52
factum in die S. Oſwini regis 310.58
factum per S. Albanum 264.51
Miraculum indubitata fide compertum à nemine negatur 841.42
Iohannis de Beuerlaco 492 42
quoddam relatu dignum 689.24
Miſeria per tumultuationē ruſticorum & aliorum communium Angliæ illata 247.43
Miſſa ſaluos conſeruauit quoſdam in bello 496.49
Modus deſponſationis Hibernienſiū nouus 743.38
Molendinum ab ingreſſu fœminarum liberū 733.38
Molendinum nec dominicis diebus, nec de furto vel rapto quicquam molere ſolitum 733 30
Mona inſula 866.37
Monachatus vnde ſit ortus & propagatus 833. 20
Monachi auari que & intemperantes ſunt 832.34
nigri luxurioſi 832.28
albi cupidi ſunt 832.19
quā grauia pro amore Chriſti patiantur 832.43
quidam in abbatis ipſorum mortem conſpirant 195
quidam reſtituti 457 15
ſe ſuaque miraculis tuentes 114.11
Monachi Weſtmonaſterienſes carcere liberati 92. 15
Monarcha Hiberniæ primus 737 1
Monaſteria ab Ælfredo condita 18.28
Anglicana per regem perueſtigantur 65.4
tempore ducis Willelmi in Normannia conſtructa 658.6
Monaſteriū S. Ebrulfi apud Vticum refectum 659. 12
Stratflur 863 1
Monedulæ manſuetiſſima 858 3
Moneta adulterata 77.55
Angliæ renouata 474.43
noua 519 58
Mons Caſſinus 335 52
Mons S. Michaelis 671.28
Monumentū Scotos Angliæ regi ſubiectos eſſe demōſtrans 82 54
Monumetha 835 37
Morbus Ælfredi 1 27
Mores Anglicorum 188 36
Edwardi III. Anglorum regis 192 54
Gallorum dominantium 317 50
Hibernicæ gentis 738 22
Iohannis Menſtreworthi 192 23
Romanorum 222 48
Mors Ælfredi 21.51
Æthelberti 4 48.
Ætheredi 7.47
Æthelwulfi 4 28
Alexandri V. 571.29
Arthuri 459 5
Mors bonifacii IX. 372.55
Caroli Franciæ regis 241 58
Celeſtini 486.1
Ceolnothi 6.43
comitis Penbrochiæ 189.22
comitis Southfolchiæ repentina 282 5
Cnuti 433 57
Cunani comitis Britannorum 665.10
Ealſthani 6 9
epiſcopi Herefordenſis 476.32
Guris fratris Rollonis 609.51
Mors Henrici IV. 472.16.573.54

Mors Honorii Papæ IV. 52.57
Mors Iohannis Philpoti 310.31
Mors Iohannis Wicklif 312.11
Mors Innocentij Papæ 375.35
Martini Papæ IV. 52.30
Mors Nicolai papæ IV. 57.56
Northfolchiæ ducis 555.45
Philippi regis Francorum 52.41
regis Edwardi III. Anglorum 192.36
Mors regis Francorum 170.53
Mors regis Nauarræ 473.6
Mors Richardi Normannorum ducis 425.51
Richardi ſubita 452.1
Roberti regis Francorum 641.48
Richardi III. qua poſt concordiam cum fratre factam obiit 640.21
Mors Roberti de Veer 546.37
Soldani patris 55.15
Mors Thomæ de Arundelia 578.30
Wilhelmi comitis Flandriæ 677.51
Wilhelmi ducis Normannorum 417.57
Wilhelmi regis Anglorum 669.48
Mortalitas inuſitata 168.28.345.55
mira famem ſubſecuta 502.36
Mucil quid 6.15
Mulier à leone amata 725.54
Mulier ab incubo oppreſſa 136.1.2
Mulier barbata, & in tergo criſtata iubataque 724.40
hiſtrionis habitu literas mordaces regi Angliæ affert 109.19
Mulier manibus carens 874.45
Mulieres papam famelicum affatim cibant 88.56
Multi ſe fruſtra parant ad terræ ſanctæ recuperationem 112.39
Multitudo nauium maxima 634.21
Munificentia Ælfredi regis in Aſſerum 14.34
Munificentia Willelmi Normannorum ducis in monachos 419.11
Murchardides idem qui Dermitius 674.14
Muremuth 129.38
Mures deuorant nobilem quendam 861.3
Muſica vnde nam dicta 741.52
Muſtela Hibernica 710.6

N.

Nant 829.56
Natura aquilæ Hibernienſis 703.49
Hibernienſium 738.22
Hiberniæ varia 699.3
fontium Hiberniæ miranda 717.35
Naues XII. victuque & armato milite plenæ Rolloni per Anglorum regem Adelſtanum miſſæ 613.51
Naues Francorum captæ 323.29
Naues hoſtium intercepta 306.32
in Angliam miſſæ 065.33
ſubmerſæ 567.36
Nauigium Anglicanum 207.56
Nauis Carika apud Sandwicum appellit 296.43
Nauis Scotica capta 239.40
Nebulo quidam phyſicus equo impoſitus mendacii ſui mercedem recipit 287.54
Neceſſitates Edwardi le Bourſer apud Gandauum 312.27
Negotia regis Ælfredi 13.27
Nemedus 736.23
Nequitia Hibernienſium 743.6
Neth 885.37
Nicolaus Hertford ſequax eſt doctrinæ Iohannis Wicklif 285.18
Nicolaus Papa IV. obit 57.56
tertius Papa moritur 49.11
Nigellus Conſtantinienſis 634.15
Niſus Hibernicus 702.22
Nix aſperrima 377.3
Nobiles ſub Ælfredo qualiter educati 13.14
Nobilis quidam à muribus deuoratus 861.3
Nobilitas Rollonis 609.43
Nomen Muſicæ quale ſit 741.52
Nomina cardinalium ſeptem per Vrbanum Papam degradatorum 313.26
Nomina ductorum communium 265.48
Nomina epiſcoporum Meneuenſium 855.52
Normanni ad regem Francorum deſciſcunt 459.10
aufugiunt 523.21
cæſi 516.57
dominum ſuum Ricardum de Francia reducunt 628.8
Odonem duoſque comites adiutores eius vicerunt 636.47
Porteſmutham incendunt 136.34
quo tempore primum in Apuliam perrexerint 663.30
Normannia per Robertum Knolles vaſtata 173.45
Northanhymbri regem ſuum abdicant 5.53
Northumbri ſpoliant ſuos 502.47
Northfolchiani conſpirant 291.1
Northampton capitur 469.32
Northamptonia 80.3
Norwagienſes apud Dubliniam confecti 771.56
Norwagienſes ex Hibernia pulſi 749.32
Norwagienſes Turgeſio duce Hiberniam expugnant 748.31
Nota de Iohanne Straw ductore plebis 262.8
Notabilia contra fratres mendicantes 266.34
Notabilia de Papa Vrbano 311.55
de villanis S. Albani 267.35
Notingham 121.20.130.50
Numerus doliorum nauiumque ſuper mari captarum 326.35
Nuncii ad Papam de pace miſſi 489.12
Nuncii Anglici Scotiam verſus deſtinantur 337.45
è regnis variis ad Anglos profecti 451.9
Papæ noui 216.1
Nuncii Papæ pro Scotorum rege intercedunt 76.52

Nuncius Papalis 545 37
Nuncius regis Francorum captus 332.50
Papa Franciæ cedere iuſſus 490.50
Nundinæ de Penreth per Scotos captæ 240 31
Nuptiæ Ælfredi 6.13
ducis Lancaſtriæ 352.34
filiæ regis Anglorum 60.52
principis Wallenſis 474.23
Nuptiæ regales 281.42

O

Obitus abbatum S.Edmundi 336.51
Boſonis 689.12
Caroli regis Francorum 407.31
Epiſcopi Roffenſis 336 57
Henrici V. regis Anglorum 407.6
Michaelis Atte Pole 339.44
multorum 128.8
reginæ Caſtellanæ 474.33
Roberti Knolles 370.44
Wilhelmi Abbatis Beccenſis 679.33
Obſides Anglico regi dati 375.32
Obſidio Caleſii 166 59
Dubliniæ 772.30
Pariſiorum annua 616.9
Rhotomagi turpiter ſoluta 682.54
villæ de Ledam 317.57
Occaſio coniurationis Angliæ procerum noua 113 28
Ocreæ ferreæ mirabiliter reſtitutæ 732 9
Odium inter Normannos & Anglos 507.33
muliebre 825 39
Odo Comes Carnotenſis 428.19
rebellans ſubiugatur 428 32
rege abſente regni fit cuſtos 438.16
Odo per Willelmum fratrem in ducatu ſubrogatus 655.41
Oeconomus bonus & diligens 853.16
Offa 3.38
Obim 852.14
Olanus & Chriſtianus & martyr fit 429.10
Oldcaſtle fuga elabitur 577.1
Oliuerus monachus Beccenſis 653.35
Omnia ſunt Romæ venalia 78 36
Opiniones de cauſis propter quas ruſtici in Angliæ turbas dederint 266.1
Iohannis Wicklif 191.24.246.4
Opiniones Lolardorum 266.43
Oppreſſio Eccleſiaſticorum 548.23
Romanorum 100.30
Opulentia religionis corruptrix 831.13
Oratio Ælfredi 12.39
Oratio comitis Lincolniæ ad generum ſuum 100.28
Dermitii 765.18
ducis Hiberniæ ad ſuos 331.56
Oratio Duuenaldi Oſſyrienſis 791.15
Herneii 768 51
Mauritij 773.1
papæ 88.48
Reymundi 768.17.788.55
Oratio Rotherici 764.28
Stephanidæ 765.36
Oratio Walteri Attelee ad ruſticos S. Albani ſeditioſos 271.24
Ordines mendicantium 173.22
religioſorum de Schene 579.1
Ordo coronationis Richardi II. 105.11
Templariorum damnatus 99.9
Brigittinorum 578.52
Oriens cum occidente comparatus 712 37
Origo Anſelmi 442.5
comitum Ebroicenſium 678.15
Origo domini Tartarorum 459.1
Origa & progreſſus Monachatus 833.20
Gothorum, & vbi primum habitarint 606.9
Oroticius & proditus & peremptus 780 14
Ornator inſtrumentorum muſicorum præcipuus quis extiterit 741.36
Ortus Iohannis Wicklif 531.13
Osbernus Heruaſti filius obiit 649.6
Osburgh 1.52
Oſca 885.28
Oſlac 1.53
Oſmundus 625.36
Oſſyria 78.51
Oſſyrienſes expugnati 762.46
Oſtenta inandita 559.9
Oſtentatio Romanorum 109.57
Oſtmanni 749 52
Otho depoſitus 461.37
moritur 461.41
Rothomagum depopulari aggreditur 628.27
Saxoniæ dux rex Normannorum fit 459 50
ſedis apoſtolicæ legatus ab Oxonienſibus male tractatur 465 12
Otia Ælfredi 13.27
Owdenarde per Gandauenſes capta 306.46
Oxonia 69.8.124.14
Oxonienſes dubitant, an bullam papæ recipere debeant nec ne 201.18

P

Pactum inter Normannos & Danos per ducem Normanniæ Richardum firmatum 635.33
Pagani cæſi 280.31
cum Chriſtianis confligunt 6.56
clade afficiuntur 7.32
fædifragi fiunt 8.56
fugiunt 11.42
in Cantuarienſes fædifragi fiunt 4.56
Londoniam vaſtant 2.15.37
ſternuntur 2.15
ſubmerſi 9.20
Wintoniam vaſtant 4.44
Panis an quilibet cum pane miſſæ comparandus ſit 246.27
Pannus villoſus pro corpore inuentus 104 31
Papa ad epiſcopatum vel aſinum admitteret 516.21
Anglum concitat in Francum 86.7

Papa

Papa Clemens obit 206.28
conditiones pacis flagitat 87.57
confirmat Iohannem Tymworth in abbatem S. Edmundi, ſed non ſine pecunia 289.56
conſtituit iubilaeum 339.48
Papa contradictorem habet regem Anglicanum 566.38
deglubit clerum Anglicanum 466.34
diſcordiarum motor 460.30
Papa electionem Imperatoris pro arbitrio ſuo fruſtratur 119.10
& rex Siciliæ diſcordes ſunt 312 45
& Romani 306.11
facile annuit comiti Flandrenſi 222.2
famelicus cibos emendicat 88.52
fit ſenator 49.22
fratres minores grandi pecuniarum ſumma emungit 92.52
Papa hæreſis, ſimoniæ, homicidii denique accuſatus 87.23
humaniter tractat Anſelmum 442.30
ignominioſe vexatur 88 41
Imperatori contrarius 130.44
legatos ad Angliæ regem mittit 74.29
liberatus 88.37
mediatorem ſe præbet inter Angliæ Franciæque reges 489.4
abſceſſus 87.27
moritur vt canis 89.12
Papa nouus 306.42
potius emori vult, quam papatum relinquere 88.19
regem Angliæ à perdomandis Scotis inhibet 78.53
Papa regem Anglorum in Gallos concitat 496.25
regi decimas concedit 131.3
regnum Apuliæ fratri regis Angliæ offert 467.8
ſcribit in gratiam Scotorum 80.21
Papæ tres papatui renunciant 579.41
Papia 651.21
Pares XII. per Scotos electi 64 35
Pariſium quomodo deſtructum 608.20
Parliamentum apud Acton Burnel habitum 51.54
apud Berwicum 68.6
Parliamentum apud ſanctum Edmundum 68.44.485.54
bonum 530.19
Parliamentum Cantebrigiæ celebratum 335.31.543.53
Dubliniæ coactum 347.51
Eboracenſe 75.17.77.30.106.23
Glouerniæ factum 215.39
Parliamentum indictum quidem, ſed executioni non datum 107.6
indoctorum 371.40.563.17
Parliamentum Londinenſe 76.43.78.11.111.22.121.18.235.58.280.2.296.52.307.19.334.16.353.46.354.28.350.26
Parliamentum Northamptonienſe 128.18.138.21.245.33
Parliamentum Salisburii celebratum 309.15
Salopiæ 51 31
Stamfordiæ celebratum 80.18
Pars Angliæ Scotis tributaria facta 502.17
Pars decima quinta bonorum regi Angliæ per populum ſoluta 473 38
Partes orbis tres 605.33
Partitio hæreditatis Gilberti comitis Glouerniæ 206.5
Partus Gilberti Hagenelli vitulinus 825.20
Paternus magnus 863.2
Patritius 742.37.748 25
Pauperes per Ælfredum fideliter defenſi 21.7
Pax Angliæ 168.12
inter Angliæ Galliæque reges per Papam facta 76.27
inter Angliæ Franciæque reges 452.57.458.6
Pax inter Angliæ regem proceresque eius conſtituta 102.27
inter Anglos & Scotos turpis 510 17
Pax inter Anglum & Francum dolo Francorum fracta 170.15
inter Edwardum II. & comitem Lancaſtriæ facta 110.29
inter Lewlinum & regem 471.15
inter Mercios & Paganos inita 8.17
inter reges & Papam facta 490.1
reformata 766.10
turpis inter Anglos & Scotos 510.17
Pecunia papæ infinita vel incredibilis 88.31
Penmaen 872.14
Penuria Anglorum 187.29
Perduelles Anglici ſuppliciis afficiuntur 91.42
Peremptio Ororici 780.14
Perfidia regis Francorum 454.31
Scotorum 64.56 75.8
Periculum Edwardi tertii ipſi per Iacobum Douglam intentatum 509.52
regis Anglici in mari 167.44
Richardi regis Francorum 454 38
Pertinacia Æthelbaldi 3.2
Peritia Flandrorum Roſſenſium in diuinando per armos arietum 849.58
Peritia gentis Hibernenſis incomparabilis in arte canendi 739 38
Perturbationes per Londinenſes mota 288.37
Peſtilentia grauis 108.4
prima 168.28
Peſtis 184.30.571 51
boum 504.3
Peſtis è corporibus ſubmerſorum originem ducens 462.14
magna graſſatur in partibus borealibus 228.13.376.28
Londini 567.59
Petitio ducis Lancaſtriæ 210.18
Lollardorum 570 49

Petitio regis Anglorum ad Papam directa 539.23
Petitiones Comitum Anglicanorum 487.9
Peitiones communitatis regni Anglicani regi ipſorum directa 71.36
Petro inſultatus 526.7
Petrus Abbas Cluniacenſis 688.6
Petrus de Gauerſtone ab exilio reuocatur 95.55
Petrus de Gauerſtone exulat 504.21.& 40
de Gauerſtone ab exilio reuocatus comitis Glouerniæ ſororem in uxorem ducit 98.12
de Gauerſtone capite truncatur 101.48.501.5
Petrus de Gauerſtone in exilium mittitur 98.2.46
de Gauerſtane in procerum Anglicorum poteſtatem venit 101.24
de Murrone in papam electus Celeſtinus appellatur 62.13
de Murrone moritur 68.52
Petrus Pykard Lumbordus 516.4
Philippina Angliæ regina moritur 184.23
Philippus Franciæ rex obit 52.41.464.20.505.25
le beau Franciæ rex 52.43
Wigornienſis opud Armatiam paſtione percuſſus 733.11
Phoca 862.2
Phreneticus apud Fernas, de præteritis futura prædicens 738.30
Phyſicus quidam mendacii ſui pœnas ſaluit 287.54
Picardia vaſtata 166.20
Pietas dæmones fugat 837.32
Pinchiniacum 623.34
Piratæ Flondrenſes in Anglia capti 225.4
Piſcatores Londonienſes libertati ſuæ reſtituti 297.51
Piſces in Hibernia marini, fluuiales, lacuſtres denique 705.44
Piſces in Hibernia noui alibique nan inuenti 702.1
mirabiliter inter ſe præliantes. 822.23
monoculi 872.3
Piſcis quidã repertus dentes aureos tres habens 720.14
Plebs in Anglia tumultuatur 535.13
Plimmouth incenſa 369.40
Pluuia inuſitata 168.21.377.43
Pluuioſitas Hiberniæ 700.20
Pœno perfidia 463.36
Pæna S. Keywini 726.39
Pollardi monetæ genus 77.55
Pons Stephani 863.1
Pontifex regi Angliæ ſcribit 144.21
Papæ virgo quædam Baiocenſis 616.10.619.42
Populus in partes comitis Lancaſtrenſis inclinat 110.37
Portentum de aqua diuiſo 552.46
Portugallus vincit Hiſpanos 318.22
Poſſeſſiones Templariorum Hoſpitalariis conceduntur 120.13
Poſteritas camitum Ebroicenſium 678.15
Poteſtas epiſcopo Northwicenſi conceſſo 296.52
Pateſtas Waltheri Diſſe 327.35
Powyſia 870.51
Præda in regno Francorum 456.31
regis Angliæ 457.28
Prædatio Howeni de Gleyndor 562.13
Prædatio Scatorum 503.29
Prælati Hiberniæ ex paſtorali negligentia corripiendi 745.43
regni Scatici fugiunt 132.55
Prælium atrox inter Anglos & Scotos 105.7
inter Angliæ Franciæque reges 465.50
Prælium inter cruce ſignatos & Flandrenſes 299.42
piſcium 822.23
Præparatio Anglorum ad Gallis reſiſtendum 539.11
Præſes inſulæ Mon coronatur 350.6
Præſumptio incauta 834.7
Progenſes fœdifragi fiunt 406.2
Pratum Belli 620.25
Presbyter quidam proditor captus 390.14
Preces in coronatione Richardi II. dictæ 195.39
Pretium rerum in Anglia venalium 302.5
Primitiæ beneficiorum papæ venduntur 108.42
Princeps Achaiæ captus 51.54
inſularum Balerium nouus creatus 165.13
Walliæ conſanguineam ſuam deſponſat 178.17
Walliæ moritur 533.46
Princeps Wiſconiæ Wiſconiam reſignat 528.31
Principes Cambriæ tam auſtrales quam Boreales ſubacti 775.33.& 776.14
in crucis obſequia ſignati 801.26
Normanni quorum ducatui ſubacti ſunt Apuli, quinam fuerint 663.30
Prior de Lewes capitur à Gallis 199.39
Priuilegia clera per Angliæ regem conceſſa 164.56
epiſcopo Northwicenſi pro executione rerum quarundam per papam conceſſo 293.43
per papam communicata 540.12
Probitas comitis Warwici 63.29
Henrici comitis Derbyenſis inſignis 165.24
Simonis de monte acuta 65.35
Thomæ de Dogworth 167.25
Walteri de Bendeley 169.4
Proceſſia generalis in coronatione Richardi II. regis Anglorum 598.5
Proceres Anglici armo capiunt 101.4
Proceres Anglici de capiendo Petro Gauerſtone conſultant 99.53
Proceres Angliæ duci Hiberniæ obuiam procedunt 331.54
Anglici indictantur 329.36
Angliæ legatos Papæ reiiciunt 102.14
Angliæ multi regi ſe dedunt 115.39
Angliæ non volunt regem ſuum iudicio Papali ſiſti 85.36

Proce-

Proceres Angliæ Petro de Gauerſtone inuident 97.10
Angliæ petunt ſibi dari poteſtatem leges condendi 97.19
Anglici petunt ſibi articulos quoſdam per regem ſuum confirmari 201.57
Anglici petunt, vt Petrus de Gauerſtone in exilium mittatur 96.39
Proceres Angliæ regina contra regem ſe adiungunt 123.31
Anglici ſe congregantes regem perterrefaciunt 330.29
Proceres Anglici ſe rebelles fore minitantur, niſi Petrus Gauerſtonius in exilium profligetur 98.27
Proceres quidam Anglici ſupplicio afficiuntur 125.47
Proceſſus apud S. Albanum per Walterum Attelee militem factus 254.22.270.46
contra Edmundum de Bury 236.15
contra mendicantes 522 40
de Scotia 58.23
in Iohannem de Northampton olim Londoniæ maiorem 410.42
in Michaelem Atte Pole 425.26
Proclamatio contra Papam 220.53
Proclamatio pacis iuſſu regis Angliæ noui facta 126.56
Proclamatio reginæ Anglicanæ & regis itidem 508.7.& 10
regis Angliæ in proceres eius 550.42
villanorum S. Albani 258.57
Procuratores ad curiam Romanam miſſi 162.3.44
Procuratorium ducis Aurelianenſis 573.1
Prodigia natalem comitis Edmundi comitantia 558.56
Prodigium ſingulare 147.3
Proditio Henrici le Scroope 580.58
Ororicii 780.14
Proditores quidam Anglicani capite plexi 560.46
Proditio quorundam 302 54
Proditiones Hibernenſium 743.6
Profectio comitis Arundelienſis ad mare 334.46
ducis Lancaſtriæ Scotiam verſus 244.28
Edmundi Comitis Cornubiæ cum exercitu in Walliam 53 57
in Portugalliam 247.17
non a cruce ſignatorum 301.46
regis Anglorum in Scotiam 511.33
regis Edwardi II. in Scotiam 127.39
Prolocutio concordiæ inter regem Franciæ & Angliæ, dolo Francorum irrita facta 170 15
Prologus in geſta regis Henrici 670.25
Promiſſum Cardinalium 521.43
Prophetia Celeſtini completa 89 13
Celeſtini in Benedictum papam 62.52
de Benedicto Papa 482.11
Propoſitiones Iohannis Wicklif publice per eum propoſita 204.54.208.26.283.3.& 33
Prouiſiones Oxoniæ reuocantur 467.48.468.14
papæ caſſatæ 515.15
Pſalterium Quindredæ 824.34
Pugna Ælfredi maritima 8 43
Pugna cyniphum 339.24
Pulices à S. Nannano deportati 728.45

Q

Quæ in Auſtria contigerint 822.21
Quæſtio regis Medenſis doloſa 749.41
Qualiter Edwardus primus ad colloquium regis Franci rogatus fuerit 52.26
Qualiter Gandauenſes ceperint villam de Owdenarde 306.46
Guido de monte forti è carcere liberetur 51.42
Qualiter Iohannes de Balliolo rex Scotiæ coronetur 59 38
Querela in Iohannem de Oldcaſtel 574.28
Querela proditorum 559.22
Quidam Brigidæ ſepem tranſiliens tibiam amittit 732.41
Quidam factis comitis Percy inuident 327.11
Quidam ſe filium Edwardi II. mentitur eſſe 113.5
Quindreda 824.34
Quomodo Richardus II. à Londonienſibus receptus fuerit 194.54
Quo pacto Petrus de Murrone Celeſtinus cognominatus papatu deceſſerit 62.40

R

Rabies Paganorum in Franciam 414.39
Radeboldus Friſiæ princeps 623.50
Radnora 820 23 & 39
Radulphus de Mounthemer liberatur 105.47
Rainaldus caſu interfectus 416.52
Paganis obuius fit 416.3
per Rollonem in fugam verſus 615.19
Rainaldus trans Saonæ fluuium Burgundionum comes 630.10
Rainerius dux Hainacenſis 613.50
Rana in Hibernia nuper inuenta 711.51
Ranæ 862.1
Ratti per S. Yuorum à Fernigenan expulſi 728.55
Ratio conuerſionis Tartarorum ad fidem 93.10
Rationes papæ, quibus oſtendit, Scotiam ad Angliæ regem non pertinere 80.25.491.1
Rebellio Baronum Anglicorum 461.52
comitum Anglicanorum 555.53
Rebellio Dauidis principis Walliæ germani 474.52
exheredatorum 470 58
Rebellio Wallorum 364 7
Recapitulatio triumphorum titulorumq́ Henrici II. regis Anglorum variorum 751.5.&c.
Recognitio quadam comitis Cantii 129 45
Redemptio regis Scotorum 173.1
Reditus Edelredi in Angliam 636.6
Referendarius papæ exuſtus 108.4

Refluxus

Reſluxus Hibernici maris varii 715.16
Refugia Sanctorum miranda 730.38
Reges Angliæ & Franciæ inuicem iurant 451.22
Reges duo pagani Ricardo contra Francos auxilium ferunt 637.18
Reges Francorum de comitum Andegauenſium familia deſcenderunt 680.29
Reges Hibernici à tempore S. Patritii vſq; ad Turgeſium quot extiterint 748.25
Reges ſubito diſcordes facti 802.1
Reges tres exteri Angliæ regem inuiſunt 179.44
Regina Angliæ aſpectum mariti non fert 127.36
Regina Angliæ caſtrum Briſtollienſe obſidet 125.8
Regina Angliæ è Francia in Angliam redit 507.48
Regina coniux Angliæ Edwardi II. in Angliam venit 123.28
Angliæ exulatum vadit 507.22
Angliæ filium quintum parit & Edmundum vocat 160.23
Regina Angliæ in Francia per annum commorans conſuetudinem habet cum Rogero de mortuo mari 122.17
Angliæ in Franciam miſſa, vt de pace tractet 121.35
Angliæ ingreſſu caſtri cuiuſdam prohibetur 114.59
Angliæ Londinum venit 126.28
Angliæ male per regem tractata 468.35
Angliæ mortua 477.1
Regina Angliæ Philippa filiam parit Blanchiam 149.1
Caſtella moritur 474.33
Franciæ in Angliam exulatum cõtendit 507.22.&c.
mendicans 4.5
Regina Nauarrea ob ſtuprum ſuffocata 106.37
Regnum Scotiæ excommunicatum 503.46
Relatio de Elidoro epiſcopo fabuloſa 844.18
Relaxationes per Anglum ſubditis ſuis conceſſa 147.31
Religioſi dæmonibus male familiares ſunt 366.4
Reliquiæ Hibern: cæ 747.31
ſanctorum 824.22
Remiſſio peccatorum pœna per papam conceſſa 168.59
Femni 885.32
Remotio lapidum miraculoſa 872.24
Remuneratio honoris ſacerdotibus exhibiti 834.58
Renouatio monetæ Anglicanæ 474.43
Res geſta Edwardi I. regis Anglorum 499.34
Reſcriptum archiepiſcopi Cantuarienſis Papæ certificatorium 236.47
Reſponſio Cardinalium furioſa papæ facta per illos 216.34
Reſponſio Caſſilienſis archiepiſcopi obliqua 747.16
Reſponſio epiſcoporum Catholicorum ad epiſtolam ſpeudocardinalium 218.7
Reſponſio Iohannis Oldcaſtel ad crimina ſibi obiecta 383.58
Reſponſio regis Anglici ad Carolum Gallum de patris ſui & filii morte 472.42
Reſtitutio Dermitii per Anglorum regem 760.6
Reſtitutio temporalium Epiſcopi Norwicenſis 321.6
Reſus carceri mancipatur 475.44
condemnatur 57.47
rebellat 476.40
Reuocatio Anglicorum à curia Romana 344.43
Rex Anglorum à nece Thomæ expurgat ſe 448.7
Rex Angliæ inſignia mutat 143.32
Angliæ inſignia ſua cum inſignibus Franciæ coniungit 146.55
Angliæ intrat Franciam, capit Cadomum, vaſtat Picardiam, & aquam de Summe tranſit 166.20
Angliæ iuramento Baronibus præſtito abſoluitur 498.51
Angliæ legatos ad papam mittit aduerſum Scotos 79.42
Rex Angliæ literis miſſis per Flandriam ius ſuum in Francia denunciat 143.34
Angliæ mari contra Francos ſe committit 136.44
Angliæ monaſteria ſcrutatur 65.4
Angliæ nauigat in Hiberniam 553.46
Angliæ nemini ſubeſt 146.48
Angliæ officiarios nouos eligit 544.13
Angliæ obſidet caſtrum de Strivelyn 89.41
Rex Angliæ per Franciæ regem citatus 60.38. 481.25
Angliæ per Meneuiam redit 778.24
Angliæ præparat ſe ad Barones ſuos oppugnandos 504.53
Rex Angliæ primum Angliæ & Franciæ rex appellatus 147.7
Angliæ promittit ſe regnum Scotiæ hæredi vero redditurum 57.26.478.55
Rex Angliæ regi Franciæ homagium facit 473.1
Angliæ regno ſuo deiectus 508.55
Rex Angliæ regnum Franciæ vendicat iterum 183.42
Angliæ Richardus diſpoſitionem regni liberam ſibi concedi petit à proceribus 337.9
Rex Angliæ Richardus vxorem ducit 535.26
Angliæ Scotia ſubacta in Angliam redit 89.55
Angliæ Scotiam hoſtiliter ingreditur 85.52
Angliæ ab equo deiectus coſtas duas frangit 75.42
Angliæ ad faſtum Francorum frangendũ transfretat 174.1
Rex Angliæ ad homagium Franciæ regi faciendum citatus 505.32

Rex

Rex Angliæ ad Papam literis ſcriptis imperium regni Franciæ vendicat 136.52
Rex Angliæ armatus Scotiam peruadit 87.14
Angliæ Berwicum capit 66.5
Angliæ cedit regno 359.15
Angliæ circuit abbatias 302.27
Rex Angliæ cum Scotis inducias biennales pangit 74.42
Angliæ dyſenteria laborat 499.17
Angliæ Edwardus II. Glouerniam ſe confert 124.10
Rex Angliæ Edwardus II. obſidionem Berwici ſoluit 112.22
Angliæ equitat per Scotiam totam comburens loca diuerſa 316.52
Angliæ exercitum conſcribit in Scotos 116.50
Rex Angliæ exercitum magnum contra Kentenſes cogit. 266.51
Angliæ extremo quodam capitis periculo liberatur 557.5
Angliæ fere circumuentus eſſet à Scotis 117.6
Angliæ Franciam populatur 143.50
Rex Angliæ homagio pro Aquitania faciendo renunciat 481.48
Rex Angliæ homagium facit Gallo 476.14
Rex Angliæ Hiberniam ſubiugat 460.21
Angliæ Hiberniam viſitat 447.34
Rex Angliæ in anguſtias magnas adductus 554.32
Rex Angliæ in Flandriam ire parat 70.52.72.23
Angliæ in Galliam tranſit 53.1
Rex Angliæ in Scotiam proficiſcitur 75.21.124.56
Rex Angliæ iniurias à proceribus illatas conqueritur 102.56
Angliæ Scotiam verſus profectus 63.39
Angliæ ſenatum cogit in proceres 541.1
Angliæ venit in Sabaudiam 472.56
Angliæ vna cum Petro Gauerſtone fugit 101.8
Rex Armeniæ pacis in Anglia mediator eſt 538.16
Arragonum moritur 58.22
Cypriæ capit Alexandriam 180.44
de Crakon Chriſtianus 571.38
Rex Edwardus I. filium remittit in Angliam 94.25
Edwardus I. in Wallia perdit multos 51.8
Edwardus II. in Scotiam profectus 127.39
EdWardus ſecundus iterum articulos quos concedit non obſeruat 111.16
Edwardus II. ſe contra proceres ſuos defendere conatur 115.22
Edwardus III. in Angliam redit 147.14
Edwardus III. in mari periclitatur 167.44
Edwardus III. in Scotiam ſe confert 135.12
Edwardus vagatur, capitur, regnoque priuatur 508.26.&c.
Edwardus vxorem ducit 490.30
Rex & regina Anglorum coronantur 500.1
Rex Franciæ à rege Angliæ ſibi homagium præſtari poſcit 117.43
Rex Franciæ Angliæ regnum inuadere parat 323.18
Rex Franciæ ab excommunicatione liberatur 90.6
Franciæ abſolutus 497.34
Franciæ appellat à papa 87.25
Franciæ Atrebatium obſeſſum dimittere coactus inglorius domum redit 86.29
Rex Franciæ Bonifacii papæ oſſa exurere vult 92.8
Franciæ dominia Angliæ occupat 452.46
Franciæ excommunicatur 80.6
Rex Franciæ exercitum mittit in Waſconiam 120.42
Franciæ fugiendo periclitatur 171.22.457.23
Franciæ liberatus 466.58.524.14
Franciæ mittit qui regem Arundeliæ capiant 330.15
Franciæ naues ſuas comburit 460.59
Rex Franciæ nauigium præparat contra Anglos 317.41
Franciæ obit 107.30
Franciæ per Saracenos capitur 466.47
Franciæ quærit occaſiones fœderis infringendi 458.25
Franciæ regi Angliæ Waſconiam reſtituit 86.47
Medenſis 749.48
Neapolitanus obſidet papam 376.39
Nauarræ captus 181.56
Norwegiæ Scotiam ſibi vendicat 58.29
Paganorum baptizatus 10.55
Portugalliæ exſpirat 538.4
Richardus II. Cantuariam proficiſcitur 330.26
Romanus obit 58.21.76.14
Scotorum citatur 483.36
Scotorum comes 301.54
Rex Scotorum excommunicatur regnoque excluditur 111.41
Scotorum facit homagium regi Angliæ 133.46
Scotorum fidem violat 64.27.483.3
Scotorum homagium facit 439.5
Scotorum lepra mortuus 510.49
Rex Scotorum miſerabiliter interfectus 54.23.476.53
Scotorum mittitur Londonias 68.39
Scotorum pacem ab Angliæ rege petit 484.45
Scotorum pacem impetrat 67.26
Scotorum regem Angliæ ſuper rebus arduis conſulit 474.31
Scotorū regi Anglorū homagiū facit 66.29 4.8.3
Scotorum ſanus 449.39
Scotorum tenet parliamentum 133.36
Siciliæ & papa diſcordes ſunt 312.45
Siciliæ per Arragoniæ regem expellitur 52.9
Reymundus deſcriptus 789.17

Reymundus familiæ rurſum præfectus 785.38
Reymundus in Hiberniam reuocatur 786.10
Reymundus in Hiberniam venit 767.32.797.13
Rhotomagum captum 459.22.615.1
Richardus Anglus baliſtæ ictu perit 457.35
Richardus Angliæ rex capitur 455.4
Richardus Angliæ rex cum claſſe magna Aconem nauigat 454.3
Richardus Angliæ rex in carcerem coniectus 455.36
Richardus Anglus in regem Romanorum creatus 467.44
Richardus Angliæ rex regno depoſitus exſpirat 556.30
Richardus Burgundionum dux 617.10
Richardus comes Clarenſis interfectus 833.58
Richardus Comes in Hiberniam cuſtos tranſmiſſus 785.5
Richardus comitatum Cornotenſem & Dunenſem vaſtat 630.21
de Bury conſecratur in epiſcopum Dunelmenſem 133.23
de Pec. 798.28
de ſancto Martino 109 4
filium ſuum Normannis præficit 633.30
Richardus imperium deponit 554.40
Normannorum dux 423.5.&c.
Richardus patre viuente regno præfectus 419.36
patri Wilhelmo ſuccedit 624.32
puer Normanniæ dux periculo poplitum ſibi aduerendorum ſubeſt 625.13
Scrop miles officio Cencellarii priuatur 290.17
Scrop regi ſigillum reddit 290 39
ſubito mortuus 452.1
Richardus III. paruo tempore in regimine exiſtẽs, bonitatem patris imitatus eſt 640 5
dux vxorem ducit Iudithâm Goisfridi comitis Britannorum ſororem 638.1
Richmundio 113 14
Rigandus de Aſſero epiſcop. Wintonienſis moritur 119.13
Rihu ſus 418.15
Riſangerus 116 47
Riſuncium à Gallis captum recuperatur 62.21.482.44
Robertus archiepiſcopus Cantuarienſis ab exilio reuocatus 97.38
Robertus aldock in vinculis mortuus 126.12
Barr fit 762.20
Com Mellenti 688.54
Robertus de Veer Hiberniæ dux creatur 539.23
filius Hugonis Capeti 633 4
fratri ſu Richardo ſuccedit 640.43
Robertus Francorum dux Burgundiæ ducatum Burgundionibus inuitis adipiſcitur 617.40.638.43
Robertus Francorum rex inter Ricardum & Odonem pacem facit 637.41
Groſted obit 467.20
Knolles Normanniam, Britanniamque deuaſtat 373.45
Knolles obit 376.44.568.20
le Brus Anglos fugat 93.28
Robertus le Brus homicida rex Scotiæ coronatur 91.6
le Brus moritur 129.27
Normannorũ dux Hieroſolymam pergit 672.55
Normannorum dux in Angliam redit fratri regnum ablaturus 675.1
Tryſilianus capitur 334.20
Willelmum de Beleſmo obſidet 641.1
Winchelſee 91.58
Robertus Winchelſee epiſcopus Cantuarienſis fit 62.36
Wiſcardus Apuliæ dux 669 17
comes Gloceſtriæ 682.2
Rodbertus ab Hieroſolymis reuerſus apud vrbem Nicenam obit 648.19
Rodericus Magnus 882.59
Rogerius de bello monte filius Humfridi de Vetulis 649.30
Rogerus de monte Gummerici ex qua natus fuerit 686.1
de Tœneio 639.30
Roberti Wiſcardi nepos 669.18
Rogerus de mortuo mari fugit è carcere 120.53.526 35
Mortimerus ſuſpenſus 120.52
Waldenius qua fortuna fuerit 566.25
Rokesburg caſtrum capitur 67.17.134.35.146.4
Rollo cum Adelſtano fœdus indiſſolubilis amicitiæ contrahit 612.22
Rollo cum nauibus ſex in Inſulam Scanzam venit 600.51
filiam regis Francorum ducit 417.14
furiis ſuccenſus Franciam vaſtat 617 37
non Burgundionibus ſed diuinæ virtuti cedit 617.12
Rollo oſculari debet pedem Caroli Franciæ regis 617.41
quando baptizatus fuerit 618.21
rebellat 609 26
rebelles Angliæ coercet 416 48
tempeſtate vexatus Walgrorum littoribus appellit 613.11
terram hominibus ſuis diuidit, eccleſias muroſq; ciuitatum readificans 618.37
Walgrenſes rebellantes diuidit 613 50
Romani & papa Romanus 306.11
Romani qualiter morati 222.48
Rothericus apud Dubliniam confectus 773 26
Connactienſis Dubliniam obſidet 772 30
Phakus 843.47
Rothericus vltimus Hiberniæ monarcha 750.28.&31

Rober-

Ruberuile ſuſpenditur 483.14
Ruina militum Lolardorum 328.27
Rumores, Angliæ regem Imperatorem futurum, quid cauſati fuerint 353.56
Rumores monachorum de morte Iohannis Wicklif 312.20
Richardum Angliæ regem poſt mortem ſuperſtitem eſſe, magni & multi ſparſi 370.49.567.55
Rupis audientium 867.28
Ruſtici habitu clericali induti incedunt 397.28.588.50
Ruſtici per Angliæ regem manumiſſi 254.6
proponunt Londonias ſpoliare 252.17
rebelles 426.6
Ruſtici Sancti Albani & alii, literas mittunt ad regem de Eſtſexia pro libertate obtinenda 268.48
Ruſticus quidam cum vxore iuſſu Rollonis ſuſpenſus 618.55
Ruthlana 873.24
Ryd Pencarn 839.32

S

Sabrinia 885.16
Sacerdos cum lupo colloquutus 722.37
Sacerdos paſſione duplici percuſſus 747.44
Sæuitia regis Scotorum 449.39
Sagittarii apud Fineglas diuinitus condemnati 733.54
Sagittarius quidam ſepem Brigidæ tranſiliens inſanit 732.41
Saladinus vincitur à Chriſtianis 454.26
Salmones ſalientes 861.29
Saltus ſalmonis 731.12
Sancti Cambriæ vindictæ quam cupidi ſint 867.52
etiam ipſi Hibernienſes vindicis animi videntur eſſe 734.38
Sanctimoniales ſacerdotum concubinas ferre nequeunt 824.27
vagabundæ 79.21
S. Botulphus 54.2
S. Brendanus 731.33
Sanctus Edmundus 123.16
Sanctus Edwardus rex & martyr 81.17.492.58
S. Franciſcus natione Tuſcus 460.43
S. Thomas Herfordenſis tranſlatus 169.18
Thomas martyrio affectus 771.6
Sanguis è ligno quodam miraculoſè fluens 536.55
Saona fluuius 639.1
Adeliz 639.2
Sarraceni Chriſtianos cædunt 466.10
intercepti 454.49
per Tartaros ſtrati 93.8
Sarum 129.5
Sauathan 823.10
Saxones reginam non admittunt 3.22
Scanza inſula 6.10
Scelera propter quænam Templarii damnati ſint 99.22
Scelus Norwicenſium punitum 472.9
Scheapieg 2.5
Schedulæ Londini affixæ 574.20
Scherburgh 222.12
Scoti ad Eboracum vſque Lancaſtriamque graſſantur 111.12
Andream Herkle trãsfugam libenter ſuſcipiunt 118.19
Scoti Angliæ reginam armis capere conantur 111.56
Angliam vaſtant 483.47
Anglo ſe ſubmittunt 484.51
Anglos vincunt 86.57
Scoti cæſi 489.46
cæſi adhuc 511.44
cæſi tertium 516.38
capiunt nundinas de Penreth 240.31
capti 135.35
caſtellum de Werck capiunt 536.22
caſtrum Warwicenſe obtinent 537.4
clade maxima affecti 131.36
comburunt Hexam 67.1
comburunt villas in Anglia 165.51
comitem Richmundiæ capiunt 113.14
complures Angliæ regem pro ſuperiore ſuo agnoſcunt 56.14
corrumpunt papam 78.34
Scoti depopulantur Angliam rege abſente 317.37
Scoti duodecim pares eligunt 64.35.483.7
Scoti fidelitatem regi Anglicano iurant 485.19
fugiunt 127.46
funduntur in Hibernia 111.34
in fugam acti 91.32
interdicto non relaxati 505.41
intrant in Angliam 305.57.503.52.&c.
legatos Romam mittentes ab excommunicatione abſolui cupiunt 117.55
nundinas de Penreth deprædantur 534.9
Scoti omnia vſque Eboracum depopulantur 107.11
pacem petunt ab Anglo 496.55
partes boreales peſte graui laborantes inuadunt 228.13
Scoti per Northumbria comitem infeſtati 198.42
perfidi 64.56
Scoti quidam Comiti Warennæ ſe dedunt 70.43
rebellant 86.43
ſtrati 76.1
ſunt immanes 84.30
victi 132.48

Scoti vincunt Anglos 112.11
Scoti vnde dicti ſint 452.23
Scotia Angliæ ſubditur 55.44
deuaſtatur 512.10
ſubigitur 496.34
Scotus homagium facit Anglo 59.46
Scriptum Erici Norwagiæ regis ad Angliæ regem 479.37
Sebertus rex tranſlatus 93.28
Securis ab Hibernenſibus loco baculi geſtari ſolet 743.18
Securitas nimia 834.6
Sedes cathedralis Cambriæ 884.24
Seditio creſcit in Anglia 72.42
in Flandria 74.48
Sedulius 1.35
Semen tritici per epiſcopum Corcagienſem maledictum non prouenit 732.53
Senatus Anglicus apud S. Albanum conuocatus 554.8
Sententia in Iohannem de Oldcaſtle pronunciatâ 385.4.576.34
Sententiæ Solini, Oroſii & aliorum quorundã partim vera partim falſa 699.40
Sepsignis Brigidæ circularis, in quam mas intrare non auſit 729.29
Sepultura Wilhelmi regis Anglorum apud Cadomum 669.48
Sequana 616.35
Serlo rumorum vanorum ſparſor captus 562.46
Serlo tractus 371.18
Serpens incantatus 516.2
Serui regis Anglici citantur ab eo cuncti 69.54
Seueritas Ælfredi in iudices inferiores male iudicantes 21.33
papæ in Capellanum ſuum 467.40
Seueritas Roberti in legibus executioni dandis 417.40
Seynclo capitur 572.39
Sigiſmundus Hungariæ, Bohemiæ Romanorumque rex Pragam obſidet 405.50
Siccitas immenſa 122.8
Signatio principum in crucis obſequia 501.26
Silentium Iohanni Wickliſ iudictum 191.52
Similes cum ſimilibus facilime congregantur 837.20
Simon Burley decollatus 334.34
de monte acuto 65.35
de monte forti in gratiam receptus 465.20
de Reding ſuſpenditur 126.4
Simonia papalis 87.23
Situs Cypri 453.45
Hiberniæ 699.3
Scheapieg 2.5
Slanus monarcha primus Hiberniæ 737.8
Soboles Scottici regis 54.27
Sol eclipſin paſſus 11.9
Soldanus Babyloniæ per Tartaros fuſus 79.4
Soldanus filius Aconem obſidet 55.15
Soldanus pater moritur 55.15
Tripolin capit 53.55
Solemnizatio miſſæ in coronationis Richardi II. die celebrata 197.7
Solutio obſidionis villæ de Owdenarde cum magna Flandrenſium confuſione facta 205.11
Somnium 859.57
abbatiſſæ de Lacok 466.53
Somnium Rollonis per Chriſtianum quendam expoſitum 611.41
Soror Arthuri moritur 465.43
regis Bohemiæ honorifice ſuſcepta 281.5
Southampton per Francos incenſa 146.5.512.56
Sorices 859.55
Spiritus oſſa & carnem non habet 870.41
Sprota puella nobiliſſima quædam 620.26
Statura Henrici regis Anglorum 472.23
Richardi Normannorum ducis 425.33
Statuta de veſtibus 525.4
edita quidem ſed executioni non mandata 520.19
fruſtra fiunt in Parliamento Londinenſi 135.15.169.57
Stephanides deſcriptus 774.20
in Britanniam venit 761.41
apud Guaterfordiam liberatur 775.45
Stephanus Angliæ rex 493.17
Angliæ rex captus 445.27
Angliæ rex liberalis 445.14
comes Bleſenſis 685.6
comes Boloniæ coronatur 445.6
Langton prohibetur Anglia 459.47
Moritolii comes 668.1
Stephanus ducem Normannorum hæredem inſtituit 446.11
Stigandus quare degradatus 438.33
Strages Anglorum in Gallia 426.49
& fuga Gallorum 86.17.519.35
paganorum 2.15
Scotorum 67.2.76.1.366.28.517.44.516.38
Strategema quoddam ſingulare 210.47.147.53
Stratflur 863.1
Strinelin caſtrum obſeſſum 497.21
Studium Ælfredi in doctis viris ſibi comparandis 14.25
belli 887.19
Subactio Dubliniæ 766.26
Submerſio Britannorum quorundam 462.7
Subditi denegant ſuo regi ſubſidium 189.39
Subditi in Gulielmum regem ſuum rebelles ſunt 433.6
Subiectio Scotorum 67.34
regis Scotorum 450.53.521.19
Submerſio Flandrenſium 448.45
Paganorum 9.20
Subſidium Edwardo I. Angliæ regi cõceſſum 74.14
per Clerũ populumq; Angliæ regi ſuo præſitum 475.27
regi per Anglos denegatum 564.41

Subuen-

Subuentio familiæ apud Limericum regia 790.57
Succubi 870.36
Suenus Danamarchæ rex 635.11
Suenus ad Comitatum Eboracenſem appellit 635.31
Haraldi regis Danorum gnatus 623.5
moritur apud Londoniam 636.5
Superbia Walteri Tyleris 252.40
Sus venaticus 825.15
Suſpenſio militum quorundam 334.28
Suthampton combuſta 512.56
Swenus exercitum parat in Anglos 427.29
Sylua Danica 838.38

T

Tabula rotunda arx in Anglia & Francia 164.34 515.36
rotunda ludus militaris dicta 49.2
Taf 885.34
Tartari ad fidem conuerſi 93.10
Sarracenos ſternunt 93.8
Tawe 885.39
Taxa cleri populique Anglicani 566.38
grauis 534.34.561.33
inaudita 531.6
inſoluta 369.58
ſumptuum quos Richardus II. facere licite poſſit 200.1
Taxatio Franciæ ad bellum in Normannos 449.6
Taxus qua natura ſit in Hibernia 709.30
Tedboldus 615.55
Tefredaucus 867.33
Tegulariæ caſtrum 650.34.662.44
Teiui 885.52
Tempeſtas inaudita 54.33
Rolloni de Anglia in regnum Francorum nauigaturo ſuperueniens 613.11
Tempeſtates in Hibernia factæ 777.41
Templarii capti 500.10
concremati 99.7
deleti 444.29
propter ſcelera ſua damnati 99.22
ſuperbi 832.18
Tempus regis Richardi II. 193.35
Tenechbray 675.21
Terra filiorum Conani 864.50
Terræmotus 111.31.289.34.315.47.316.44
Teſtamentum Ælfredi 22.17
Teſtamentum Æthelwulfi 4.16
Teſtimonia chronicorum de regis Anglicani in regnum Scotorum iure 477.33
Thema ſermonis Iohannis Ball 275.35
Theobaldus comes Carnothenſis cum dedecore fugit 424.31
Theobaldus comes Carnotẽſis cum duce pacem init 425.3
Thomas Beauchamp 527.40
Thomas Cantuarienſis 77.4
de Arundel moritur 578.30
de Dagworth homo probus 167.25
de Hilton capitur in Aquitania 199.55
Thomas de Hilton è carcere liberatur 241.20
de Lancaſtria captus 505.3
Gerney 327.56
Molinew occiſus 332.15
Triuet caſu equi peremptus 335.41
Turberuilenſis ſuſpenditur 64.45
Thronus regis Scotorum in Angliam tranſlatus 485.12
Thronus regis Scotorum qualis fuerit 68.3
Thurſtinus rebellans fugit 433.34
Thyle 721.48
Timiditas Londonienſium 322.42
De hac etiam vide pag. 538.51
Timor pauiens 108.59
Τιμωεῖν S. Tefredauci 867.33
Tituli Henrici II. regis Anglorum varii 751.1
Pictauienſes 752.35
Tonitrua inuſitata 316.44
Topographia Hiberniæ 692.1
Torniamentum 472.57
Torniamentum per Petrum Gauerſtonium inſtitutum 96.55
Torquis Canauci 824.50
Toſticus comes 664.52
Tractatus de treugis 336.31
Traeth Britannis quid 865.32
Tranſfretatio ducis Lancaſtriæ 170.46.347.7
regis Angliæ 171.14
Tranſgreſſiones Londinenſium 347.53
Tranſlatio beati Hugonis 49.58
corporis Edwardi 471.25
epiſcopi Wigornienſis ad epiſcopatum Wintonienſem 133.11
Tranſlationes epiſcoporum 336.19.376.52
Tranſlatio S. Thomæ Herfordenſis 169.18
Seberti regis 93.28
Trapezetæ (ſ trapezitæ) Anglicani 679.14
Traybaſton 90.4
Treugæ biennales inter Anglos & Scotos factæ 278.54
inter regna 308.8
Treugæ Scotis papa petente per Anglum conceſſæ 490.44
Tributum lanæ in Anglia augetur 69.48. 486.14
Tripolis per Soldanum capta 53.55
Triticum è ſiligine conuerſa factum 732.53
Triumphi Henrici ſecundi regis Anglorum varii 751.1
Tumultuatio communium Pariſienſium 243.46
ruſticorum, aliorumque communium in Anglia quanta mala excitarit 247.43
Turgeſius 748.25.760.21.41
Turſtinus Goz 651.1

Tutor filii regis Edwardi I. 73.
Tyrannis Eadburgh 3.42
Tywy 885.42

V

Vacca ceruina 725.26
Vadum Dina 662.43
Vaga 874.12.875.23.886.16
Valor redemptionis regis Francici 176.59.177.1
Vaſa capta proditorieque rurſum liberata 322. 56
Vaticinium Merlini cuiuſdam pſeudopropheta mẽdax 857.32.871.33
Vecordia Anglorum in mari 315.33
Vecta inſula per Gallos capta 198.59
Vermes Hibernici 710.47
venenoſi 721.17
Venditio lanarum 170.42
Ventoſitas Hibernia 700.20
Ventani ſagittarii egregii 835.19
Ventus vehemens mortem regis Henrici Anglorum pracedens 933.688.37
Verſus in Wallos Satyrici quidam 75.57
Vexillum per paganos ab Ælfredo ablatum mirabile 10.26
Victoria cedit Anglis 182.15.522.4
Victoria Danorum apud Auxendunum 636.6
de Francis inſignis per Anglos reportata 148. 36
Victoria Gulielmi de Moritonia 443.49
Victoria miraculoſa 172.1
Victoria naualis de Paganis obtenta 11.47.514. 21
Victoria naualis per Anglum adepta 514.21
Victoria Thoma Dagwurthi 518.26
Victoria Henrici regis Anglorum tres in Normannia 591.57.750.51.782.9
Victualia vendi edicto iuſſa 108.32
Villa Berewici per Scotos capta 171.25
Villa de Arde per Gallos ſubacta 299.46
de Ypres obſeſſa 302.16
Ermentrudis 630.22
Winchelſee capta 240.58
Villani de S. Albano tumultuantur 259.32
Villani Sancti Albani ad portam loci iſtius congregati 258.1
Villani Sancti Albani in Eccleſia & fidei Chriſtiana, nec non regni Anglicani deſtructionem conſpirarunt 264.52
S. Albani malicioſi 260.3
mandato regio coacti ciues ſuos de furcis depoſitos denuo ſuſpendunt 278.36
S. Albani quo modo pro malicia in illius loci Abbatiam tractati ſint 254.22
Vindicta diui Auiani 821.27
diuina 860.15
Vir ſemibos 724.53
Viri Cambria nobiles quidam 876.36
Viri ter mille cruce inſigniti 877.31
Virtus bullarum papalium 545.10
Virtus Rollonis 609.42
Wulſtani 440.31
Vis famis 222.27
Viſio paſtorum in Anglia 467.3
Viſiones 781.1.802.36
Viſitatio archiepiſcopi Cantuarienſis 134.38.340. 32
Viſio, ſeu viſitatio potius, Henrico regi apud Kerdiff facta 779.23
Vita Giraldi Cambrenſis 817.1
monaſtica deſeri capta 18.37
S. Brendani 731.33
Viuianus 795.43
Vltio diuina in Iohannem Arundelium 233.37
Vltonia inuaſa 794.1
Vlula circa natalem Chriſti pullos habentes 726. 31
Vnguentum regium 361.1
Vorago maris quadam naues abſorbens 721.17
Vota Cardinalium 375.43. de Papa 375.43.567.15
Votum regis Ælfredi 19.45
Vrbanus Papa iuſtitia dicatus 222.10
papa moritur 185.19
papa ſextus obit 341.55
V I. papa moritur 544.42
Vrbs Leonicenſium ſolo adaquata 185.36
Vſus genealogiarum in Cambria 883.29
Vxores Edwardi I. 94.34.499.24

W

Walcheren 613.54
Walgrenſes Rolloni rebellant 613.50
Wallenſes Anglia regem pacem petunt 473. 56
Wallenſes contra regem Anglia inſurgunt 62.22. 481.52
rebellant 364.7
Wallenſes ſubacti poſtea non rebellãt 460.26.482. 38
Wallia 475.23.887.5
Walling ford 126.21
Walteofus 439.31
Walterus Attelee procedit aduerſum ruſticos S. Albani ſeditioſos 270.46
de Bendeley 369.4
Diſſe 327.35
Walterus Giffardus archiepiſcopus Eboracẽſis obiit 49.6
Many Flandros fortiter deuincit 146.32
Reynaldes archiepiſcopus Cantuarienſibus praficitur 103.41
Scammel 52.20
Tyler homo ſuperbus 252.40
Wanading 1.21
Waſconia per Francia regem regi Anglico reſtituta 86.47.496.37

Wellia

Wellia 331.55
Wendraeth 885 41
Wenefreda diua 873.34
Wigambeorg 2.3
Wilhelmus abbas Beccenſis 679.33
Anglorum rex 672.55
Archacenſis 651 22
Buſatius 657 29
comes Herefordiæ 676 36
comes Pictauorum 620.53
Conqueſtor 82.27
de Beleſmo per Robertum obſeſſus 641.1
de Norwico moritur 129.13
Wilhelmus Duglas cum ſuis captus 132.33
Duglas perimitur 335.18
Wilhelmus Flandriæ comes 677.1
Wilhelmus Geroii filius Monachus Becci factus 652.39.
Geroiianus 659.12
Normannorum marchio 621.32
Rufus 82.28
Wilhelmus Sorengus 654 28
Wilhelmus Taluatius crudelis 652.39
Taluatius 655.18
Waleys, 73.7
Waleys undenam ſit ortus 90 30
Walleys Scotos ad rebellionem incitat 486 27
Werlencus 657.1
Winchelſey moritur 501.12
Winchelſee oppidum captum 240 58
Windeleshore 52.17.106.47
Wintonia per Paganos vaſtata 4.44
Woch, woch 803 2
Wodſtock 160 43
Wulſtanus è vita excedit 441.1
Y
Ypres obſeſſa 302.16
Yſthuyth 880 5
Yuorus Bach 839 52
Φιλοτιμωεία *ſanctorum Cambrienſium* 867.52
Z
Ziim 852 14

F I N I S.

Digitized by Google